BOLTON CASTLE,

ASE,	SHELF,
W	
3553.	S.G

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS
AT URBANA-CHAMPAIGN

Emblems
Q.417
B386o
1580

Rare Book & Special
Collections Library

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://www.archive.org/details/operaioangoropii01beca

OPERA
IOAN· GOROPII
BECANI,

Hactenus in lucem non edita:

nempe,

HERMATHENA,
HIEROGLYPHICA,
VERTVMNVS,
GALLICA,
FRANCICA,
HISPANICA.

ANTWERPIÆ,
Excudebat Chriſtophorus Plantinus,
Architypographus Regius.
cIↃ. IↃ. LXXX.


IOANNIS GOROPII BECANI EFFIGIES

EPITAPHIVM IOAN. GOROPII BECANI
TRAIECTI AD MOSAM.

D O M.
IOANNI GOROPIO
BECANO DIVINAR.
ATQ. HVMANAR. RE-
RVM BONARVMQVE
ARTIVM PERITISS.
KATARINA DE CORDIS
VXOR ET FILIOLÆ
DVÆ CONIVGI AC
PARENTI DVLCISS.
CVM LACRYMIS. POS.

PROCVRANTIB. LÆVINO
TORRENTIO ET GASPARE
SVRCHIO, QVIBVS ILLE
RES SVAS MORIENS COM-
MENDAVIT.

VIXIT
ANN.
LIII.

OB. IIII.
KAL.
IVL. A.
M. D.
LXXII.

HERMATHENA
IOANNIS GOROPII
BECANI.

ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini
Architypographi Regij.
cIɔ. Iɔ. LXXX.

BENEDICTO ARIAE MONTANO LÆVINVS TORRENTIVS S.

MVLTA ſunt, ARIA MONTANE, in hac vita mortalium ſtudia, quibus ad hoc quod bonum nobis eſſe credimus quanto poſſumus opere ac labore contendimus. Sed quoniã bonum opinionibus non natura definimus, noſtriſq; magis cõmoditatibus (quæ multæ ſunt ac variæ) quàm recta ratione metimur, in eiſq; conſectandis nulli quicquã concedimus: quinimo (quæ vulgi maleuolentia eſt) nobis id diſcedere arbitramur quod alij acceſſerit: hinc, partim ignoratione veri boni quo beati efficimur, partim amore nimio aliorum quorum ſpecie decipimur, lædi communis vitæ ſocietatem, vnde lites & bella oriuntur, turbariq; ac labi omnia neceſſe eſt. Quamquam autem vbi legibus moribuſq; bene conſtituta Reſpub. eſt, ne aduerſus alios iniuſti ſimus pœna atque ignominia deterremur: attamen quamdiu non ſponte noſtra ſed coacti metu officium facimus, numquam bene tranquilleq; viuitur. quod vt fiat à ſeipſo incipere, ſeſe interrogare, & (vt quiſque ſibi proximus eſt) ita animum ſuum vincere ac rationi ſubijcere oportet. Neque enim qui domi probus ſit, aliter in publico ſe geret: ſed ita vitam inſtituet, vt quod ſibi fieri nolit, id in alium non committat. Verùm vbi non ratio ſed libido dominatur; fons atque origo malorum omnium cupiditas, nihil ordinatum atq; compoſitum eſſe ſinens, non modò eorum quibus vt felicioribus inuidemus odio nos accendit, verumetiam nobis ipſis iniquos atque infeſtos reddit. Nam quia immoderati nunquam præſentibus acquieſcimus, neque certum vitæ propoſitum tenemus, vt quæq; res incidunt ita variè afficimur: ac ſi fortè præter ſpem vel aliis bene vel nobis malè ſit, illicò commouemur, ac noſtri noſmet pœnitet. Atqui (quod etiam voluptatis aſſertorem illum in hortulis ſuis dixiſſe accepimus) qui ad placidè beateq; viuendum rectam affectet viam,

eum ante omnia ſuo ſibi iudicio beatũ videri oportet. cui enim ſua bona non videntur ampliſsima, is tametſi mundi totius Dominus ſit, adhuc miſer erit. Neque ſolùm Epicurum tam præclaræ ſententiæ laudare teſtem poſſum: ſed alium etiam è comœdia; qui, quiſquis fuerit, perelegantí verſiculo Non eſt, *inquit*, beatus, eſſe qui ſe non putat. *Itaque ſi non tantùm ſummi illi viri qui ex Socratica profecti domo omnem de moribus diſciplinam nobis illuſtrarunt, verumetiam è plebe philoſophi nec ſatis eo nomine digni, tam præclara ſuggeſſere quo cupiditatem rerum nihil profuturarum animis noſtris funditus eruerent: quid nos qui Chriſtiani ſumus, qui diuinis imbuti præceptis non vltrà de natura boni ambigimus, neque de finibus diſputamus, ſed certò ſcimus Deum (à quo omnia incipiunt, & in quem omnia deſinunt) ipſum eſſe bonum quod quærimus, eſſe finem ad quem nati ſumus, ac veluti metam ad quam in huius vitæ curſu nuſquam aberrantes flectere debeamus, quid nos inquam facere oporteat? an non perpetuò illum intueri, illum in corde gerere, illum cupere, illum admirari, illi gratias aſſiduè agere, cùm propter alia infinita eius dona, tum propter illud eximium, ipſum nempe Dominum ac Seruatorem noſtrum* IESVM CHRISTVM? *quem qui nobis donauit, cum eo donauit omnia: cui ſeruire regnare eſt: quem noſſe quẽ meditari ſapere eſt: in eaq́ ſapientia multo vberiùs cumulatiusq́, quàm in ea quæ Stoicorum eſt, vniuerſæ naturæ bona non fictè ac fallaciter ſed veriſsimè continentur. Neque ardua ad hanc adipiſcendam eſt via. quanquam enim nihil ſublimius, nihil eo excelſius, in cuius illa cognitione conſiſtit: quippe qui in cælo habitet, ac ſedeat ad dexteram Dei: tanto tamen citiùs faciliusq́ eo pertingimus, quanto nos humiliùs ac ſubmiſsiùs gerimus. ſumma tenet: ſed ad ima deſcendit, ac nobis ſeſe inſinuat, cum mente ipſum complexi per fidem quam diuinis de eo teſtimoniis adhibemus, credimus eſſe filium Dei qui de Virgine naſci ac noſtræ mortalitatis particeps eſſe voluerit, vt morte redemptos ſua nos immortales efficeret: & quos communis humani generis hoſtis longa ſeruitute afflixerat, ipſe manu ſua tamquam vindex in libertatem aſſereret, cæloq́ (vnde genus ducimus) victor ac triumphator adſcriberet, quos inimicus ille graues peccatis ad tartarum vſque depreſsit. Fide itaq́ cognoſcitur, fide colitur: vnde nata de ipſius erga nos voluntate fiducia, ſi piis per caritatem operibus ac qualibuſcumque meritis no-*

ſtris

ſtris comprobetur, nihil eſt quod tãtæ felicitati poſsit accreſcere. Nam quicquid ſiue triſte ſiue lætum incurrerit diligentibus Deum (quod inquit magnus ille Paulus) om͞nia cooperantur ad bonum: neque quicquam tam ferum, tam immane, tam barbarum, quod confirmatam ſemel æternæ ſalutis ſpem poſsit infringere, & ab amore eius nos ſeparare, quem ſcimus eſſe iuſtum iudicem, & fideliter quæ pollicitus ſit reddere. accurrit enim laborantibus, & quæ noſtris ferre viribus non valemus, ipſe ſuſtentat. Verumenimuero quoniam fides iſta quã tantoperè prædicamus, neque ab externis quanta optare debemus frequẽtia concipitur, neque à nobis qui in ea nati ſumus, qua par eſt conſtantia ac virtute colitur: ſed obliti cõmunis Chriſtianorum cœtus quam Eccleſiam appellamus, tot fermè in ſectas quot capita ſumus, diuidimur, fœdè nimis ac crudeliter diſsidentes: danda bonis atque eruditis omnibus pro ſua cuique facultate opera eſt, vt precati Deum quo conatibus noſtris volens ac propitius aſpiret, & externos quæſitis vndique rationibus ab impietate ad veræ religionis cultum tranſducamus, ac noſtros in ſententia ſi boni ſint cõfirmemus, ſi mali atque improbi, vt erroris atque culpæ pœniteat, quoquomodo procuremus. Quod cùm maiorum tum noſtra quoque memoria viri multi præclari, inuentione quidem varia atq; multiplici, ſed vno omnes fine, magna cum laude præſtitere: hi præſertim (nam de ſcriptoribus nunc tantùm agimus) qui de perenni philoſophia ac de cæleſti monarchia libros nobis reliquêre.

*V*ERVM *vt aliæ multæ res, quas meritò admiramur, hoc ipſo ſæculo exortæ ſunt: ſic inter auctores etiam recenter extitit amicus ac familiaris noſter* Ioannes Goropius Becanus, *vir erudițiſsimus. Qui nouo docendi genere demonſtrare conatus eſt vetuſtiſsimam illam philoſophiam (quam olim, ante natas in Græcia Athenas, cùm alij multi, tum Linus, Orpheus, Thamyras in Thracia docuere, vnde in vicinas deriuata regiones, ad* Phrygas *primum, ac tandem ad* Græcos, *ſed ſerò, peruenerit) ab ipſo Noacho, eiuſq; filiis, Iapeto præſertim, profectam eſſe, ac gentibus ad quas Deo duce delati fuerint, traditam: eamq; cum Moyſe, ac Sacroſancta eius hiſtoria, ſola eo nomine digna, optimè conuenire. In qua inueſtigatione dum præcellentis ingenij ac doctrinæ vir ſcriptorum omne genus euoluit: poëtas maximè, qui pænè ſoli, ſi Platonem cum paucis excipias, vltimæ antiquitatis reliquias nobis conſeruarunt, nouis*

 ſemper

litteras atque apices complectatur? An fortè neget aliquis diuinitùs eſſe factum vt prima rebus nomina imponerentur? Negent hoc impij, quos conuincere non difficile ſit. Nos certè negare non poſſumus, quod & vetus omnis Philoſophia alijs etiam de linguis docuit; &, ad primariam quod attinet, ſacris litteris confirmatur. Nam principio vna tantùm erat, & quidem ab Adamo cæleſti inſpiratione conſtituta. Deo autẽ inſpirante an pronunciari potuit aliquid quod non integrum atque perfectum eſſet, quoq; nihil à nobis ſignificantius fingi poſſit? Quo ſemel conceſſo, quænam obſecro inuidia eſt noſtro in ſermone à nobis quæri, quod tute in tuo nõ inueneris? Varronem & Latinos, vt penè ridiculos, hîc reijcio. Græci eruditiores, cum alia multa, tum hanc quoque vel præcipuæ ſcientiæ partem quæ de nominibus eſt, maiore ſtudio pertractarunt: & eo quidẽ admirabiliùs, quo Moſaicis temporibus propiores. Vt enim Pythagoram & Parmenidem taceam, Plato certè, omnibus in rebus magnus, illam plurimum illuſtrauit: cuius ore Socrates, præſertim in Cratylo, non fortuitam aut hominum arbitrio ac conuentione ſtatutam, ſed cæleſtem atque diuinam eſſe arbitratus eſt: in qua Dei vires veluti radij quidam & imagines appareant. Ceterùm qui de vniuerſa re nihil neque ſanctiùs neque ſublimiùs dicere potuiſſet: cùm ad exempla deſcendit, paruum certè operæpretium mihi facere viſus eſt. Nam vt ea quæ diuina vocat omittam, quæ vir ille in primis religioſus non niſi cunctanter & cum horrore, ob inſignem numinis reuerentiam, attingit: de alijs meo quidem iudicio nihil vel tam acutè vel tam ingenioſè ac ſubtiliter ab ipſo inuentum eſt, quod noſtris comparatum non euaneſcat. Et alioqui ipſe quoque confeſſus eſt Barbarorum linguam Græca eſſe vetuſtiorem. quanquam quænam potiſſimùm illa fuerit, quæ in ipſis rerum primordijs extitit, ignorauit. quippe qui neque de mundi creatione, neque de primis illis mortalibus quidquam ſe dignum ſcripſerit. De Hebræis verò, Chaldæiſq;, nolim ſanè diſputando cornicum oculos configere. neque ea fuit Goropij mens, vt gentis antiquiſſimæ atque à Deo dilectæ luminibus obſtrueret. Sed quoniam palma in medio poſita eſt, neque credere cogimur linguam, qua ſub Moyſe vſi ſunt, primigeniam fuiſſe: Nam ne ipſi quidem Iudæi ea de re inter ſe conſentiunt: & è noſtris nonnulli Syram ſiue Aramæam, aut Palæſtinam prætulere: quænam obſecro religio eſt Cimmerias tenebras eruere, & genti vetuſtiſſi-

tuſtiſſimæ, morumq́ ac legum ſuarum tenaciſſimæ, poſt tot bellicas laudes, quando ſoli inuicti nec moti ſedibus alias pæne nationes omnes & exturbarint & vicerint, hanc quoque gloriam quærere? An fortè, ſi de Latino aut Græco ſermone agens, ab Aegypto vſque & Aethiopia & Aſſyria aut Phrygia petitum eſſe vocabulum aliquod oſtendero, cum plauſu & approbatione diſcedam: Cimbros verò ac Teutonos vel leuiter nominare ſine ſibilo non permittar? Nocuerit ſanè quod olim magnam Aſiæ partem, quodq́ Africam, Italiam, Hiſpaniam armis ſuis tenuerint. quãquam Græci ac Romani quod idem fecère ſibi laudi ducunt. At nobis non de equis neq́ curribus in aciem ducendis, vnde vaſtitas & exitium; ſed de nominibus intelligendis, vnde Deum ipſum atque naturam agnoſcimus, omnis inſtituta diſputatio eſt. Qua de re loquentem audire Goropium tantò mehercule æquius fuerit, quod, cùm ceteræ linguæ omnes quas auctores celebrant, vſu ius ſuum amiſerint, neq́ vllis amplius circumſcriptæ regionibus ſe tueantur; noſtra, nulli cedens, fines quos habet latiſſimos egregiè defendit. eo integrior atq́ purior, quòd maiores noſtri nullam infundi peregrinitatem permiſerint, neque linguam magis quàm animum excoluerint, ſemper ea aſpernati quibus mores corrumperentur. Vetus de Græcis ad Marcum filium illud Catonis eſt: Hoc puta vatem dixiſſe, quandocumque iſta gens ſuas litteras dabit, omnia corrumpet. *neque aliter euenit. Romani enim à rebus gerendis ad theatri ludicra, atque ad ornatè ac callide dicendum conuerſi, vt patrium ſermonem lenocinijs iſtis, ſic imperium nequitia perdidere. Quo minus equidem mirandum, ſi gens noſtra, neq́ ſui profuſa neq́ alieni appetens, diutiùs quàm ceteræ incorrupta permanſit. Quanquam & illam ſua fata manent. Atque vtinam non tam certis indicijs id cerneremus. Solus ille qui verè eſt ſemper idem eſt: cetera fluxa ac minimè diuturna habẽtur. Idq́ nulla in re magis quàm in loquendi vſu deprehenditur. & quidem tunc maximè, cùm tragicorum more (vt ait Plato) ornandi cauſa, priſcis vocabulis, nequid aures offendat, litteras modò addimus, modò detrahimus: vt matronæ ſcilicet, quæ formæ nimio plus ſtudioſæ, medicamentis (quibus de ornatricum conſilio vtuntur) & naturam lædunt, & citiùs quàm ſola contentæ munditia ſeneſcunt. Quod ergo linguam quæ primigenia videri poſſit inquirimus, humano more accipi volumus. Quemadmodum enim (quod inquit*

Horat.) vbi —— vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille Qui minimis vrgetur——*: ſic etiam inter linguas perfectiſſima habenda eſt, quæ minimè corrupta ſit, & in qua plures antiquitatis notæ velut gemmæ quædã effulgeant, ita vt rerum notitia maximarum ex ipſis nominibus capiatur. Nam optima ferè quæ & vetuſtiſſima. Vnde & Orphei etymologiæ celebrantur. neq; vlla vnquã natio extitit quæ non ad Deos aut diuinos certè homines, quos Heroas dicebant, originem retulerit ſuam: priſcæ ſcilicet admiratione virtutis, quam quo propius attingimus, eo magis magisq; homines ſumus. Sed tempus eſt vt ſcriptorem ipſum horum operum diſſerentem audiamus. qui quamcumq; rem tractet, ſiue gentium origines, ſiue quæ de ſermone eſt doctrinam illuſtrans, Deum ſemper ac naturam ante oculos ponit: nullo alio ſcribendi fine (quod viuens ſæpe teſtatus eſt) quàm vt Chriſtianæ religionis veritas, ex tanta rerum omnium conſenſione manifeſtò deprehenſa, maiore à nobis ſtudio atq; opere conſeruetur.*

QVOD *cùm ita ſit, quid Ioſepho Scaligero, viro inſigni eruditione prædito, in mentem venerit neſcio. qui, viſis iam Originum libris, in Sex. Pompeium Feſtum de verborum ſignificatione commentarios ſcribens, quo loco de Ambacti vocabulo agit, quod Gallicum eſſe auctor oſtendit; ipſe quem interpretandum ſumpſerat erroris, aut malitiæ potius inſimulans, & Latinum eſſe ex Turnebi ſententia contẽdens; quia noſter illud Cimbricis adſcripſit; hinc nata occaſione, tot eum maledictis ac contumelijs tam aſperè ac ferociter proſcidit, vt non Scaligerum loqui putes, ſed petitum è circo ſcurram, quo iure, quaque iniuria, in ſui ordinis aliquem debacchantem. Et tamen (niſi præ iracundia Scaliger eſſe deſierit) velit nolit, modò pacatus nobis aurem accommodet, noſtræ illud eſſe originis fateatur neceſſe eſt. Atque ideò in gratiam rediturum crediderim, vbi* Hermathenã & Hieroglyphica *in manus ſumpſerit. Nam in Originum libris non ita diſtinctè & accuratè hæc de ſermonis principatu quæſtio pertractatur. vt fortaſſis necdum euolutos abiecerit, neq; linguæ incognitæ præconium, neque argumenti nouitatem ferens: atque vniuerſum opus improbans, cuius pars aliqua diſplicuiſſet. At verò multos ego noui, qui ſumma imbuti doctrina, tametſi linguam de qua agimus ignorabant, & ne fando quidem Goropij antè nomen audiuerant; vbi tot ſub tali integumento occultari myſteria*

myſteria videbant; & auctoris & linguæ admiratione inflammati, vtrumque pariter in cælum ferrent. Nec defuere interim etiam è noſtris hominibus, qui (contrà) partem aliquam operis ſibi reprehendendam arriperent: ea nempe quæ de Paradiſo, quæ q́ de Noachi arca, & Nilo, & Gigãtibus ſcripſit. Sed cùm diurnis nocturniſq́ ſtudijs diu ſeſe maceraſſent, & laboris fruſtrà ſumpti pertæſum eſſet: ſpongiam pro calamo accepêre; teſtati publicè facile quidem eſſe mordere, aut ridere etiam ab eo dicta, ſed difficile redarguere, difficillimum verò meliora adducere. Similem igitur exitum ſperent qui eandem fortunam ſubire volent, vt victi turpiter conticeſcant. Tot enim vir ille petitis vndiq; inſtructus armis in arenam deſcendit, ſic appetit, ſic declinat hoſtem, vt à quo metuere ei debeam viderim adhuc neminem. Qui verò Martem in lingua gerunt, tametſi maledicentem totidem verbis malè audire æquiſſimum eſt, ſecuros eſſe iubeo. Neq; enim iurgãtur mortui. & ego, quamuis amici nomen atq; memoriã amo, tacere malim quàm obſtrepere. Nam cuicumq; cõmittar, tam facilè conuiciando me vicerit, quàm ipſum diſputando Goropius. Interim quæ de Phrygum antiquitate parat Scaliger expectabimus. opus haud dubiè tam illuſtri ingenio dignum. Verùm ſi pro gentis eius vetuſtate Pſammetichi Aegyptiorum Regis apud Herodotum ſententiam, veluti præiudicio quodam, ſequi volet: primam ſcilicet eſſe linguam qua BEC *(quod* Βέκκος *ille facit) panem ſignificet, quòd ea vox ab infantibus, ad hoc à muto cuſtode aſſeruatis, primùm prolata fuerit: mirabor equidem ſi ne tunc quidem placari ſe permiſerit: cùm ita noſtra ſit vt nulla magis. Et tamen ineptam illam Græculorum fabulam intenti legimus, vti & Arcadum inane commentum, quòd Luna antiquiores ante cælum credo extiterint: Goropium verò & Phrygia & Arcadica diſertiſſimè explicantem, & ad Moſaicæ hiſtoriæ normam exigentem, faſtidioſi contemnimus; Circæ poculis ebrij, ac pro Iunone nubem amplexi, dum meris allecti nugis Sirenas Muſis præferimus, terrena nempe cæleſtibus, ac falſa veris, digni qui ad illarum ſcopulos obruamur. Quod ſi ſola linguæ Cimbricæ inuidia nobis ſtomachum mouet; neque alia admittimus nomina, quàm quæ Græcorum ſcriptis celebrantur: faceſſat illa, & vel Thracia appelletur, vel Phrygia, vel Aegyptia etiam, cuius tam præclara apud omnes gentes extent veſtigia; dummodo rem ipſam ad diuinæ Maieſtatis gloriam teneamus;*

neamus; atque in confeſſo ſit, Græcos, ea ipſa tempeſtate qua ſoli ſapientia videbantur, pleraq; omnia à Barbaris accepiſſe: ita vt meritò ab Aegyptio quodam ſacerdote (ſi Platoni in Timæo credimus) pueri adhuc appellarentur. Quinam verò hi Barbari fuerint, & vnde profecti; poſtquam nemo hactenus explicauit; hunc agyrtam, hunc circulatorem noſtrum (his enim titulis ornat eum Scaliger) ſaltem aretalogi loco per ludum iocumq; audiamus.

*T*V *verò mi* M*ONTANE, qui virum vnà mecum à tot annis noſti, neque ignoras quomodo honeſtè natus, & à cunabulis penè in litteris, deinde inter philoſophos enutritus, qualem ad diuinas atque humanas res cognoſcendas progreſſum habuerit, quáſque eo nomine prouincias obiuerit: ac tandem, ceteris ſe abdicans functionibus, totum huic ſe contemplationi dederit: quanquã duarum Reginarum diui* C*aroli ſororum in Hiſpania antè medicus, & inſigni ob id quoad viueret ſumma annua in teſtamento donatus, à Philippo quoque (Regum ab omni memoria potentiſſimo) ad valetudinis ſuæ curam ingenti pollicitatione, ac regali inſuper munere (te procurante) accerſeretur: Tu (inquam) pro eximia tua in amicos pietate, quem viuentem dilexiſti, nunc vita functum aduerſus calumnias ſplendore tui nominis defende. Atque equidem non vt patronum te appellarem, ſed vti iudicem depoſcerem: quum in ſupremo doctorum noſtri ſæculi hominũ Senatu principatũ obtineas: verùm quia vereor ne recuſent aduerſarij, iurétq; ſe ideo recuſare quòd ob tuam erga nos beneuolentiã æquo iure vti non poſſent; quocumq; potes modo huic cauſæ aßertor accede. Cedent illi: neque inter oratores ſuos temerè inuenient, qui de re quæ agitur aut veriùs, aut conuenientiùs atque ornatiùs dicere poſſint. Ecquis enim tot ſimul vnquam linguarum & tot rerum ſcientiam maximarum adeptus eſt. Nec ideò auctoritatem defugerim tuam, quòd Hebrææ, vt es peritiſſimus, ſic acerrimum quoque defenſorem te geris. Nam quanquam ſæpe coram de myſticis ac diuinis vocibus à Moyſe petitis aduerſus Goropium te diſſerentem audiui: ita tamen abs te ille diſcedebat, vt ob ingenij acumen maiorem ſui admirationem relinqueret. Labi autem & errare & decipi, humanum eſt; neque vni omnia data ſunt: illud verò eximium, etiam ei à quo diſſentias, placere poſſe. Quanquam eius rei laus ad te quoque pertinet. qui quanta ille in dicendo vehementia vſus eſt (erat enim paullò calidior) tantam*

tantam

tantam tu in audiendo æquabilitatem prætuliſti.

ATQVE *hac ſumma ratio fuit, cur, cùm Traiectum Moſæ à Medinenſi Regulo hinc euocatus in morbum incidiſſet, nec multo pòſt moriens ante diem, domum vxoremq́; (quam & perhoneſtam ac prædiuitem duxerat) ac liberos ſuos mihi commendauiſſet: ego, non minori cura ac ſollicitudine hos ingenij partus quàm generis ſobolem ſuſcipiens, vt in animis hominum veluti coaleſcerent, ac parentis ſui memoriam (qui præcipuus generationis fructus eſt) in æuum tranſmitterent, agnitos, approbatoſq́; à Theologis, Chriſtophoro Plantino noſtro publicandos ſub tuo nomine traderem. Tu, vt ingenuos, à mala malorum hominum manu atque iniuria quæſo vindica. Et, quia de intima amicorum cohorte deos, quod aiunt, propius contingis, poſtumos iſtos, tanquam tutor honorarius, Regi cùm opportunum videbitur, ne fortè ſummoueantur, ipſe manu trade. Proderit ad fauorē & gratiam patris recordatio. & verè regium eſt tueri Muſas. vt Herculis Muſagetæ nos olim imagines docuère. Vale. & Torrentium vt facis ama. Kalendis Iulij, Anno à Chriſto nato,* M. D. LXXVIII. *Leodio.*

INDEX RERVM ET VERBORVM IN HERMATHENAM.

A Litteræ ſymbolica ſignificatio. 59
A longum multorum riuorũ nomen eſt. 120
A longum per ae plerumq; ſcribitur in Cimbrica lingua, in Suenica per aa. 194
A vocula incitans ad progreſſum 59,78,215.
Abbatis Tritemij Stenographia. 15
Abecedarium. vide Alphabetum.
Aber. 78
Aberrechts ſiue Auerrechts. 79
Aberwitzig. 79
Ac. i. aqua. 155
Ac ſiue Aac. i. bonus. 32,119, 120,122,199,200,201.
Acca dicta mors Chriſti. 121
Acca Laurentia. 120
Acca Laurentia Romuli nutrix. 122
Acca lupa vocata. 122
Acca Venus. 122
Accæ ſextus dies ſacer. 121
Ach. 122
Achelous. 120
Acht. 122,197,201,225
Achter. 226
Acker, Ackerman. 235
ἄκος, ἄκατος, ἀκάπον, &c. 119.120
Acs. 119,199
Adam vnde dicatur. 95
Admeti ſiue Adameti greges pauit Chriſtus. 190
Adoleſchia. 80,81
Ægæon. 209
Ægiſlaus. 17
Ægyptij falſi, Cingali dicti. 18
Aem. 37
Ænigma Platonicũ Dionyſio Siculo Tyranno perſcriptum. 184
Æolus. 63
Aes. i. alimentum. 37
Æs. i. pecunia. 90
Æs, æris vnde dicatur. 90
Aeſ-ſack. 90
Aeſum ſiue Aeſem. 37,63
Æquus. 130
Ætheris nomen. 9,19
Æuum, αἰών. 113
ἀγαπῶ. 220
Agelea. 130
Ager. 32,235
Ai. 63,109,233
ἄημι. 37
Aidom ſiue Aiom. 63
ἀΐδος κυνῆ. 70,71
Αἴολος, Æolus. 63,109
αἰσθάνω. 193
ἀΐω. 63,233
αἰὼν. 113
Aker. 120,155
Al. 64,147,235
Alani. 234
Alb. 87
Alben ſiue Aluen. 87
Albion. 87
Albus vnde dicatur. 87
Albus color lætitiæ index. 87
Albus color feminis, ſacerdotibus, & viduis proprius. 87. & ſeq.
Alea Pallas. 134
ἀληθὴς. 68
Allemanni & Sueui deridẽt Saxones & reliquos Germanos, quòd ſtudioſè Sigma vitent. 47,58
Allemannis tumida omnia placẽt loquendo. 58
Alp. 87
Alpes. 87
Alphabetum duplex. 213
Alphabetum Græcorum mutilum & redundans. 213
Alphabeti ſiue Abecedarij ordo. 212
Alphabetica ſiue Abecedaria oratio.
ἅλς. 191,215
Altus. 148
Aluen. 87
Am præpoſitio. 100
Amo. 150
Amor Patris & Filij eſt Spiritus ſanctus. 149
Amore omnia ducuntur. 149
Ἀμφὶ. 100
An ſiue Aen. 59,60. & ſeq. 84, 105,124
Ana. 62
Anaitis. 62
Ancora, ἄγκυρα. 63
ἄνεμος. 37
Ang ſiue Eng. 62
Angel. 62
Ango. 63
Angſt. 62
Angulus. 62
Auguſtus,a,um. 63
Anima. 37
Anna Cimbrica vox & circularis. 61
Anna Dea apud Romanos. 61
Anna Perenna. 61
Anna quid denotet. 61
Annus vnde dictus. 61
Annus magnus. 61
Antiquitatis laus & auctoritas. 22
Anubis vnde dictꝰ. 124 & ſeq. 161
Anubis Hieroglyphicũ ſignũ. 126
Anubis in ſacris Iſidis præcedere ſolet. 125
Anubis nomẽ Chriſto cõuenit. 125
Ἀφ' ἑςίας. 236
Apis. 115
Apis Bie dicitur, quia plurima nobis offert. 114
Apis idolum apud Ægyptios. 77
Apollo vnde dictus. 190
Apollo ſanitati præfectus. 190
Apollo verus, eſt Chriſtus. 190
Aqua vnde dicta. 119
Aquilo ſolium draconis oppoſitum throno Dei. 182
Aquilonis plaga. 181
Ar ſiue Er. i. iratus. 56
Ar. i. tardus. 63,96,110. & ſeq. 159
Arar fl. 63,110, & ſeq.
Arca. 159
Arceo. 159
Ares pro Marte. 111
Arf. 130
Argonica lingua. 18
Ariadne. 185
ἄρης. 111
Ariſtotelis ſententia de nominum ſignificatione refellitur. 9. & ſeq.
Ariſtotelis nomen. 16
Arithmeticæ laus. 88,200
Aro, ἀρόω. 111
Art ſiue Ert. 110. & ſeq.
Artemiſia Iani herba. 139
Arua. 130
As, Aes. 90
Aſia. 90
ἀςὴρ. 196
At præteritum imperfectũ ab eet. 90,92
Ate vnde dicatur, & quid ſit. 87, 93,94
Ate dictus ſerpens infernalis. 92, & Lucifer. 93
Ate de cælo præcipitata. 93
Ates cognomen eſt Beligal. 195
Ater, a, um, vnde dicatur. 87
Atra dies mortis Chriſti. 121
Athana vnde dicatur & quid ſit. 62. & ſeq.

Atha-

Athanatizontæ dicti Getæ. 87
Ατρυτώνη Pallas. 134
Au ſiue Aw, Auwers, Auwen. 108, 219
Aueo, es, ere. 220
Auguriorum diſciplina. 10
Auerwijs. 79
Auris. 102, 104
Aurium ſupremum officium. 102
Aurum vnde dictum. 101
Aut. 220
Auus. 219
Awijs. 79
Αξιόω. 199.

B.

B litteræ ſymbolica ſignificatio. 114
Babelen. 218
Babylonica confuſio. 218
Bacchus Sabazius Nothus. 185
Backen. 116
Baden, Baien. 109
Baen ſiue Ban. 115, 150
Baes ſiue Bas. 123. & ſeq.
Baet. 115
Βαίνω. 115
Baiæ Cimmeriorũ, vnde dictæ. 109
Bal. 194
Ban ſiue Baen. 150
Banda. 150, 219
Bandophorus. 150
Bant. 118, 150, 151, 152, 219
Bar. 76
Barbarus vnde dictus. 204, 205
Barbara Phrygum lingua, lingua filiorum Dei, ſiue Deorum. 205
Barbarorum lingua. 204
Barbaricæ veſtes. 204
Barbaricarij. 204
Barbariſmus. 205
Barg. 76. & ſeq.
Barghen. 76
Βασιλεύς. 123
Baſis. 124
Baſſus. Idem.
Βατεία ſiue Βατίεια. 208
Be, ſyllabica adiectio in verborum principiis. 114. & ſeq.
Be. i. oro. 99
Be. i. oratio. 115, 215
Bec. 5, 10, 115, 116
Becker. 116
Beccesſelana. ibidem
Becſelana. 62
Been. 115
Beg. 115 & ſeq.
Beig. ibidem
Bel idolum. 194
Beligal. 195
Belr. 194
Belus. 194
Ben. 99, 115, 117
Bequaem. 155
Βῆρ. 174
Beſcheet. 199, 200
Beſchijten. 200
Beſcut. 111
Bet. i. morſus. 116
Bet ſiue Be. i. oratio. 115, 117
Bet. i. oro. 218
Beter. 115
Bewin. 150
Bi. 99, 114, 115. & ſeq.
Bi-boet. 139
Bie. i. offero. 114, 115
Bie. i. apis. ibidem
Bijn. 118
Bin ſiue Ben. 99
Blat. i. folium. 151
Blat. i. vaniloquus. 77, 151
Blateren. 77
Blaterare. ibidem
Βλὰξ, Βλακεύω. 77
Boet. 115, 201
Bont. 152, 219
Boorch. 235
Bootes ſidus cæli. 182
Bor. 151
Boſch. 197, 198
Boſphorus. 155
Boter. 201
Βούλομαι. 101, 128
Brabant. 150
Briareus. 209
Buas auis. 207
Bubo auis. 207
Bur. 167
Bura. 167
Butyrum. 201

C.

C litteræ ſymbolica ſignificatio. 118
Ca. 32, 118, 119, 161
Caac. 119.
Caal. 75. & ſeq.
Caas. 201
Cabaliſtæ. 17, 180
Cabel. 118
Caberi. 167
Cac. 119
Κακία. 32
Cacodæmones ſimulant ſe Magorum verbis cogi. 15
Κακός. 119
Cacus malorum pater. 119
Cado. 162
Caduceum. 161
Cælum vnde dictum & quomodo ſcribendum. 142, 143
Cælum & terra coniuges. 142
Cæli tres apud D. Paulum. 179
Cærimonia. 166
Caes 201
Caius 140, 141, 142. & ſeq. 146
Cal ſiue Caal 74, 75, 89
Cal. i. diſſero & voco. 78, 82, 129
Cal. i. pulcher. 73, 74, 78, 82
Cal, Calle, Caleken propriũ feminarũ nomẽ apud Flandros. 74
Calaberen. 78, 82
Calabra Curia vnde dicta, & quid ſignificet. 73, 79, 83
Calaphates Imperator Conſtantinopolitanus. 74
Cal-end. 83. & ſeq.
Calendæ vnde dictæ. 73, 83. & ſeq.
Calf. i. vitul⁹, vnde dicatur. 75. 77
Calchoot. 83. & ſeq.
Calloo. 74
Κάλλος, καλὸν. 74, 77
Calo & καλῶ vnde dicatur. 77, 82
Caluaten. 74
Caluus, a, um. 75
Camillus. 167
Can. 123, 125
Canis vnde dictus. 123, 124
Canis ſymbolum philoſophorum. 123, 124
Canis, ſymbolum doctorum, paſtorum populi, & epiſcoporum. 124. & ſeq.
Cano, is, ere. 203
Canonicorum Monaſterienſium vetuſtus ritus, vt morituro caput ſuillum oſtendatur. 194
Cantus omnis quò referendus. 203
Cap. 122
Car. 118
Καρδία. 219
Cardinalibus & Epiſcopis petaſus Mercurij impoſitus, quid moneat. 160
Cares Barbarophoni dicti ab Homero. 204
Carmina & incantamenta. 11
Carus. 118
Cas. 202
Caſeus. 201
Caſus. 201
Caſſus. 202
Caueo. 197
Cauſa vnde dicta. 200
Cauſa omnium prima eſt ipſum bonum. 200
Κείρω. 198
Κέρας. 219
Ceres. 219
Cethim inſulæ. 229
Ceur. 166
Ceuren ſiue Coren. 176
Chalcis auis. 207, 208
Chorea. 167
Chorus. 165
Chriſtus verus Hercules Cacum occidit. 119
Chriſti mors dicta Acca & Laurentia. 121
Chriſti in cruce mortem nemo Iudæorum, Cimbrorum, aut aliorum, recto & explicato orationis filo aperuit. 120
Chryſocolla. 191
Cicuma auis. 207
Cimbrica lingua, vide Lingua Cimbrica.

Cimmerij

Cimmerij vetuſtiſſimi Italiæ incolæ. 36,73.83
Circe. 194,211
Cingalus ſiue Cinglus. 18
Circæum promontorium. 211
Claua vnde dicta & quid ſignificet. 112
Claudo. 219
Clementiæ definitio. 146
Cnæus. 146
Coen. 123,124
Κοίρανος. 176
Colf. 112. & ſeq.
Colf-dragers. 112
Colla. 191
Comparo. 153
Con. 123,124
Coning. 123
Coniugium quod nobis honorem conciliet. 171. & ſeq.
Conſonantes ſine vocalibus immobiles ſunt. 42
Cont. 69
Coor. 165
Cor. 219
Cornu. 219
Corona vnde dicta. 182
Corona ſidus cæli. 182
Corybantes. 166. & ſeq.
Cram. 161
Cratyli & Hermogenis ſententiæ contrariæ de nominum formatione refelluntur. 8,10
Cretenſis diſciplina. 80
Cruc. 165
Crups. ibidem.
Crux. 165
Crux, mortis Chriſti inſtrumentum multis rationibus Tau vocatur. 108
Cul. 112
Culmus. 235
Cumindis ſiue Cymindis vnde dicatur. 208
Cun vel Cou. 71
Cun-heet. 131
Cur. 164
Cura 166
Curatus. 165
Curbantes. 167
Curetes. 165
Curo. 166
Cymindis auis. 207. & ſeq.
Κωνῆ i. galea, vnde dicatur. 71
Κωνῆ galea Mineruæ. 131
Κύριος. 176
Κύων. 123
Cyrus Perſarum rex quare à cane enutritus dicatur. 124

D.

D litteræ ſymbolica ſignificatio. 126
D littera apud Latinos duabus vocalibus ſæpè interponitur euphoniæ cauſa. 127
Dag. 138. & ſeq.
Dam. 95
Δαμάω, Δαμάζω. 126
Dan. 219
Dar. 111,227
Dardanus. 111
De. 215
Dec. 226
Deeg. 231
Deer. 91
Dei Dij ſiue Di. 192
Dens, dentis. 126
Δεσπότης. 175
Deus anonymus dicitur. 12
Deus inuocandus in omnibus rebus aggrediendis. 214
Deus & θεὸς vnde dicantur. 113, 203
Di, Dei ſiue Dij. 84,140,192,231
Di, Du. 99
Diana. 85
Di-eew. 113
Dialectus. 2,3
Dialectices tota vis & omnis diſſerẽdi ratio in quo conſiſtat. 199
Dien ſiue Dyen. 140,175
Dies. 140
Dieu vocem Galli de priſca Cimbrica lingua retinuerunt. 113
Digamma duplex W quare dicatur, & quomodo transferatur apud Latinos. 30,57,213
Dijs manibus ſeruilibus in Velabro ſacrificium peragi ſolitum. 121
Diphthongorum & vocalium ſoni in Cimbrica lingua. 56. & ſeq.
Δῆρις, Δῆριν, Δηρός. 91
Diſcretio. 199
Diuiſer. 199
Dius Fidius quare dictus Iupiter. 170
Δμέω. 126
Dodecatheon templum ſiue Pantheon. 184
Doe, Doen i. facio. 100,126,138
Doen. i. tunc. 219
Dom. 118,175
Dominus. 175
Domo. 126
Domus vnde dicatur. 175
Domus variæ nomenclaturæ apud Cimbros. 31,175
Don. 219
Dona diuina niſi communicentur, neque diuina neque bona dici queunt. 78
Doo vel Dor. 100
Doon. 219
Doot. 100,126,135,136
Δῶμα. 175
Draco ſidus cæli. 181
Drer. 118
Drij. 176
Druides. 80,112
Duir. 161
Dum. 227
Duodecim, ſymbolum duplicis vitæ 223
Dur. 91,164
Duro, Durus. 91,164

E.

E litteræ ſymbolica ſignificatio. 65
E longum tripliciter pronunciatur in lingua Cimbrica. 56
Ee, een, i. vnus 65,117,157
E, ee ſiue ehe. i. matrimonium. 67
ἔαρ. 96,174
Eb. 117
Eburones. 167
Eburum. ibidem.
Ec. 118
Echt. 95,123,225
Edo. 89
Ee ſiue Ei. i. ſingularis & ſolitarius. 227
Ee ſiue Ehe. i. coniugium. 67, 171,173,216,236
Ee ſiue Een. 171,216,226,236
Eel. 27,38,39,89,133,147
Eele ſiue Eel le 133
Een ſiue Ee i. vnus 98. articuli vice fungitur. 66,117, quare nominibus præponatur. 66
Eer. i. æs, æris. 90,91
Eer. i. honor. 90,171
Eet. i. edo. 90,92
Eet. i. iuramentum. 67. & ſeq. 90
Eew. 113
Ef, effen. 130
Ef ſiue hef. 213
Eg. 137
Ego. 98,137
Ego ſum qui ſum. 13
Ei. i. ſolitarius. 96,175
Ei. i. ouum. 84,85,96
Εἴδω. 109
Eiſer. 220
Eigen. 96,137
Ei-lant. 96,227
Ei-ryc. 96
Εἷς, ἕν. 72
Eiuer. 220
El. i. exalto, nobilito. 216,230
El. i. brachium ſiue brachij menſura. 147. & ſeq.
El Hebr. i. dominus fortiſſimus. 147
ἔλαιον. 132
Elementum vnde dictum. 38
Elementum & littera quomodo differant. 38
Elementi definitio. 38
ἔλεος. 132
Elis. 229
Elleſia Pallas. 134

ἔλεγχα. 80
Eloquentiæ donum. 78
Elyſios campos in occidentali Hiſpaniæ littore finxerunt poëtæ. 228.
Em ſiue Hem, id eſt, eum. 216, 222
Em ſiue Hem. i. vox ſimplex. 36, 216, 222
Emmen ſiue Hemmen. 36
Emblemata. 21
ἐν. 99
ἓν. 72
En. i. &. 216, 236
En, End. i. finis. 117, 141
Eng. 62
ἔνη καὶ νέα. 72
Ens, entis. 12, 13
Ent ſiue End, 72, 84, 88, 117
Ep. 130
Epiſtylion. 195
Equi multa nomina apud Teutonos, è varia conſideratione. 8. 31.
Et. i. ipſe. 217
Et. i. aro, as, are. 111
Et. i. erro, as, are. 111, 123, 156
Et. i. iratus. 56, 111, 156
ἔρχος. 159
Erf. 130
Erica. 97, & ſeq.
Erigone. 174, 183
Eros. 150
Erro. 123
Ert. 110. & ſeq.
Es, quid ſignificet & vnde formetur. 66. & ſeq. 177, 185
Eſt, Eſſe, ἐςὶ. 66
ἐςία. 177, 236
Eſus pomi à dracone dati. 92
Eſu læſi homines, ab eſu rurſus petere remedium debent. 92
Et ſiue Iet. 234
ἐτεός. 68
Etymologiarum ſcriptores quouſque vocabulorum origines inquirant. 33
Euander. 119
Euen. 130
Exactiones Principum. 198

F.

F litteræ ſymbolica ſignificatio. 127
Fael. 128
Faem. ibidem
Fal. 128
Fallo. ibidem
Fals. 128
Falſen. ibidem
Fama. 128
Fan. 150
Fatum. 128
Faueo. 129
Faunus. ibidem
Fauſtus. 129
Fe. i. odi 130
Fe. i. inimicitia. ibidem
Fe. i. pecus. 130, 216, 217
Feg. 116
Fel. i. crudelis. 128, 148
Fel, fellis. 128
Feles ſiue Felis. ibidem
Fer. i. pulcher. 31, 98, 100, 151, 162
Feier ſiue Fier. 98, 151
Feria. 162
Ferior. 162
Fermentum. 129
Fero. 127, 151, 162
Feronia Dea. 163
Ferox. 163
Ferueo. 129, 163
Ferus. 129, 151, 163
Feſtino. 194
Feudum. 102
Fides. 170
Fiel. 128
Fier. 101, 151, 162
Fijn. 89, 144
Filius Dei conciliator pacis inter Deum patrem & homines. 186
Filij Dei qui vocentur in ſacra ſcriptura. 205
Finis. 89, 144
Flac ſiue Vlac. 75, 76
Flacci. 77
Flaccidus. 75
Flechten. 155
Flecto. 155
Flot ſiue Flots. 112
Fœcialis. 169
Fœdus. 170
Foi. ibidem
Folium. 151, 191, 219
For, faris. 128
Forare, Foramen. 151
Fores, Foras. 151
Fors. 201
Forte. ibidem
Freest. 134, 136
From. 101, 162
Fructus. 129
Fruor. ibidem
Frux. 129
Fur. ibidem

G.

G litteræ ſymbolica ſignificatio. 137
Ga. 140
Gai. 140, 143. & ſeq. 145. & ſeq. 209
Γαῖα terra. 142. & ſeq.
Gaium cælum. 142. & ſeq.
Gaius & Gaia. 140, 141, 142. & ſeq.
Gaius ſummus, filius patris æterni, ſuam Gaiam, id eſt, Eccleſiam, morte ſua ſibi vindicauit. 145
Γαίω. 209
Galatæ dicti Galli. 145
Galatæ Cimbrica lingua ſunt vſi. 31, 74
Galg. 147
Galli. 31, 145
Gar. 146
Ge. i. da. 137
Ge. i. verſus ſiue ad. 215
Ge in verborum formatione perfectionem notat. 137, 146, 203
Geb. 116. & ſeq.
Gedoen. 138
Gef. 116
Gelas ſiue glas. 152
Gelat. ibidem
Gelu. 152
Geir. 98
Ger. 98, 156
Γέρας. 174
Geret. 228
Geſont. 188
Getau. 108
Getæ, gens de Cimmeriorum ſtirpe, immortalitatis fide à ceteris nationibus diſtincti. 87
Geual. 138
Gewant. 129
Gewas. 225
Gewin. 156
Ge-wo. 219
Ge-wol. ibidem
Gi. 99
Glacies. 152
Glag. 147
Gloſſæ. 2
Gloſſemata. 2
Gloſſographi. ibidem
Γλῶττα, 2
Gna, Gne, Gnai, Gnadich. 63, 146
Gnæus. 63
Goet. 125
Gon ſiue Ion. 192
Got. 125, 138
Grab. 76
Grijs. 87
Grijſen. 87
Griſeus, a, um. 86, 87
Guil. 8, 31
Guit. 168
Gun ſiue Iun. 192

H.

H litteræ ſymbolica ſignificatio. 147
H aſpiratio malè litterarum albo eximitur. 213
H aſpiratio frequenter adimitur in compoſitione Cimbricarum vocum. 62
Hab. 137
Habeo. 117, 137

Haat. *i. maximo deſiderio feror.* 119,120,122.
Haac. *i. vncus.* 122
Haeſt. 194
Haeſten. *ibidem*
Hagel-bus. 233
Hal. 64. *& ſeq.* 191,220
Hales. 65
Halle. 65
Halm. 235
Han *ſiue* haen. 234
Hang. 62
Hap. 123
Harden. 111
Hart. *ibidem*
Harpocrates qualis fingatur. 202
Hat. *i. odium.* 93. *& ſeq.*
Hat. *i. habet.* 94
Hat *præteritum imperfectum tertiæ perſonæ.* 107
Hau. *ibidem*
Haw-baſt. 156
He. 147,215
Heb. 117,137
Hebraica lingua, Vide lingua.
Hecht. 95,123
Hedera vinum venale quare ſignet. 10,12,20
Heel. 132,147,148,192,218,230
Heer. 171,174
Heet. *i. caput.* 127
Heet, *id eſt, calidus.* 147,220,234
Heet, *id eſt, iubeo.* 147,234
Hef. 130
Heffen. *ibidem*
Hei. 96,97
Heien, Heiden, Heienſche. 98
Heil. 229,230
Heiland. 230
Heim. 31,175
Hel. *i. altus, profundus, fortis.* 119,128,143,147,153,230
Hel. *i. exalto.* 229,230
Hel. *i. infernus.* 147
Helm. 147
Helen. 148
Helice. *ibidem*
Hellen. 148
Helleniſmus. 205
Heilotis Pallas. 134
Help. 230
Helt. 147,230
Hem *ſiue* Em, *i. eum.* 216,222
Hem *ſiue* Em. *i. vox ſimplex.* 36,222
Hemel. 143,147
Hemmen. 36
Her. *i. iterum.* 168
Her. *i. hominum communitas.* 168,169
Her ſiue Heer. 174
Hera ἥρα. 175

Heracliti & Cratyli opiniones de vocum ſignificatione refelluntur. 7,8,10
Her-alt. 169
Her-baen. *ibidem*
Hercules vnde dictus. 111. *& ſeq.* 171
Hercules Cacum occidit. 119
Hercules cum Acca coijt. 120. *& ſeq.*
Hercules ſidus cæli. 181
Herculis hieroglyphicum ſignum explicatum. 111. *& ſeq.*
Her-hoot. 150. *& ſeq.*
Hermæ. 127. *& ſeq.* 160
Herman. 170
Hermanubis. 124. *& ſeq.*
Hermathana. 62
Hermathena, 171
Hermes Mercurius. 170
Hermogenis opinio de vocū ſignificatione & nominum impoſitione. 7,8,10,16
Heros. 171
Herſtal. 197
Herſtallius, Pippinus dux Brabantiæ cognominatus. 197
Hert. 111
Hertog. 169
Herus. 174
Het. 71,209
Heucht. 129
Heuel. 130
Heut. 209
Hi. 99
Hieroglyphicæ notæ. 21
Hil. 148,230
Hing, hinge, hingeniſſe. 202
His. 194
Hit. 234
Hoch *ſiue* hog. 147,225
Hochſt. 227
Hoer. 122
Hoel. 133
Hoet. 56
Hol. *i. antrum.* 63
Hol. *i. ſeruo.* 191
Hom. 31,175
Homeri poëſis quomodo congeſta & conſuta. 81
Homo vnde dictus. 150
Homo perpetuis tentationum procellis obiectus, velut agger fluctibus. 95
Hominum communitas tota ad errorem fertur. 168
Homonyma inter diſputandū vitanda. 35,36
Honor hominibus ſæpius ex ære, quàm ex virtutibus obtingit. 90. *& ſeq.*
Honor verus quis. 171. *& ſeq.*
Honoris diſpenſatio vera. 174
Hoo. 127,147
Hooft. 127

Hoon. 151,220
Hoor. 102,225
Hoort. 101
Hoot. 56,84,100,127,209
Hora. 162
Horn. 219
Hors. 8,31
Hort. 45
Hu. *i. coniugium contraho.* 86
Hu *ſiue* hui. *i. ſeruo, defendo, cuſtodio.* 86,166,175
Hu *ſiue* hui. *i. cuſtodia.* 124,127,175
Hubris auis. 207
Huet. 127
Huis. 31,175
Hul. 100
Humilitatis laus. 217
Hummelen. 36
Hummen. *ibidem*
Hur. 162
Huyl *ſiue* hul. 208
Hyperion. 192
Hypoſtaſes tres in Deo omnia cōſeruante, per tres litteras in Hal *demonſtrantur.* 64

I.

I litteræ ſymbolica ſignificatio. 96
I interiectio blandientis. 216
Iacob. 14
Iag. 141,144,145
Ianc *ſiue* Iang. 146
Ianus vnde dictus. 139
Ianus quare dictus ſit geminam faciem habere. 112
Iani nomen & feſtum ad D. Iohannem tranſlatum. 140
Ians gelep. 139
Iat. 96
Ic, ich. 98,99,137
Ichnææ voces vnde dictæ. 28
Idel. 235
Idus. 84
Iehoua Dei nomen. 12,14,15
Iehoua pro immenſa Dei poteſtate accipitur. 13,14. *& ſeq.*
Iel. 235
Iemant. 96
Ieſu Chriſti nomen. 12
Iet. 84,96,151,234
ἥλιος. 148,192
Imagines rerum vbique eaſdem eſſe, quomodo intelligendum. 20
In præpoſitio. 98. *& ſeq.*
In, priuatina particula apud Latinos. 100
Inuenio. 144
Inuidia & odium quomodo differant. 94
Inuidiæ definitio. *ibidem*
Ioannis nomen. 16

Iones

Iones qui ſint. 227
Iones vnde nomen acceperint. 96
Iones filij inſulas gentium diuiſerunt 229
Ionium mare. 227
ἥφαιςος. 125
ἥς. 174
Ira. 56, 111
Is vel Es. 67, 99, 177, 217
ἴς. 177
Iſac. 14
Iſis dea quæ ſit, & vnde dicta. 106, 177
Iſis Dei patris ſapientia. 125
Iſis dea ſe prima omnium corona ſpicea coronauit. 183
Iſidis, matris Harpocratis, phylacterium. 121
Iſidi nauis dedicata ab antiquis. 107
Iſopus. 225
Iſraël. 14
ἱςάω. 194
ἵςημι. *ibidem*
Italus. 152
Iubeo. 69
Iunius. 192
Iuno dea. 175, 192
Iupiter Hammon Chamus. 194
Iuramentũ quanti faciendum. 67
Iurare Deum per ſuam vnionem quare Orphici priſci finxerint. 68
Iuro, as, are. 69. *& ſeq.*
Ius iuris. 69. *& ſeq.*
Ius Heraldicum ſiue fetiale. 170
Iuſt. 69
Iuſtitia Erigone dicta. 183
Iuſtus, a, um. 69

K.

K littera ſuperuacanea. 213
Karck *ſiue* **Kerck.** 118
Ke. 118, 164, 215
Ken. 27, 125
Kots. 156. *Græca per K vide in littera C.*

L.

L litteræ ſymbolica ſignificatio. 147
Laat, Lac, Laec. 75. *& ſeq.* 89, 143
Labium. 218
Lacio. *ibidem*
Laeg. 155
Latus, a, um. 152
Laf. 128
Lam. 236, 237
Lapathi herbæ genus quod vulgo Patientia dicitur. 210
Lar. *i. vacuus.* 31
Lar Deus. 159
Laſon. 2
Laſt. 197, 236
Lat. *i. leuigatus & exporrectus.* 151, 152
Lat, Latte. 151, 152. *i. pertica longa & lata.*
Lat, Laet. *i. relinquo.* 225
Latini originem ſuam Phrygibus referunt acceptam. 204
Latus, a, um. 152
Lauer. 121
Laurentalia. 120, 121
Laurentalia Ioui celebrata. 121
Laurentia dicta mors Chriſti. *ibidem*
Laus. 101
Lee. *i. turpis, moleſtus.* 27, 39, 89, 147
Lee, Le, Leeh. *i. membra.* 133, 147
Leer. 219
Leelick. 89, 147
Leer. 215
Leer-tauwers. 108
Leet. 89, 147
Leew. 222
Lef, leb, leue. 128, 148, 222
Leg. 147
Lego Græcorum & Latinorum vnde manarit. 81. *& ſeq.*
λέγω. 38
Lem. 147
Leo. 148
Leo. 222
Leonis nomine vitæ ſymbolum declaratur. 111
Les. 82. *& ſeq.*
Leſch. 198
Leſchæ quid ſignificent & vnde dicantur. 79, 80, 81. *& ſeq.*
Leſchenorius Apollo quare dictus. 80, 82
λεσχηνεύω. 82
Leſen. 81
Let *ſiue* **lit.** 36, 37, 147
Lew. 111, 148
Lex vnde dicatur. 95
Lex prima & antiquiſſima eſt lex naturæ. 95
Legis definitio apud Ciceronem. 95
Λέων. 223
Λεώς. 124
Lib *ſiue* **lif.** 134
Libya vnde dicta. *ibidem*
Libra iuſtitiæ ſymbolum. 183
Lie. 124
Lief *ſiue* **lif.** 101
Lies. 60, 193
Li *ſiue* **Lij.** 39, 210
Linea vnde dicta. 39
Lingua Barbarorum. 204
Lingua Cimbrica, prima omnium linguarum. 204
Lingua Cimbrica maximè diſtincta, perſpicua & breuis. 25, 27, 58
Linguæ Gallica, Hiſpanica, & Italica. 4, 5. *poſteriores Latina.* 30
Lingua Latina in antiquitatis certamine poſtponenda Græcæ. 30
Lingua nulla diu per omnia eadem manet. 4
Lingua prima perfectiſſima. 24
Lingua prima quæ ſit, variæ opiniones. 1, 204
Lingua prima vna fuit & à viro facta. 24
Lingua primogenia, vnde ſignificandi vim acceperit. 5
Lingua vna tantùm, maſculo & fœmina principio creatis, opus fuit ad communionem. 24
Linguæ Cimbricæ primus architectus Orpheus. 102. *& ſeq.*
Linguæ Cimbricæ breuitas, varietas, copia & excellentia. 25, 58.
Linguæ Cimbricæ leuitas & celeritas in pronunciando. 26
Linguæ ſiue Dialecti definitio. 3
Linguæ Hebraicæ radices. 26
Linguæ Hebraicæ difficultas, ambiguitas, paupertas, &c. 25
Linguæ Hebraicæ corruptela & confuſio. 219
Linguæ Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ vſus quando perierit. 3, 4
Linguæ nomine quid capiendum. 2
Linguæ Deorum & linguæ hominum diſcrimen vnde acceperit Homerus. 205. *& ſeq.* 208 *& ſeq.*
Linguæ aliæ ex aliis quomodo progreſſæ. 4
Linguæ diuerſæ. 3
Linguæ eædem. 4
Linguarum confuſio & corruptela. 218
Linguarum varia genera. 4
Linguarum vſus. 3
Linum vnde dictum 39
Linum tormenta varia patitur. 40. *& ſeq.*
Lineis veſtibus cur ſacerdotes vtantur in ſacris. 42
Liſbona. 229
Liſt. 197
Litæ. 93. *& ſeq.*
Littera vnde dicta. 35, 37. *& ſeq.*
Litteræ accidentia, 42. *& ſeq.*
Litteræ definitio. 34, 38
Litteræ nomen quomodo ſcribendum. 38
Litteræ ſimplices ſiue vocales nouendecim: ſcriptæ vero viginti duæ. 213
Litterarum cognationes & mutationes. 218

Litterarum diuiſio in vocales, ſemiuocales & mutas. 45. *& ſeq.*
Litterarum diuiſio apud Hebræos. 55
Litterarum diuerſi ſoni, ex Platone, Dionyſio Halicarnaſſeo, Martiano Capella, Terentiano Mauro, &c. 47. *& ſeq.*
Litterarum mutationes. 30
Litterarum ordo alphabeticus. 213
Litterarum ſimplicium nomina qualia excogitarint primi Abecedarij doctores. 214
Litterarum ſoni alij lenes, alij duri, &c. 57. *& ſeq.*
Litterarum ſymbolicæ ſignificationes. 59
Liturgia vera. 93
Liuor. 94
Lof. *i. laus.* 101
Lof *ſiue* Loof. 151, 191
Loquor. 78
Loquendi communicandique vis etiam brutis animantibus ineſt. 5
Los. 191, 192
Luc. 88, 112
Lugdunum vnde dictum. 88
Lageo vnde dicatur. *ibidem*
Luna numquam in eodem ſtatu conſiſtit. 84
Lunæ intumeſcentis ratio habenda. 84
Lupa ſcortum publicum quare dicatur. 122

M.

M *litteræ ſymbolica ſignificatio.* 148
Maal. 57
Macer. 219
Mac-oor. 101
Maecht, Magt. 236
Maent. 149
Maer. 27, 236
Magal. 65, 220
Mager. 219
Mai *ſiue* Mei. 236
Malchus. 8
Man. *i. vir.* 148
Man *ſiue* Maen, *id eſt, moneo.* 148
Mantis. 206
Mar, Mer. *i. equus.* 8, 31
Mar. *i. fama* 237
Mar. *i. expecto, ſiue moram traho.* 110, 159
Marr, Merr. 159. *& ſeq.*
March *ſiue* Marg. 100
Mare, is. 218
Maren, Vermaren. 237
Marguma proprium Mercurij nomen. 160
Mars. 71, 100
Mars Palladem Orci galea tectam videre non potuit. 71
Mart. 100
Martin Lauter. 17
Maſt. 237
Mat. *i. famula.* 236
Mat. *i. indomitus.* 27, 126, 210
Matrimonium aptiſſimum eſt ſacramentum coniunctionis inter Chriſtum & ſuam Eccleſiam. 67
Meduſæ caput. 131
Me. 236
Mee. *ibidem*
Meeſt. 237
Μέλας. 87
Mel. 147
Mel-echt. 123
Men. 38, 130, 148, 218
Mendacij abominatio. 168
Mens, mentis. 148
Menſch. 92, 95, 126, 130, 148, 157
Menſis, is. 149
Menſis conuenientius bipartitò, quàm tripartitò diſtribuitur. 84
Mercor, aris. 161
Merct. *ibidem*
Merc-ur. 208
Mercurius vnde dictus. 158, 160, 161
Mercurius excellens limes. 160
Mercurius quare dictus ter maximus. 161
Mercurij dies. *ibidem*
Mercurij officium. 160
Mercurio alas & talaria alata cur affinxerint poetæ. 159, 160
Mercurio quare crumena in manu detur. 161
Meri. 31
Merrijck. 97
Merx, mercis. 161
Meſt. 237
Met. 218
Metior. 218
Metrum. *ibidem*
Metuo. 234
Mi *ſiue* Mij. *i. vito.* 150, 233
Mi. *i. mihi, me.* 148
Μῆλον. 57
Μῆν. 218
Mijn *i. meus.* 148
Min. *i. amo.* 149, 150
Min. *i. amor.* 150
Min erf. 132, 134, 135, 136, *& ſeq.*
Minerua vnde dicta. 130, 131, 218
Minerua dux vniuerſorum, virtus & ſapientia patris. 157
Minerua eſt ipſe Deus filius. 130
Mineruæ inuentrix oleæ. 131
Mineruæ ægis. 131
Mineruæ galea. *ibidem*
Mineruæ haſta. 131
Mineruæ peplum. 70, 131
Mineruæ varia cognomina. 133. *& ſeq.*
Minoas, are. 38, 130, 218
Minos Cretenſium rex. 80
Moer. 100
Mott. 126, 210
Moly herba. 209. *& ſeq.*
Moneo. 148, 218
Mor. 100
Mora, æ. 159
Moror, aris. 111, 159
Μορφή. 219
Mors. 100. *& ſeq.*
Mortales primi ab ipſo Deo, vel eius Ruachis omnem veritatem edocti. 24
Mort. 100
Mortarium. 100
Mou. 150
Mu *ſiue* Mui. *i. nullam vocem edo.* 36
Mu *ſiue* Mo. *i. laſſus.* 143
Muis. 36, 150
Muiſen. 36, 150
Muit. *ibidem*
Muiten. 150
Mundi exordium. 21
Mus. 36, 150
Muſæ. *ibidem*
Muſtela. 36
Mut, Muit. 150
Mutæ litteræ. 44. *& ſeq.*
Mutire. 150
Mutus. 36, 150
Μυελὸν. 97. *& ſeq.*
Myrinnæ tymbus. 208
Μῦς. 36
Μῶσαι. 150

N.

N *litteræ ſymbolica ſignificatio.* 151
Na *ſiue* Nae. 60, 84, *& ſeq.* 105, 146
Nae *ſiue* Nee. 27, 125
Nach. 106
Nacht. 138
Nacht raue. 207
Nas *ſiue* Naes. 225
Naſcor. 164
Natura. *ibidem*
Nau. 105
Nauis. *ibidem*
Naulum. 106. *& ſeq.*
Nauo. 105
Ναῦς. 105
Nauus. *ibidem*
Neen. 151
Neer. 91
Neſſe. 130

Nem

Nem. 38
Νεὸς. 144
Νέρθε, Νέρτερος. 91
Neu ſiue Nieu. 73, 144
Niemandt. 96
Niet. 84, 94, 151
Niger vnde dicatur. 87
Niger ſiue ater color lugentibus maximè conuenit. 86
Nÿp. 152
Nÿt. 94
Noceo. 188
Nochus Bacchus Sabazius. 185
Nochus Saturnus. 23
Nochus Neptunus. 194
Nochus Orpheus. 104
Noes. 31, 187
Noit. 84, 151
Nomen verum & nomen falſum. 6
Nomine Dei, filius Dei intelligitur. 12
Nomina diuerſa vnde. 7
Nomina diuerſa eidem rei ab eodem dari poſſunt. 19
Nomina dupliciter accipiuntur. 11
Nomina ſignificant & naturaliter, & ex voluntate. 9, 10
Nomina mali ominis mutanda. 207
Nomina propria hominibus qualia imponenda. 16
Nomina quomodo ſymbola ſint. 20
Nomina ſic poſita rebus, vt earum naturæ quàm optimè conuenirent. 1, 18
Nomina vnde vires & origines ſortiantur. 6
Nominum propriorum mutationes. 6, 8, 16
Nominum quorundam vis admirabilis. 5
Nominum rectitudo vnde dependeat. 9
Nominandi artifex quas imagines conſideret. 19
Non. 151
Nonæ, arum. 84
Noort ſiue Nort. 181, 182
Nos ſiue Noes. i. noxa. 31, 187
Nos. i. morbus. 188
Noſel. 151
Νόσος. 188
Not. 129
Notæ occultæ in ſcribendo. 18
Nou. 84, 144
Nouus, a, um. ibidem.
Noxa. 188
Nu. 144
Numeratione partium omnis ſermonis perfectio abſoluitur. 199
Nunc. 144
Nut. 129, 151
Nycticorax. 207
Νῦν. 144

O.

O litteræ ſymbolica ſignificatio. 100
O ſiue Ho. 216
ὁ articulus Græcus. 65
Obel, Vbel. 219
Oben. 220
Ober. 219
Oberſt. ibidem.
Och. 122
Och-heer. 226
Odium. 93. & ſeq.
Of. 220
Oi. 85
ὄις. 85
Oit. 84, 100, 151
Oleum. 133
Olie. ibidem.
Oliua, pacis ſignum, Mineruæ dedicata. 132, 133, 134
ὅλος. 133, 218
Om. 100, 143
On. 100, 151
ὄν. 12, 13
Onnoſel. 31, 151, 188
Onnut. 151
Ontÿp. 151
Ooc. 122, 234
Oot ſiue Oit. 100
ᾠόν. 85
Or ſiue Oor. 45, 69, 101, & ſeq. 165
Oratio Abecedaria in tres partes diſtincta. 215.
Prima. 215
Secunda. 216.
Tertia. 216
Orationis Abecedariæ interpretatio Latina. 217
Oraturi & immolaturi quare olim in montes aſcenderint. 76
Orcont. 69
Orcus, ὅρκος vnde dictus & quid ſignificet. 69, 70
Orcus galea ſua quinam ſit inuiſibilis. 70
Orci galea. 70, & ſeq.
Ordo, inis. 45, 101
Origo. 101
Orior. ibidem.
ὄρος. 45, 101
ὁρῶ. 225
ὥρα. 110
Orpheus vnde dictus. 102
Orpheus primus linguæ Cimbricæ architectus. 102. & ſeq.
Orpheus ante diluuium Adam, poſt diluuium Nochus, & poſt hos Chriſtus ipſe fuit. 104
Orphei multi fuerunt & ſunt. ibidem.
Orphicorum poëſis ad Theologiæ arcana referenda. 76
Orſaet. 101
Orſprong. ibidem.
Ort. 45, 101
Oſyris. 125, 174
Otis auis. 207
Ou. 84
Ouer. 192
Ouerſt. 219
Ouis vnde dicta. 85
Ouis Idulis. 85
οὐρανός. 162
Ouum. 85

P.

P litteræ ſymbolica ſignificatio. 151
Pædagogia, quam nunc Itali Pedanteriam vocant, in ſummum venit contemptum. 80
Pana. 151, 152
Pai. 122
Pais. ibidem.
Palatium. 133
Pallanteum. ibidem.
Pallas. 71, 133
Pallas qua galea munita ſit. 70
Palladis varia cognomina. 133, 134
Pandoræ pyxidecula. 188
Panis duplex, mentis & corporis. 115
Pant. 151
Pantheon. 184
Papa. 80
Par. 151, 153
Paren. 13
Pareo. 76
Pario. 76, 151
Paritatis laus. 153
Paro. 153
Pars. 151
Part. 153
Pas. ibidem.
Paſſer. 153
Paſſus. ibidem.
Pat. 151
Pater. 109, 151
Patientia herba. 210
Patientia laus. 41. & ſeq.
Paueo. 151
Pauio. ibidem.
Pe, impreſſionem denotat. 151, 152
Pet. i. Pecus. 130, 151, 217
Pecus. 151, 217
Pecudes, non homines, nos eſſe, confitendum. 217
Πείθω. 155
Πελαγίζειν. ibidem.
Pelagus. 155
Pen. 152
Pendo. 153
Penna. 151, 152

Perenna, Annæ cognomen. 61
Peer. 8,31,151
Pes. 151
Pet. ibidem.
Petaſus Mercurij. 159
Peto. 218
Phan ſiue Fan. 150
Phaneta Amorem nominarũt veteres ibidem
Phan-heet. 150
Phe. 217
Pheel ſiue Veel. 236
Φερ, Φέρτερος, Φέρτατος, Φέριστος. 162
Φημὴ. 128, 151
Φίλος. 128, 151
Philoſophi hac ætate quanti fiant. 79
Φρουρῶ. 110
Phryges. 204
Phrygiones. 204
Phrygius ſermo. 205, 212
Φύλα. 224
Phylacterium. ibidem
Φιλάττω. 224
Φύσει τὰ ὀνόματα ἢ θέσει. 7
Φυλάξαι. 224
Φύλλον. 224
Φῶρ. 129, 219
Pijn ſiue Pin. i. dolor. 99,152
Pijn-not. 152
Pil. 99,153
Pileus. 155
Πῖλος. ibidem
Πιλόω. 155
Pilum. 99
Pin. i. quod in acutum deſinit, ſiue extremum cacumen. 152
Pinax. 152
Pinc-oog. 152
Pinna. 151
Pint. 152
Pinus. 151, 152
Πίνω. 155
Πιστεύω. ibidem
Πίστις. 155
Πίθος. ibidem
Pius, a, um. 151
Placenta. 151
Πλακοῦς. 152
Plaets. 152
Plag. 155
Plaga. ibidem
Plant. 155
Planta. ibidem
Planten. 155
Planto. ibidem
Planus. 151
Plat. 151. & ſeq.
Platea. 152
Platanus. 152
Plato. 8
Platonis ſententia de vocum primarum ratione. 46
Πλάτος. 151
Πλέκω. 155
Pleo. ibidem
Plico. 155
Ploratus clementiæ conciliator. 146
Pluim. 155
Pluma. 151
Plutarchi nomen. 16
Pœna. 99
Poet, Poot, Pet. i. Pes.
Poet, Pote. i. Planta.
Pog, Poog. 235
Ποιμὴν. 102
Pollux. 112
Pondo. 151
Pont. 152
Pontifex. 232
Popelen. 153
Populus. 151,153
Porphyrius. 8
Porten. 101
Porro. 101
Port. 101,151
Porta. ibidem
Porto. 101,151
Portus. 151
Ποῦς. 151
Pro. 101,151
Prometheus veritatis ſuſceptor. 23
Pſeudomagi. 15
Ptynx auis. 207, 208
Puepel. 153
Pulchritudo rerum. 141. & ſeq.
Pulex. 109
Pullus, a, um. 87
Pullus color luctui conueniens: hinc Pullati lugentes dicti. 86
Punctum. 152
Pungo. ibidem
Punio. 152
Punt. ibidem
Pup-hel. 153
Puppen. 153
Pur. ibidem
Purgo. 153
Purpur. ibidem
Purus. 151,153
Put. 153
Πυλωρὸς. 110
Πῦρ. 32, 162, 220.
Πυρωμ. 162
Pythagoras à quibus ſapientiæ ſuæ fundamenta acceperit. 21
Pythagoræ nomen. 16

Q.

Q litteræ ſymbolica ſignificatio. 155
Q littera ſuperuacanea. 213
Qu pro W Latini crebrò ponunt. 130
Qu pro duplici ff. 130
Quando. 57,213
Quatuor vnde dicatur. 155
Quatuor ſymbolum vitæ. 223
Quercus. 156
Quets. ibidem
Qui eſt, miſit me. 13
Quicken. 156
Quijt. 156
Quincken. 156
Quis, Qui. 30, 57, 109, 111, 156, 213
Quinct. 156
Quinque. ibidem
Quirinus. 156
Quod, Quid. 109
Quorſum. 57

R.

R litteræ ſymbolica ſignificatio. 156
R quare dicatur littera canina. 44,127
Ra celeritatem ſignificat. 63, 110, 111, 159
Rac. 118,159
Radien. 63
ῥάδιον. 159
Radius. 63
Raet. 159
Ram. i. aries. 101, 237
Ram, Raem. i. mente ſupputo, conſidero. 237
Rammelen. 101
Rap. 153
Rapio. ibidem
Rapum. 151, 153
Ras. 159
Rat. i. rota. 110,159
Rat ſiue Ras. i. celer. 159
Ratio. 158
Ratus, a, um. 158
Raw. 112
Re. 111, 123, 159
Rec. 228
Recht. 123, 158
Reden. 111, 158
Redenen. 158
Ree. 91,172
Reet. 110
Regel. 123, 158
Regelen. 158
Regen. 123
Regina blanca. 88
Rego. 123, 158
Regula. ibidem
Rei. 167
Religionis noſtræ ſymbola in ſideribus cæli. 181
Ren. 180, 227
Renus fl. 180
Reor. 158
Reſtis. 195
Ret. 158
Reue. ibidem
Rex, regis. 68, 123, 158
Regis veri quatuor diuina dona in nomine Cimbrico Coning. 124. & ſeq.

Rhapſo-

Rhapſodus. 81
ῥέω. 158.
Rhodanus fl. 110
Ri ſiue Rij. 177, 180
Riec. 158
Rigman. 161
ῥηΐδιον. 110
Rijgen. 158
Rijp. 151
Rijt. 158
Ῥῖς. ibidem
Rit. 158
Riuier. ibidem
Riuus. 158
Roem. 100
Roi. 219
Rom. 100
Roma, ῥώμη. 100
Rommeler. 101
Romulus. 100
Romus. ibidem
Ron. 180
Ront. ibidem
Rooe. 165
Roof. 129
Room. 10
Ros. 8, 31
Rot. 101
Rota. 63, 110, 159
Rots. 195
Ῥοῦς. 156
Ru. 27, 158
Ruc. 164
Rudis. 158
Rui. ibidem
Ruis. 158
Ruiten. 158
Rur. 164
Rus, ruris. 164
Ruſt. 195, 225
Ruſting. 196

S.

S litteræ ſymbolica ſignificatio. 177
Sa mutandi particula. 194
Saac. 200
Saat. 91
Sabazius Nochus. 185
Sabbathum Saturni dies. 121
Sac. 200, 202
Saccus, σάκκος. 201
Sal, ſalis. 65, 191, & ſeq.
Sal. i. ſalus. 65
Sal ſiue Salc. i. lata palatij domus, &c. 191
Saltus. 109, 129
Saluen. 191
Saluo, as, are. ibidem
Salus, utis. 65, 191
Salus dea apud Romanos. 231
Salutandi formulæ. 83
Sanc. 203
Sano. Sanus. 188
Sapientia & virtus Dei patris, Deus filius. 107
Sapientiam Iſidem deam vocat Salomon. 107
Sat ſiue Saet. 91, 231
Satis. Satur. 91
Sat-ur. 158, 208
Saturnus vnde dictus. 158, 231
Saturnus veritatis pater. 23
Saturni dies feſtus Sabbathum eſt. 121
Saturni nomen & Adamo & Nocho conuenit. 23
Saturnalia. 121
Satyris quare aures arrectæ dentur. 102
Sca, Scaa. 119, 197
Scaliger reprehenditur in litteræ definitione. 34, 35. & ſeq. item in etymologia dictionis Ordo. 45.
Scamander fl. 206
Scamandriũ mulieres, viri Aſtyanacta vocarunt Hectoris filium. 207
Scand. 198
Scandel. ibidem
Scandalum. 198
Scandalethrum. ibidem
σκάφος. 106
σκόπος. 197
Scars. 198
Scat. i. theſaurus. ibidem
Scat. i. æſtimo. 199
Scatting. 198
Σκατὸς. 198
Σκατοφάγος. ibidem
Scau. 197
Scear ſiue Sceier 198
σκεδάζω. ibidem
Scee ſiue Scep. 198
Scee. 199
Sceet. 198
Sceint. ibidem
Sceir. 198
Schel. ibidem
Scep. i. creo, formo. 106, 107, 224
Scep. i. haurio. 106
Scep. i. nauis. 106, 107
Scepen. 224
Σκέπη. 197
Scepper. 107, 224
Scepſel. 224
Σκέπτω. 197
Schlecht. 199
Schlichten. ibidem
Schoen. 198
Schob ſiue Schop. 197
Scijn. 198
Scijt. ibidem
Scip, Scep. 106, 107
Scoon. 198
Scou. 197
Scripturæ ſacræ loca aliquot explanata in voce Erica. 97
Scut. 111
Scutum. 111, 256
Scythiſmus. 205
Σκῦτος. 111
Sedere quomodo Deus dicatur. 178
Sede ſiue Seed. 202
Sedig ſiue Seeg. ibidem
Sedo, as, are. 202
See. 194
Segun. 202
Sel. 82
Selana vnde dicatur. 62
Selana Luna. 62, 193, 218
Σελήνη. 218
Semiuocales litteræ. 44. & ſeq.
Sen. 193
Senarius numerus Veſtæ ſacer. 177
Senarius numerus coniugio eſt dedicatus, & Veneri ſacer. 179
Senarius numerus ſuprema eſt ſedes, in qua Deus ſedere dicitur. 178. & ſeq.
Senſus. 193
Sentio. ibidem
Ser. 176
Seres. 219
Sermocinatio animi formam maximè declarat. 77
Seruiles Manes. 121
Ses. 177, 178, & ſeq.
SET trinitatis myſterium. 178
Set, id eſt, pono, colloco. 179, 202
Setel. 177
Setini. i. à Set deſcendentes, filij Dei vocantur. 205
Setinorum ſermo. 205, 212
Setinis priſcis duo nominum genera fuerunt, quibus litteras docerent. 215
Si, Sie. i. video. 99, 194
Si. i. ipſa. 99
Si. i. ſum. ibidem
Sie. i. video. 193
Sie. i. bullio. 194
Siel. 193
Σιγάω. 202
Sigillariorum feſta. 121
Sigma littera ferina. 47, 58
Signa varia prœlij committendi. 7
Signa quædam naturalia brutis inter ſe ſunt. 10
Sileo. 197
Sin ſiue Sijn. i. eſſe. 99
Sin. i. ſenſus. 99, 193
Sing. 202
Sire. 176
Slaut. 219
Slecht. 199
Slichten. ibidem
Smac ſiue Smaeck. 226
Snooz. 195

So ſiue To. i. ad. 186
So. i. tunc. 225
Socratis nomen. 16
Socratis ſententia de nominum formatione. 9, 19
Sore. 193
Soen. 186, 187, 188, 189
Sol Deus dicitur. 188, 192
Sol vnde dictus. 188, 190 & ſeq.
Solder. 191
Soldeeren. ibidem
Soldur. 191
Soldurij. ibidem
Solen. 191
Solidus, a, um. ibidem
Solt. 191
Solum, ſoli. ibidem
Soluo. 191, 219
Solus. 191
Son. 138, 188
Son tribus litteris Trinitatem refert. 189
Sont ſiue Sunt. 188
Σπεύδω. 175
Σφάλλω. 128
Sphynx vnde nomen habeat, 132
Sphynx Minerua cono impoſita. 131
Spicæ ſymbolum in cælo. 183
Spijſ-ſac. 90
Spoet. 175
Sta. 134, 194.
Stae, Staec, ſiue Steck. 89
Stadich. 134, 202
Staec. 156
Staecken. 89, 156
Stael. 197
Staf. 196
Stal. 197
Stat. 194
Statio. ibidem
Statua. 194
Status. ibidem
Ste, Stede. 134, 195, 196
Sted, Stad. 134
Steeg. 134
Steel. 197
Steig. 134
Stel. 195. & ſeq.
Stella. 196
στέλλω. 193
Stephanus. 184
στέφω. 183
Ster. 196
Stere. 197
Stercora. ibidem
Sterf. 134, 135, 136. & ſeq.
στερεόν. 197
Stert. 197
Sticht. 68. & ſeq.
Stichten. 69
Stier. 196, 197
Stigen. 69
Stijl. 197
στήλη. 197
Stix vnde dicatur & quid ſignificet. 68, & ſeq.
Sto. 134
Stoer. 196
Stort. 195, & ſeq.
Strot. 196
Strotgat. ibidem
Stui, Stuit. 69
Stuit-boſch. ibidem
Stur. 195
Stylus. 197
Sui ipſius cognitio. 217
Solfer. 164
Sulfur. ibidem
Super. 192
Swae. 202
Swaer. 87
Swart. ibidem
Swije. 202
Swijg. ibidem
Syg, Syge. 202
Sygebertus. ibidem
Sygeſmondus. 202
Symbola. 20. & ſeq.
Syſtaſes litterarum in Cimbrica lingua. 46

T.

T litteræ ſymbolica ſignificatio. 126
T littera vinciendi ſiue ligandi vim habet. 91, 96, 108, 122, 127
T littera in Cimbrico ſermone ſæpe è medio tollitur. 210
Taal. 199
Taes. 199
Taem. 27, 222
Tag. 138. & ſeq.
Tai. 126, 234
Tal. 151
Talman. ibidem
Tam. 27, 126. & ſeq.
Tamarice. 97
Tant. 126
Tar. 110, 159
Tardus. ibidem
ϑαῤῥέω. 111
ϑάῤῥω. 227
ϑαρσός. 111
Tarteſſus. 227, & ſeq.
Tas. i. aceruus frugum 91
Tas ſiue Tes. i. crumena maior, &c. 90
τάσσομαι & τάττομαι. 46
Tau littera. vide T littera.
Tau varia ſignificat. 108. & ſeq.
Tau i. funis. 107, 126
Tau, crux Chriſti. 108. & ſeq.
Tau Gallicum. 108
Taurica Cherroneſus priſca Cimmeriorum ſedes. 74
Taurus mons. 108, 158
Τάξις. 45, 46
Taxo 199
Te. 126
Ted. 117
Tee. 91
Teem. 237
Teer, Tet. 91
Tel. 82, 147, 199
Τέλος. 88
Temporis exordium. 22
Ter, Terde, Tarde; calco. 111
Ter, Teer; Abſumo, ſumptum in edendo facio. 201
Ternarius numerus litterarum diuinam imitatur Trinitatem in dictione Cal. 73
Ternarius numerus Spiritui ſancto ſacer. 176
Terentiani Mauri verſus reſtituti. 49
Tero. 91
Terra vnde dicta. 111, 180
Terra Cæli coniux. 142. & ſeq.
Terra elementum, Deorum ſedes. 177
Tes, het es. 179
Tetragrammaton Dei nomen. 11 14
Θάνατος. 100. & ſeq.
Thar. 227
Tharſeſij. 228
Tharſis. 227. & ſeq.
Theia. 192
Themis dea. 218, 222
Theophraſtus. 8
Theutates Mercurius vocatus. 127
Thom. 118
Thracius ſermo. 212
Thronus. 177, 178. & ſeq.
Thum. 227
Θύμος. 126
Θωτ ſiue ϑεοτ. 127
Τὶ, τίς. 96
Tien. 63
Timeo. 234
Τηρῶ. 91
To, Toe, Too, Tot. i. ad, vſque. 100, 126
To, Toe, Too. i. clauſus. 126
Toem. 126. & ſeq. 210
Tog. 138
Top. 83
Torus. 197
Tot. 126
Trag. 110, 159
Trinitatis myſterium in dictione Cal. 73. in dictione Ent. 117. in dictione SET. 178. in dictione Wort, 102. & ſeq.
Tritoon Pallas. 134
Tritonis lacus. ibidem
Troon. 178, 181
Trow. 103. & ſeq.
Trou-wanten. 166
Tuig. 168
Tum. 227

Tumim

Tumim. 222
Tup. 153
Typographica comparatio. 179
Tyros. 202

V.

V litteræ ſymbolica ſignificatio. 102
V littera latitudinem & diductionem aliquam ſemper notat. 109, 110, 112, 113
Vacillo. 109
Vaco. ibidem
Vacuus, a, um. 109
Væ. 113
Vadari & vadum. 109
Vagus & Vagor. ibidem
Val. 128, 138
Valeo. 109
Van. 105
Vannus vnde dicta. 105
Vannus Bacchica. 105
Varro. 109
Varus. ibidem
Vas, vaſis. 107, 274
Vaſt. 177, 196
Vat. *i. comprehendere, &c.* 107. *& ſeq.* 177
Vat. *i. vas.* 107, 108, 234
Vater. 109
Vbel. 219
Vber. 192
Ve, Vee. *i. inimicus ſum.* 130, 229, 234
Ve, Vee. *i. inimicitia.* ibidem
Ve, Vee, Fe. *i. pecus.* 151, 217
Veel. 236
Veil. 128
Velt. 219
Velabrum. 121
Ven. 141, 142, 144. *& ſeq.* 145. *& ſeq.*
Vena. 145
Veneti. ibidem
Venio. 144, 145
Venor. 141, 144
Ventus vnde dictus. 64, 109
Ventorum origo occulta. 63
Venus Gaia. 142
Venus omnia innouans Chriſtus. 144, 145
Venus è mari nata fingitur à veteribus. 145, 211
Ver, veris, ἔαρ. 32, 39, 96, 174
Ver. 150, 151, 168
Verbum. 168
Verba à verbis quomodo fiant. 30
Verba quid præſtent. 16
Verbis vulnera curantur. 7
Verforien *ſiue* Verfoiden. 170
Verheucht. 125
Veritas optimo iure ſcutum vocatur. 110, 111. *& ſeq.*
Vermaeren. 237
Verquicken. 156
Verus, a, um. 57, 110
Veſt. 177, 183
Veſta Dea. 177, 236
Veſtibulum. 236
Veter. 109
Victoria vera. 202
Video. 109
Vidua vnde dicta, &c. 86, 109
Viduarum veſtitus. 86
Viech *ſiue* Vich. 217
Vier. 151
Vieren. 162
Vijn. 118, 141, 144, 145
Vilis. 128
Vilt. 155
Vinco. 57
Vinum. 30, 57
Virgilius Poëta diuinus. 64
Vis. 177
Vito. 109
Vitula. 75
Vitula lætitiæ dea. ibidem
Vitulor. 75
Vitulus. ibidem
Vitulum adorarunt Iudæi. 77
Vituli in ſacrificiis mactati quid deſignent. 77
Vl. 208
Vlac. 75, 76, 152
Vlo. 109
Vlooc. 235
Vlula. 208
Vlulo. ibidem
Vm *ſiue* Om. *i. circum.* 143,
Vm *ſiue* Hum. *i. ſimplex vox.* 36
Vnmen *ſiue* Hummen. *i. ſimpliciſſimam vocem edere.* 36
Vnus, a, um. 72
Vnus in oratione Abecedaria vocatur Deus. 216
Vnum ipſum & verum, Deus eſt. 67, 216
Vnum omnia comprehendit. 66, 72, 98 *& ſeq.*
Vnum ſpiritum nominãt & Chriſtiani & ipſe Virgilius. 98
Vocabula à ratione naturam conuenienter & aptè ſequente fiunt. 8
Vocabula obſoleta. 31
Vocabula optima quæ ſint. 21
Vocabula θέσει, *ſiue poſitu ſignificare, dupliciter intelligitur.* 9
Vocabula φύσει *ſiue naturaliter ſignificare, duplicem habet intelligentiam.* 9
Vocabulorum primi fabri quas rationes ſint ſecuti. 19
Vocales è litterarum claſſe non ſunt excludendæ. 14
Vocales propriè mouentes, non mobiles dicendæ. 42
Vocalium pronuntiatio ex Terentiano Mauro. 48. *& ſeq.*
Voces primogeniæ in quaque lingua quæ cenſendæ. 32
Vocum Cimbricarum conuerſio ſingularis & admirabilis. 27
Vocum primarum ratio tota de ſono litterarum pendet. 46
Vocht *ſiue* Fucht. 102
Voege *ſiue* vuege. ibidem
Voel *ſiue* veel. 224
Volumna dea. 101
Volo, as, are. 109
Volo, vis, velle, βόλομαι. 57, 101, 128, 148
Voꝛ. 101, 151
Voꝛspoet. 175
Voꝛt. 101, 151, 201
Vortumnus. 101
Vosch. 197
Voueo. 129
Vox. 2
Vt. *i. perfectus, excellens, potens, &c.* 27, 112, 158, 162
Vt. *i. hora.* 162
Vt alt. 158, 208
Vt-haen. ibidem
Vt-os. 158, 208
Vreucht. 129
Vrim & Tumim in ſacerdotis pectorali quid ſit. 220. *& ſeq.*
Vro. 162
Vrt, vrtig. 112
Vrucht. 129
Vrus. 158
Vuer, voer. *i. fero.* 127, 151
Vuer, vur, vier. *i. ignis.* 151, 162
Vuil. 118
Vulcanus. 125
Vullen. 155
Vur. 153, 162, 220.

W.

W duplici, magna latitudo deſignatur. 109, 112
W duplex digamma. 213
W digamma, apud Latinos ſæpè transfertur in U *conſonantem, nonnumquam in Qu, B, G, &c.* 30, 31, 57, 155, 213
W pronomen ſecundæ perſonæ. 105
Wa. 109
Waar. 57
Wac. *i. humidus.* 109
Wac. wake. *i. vigilo.* ibidem
Wackel. 109
Waden. ibidem
Wag. 109
Wagen. ibidem
Wai. 63, 109
Wal. *i. vehementia, robur.* 3[illegible], 128
Wal. *i. in aqua bullio.* 128

wal ſiue wael. i. homo externæ linguæ. 152
walt. 109,129
wan. i. quando. 57,130
wan i. vannus. 30,105
wanckelbaer. 156
want. 166
war. i. intrico. 109
war. i. moror. 109
war, waer. i. cuſtodio. 103,109, 112,115,205,222
war, waer. i. verus. 103,109, 222
was. 109
wat. ibidem.
water. 109
wau, wou. 129
waut. i. ſucceſſus optatus. 129
waut, walt. i. ſilua. 129
wauteren. ibidem.
weder. 78
wee. 113,220
weet. 109
weer. 167,174
weet. 155
weg. 116
wein. 116
wel. 148
wel an. 235
went. 109
wer. 78,110
werm. 129,163
wet, wettig. 116
wi ſiue wij. 99
widen ſiue wien. 170
widue. 86
wie. i. Quis, Qui. 30,57,109, 130
wie. i. Ut, Qualis. 217
wien ſiue wijen i. dilatare, purgare, conſecrare. 87,99,115
wiel. 128
wij, wijs. 202
wijd. 128
wijl, ibidem.
wijn. 30,57,155
wijs. 79,110,112,124
wijſheit. 110
wil. i. volo. 101,128
wil. i. voluntas. 148
win. 57,156,236
wint. 64,109
wis. 110
wiſhet. 110
wiſt. 155
wit. 86,87,109
wit-fraw, wit-brauwe. 86,87
witwe. 86
wol. 101,128
won. 236
wonſ-dag. 161
word, wort. i. verbum. 102,115
wort. i. fio. 102,115
wt ſiue ws. 84

X.

X littera ſuperuacanea. 213
Xant. 206
Ξανθὸς. i. flauus. 206
Xanthus fl. ibidem.
Ξυρὸς. 198

Y.

Ὕδωρ. 120
Ὕπὲρ. 192

FINIS.

Svmma Privilegii.

*R*egis Priuilegio ſancitum eſt, nequis *Opera omnia Goropij Becani partim antehac impreſſa, & ab ipſo emendata, partim verò non impreſſa*, integra, vel eorum partem aliquam, citra Chriſtophori Plantini voluntatem, à die cuiuſque editionis abſolutæ intra decem annos, imprimat, aut alibi impreſſa importet venaliáue habeat, ſub pœna confiſcationis librorum: vt latiùs patet in litteris datis Bruxellis pænultima Nouembris. M. D. LXXIIII.

Signat.

I. de Witte.

IOAN. GOROPII BECANI

HERMATHENA.

LIBER I.

CVM POST rationis vſum nihil homini ab opifice datum ſit præſtantius ipſa locutione, qua non multo minus, quàm intelligendi vi, ſe demonſtrat ceteris animantibus longè diuiniorem; ſintq. multa & permagna in hominum vniuerſitate ſermonis diſcrimina: digniſſimum mihi viſum eſt diligenti inueſtigatione, vnde hæc diuerſitas orta ſit; & an alia lingua alij ſit præferenda, vel ab artificij excellentia, vel ab inuentionis antiquitate; tum etiam an vna primùm inter mortales fuerit; & an eius aliquæ adhuc reliquiæ ſuperſint. Herodotus, vt in *Lingua prima quæ ſit, variæ opiniones.* aliis quoque non ſemel à nobis eſt indicatum, Pſamnitichi Ægyptiorum regis experimentum expoſuit, quo deprehenſum ſit, Phrygium ſermonem primas ſibi meritò vindicare. Plato fatetur Barbarorum, quàm Græcorum, ſermonem eſſe vetuſtiorem: & à Phrygibus item aliquot Græcarum vocum origines petendas eſſe arbitratur. Chriſtiani plerique omnes; primogenium linguarum ius penes Hebræos ſemper fuiſſe, magno conſenſu pronuntiant: à quibus tamen Theodoretus diſcedens, non ſine aſſeclis, Syram ſiue Aramæam omnium primam fuiſſe ſentit. Moſes Ægyptius Rabbinorum facilè princeps, Hebræam primam eſſe negat. Geuarra, is qui epiſtolas quas aureas vocant, Hiſpanis ſuis ſcripſit, quatuor Hebræorum doctores teſtes citat, qui iureiurando confirmare auſint, Hebræum ſermonem non eſſe primum. Ariſtoteles, ſi ſententiam ſuper hac re rogatus fuiſſet, Ægyptiorum ſermonem neceſſariò vetuſtiſſimum ſtatuiſſet; cùm eos faciat omnium mortalium antiquiſſimos, tametſi terram colerent, quæ quondam ſub mari latitaſſet. Orpheus & Homerus deorum linguam omni mortalium locutione priorem videntur iudicaſſe: quandoquidem rationi conſentaneum eſt, ea nomina quæ cæleſtia ſunt, terrenis, caducis, & perpetuæ mutationi obnoxiis non exiguo interuallo priora potioráque fuiſſe. Arcades porrò ne ipſis quidem diis ceſſuri videntur, cùm ſe ipſa Luna faciant antiquiores; in cuius orbe Empedocles non contemnenda fortaſſis deorum agmina inueniret. Ex his tam variis diſſentientium cùm gentium tum ſcriptorum opinionibus, nihil vt poteſt certi conſtitui; ita illud veriſimili collectione queat concludi, ab omni priſcæ litteraturæ memoria, quænam prima lingua fuerit quæſitum fuiſſe: atque inde intelligi, inter omnes nationes conſtitiſſe aliquam omnino linguam primam habendam, & maximum fore operæ diligentis pretium, ſi quis eius intelligentiam ſibi comparaſſet. Quorſum enim alioqui tanta cura ad eius inueſtigationem incumberent doctiſſimi quique, ſi eius inuentio nullam vtilitatem allatura videretur? Chriſtianis & Iudæis clariſſimum eſt de Moſis auctoritate, Adamum ſic nomina feciſſe, vt iis vera rerum natura exponeretur. Quod ſi ita eſſe fateri debeamus; quis non videt illud mox effici, ſi quis prima rerum nomina cognorit, eum naturam quoque earum cogniturum eſſe? Liceat igitur & nobis in hunc campum deſcendere, & in eo ſic verſari, vt omnia arma è Vulcania quidem Philoſophorum officina petamus, minimè tamen aduerſus ſacroſanctam Romanæ eccleſiæ auctoritatem iis niti velimus; cui & hæc, & reliqua mea omnia, pro eo ac omnes Chriſtiani debent, ſubmitto: interim hoc orans, ne antè iudicium feratur, quàm omnia accuratè ad ſcopum ſuum examinentur. quod ſi fiat, ſpero fore, vt quæ prima ſtatim facie abſurda & intolerabilia videbuntur, ea vlterius excuſſa non magnam modò adferant ſuauitatem, ſed plurimùm etiam faciant ad perennem Chriſtianæ religionis ſapientiam è priſcis diuerſarum gentium monumentis illuſtrandam.

QVANDOQVIDEM verò de linguarum exordiis omnis nobis futura eſt diſputatio; quid linguæ nomine capiendum, principiò & ante omnia definiatur. Nemo eſt qui neſciat, voce hac naturale animantum inſtrumentum ſignificari: cuius in homine duplicem vſum Ariſtoteles agnouit; alterum neceſſarium, qui in guſtatu conſiſtit; alterum non illum quidem vitæ neceſſarium, ſed ad bene eſſe, vt more præceptoris loquar, comparatum, quo nimirum animi interpretatio locutioque perficitur, ſoli homini ab opifice tributa. Vt autem duplex huius particulæ vſus eſt, ita duobus quoq. aliis membris, & enaſcitur & adhæret, videlicet œſophago ſiue gulæ, & aſperæ arteriæ ſiue iugulo; illi quidem vt præmanſum cibum & potum, veluti manus quædam, ſubminiſtret; huic verò vt vocem emiſſam articulatè formet. Quia itaque humana vox hoc organo membratim diſtinguitur, & quibuſdam particulis abſoluitur; factum eſt, vt magno gentium conſenſu linguæ nomen ad id notandum tranſierit quod ab ipſo inſtrumento efformatur: quod non apud Latinos modò, ſed apud Græcos etiam & Hebræos videmus in conſuetudinem abiuiſſe; quorum illi γλῶτταν, hi Laſon pro vtroque accipiunt, & pro membro, & pro genuino & proprio organi effectu. Clemens tamen Alexandrinus primo Stromaton ſuorum libro vult Barbarorum ſermonem γλῶτταν, Græcorum verò idiomata dialectos vocari: quod diſcrimen vnde hauſerit, pòſt fortaſſe opportuniùs explicabo. Galenus noſter, in primis diligens vocabulorum examinator, γλῶτταν ſic eſt interpretatus, vt dictionem eſſe dicat, quæ priſcis quidem in vſu fuerit, nunc verò ſit obſoleta; quo ſignificatu ſeruato, de Hippocratis gloſſis libellũ ſcripſit. Quintilianus linguam ſecretiorem à Græcis gloſſas vocari dixit, & per aliquot capita progreſſus, gloſſemata dictiones minùs vſitatas: vbi videre licet, non aliud dictionũ nomine, quàm gloſſarum intelligi. Varro in voce, Camilla, eos citat, qui gloſſemata interpretantur; qua de re ſi Pollux conſulatur, gloſſographos eos dicet, qui dictiones poëticas exponũt, eo quòd has peculiari nomine gloſſas vocari ſcribat. Ariſtophanis interpres, dũ quid ſit παλεύειν explicat, vocem eſſe ait gloſſematicam, quaſi vel obſcura ſit, vel obſoleta, vel aucupum etiam propria, apud quos auibus tribuitur, alias aues voce ſua in retia allicientibus: hinc factum, vt gloſſa pro obſcuriorum vel dictionum, vel rerum interpretatione paſſim vſurpetur. Verùm peculiaris hic huius vocabuli vſus ad eam rationem ſpectat, qua ij qui diſciplinas tradunt, vel noua ſibi vocabula fingunt; vel ea quæ in vſu ſunt, ad ſignificationem, aut aliam, aut anguſtiorem, deducunt: propterea quòd multa explicanda ſint quæ in communi loquendi conſuetudine minimè verſantur. Hoc ſibi Ariſtoteles, hoc ſibi Hippocrates permiſit: & non hi modò neceſſitate quadam ducti, ſed veteres etiam comœdiarum ſcriptores: qua de re Eratoſthenes ſcripſiſſe fertur. Nihil itaque miri, Grammaticos quoque cùm alias, tum hanc quoque vocem peculiari quodam modo vſurpaſſe; tametſi eius ſignificatio in communi loquendi conſuetudine ad quamuis linguam pertineret. Quamobrem his valere iuſſis, communem morem ſecuti, gloſſam pro quauis locutione ſiue lingua accipiemus, perinde atque Homerus in exercitu recenſendo,

Lingua nomine quid capiendum.

γλῶττα. Laſon.

Dialectus.

Gloſſa. Gloſſemata.

Gloſſographi.

Πολλοὶ γὰρ κατὰ ἄστυ μέγα Πριάμου ἐπίκουροι,
Ἄλλη δ' ἄλλων γλῶσσα πολυσπερέων ἀνθρώπων.

Item Iliados libro quarto,

Οὐ γὰρ πάντων ἦεν ὁμὸς θρόος, οὐδ' ἴα γῆρυς,
Ἀλλὰ γλῶσσ' ἐμέμικτο, πολύκλητοι δ' ἔσαν ἄνδρες.

Quod igitur Latinis Lingua, id Græcis γλῶσσα, & Hebræis Laſon: ſed hi per Laſon aliquando Sapha ponunt, quo labrum ſignificatur: eo quòd labia vocibus etiam variandis inſeruiant, vti eſt Geneſeos capite vndecimo, vbi terra dicitur labij vnius, id eſt, vnius linguæ. Eſſe verò linguæ hanc apud Latinos ſignificationem, ſi ex optimis quibuſque & elegantiſſimis ſcriptoribus doceam; tempus inani opera perdidero: quando nemo eſt, qui Græcorum diſtinctionem in Latino hoc vocabulo ſit ſecutus. Quia tamen omnis Philoſophia è Græcis fontibus ad Latinos eſt deriuata; nec id quod propoſui rectè tradi poteſt citra illorum adiumenta; neceſſe mihi erit, vocem inuenire, qua, pro lingua, ſapientiæ profeſſores vtuntur, poëtis & vulgo hac parte neglectis. Ariſtoteles in ſcientiis via & ratione tradendis longè omnium primas tenens, vocem ab arteria & larynge fieri dicit, vocis verò articulatam formationem à lingua; atq. hác vocis διάρθρωσιν, quaſi

Vox

quaſi articulationem dicas; proprio linguæ officio factam, dialectum eſſe definit; addens, omnes vocales ab arteria & larynge, omnes conſonantes à lingua proficiſci, labiis, &, vt alibi tradit, dentibus quoque in auxilium vocatis. Eodem dialecti nomine in libris De anima vſus eſt in eadem ſignificatione, pro quauis nimirum locutione ſiue potiùs dictione: quamquam Grammatici vt gloſſam, ita hanc quoque vocem alio quodam modo adſtrictione vſurparunt, eam eiuſdem linguæ Græcæ varietatibus applicantes, quas in quinque partes diſtribuerunt, Doricam, Ionicam, Æolicam, Atticam, & communem. Quoniam igitur quæuis articulatæ vocis formatio Ariſtoteli dialectus eſt; videamus an dialecti deſcriptio linguæ vniuerſitatem comprehendat. Quid? Num eum Græcæ linguæ peritum dicemus, qui vnam Græcam dictionem norit efferre, vti definitio dialecti videtur indicare? Minimè; immò ne eum quidem linguam Græcam callere fatebimur, qui cùm totam aliquam, vel plures etiam Demoſthenis Orationes ſciat pronunciare; nequeat interim de rebus vulgo tritis cum Græco ſermonem habere. Aliud igitur Ariſtotelis dialectus, aliud lingua in communi loquendi conſuetudine. Peripatetico enim in quarto animalium propoſitum erat inueſtigare, quæ cuique animali vis ad ſonandum à natura data fuiſſet; quam rem ita concludit, vt vocem ſub ſono collocet, eamque ſolis faucibus tribuat in iis animantibus quæ pulmonem habent: ſub voce dialectum ponat, linguæ & labiis præcipuè adſcribendam, quibus alibi dentes addit. Nec fiſtula dialectum habet, tametſi articulatum ſonum edat; eo quòd is à vocis natura excludatur: neque item Pſittacus, & ceteræ aues; niſi per ſimilitudinem & analogiam: propterea nimirum, quòd licet humanam vocem modulatione quadam imitentur; id tamen non faciant ad ea ſignificanda quæ vocibus notantur. Quamobrem definitioni id adiiciendum, quo explicetur, imaginationem ad quicquam indicandum articulatæ voci è naturali principio adiunctam eſſe debere, quo dialecti nomen mereatur; vt in iis quæ De anima ſcripſit Ariſtoteles oſtendit. Accipitur itaque Dialectus hoc modo vel pro potentia, qua homines à natura apti ſunt ad loquendum; vel pro ipſius potentiæ effectu ſiue actu. In libris De anima dum auditus examinatur, dialectus ad tertium qualitatis genus ſpectat, omnem vocem articulatam, vt ſenſum ferit, comprehendens. At nobis, dum dialecti & linguæ nomine pro eadem re vtimur, in alia longè ſignificatione dialectus interpretanda; vt dum quempiam dicimus dialecti vel Latinæ vel Græcæ peritum, quam non vna magis dictio abſoluit, quàm vna hirundo viſa certum eſt veris argumentum. Aliis igitur limitibus dialectus ſiue lingua nobis definienda; vt ſit videlicet facultas, vel vſu, vel præceptis, vel ambobus acquiſita; qua qui præditus eſt, de quauis re, in populari conſuetudine tractari ſolita, apud nationis cuiuſpiam homines emendatè loqui poſſit. Quamuis enim quiſpiam de Binomiis & Trinomiis, & numeris animum apud Platonem dimetientibus, & iuſta Solis & ceterorum ſiderum reditione, diſſerere neſciat; non tamen idcirco dialecti habebitur ignarus, modò popularia & plebeia, ſermone correcto exprimere poſſit. Hac notione Latinam, Græcam, & Hebræam linguam dicimus; quam ſiue præceptis, ſiue vſu, ſiue duobus hiſce adiumentis didicerimus; nihil refert: id vnum refert, vt emendatè loquamur; ad quod præſtandum, in vſu olim omnis norma locabatur. quod Horatius ſic expreſſit:

Dialecti, ſiue Linguæ definitio.

Linguarum vſus.

Multa renaſcentur quæ nunc cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet vſus,
Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.

At poſt Gotorum & ceterarum eiuſdem linguæ nationum in Græciam & Italiam irruptionem, vernaculus Latinæ & Græcæ linguæ vſus periit, nouis linguis è confuſione ſubortis: quod Hebrææ quoque accidit in captiuitate Babylonica, magno ante Chriſti natiuitatem ſeculorum interuallo. In his ergo addiſcendis, omnia præcepta ad illius ætatis vſum ſunt referenda, qua in præcipuo vigore & ſumma elegantia fuerunt: ita vt eum Latinæ linguæ peritiſſimum iudicemus, qui ſe Cæſaris & Ciceronis temporibus in loquendo quamoptimè accommodarit. Iam quoniam quid Dialectus Ariſtoteli, quid nobis ſit, oſtenſum eſt; quærendum, quæ dialecti ſiue linguæ eædem, quæ diuerſæ ſint habendæ. Græci, more ſuo locuti, quinque diuerſas dialectos ſub vno ſermone Græco complexi ſunt: Nos populari loquendi more, quem hìc ſequimur, ita ſtatuendum arbitramur; vt eas linguas diuerſas dicamus, quæ ſic inter ſe diſcrepant, vt non

Linguæ diuerſæ.

Linguæ eadē. ſtatim qui vnam intelligit, alteram quoque intelligat. Eaſdem verò; quæ licet nonnihil differant, tantum tamen non recedit altera ab altera, vt diſcrimen earum colloquendi communicandiq́ue auferat facultatem. Hoc modo linguam Brabanticam aliam dicimus à lingua Sueuica ſiue Allemanica; Hiſpanicam item à Gallica & Italica; quandoquidem in his communicatio colloquiumq́ue inter homines impeditur. Verùm linguam Brabanticam, Flandricam, Thungricam, Geldricam, Saxonicam, Gedanicam, Reuelenſem, & his ſimiles, eaſdem dicimus; eo quòd, licet diuerſitate quadam diſſideant, ſic tamen non diſſideant, vt Gedanicus nō poſſit cum Antwerpiano aut Bruxellenſi fabulari. Et hoc quidem pingui Minerua dixiſſe ſatis eſto. Quot verò linguæ vel nunc ſint, vel olim fuerint, quamuis quidā definire tentarint: ego tamen nemini puto *Linguarum varia genera.* liquere, & adeò non magnopere noſtra intereſſe. Clemens Alexandrinus, genera linguarum, ſub quibus varia ſint idiomata, ſeptuaginta duo fuiſſe credit; quod è numero eorum, qui ante confuſionem linguarum è tribus Nochi liberis nati dicuntur, acceptū videtur. Euphorus, neſcio quis, niſi Ephorus, vti reor, ſit legendum, apud eundem, ſeptuaginta quinque tradidit fuiſſe. Verùm hunc numerum longè ſuperant aliorum aſſertiones; inter quos Plinius, à Timoſthene memoriæ proditum, ſcribit, in vnam Dioſcuriadem Colchorum emporium, trecentarum linguarum homines ſolere conuenire: addens, à Romanis poſtea per centum & triginta interpretes negotia ibi geſta fuiſſe. Mithridates non magnam Aſiæ partem, ſi toti conferatur, imperio tenens, viginti duas & in ditione ſua habuiſſe, & didiciſſe, conſtanti Scriptorum teſtificatione perhibetur. quibus ſi reliquas addas, quæ toto tum orbe diuerſæ fuerunt; an non putamus maximum numerum euaſuram? Quot ſint in orbe Atlantico, & apud Hyperboreos, quis explicabit? Et multas tamen eſſe, plurimorum peregrinatione ſatis eſt exploratum. Complures poſt Chriſti natalem nouas extitiſſe ſcimus, numquam antea vel factas, nedum cognitas: inter quas cùm in ſola Europa, minima totius orbis parte, quàm plurimæ ab illo tempore exortæ ſint; quid de ceteris gentibus innumeris cogitandum? Græcia tota cum ſuis inſulis, Italia, Sardinia, Sicilia, Hiſpania, Gallia, Anglia, Scotia, nouis linguis vtitur, poſt dilaceratum Romanorum imperium, è diuerſa priorum & miſtione & corruptela enatis. Quòd ſi ab illo tempore tantus linguarum numerus non antè cognitarum ſit exortus; num mala quis ratione ſuſpicetur, antea quoque quàm plurimas è gentium confuſione coaluiſſe? *Linguæ aliæ ex aliis quomodo progreſſæ.* Quî verò, quibuſq́ue initiis, ex aliis aliæ linguæ ſint progreſſæ; non difficile ſit ab exemplis peruidere. Hiſpania, quæ antea ſermone vſa ſit, quàm Phœnicum, & Afrorum, & Romanorum armis eſt impetita; necdum ſtatuo: *Lingua Hiſpanica.* id ſaltem clarum eſt, & extra controuerſiam, totam ferè Latino ſermone ab eo tempore vti cœpiſſe, quo iugum legeſq́ue Romanas ſuſcepit; atque inde fieri, vt hactenus vernaculam ſuam linguam, Romanam appellet: tametſi ſic ab ea degenerarit, vt nec Latinum Hiſpanus, nec hic illum intelligere poſſit: qua nota linguarum metimur di- *Lingua nulla diu per omnia eadē manet.* uerſitatem. Scio equidem nullam ferè linguā diu per omnia eandem manere; eo quòd paulatim vel ea quæ longo vſu trita ſunt, incipiant diſplicere; atque ita veteres voces à Carmenta & Euandro fabuloſis priſci ſermonis Latini auctoribus vſurpari ſolere creditæ, abeant in obliuionem: vel de vicinarum gentium commerciis noua nomina ſurrepant, vt ad Latinos è Græcia non pauca vocabula tranſierunt. Nec ignoro, inflexiones vocum, longo temporum lapſu, aliquando immutari; conſtructionem item non perpetuò eandem manere. Verùm ob has permutationes, lingua non abit in diuerſum omnino genus: propterea quòd non ſic de ſtatu ſuo moueatur, vt in paucorum tranſformatione intelligendi pereat facultas. Credibile enim eſt, Numam, ſi Ciceronis ætate reuixiſſet, ſermonem Latinum, tametſi longè à priſco receſſiſſet, intellecturum fuiſſe; & ſi quæ vel voces vel loquendi formulæ minus ab ipſo percipiendæ incidiſſent, eas à Latina interpretatione, citra alterius linguæ adiumentum non difficulter fuiſſe cogniturum: haud ſecus atque obſcuriora poëtarum loca per eandem linguam qua vſi ſunt, intelliguntur. Quamquam in hoc vetuſti nouique ſermonis diſcrimine non parum eſt momenti; tantum tamen non eſt, vt inde linguarum diuerſa genera dicamus exoriri. Tantiſper eandem locutionem manere ſtatuimus, dum ipſa ſua, non alterius linguæ, luce, tenebras omnes diſcutere poteſt, & ex omni regione ſua profligare. Hiſpanus itaque à Latino non hac via tantùm receſſit, ſed diuerſo prorſus modo

alium

alium ſibi ſermonem acquiſiuit. Is autem qualis fuerit, nemo neſcit eorum qui veteris memoriæ non ſunt imperiti. Irruerunt in Hiſpaniam Goti, Vandali, Alani, & nonnullæ aliæ gentes, omnes ſermone Teutonico, vel inferiore vel ſuperiore loquentes; quos cùm Hiſpani non intelligerent, factum eſt, vt & hi, & illi, diuerſum ſermonem, quoad poſſent, imitarentur: quo vtriuſque partis ſtudio effectum eſt, vt miſta quædam lingua, neque cum Latina, neq. cum Germanica conſentiens, enaſceretur; quæ tamen tanto vicinior Romanæ locutioni redderetur, quanto Teutones in aliena lingua imitanda dexteriores fuere. Eadem ratione, in Italia & Gallia nouæ linguæ ſunt exortæ; quæ & ipſo tanto plus habent è Latio vocabulorũ, quanto Teutones faciliùs Romanos, quàm hi illos, in loquendo ſequerentur.

Lingua Italica & Gallica.

Quòd ſi Germani tam ambitioſi fuiſſent, in gentibus à ſe ſubactis ad linguam ſuam pertrahendis, quàm olim fuere Romani; iam olim omnis Italia, Hiſpania, & Gallia Germanico ſermone loqueretur. Qua igitur via & ratione, in his regionibus, linguarum non antè cognitarum fuit exortus; eadem infinitæ aliæ & olim potuerunt, & nunc poſſunt exoriri; præter eas quas è vocum primæ linguæ confuſione diuina voluntate repentè facta extitiſſe, de ſacra Moſis hiſtoria ſcimus; qua de re necdum diſſeremus; ea ſolùm in quæſtionem vocantes, quorum vel veritas, vel probabilitas ingenij noſtri viribus perueſtigari poteſt: in quibus quidquid à nobis aſſeretur, ad Philoſophorum dumtaxat ſcholas volumus pertinere; quo cernatur, quouſque ſapientiæ in his pertingere queat humani ingenij captus. Poſtremo tamen libro qualis hæc primi ſermonis fuerit corruptela, & quid inter eam & vulgarem ſermonum corruptelam ſit diſcriminis, aperiemus. Quamobrem quæſtione de numero linguarum, vti fruſtra ſuſcipienda, prorſus abiecta; illud inueſtigandum, an omnes linguæ ſimiliter exſtiterint ex aliarum priorum commiſtione; an verò in his terminus aliquis ſit ſtatuendus, ne ad infinitum fiat progreſſus; & ſi terminus ſit ſtatuendus, an vna aliqua prima lingua fuerit, an multæ. Quæ inueſtigatio vt ordine procedat, ea primogenia lingua nobis vocetur, quæ ex nulla alia originem ducit. Principiò itaque dubitatio animum ſubit, ſi prima aliqua lingua ſit, vnde ea ſignificandi vim acceperit, an natura ne, an à caſu, an verò ex hominum arbitratu & conuentione.

Lingua primogenia vnde ſignificandi vim acceperit.

Antiqua prorſus, & pænè Ogenia, hæc eſt quæſtio, in qua multorum veterum ingenia ſeſe exercuerunt; aliis ad naturam, aliis ad hominum conſenſionem & pacta vocum ſignificationem referentibus, caſu prorſus excluſo: quo nos itidem relicto, vtram partem ſequendam putemus, breuiter aperiemus. Qui vocabulorum notationem naturæ adſcribunt, Ægyptios, quibus antiquiſſima rerum præteritarum memoria videtur exſtare, habent auctores: apud quos Pſamnitichus rex duos pueros à paſtore iuſſit educari, ea lege, ne vel ipſe, vel alius, coram eis loqueretur: qui poſt bimatũ, dum panem poſcerent, Bec ſæpius iterarunt; qua de re intelligi datur, ab ipſa natura homini ſermonis vſum tributum eſſe.

Bec.

Eſt profectò non Ægyptiorum modò hæc opinio, ſed plurimorum etiam in Græcia celebris famæ ſcriptorum; non homini tantùm à natura loquendi communicandique vim ineſſe, ſed brutis etiam animantibus eandem tribui facultatem, qua, quæ velint, ſuo generi exponant.

Loquendi communicandiq; vis etiã brutis animantibus ineſt.

Si in cænum ceciderit elephas, è quo ſe neque ſolus, neque vnius ope liberare queat; idque alteri cuipiam videnti indicet; is ſtatim monitus, aliis caſum nunciat, atq. ita re intellecta, plures elephanti lapſo ſuppetias ferunt; vti à Clemente Alexandrino primo Stromatum libro memini ſcriptum. Apollonius Epheſi paſſerum ſermonem eſt interpretatus. Et Paraca vrbs Indiæ celebratur, cuius ciues draconis vel hepate vel corde comeſto, omnium animalium voces murmuraque intelligunt. Si igitur brutis animantibus ea ſit à natura vis tributa, vt ſua inter ſe ſignificare atque conferre poſſint: cuius tandem erit peruerſitatis, negare, homini collocutionis vſum ab ipſius naturæ fontibus emanaſſe? Si ipſa Dialecti apud Ariſtotelem definitio generis loco vocem habeat, quam omnibus naturalem eſſe nemo it infitias: quî, rogo, fieri poteſt, vt id quod generis eſſentiam neceſſariò ſequitur, id à forma generi ſubiecta queat remoueri; niſi omnem ratiocinãdi artem velimus exulare? Nec porrò illud ſtare permittam, admirabilem quandam vim nominibus quibuſdam ineſſe, ſi de noſtra dumtaxat voluntate ortus ſui principia habere dicantur: cùm ex cogitatione noſtra ſiue affirmante, ſiue negante, nihil in rebus immutetur; tantum abeſt, vt concedam, vocibus ex arbitrio cuiuſpiam confictis, miraculi aliquid effici poſſe. Si videamus itaque verbis certis morbos

Nominum quorundam vis admirabilis.

difficillimos,& fruſtra à medicis tentatos, curari: qua fronte quiſquam afferat,has vires ex humana dumtaxat voluntate pendere? Habet Marcellus Virgilius, habent & alij medici quamplurimi, varias verborum formulas, quibus graues morbi depelluntur: nec decantata ab omnibus Catonis grauitas ab incantamentis abhorruit, dum, quî luxum membrum in priſtinum ſtatum reſtituatur, oſtendit. Iámne quis ex arbitrio id genus curationes, aut dæmonum ope fieri putaret; remedia hæc Phyſica vocarunt; quaſi ſola naturalium titulo præ ceteris digna viderentur. Ne tamen in re omnibus manifeſta prolixi ſimus; vel magicarum vocum exemplis, quæ infinita apud varios ſcriptores exſtant, totum volumen impleamus; vel poëtas omnes huc vocemus, qui perennes naturæ leges carminibus ſolui rumpique tradunt: hoc vnum addemus, ab omni hominum memoria, communi omnium gentium, quotquot vmquam fuerunt, conſenſu, ad hæc vſque tempora, credi; vires ingentes, atque adeò ſtupendas in vocibus latêre, & iis non alia modò fieri admiranda; ſed ipſos dæmones etiam cogi. Nónne priſci homines deos vrbium tutelares euocare certis verbis conſueuerunt; quorum formam apud Macrobium licet videre? Qua quidem de cauſſa Romani Latinum vrbis ſuæ nomen diligenter celauerunt; ne ſi ab hoſtibus cognitum fuiſſet, Numen vrbi præſidens elici poſſet. Quòd ſi diis ſua nomina quædam ſunt; ab ipſa natura ea eſſe facta neceſſe eſt: cùm abſurdum ſit vel dictu vel cogitatu, deos ab hominibus propria ſibi nomina mutuari. Sicut autem ſuas quaſdam appellationes natura diis dedit; ita videretur rationi conſentaneum, ceteras quoque res peculiares nomenclaturas accepiſſe; quas ſi quis ſciret, admirabilia efficere poſſet: & has quidem Pythagoras ſemper eaſdem permanere dixit; tantamque vim in vocibus occultari, vt ſi quis mali ominis nomine vocaretur, ei cenſeret nomen permutandum; ne eius occulta contagione infortunium aliquod eueniret. Quamuis verò nulla alia hominum natio ſic de vocabulorum natura & efficacitate ſentiret, vel vna tamen Hebræorum gens ſatis eſſet ad hanc opinionem ſtabiliendam confirmandamque: quandoquidem tanta eſt apud eam diuinorum quorundam nominum admiratio, vt iis tantùm non omnia fieri poſſe exiſtiment, non magis de innata ipſis vi, quàm de Solis lumine dubitantes. Quid non ei pollicentur, cui Tetragrammaton bene pronunciare diuinitùs fuerit conceſſum? quod non niſi pauciſſimis ab omni æuo, ſingulari Dei munere, contigiſſe arbitrantur: qua de cauſſa ne in eo peccetur loco, quatuor litterarum, quibus ſcribitur, modò Adonai, modò Elohim, efferre conſueuerunt. Quia porrò diuinas prorſus res, & omnem humanarũ virium captum egreſſas, vocabulorum vi effici, omnibus eſt perſuaſum: in eam plerique ſententiam deſcenderunt, vt voces ſacras, vel à Syris, vel ab Hebræis in ſolennibus ritibus vſurpatas, minimè putent in aliam linguam transferri oportere; ne videlicet vnà cum vocibus ſublatis, omnia myſteria, & præſentes orationis vires è medio tollantur. Adde his, nomina non pauca Magis in vſu eſſe, quorum ſignificationem nemo vmquam vel expoſuit, vel intellexit, vel inuenire potuit, ſiue Hebræos, ſiue Chaldæos, ſiue Ægyptios interrogaret; cùm interim tamen ingentis ſint efficacitatis ad mirabilia quædam patranda. Quocirca non ab hominum arbitrio, ſed vel à natura, vel ab ipſius naturæ opifice, ſicut vires, ita origines quoque ſortiuntur. Præterea cùm extra controuerſiam poſitum ſit, orationum aliam veram, aliam falſam eſſe; veram quidem, quæ res vti ſunt, ita enunciat; falſam verò, quæ contra dicit res ac ſunt: neceſſe eſt, partes quoque eiuſdem naturæ eſſe; ac nomen quidẽ illud verum eſſe, quod verã rei ſignificatæ naturam explicat: falſum verò, quod aliter, quàm natura poſtulat, rem quampiam indicat. At veritas rerum minimè de voluntate noſtra, ſed de ipſa rerum natura pendere ſcitur; niſi Protagoræ opinio placeat, veritatem imaginatione noſtra ſtolidè metientis. Reiicienda itaque vocabula, tamquam ſpuria, quibus non res ipſæ ſic notentur, veluti quibuſdam quaſi imaginibus, ex ipſius naturæ ſinu effluentibus, perinde atq. à Sole lumen emanat. Hinc fit, vt aliæ rerum imagines ad deos è rebus ipſis ferantur, aliæ ad homines; pro eo atque in ſpeculis fieri videmus; quorum quæ puriſſima ſunt & optima, imagines præſtantiſſimas à rebus ſuſcipiunt; quæ impolitiora, imagines capiunt rudiores. Quanto enim excellentiores privrioresque ſunt animi, tanto imagines perfectiores in iis ex ipſis rebus exiſtunt: quanto obſcuriores, tanto imagines quoque obſcuriores redduntur. Sicut aquæ quietæ & limpidæ, & ab omni cœno & motione liberæ, rerum

Nomina vnde vires & origines ſortiantur.

Nomen verum.

Nomen falſum.

imagines

imagines abſolutas capiunt; contrà, motæ mutilas & minimè cohærentes, cœnoſæ obſcuras: ita Diis, vtpote tranquillis & puris animis, multo perfectiores imagines, quàm hominibus, perturbato & obſcuro carcere concluſis, offeruntur: è quo fit, vt alia apud Deos, alia apud homines eiuſdem rei ſint ſimulacra: & quemadmodum ſimulacra diuerſa; ita diuerſæ notiones: & de notionum diuerſitate nomina quoque diuerſa exiſtunt; cùm hæc illas, veluti defluxus quidam, ſequantur. Hæc enim cauſa videtur, ob quam Homerus aliter eundem fluuium apud Deos, aliter apud homines, dixit vocari: cùm alioquin Deorum inuidiæ adſcribendum eſſet, quòd vocibus iis vterentur, quas homines non eſſent intellecturi. Quocirca, ſi eadem res aliud apud homines, aliud apud Deos nomen habeat: eius diſcriminis cauſſa alia inueniri nequit, quàm ea, quæ in ſimulacrorum diuerſitate conſiſtit. Accedit his quotidianum in militia experimentum, iam ab aliquot annis ad omnes propè peruulgatum, quo vulnera vel maximè lethalia verbis curãtur: quæ qui nouiſſe volet, Barptolomæi Sanctobarolitani chirurgica commentaria conſulat, quæ admirabilem caſum miſeræ mulierculæ in capite vulneratæ, & ſub Tiberis ripa diu latitantis, exponunt. Hæc & id genus plura cum Cratylo Platonis in Phyſicis præceptore facere videntur; quæ exponere, quàm copioſè & latè poſſunt, ſuperuacaneum arbitrati, paucis indicauimus, quæ mantiſſa (vt priſcam vocem in conſuetudinem reuocemus) ex Atticis noctibus petita placuit finire: Nomina, inquit earum auctor, verbaque non poſitu fortuito, ſed quadam vi & ratione naturæ facta eſſe, P. Nigidius in Grammaticis commentariis docet, rem ſanè in Philoſophiæ diſſertationibus celebrem. Quæri enim ſolitum apud Philoſophos, φύσει τὰ ὀνόματα ἢ θέσει. In eam rem multa argumenta dicit, cur videri poſſint verba eſſe naturalia magis, quàm arbitraria: ex quibus hoc viſum eſt lepidum & feſtiuum: Vos, inquit, cùm dicimus, motu quodam oris conueniente cum ipſius verbi demonſtratione, vtimur; & labias ſenſim priores emouemus, ac ſpiritum atque animam porro vorſum, & ad eos quibus cum ſermocinamur, intendimus. At contrà, cùm dicimus, Nos; neque profuſo intentóq. flatu vocis, neq. proiectis labiis pronunciamus, ſed ſpiritu; & labias quaſi intra noſmetipſos coërcemus. Hoc idem fit in eo quod dicimus, Tu, & Ego, &, Tibi, &, Mihi. Nam ſicuti cùm adnuimus & abnuimus, motus quidem ille vel capitis, vel oculorum à natura rei quam ſignificat, non abhorret: ita in his vocibus, quaſi geſtus quidam oris, & ſpiritus naturalis eſt. Eadem ratio eſt in Græcis quoque vocibus, quam eſſe in noſtris animaduertimus. Hæc ille in ſuis Noctibus: quibus ingens auctarium à nobis adiici hoc loco poſſet de vocabulorum formatura, naturalem quendam litterarum ſonum obſeruante; niſi pòſt de eadem re tractare nonnihil ſtatuiſſemus. Rebus enim aſperis canina littera conuenit, vti lenibus Lambda: iis quæ vehementer nobis cordi ſunt, illa ſunt adhibenda elementa, quæ ex pectore volunt pronunciari: atque ita de ceteris iudicandum. Nomina itaque rectè poſita, rerum naturam naturali vocalium inſtrumentorum habitu exprimere debent, geminos litterarum ſonos, pro eo ac decet, rebus ſignificandis applicando. Hoc ſi ita eſt, quid reliquum, quàm vt fateamur, totam vocum fabricam à natura ipſa proficiſci? Summatius ergo hæc Cratyli & Heracliti ſententia videtur fuiſſe, vt nomina dicerent naturæ opus, ſi illa quidem recta veráque nomina eſſent; atque ita vocabula rerum propria ſimilia eſſe imaginibus, non ab artificis cuiuſpiam voluntate, ſed ab ipſa natura expreſſis. His ex diametro repugnat Hermogenes, Parmenidis & Pythagoræorum ſectator, & Platonis in prima ſapientia magiſter, nomina ſtatuens, non imagines, aut naturales rerum ſimilitudines, ſed ſigna dumtaxat ex pura puta hominum voluntate & conſenſione profecta; atque hinc apud diuerſas gentes diuerſas linguas extitiſſe, proinde atque cuique hominum communitati placuit rerum notas vel has vel illas inter ſe paciſci: & hac cauſa ſymbola & eſſe & dici, quæ ab aliis alia eiſdem rebus conſtituuntur. Nam vt tubæ clangor quibuſdam prœlij committendi ſignum eſt; ita aliis poteſt eſſe facis ardentis coniectus, vt licet apud Euripidem videre:

Nomina diuerſa vnde.

Verbis vulnera curantur.

Φύσει τὰ ὀνόματα ἢ θέσει.

Cratyli & Hermogenis ſententiæ contrariæ de nominum formatione.

Signa varia prœlij committendi.

Ἐπεὶ δ' ἀφείθη πυρσὸς, ὡς τυῤῥηνικῆς
Σάλπιγγος ἦχος, σῆμα φοινίου μάχης. id eſt,
Iacta ignea face, vt ſono Tyrrhenicæ
Tubæ, cruenti prœlij tunc indice.

Infinita itidem ſigna dari poſſunt pugnæ ineundæ, vel per haſtæ, vel per ſagittæ, vel per globi fulminei coniectum, vel per erectum ſanguinei coloris vexillum, vel per chlamydem ducis purpuream, qualem Cæſar ſibi ſumere conſueuit, vel per alia innumera, de quibus antè in exercitu ſit conuentum. Spartanis tibiæ in prœliorum ſignis fuere, vti hactenus quibuſdam gentibus fiſtulæ vtriculares, quibus apud nos ruſticorum tripudia incitantur & accenduntur. Germani acutiſſimo exiguæ tibiæ ſono ingens tympanum addunt, quos tota ferè Europa hodie imitatur. Romani tuba populum in Comitium vocabant. Antuerpianis raucum cornu de vetuſta Cimbrorum conſuetudine ad ſimilem vſum placet retinere. Sed fruſtra ad rem per ſe claram exempla proferenda. Eodem autem modo eadem res apud alios alio nomine ſignificatur: nec id ſolum, ſed quemadmodum teſſeræ militares frequentiſſimè mutantur, eadem re ſignificata permanente: ita eundem hominem, modò hoc, modò illo nomine vocari videmus. Nonne plerique omnes, qui ad celſiſſimum ſummi Pontificatus gradum aſcendunt, vetere nomenclatura depoſita, nouam ſibi ſumunt? Nonne in confirmationis Chriſtianæ Sacramento nomen cuique ſuum permutare licet? Nec id tantùm hoc tempore inter religionis noſtræ homines vſitatum, ſed priſcis etiam Græcis, vt interim de Hebræis, de quibus aperta in ſacris Bibliis ſunt teſtimonia, taceamus. Qui prius Tyrtamus apud eos nominabatur, pòſt à diuino ſuauiſſimæ orationis fluxu Theophraſtus eſt dictus. Splendidiſſimum illud Academiæ iubar, à quo tota Peripateticorum natio lumen accepit, cùm ab auo Ariſtoclis nomen accepiſſet; poſtea Plato cœpit nominari; ita Ariſtone luctæ magiſtro volente, vel ab humerorum latitudine, vel à latiſſima feliciſſimi ingenij ad dicendum diſputandumque copia, ducta mutationis ratione. Longinus Caſſius, doctorum confeſſione Criticus meritò vocatus, diſcipulum ſuum nomine Malchum, quo rex priſca Phœnicum lingua ſignificatur, Porphyrium, à regum purpura, nominauit: adeò cuique ſemper licuit, nomina ex voluntate arbitrióque ſuo fabricari. Quæ igitur hîc naturæ ratio, vbi ſic, vt cuique viſum eſt, nomina & fiunt & mutantur? Mutatur ſcilicet illa ex noſtro arbitratu, & de imperio noſtro nunc hanc, nunc illam faciem ſumit, vt aliâs aliud nomen eidem rei producat. Aliter ſanè res habet, atque ea, quæ natura facit apud omnes nationes, quamuis magno terrarum interuallo diſſitas, eandem ſpeciem faciemque ſeruant. Equus vt vbique eiuſdem eſt naturæ, ita vbiq. locorum eandem ſui gignit notionem: quocirca imago equi, à natura diuerſorũ hominũ animis impreſſa, & eadem eſt, & idem omnibus animal repræſentat, vtpote ab eadem ſpecie, tamquam à cauſa cùm efficiente tum formante, promanans. Quamobrem cùm eiuſdem animalis non eadem apud omnes ſit nomenclatura; neceſſariò efficitur, vt nomina minimè dici queant ortus ſui cauſam à natura habere. Alij animal hoc equum, alij ἵππον, alij Sus, alij Mar/ alij Peert/ alij Ros/ alij Guil/ alij Hors/ alij aliis vocibus appellant; cùm tamen tam diuerſis nomenclaturis eadem notio eademque imago in mentibus ſubſit. Hinc fit perſpicuum, non perinde nomina, atque rerum ſimulacra, à natura effluere: quandoquidem ſi ab ea proficiſcerentur, vbique gentium eadem eſſent, haud ſecus ac rerum ſignificatarum notiones. Si igitur ab hac non emanant; reliquum eſt, vt à poſitu voluntario, & hominum formatura, natales ſuos ducant. Poſſent hæc copioſiùs & elegantiùs ab iis concludi: ſed nobis ſatis eſt, argumentorum capita indicaſſe, quibus Hermogenes & eius ſectatores ſententiam ſuam aliis ſuaſiſſent. Quoniam verò duæ hæ modò expoſitæ opiniones prorſus ſunt contrariæ, & vtraque magnis nixa patronis: propiùs inſpiciendum, quid ſit non modò huic, vel illi; ſed ipſi etiam veritati conſentaneum. Principiò itaque ſic aio, neutram ſententiam veram eſſe; cùm neque nomina à natura fiant, vt Cratylus opinatur; neque rurſus à pura puta voluntate, citra naturæ conſiderationem. Nam ſi illud verum eſſet, apud omnes nationes eadem rerum nomina inuenirentur, ſicut res eædem vbique ſunt, & eaſdem imagines effundunt. Si contrà alterum daretur, confeſtim è medio omnis etymologia tolleretur: quod quàm à recta ratione, & ab omnium auctorum conſenſu ſit alienum; omnium eorum conſtat teſtimoniis, qui rationes nominum diligenter inquirendas arbitrantur. Quid igitur exiſtimandum? Id ſanè, quod veriſſimum eſt, Vocabula non ab ipſa natura, ſed à ratione fieri, naturam conuenienter & aptè ſequente: qua in re tota Etymologia cõtinetur. Ammonius Hermias, diligens ille quidem Ariſtotelis commentator,

Nominũ propriorum mutationes.

Theophraſtus.

Plato.

Malchus.
Porphyrius.

Cratyli & Hermogenis ſententiæ refelluntur.

Vocabula à ratione naturam aptè ſequente fiunt.

tator, ſed ſic tamen, vt vetus Academiæ ſtudium non deponat, idem quod modò ſtatui, prolixius paulo exponit, diſtinctione quadam in medium adducta, qua vtrumque & θέσει & φύσει vocabula ſignificare, duobus modis intelligi poſſe, demonſtrat. Et primum quidem, voces naturaliter ſignificare, duplicem habet intelligentiam: vnam quidem, qua ſic naturaliter ſignificare dicuntur, quaſi ab ipſa natura omnem ſignificandi vim nacta eſſent; quod vt Heraclito & Cratylo placuiſſe videtur, ita cum veritate pugnat: alteram, vt naturaliter vocibus res notari dicantur, quia conuenienter naturæ ab ipſo architecto ſunt factæ. Simili bimembri diuiſione, alterum, quod erat, Vocabula θέσει, ſiue poſitu ſignificare, diſtinguendum: Vel enim ex poſitu & voluntate notationē habere dicuntur, quia de mera fabricantis voluntate, nulla habita naturæ ratione, ſignificandi vim nanciſcātur; quod Hermogenes contendit, & modò falſitatis eſt conuictum, è conſenſu eorum, qui veras nominum rationes non è nudo placito hominum, ſed à natura rei ſignificatæ perueſtigant: Vel vocabula ſic ex arbitrio & impoſitione voluntaria ſignificare intelliguntur, vt habeant ipſa quidem ſignificationem ex voluntate eius qui ea fabricatus eſt: habeant tamen ex voluntate non vaga aut libera, quæ ex libidine ſua quamuis vocem cuiuis rei notandæ temere ponat; ſed ex ea voluntate, quæ rei naturam intuetur, & ad eam voces aptat. Vtriuſque huius partitionis, tum in ſignificatione ex natura, tum in ſignificatione ex arbitrio & poſitu, priora membra falſa ſunt: cùm vocabula neque pure naturaliter, neque purè ex arbitrio ſignificandi vim habeant: at duo poſteriora membra in vtraque diſtinctione vera ſunt, neque vllo modo inter ſe pugnant. Significant enim nomina & naturaliter & ex voluntate: naturaliter, quia conuenienter naturæ; ex voluntate, quia ab homine poſita ſunt, ſed ſic poſita, vt rei ſignificatæ naturam ſequantur. Nominum igitur rectitudo ex voluntate, non quauis, ſed rectam rationem ſecuta, dependet; quæ naturam rei contemplata, vocem fingit ei quam poteſt maximè accommodatam. Hæc Socratis eſt ſententia, quam ſcepticôs à Platone expoſitam, Hermias ipſi Hermæ quàm conuenientiſſimè ad veritatis normam concinna redegit diſtinctione, quam ſi Ariſtoteles adhibuiſſet, clariùs in hac controuerſia fuiſſet verſatus: ſed qua fuit ambitione, maluit præceptoris ſui aduerſarius, quàm diſcipulus videri. Dixit enim imagines naturaliter res ipſas notare; & idcirco apud omnes gentes eaſdem eſſe: nomina verò ad placitum, ſiue ex pacto poſita, eſſe ſymbola ipſarum imaginum ſiue ſimulacrorum, quibus res repræſentantur. Quod ſi τὸ κατὰ συνθήκην, ſiue ex conuentione & pactione ſignificare declaraſſet: addidiſſetque, non quauis quorumuis pactione recta nomina fieri; ſed ea dumtaxat, quæ naturali rationi eſt innixa: pleniorem dediſſet nominis & verbi definitionem; in qua nunc hoc deſideratur, quo omnis Etymologia & vocabulorum rectitudo definitur. Neque enim tota nominum origo, eo quòd κατὰ συνθήκην dixit, abſoluitur; ſed illud etiam adiumentum ſibi requirit, vt hominum placitum ſiue conuentio naturam rei denotandæ quàm optimè ſequatur: quod niſi ita eſſet, ridiculum ſe magnus hic magiſter præberet, dum de recta nominum formatura argumenta ducit. De corpore cæleſti diſputans, docet, motum perpetuum proprium cælorum eſſe, ex eorum auctoritate, qui cælum voce Græca Æthera vocarunt, quaſi corpus ſemper currens diceretur; eaque de cauſſa Anaxagoram accuſat perperam & contra ſignificationis rationem igni hanc nomenclaturam dediſſe, cùm is minimè feratur motione ſempiterna. Quæ rogo hîc concluſionis firmitas, ſi nomina de ſolo hominum arbitrio fiant, nulla naturæ habita ratione? Eundem videas in Phyſica auſcultatione veritatem venari ex vocum Græcarum conſonantia, quæ ſunt αὐτόματον & μάτην; eundem iterum in voce κενόν argutari, nec in priſcis ſolùm vocabulis quærere veritatis argumenta, ſed noua etiam nomina fabricari, non ex ſolo arbitrio, ſed ex voluntate ſolidis rationibus fulta, vt in κατηγορία & ἐντελέχεια quiuis cognoſcet. Nónne idem in Topicis ſuis hunc ratiocinandi modum ceteris adiecit, quo ex vocis formatura argumenta ducuntur; vt ſi quis de vocis eudæmon, qua felix ſignificatur, fabrica colligat, ſuum cuique animum Dæmonem ſuum eſſe, eo quòd in Dæmone bono felicitas ſtatuatur, quæ reuera non in alio eſt quàm in animo. Maluit ergo in nominis definitione præuaricari, quàm videri eadem cum Socrate & Platone ſenſiſſe; quò nimirum non tam Platonicus, quàm totus ſuus, videretur. Quid quòd hic tam ambitioſus in præceptorem cauillator clarè confeſſus eſt, auditum

Vocabula φύσει, ſiue naturaliter ſignificare, duplicem habet intelligentiam.

Vocabula θέσει ſiue poſitu ſignificare, dupliciter intelligitur.

Nomina ſignificant & naturaliter & ex voluntate.

Nominū rectitudo vnde dependeat.

Ariſtotelis ſententia de nominum ſignificatione refellitur.

ditum ad intelligentiam mentemque inſtruendam plus facere, quàm viſum; quòd ſit ſenſus, quo nomina rerum percipiuntur, & nomina ſymbola ſint rerum ſignificatarum. Quid potuit dici apertius? Num eſt adhuc cur dicamus nomina ad meram voluntatem res ipſas denotare? Teneamus itaque, nec Cratylum, nec Hermogenem ad veritatem adſpiraſſe; ſed voces partim naturaliter, id eſt, naturæ conuenienter & accommodatè; partim ex arbitrio, rectam rationem ſecuto, habere notationem; vt Socrates copioſe dedit intelligendum iis, inquam, qui epochen ipſius ad veritatis definitionem norunt referre. Hoc nunc ſtatuto, prius Heracliticæ opinionis firmamenta conuellenda; deinde Hermogenis quoque rationes, qua parte vitium faciant, exploranda. Vtrumque tamen breuiter, & quaſi per ſyllabum, quem, qui volet, latiùs poterit explicare. Primum igitur, quod obiiciunt, qui naturæ omnem vocum tribuunt notationem; nomina voces eſſe, & voces omnes à natura proficiſci, ideoque nomina quoque à natura procedere; id quidem non ineptè concludunt, ſi in eadem vocabulorum ſignificatione, eademque forma, & in antecedente, & in conſequente conſiſtant. Nomina enim, ea ratione qua voces ſunt, ab inſtrumentis naturalibus fiunt, totaque ſunt naturæ adſcribenda: ſed hac nuda conſideratione non ſunt ſigna ſiue ſymbola, ſed auditus tantùm obiecta, ad tertium qualitatis genus referenda. At ſi vocabulorum eſſentia expendatur, ad ea quæ ſignificant collata, iam non ad qualitatem, ſed ad ea quæ ad aliquid dicuntur, pertinebit: atque hoc obtutu, nomina, quidquid ſunt, ex hominum voluntate acquiſiuerunt. Neque verò vox in nominis definitione verum eſt genus, ſed fundamentum dumtaxat relationis ex hominum arbitrio natæ. Quis nō videt vitioſam eſſe collectionem: ſcamnum eſt lignum, lignum eſt res naturalis, ſcamnum itaque naturale; niſi, vt Dialectici loquuntur, materiali ſenſu, id quod infertur, intelligatur. Hederam naturæ opus eſſe, nemo infitiatur; at ei à natura datum eſſe, vt vinum venale ſignet, omnes negabunt; eſſet tamen confitendum, ſi proba de nominum ſignificatu fuiſſet concluſio. Eſt quidem nomen res naturalis, quatenus vox eſt: ſed quatenus nota eſt, ad artificium eius, qui vt ſignificaret, voluit, totum ſpectat. Ad illud autem quod prius de Ægyptiorum monumentis eſt allatum, non eſt hîc prolixè diſputandum: cùm Indoſcythica noſtra docuerint, non hiſtoriam hanc, ſed fabulam eſſe, qua ſacerdotes monebantur, Ægyptiorum ritus ab illis acceptos fuiſſe, qui eo ſermone vtebantur, in quo Bec panem notaret. Iam quod de auibus & brutis animantibus eſt adductum, nihil facit ad linguarum ortum: propterea quòd ea quæ de natura proficiſcuntur, in omnibus quæ eiuſdem naturæ ſunt, eadem cernantur: quo fit, vt contra ſit colligendum, voces animalium ſignandi vim à natura habere, quia nimirum vbique gentium eædem ſunt, & eiuſdem rei indices; cuius contrarium in hominum linguis videmus euenire. Vaniſſimum porrò illud eſt quod ex Philoſtrato eſt adductum, cuius Apollonius nihil habet vel Apolline vel Muſis dignum; adeò vt ſatis mirari nequeam, huius nomen à D. Hieronymo celebrari, atq. addi, vitam eius pleniſſimè à Philoſtrato perſcriptam eſſe; quem tantùm abeſt vt pleniſſimum iudicem, vt nihil vmquam vanius, nihil inanius, nihil ab omni ſapientia remotius me legiſſe credam: & legi tamen veras Luciani narrationes, & Mileſias aurei aſini fabellas. Bonus hic nugator ſic lectoris opera abutitur, vt neminem quidquam cernere putet, præter eos qui draconis cor ederint. Huic ſcilicet, ſine cibo, ſine pharmaco, omnis augurij veritas debetur: hoc deuorato, auium voces intelliguntur, & è brutis animantibus cognoſcitur, quid ſapientibus ſit agendum. Egregiam verò ſapientiam, & Apollonio mendaciſſimo impoſtore dignam, quæ inde diuina promit ſecreta, vbi ne rationi quidem vllus locus inuenitur. Quid mirum, ab hoc auium garritus intelligi, qui etiam ab vlmo clara voce ſapiens eſt appellatus. Quis enim vlmo loquenti non credat? fecit certe Philoſtratus, vt mirum videri non poſſit, quercus olim in Dodona locutas fuiſſe, cùm apud Gymnoſophiſtas vlmi cum hominibus fabulétur. Reiecto igitur vaniſſimi nebulonis teſtimonio, quo nemo vmquam mortalium vel impudentius, vel ineptius eſt mentitus, id vnum reſpondeamus, naturalia quædam ſigna brutis inter ſe eſſe, atque ea nuſquam non eadem: qualia & homini quoque quædam inſunt, in quo riſus, fletus, gemitus, naturalem habent ſignificationem: ſed ſermonem ab arte, non à natura prodire; quoniam non vbique idem ſit. Auguriorum autem omnis diſciplina, qua quidem parte liberas hominis actiones tangit, vt merum eſt inanium cerebro-

Signa quædā naturalia brutis inter ſe ſunt.

Auguriorū diſciplina.

cerebrorum delirium; ita à Moſollano Iudæo, apud Hecatæum, & reapſe, & ratione quàm optima, eſt eluſa; dum alitem præpetem, quam diuinator itineris militaris indicē pronunciauerat, ſagitta confixit; adiecta collectione, ſi lethalem itineris ſui exitū auis ea non præſcierat, quinam prouidere poſſet, quid vtile foret cohorti. Iam ad carmina & incantamenta in quibus triarium eorum robur, qui naturalia nomina opinantur, conſiſtere videtur; maximè, ſi ſuperſtitioſi homunculi, & amentes aniculæ, conſulantur. Quàm tamen inſana ſit hæc perſuaſio, in Saxonicis breui rationum ambitu concluſi, & hic non prolixiùs puto repetendum. Nomina, vel vt voces, & ipſius auditus obiectum accipiuntur; qua via non aliam vim, quàm vt hoc, vel illo modo, aures feriant, poſſident: vel ſic conſiderantur, vt ſunt ſymbola rerum ſignificatarum; quā quidem ratione nihil aliud ſunt quàm pura ſigna, ex hominum voluntate, vt aptæ ſint rerum notæ, adepta: quibus quæ vires ad quidquam efficiendum eſſe poſſunt? Arbitrij noſtri eſt, res vel hoc, vel illo nomine inſignire: ſed non eſt item noſtri arbitrij, vt ea quæ volumus in rebus fiant. Solius Dei eſt, naturæ, quam fecit, imperare: ceteroquin omnia à naturalibus cauſſis, non è voluntate cuiuſpiam pendent; tantùm abeſt, vt vel cogitatione noſtra, vel ſymbolorum arbitratu noſtro poſitorum denotatione quidquam efficere queamus. Sed dicet quis, conſtantem & perpetuam omnium ſæculorum confeſſionem, & gentium ferè omnium quarum notitia ad nos peruenit, experimenta palàm contraria videri: quandoquidem frequenter ſtupenda quædam miracula certis verborum ſuſurris euenire cernantur. Quid quòd vniuerſus poëtarum chorus, ipſam naturam, & cælorum vices, carminibus impediri poſſe cantat? quorum ſigillatim teſtimonia proferre, eo eſſet odioſius, quòd nemini non in animo memoriaque verſentur. Quid ergo his facias, quid medicis reſpondeas, deploratos morbos verborum vi curantibus; quid aliis omnibus, obſtinatè credentibus, maximas verborum eſſe vires? Vna ſpongia omnium horum incantamenta, ſiue potius nugamenta, deleri poſſunt. Si, vt verum eſt, dicantur verba nullam habere poteſtatem; ſed ſi quid effici videatur, id totum dæmonum impoſturis acceptum ferri oportere, qui hac via miſeras & deuias hominum mentes in veterem idolomaniam pertrahere moliuntur. Hoc autem quò faciliùs faciant, ſintque ſtulta mortalium corda ad credendum procliuiora; ea vanitatis huius magiſtris verba ſuggerunt, quæ partim ignotæ ſunt, vel nullius ſignificationis; partim è ſacroſanctis voluminibus ſuppilantur. Illa enim, quia non intelliguntur, maiorem mouent ſui admirationem, vel potius ſtuporem: hæc verò, quia diuina ſunt, non ſolùm efficacia putantur, ſed hoc etiam mali ſecum ducunt, vt indocti homines ſtolidam & impiam ſuperſtitionem in piis operibus ponant. Nam quemadmodum apud ſapientes homines, Catoniana illa incantatio à nemine intelligenda, ridicula eſt, quia inanibus ſonis conſtat; nec pluris ea fiunt quæ apud medicos à ſignificatione ſua ad aliud accommodatur, in quibus eſt, φεύγετε κανθαρίδες, λύκος ἄγριος ἄμμι διώκει, & ſimilia: ita nihil magis nefarium & ſceleſtum quàm diuina nomina & preces ſoli Deo cum omni reuerentia fundendas non ſolùm anili ſuperſtitione profanare, ſed cacodæmonum etiam ſeruitiis aduocandis adhibere. Vidi ego in Italia Pſalterium Dauidicum Græcis litteris in Magna Græcia ſcriptum, quod ad ſingulas odas minio annotatum habebat, quibus rebus profanis, quibuſque ſceleſtis vel cogitatis vel operibus conuenirent: in quo inter cetera, Pſalmum conſpexi vnum eò deſtinari, vt vngulas equinas, perditis ferreis ſoleis, à læſione conſeruaret: alterum, quo maſculam ſponſi vim in thalamo iacentis prorſus eneruaret; alios item aliis non diſſimilibus rebus applicari. Num quidquam hoc ſacrorum carminum abuſu magis fanaticum? Num quidquam magis impium? Num quidquam plus habet idolomaniæ? Quid hoc aliud eſt, quàm preces diuinas, vel ſanctiſſimorum hominum, vel ipſius etiam Chriſti verbis conceptas, abominanda impietate, Dæmonibus & impuris ſpiritibus, peſſimarum cogitationum & ducibus & adminiſtris, offerre? Eiuſdem ſceleris eſt, quod cùm in ceteris Dei nominibus, tum in eo quod de litterarum apud Hebræos numero, tetragrammaton vocatur, pſeudomagi moliuntur: quo dementes homines, & ab omni rectæ rationis arce depulſi, non mirabilia modò alia ſe facere, ſed ipſos etiam Cacodæmones vi pertrahere ad quiduis perficiendum poſſe, ſtolidiſſimè opinantur. Quid? an non liber Nizahon impudentiſſimè mentitur, Chriſtum omnia miracula per hoc no-

Carmina & incantamenta.

Nomina dupliciter accipiuntur.

Tetragrammaton Dei nomen.

hoc nomen edidiſſe? Aben item Ezra aſſerit, Moſen in Ægypto vi nominis huius omnia illa opera miranda, quæ ſacris ſuis ſcriptis prodidit, patraſſe. Hinc incantatorum omnis apparatus, & ſtola linea, & ſceptrum, & gladius, & diadema, & cetera fere omnia, quatuor huius nominis litteris inſcribuntur: quaſi vel figuræ, vel ipſum etiam vocabulum pronuntiatum, quicquam efficere poſſit. Scimus, in nomine Chriſti ab Apoſtolis dæmonia eiecta: ſed ea vis non inerat verbis, ſed diuinæ potentiæ, quam firma fide credentibus concedebat: quo ſignificatu legimus, In nomine Ieſu flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium & infernorum: id eſt, omnia maieſtati eius qui hoc nomine ſignatur, ſunt ſubiecta. Eſt quiſquam tam amens, vt credat, his verbis, Surge & ambula, vires tantas fuiſſe, vt claudus ſtatim, citra omne ſcipionis adminiculum exiliret? Experiatur quiſquam an eiſdem idem præſtare poſſit; cognoſcet, ni fallor, fidei munus, non verborum, fuiſſe. Nomina nihil aliud, quàm ſymbola ſunt rerum earum, quibus ſignandis ſunt applicata: quibus non alia vis eſt, quàm commonefaciendi. Sit quiſquam vel ſtultiſſimus, tam ſtultum tamen neminem eſſe puto, vt hederæ vim ineſſe credat vini eius, cuius ſignum eſt, efficiendi. Quod ſi vinum, cuius notam gerit, non efficiat; quanto minus aliud quippiam hedera, quatenus ſignum eſt, producet; cùm ſignum ad ſolum ſignatum referatur, tamquam ad eſſentiæ ſuæ, quæ in ſola collatione conſiſtit, terminum. Non plus ergo virium in nomine tetragrammato, quod adſcriptis punctis Iehoua plerique efferunt, reperietur; quàm in quouis Dei nomine; niſi quòd vox Iehoua, ſi Hebraicâ eſſe à prima origine concedamus, quod quibuſdam fortaſſe non placebit, eſſentiam notet, quam aliæ voces non perinde exprimunt. Nullum enim proprium Dei nomen eſt, ſicut nulla infinitatis eius determinata intelligentia; ſed ab iis quæ fieri à Deo intelligimus, nomina ponuntur. Cùm igitur captus humanus illud ſummum in Deo cernat, quo ab ipſo omnium rerum eſſe producitur: fit, vt Iehouæ nomen, quod ab eſſentia, vt recentioribus quibuſdam placet, deriuatur; præſtantiſſimum omnium iudicetur. Quoniam autem ſignum dumtaxat eſt; non magis eſſe cuiquam dabit, quàm ſuſpenſa hedera vinum producit: nec magis propriè Deo congruit, quàm vel Græcorum ὄν, vel ens Latinorum; quam vocem Seruio Flauio Philoſophorum ſcholæ acceptam ferre debent. Siue igitur ὄν, ſiue Ens, ſiue Iehoua dicam, ad illud notandum, quod vt omne eſſe ſuperat, ita omnem eſſentiam rebus adflat; idem omnino ſignauero, non aliud videlicet, quàm me de infinita Dei potentia ſic loqui, vt ab ea omnia creata procedunt, & eſſentiam ſuam nanciſcuntur. In iis quæ Mercurio Triſmegiſto, licet titulo falſiſſimo, tribuuntur, illud in primis notatu eſt digniſſimum, quòd Deus dicatur anonymus, id eſt, omni nomine carens, eo quòd ſolus ſit & vnus. Neque enim opus eſt proprio nomine, vt Lactantius addit, niſi cùm diſcrimen exigit multitudo, vt vnamquamque ſua nota & appellatione deſignes, tametſi hæc ratio mihi non ſatis faciat. Latiùs Clemens Alexandrinus quinto Stromaton libro, è variis cùm Philoſophorum veterumque Poëtarum ſcriptis, tum è ſacris libris docet, nullum omnino Deo nomen propriè dari poſſe, tantum abeſt, vt nomen Iehouæ proprium eius dicere oporteat. Sciendum, inquit D. Auguſtinus, Deum nullis verbis propriè exprimi, nulla poſſe cogitatione comprehendi. Hinc crediderunt plerique, ſuperſtitionum quàm veritatis ſtudioſiores, mirificum hoc verbum non ab Adamo, ſed ab ipſo Deo factum eſſe; Eſaiæ ſe auctoritate munientes, dum dicit, Tu es Iehoua pater noſter, redemptor noſter, ab æterno nomen tuum. Hinc concludunt, nomen hoc ante hominem creatum Deo fuiſſe: quibus ex diametro Iuſtinus Martyr aduerſatur, qui aperte affirmat, Deo minimè viſum fuiſſe, vt ſibi ipſe nomen daret. Neſciunt arguculi iſti ſophiſtæ, nomen Dei ab æterno eſſe, ſic dici, vt ſignificetur potentia eius æterna; vti modò in nomine Ieſu eſt annotatum. Iam Dei nomine filius Dei intelligitur, vti dum Lyricen noſter canit: Benedictio Domini ſuper vos, benediximus vobis in nomine Domini. Iſychius hunc verſiculum ſic interpretatur, vt nomen Domini filium Dei eſſe dicat; eo quòd quemadmodum nomen (ipſius verbis vtor) manifeſtat vnumquemque qui non videtur; ſic & Chriſtus apparens cognoſci fecit Patrem in ſemetipſo, quamuis inuiſibilem. Atqui non hac tantùm cauſſa, quam Presbyter Hieroſolymitanus adducit, Dei filius patrem ſuum manifeſtum nobis reddidit; ſed & illa, quòd cælos & totam rerum vniuerſitatem ex abditis patris abyſſis eduxerit. Samuelis vaticinium

Ieſu Chriſti nomen. *Iehoua Dei nomen.* *ὄν. Ens.* *Deus anonymus dicitur.* *Nomine Dei, filius Dei intelligitur.*

cinium apertiſſimè declarat, Chriſtum eſſe nomen patris, quod ſic Latinè redditur:
Nam non deſeret Dominus populum ſuum propter Nomen ſuum magnum, quoniam placuit Domino vt vos ſibi faciat in populum. Hîc cernimus, Deum Iudæis, quamuis immanibus ſceleribus ſeſe conſpurcarent, ideo pepercisse, vt ex eis nomen ſuum, id eſt, Chriſtus, naſceretur. Genua igitur non voci, quæ merum eſt hominis opus, ſed Ieſu Chriſto, qui ſimul homo eſt & Deus, flectuntur, & huius poteſtate dæmonia eiiciuntur; minimè verò verborum aut voculæ alicuius viribus. Sed video magno contrà ſentientium applauſu mihi opponi illud quod ab ipſo Deo Moſi dictum eſt, Ego Dominus, qui apparui Abrahæ, & Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotente, & nomen meum Iehoua non indicaui eis. Ex hoc enim firma concluſione colligi videtur, nomen Iehoua non eſſe Abrahæ indicatum, eóque non ab homine vllo, ſed ab ipſo Deo conſtructum; cùm alioquin Abraham, Iſaac, & Iacob illud noſſe potuiſſent non aliter ac cetera à maioribus accepta. Verùm his idem reſponderi poteſt quod modò dicebam, nomen Iehouæ hîc pro immenſa Dei accipi poteſtate, vt hæc ſit verborum intelligentia: Quamuis ego, vti Deus omnipotens, apparuerim Abrahæ, Iſaac, & Iacob; tantam tamen eis poteſtatem minimè reuelaui, quantam nunc in Ægypto & toto itinere verſus promiſſionis terram ſum oſtenſurus. Vocat ergo Deus nomen ſuum Iehoua opera ſua ſibi ſoli poſſibilia, quibus ſe non aliter Deum eſſe demonſtrat, quàm quiuis homo nomine ſuo ſeſe ſignificat eum eſſe, qui ſic vocatur. Perſpicuum igitur, quòd neque Abrahæ, neque cuiquam priorum patriarcharum Deus tantum operum mirandorum, & quæ ſolius Dei propria eſſent, oſtenderit; quantum ipſi Moſi, tum in Ægypto, tum in mari Erythræo, tum in deſerto. Opera itaque ſoli Deo conuenientia, quæque ab alio, quàm à Deo, fieri nequeunt, dicentur Dei nomen eſſe; quoniam per ea Deus ſic declaratur, vti homo quiuis per ſuum nomen. Et hæc eſt veriſſima huius loci interpretatio, tametſi haud ignorem, aliter hunc ſcrupulum eximi poſſe, ſi vocem Iehoua de Hebraica lingua interpretemur: Sic enim dicere poſſumus, Deum Abrahæ, Iſaac, & Iacob eam poteſtatem, cuius effectus nomine Iehouæ deſignatur, nequaquam miraculis & oſtentis reuelaſſe, perinde atque Moyſi erat reuelaturus. Cùm enim alia aliis nominibus à Deo effluere notentur; tum nullo alio nomine apud Hebræos ſignificatur omnium rerum eſſentia ab ipſo & fluxiſſe & dependere. Monſtraturum igitur ſe pollicetur, nomen Iehouæ meritò Deo attributum eſſe; quod præſtitit, dum de nouo res crearet, atque eas, quas creaſſet, rurſus ſubitò è medio tolleret: quod luculentum erat & neceſſarium argumentum, ab ipſo ſolo, & non ab alio, omne eſſe rebus aduenire; atque idcirco ab hoc effectu omnium excellentiſſimo, meritò nomen apud mortales habuiſſe. Quamobrem Iehouæ nomen ea ratione dici poteſt prioribus reuelatum non fuiſſe, quia ipſius etymon iis nec fuerit à Deo expreſſum, nec tam ſtupendis miraculis confirmatum. Quando verò rectam nominis Iehouæ rationem Moſi aperuit? tum haud dubiè cùm diceret, Ego ſum qui ſum, quod Hebræis dicitur אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה: quo loco futurum ponitur pro præſenti, & id quidem ex recepta conſuetudine, cùm præſenti tempore verba apud Hebræos careant. Bene igitur Latini verterunt, Ego ſum qui ſum, & Græci, ἐγὼ εἰμὶ ὁ ὤν. cùm verò Deus repetit, Qui eſt, miſit me; vel Græcè, ὁ ὢν ἀπέσταλκέ με: Hebræa littera habet, אֶהְיֶה שְׁלָחַנִי quod ad verbum ſonat, Ero, ſiue, ſum, miſit me; quo loco rurſus Futurum poſitum eſt pro præſenti, & verbum pro participio, vt indicetur purus actus eſſendi (ſic modò Grammaticorum pace loqui liceat) Deo conuenire ea ratione, qua eſſendi actum omnibus largitur, ipſe interim infinitis ſpatiis omnem eſſendi actum excedens. Huc reſpexit Chriſtus, cùm apud diuum Ioannem dicit, Priuſquam Abraham fieret, ego ſum; apertè indicans, ipſum ſe illum Deum eſſe, qui Moſi dixerat, Ego ſum qui ſum. Iuſtinus Martyr Platonem putat in Ægypto hoc ipſum didiciſſe, Moſi quidem nomen Dei proprium nullum apertum fuiſſe; ſed ipſum dumtaxat ὄν, ſiue ens loco nominis fuiſſe reuelatum, atque idcirco τὸ ὄν in Timæo ab ipſo celebrari. Sciuiſſe enim eum, eorum monitu qui Moſis libros in Ægypto intelligebant, vnum ſolum Deum eſſe, atque ei ſoli nullum nomen poſſe excogitari; ceteros verò qui apud Athenienſes pro Diis colebantur, non eſſe, ſed gigni dumtaxat, id eſt, eſſe res creatas: quod vt obſcurè indicauit, ita non auſus eſt clarè profiteri, metuens ne ad præceptoris ſui cicutam cogeretur. Duabus igitur rationibus nomen

Iehoua pro immenſa Dei poteſtate accipitur.

Ego ſum qui ſum.

Qui eſt, miſit me.

men Iehouæ Moſi potiſſimùm eſt reuelatum; & quia ipſi Deus indicarit, ab eſſentia ſe nominandum eſſe; & quia oſtenderit, ſe ſolum eſſe, à quo omne eſſe penderet. Dicitur *Iehoua quare dicatur Dei nomen.* ergo Iehoua Dei nomen, eo quòd à Deo omnis eſſentia fluat, vti Moſi plurimis oſtentis eſt demonſtratum: quid tamen Deus eſſet, non eſt adiectum; propterea quòd quid Deus ſit, nulla mente queat comprehendi, nedum vel ſimplici voce, vel pluribus, efferri; vti non à noſtris modò, ſed à Platone etiam, & eius interprete Proclo, frequenter admonemur. Quamobrem bene dixit, Sum miſit me, non adiiciens quid eſſet; at ſatis oſtendens quidquid vſquam vel in cælis, vel in terris eſſet, id eſſe ſuum ab ipſo, non ab alio, accepiſſe: אֶהְיֶה enim & Iehoua ab eadem radice deriuatur; illud vt verbi futurum, hoc verò vt nomen ab eodem verbo communi formula deductum. הָיָה namq. ſiue הָוָה *Iſraël.* facit יְהוָה, adiecto Iod in principio, tam vulgato deriuationis indice, vt in ipſo Iſraël etiam, à quo toti genti nomen, inueniatur; quo Deus Iacob vocauit, quia præualuiſſet; à Sara, nimirū verbo quo præualere & dominari notatur. Eſt itaq. Iod ex deriuationis formula adiectum, minimè verò è verbi primogenij natura; quamquam haud ignoro à diuo Eucherio ſic nomen Iſraël exponi; vt, Vir videns Deum, Latinè dicatur. At hanc interpretationem, non expreſſo auctoris nomine, D. Hieronymus vt duram reiecit, addens ſe magis ſcripturæ, & angeli, vel Dei, quàm cuiuſuis eloquentiæ ſæcularis, tametſi eius vmbra opprimatur, auctoritate duci: quam eius ſententiam mihi quoque ſumere poſſum contra eos qui de nomine Iehoua admiranda, aut potius delira ſomnia, ſcriptis prodiderunt; in quibus Capnion Iſraëlis nomen non malè meretur, eo quòd ceteris in hoc genere longè anteuerterit. A verbo itaque שָׂרָה Iſraël deriuatur, quem D. Hieronymus vel principem Dei, vel εὐθύτατον θεοῦ vocat; nos eum, qui Deo præualuit, ma- *Iacob.* lumus interpretari. Eodem modo Iacob eiuſdem viri prius nomen, Supplantator dicetur, à verbo עָקַב, quod eſt Supplantare, cui Iod præfixum יַעֲקֹב format. Nec alia forma *Iſaac.* צָחַק, quod eſt Ridere, adiecto Iod, facit Iſac à riſu nominatum. Quid ergo miri ſi ab חָוָה fiat יְהוָה, quo is ſignificetur qui non aliud nomen ſibi dari voluit, quàm quo ipſum eſſe deſignaretur; hoc ipſo vſitatum Dei apud Hebræos nomen ad veram originem reducens. Huic ergo potius credamus, quàm iis qui tota ſomniorum plauſtra in hoc nomine commenti, latiſſimos vaniſſimæ ſuperſtitionis campos pſeudomagis & eorū ſimiis aperuerunt. An verò quatuor dumtaxat ſit litterarum, necdum definio; eorum veritus auctoritatem qui in hoc nomine quaternarium non ſolùm conſtituerunt, ſed ferè adorarunt; hoc interim æquis iudicibus æſtimandū relinquens, an vocales queant à litterarum claſſe ſummoueri: quod niſi ſtatuatur, non quatuor tantùm elementis, ſed ſex conſtabit. Certè vt fiat ἀνεκφώνητον ſiue ineffabile, τὰ φωνήεντα, id eſt, vocales, adimendæ: quas vbi ademeris, id protinus effeceris, vt non modò nihil ſignificet, ſed vt ne nomen quidem dici queat; cùm citra vocales nulla vox articulata formari enunciariq; poſſit: conſonantes enim per ſe, Hebræorum etiam teſtificatione, immobiles ſunt, id *Vocales è litterarū claſſe non ſunt excludendæ.* eſt, pronunciari minimè poſſunt. Quamobrem ſi Iehoua vocales non habet, nomen eſſe deſinit; & tantùm abeſt, vt vocales è litterarum numero excludi debeant, vt eum etiam habeant inter omnia elementa principatum, vt ab ipſis Hebræorum magiſtris matres locutionis vocentur. Neque porrò illa valet excuſatio, vocales idcirco litteras non cenſeri, quia non ſcribātur; cùm eadē ratiocinatione Cantabrorū ſiue Biſcainorum lingua non modò non habere vocales, ſed ne vllas quidem litteras diceretur, propterea quòd à nemine hactenus, quod ſciam, ſit exarata. Ineptè & perperam Ariſtoteles & Nomen, & Verbum, & Orationem, & huius omnia genera definiuiſſet, ſi natura eorum citra ſcriptionem conſtare non poſſet. Lingua Hebræa & quæuis alia litteras ſuas habuit antequam ſcriberetur; & ſcriptura pòſt acceſſit, adeò non neceſſaria, vt Thamo viſa ſit non tantùm ſuperuacanea, ſed memoriæ etiam, ad quam iuuandam Thot eam inuenerat, noxia & exitioſa. Atque hæc quidem de nomine Tetragrammato ſat ſit in medium attuliſſe; iudicij poteſtate iis relicta, qui nullis anticipatis opinionibus à recta ſententia ſe patientur abduci. Interea tamen nobis liceat vocales etiam inter litteras numerare, & in Iehoua plures quàm quatuor litteras ſtatuere, nulla habita ſcriptionis ratione, quæ tota ipſi locutioni externa eſt, nihil prorſus faciens ad eius naturam, quam tamen qui pluris faciet quàm ipſam locutionem, ei liberum eſto, Iehoua Tetragrammaton dicere, quia quatuor dumtaxat litteris apud Hebræos notetur: ſed idem ſciat,

mono-

monogrammaton & digrammaton hoc ipſum nomen ſæpius inueniri: & apud Romanos celeres notarios non effeciſſe, vt vel verba, vel nomina ob id pauciores litteras habere dicerentur, quia paucioribus ab iis notabantur: alioquin Reſpublica nomen duarum fuiſſet litterarũ, & Marcus vnius litteræ, & ita in ceteris, ſimili notatione decurtatis, exiſtimandum fuiſſet. Quid refert nominum Hebræorum quibus notis deſignentur: nũquid ob id vocales non habebũt, quia vocales cogitari quàm ſcribi Grãmatici maluerunt? Aliis hæc ſcholis canantur: Academicis, ſat ſcio, & Peripateticis minimè veritati conſonare videbuntur. Vide, obſecro, qua vanitate de quaternario in hoc nomine, de quo agitur, ſuerit diſputatum: qui quamuis admitteretur, non tamen quidquam virium ad rei cuiuſpiam effectioné poſſideret, quia nulla efficiendi vis numeris ſit tributa: qua de re alibi latiùs & copioſiùs, ſi duodecim Cimmeriorum numeros mihi Deus permittat explicare. Ceterùm Moſes Ægyptius, nemini Rabbinorum ſecundus, in Talmudicis quæſtionibus explicandis huic etymologiæ minimè conſenſiſſet, eo quòd videatur nomen tetragrammaton facere peregrinum, ex alia nimirum lingua ad Hebræos tranſlatum. Poſt alia enim quibus hoc nomẽ ab omnibus rebus creatis remouet, Fortaſſis, inquit, ſignificat ſecundum idioma, de quo habetur parum apud nos: quo ſuo dicto confirmare mihi videtur, paruas admodum reliquias primi ſermonis apud Hebræos reperiri, & ex illo nomen tetragrammaton remanſiſſe, quod Moſes antiquus in Ægypto de occultiore ſacerdotũ diſciplina didicit, in qua maximos fecerat progreſſus, quod non ſolùm ipſe de ſe fatetur, ſed claris etiam aliquot vocum exemplis demonſtrat, in quibus fruſtra ſe Rabbini fatigant, vtpote eius ſermonis è quo ſumta ſunt, imperiti. Tantum autem abeſt vt Rabbi Moſes Ægyptius tetragrammaton nomen ab eſſentia dictum putet, vt magnum diſcrimen inter אֶהְיֶה & יהוה agnoſcat; hoc quidem ſeparatum faciens ab omni re creata, illud verò participatum ea ratione qua res à Deo eſſe ſuum accipiunt: vbi clarè videas, eum minimè putaſſe nomen tetragrammaton à verbo ſubſtantiuo deriuari: & haud ſcio an quiſquam omnino Rabbinorum ab hoc diſſenſerit, cùm nemo eorum nomen Iehoua ſic interpretetur. Nunc fortè plus ſatis de tetragrammato Hebræorum; in quo ſi non plus ſit efficacitatis, quàm in Græcorum aut Latinorum vocibus quibus idem ſignificatur; quid pſeudomagis reliquum eſt, quo naturalia eſſe nomina defendant? *Pſeudomagi.* Si in hoc in quo totius ſcientiæ ſuæ columen conſtituerunt, nihil ſit virium; quid de ceteris vocabulis, vel notæ vel ignotæ ſignificationis, iudicandum? Si quid credula ſuperſtitio ad vocum ſuſurros videat euenire, id totum dæmoniacis pactis, & impiis vel odorum, vel herbarum, vel ſanguinis, vel oſſium, vel diuinorum nominum ſacrificiis, vel aliis peruerſis ritibus acceptum ferendum, quibus fraudulenti ſpiritus ſe vel allici, vel cogi fingunt, quo miſeros mortales dementent, & à cæleſti patria exules reddant. Quo verò naturalis hæc diſciplina videatur, non herbas tantùm, & hominum vel aliorum animalium partes ad incantamenta adhibent; ſed ipſum etiam cælum ad auxilium vocant. Partiuntur id in duodecim regiones, & ſingulis regionibus imperatores ſuos aſſignant, iiſque nomina comminiſcuntur, quibus certis temporum momentis, & aſtrorum irradiationibus inuocati aduolent ad ea quæ inſanus incantator velit, perpetranda. Huius impietatis (neque enim artis nomen fœda profeſſio meretur) patrum memoria, Abbas Tritemius, vir ceteroqui ſacrarum litterarum bene doctus, magiſtrũ ſe præbuit, cuius fanaticum opus Stenographiam nomine, licet ipſe viderim, & percurrerim; de eo tamen malim Caroli Bouilli, quàm meum iudicium audiri, qui in epiſtola quadam ad Germanum Ganaium Regis Francorum conſiliarium ſcripta, impium eſſe dicit, & vltricibus flamis exurẽdum, quòd nihil præter ſcelera cõtineatur. *Abbatis Tritemij Stenographia.* Non eſt igitur cur admirari debeamus, cacodæmones ſimulare ſe pſeudomagorum verbis cogi, cùm nihil lubentiùs faciant, quàm vt ſe præbeant turpiſſimis hominum vitiis vel impulſores vel adminiſtros: qua in re tam callidè verſantur, vt ſi quis incantandi formula exciderit, mox ei aut ingentem terrorem, aut vitæ periculũ, aut mortem etiam ipſam inferant; quaſi vel læſæ maieſtatis ſuæ, vel ſeruitij coacti vindictam: cùm nihil tamen minus quàm lædantur, aut cogantur inuiti. *Cacodæmones ſimulant ſe pſeudomagorum verbis cogi.* Iam quo magis etiam malè credulos & malè feriatos homunciones fallant, ſimulant ſe ſanctiſſimarum rerum nominibus maximè perpelli: & interdum quo fraus melius procedat, vera quædam produnt, & nonnumquam ea faciunt, velut quadam verborum vi coacti, quæ in

ſpeciem bona piaque videntur; non illa quidem veritatis pietatiſque ſtudio, quod nullum ipſis eſt; ſed vt commodiorem aptioremque impoſturæ ſuæ laruam prætexant. Quicquid enim à pſeudomagis verborum efficacitate fieri videtur, id totum immundis ſpiritibus, & pactis cum illis, vel palàm, vel occultè initis, & firmæ fidei à dementibus hominibus ipſorum fallaciis tributæ, eſt imputandum; per cuius impietatis immenſa latifundia cui libebit expatiari, habet innumeros, quos duces ſequatur; qui quàm immani ſcelere tum ſe obligent, tum religionem defœdent, Theologis relinquo ponderandum. Nobis in hoc pelago hæc ſacra anchora figatur; verbis, vt voces ſunt naturæ inſtrumentis articulatim expreſſæ, non aliam vim eſſe, quàm aures vel hoc vel illo modo feriendi: at qua ratione ſignificant, non aliam quàm Symbolorum ſiue ſignorum eſſe facultatem. Rabbi Moſes modò à nobis ad partes vocatus, quo loco de tetragrammato & nomine duodecim & quadraginta duarum litterarum agit, idolomaniam abominandam eſſe dicit; ſi quis vim antiquam litteris ineſſe credat, ad miracula vel res quaſuis perpetrandas. Quod ſi Iudæus tantæ fuit ſapientiæ, vt non ſolùm ita ſentiret, ſed apud omnes etiam ſcriptis ſuis teſtatum relinqueret; quid nobis Chriſtianis cogitandum de illorum impietate, qui certis verbis vel è collo ſuſpenſis, vel alia quauis ratione vſurpatis portentoſas vires ineſſe ſibi perſuadent? Ridiculi ſunt, qui Pythagoram opinantur tam ſtolidum fuiſſe, vt in propriis hominum nominibus eas vires eſſe crederet, quibus vel bona vel mala fortuna conciliari poſſet; niſi fortaſſe cum vulgo ſcriptorum ſentiant, qui Pythagoram non ſapientiæ, ſed Dæmoniacæ ſuperſtitionis, ſiue Magiæ, populari ſermone nominatæ, ſtuduiſſe commemorarunt. Longè equidem aliter de præſtantiſſimo viro ſentio, non illum quidem ob id mali ominis nomenclaturas commutari voluiſſe, quaſi ipſarũ vi infortunium accerſeretur; ſed quo bonorum nominũ monitu homines ad honeſta ſtudia incitarentur. Optimè enim filiis conſulunt, qui nomina iis ponunt, quibus auditis, perpetuò moneantur pulcherrimarum actionum, quibus & vitæ decorum continetur, & ſumma felicitas comparatur. Sic Ariſtoteles nomine ſuo monebatur, tum nihil vt faceret quod non ad optimum finem conduceret; tum vt quæcumque moliretur, ea & optimè perficeret, & ad ſummum bonorum referret. Pythagoras item non malè ſic vocabatur, eo quòd non ſatis ſapientiæ præceptori ſit, quàm optimè de rebus ſentire & concionari; ſed vlterius etiam requiratur, vt quod docet, populo hominúmue conuenticulis perſuadere poſſit. Credo ſanè Socratem non rarò nomine ſuo permotum fuiſſe, vt & in primis ſe ſaluum ſeruaret omni ex parte, & ad hoc ſemper niteretur, vt alios quoque quibuſcum viuebat, ſoſpitaret, non illa quidem ſalute quam plebeij diuitiis & firma corporis valetudine metiuntur; ſed vera & ſolida, quæ in pura animorum integritate conſiſtit. Non dubito, quin Plutarchus quoties nomen ſuum audiebat, cogitarit hoc ſibi in omni vita ſedulò laborandum, quo in veris diuitiis, quæ ſolæ in poteſtate noſtra perpetuò manent, principatum teneret: qua in re quantum præſtiterit, diuinus operum eius theſaurus omnibus ſolidarum opum amantibus oſtendit. Cui Ioannis nomen à parentibus inditum eſt, is ab omnibus, à quibus nomine ſuo vocatur, commonetur, gratiam Dei ad omnia eſſe inuocandam; & quicquid in vita accidit, ſiue aduerſum, ſiue proſperum; videatur id ad gratiam Dei, vbique ſaluti noſtræ conſulentem, eſſe referendum. Nec alia trutina aliæ nomenclaturæ expendendæ; in quarum monitu ſi quid eſt omnino vitium; non malè Pythagoræ viſum, vt bona nomina hominibus ponerentur, quorum frequentiſſima auditione ad recta vitæ officia vocarentur; in quo ſolo omnis eius ratio continetur, non verò in friuola Magorum naturalem vocibus vim tribuentium ſuperſtitione: quod vt maximè conſentaneum Pythagoricæ diſciplinæ, & priſcæ Cimmeriorum, à quibus omnis Græcia eruditionis ſuæ antiquitatem ſupremam accepit, obſeruationi in nominibus hominum propriis fabricandis: ita longè diuerſum ab illorum ſtolida opinione, qui ex numeris vaticinia, neſcio quæ, comminiſcuntur, quorum Terentianus Maurus ſententiam his verſiculis indicauit:

Verba quid præſtent.

Nomina propria hominibus qualia imponenda.

Ariſtotelis nomen.

Pythagoræ nomen.

Socratis nomen.

Plutarchi nomen.

Ioannis nomen.

Et nomina tradunt ita litteris peracta,
Hæc vt numeris pluribus, illa ſint minutis:
Quandoque ſubibunt dubiæ pericula pugnæ,
Maior numerus qua ſteterit, fauere palmam

Præſagia

Præſagia leti minima patere ſumma.
Sic Patroclon olim Hectorea manu periſſe,
Sic Hectora tradunt cecidiſſe mox Achilli.

Egregiam verò Philoſophiam, quæ de nominum numeris per litteras ſignatis futura coniicit: quaſi diuinitùs non ex arbitrio noſtro & nomina darentur, & litteræ ad numeros denotandos venirent. Quia ſcilicet ego prolem meam vel hoc, vel illo nomine vocaui, ex eo aut plures, aut pauciores annos conſequetur. Sanè ſi res ita haberet, inſaniret oportet, qui non quàm maximos numeros nominibus intexeret, quo cariſſimis ſuis pignoribus vitæ ſpatia quàm poſſet maximè prorogaret. Verùm ſi quis contenderet, diuino inſtinctu, non de libero hominis arbitratu, nomina fieri, atque idcirco abſurdum eſſe minimè, ſi quid portendere dicantur; ei non aliud hoc loco reſpondebo, quàm id omnium confeſſione, & quotidianis experimentis, falſum deprehendi; cùm plerique parentum nomina, pro eo atque viſum fuerit, liberis indant: & præterea non eandem eſſe in omnibus linguis numeros notandi rationem, atque adeò apud Græcos notas quaſdam interſeri, quæ nullius elementi habent figuram, quod item apud Latinos eſt vſitatum. Haud inſcius ſum, quibuſdam viris, diuino afflatu, vel expreſſo numinis monitu, nomina tributa: ſed id nec omnibus, nec multis contigiſſe quis ignorat? Iam ſi Cabaliſtas, quorum ſecreta ferè myſteria litterarum numeris intexta dicuntur, obiicias; eos equidem extra humanæ ſapientiæ limites ſummouebo, quo veritatis opinionem, quam apud quoſdam ſunt conſecuti, non ratione, ſed fide & religione ſua tueantur; quæ quanti fieri debeat, Theologi trutina ſua expendant. Nobis propoſitum non eſt, vltra rationis humanæ metas extendere præſentem diſputationem, intra quas non plures erunt, quàm ij qui falſum Pythagoræ nomen veſaniæ ſuæ prætexunt. Diuinitatis arcana diuinis viris relinquo; & cum ipſis fateor, quædam nomina diuinitùs facta, vt alibi crebrò declaraui: quæ tamen quorſum ſpectent, non ferè ab aliis, quàm à Vatibus intelligitur; vel tum demum agnoſcitur, cùm modò quæ notabantur, effecta ſunt & peracta. Scio non defuiſſe, qui de hoc Vaticinij genere beſtiam, cuius numerus ſexies centum & ſexaginta ſex complectitur, eum deſignatum interpretarentur, cui nomen fuit in vernacula ſua lingua, **Martin Lauter**; eo quòd adamuſſim his litteris numerus beſtiæ denotetur, vt ei clarum erit, qui ad vanitatem hanc Pythagoricam diuinos hos Apocalypſeos numeros ex litteris Latinorum ſupputabit: quod an ita faciendum ſit, an non, ij examinent, quorum eſt, id genus oracula ad conuenientem religioni noſtræ intelligentiam accommodare: Nos pede Philoſophico noſtra dimetimur. Porrò quod apud Platonem eſt, orationis veræ etiam partes veras eſſe, quamuis nihil faciat ad eorum opinionem qui nomina naturalia ſtatuunt; ſed dumtaxat velit, non citra rationem nomina rebus imponi; tamen quia nihil aliud eſt, quàm Sophiſtica cauillatio, reiiciendum. Neque enim quicquid de toto verè dicitur, idem quoque de partibus dicetur; niſi quis credat, quia binarius vnitati duplus eſt, ob id vnitatem quoque duplam eſſe: vel, quia affirmatio vera tribus conſiſtat partibus; idcirco nomen, quod affirmationis pars eſt, tribus partibus conſtare. Veritas enim toti orationi perfectæ, abſolutam ſententiam, vel affirmando, vel negando continenti, dumtaxat eſt attributa: è quo minimè concludendum, eam partibus quoque conuenire, immo prorſus contrarium. At cùm dicimus, Verum, & Bonum, & Ens æquè latè patere; longè alia eſt veri ſignificatio, vt illud videlicet verum dicatur, de quo ipſum ens verè poſſit pronuntiari: eóque modo vox vera dicetur, quæ rem aliquam in rerum natura conſiſtentem notat. Iam apud Platonem nomina ea vera dici videntur, quorum impoſitionis ratio inuenitur ei, cui nomen datur, conuenire: falſa, quæ non quadrat cum eo cui nomen applicatur. Sic Ægiſlaus nomen falſum eſſet, ſi cuipiam tribueretur, cui minimè conueniret, vt populum duceret: at verum fuit in Lacedæmoniorũ rege, qui omnibus imperatoriis laudibus fuit clariſſimus, non in ſuo modò regno, ſed in tota etiam Aſia & Ægypto. Quamobrem veri notiones diligenter diſtinguendæ, ne ambiguus vocis vſus faciat impoſturam. Quod verò ex Homero adducunt, alia rerum nomina apud Deos eſſe, alia apud homines; id quale ſit, quídue ſibi velit, paullo poſt ſuo loco declarabo: hîc contentus, id vnum monuiſſe, Diis ſicut nec pulmo eſt, nec lingua, nec larynx, nec quicquam aliorum, quorum adminiculo voces eduntur; ita nec vllam tribuen-

Cabaliſtæ.

Martin Lauter.

Ægiſlaus.

dam eſſe locutionem. Quod autem Nigidius attulit, non reiicimus; quin potius libenter fatemur, nomina ſic poſita rebus à priſcis fuiſſe, vt earum naturæ quàm optimè conuenirent; litteris etiam aliis ad alias res notandas certa quadam ratione accommodatis: de quo artificij genere poſt latiùs. Hinc tamen minimè efficitur, vt nomina naturalia rerum ſimulacra dici oporteat; cùm ipſa illa vocum compoſitio, & tota litterarum diuerſitas, ex humano arbitratu ſit profecta: atque idcirco apud alios plures litteræ, apud alios pauciores inueniantur: nec apud omnes eodem modo eædem pronuncientur. Sunt litteræ aliæ quidem aliis rebus ſignandis aptiores, certa quadam rerum & vocum ſymphonia: quam tamen ipſi ſibi homines finxerunt artificioſa quadam naturæ imitatione: è qua fit, vt nomina ſecundo illo modo, quem Ammonius annotauit, naturaliter ſignificare dici queant, non queant tamen dici ſimpliciter ita ſignificare; cùm minimè apud omnes gentes eædem ſint earundem rerum appellationes.

Nomina ſic poſita rebus, vt earum naturæ quàm optimè conuenirent.

Atque hæc quidem ſatis ſumto contra eos, qui naturalem vocabulorum notationem tuentur. Nunc contra Hermogenis argumenta, qui temerè, abſque omni ratione, nomina fuiſſe rebus poſita contendit, agendum eſſet; niſi eius opinionem paullo antè ſatis infirmaſſem; Ariſtoteli etiam placuiſſe docens, nomina à priſcis non citra veram rationem ab ipſa rerum ſignificatarum natura petitam natales accepiſſe. Nam ſi huic, qui maximè Hermogeni fauiſſe videtur, ab etymologia ducere argumenta viſum fuit: quid de ceteris exiſtimandum, qui propius ad Cratyli ſententiam acceſſiſſe videntur? Nolim tamen negare, fieri poſſe, vt hominum quædam multitudo à veterum placitis recedens, ſermonem ſibi fingat, in quo temere vocabula rebus ſignandis applicentur, vel de nouo facta ex pura voluntate veræ rationis experte, vel ad aliam ſignificationem à priore detorta. Quid enim vetat, quo minus inter quoſdam conueniat, vt dum hominis nomen auditur, beſtia intelligatur: vel noua etiam nomina rerum imaginibus indantur; quale ſit, ſi qui velint, Sindapſus equum notare, vel Brulot camelum. Ad hoc genus eorum lingua referri poteſt, qui ſe Argonicè apud nos loqui dicunt: & illorum item hominum peſſimo inſtituto viuentium ſermo, qui furtis & impoſturis victum ſibi pagatim quærentes, Ægyptios ſe mentiuntur; quos Itali non malè omnino Cingalos appellant, propter vitam motoriam & vagabundam: Cingalum enim, ſiue Cinglum alij maritimam quandam auem, alij Iyngem ſiue torquillam, alij motacillam, in quibus Galenus eſt, nominarunt; omnes certè à frequenti motu nomen hoc mutuati. Crediderim itaque vagabundos mendicos ſic etiam apud Veteres vocatos fuiſſe, atque inde vocem prius in Magna Græcia, deinde per totam Italiam iis attributam eſſe, qui nullas certas ſedes haberent: & quemadmodum olim in prouerbio fuit, Cingalo pauperior, vt ex Menandro docet Sudas; ita nunc rectè dici poſſe, Cingalo furacior; propterea quòd hoc genus hominum furandi artem palam profiteatur, ingenti magiſtratuum, qui hos non ſtatim vel remis vel glebis addicunt, ignominia. Hi igitur deteſtandi nebulones quo faciliùs machinamenta ſua eos apud quos furta moliuntur, celarent; linguam ſibi peculiarem confinxerunt, quam ego libenter conceſſero non plus habere rationis, quàm omnia ea quæ temerario auſu inter Chriſtianos nimis ſtolidè & ſupinè ſcelerum patientes deſignant. Verùm de hoc ſermonum ficticiorum genere non magis hîc nobis quæſtio eſt, quàm de occultis in ſcribendo notis, quibus hac ætate principum ferè ſecretiores litteræ pinguntur, longè profectò occultiùs, quàm olim vel permutatis elementis Cæſar, vel in Scytale ſua Lacedæmonij fecerint. Nobis enim de vſitatis clararum gentium linguis diſputandum, non de ignobilibus ſcurrarum commentis; in quibus Hermogeni & Hermogenianis lubenter locum ſuum concedemus, modò ne inde plus præiudicij adferatur ad rectum ſermonis ortum, quàm ex huiuſmodi hominum moribus ad vitam bonis legibus conſtituendam. Nec verò ex eo iuuantùr, quòd apud Græcos quibuſdam hominibus propria nomina immutata videamus: propterea quòd ea, quamuis ſingulorum hominum ſint propria, quorum conſideratio ad ſcientiam nominum fabricandorum non pertinet, cùm in ipſis rerum formis ſit conſiſtendum; tamen citra rationem non ſint facta. Qui enim commutationis eiuſmodi auctores fuerunt, ij non mera ſua voluntate, ſed ratione etiam ducti ſunt; vt in Platone, Theophraſto, Porphyrio, & ceteris omnibus, quibus nomina permutata leguntur, cuiuis promptum eſt videre. Quocirca cùm ex his quæ modò allata ſunt, profli-

Hermogenis opinio de vocum ſignificatione & nominum impoſitione.

Argonica lingua.

Ægyptij falſi, Cingali dicti.

Cingalus ſiue Cinglus.

Notæ occultæ in ſcribendo.

profligari queat & Cratyli & Hermogenis opinio;ea teneatur ſententia,quam cùm Socrati & Platoni placuiſſe videmus, tum Ariſtoteles etiam, licet diſſimulanter, eſt ſecutus; cui præceptoris ſui omni philoſophorum familia ſummouendi, quàm eius rectè commodeque interpretandi, maius ſemper videtur ſtudium fuiſſe. Quamobrem hic omnium gentium conſenſus ſtatuatur; in nominibus quibus hominum colloquia conſtant, rationes quaſdam latêre, quas primi eorum architecti è naturali quadam rerum & vocum inter ſe conuenientia educentes, omnem ſermocinandi artem apte concinneque rerum imaginibus fabricarunt: è quo tota etymologia dependet, quam doctiſſimus quiſque in quauis lingua magni ſemper feciſſe, priſca melioris notæ ſcriptorũ monumenta ſatis apertè teſtantur.

HERMATHENÆ
LIBER II.

HIS NVNC iactis fundamentis, vlterius aſſurgamus ad eas rationes examinandas quas primi vocabulorum fabri ſunt ſecuti. Ariſtoteles ipſis vocabulis primùm affectus animi, quos ipſe pathemata nominat, ſignificari tradit. Affectus autem, ſiue paſſiones, vti aliis placuit pathemata vocare, ſimilitudines eſſe ſiue imagines ipſarum rerum; has autem licet vbique gentium eaſdem, non iiſdem tamen nominibus, quæ earum Symbola vocat, notari. Optimè hæc quidem Peripateticorum magiſter; ſed non ad aliud vtilia, quàm vt appareat, nomina non habere ſignificandi vim à natura: quia vbique non eadem, quemadmodum imagines eædem, & res eædem, reperiantur. At hoc nihil ad Platonem, vt modò ſatis eſt oſtenſum, cui Cratylus ſententiam ſuam minimè probauit: nec verò etiam quidquam facit ad interpretationem quam Socrates ex veris rationibus quæſiuit; ſed ad illam dumtaxat interpretationem qua animi noſtri ſenſa nominibus, & verbis, & oratione declaramus. Iam quod dicit, eaſdem rerum earundem vbique imagines eſſe: id quidem verum; ſed nihil hoc ad fabricam vocum, cùm nominandi artifex non illas imagines, quæ primùm è ſenſibus exiſtunt, conſideret; ſed eas quas ex iſtis æſtimando elicit; quæ nequaquam eædem ſunt apud omnes. Solem quidem omnes eundem intuentur, & eandem eius imaginem primo interiori ſenſui, quocumque tandem eum nomine voces, impreſſam habent: ſed ex ea non eædem omnibus oriuntur cogitationes. Alius ex prima eius imagine animo impreſſa immenſam eius conſiderat magnitudinem, certus è ſiderum quotidiano aſpectu terrenæ magnitudinis non maiorem, quàm vnius puncti rationem haberi poſſe: alius pedaneum exiſtimat, & aliàs minorem, aliàs maiorem: præterea alius magnitudinem, alius figuram, alius motionem, alius ſitum, alius actionem, alius aliud in eo contemplatur: atque ex hac conſiderationum diuerſitate fieri poteſt, vt alius aliud nomen indat: quod idem in omnibus rebus, & omnibus nominibus, exiſtimandum. Nec hoc ſolùm ita habet in primis vocum architectis; ſed in iis etiam videmus euenire qui veras nominum rationes quærunt. Anaxagoras eum qui Ætheris nomen primus excogitauit, ad vrendi vim reſpexiſſe putat, atque ex eo hoc nomen igni propriè conuenire: Ariſtoteles ad perpetuum curſum, & inde Cælum ea primùm notatum fuiſſe. Hinc iam liquet, Cælum apud Græcos ab alio aliud nomen accipere potuiſſe; pro diuerſitate non imaginis primæ animo impreſſæ, ſed eius quæ inde eſt deducta. Quod enim alius vocat æthera, id alius Ouranum nominat, ad aliud videlicet ſimulacrum hac voce, ad aliud illa accommodata: quod ne ipſe Ariſtoteles quidem infitietur, niſi velit ſibi ipſi repugnare. Deinde eidem rei diuerſa nomina ab eodem dari poſſunt, pro diuerſitate eorum quæ in eadem re conſiderantur: vt apud Græcos eoſdem ἄνθρωπος, βροτὸς, μέροψ, θνητὸς homo vocatur, non ex prima illa ſimilitudine hominis cuiuis impreſſa; ſed ex diuerſis ſimulacris in animo noſtro eadem de re fabricatis. Primæ igitur rerum ſimilitudines, quas à patiente ſiue recipiente ſenſu παθήματα Ariſtoteles nominauit, eædem quidem ſunt apud omnes; ſed minimè ſunt

Vocabulorum primi fabri quas rationes ſint ſecuti.

Nominandi artifex quas imagines conſideret.

Ætheris nomen.

Nomina diuerſa eidem rei ab eodem dari poſſunt.

eædem quas inde vel æſtimatiua (ſi vim interiorem æſtimandi nobis cum brutis communem hoc nomine mihi licet vocare) vel mens variarum formarum ope ratrix deriuat. Clarum eſt in equis eiuſdem rotæ, formam aliàs terribilem, aliàs non terribilem videri; quod in ceteris quoque animantibus perinde euenire nemo neſcit. Quod ergo Peripateticus docet, rerum imagines vbique eaſdem eſſe; id ſic capiendum, vt de primis, non de iis quæ vel ſenſu interiore, vel intellectu ex ipſis eliciuntur, intelligatur. At ex iis nequaquam nomina rebus dantur; ſed ex notis quibuſdam cuique rei peculiaribus, quas alius alias ſibi in eadem re fingit, non minus imaginum, quàm ipſorum nominum ipſe ſibi fabricator. Quod ſic eſſe, cùm per ſe ſit apertum; tum ex Ariſtotelis confeſſione clarius euadit, qui nomina rerum ſymbola nominauit. Quis, rogo, vmquam tam malus fuit ſymbolorum artifex, vt illis vtendum ſibi putaret, quibus nulla eſſet cum rebus ſignificandis affinitas? Eam eſſe ſymbolorum naturam, vt ſimilitudine quadam ad alia quædam intelligenda, quàm quæ ſenſui exteriori offerunt, animum noſtrum deducant; neminem puto ignorare, qui modò vnde vox hæc deriuetur, attendat. Quamuis enim quædam Symbola è ſola pactione & voluntate quorundam concipiantur, vti militaria verba pro teſſeris à ducibus data; ea tamen nec perpetua ſunt, nec veram Symbolorum rationem ab ipſa rerum natura pendentem ſortiuntur. Phyſici de iis quæ inter ſe ſymbolum habent, ſic loquuntur; vt quæ talia dicunt, ea velint in qualitate quapiam communicare. Sic ipſe Ariſtoteles lib. ſecundo De generatione & corruptione, terram cum aqua, & ignem cum terra ſymbolum habere dicit: quia nimirum terra & aqua in frigore, terra & ignis in ſiccitate communicent, atque ita ſimilitudinem quandam cuſtodiant. Cùm igitur non eadem ſit ſymbolorum ratio, ſed alia è ſolo pacto, vt ſymbola ſint, accipiant; alia iuxta ipſam naturam talia dicantur: Ariſtoteles priorem vſurpationis modum ſecutus, nomina & verba dixit ex conuentione, quod eſt κατὰ συνθήκην ſignificare: qui ſi veram ſymbolorum naturam, ſibi ceteriſque Philoſophis notam, ſequi voluiſſet; & cum Platone concordaſſet omnino, & notationis nominum cauſſas veriùs clariúſque expreſſiſſet. In iis enim quæ ſymbola dici verè merentur, vt inſit ſimilitudo quædam neceſſe eſt, è qua de ſignificatu fieri coniectura poſſit. Hedera vinum venale ſignat, non è ſola pactione, aut hominum conſenſu; ſed ob ſimilitudinem quandam ab Hammonio contra Tryphonem apud Plutarchum explicatam, qua cum vite cernitur conuenire: Vitis enim modo adminicula pedamentaque complectitur, lubrico lapſu per arbores ſerpens, cirrhis ſuis, non ſecus ac capreolis, firmiter hærens, baccarum corymbis vuas æmulata; & hac quidem de cauſſa Baccho placuit in corollis: quæ licet ſatis magna ſit; à me tamen maior reddatur. Hedera ſemper in ſublime nititur, non ſuis quidem viribus, ſed alienis freta: quo monet, vinum eo bibendum, quò terrenis curis ſoluti ad diuina ſubuolemus, & alacres hilaréſque Deo tanti muneris datori hymnos concinamus. Iam arcta illa hederæ cum adminiculo ſuo copula, an non monet vini potatorem, vt ei cuius beneficio vinum accepit, perpetuo amore conglutinetur? Deinde perennis viror, quid aliud ſibi vult, quàm & vinum viridem iuuentam hominibus conciliare, & præterea ſemper nos virides eſſe debere in æterno diuini amoris complexu? Hæc aliaque permulta de hederæ vitiſque cognatione, Hammonij dictis non aliena, à Dionyſio adiici poſſent: niſi ex his ſatis liqueret, quàm hedera vini ſignum eſſe mereatur, non è ſola pactione hominum; ſed ipſa rerum conuenientia, quam Ariſtoteles ipſe ſymbolum nominauit. Quamobrem bene quidem nomina Symbola vocauit: ſed dum eorum ſignificationis rationem in nominis verbique definitione ſic exponit, quaſi è ſola conſentientium hominum voluntate ſiue conuentis ſignificandi vim accepiſſent, citra omnem naturæ conuenientiam; malè cum de præceptore, tum de veritate ipſa meretur. Nam quemadmodum non quibuſuis rebus notandis, quæuis ſymbola conueniunt; ita nec quæuis nomina quibuſuis rebus applicata à primis conditoribus fuêre. Quocirca vt in ſymbolis, ita in nominibus quoque neceſſe eſt quandam naturæ conuenientiam conſtare, ſi rectæ formaturæ rationem tuebuntur. Verùm ne in re perſpicua prolixus fiam, hoc tandem ſtatuatur, Ariſtotele non repugnaturo, ſi ab etymologia argumenta ducere ſibi permittat; nomina ſymbola eſſe, non ſolùm ſecundum nudam pactionem; ſed iuxta rerum etiam conuenientiam & cognationem. Neque verò nota quæuis Symboli nomen meretur;

Imagines rerũ vbiq. eaſdem eſſe, quomodo intelligendum.

Symbola.

Hedera vinũ venale quare ſignet.

Nomina quomodo ſymbola ſint.

metetur; ſed ea dumtaxat, quæ aptè conuenienterque rei cuipiam ſignificandæ applicatur. At quæ hîc eſt conuenientia ſpectanda, ſi non illa quæ de naturæ quadam affinitate apta eſt, ita vt ſignum congruens & appoſitum rei denotandæ, ſymbolum vocetur: at notæ ſolo arbitratu noſtro, nulla naturæ cognatione poſitæ, in ſymbolorum albo minimè cenſeantur. Num quiſquam eſt, qui Ægyptios putet temerè, citra omnem delectum, quaſuis notas quibuſuis rebus dediſſe? Non equidem opinor; ſed contrà diligenter rerum inter ſe ſimilitudine animaduerſa, Scalpturas ſacras, ſiue hieroglyphicas *Hieroglyphicæ notæ.* notas excogitaſſe. Iam quæ ætatis noſtræ homines Emblematum nomine litteris man- *Emblemata.* darunt, ea nihil aliud ſunt, quàm Symbola ſententiis quibuſdam notandis accommodata. Quemadmodum autem in his illa aliis ſunt meliora, & maioris ingenij dexteritatiſque argumenta, quæ propoſitæ ſententiæ explicandæ ſunt congruentiora; ita in vocabulis quoque exiſtimandum, ea optima eſſe, quæ rerum ſignificandarum naturam *Vocabula optima notæ ſint.* quamoptimè imitantur. Pictores rerum imagines coloribus & lineamentis, quàm poſſunt proximè, ante oculos ponunt: quos vocabulorum fabri vel ſecuti, vel etiam antegreſſi, vocum varietate res ipſas auribus inſinuant. Vocũ verò elementa & minimæ partes ſunt ipſæ litteræ, quas proximè ſyllabæ conſequuntur; quibus qui optimè rerum naturam ſciet imitari, is optimus præſtantiſſimúſque nominum architectus habeatur. At ſi nouerimus, quænam ceteris antecellat omnibus; primam quoque nouerimus: eo quòd eadem ſint & optima, & antiquiſſima ſiue prima. Primam autem aliquam linguam & omnium vetuſtiſſimam eſſe, & eandem optimam; iam mox demonſtrare nitar. Certè ſi mundus æternus eſt, omni carens exordio; poſſumus alium quidem ſermonem alio facere vetuſtiorem: ſed nullum omnino primum reperiemus; cùm nulla gens, eo dato, cogitari queat, quam non alia præceſſerit. Ariſtoteles ſanè hanc opinionem prolixè in poſtremo Phyſicorum libro tuetur, quam ex ipſo Platone quibuſdam videtur hauſiſſe. Is enim in tertio de legibus ferendis Dialogo ſic de diluuiorum frequentia loquitur, vt ea innumera fuiſſe exiſtimaſſe videatur. Idem tamen in Timæo mundum genitum eſſe tradit: quæ ſententiarum diſcordia, ſi qua ſit, nullam diuino viro adfert vituperationem, ſi rectè quidem vtraque de ſuis auctoribus ponderetur. Cùm enim in epiſtola quadam ad Dionyſium ſcripta, apertè profiteatur, ſe nihil ſcripſiſſe, ſed ea quæ extant, Socratis eſſe; neceſſariò ſic erit in libris Platonis verſandum, vt diligenter cõſideremus, quam perſonam inducat loquentem. In Legibus ſanè Athenienſis hoſpes in Creta diſputat ad Iouis antrum ambulando: vbi ſi ſub Athenienſis perſona Platonem Plato occultauit; eiuſdem cum Ariſtotele ſententiæ fuiſſe, Simplicio fortè videretur. Ego, quo ſua epiſtolæ modò citatæ veritas conſtet, malo Athenienſis nomine antiquum quempiam Philoſophum Athenis inſtitutum intelligi; licet Marſilius refragetur, atque illud ſub hac larua indicari, ad Athenienſes eam ex Ægypto veniſſe opinionem; infinitas mutationes terræ mariſque olim extitiſſe, quarum numerus in nullius gentis memoria integer manſiſſet; tametſi Ægyptij plurimos ſeculorum millenarios computarent. An verò omne temporis initium Attica hæc ſecta excluſerit, vt quidam æternitatis mundanæ patroni fortè contenderent; an contrà, ante multa ſeculorum volumina, nullo certo hiſtoriæ calculo comprehenſa, principium aliquod ſtatuerit, vt Marſilius & alij veritatis contra Simplicium patroni arbitrantur; non magni noſtra refert, dummodo hoc nobis conſtet, Pythagoram Mundo exordium dediſſe, cuius doctrinam Timæus tradit. Quamuis enim ita eſſet, vt contrà in Legibus atque in Timæo de mundi origine ſtatueretur; longè tamen Pythagoræ auctoritas firmis rationibus nixa nudæ Athenienſis hoſpitis narrationi præponderaret; propterea quòd antiquioribus in vniuerſitatis antiquitate tanto magis ſit credendum, quanto vetuſtiſſimis fuere propinquiores. Equidem nihil dubito, Pythagoram *Pythagoras à quibus ſapientiæ ſuæ fundamenta acceperit.* à Cimmeriis ſapientiæ ſuæ fundamenta accepiſſe; vel ab iis qui in Cumano diu oraculis & perenni Philoſophia à maioribus accepta floruerunt; vel ab aliis, è quibus Abaris Pythagoræ potiùs præceptor, quàm diſcipulus, genus duxit, vti alibi à nobis eſt indicatum. Poſt Moſen, omnium ſcriptorum vetuſtiſſimum, maximè inter philoſophos laudandus Pythagoras: cui tamen Homerus & Heſiodus, poëtarum principes, præferendi; vtpote qui Theologiæ priſcæ fuerunt propinquiores: quorum vterque mundi exordium agnoſcit, alter è Chao, alter ex Oceano: quæ nomina eòdem tendunt, prin- *Mundi exordium.*

cipium

cipium materiámve ducens,quam Anaxagoræ mens ſiue τὸ ἄρρητον ἓν, id eſt, ineffabile vnum Platonis, ſiue Iuppiter Homericus,à quo omnes dij pendent,ad hanc vniuerſitatis pulchritudinem perduxit. Verùm quòd Timæum dico mundo initium ſtatuiſſe, id Proclus mihi & Simplicius negabunt, contrà aſſerentes,Deum perpetuò mundum facere, citra omne temporis exordium; quia ei perpetuò eadem adſit voluntas bonitatis ſuæ communicandæ. His explodendis, quia cùm aliorum, tum Ioannis Grammatici, cui à ſtudio diligentiaque Philoponi nomen fuit, rationes ſubtiliſſimè veriſſimeq. collectæ ſufficiunt; non erit mihi prolixè hoc loco laborandum: hoc vnum ſatis ſit, ipſum Ariſtotelem, cuius ſe Simplicius commentatorem fecit,contrà ſenſiſſe; dum Platonem auctorem facit, tempus vnà cum cælo genitum eſſe; hanc ipſam aſſertionem magna argumentorum vi euertere laborans,ſed fruſtra,& ſophiſticè:eo quòd Plato nunquam dixerit, mundum in tempore factum eſſe, ſed vnà cum tempore creatum. Ariſtoteli itaque potius hoc loco credam,quàm vel Simplicio, vel Proclo: idque maximè ob eam cauſſam, quòd ipſe Proclus fateatur, Pythagoricum eſſe, Orphicas ſequi genealogias: at in iis primum omnium eſt, à Deo mundum formatum eſſe, quem κόσμοιο τυπωτὴν appellat. Quamobrem ſi Plato in Timæo Pythagoræ ſententiam expoſuit, neceſſariò fatendum, ſic eius verba capienda,vti ab Ariſtotele intelliguntur: quibus nimirum aſſeratur, mundum exordium ſui habere, nec ipſum tantum, ſed ipſum etiam tempus. Sed fruſtra hæc pluribus hoc loco docerem, cùm ipſe etiam Ariſtoteles ſtatim in Politicorum initio inſuperabili veritatis vi coactus ſit fateri, primum aliquem fuiſſe humanæ ſocietatis auctorem, qui quiſquis fuerit,maximorum fuerit auctor bonorum. Viden' vt vel inuitis, vel aliud agentibus, ipſa veritas aliquando excidit? Et alioquin ea quæ in octauo Phyſicorum, contra mundi fabricam & exordium diſputantur; nulla demonſtratione conuincere queunt, tempus & mundum ſimul creata non eſſe: neque quæ poſteriores ex infinita Dei bonitate argumenta duxerunt,mundũ magis reddunt æternum,quàm infinitæ vel magnitudinis vel multitudinis,quæ perinde ad infinitam bonitatem ſequi videntur, atque infinita duratio: nec quæ à determinata ab æterno Dei voluntate fiunt, ſi nunc fiant, cùm antè non fierent, mutationem aliquam voluntatis diuinæ inducunt,non magis ſanè in toto mundo,quàm in quauis re creata. Quid ni ergo in eo in quo nulla ſcientia hactenus homini per demonſtrationem contingere potuit,id credamus & teneamus pro certiſſimo, quod antiquiſſimi de ipſo memoriæ poſterorum reliquerunt? Si enim quæ antiquiſſima ſunt,maximè ſunt honoranda,vt Ariſtoteles in primo primæ Philoſophiæ libro aſſerit;ea opinio ſummo honore digna videatur neceſſe eſt, quam quis poterit docere antiquiſſimam eſſe. Magni ſanè fecit Peripateticus priſcas opiniones,earum fide vſus, tum hoc loco quem citaui,tum altero De cælo libro; qua in re non præceptorem modò ſuum, ſed omnes veteres eſt ſecutus, qui vno ore ab omni æuo cecinerunt, veritatem à maioribus eſſe diſcendam, non aliam videlicet ob cauſſam ſic arbitrati,quàm quia firmiſſimè crederent, maiorem ipſis, quàm poſterioribus, omnium rerum notitiam diuinitùs contigiſſe; quæ paulatim tanto obſcurior euaſerit, quanto à primis hominibus longiùs receſſit. Placuit hoc loco ad antiquitatis laudem confirmandam eo magis Peripatetica teſtificatio,quòd non ſolùm vetuſtis ſermonibus fidem habendam oſtendat,ſed inde etiam colligatur,Orpheo potius & Pythagoræ mundi exordium agnoſcẽtibus,quàm Ariſtoteli, id citra demonſtrationem neganti, eſſe credendum. Deinde illa etiam hinc cõuellitur opinio, quam tertio Legum ſuarũ libro Plato de innumeris diluuiis exponit. Quæ enim eſſe poteſt antiquitatis auctoritas, niſi id in confeſſis & manifeſtis habeatur; antiquiſſimos,omnium rerum fuiſſe peritiſſimos:quod neque de æterna humani generis duratione,neque rurſus de tempore,multis cataclyſmis obnoxio, vel dici poteſt, vel cogitari? In illa enim quî conſtabit antiquos fuiſſe diis, ſiue hominibus à Deo doctis,propinquiores; ſi æquè olim,atque nunc,homines ab omni principio diſtent infinitatis,in qua,infinitis vicibus, modò ignorãtia,modò ſcientia regnarit? In hac verò diluuiorum frequentia, quæ laus antiquis adſcribenda; niſi in ſingulis diluuiis id eueniſſe dicamus, quod in vno Moſis diluuio euenit: vt nimirum is ſuperſtes maneret,qui ſimul & omniũ artium, omniumq. ſcientiarum eſſet doctiſſimus; & is etiam qui de Deo & mundi creatione veras narrationes à patribus audiuiſſet? At Plato, tantum abeſt, vt de primis illis hominibus ita cogitarit; vt eos etiam rudiſſi-

Antiquitatis laus & auctoritas.

rudiſſimos faciat, & tales, vt nullam omnino Reip. aut ſocietatis humanæ memoriam habuerint, nedum artium, aut ſcientiarum. Quòd ſi ergo commentum hoc Academicum verum eſſet, quænam fides eſſet habenda veterum ſententiis, penes quos tanta omnium rerum imperitia dicitur fuiſſe? Num caprarios & homines montanos, quos ſolos reliquos à cataclyſmis ſuis fecit, tam putabimus omnium rerum peritos, vt illorũ ſententia magis ſtandum ſit, quàm eorum qui multis pòſt ætatibus in liberalium artium ſtudiis diu multumque ſe exercuerunt? Sani certè nihil habet, antiquorum opiniones laudare; ſiue humani generis æternitatem, ſiue Platonicos cataclyſmos admittamus. Atqui in Philebo ſic ſcriptum meminimus, vt non extollantur tantùm priſcorum hominum ſententiæ; ſed cauſſa etiam addatur luculenta, cur ita de vetuſtate ſentiendum. Socrates enim ibi docet, veteres ob id nobis eſſe præſtantiores, quòd diis propiùs habitarent: quod ſic explicat, vt omnem ſcientiam, omnemque veritatem à diis dicat emanaſſe, atque eam quidem ſuſcipiente Prometheo vnà cum lucidiſſimo igne. Quanto igitur propius homines ad Prometheum illum antiquiſſimum accedunt, tanto diis veritatem omnem humano generi largitis ſunt propinquiores, eoque magis audiendi.

Prometheus veritatis ſuſceptor.

Eſt quiſquam qui hic non apertiſſimè cernat, primum quendam hominem ſatum; atq; ab ipſo deinde progreſſum paulatim à luce veritatis ad tenebras tendentem? Quis autem hic fuerit Prometheus, per cuius manus ſcientiarum omnium principia à Deo homines acceperunt, à nobis eſt quinto Originum libro indicatum. Huc & illud referendum, quòd Saturnum veritatis patrem Romani dixerunt; quia nimirum à Saturno, quod nomen Nocho quoque tributum fuiſſe docui, omnis veritas originem duxiſſet.

Saturnus veritatis pater.

Quòd ſi ad ipſum vſque Adamum placeat adſcendere, inuenietur & is omnem ſuam ſcientiam à Deo accepiſſe: cui quò fuerunt poſteri viciniores, eò plus habuerunt ſolidæ & diuinæ eruditionis, quæ optimo iure auro comparatur, quo Saturni regnum veteres inſigniuerunt. Nam Adamus potiore ratione Saturni nomen, quàm Nochus, meretur: tametſi vtrique de ſingulari Dei gratia & conueniat, & à priſcis ſit attributum. De vtrouis igitur Saturno, ſiue de Adamo, ſiue de Nocho loquamur; rectè dicemus, hominibus per Saturnum omnem veritatem, omnemque ſolidam ſcientiam à Deo reuelatam.

Saturni nomẽ & Adamo & Nocho conuenit.

Verùm quæ de Prometheo à Socrate dicuntur, ad Nochum videntur propiùs pertinere, per cuius diuinum os purus omnium ſcientiarum fons ad omnes diluuio poſteriores limpidiſſima ſcaturigine defluxit. Hoc ergo fundamentum eſt communis omnium gentium conſenſus, quo vnanimi concordia, quotquot vnquam viri ſapientes fuerunt, venerati ſunt antiquiſſimorum hominum auctoritatem, vt ſanctam atque diuinam. Meritò igitur Socrates Hippiam, & in eo ceteros eiuſdem arrogantiæ ſophiſtas, ludibrio habet, quòd ſe Biante, Pittaco, Thalete Mileſio, & aliis vetuſtis viris doctiorem, ſapientiorem, & ad res gerendas meliorem putaret; quamuis illi non veterrimorum inter omnes, ſed inter Græcos dumtaxat, quos Ægyptij ſemper pueros eſſe dicebant, laudem mereantur. Timæus Locrus Pythagoricæ diſciplinæ ſectator, quam nos non ab Ægyptiis tantùm, ſed ab Hyperboreis etiam Abari docente plurima accepiſſe, non ſine magnis cauſſis, ſuſpicamur; id quod à Socrate de voluptate diſputante vetuſtiſſimis tributum dixi, clariùs exponit, dum de Laribus, ſiue Dæmonibus ageret. Credendum nimirum eſt, inquit, veteribus & priſcis, vt aiunt, viris, qui ſe progeniem deorum eſſe dicebant, itaque eorum vocabula nobis prodiderunt, noſſe autem generatores ſuos optimè poterant; ac difficile factu eſt, à diis ortis fidem non habere: quamquam nec argumentis, nec rationibus certis eorum oratio confirmatur; ſed quia de ſuis rebus notis videntur loqui, veteri legi morique parendum eſt. Hæc ille Ciceronis verbis de Platone conuerſis: quibus oſtenſum eſt, non auctoribus tantùm, ſed legis loco vetuſtiſſimas ſententias habendas eſſe: quod omnino friuolum eſſet, ac ſaniſſimæ cuique mentis viro omnia ad principia prima reſoluenti ludibrium, ſi vel humani generis æternitas, vel innumeræ aquarum illuuies admitterentur: cùm illo prima hominum origo excludatur; his illud fiat, vt primi homines omnium ſint imperitiſſimi, nec magis poſteris ſuis præferendi, quàm rudes paſtorum caſæ elegantiſſimis palatiis omni arte Græca expolitis. Si detur ergo Ariſtotele etiam laudante, antiquitati citra demonſtrationem credendum eſſe in iis quæ humanis rationibus nequeunt definiri, in quibus omnia illa ſunt quæ de mundi exordio & creatione à priſcis accepimus, confiteri neceſſe eſt, primos mortales

ab ipſo

Mortales primi ab ipſo Deo, vel eius Ruachis omnem veritatem edocti.

ab ipſo Deo, vel eius Ruachis ſiue ſpiritibus miniſtris omnem veritatem edoctos fuiſſe: quod niſi dicamus, nulla ratio legis ab omnibus æquè cõprobatæ poſſet inueniri. Compello hîc Proclum, compello Simplicium, num quid habeant quo hanc legem Pythagoricam, quo primam illam lucem Prometheo datam, id eſt, quo priſcorum hominum auctoritatem docere poſſint inter ſanctiſſima venerandam eſſe, niſi ad huiuſmodi aliquod hominum initium adſcendant. Id ſi faciant (vt factu neceſſarium eſt, niſi Ariſtotelem & Platonem duces ſuos turpi fuga deſerant) non poterũt ea quæ contra Moſem, & Pythagoram, & vetuſtiſſimos poëtas ſophiſticis impoſturis, & fragili fallaciarum contextu machinati ſunt, diutius tenere. Effectum itaque nunc hoc nobis eſt è concordi omnium ſapientum ſuffragio, vt & primos aliquos homines fuiſſe conſtet, & eos ipſos

Lingua vna tantùm, maſculo & feminæ principiò creatis, opus fuit ad communionẽ.

à Deo puram accepiſſe veritatem. Quòd ſi igitur duobus hominibus principiò creatis tota deinde terra maſculi & feminæ commiſtione potuit impleri; nec natura, nec Deus, naturæ opifex, fruſtra quidquam moliatur; non erit de pluribus in primordio factis cogitandum. Ad horum igitur communionem vna dumtaxat lingua opus fuit, cùm ea ſatis eſſet ad idola animis concepta, omnemque eorum compoſitionem exprimenda; ad quæ ſi plures linguas feciſſent, contra naturæ rationiſque decreta, ſuperuacaneam

Lingua prima vna fuit, & à viro facta.

ſibi quæſiuiſſent difficultatem. Vna igitur prima lingua fuit, & ea quidem à viro, vti à capite, facta; & tanto poſterioribus melior, quanto rerum omnium peritiorem habuit architectum; illum, inquam, qui ab ipſo Deo, nullis mediis canalibus, totum humanæ ſcientiæ fontem hauſit. Non eſt autem piæ de diuina bonitate & prouidentia cogitationi congruens, arbitrari, hanc linguã penitùs abiuiſſe in obliuionem: tum quia non dubium eſt, magna omnis ſapientiæ myſteria ea fuiſſe conſignata, quæ veriſimile eſt, Deum eiſdem notis ad poſteros tranſire voluiſſe, ne vlla ætas de tam benigno dono primis mortalibus benignè collato celaretur: tum quòd videam in omni ſæculo de prima lingua extitiſſe quæſtionem, quæ fruſtra inter gentes agitaretur, niſi inter varias locutiones eam adhuc quæ prima fuiſſet, putaſſent remanſiſſe, aut eius ſaltem tantas reliquias, quãtæ dignę eſſent, accurata inquiſitione: φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται ἥν τινα λαοὶ Πολλοὶ φημίξωσι, vt Heſiodi verbis, ab Ariſtotele ad aliud quàm quo dicta ſunt, tractis, vtar. Demus itaq. primam ad hæc vſq. tẽpora durare, vel eius ſaltem multas ſupereſſe voces: quo dato, illud addamus, de iis quæ modò de antiquitatis laude ſunt explicata,

Lingua prima perfectiſſima.

eam primam eſſe, quæ omnium perfectiſſima deprehendetur. Perfectiſſimam autem eam dicimus quæ quàm apertiſſimè, & quàm breuiſſimè, vnà cum ſono conuenientiſſimo, imagines animi, & earum compoſitionem dat intelligendas: cui ſi hoc accedat, vt eas rerum notas habeat quæ non ſolùm ſignificent res ipſas, ſed de iis illa etiam conſideranda exhibeant, quæ quàm plurimum adferant vtilitatis audienti, vel ad naturæ cognitionem, vel ad recta vitæ morumq. inſtituta, vel ad eam quæ ad primam cauſſam tendit ſolutionem; quid erit amplius de primatu eius hæſitandũ? Quoniam eius ſymbola voces eſſe dicuntur, tanto ſunt laudabiliora, quanto vtilium præceptorum maiorem habent fecunditatem; quæ optima eſt regula in ſymbolis tum fingendis, tum examinandis. Quod optimę proprium facio, vt ſit apertiſſima; eo excludo omnem intelligentiæ obſcuritatem, quæ maximè oritur vel è diuerſa eiuſdem vocis ſignificatione, vel ex ambiguo orationis ſenſu. Cùm enim eò omnis tendat locutio, vt animi noſtri ſenſa declaremus, ſiue, quod idem hoc loco ſit, interpretemur; quo de fine liber περὶ ἑρμηνείας nomen accepit: vitium in primis magnum cenſendum, cuius impedimento fiat, vt à ſcopo noſtro aberremus. Nam cùm in omni actione ea ſumma laus ſit, ſi ea ad finem optatum adſpiretur; neceſſariò erit maximè vituperanda quæ nos de propoſito fine fruſtratur. Quamobrem nullo modo ea lingua de perfectione laudanda quæ plurimum ad intelligendum dubitationis adfert; ſiue id de homonymorum frequentia, ſiue de ambigua orationis ſtructura, ſiue culpa vtriuſque contingat. Quintiliano, & aliis quotquot à communi ſenſu non recedunt, prima orationis virtus eſt in perſpicuitate; & id optima profectò ratione, cùm perinde ſit ſermone vti qui non intelligatur, ac tacere; imò multo etiam compendioſius: quòd Phauorinum Philoſophum eleganter, & non ſine ſale monuiſſe, ex Noctibus Atticis accepimus. Quòd ſi obſcuritas in quauis cuiuſuis oratione vitio vertatur, nec voces vllæ ſermonis nomen mereantur, qui animi cogitationem non interpretentur, quod ex Ariſtotelica inſcriptione deducitur: quid de

tota

tota aliqua lingua erit iudicandum, cuius ambiguitas frequentem pariat obſcuritatem? Certè vt oratio, quæ non perſpicuè loquentis mentem interpretetur, ſed ipſa ad interpretandum facta, alia adhuc egeat interpretatione; maximam apud omnes incurrit reprehenſionem: ita lingua multis homonymis & ambiguis vocum compoſitionibus obſcura, & intellectu difficilis, effugere non poteſt vituperationem. Non video igitur, quînam defendi queat eorum aſſertio, qui Hebraicam linguam omnium primam eſſe contendunt: cùm nulla ſit pluribus difficultatibus implicata, nulla plus habeat ambiguitatis, nulla caliginem profundiorem; adeò vt in eius abyſſis perſcrutandis non Delio natatore, ſed Delio vate frequenter opus eſſe videatur. Hinc tanta interpretum eius diſcordia, tot obſcuræ incertæque de verborum orationumque intelligentia coniecturæ: quas qui compendio nouiſſe volet, Lexica ipſorum conſulat, in quibus paucas voces videbit vnius dumtaxat notationis. Scio equidem bene ab Ariſtotele dictum, res eſſe infinitas, vocabula finita; & idcirco neceſſarium, vt vnum idemque nomen plures res deſignet: Verùm ex eo ipſo colligitur, tanto minus obſcuritatis in linguis fore, quanto maior fuerit copia verborum ſigillatim res ſignificantium, quæ quàm poteſt proximè ad rerum multitudinem accedat. Prima itaque linguæ laus ex eius diuitiis ſumetur; quibus videlicet id conſequi poſſit, vt de rebus clarè diſtinctéque, quæcumque in cuiuſquam mente verſantur, exponat. Qua de cauſſa multum perfectionis Hebraicæ deeſt, in qua tanta eſt paupertas, vt in ea, veluti in pauperrima domo, idem inſtrumentum ad diuerſos omnino vſus ſit accommodandum. Nec verò inde modò ambiguitatis caliginiſque plurimum in ea videmus exoriri, ſed ex ipſa etiam vocum connexione atque ſtructura; quæ non rarò facit, vt eandem orationem alius aliter interpretetur: quod neminem latère poteſt, qui vel obiter D. Hieronymi ſcripta cognorit; tametſi numquam quicquam Hebraicæ linguæ, ne primoribus quidem labris, deguſtaſſet. Vel ad hunc igitur, vel ad doctiſſima Pagnini commentaria eos amando, qui exemplis eiuſmodi obſcuritatis volent abundare: nobis hîc ſufficit indicaſſe, ei linguæ ſummam perfectionem tribui non poſſe, quæ tot tenebris eſt inuoluta, vt alius aliud ex eadem oratione reddat. Pòſt, ſi Deus cœptis affulgeat, de his latiùs; dum docebo, quî quàm plurima Hebræorum vocabula de Cimbrica lingua deducta ſint. Iam nec ſumma laus ei adſcribenda linguæ, quæ in pronunciando magnam habeat difficultatem; quam in Hebraica eſſe, D. Hieronymus ſatis declarauit, dum verba eius ſtridentia anhelantiaque dixit. Porrò Græcam & Latinam nemo hactenus auſus eſt primam vocare; cùm Latini plurima ſe à Græcis accepiſſe fateantur; & Græci clara voce clament, Barbarorum linguam ſua eſſe vetuſtiorem.

Lingua Hebraica difficultas, ambiguitas, paupertas, &c.

ACCEDAMVS igitur ad eam, quam nos primam eſſe contendimus, videamúſque quot rationibus ceteris præſtet. Primùm, in lingua Cimmeria, omnia vocabula primogenia ſunt monoſyllaba, eorumque tanta copia, vt in ea interpretanda nulla vmquam exiſtat ſententiarum diuerſitas, quam frequentem apud Hebræos eſſe, nemo diffitetur. Hac igitur parte, Hebraicam vocum copia, Græcam & Latinam breuitate vincit, in qua alteram perfectiſſimi ſermonis laudem collocamus. Vt autem & breuiſſima eſſet & copioſiſſima, quod mirabile videtur, inde conſecuta eſt, quòd pluribus conſtet elemẽtis, quàm vlla ceterarum. Diphthongos enim plures multo habet, quàm aliæ; & omnes pariter ceteras vna conſonante ſuperat, quam duplex digamma licet vocare. Quanto autem plures ſunt litteræ, tanto plures erunt earum complexiones, & inde pluria vocum diſcrimina. Atque ſit hæc prima excellentia, qua reliquis anteferatur omnibus, breuitas nimirum copioſa, in maxima conſiſtens vocum monoſyllabarum multitudine, ad quam Hebræa non potuit adſpirare; tum quia litteras pari numero non haberet, tum quòd ab architecto ſuo in eas anguſtias fuerit coacta, vt nullum vocabulum à vocali ſumat exordium, niſi Aleph à Grammaticis impetret, ne à vocalium albo eximatur; quod ægrè conſequetur, niſi puncta ipſi ſubſcripta fruſtra poſita fateantur: quod eos facturos non opinor, quoniam dicunt, primum hoc elementum non aliam vim apud Hebræos habere, quàm vt ſpiritum lenem notet. Quanto igitur nobis vocum maior numerus eſſe poteſt, quibus à quauis conſonante, etiam ab illa qua ceteræ linguæ carent, à quibuſuis vocalibus, à quibuſuis diphthongis verba incipere nihil vetat. Deinde quamuis monoſyllaba ſint primogenia noſtra vocabula, trium tamen

Lingua Cimbrica excellentia.

Lingua Cimbrica breuitas & copia.

conſonantium numero non ſunt adſtricta: quo fit, vt magis multo, quàm Hebræi, quibus ea ferè lex eſt, abundemus. Non tantum ergo nihil eſt, in quo nobiſcum de primarum vocum copia certent, ſi modò quas habeant, quod pòſt videbimus: ſed ne in breuitate quidem earum vllo modo lingua ipſorum cum noſtra eſt conferenda. Quod enim iactant, verborum radices trium dumtaxat eſſe litterarum; id falſiſſimum eſt, niſi vocales à litterarum numero excludant: quod quàm ineptum ſit, & ridiculum, nedum rationi omni contrarium: non puto cuiquam omnino obſcurum eſſe, qui modò litterarum naturam atque definitionem non ignoret. Pleræque enim omnes eorum radices, quas שָׁרָשִׁים vocant, duas ſyllabas comprehendunt, eo quòd duabus vocalibus efferantur, quarum nihil intereſt, ſiue ſcribantur in recto litterarum contextu, ſiue per puncta ſubtùs annotentur; quoniam ipſa ſcriptura prorſus externa ſit & litteris, & earum pronuntiationi: qua de re & antè nonnihil, & mox latiùs. In noſtro ſermone nullum ferè vocabulum inuenias, quod quidem non aliunde vel deriuatione, vel declinatione, vel coniugatione, vel compoſitione defluxerit, duabus ſyllabis conſtans: adeò vt hac parte immane ſit, quantum Hebraico præſtet, ſi illud quidem principium verum ſit; fruſtra pluribus fieri, quod æquè bene fieri poteſt per pauciora. Atqui nuſquam magis compendium & quærendum & laudandum, quàm illic, vbi longior mora vel pretioſiſſimæ rei trahit iacturam, vel moleſtiam magnam ei qui longiùs ducitur, apportat: quorum vtrumque in prolixiore ſermone accidit; quia nec tempore quicquam ſit pretioſius, nec menti naturæ omnium rerum celerrimæ quicquam odioſius, quàm diu à ſcopo ſuo diſtineri. Huc ſanè Hebraicæ linguæ inuentori ante omnia fuiſſet oculi acies dirigenda, ſi optimus optimæ perfectiſſimæque linguæ voluiſſet videri fabricator: quod quia non fecit, non poteſt opus eius de ſumma perfectione laudari, & idcirco nec primum haberi. Quamobrem ſi ceteræ linguæ cum noſtra in hoc breuitatis certamen deſcendant; omnium ſuffragiis, nullo omnino intercedente, à noſtra in triumphum ducentur. Hoc igitur nunc ſtatuamus trophæum, ſermonem noſtrum & eſſe copioſiorem, & dilucidiorem, & breuiorem, quàm Hebræum: & præterea omnes ceteras linguas à noſtra vinci ſuccincta primarum vocum breuitate; quæ tanta eſt, vt maior eſſe non poſſit. His dotibus præclariſſimis accedit ſumma quædam pronunciationis lenitas, quæ quanta ſit, ab aduerſariis potius, quàm à fautoribus ſciſcitemur: qui vno ore omnes conclamabunt, locutionem noſtram tam eſſe lenem, vel, vt ipſi dicent, mollem, & celerem; vt feminas potius, quàm viros, videatur decere. De celeritate non eſt quod amplius agam, cùm ea naſcatur de monoſyllaborum frequentia, adeò non vituperanda, vt nihil videam, quod maiorem laudem loquenti conciliare queat, quàm ſi breuiſſima oratione volucrem mentis celeritatem quamproximè aſſequatur; nec interim in breuitate pariat obſcuritatem, vitium apud Hebræos creberrimum. Cicero in voce duo ſequenda monet; vt clara ſit, vt ſuauis: quorum vtrumque à natura quidem petendum; ſed claritatem exercitatio, ſuauitatem imitatio preſſè & leniter loquentium augebit. Quamobrem lenitas inde nobis oritur, quòd primus linguæ architectus eam dederit litterarum pronunciationem, quæ quàm minimè vocalia inſtrumenta fatigaret, omnem aſperam eorum colliſionem, omnem flatum vehementiorem, omnes ſibilos acutiores, omnem ex imis præcordiorum viſceribus ſuſpirationem, omnia denique, quæ extrema, vel in dentibus, vel in labiis, vel in palato, vel in gutture, vel in lingua videri poſſunt, diligenter euitans. Hinc fit, vt non lenis modò ſit, quod malè ſani homines vitio vertunt: ſed hoc etiam munus iis conferat qui à teneris vnguiculis ea vti aſſueuerint, vt quamuis aliam linguam facillimè addiſcant, quòd videlicet ex ipſa mediocritate facilis ſit ad quæuis extrema declinatio. Nemo eſt, qui noſtrates norit, cui non ſit apertum, quàm breui temporis ſpatio alias linguas & addiſcant, & vernaculis ſonis enuntient: quod non perinde alterius gentis hominibus contingit. Huius tamen ita promptæ ad diſcendas quaſuis linguas facultatis non ipſa tantùm lenitas, in media quadam & æquabili vocalium inſtrumentorum motione conſiſtens, cauſſa videtur; ſed aliud quiddam ad eam accedit, ex ipſa litterarum & diphthongorum, quas plures quàm ceteræ nationes habemus, copia petitum; quæ facit, vt inſtrumenta omnia in ſermone noſtro ad plures ſonos, quàm in alio quouis, exerceantur: Vnde neceſſe eſt maiorem quoque ad quiduis ore proferendum facilitatem exoriri.

Linguæ Hebraicæ radices.

Linguæ Cimbricæ lenitas & celeritas in pronunciando.

Eiſdem de cauſis fit, vt alterius gentis homines difficulter noſtrã linguam loqui diſcant: quia videlicet medium in leni vocalium organorum motione tenere, homini nõ aſſueta, perarduum ſit; ac deinde non minoris ferè negotij, eos litterarum, diphthongorum, ſyllabarumque ſonos imitari, quos quis in ſua lingua nec audiuerit vmquam, nec didicerit proferre. Quòd ſi accuratè in hac conſideratione verſemur, eò nos trahi videbimus, vt non poſſimus nõ fateri, eam linguam primas ſibi ſuo iure vindicare, in qua tanta lenitas & pronunciationis mediocritas vnà cum maxima vocum varietate ſeruatur; vt inde ad quamuis aliam bene ſonandam homines euadant promptiſſimi. Vt autem hæc facilitas diſcendi partem ortus ſui habet ex magno & copioſo vocum diſcrimine; ita ex eodem fonte copia verborum emanauit; vt eiuſdem linguæ proprium eſſe videatur, & vocabulis abundare, & hominem pręparare ad quemuis alium ſermonem aptè concinneque formandum. Quid quòd ex eadem ſcaturigine illud etiam deriuetur, vt ſermo ſit diſtinctiſſimus vocum plurimarum varietate, atque idcirco ſummam etiam conſequatur perſpicuitatem: nec hanc tantùm habeat vnà cũ prioribus dotibus; ſed hoc etiam adiungat, vt hæc omnia poſſideat in ſumma primarum vocum breuitate? Profectò ita me Mercurius amet, vt non video quid ad has laudes vlteriùs addi poſſit. Luciditſſima eſt lingua noſtra, nullaque orationis ambiguitate impedita: eadem rurſus omnium breuiſſima, eadem copioſiſſima, qua de parte lucis eſt origo, eadem leniſſima, minimaque organorum moleſtia proferenda; eadem hominem maximè idoneum reddit ad quamuis aliam & addiſcendam, & bene modulandam. Num quid aliud adhuc deſideratur ad ſummam linguæ perfectionem? equidem libenter & obuiis manibus herbam ei porrigam, qui me docebit, vſquam gentium linguam eiuſmodi inueniri, quæ pluribus vna dotibus ſit ornata. Contrà mihi concedi rogo, quod optimo iure poſtularem, vt pari ratione tantiſper mihi liceat ſermoni noſtro vernaculo palmam & primas aſſerere, dum quis hæc omnia ſimul in vna eademque lingua mihi monſtrarit. Verumenimuerò vt primarum vocum breuitate & copia ceteras ſuperat omnes; ita aliud quoddam habet proprium & ſuum artificium; quo ſolo, quamuis ceteroquin non eſſet aliis præferenda, tamen omnium clariſſima eſſet pronuncianda. Conſiſtit autem hoc in vocum conuerſione, è qua non magna tantùm verborum copia, ſed plurimarum etiam rerum notitia comparatur. Cùm primus nominũ in ſermone hoc factor videret, innumeram eſſe rerum multitudinem, quæ nulla vocabulorum varietate poſſet æquari; hoc ſibi in primis curandum putauit, vt ſaltem quàm proximè poſſet, rerum formas (quandoquidem ſingulorum nullus ſit finis) aſſequeretur: in quo non ſatis eſſe credidit, plurimas litteras, & diphthongos, & ſyllabas, è quibus prima nomina fierent, ſibi finxiſſe; niſi & illud vlteriùs addidiſſet corollarium pulcherrimum & ſumma admiratione digniſſimum, vt voces quamplurimæ, non ſolùm prorſæ, ſua haberent ſignificata; ſed etiam verſæ. Magna ſtatim hinc exſtitit orationis vbertas, qua ceteras linguas noſtra ſuperaret, vel hoc ſolo nomine admirabilis: ſed eo admirabilior, quòd ſic intra certos limites coërceatur, vt hæc vocabulorum conuerſio non numerum tantum nominum augeat, ſed præterea aliquid indicet quod maximè faciat ad naturã eius rei cognoſcendam, quæ voce prorſa denotatur. Qua in re hic rurſus fuit delectus, vt illud voce verſa ſignificaretur quod vtiliſſimum ad cognoſcendum fabricator exiſtimauit. In quibuſdam igitur ad naturæ ſcientiam reſpexit, in qua contrarium contrarij appoſitu & collatione clarius euadit. Hinc non pauca ſunt vocabula quæ conuerſa prioris ſignificatus contrarium notant. Exempli gratia, Or omnem perfectionem ſignat, qua de re pòſt plura; Ru vox verſa imperfectum. Eel quidquid pulchrum eſt, & quauis in re delectabile; Lee quidquid turpe & moleſtum. Mat indomitum; Tam domitum; & idem in aliis multis, quorum nonnulla in Originibus meis explicata, & plura pòſt ſuo loco explicãda. In aliis quibuſdam vocibus aliud longè ſecutus eſt architectus. Videbat nimirum nonnullis in rebus pluris eſſe, ſi conuerſa voce non contrarium, ſed illud ſignificaretur quod rei recta voce denotatæ ſic eſſet naturæ lege coniunctum, vt nec hæc ſine illo, nec illud ſine hac perfectionem ſuam poſſit tueri. Hoc conſilio vſus eſt in Taem & Maet, vocibus in Amazonicis à me examinatis; quarum illa decorum, hæc modum ſiue menſuram ſignificat, citra quam nihil eſt decorum. Eodem modo Ken & Nek / Wort & Trow / Tes & Set / & alia id genus, tum, cùm opportunum erit, latiùs conſideranda. Sed hanc faciendorum nominum

Lingua Cimbrica maximè diſtincta, perſpicua & breuis.

Vocum Cimbricarum cõuerſio ſingularis & admirabilis.

Or / Ru.

Eel / Lee.

Mat / Tam.

Taem / Maet.

Ken / Nek.

Wort / Trow.

Tes / Set.

minum formulam, in diuiniſſimis rebus, & altiſſima inquiſitione dignis, plurimùm obſeruauit; quo nimirum tanti artificij monitu, diutius iis immorandum videremus; & ſæpius eadem veſtigia, modò prorſa, modò verſa relegeremus; perinde atque illi faciunt, qui loci cuiuſpiam amœnitate capti, pedem inde dimouere nequeunt: ſed eundo crebriùs redeundóque continuò oculis oblectamenta captant, & velut attonitis animis hærentes, ſeſe à præſentibus deliciis diuellere non poſſunt. Quod enim Æneæ belli Troiani picturam oculis perluſtranti accidiſſe Poëta fingit,

Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,
Dum ſtupet, obtutúque hæret defixus in vno;

id primus nominum noſtrorum fabricator in contemplatione rerum diuinarum ſibi euenire cernens, talia voluit iis nomina dare, vt ſiue antrorſum, ſiue retrorſum ea pronunciarentur; tamen in earundem rerum conſideratione detinerent audientem, vt in celeberrima illa Athenienſium porticu, quam ob picturæ varietatem Pœcilen vocabant, vltrò citróque ſpectatores ambulantes modò ab Athenienſium acie aduerſus Lacedæmonios inſtructa, quam prima pictura repræſentabat ordine, vſque ad vltimam paulatim pergebant; ita rurſus ab vltima conuerſi retrò eadem legebant, ſimulacra ſingula contrario ac priùs ordine diligenter intuendo: ita in litteris quoque diuinorum nominum nos verſari voluit hic noſter de quo agimus, vocalis pictor, non contentus, vt vna directa elementorum auditione, tamquam ſaturi, diſcederemus; ſed hoc præterea requirens, vt eadem vocabula conuerſa auſcultaremus. Quoniam verò qui in Pœcile, vel alia porticu, vel templo, etiam pictis imaginibus intuendis operam dant, ſæpius eadē veſtigia legunt relegũtque: credimus id genus voces, quæ hoc modo prorſæ verſæque ſunt audiendæ, Ichnæas à priſcis Orphicis dictas fuiſſe; eo quòd animum eiſdem veſtigiis ad primum contemplationis caput à parte poſtica reducant, vt à nobis in Themide Ichnæa latiùs eſt oſtenſum. Quid quòd & illud hac ſua vocali pictura nos monere voluit, quod Proclus quadrageſimo Theologiæ theoremate expreſſit; res omnes, vt à primo ſuo principio procedunt, ita conuerti: quod magnus ille Dionyſius quoque de diuinis nominibus ſcribens, expoſuit, dum eiſdem gradibus omnia ad ſummum bonum reducit, quibus ab eo progrediuntur. Hinc licet, quaſi è ſumma artificioſæ nominum fabricationis arce, inſignem architecti ſollertiam, & admirabilem, & verè ſtupendam diligentiam intueri; qui tam accurato in omnibus eſt verſatus delectu, vt aliis quidem alia ratione nomina moliretur: in iis verò quæ ſuprema ſciret, ſic ſe geſſerit, vt non ſolùm quæ vellet, aptè congruéque notaret; ſed illud etiam adderet, quo moneremur, in eorum conſideratione diu eſſe commorandum, & modò ab anteriore, modò à poſteriore parte contemplationem exordiendam. Iam & illud hac ſua in nominibus condendis regula nos monuit, vt in diuinis per ſcalam eam, quam Iahacob in ſomnis viderat, ſæpius aſcendamus & deſcendamus, ſupplicéſque Deum oremus, vt Angelos nobis det, qui nos à ſummis ad ima, & ab imis ad ſumma, & ipſorum caput, in quo finis eſt ipſius ſcalæ, per cognitos ſibi gradus & ducant & reducant. Hanc viam Ariſtoteles in prima ſua Philoſophia quæſiuit, dum ab inferioribus ad ſupremum cauſſarum apicem contendit; & ab eo rurſus gradatim ad ſingulas res inferiores ipſum Eſſe deducit. Videmus itaque in hac conuerſione non tantùm rerum diuinarum naturam explicari; ſed viam etiam nobis commonſtrari, quæ in diuinis ſit tenenda, qua nimirum ſic à principio in diuinis deſcenſus fiat, ne in poſtremis hæreamus, ſed mox ab extremis ad ipſum initium reuertamur. Verùm quia latiùs ampliſſima huius artificij maieſtas patet, quàm vt vel ſummi oratoris eloquentia ſatis queat explicari: nolui hoc loco ad eam verbis meis ieiunis extollendam fruſtra laborare; ſatis me feciſſe arbitratus, quòd ianuam primus reſerarim, per quam diuinioribus ingeniis ad ſecretiſſima ſacrorum myſteria aditus pateret; pluribus exemplis ad loca ea reſeruatis, quæ eorum expoſitionem poſtulabunt. Porrò & aliud maximus linguæ noſter princeps in nominibus nonnullis ad rerum notationem formandis obſeruauit, non minùs quàm id quod modò dixi, admiratione dignum, vt eſſent videlicet circulo in ſe redeunte comprehenſa: qualia ſunt, Ses/ Regen/ Tot/ Anna/ & ſi qua ſunt ſimilia, quæ conuertuntur illa quidem, haud ſecus ac Ichnæa, verùm non cognatũ quippiam priori ſignificato, ſed idem omnino, vti ſonus idem eſt, denotare cernuntur: quæ vt pauca ſunt, ita nullis rebus, niſi

Ichnææ voces vnde dictæ.

Ses. Regen. Tot. Anna.

niſi perpetuo circulo in ſe redeuntibus, & cetera etiam perennantibus aptantur. Generatim igitur hæc de hac vocum conuerſione dicta ſint, non ad id ſolùm ſpectantia quo ſermonis noſtri, quàm vllius alterius, artificium magis docerem; ſed eò præterea conductura, quò de hac peculiari, & propria, & prorſus ſua linguæ noſtræ formula cognoſceretur, quænam voces è noſtra officina ad alias gentes commigrarint. Quæcumque enim verborum moneta hunc characterem præferet, eam nobis, tamquam vernaculam, aſſeremus: quandoquidem ſciamus, nec apud Latinos, nec apud Græcos, nec apud Hebræos, ſimilem eſſe vocum cudendarum rationem. Quòd ſi qua tamen apud illos reperiatur, ea nullo conſilio certo, nulla ratione ſibi adamuſſim conſtante; ſed caſu & fortuitò ita facta cernetur, vti in Sed coniungendi nota, & Des verbo ſecundæ perſonæ accidiſſe, quiuis animaduertit. Idem iudicium de Ad & Da, quorum ſignificata nec contraria ſunt, nec connexa, nec eadem. Sedes quidem nomen eſt in ſe circulo reuerſum, verùm è prima lingua deriuatum, vt alibi in Senarij examine dicetur, & nihil alioqui perenne eo denotatur, quod circularium nominum proprium eſt. Eodem modo apud Græcos ἀνὰ circulum quidem abſoluit, ſed nihil eius notationi ſubiectum, in quo vel æternitas ſit conſideranda, vel quippiam in ſe perpetuò reuolutum. Memini apud Euſtathium legere, has voces Græcas θυμὸς καὶ μυθὸς prioribus ſuis ſyllabis inter ſe opponi, quod quidem nemo non videt; verùm quid in eo eſt artis, aut quod ſymbolũ aliquam ſaltem vtilitatem adferens audienti? Num fortè, quòd ſermo, qui antiquiſſimis Græcorũ generatim μυθὸς dicebatur, vt apud Homerũ licet videre, ei animæ parti in qua ira ſedem habet, aut aduerſetur, aut ſic naturæ vinculo cohæreat, diſiungi vt haud poſſit? Caſui, non rectæ rationi, hæc vnius in duobus nominibus ſyllabæ conuerſio debetur: quæ licet rationis aliquid haberet, non tamen conuerſionibus noſtratibus ſimilis eſſet, quæ totum nomen, non eius partem, retrò vertunt. Non ignoro, Hebræis metatheſim quoque litterarum in quibuſdam verbis in vſu fuiſſe; at in ea non mutatur ſignificatio: quo fit, vt nihil apportet vlterioris intelligentiæ, quæ quidem ad fabricationis noſtratis normam queat applicari. Quòd ſi quis obiiciat שֵׁשׁ nomen numerale feminini generis non ſolùm conuerti, ſed etiam circulare eſſe; ei reſpondebo, caſu id accidiſſe, eo quòd in maſculino genere conuerſio hæc non admittatur, in quo שִׁשָּׁה dicitur, quod verſum faceret הָשֵׁשׁ, longè à priore diuerſum. Atqui ſi teretem numeri naturam Hebraici ſermonis factor ſpectaſſet, id potiùs in maſculino genere, quàm feminino, feciſſet; niſi maiorem feminæ, quàm viro, honorem tribuendum eſſe cenſeamus. Verùm ſit ſanè vt Hoſtiam ſiue Veſtam hac dignitate potius, quàm Apollinẽ, aut alium quempiam deorum antiqui honorarint; non tamen inde conceſſero, ex Hebræorum officina hoc vocabulum primum prodiiſſe: quia certò ſciam, vt pòſt ſum oſtenſurus, primogeniæ Cimbrorum linguæ vernaculum eſſe, atque inde ad Hebræos, & Græcos, & Latinos vario ornatu veniſſe, הָמָה verò, quod ſonare notat, quamuis videri prima fronte poſſit, nec conuertitur, quia in aliam vocalem verſa deſineret, quàm à qua recta vox incipiebat, nec cõuerſionis circularis habet cauſſam, niſi in ſono quo vix cuiquam fugacius aliquid perpetuitatis eſſe credatur. Non diffiteor interim, quædam etiam ſic apud Hebræos tranſponi, vt aliud prorſa, aliud verſa notent: at in iis tamẽ non ea quam dixi, conuerſionis ratio ſeruatur. Exemplum ſit in alio nomine numerali חָמֵשׁ quo quinque ſignificantur, cui שָׂמַח ex diametro oppoſitum videtur, ſi Hebræi conſulantur, qui nullam habent punctorum rationem: quod tametſi ipſis daremus, non tamen id quod verſa voce ſignatur, quidquam facit ad quinarij naturam, nec item quinario repugnat. Quid enim Lætitia vel ad quinarium, vel contra quinarium? Ceterùm vt aliquid hîc eſſet in rebus ipſis ſignificatis vel aduerſitatis vel cognationis, non tamen in his vocibus conuerſionem noſtratibus vſitatam agnoſcimus; propterea quòd non de ratione vocum ſcribendarum, ſed de vocibus pronunciandis ſermo noſter agat; ſitque non ſemel à nobis dictum, vocibus ipſis ſcripturam prorſus eſſe externam. Quinque Chameſch Hebræus vocat, quod conuerſum Schemach faceret de ratione pronunciationis: at Lætari non Schemach efferunt, ſed Samach: ita vt non ſolùm vocalibus, ſed conſonantibus etiam hæ voces differant; cùm nos litteras, non figuris, ſed ſonis diſtinguamus, nihil ſolliciti, an diuerſos ſonos eadem figura Hebræus pingat. Quamobrem neque מָעֵן & נָעַם ad conuerſionis noſtræ formulam admittemus, eo quòd prius Moen vel Maen

efferatur; cui Neam ſiue Neom opponeretur, non Noam, ſiue Naam: quamuis ne horum quidem ſignificata ſint omnino oppoſita; niſi quis tamen malè ſit in Categoriis exercitatus, vt nolle, & dicere ſiue loqui, contraria exiſtimet. Eodem modo nec bene conuertuntur, nec vllam conuerſionis cauſſam habent מֶלֶךְ & כָּלַם, non conuertuntur; quia non dicitur כָּלַם, quod de priore voce conuerſum eſſet, ſed כָּלַם. Conuerſionis cauſſam non habent, quia nec ſignificata contraria ſunt, nec inter ſe cognata, cùm prius regnare ſignet, poſterius erubeſcere, ſiue pudore affici: viderentur etiam fortaſſis נָתַח & חָתַן opponi, quæ nec litteris, nec ſignificatis alteri alterum opponuntur; cùm prior vox in eam deſinat vocalem, à qua poſterior non incipit; & hæc quidem connubio iungi, illa in fruſta concidere ſignetur; quæ, non video, quam habeant inter ſe vel cognationem, vel pugnam. Item מָלֵא & אִלֵּם nec conuerſione litterarum, nec recta oppoſitione rerum ſunt contraria; quorum illud plenum eſſe ſignat, hoc mutum. Sumat igitur ſibi hanc lingua noſtra perfectionis artificijque laudem, quod ſola huiuſmodi conuerſione ſit inſignis: qua cùm nihil ſit in omni vocum compoſitione admirabilius; non iniuria hac parte ſermo noſter reliquis linguis præferetur: & idcirco prior vetuſtiorque illis habeatur neceſſe eſt, ſi iuxta Academicos quidem & Peripateticos, & omnes ceteros ſapientiæ profeſſores, ab excellentia ſua cuiuſque rei vetuſtas colligatur. Verumenimuerò quia ſuum cuiq. pulcherrimũ eſt, nec formoſiſſimum puerũ teneriùs à matre ſua, quàm ſimij catulum à ſimia, cernimus amari; alias notas, quibus de linguæ noſtræ principatu conſtet, adducam.

Lingua Latina in antiquitatis certamine Græca poſtponenda.

Id in primis extra controuerſiam eſſe, & ab omnibus teneri cerno, Latinam linguam in antiquitatis certamine Græcæ poſtponendá eſſe: propterea quòd Latini à Græcis complures voces mutuentur, Græci à Latinis nullas. Quotquot enim vocabula vtrique nationi communia eſſe Grammatici deprehendunt, ea ad Latinam linguam è Græca veniſſe vno ore omnes confitentur.

Lingua Gallica, Hiſpanica, & Italica poſteriores Latina.

Eodem modo nemo dubitat quin hodiernus Gallorum ſermo Latino ſit poſterior; quando clarè quiuis perſpicit, in communibus vocabulis primogenias ſignificationis rationes è Latina lingua petendas eſſe. Idem cernitur in Hiſpanico & Italico ſermone, vbi nemo ambigit, quin communes voces à Latinis deriuentur; tametſi eam ſint paſſæ commutationé quam gentis vtriuſque imperitia inuexit. Quod igitur in his linguis perſpicuum eſt, id in aliis quoque linguis quibus voces quæpiam ſunt communes, eueniſſe dicemus. Stultum enim ſit, ſic opinari, vt caſu dicamus vocabula eadem eiuſdem eſſe in diuerſis linguis notationis: & licet id in aliquot fortè accidiſſe daretur, in plurimis tamen, vt caſus dicatur valuiſſe, Peripatetici non admittent. Quamobrem quibus in linguis multæ voces communes eſſe deprehenduntur, in iis quæ prior alia ſit, non fuerit difficile iudicare. Nobis itaque negotium erit, non ita, vt principio videri poſſet, arduum, in linguæ noſtræ vetuſtate comprobanda; ſi ceteris linguis omiſſis, Hebræam, Græcam & Latinam dumtaxat ei conferamus: propterea quòd ſermoni noſtro plurima ſint cum his tribus linguis communia vocabula; quorum rationes ſi docuero apud ſolos noſtros vernaculos inueniri, nihil amplius fuerit de principatu ambigendum.

Verba à verbis quomodo fiant.

Hîc tamen illud præmonendum quod Varro ex Chryſippo, Antipatro, Ariſtophane, & Apollodoro ſibi ſumſit, verba à verbis declinatione quadam fieri, litteris aliis adſumtis, aliis reiectis: cuius rei cauſſa in eo eſt, vt quæ deriuantur, alia ab illis fiant à quibus manant; cùm citra eiuſmodi mutationem voces eædem manerent. Huc & illud ſpectat quod aliæ gentes alio fine voces ſuas claudant, & quarundam litterarum loco alias ſubſtituant:

Litterarum mutationes.

vt dum Latini Lucianum dicunt, Græci Λουκιανὸν efferunt: qua in voce loco prioris V diphthongus eſt, loco poſterioris O paruum. Pro Quintium, Κόϊντον efferunt; eo quòd Q littera & V conſonante carent. Eodem modo vbi noſtrates duplex V, ſiue digamma duplex habent, Latini ſimplex digamma & ſonant & ſcribunt.

Wijn. Wal. Wan. Wie.

Quod enim nobis eſt Wijn/ illis eſt Vinum; quod nobis Wal/ illis Vallum; quod nobis Wan/ illis Vannus: Græci digamma V carentes, pro Win/ οἶνος efferunt. Huius noſtratis litteræ loco quandoq. Qu habent Latini, pro Wie Qui dicentes: quod apud Hebræos etiam aliquando cernas, qui pro Wacht/ quod eſt Exſpectat, קוה dicunt; & pro Wort/ quod eſt Fit ſiue contingit, קרה efferunt; & pro Wijſheit/ quo certiſſima veritas notatur, קשט dicunt. Sed de id genus mutationibus, nobis ſuo loco plura ſunt dicenda: hoc ſatis eſto monuiſſe, eiuſmodi varietatem originis inueſtigationem impedituram eſſe, niſi diligẽter fuerit animaduerſa. Quis neget,

negét, Vim & *βιὰν*, ruſus *βιόω* & Viuo, ad eaſdem pertinere radices; in quibus tamen Beta pro V digamma poſitũ videmus? Eſt porrò & aliud in memoriam è Græcis & Latinis Grammaticis vocandum; non raro veras rationes in vocabulis iam olim obſoletis latere: vt ſi Latini Mane dicāt cũ Varrone à Manum, quod bonum veteribus ſignificat, veniſſe. Infinita ſunt tum apud Græcos, tum apud Latinos, huius generis exēpla; adeò vt plurima verba & nomina, in nomina iam olim perdita, in conſtructione tranſeant. Sic Sum præteritum perfectum facit fui, à fuo; & Iupiter in Iouem exit, & *ζεὺς* in *δία*. Verùm quia hæc notiora, quàm vel ipſis Grammaticorum pueris ſint occinenda, non egent maioris illuſtrationis. Hoc ſolo opus eſt ſcito, frequentiſſimè primas plurimarum vocum radices inter deſuefacta vocabula inueniri; & ſi vſquam alibi, hîc vel maximè, Horatianæ illi admonitioni, quam antea commemorauimus, locum eſſe, qua cecinit, alia aboleri, alia nomina iam intermortua renaſci. Vt autem multarum vocum vel in præteritis, vel in obliquis caſibus veſtigia remanſerunt; ita in compoſitione & deriuatione reliquias quaſdam cernas vocum iam olim longa deſuetudine abolitarũ. Quamobrem & illud nobis ſumemus, quod à Græcis iuxtà ac Latinis vſurpatum videmus; vt è deriuatione & compoſitione multarum vocum ſignificationes æſtimemus, tametſi ipſa prototypa nomina ſunt obſoleta. Ne miretur ergo quiſquam, ſi Nos noxam interpretemur; quandoquidem Onnoſel is in communi loquendi conſuetudine vocatur, qui ſine noxa eſt. Iam quia linguæ noſtræ architectus copioſiſſimam vocum ſiluam fecit; non mirum eſt, ſi non omnes eandem rem notantes ſint conſeruatæ apud omnes. Equus multa nomina ſortitus eſt è varia conſideratione vel naturæ, vel ſeruitiorum, quibus homines ſolet adiuuare: aliis enim Teutonis Ros/ aliis Hors / aliis Guil / aliis Pert/ aliis Mar/ aliis alio nomine vocatur. Quamuis igitur nobis Mar nunc ſiue Mer in vſu non ſit; eſt tamen Meri/ pro equa, vocabulum vſitatum. Quid quòd in tranſlato ad aliud vocis vſu antiqua hactenus ſignificatio deprehenditur, dum Mar pro incubo in hanc venit orationem; de Mar rijt hem/ id eſt, equus eum equitat. Eodem modo domum alij Huis/ alij Hom/ alij Heim vocant; nec mirari debèmus, ſi non omnes omnibus his vocibus vtantur: ſatis eſt, apud Teutones alios aliam in vſu eſſe, & earum cuiuſuis rationem in Teutonica lingua inueniri. Huc ſpectat & illud non parui vſus præceptum, vt è linguis, quas certò ſcimus ex alia quapiam lingua natas eſſe, nominum deſuetorum, & iam longa obliuione ſepultorum ſignificationem inueſtigemus, atque inde ad matricem linguam referamus. Quoniam itaque ſcimus Gallos olim noſtrati lingua vſos eſſe, & apud eos hactenus quaſdam voces inueniri, non è Latino, ſed è vetere ſermone relictas; liberum nobis erit, eas tum ad interpretationem, tum ad quotidianum vſum reuocare. Sic Complutenſis Hebræarum vocum interpres vocem מְכֵרָה dicit in gladij ſignificatione accipi poſſe; eo quòd apud Græcos, quos putat linguam ſuam ab Hebræis habuiſſe, gladius vocetur Machæra. Eandem regulam D. Hieronymus ſecutus, נוּגֵי apud Sophoniam nugas interpretatur, è Latino ſermone Hebraicæ voci quærens notationem; propterea quòd crederet, Latinam linguam ex Hebraica primam originem duxiſſe. Liceat ergo nobis quoque eadem via & ratione in obſcurarum vocum notitiam venire; & ſi quod nomen apud Gotos in Hiſpania, vel Longobardos in Italia, vel Francos in Gallia, vel Anglos in Britannia, vel alios in alia regione Germanorum colonos inueniamus, cuius & vſus & notatio noſtris hominibus periit, poſtliminij iure in veterem aſſerere libertatem. Lar pro vacuo noſtrates non vſurpant; cùm tamen olim in vſu fuiſſe, duo Antwerpiæ ſuburbana loca manifeſtè demonſtrent, ſub hac Lar/ nomenclatura omnibus nota, quam ſortita ſunt ea de cauſſa, quòd vacua ſint & nuda. Lar autem vacuum denotare, Allemani docebunt; quorum lingua cum noſtra eaſdem habet radices. Sic Fer pulcrum eſſe intelligimus, quia quamuis ea voce nunc non vtamur; Angli tamen, quid ſignificarit apud priſcos vel Saxſones, vel Britannos, quotidiano ſuo vſu nobis oſtendunt: tametſi in huius vocabuli notitiam è deriuatione etiam, per quam Fier dicimus; & compoſitione, quæ ex Fer-rom facit From, venire poſſimus. Verùm ſiue voces apud noſtrates hoc tempore obſoletas à priſcis repetamus, ſiue eas ab aliis huius ætatis hominibus lingua Teutonica vtentibus mutuemur; id ſemper obſeruandum, ne vlla admittatur, niſi claram ſignificationis ſuæ rationem è lingua Germanica ducat. Quòd ſi hac via ſermoni noſtro copiam & ſupplementa quæ-

Vocabula obſoleta.

Nos. Onnoſel.

Equi multa nomina apud Teutones, è varia conſideratione, Ros / Hors/ Guil/ Pert/ Mar/ Meri

Domus nomina, Huis/ Hom/ Heim.

Galli olim Cimbrica lingua ſunt vſi.

Lar/

Fer/

ta quæramus, ingenti pulcherrimarum vocum acceſſione linguam Teutonicam locupletabimus, & maximum eius vſum ad ceteras linguas rectè interpretandas oſtendemus. Ceterùm ne in veris nominum originibus inueſtigandis citra demonſtrationes progrediamur; principia quædam partium ex iis quæ priore libro tradidimus, partim ex Academicis hortis, partim ex communi hominum intelligentia deducta proponemus; quibus, tamquam rectiſſima quadam amuſſi, omnis cenſura noſtra dirigatur.

Voces primogenia & germana in quaque lingua qua cenſenda.

In primis itaque, ſi ſuorum cuique linguæ nominum ratio conſtare debet, perſpicuum fit, vocem primogeniam in ea lingua non eſſe, in qua nulla eius vera cauſſa reperitur. Deinde ſi quod vocabulum duabus pluribúſue linguis ſit commune; id eius linguæ proprium germanumque cenſeri, in qua rei ſignificatæ conuenientiſſima poteſt ratio reddi. Hæc duo pronunciata tametſi ex iis quæ de vocum formandarum ratione concluſi, effici non poſſent; per ſe tamen aſſenſum approbationemque merentur, cuius

πῦρ.

rei clara eſt apud Platonem teſtificatio, quo loco, cur ignis πῦρ Græcis dicatur, inquirit. Interrogat Socrates Hermogenem, ecquam cauſſam dare poſſit de Græco ſermone, cur ignis rectè hoc nomine πῦρ vocetur: qui cùm ſe nihil habere diceret, Socrates ad hunc ferè modum, Conſidera (inquit) quid ego de hoc ſuſpicer: Cogito Græcos, cùm alios, tum eos qui ſub Barbaris habitant, multa nomina à Barbaris accepiſſe. Quid inde, inquit Hermogenes? Cui Socrates, Si quis, inquit, quærat, quæ ſit horum rectitudo, de ſermone Græco, & non de illo, è quo nomen manat, ſcis profectò eum in ambiguo hæſurum. Et meritò, inquit Hermogenes. Vide igitur, inquit Socrates, & hoc nomen πῦρ ánne Barbaricum ſit: Hoc enim nec facilè Græcæ linguæ aptes, & clarum eſt, Phrygas ita ipſum nominare, parua quadam facta declinatione, non ſecus ac vocem ὕδωρ, & κύνας, aliaque multa. Hæc & alia eôdem ſpectantia, apud Platonem; è quibus luce ipſa clariùs liquet, cùm nominibus omnibus rationem eſſe quærendam, tum vnamquamque vocem ad eam linguam examinari debere, è qua originem accepit.

κακία.
Aac.
Ca.

Hinc Plato κακίας nomen Græcum eſſe negat, quoniam nulla eius ratio apud Græcos reperiatur. Nos docebimus, Aac bonum eſſe, & Ca eius contrarium; & illud quidem vocabulum primum eſſe de litterarum natura atque poteſtate factum; hoc verò per Analogiam, Cimbris propriam, ad ſignificatum ſuum deriuari. Quintilianus, & ante eum Varro, & ceteri hos ſecuti, Græcis, & apud hos Æolibus maximè tantam vetuſtatis auctoritatem tribuerunt, vt ſi qua vox Græcis & Latinis communis eſſet, eius apud Latinos fruſtra quæri rationem putarent; atque hac ipſa de cauſſa Quintilianus Varro-

Ager, ἄγρος. Ver, βῆρ.

nem, ceu ſui oblitum, in Agri nomine reprehendit; & Varro ſe in Veris vocabulo cauſſam Latinam quærentem caſtigat, eo quòd apud Iones βῆρ pro eodem tempore dicatur. Quòd ſi Plato de his duabus vocibus interrogatus, comperiſſet, vtriuſque exigua declinatione facta, vſum apud Phryges & Cimmerios eſſe; an non mox à Græcis ad Barbaros eas ablegaſſet, propterea quòd hos illis faceret vetuſtiores? Certè nobis ἄγρος acker/ à quo ager; & Weer/ à quo βῆρ, in vernacula eſt conſuetudine loquendi. Sed de his hoc loco non agimus: id agimus, vt hæc noſtra axiomata, quorum alterum alteri conſequens eſt, intelligantur, non ex iis modò, quæ antè tradidimus, probabili, imò neceſſaria concluſione effici; verùm etiam apud grauiſſimos Græcæ & Latinæ linguæ auctores iam olim in ſumma fuiſſe dignatione, & eandem quam nos volumus, vim poſſe eſſe fidei in vocabulis dubiæ originis adſtruendæ. Qui ergo hæc non concedet; cum eo ne verbum quidem commutare certum eſt, vt cum homine communis intelligentiæ vel experti, vel aduerſario. Si quando itaque fiet, vt fiet non modò frequentiſſimè, ſed in vocibus pleriſque omnibus, quæ pluribus linguis ſunt communes, vt de primo ipſarum fonte diſputetur; hac regula perpetuò vtemur, quæ de Græcorum Latinorumque principum conſenſu, ſola dirigit ad veritatem. Sunt tamen & alia quædam indicia, non illa quidem tanti, quanti quæ ex principiis modò commemoratis ſumuntur; attamen non omnino negligenda. Dixi, in vocibus Cimbricis peculiare quoddam & præcipuum artificium inueniri; quo nomina conuertuntur. Hoc itaque vbicumque cernetur, clarè oſtendet, ſuper qua incude vox ſit excuſa. Vt enim è capitibus, & longitudinis cum craſſitudine analogia, columnæ vel Corinthiacæ, vel Ionicæ, vel Doricæ artis eſſe cognoſcuntur: ita hæc conuerſionis formula voces noſtrates eſſe conuincit. His igitur argumentorum, quibus in radicum inueſtigatione vſuri ſumus, ſedibus collocatis,

locatis; aliud rurſus exordium ſumamus. Qui vel apud Hebræos, vel Græcos, vel Latinos, de etymologia, quæ recta nominum ratio eſt, libros reliquerunt; ij ad vnum omnes voces vocibus deducunt: quod tantiſper faciunt, dum ad aliquam primam perueniant, cuius nullam ſibi cauſſam vlteriùs quærendam arbitrantur. Cùm enim vocum numerus certo fine claudatur, nec circulo ad eaſdem ex iiſdem recurrere via & ratio in diſciplinis tradendis obſeruata permittat; vt in aliquo tandem vocabulo originum inquiſitor conſiſtat, neceſſe eſt. Sic Hebræus radicibus ſuis nullam vlterius ſignificationis cauſſam vel quærit, vel domi ſuæ poteſt inuenire; cùm tamen ea plerumque tribus conſonantibus, & duabus vocalibus conſtent, tantùm abeſt vt verborum analyſin ad vnam ſyllabam deducant. Atqui huius vltimæ vocis, æquè erat, ac priorum, ratio aſſignanda; ſi verum illud eſt quod modò explicaui, etymologicæ doctrinæ principium; quod nullum verbum eius linguæ proprium facit, in qua vera ipſius ratio non inuenitur. Fateantur ergo, oportet, Hebræi, vel radices non eſſe è lingua ſua oriundas, vel non omnium verborum ſymbolicas rationes poſſe reddi. Prius numquam conceſſuros opinor; ne fateri cogantur, priorem aliquam linguam eſſe, ad quam radices ſint ablegandæ: poſterius tale eſt, vt Hebraicam linguam eo priuet artificio, quod Ariſtoteles iuxtà ac Plato in vocabulis eſſe debere indicarũt, dum ea ſymbola dixerunt. Quo dato, Hebræorum ſermo non tantùm non eſſet primus habendus, ſed etiam reiiciendus ex ea palæſtra in qua de ſermonis præſtantia certatur. Academiæ princeps in Græcarum vocum originibus inueſtigandis duas ſibi poſuit metas, ad quarum alteram cùm veniſſet, non vlterius quærendum putauit. Quarundam enim vocum primordia à Barbaris petiuit; ad quos cùm veniſſet, gradum ſiſtebat, exteris externorum nominum rationes relinquens. Aliarum vocum quas à primis natalibus Græcas eſſe cenſebat, cauſſas quærere non prius ceſſabat, quàm ad ipſa elementa perueniſſet, atque ex iis ſymbolicam vocum & rerum analogiam aſſignaſſet. Et rectiſſimè profectò, quando nulla verba prima dici poſſunt in compoſitione, niſi proximè in ipſas litteras ſoluantur, è quarum natura vis ſignificationis exiſtat. Quamobrem nulla lingua prima vel eſſe, vel dici poteſt, in qua cauſſæ ſignificationis vocabulorum, non ad ipſa ſimpliciſſima vſque elementa, nullam vlterius admittentia diuiſionem, explicantur. Quòd ſi hoc mihi cum omnibus conuenit; haud video, quî vel Hebræi, vel Græci, vel Latini, de ſermonis principatu nobiſcum certare poſſint: cùm in ſola noſtra lingua, non in alia, hæc vocum ad indiuidua elementa fiat diſſolutio: quam vt plurimis exemplis docere poſſum, ita ineptum ſit, & rectæ ordinis rationi contrarium, ſi prius in ipſis litteris ſignificationum cauſſas reddere coner, quàm natura earum, & ſymbolica ſonorum cum rebus ipſis analogia, fuerit explicata. Niſi enim cognoſcatur litterarum & rerum conuenientia & ſimilitudo, fruſtra ex ea vocum compoſitarum rationes docebo. Quò igitur recta via oratio noſtra progrediatur, primùm nobis de litteris & earum poteſtate fuerit agendum: quod vt minore fiat moleſtia, ieiunam & frigidam huius laboris exilitatem nouis quibuſdam, & hactenus ignotis ſpectaculis, è ſcena etymologica petitis, paullo reddam, quàm res ipſa polliceri videtur, iucundiorem.

Etymologiarum ſcriptores quomodo vocabulorum origines inquirunt.

HERMA-

LIBER III.

CVM IGITVR primas voces ad ipſa elementa deducendas eſſe, & Socrates & Socrati conſentanea veritas tradat; primùm nobis generatim de horum natura diſputandum. Quemadmodum enim eum qui res coloribus imitatur, principio colorum diſcrimina in ſingulis pigmentis nouiſſe oportet; ita nobis etiam quibus propoſitũ eſt rerũ effigiem litteris conſtruere, primùm eſt omnis litterarũ varietas cognoſcẽda; quod vt fiat, quid littera ſit, definiatur. Quoniam autem dictum de lingua nos agere, quæ tota ex vocibus conſtat; & iis non quibuſuis, ſed factis ex hominis arbitrio, ad ſignificandas imagines rerum animo conceptas, vel ipſarũ imaginum conceptionis modum ſub pathematum quoque nomine comprehenſum; dicemus litteram eſſe minimam ſermonis partem. Iulius Scaliger, in cauſſis linguæ Latinæ, Litteram definit partem dictionis indiuiſibilem: quæ deſcriptio ſi tam moroſe expenderetur, quàm ipſe in aliorũ ſcriptis eſt curioſus vitilitigator, neſcio an totam litterarũ latitudinem comprehenderet: cùm & apud Latinos, & apud Græcos litteram queas inuenire quæ nullius dictionis pars ſit; cùm ipſa totam dictionẽ per ſe ſola cõſtituat, vt A præpoſitio, O vocandi nota. Sed hoc leuius. Quò verò hanc definitionem cõſtitueret, odioſiſſima ſophiſmatum congerie eos exagitat, qui litteram partem vocis cum dixiſſent, quo definitionem ſuam explicarent, vocem quoque finiuerunt Et cùm non rectè id ab eis factum dicat, quòd hoc Philoſophi, non litteratoris, munus ſit; ipſe in eundem lapidem impingit, integro minutiarum plauſtro è Philoſophia in alienũ domicilium, vt ipſe fatetur, inuecto; quas qui diſcuteret, multas inueniret nihil ſolidum tinnientes. Inter alia, carpit, litteram partem vocis dici; quia eo modo litteræ ſcriptæ, quæ non pronunciantur, litteræ non eſſent. Quaſi verò id abſurdũ ſit, quid ad ſermonem, ſiue ſcribatur, ſiue non ſcribatur. Quòd ſi ſcriptio ſermoni ſit prorſus externa, cur non dicetur & ſingulis eius partibus externa? Iam & ipſemet fatetur, litteram eſſe poſſe ſine figura, & figuram ei omnino eſſe accidens. Sed hic durus cenſor, quo omnem litterarum latitudinem comprehenderet, vocem homonymam per homonymam definiuit. Neque enim vna ſubſtãtiæ ratio eſt, dum littera vocem, & dum figuram ipſius notat; non magis quàm eadem hominis viui, & hominis picti, ſub hominis nomine, ſubſtantiæ ratio eſt. Quis non eum ſcholis explodat, qui res omnino eſſentia differentes, ſub nomine eo definiat, quo ſecundum diuerſam ſubſtantiæ rationem ſignificantur? Dictionis nomen, ad dictionem pronunciatam, quæ vox eſt; & ad dictionẽ ſcriptam, quæ figura vel figuris conſtat, extendit, vti & ipſam litteram; atque ita putat ſe rectè definitionis munere defunctum. Nos ſcimus, nomen plura ſignificans prius in ſignificata ſua diſtinguendum, quàm eius vlla detur definitio: quoniam diuerſis ſignificatis & genera & differentiæ ſint diuerſa, nihil inter ſe, ſecundum ipſum illud nomen quo ſignificantur, communicantia. Qui igitur auditoris intelligentiam confundere cupit, is homonyma eadem definitione comprehendat. Ariſtoteles cùm primo De cælo libro, tum eorum quæ poſt Phyſica ſcripſit, lib. vndecimo, diſertè præcipit, vt nomen plura ſignificans vel vitetur inter diſputandum, vel quid eo intelligi debeat, exponatur: quod præceptum qui prudens negligit, is, eodem tertio Rhetoricorum libro teſte, partes ſibi ſumit cauillatoris, fraudem auditori, non dilucidam doctrinam, quæ ingenuos atque graues viros decet, parantis; tantum abeſt, vt eadem definitione homonyma complectenda eſſe tradat. Atque ita ſanè eſt, aliud nihil ſibi quæſiuiſſe Scaliger videtur, quam vt in Grammaticæ ſuæ principio lectori parum in Philoſophia verſato ſophiſmatis illuderet. Quo tamen homonymiam ſuam excuſaret; adiecit, ſe vocem in his libris pro dictione ſcripta accipere; quoniam vox eſſe poſſit: quod tam ſubtiliter ab ipſo dici video, vt quid ſibi velit, obtuſum meum ingenium non intelligat: niſi fortaſſe fieri poſſit, vt ſcriptura quæ vel figura eſt, vel figurarum complexio, vox fieri poſſit; quam metamorphoſin Ouidius libenter admitteret, qui puellam in vocẽ Echo vocatam mutauit. Scio equidem quæ ſcriptura notantur, ea voce quoque notari poſſe: at tam hebes ſum, vt aciem meam

Littera definitio.

meam fugiat, quî ſcriptura vox fieri poſſit. Vt elocutionis præcipua laus eſt perſpicuitas; ita ea nuſquam magis eſt neceſſaria, quàm in quæſtionibus ad philoſophiæ acumen agitandis; quas Scaliger à litteratoris officio alienas eſſe, contra veteres Grammaticos criminatus, ipſe citra omnem neceſſitatem & doctrinæ lucem, tamquam ſalebras quaſdam in primo limine lectoribus obiecit, in quas ego quoque inuitus impegi. Tranſiliiſſem profectò eas omnes; ſed nolui, vt quiſquam putaret, de hac ſcripturæ & vocis apud doctiſſimum hunc virum confuſione, me perperam facere; dum priùs de voce, quàm de ſcriptura tracto; dumq. litterarum figuras definitione mea non complector, quod meum factum ipſe in veteribus reprehendit. Minima igitur pars ſermonis qui totus vocibus conſtat, Littera dicatur. qua deſcriptione etiam A præpoſitio, quæ nullius ſimplicis vocis pars eſt, continetur. Scaliger acutiùs hãc declinat difficultatem. Nam cùm dixiſſet, Litteram minimam partem dictionis; dictionis voce vſus, pro ſimplici vocabulo. Accidit enim, inquit, dictioni cuipiam, vnica vt littera cõtineatur; ibi enim eſt pars, & totum, idem. Quid, bone vir, ſi accidit dictioni cuipiam, vnica vt littera contineatur: quî fieri poteſt, vt in ea dictione littera ſit, quam eſſe partem dictionis definiuiſti? Excuſas hîc, idem totum, & partem eſſe. Fateor, idem & totum & partem eſſe poſſe, ſed collatione diuerſorum. at quî poſſit idem ſibi ipſi totum eſſe, & pars, non intelligo. Deinde cùm huic dictioni nulla poſſit contingere diuiſio; qua, quæſo, ratione partem habere dicetur? Confiteor libenter, te Oedipum, me hîc Dauum eſſe: facilius erat dicere, hanc vocalem, quamuis hîc dictio ſit integra, eius tamen naturæ eſſe, vt alibi minima dictionis pars eſſe queat. Quemadmodũ ſi quis hominẽ animal eſſe dicat æternarum rerum ſcientiæ compos; non dicit quoſuis homines ad hãc ſcientiam adſpirare; ſed eius hominem naturæ eſſe, ſolus vt poſſit inter animantia omnia hanc ſcientiam adipiſci. Verùm video magna vi contra me Grammaticos inſurrecturos, qui Litteræ nomen à linendo deducunt. Sed hîc mecum nonnihil facit Scaliger, cuius hæc contra eos verba ſunt: Neque enim à lituris litteræ, quia delerentur; prius enim factæ, quàm deletæ ſunt. At formæ potius atque οὐσίας rationem, quàm interitus, habeamus. Hæc ille, contra Priſcianum, bene fortaſſis, niſi mortales quoque homines vocarentur, non à forma, neque ab eſſentia, ſed ab interitu. Verùm dicerent alij, à litura litteram dici, at lituræ nomine minimè id intelligi quod Priſcianus & Scaliger voluerunt, quaſi litura deletionem notaret. Longè aliter res habet. Qui linit, lituram facit; qui lituram tollit, delet. Tectoria lendo, id eſt, linendo, inducuntur, delendo tolluntur. Cicero de columnis à Verro reſtitutis, Dico eſſe ex qua tantùm tectorium vetus deletum ſit, & nouum inductum. quo loco quidam delitum legunt, non deletum; quaſi delino eſſet, id quod illitum eſt, tollere. Noſtra non refert, vtrum legatur; id modò conſtet, tectorium linendo induci, & à lino lituram, pro eo quod illinitur. Sic Columella: Solem etiam & pluuiam arcet eiuſmodi litura. Qui igitur ceris tabulas inducebant, vt ſtylis in iis ſcriberetur, primam faciebant lituram, quam is qui ſcribebat, foſſularum ductibus ſignabat; quæ foſſulæ, dum littera vel totus verſus tolleretur, rurſus eadem cera linendo opplebantur. Verùm à priore litura littera dici videtur; tamquam à materia in qua fiebat: at à poſteriore litura qua notæ prius ſignatæ inducebantur, litura in eam ſuſpicionem falſam venit, vt pro deletione dumtaxat vſurpanda videretur. Scaliger, vt hunc ſcopulum euitaret, à linea litteram fecit, tamquam lineaturam; atque idcirco primam natura, non poſitione, longam eſſe. Vellem addidiſſet, vnde linea dicatur, an à lino verbo, an voce linum; & ſi ab hac, non ab illo, vnde linum ita vocetur. Sed de hoc paullo pòſt. Scaliger, quaſi certiſſimum eſſet, litteram à linea deduci, Priſcianum & ceteros eiuſdem ſententiæ litteratores condemnat, quòd nomen hoc deriuent, vel à litura, vel à lego, & iter, ceu legitera diceretur. Nec eo contentus, vltrà pergit, litterã dicens minimam eſſe partem dictionis dicendam: propterea quòd & linea, vnde dicta eſt, minima quoque ſit dimenſionum; atque hinc fieri, vt elementi quoque nomen mereatur. Hoc ſtatuto veterum ſententiam conuellit, qui falsò litteras notas dixerunt, elementa autem pronunciationes. Litteram quidem notam eſſe permittit, at elementum pronunciationem negat, ſed ipſum illud, quod pronunciatur, eſſe contendit. O ſubtilitatem cauillatoris! quaſi aliud dicere voluerit Priſcianus, quàm quod Scaliger exponit, cùm pronũciationis nominẽ perinde ille vtitur, atq. oratio ſæpè dicitur id quod oratur,

Litteræ nomen vnde deducatur.

non

non ipſa actio orantis. An non enunciatio, affirmatio, negatio, & ſimilia, eodem modo apud Dialecticos intelliguntur; cùm per orationem quæ vox eſt, tamquam per genus ſuum, Ariſtoteles ea definit? Elementũ autem non ſolũ id quod pronunciatur, ſed notam etiam eſſe vult; quia ſit pars dictionis, ipſam, vt verbis eius vtar, conſtituens; ſicuti ignis, aër, aqua, terra, corpora hæc noſtratia. Video hîc collectionem planè Cæſaream, Elementum eſt pars dictionis, ergo eſt nota. vult enim vir hic Dialecticæ peritiſſimus, nos tam acutos eſſe, vt enthymema hoc ad hunc modum expleamus: Elementum eſt pars dictionis, dictio eſt vox ſcripta, vt pòſt in eodem capite docet, & pars eſt eiuſdem naturæ cum toto: ergo & elementum perinde erit nota eius quod pronunciatur, atque tota dictio ſcripta. Optimè ſanè Theodecten monuit Ariſtoteles, cauillatoris eſſe, homonymis apud audientes vti: vt ſcilicet Priſcianus & cęteri veteres malè videantur dixiſſe, hic ex dictione ſcripta argumentum ducit ad dictionem primò, propriè & ſimpliciter dictam. Dictio ſcripta haud ſecus dictio eſt atque homo pictus eſt homo; quo fit, vt procedat collectio, non aliter, quàm ſi quis dicat: Manus eſt pars hominis; ergo manus eſt pictura. Non nego, dictionem ſcriptam, dictionem dici; ſed analogicôs: atq. ita elementum quoque Priſcianus fatetur per vocis abuſum de notis dici. Si verum eſſet quod littera à linea, vel à litura diceretur; rectè antiqui ſtatuiſſent, nomen hoc propriè ipſis notis conuenire, & analogiæ ductu ad voces transferri; niſi fortaſſe Scaliger neget, lineas potius notis, quàm vocibus, conuenire. Deinde ſi à linea littera dicatur, neceſſe erit fateri, nomen hoc non prius elementis vocabulorũ datum fuiſſe, quàm ſcriberentur; cùm vocibus nulla antea fuerit cum lineis communio; quæ tum demum nata eſt, cùm animi ſenſa, non ſolùm verbis, ſed lineis etiam, homines exponere cœperunt. Nos ex hac opinionum diuerſitate in eam conceſſimus ſententiam, vt litteræ nomen antiquius eſſe credamus, quàm vt eius origo apud Latinos ſit quærenda: quam opinionem meam ipſa deinde litterarũ natura confirmauit. Propriũ enim litteræ eſt, vt minima pars vocis eſſe poſſit: qua nota ſic natura eius explicatur, vt vocalibus etiam per ſe extra ſermonẽ explicatis, ſiue dictionẽ integram conſtituant, ſiue nõ conſtituant, conuenire cernatur: ad quam normam priorem etiam definitionẽ meam intellectam volo.

Cimmerij primi Italiæ incolæ.

Hoc ipſum autem vocis notatione clariſſimè expreſſum eſt, non illud quidem in lingua Latina, ſed eam quam Cimmerij, primi Italiæ incolæ, ſub Iano auo ſuo loquebantur.

Let ſiue Lit. Em / ſiue Vm. Emmen ſiue Vmmen. Hemmen ſiue Hummen. Muien. Muit. Mutus. Hummelen.

Let enim membrum ſignificat, quæ vox paſſim ab aliis delicatioribus Lit effertur: Em autem ſimplicem vocem notat; vnde Emmen, eſt vocem eiuſmodi proferre, vt cùm dicimus, Hi en dar niet emmen/ id eſt, ne ſimpliciſſimam quidem vocem audet proferre: alij pro Emmen/ Vmmen dicunt, ſono quodã medio ex V & I. Huius contrarium eſt Muien/ pro eo quod eſt, nullam vocem edere; hinc Muit/ pro tempore eo quo aues in tenebris ſeruantur ne canant. Hinc Latinorum Mutus. Multi tamen in Vm ſiue Em aſpirationem exiguam addunt, vt ſit Hummen/ vel Hemmen/ vnde nobis Hummelen/ pro eo quod eſt murmur & confuſum ſonum edere: vnde Hummelen crabrones vocantur, à magno bombo quem edunt inter volandum. Ex eodem fonte Hebræorum הָמָה homa ſiue hama, quo murmurate & confuſum ſonum edere notatur. Vocem autem primam noſtratem eſſe, ex analogia formationis cognoſcas; eo quòd conuerſum eius contrariæ ſit ſignificationis, quod ſoli noſtræ linguæ ſuum propriumq. eſſe demonſtraui. Et quamuis fortè quibuſdam Mui non eſſet in vſu, eſt tamen eius proles, Muit / omnibus nota, in ea, quam dixi, notione.

Muis. Mus. Μῦς. Muiſen. Muſa.

Hinc etiam Muis, pro animali taciti ſſimo, vnde Latinis Mus, & Græcis Μῦς. Muiſen item eſt tacitè quærere, perinde atque muſtelæ domeſticæ, ſiue eluri mures obſeruant, magno nimirum ſilentio; à qua voce Muſæ Latinis & Græcis: quas ſic Orphici vocarunt, quòd magna quiete & ſilentio omnium rerum externarum ei opus ſit, qui diuina velit inueſtigare: qua de re alibi. A Mui etiam fit

Muſtela.

Muſtela, quo animal ſignificatur quod clàm furatur: nam ſtelen eſt furari. Eſſe autem hoc nomen noſtras, non Latinum, ex eo perſpicuum eſt, quòd nobis apertiſſima ſit etymologia, à natura animalis petita, quam Latini domi ſuæ nequeant inuenire. Has igitur dictiones Vm & Mu tum de conuerſionis formula nobis peculiari, tum de vocibus inde manantibus, & earum interpretatione, naturæ rerum ſignificatarum congruenti, quam fruſtra alibi quæras, conſtat prius in noſtrâ, quàm in alia lingua fuiſſe: atque idcirco omnia itidem vocabula, ex his primordiis deriuata, nobis deberi; tametſi in deſue-

in deſuetudinem quædam apud nos abiuerint, quæ, ſi quod antè poſtulaui, detur, in vſum matricis linguæ de ſobole licet reuocare; quo ſenſim prima lingua, quoad eius fieri poteſt, diuitias ſuas diſſipatas colligat. Sed quo magis clareſcat, Vm ſiue Em/ pro voce eſſe vſurpatum; ex compoſita etiam dictione argumentum ſumemus. Non rarò enim fit, vt vox ſimplex alta obliuione ſit ſepulta; cùm tamen in compoſitione vſus eius ſeruetur, quo caſu ſignificationem ab ea petemus; quod ſemel dictum, vt vbique in ſimilibus valeat, poſco. Aeſum/ ſiue Aeſem/ vt alij efferunt, pro diuerſitate dialecto- Aeſum / ſiue Aeſem.
rum, anhelitum ſignificat, ſiue aërem, quem diducto pectore intus rapimus, & compreſſo expiramus; quod nomen datum eſt ab vſu homini proprio. Cùm enim locutione à ceteris animantibus omnibus differamus; ab hac excellentia vehiculo vocis nomen Aeſum datum eſt, quo, ad verbum, alimentum vocis notatur. Aes enim alimen- Aes.
tum eſt, vnde Aeſum alimentum vocis. Subiectum enim, ſiue materia, ipſas qualitates alere idcirco dicitur, quòd eas, non ſecus atque nutrimentum quoddam, ſuſtentet ac conſeruet: quod cùm omnibus formis accidentariis eſt commune, tum nuſquam clarius, quàm in voce, quæ pro ratione ſpiritus innumera recipit diſcrimina: quæ cùm luſcinia ſtudioſè perſequitur, tantum frequenter alimenti voci tribuit, vt ſeipſam ſpiritu omni & vita exhauriat. Videmus & illos qui alta voce diu quotidie cantant, plurimum ſibi quærere alimentum, quòd vox plurimum abſumat: & hinc inter cetera exercitationum genera, apud medicos non poſtremum locum ei tribui, quod alta voce conſtat, vel cantando, vel legendo, vel etiam ad populum orando. Ad magnam enim & diuturnam vocem, bonis lateribus opus eſt, & robuſtis; ad robur, copioſo nutrimento. Bene itaque ſpiritum hunc quem attrahimus, & rurſus efflamus, vocis alimentum linguæ noſtræ fabricator vocauit, ab vſu videlicet tanto nobiliore, quanto nobilius eſt & præſtantius, ſermocinari, quàm vitam dumtaxat ſimplicem, qualis communis omnium eſt animalium, inſpiratione tueri. Latini ab Aſem Anem fecerunt, & addita terminatione, Anema, ac deinde Anima. Hic aliud linguæ noſtræ compendium conſiderandum, quòd eadem vox vt verbum, & vt nomen vſurpetur, citra tamen ambiguitatem orationis, quam conſtructio integrè tollit. Aſem enim nomen eſt, dum dico, ic hael mynen aſem/ id eſt, ego duco ſpiritum meum; at ſi dicam, ic aſem/ id eſt, ego duco ſpiritum, Aſem verbum erit. Ab Aſem/ ſiue vt verbum, ſiue vt nomen vſurpetur; fit Aem Anima. Aem.
ſyncoptôs frequens nobis in ore, à quo Græcis ἄημι, id eſt, ſpiro: verùm ἄνεμος, pro ven- ἄημι.
to, fit interiectione Ni, vt apud Latinos Anima, qua voce anhelitus primò ſignificatur; ἄνεμος.
vt in illo Plauti: An f[illegible]tet anima vxori tuæ? Et apud Virgilium de malo Medica:

——Animas & olentia Medi
Ora fouent, illo & ſenibus medicantur anhelis.

Quia verò in reſpiratione vitam conſiſtere, Romani priſci videbant, ita vt eſſet idem & vitæ & ſpirationis finis, animam pro eo poſuerunt, quod homini vitam dat. Græci à prima lingua longiùs receſſerunt, dum quemuis ventum Anemon vocarunt. Ex Aſem itaque anima, ἄημι, ἄνεμος, quorum Etyma e noſtra lingua petita, monſtrant, vt paulatim a primo vocum vſu ſit receſſum. Cùm igitur clarum ſit, Aſum ſiue Aſem ab Vm ſiue Em fieri; clarum item erit, Vm ſiue Em vocem notare, ſi vt nomen vſurpetur; ſin vt verbum, idem eſſe quod vocem emitto. Quamobrem let-ter-em notabit membrum Littera, id
ipſius vocis. Ter enim ſiue Der articulus eſt: ſed quia Let dicimus, & Lit/ ex Litterem La- eſt, membrũ vocis.
tinus fecit Litteram, quæ nominandi caſu Littera dicta. Nobis breuitatis, quam vbique quærimus, cauſſa, per caudæ inciſionem, Letter nunc vocatur, haud dubie Let dicenda: niſi diſcrimen eſſet ſeruandum inter Let/ quo generatim quoduis membrum ſignificatur; & inter Letter decurtatum à Letterem. Ipſa itaque nominis origo demonſtrat, Litteram vocis membrum eſſe; at illud maximè membrum eſt, quod à toto, quod oppoſitum eſt, quamlongiſſimè recedit. Minimum igitur membrum, dum ſimpliciter membrum vocis dico, intelligetur, quod à totius natura maximè diſtat. Hinc modò conſtat, litteræ nomen priùs voci, quàm voci ſcriptæ conuenire; nec dici à Litura, nec à Linea; & ita tolli omnem illam Grammaticorum de elemento & littera diſputationem: tum etiam per duplex T ſcribendum eſſe, atque ita ob duplicem conſonantem primam produci. Cùm ergo Letter vocabulum noſtrum, & Littera Latinorum, hanc habeant ſymphoniam, vt alterum ab altero deductum videatur; neceſſarium erit, confiteri,

fiteri, primogenium ius penes illam eſſe linguam, in qua ratio rei naturam explicans inuenitur. Elementum igitur & littera non illud habebunt diſcrimen, quod Priſcianus annotauit: ſed elementum prima pars cuiuſuis rei compoſitæ; littera prima, ſiue minima pars orationis dicetur. Quoniam autem de linguarum primatu agimus, & is penes eam ſit, quæ pluribus eſt prior, & prior noſtra deprehenſa ſit in vocabulo Littera: tentemus an etiam prior ſit in Elementi nomenclatura. Elementi nullam apud Latinos video Etymologiam: qua de re ſi principio à Platone confirmato conſentanea dicemus; fateri oportebit, ex alia lingua ad Latinam veniſſe: non è Græca, aut Hebraica, ex alia igitur; videamus ergo an è noſtra. Cerno hic latiſſimum campum, & multarum vocum elementa in vnius elementi nomine aperiri, quæ nihil eſt neceſſe ſigillatim ad viuum reſecare. Eel & Le oppoſita ſunt, è quibus duobus conuerſionis apud noſtrates vſurpatæ generibus, varia vocabula naſcuntur; & inter alia, Eel ſignificat quicquid ſubtile eſt & nobile: eo quòd, quanto quæque res ſimplicior eſt & minùs compoſita, tanto propiùs ad primæ cauſſæ ſimplicitatem accedat: de quo alibi latiùs, ne hîc omnia ſimul congeram. Eel igitur inter alia exile quoddam ſignificat: Let membrum eſſe, modò dictum. Ment idem quod ducit, ſiue agit ad aliquid; cui contrarium eſt per conuerſionem Nem/ quod eſt, abducere ab aliquo, ſiue abigere. A Men verbum eſt antiquum Latinorum Mino, apud Bibliorum interpretem eleganter vſurpatum: quod ſi quis, vt minùs Romanum, reiiciat; Feſtum audiat, qui Agaſones minantes, & Agere minare interpretatur. Mino autem à Men eſſe, mutato E in I, palam eſt; quandoquidem conuerſio noſtratium propria, hanc vocem ab origine prima noſtram eſſe conuincit; quæ cùm nobis & Latinis communis ſit, ad Latinos à nobis venit. Element igitur particulatim diceretur, Eel let ment; ſed Tau apud nos frequentiſſimè in compoſitione, & ſimplicibus etiam vocibus, Euphoniæ cauſſa, eximi, in Originibus ſæpius monui, quàm in eo hic multum me eſſe oporteat. Exempto igitur Tau, de more noſtro, element idem eſt, quod res ſubtilis membrum adducens, ſiue ſecum agens. Cernimus hîc principio elementum eſſe quid exile & ſimplex, deinde ex ipſo membra conſtitui omnium corporum compoſitorum. Nullum enim membrum eſt animalis tam exile, quod non ex elementis conſtat. Poſtremò, tertia dictionis parte docemur, elementum non propriè de illis dici, quæ non moueant. Singulis enim elementis ſuus eſt motus: Igni, aëri, aquæ, & terræ, quorum miſtione, dum alia ab aliis aguntur, & mouentur; membra corporum producuntur: ita vt Elementum, de vi nominis, deſcribi queat, ſubtiliſſimum & ſimpliciſſimum quiddam eſſe, quod motione ſua membra adducit: vel, Elementa eſſe corpora ſimpliciſſima, quibus inter ſe agentibus, membra fiunt. Vnde cernas, elementum non quamuis partem eſſe, ſed eam, in quod vel minimum membrum vlteriùs, vt in partem ſubtiliſſimam, reſolui poſſit. Ex his igitur elementis, quorum miſtione & agitatione membra viuentium conſtituuntur, appellatio tranſiuit ad litteras, quarum motione, verba, quæ ſunt membra ſermonis, in medium proferuntur, & quaſi minantur: eo quòd inſtrumenta vocibus edendis deſtinata, ipſa verba quodammodo ad aures, quibuſcum loquimur, minant; quod in iis, qui magno conatu, & grandi ſpiritu, voces ſuas proferunt, quales ſunt Alemanni & Sueui, clariſſimè videtur. Et hæc quidem de nominum litteræ & elementi rationibus: quibus ſi Latini meliores, & propiùs rei naturam aperientes, adducent; libenter eis de primaria harum vocum poſſeſſione cedemus. Tempus iam eſſet, vt ad litterarum diuiſionem accederetur: quod equidem facerem, niſi Scaliger remoram puppi inieciſſet, qua rectum curſum impediuit. Quia enim litteræ nomen per ſimplex T ſcribendum contendit, eo quòd à linea deducatur, poſſétque ſumma viri vndiquaque in omni ſcientiarum genere doctiſſimi auctoritas ſententiæ meæ pondus prorſus eleuare; putaui non abs re fore, ſi nonnihil adhuc momenti lanci meæ addam; & quantum addidero, tantundem eius rationibus demam. Dicit litteræ primam ſyllabam naturâ longam eſſe, quia à lineatura fiat: è quo efficitur, vt malè per duplex T ſcribatur: cui ſcripturæ omnes antiqui codices reclamãt, quod Paullo Manutio, accuratiſſimè veterem orthographiam in lucem reuocanti, & perpetuò vetuſtos codices voluenti, potiùs credendum exiſtimo, quàm nouam legem Iuliam in Grammatica recipiendam; qui, præter indubitatam veterum exemplarium, & inter cetera Pandectarum, qui Florentiæ magna religione

Elementũ & littera quomodo differant. *Elementi definitio.* *Elementum vnde dictum.*

Eel.

Men. Nem. Mino.

Littera nomẽ quomodo ſcribendum.

religione ſeruantur, fidem; addit etiam inſcriptionem Preneſtinam, quam me quoque memini vidiſſe, cùm illic cum Pigghio, antiquitatum omnium curioſiſſimo inquiſitore, vetuſta monumenta, & inter alia, Syllæ pauimentum luſtrarem: Eius quintus verſus ita habet,

Cuius ne taceat memorandum littera nomen.

Quocirca vnanimi totius antiquitatis conſenſui potiùs accedo, quàm Scaligero, nouam ſibi etymologiam comminiſcenti, & ex ea, omnes Veteres erroris damnanti. Verùm vt demus hoc Scaligero, quod ei nemo eſt eruditorum aſſenſurus, Litteram à lineatura nomen accepiſſe; non tamen ob id euincat, primam huius vocis originem, potius Latinam, quàm noſtratem eſſe. Quæram enim vnde Linea dicatur. Non dicet, *Linea vnde dicatur.* opinor, à Lino verbo, quòd eius prior ſyllaba breuis ſit; ſed à lino nomine, propterea quòd ex lino linea fieret, qua priùs funiculus tenuiſſimus è lino factus ſignificatur, quàm ductus ille rubricæ, qui ad funiculum à fabris fieri ſolet; quod ex idoneis auctoribus, qui volet, diſcat. Verum bene illud quidem, lineam à lino dici: ſed vnde linum? Hic, ni fallor, perfugium quæretur ad Græcos, & præſertim Æoles, quorum ſermoni *Linum vnde dicatur.* Latinus & eſt ſimillimus, & plurima vocabula accepta refert, Quintiliano id palam confitente, qui hac de cauſſa ridet Varronem, agrum ab agendo deriuantem, quoniam vox ea apud Græcos nata videtur. Sed Varro fortaſſe reſpondiſſet, ſe & ipſum illud annotaſſe, ἀγρὸν Græcis dici: At hanc etiam vocem, non minus apud Græcos, quàm Latinos ab ἄγω, quæ vox vtrique genti communis eſt, deriuari. Quintilianus certè videtur Grecos facere, quàm Latinos, antiquiores: & idcirco neceſſariū ei fuiſſet, cōfiteri, Ago Latinum ab ἄγω Græcorū veniſſe; cùm alioqui quæri poſſet, cur potiùs Latinam vocem à Græca, quàm Græcam à Latina deduxiſſet: Nemini dubium eſt, quin Latini plurima vocabula acceperint à Græcis, vti omnem etiam acceperunt diſciplinam: contrà verò, apud vetuſtos auctores Græcos nullam vocem inuenias, quæ Latinis debeatur. Feſtus Græcis adeò priores dedit partes, vt breue à βραχύ deriuet, & Camurum à κάμπτειν, & non pauca id genus alia: cuius ſententiæ fuit & Varro, vir Romanorū quotquot vmquam fuerunt, doctiſſimus, Fabij etiam teſtimonio, à quo dixi in agri origine ſigillatum. Plurima enim ad Græcam originem reducit, quæ poterant alioqui Latina videri: vt Ver, quamuis à vertendo formari videatur; ſuſpicionem tamen adiecit, vt paullo antè dixi, poſſe deriuari à βὴρ Ionico. Cauum & Cælum idem à Chaos deducit; & quò huius ſui facti rationem redderet, in voce Terminus, dicit, Euandrum, qui in Palatium venit, Arcadem fuiſſe. Nihil igitur miri aut noui adferent, qui Linum à voce Græca λινὸς deducent. Ceterùm nos, qui primam linguam quærimus, non putamus ſatis eſſe, ſi vox Latina ad Græcam refertur, niſi Græcæ quoque vocis etymon addatur. Græci à λεῖον, quòd lene, planum, & æquabile Latinis diceretur, deducent; ſi Græcarum vocum origines ſcribenti credatur. Quòd ſi à λεῖον fiat, noſtras erit à primis natalibus vocabulum; quòd λεῖον à noſtra etiam voce deriuetur. Verùm quia linum ſua natura potius durum eſt, rude & intractabile, adeò vt manus etiam lædat, priuſquam multo hominum labore ſcabras duraſque ſquamas, quibus horreſcit, exuat: mihi nemo facilè perſuaſerit, hanc eſſe veram nominis rationem. Immò quia à Græcis ad Latinos vox venit, vt antiquioribus, nobiſque cum Græcis ſit communis, conuenienter Platoni dicam, priùs apud Cimbros, vtpote Barbaros & vetuſtiores, quàm apud Græcos fuiſſe: cuius & illud indicium eſt, quòd nobis ſit monoſyllaba, qua breuitate primariam laudem meretur. Videamus itaque, an apud nos etymon aliquod inueniri queat, quod lino magis ſit proprium & peculiare. Eel & Lee per conuerſionem noſtratem alterum alteri opponuntur; de quibus iam iam pluſculum: A Lee, quo moleſtum omne & diſplicens notatur, fit Li/ i longum, id eſt, patior; & Lien, pati, in mo- *Li/ ſiue Lij.* do infinito; hinc Lin/ à quo linum, Græcis æquè atque Latinis vſitatum, priore ſyllaba longa; à quo deinde Linea, noſtris & Latinis commune. Qua verò de cauſſa Linum à patiendo dicatur, in primis diligenti conſideratione dignum eſt, vt quæ nobis apertura ſit, quàm variè in nominibus fabricandis luſerit architectus, quamque omnium rerum proprias notas accuratè prius expenderit, quàm iis vocabula fabricaretur. Nihil eſt omnino, quantum ego certè cogitatione vlla aſſequi poſſum, quod maiora tormenta ab hominibus, quàm linum, patiatur; vt iure optimo à patiendo nomen duxerit.

Linum tormenta varia patitur.

Primùm adeò ad pœnas ipſa natura accelerat, vt minimum temporis ei in genitalibus terræ viſceribus concedatur, ſed vere ſatum, mox quaſi matris vtero moleſtum, in lucem protruditur, & ipſa ſtatim æſtate vellitur; vulſum ardenti canicula torretur; toſtum in contrarium ignibus elementum ſummergitur; & ne poſſit enatare, graui pondere depreſſum tenetur, dum cortex, cuius duritie medullam ſuam tuebatur, cõputreſcat: inde rurſus ad contraria tormenta raptum, ſummæ caloris rabiei exponitur: inde, dum ſatis à duobus contrariis elementis videtur excruciatum, ad hominum iniurias rapitur; vel enim in ſaxo, ſtupario malleo diu multumque contunditur, vel in duriſſima area denticulatis quibuſdam malleis, quo magis concidatur, tamdiu à conculcantibus frangitur, dum nihil integri cortex reſeruet, in quo ſolo vnicum fuit aduerſus iniurias munimentum. Nec porrò illud ſatis: Ab area vel ſaxo eueſtigio rapitur ad furcam, è qua ſuſpenſum diutiſſimè à mulieribus latiſſima ſpatha è duriſſimo ligno affabrè ad tormenta diuturna comparata, tantiſper verberatur, dum ferè omnis fracti corticis munimentum diſſipetur. Nec deinde quies: ſed iam nudæ ferè medullæ, omnibus pænè oſſibus exutæ, ferreis dentibus acutiſſimis & longiſſimis miſerrimè dilacerantur, nulla clementia ſęuas mulierum manus à diuturna carminatione prius reuocante, quàm medulla omnis in tenuiſſima fila fuerit comminuta, atque diſtracta. Quid? num hîc truculentæ mulieres finem faciunt ſæuiendi? Minimè gentium. Simul atque omnia elementa omnem artificum carnificinam ad pœnas exhauſerint, eueſtigiò quæ anteà diſcerpſerant variis inſtrumentis, ipſæ ſuis manibus contorquent, ſæpius interim, dum miſerum linum tormentis ſuis nonnihil reſiſtit, morſibus impetentes, & veluti rabioſæ in ipſum deſpuentes. Et quamuis hæc, & plurima, & crudeliſſima videri poſſint; ſunt tamen & alia adhuc nihilo leuiora perferenda. Vbi iam omnem medullam contorſerint, & equuleis quibuſdam diſtenderint, confeſtim inde tractam ad ignes rapiunt: & quaſi parum ſit, in ſimplice aqua ſubmergi, in lixiuium detrudunt, in quo, admota ignibus magna lignorum ſtrue, diutiſſimè ebullire cogunt, & inde violentis manibus diu in aqua alia torquent, rurſus ſuſpendunt, & ſiccant vel ventorum perflatu, vel Solis ardore. Inde iterum variè pars per paxillos diſtrahitur, diſtracta liciatorio inuoluitur, & totis neruis per pectines diſtenditur; pars canaliculis intorquetur, vt diſtenti ſtaminis viſcera penetret, iteratis frequentiſſimè tramarum iactibus, modò dextrorſum, modò ſiniſtrorſum; interea nec ipſi quidem ſtamini quiete conceſſa, quod perpetuò ſurſum deorſum calcibus impulſum ſubtemen cogitur arctiſſimis vinculis colligare, donec tela tandem mutuis filorum nexibus abſoluatur. Et quaſi parum anteà linum perpeſſum fuiſſet, iam denuò alia tormentorum genera. Totum id quod tam variis pœnis agitatum tandem quieturum videbatur, rurſus feruenti lixiuio coquitur, ac deinde in frigidam iterum conjectum, magno tortorum labore calcibus teritur, fuſtibus truditur, atque rectè tandem contorquetur: inde carnificibus delaſſatis, quod antea vi multa fuit conuolutum, & multis gyris in ſe retortum, magna vi diſtrahitur, & paxillis diſtentum tenetur, dum Sol frigidam excoxerit: ita ſemper, quò pœnarum vis acerbior ſit, ab vno extremo in alterũ tranſitur. Iam niue candidius, vt oſſa illa quæ diutiſſimè in furca pependerunt, nihil amplius videbatur tormentorum experturum; cùm ecce ſubitò forficibus diſcinditur, & infinitis acuum puncturis terebratur. Hinc ſordibus variis inficitur, quo rurſus noua ſit pœnarum occaſio, ex aliena culpa, acri ſapone illinitur, lixiuio maceratur, ab aliquibus etiam lixatur, ac deinde ingenti manuum vi tunditur, fricatur, torquetur, aqua frigida mergitur, exemptum Sole torretur; atque hoc tormenti genus tantiſper iteratur, dum fila filis hærent, tantiſper dum quicquã adhuc eſt quod eiſdem iniuriis ſubiici poſſit. Inquinatur vt lauetur, lauatur vt inquinetur; perenni quadam Ixionis rota, ad noua ſemper & vetera tormenta voluendum. Poſtremò, tot iam carnificinis prorſus dilaceratum, ad immundiſſimos vſus cõdemnatur, vt ſcilicet vel ſordidis vlceribus, & purulentis indatur, ad tetrum virus exſorbendum; vel ſpongiæ loco ſit in fœdo podice tergendo, vel aliis etiam locis virulentioribus emundandis applicetur. Dies me & verba priùs deficiant, quàm omnes iniurias lini queam recenſere; quid dico recenſere, cùm diu multumque per varia genera diſcurrendo vix centeſimam partem cogitatione aſſequar, nedum ſermone queam explicare. Quis enumeret, immò quis mente comprehendat, quot linum vulnera in veterum thoracibus pertulerit, quas tempe-

tempeſtates per omnia maria vltrò citroque ventis raptum quotidie patiatur,& ſemper ſit paſſurum; dum vel ſordidæ & inexplebili mercatorum auaritiæ, vel cruentæ diræq; regum ambitioni, vel piratis prædæ inhiantibus, vel miſeris piſcatoribus vitæ ſuæ ad alienam gulam explendam prodigis, vel aliis aliorum votis & cupiditatibus, quæ ſunt infinitæ, cogitur inſeruire. Quid nunc commemorem belluarum morſus, quibus & in mari & in terra obiicitur ad retia damnatũ; nulla ſua culpa, crebrò vel ipſum dilacerandum, vel miſera animalia ad lanienam hominibus traditurum? Sed quid ego in vanum laboro, dum pœnarum perſequor infinitatem? ſatius ſit de lini exemplo illud ad animum noſtrum transferre;vt quo pluribus in hac triſti miſeriarum valle calamitatibus affligimur,eo ſemper meliores euadamus: quod Plinius veriùs de lino dixit,quàm tempore ſuo intelligere quiuerit, cùm eius detriti vſus necdum tam latè, quàm nunc pateret. Poſtea enim quàm variis iniuriis iam ad minimas lacinias, & viles floccos, eſt detritum; ad nouam rurſus rapitur carnificinam,in qua multis piſtillorum ictibus aqua guttatim inſtillante, ad tenuiſſimam pultem redigitur,quæ quadrangulis reticulis hauſta, chartas dat omni Ægyptiorum papyro innumeris modis præſtantiores, quæ quot ſcribentium iniuriis expoſitæ ſint, nemo ignorat. qui modò ſciat, nihil tam nefarium, nihil tam ſceleſtum, nihil tam impium, nihil tam abominandum à peſſimo quoque cerebro cogitari, quod nõ lineæ chartæ,ingenti patientis iniuria,illinatur. Fuere Romæ lintei libri,venerandæ illi quidem antiquitatis; ſed nihil ad hos noſtros,quorũ tanta eſt nunc vilitas, vt linũ meritò conqueri poſſit,maximã ſuam,omniq. pretio maiorẽ,flocci fieri patiẽtiam, qua priùs opus fuit, quàm ad hoc tantũ perfectionis culmen adſpiraret. His itaq. de cauſis linum à patiendo nomen accepit, iniuria ſemper melius euadens, vt Plinius dixit: ante quem tamen multis ſæculis Eſaias nouerat, nihil eſſe quod pluribus tormẽtis ſit ſubiectũ,quàm linũ;quod hac demõſtrauit cõparatione: *Contriti ſunt quaſi linũ*; qua naturæ ſuæ nota non ab aliis modò ſatis eſt diſtinctũ,ſed ſymbolũ etiam præ ſe fert ad vitam bene inſtituendam vtiliſſimũ. Nomenclator enim,vt ſic onomatopœum vocemus, vbiq. diligentiſſimã curam adhibuit, vt ex ea rerũ proprietate nomina duceret, quæ momentũ aliquod vel ad mores formandos, vel ad ſcientiã in animis noſtris augendam,haberent. Quid verò in exigua totius humanæ vitæ orbita melius præſtantiusq. cogitari queat,quàm illud,cuius monitu ad patientiã inſtruamur; cuius, inquam, monitu illam conſequamur virtutẽ, per quam ſolam,animam noſtram & lucramur & poſſidemus? Qui enim ſe ſinit externis malis aut iniuriis turbari, is non habet animam in ſua poteſtate; ſed, veluti Triton quidam ventorum index,omni externo flatu, modò in hanc, modò in illam rapitur partem, numquam ſuus ipſius futurus, niſi patientiæ ancora ſe firmet. Nouit quidem & Socrates & Epictetus ingentes patientiæ opes: ſed ij ad veram & ſolidam patientiam pertingere nequiuerunt; eo quòd illam ignorarent, cuius ſolius dono animam noſtram à Cacodæmonis,& peccati, & mortis ipſius æternæ ſeruitute liberamus; de qua Vates noſter cecinit, *Tu es patientia mea Domine*. Nulla certè virtus eſt à gentium magiſtris celebrata, quæ animum magis noſtrum reddat, & eius poſſeſſionem cuſtodiat, quàm patientia: nec verò in poteſtate tantùm noſtra eum retinet; ſed quidquid in ea ſordium eſt & macularũ,eluit & expurgat. Aduerſa enim,& omnis iniuria,ſi æquo animo ferantur; non ſolùm eum non lædunt, ſed etiã veluti ignis aurũ, & nitrum veſtes,puriorẽ reddunt; & tandem efficiunt,vt reapſe intelligamus,nos à nemine quàm à nobis ipſis, lædi poſſe; in quo fortitudinis apex cõſiſtit. At hæc virtus, vt maxima quidẽ fuit,cùm in aliis quibuſdam,tum in Socrate; ita non potuit animum primi parentis labe contaminatum, & in perpetuam hoſtis ſeruitutem redactum, vel penitùs emundare, vel manu aſſerere in primam libertatem: quòd Chriſti patientiæ non eſſet innixa, quæ ſola, mortem perferendo, omnium animos à mortali veneno depurgauit. Noſtra igitur patientia, ipſius patientiæ per fidem, & ſpem, & caritatem inhærens, nos reddit omni lino candidiores. Quamobrem qui linum a patientia nominauit, voce hac perpetuò obuia perpetuum collocauit monumentum, ſemper nobis oſtenſurum, per patientiam omnem animis noſtris contingere perfectionem; non ſecùs atque linum tanto melius euadit,quanto pluribus pœnis fuerit excarnificatũ. Hoc eſt quod D. Paullus dixit, *Tribulatio patientiam operatur*. Et alibi, *Vt non ſegnes efficiamini, ſed imitatores eorum qui fide, & patientia hæreditabunt promiſſiones*. Quoties

Patientiæ laus.

igitur linum audimus, toties recordemur, nos patientia, perinde atque linum, continuò fieri debere meliores & albiores. Et hæc vna de præcipuis cauſſis fuit, vt ſacerdotes lineis veſtibus in ſacris vterentur; quo nimirum memores eſſent, omnem animis noſtris munditiem per tormenta eſſe quærendam: & quæcumque in ſacris fierent, ea omnia ad Chriſti paſſionem eſſe referenda; qua, tamquam ſolidiſſimo fundamento, patientia noſtra ſtabilita, nos eò perducit, vbi lino mundo & candido veſtiti, in ſplendidiſſima luce, felicitate perfruemur ſempiterna. Iam quemadmodum lini fructu ſiue ſemine omnia dolorum genera mitigantur & ſopiuntur; ita nihil eſt tam durum aut moleſtum in omni vita, quod patientiæ fructus non leniat, & ſuaue reddat. Sed quia, ſi omnem huius ſymboli latitudinem vellem dimetiri, & ſigillatim ſignificata examinare; volumen conſcribendū eſſet tota Marſi Iliade ſpiſſius: hic me continebo; hoc vnum huic etymologiæ corollarium addens, vt ſemper patientia noſtra linum imitemur, tantiſper dum candorem cæleſtem conſequamur. Puto me nunc ſatis oſtendiſſe, lini nuncupandi rationem è lingua noſtra petendam eſſe; & hac parte cerni, eam Græca & Latina non paullò eſſe vetuſtiorē: tum quia ab ipſa aliæ linguæ vocabulum hoc mutuentur, tum quia hinc perſpicuum fiat, quanto ſermonis noſtri architectus ceterarum linguarum factoribus in ſymbolis fingendis ſit accuratior & diuinior. A lino autem fit, vti dixi, linea: à qua voce ſi Scaligero demus litteræ nomenclaturam deriuari; neceſſe habemus concedere, eam ab ipſis primis ſuis natalibus eſſe noſtratem. Verùm nos in eo conſtanter perſiſtimus, hac voce nihil aliud ſignificari, quàm membrum ipſius vocis, & quidem minimum, per excellentiæ figuram, eo quòd pars, quo minor eſt, eo magis à totius natura recedat. Habemus itaque ex ipſa nominis notatione perſpicuam litteræ tum definitionem, tum orthographiam; quam Scaliger, cōtra omnem veterum & marmorum & librorum fidem, de falſa nominis ratione, corrupit.

Lineis veſtibus cur ſacerdotes vtātur in ſacris.

PERGAMVS ergo ad litteræ diuiſionem, quam multiplicem veteres tradiderunt, neſcio quæ accidentia litteræ affingentes. Accidit, inquit Priſcianus, Litteræ Nomen, Figura, Poteſtas; his quidam addunt Ordinem, quod Priſciano non placet; quoniam eum partem Poteſtatis litterarum eſſe dicat. Scaliger Poteſtatem accidens eſſe negat, ſed formam eſſe ait, qui ſit flexus in ipſa voce, tamquam in materia. Ego, quid dicat, non ſatis intelligo: hoc ſcio, vocem eſſe in aëre, tamquam in materia; flexum autem vocis nihil aliud eſſe, quàm inſtrumentorum vocalium actionem, de cuius differentia, tamquam de cauſſa efficiente, diuerſæ litteræ naſcantur. Si igitur de flexu agentium organorum loquatur; flexus erit in organis, tamquam in materia ſiue ſubiecto: ſi de eo quod diuerſitas flexuum parit & efficit; ipſum illud erit in voce, tamquam differentia in ſuo genere, perinde atque rationale eſt in animali. Vox enim cum hoc vel illo flexu, hanc vel illam litteram conſtituit; atque ita fit, vt poteſtas, ſi hic flexus ſit, vera ſit forma litterarum. Porrò quid hic flexus eſt, quàm ipſa pronuntiatio, cuius quot ſunt differentiæ, vt ſic dicam, eſſentiales; tot ſunt litteræ differentes? Ceterùm quia Poteſtas ſiue Potentia, plurimis modis in Philoſophorum ſcholis accipi conſueuit, nec additum eſt à Grammaticis, quo ſignificatu hìc poteſtatem intelligi velint: obſcura eſt eorum traditio. Equidem apud idoneos linguæ Latinæ auctores ſic poteſtatis nomen video vſurpari, vt eius nobis poteſtas eſſe dicatur, quod vel agere, vel facere poſſumus: qua ratione litterarum poteſtas generica eſſet, aures mouere; ſigillatim verò ſpecierum poteſtas, hoc vel illo modo auditus mouendi facultas: atque hanc Veterum ſapientiam fuiſſe, nihil dubito; quam pòſt Grammatici non ſatis aſſecuti, quia in naturalis ſcientiæ rudimentis minus eſſent exercitati, magnam pepererunt obſcuritatem. Referatur itaque poteſtas ad auditus notionem, non aliter à voce differens, quàm color à facultate viſum mouendi. Hinc liquet, vocales propriè mouentes, non verò mobiles, eſſe dicendas; ſi de poteſtate mobilitas & immobilitas ſit æſtimanda. Tantum, inquit Priſcianus, intereſt inter conſonantes & vocales, quantum inter animas & corpora. Animæ enim per ſe mouentur, vt Philoſophis videtur, & corpora mouent: corpora verò nec per ſe, ſine anima, moueri poſſunt; nec animas mouent; ſed ab illis mouentur. Vocales ſimiliter & per ſe mouentur, ad perficiendam ſyllabam, & conſonantes mouent ſecum; conſonantes verò ſine vocalibus immobiles ſunt. In his cernimus, vocales idcirco mobiles dici à Priſciano, quia per ſe mouentur ad perficiendam ſyllabam, &

Litteræ accidentia, Nomen. Figura, Poteſtas, & Ordo.

Vocales propriè mouentes, non mobiles dicendæ.

Conſonantes ſine vocalibus immobiles ſunt.

bam, & ſimul conſonantes mouent. Ceterùm hæc omnia abſurda & Phyſicis & Dialecticis videbuntur, & modo quodam à Philoſophorum auribus abhorrent. Quî enim vocalis mouetur, aut quî conſonantem mouet? Moueri non alia ratione dici poteſt, quàm quòd pronuncietur, & omnis vox motione fiat. Mouet autem conſonantem; quia dum ipſa pronunciatur, conſonans vnà pronuncietur. Nos ſimpliciter dicimus, litteris diuerſis diuerſas eſſe aurium mouendarum ſiue facultates, ſiue poteſtates; quæ ab ipſa aëris diuerſa percuſſione naſcuntur. Vocales autem & ipſæ per ſe enunciatæ auditum mouent, & conſonantibus adiunctæ. Conſonantes, quia per ſe ſoni non ſunt, ſed vnà cum aliis ſonant; per ſe aures mouere non poſſunt. Hinc factum, vt motionis mentio, citra quam nec vox fieri, nec aures pulſari queunt, ad Grammaticos venerit: qua non bene conſiderata, mobile & immobile litteris affinxerunt; vt illæ mobiles dicerentur, quæ per ſe aures mouerent; Vel, ſi omnino in patiendi ſignificatu placet manere, quæ per ſe poſſent pronunciari, id eſt, ex vocalium inſtrumentorum motione per ſe gigni. Eſſentia enim ſiue forma vocum, in aëre moto ſiue percuſſo, vti in materia qualitati ſubiecta, ſubſiſtit. Vocales itaque per ſe & auditum mouent, & in aëre moto per ſe gignuntur: Conſonantes verò fiunt motione quidem, ſed per ſe numquam vel efferuntur vel auditum feriunt. Conſonantes enim, Priſcianus inquit, ſine vocalibus immobiles ſunt: quod pronunciatum haud video quî cum ſemiuocalium definitione à Donato & Probo data, conſentire poſſit: cùm hi ſemiuocales ſic deſcribant, vt per ſe quidem proferri fateantur, tametſi ſyllabam per ſe facere non poſſint. Ceterùm cùm non ſatis liquidam orationem in riuis reperiamus; probè fecerimus, ſi progrediamur ad ipſos fontes, aut certè ad riuulos ſuperiores, & propiùs à fonte diſtantes. Hac in re bonam nobis operam nauauit Plato, ſingularis omnis melioris eruditionis theſaurus: is in Philebo litterarum diſtributionem ad ipſum Theut retulit, natione, vt putat, Ægyptium; in quo quid peccarit, nos alibi. Litteras itaque ſic partitur, vt alias Vocales, alias Semiuocales, alias Mutas dicat; & Vocales quidem per ſe vocem facere, ſic φωνὴν interpretamur; Semiuocales vocem per ſe quidem non facere; habere tamen quendam ſonum, quem vocant φθόγγον; at Mutas ne ſonum quidem vllum per ſe reddere. Ab hoc Philoſophorum principe Ariſtoteles ſententiam rogetur; qui in poëtica trimembrem item fecit elementorum diuiſionem, in qua Vocale illud dixit quod citra adiectionem vocem habet quæ exaudiri queat; Semiuocale, quod cum adiectione vocem habet quæ poſſit audiri, vt R & S; Mutum verò, quod ne cum adiectione quidem per ſe poſſit audiri; at cum iis quæ vocem habent, audiatur, vt G & D. Ariſtoxenus Muſicus vocalibus quidem vocem, reliquis verò litteris ψόφους, id eſt, ſtrepitus quoſdam tribuit. Halicarnaſſeus alteram addit diſtinctionem; in qua exemplaria, meo quidem iudicio, miſerè ſunt corrupta, tum quæ Robertus Stephanus Lutetiæ, tum quæ Wendelinus Rihelius Argentorati excudit. Quo loco itaque ſic habent, *δευτέρα δὲ, καθ' ἣν τῶν φωνηέντων ἃ μὲν καθ' ἑαυτὰ ψόφους ὁποίους δέ τινας ἀποτελεῖν πέφυκε, ῥοῖζον ἢ συριγμὸν ἢ τοιούτων τινῶν ἄλλων ἤχων δηλωτικά.* Ego, ſaluo aliorum arbitratu, ſic legendum exiſtimo: *δευτέρα δὲ καθ' ἣν τῶν οὐκ φωνηέντων ἃ μὲν καθ' ἑαυτὰ ψόφους ὁποίους δέ τινας ἀποτελεῖν πέφυκε ῥοῖζον ἢ συριγμὸν ἢ ἀποπτυσμοῦ ἢ τοιούτων τινῶν ἄλλων ἤχων δηλωτικά.* id eſt, Altera differentia eſt, qua eorum quæ vocalia non ſunt, elementorum, quædam ſonos quoſdam de natura ſua abſoluunt, ſtridorem, vel ſibilum, vel ſcreatum, vel aliquos alios id genus ſonos præ ſe ferentia. Et hæc quidem altera pars eſt ſecundæ diuiſionis; cui ſubiungitur ea quæ mutas complectitur. Quædam verò omni voce atque ſono carent, neque per ſe vllo modo ſonari poſſunt: hæc quidem *ἄφωνα*, altera hemiphona, quidam vocarunt: Latini illa muta, hæc ſemiuocalia dixerunt. Perſpicuum itaque, altera hac diuiſione non vocales, ſed conſonantes litteras, à Dionyſio diſtributas fuiſſe, quas nomine vocauit aoriſto, vt Ariſtotelis more loquamur, id eſt, ſignificationis non definitæ. Addidit Halicarnaſſeus aliorum item diuiſionem, qui elementa trifariam partiti, Vocalia quidem, quæ & per ſe & cum aliis ſonantur, nominarunt; Semiuocalia autem, quæ cum vocalibus melius quidem efferuntur; at per ſeipſa deteriùs & imperfectè; Muta verò, quæ per ſe neque perfectas neque imperfectas voces habent, verùm cum aliis dumtaxat efferuntur. Atque hæc quidem apud Dionyſium, alterum linguæ Græcæ, totiúſque artis dicendi, Ariſtarchum. Nobis ex his ſuſpicio ſuboritur,

Litterarum diuiſio in Vocales, Semiuocales, & Mutas.

vetuſtiſſimam illam quidem eſſe litterarum conſonantium diſtinctionem, qua in ſemiuocales & mutas diuiduntur; verùm non ſatis liquere, quæ vera vel mutarum vel ſemiuocalium eſſet definitio. Cùm enim Ariſtoteles apertè declaret, litteras non quoſuis inſectiles ſonos eſſe; ſed eos tantùm, ex quibus oratio conſtaret: non ſatis intelligo, quî dici queant ſemiuocales ſonum habere, cùm omnis hominis ſonus, quo quidem ſermo perficitur, vocalem habeat adiunctam, ſiue eam perfectè, ſiue imperfectè pronuncies. Quiſquis enim S pronunciabit; vel E, vel I, vel aliam vocalem auditui occinet: quòd ſi ſibilet tantùm, nulla addita vocali; iam non edet ſonum, qui pars orationis eſſe poſſit. Homerus vim venti deſcribens, oſtendit in ipſo etiam ſibilo vocalem audiri, dum dixit, ἴς ἀνέμοιο. Iam R littera, E videtur includere, dum ſola pronunciatur: dum enim canes irritamus, Er dicimus; atque inde littera canina vocata eſt, eo quòd canes ringentes eam quodammodo exprimere videantur. Idem in ceteris iudicium eſto. Quis enim L audiat, niſi E iungatur? quod ſiue perfectè ſiue imperfectè pronuncietur; à vocalium definitione excludi non poteſt: niſi fortaſſe ſermo imperfectus, ſermo non ſit; aut vox imperfectè pronunciata, vox eſſe deſinat. Sit ſane non omnibus numeris abſoluta; ob eam ne cauſſam vocem eſſe negabis? Quaſi verò homo turpis, aut claudus, ab hominis definitione ſit eximendus. Forma vocis eſt, vt audiatur; quod fieri non poteſt citra vocalium pronunciationem, ſiue ea perfecta, ſiue imperfecta. Eſt tamen hæc omnium Veterum traditio, quam neſcio qui Dialecticis acutioribus probare poſſint: nec aliam ſecutus eſt Terentianus, cuius verſus Sotadæos hac de re adſcribere operæ pretium non putaui. Qui volet cognoſcere, quot ſe difficultatibus implicent Grammatici; Priſcianum, Donatum, Probum, & ceteros antiquos, & inter recentiores Scaligerum, conſulat, qui ſemiuocalem putat, non quia vocali præpoſita enuncietur, ſed quia natura talis ſit, vt perinde atq. S, obſcurũ quendã habeat ſonũ; qua de re quid ſentiam, aut ſi maius quid non intelligam, modò dixi: & lubenter Scaligerũ rogarem, an eundem obſcurum ſonum in Phi Græcorũ exaudiat, quando ea littera in locum F Latinorum ferè ſuccedat, vt in Fama, & φήμη, φῶρ, & fur, & ſimilibus cernas. Verùm valeant hæc exiliũ curarũ impedimenta, quæ cùm multis tricis implicant Grãmaticos magiſtros, tũ nihil prorſus vtilitatis adferũt auditori. Nos itaq. pace illorũ, quos hìc intricatos videmus, licet graui eorũ premamur auctoritate, veterũ voces in conſonantibus diſtinguendis ſeruantes, alias iis, quàm Grammatici, definitiones aſſignabimus; quas non è poteſtate, vt quidam; aut nominibus, vt alij; ſed ab artificio & vſu linguæ petemus. Quia enim nihil emolumenti ex aliorum diſtinctione video proficiſci, nec vllum hactenus ſcriptorem definitionem ſuam poſſe tueri: putaui ſatius eſſe, ad illud confugere diſcrimen, quo conſonantes à conſonantibus in eadem ſyllaba differunt; & eas quidem dicere ſemiuocales conſonantes, quæ proximæ vocali in pronunciatione cohærent, ita vt coaluiſſe videantur; Mutas verò, quæ longiùs à vocalibus in eadem ſyllaba recedunt, minúſque ſoni eius participes fiunt quàm proximè cohærentes. Semiuocales enim & Mutæ illic dumtaxat appellationis ſuæ locum habent, vbi duæ conſonantes in eadem ſyllaba vocalem vel præcedunt vel ſequuntur. Atque hinc fit, vt eædem conſonantes alibi ſemiuocales ſint, alibi mutæ. Tau enim in Sto, eſt ſemiuocalis; in Eſt, muta. Lambda & Rho omnium ferè conſonantium collatione ſemiuocales eſſe poſſunt: quia in eadem ſyllaba vocali adhæreſcant, & quaſi ſono commiſceantur; vt in Patrem, Blæſus, Flaccus, Gloria, Precor, & ceteris generis eiuſdem, in quibus omnibus conſonans præcedens muta cenſetur, quia longiùs à vocalis ſono recedit, cuius beneficio pronunciatur, & aures pulſat. My littera muta eſt, comparatione Ny in Mna, Mnemoſyne, Scamnum, Damnum; in quorum duobus poſtremis My & Ny ad ſyllabam poſteriorem referenda, quia nimirum in principio dictionis in eadem ſyllaba reperiuntur, quæ communis eſt ſyllabarum diſtinguendarum regula. Lambda, Rho, Ny, nuſquam mutæ ſunt, nec præpoſitæ, nec poſtpoſitæ vocali. Mutarum itaque atque ſemiuocalium diſcrimen ad litterarum in proferendo ordinem ſpectat; & illæ quidem minùs ſonant, quia longiùs ab anima vocis, qua papellatione vocalem meritò dignamur, recedunt: quod apertiſſimè cùm in aliis, tum in hac ipſa voce Dignor, licet audire; in qua N ſemiuocalis, G muta ſentitur. Priſcianus quadamtenus hoc ſubodoratus eſt, dum dixit, Omnis enim littera, ſiue vox, plus ſonat ipſa ſeſe cum

R quare dicatur littera canina.

Semiuocales conſonantes. Mutæ conſonantes.

cùm poſtponitur, quàm cùm anteponitur: quod equidem verum eſſe fateor in conſonantibus in eadem ſyllaba vocalem præcedentibus; in ſequentibus nequaquam. Quis enim in Ars, non audiat Rho magis ſonare, quàm Sigma? Et in Eſt, magis ſonare Sigma, quàm Tau? Spectabat ergo priſca hæc conſonantium diuiſio ad ordinem litterarum in eadem ſyllaba: quod non animaduertentes Grammatici, longè aberrarunt, non habentes qua de cauſſa vel Mutæ vel Semiuocales dicerentur; atque idcirco falſum quoddam conſonantium diſcrimen inductum eſt, quòd quia cum veritate non conſentiebat, alius aliter quæſiuit & deſcripſit. Nos vel hæc nomina, vt prorſus inutilia, & controuerſiæ numquam definiendæ plena, reiicimus; vel ad ordinem referimus conſonantium in eadem ſyllaba coniunctarum. Priſcianus ordinem partem eſſe vult poteſtatis, quod Philoſophus Grammatico non facilè concedet. Poteſtas enim abſoluta eſt à collatione ad aliam litteram; ordo niſi inter plura elementa non reperietur. Ordo vel eſt à natura, vel ab arbitrio, vel ab vtroque, certa rerum ſecundum prius & poſterius collatio, tot modis varianda, quot modi Prioris & Poſterioris reperiuntur. Procedit igitur ordo è poteſtate litterarum naturali, non vt pars poteſtatis, ſed vt litterarum ſecundum poteſtatem in pronunciando debita collatio. Scaliger, vt & illud obiter annotemus, quandoquidem propoſito noſtro annexum eſt, huic voci, Ordo, Græcam *Ordo.* aſſignauit originem, ex ὅρον δῶ adſpirationem Æolico ritu ademptam dicens. At ego pro certo mihi perſuaſum habeo, à Cimbris, apud quos hactenus eius vſus eſt, vocabulum hoc ad Latinos veniſſe; nec ad Latinos tantùm, ſed etiam ad Hebræos. Or Or. apud nos principium notat, vt mox docebo. Hinc Ort in corporibus illud exile Ort. eſt, vnde corpora incipiunt; vt in gladiis, pugionibus, aciculis, & id genus aliis: At dum ad locum refertur, illum locum ſignat, qui vnicuique ab origine & principio debetur: exempli cauſſa, Tis mijn ort/ id eſt, eſt locus mihi aſſignatus, ſiue debitus. Omnis enim ordo à primo principio dependet, quod vnum eſt, omnia certa quadam catena à ſummis ad ima vſque connectens, quam Iupiter apud Homerum ſe dicit tenere. Omnibus ergo, vt Ariſtoteles docet, natura ordinis cauſſa eſt; vt meritò nomen inde ducat ordo, vnde ducit eſſentiam. Sumpto igitur nunc eo, quod mox Platonis auctoritate, & ratione deinde confirmabo, ipſum Tau vinculi naturam in vocibus habere; dicimus Ort nihil aliud denotare, quàm vinculum illud, quo res omnes principi ſuæ cauſſæ, quæ Or dicitur, alligantur. Vidéſne nominis explicatu omnem ordinis rationem contineri; quæ tota in eo conſiſtit, vt omnia primæ cauſſæ certa quadam ſucceſſione copulentur, ad eum modum, quem in catenæ annulis cernimus? Hæc enim eſt illa catena, cuius firmitate ſeruantur omnia; à qua niſi pendeant, è veſtigio intereant neceſſe eſt: quandoquidem niſi omnia eſſent coordinata ad vnum, vt libro duodecimo primæ Philoſophiæ traditur, omnia ſtatim perirent. Ort itaque de vera ſua interpretatione, ſignificat locum cuique à principio primo, quod eſt ipſum vnum omnibus boni & eſſentiæ exordium, attributum: à qua voce Orden eſt ipſa debita rerum collocatio, quæ omnibus boni & firmitatis cauſſam à primo principio adfert. Hinc eſt quòd omnia ordinata naturam confirment, non ſecus atque exercitus ab ordine vires ſibi ſumit: firmitatem autem naturæ noſtræ ordine conſeruari, ipſa monſtrat delectatio, quæ in omnibus eo maior eſt, quo quæ efferuntur, ſunt ordinatiora: quod clariſſimè in concentu ſentitur, è quo, quamdiu rectus vocum ordo tenetur, vehementiſſimè delectamur: at ſi qua vox locum ſuum deſerat, offendit. Hebræi plurima vocabula noſtratia litterarum tranſpoſitione corruperunt: inter quæ eſt & hoc, de quo agimus, תור: Tur enim dicunt pro Ort; quo loco Vau per o, non per v, erat pronunciandum. Cùm igitur vox hæc communis ſit nobis, Latinis, & Hebræis; ex ea lingua ad alias venit, in qua vera ſignificandi cauſſa reperitur; quam noſtram eſſe tantiſper tenebo, dum quis in Tor rationem dabit rectiorem, meliúſque quid ordo ſit, vnde proficiſcatur, quid rebus præſtet, explicantem. Ab Ort fit Hort aſpiratum, & Hort. vocalem producens, quo ſignificatur proprium cuiuſque eſſe, ſiue id quod rem vnamquamque decet. Het hort my to/ id eſt, meum eſt, vel mihi debetur: hinc Græcorum ὅρος, pro termino, & definitione; eo quòd his, quid cuiuſque proprium ſit, oſtendatur. ὅρος. Quamobrem vt darem Scaligero, Ordinis vocabulum ab ὅρος deriuari; ex eo tamen rurſus efficeretur, primam radicem noſtratem eſſe. Græci pro ordine, τάξιν dicunt;

τάξις. cunt; quod item de fonte noſtro manauit: Ax enim æſtimo ſignificat, To/ ad; hinc To ax/ & ſyncopes beneficio, Tax eſt, quicquam alicui æſtimatione mea addico. Locus itaque cuique vel à natura, vel à cuiuſpiam æſtimatione addictus, τάξις dicitur. A Tax

τάσσομαι. τάττομαι. fit τάσσομαι, mutato X in geminum S; & hoc rurſus mutato in Tau, fit τάττομαι, à quo τάξις. Fateantur ergo & Græci vel has voces à radice noſtras eſſe, vel meliorem aſſignent ſignificationis rationem. Et hæc quidem de litterarum ordine; quem non attigiſſem, niſi Semiuocalium & Mutarum mentione ad eum fuiſſem compulſus: de quibus ſuam cuique opinionem liberam relinquens, meam aperui ſuſpicionem; de qua quid alij ſint cenſuri, mea vel nihil, vel perparum intereſt; eo quòd mutarum & ſemiuocalium diſcrimine non ſim nec in Analogia nec in Etymologia vſurus: hoc vnum

Syſtaſes litterarũ in Cimbrica lingua. monuiſſe contentus, plures eſſe Mutarum & Semiuocalium ſyſtaſes apud nos, quàm apud Latinos, vel Græcos, vel Hebræos; atque idcirco hac parte linguam quoque noſtram eſſe ditiorem. Vnum certè Tau omnibus aliis conſonantibus in eadem ſyllaba præponitur; quod alio in ſermone inuenire non poſſis: vnde fit, quod mirabile videtur, vt duo Tau in vna ſyllaba vocalem aliquando præcedãt; vt dũ dicimus pro het ſteenken/ T'ſteenken. Eadem littera poſt multo plures alias conſonantes, quàm in vlla alia lingua, ſyllabam claudit: vt Abt/ Hact/ Oft/ Hangt/ Acht/ Alt/ Namt/ Hant/ Kopt/ Hart/ Haſt/ Anrt: In Sotſt etiam poſt ſeipſum interiecto Sigma, vt ante ſeipſum in T'ſteenken. His itaque & aliis Syſtaſibus apud alias gentes non vſurpatis, verborum copia longè maior euadit, quàm ſi paucioribus eſſemus alligati: qua in re non parum eſt momenti ad maiorem ſermonis perfectionem: quamquam in ea accuratam complexionum enumerationem breuitatis cauſſa relinquo; ne bis fiam odioſus, ſemel inſolenti apud Latinos linguæ noſtræ prædicatione, rurſus prolixo in vocibus ignotis explicatu.

TEMPVS eſt, vt hac & ceteris diuiſionibus litterarum omiſſis, ſingulas inſpiciamus; & ea in iis conſideremus, è quibus, ad veras nominum rationes eruendas, aliquid accedat emolumenti. Quærenda enim in ipſis elementis ratio, ob quam aliæ voces aliis rebus deſignandis ſint aptiores; & ex iis de ſymbolis iudicandum, rectène an ſecus, à ſermonis architecto fuerint è litteris concinnata. Hinc enim liquebit, quæ vocabula prima ſint, quæ ab aliis deriuata; & prima quidem, quæ non ad alias voces ſignificantes, ſed ad ipſa prima & ſimpliciſſima elementa reducuntur. Quia verò ſermo vocabulis componitur; is primus dici non poterit, qui vocum ſuarum cauſſas è ſimpliciſſimis elementis non docebit; qua è re, tota de prima lingua rectè iudicandi pendet facultas.

Vocum primarum ratio tota de ſono litterarum pendet. Quando itaque primarum vocum ratio tota de ſono litterarum pendet, quibus, tamquam pigmentis, res ipſæ denotantur, imitatione quàm fieri poteſt proxima expreſſæ; malo aliorum hac in re ſententiam aperire, quàm meam, citra auctoritatem, multis rationibus firmare: ne videar id elementis adſcripſiſſe, quod maximè primis noſtris vocabulis ad originem vocandis conuenire prouidiſſem: quod vbi fecero, exemplis paucis docebo, quàm inſigni artificio Onomathetes noſter vſus fuerit in nominibus primis ponendis; quorum recta ratio, ceterorum quoque quæ ex his vel componuntur, vel deriuantur, cauſſas oſtendet. Audiamus itaque principio principem phi-

Platonis ſententia de vocum primarũ ratione. loſophorum Platonem, apud quem hæc ſententia tenus Socrates Hermogeni: Opinor equidem, ô Hermogenes, ridiculum viſum iri, ſi oſtendatur, res ipſas litteris & ſyllabis ad imitationem quandam expreſſas eſſe: Attamen ſic eſt neceſſe. Neque enim quicquam melius habemus, quo veritatem primarum vocum referamus; niſi perinde atque Tragœdiæ ſcriptores, cùm eos ratio quapiam in re expedienda deficit, ad Deos confugiunt: ita & nos dicamus, primarum vocum Deos auctores eſſe, & idcirco rectè habere; hocque modo reſpondendi munere defungamur. Num igitur & hæc optima nobis ratio videtur; an illa potior, quòd multa nomina à Barbaris ſimus mutuati, qui nobis ſunt vetuſtiores; an verò quod ob antiquitatem, in ipſis non magis, quàm in Barbaris, veritas queat peruideri? Hæc enim omnia effugia eſſe poſſent ei qui rectam primorum nominum rationem reddere nolit; & illæ quidem perelegantes. Atqui vt quis primorum nominum rectam rationem non norit, ita nec poſteriorum nouiſſe poterit, quæ neceſſe eſt ex illis, de quibus nihil ſciat, declarentur. Alioqui perſpicuum eſt, qui ſe dicat horum artificium tenere, eum oportere habere quàm maximæ & quàm rectiſſimæ in nominibus primis demonſtrationis facultatem; aut certè nouiſſe de poſterioribus

rioribus nugas ſe venditurum. Num aliter tibi videtur? Hermog. Nequaquam aliter, ô Socrates. Socr. Quæ igitur de primis nominibus equidem ſentio, mihi ſanè quàm ſimillima inſigni ludibrio & deriſioni, nedum ridicula, videntur. Hæc itaque tibi, ſi velis, communicabo; tu verò, ſi quid alicunde melius accipere potueris, communicare item mihi tentato. Hermog. Ita faciam: at dic audacter. Socr. Primum ergo ipſum Rho mihi videtur veluti inſtrumentum quoddam eſſe omnis motionis; quæ quidem quare nobis κίνησις vocatur, non facilè dixerimus: ſed enim clarum, quòd ἴεσις; id eſt, progreſſus quidam ſit. Neque enim η, ſed ε littera quondam vtebamur. Principium autem à κίειν, voce peregrina, qua ἰέναι, id eſt, ire, notatur. Si quis igitur vetus ipſius nomen inuenerit, voci noſtræ congruens, ἴεσις rectè dici queat. At nunc à κίειν peregrino verbo κίνησις vocata eſt, mutatione ex ε in η facta, & interiecto ν. Oportebat autem κίεισιν, vel εἶσιν. Quies verò per negationem progreſſionis nomen poſceret; at elegantiæ gratia, ςάσις nominata eſt. Porrò Rho elementum, vti dico, pulchrum motionis inſtrumentum ei viſum, qui nomina condidit ad lationem ſoni ſimilitudine exprimendam. Ad hanc itaque frequenter eo vtitur; primò quidem in ῥεῖν καὶ ῥοῇ, id eſt, fluere & fluxu, per hanc litteram lationem imitatur; deinde in τρόμῳ, id eſt, tremore; pòſt in τραχεῖ, quod eſt aſperum: inſuper in talibus verbis quale eſt κρούειν, pulſare; θραύειν, frangere; ἐρύειν, trahere; θρύπτειν, terere; κερματίζειν, trucidare; ῥέμβειν, vertere. Hæc omnia per litteræ Rho plerumque ſimilitudinem exprimit. Neq. enim, vt opinor, linguam in eo quietam ſino, ſed concutio. Rurſus littera Iota ad omnia tenuia, quæ maximè per omnia penetrare queant, quamobrem ἰέναι & ἵεσθαι hoc elemento imitatur. Quemadmodum per φ & ψ & σ & ζ, eo quòd flatuoſæ ſint litteræ, omnia id genus imitatus, per ipſa nomina componens, vti ψυχρὸν, frigidum; ζέον, feruens; & σείεσθαι, concuti; & σεισμὸς, concuſſio vocatur: & vbicumq. flatuoſum quidquam imitari Nomenclator vult, eiuſmodi litteras inducere videtur. At verò litteræ Δ cõpreſſionem, & ipſius T vnà cum linguæ innixu, & ſuſtentationis vi, vtilem videtur exiſtimaſſe, ad vinculi & ſtationis imitationem. Quoniam porrò maximè labat lingua in Lambda proferendo, id animaduertens aſſimilator, nomina ex eo fecit λεῖοι pro lęuibus, & verbũ ipſum ὀλισθάνειν pro labaſcere, & λιπαρὸν pro pingui, & κολλῶδες pro glutinoſo, & id genus alia omnia. Quatenus verò labanti linguæ litteræ γ facultas ſuccurrit, eatenus per γλυκὺ dulce, & per γλοιῶδες lubricum. Iterum ſonum V intus hærentem ſentiens, ἔνδον & ἐντὸς dixit pro intus, res ipſas ſimilitudine litterarum exprimens. Iam & ω magno tribuit & longo ipſum η, quoniam litteræ magnæ ſunt. Cùm verò ad ςρογγύλον, id eſt, rotundum, opus haberet ο, plurimũ eius admiſcuit, vt exprimeret rotunditatem. Ceterùm & alia tum per litteras, tum per ſyllabas rebus ſeruire cogit nomenclator, vt & ſignum faciat & nomen. ex his verò reliquas formas his ipſis componere imitatur. Hæc mihi videtur, ô Hermogenes, nominum rectitudo eſſe. Hæc Plato: quem vellem omnium elementorum ſonũ diligenter tradidiſſe; quod quia non fecit, ex aliis, quoad fieri poteſt, reliqua nobis vocalia pigmenta ſunt petenda. Dionyſius Halicarnaſſeus, acerrimus ſermonis Græci cenſor, ſic α longum pronunciari dicit, vt os aperiatur plurimum, & ſpiritus ſurſum ad cælum feratur: η verò quod noſtrum E longum eſt, ſic ſonandũ, vt oues balant; efferri vult vt ſonus ad linguæ baſim firmetur, & os minus quàm in α longo recludatur: O magnum, rotundum ſonum habere dicit: I longum, circa dentes ſpiritum eliſo & ore minimum recluſo: Lambda lingua ad cælum ſublata: Mi labiis compreſſis. Reliqua, quæ addit, non admodum nobis conducunt; eoque breuitatis cauſſa, & quia liber eius De nominum compoſitione paſſim doctorum manibus teritur, hìc omittentur. Hoc tamen addam, Lambda ſuauem ſonum reddere, & Rho aſperrimũ, My & Ny medium quiddam habere, & per nares efferri ſono quodam cornicinum: Sigma verò ingratum, & inſuaue eſſe, & odioſum valde, & moleſtum, ſi frequentetur: ſibilum enim ferinam & brutalem potius vocem, quàm ad humanam pertinere; & veteres idcirco rariùs eo vſos fuiſſe. fuiſſe item qui carmina fecerint aſigma, in quibus totis nullum Sigma reperiretur. Hæc Dionyſiaca Allemannos & Sueuos malè habebunt, qui non alia magis de cauſſa Saxſones, & reliquos Germanos, derident; quàm quòd ſtudioſè Sigma vitent; quòd ipſi contrà, tamquam generoſiſſimum elementum, magno ſpiritu efflant, pro Dat Das / pro Wat Was / & ſimilia pro ſimilibus di-

Litterarum diuerſi ſoni ex Platone, Dionyſio Halicarnaſſeo, Martiano Capella, &c.

Allemãni & Sueui deridẽt Saxſones & reliquos Germanos. quòd ſtudioſè Sigma vitent.

bus dicentes. In duplicibus autem ſemiuocalibus, Zeta maximè laudat, de ſoni ſuauitate. Mutarum hanc habet pronunciationem, vt P cum ſua adſpirata & media extremis labris efferat, dum ſpiritus ex arteria propulſus oris compreſſi vinculum ſoluit: D verò cum ſociis ita profert, vt lingua ad ſuperiores dentes figatur, ſpiritu per dentes eliſo: reliqua deinde tria, Cappa, Chi & Gamma, linguam ſuperius ad laryngem dicat referre. Atque hæc omnia ea de cauſſa diligentiſſimè diſcuſſit, quo doceret, qua nominum compoſitione ſermo ſuauiſſimus redderetur. Nobis alia ratione ſunt examinanda, quo nimirum intelligamus, quæ vocum pigmenta, quibus rebus deſignandis ſint accommodata. Nunc ad Latinos deſcendamus, vt ex iis litterarum quoque vis & poteſtas cognoſcatur. Martianus Capella formationem litterarum ad hunc modum exſecutus eſt: A, ſub hiatu oris congruo ſolo ſpiritu memoramus: B, labris per ſpiritus impetum recluſis edicimus: C, molaribus ſuper linguæ extrema appulſis exprimitur: D, appulſu linguæ circa ſuperiores dentes innaſcitur: E, ſpiritus facit lingua paullo preſſiore: F, dentes labrum inferius deprimentes lingua palatoque dulceſcit: G, ſpiritus cum palato: H, contractis paullum faucibus ventus exhalat: I, ſpiritus prope dentibus preſſis: K, faucibus palatoque formatur: L, lingua palatoque dulceſcit: M, labris imprimitur: N, lingua dentibus appulſa collidit: O, rotundi oris ſpiritu comparatur: P, labris ſpiritus erumpit: Q, appulſu palati ore reſtricto: R, ſpiritum lingua criſpante corraditur: S, ſibilum facit dentibus verberatis: T, appulſu linguæ dentibus impulſis excuditur: V, ore conſtricto labriſque promulis exhibetur: X, quidquid C & S formauit, exſibilat: Y, appreſſis labris ſpirituque procedit: Z verò idcirco Appius Claudius deteſtatur, quòd dentes mortui, dum exprimitur, imitatur. Hæc Capella in Mercurij & Philologiæ nuptiis, nec hac nec illo ſat benignè fauente. Doctius numeroſiuſque Terentianus Maurus de eadem re hos nobis verſus dedit:

Vocaliũ pronunciatio ex Terentiano Mauro.

Nunc ſingula quam poßideant in ore ſedem,
Ictúſque ſuos concipiant, & vnde rumpant,
Vt quiuero verſu blaterabo Sotadæo.
A prima locum littera ſic ab ore ſumit,
Immunia rictu patulo tenere labra,
Linguamq́ neceſſe eſt ita pendulam reduci,
Vt niſus in illam valeat ſubire vocis,
Nec partibus vllis aliquos ferire dentes.
E quæ ſequitur vocula diſſona eſt priori,
Quia deprimit altum modico tenore rictum,
Et lingua remotos premit hinc & hinc molares.
I porrigit ictum geminos prope ad ipſos,
Minimumq́ renidet ſupero tenus labello.
O Graiugenûm longior altera eſt figura.
Alter ſonus atque temporum nota variata
Compendia noſtri meliora crediderunt,
Vocalibus vt non niſi quinque fungeremur;
Productio longis vt daret tempora bina,
Correptio plus tempore non valeret vno.
Hinc ἦτα minus ſcribimus, hinc & ω ſupremum;
Vna quoniam ſat habitum eſt notare forma,
Pro temporibus quæ geminum miniſtret vſum.
Igitur ſonitum reddere cùm voles minori,
Retrorſus adactam modicè teneto linguam:
Rictu neque magno ſat erit patere labra.
At longior alto tragicum ſub oris antro
Molita rotundis acuit ſonum libellis.
Y quam memorant, vocibus auia eſt Latinis;
Vocalibus autem quoniam iugata Græcis,
In noſtra etiam verba dabat frequenter vſum.
Subiecimus illam, cui nomen V dederunt,

Vocalem,

Vocalem, ſonantes ſibi quæ iugaret omnes,
Et ſola ſonum redderet ex ſua figura,
Quem ſcribere Graius, niſi iungat OY, nequibit:
Hanc edere vocem quoties paramus ore,
Nitamur vt O dicere; ſic citetur ortus:
Productius autem coëuntibus labellis,
Natura ſoni preſſior altius meabit.

Atque hæc quidem de vocalium pronunciatione; in quibus poſtrema quæ de Y & V canuntur, in exemplari Colinæi, quod ſolum mihi ad manum eſt, ſic corrupta ſunt, vt Ramus ea tranſiliuerit; id contentus annotaſſe, Vocali V proprium ſonum non ſatis apertè à Terentiano aſſignatum; nec ſoli V id conuenire, vt ſonum reddat ex ſua figura: in quorum vtroque, mea quidem ſententia, fallitur. Nam integrè ſonum V expreſſit, aiens, in V pronunciando, ſoni initium idem eſſe cum O; verùm in progreſſu labella coire, & productius exſtare: quod dum fit, figura ipſius litteræ labris formatur, quam in aliis vocalibus non inuenias. Nicolaus Briſſæus egregiè has difficultates diſſimulat, eo interim longiſſimè errans, vt Ramo erroris cauſſam præbens, quod dum Terentianus dicit, *Hanc edere vocem quoties paramus ore*, ſcribat in commentariis, de ſono Υψιλοῦ locum intelligendum. Nec mirum tamen nihil hîc rectè ab vtroque de Terentiani ſententia cogitatum; cùm eius generis mendæ ſint, nihil vt ſani, his non expurgatis, elici queat. Nos itaque pro *Ama*, vt eſt excuſum, *Auia* repoſuimus, quia nulla vox Latina per hanc litteram eat: quod paullo pòſt ſic Terentianus expreſſit: *Terentiani Mauri verſus reſtituti.*

Tertiam Romana lingua quam vocant Y, non habet;
Huius in locum videtur V Latina ſubdita.

Rurſus pro, *Quam ſcribere Graius*, repoſui, *Quem ſcribere*; ad ſonum nimirum, non ad figuram ipſius V referens: deinde pro Y lego OY, vt dicatur Graium hunc ſonũ ſcribere non poſſe, niſi O & Y iungat. Quod Terentianus ipſe alibi his verbis confirmat:

Græca diphthongus ου litteris tamen noſtris vacat,
Sola vocalis quod V complet hunc ſatis ſonum.

Huc ſpectat & illud Auſonij:

Vna eſt in noſtris quæ reſpondere Lacones
Littera, & irato regi placuere negantes.

Iam illud, *Nitamur vt V dicere, ſic citetur ortus*: nos legimus, *Nitamur vt O dicere, ſic citetur ortus.* Nam V & O principium pronunciationis idem habent: cùm in vtroque lingua retrò agatur in ſoni exordio, qui in fine differt; quòd V prominentibus labellis, & ad formam V retrò compreſſis, altiùs enuncietur: O verò rotundo rictu, lingua & labiis reductis, ſonum finiat: quod vt nec Ramus, nec Syenei præfecti Scholiaſtes, Nicolaus Briſſęus, eruere de mendarum tenebris quiuit; ita magnũ operæ habet pretium, ſi diligenter conſideretur: propterea quòd ex eo cauſſa cernatur, ob quam in priſco litterarum numero, hactenus apud Hebræos conſeruato, & à nobis pòſt opportuniùs explicando, duæ vocales V & O non diſtinguantur figura; tametſi pòſt punctis adiectis cœperint diſcerni. Neque Hebræi tantùm, vt pòſt neceſſariò erit repetendum, ſolam vocalem V ſcribebant; ſed Tuſci etiam & Vmbri Italiæ populi vetuſtiſſimi, figura ipſius O carebant, V eius loco ponentes, Plinio apud Priſcianum teſte: quamquã non dubito quin, perinde atque Iſraëlitæ, ſonum vtriuſq. litteræ vſurparint. Sed hac de re pòſt copioſiùs, cùm figura ipſius Vau ad cauſſam ſuam deducitur; quæ qualis apud antiquiſſimos fuerit, non antè poterit ignorari, quàm grues aciei ſuæ inſtruendæ rationem obliuiſcentur: de quarum volatu Palamedes hanc litteram fingitur inueniſſe. qua de re ſic Martialis:

Turbabis verſus, nec littera tota volabit,
Vnam ſuſtuleris ſi Palamedis auem.

Hæc itaque ſingulare id habet, iuxta Terentiani ſententiam, vt ſola ſit inter vocales, quæ figura ſua doceat, quem ſonum poſtulet; hunc nimirum qui labris interius ſtrictis, & exterius prominentibus, & modicè diductis, fiat; quæ promula ſiue prominula dixit Martianus. Errant tamen & Terentianus & Capella, ſi verum eſt quod Ramus tradit; ſonum ad inferius labrum tendere. Verùm hîc eundem ſonum ſibi fingit ipſius V qui

eſt in Y Græcorum, & ne illum quidem integrũ. Veteres enim ſic Ypſilon pronunciarunt, vt boues mugiunt; ſi verum eſt, μυκάω bubulam vocem prima ſyllaba imitari. Hinc liquet ſonum ipſius fuiſſe, quàm quintæ apud Latinos vocalis, tenuiorem; cùm hic tam craſſus fuerit & rotundus, vt O & Y commiſceret. Videntur igitur non ſine vitio tam craſſè & denſè hanc vocalem pronunciaſſe Latini, vt idem quod diphthongus ſonaret; aut ſaltem id confitendum, in pronunciando Mugio eos peccaſſe, & ceteris omnibus quæ per Ypſilon Græci rectè pronunciant. Nam ſi ratio integra Latinis ſeruaretur; oporteret alium in Mugio, alium in Muſa, ipſius V ſonum eſſe; atque ita triplicem ipſius ſonum inueniremus, non modò geminum; duos quidem, ſolis temporibus, breui & longo, diſtinctos; tertium denſiorem & rotundiorem, ex O principium capientem, & in V tenue ſiue Ypſilon finitum; qui perperam videtur à Latinis in omni loco ſeruatus, pro eo ac Terentianus fatetur, huius vocalis eandẽ cum ſono diphthongi Græcorum eſſe ſcribens pronunciationem. Nam quòd Ramus hîc Latinos potius ſequitur quàm Græcos, faciat ille quidem id ſuo iudicio: ſed nobis non perſuadebit, vt pedanei ſimus.

Artium parens & altrix Græca diligentia eſt:
Litterarum porrò curam nulla gens attentiùs
Repperit, poliuit vſque finem ad vnguis extimum.

Vtor libenter hîc Terentiani verſibus; qui ſi vſquam alibi, hîc maximè locum habere mihi videntur. Diſtinguatur igitur ſonus in Mugio, à ſono in Muſa, & vltima Mænandrum, dum fabulam Męnandrum apud Terentium legimus; tametſi V in Mugio longum ſit: geduinus enim V ſonus is eſſe deberet qui eſt in Y Gręcorũ, ſiue longum id ſit, ſiue curtum; atque ita diphthongus ex quarta & quinta vocalibus, non minus Latinis quàm Græcis, fuiſſet ſcribenda, ſi ſonorum diſcrimina figuris æquare voluiſſent. Quòd autem tam craſſè V vocalem efferre ſoleant Latini, vt ſoni initium ex O inciperet, & diphthongo Græcorum ου ad amuſſim reſpõderet; è Plauti verſiculis perſpicuum redditur, in quibus Mænechmo Peniculus cum ſtomacho reſpondet:

ME. *Egon' dedi?* PE. *Tu tu inquam. vin' afferri noctuam,*
Quæ Tu Tu vſque dicat tibi? nam nos iam nos defeſſi ſumus.

Qui enim noctuæ vocem imitari velit, pronunciet oportet Græcorum diphthongum, & eam quidem porrectis labellis, vt eorum interſtitio figuram V litteræ exprimat. Non igitur ex Auſonio tantùm, & Terentiano, & ceteris; ſed ex ipſis etiam noctuis huius vocalis apud Romanos ſonus dici poteſt. Germanus autem, & tenuior V ſonus, Ypſilon Græcorum imitari debuiſſet: quod tam tenuiter pronunciari ſolere, cognomen ψιλὸν indicat; quo non diſtinguitur ab alio elemento, quàm ab eo ſono quem per diphthongi figuram notabant. Neque enim collatione Iota tenue dici poteſt; cùm Iota ſit ſubtiliſſimum omniúm elementum, nec ſonus huius idem ſit cum ſono illius. Boues certè vocem non mutarunt; à quibus mugientibus ſonum Y diſcas, ſi rectè μυκάω ſit formatum. Ariſtophanes item in Auibus cuculi vocem κόκκυ ſcripſit; quo audito, non ſolùm hoc ſcies, quando Phœnices triticũ & ordeum demetant; ſed illud etiam quo Ypſilon ſono fuerit pronunciatum. Latinorum verò cuculus duo monſtrat, priore quidem ſyllaba V, apud Latinos, à quarta vocali ſonum exordiri, vt Terentianus ſcribit; poſteriore verò, apud primos Latinos tenuis etiam V ſonum fuiſſe, ſi Ypſilon quod eſt in κόκκυξ exprimere voluerunt. Noſtrates tamen Coucouc cuculi ſonum efferunt: quem Franci, more Græcorum, κοκκυ pronunciant; à quibus dicere licet, quî ſit Y Græcorum ſonandum. Quod itaq. Priſcianus dixit, non video quî veritatis regulæ applicari queat. V autem, inquit, quamuis contractum, eundem tamen ſonum, hoc eſt, Y habet inter Q, & e, vel i, vel æ diphthongum, poſitum; vt Que, quis, quæ. Nec non inter G & eaſdem vocales, cùm in vna ſyllaba ſic inuenitur; vt pingue, ſanguis, linguæ. Dic mihi, ô Grammatice, an vnquam vel legeris, vel audiueris, Ypſilon Græcorum conſonantem eſſe, atque idem ſonare quod V conſonans liqueſcẽs apud Latinos? Quòd ſi dixiſſes in Optumus, & Maxumus, & ſimilibus, eundem apud Latinos V ſonum habere quem apud Græcos Y, conſenſiſſem: ſed vt conſonantis & vocalis ſonum eundem ſtatuas; quod faciendum, ſi V in Quis idem ſonus ſit qui Y elementi Graci; minimè tibi permittã, tametſi Petrum Ramum huius tuæ ſententiæ habeas laudatorem. Sed iam pluſculum

quàm

quàm ſatis de V vocali: reſtat vt de conſonante dicamus, eandem figuram habente illa quidem, verùm in ſonando longè diuerſam poteſtatem ſortita. Apud Græcos olim huius elementi vſus non fuit: Æolij tamen digamma ſuum ſimili ferè modo enunciarunt, ſi Priſciano & ceteris credimus; vt dum eodem modo Felenam in principio pronunciant quo Venerem exordiuntur Latini. Terentianus de hac re ita, poſtquam de I conſonante egit:

Verſa vice, ſi ſit prior V, ſequatur illa.
Cùm dico, Vide, contulit I ſonum priori;
At ipſa manet tempore quo ſonabat antè.
Vocalibus hoc & reliquis prædita ſeruat:
Vt, vade, veni, vota refer, teneto vultum;
Creuiſſe ſonum perſpicis, & coiſſe craſſum,
Vnde Aeoliis littera fingitur digammos,
Quæ de numero ſit magis vna conſonantum,
Vocalis in iſtum mage quàm verſa ſit vſum.

De huius litteræ figura, & quare Digamma ab aliis Græcis, ab Æolibus Vau vocetur; pòſt erit diſſerendi neceſſitas. Relictis modò iis quæ de hac littera in vulgus nota ſunt; de I conſonante agendum, quæ nec ipſa quidem apud Græcos inuenitur. Huic peculiare, vt inter duas vocales poſita, priorem longam reddat: quod Grammatici eo fieri aiunt, quòd hæc littera tali loco poſita vim duplicis induat conſonantis; quod mihi hactenus, licet vno ore omnes id clament, non probarunt. Diligentiùs enim ratione pronunciationis ſubducta, & acutioribus auribus auſcultata; animaduerto, eam huius elementi vim eſſe, vt dum duabus vocalibus interponitur, geminum ſonum præſtet; alterum vocalis, alterum conſonantis proprium; & illo quidem cum priore vocali in diphthongum coaleſcat; hoc poſteriori vocali conſonet. In Maior igitur has duas facit ſyllabas, Mâi & Ior; & in Eius, Ei & Ius: atque hac de cauſſa geminum I ſcripſerunt ij, quibus curæ fuit, vt ſonus figuris exprimeretur: qua re non bene perpenſa, in eam ventum opinionem, duplicem hanc eſſe conſonantem; quæ quia vni ſyllabæ adhærere nequit, ſic à Grammaticis eſt diuiſa, vt in Pompeius media ſyllaba Ei eſſet, atque in ea I conſonans; quod vt Priſcianus ſcripſit, & Scaliger, & ceteri minoris eruditionis homines ſunt ſecuti; ita mihi abſurdiſſimum videtur; quoniam non intelligam, quî in Ei dandi caſu ab Is, I conſonans eſſe queat. Cedo tu, quiſquis ita dicis, longa ne hæc ſyllaba ſit, an breuis? Longam dicis? Qua ratione? natura ne, an poſitione? Certè non natura; quoniam ſi diuidatur, E breue fit: neque rurſus poſitione, quoniam I non ſit inter duas vocales. Quòd autem in ſecundo caſu producatur, cùm id poſitione fieri dicas, quia I vim habeat duplicis; id ad Ei transferre non potes; cùm hic cauſſa longitudinis ceſſet. Quocirca cùm hinc te expedire nequeas; concludo, longam hanc ſyllabam eſſe, propter diphthongum. Quæro iterum, quæ ſit littera characteriſtica datiui, an E, an I, in voce Ei? Quòd ſi E dicas; totam analogiam quam ipſe ſtatuis, euertis: quandoquidem dicas, ea quæ Ius in genitiuo habeant pronomina, in datiuo I habere; Vs, quod in genitiuo erat, reiecto. Verùm ſi concedas, in Ei I terminationem eſſe, perinde atque in ceteris id genus vocibus: cogeris fateri, I non conſonantem, ſed vocalem eſſe: atque ſi, pro eo, ac definis, datiuus vna ſyllaba minor eſſe debeat genitiuo; velis nolis, eo veniundũ, vt fateare, ex duabus his vocalibus diphthongum coaleſcere; quam cùm in Omneis, & ſimilibus, admittas; non video quamobrem hinc ſis reiecturus. Priſcianus, vt doceret, in medio I conſonantem cum vocali priore ſonare poſſe; addit non in medio ſolùm, ſed in fine etiam I conſonantem veteres poſuiſſe; atque hinc apud Poëtas, Cui, &, huic, bene poni pro monoſyllabis, quia nimirum I conſonans ſit; quo non video quid dici poſſit abſurdius. Dicat cur Cui, monoſyllabũ producatur; cùm nec poſitione id fieri poſſit, nec natura: deinde qua fronte dicere audeat, datiuum in vocalem quintam deſinere, cùm in ceteris eiuſdem generis in I terminetur. Quid quòd ne pronunciari quidem I conſonans poſt vocalem in fine dictionis poteſt: ſed mox ſimul ac ſonum eius acceſſis, vocalis exiſtit, & cum ſono præcedentis coaleſcit. Scaliger, dum Priſcianum ſequitur, & nimium ſubtilis eſſe vult, Batauam Eraſmi aurem vellit, admonens, perperam ab ipſo tradi, V in Cui, perinde atque in

lingua, conſonantem eſſe; quia hic V ſit vocalis, & I conſonans. Negat enim, V conſonantem ipſi C ſubiici. Reſpondeat itaque, quibus antè litteris Quis ſcriberetur, vel Qui; quàm Q in Romanorum vſum veniſſet. Hic, potius quàm ſe fateatur temerè Eraſmum reprehendiſſe, à Priſciano deſciſcet, docente, ipſius Q & C ſonum ante V conſonantem eundem eſſe; atque idcirco Latinos hac littera poſſe carere, nec magis ea opus eſſe quàm alio G in Anguis, alio in Augur. Perinde enim Cui, & Cuis, per eandem litteram C dici poſſe, atque illa per idem G. Antè ergo quàm Q vſi ſunt Latini, neceſſe fuit vt nominatiuus Qui, æquè atque datiuus Cui, per C ſcriberetur. In Virgiliano illo verſu, *Incipe parue puer, cui non riſere parentes,*
aliqua exemplaria habent, *Quoi,* more Catulliano: alia, *Qui,* vt Viues legit. Scaliger, non ſat ſui memor, aſſerit ſe in hoc ipſo verſu *Qui* legere, & ita Veteres tertium caſum ſcripſiſſe: quod ſi verum eſt, neceſſariò ſequitur, V in datiuo conſonantem eſſe, cùm ea ſolum de cauſſa, Q littera addita ſit ceteris, vt V conſonanti liqueſcenti præponeretur: vt clariſſimè tradit Priſcianus, quem licet etiam hoc ipſo ſuo gladio iugulare. Nequeo ſatis demirari ſupinam hanc ſubtiliſſimorum hominum, Cæſaris præſertim, inconſiderantiam. In Quoi, rogem lubenter, an I poſtremum conſonans ſit, an vocalis, diphthongũ Græcam cum O magno, cui ſubiicitur, faciens. Neminem puto tam alienum, vel ab aurium ſenſu, vel mente, fore; vt Quoi diphthongum habere neget: quod ſi ſic eſt, nec inter ceteras Latinorum diphthõgos hæc ſit numerata; quid obſtat, vt non ſimiliter ex V, & I, diphthongus admittatur, quàm Græci in Harpyia, & ſimilibus vocibus, vſurpant. An non æque Harpuiam, atque Phruges & Purrhum, dicere liceat Latinis? Dicatur ergo Cui, & Huic; vt Harpuia, & quia, Græcæ diphthongi, in Quoi, & Cui, & Huic ponendæ, de analogiæ ductu; nec verentur Latini Ei diphthongum Græcam in plurali tertiæ declinationis numero mutuari: quid ni & in Peior Græca diphthongus admittatur; & conſequenter in Maior, & ſimilibus; tametſi inter ordinarias Latinorum diphthongos non enumeretur? Quantum autem à veritate aberrent Grammatici, in eo videas, quòd pro Eidem, Idem; pro Eiſdem, Iſdem; pro Eis, Is; pro Orphei, Orphi; pro Vlyſſei, Vlyſſi dici concedant: in quibus apertum eſt, I vocalem in prioribus, non conſonantem fuiſſe. Sic igitur Vultei in vocandi caſu dixit Horatius: *Durus, ait, Vultei nimis attentúſque videris:*
vbi I cum vocali vnam ſyllabam facere, licet Priſcianus fateatur, vt ſimiliter in Cai; tamen tam ineptè ſibi aduerſatur, vt cùm I litteram characteriſticam in eius generis vocantibus caſibus eſſe velit, perinde atque in fili; ſtatuat tamen in eodem capite paulo ſuperius, I in id genus ſyllabis eſſe conſonantem. Si I pro E hic ponatur, vt dicit; ſitque E vocalis; ſi præterea eadem Vocatiui terminatio eſt in Fili, & Vultei; quod fateris: qua fronte audes, ô ſubtilis litterator, negare, I hîc eſſe vocalem? Quod ſi in Vultei, in Cai, in Pompei, I vocalis ſit: quid ni in Ei quoque datiuo vocalis cenſeatur, iuxta analogiæ neceſſitatem? Iam ſi in Ei vocalis ſit: cur in Cui, & Huic, non itidem vocalis habeatur? Præterea cùm Cai ſcribas vnam ſyllabam habere in vocatiuo, & in ea I eſſe characterem: quid rogo vetat, vt non in Maior quoque prior ſyllaba diphthongum ex eiſdem vocalibus habere dicatur, quam in alia voce Latina admittis? Ouidius non veritus eſt, è Theocriti Adonide Ai lamẽtantis gemitum exprimens, in Latinum carmen transferre: & quis non audit in gementibus hanc diphthongum, quæ huic animi perturbationi notandæ tam eſt naturalis, vt inde Græci *αἰάζω* pro lamentari & lugere dicant:

Flóſque (inquit ille) *nouus ſcripto gemitus imitabere noſtros.*

Hos gemitus mox adſcribit:

Ipſe ſuos gemitus foliis inſcribit: & Ae, ai
Flos habet inſcriptum, funeſtáque littera ducta eſt.

Quo loco qui hya legerunt, neſcio quam ſint rationem ſecuti: cùm hya, licet principium ſit in Hyacinthus, nullum tamen gemitum indicet, quem inſcriptum Ouidius voluit, atque eum quidem ſic inſcriptum voluit, vt in eodem flore Aiacis nomen exordio tenus legeretur; quoniam addat:

Tempus & illud erit, cùm ſe fortiſſimus heros
Addat in hunc florem, folióque legatur eodem.

Apollinis

Apollinis itaq. gemitus,& Aiacis nomen,non Hyacinthi ſcriptum intelligamus, quod eſt Ai, vox à natura gementibus, cuiuſcumque gentis ſint, nimis crebrò ſuggerenda. Sophocles elegantiſſimè in Tragœdia huic heroi dicata, ad hanc metamorphoſeos fabulam alluſit,

Αἶ Αἶ, τίς ἄν ποτ᾽ ᾤεθ᾽ ὧδ᾽ ἐπώνυμον
Τ᾽ οὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς;
Νῦν γὰρ πάρεστιν καὶ δὶς αἰάζειν ἐμοί
Καὶ τρίς. id eſt,

Ai ai, quis vmquam crediſſet, tam fore
Conforme nomen hoc meum meis malis,
Per quæ mihi Aiazare bis modò licet,
Vel ter.

Verbum enim *αἰάζω*, gemere, & lamenta edere notat, ab ipſo gemitus ſono fabricatum, & ſimul Aiacem eſſe exprimere videtur. Ex hac Ai & *αἰάζω* verbi cognatione, magnum elegantiæ condimentum ſibi deprompſit Theocritus in Adonidis luctu:

Αἰάζω τὸν Ἄδωνιν, ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις. id eſt,
Defleo Adonin, nam peryt formoſus Adonis.

Et paullo pòſt,

Κάτθανε δ᾽ ἁ μορφὰ σὺν Ἀδώνιδι Κύπριδος, Αἶ Αἶ,
Ὤρεα πάντα λέγοντι καὶ αἱ δρύες Αἶ τὸν Ἄδωνιν.
At forma exſtincta eſt vt Adonis Cypridis, Ai Ai,
Montes conclamant cuncti, & quercus Ai Adonin.

Cùm ergo ipſa natura nos cogat frequentiùs ai ai dicere, quàm velimus: quod, rogo, Latinorum erit priuilegium,quo lamentabilem hanc vocem toto ſuo litterarum regno excludant? Quid quòd Quintilianus apertè tradit; ſicut apud Græcos ſemper diphthongum hanc ex A & I fieri; ita apud Latinos veteres datiuum & genitiuum eadem ſolere terminari: atque inde apud Virgilium eſſe, *Pictai veſtis*, & *Aquai*. quo loco ſic capienda eius verba, non vt apud Virgilium quidem diphthongum bis eſſe putet; ſed in *pictai veſtis*, diphthongi in ſuas vocales, è quibus componebatur, ſolutionem. Quamobrem etiam Probus ridiculus, tametſi eum laudet Ramus,dum Ai diphthongum quater in Virgilio dicit inueniri: ſemel,vbi dicit,

Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Iterum,

AEtherium ſenſum, atque aurai ſimplicis ignem.

Rurſus,

Exultant æſtu latices, furit intus aquai vis.

Poſtremò,

Diues equûm, diues pictai veſtis, & auri.

Nam in his vocales A & I in diphthongum in vno ſolo verſu coëunt; & id quidẽ nulli carminis neceſſitati,ſed ſoli fidei tranſcribentium credendum,dum dicitur, *Aquai vis:* in ceteris vocales ſunt diſtractæ, non in vnum ſonum conglutinatæ. Liquet tamen è diſtractu, qualis fuerit contractus: de quo ſatis argumenti mihi ſuppetit,ad docendum, fuiſſe olim huius diphthongi vſum apud Romanos. Quod ſi fuit, quid vetat, quo minus mihi dicere liceat, in Maior,Caius, & ſimilibus, hanc diphthongum eſſe; atque ob eam tempus duplex in illis ſyllabis audiri? Vltra ergo quatuor diphthongos communi conſenſu numerari cõſuetas, quatuor aliæ accedent, Ai, Ei, Oi, Vi; de quarum poſtrema, vt ſatis multa dixerim; non erit tamen abs re, Terentianum audire, malè à Scholiaſte ſuo & lectum & intellectum:

Nec poteſt & hoc liquere, an I putemus conſonam,
Longa Cui ſuper paretur, ceu duabus conſonis,
Alteram an? quia conſequendo ſemper I vocalis eſt;
Tertiam & caſus ſequentes eſſe vocalem docent.
Imò ſi nunc V putamus eſſe vocalis ſoni,
I magis vocalis eſt iudicanda ſubſequens.
Nunc quòd hæc diphthongus ergo ex V & I ſit, dicimus:

Non vt V nunc ſit Latina; ſed magis Græcum ſit Υ:
Υἷα quum dicunt, & ἷας, tale quid Cui *vt ſonet,*
Temporum & per ſe duorum non requirat conſonam.

Hic *Alteram*, pro *Ateram an*, ſiue *Alter'an*, ſcriptum erat. Nos correximus, vt de ſola coniectura, vt videatur dici, non liquere, an I conſonam, an alteram litteram, I videlicet vocalem, dicere debeamus: Conſonam videri, quia V longa ſit, ob poſitionem duarum conſonantium I & S, in hoc verſu Virgiliano:

Cui ſemper indignas hiemes ſolémque potentem.

Alteram verò, ſcilicet vocalem, potius eſſe, ex eo putaris; quia I perpetuo poſt aliam in fine vocalem vocalis eſt. deinde caſus ſequentes datiuum, vocalem eſſe docent tertiam; cùm in accuſatiuo in E, in ablatiuo in O mutetur, & in datiuo & ablatiuo plurali vocalis permaneat. Hoc explicatu quiuis facilè percipiet, quid ſibi voluerit Terentianus; qui tamen liberum cuique facit, vt, vtram velit, ſententiam ſequatur: hac in re minimè probandus, eo quòd nihil in iis ſani ſit, quæ de I conſonante in Cui, Grammatici delirarunt; qui me hic, quàm vellem, fecerunt prolixiorem. Nunc ergo conſonantium litterarum ſonos à Terentiano accipiamus, cuius ea de re hi ſunt verſus:

Conſonantiũ ſoni ex Terẽtiano Mauro.

Iam cetera, non ordine quo ſolent, loquemur:
Verùm vt cuique eſt proximitas loci, ſoníue.
Ne dicta prius me ſubigat referre rurſum
Vicinia vocum, modico dirempta puncto.
B littera, vel P, quaſi ſyllabæ videntur,
Iunguntq́; ſonos de gemina ſede profectos:
Nam muta iubet portio comprimi labella:
Vocalis at intus locus exitum miniſtrat.
Compreſſio porrò eſt in vtraque diſſonora:
Nam prima per oras etiam labella figit,
Velut intus agatur ſonus: aſt altera contrà
Pellit ſonitum de mediis foras labellis.
Vtrumque latus dentibus adplicare linguam
C preſſius vrget, ſed & hinc hincq́; remittit,
Quo vocis adhærens ſonus explicetur ore.
G porro retrorſum coit, & ſonum prioris
Obtuſius ipſi propè ſufficit palato.
At portio dentes quoties ſuprema linguæ
Pulſauerit imos, modicéque curua ſummos;
Tunc D ſonitum perficit, explicatq́; vocem.
T, qua ſuperis dentibus intima eſt origo,
Summa ſatis eſt ad ſonitum ferire lingua.
K perſpicuum eſt littera quod vacare poſſit;
Et Q ſimilis: namque eadem vis in vtraque eſt.
Quia qui locus eſt primitus vnde exoritur C,
Quaſcumque deinceps libeat iugare voces,
Mutare neceſſe eſt ſonitum quidem ſupremum:
Refert nihil, K prior, an Q ſiet, an C,
Aut G quoque, vel C, ſimili paríque lege
Addi, quaſi deſit, numero poteſt priorum.
Nulli dubium eſt, faucibus emicet quod ipſis
H littera, ſiue eſt nota, quæ ſpiret anhelum.
Quin hanc etiam Grammatici volunt vacare,
Quia non adicit litterulis nouum ſonorem:
Sed Græcula quædam ſcholicæ nitela vocis
Vocalibus apta, ſed antepoſta cunctis:
Haſtas, hederas, cùm loquor, Hiſter, hoſpes, huius;
Solum patitur quattuor ante conſonantes:
Græcis quoties nominibus Latina forma eſt,

Si quando

Si quando choros, Phyllidas, Rhamnes, thyma, dico.
Septem reliquas hinc tibi voce ſemiplenas,
Vix lege ſolutus poterit ponere ſermo:
Has verſibus aptè quoniam loqui negatur;
Inſtar tituli fulgidula notabo milto.

F.

Imum ſuperis dentibus adprimens labellum
Spiramine leni, velut hirta Graia vites,
Hanc ore ſonabis modò quæ locata prima eſt.

L.

Aduerſa palati ſupera premendo parte,
Obſtansq́, ſono, quem ciet ipſa lingua nitens,
Validum penitus neſcio quid cogit inire,
Quo littera ad aures veniat ſecunda noſtras,
Ex ordine fulgens cui dat locum ſinopis.

M.

At tertia clauſo quaſi mugit intus ore.

N.

Quartæ ſonitus fingitur vſque ſub palato,
Quo ſpiritus anceps coëat naris & oris.

R.

Vibrat tremulis ictibus aridum ſonorem,
Has quæ ſequitur littera.

S. X.

——Mox duæ ſupremæ
Vicina quidem ſibila dentibus repreſsis
Miſcere videntur; tamen ictus, vt priori
S promptus in ore eſt; agitur pone dentes
Sic læuis, & vnum ciet auribus ſuſurrum.
Mixtura ſecundæ geminum parat ſonorem:
Quia C ſimul & quæ prior eſt iugando niſum,
Retrorſus adactam ſolidant premúntque vocem.

Litterarum diuiſio apud Hebræos.

Et hæc quidem de geminis litterarum ſonis, è placitis Latinorum. Hebræi in quinque ferè diſcrimina pronunciationem partiuntur, librum Iezyra ſecuti, quæ de inſtrumentis vocalibus diſtinguentes, alias litteras gutturis, alias palati, alias linguæ, alias dentium, alias labrorum dixerunt: quos tamen alij eiuſdem gentis magiſtri deriſerunt; & in primis quidem is qui Ephod conſcripſit: quem ſecutus Rabi Moſes, claro ſatis exemplo demonſtrat, ridiculum eſſe, ipſum Res dentibus efferri; eo quòd ab edentulis etiam proferatur. Nos de Platonis, de Terentiani, de Capellæ, imò de ipſius experimenti & rationis auctoritate, ipſum Rho non dentibus, ſed tremula intra palatum lingua dicimus efferri; atque vocum ex ea fabricam ad vibrationis huius ſimilitudinem fieri. Hinc vſui eſſe in iis notandis, in quibus ratio habetur celeritatis, & motionis, & aſperitatis; vt mox ſuo loco exemplis docebo, & ex Platone modò patefactum eſt. Iam ineptum eſt, mea quidem ſententia, litteras aliquas ipſius linguæ facere proprias: cùm omnes generatim voces hoc inſtrumento, tamquam plectro, fieri nemo neſciat. Nec illud verum labdaciſmum defectui dentium attribuendum eſſe, vt Hebræorum Grammatici tradunt: niſi balbos, quia his careant, fieri ſtolidè contendamus; & Demoſthenem edentulum in ipſa adoleſcentia fuiſſe, cùm primam eius artis cui operam dabat, litteram pronunciare non poſſet. At video quid voluerint. Videbant canes in ringendo dentes monſtrare; atque idcirco caninam litteram dentibus efferri dixerunt. Egregiam verò concluſionem: Dentes oſtenduntur; ergo iis ſonus gignitur. Contrà potius colligendum: Dentes immobiles manent, & labrum ſuperius vnà cum naribus tremulo motu attollitur; ergo naribus vox pronunciatur: cùm ſonus aërem mouentibus potius, quàm quieſcentibus, ſit tribuendus. Hinc Perſius:

—Vide ſis ne maiorum tibi fortè
Limina frigeſcant, ſonat hic de nare canina.

Ringendo enim R profertur; quod fit diſtrictis labiis & naribus diductis, & lingua intus ſub palato vibrata: quibus inſtrumentis omnibus hæc littera fuiſſet adſcribenda; quod Lucilij quoque verſu docetur:

Irritata canis quod R R quamplurima dicat.

An non ira hac de cauſſa naribus attributa, quòd irati ringere videantur? Sic Theocritus primo Idyllio perquam eleganter de Pane canit,

καὶ οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. id eſt,

Vſque ipſi ad naſum bilis ſtabulatur acuta.

Er. Ar. *Ira.* Quamobrem ſummo quamoptimæ imitationis artificio noſtra lingua Er/ vel Ar/ pro irato, dicimus; qua de voce Latini iram deriuarunt. Quocirca tametſi in ringendo canes dentes oſtendant, non tamen ea de cauſſa motioni dentium pronunciatio huius litteræ adſcribenda; ſed iis inſtrumentis omnibus quæ aërem ſic mouent, vt ſonus eius tremulus & aſper edatur, inter quæ lingua animá vibrando feriens, primũ locum obtinebit, mox labia diſtricta, huic nares diductæ & ſuſpenſæ ſuccedent. At ſufficiat hæc de littera canina dixiſſe; atque vno exemplo monſtraſſe, quàm languida, quamque parum bene ſubducta ratione, hæc fiat elementorum partitio: ne, ſi plura ad eandem ſententiam adſtruendam adducantur, Hebræorum canes non ſolùm in nos ringant, ſed etiam dentes figant. Diſputent igitur Moſes & Ephodici cum gentilibus ſuis, & vniuerſim omnes Iudæi quam volent, pronunciationem ſequantur: nobis interim liceat, Latinis & Græcis in litterarum formatione magiſtris vti; in quorum tamen verba non ſic iuramus, vt ſi quid apud ipſos vſu paullatim degenerante corruptum ſentiamus, id imitemur. Diphthongorum enim ſonos integros hactenus noſtrates ſeruant, non in Au modò, & Eu, ſed in ceteris quoque omnibus. Nec porrò hac tantùm tenus, ſed numero etiam diphthongorum, vt indicaui, ſuperamus & Græcos, & Latinos: quandoquidem integras è mixtis duarum vocalium ſonis vſurpamus, Ae videlicet, Ai, Ao, Au, Ei, Eo, Eu, Ie, Oe, Oi, Ou, Ve, Vi; quas vt efferimus integras, ita & integras ſcribimus Exempla notiora ſunt, quàm vt addi debeant: niſi fortè quis hæreat in Ao, cuius ſonum in Scaon pro pulcro, & in Scaonlandia pro pulcra regione, audietur. Allemani ipſi A rotundam litteram apicis loco imponunt. In Baom clariùs percipitur hæc diphthongus; qua tamen in voce, alij Baum/ alij Boom/ in quibus nos ſumus, pronuntiant. E cum o coiens habebis in Heot/ pro capite, ſi Campanum Brabantum audies loquentem; cui Hoet pileus, Heot caput, denotat. Nos Hoot efferimus. Ceteræ diphthongi cuiuis obuiæ ſunt. Adde, quòd nõnullas voces ſic proferimus, vt tres vocales coëuntes audiantur: Sic ex Ieud vel Ieod/ quo voluptas denotatur, facimus Deoi/ vel Deui/ vti Campani Brabanti pronuntiant. Verùm quia hoc minimè frequens eſt, & eiuſmodi ſonus ferè in vicinam diphthongum tranſeat; non eſt operæ pretium huic rei diutius immorari. Quamuis enim Ieud vel Ieod dicamus; conuerſio tamen Doi ferè habet, vbi Campani Brabanti Deoi dicunt apertiſſimè; ſeruata nimirum miſta trium vocalium pronuntiatione. Præterea vocalium ſono longè poſt nos & Græcos & Latinos relinquimus; cùm in ſingulis longum & breue tempus luculento vocis diſcrimine diſtinguamus: & vt diuerſos earum ſonos habemus; ita longas geminata figura frequẽter notamus; quòd perinde atque diphthongi geminum tempus trahant, & illud quidem in eodem ſono conſiſtens; tametſi quandoque ſcribentium incuria id negligatur, nõnumquam etiam pro A A vna vocali, AE diphthongus notetur; eo quòd in pronuncianda hac vocali longa, os, quaſi hiando defeſſum, in E quodammodo deſinat: Siue enim Taam/ & Maat/ ſiue Taem/ & Maet/ ſcribamus; de eiſdem rebus oratio intelligetur: atque ſimiliter de ceteris id genus vocibus cogitandum. Nos aliquando A ſimplex ſcribimus; cui ſi longi temporis nota addatur, elegantior fuerit ſcriptura. verùm in hac pingendi ratione liberum eſto cuique, quam velit, viam ſequi: nos de vocum diſcrimine, non de litteris pingendis, hoc loco tractamus. In E porrò longo triplicem habemus pronuntiationem: vnam, vt ſonus idem ſit cum ἦτα Græcorum, quam audire licet in Blet/ quod Græci βληχάω dicunt; quo loco quæ ſit vox edenda, oues docebunt, dum Ble ſuum longo ſono ducunt. Quamuis enim homines voces ſuas alias aliter edant; animantia tamen bruta naturales ſuas voces retinuerunt, non ante eas mutatura, quàm naturam quoque commutent. Non bene itaque Latini Balo

Diphthongorum & Vocaliũ ſoni in Cimbrica lingua.

E longũ tripliciter pronunciatur in lingua Cimbrica.

pro

pro eodem dicunt, temerè, & contra rationem litteris tranſpoſitis, & vocali permutata. Quòd autem Varro commentus eſt μῆλον priùs βῆλον fuiſſe, atque inde Latinorũ Balo deriuari; putidum eſt & ineptum: cùm Euſtathius ceteriq. poëtarum interpretes ſatis oſtendant, non ſolas oues, ſed alias etiam quadrupedes, hominum menſis adhiberi conſuetas, μῆλα apud Græcos olim dici ſolere: cuius notationis ratio de Cimbrico ſermone ducta eſt; in quo Maal per vnam ſyllabam conuiuium notat; in qua longa vocalis in ἦτα tranſiens μῆλον fecit, per excellentiæ figuram animal quadrupes notans, conuiuiis adhiberi conſuetum. Sed de hac re pluſculum in pomoſa Vortumni apud Propertium corona. Eſt & alter ſonus huius vocalis longæ, quem duplici figura Ee notare ferè conſueuimus. Is producit vocalem ipſam quidẽ; ſed leniùs multo, & ore minùs hiante, profertur. Sic Eet pro iuramento, Een pro vno, Twee pro duobus dicimus. Accedit deinde tertius efferẽdi modus, quo vtimur in Eel/ Veel/ & ſimilibus, vocalem hanc longam habentibus quidẽ, verùm ſubtiliùs quàm in ſuperioribus producendam. Sed hæc pronunciationum diſcrimina vſu potius quàm præceptis diſcenda: atq. ideò nolumus in iis eſſe prolixiores; maximè quòd & fruſtrà linguæ noſtræ imperitis dicãtur, vti numquam aſſecuturis; & rurſus fruſtra peritis, vtpote iis per ſe notiſſima. Iam inter conſonantes vnam habemus, qua ceteræ nationes carent, quam duplici V ſignamus, ad hunc modum VV vel W; quæ figura, ſi è ſupina fiat recta, duplex Græcorum Gamma præ ſe feret: atque idcirco digammos olim eſt vocata, non quòd Gamma ſonaret, ſed quòd vt duplex Gamma ſcriberetur. Verùm quia Quintilianus affirmat, Digãma apud Latinos ſic ſonare, vt nec ſextæ litteræ, nec V cõſonanti prorſus reſpõdeat; ſed vt Sergius inquit, ſonũ reddat quàm V cõſonans pinguiorẽ. Quocirca crediderim ſeruus ſiue ſeruos ſic apud veteres pronunciatũ, vt nos efferremus, ſi ſerwos vel ſerwus ſcriberetur. Duplex itaq. Vau Æolicũ duplici noſtro V reſpondebat; hoc ſolo differens, quòd quondã figura ipſius erecta ſtaret, quę ratione certa, quam in Hieroglyphicis pòſt aperiemus, ſic facta, vt ſuperius non ad dextrũ latus gemino interſtitio pateret. Nos aliquoties duplex Digãma vocamus; propterea quòd V cõſonans pro Digamma à pleriſq. capiatur. Nã Priſcianus in Audiui, & in Venus Digãma eſſe ſcripſit: & in Audiui & ceteris id genus præteritis, I produci, quia duplex littera ſequatur. Sed de figura, vt dixi, pòſt latiùs. ſonus eius apud nos auribus eſt familiariſſimus; Latinis huius tẽporis prorſus ignotus, apud quos in V cõſonans ſæpe transfertur, vt ex Wijn/ Vinum; ex Wol, id eſt, Vellem, Volo ſuum; ex Win/ Vinco; ex Waar/ Verum, & ſimilia è ſimilibus duxerunt. Nonnumquam tamẽ in Qu mutarunt; ex Wie/ Quis & Qui; ex Wan/ Quando; ex Waar/ Quorſum facientes. Nec rarò in B tranſiit: aliquando etiã prorſus eſt omniũ crebrò ſubinde in G conuerſum, pro quo hac ætate plerique Gu ſcribunt, pro Wilhelmo, Guilhelmum; pro Waltero, Gualterum & ſcribentes & pronunciantes. Nos ſingulorum generum exempla ſuis locis exponemus. Sint ergo hæc de litterarum ſonis breuiter annotata, de quorum ad res ipſas ſimilitudine vocabula primogenia extitiſſe, Platoni credamus; atque hac ſola via ad ſummum etymologiæ faſtigium poſſe perueniri. Quæſitum præterea eſt à Grammaticis, quarum litterarum ſonus plus gratiæ orationi conciliet, atque inde quis ſermo ſuauior aliis habẽdus. Quintilianus in hac cauſſa iniquiſſimus eſt Latinis, dum generatim Græcos hac parte longiſſimè contendit eſſe ſuperiores; atq. adeò Latinorum quaſdam litteras & vocum terminationes prorſus condemnat. Illa, inquit, quæ ſexta eſt noſtrarũ, pænè non humana voce, vel omnino non voce potius, inter diſcrimina dentium efflanda eſt; quæ etiam, cùm vocalem proximam accipit, quaſſa quodam modo; vtiq. quoties aliquam conſonantem frangit, multo fit horridior: Æolicæ quoque, qua ſeruum ceruumque dicimus, etiamſi forma à nobis repudiata eſt, vis tamen nos ipſa perſequitur. Duras & illa ſyllabas facit, quæ ad coniungendas demum ſubiectas ſibi vocales eſt vtilis, aliàs ſuperuacua; vt equos & equum ſcribimus: cùm ipſæ etiam vocales duæ efficiant ſonum, qualis apud Græcos nullus eſt, ideoq. ſcribi illorũ litteris non poteſt. Quid quòd pleraq. nos illa quaſi mugiente littera cudimus M, qua nullũ Græcè verbũ cadit: at illi N iucundam, & in fine præcipuè quaſi tinnientẽ, illius loco ponunt; quæ eſt apud nos rariſſima in clauſulis. Quid quòd ſyllabæ noſtræ in B litterã & D innituntur, adeò aſperè, vt pleriq. non antiquiſſimorum quidem, ſed tamen veterum, mollire tentauerint, non ſolùm Apuerſa, pro Aduerſis dicendo; ſed & in præpoſitione B litteræ, abſonam

Maal. μῆλον.

Digamma VV quare dicatur.

VV Digãma apud Latinos ſæpe transfertur in V conſonantẽ, nonnumquam in Qu, B, & G.
Vinum. Volo. Vinco. Verum. Quis et Qui. Quando. Quorſum.

Litterarum ſoni aly lenes, aly duri, &c.

abſonam & ipſam S ſubiiciendo. Hæc ille, & plura: quibus tandem concludit, Latinos & ſuauitate ſermonis & diuite vocum copia, Græcis eſſe longè poſthabẽdos. Idem ſpiritum in oratione tanto magis laudauit, quanto maior eſſet: cùm Terentianus interim ipſum F adeò contemptum à Quintiliano, ſuauius dicat, quàm hirtum φι Græcorum. Iam nec Catullo, nec Ciceroni, flatuoſus ſpiritus probatur. Hinc ille Arrium deridens, ſic canit:

Chommoda dicebat, ſi quando Commoda vellet
Dicere, & hinſidias, Arrius inſidias.
Et tum mirificè ſperabat ſe eſſe locutum,
Cùm, quantum poterat, dixerat hinſidias.
Credo, ſic mater, ſic liber auunculus eius,
Sic maternus auus dixerat atque auia.
Hoc miſſo in Syriam, requierunt omnibus aures;
Audibant eadem hæc leniter & leuiter.
Nec ſibi poſt illa metuebant talia verba,
Cùm ſubitò affertur nuncius horribilis:
Ionios fluctus, poſtquam illuc Arrius iſſet,
Iam non Ionios eſſe, ſed Hionios.

Cicero fatetur ſe pulchros Cetegos Triumpos diu admodum dixiſſe; quia ſciret ita maiores locutos eſſe: verùm poſtea ſe vſum loquendi populo conceſſiſſe, ſcientiam ſibi reſeruaſſe. Nos de Quintiliani ceterorumque teſtimoniis ſcimus, aliàs alias vocales in eiſdem verbis placuiſſe, auriumque iudicia diuerſis temporibus fuiſſe diuerſa, & aliis alia eadem ætate placuiſſe. Quamobrem nos rationi ipſi credamus, lenitatem ſoni, flatu eſſe dulciorem; & ipſum F adeò nihil durum habere, vt ſumma facilitate à

Allemannis tumida omnia placent loquendo.

noſtris pronuncietur. Allemannis tumida omnia placent, vel holcadum vela impleturis, ſi ſeriò, & cum contentione quadam loquantur. Apud eoſdem tanto in honôre Sigma habetur, vt optimè ſibi locuti videantur, cùm plurimum ſibilarint: atque noſtrates, qui Tau frequenter vtuntur, non alio magis nomine apud ipſos deriſui eſſe ſci-

Sigma littera ferina.

mus, quàm quòd Atticorum more, Sigma, quam litteram Dionyſius Rhetor ferinam dixit, fugere conſueuerint. Pindarus huius litteræ odio, verſus quoſdam dicitur Aſigmos feciſſe, luculento indicio, quàm ſibilos parum dignos homine putarit. Et quis non eum ſonum fugiat, qui proprius ſerpentis videtur, hoſtis homini capitalis? Permittamus itaque Allemannis, quantum velint in loquendo ſpirituum tumidis buccis efflare, & totum ſermonem ſibilis exaſperare: nobis interim fas eſto, cum Atticis, ipſum Sigma plurimis locis eliminare, & loco eius Tau ſufficere: quantumuis Sigma apud Lucianum in ſe iniurios nos clamet; & Sueui noſtram in loquendo lenitatem effeminatam, & mulieribus, non viris, dignam, turgentibus vento buccis vociferentur. Imò hanc ipſam omnium litterarum facilem pronunciationem in prima laudis parte ducimus: à qua quanto magis aliæ gentes recedunt; tanto magis ab ipſo medio, in quo & virtus & ſermonis honos conſiſtit, ſunt remotæ: quam ſententiam licet Allemanni ſint exſibilaturi; nos tamen tantiſper tenebimus, dum quiſquam exiſtet, qui ſolidis rationibus euin-

Cimbricæ linguæ varietas, copia, & breuitas.

cat, Atticos ceteris Græcis in loquendo minus ſuaues fuiſſe. Iam quo & varius magis, & copioſior ſermo noſter eſſet; quauis littera vocem claudimus, quauis etiam inchoamus; aſperitate interim vbique perquam diligenter euitata: &, vt in magna copia & varietate breues ſimus; omnia vocabula, quoad eius commodè fieri poteſt, ad vnam ſyllabam redigimus, vel capite, vel medio, vel cauda reſecta: Sic pro Het hoot/ dicimus Thoot; pro des mans/ Smans; pro des Vrouws/ Svrouws. In compoſitione item vocum non frequentes modò ſunt ſyllabarum exciſiones; ſed, quo maior etiam lenitas eſſet, aſpirationes crebrò excluſæ. Porrò ſi quando monoſyllaba vocula breuitate ſua non ſatis expletura videtur aures; in fine E adiicimus, poſtrema conſonanti aliquando duplicata. Sic pro Bed/ Bedde; pro Heb/ Hebbe; Goot/ Goode. Nonnumquam De appendicem addimus; Vt è Be/ Bede; Me/ Mede; Vre/ Vrede. Verùm non eſt huius mei inſtituti, omnem ornatum, & linguæ noſtræ varietatem explicare, quæ vel ſola ſibi ingens poſceret volumen. Maxima enim eſt dialectorũ diuerſitas: quam qui ſcire volet, diuerſarũ Germaniæ gentiũ, vel libros vernaculo ſermone ſcriptos cõſulat, vel viuos roget magiſtros.

HERMA-

HERMATHENÆ LIBER IIII.

POST ELEMENTORVM è quibus voces componuntur, naturam & indolem, de Græcorum & Latinorum auctoritate, quàm fieri potuit, breuiſſimè explicatam, demonſtratamque ſingulorum vim & poteſtatem, qua alia aliter aures feriunt: conſequens eſt, vt exponam qua ratione ſingula ad ſymbolicam ſignificationem accommodentur; quo tandem cernamus, quænam linguarum voces ſuas ſic habeat formatas, vt rerum notiones iis aptè conuenienterq. depingantur. Quia tamen longum eſſet atque odioſum, ne dicam infinitum & intolerabile, per omnia ſigillatim vocabula diſcurrere: ſequemur hac in re cùm artifices omnes, tum ipſos præſertim pictores: qui, vt quantum in rebus per colores imitandis valeant, demonſtrent, non omnes ſuas tabulas ſimul obtrudunt, ſed vnam atque alteram proferunt, è quibus de ceteris iudicetur. In ſingulis ergo litteris aliquot exempla proponemus, in quibus oſtendatur quæ ſit ipſarum poteſtatis ſiue ſoni quo mouent auditum, cum notione rerum quam deſignant vocabula ex ipſis compoſita, ſimilitudo. Hæc autem de ſermone noſtro ſumemus; in quo ſolo hanc in ipſa indiuidua elementa fieri poſſe ſolutionem diximus: at illa tamen non temerè quæuis, ſed in quibus vel illuſtriſſima ſit hæc vocalis pictura, vel iucunda rerum vtilium cognitio non priùs à quoquam animaduerſarum. Perpetuò enim conabimur, vt Hermathena noſtra ſuam tueatur dignitatem: & quamuis in Grammaticorũ arena verſari videatur; in ea tamen non triuialia ſectetur; ſed ea dumtaxat quæ non minus Palladiam deceant grauitatem & conſtantiam, quàm & celerem Mercurialis mentis diſcurſum, & ſollers in omnibus rebus conſiderandis acumen. Quamobrem ne inanibus quæſtionibus tempus trahamus, de litterarum numero & earum ordine non diſputabo; quorum vtrumque Zopyrio Grammaticus non arti alicui aut naturæ, ſed caſui & fortunæ tribuendum exiſtimat. Pòſt, tamen vbi vocum formandarum artificium patefecero; luculentiſſima ratione demonſtrabo, nec temerè nec fortuitò, ſed ſummo & accuratiſſimo iudicio, Alphabetum vtrumque, & hoc quo Latini & noſtrates vtuntur, & illud quod Hebræi ſuum eſſe putant, à priſcis hominibus digeſtũ fuiſſe. Interim nos hunc nobis ordinem ſtatuemus, vt priùs de vocalibus, pòſt de conſonantibus agamus; & è ſingulis, velut è pigmentis quibuſdam, vocales nobis imagines delineemus, aut potiùs in aëre pingamus, non illas quidem oculis videndas, ſed aurium tympanum pulſaturas.

Litterarum ſymbolicæ ſignificationes.

NVNC igitur ad A, omiſſa Protogenis apud Plutarchum quæſtione, cur hæc vocalis primum ſibi locum inter litteras vindicarit, quam pòſt, vt modò recepi, longè aliter quàm quiſquam ſcriptorum ſuſpicatus hactenus fuerit, explicabo. A igitur littera idonea erit recto facilique motui inchoando; propterea quòd os leniter aperiat, veluti ianuam quandam ad progrediendum, ac linguam rectam planamque porrigat; eo ipſo demonſtrans qualem eſſe viam velit, & quorſum ſpectare. Videtur ergo is qui A pronunciat, hortari ad progreſſum; eo quòd & ianuam recludat, & lingua rectum foras iter oſtendat, velut brachio quodam Mercuriali protenſo. Hanc autem eſſe ipſius A pronunciationem, priore libro copioſè declaratum eſt; nec eſt cur hîc eandem prolixiùs repetamus. Si quem igitur ad progrediendum incitare velimus, hac vocula cõuenientiſſimè vtemur, pro eo atque noſtrates faciunt, dum dicunt, Gat A/ id eſt, progredere; & A gan/ pro aggredi vſurpant. Verùm quò magis ſonora vocula reddatur, & magis in eius auribus, quem hortamur, tinniat, conſonantem N adiiciunt, cuius proprius eſt tinnitus. An itaque plerumque efferunt, tum præſertim dum orationem finit. Hic in ipſo ſtatim limine clarum eſt, Latinos perperam feciſſe, dum ab hoc huius vocis vſu receſſerunt; & multo peius dum ipſi A conſonantem Delta adiunxerunt, quo motus ad locum deſignaretur; propterea quòd Delta, vt oſtenſum eſt, vim habeat ligandi; quæ motui ad locum prorſus repugnat: quod licet ſatis antè ſit declaratum, lubet tamen Nigidium hîc audire, quando eius nobis copiam Noctes Atticæ fecerunt. Is N litteram ſic pronunciari dixit, vt lingua palatum tangat; non quidem interius, vt dum

A litteræ ſymbolica ſignificatio.

A vocula incitans ad progreſſum.

Lambda effertur, in ipſa media cauitate; nec motu tremulo, qui in Rho ſentitur; nec ad extremas gingiuas lingua leniter admota & retracta, vt fit in Delta: ſed facilitate ea ſeruata, vt paullo exterius quàm in Lambda gingiuarum radices linguæ extremitas contingat. Conſtituatur ergo Nigidius arbiter inter me & Latinos, & dicat homo linguæ ſuæ doctiſſimus, Ad ne Latinum, an noſtrum An, magis idoneum ſit ad motum indicandum. In Ad motus rectus per A deſignatus ab ipſo D retrahitur, in An per litteram N promouetur, & id quidem mira quadam facilitate. Eſtne quidquam hac ſententia clarius, quàm ipſa Nigidij verba confirmant, non illius quidem noſtratis, ſed Romani, & inter Romanos omnium eruditiſſimi & ſtudioſiſſimi antiquæ veritatis? Et hoc quidem contra veram vocalis picturæ artem peccarunt Latini. vide iam quid Græci. Hi huic litteræ priuandi dederunt ſignificationem, quæ non modò non promouet progreſſum, ſed etiam impedit. λόγον rationem dicunt, ἄλογον minimè illud quod ad rationem rectà tendit, vti ſonus litteræ poſtularet; ſed quod prorſus ratione caret. Quid ab his expectes pictoribus qui tam peruersè in arte verſantur, vt coruos albos pingant, cygnos nigros? Neque minus abſurdum eſt quod in A committunt, dum ex hoc vocali pigmento ea faciunt quæ naturæ lege cum eo pugnant; tantum abeſt, vt aliquam habeant vel ſimilitudinem vel cognationem. Confer nunc noſtrum An cum ſua notione, & diligenter expende, quàm conuenienter naturæ ipſius vocis data ſit ſignificatio. Leni, & recto, & facili ipſius A ſono ad motum hortamur, oratoria quadam arte, lene ſermonis principium facientis, deinde monſtrantis ipſius linguæ motu rectum eſſe quod hortamur; & ne mora ſit aut excuſatio ipſis quos incitamus, oſtium aperimus, & iter oſtendimus. Iam cùm N accedit, additur lenis quidā ſonus, tinnitu ſuo excutiens tarditatem, & vnà monens, omnem noſtram motionem, ſiue corporis ea ſit ſiue animi, leniter ad ſuperiora & anteriora tendere debere; qua via paullatim ad ſummum bonorum peruenitur. Admirandum ſanè artificium, in quo tantum myſterij vnius conſonantis acceſſione videmus aperiri, vt omnem actionem noſtram omnemque progreſſum ad ſuperiora ſenſim, veluti per gradus quoſdam, tendere debere diſcamus. Atque hæc quidem de A & An vocibus primogeniis, quarum ratio ex ipſo litterarum ſono dependet. Hinc iam alia componuntur, alia deriuantur, & primo quidem & ſimpliciſſimo deriuationis genere, quod & noſtro ſermoni peculiare eſt; per litterarum conuer-

An. Na. ſionem ex An fit Na: & quia An ad anteriora tendit, & motus omnia metiens cōtinuus eſt, neceſſe eſt id quod progreditur, aliquid ſequens trahat. Præterea quia An rectum iter ad ſuperiora monſtrat, conuerſio ipſius Ichnæa monet, vt bene præcedentem omnes ſequantur, & in primis ipſemet ſe ſemper ſequatur ad ſuperiora progredientem; atque eo modo, velut è poſtica parte, ſe ipſe protrudat motu quodam perpetuo ad anteriora & ſuperiora continuato. Audiamus igitur omnes nomenclatorem hortantem, An Na/ id eſt, progredere ſequere: quo non incitatio modò ad continuum progreſſum; ſed natura etiam ipſius motus continetur, qui totus ex antegreſſo & ſecuto cōſtat. Cùm enim motus tempore mēſuretur, & tēpus nihil aliud ſit, Ariſtotele teſte, quàm menſura ſecundū prius & poſterius, neceſſariò efficitur, vt ex An & Na, tamquam ſuis partibus, tota motio conficiatur. Quoniam verò progreſſionis omnis finis eſt, vt id, ad quod deſtinatur, attingat; voluit ſermonis architectus, vt An/ dum quieti tribuitur, finem ſignificet motionis, ipſum videlicet attactum. Sic dicimus, t'iſſer an/ id eſt, attingit. Deinde quia id quod attingit proximum eſt tacto, fit vt hoc quoque nomenclator ſit imitatus, & ex An tangente fecerit Na, quo propinquum notaretur. Sed dicet quis, non rectè factum, vt An attactum denotet; eo quòd is quietis ſit, non motionis. Fateor, id quod attingit quieſcere, ſed quia nomenclator ſermonem hominibus fecit, nec inter eos quiſquam ad ſummam contingat tranquillitatem, niſi antè ad eam fuerit progreſſus; voluit fini, in quo abſoluta eſt motionis perfectio, nomen dare ab ipſa motione. Quinetiam eo ipſo ſuo conſilio miſeris mortalibus oſtenſum voluit, omnem rectum motum ad ſuperiora per An denotatum, ad id adſpiraturum ad quod contendit. Dum igitur per An hortatur ad progreſſum, altero eiuſdem vocis ſignificatu pollicetur, nos ad finem noſtrum vltimum peruenturos, nec quemquam fruſtra rectum ad ſuperiora iter ingreſſurum. Bone Deus, quàm latus hic campus contemplationum aperitur, quàm certa ſpes proponitur immortalitatis, dum attactus eorum promittitur ad quæ recto motu ad

ſuperiora

ſuperiora tendente iter tenemus. Quò tamen meliùs ſermonis architectum intelligamus; id hîc mihi monendum ante omnia, eum in vocibus fabricandis perfectiſſimum ſibi ſemper eius rei quam pingeret, propoſuiſſe exemplar. Cùm igitur in An motionem audiamus; & eadem voce finem etiam progreſſus aliquando intelligendum eſſe, ſermonis constructio demonſtret: neceſſe fuerit de excellentiſſimo hominis progreſſu cogitare, & ad eũ expendere omnes totius artificij rationes: quod ſi fecerimus, clarè cernemus magnum miſeris mortalibus ſolatium in gemina An notatione contineri. Cùm enim præſtantiſſimi quique homines ad eius quod æternum eſt contemplationem incitentur; & ad ea quæ immortalia ſunt, mente ſua rapiantur: fieri non poteſt, vt ſi ipſam hortationem quam An & Na complectuntur, ſibi ſequendam proponant; quin tandem ad id, quò feruntur, adſpirent, niſi primus ſermonis artifex nos deludat. Contendamus ergo rectà ſurſum, certa concepta fiducia, nos ad id peruenturos ad quod progredi iubemur. Nec opinemur, onomatopœum magis in mẽtis motione hallucinari, quàm in motu corporum, in quibus veriſſimum eſt, parte progreſſa & parte conſequente, ſiue anteriore & poſteriore, omnem motum abſolui; quæ duæ ſolo momento, quod Inſtans ſcholæ vocant, copulantur. Porrò quia in motuum genere circularis non ſolùm perfectiſſimus eſt, ſed omnem etiam alium motum menſura ſua metitur: ſumma induſtria vocum architectus nomen compoſuit, quo circularis hic motus ad viuum expreſſus cerneretur. Connexis enim An & Na/ vt Anna exiſtat, vocabulum fecit circulare, quo motus circularis ex priore & poſteriore conſtans depingeretur. Vt enim motus ab aliquo puncto imaginario progreſſus, & ad idem punctum rediens, circularis dicitur; ita & Anna vox eſt circularis, in eandem definens vocalem à qua incepit, & eundem ſonum reddens, ſiue à parte poſteriore, ſiue à parte anteriore audiatur. Vocem autem Anna noſtratem eſſe, ipſa hæc docet etymologia; cui accedit peculiaris per conuerſionem fabricandarum vocum formula; quæ licet non ſit hodie in loquendi conſuetudine, partes tamen è quibus conſtat, habet æquè nunc atque olim vſitatas; quo fit, vt eam liceat poſtliminij iure in ciuitatẽ noſtrã reuocare. Latini ex ea Anni nomen retinuerunt; quo nihil aliud denotatur quàm illius circularis motus menſura, quo planeta aliquis, vel ſtella etiam fixa, ab vno aliquo puncto progreſſa, ad idem redit. Hac ratione Annus magnus erit octauæ ſphæræ ab aliquo puncto progreſſæ, ad idem punctum reuerſio. Virgilius, dum Soli magnum annum tribuit; vel ad Lunę annum reſpicit, vti multo minorem; vel diurnam reuerſionem, paruum Solis annum appellat: & menſis quidem Lunaris annus poterit vocari minimus omnium eorum qui fiunt egreſſione & reuerſione in Occidentem. Quòd ſi diem quoq. primi mobilis annum vocaris, quod Maro videtur feciſſe; nihil peccaris: quando & in eo circularis motus, per Anna denotatus, abſoluitur. Quem verò Platonici magnum annum quærunt, qui omnia aſtra ad prima ſua loca reſtituat; eum nos nihil moramur: propterea quòd nullus vmquam ſit futurus; & ſi fingeretur eſſe, non annus eſſet, ſed imaginarium quiddam è multorum corporum annis coaceruatum. Ceterùm quia quod rotundum eſt, nullum principium aut finem videtur habere: voluit nomenclator, vt Anna pro æterno etiam poneretur. Hinc Romanis Anna dea, cuſtos videlicet perpetui motus, cui Perennæ cognomen hac de re dederunt vetuſtiores. Quid verò eſt Perenna, quàm per Anna, id eſt, per progreſſum & per ſequens, ſiue per prius & poſterius in ſe circulo ſemper recurrens? Perenna itaque cognomen votum eorum includebant, qui Annam orabant, vt nimirum per eam ad nouum annum poſſent redire. Ouidius in Faſtis varias de Anna profert opiniones: ſed quia vocis compoſitionem, & eius vim ignorabant Latini, nihil ſani de hac Dea cogitare potuerunt. Nobis clarum eſt, diuinam voluntatem qua pater æternus per filium tempora diſpenſat, hac voce denotari; atque idcirco Idibus Martiis, in medio nimirum primi menſis, huic Deæ feſtum diem celebrari ſolere; quò annum inchoatum fauſtum daret atque felicem:

Anna Cimbrica vox & circularis.

Annus vnde dictus.

Annus magnus.

Anna dea apud Romanos.

Perenna Annæ cognomen.

Anna quid denotet.

Idibus eſt Annæ feſtum geniale Perennæ,
Non procul à ripis aduena Tibri tuis.
Plebs venit, ac virides paſſim disiecta per herbas,
Potat, & accumbit cum pare quiſque ſua.

Fuit enim hoc antiquum apud Romanos Anni initium; quo fit, vt mirer, Varronem

f ſcribere,

ſcribere, annum à bruma computari; & eius vocis non aliam adferre cauſſam, quàm quod, vt paruuli circuli annuli, ſic magni circi anni dicerentur. Sed vnde Annus originem ducit? Hic ſilet Varro. Nos in An & Na cauſſam videmus; ſed eam prius motui, quàm tempori & circulo, conuenire ſcimus. Feſtus Pompeius ad Græcos in Anni notatione ſe recipit, aiens eos ἔννον pro anno dixiſſe: quod ſi ſic habet, Græci Anni nomen corruperunt; vt non pauca alia vocabula propiùs ad fontes ſuos apud Latinos, quàm apud Græcos, accedunt. Quòd ſi vel Varro, vel Feſtus, Annæ nomen intellexiſſet; non aliò confugiſſet ad anni etymologiam explicandam: nec Ouidius tot falſis de Anna coniecturis & ſe, & lectorem fatigaſſet; ſi Cimmerij ſermonis, è quo Latina lingua manauit, peritus fuiſſet. Ariſtoteles Phyſicorum libro quarto commemorat, quoſdam tempus dixiſſe circulum eſſe; quia prima motione circulari menſuretur. Nos de nominum noſtrorum ratione ſcimus, ab ipſo motu circulari tempus pendere, & eius nomen à motu eſſe deductum, atque inde ad cetera tranſlatum, in quibus circulus inuenitur. Qui hanc vocum ſtructuram non admirabitur vt & naturæ conſentaneam, & multiplicis ſapientiæ plenam; eum equidem oratum velim, vt quàm longiſſimè ab hac vocalis picturæ inſpectione diſcedat, & tantiſper ex hac officina emaneat, dum prius diligenter Ariſtotelem & Platonem examinarit, & ex iis didicerit, quidnam tandem dignum ſit admiratione. Porrò vt in Anna integra eſt ex An & Na/ vocibus conuerſis, compoſitio, & ea quidem rotundo ductu in ſe reuerſa; ita in vocabulis nonnullis ex Anna conglutinatis, Ana videbis, reiecto altero N, quo ad ternarium nomen redactum, pro æternitate, quæ tota ab hoc numero dependet, vſurpetur. Hinc Athana, ceu dicas, hat-het-ana/ & articulo, qui in medio eſt, more noſtro, cum ſequenti ſyllaba contracto, hat-thana/ quo nihil aliud notatur, quàm, tenet ipſam æternitatem. Monui antè, in compoſitione frequenter adſpirationes nonnullas adimi ad vocum lenitatem conciliandam; quod & hic in principio factum, ne ſpiritus ſpiritum præcedens anhelam redderet pronunciationem: tametſi & alioquin principiis non rarò denſus ſpiritus adimatur, ne nimio noſtro flatu iis quibus loquimur, ſimus moleſti. Athana igitur, altero etiam Tau ad breuitatem quærendam exempto, Dea eſt conſeruans perpetuam rerum eſſentiam, quam Salomon Sapientiam vocaret; per quam vt pater omnia creauit, ita & omnia conſeruat. Rectiſſimè igitur & quàm conuenientiſſimè ſacris litteris à priſcis Cimmeriis Athana præſes habita eſt omnis ſapientiæ: quam cùm de cerebro Iouis natam finxerunt; quid aliud dixiſſe cenſeantur, quàm æternam ab æterno patre genitam eſſe? Hinc noſtra Hermathana, vetere loquendi conſuetudine, vocum eſt interpretatio, de ſapientiæ fontibus deriuata. Latiſſimè patet hæc etymologia; ſed nobis ſtandum in promiſſa breuitate: & ſunt ceteroqui non pauca aliàs de Athana nobis diſquirenda; de qua in Amazonicis etiam fuit nobis agendum, Athenarum quærentibus conditores. Nec hìc alia audienda tibia; ſola illa ſufficit filij Sirach cantio: Fons ſapientiæ, Verbum Dei in excelſis, & ingreſſus illius mandata æterna. Ab eadem voce Ana/ fit Selana, in qua voce Sel/ pro Tel/ eſt, ad conſuetudinem Sueuorum. Eſt igitur Selana, id quod numerat æternitatem; vnde factum, vt in cælis Luna Selana vocaretur; propterea quòd menſtruis decurſibus perpetuum tempus hominibus dinumeret. Hinc nos Bec-ſelana interpretati ſumus panem, ſiue pabulum, quo nutrimur, ad æternitatem dinumerandam: quod quid aliud eſt, quàm ſapientiæ, omniumque ſcientiarum ſtudium; & diligens inquiſitio eorum omnium quæ nos ad Dei cognitionem per ſcalam quandam & gradus deducunt? Hæc eſt illa Platonica Arithmetica, quam Ariſtoteles poſt Phyſica meditatus eſt; cui ſacræ litteræ adiunctæ, cum ſpiritus ſancti interpretatione, vera perficiunt Becſelana, omnibus ſuis numeris abſoluta. Ex hac itidem voce Anaitis, pro Dea perpetui caloris, de qua in Saxſonicis noſtris copioſè. Sunt & alia, de quibus ſuo loco; neque enim hìc enumeranda omnia. Ab An/ dû id quod tangit, denotat; deriuatur Ang/ pro eo quod nimium prope eſt, adeò vt premat: quæ vox, id quod vltrà An ſignificat, de natura litteræ G accipit, quæ premit, & retrorſum linguam cogit. Plerique noſtratium pro Ang/ Eng dicunt, vt E magis premat Ab Ang/ fit Hang/ pro ſuſpendo; vbi ſpiritus motionem indicat, quæ tendat ad Ang. Latini ab Ang Anguſtum retinuerunt, & Angulum. Hinc Angel apud nos hamus, quòd piſces ſuſpendat, & anguſtiis premat. Ab eodem fonte Angſt pro nimia ſollicitudine & timore. Porrò

Ana. *Athana vnde dicatur, & quid ſit.* *Hermathana.* *Selana vnde dicatur.* *Selana Luna.* *Becſelana.* *Anaitis.* Ang / ſiue Eng. Hang. *Anguſtus, a, um.* *Angulus.* Angel. Angſt.

ex Ang

ex Ang/ quod anguſtum eſt & premens, per conuerſionem fit Gna/ pro eo quod clemens eſt, & ab anguſtiis liberans; & quia Eng etiam dicimus, Gne etiam vſurpatur. Sed vt blandius fiat vocabulum, ex Gna ferè Gnai facimus, blandiente littera adiecta. Hinc apud Romanos Gnæus, quod ſi interpreteris, clementem dicas: qua in voce, ſeruata vera pronunciatione, pro G, C Latini ſcribunt. Nobis Gna clementia, Gnadich clemens vocatur. Fruſtra omnia ſua ſcruta euoluant Latini, ad vocem Gnęus explicandam. Scio eos ad Græcos confugere fontes: quod minimè facerent, ſi veterem Cimmeriorum, à quibus genus ducunt, ſermonem nouiſſent. Ab Ang Latini Ango etiam ſeruarunt: Angen nos & Engen dicimus; ſed nobis origo, vt docui, debetur. Ab An etiam & Ker/ quod eſt curſum impedire, fit Ancker / pro eo quod nauis curſum ad ſe vertit & ſiſtit: hinc Ancora Latinorum, & Αγκυρα Græcorum; quarum vocum rationes ipſi ignorant. Nullus finis ſit, ſi pergam totam ſobolem ipſius An recenſere. Ab A porrò citra litteram tinnientem adiectam elegans oritur vocula. Quia enim A rectum motum ad anteriora indicat, & rectus motus plurimùm adiuuatur & incitatur præuia vibratione; ſermonis Architectus ipſi A litteram vibrantem, quam tremulam Nigidius vocat, præponēs, Ra fecit, vocabulum ſignificaturum celeritatem. Virgilius, quantum ad impetum conducit, ſpicula vibrare, ſiue quaſſare, ſiue coruſcare, quæ omnia pro eadem re vſurpat, frequentius oſtendit, quàm vt ſit monendū. Quis ergo pictor celeritatem meliùs coloribus imitetur, quàm noſter nomenclator eam litteris expreſſit? Equidem in hoc certamen ne ipſum quidem Apellem, aut ſi quis vmquam pingendi arte magis excelluit, verebor prouocare. Poſtea fulminis celeritatem indicare volens, cecinit:

Gna/ Gne/ Gnai/ Gnadich. — *Gnæus vnde dictus.* — *Ango.* — *Ancora, ἄγκυρα.* — *Ra/ celeritatem ſignificat*

Namque improuiſo vibratus ab æthere fulgor
Cum ſonitu venit; & ruere omnia viſa repentè:

Vbi ſtudioſè eam litteram quæſiuit quam ſciret lingua vibrata pronunciari. Doctiſſimè igitur Terentianus dixit, Rho tremulis ictibus linguam vibrare. Sed longè admirabiliore artificio ſermonis noſtri opifex è duabus litteris vocabulum fecit, ad celeritatem exprimendam, dum tremulam vibrationem recto per apertum ſpatium motui præmiſit. Ex Ra fit Rat/ pro Rota; quæ vox Latina nobis item debetur. Hinc Radius, quaſi Ra tit/ id eſt, celeriter tendit: nam Tien idem quod tendere ſiue ire. Nos ferè pro radiis lucis Stralen dicimus; non malè illud quidem, ſed reuocato vetere nomine, augenda eſt vernaculi ſermonis copia. Non reprehendetur igitur à me, imò laudabitur, qui Radien pro Radiis vſurpabit; quod & priore libro monitum, & hîc repetitum, perpetuò in omnibus fugitiuis & obſoletis nominibus obſeruetur. Ra / per conuerſionem noſtratibus peculiarem, ad contrarij tranſit notationem. Eſt enim Ar celeri oppoſitum, vt litteris, ita ſignificatione. Quemadmodum autem vibratio præcedens recto motui impetum adfert: ita, ſi ſequatur, adfert tarditatem, & celeritatis impedimentum, quod in ſagittis clarè videmus euenire. Conuenientiſſimum igitur naturæ eſt, vt Ar tardum denotet. Hinc Arar, fluuius inſignis tarditatis. Sed de Ra & Ar latiùs in littera Rho. Porrò cùm A rectum motum deſignet, ſi vocalem exilem addas, quæ eſt Iota, vox exſiſtet, quo motus lenis, exilis, & blandus indicetur, qualis eſt ipſius ſpiritus. Ai igitur, vt verbum, idem eſt quod ſpiro; vt interiectio, ſuſpirium notat; quod omnibus notius, quàm ſit gratum. Sicut autem Aeſem dicimus, pro vocis nutrimento; qua de re antea: ita etiam Aidom, & reiecto D, de more noſtrati, vt ex Vader facimus Vaer; Aiom crebrò audimus pro reſpiratione. Fit enim deriuatorum formula ex Ai / quod eſt ſpiro, Aidom; ſicut ex Rijc/Rijcdom; & ſimilia ex ſimilibus. Quòd ſi ipſi Ai litteram præponas, quæ latitudinem nobis indicat; fiet Wai/ quod idem eſt quod ventum edo, quaſi dicas, latè ſpiro. Ex Ai Græci, adiecta ſua terminatione, fecerunt Αἴω pro ſpiro. Ex eadem voce Ai fit Αιολος, nomen regis ventorū, compoſitum ex Ai & Hol / quo antrū & ſpecus notatur. Eſt igitur Æolus, pronunciatione Latina, ventorum ſpecus; quod nomen ventorum deo ob id tributum, quòd origo ventorum prorſus occulta ſit, adeò vt nemo hactenus certam generationis eorū habeat ſcientiam, nec ſciat qua de cauſſa modò hinc, modò illinc, modò vehementer, modò remiſſè ſpirent. In Benaco, dum generalis tempeſtas loci genium non vincit, ante meridiem ventus in Italiam tendit; poſt meridiem Germaniam petit: & interim, dum alibi tranquillus lacus eſt, frequenter improuiſa procella è cauis montium vallibus irruens nauiculas euertit, aut ſaltem miſeris modis vexat. Similia alibi

Rota. — *Radius.* — *Tien.* — *Radien.* — *Ar / celeri oppoſitum.* — *Arar fl.* — *Ai.* — *Aidom ſiue Aiom.* — *Wai.* — *Αἴω.* — *Αιολος, Æolus.* — *Hol.* — *Ventorū origo occulta.*

 cernas

cernas euenire: & generatim, nihil eſt ventorum origine occultius; ita vt non iniuria præſes eorũ ab occulto antro nomen acceperit. Hinc doctiùs Virgilius, quàm Grammatici ſuſpicentur: *Hic vaſto rex Æolus antro*

Luctantes ventos tempeſtateſq; ſonoras
Imperio premit, ac vinclis ac carcere frenat.
Illi indignantes, magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt: celſa ſedet Æolus arce
Sceptra tenens, mollitq; animos, & temperat iras:
Ni faciat, maria, ac terras, cælumq; profundum
Quippe ferant rapidi ſecum, verrantq; per auras.
Sed pater omnipotens ſpeluncis abdidit atris
Hoc metuens, molemq; & montes inſuper altos
Impoſuit, regemq; dedit, qui fœdere certo
Et premere, & laxas ſciret dare iuſſus habenas.

Virgilius poëta diuinus.

Ventus vnde dictus.

Wint.

Quis non dicat Virgilium Cimbricam nominis originem in Æolo agnouiſſe, dũ vento regnum ſpeluncis atris abditum eſſe cantauit? Equidem hunc poëtam vt diuinum quendam vatem, ſemper admiror, & longè ceteris omnibus antepono, cùm ob alias præſtantiſſimas ſummæ eruditionis dotes, tum maximè propter occultiorem quandam antiquitatis Cimmeriæ cognitionem: adeò vt non ſemel mihi ſuſpicio ſuborta ſit, eum Gallici ſermonis, & Druidarum diſciplinæ peritum fuiſſe. Verùm quidquid huius fuerit, hoc ſaltem video, eodem eum hîc ſpiritu ductum fuiſſe, cuius inſtinctu ventorum præſidem Cimmerij Æolum indigitauerunt. Quid? an non Venti quoque nomen videtur intellexiſſe, quod à noſtro vocabulo Wint deriuatur, mutato duplice Digamma quo Latini carent, in ſimplex? Dicitur enim Wint à Went / quod ſignificat verto; propterea quòd omnia vertat, & nihil ſinat ſtatum quietemque ſuam tenere. Eſt nunc quiſquam qui meliùs poſſit hanc noſtratem vocis rationem ob oculos ponere, quàm à Virgilio factum ſit in verſibus modò citatis? Sed hæc extra propoſitum. Redeo ad A, cui ſi Lambda iungas, motum indicaris ad ſummum apicem cæli tendentem; eo quòd hæc littera ſupremã feriat palati partem. Quoniam ergo linguæ noſtræ architectus ſciret omnia noſtra ſtudia, nec noſtra modò ſtudia, ſed omnia totius vniuerſitatis deſideria, ad illud quod ſupremũ eſt, tendere debere: voluit vt Al idem ſignificaret quod omne, quo ſtatim hac voce audita & intellecta, de compoſitionis artificio intelligeremus, omnes actiones, omnes motiones noſtras ad ipſum ſummum rerum omnium culmen eſſe referendas. Quid ſalutarius moneri potuit, quid ſignificantius rerum omnium finem indicare, quid breuiore compendio ad id vocare, à quo non hominum tantùm, ſed omnium rerum felicitas, atque adeò ipſa eſſentia dependet? Quidquid enim eſt, eo ipſo eſt quod ad ſummum refertur: iam quia omnia ſpiritu quodam omnia penetrante & mouente ad hoc ipſum ſupremum culmen diriguntur, atque eo ipſo in ſuo eſſe cõſeruantur; placuit linguæ opifici, vt verbum quo Conſeruo denotatur, ſpiritum ante al haberet, quo occulta hæc & præuia motio qua omnia ſeruantur, indicaretur. Hal igitur idem ſignificare iuſſit, quod Latini Seruo dicunt; tribus litteris tres hypoſtaſes in Deo omnia conſeruante demonſtrans; à ſpiritu ad filium, qui ad patrem ducit; à filio ad ſupremum apicem, qui pater eſt, progreſſu facto. Et optimè ſanè adſpiratio Spiritui ſancto attributa, nec minus bene A ipſi filio; propterea quòd filius recto motu, tum à patre, tum ad patrem procedat. Eſt enim Patris verbum, Patris creatio, Patris ad omnia progreſſus, Patris ſapientiſſima cogitatio, & cetera omnia quæ ad infinitam pertinent Patris poteſtatem explicandam. Porrò de Lambda clara eſt ratio, quam pòſt explicabo. Meritò autem conſeruatio à Spiritu incipit; eo quòd hic omnium rerum cuſtodiæ conſeruationique præſit, haud ſecus ac anima quædam omnium rerum creatarum. Suboleuit hoc etiam aliqua ſaltem tenus admirando noſtro Maroni, qui omnia ſpiritu conſeruari his verſibus ſæpius mihi canendis declarat:

Al.

Hal.

Hypoſtaſes tres in Deo omnia cõſeruãte, per tres literas in Hal demonſtrantur.

Principio cælum, ac terras, campóſque liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra,
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Non

Non malè profectò Poëta: ſed quanto diuiniùs ſermonis noſtri architectus ternarium Deo attributum expreſſit; & in conſeruandi munere primum locum ſpiritui, ſecundum creatori, tertium patri aſſignauit! Quis hæc conſiderans non obſtupeſcat? Vix me teneo, quin exclamem, O ſancte ſpiritus, ſic in me ſpira, vt per Dei filium accedam ad Patrem: Quæ oratio ipſiſſimis litteris in Hal expreſſa cernitur, ab iis qui vocalium pigmentorum naturam è vetuſtis auctoribus quos in medium adduxi, cognouerunt. Et eſt hæc ſanè omnium rerum conſeruatio, ſi per ſpiritum ſanctum adſcendant ad opificem, & eius medio perueniant ad ſupremum patrem. Hal ergo idem eſt quod conſeruo; primùm & ante omnia Deo conueniens, ad eam, quam dico, intelligentiæ regulam, & inde ad alia deſcendens. Hinc Hal pro Sale antiqui noſtri maiores vſurparunt: vt in Hal ad Oenipontem, & Hal in Saxſonia perſpicuum eſt de ipſis nomenclaturis: vnde & Græci hales ſuos acceperunt. Verùm quia magna ædificia, multos ſimul homines & merces conſeruantia, Hallen dici cœperunt, vt aliquod, ad ambiguam locutionem euitandam, diſcrimen eſſet; aſpirationem in ſibilum mutarunt, quo ex Hal Sal fieret: ac rurſus, quia Sal/ pro Salute, eſſet in vſu; ex Sal/ Salt/ adiecto Tau, fecerunt. Hinc Latinorum Sal, ex Salt; & Salus, è Sal. Hinc apud Arabes, ex Hal/ factum eſt Magal, pro habitatione; ceu diceretur, Mag-hal/ id eſt, magna & capax domus cognatos ſeruans: quod de vetuſta Cimmeriorum conſuetudine & lingua tractum, qui per cognationes habitare conſueuerant; vt multa opidorum nomina in Magus exeuntia declarant. Virgilius Afris eo nomine villas vocari oſtendit, ſic de Mercurio canens:

Hales. *Halle.* Sal/ *id eſt, ſalus.* *Sal ſalis.* *Salus. utis.* *Magal quid ſignificat, & vnde dicatur.*

Vt primum alatis tetigit magalia plantis.

Et clariùs alibi:

Miratur molem Æneas magalia quondam.

Seruius dicit, Magar, non Magal, à Pœnis dici: quod neſcio an ipſi credere poſſim; cùm pluris mihi ſit curioſa Virgilij diligentia, quàm Grammatici obſeruatio: & præterea certò ſciam, hactenus Magal, pro habitatione & domo apud Arabes Africam habitantes eſſe in vſu; cuius rei teſtis mihi eſt annulus amatorius, Arabicam habens inſcriptionem, quæ Latinis ſonat, Habitatio ſiue domicilium vitæ meæ; vbi pro domicilio, ſcriptum eſt Magal, characteribus coniunctis illis quidem de more, ſed clare tamen Magal, non Magar, exprimentibus. Eſt autem annulus ex Africa allatus, cuius inſpiciendi copiam mihi fecit Illuſtriſſima Domina Comes Cantecroia. Magal igitur à Priſcis Cimmeriis, ſiue Amazonibus, originem videtur duxiſſe, amplam cognatorum domum deſignans. Qui antiquitates perueſtigarunt, fatentur illi quidem Magalia à Mago nomen duxiſſe; ſed quid Magus ſignificet, ignorant; dum proprium viri nomen eſſe credunt; nec item intelligunt, quid Hal adiectū ſibi velit. Hæc modò allata exempla ſufficiant ad artificium peruidendum, quo ex A vocali primus ſermonis noſtri faber pinxerit rerum notiones.

TRANSEAMVS ergo ad E, ſecundam vocalem; quæ ſi longa ſit, vt ἦτα Græcorum enunciatur, quod Dionyſius Halicarnaſſeus ſic efferri ſcribit, vt ſonum ad linguæ baſim firmet. Terentianus nobis cecinit, in E pronunciando, rictum modico tenore deprimi, lingua vtrimque molares premente. Quiuis in E efferendo ſentit linguam non molares modò, ſed radices etiam dentium anteriorum premere, atque vndique ſe firmare. Quamobrem idonea littera erit rerum firmitati, & veluti fundamento denotando. Quòd ſi iam quæras à ſapientiæ profeſſoribus, quænam baſis ſit rerum omnium: tandem eò deduceris, vt Vnum fundamentum ſit rerum omnium; cui niſi innitantur omnia, labantur & pereant neceſſe eſt. Quod cùm ita eſſe nomenclator noſter cerneret; E/ pro Vno poni voluit: cui tinnientem litteram accedere nonnumquam permiſit; ne Vnum, quod firmamentum eſt omnium & ſingulorum, in terra quæreremus; ſed ſono ipſius N, ſurſum vocaremur. Non contentus autem ſermonis artifex, vocalem inueniſſe firmæ rerum omnium baſi deſignandæ aptiſſimam; illud præterea inſtituit, vt omnium rerum nominibus Ee/ vel Een/ vocali producta præponeretur. Sic dicimus Ee man/ id eſt, Vir. Græci ex Ee/ ὁ fecerunt, cur articulus in prima lingua præponeretur ignorantes: Latini articulum neglexerunt. Qui pòſt Romanam linguam corruperunt Gotiſmo, pro Ee man/ vn home dicunt; &, Ee vrou/ Vna donna; phraſi nimirum Cimmeriorum retenta, apud quos eadem vox & vnum ſignificat, & articuli

E litteræ ſymbolica ſignificatio. E. *Een ſiue Ee, vnum ſignificat, & articulus ſingitur.* *ὁ articulus Græcus.*

vice fungitur: quæ loquendi conſuetudo non apud Italos tantũ, ſed apud Gallos etiam, & Hiſpanos, è Germanico ſermone inoleuit. Pudet me, ita me Mercurius amet, tam ſublime primæ ſapientiæ myſterium tanta triuialis meæ orationis ieiunitate perſtringi. Sed quid facerem? Illi, quibus copioſa elegantis ſermonis vbertas largo cornu diuina benignitas effudit, nihil hactenus huius clariſſimæ lucis è lingua noſtra nobis affulgentis viderunt; ſed in hoc ſuo domeſtico theſauro, haud ſecus ac talpæ, verſati ſunt, oculis numquam ad hunc illuſtriſſimum diuini ſermonis ſplendorem apertis. Condonet igitur mihi admirabilis ille & omnino diuinus linguæ noſtræ architectus, ſi quæ poſt immenſum ſeculorum decurſum primus vidi, ea rudi ſermonis mei filo contexam atque demonſtrem: qua tamen in re ne prolixè peccem, infinito me, quàm auguſti ſpectaculi poſtulat amplitudo, præſtabo breuiorem: contentus, ſi tantillum apud noſtrates gratiæ ineam, vt ditiſſimæ gazæ, hactenus in alta & caliginoſa ſpecu defoſſæ, primus dicar index fuiſſe. Quamobrem hoc ſatis eſto, dixiſſe, nihil poſſe in vlla locutione admirabilius inueniri, nec vtilitatem habere luculentiorem, quàm in hoc articuli, qui Vnum ſignificat, omnibus rerum nominibus præponendi, vſu deliteſcat. Hæc igitur loquendi norma à primo ſermonis artifice, cùm ob alia, tum ob id potiſſimùm eſt inſtituta, vt quauis in re nominanda mentem noſtram ad ipſum Vnum ſubleuaremus; memoréſque eſſemus, ex ipſo omnem rerum ſtabilitatem & eſſentiam non fluxiſſe modò, ſed in eo etiam ſtare. Præterea quoniam ipſum Vnum ſolum eſſentiam omnem complectitur, & eam rebus afflat, huic elemento ſibilum adiecit; quo adiecto, fit Es/ vnde Latinorũ Eſt; & Eſſe, & Græcorum ἐστὶ. Es igitur propriè & primum notat ipſum Vnum, ea ratione, qua & ipſum eſt, & omne eſſe, rebus adſpirat; quod ſibilus adiectus indicauit. Hinc Parmenidis philoſophiæ fundamentum, quo aſſeruit, omnia eſſe vnum; quia nimirum omnia hoc ipſum quod ſunt, in ipſo Vno habeant conſtitutum atque fixum, & extra Vnum nihil eſſe poſſint; ſed ab eo valido ſpiritu, qui ſibilo notatur, & procedunt & dependent: quod diuiniſſimum dictum, ab ipſo primo primæ linguæ architecto petitum, Ariſtoteles nefaria ſacrilegáque calumnia, & cauillatione omnibus ſeculis apud pios probóſque viros deſpuenda, falſitatis accuſauit: cùm ipſe mutatis verbis nihil aliud prolixiſſimis illis & odioſis commentariis docere moliatur, quæ, neſcio quàm bene, τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ nominantur, mea certè ſententia, rectiùs ab eo quod tractant, quàm ab eo quod non tractant, nuncupanda. Hoc profectò diuinior veriorque Parmenides, quòd non ab Ente, ſed ab Vno, omnium rerum principium duxerit: cùm vnum pater ſit; ipſum verò Ens, illud quod primum à patre gignitur, & procedit: in quo Ariſtoteles, ſi ratio nominum habenda ſit, videtur quieuiſſe. Sed de hac re pòſt iterum latiùs. Rectiſſimè itaque ab E quo vnum ſignificatur, omnibúſque rebus primum ineſt, vt ipſius in nominandis iis præmiſſione notatur, vox Es formatur, illius litteræ adiectione, quæ fortiſſimum ſpiritum imitatur. Num eſt quicquam fortius illo ſpiritu, quo ab ipſo Vno ipſum Ens efflatur; & ſimul eſſentia omnium eorum quæ ſunt, procedit? Eſt rurſus vllũ elementũ, quo aptiùs hic tam validus & robuſtus ſpiritus, è quo omnia eſſe ſuum habent, & ipſi vni colligantur, quàm ſibilante hac littera exprimi poſſit? Admiremur ergo ſummum linguæ noſtræ artificium, quod duabus litteris tam magnum diuinitatis myſterium concluſit: admiremur item, quòd omnibus rerum nominibus articulus is præponatur; quo clarè docemur, omnia ab vno pendere. Quid dico, admiremur? adoremus potiùs ſupplice mente diuinam bonitatem, quæ primo linguæ noſtræ inuentori tanta luce affulſit, vt hæc non clariſſimè tantum cerneret, ſed etiam clariſſimè omnibus ſermonis noſtri peritis demonſtraret, idque tam deuota animis noſtris ad diuina excitandis voluntate, vt numquam rem vllam à nobis permiſerit nominari, quin ſimul huius catenæ, per quam omnia ab vno dependent, admoneremur. O vtinam diuinus Plato huius ſermonis peritus fuiſſet: quantum diuinum illud pectus gaudij perſenſiſſet, dum totius ſapientiæ fundamentum omnibus rerum vocabulis vidiſſet attextum; quibus ille præconiis hanc linguam celebraſſet; quas laudes, quos hymnos Bacchico furore correptus effudiſſet! Ex me coniecturam de cæleſti illo ingenio facio, qui quantumuis rudis ſim & agreſtis, ſic tamen huius artificij contemplatione afficior, vt præ illa, quicquid latus habet mundus oblectamenti, contemnam, & nihili ducam. Sed pergamus hinc, vbi nullus conſiderationis finis inuenire-

Een articulus, quare nominibus præponatur.

Eſt, Eſſe, ἐστὶ. Es: quid ſignificet & vnde formetur.

Vnum omnia comprehẽdit.

ueniretur, ad alia, quæ & nominibus & rebus ab vno ſtatim deducuntur. E quid ſit, & Es/ dixi: cui id tamen addendum; à pleriſque exilitatis amantibus Is/ pro Es/ dici; vt facilis eſt ex vno elemento in alterum tranſitus. Ab E fit Ee/ ſiue e/ vocali cum exili ſono producta; quod ſuperior Germanorum lingua Ehe ſcribit, longam litteram, quo neſcio modo, in medio ſui aſpiratione exaſperans; quo legitima vnio ſignificatur; vnde fit, vt pro matrimonio vſurpetur, vt dum dicimus, hi en heeft geen kinderen in Ee/ id eſt, non habet proles ex legitimo matrimonio. Vide quæſo, quàm aptè nominum fabricator nos admoneat, vt ipſi Vni legitima copula coniungamur; & fieri non poſſe, vt legitima coniunctio inter mortales violetur, vt non ſimul ab ipſo Vno recedamus: quod quàm ſit periculoſum, nemo ignorare poteſt, qui modò ſciat ab vno omnem ſuam ſalutem & eſſentiam pendere. Num quiſquam vel longiſſima oratione, & omnibus eloquentiæ numeris abſoluta, plus poſſet matrimonio conciliare dignitatis, quàm vnica hac vnius voculæ minimæ notatione factum videmus? Primùm patefit ab ipſo Vno legitimum coniugium procedere; deinde non poſſe violari, niſi ſimul quoque vinculum, quo ab Vno pendemus, ſoluatur; quo nihil poteſt cogitari magis horrendum. Hinc & illud liquet, matrimonium aptiſſimum eſſe Sacramentum coniunctionis eius quæ eſt inter Chriſtum & ſuam Eccleſiam; quæ ſponſa ſic ei eſt deuincta, vt Vnitas, & eſſentia, & tota ipſius ſalus ab eo pendeat; & ſi vinculum ſoluatur, eueſtigio pereat. Crebrò nobis monendum erit, ſic ab architecto voces factas, vt prius in ſummis ideis, quàm exemplis inde ductis, ſignificationis rationem veritas tueatur; quo deſcenſum rerum à ſuis cauſſis primariis clarè demonſtrauit, totius ſapientiæ fundamenta clariùs vocibus intexens, quàm vllis vel prolixiſſimis Philoſophorum commentariis explicentur. Ee ergo priùs illud coniugium ſignat, quod Deus cum mente noſtra contraxit, quàm coniugium inter virum & feminam: quia illo, ipſi Vni coniungimur & copulamur; hoc verò, imitamur tantùm ſummam illam mentis & Dei Vnionem; ita vt hoc, illius ſit Sacramentum, ſiue myſticum quoddam ſignum; atque idcirco malè nominis ſui rationi reſpondeat, niſi ſimilitudinem cum illo, quam poteſt fieri maximam, conſeruet. Vnde mox perſpicuum, idem de matrimonio ſenſiſſe nomenclatorem, quod Paulus explanauit: qua de re pòſt iterum fortaſſe nonnulla. Hic ſatis ſit monuiſſe, quod in omnibus volumus valere; ſic voces in hac lingua poſitas eſſe, vt ratio ſignificationis in ſummis exemplaribus ſit quærenda: quod tamen non in omnibus fecimus; ne nimia & prolixitate, & nonnumquam etiam difficultate, curſum huius ſcriptionis, qua quàm celerrimè cupimus defungi, impediremus. Neque verò æqui lectoris fuerit, in his meis primis rudimentis accuratum rerum omnium explicatum poſtulare. Ab eodem E/ fit Eet/ quo iuramentum, ſi hac voce vti licebit, ſignificatur: quòd eo omnis oratio noſtra confirmetur, & Vni, à quo verum ſic manat, vt cum eo conuertatur, ſit coniunctum: cùm Tau vinciendi vim habere, de Platonis auctoritate, ſit apertum. Hac voce monemur in primis, omnem veritatem ab Vno manare; atque idcirco ab Vno nihil poſſe, niſi verum, produci. Deus itaque, qui ipſum Vnum eſt, & ipſum Verum, & Spiritus ipſe omnem eſſentiæ vnitatem veritatemque per omnia meando conſeruans, non poteſt per aliud, quàm per ſemetipſum iurare; vt eſt in Geneſi: Iuraui per memetipſum, dicit Dominus. Deinde hoc ipſo nomine docemur, quanti faciendum ſit iuramentum, quo per ipſum illud orationē noſtram confirmamus; à quo non ſermo tantùm noſter, ſed ipſum etiam eſſe dependet. Qui ergo iurat, id dicere in lingua noſtra videtur: ſi hoc, quod dico, verum eſt, vt niſi ita ſit, ab ipſo vno velim diſtrahi, id eſt perdi, & prorſus in nihilum abire. qua interpretatione quæ Diræ poſſunt eſſe magis horrendæ? Quis hoc noſtras iuriſiurandi nomen conſiderans, non expaueſcat iurare; cùm eo ipſo quo iurat, primam omnium rerum cauſſam ſic in teſtimonium vocat, vt ab eo velit dependere ac ſeruari: & ſi non ſit, quod dicit, cum ipſo Vno coniunctum; velit & ipſe ab vno diſtrahi, quod nihil aliud eſt, quàm perire. Præterea ex hoc ipſo vocabulo intelligimus, non eſſe plures Deos, cùm per ipſum omnis veritas & firmitas ab Vno pendere ſignetur. Iuramenta igitur per aliud, quàm per ipſum Vnum concepta, noſtras nomen non merentur: quia Eet omnem multitudinem excludit. Simul atque ergo hoc nomen audimus, omnis falſa Deorum multitudo, ſiue gentium idola profligantur, & in nihilum rediguntur: quia nimirum per ea nullum iuſiurandum nomine iuramenti apud

Is.

Ee ſiue Ehe.

Matrimoniū aptiſſimū eſt Sacramētum coniunctionis inter Chriſtū & ſuam Eccleſiam.

Eet.

Iuramentum quanti faciēdum.

noſtros dignum fieri poſſit; quo fit vt ne dij quidem ſint dicendi, propterea quòd, ſi dij eſſent, per eos etiam iurare in lingua noſtra poſſemus. Vnus ergo Deus eſt, per quem omnia confirmantur, & eſſentiæ ſuæ accipiunt veritatem, qua res inter ſe & cum prima omnium cauſſa vniuntur, quod apertiſſime Eet nobis declarat. Quemadmodũ autem eet id ſignificat quòd cum vnitate eſt deuinctum; ita ſi per veſtigia retrò legas, ad Vnum reduceris. Quid enim Tee aliud eſt quàm Te ee, id eſt, ad Vnum, quò iuſiurandum ten-
ἐτεὸς. dere debet, vt veritatem ſuam tueatur. Ab hac voce eet / Gæcis ἐτεὸς, pro vero eſt in
ἀληθὴς. vſu, ſola temporis in principio mutatione, quod in ἀληθὴς non eſt mutatum, quod vocabulum ex eodem fonte deriuatur. Ee ſiue E longa vocali in ἦτα, & tenui conſonante in adſpiratam tranſeunte, vt ſit nimirum Al eet / id eſt, omnino iuramentum, quaſi dicatur, omnino conſentit cum vno, à quo omnium rerum confirmatio dependet; quod nihil aliud eſt quàm ſi dicas, verum eſſe. Porrò quia hæc vnio per quam iuramus, ipſa eſt Dei poteſtas, omnem rerum ordinem conſtituens, per quam vnitatis, eſſentiæ, veri-
Iurare Deum per ſuã vnionem, quare Orphici priſci finxerint. tatis, & bonitatis ſuæ omnes res participes facit: priſci Orphici finxerunt, Deum, dum iurat, per hanc ſuam vnionem iurare, qua omnia in cælis & in terra ordine certo conſtituuntur atque ſeruantur; quod nihil aliud eſt, quàm Deum per ſemetipſum iurare; cùm eſſe eius, & poſſe, & agere idem cum ipſo ſit. Hanc autem totius mundi conſti-
Sticht. tutionem & conſeruationem in vno fixam, Sticht vocabant; è quo Græci Stix fecerũt,
Stix vnde dicatur. & q̃d ſignificet. Rex vnde dicatur. Tau in Sigma conuerſo, & ex Chi & Sigma duplice littera facta, eo prorſus modo quo è Recht voce noſtrati, fit Rex Latinis. Poſteriores, huius originis ignari, crediderunt per ὑψιλὸν ſcribendum eſſe; quaſi triſte quippiam & horribile hac voce ſignificaretur. Hinc eorum opinioni duo ſuffragari videbantur; alterum, quòd fons Arcadiæ horrendi veneni aquam fundens ſub eadem voce notus eſſet qua Alexandrum, Ariſtotele id & Antipatro machinatis, extinctum ferunt; alterum, quòd Stix fluuius apud inferos diceretur, per quem dij iurarent; omniaq; apud inferos ςυγνεὰ & triſtia viderentur. Heſiodus Stygem filiam Oceani fecit natu maximam:

Δεινὴ ςὺξ θυγάτηρ ἀψορρόου ὠκεανοῖο
Πρεσβυτάτη. νόσφιν δὲ θεῶν κλυτὰ δώματα ναίει
Μακρῇσι πέτρῃσι κατηρεφέ', ἀμφὶ δὲ πάντη
Κίοσιν ἀργυρέοισι πρὸς οὐρανὸν ἐςήρικται. Id eſt, vt Græco vati craſſè ſuccinamus,

Styx valida Oceani reflui antiquiſſima nata,
Quæ procul à reliquis Diuis tenet inclyta tecta,
Rupibus ex altis pendentia, & vndique pilis
Argento factis cælum firmata ſub ipſum.

Bene profectò Oceani filiam dixit, quem Moſes Abyſſum & aquas nominauit; è quibus, tamquam è materia, tota ſtructura mundana facta eſt, quam nos Sticht per excellentiæ figuram nominamus: qua voce nihil aliud ſignificatur, quàm id quod apto ordine eſt conſtitutũ. Tota igitur hæc totius mundi ordinatio ex Caho ſiue ex Abyſſo patris omnis fundi experte nata, Styx nuncupetur; omnia pluſquàm duriſſima rupes ſtabiliens, & argenteis columnis ſuſtinens, quæ ex infimis terræ viſceribus ad ſummum cælum, id eſt, ad Vnum ipſum pertingunt. Quòd autem dicit, hanc procul à diis habitare; id ſic intelligendum, vt huius poteſtas non in ſolo cælo, vbi dij à poëtis ponuntur, cernatur; ſed inde ad longiſſimè etiam diſſita propagetur, candidiſſimis columnis infima ſupremo Vni connectens. Hanc dum Deus iurat, per ſeipſum iurat; propterea quòd tota totius vniuerſitatis ordinatio in ipſo conſiſtat. Hanc dum homo iurat, Deum iurat, & illud iuramentum præſtat, quod nobis Eet dicitur, quo omnia vni deuinciuntur; quæ tantum abeſt vt ſit triſtis & horribilis, vt contrà nihil amabilius, nihil carius, nihil hominum vitæ magis neceſſarium cogitari queat; vtpote citra quam nihil omnino eſſe ſuum poſſit tueri. Hæc meritò immenſi illius Oceani & paterni ſeminis proles antiquiſſima habenda, per quam omnia quæ ſunt, firmiſſimis pilis ſuſtinentur. Græci vocum confinio decepti, triſtem quandam aquam ſomniauerunt, veteris fabulæ ſinceritatem fœdis maculis inquinantes; vt nihil ferè in priſca Orphicorum Theologia reliquerunt puritatis, non alia de cauſſa quàm quòd Thracum & Phrygum lingua, è qua fabulæ ad ipſos erant antiquitùs deriuatæ, ignorarent. Quid enim, quæſo, rationis habeat,

beat, Iouem per triſtem noxiamque aquam iurare; cùm homines etiam norint, nõ eſſe iurandum, niſi per maiorem, vt plus nimium accedat orationi firmamenti, quàm perſona loquentis adferre poſſit: quo fit vt Deus, cùm maiorem ſe non habeat, per ſemetipſum iuret, vel per ſuam ipſius ordinatiſſimã ſtructuram, Sticht nobis vocatam, è qua in potentiæ eius deducimur cognitionem. Stichten autem, quod eſt recto ordine rem quampiam conſtituere, deriuatur à Stigen / quod eſt ſurſum contendere: quoniam is qui ordine quippiam conſtitutum vult, neceſſe habet vt omnem operationem actionemque ſuam ad ſupremam cauſſam referat, à qua omnis ordinatio procedit. Videmus itaque quantum momenti habeat ad rerum naturam perſpiciendam diligens primarũ vocum examinatio, cuius formulam & typum quendam in hac voce Eet, atque huius nominis monitu, in Styx oſtendi. Ceterùm quia omnis hæc noſtra opera ad rectas nominum rationes eruendas tendit, non erit alienum, ſi vocabuli occaſione vltrà quæramus, an iuramenti ſiue iuriſiurandi apud Latinos nomen è ſermone noſtro traxerit radices. Iuro à voce Ius deductum videtur; ita vt ſi, vnde Ius dicatur, intelligamus; ſimus etiam intellecturi, vnde Iuro deſcendat. Ius, inquit Donatus, quod omnia recta & inflexibilia exigit. Vlpianus Ius à Iuſtitia appellatum nimis ſupinè mihi videtur dixiſſe; cùm Iuſtitia à Iuſto, & Iuſtum à voce Ius deductum videatur; cùm Iuſtum id ſit quod ſecundum ius fit; & Iuſtus, qui ius ſiue æquitatem in omnibus ſeruat. Quòd ſi nunc vlteriùs quæſtio procedat, quæ ſit huius vocis Ius etymologia; magnũ credo apud Latinos fore ſilentium. Eſt ſanè vox noſtratibus & Romanis communis, vnius ſolius elementi truncatione à noſtris ad Latinos tranſgreſſa. Cùm igitur concedendum ſit, ex ea lingua natales habere in qua ratio eius inuenitur; ſpero me demonſtraturum, noſtratibus originem eius deberi. Juſt æquum apud nos dicitur, nulla ſcabritie aut inæqualitate offendens; quod noſtras eſſe, conuerſio contrariam ſignificationem adferens apertè monſtrat. Stui idem eſt quod inæqualitate offendo; quod ex verbo ſtuit intelligitur, Dat ſtuit / id eſt, hoc non æqualiter tranſit, ſed offendit. Juſt verbum eſt ad æqualitatem redigo, omnibus in rebus vſurpatum; contrarium eſt Stuit / adiecto Tau de more noſtro; quod in corporibus quidem idem quod offendit ſiue repellit ſignat; in ſermonibus verò tantum valet, quantum ſi dicam, Non ſeruat veritatem, id eſt, oratio eius non quadrat cum reipſa. Hinc Stuitvoſch is dicitur qui mendaciis hominibus imponit, vulpeculæ dolos imitando. A Juſt Latini Ius & Iuſtum mutuati ſunt: hinc & Iubeo è noſtratibus dictiunculis compoſitum eſt, quaſi Juſt bie / id eſt, iuſtum impero; in poſteriore vocula diphthongo, qua Latini carent, in e ſimplex commutata. Non mirum igitur eſt, ſi à Ius fiat Iuro, cùm nihil aliud ſit Iuro, quàm teſtari rem conuenire cum ipſa veritate, quod nos diceremus Juſten / id eſt, ad æqualitatem redigere: quòd iuramentum ſit, teſte D. Paullo, omnis controuerſiæ finis, id eſt, inæqualitatis. Græci ὅρκον pro iuramento dicunt; quod quamuis & Grammatici ad varias origines referant, quas in Etymologico licet videre; mihi tamen videtur primi ſermonis vnguenta redolere. Orcont enim eſt abſoluta & prima notitia, ab Or / quod principium eſt, & Cont / quo notum ſignificatur; vt originalem notitiam queas interpretari. Iuramentũ ſanè cùm finis eſſe debeat omnis controuerſiæ, ad ipſum fontem omnis notitiæ accedit, vt ex ipſo teſtimonium veritatis ſibi deriuet; atque hac ratione Orcont dici meretur, id eſt, notitia ab ipſo primo veritatis origine petita. Hierocles aureum Pythagoræ carmen exponens, ſic ὅρκον exponit, vt diuinarum legum obſeruationem iuramentum appellet, quo omnia quæ creata ſunt ad cognoſcendum Deum, ei annectuntur & adaptantur: quorum aliqua quæ ſemper cum Deo ſunt, ſemper iuſiurandum colunt & ſeruant; aliqua, quæ nonnumquam à Deo diſcedunt, iuramentum nonnumquam infringunt, & diuinæ legis ordinem & iuramenti fidem prætermittunt, eo ipſo facto impij. Videmus hîc iuxta Hieroclem, qui plura in hanc ſcribit ſententiam, iuramentum in vnione cum Deo conſiſtere; quod noſtrati voce expreſſum eſt: veritas enim omnis, omniſq; ſolida notitia ex hac vnione procedit, quæ ob id meritò Orcont / id eſt, origo notitiæ vocatur, à quo Græci ὅρκον fecerunt: quoniam idcirco per Deum iuranti fides adhibetur; quòd pro certo teneamus, non ſolùm Deo omnia nota eſſe, verùm ab eo etiam omnis veræ notitiæ principium proficiſci. Hinc vulgo loco iuramenti dicere ſolent, Deus nouit, hoc ipſo pronunciato originem omnis & ſcientiæ & veritatis teſtantes; quo fit, vt non iurent tantùm, ſed

Stichten. Stigen. Iuro. Ius. Iuſtus. Juſt. Stui. Stuit. Stuitvoſch. Iubeo. ὅρκος. Orcont. Or. Cont.

tùm, ſed veram etiam nominis rationẽ, qua Iuramentum apud Græcos ὅρκος vocetur, addant. Adſpirationem verò quæ in Orcon non eſt, irrepſiſſe credo ex illorum opinione qui vocem ab ἕρκος, quo murus notatur, tractam eſſe ſibi perſuaſerunt. Latini melius Orcum citra adſpirationem in alia quidem notione dicunt, at ea tamen quæ ex eodem fonte deriuetur. Socrates Plutonem, ob immenſos ſapientiæ theſauros quibus abundet, quoſq. nemini communicet, niſi ſit à corpore abſolutus, dictũ putat ἅδην ἀπὸ τοῦ εἰδέναι, id eſt, à ſciendo: quod vt vnde acceperit haud ſcio, niſi ab Orphico quopiam acceperit; ita hoc inde clariſſimè cerno, Orcum apud Latinos è prima lingua nomen retinuiſſe, in qua Orcon notat primum omnis ſcientiæ fontem. Hinc adagium illud vetuſtiſſimum, Orci galea, ſiue vt Græci dicunt, ἄϊδος κυνῆ eam accipiet lucem, quam nemo hactenus maximæ ipſius potuit inferre obſcuritati. Si quæ Orci galea tecta ſunt, ea nullo modo videri poſſint; nihil magis hac galea tectum puto, quàm huius prouerbij cauſſam, in qua vt plurimùm Zenodotus, & Eraſmus, & Gyraldus laborarint; primam tamen eius & veram originem non attigerũt, quam nobis ſtatim in ipſo nomine ſermo noſter interpretatur. Tota priſca Orphicorum poëſis ad veræ Theologiæ, & eius quidem noſtræ, arcana, à maioribus ænigmatibus inuoluta, eſt referenda; à quibus quantũ aberrat, tantum à vera poëſi degenerauit; degenerauit vitio ſanè eorum, qui ſinceræ ſapientiæ ignari, ſomnia ſua, & ineptias, & anilia deliramenta vix à pueris toleranda, Muſarum ſacrario inuexerunt. His igitur relictis, quæratur, Quìnam Orcus galea ſua ſit inuiſibilis; quod non aliunde melius, quàm ex Moſe intelligetur, qui à Deo ipſo hæc accipit verba: *Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* An num aliud eſt, faciem Dei non videri, quàm Orci caput ſic galea tectum eſſe, vt non cernatur? Quis verò Orcus, niſi ſummum bonum, cuius maieſtatem Socrates in Rep. ait eſſe auguſtiorem, quàm vt eam ſermone poſſet explicare: à quo quamuis omnis notitiæ exordium eſt, tamen non videtur niſi per Solem boni filium. Chalcidius in Platonis Timæum ſcribens, de hoc principio ſic agit, vt originem quidem rerum, ex qua ceteris omnibus quæ ſunt, ſubſtantia miniſtratur, eſſe ſummum & ineffabilem Deum dicat. Bene profectò ineffabilem dixit, quem inuiſibilem eſſe ſcimus, de quo Orpheus:

> Αὐτὸν δ' οὐχ ὁρόω, περὶ γὰρ νέφος ἐστήρικται.
>
> *Ipſum non video, quòd ſit caligine ſeptus.*

Plutarchus inſcriptionem ex templo Mineruæ in Ægypto recitat, in qua ſapientia ſummi patris, & omnis ſapientiæ cauſſa, quam Orcon lingua noſtra vocat, hoc poſt alia de ſe dicit: τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν. id eſt, Peplum meum nemo vmquam mortalium reuelauit, ſiue capiti meo ademit. Hac de cauſſa dum de occulto hoc numine Ægyptij ſacerdotes agebant, ter acclamabant: πρώτη ἀρχὴ σκότος ὑπὲρ πᾶσαν νόησιν, σκότος ἄγνωστον. id eſt, Primum principium tenebræ omni intelligentia ſuperiores, tenebræ nulli cognitioni peruiæ. Has tenebras Orcus galea ſua nobis ſignificat, tectus ille quidem, ſed non totus; quoniam caput dumtaxat à mortalium oculis abſcondat, potentiam ſuam per opera filij, cum quo idem eſt, iuxta illud, *Pater & ego vnum ſumus,* oſtendens. Orcon ergo, ſiue Latina terminatione, Orcus, eſt ipſa patris ſapientia, cuius ſapientiæ caput galea tectum eſt: atque inde, qui tam occultas res nouiſſent, vt ceteros mortales eæ laterent, vel tam prudenter aliquid executi eſſent, vt nullius alterius acies conſilij profunditatem poſſet intueri; ij dicti ſunt Orci galea tecti: quòd ſcilicet mens ipſorum tam altè in ſapientiæ tenebras penetraſſet, vt inde, tamquam ex altiſſimo omnis intelligentiæ apice, ipſa quidem omnia videret, à nemine verò videretur. Quis neſcit Palladem galea munitam? at qua galea munita ſit, non omnes fortè cernunt. E Sphinge, quam aliqui cono appoſuerunt, hoc licet coniectare, non vulgarem caſſidem fuiſſe, ſed quiduis potius, quàm illud quod primo ſtatim aſpectu polliceri videretur, indicaſſe. Certè Homerus quid ſibi hoc Sphingis ænigma vellet, videtur ſubodoratus, dum canit,

> αὐτὰρ ἀθήνη
>
> Δῦν' ἄϊδος κυνέην μή μιν ἴδοι ὄβριμος ἄρης.
>
> *Sed caſſide Pallas*
>
> *Orci ſe texit, ne ipſam Mars cernere poſſet.*

Quid hoc tandem eſt, quòd ne Mars quidem Palladem Orci galea tectam videre poſſit?

Orci galea. ἄϊδος κυνῆ.

Orphicorum poëſis ad Theologiæ arcana referenda.

Orcus galea ſua quìnam ſit inuiſibilis.

Orcus quid ſignificet.

Pallas qua galea munita ſit.

poſſit? Illud nempe, quòd Pallas omnia ſua conſilia è Iouis cerebro, & ſummo ſapientiæ vertice petat, quem caligine perpetua ſeptum dixi, quam Martis oculi impuri, & contrariis inter ſe elementorum turbis impediti, penetrare non poſſunt. Mars enim nihil aliud eſt hoc loco, quàm temeraria quædam ferocia, nulla ratione, aut certo conſilio, ſed inſana & furibunda ira ad prœlium impellens. Pallas verò prudentia eſt cautè omnia circumſpiciens, non ſolùm armis, ſed conſiliis, & iis quidem præcipue, nixa. Non mirum igitur, ſi Palladis prudentiam, qua ſua conſilia & moderabatur & occulebat, Mars non potuerit peruidere: cùm animus ira concitatus, & totus æſtuans, nihil vmquam poſſit vel ſani cogitare, vel ab aliis prudenter cogitatum intueri: quia craſſus circa feruentia præcordia fumus omne mentis lumen effuſcet atque exſtinguat. Hac de cauſſa cùm Mars à Diomede Palladis auxilio vulneratus è pugna ſe ſubduceret, non Orci galea, quam nullam hic demens, vt cum ipſa Iuno apud Iouem vocat, poterat habere, ſe abſcondit; ſed obſcuritate quadam, qualis in aëre ex nubibus apparet, dum ex nimio ardore ventorum tempeſtas cum turbine excitatur, quod frequenter in æſtate contingit. Iracundi enim & furibundi animi, ſi quid aduerſi contra exſpectationem accidat, mox inſano clamore, qualis Martis fuit, & proceloſo impetu ordinem laxant, & diſſipant; & quantum vel equis vel pedibus valent, fugam capeſſunt. Quia verò ventoſa hæc tempeſtas ex ardore circa pectus oritur; non procul inde vulnus accepit, in ipſis nimirum hypochondriis ad eam partem qua cingebatur. Caligo autem qua tegebatur, tam non erat occulta, vel Orci galeæ ſimilis, vt etiam à Diomede, qui homo erat, cerneretur. Poſſem equidem totam Perſei fabulam, licet miſeris modis corruptam, & à prima veteris ſapientiæ veritate diſtractam, ad hoc prudentiæ contra aduerſa præſidium reuocare; niſi delicatorum hominum ſtomachum vererer: & hæc etiam ipſa quamuis breuiora ſint, quàm rei poſtulat amplitudo, neſcio quomodo diutius me demorentur quàm exiſtimabam. Hoc vnum ſatis indicij dabit, quæ dixi, vera eſſe; quòd Perſeus, omnibus ſuis ad optatum finem perductis, galeam Orci Mercurio obtulerit, hoc ſuo facto confeſſus, non alij eam conuenire, quàm ei qui excellenti mentis celeritate ad obſcuram rerum caliginem adſpirare poſſet. Non poſſum tamen illud omittere, quantumuis properem, quòd κυνῆ vox galeam Græcis notans, noſtrati quoque linguæ debeatur: quod niſi ita ſit; etymologiam mihi de ſermone ſuo promant. Dicent fortè, ſic dictam, vel quòd è corio canis fieret, vel quòd canis caput in cono præferret: quod quàm ſit ridiculum, quiuis videbit. Apud nos Cun/ vel Con/ ambiguum eſt ad notitiam, & ad imperterritam animi fortitudinem notandam: idque ea, vt videtur, cauſſa; quòd fortitudo animi ex accurata eorum notitia, quæ agenda faciendàue ſunt, oriatur. Het/ vocali longa, caput ſignat; vt in Gotodanicis ſatis latè me recordor tradidiſſe. Cun-et igitur, ad verbum, caput eſt vel imperterritum, vel notitia ſcientiaque rerum inſigne: quæ vox, compoſitionis lenioris gratia, adſpirationem de noſtro more perdit. Ex Cun-et Græci fecère Cune, abiecta littera, quam terminationis Græcæ forma non admittit. Galea igitur Cun-et / ſiue Græcè κυνῆ vocatur; quia caput reddat imperterritum, & audax ad quoſuis ictus recipiendos. Hic velim benignum candidumque ſymbolorum interpretem rogatum, vt diligenter videat, quanta arte pro ſapientiæ teſſera, Cune ſit accepta; in qua non illud modò indicatur, ſapientiam optimum capitis eſſe munimentum, & certiſſimam aduerſus omnia incidentia pericula galeam: ſed hoc etiam additur, vt ex voce ipſa Cune intelligi queat, cuius rei notationem galea capiti impoſita gerere videatur. Eſt enim duplex conuenientia; altera ipſius galeæ cum ſapientia; altera eorum quæ de voce Cune intelligi poſſunt, ſi ad primos natales vocetur. Quamobrem ἄιδος κυνῆ, ſi vtraque vox ad originem referatur, idem erit, ac ſi quis dicat, Dei omnia ſcientis galea; vel, ſciens peritumque rerum caput. Quid, an quicquam poteſt eſſe, quod vel ſignificantius, vel verius moneat eum qui in tutela ſit eiuſmodi Dei & eiuſmodi capitis, facile poſſe quæuis pericula prudenter declinare; & iis conſiliis quæ alij non videant, maximam ſibi comparare ſecuritatem? Quid autem de Socrate in voce ἄδης interpretatione ſentiam, alias forſan: hoc ſaltem ex ea modò ſuſpicor, eum à doctiore quopiam accepiſſe, penes hunc Deum omnis ſcientiæ fontem eſſe; vti in Orci nomine Cimbri docentur. Redeamus nunc ad vocalem, cuius & naturam, & in vocabulis vſum, propoſuimus conſiderandum. Oſtenſum eſt, Ee vel

Mars.

Pallas.

κυνῆ, id eſt, galea, vnde dicatur.

Cun vel Con.

Het / id eſt, caput.

ἄιδος κυνῆ.

vel Een dici pro vno; Ee quidem ante conſonantem, Een verò ante vocalem: loco cuius duplicis Ee ſiue E per longum tempus tractum, aliquibus in vſu eſt Ein; à quo
εἷς. εἷς Græcorum, & ἕν, & Vnum Latinorum, vocali ad latiorem ſonum tranſeunte. He-
ἕν. bræi E quidem pro Vno retinuerunt; ſed adiecerunt God/ ominis cauſſa, quo Deus no-
Vnus, a, um. tatur. Nam אֶחָד fit ab E got/ id eſt, Vnus Deus. Sed de hac voce in numeris. Ab eadem
Ent. vocula, apud nos finis Ent dicitur; quo nihil aliud ſignatur, quàm id quod cum Vno eſt deuinctum, vel Vnum omnia colligans; quia Tau videlicet vinculi indolem habere dicatur. Eſt enim finis, vnum quiddam, multa ad ſe tendentia vniens. Finis namque, & Vnum, ſic inter ſe iuncta ſunt inſeparabili concordia, vt ad ipſum Vnum omnia, tamquam ad vltimum bonorum, ferantur. Quamobrem nemo in ſermone noſtro finis audit mentionem, vt non ſtatim moneatur, ſummum homini felicitatis gradum in vno ſtare; & idcirco in primis nobis cauendum eſſe, ne multitudine & diuerſitate vel negotiorum vel curarum animus noſter ad varia diſtrahatur. Martha, Martha, inquit ille vnus & verus cæleſtis patris filius, ſollicita es circa plurima: at vnum eſt neceſſarium: Maria optimam partem elegit. Quam verò partem? Eam, vt nihil in vita ſibi curandum putaret, cuius occaſione ab vno primo omnium principio auocaretur; nihil vt potius priúſque duceret, quàm vt per filium, in cuius notitiam ſingulari gratia modò erat pertracta, ad patrem adſpiraret; ac quamdiu in terris eſſet, perpetua ſupremi boni meditatione viam ſibi per Chriſtum ſtrueret, ad vnum omnis boni paterni coràm intuendum. Quamobrem, qui ad optatum & verum hominis finem rectà cupit peruenire; Vnum ſemper ſpectet, atque perpetuò cogitet, tantum ſibi temporis felicitatiſque perdi, quantum itineris ad plura, quàm vnum, impendit. O monitionem verè auream! ô gemmeam primi nominum factoris ſententiam! Quis enim, cùm finis nomen ab vno deduci ſentit, non confeſtim quæret, quòd illud ſit vnum, ad quod, tamquam ad finem, vt omnes contendant, ab ipſa finis nomenclatura monentur? Quod prolixè in totis Philoſophiæ latifundiis diſputatur, omnia ad Vnum tamquam ad vltimum bonorum ferri; id nomenclator noſter tribus litteris indicauit: de quarum poteſtate, ſi tres Platonis imperatores declararem, quibus ad tres in Deo perſonas alluſit, licet id ipſum quod vel ab Ægyptiis, vel ab aliis vetuſtioribus acceperat, fortaſſe non intelligeret; nimiæ apud quoſdam ſuperſtitionis crimen ſubirem: certè à veritate ne latum quidem vnguem diſcederem. Sed de hac re tum fortè nonnihil, cùm de nomine Dei trilittero paucula quædam, Deo ipſo volente & ſuggerente, in medium proferemus.

Plvs ad propoſitum faciet, ſi conſideremus, ecquid aliæ linguæ ab hac voce ſint
ἕνη καὶ νέα. mutuatæ. ἕνη καὶ νέα, apud Atticos, dies menſis vltimus & primus dici videtur; quem Varro intermeſtrem nominatum dicit: quòd putaret, inter prioris menſis ſeneſcentis extremos dies & nouam Lunam, eſſe diem, quem diligentius Attici ἕνην καὶ νέαν appellarint: quòd ea die poteſt videri extrema & prima Luna. Extremam Lunam & primam die quapiam videri, Varroni non credam: ſed idcirco ἕνην καὶ νέαν diem ſic dici opinor; quòd in ea, luna & noua ſit & vetus; ſolem nimirum curſu ſuo & aſſecuta, & nouum rurſum orbem à Solis gradu exorſa; atque illa quidem ratione ἕνη, vel vt Æolicôs, ἕννη hac νέα vocitanda. Quidam ἕννην triceſimam, quidam primam menſis diem vocant; vt Heſiodus:

Πρῶτον ἕνη τετράς τε καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ.

qua quidem computatione, ἕνη καὶ νέα Græcorum, eadem eſſet cum Latinorum Calendis; quam Græci alio nomine Νεομηνίαν vocarunt. Harpocration Hyperidem citat, cuius hæc eſt ſententia: Quam apud nos triceſimã, ſiue Triacada, vocamus, Athenienſes ἕνην καὶ νέαν vocant; propterea quòd finem contineat mẽſis prioris, & exordiũ ſequentis. Nobis de hac controuerſia ſuſpicio oritur, peregrinum eſſe huius diei apud Athenienſes nomen, quam nomen Calendarum maiorem in modum auxit; cui & id acceſſit, quòd ἕννην ad Æoles propter adſpirationem ablatam, & geminatam conſonantem, referant. Ent/ & Neu/ nobis tantundem eſt, ac ſi diceretur, finis & nouum. Qua verò de cauſſa ἕννη vltimam apud Græcos ſignificare poſſit, non video; cùm etymon eius ἀπὸ τοῦ ἑνὸς petant, ad quod reductum, primam potiùs, quàm vltimam, ſignificaret. Mihi placet, ipſam Νουμηνίαν ita vocari, quòd ea die prioris lunaris curſus finis, ſit noui

princi-

principium; quam appellationis cauſſam Hyperides expreſſit, & Varro adiecto errore indicauit. Quamobrem niſi docear, ἕνεν pro vltimo poni; ſicut ponitur pro eo quod eſt vnius anni, apud Theophraſtum; non facilè ab ea opinione deducar, qua credo, nomenclaturam ex ea lingua ad Athenienſes veniſſe, qua illi vſi ſunt qui prima Athenarum fundamenta iecerunt; quibus Ent finem notat, & Neu ſiue Nieu nouum; è quorum *Neu ſiue Nieu.* illo ἕννην, ex hoc Νέαν, ad normam ſuam Græci accommodarunt; quo finis menſis præcedentis & nouitas ſequentis notaretur. Hanc diem cum Heſiodo primam menſis facio, partim poëtæ auctoritatem ſecutus, partim vetuſtam Romanorum conſuetudinem, qui eandem diem Calendas nominarunt, voce minus corrupta.

APVD Nonium Marcellinum legimus hæc verba: Calendarum vocabulum proprium Varro complexus eſt de vita populi Romani lib. primo. Itaque Calendis calabantur, id eſt, vocabantur, & ab eo Calendæ appellatæ, quod eſt tractum à Græcis, qui καλεῖν, vocare, dixerunt Macrobius à Calo verbo Græco curiam Calabram deducit, in Capitolio caſæ Romuli proximam, in quam, plebe calata, id eſt, vocata, Pontifex, quot dies à Calendis ad nonas ſupereſſent, pronunciabat; & Quintanas quidem quinquies dicto verbo Calo, ſeptimanas repetito ſepties prædicabat. Quis hic non miretur, Pontificem Romanum ad plebem de computatione menſis agentem, Græcè loqui, quàm Latinè maluiſſe? Facile quidem hoc ad Græcos Latinis perfugium permiſiſſem, ſi ab eiſdem Nonas & Idus interpretarentur; in quibus cùm aliæ aliorum apud priſcos etiam ſententiæ commemorentur, ipſa controuerſiæ antiquitas omnem mihi eleuat earum auctoritatem. Cimmeriis potius, vetuſtiſſimis Italiæ incolis, has voces acceptas *Cimmerij vetuſtiſſimi Italiæ incolæ.* ferre debuiſſent; à quibus etiam ipſos Græcos maximam linguæ ſuæ partem accepiſſe, cùm hic, tum alibi, non ſemel indicaui. Non equidem vel hoc, vel alio loco, ab vnius vocis artificio tam latè ad eius ſobolem excurrerem; niſi ſcirem, nihil maiores vires habere, ad fidem rebus nouis & apud omnes abſurdis, faciendam; quàm luculentam complurium exemplorum inter ſe conſentientium copiam; quorum multitudine & denſitate, aduerſa ſentientium acies, tamquam Macedonica quadam phalange, perrumpatur & diſſipetur. Nunc igitur, vt vnde Calendæ hanc habeant nomenclatu- *Calendæ vnde dictæ.* ram, clarè cernatur, quamquam nihil eius fabricator ab artis regulis diſceſſerit; prius examinandum quid ſit Cal/ vocali breui pronunciatum. Crebrò monui, plurima vocabula in obliuionem abire; & id non rarò accidere, quòd veterum ferè & longo vſu detritorum nos ſoleat pigere, dum nouis ſemper, velut faſtidioſi ſtomachi, inhiamus. Cal vnum eſt ex diuiniſſimis vocabulis, ipſum pulcrum ſignificans, rem omnium votis *Cal / id eſt pulcer.* expetitam; cuius compoſitionis artificium magnam concludit rationum vbertatem. Aliam enim de natura ſingularum litterarum cauſſam habet ſignificationis; aliam è compoſitione duarum, in quas ſolui poteſt, vocum. In primis igitur, quia pulcrum & bonum ſic ſunt connexa, vt ſeparari nequeant, & vtrumque primum Deo conueniat, hoc, vt cauſſa omnium & efficiens & finalis; illud, vt pulcrum omnia vehementiſſimo impetu ad ſe trahens, & ad diuinum alliciens amorem: diligenter eſt à nominis architecto obſeruatum, vt ternarius litterarum numerus diuinam imitaretur trinitatem; & *Ternarius litterarum numerus diuinā imitatur trinitatē in dictione Cal.* illam quidem eo ordine exprimeret, vt vox à ſpiritu ſancto, ad amorem omnia incitante, exordium ſumeret; ac deinde filij perſonam adderet; poſtremò, patrem, velut apicem omnium, indicaret. Pulcra ſanè Dei contemplatio: ſed eo difficilior, quòd captum humanum excedens, nos alta profundiſſimi abyſſi caligine inuoluat; nec aliud vel cogitare, vel loqui in obſcuro hoc ſilentio fas ſit, quàm ipſe Spiritus ſanctus eccleſiæ inſpirauit. Cùm igitur omnium diuinorum reuelationem Spiritui ſancto attributam videamus; ita vt hunc ſemper, dum quippiam nobis diuinitùs declarari cupimus, inuocemus: non malè ei ipſum pulcrum adſcribemus; eo quòd hoc nihil aliud ſit, quàm id quod rerum omnium nobis offert perfectionem, è qua, velut è Sole, lumen emanat. Rurſus, quia amor ad Spiritum ſanctum pertinet, & eius perſonæ propriè præcipuéque conuenit, & amoris generatio ipſi pulcro debetur: non puto me falſum iri, ſi pulcrum quoque ipſi adſcribam. Amorem autem à pulcro gigni atque ali, vel Platoni, vel rationi credamus. Quamobrem Spiritus ſanctus ad ima vſque vniuerſitatis vndique pertingens, diuinorum operum pulcritudinem per omnia diffundit, atque eam ſenſibus noſtris offert vſurpandam, & menti cogitandam; cuius illecebris pulſati animi noſtri,

 ad amo-

ad amorem incitantur. Hæc igitur pulcritudinis ſpecies, Spiritus ſancti nobis gratia communicata, ad amorem vrgens, per Cappa denotatur; quod Terentianus dicit linguam compellere; vt ſe dentibus applicet; quod his verſibus à me antè citatis, & pòſt rurſus vtendis, expreſſit:

Vtrumque latus dentibus adplicare linguam
C preſſius vrget; ſed & hinc & hinc remittit,
Quo vocis adhærens ſonus explicetur ore.

Cernis hîc linguam vrgeri, vt ſe dentibus vtrimque applicet, ac ſonum adhærere, adeò vt vix explicetur; quo fit, vt pulcritudo nos vrgens, vt nos pulcris applicemus & adhæreamus; optimè per C litteram ſignetur. Verùm quia quod vrget, ad aliquid vrget; elementum ſuccedit, quo recta via indicetur, quod eſt A. de cuius vi ſatis multa dicta ſunt. Quæ autem perſona hîc indicetur, ex eo diſcamus qui dixit, *Ego ſum via, veritas & vita.* D. Paullus ad Romanos & Epheſ. ſcribens, docet, nos per Chriſtum acceſſum ad patrem habere, non de alterius, quàm de ipſius Chriſti, doctrina. Cùm igitur A acceſſus ad aliquid deſignet notionem; non potuit ſymboli ratio vllo alio elemento melius conſtare. Vltimum verò elementum cæli in ore apicem linguæ parte ſuprema feriens, an non optimè illud exprimit, ad quod, vt ſummum & ſupremum, omnia feruntur? Sed hæc obiter ſint indicata potius, quàm explicata, myſteria; quæ ſtuporem mihi magis & ſilentium incutiunt, quàm claram ſuggerunt orationem. Illa igitur mirati atq. venerati, de pulcritudine philoſophico more diſſeramus; nec eam aliud eſſe cogitemus, quàm concinnam quandam partium omnium dimenſionem, & aptam earum inter ſe commiſſuram; quæ cùm ſua ſit rebus ſingulis, tum maxima elucet in tota rerum vniuerſitate; cuius illicibus rapimur ad ipſum pulcritudinis opificem, qui ad exemplar & ideam ſuam omnia fecit decora. Et ſit hæc quidem vocabuli Cal in prima elementa ſolutio; quorum talis eſt natura, & tanta inter ipſa compoſitionis concinnitas, vt ipſum pulcrũ pulcrius nomen habere non poſſit. Quòd ſi Cal in Ke & hal partiaris, vocem expreſſeris vehementer amantis propriam. Idem enim eſt Ke hal/ ac ſi dicas, maiorem in modum te rogo, & enixo deſiderio cupio, vt me ſerues: qua precum formula omnes ij qui ardenti amore flagrant, vtuntur, ab ipſa pulcritudinis, vt ſic dicam, Iynge compulſi. Dicunt enim ſe amore languere ac perire; atq. idcirco rogant ipſum amatum vt ſe ſeruet, permiſſa nempe pulcritudinis communicatione atque fruitione. Poteſt & aliter ſolui, vt ex Ke & Al coiiſſe videatur, qua ratione Cal idem erit ac ſi dicas, deſideriorum vehementium ſumma, ſiue omne id ad quod ingenti appetentia rapimur; quod nihil aliud eſt quàm ipſum pulcrum. Quòd ſi Plato in hanc vocem incidiſſet, atq. vim eius totam & ſignificationem edoctus fuiſſet: quibus ille præconiis pulcritudinis nomen de pulcritudine celebraſſet! Quoniam verò nihil pulcrum, niſi integrum ſit; factum eſt, vt Cal pro integro nonnumquam vſurpetur. Vnde Caluaten eſt idem quod vltimam manum nauibus imponere, & efficere ne aquam per rimas vllas admittãt: quod tamen verbum per excellentiam nauibus tribuitur; cùm alioqui ad quæuis vaſa integra reddenda ſpectet, vti ratio ipſius declarat. Inter Imperatores Conſtantinopolitanos quidã recenſetur Calaphates ab hac arte nomen ſortitus; qua de re Lilius Giraldus commentariorum de re nauali lectorem non celauit. Nec mirum, ad Pontum Euxinum huius vocis vſum fuiſſe, cùm & in Galatia lingua noſtra viguerit, & hactenus in Taurica Cherroneſo, priſca Cimmeriorũ ſede, plurimis ſit vernacula; licet Tartaricam & Turcicam, propter commercia & dominium, præterea diſcant. Qui veteres idiotiſmos apud nos necdum penitùs obliuioni tradiderunt, dum quempiam à forma & morum integritate laudant; vulgò dicunt, T'is een goede Cal/ id eſt, bona eſt forma, & candido animo. Apud Flandros olim proprium quoq. feminarum nomen videtur fuiſſe, quod nunc illis dant, quæ Catharinæ nomen in baptiſmo ſuſcipiunt. Ab Antuerpia ad duas leucas diſtat opidum, mœnibus non incluſum, Calloo nominatum, cui à Cal & loo nomen eſſe quiuis videt. Quid loo ſit, in Atuaticis aperui; vbi de Loouen & Venloo nonnihil dixi. Apud Græcos κάλλος & καλοὶ, & apud Hebræos כָּל & כָּלָה ab hac noſtra voce remanſerunt: quod niſi fateantur, etymologiam meliorem oſtendant. Quid quod conuerſio, ſermoni noſtro peculiaris, clariſſimè demonſtrat, cuias prima ab origine ſit vocabulum. Quia enim Cal pulcrum ſignificat; & nihil magis pulcritudinis excellentiam declarat, quàm vitium,

Caluaten.

Calaphates Imperator Conſtantinopolitanus.

Galatæ Cimbrica lingua ſunt vſi. Taurica Cherroneſus priſca Cimmeriorũ ſedes.

Cal/ Calle/ Calleken. Calloo.

κάλλος vnde dicatur.

vitium, turpitudo, & defectus; voluit nomenclator, vt Lac vitium defectumque denotaret. A Lac voce correpta, fit Laac vox producta, qua ſignificatur, paullatim conſumor, & ad nihilum tendo; propterea quòd vitium defectusque longa ſua mora quamuis rem conſumant: & quia è longo defectu non eſt reditus ad integritatem, ſed continuus ad nihilum progreſſus; Caal vocali longa quod ex ipſo Laac fit, per conuerſionem idem ſignificat quod laac: vt cognoſcatur, ex malo nil niſi malum gigni. Monemur hac deriuatione vocum, humano generi ſemel à pulcro ad contrarium digreſſo, nullam viam ad pulcrum patère, quàm quidem vel ſua induſtria inuenire, vel ſuis viribus inſiſtere queant. Oppoſitam enim pulcro viam ingreſſi, in vitium inciderunt, quod eſt lac; è lac in laac venerunt; & ex laac in caal regrediuntur, perpetuò magis ac magis ad nihilum tendentes; quod quid aliud eſt, quàm oſtendere, per peccatum progreſſum ad mortem, & ipſam tandem mortem in humanum genus graſſari cœpiſſe. Iam, quia vitia ea maximè quæ in habitum tranſeunt, vituperanda ſunt ab omnibus; laac pro vituperare vſurpatur: & quoniam quæ paullatim deficiunt, tandem nihil retinent; caal etiam id notat in quo nihil ſupereſt: vnde Latini Calui vocabulum mutuantur. Quamuis nunc nihil amplius dubitari fortaſſe poſſit, quin Cal noſtras ſit vocabulum, & pro pulcro vſurpandum: quia tamen ſimplex vox paucis eſt frequentata; placuit, vt vocem addamus, è cal pulcrum notante, pulcerrimè factam. Calf vitulum noſtratibus notare, nemo vernaculorum ignorat: at vim vocis, & pulcerrimam eius compoſitionem non puto quemquam hactenus aut intellexiſſe, aut conſideraſſe. Eſt igitur Calf è cal, & lef, quod idem eſt quod viuo, conſtructum, & more noſtro in Calf contractum. Dicitur autem Calf ferè de omni maiore pecore, in prima & viridi ætate conſtituto, quo tempore laſciuiendo pulcrum nobis exhibet atque iucundum ſpectaculum, & quaſi florem ipſius ætatis; in quo pulcritudinem præcipuam vitæ eſſe brutis animantibus, nemo infitias ibit. In libro Malachiæ veriſſimi angeli, ſcriptum eſt de vitæ datore: *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius; & egrediemini, & ſalietis ſicuti vitulus de armento*. Elegans, ſic mihi vita ſimilis contingat, comparatio; dum Chriſtum Soli confert, quòd vt hic vitam dat terrenam calore ſuo; ita ille iuſtitia ſua vitam cæleſtem & æternam: & vt huius noua vita ſalientes facit, & vitulantes; ita illius vita facit gaudio ſemper nouo, ſemperque duraturo, perfruentes. Adiuuat hanc meam in voce Calf etymologiam, Latinorũ nomen, quo eundem armenti fœtum appellant. Vitulus enim non ab antiqua voce Itulus dictus eſt, vt videtur Feſtus opinari; ſed à vita, formula illud quidẽ diminuentium, at non ita, vt minus vitæ habere dicatur, ſed habere vitam gratioſiorem & delicatiorem; vti dum corculum, ocellos, baſiolum, & ſimilia nominamus. Quia enim omnia in prima & viridi adhuc ætate, maiore, quàm pòſt, gaudio exultant & geſtiunt; à vitula fit vitulor, eodem modo quo ab os oſculum, & deinde oſculor. Tametſi vitula, pro viridi ætate, non ſit in vſu; eſt tamen in vſu pro ipſa lætitiæ Dea, iuxta Hylli de Diis ſcribentis teſtificationem; quam Piſo victoriam eſſe non bene putauit: cùm generatim cuiuſuis lætitiæ præſidem vitula ſignet, quòd videlicet tum ſolùm gratioſam vitam, ſiue vitulam, agamus, cùm gaudiis indulgemus. Quamuis itaque poſt victoriam culta ſit; ex eo tamen minimè colligendum, eandem cum victoria fuiſſe. Feſtus vitulor à vitulis deriuare videtur, vt à catulus fit catulire. Nonius melius, vitulantes gaudentes, à veteribus dictos putat, à bonæ vitæ commodo; quia eum viuere dicamus qui in ſumma verſatur lætitia: è quo colligas, vitulor, eius iudicio, factum eſſe à vita, à qua & vitulus, quamuis tempus in prima ſyllaba mutetur; quod in aliis quoq. fieri ſcimus. Calf ergo vitulus nobis appellatus, quaſi Callef/ id eſt, pulcra vita; quoniam nihil gaudio pulcrius in vita exiſtimetur. Veruntamen quia hæc vitula, vt Deæ nomine pro dono eius vtar, imbecillis eſt, nec diu permanens, ſed mox veluti floſculus marceſcens: nomenclator in hac voce ea arte vſus eſt, vt ichnæa conuerſione moneamur, gaudium per vitulum ſymbolicôs denotatum, caducum eſſe: nec eo contentus, cauſſam indicauit, ob quam hæc vitæ iucunditas ad ruinam tendat. Nam ſi Calf retrò legas, Flac habes, quo imbecille & debile ſignificatur; vnde Latini Flaccidum retinuerunt. Nunc ipſius Flac etymologia imbecillitatis aperit cauſſam. Flac enim, ſiue Vlac/ dicitur quaſi Vollac/ id eſt pleni defectus, ſiue plenum vitij; quorum vtrumque eôdem tendit.

Lac. Laac. Caal. Caluus. Calf id eſt, vitulus, vnde dicatur. Vitulus vnde dictus. Vitula. Vitulor. Vitula lætitiæ dea. Flac ſiue Vlac. Flaccidus.

Primum enim peccatum & iucundæ vitæ plenitudinem nobis ademit,& vitiorum reddidit plenos. Quia verò **Plat** imbecille notat; tenuit ratio, & loquendi cõſuetudo, vt dum terris vel agris tribuitur, vt loca ſignificet montibus & ſiluis carentia; propterea quòd primi homines omne præſidium omnemque ſui cuſtodiam montibus & ſiluis

Barg. committere conſueuerunt: vnde factum, vt à nomine **Barg**/ quo mons notatur, ver-

Bargen. bum habeamus **Bargen**/ pro tueri & in tuto collocare; vt cùm dicimus, **T'ſcip bargen**/ nihil aliud dicimus, quàm ſi Latinus diceret, Nauem in tuto collocare. Dixi alibi, in hac vocis tranſlatione nos commoneri, primam hominum poſt diluuium cuſtodiam in monte contigiſſe; & primam nauem pro portu montem Paropaniſum habuiſſe. Nec credas, à cuſtodia montem nomen accepiſſe; cùm nomen **Barg** de compoſitionis ratione, priùs monti, quàm cuſtodiæ ac tutelæ cauſſam tribuere debeat. Geminã enim habet notationis cauſſam;alteram prorſam, alteram verſam; illam quidem à **Bar hoog**/ & conciſione facta, **Barg**/quo altum denotatur, è quo multa in conſpectum veniunt.

Bar. *Pario.* *Pareo.* **Bar** enim non ſolùm idem denotat quod procreo, vnde Pario Latinorum; ſed crebrò etiam ponitur pro manifeſtare; in qua ſignificatione acceptum Latinis Pareo reliquit. Montibus ergo nomen datum, & quòd in iis altitudo ſit, plurima longè latéque oculis ſubiiciens; & quòd ipſum altum nobis manifeſtent: quæ poſterior notatio è contraria fit compoſitionis ſtructura, vt **Bar—hoog**/ idem ſit quod manifeſto ipſum altum. In etymologia enim omnis vocabulorum analyſis conſideranda, non modò illa quam extra compoſitionem libera orationis ſtructura vulgo frequentiùs vſurpata menti ſuggerit: quod præceptum tamen non cuiuſuis erit rectè ſequi, propterea quòd Hermathena non quamuis plebeiam, & in vulgus notam admittat interpretationem; ſed eam, quæ cum antiquiſſimorum hominum conſentiat philoſophia. Quia igitur montes in Ianigenarum ſermone nomen habent ab alto manifeſtando; atque omnes hominum preces, omniaque ſacrificia eò tendant, vt Deus, qui ipſiſſimum altum eſt, nobis manifeſtetur, & quodam modo pariatur in mentibus noſtris, quod altera ipſius **Bar** notatio indicat: placuit priſcis illis patribus, vt oraturi & immolaturi in montes adſcenderent; quo non ſolum ipſo aſcenſu, ſed ipſo etiam montium nomine monerentur primarij finis, ad quem omnis oratio, omne ſacrificium, omnes cærimoniæ dirigi debent.

Oraturi & immolaturi, quare olim in montes aſcenderint.

Cùm enim primum nobis regnum cælorum ſit quærendum,nec id inueniri queat niſi rex eius altiſſimus nobis manifeſtetur, & in animis noſtris innaſcatur, per ſui cognitionem neceſſarium eſt, vt hoc vnum nobis ſemper rogandum proponamus, quo ſummum nobis bonorum fiat manifeſtum; & non manifeſtum modò fiat,ſed etiam in animis noſtris gignatur. Hinc vides, quis primus fuerit ſcopus eorum qui in excelſis immolabant; à quo poſteri fœdo adulterio degeneres, montes & ſiluas Deo ſacras dæmonibus dedicarunt: quam impietatem Deus vbique ferè & gentibus & Iudæis per vates ſuos cum maxima zelotypiæ ſignificatione in ſacris litteris exprobrauit. Cui ex his perſpicuum non eſt, quantum ſermo noſter ad priſcos ritus intelligendos, & à corruptela, & turpi impiorum abuſuum fœditate vindicandos, conducat; ei fruſtra aurem, quam nullam habet, vellere tentarem. Altera nominis **Barg** ratio de conuerſione pendet,

Grab. per quam **Grab** nobis exiſtit, quo quæuis foſſa denotatur, & per excellentiam, ipſum ſepulcrum, mortuorum corporum domicilium, quo nihil poteſt magis remotum eſſe à monte & montis nomine; eo quòd ſicut mons altum eſt manifeſtans, ita foſſa ad occultandum eſt aptiſſima. Videant igitur illi qui Domini montem non adſcendunt, ne, dum ſe viuere credunt, in alta foſſa iaceant ſepulti. Rogemus itaque Deum, vt nos à foſſa liberatos cum Petro in montem deducat, & in eo nobis gloriæ ſuæ manifeſtet ſublimitatem, & in eo tabernaculum nobis fiat æternum. Vidimus modò, quid Veteres de montibus & myſtico eorum vſu ſenſerint; qua re bene conſiderata, mox in mentem veniet, quam habuerint de locis planis opinionem. Si enim plurimum ad tutelam firmitatis montibus adſcripſerint; clarum eſt, locis planis nihil eſſe ad cuſtodiam, de ipſorum ſententia, infirmius: è quo efficitur, vt planum locum optimo iure

Plat. **Plat** nominemus, vtpote eum, in quo multum ad plenam locorum laudem deſideretur, nullaque ſit firmitas ad homines cuſtodiendos, ſiue ſymbolicôs, ſiue ſimpliciter & nomen & res intelligatur. Diſcant nunc Germani mei quantum myſteriorum vulgatis vocibus aperiatur iis qui norint eas ad veras ſignificationis cauſſas vocare. **Flac** autem

autem ſiue Vlat pro imbecilli & infirmo in omnium ore olim fuiſſe, Hiſpanorum &
Italorum Gotiſmus declarat, apud quos *Flacco* hactenus eſt in eadem notatione. Ro- *Flacci.*
mani eos qui flaccidas aures haberent, Flaccos nominarunt; eo quòd pecoribus infir-
mis aures flaccidæ ſentiantur. Hinc apud nos prouerbium, quo eos quos flacceſcere in
re quapiam videmus, dicimus aures demittere pendentes. Græcis βλάξ, & βλακεύω, *βλὰξ, βλακεύω.*
& cognata, ex eadem radice manarunt; quorum omnium cauſſa non alij vlli genti,
quàm Teutonicæ, conſtat. Feſtus Blaterare à βλὰξ deriuat, nulla recta vel analogiæ vel
ſignificationis ratione ſeruata. Nobis Blat vaniloquũ deſignat; & Blateren idẽ eſt quod *Blat.*
inania verba & inepta profundere, à Blet/ quo βληχάω ſiue balare ſignificatur. A blate- *Blateren.*
ren igitur blaterare, ſicut à blet balo & βληχάω. Nunc redeamus ad Calf/ cuius conuer- *Blaterare.*
ſio Flat/ longiùs nos abſtraxit, & multo longius abſtractura eſſet, ſi myſticam ipſius
Calf notationem, quam in ſacrificiis habet, cum ipſius nomine conferre vellemus: O-
ſtendere enim oportet, ſacra per vitulos mactatos facta, ad pulcram illam quidem vi- *Vituli in ſa-*
tam referri; ſed multum tamen iis deeſſe, vt id quod nomen pollicetur, præſtare poſ- *crificiis ma-*
ſint: propterea quòd ichnæa conuerſio flaccidam nobis hanc vitam oſtendens, apertè *ctati, quid*
doceat, veteris legis ſacrificia magnum habere veræ plenitudinis defectum; quam Chri- *deſignent.*
ſtus, ſe ipſum in crucis ara immolandum offerens, abſoluit; quo facto alia omnia ſacri-
ficia ceſſarunt. Hoc illud eſt quod Dauid cecinit futurum, *Quoniam ſi voluiſſes, ſacri-
ficium dediſſem, vtique holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribula-
tus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Benigne fac Domine in bona volun-
tate tua Sion, vt ædificentur muri Hieruſalem. Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, obla-
tiones & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.* In his prophetæ verbis ha-
bemus, omnia ſacrificia ad vnum ſacrificium tendere: quod cùm fuerit abſolutum, &
eccleſia, ſiue Hieruſalem, muros habuerit ſuper firma petra fundatos, & benigna Dei
voluntate fidei gratiam acceperit, in monte ſancto ipſum Deum excelſum hominibus
oſtendente; tum imponentur oblationes & holocauſta iuſtitiæ; tum, inquam, impo-
nentur altari Domini vituli, non illi quidem vmbratiles, vt ſic dicam, veteris legis vi-
tuli; ſed ij quorum illi dumtaxat figuram gerebant, qui ſunt hominum animi humi-
liati, & imbecillitatis ſuæ conſcij, cum ipſa vera hoſtia vniti, & facti vnum corpus, quo
in huius iuſtitia pulcram & perfectam vitam accipiant, nullo amplius defectu aut lacu-
na deformem. Quis hic non videt, quid vituli ſymbolum denotarit? quis non videt,
Chriſtum in cruce immolatum per vitulos ſacrificiorum veterum fuiſſe deſignatum?
cui ſi nos vniamus, vituli efficimur, & grata Deo patri hoſtia. Rurſus quis hic non mox *Apis idolum*
agnoſcit, vnde Ægyptij Apin ſuum acceperint; & quàm fœdè à veris ritibus in idolo- *apud Ægy-*
maniam ſint prolapſi, dum figuram victimæ, cuius ſanguine genus humanum erat ab- *ptios.*
luendum, pro Deo coluerunt; quos Iudæi in deſerto imitati, vitulum quoque adora- *Vitulum ado-*
runt. Mirabilis cacodæmonis calliditas & aſtutia, qua omnia ſemper pietatis inſtru- *rarũt Iudæi.*
menta ad idolomaniam detorſit, vbique Dei cultum & honorem in rem ſuam ver-
tens. Hebræi è Calf/ Aleph, deciſa prima vocis littera, quo vox linguæ ſuæ regulam ſe-
queretur, ſibi fecerunt; quam in pſalmo octauo in plurali numero poſitam ſeptuagin-
ta boues, D. Hieronymus armenta interpretatur; cùm prima nominis origo vitulos po-
ſcat. Nunc itaque clarum, Græcos κάλλος, & καλὸν, & quicquid inde manat, de ſer- *κάλλος.*
mone noſtro mutuari; nec ea ſolùm, ſed ipſum etiam καλῶ verbum. Cal enim iuſta ra- *καλὸν.* *καλῶ.*
tione à pulcri ſignificatu ad id tranſlatum eſt, quo homo pulcerrimum ſeſe demonſtrat,
quoque maximè non brutis modò, ſed ceteris etiam hominibus ſe oſtendit præſtantio-
rem pulcrioremque. Neque enim hominum pulcritudo tam de iuſta membrorum di-
menſione, & eorum viuido colore ſpectanda, quàm ex animo, cuius formam ſermoci- *Sermocinatio*
natio maximè declarat. Hinc illud Pythagoræ, Loquere adoleſcens, vt te videã. Quam- *animi formã*
uis magnam ſapientiam intra pectoris ſinus concluſeris; ſi eam tamen ſermone non de- *maximè de-*
monſtres, & ceteris communices, tantum abfueris à pulcritudinis laude, quantum lu- *clarat.*
na noua à luna plena; quæ eadem quidem eſt, & ſemper æquè luminis ſolaris particeps,
niſi cùm terræ vmbra impeditur: Verùm non eandem apud homines gratiam mere-
tur; propterea quòd eo tempore quo Solis corpori applicatur, lumen à Sole acceptum
ad ſolem reuerberet nihil hoc indigentem; at cùm plena eſt, quicquid à Sole accepit,
benigne mortalibus communicet, atque lumen gratis acceptum quamlatiſſime ad

omnia inferiora diffundat. Eodem modo, ſi quis animum habeat quàm pulcerrimè à mente diuina, ſiue Sole ſupermundano illuſtratum; radios tamen inde ad alios non effundat; ſapiens quidem poterit fortaſſis à quibuſdam vocari; verùm pulcer dici non

Dona diuina niſi cõmunicentur, neque diuina neque bona dici queunt.

magis merebitur, quàm luna lumen ſuum à nobis auertens. Dona enim diuina niſi communicentur quoad eius fieri poteſt, neque diuina neque bonà dici queunt; eo quòd inde vnde proceſſerunt, degenerent in contrariam prorſus naturam: quandoquidem boni ipſius ſit, quàm plurimis ſeſe communicare velle; cuius ſtudij tantam vim Plato eſſe iudicabat, vt non aliam cauſſam quæreret, cur Deus mundum omniumque rerum vniuerſitatem creaſſet. Porrò tum demum, cùm bonum ſe communicat, pulcritudo eius emicat, & radiis diuini ſui luminis hominum animos percellit, & in amorem ra-

Eloquẽtia donum.

pit. Quamobrem nec humani animi pulcritudo elucet, niſi quæ in pectore ſunt, ad hominum aures perueniant, & per eas formæ ſimulacra ad aliorum animos pertingant. Veriſſimè ſanè Cicero, elegantiſſiméque dixiſſet: vt hominis decus, ingenium; ſic ingenij ipſius lumen eloquentia, ſi ingenij pulcritudo citra eloquentiam per ſe videri vbique poſſet. Adſtringat ille quibus volet anguſtiis eloquentiam; ego illam ſic metior, vt quauis lingua eum eloquentem dicam, qui propriis vocibus, & aptè cohærentibus, bene, prudenterque à ſe cogitata aliis exponit. Quemadmodum autem Sol pulcer à nobis non diceretur, ſi nullum ab eo lumen ad oculos mortalium deflueret: ita pulcritudinem humanam à nemine dicam impleri, qui non ſapientiæ ſuæ radios per ſermonem ad alios ſinat venire. Quanta verò vis ſit huius pulcritudinis, ex iis qui carminum Orphei ſuauitatem poteſtatemque ſtupendam litteris mandarunt, cuiuis perſpicuum eſt; inter quos Horatius:

Silueſtres homines ſacer interpresq́ue Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ab hoc lenire tigres rapidóſque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet: fuit hæc ſapientia quondam,
Publica priuatis, ſecernere ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis.

Idem ex Virgilo diſcas,

Ac veluti magno in populo cùm ſæpe coorta eſt
Seditio, ſæuítque animis ignobile vulgus,
Iamq́ue faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat:
Tum pietate grauem ac meritis ſi fortè virum quem
Conſpexère, ſilent, arrectíſque auribus adſtant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Cùm igitur maiores quoque noſtri in hac ſententia eſſent, & poſteros ex aſſe huius ſententiæ heredes eſſe vellent; prudenter admodum inſtituerunt, vt pulcrum, & eloquor, in lingua ſua eodem nomine ſignificaretur. Cal enim vt nomen, pulcrum; vt verbum, id nobis, quod Latinis ſuauiter ſermocinor, deſignat. Hebræi ex Cal קול fecerunt, pro voce generatim, ita vt tubæ etiam ſonum hoc vocabulo dicant. Latini idem nomen

Loquor.

conuertentes, ex Cal/ loquor deriuant, rectiùs, vi ſignificationis primaria conſeruata,

Calaberen.

quàm ſi ad omnem ſonum, perinde atq. illi, loquelam tranſtuliſſent. Hinc Calaberen ij dicuntur, qui inter ſe in vtramque partem de variis rebus otiosè ſuaues iucundóſque

Aber.

ſermones conferunt: quod verbum compoſitum eſt ex Cal/ & Aber; quorum hoc rurſus

A particula ad motũ hortans.

compoſitum ex A particula orationis ad motum hortantis, & Wer/ quod contra, ſiue ex aduerſo ſignans, deriuatur à verbo Wer, id eſt, repugno, ſiue defendo, ſiue pro-

Wer.

hibeo: vnde apud Gallos phraſis è Francico ſermone reſtat, vt dicant, *Il m'a defendu*, pro eo quod Latinus efferret, Prohibuit mihi. Quidam, vt à verbo ſuo, vnde deſcen-

Weder.

dit, nonnihil differat, Delta geminatæ vocali interiecerunt, quo fieret Weder diſyllabum, è quo Wider fecerunt Allemanni; commutatione non ipſis modò, ſed nobis etiam frequenti. Ex A igitur & Wer fit Awer / & mutato duplici digamma in B, quod in compoſitione ſuauitatis cauſſa non raro contingit, fit Aber/ quo pro, verumtamen, Germani communiter vtuntur. In compoſitis item vocibus ab aduerſandi natura non recedens, id notat,

id notat, quod ei cui iungitur, eſt contrarium. Sic dicimus Aber-rechts ſiue Auer-rechts/ quod noſtris propter ſonũ digamma molliorem eſt vſitatius, pro eo quod recto aduerſatur. Ita Allemanni eum Aber-witzig vocant, qui delirat, cùm Witzig ſapiens vocetur, quem nos Wijs dicimus: & eum, qui contrà quàm deberet, de rebus iudicat, Auoz-wijs; quam vocem, quia concurſum habet duorum Digamma, in Awijs per ſyncopen mutamus. Quemadmodum autem Wer aliquando idem quod Rurſus ſignificat noſtratibus; ita & Allemannis Aber. intellecta itaque hac voce, quid Calaberen ſit, & quam ſignificationis ſuæ cauſſam habeat, nõ eſt difficile peruidere. Qui enim inter ſe ita colloquuntur, vt alter alteri repugnet, atque rurſus alter ſuam partem velit tueri, idque faciant modeſtè & iucundè, citra iurgia & contentiones; Calaberen dicuntur, tum quia in contrariam partem diſputant, nec prohibent quin is cui repugnatur, rurſus dicat; nulla videlicet in liberali otio clepſydra propoſita, quæ iterum atque iterum dicendi libertatem tollat. Video profectò verbum hoc non inuito Mercurio natum, quo non in contrarias modò partes dicentium conſuetudo exprimitur, ſed illud etiam notatur, iterum atque iterum ad eandem rem licere adferre argumenta. Curia ergo Calabra, vetuſto Cimbrorum nomine nobis hactenus vſitato, locus erat in Capitolio, proximus caſæ Romuli, in qua ſeniores, penes quos cura erat ſacrorum, de antiquitatibus, de ſiderum ortu & occaſu, de anni menſiumque partitione, de ſacris ritibus, eorumque cauſſis, tum etiam de aliis vel ad naturæ cognitionem, vel ad mores Reip. ſalutares, vel ad diuinarum rerum inquiſitionem ſpectantibus, ſermones conferebant. Ex hac igitur, tamquam è ſapientum hominum diatriba, quotidianis colloquiis & diſputationibus exercitatorum, omnis ratio ſacrorum, omnis anni menſiumque dinumeratio, velut ex oraculo quodam Pythio, petebatur. Nec equidem dubito, quin priſcis illis temporibus, quibus Romani adhuc nullis opibus florerent, ad hanc curiam conuenire homines ſoliti ſint, non ſolùm vt ſacra annique dimenſiones diſcerent; ſed præterea etiam, vt in ea ſeniores de rebus honeſtis inter ſe differentes audirent. Apud vetuſtiſſimos Græcos Leſchæ celebrantur pro locis publicis, ad id conſtitutis & ordinatis, vt in iis homines vel ipſi differerent, vel differentes audirent: quæ qualia fuerint, ſi de ſanctis laudatiſque ætatis priſcæ moribus æſtimemus, pro eo atque par eſt; non poterimus negare, plena fuiſſe omnis eruditionis à maioribus per manus acceptæ, & illius quidem tanto ſincerioris, quanto, qui tum viuebant, primis hominibus, à Deo ipſo omnem doctis veritatem, erant viciniores. Hos credimus diſputare conſueuiſſe cùm de rerum principiis, de vno Deo, de variis eius miniſtris, de cælorum voluminibus, deque eorum dimenſione, de omni eorum quæ ſub Luna ſunt, diuerſitate; denique de omnibus iis quæ vel de diuinis vel naturalibus veniunt in quæſtionem, tum etiam de virtutibus amplectendis, fugiendiſque vitiis, & de animo à carceris huius corporei vinculis ſoluendo, & omnibus iis quæ vel ad publicam vel ad priuatam ſingulorum felicitatem dirigere poſſunt. Quid autem de eiuſmodi exercitatione, & eiuſmodi colloquiis, poſteriora tempora, à graui veterum diſciplina fœdè degenerantia, & ad profligatæ libidinis mores delapſa, ſenſerint, de huius ætatis hominibus, & præſertim huius vrbis Antuerpianæ, licet æſtimare; qui nihil magis ridiculum ducunt, nihil magis deſpuendum, quàm de rebus ad ſolidam veramque ſapientiam ſpectantibus ſermones habere; adeò vt Philoſophi nomen eo loco ſit, vt apud mulierculas etiam & cuiuſuis generis nebulunculos pro ſtolido & inepto vſurpetur: nec apud hos ſolos, in quibus ob imperitiam hæc inſania poſſet tolerabilis videri; ſed apud eos etiam qui ſummo magiſtratu, non dico quàm bene, funguntur. Hos dum video, non poſſum non illius Perſiani recordari:

Hic aliquis de gente hircoſa Centurionum
Dicat, quod ſatis eſt ſapio mihi: non ego curo
Eſſe quid Archeſilas, ærumnoſiq́ Solones,
Obſtipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cùm ſecum, & rabioſa ſilentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
AEgroti veteris meditantes ſomnia, gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reuerti.
Hoc eſt, quod palles: cur quis non prandeat, hoc eſt.

Aberrechts/ *ſiue* Auerrechts.

Aberwitzig.

Auorwyſs.

Awyſs.

Calabra Curia vnde dicta, & quid ſignificet.

Leſchæ quid ſignificent, & vnde dicantur.

Philoſophi hac ætate quanti fiant.

Hos populus ridet, multumq́; toroſa iuuentus
Ingeminat tremulos naſo criſpante cachinnos.

Papa. Sed quid de ſapientiæ profeſſoribus dico? Nónne videmus quo loco ſit apud vulgus nomen Paparum, quo nihil venerabilius non modò priſcis illis & Ogeniis temporibus, *Druides.* ſed Hieronymi etiam & Auguſtini ætate habebatur? Druides iam eos vocari audimus, quibus nihil abiectius, nihil vilius, nihil fœdius poteſt cogitari. Quid multis? quanto quæque res ſuapte natura pretioſior, quanto apud cordatos viros pluris habenda, quanto maioribus laudibus extollenda; tanto magis à plebeis ingeniis, & nihil præter ſordida & contemnenda admirantibus; qualia ſunt plurimorum, ne dicam omnium, vno aut altero, veluti coruo albo, excepto; conculcantur, & pedibus, haud ſecus ac ſputa, proteruntur. At hæc notiora, prô dolor, quàm ſint latiùs docenda. Hoc igitur modo, & hac via quæ olim in Leſchis ante Heſiodum & alios vetuſtiſſimos ſcriptores diſſerebantur, in contemptum abiuerunt; atque inde factum, vt leſchæ pro nugis in vſu eſſe cœperint. Ne verò hoc commentum quis meum eſſe credat, Hieroclem e primo Philoſophicorum libro teſtem denuncio, qui dicit olim leſchas vocatas fuiſſe cathedras & conuenticula, in quibus quæ ad ſapientiam pertinent diſputari ſolent. Herodotus pro ipſa diſputatione qualis in Leſchis haberi ſolet, vſurpauit: quo quidem modo in Euterpe dixit, ex aliis ſermonibus ventum fuiſſe in Leſchen de Nilo, id eſt, in ea quæ *ἔλλεσχα.* de Nilo inter naturalium rerum ſtudioſos quæruntur. Hinc ἔλλεσχα ea vocauit quæ in doctorum hominum conuenticulis frequenter agitabantur. Heſychij Mileſij compendium Leſchæum exegetem, id eſt, doctorem, & obſcurarum rerum explanatorem interpretatur; è quo facile eſt videre, quis olim vſus fuerit Leſcharum. Iam & Apollo quem Plutarchus Græcorũ Exegetem vocat, quòd in dubiis rebus veritatẽ explicaret, *Leſchenorius Apollo quare dictus.* dictus eſt Leſchenorius, teſte Cornuto, non aliam, vt ego reor, ob cauſſam, quàm quòd Apollo omnis luminis, non externi tantũ, ſed interni etiam, quo mens noſtra diuinitùs illuſtratur, dator crederetur. Nos Spiritum ſanctum ad idem diuinæ lucis donum impetrandum inuocamus; quem Cimbrica Apollinis nomenclatura aptiſſimè dici poſſe, quia nimirum omnia reuelet, cùm in Saxſonicis indicaui, tum alibi clarius docebo.
Adoleſchia. A Leſche, fit Adoleſchia, vox æquè atque eius matrix ad nugas & garrulitatem ſignificandam à melioris doctrinæ irriſoribus detorta; non aliter atque hoc ſæculo apud Ita- *Pædagogia, quam nunc Itali Pedanteriam vocant, in ſummum venit contemptum.* los pædagogia, quam ipſi corrupto ſuo ſermone Pedanteriam vocant, in ſummũ venit contemptum: cùm tamen boni pædagogi partes eæ ſint, vt haud ſciam, an quidquam inter homines ſit potius magisq́; venerandum; niſi fortaſſis præclara Reſpub. laudabitur, & eius fundamenta contemnentur. Quid verò fuerit Adoleſchia priſcorũ, quamuis ex Leſchæ ſignificatu ſatis perſpicuum videatur; tamen ſpero non ingratũ fore veræ antiquitatis amantibus, ſi diligentius examinetur. Longius equidem me video euagari à Calendarum interpretatione, & à ſono vocalis E ad rerum imitationem adhibendo: ſed quid refert quò me rerum ſeries trahat; modò intra limites eos conſiſtam, vt quidquid adfero, id faciat ad linguæ noſtræ cùm artificium tum antiquitatem? Qui Etymologicon Græcis ſcripſit, ſatis ſe garrulum præſtitit, quo nominis cauſſam, quo garrulitatem vulgò intelligi videbat, explicaret; quem cõſulere, & ſequi, per me cuiuis liberum eſto: mihi interim liceat meam etiam cenſorum verutis obiicere opinionem.
Cretenſis diſciplina. Quanta ſit Cretenſis diſciplinæ vel antiquitas, vel apud veteres admiratio; nemo, qui Platonem legerit, ignorat: &, ſi Thucydidi credimus, nihil eſt ipſorum apud Græcos *Minos Cretenſium rex.* imperio vetuſtius: quod eo lubentius ei aſſentimur, quòd rex eorum Minos non ſolùm antiquiſſimũ apud inferos teneat tribunal; ſed etiam dignus habitus eſt, vt ipſius Iouis eſſet auditor, & ſecretos cum eo & familiares haberet ſermones. Æquũ igitur eſt, vt ea quæ apud illos vel legibus, vel antiqua conſuetudine fuerunt ſancita; à priſcis admodum temporibus fuiſſe deducta credamus. In his eſt, quod Ælianus ſecundo variæ hiſtoriæ *Cretenſe ſenatuſconſultum de docendis pueris.* libro refert, Cretenſi nimirum ſenatus conſulto ſtatutum fuiſſe, vt pueri leges cum ſuaui quadam cantus modulatione ediſcerent: quo & animi eorum muſici concentus oblectamento ad diſcendum inuitarentur; & quæ didiciſſent, ea facilius memoria tenerent: tum etiam, ne ſi quid eorum quæ vetita eſſent, commiſiſſent; ignorantiæ haberent excuſationem: Deinde ſecundum diſcendi gradum, Deorum hymnos; tertium, fortium virorum laudes proponere ſolere. Hinc ego colligo, priſcis in vſu fuiſſe, omnia

omnia cum morũ, tum ſapientiæ totius præcepta ſuccinctis cantiunculis tradi conſueuiſſe, ob eam quã Ælianus explicauit cauſſam. Quamobrẽ cùm in Leſchis antiquitùs & pueri, & iuuenes, & pariter omnis ætatis homines docerentur; dici cœpiſſe id genus carmina ἀδολεσχίας, ab ἄδω, quod eſt cano; quaſi diceres cantiones in publicis hominum conuenticulis audiendi diſcendique gratia factis, cani conſuetas. Ad hoc genus aurea Pythagoræ carmina meritò referuntur, vel ab ipſo illo ſilentij magiſtro, vel à diſcipulis ad memoriam adiuuandam concinnata. Sunt qui exiſtiment, totam Homeri poëſim ex eiuſmodi cantionibus in Leſchis particulatim ab Homeridis cantari ſolitis congeſtam eſſe atque conſutam, opera, vt quidam tradiderunt, Cynæthi in Chio nati, qui & multa carmina de ſuo inſerit, quo ex multis partibus vnum corpus conſueretur. *Homeri poëſis quomodo congeſta & conſuta.* Ælianus Lycurgum ait primùm ex Ionia totam Homeri poëſim Spartam importaſſe, ac poſtea Piſiſtratum vniuerſam collectam in Iliadem & Odyſſeam fuiſſe partitum. Huc Pindarus videtur reſpexiſſe, dum ῥαπτῶν ἐπέων ἀοιδοὺς in Nemeis vocat, quos Gellius carminum conſarcinatorum cantores vocaret: Quamquam Philochorus id fortè referret ad omnium carminum compoſitionẽ, quæ conſutura quædam videtur. ad quod docendum, verſus Heſiodi de, quo neſcio, eius opere citantur:

Εν Δήλῳ τότε πρῶτον ἐγὼ καὶ Ομηρος ἀοιδοι
Μέλπομεν ἐννεαροῖς ὑμνοῖς ῥάψαντε ἀοιδὴν
Φοῖβον Ἀπόλλωνα χρυσάορα ὄντε κέλητα.

Quibus ſe dicit & Homerum in Delo cantionem nouis hymnis conſuiſſe. Quidquid huius ſit, & ſiue à ῥάβδος, id eſt, virga, quam canentes tenuiſſe dicuntur; ſiue à ῥάπτω, quod eſt ſuo, Rhapſodi nomen ſortiti ſint: hoc ſaltem apud omnes cõſtat, omnem Hierologiam, & omnem ſapientiam priſcis ſeculis carminibus tradi ſolere; qui mos ad Parmenidem vſque & Empedoclem durauit: *Rhapſodus.* qua de re factum aio, vt id genus carmina, quæ in priſcis leſchis canebantur, Adoleſchiæ dicerentur: quæ vox à re ſanctiſſima, magna poſteriorum ætatum peruerſitate, ad nugas eſt tranſlata, ab iis haud dubiè, apud quos ſana doctrina pro deliramento æſtimabatur: quorum hoc ſeculo vtinam non tam innumeræ myriades inuenirentur. Priſca igitur cùm doctrina tum fide Græcus Odarum Dauidis interpres, ἐν ταῖς ἐντολαῖς σου ἀδολεσχήσω dixit, pro eo quod eſt, continuò in mandatis tuis meditandis canendiſque verſabor: vbi Hebræus textus verbum habet, cuius radix itidem noſtras eſt: שיח enim, cuius futurum hoc loco ponitur, pro ἀδολεσχήσω, homonymiam habet ex eo natam, quòd vocales in prima lingua mutatæ ſignificationem varient; quoniam Socht / idem eſt quod meditando quærebat; Sacht / locutus eſt, ſiue dixit; Sucht / ingemiſcit. Tres igitur has diuerſas diuerſarum vocum ſignificationes in vno verbo confuderunt, dum vocalium diſcrimen non animaduerterent: & Tau litteram finalem omiſerunt, ne ternarium litterarum, quem curioſè nimis affectant, excederent. Prima itaque verbi huius ſignificatio à Socht / id eſt, inquirebat; quod ad animum tranſlatum idem eſt quod diligenti meditatione inueſtigabat; palam facit quid ſit ἀδολεσχῶ, iuxta interpretis Græci ſententiam: reliquæ aperiunt, quantam obſcuritatem pariat vocalium neglectus. Ne tamen & ego ab eorum ſectatoribus, qui Adoleſchiam & Leſchas ad garrulas nugas tranſtulerunt, Ariſtophanica deriſione, vt Adoleſches explodar; diſcuſſa omni remora, quæ me diutius in hac laudatiſſima antiquitatis conſuetudine tenere poſſet, ad ipſam Etymologiam vocis λέσχη accedo: de qua cùm alij alia ſcripſerint; is ad veritatem proximus adſpirauit, qui ἀπὸ τοῦ λέγω, id eſt dico, vocem deriuat. Verbum Lego, Græcorum & Latinorum eſt commune, ſed non eodem ſignificatu; cùm illis pro dico, ſit in vſu; Latinis verò idem ſignificet, quod ſcripta cognoſco, ſiue de ſcripto pronuntio, vel, quæ ſparſa ſunt, in vnum redigo. *Lego Græcorũ & Latinorũ vnde manarit.* Certè vtrumque verbum & vtrumque verbi ſignificatum de ſermone noſtro manauit, qui Leſen *Leſen.* vſurpat & pro eo quod Latini legere dicunt, & pro eo quod Græcis eſt λέγειν. Prima verbi notatio eſt quam Virgilius expreſſit:

Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga.

Hoc enim propriè apud nos eſt leſen: à quo mox facta tranſlatione, tranſiuit ad litteras ſcriptas, quas legere dicimus, dum ex iis dictiones componimus, ſiue eas efferamus, ſiue non efferamus; quia nimirum eas ſigillatim acceptas in vnum conferimus. Præter has duas notiones aliud adhuc Leſen nobis ſignat: dicimus enim, Hy heeft ſijn les gehat / id eſt,

accepit

accepit præcepta ad mores formandos, vel ad doctrinam comparandam ſpectantia; quæ præcepta cùm fiant dicendo, factum eſt, vt Græci λέγω generatim pro dico vſurpent. Quî verò ſciam, an Græci & Latini à nobis, an nos ab ipſis acceperimus? Eâdem nempe norma ad quam cetera vocabula examinamus; vt nimirum eius linguæ ſit primogenium, cuius propriam peculiaremque conſuetudinem in vocibus fabricandis ſequitur. Les & Sel ſe inuicem conuertunt: quorum illud ab hoc manauit; quia in hoc ratio prioris inuenitur. Cùm enim Sel factum à Tel/ mutatione Tau in Sigma, non linguæ noſtræ tantùm, ſed & Græcæ ſæpius admiſſa, idem ſignet quod numero; atque is qui numerat, per ſingulas vnitates eat, vt ex iis vnam ſummam faciat: nomenclator artis ſuæ eſſe putauit, hinc verbum alterum deducere, quo id ſignificaretur quod dixit Virgilius, *Qui legitis flores.* &, *Iuuenes lecti.* &, *Corpora lectiſsima.* quandoquidem qui ſic legunt, per vnitates procedunt, quod eſt numerare. Hinc deinde eadem vox Les, pro eo quod eſt litteras colligere, quaſi in vnam ſummam connumeramus. Præterea quia is qui alterum docet, hoc in primis ſpectare debet, ne ipſe erret in loquendo, atq. idcirco doctoris potius egere, quàm doctor eſſe videatur: factum eſt, vt Les in vſum venerit, pro eo quod eſt præcepta tradere, cuiuſuis tandem ea ſint eruditionis: propterea quòd ſelectis omnino verbis opus ſit ei qui, dum multa dicit, peccare tamẽ nolit. Ex hac itaq. poſteriore loquendi conſuetudine Græci acceperunt, vt λέγω pro dico ponant: quamuis latiùs hanc ſignificationẽ extendant; nec malè, quod quacumque de re quis dicat, verba legat, ex iis orationem, veluti ſummam quandã vocum, componendo. Quid quòd, vt bene quis dicendi munere perfungatur, neceſſarium ſit non ſolùm annumerare verba, ſed etiam è multis ſeligere quæ orationem componant. Numquid hic ſermonis noſtri faber ſolitam ſuam in nominibus rectè ponendis curam reiecit? numquid dormitauit? Nemo, credo, id dixerit, qui ſciat modò quanta vis ſit numerorum in oratione; & quanto verborum delectu iis ſit vtendum qui aliorum pectora volunt formare. Les itaque non ſolùm id eſt quod Latini Lego dicunt; ſed ſic etiam in vſum venit frequenter, vt ſit Docere, & quauis in re tradere præcepta. Quamobrem difficile non erit, vnde Leſche dicatur, inuenire. Dixi modò Apollinem Leſchis præſidere, atque eas viuifico mentis lumine, omnia è tenebris eruente, illuſtrare: à quo nomen loco ad quem docendi diſcendique cauſſa veniebatur, omine fauſtiſſimo, inditum eſt. Les-ſchijn enim ad amuſſim notat doctrinæ lumen; perinde atque Sonſchijn Solis lumen. Hinc igitur abiecto altero Sigma, λεσχηνεύω, duplici Iota in ἦτα tranſeunte; quo propriè ſignificatur doctrinæ lumen impertiri: tametſi à ſapientiæ calumniatoribus detortum ſit ad deriſionem. Nunc & illud clarum vnde Apollo Leſchenorius vocetur. Phornutus ſic dictũ opinatur, quòd diem & horas nugis tractandis det: quo nihil nugacius. Nobis Lesſchijn idem eſt quod doctrinæ luminis origo: quæ vocis ratio quàm Apollini conueniat, qui non videt; is cum noctuis in clara Solis luce, quàm diu velit, hallucinetur. Illud tamen hîc Phornuto debemus, quòd eius teſtimonio Leſchenorum Apollinem dicendũ eſſe, alios docere poſſimus; atque perperam apud Suidam & Lilium Giraldum Leſchecorium ſcribi: qua in re in Suida Cleanthem citante haud dubiè mendum eſt transſcribentium errore inuectum; quod miror Lilio nõ ſuboleuiſſe. Verùm hic errorem errori nectens, dicit apud Phornutum Apollinem vocari Leſchenarium: cui lectioni ipſius Phornuti interpretatio repugnat. Nunc igitur quid Leſche ſit antiquorum, quid in ea fieri ſoleat & debeat, vnde originem vox habeat, aperui; & id quidem Curiæ Calabræ occaſione, quam equidem apud Romanorũ vetuſtiſſimos nihil aliud reor fuiſſe, quàm Leſchen Græcorum, nec ad alios vſus accommodatam. Non igitur mirum, ad Curiam Calabram plebem ſolere conuocari, quo ea diſcerent quæ ad ſacra & dierum nuncupationem pertinerent: cùm Calaberen & λεσχηνεύειν idem fuiſſe, vel ad eundem ſaltem ſcopum ſpectaſſe, videamus. Quia verò Cal pro diſſero, à Cal quo pulcrum notatur, deſcendit; factum vt Cal verbum pro illo etiam ponatur quod Latini Voco dicunt. Ea enim erat priſcis religio, vt fauſtis ominibus omnia exordia conſtare vellent: & idcirco, cùm rerum cognitio à nominibus incipiat, ipſum Cal pro voco poſuerunt; quo, quidquid dicerent, pulcrè procederet. Hunc huius vocis vſum, vt pro voco Cal ponatur, Angli hactenus à vetuſtiſſimis ſuis parentibus Britannis retinuerunt; apud nos ferè longa deſuetudine obſoletum. Ex hoc fonte καλῶ Græcorũ, à quo Romani ſe ſuum Calo mutua-

[margin: Les. Sel. Tel.]
[margin: λεσχηνεύω.]
[margin: Cal / id eſt, diſſero, & voco.]
[margin: καλῶ Græcorum & Calo Latinorũ vnde dicantur.]

mutuatos eſſe arbitrantur. Nos prius ſuper hac re Macrobij verba adſcribemus, quàm ſententiam noſtram aperiamus. Priſcis, inquit, temporibus, antequam Faſti à Cn. Flauio ſcriba, inuitis patribus, in omnium notitiam proderentur; Pontifici minori hæc prouincia delegabatur, vt nouæ Lunæ primum obſeruaret adſpectum, viſamque Regi ſacrificulo nuntiaret. Itaque ſacrificio à rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex calata, id eſt, vocata, in Capitolium plebe, iuxta Curiam Calabram, quæ caſæ Romuli proxima eſt, quot numero dies à Calendis ad Nonas ſupereſſent, pronuntiabat: Et Quintanas quidem quinquies dicto verbo Calo, Septimanas repetito ſepties prædicabat. Verbum autem Calo Græcum eſt, id eſt, voco; & hunc diem qui ex his diebus qui calarentur, primus eſſet, placuit Calendas vocari: Hinc & ipſi Curiæ, ad quam vocabantur, Calabræ nomen datum eſt; & Claſſi, quòd omnis in eam populus vocaretur. Hæc ille. Non poſſum ſatis demirari, cùm verbum Calo nuſquam alibi in vſu apud Romanos eſſet, ad has res ſignificandas accerſitum fuiſſe, quas nullas in omni Græcorum memoria, vt angulos omnes excuſſerint, Latini perueſtigare potuerunt. Tranſeunt vnà cum rebus nomina à gentibus ad gentes, vt in plurimis cùm priſcis, tum recentibus videmus contigiſſe. Verùm illud neſcio quid monſtri alat, certè mihi ſolidum non tinnit, inde peregrinum nomen mutuari, vbi nec res eadem, nec nomen inuenitur. Quid, malum, hoc eſt, ô ſapientiſſime Pontifex, Calendas Græca voce nuncupare; ſi nullas omnino Calendas Græci nouerunt: adeóque id verum ſit, vt ad Calendas Græcas ea futura dicantur, quæ ſignificare volumus futura numquam? Iam quid hoc rei eſt, quod non ſatis habeas, noua & inaudita voce rudes indoctæ plebis aures offendere; niſi verbum inſolens, & fortaſſe à nemine intellectum, non bis, veluti crambem bis coctam, ſed duodecies repetiuiſſes? Quis hoc, inquam, faceret Græcorum in ſuo καλῶ? Nemo profectò, niſi vel ineptiſſimus, vel prorſus inſanus. Neceſſe igitur habes, ô diſerte ſacrorum præco, aut aliquam grauem tantæ abſurditatis aſſignare cauſſam; aut fateri, te non fuiſſe ſatis ab interpretibus tuis intellectum; ſed aliunde te Calendarum nomen accepiſſe, & aliud in repetitione Calo myſterium indicaſſe, quàm vel Varro, vel Macrobius, vel horum etiam magiſtri ſomniarint. Suſpicor equidem, & ferè credere cogor, de recta nominum interpretatione, ab ipſis Cimmeriis petita, gente Italiæ antiquiſſima; menſem bifariam olim fuiſſe diſtributum; & priorem quidem partem à capite, poſteriorem à fine nomen accepiſſe: Priorem autem duraſſe, aliàs alia temporis menſura, pro eo ac Luna aliàs tardè, aliàs celeriter in orbe ſuo fertur, & vel hanc vel illam obtinet ab Ecliptica latitudinem: eius tamen initium illud ſemper fuiſſe momentum, quo ſe Luna primum oculis hominum oſtendiſſet: cuius obſeruandi onus Pontifici minori incumbebat. Opinor equidem primis illis & antiquiſſimis hominibus, menſis initium ipſa coniunctione fuiſſe terminatum; ſed labentibus vnà cum moribus, ipſis etiam artibus & ſcientiis, à Luna viſa ſumptum fuiſſe exordium: quia nimirum vera ſiderum duorum ſupputatio minus eſſet nota apud ſacerdotes; à quibus ſi vel hac ætate anni menſiumque calculus peteretur, miſerè eſſet mortalibus cæcutiendum. Quia igitur finem certum, & certum initium ignorabant; oculos conſulebant, & quicquid temporis ſilens Luna abſumpſiſſet, id præcedenti menſi tribuebatur; quo fit, vt tantiſper finis ignotus maneret, dum noua Luna comparuiſſet. Tum igitur fauſto omine priori menſi valedicentes, Calendas pronuntiabant; & ſequentes dies à capite menſis incipientis, fauſta item capitis acclamatione, per Quintanas & Septimanas edicebant. Cal-end enim Cimmerio ſermone pulcrum finem notat; Cal-hoot pulcrum caput. Hinc perſpicuum, quare quoties Quintanas vel Septimanas pronuntiaret; toties Cal oot repeteret: quoniam nimirum precaretur, vt caput menſis, quod illis diebus conſtabat, pulcrè belléque ſuccederet. Deinde dies menſis ab Idibus ſequentes à fine nominabant, ſingulis Cal-end adiecto; quo pulcer finis fauſta acclamatione rogabatur. Falluntur itaque Romani, opinati toties καλῶ Græcorum fuiſſe repetitum, quoties Quintanæ & Septimanæ nominarentur; quo nihil ineptius, meo quidem iudicio, poſſet excogitari. Verùm illud priſco Cimmeriorum ritui conſentaneum; ſingulis diebus fauſtam appendere acclamationem: prioribus quidem, Luna adhuc creſcente à capite; poſterioribus verò, decreſcente lumine à fine. Quemadmodum enim Latini Salue, & Vale, inter ſe vſurpabant; ita Cimbri fauſtum diem inter ſalutandum

Calend.
Calgoot.
Salutãdi formula.

precari

precari ſolent: quem morem & nos hactenus obſeruamus, & omnes nationes, quæ Latinum ſermonem Teutonico corruperunt, à noſtratibus, à quibus phraſes ſuas habent, ſumpſerunt. Sollemnem ergo Veterum conſuetudinem Pontifex ſequebatur, dum ſingulis diebus felicitatem precaretur, modò à capite, modò à fine votis nuncupatis. Quamobrem Calo toties refricatum non fuit καλῶ Græcorum, nec ficticium Calo Romanorum, in ſolis errantium antiquariorum commentariis viſum; ſed à Cimmeriis

Hoot. vnà cum ſacris ritibus in Capitolium inuectum, quo pulcrum caput notabatur. Hoot caput eſt, cui in compoſitione adſpiratio tollitur, & Tau frequenter apud nos in locutione perit: quod quamuis ſollemne non eſſet, in hac tamen dictione ob ſignificationis ignorantiam factum fuiſſet; quia nimirum creditum ſit, à καλῶ Græcorum eam ad Romanos veniſſe. Cal-end verò fauſtum ſiue pulcrum finem ſignare, nemo dubitabit, qui eorum quæ de dictione Ent annotaui, in qua tenuis in mediam frequentiſſime mutatur, non ſit oblitus. Ex hac etymologia clarè cognoſcas, qua de cauſſa Romani diligenter religioſéque ſemper cauerint, ne ante Nonas & Idus Calendas nominarent; ceu id mali ominis eſſe cenſerent. Quis enim non videt, ceteris enumeratis, optimè feliciſſiméque bonum finem ſuccedere? Annotauit hanc Romanorum conſuetudinem Turnebus, licet nominis Calendarum ignoraret ſignificationem: qua perſpecta, non

Menſis conuenientius bipartito quàm tripartito diſtribuitur. conſuetudo tantùm, ſed conſuetudinis etiam ratio ſcietur. Multo autem naturæ conuenientius menſis bipartito diſtribuitur, quàm à Græcis tripartito: cùm Luna numquam in eodem ſtatu conſiſtat, quod illi mediæ partis nomine videntur indicare; ſed ſemper, dum videtur, vel creſcat vel minuatur: atque idcirco creſcentis diebus à capite, decreſcentis à fine nomina tributa, & vtriuſque quidem ea religione, ne à Pontifice citra fauſtam acclamationem nominarentur. Porrò quo magis conſtet, Calendas à noſtratibus traxiſſe nomenclaturam; videamus quid Nonæ, quid Idus ſignent; & qua de lingua queant habere interpretationem. Latini Nonas, quaſi nouas, à noua luna, quidam dici voluerunt; alij quòd nonus dies eſſet ante Idus: quorum illi, præter litteræ V in N mutationem, cuius nulla ratio dari poſſet, hoc etiam falſitatis arguuntur, quòd Nouus priorem corripiat, Nonarum nomen producat: hi verò frigidi ſunt, dum Nonas ab Idibus nomen habere dicunt, cùm hac ratione fruſtra Nonæ in menſe computarentur: quandoquidem, ſicut octauo Idus, ita nono Idus & decimo Idus dici poſſet. Quòd ſi id à nemine factum ſit, cur quæſo à numero nomen erit, quem exprimere nul-

Nonæ. la conſuetudo permittit? Nonæ itaque dictæ antiquitùs Nounae, quam ſcripturam Sex. Pompeius vt veram agnoſcit, tametſi cauſſam prorſus ignoret; quo ſuo monitu

Nouus. viam mihi aperuit ad certam vocis originem. Nou enim dicimus pro Nouo Latinorum, quod à nobis ſunt mutuati; quoniam apud nos vocis ratio, non apud illos, extet.

Ou/Nou. Oit/Noit. Iet/Niet. Na/An. Ou enim, vetus eſt; cuius contrarium Nou/ præpoſita negatione, qua Ne-ou/ ſicut Oit contrarium habet Noit/Iet Niet. Nae verò, ſiue Na dicimus, vel per diphthongum, vel citra, ſicut contrarium eius An/ vel Aen/ quo proximè ſequens notari modo dictum. Nounae igitur dies ſunt nouam Lunam proximè ſequentes: quæ interpretatio vt noſtratibus eſt apertiſſima, ita rationem habet nihilo obſcuriorem; nihil vt dubitandum

Idus. amplius ſit, quin vocabulum ſit à priſcis Cimbris in Italia relictum. Idus per ei diphthongum ſcribendum eſſe, ex illorum opinione coniecto, quos Macrobius ait ἀπὸ τοῦ

Ei. Di. Ws. εἴδους vocem deriuaſſe. Eidus ergo dicuntur ab Ei/ quo ouum apud nos ſignatur; & Di/ quod eſt intumeſco, ſiue turgeſco; & Ws/ quo excluſio notatur. Luna enim poſt dichotomiam ſiue dimidium plenitudinis abſolutum, ex altera parte ad oualem curuitatem turgeſcit, intumeſcendi finem tum factura, cùm plenum ſuum orbem compleuerit. Is igitur dies, qui omnem vlteriùs turgendi progreſſum excludit, Ei-di-ws; &

Wt *ſiue* ws. ſyncoptôs, Eiduus; ſiue, vt alij pronuntiant, Eidous dicebatur. Wt ſiue Ws extra ſignat,

Lunæ intumeſcentis ratio habenda. ad tempus æquè atque locum ſpectans. Optimè verò ratio intumeſcentis Lunæ habebatur; eo quòd quamdiu illa intumeſcit, tam diu etiam humida accreſcant: quod non in mari tantum operæ pretium eſt obſeruare, quòd ad Lunam æſtus ſuos moderatur; ſed in plantando etiam, & ſerendo, & materia cædenda, & in medicamentis dandis, & aliis non paucis magnam habet conſiderationis vtilitatem. Quid quod non figura tantùm ad ouum rectè comparabatur; ſed ipſa etiam oui natura votorum orationiſque ad Lunam teſſeram ferebat. Præter enim argenteum candorem, humorem vitalem intus

conclu-

cõcluſum ſeruat, qui caloris fomento animal producit, è quo rurſus ouum, & rurſus animal, ad infinitum vſque. Hæc igitur Iduum appellatio Deam monebat, vt humidũ omnium rerum radicale, perinde atque ab ouo fieri videmus, conſeruaret; atque omni vbertate tum ſobolem noſtram, & animalium nobis vtilium, tum terræ fructus, fecundaret. Sed ſuccurrit hîc quiddam quod riſum mihi mouet. Arbitror enim Cimmerios hac, qua indicaui, ratione non ſolùm Idus bono nomine ab ouo & tumoris auctu nuncupaſſe; ſed prætereà etiam ouum obtuliſſe: cuius tam exigui muneris cùm ſacerdotes pœniteret; ab ouo in ouem victimæ & nomen & ritum commutaſſe: quandoquidem, vt ita facerent, ipſa etiam nominum vicinitate commoneri viderentur. Neque enim in Latino tantùm ſermone, ſed in Cimbrico etiam, inter ouum & ouem magna eſt ſimilitudo: quoniam Ei ouum, Oi ouem ſignat; à quorum poſteriore, Græci ὄϊς, *Ei. Oi.*
diphthongo diuiſa; Latini interiecto Digamma, Ouis fecerunt: ab Ei verò ὠὸν Græci; *ὄϊς. ὠὸν.*
Latini item, Digamma interiecto, Ouum. Hebræi videntur nomine ſuo ipſum votum *Ouis.*
creſcendi in Ouo expreſſiſſe, ſi ad primam linguam cauſſa referatur: ביץ enim à quo *Ouum.*
ביצים quid aliud eſt, quàm Weſt/id eſt, creſce, ſiue creſcit; quod optimè Lunæ in gibbum intumeſcenti congruit: quod nomen Rabbini pro teſticulis etiam ponunt, propter teſticulorum & ouorum ſimilitudinem, non in figura tantùm, ſed in humore quoque conſiſtentem, qui vtrobique poteſtate vitam habet; atque iccirco bene audit: Weſt/ſiue Waſt/quo incrementum in ambobus generibus optamus. Duplex autem W in Beth tranſire, vnum eſt de frequentiſſimis: quia ceteræ gentes duplici digamma noſtrati carent. Hanc autem vocis originem Deus ipſe videtur confirmaſſe, dum omnipotenti ſuo verbo generationem conſecrauit, dicens, *Creſcite, & multiplicamini.* Et hæc quidem de oue Iduli, quam ego ab Idibus, quibus pro ouo immolabatur, dictam eſſe; non contrà, Idus ab Iduli, exiſtimo. Quàm porrò Di/id eſt, intumeſco, & augeor interno quo- *Ouis Iduli.*
dam motu, Lunæ conueniat; Dianæ nomen demonſtrat, qua nihil aliud deam oramus, *Dianæ nomē.*
quàm vt omnia perpetuo incremento promoueantur: quod notum eſt ex iis quæ de Anna & Ana modò dixi. Verùm ne vllus omnino ſcrupulus hanc opinionem retardet, quo minus ad firmam probationẽ apud eruditos poſſit peruenire; Macrobij ſententia repellenda. Nobis, inquit, illa ratio nominis vero propior exiſtimatur, vt Idus vocemus diem qui diuidit menſem. Iduare enim Etruſca lingua diuidere eſt, vnde Vidua, quaſi valde Idua; aut vidua, id eſt, à viro diuiſa. Huc etiam Horatius alluſiſſe videtur:

Vt tamen noris quibus aduoceris
Gaudiis, Idus tibi ſunt agendæ,
Qui dies menſem Veneris marinæ
Findit Aprilem.

Aduocant & Halycarnaſſæum, qui διχομηνίδα ἡμέραν Idus appellat. Ego hos omnes tanti facio, quanti ipſam rationem, qua ita vt crederent ſunt adducti; quam totam in eo ſolo poſitã video, quòd Iduo, pro Diuido, apud Tuſcos in vſu fuiſſe dicant, nullo interim alio exemplo aſſertionẽ hanc ſuam confirmantes: quo fit vt eam non pluris faciam, quàm ſi nihil attuliſſent; cùm nihil ſit facilius, quàm in etymologiæ ignorantia ad Sabinos vel Tuſcos confugere, & ex lingua ignota illud petere argumentum, quod nec ipſi probare, nec alij oppugnare peritis ſermonis eius teſtibus poſſint. Miror quî factum ſit, vt Antiſtius Labeo, diligentiſſimus, Gellij etiam teſtificatione, antiquitatis inquiſitor, Etruſcam hanc vocis originem ignorarit; ſed ſcripſerit, viduam non eam tantùm dici quæ nupta aliquãdo fuiſſet; ſed illam etiam mulierem quæ virum non habuiſſet; atque ita viduam dici quæ ſine duitate ſit; vt vecors, qui ſine corde; veſanus, qui ſine ſanitate: quam ſententiam in Poſteriorum libris ab ipſo ſcriptam Priſcus Iabolenus etiam iuxtà doctus ac vetus Iuriſconſultus laudauit: quamuis recentiores quidam, in quibus Alciatus, Macrobij peregrinitatem maluit, quàm Labeonis domeſtica exempla complecti, non parua, vt equidem ſentio, iudicij leuitate. Latini enim generatim ſic vocem accipiebant, vt viduum quiduis diceretur quod altero careret: quod Horatius ſecutus, cecinit, *Viduus pharetra Riſit Apollo.* Hinc & illud Paulli: Viduertas calamitas dicta, quòd viduet bonis. Hoc tamen Labeoni non aſſentior, eam quæ maritũ non habuiſſet, viduam dici poſſe; proptereà quòd Væ particula priuationẽ potius hîc quàm carentiam, vt ſic dicam, ſignare videatur; vt eſt varius in compoſitione eius vſus, quem Gellius in Veiouis interpretatione annotauit.

h Verum-

Verumenimuerò ego nec vanum Macrobij figmentũ, eo ſolùm excogitatum, vt eſſet quod de Iduum vocabulo probabiliter diceretur, recipio; nec rurſus Antiſtio, licet multo vetuſtiori, accedo; quia nulla videlicet ſit dictio, in qua væ in i breue tranſiſſe videatur. Sed de hac cõtrouerſia illud elicio, Viduæ nomẽ nec Latinos, nec Tuſcos, ſed Cimmerios habere natales, qui nobis non apertiſſimi tantùm ſunt, verumetiam ingentes antiquitatis theſauros recludunt; ita vt gratiæ habendæ ſint Macrobio, qui nos ad hanc compulit inueſtigationem. Nihil enim prolixum aut ſuperuacaneum nobis hîc cẽſendum, è quo & ſancti priſci temporis mores, & antiquiſſimi ſermonis reliquiæ in lucem eruuntur: propterea quòd omnis noſtra opera ad hoc contendat, vt & quæ prima lingua ſit appareat; & ex eius interpretatione vetuſtæ maiorum ſapientiæ lumen ignorantiæ noſtræ diſſipet nubem.

Vidua vnde dicatur, & quid ſignificet.
Widue.
Wit. Hu.
Witwe.

Vidua igitur dicta eſt à Widue / duplici littera, qua Latini carent, in ſimplicem commutata. Widue autem compoſitum eſt ex wit/ quo album ſignatur; & hu / quod duo ſignificat; alterum idem eſt quod coniugium contraho, alterũ teneo ſiue ſeruo. Compoſita itaque dictio Widue adempta aſpiratione, & eius cauſſa tenui in mediam commutata, non aliud eſt, ac ſi quis dicat, mulierem vel quæ nupta ſit ipſi albo, vel quæ ipſum album teneat in veſtitu. Alemanni wit-we dicunt, tenui littera retenta; in qua voce compoſitionis partes clarius cernuntur; in quas hoc nomen ſoluendum eſſe, alterum eiuſdem gentis pro eadem re nomen, witfraw, apertiſſimè demonſtrat; quo quiuis albam mulierem intelligit.

Witfraw.
Viduarum veſtitus.

Conſiderandum ergo quis olim viduarum fuerit veſtitus. Plutarchus in epiſtola qua vxorem ſuam de morte filiæ conſolatur, nigras veſtes viduis tribuit. Seneca, quòd lugentium veſtitus ater eſſet, atrum luctum in Hercule furente vocauit.

Pullus color luctui conueniens; hinc Pullati, lugentes dicti, &c.

Pullus item color, qualis vt plurimùm eſt terris, nulla rubrica, aut creta, aut gypſo, aut aliis pigmẽtis è ſucco aliquo peculiari genitis; inſignibus luctui conueniebat; vnde pullati lugentes ſunt vocati: niſi quòd vox hæc plebeis etiam nonnumquam tribuatur, iis nimirum qui lanea veſte pulla, citra fullonum & tinctorum operam parata tegebantur.

Griſeus color.

Hoc genus coloris ſponte ſua in ouibus natum, nos à fletu lugentium, Griſeum nominamus; varias eius ſpecies agnoſcentes, pro eo ac vel plus vel minus ad album aut nigrum accedit; quo diſcrimine Monachorum aliquot collegia diſtinguuntur. Adeò autem Romani ab hoc colore abhorruerunt, vt nemini pullato, vel atrato, ad conuiuium accedere fas eſſet: quod vt plenè intelligatur, non erit abs re, Ciceronis ſuper hac re verba in medium proferre: Atque illud etiam, inquit, contra Vatinium inuectus, ſcire ex te cupio, quo conſilio, aut qua mente feceris, vt in epulo Q. Arij familiaris mei cum toga pulla accumberes? quem vmquam videris, quem audiueris, quo exemplo, quo more feceris? Dices, ſupplicationes te illas non probaſſe. Optimè. nullæ fuerint ſupplicationes. Videſne me nihil de anni illius cauſſa, nihil de eo quod tibi cum ſummis viris commune eſſe videatur, ſed de tuis propriis ſceleribus ex te quærere? Nulla ſupplicatio fuerit, cedo. Quis vmquam cœnauit atratus? Ita enim illud epulum eſt funebre, vt munus ſit funeris, epulæ quidem ipſæ dignitatis. Sed omitto epulum, populi Romani feſtum argento, veſte, omni apparatu ornatuq. viſendum, dic quis vmquam in luctu domeſtico, quis in funere familiari cœnauit cum toga pulla? cui de balneis exeunti, præter te, toga pulla vmquam data eſt? Cùm tot hominũ millia accumberent, cùm ipſe epuli dominus Q. Arius albatus eſſet, tu in templũ Caſtoris te cum C. Fidulo atrato, ceteriſq. tuis furiis funeſtum intuliſti. Quòd ſi ex his Ciceronis verbis necdum ſatis intelligatur, quàm triſtis ſoleat haberi niger veſtitus, & quàm ab omni conuiuio excluderetur; addat illud ex Dione, à Domitiano, poſt cladem quandam à Dacis inflictam, domum totam atratam fuiſſe inſtructam, in quam Senatorum primates, citra pediſſequos comites, noctu iuſſerit venire, quò tum nigro colore, tum aliis quibuſdam percelleret terriculamentis.

Niger ſiue ater color lugentibus maximè conuenit.

Lugentibus ergo maximè congruebat niger amictus, quo animi dolorem & atras animi perturbationes externo ſigno denotarent: quod cùm iuris interpretes ſatis teſtatum reliquerint in iis quæ de viduarum luctu diſputarunt; tum memorabili & luctifico exemplo docebo. Zozimus Comes quinto Nouæ hiſtoriæ libro narrat, Ioanne Conſtantinopolitano Epiſcopo, ob odium Imperatricis, ſponte digreſſo exulatum, Monachos Eccleſiam occupaſſe, & plebem & milites in ſe irritaſſe, quòd ad conſuetas preces non admitterentur: milites ergo furibundos in monachos impetum feciſſe, & Eccleſiam occiſorum corpo-

corporibus repleſſe, ac deinde in fugientes eam feciſſe perſecutionem, vt nemini parcerent, qui pulla veſte indutus eſſet, ſiue ob luctũ, ſiue aliam ob cauſſam: propterea quòd monachi omnes eo tempore pullati eſſent; atque idcirco à barbaris militibus nullum inter monachos & lugentes diſcrimen agnoſceretur. Ex his itaque perſpicuum, atrum & pullum colorem lugentium fuiſſe, & omnibus triſtibus rebus attributum; vnde ille Swart à Swar/ id eſt, graue & moleſtum; hic Grijs à Grijſen/ quod eſt plorare, nominatur. Latini Pullum vnde dixerint, Grãmatici quærãt: mihi Columella, dum pullũ holus dixit, pro holere atro, ferè perſuadet, vt eo nomine Griſeum noſtrũ nigrũ intelligam, quo Libitinarij noſtri fratres, vulgò Cellitæ, veſtiuntur; vt ſit etymologia à Vuil / quod ſordidum ſignat, petenda; quia quæ ſordibus opplentur, nigreſcant. Niger verò ſic dici videtur è lingua quoque noſtra, quaſi Niet-ger/ & exempto Tau de more noſtro, Nie-ger/ id eſt, non cupio: quoniam à nemine petatur, vt abominandus. Græci *μέλας* pro nigro dicunt; ab eadem lingua petito vocabulo. Eſt enim Mel-laſt / vnde contrahitur *μέλας*, idem ac ſi dicerem, oſtẽdo onus ac moleſtiam; quod nigri coloris propriũ eſt. Ater, qui valde niger eſt, ab Hat/ à longo, quo odiũ ſignatur: ex qua origine Ate Homerica, ſimiliter aſpiratione vtrobiq. dempta. Iã contrarius color qui lætitiæ index eſt, noſtris dicitur Wit/ à Wien/ quo primũ & propriè notatur dilatare, iterum purgare, tertiò cõſecrare; quæ omnia ad albũ colorẽ referũtur: eo quòd is & oculorũ aciẽ dilatet diſgregãdo, & animũ dilatet recreando: tum etiam, quia ſacros gaudium decet internũ. Sacrificæ Cimbrorũ albis veſtibus vtebãtur: quo denotabatur, in ſacris omnibus hoc in primis, tamquã ſcopũ ſpectari, vt animus expurgetur, & candidus & ſincerus ab omnibus ſordibus reddatur, & ita purus in puro vero acquieſcat. Album itaq. dicitur ab Alb/ quo veteres Cimbri vſi ſunt, pro eo quod ab omni nigredine purum eſt, quaſi omnis coloris expers. Al-ab enim idem eſt quod omnino repurgatum, vt nulla macula reſtet. Dixi alibi Alp & Alb differre; eo quòd Alp fiat ab Al-op / id eſt, omninò ſuperius; verùm hîc addo poſterius hoc etiam albo conuenire, quia nimirum albedo animi homines in ſupremum felicitatis locum ducat. Ab Alp Alpes, de quo in Saxonicis. Albion ex vtroque poteſt deriuari; quia & alba inſula appareat, & quia in circuitu ferè montibus cincta eſt, quaſi Alp-bi-om/ id eſt, mons ferè vndique; vel Alb-bi-om/ id eſt, ferè vndique alba. Noſtrates nunc magis in vſu habent Wit quàm Alb; tametſi Alben ſiue Aluen etiamnum æquè dicantur atque Wit-vrauwen/ pro nymphis quibuſdam albis, tum ſolitis apparere, cùm dæmones veterem idolomaniam apud indoctam plebem renouare nituntur. Videmus ergo vt colorum nomina naturam ipſorum deſignent, ſi ea ad veras primæ linguæ rationes examinemus: in quibus illud clarum, Pullum & Album opponi, dum hic ab omni macula purus, ille ſordidus vocatur. Quamobrem vt ſacerdotes feminæ apud Cimbros albis veſtibus, Strabone ſeptimo Geographiæ libro teſte, induebantur; quia nimirũ & puræ & Deo deſponſatæ eſſe deberent: ita viduas quoque candido amictu veſtiri decebat; quo teſtarentur, ſe minimè dolere virum ad meliorem vitam tranſiſſe, & ſe iam non corporibus, ſed puris maritorum animis nuptas eſſe, & non ſecus atq. ſacerdotes quaſdam caſtitatem totius reliquæ vitæ illibatam velle ipſis cuſtodire. Inter priſcas enim & optimas Germanorum familias moris erat, ſolas virgines nubere, & nefas haberi, ſi qua ſecundas nuptias contraxiſſet; quòd eo facto libellum repudij diuo marito remittere videretur. Tacitus bene id quidem annotauit; Sic, inquiens, vnum accipiunt maritum, quomodo vnum corpus vnamque vitam. Verùm neſcio an cauſſam perſpexerit, quam modò indicaui: quoniam ſciam, apud Romanos & Græcos nihil conſtans de animi immortalitate conſuetum teneri; atque inde Getas, de Cimmeriorum ſtirpe gentem, vocatos fuiſſe Athanatizontas, quod peculiari hac immortalitatis fide à ceteris nationibus diſtinguerentur. Hinc Lucanus:

——Populi quos deſpicit Arctos,
Felices errore ſuo, quos ille timorum
Maximus haud vrget Lethi metus; inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animiq́; capaces
Mortis, & ignari rediture parcere vitæ.

Quoniam igitur firmiſſima fide feminæ credebant, maritos ſuos, quamuis corpus depoſuiſſent, viuos tamen adhuc eſſe, & poſt mortem ad ipſos reditum ſibi patêre; perpe-

Swart. Swar. Grijs. Grijſen.
Pullus, a, um. Vuil.
Niger vnde dicatur.
μέλας vnde dicatur.
Ater vnde dicatur.
Ate vnde dicatur.
Albus color lætitiæ index. Wit. Wien.
Albus vnde dicatur. Alb.
Alp.
Alpes. Albion.
Alben *ſiue* Aluen. Wit-vrauwen.
Albus color ſacerdotibus feminis & viduis proprius.
Getæ, gens de Cimmeriorũ ſtirpe, Athanatizontes dicti.

tuo veſtis candore, perpetuam caſtitatem puris maritorum animis ſeſe ſeruare monſtrabât. A priſcis his Cimbris ad priſcas Romanas matronas mos hic tranſiuit,vt & ipſæ candido veſtitu in luctu vterentur; cuius cauſſam Plutarchus quæſiuit. Verùm temporum lapſu, & cauſæ ignorantia, factum vt hæc conſuetudo abiuerit in obliuionem, & omnes, tam feminæ, quàm viri, pullati lugerent. Nec aliam ob cauſſam corpus mortui albæ veſti inuoluebatur; quo indicaretur videlicet, animum relicto corpore ad vitam commigraſſe beatiorem. Huic rationi ipſa quoque verbi, lugeo, fauet originatio; quæ talis mihi de ſermone noſtro petenda videtur, vt lugeo Luc-heet/ & ex tenui littera, & aſpiratione media littera conſtituta, perinde ac fieri debet, Luget/ non aliud eſt, quàm bonam fortunam habet,ſiue Latinè,fortunatus eſt. Nihil itaq. aliud fuit luctus, quàm hominum teſtificatio, fortunatum eum eſſe, qui corpus terræ,animum cælo reddidiſſet. Luc enim bonam fortunam, ſiue proſperitatem ſignat: vnde Lugdunum/ fortunatum montem interpretamur. Quantum, bone Mercuri, vbique recludis myſteriorum! quàm nuſquam deeſt in nominum rationibus, quo Palladium peplum exornetur! quàm longè Romani à vocis prima ſignificatione receſſerunt! Nos de priſcis moribus ad veram vocum originem deducti, illud ſtatuemus,Viduam à Widue dictam, vel quòd candido animo nupta eſſet; vel quia albo veſtitu, ob eam quam dixi cauſſam, ſemper vteretur. Ex hac priſca optimatum inter Germanos conſuetudine, apud Francos hactenus in vſu eſt, vt Regina liberos ex Rege non habens, eo mortuo, albis perpetuò veſtiatur,& Regina blanca,id eſt, Alba nominetur. Quid quòd & aliæ illuſtres in eadẽ gente mulieres, ad vnã omnes, alba calantica, & candidis veſtiũ fimbriis in luctu ſeſe ornant. cuius rei cauſſam niſi de nominis viduæ ratione cognouiſſem, fruſtra alios rogaſſem. Videat ergo candidus iudex, quantũ momenti ad rerum intelligẽtiam vnius voculæ interpretatio cõferre poſſit: quantũ ex ea ad ſolidam philoſophiam, quantũ ad priſcorũ ſententias è tenebris reuocandas,vtilitatis accedat.Fuit hoc quidẽ diuerticulũ, ad quod à Macrobio cõpulſi ſumus,ſatis longũ, attamẽ non iniucundũ aut inamœnũ, ob varia vetuſtatis monumẽta cauſſis ſuis reſtituta, à quibus omnes longè hactenus aberrarunt.Hoc igitur iam valere iuſſo,cũ ſuo Iduo,viduæ & Iduum nomẽ noſtræ linguę, in qua ſolidæ rationes reperiũtur, vindicemus. Ceterùm iam ſatis Calendis, Nounis,& Eidibus immorati, ad Ent ſiue End reuertamur, quo diximus finem notari; propterea quòd omnia ad vnum finem ordine ſuo tendunt: qua in voce Tau ſignificat, vno cuncta contineri & colligari. Quoniam autem ad hoc omnis hic labor meus ſpectat, vt linguam noſtram primam eſſe, & ex ea ceteras magna quadam vocum, litterarum, & ſignificationis confuſione, fluxiſſe demonſtrem; non inutile erit, ſi addidero, Græcos quoque & Latinos, quamuis ab Ent finis appellationem non duxerint, è prima tamen lingua ſumpſiſſe nomenclaturas. τέλος enim finis dicitur, quaſi Tel-hoot/ exempta ob compoſitionis ſuauitatem adſpiratione; quod idem eſt ac ſi dicas, caput numerationis, ſiue ſupremum in rerum enumeratione. Vera etenim Arithmetica non ea eſt quæ ementibus & vendentibus conducit, vt ad ſummam ſapientes ſint,vt Horatius dixit,

Ad ſummam ſapiens, vno minor eſt Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcer, rex denique regum.

Hanc enim numerandi ſcientiam nihili facit Socrates; ſed eam quæ vnum ipſum in omnibus quærit, cuius conſideratione animus conuertitur ad eius quod ſolùm reuera eſt, contemplationem; quam diſciplinam homini neceſſariam eſſe dicit: Vt è fluctibus generationis emergat, & ipſam eſſentiam attingat,ſine qua computare ratiocinarique, pro eo ac decet, nemo poteſt mortalium. Huius ſolius beneficio è fluxis rebus, in quibus nulla eſt conſtantia, mens noſtra adſcendit ad ipſius vnius conſiderationem; qua ſummum totius philoſophiæ caput continetur. Hæc igitur eſt illa Arithmetica, quæ ad ſapientiam viam ſtruit, quam cùm Horatius è ſeptimo de Repub. lib. hauſiſſet, alteri illi plebeiæ & vili Arithmeticæ comparauit: hanc quidem aiens à vulgo laudari,& ſummo in pretio haberi; adeóque eos qui ad ſummam pecuniæ in tabulis rationibúſque ſuis colligendam ſapientes ſunt, ſolo Ioue minores videri, denique reges eſſe regum: Illam verò ſibi iam ſeneſcenti diſcendam proponens, è qua, iuxta neniam puerorum, verus rex fieret, rectè faciendo, quærendoque veras diuitias & ſtabiles, quibus animus confirmatus non vagetur, veluti Proteus quidam, modò in hanc, modò in illam

tranſiens

Lugeo. Luc. Lugdunum vnde dictum. Regina blanca. Ent / ſiue End. τέλος. Arithmetica vera laus.

tranſiens formam; ſed in vno ſibi ſemper conſtet, ac verè de ſe dicere poſſit:

Quid verum atque decens quæro, & rogo, & omnis in hoc ſum.

Eleganter admodum ad illam Arithmeticam poëta alluſit, per quam Plato nos participes fieri dicit veræ eſſentiæ; quod in hoc verſu expreſſum videmus. Quis enim alius perpetuò conſtans, quis vagis mundi animique ſui motibus ſuperior, quis verè Rex & Imperator ſui ipſius, quis demum ex omni parte felix & beatus; niſi is, qui totus eſt in veri conſideratione? Ad hanc autem cùm per Arithmeticam veram Socrates homines deducat, eaque dicat rectum, ad id quod verè eſt, aſcenſum fieri: non vulgari profectò aut leui de cauſſa finis vocatus eſt Tel-ot id eſt numerationis caput, ad quod, tamquam ſummum bonorum finem, non tamquam ad ſummam pecuniæ, omnis totius vitæ noſtræ calculus ſubducendus eſt. Hæc igitur ſit Græcæ vocis è prima lingua veriſſima interpretatio; quæ vnum, quod eſt omnium finis, caput numerationis appellans, hac ipſa nota & Platonis ſententiam laudat, & ſimul pulcerrimæ Horatij epiſtolæ fontem, è quo deriuatur, oſtendit. Latini finis nomen à perfectione abſoluta fecerunt, quæ in ſermone noſtro Fijn dicitur: qua vocula id ſignatur, quod inſigniter perfectum eſt & abſolutum. Fit autem à Den/ de quo nomine pòſt agetur. Nec malè profectò à perfectione finis nomen accepit: & quia finis in vnoquoque, teſte Ariſtotele ſexto Politicorum libro, id eſt quod optimum eſt; & quia quicquid fit, ad eum finem fit, vt ſit perfectius; tum etiam, vt intelligamus, omnes actiones noſtras ad id eſſe conferendas, vt ſummam acquiramus perfectionem, qua felicitas noſtra definitur. Hebræi item nomen è primo ſermone retinuerunt. סוֹף enim finis eſt, & terminus, à noſtro nomine Top/ mutato Tau in Samech, deriuatum; quo ſummum in re quaque denotatur: quod haud ſecus fini conuenit, quàm Ent/ omnia vno deuinciens. Eſt ipſis & aliud vocabulum, quo finis notatur תַּכְלִית à verbo כָּלָה deſcendens, quod & ipſum à nobis ſunt mutuati. Cal & Lac vocali breui, quid ſignificent, modò dictum. A Lac/ quo defectus notatur, fit Lac vocali longa, quod eſt ad defectum tendo, ſiue paulatim deficio: quæ vox quia id ſignat, cuius perfectio eſt in vacuo & nudo, ſiue in eo in quo nihil amplius reſtat eorum quæ fuerunt; fit vt Cal defectum ſignificet abſolutum, à quo nihil reliqui factum ſit, ex illarum vocum forma, quæ verſæ aliquid ſignificant, neceſſariò conſequens rem ſignatam per prorſam dictionem. Cùm enim nihil aliud ad infinitum deficere poſſit, bene facit, qui in ipſa defectione ſiue imminutione cuiuſpiam rei, monet eam tandem ad terminum abſolutæ priuationis deſituram, & tardam omnino fore in fundo parſimoniam. A Cal itaque Hebræi fecerũt כָּלָה pro finire & deficere; vnde תַּכְלִית finis & terminus dicitur, & alio nomine, & eo quidẽ à prima ſiue noſtra lingua petito, ſed contrario litterarũ ordine pronuntiato & ſcripto; קֵץ enim fit vt Stat ſiue Stet/ quo terminus ſignatur, vnde Staken pro terminare. Dicitur autem Stat ſiue Stet per apocopen, quaſi Staken, ſiue Ste-ken vocaretur; eo modo quo ex Form at fit Form. Alias eorum voces, quibus pro termino vel fine nonnumquam vtuntur, breuitatis cauſſa relinquo; cùm nullum in iis aut inſigne ſit ſapientiæ præceptum, aut quicquam dignum annotatu. Sed iam plus ſatis de admirabili finis vocabulo. Ad alia exempla tranſeat oratio. Quod ſi poſt Ee Lambda ponas, vt ſit Eel/ pulcrum, elegans, delectabile, ſubtile, nobile, generoſum, omnibúſque modis perfectum notabitur; quæ vox primùm primo omnis elegantiæ nobilitatíſque datori congruit: quòd is nimirum fundamentum firmitaſque omnium ſit, & præterea nos per liquida cæli ſpatia ad ſupremum cæli apicem attollat, eóque ipſo omnem generis noſtri abſoluat claritatem. Num eſt quiſquam tam ſtipes, aut caudex, vt non hic cernat clariſſimè, quàm luculenta ſit huius primæ vocis è litteris ſuis compoſitionis ratio? Quid enim nobilius, quid clarius, quid perfectius, quàm & firmo niti fundamẽto, quod per Ee notatur; & ab eo ſurſum liquido & facili motu cæli ſupremi apicem ferire; quod ipſius Lambda pronuntiatio eleganti vocis imitatione depingit. Dicas fortè ab אֱיָל ſiue אֵל Hebræorum nos vocem hanc mutuari? Id non ita eſſe, analogia nobis peculiaris oſtendit, quæ vocem conuertens, contrarium eius quod prorſo nomine ſignabatur, dat intelligendum. Lee enim generatim omne id ſignificat, quod moleſtum, quod inelegans & turpe, quodque minimè placet. Hinc leet/ moleſtia & ægritudo animi; Leelick/ turpe: in quotidiano vſu verſantur ſæpius, quàm vellemus obuia. Ex Ee & T vinciendi vim habenti, fit eet/ pro edo, quod à noſtrati deriuatur,

Finis vnde dictus. Fijn. Top. Lac. Cal. Stat *ſiue* Stet/ Staken. Eel. Lee. Leet. Leelick. *Edo, vnde dicatur.*

tametſi temporis ratio ſit neglecta, quod in noſtro longum eſt, diuerſo tamen modo quàm in Eet/ dum iuramentum notat, pronuntiatum. Eſt enim edendi finis, corporis confirmatio, & partium vnio, quæ ſine alimento dilaberentur: ita vt aptiſſimè eet/ vnionis vinculum exprimens, ei accommodetur; in quo tamen altius myſterium deliteſcit, quàm corporis alendi neceſſitas proponat. Inueniat Latinus, ſi poteſt, parem aliquam in Edo rationem; & lubenter de primogenia vocis poſſeſſione cedemus. A præterito imperfecto huius verbi At/ fit As/ vocali longa, pro cuiuſuis rei alimento. Vnde Aſia; qua voce, præcipua terræ pars notatur, quæ primum primo homini, & ante, & poſt diluuium, protulit alimentum. Hinc factum apud antiquos, vt Aes pro pecunia poneretur; eo quòd hæc alimentum homini ſuppeditaret; tum etiam, vt hac voce moneremur, in eo quod ſatis eſt ad victum ſiue alimentum, pecuniæ terminum eſſe debere: in quo præcepto veſtitus nulla ratio habita eſt; eo quòd is ab exuuiis animalium, quæ ad victum comparaſſemus, facilè ſuppeditaretur. Hinc olim huius vocis vſum fuiſſe, nomen crumenæ maioris apud nos declarat, quam Aeſ-ſac/ vocamus, quaſi pecuniæ ſaccum dicas; à quo differt & vſu & nomine Spijſſac/ quo ſaccus cibo portando idoneus notatur. Aeſſac eadem de cauſſa & ab eadem radice Tas dicitur & Tes/ eo quòd pecuniam vinculo conſtringat. In aes ergo, & aeſſac/ & Tes/ vſus nummorum expreſſus, quem Horatius indicat:

Eet. — *At.* — *As.* — *Aſia vnde dicta.* — *Aes.* — *Aeſ-ſac.* — *Spijſ ſac.* — *Tas ſiue Tes.*

Neſcis quò valeat nummus, quem præbeat vſum?
Panis ematur, olus, vini ſextarius; adde
Queis humana ſibi doleat natura negatis.

Æs, æris, vnde dicatur. — *Eer.* — *Honor hominibus ſæpius ex ære quàm ex virtutibus obtingit.*

Hinc eſt Æs Latinorum, è quo primum pecunia facta: cuius tamen nominis obliqui caſus ab alia noſtrati voce deriuantur. Eer enim ſono exiliore, quàm ſit in Eer pro honore, de quo pòſt in littera R; idem apud nos eſt, quod Æs apud Latinos: qua voce tanto lubentius vtimur, quanto ad honorem propius accedit, qui hominibus ſæpius ex ære ſiue pecunia, quàm ex virtutibus obtingit. Certè apud Romanos, claſſes & honores ciuium ære diſtinguebantur; vt non ſine grauiſſima cauſſa pecunia quærenda videretur. Cùm enim ſummum in externis bonis locum honor teneat, & is non virtutibus, ſed ære pararetur; quis non exclamaret,

O ciues, ciues, quærenda pecunia primùm;
Virtus poſt nummos! Bene itaque Ouidius:
In pretio pretium nunc eſt; dat cenſus honores,
Cenſus amicitias; pauper vbique iacet.

Quamobrem qui hanc Reip. formam conſtituerunt, pænè neceſſariam auaritiam fecerunt; quippe citra quam difficillimè tantum æris quiſquam corradat, quantum ad equeſtris ordinis dignitatem comparandam ſatis eſſet. Quis in ea ciuitate non inhiet pecuniis, in qua capite cenſeri turpiſſimum habebatur; in qua pauper ad nullos admittebatur honores; in qua Plautus in piſtrino conſeneſcebat? Bene Iuuenalis hanc iniquiſſimam cenſuram deriſit Satyra tertia, vbi inter alia hæc:

Nil habet infelix paupertas durius in ſe,
Quàm quòd ridiculos homines facit: exeat, inquit,
Si pudor eſt, & de puluino ſurgat equeſtri,
Cuius res legi non ſufficit: & ſedeant hic
Lenonum pueri quocumque in fornice nati.
Hic plaudat nitidi præconis filius inter
Pinnirapi cultos iuuenes, iuueneſq; laniſtæ.
Sic libitum vano, qui nos diſtinxit, Othoni.

L. Otho Roſcius legem tulerat theatralem, vt quatuordecim gradus equeſtri ordini ſeruarentur, ad quem nemini aditus dabatur, niſi quadringenties ſeſtertium haberet; quibus quantum deeſſet, tantum deerat honori. Sic Horatius,

Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt.

quo loco neniam puerorum legi Roſciæ præfert. Meritò itaque obliquos caſus ipſius Æs vocabuli pro pecunia, à noſtro Eer mutuati ſunt Latini. Verùm nomenclator non tam ad hoc reſpexit, quàm ad illud, vt omnes moneret, ſic quærendam pecuniam, ne honoris noſtri obliuiſceremur, qui ſola virtute continetur: fugiendam auaritiam, perfidiam,

fidiam, & omnem iniquitatem in re congerenda. Deinde ſonum medium fecit inter Er & Eer, quo honor notatur; vt indicaret, lubricam viam eſſe inter errorem & honorem, per quam ad pecuniam; & in ea procliue admodum eſſe, vt in maximos totius vitæ errores incidamus, ſi vel minimum à vero honore declinemus. Sunt diuitiæ medium quiddam inter errorem & honórem; & æquè iis ad illum abuti licet, atque eas ad hunc referre. Vtraque vox, & As/ & Eer/ patitur conuerſionem: ex illa Sa fit, quod eſt, ſemina: clara adhortatio, te As habere non poſſe, niſi ſementem facias. Dicimus enim Saa vel Saat/ ſicut Gaa vel Gaat/ dum imperamus. Iubemur igitur ſerere. ſed quantum? Nempe quantum Aas poſtulat, iuxta illud Iuuenalis, Saat.

Viuite contenti caſulis & collibus iſtis,
O pueri, Marſus dicebat, & Hernicus olim,
Veſtinusq́, ſenex; panem quæramus aratro,
Qui ſatis eſt menſis: laudant hæc numina ruris.

Ne porrò ſatio ad infinitum progrederetur, ſermonis opifex T adiecit, vinculo eam certo conſtringendam docens. Quamobrem ſi per veſtigia redeas, finem ſationis in Saat inuenies, Taas/ id eſt, ad alimentum, ceu diceretur, tantum ſerendum, quantum ad alendum eſt neceſſarium. A Saat fit Sat/ quo finis iterum ſementis indicatur; Sat.
quæ tota eò tendit, vt neceſſitatis noſtræ menſuram impleat: à qua voce, Satis, & Sa- Satis. Satur.
tur, apud Latinos. Hanc vocem ſi conuertas, fiet Tas; quo ſignificamus aceruum fru- Tas.
gum collectarum, cuius is modus eſſe debet, vt ſolum pertineat ad alimentum, quod eſt T'aas. Quemadmodum itaque in Tes & Aeſſata nummorum modus præſcriptus; ita in conuerſione ipſius Saat/ & rurſus menſura acerui, qui Tas dicitur, declaratur verſa voce Sat/ quo id ſignatur quod explet neceſſitatem. Eer conuerſum, Ree facit; Eer. Ree.
quo ſimul docemur, & pecuniam paratam eſſe debere, & ei omnia parata eſſe & in promptu, cui Eer ſiue Æs non deſit. Quod autem Eer non ſolùm metallum, ſed pecuniam etiam maioribus noſtris notarit; perſpicuum fit ex compoſito, N'-eer/ quod N'eer.
eſt, μετὰ χαλκὸν, vt Homerica phraſi vtar, aut Latinè, pecuniam ſectari. Nihil enim eſt Neer aliud, quàm Nagelt. Neque hæc ſola eſt verbi cauſa; ſed altera etiam in eo ſita eſt, quòd Neer videatur ſignare idem quod ſecundum honorem; quæ docet, ſic rem faciendam, vt iuxta honoris regulam procedamus. Ab eer item teer retine- Teer.
mus; quaſi dicas, ad pecuniam. quo ſignificamus, nos nummos aggredi. Quorſum? Num quo ille, qui eos contemplabatur in arca? Minimè: ſed quo eos rebus neceſſariis impendamus. Teer itaque eſt, nummos abſumo: quo in verbo adeundi æris notatio hortatur, vt crumenam prius adeamus, & cum ea rationem ſubducamus, quantum ſit parati, quod vox verſa ſignat. Sumtus enim non debet egredi pecuniam paratam. Idem communi tritaque ſententia dicitur, Teer na neer/ cuius in Atuaticis dedi explicatum. Teer na neer.
Quoniam verò pecunia citiſſimè facillimeque abſumitur; fit vt Teer/ pro conſumo, generatim dicatur. Hinc Tero Latinorum: quamquam, vt eiuſdem notationis plures Tero.
in lingua noſtra cauſſæ reperiuntur: poteſt & alia ratio ipſius Teer aſſignari, quam ex Eer petas licet, quaſi Te eer/ id eſt, ad terram & puluerem; vti ex na & er fit ner/ pro ad terram; vnde Græcis νέρθε καὶ νέρτερος. Cùm verò poſt nummos abſumptos dolemus; fit vt Deer/ νέρθε νέρτερος.
manente eodem vocalis ſono, & tenui conſonante in mediam mutata, pro dolore, & dolet, generatim vſurpetur: deinde quia dolor nocet, Deer pro noceo venit in oratio- Deer.
nem: à quo verbo δῆρις apud Græcos, pro pugna & rixa, quæ vera noxa eſt; vnà cum δῆρις, δῆρι &c.
cognatis, δῆρι, δηρίνομαι, δηριάω. Ceterùm δηρὸς pro diuturno, corruptum eſt ex Dur/ δηρός.
quod eſt diu permanere; à qua voce Latinorum Duro & Durus: A Dur/ δηρὸν, & hinc Dur. Duro.
τηρῶ, quod eſt conſeruo. Vide quò nos duxerit Eet pro edo, quamq́ue vtilia ſuppedita- Durus.
rit in ſobole ſua præcepta: quæ vox ſi vertatur, vt ſit Tee; ad vnum nos & legitimum τηρῶ. T'ee.
coniugium deducet, luculenta anteſtatione auriculam vulſura, nos perpetuò in edendo & ab edendo ipſum vnum relegere debere, & cum eo nos copulare, oratione nimirum, & pro beneficiis acceptis actione gratiarum. Quàm, bone Deus, nulla vox tam exigua eſt, vt non maxima condat arcana, quæ in lucem producta, plurimum adferunt ad mores, totamq́ue vitam rectè ſanctéque formandam, vtilium præceptorum! Quoties ergo edemus, cogitandum erit, vt Eet ad T'ee conferamus, & non tum illo corpus confirmemus, cùm hoc animum totumq́ue hominem interiorem alamus: quo nullum

pabulum vel robuſtius, vel ſalubrius; vel ſuauius, vel denique magis neceſſarium, non ad hanc modò vitam caducam, & breui finiendam; ſed ad illam etiam perennem, in qua tandem ſolida & integra coniugij voluptas abſoluetur, quo per Tee vocamur. Mirum ſanè quàm linguæ architectus cum Chriſto conſentiat, dum ſic comedere vocat, vt primùm conueniat eſui illi ſoli, qui verè ipſum verum hominem alit & confirmat; quod ſoli cibo cæleſti & pani viuo conuenit. Solus enim ille, qui panem de cælo deſcendentem comedit, ſe cum vnitate firmo vinculo nectit. Quis verò comedit panem cæleſtem? Qui corpus Chriſti comedit, quo ſolo & firmitas animorum conſtat, & perficitur reditus ad ipſum illud coniugium, quo ſolo totum vitæ firmamentum continetur; quod vocula Tee optimè demonſtrat ei, qui norit ex Te & ee compoſitam; quibus Ad coniugium legitimum itio indicatur. Hic iterum eius in mentem veniat, quod in omnibus, licet non ſemper, à me indicatur obſeruandum, nominum rationes veritatem ſuam in primis ideis maximè habere, à quibus quanto exempla magis recedunt, tanto minus in ſignificando rationem ſuam tuentur. Eet ergo; quo comedo notamus, primum illi cœnæ applicandum, in qua maxima firmitas ab vno, & maxima vnio cum vno, & ſummum etiam & præſtantiſſimum coniugium cum vno alitur atque roboratur. Hæc ſi in alia quapiam lingua continerentur; quantum, bone Mercuri, laudatorum haberent! in hac noſtra exigua vocula, & prorſa & verſa, vt ſint bene conſideranti clariſſima, tamen hactenus à nemine ſunt vel animaduerſa vel expoſita, nedum digna laude celebrata. Quandocumque ergo cibum capiemus, in mentem venire debet, corpus quidem pane hoc & potu vires ſuas recreare; ſed has vires nihil ad hominem interiorem, qui verus noſter homo eſt, in ſermone Cimbrico à ductu nomen habens, pertinere; atque ea de cauſſa cogitandum, quis verus veri hominis cibus ſit, & ſolidum alimentum. Hoc mox vox Eet docebit, ſi iuxtà ac debet, examinetur; notatione ſua ad eam ductura, quam dixi, comiſſationem, in qua Dei verbo, viuo pane de cælo deſcendente, ipſi Vni copulamur, & vnimur, & ad legitimum, quod adulterio noſtro vitium fecerat, coniugium redimus. Ex Eet/ vt pro vulgari notatione accipitur, & corpori cibum voranti & abſumenti tribuitur, nomen accepit peſtis illa generis humani ſumma, quæ noſtros primos parentes toxico ad edendum oblato perdidit, & in mortem præcipitauit æternam. Dixi Eet/ At/ facere in præterito imperfecto; quod iis nominibus maximè conuenit fabricandis, in quibus natura rei cuiuſpiam, qua tria tempora, id eſt, omnia complectitur, explicanda. Eſus pomi illius à dracone ad deuorandum dati, tam fuit in omne tempus vires ſuas producturus; vt illius venenum totum humanum genus perpetuò intra penetralia eſſet arſurum. Draco igitur, qui noſtros parentes eò fraude ſua pellexit, vt vno vnius fructus eſu totum patrimonium, non ſuum modò, ſed totius poſteritatis abligurriret; ab edendo nomen accepit: quo illius peſtiferæ victoriæ, contra humanum genus obtentæ, titulum gereret, tamquam trophæum quoddam perpetuò homines moniturum, qua ſerpentis machina fuerint expugnati, & rapti in mortis ſeruitutem. Tum etiam prudenter id nomenclator eſt molitus, vt dum intelligeremus ab eſu nos læſos, ſubduceremus rationem de naturalibus experimentis, ab eſu rurſus remedium petendum, non ſecus atque ij, qui à ſcorpionibus icti ſunt, ab iiſdem ſibi ſumunt veneni amuletum. A cogitatione ergo eſus mortiferi, nos deducit in cogitationem eſus vitam daturi, ad quem verbum Dei cum inuitat, tum ſeipſum dat comedendum, quo ſimul cum ipſo æternam vitam accipiamus. Sed hæc contemplatio latiùs alas extendit, quàm hic ſit volatus eius perſequendus. Serpens ergo Ate vocatur, tum ad ſuæ victoriæ, tum ad cladis noſtræ monumentum ſempiternum. Acceperant Iones vetuſtiſſimi à Thracibus, aut Phrygibus potius, Ates notitiam: ſed vt ceterorum omnium fabula inuolutam atque contectam; ita vt minimè, quid ſibi vellet, peruiderent. Homerus itaque noluit, vt hoc antiquariæ cognitionis ornamento carmina ſua carerent; quod in eo tanto magis exoſculandum, quanto propius ad noſtræ religionis alludit veritatem. Huius igitur rhapſodia Vlyſſem facit inter alia hæc dicentem:

Ἡ δ' ἄτη σθεναρή τε καὶ ἀρτίπος οὕνεκα πάσας
Πολλὸν ὑπεκπροθέει, φθάνει δέ τε πᾶσαν ἐπ' αἶαν
Βλάπτουσ' ἀνθρώπους. quorum hæc eſt ſententia:

At robuſta Ate, pedibuſq; celerrima, cunctas

Ante

Marginalia: Menſch. — Eet. — At. — *Eſus pomi à dracone dati.* — *Eſu læſi homines, ab eſu rurſus petere remedium debent.* — *Ate dictus ſerpens infernalis & draco generis humani.*

Ante Litas currit, cunctis regionibus ante
Damna ferens noxamq́ue homini.

Comparat hoc loco Litas cùm Ate;& illas quidem claudas & rugoſas facit,hanc robuſtam & integris pedibus velocem: qua fabula,vt quod paſſim vbique terrarum fit, indicatur; ita alluſum videtur ad feſtinam illam noxam quam ſerpens humano generi intulit, quæ quidem ſananda erat per Litas, ſupplicationum, quibus peccatorum venia petitur, deas; ſed admodum tardè, & iam ferè in mundi ſenio; quod rugis ſignificatur Litarum. Sed quæ Litæ, quibus tandē ſanitas humani generis adſcribēda? Ipſa nempe Chriſti tormenta,& orationes, & lacrymæ, & ieiunia,& cetera quibus veniam à patre hominibus, Ates fraude in peccatū prolapſis, impetrauit. Hæ Litæ,quaſi claudæ eſſent, tardè admodum venerunt; ſed venerunt tamen tempore ſuo deſtinato. Qua de cauſſa Iouis Hiceſij filiæ dictæ; quòd citra Chriſti ſupplicationē nullum fuerit aduerſus Aten remedium. Vera enim Liturgia,& vnica oblatio eſt Chriſti in cruce patri facta,vt Chriſtus verus ſit Hiceſius, Deus Deo ſupplex; & eius preces & tormenta ipſiſſimæ Litæ. Ab hoc ergo myſterio fabula tranſlata ad quæuis peccata, ab illo primo peccato promanantia, & quaſuis peccatorum emendationes, quas perpetuò ipſis peccatis videmus multo tardiores, & ſemper claudicante gradu longo poſt Aten tempore venire. De eadem Ate,& eius è cælo præcipitio, ab antiquis per manus ad poſteros tradito,& de Ioue ipſam præcipitante, idem poëta ſic canit:

Litæ. *Litæ Iouis Hiceſii filiæ dictæ.* *Liturgia vera.* *Ate de cælo præcipitata.*

Ὣς φάτο· τὸν δ' ἄχος ὀξὺ κατὰ φρένα τύψε βαθεῖαν·
Αὐτίκα δ' εἷλε ἄτην κεφαλῆς λιπαροπλοκάμοιο,
Χωόμενος φρεσὶν ᾗσι καὶ ὤμοσε καρτερὸν ὅρκον,
Μήποτ' ἐς ὄλυμπόν τε καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα
Αὖτις ἐλεύσεσθαι ἄτην, ἣ πάντας ἀᾶται.
Ὣς εἰπὼν, ἔρριψεν ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος
Χειρὶ περιστρέψας· τάχ' ἵκετο ἔργ' ἀνθρώπων.

Nos ex tempore vertebamus:

Dixerat Ate, illi dolor acris pectora pulſat:
Arripit hanc ſubitò per crines, perq́ue comatum
Verticem adiratus, fortiſſima iuramenta
Subdens, numquam Aten rurſus venturam ad Olympum
Sidereúmue polum, quæ cunctis noxia noxa.
Dixit, & arreptam, palma ter deinde rotatam
Deijcit. Hæc præceps humana negotia vexat.

Paullo autem antè cantarat hanc per hominum capita incedere: cuius prima in eo ratio eſt, quòd Ates veneno omnes hominum animi procliues ſint ad mala & noxia ſibi perpetranda, quò omnium capita inclinant. Porrò Agamemnon ſic ſe excuſans de peccato ſuo contra Achillem commiſſo,

Ἀλλὰ τί κεν ῥέξαιμι; θεὸς διὰ πάντα τελευτᾷ
Πρέσβα Διὸς θυγάτηρ ἄτη. Id eſt,
Sed quid feciſſem? diua omnia perficit Ate,
Nata Iouis ſenior.

in memoriam videtur vocare primam parentum noſtrorū excuſationem, qua culpam in ſerpentem conferebant. Quòd autem filiam Iouis ſiue vetuſtam,ſiue natu grandiorem, dicat; id clariſſimè cernitur ad Luciferum referri debere, qui ſenior eſt humana mente quam vexat, cùm antea fuerit nō creatus modò, ſed cælo etiam eiectus,& damnatus exſilio ſempiterno quàm humanum genus crearetur. Pherecydes Syrus hunc lapſum ad Ophioneum refert, ſiue ad magnum Draconem, Chriſtianis nimis notum. Ate itaque draco generis humani hoſtis, è cælo præceps à Ioue datus ob ſuperbiam qua creatori ſuo repugnabat, nomen eo eſu accepit, quo primos parentes, pomo dumtaxat deuorato, in exitialem compulit omnium bonorum iacturam. Quando autem hęc omniū malorum origo ex odio ſerpentis & inuidia proceſſit; factū vt Hat vocali longa, vt eſt in At/odium & inuidiam notet; quaſi dicas animi affectionē, qua ad malum alterius perinde ferimur toto ſpiritu, atque olim Ate ad perdendū genus humanū; & qua adſpiramus ad ipſam Aten, atq. hac prauitate ei ſimiles reddamur. Iam & alia in huius

Ate dicitur Lucifer. *Ate vnde dicatur.* *Hat / odium.*

vocis

vocis ſignificatu conſideratio fieri debet. Propenſio illa ad odiū proximi, maximè declarat prauitatis characterem animis noſtris à prima illa dæmoniaca comiſſatione impreſſam, qui nos apertè docet, quo animo draco nos ad edendum inuitarit. Inuitauit enim, non vt nos reficeret, ſed vt incautos ſub ſpecie amicitiæ totos deuoraret. Hæc igitur libido deuorandi nocendiq. tanta in nobis reſtat, vt non ſolùm eos quos odimus, animo noſtro deuoremus; ſed dum eorum copia non datur, pro eo ac vellemus, tractandorum, nos noſtra ipſorum viſcera, veluti inſatiabili edendi rabie incitati, depaſcimur; iam non inuidi modò, ſed famelici etiam Eriſichthones. Hinc bene ille,

Inuidia Siculi non inuenere tyranni Maius tormentum. Et,

Inuidus alterius rebus macreſcit opimis. Aiunt Alexandrum Magnum inter cetera & illud frequēter dixiſſe: Inuidos non aliud eſſe, quàm ſua ipſorū tormenta. Qui hanc animi peſtem, liuorem vocarunt; rectè videntur eius naturam perſpexiſſe: quem cùm edacē etiam dicerent, in eadē cum nomenclatore noſtro fuere ſententia. Ouidius elegantiſſima verborum & verſuum copia eam deſcripſit, cuius hæc ſunt inter cetera,

Liuor.

Intabeſcitq; videndo
Succeſſus hominum, carpitq;, & carpitur vnà:
Suppliciumq; ſuum eſt. Nullum malum maius inuido optare Martialis potuiſſet, quàm cùm dixit, *Omnibus inuideas, inuide nemo tibi.*

Inuidiæ definitio. Inuidia & odium quomodo differant.

D. Baſilius ſic eam definiuit, vt dolorē eſſe diceret ex proximi cōmodis naſcentem, qui, ſicut rubigo ferrum, ita animū, cui ineſt, conſumit. Fateor equidem diſcrimen eſſe inter odiū & inuidiam; quòd hęc dūtaxat in felices graſſetur; odiū verò adeò generatim omnē dolorē ſignat, qui ex opinione, ſiue phantaſia mali oritur, vt etiā ad bruta tranſeat. Poteſt ergo odium iuſtū eſſe, illius nimirū qui vitia in quopiam oderit: inuidia verò nūquam vllā æquitatis rationē poteſt ſubire; niſi eam cū nemeſi ſiue indignatione cōfundas. Cuicumq. ergo inuidemus, eum cuiuſpiā rei gratia odio habemus, tametſi ceteroquin amaremus. Odimus enim in eo quòd plus habeat felicitatis quàm velimus; & quamdiu inuidemus, amici dici nequimus. Hat ergo nos generatim accipimus, perinde atque Latini Odium, quod ab Ate deriuatur, hac animi maleuolētia inuidiam etiā cōplectentes. Serpens enim non ſolùm nobis inuidebat, ſed etiam oderat, vti Dei, hoſtis ſui, filios. Deinde odium quanto maius, tanto magis habentis animum edit; eáque de re optimè ea voce comprehenditur quæ ab edendo ſignificationis ſuæ cauſſam duxit. Hinc illud:

Ipſe ſuum cor edens hominum veſtigia vitans.

Nijt. Niet.

Inuidia ſola, quæ ceſſante proximi felicitate ceſſat, nobis Nijt dicitur, à Niet/ quod eſt nihil, eo quòd hæc animi affectio eò ſpectet, vt quod quis habet, non habeat, vocula & re ſignificata definitione tenus conueniente. Hinc bene Silius:

O dirum exitium mortalibus! ô nihil vmquam
Creſcere, nec magnas patiens exurgere laudes Inuidia!

Ate quid ſit.

Quia tamē, vt dixi, inuidia ab odio, nō magis quàm forma à genere ſuo ſeparari poteſt: ferè Hat & Nijt in loquendo cōiungimus, ſignificantes eum qui odit, velle, vt is quē odit, nihil prorſus boni haberet. Ate ergo nihil aliud erit, quàm dolor exedens, qui in nobis naſcitur ex ipſo vetiti pomi eſu; quo odiū ſerpentis, & eius inuidia, contagione ſui animū noſtrum ita infecerunt, vt mox eadem peſte laboraret. Quamobrē cùm odij & inuidiæ morſus in nobis ſentimus, exēplo cogitemus, hanc illā peſtem eſſe quam edax draconis odiū, eſu pomi, ex pectore ſuo, omnis malæ volūtatis fonte, in animos noſtros deriuauit. Quāuis Græci in Ate tenuem in principio retinuerint; nos tamen eam adſpiramus: quo notemus, ad primū illud tabificū ſerpentis odium nos reuera per hanc animi motionē anhelare & adſpirare; & omnino tales effici, qualis prima illa & ſuprema fuit Ate. Deinde id inde etiam magis vt placeret traxit, quòd vox adſpirata magis alludat ad Hat vo-

Hat, i. habet.

cali breui pronunciatū, quod ſignificat habet, cuius è cōfinio intelligimus inuidiā etiam denotari, quæ ſemper impetit habentē; ceu diceretur, Haat non ſpirat contra aliū quàm eum qui Hat/id eſt, habet. Mirabilis profectò & multiplicis artificij vocula, maximū nobis cùm plurimarū rerū ad vitā vtilium, tū occultioris & ſolis Chriſtianis notæ hiſtoriæ præbens documentū, & vnà principem poëtarū rectiſſima via ad fontem reducens veritatis, è quo Ates fabula tota emanauit. Iam aliud adhuc in hac voce latet arcanū. Diuino enim inſtinctu factū, vt primum hominis nomen ab hac peſte nomen acceperit. Adam

enim

enim bene quidē dicitur à terra nomē habere; ſed nos in hac voce non rubram terram, *Adam vnde dicatur.*
vt Hebræi, ſed multo maiore notationis efficacitate, eam terram audimus quæ Ate eſt obiecta: qua de re mox certiores reddimur, nobis eſſe perpetuū bellū cum Ate gerendū, cui veluti vallum dicimur obiecti. Dam enim agger eſt, à Tam, quod eſt domabam: eo *Dam.*
quòd impetus fluctuum inundantis maris aggere domētur. Nulla elegantior cōparatio inueniri queat, quàm ſi hominem dicas perpetuis tentationū procellis, velut aggerem *Homo perpetuis tentationum procellis obiectus velut agger fluctibus, &c.*
quendam fluctibus aſſiduo impetu tundentibus, obiectum eſſe. Quæ enim hora, quod momentū tranſit, in quo nō feriamur vndis ſæuiſſimis prauarum cogitationū, quarum impetus ab Ate, tamquam ab Oceano omnium malorū, in animos noſtros, velut aggeres fluctibus obiectos, irrumpit. Hortatur ergo nomenclator, vt diligentiam eam animo noſtro aduerſus Ates impetū muniendo adhibeamus, quàm illi qui creſcentibus vndis aggeres opponunt; qui ſi vel minima parte dehiſcant, rimas agant eueſtigiò, non omnia modò camporū ſpatia, ſed homines etiā & pecora longè lateq. ſubmerguntur. Magnus hic ſeſe proſpectus aperit in omnem partem ad vitæ humanæ procellas, & aſſiduos fluctus animis noſtris impingentes conſiderandos; quem ſi ſequamur, per omnem tentationum Oceanum ſit diſcurrendum; qui tam vaſtis ſpatiis exporrigitur, quàm latè ea patent quæ hominum animis offeruntur, quorum nihil eſt, quod non fluctus ſecum violentos ducat. Quemadmodum ergo homo, nomine Menſch/ vt ſe ducat, & minimè *Menſch.*
duci ſinat, monetur; ita nomine Adam intelligit, ſe Ates aggerē eſſe, & perpetuò dum viuet, fluctibus eius ſe impetendum. Qui ergo non tentatur ab Ate, Adamus non eſſet; nec quiſquam vituperandus, quòd multis tentationum procellis feriatur, ſed tum demum reprehenſione dignus, dum aggerem ſuum, quæ recta ratio eſt, tam negligenter cuſtodit, vt ab vndis ſuperetur aut rumpatur. Adam ergo Ate-dam eſt; tametſi Hebręis alia eiuſdem nominis ſit interpretatio, nulla ratione vetāte, quin ad diuerſos fines idem à Dei inſtinctu dicatur poſſe deſtinari; quorum qui vnum pro cauſa numerat, à vero nō aberrat. Hoc ſaltem conſtat & nobis & Hebræis, in Adami nomine terræ eſſe notationem; his quidem rubræ, nobis verò fluctibus obiectæ. Vide quò nos Ett vocabulum deduxerit, quam inſignia reſerarit arcana, quàm egregiam & vitæ doctrinam, & antiquitatis hiſtoriam explanarit. Ex E item fit Echt/ quæ vox, litteræ Cappa cum ſpiritu pronun- *Echt.*
ciatæ, & Tau adiectæ, ratione, id denotat quod arctè vnita deuincit. Vnde nomen hoc pro connubio legitimo vulgus vſurpat; tametſi quoduis legitimum bono iure ſic nominetur. Quòd ſi adſpirationem voci præponas, idem erit quod connecto, & contineo; ſpi- *Hecht.*
ritu laborem & ſtudium indicante. quod, vt nomen in vſum vocatū, capulum cuiuſuis rei ſignificat; propterea quòd eo rem tenere ſtudeamus. Echt igitur legitimum, dum nomen eſt, denotat: dum vt verbum vſurpatur, idem eſt quod legitimū facio. Hinc apud Latinos Lex, quaſi dicas Li-echt/ id eſt, legitimum hominū inter ipſos vinculū. Verùm *Lex vnde dicatur.*
in eadem voce alia præterea ratio latet, qua in Li-hecht diſſoluta, id deſignat quo populi copulantur & vinciūtur. Cht in litteram X Latinam duplicem tranſire nonnumquam ſolere, cernes; ſi conſideres, à Recht factum eſſe vocabulum Rex, à Merct Merx, à Sticht Stix. Errant qui credunt à legendo Legem dici, cùm lectio legi minimè ſit neceſſaria; immò apud antiquiſſimos leges non ſcribebantur, ſed carminibus comprehenſæ puerorum memoriæ mandabantur, vti cùm apud alios, tum apud Ælianum in Varia hiſtoria diſcas. Quid quòd prima lex & antiquiſſima, ſit ipſa lex naturæ, mentibus hominum *Lex prima & antiquiſſima eſt lex natura.*
diuinitùs inſpirata, quæ docet, Deum ſuper omnia, & proximum cuique ſuum, non ſecùs ac quiſque ſeſe amat, eſſe diligendum. Porrò cùm non inter homines tantùm lex ſit, ſed inter angelos quoque, & omnes res creatas, qua omnia inter ſe legitimo vinculo copulantur: vocabulum ſic ſolui poteſt, vt Le-hecht audiatur, qua via membrorum connexio denotaretur. Huic etymologiæ cùm philoſophorum principes conſentiunt, tum eorum de hac re ſenſum ſic Cicero expreſſit, vt legem definiat rationem profectam à *Legis definitio apud Ciceronem.*
natura ad rectè faciendum impellentem, & à delicto auocantem; quæ non tum demum eſſe incipiat, cùm ſcripta eſt; ſed tum cùm orta eſt. Ortam autem eſſe dicit ſimul cum mente diuina: è quo intelligimus, omnium rerum à mente diuina creatarum inter ſe legem quandam eſſe, qua totius vniuerſitatis iuſta conueniensq. diſpoſitio cōſeruetur.

HERMATHENÆ

LIBER V.

VERVM cùm iam ſatis, & plus fortaſſe quàm ſatis, de natura ſecundæ vocalis exemplorum ſit allatum; ad tertiam tranſgrediamur: cuius ea indoles eſt, vt exilitatem quandam & ſubtilitatem adferre videatur, rem ſanè quàm conuenientiſſimam ad penetrandum inſinuandumque. Hinc apud nos dum ſola profertur, blandientis eſt, atq. eius qui ſeſe penitus velit gratiam apud quempiam inire; cuius notationis exemplũ eſt in ipſo Abecedario apud Latinos hactenus viſſcto. Iam quia quæ nobis noua ſunt, altiùs in animũ deſcendunt, & maiore audiuntur attentione: placuit maioribus noſtris vt I diceremus, cùm quippiam inſolens, aut
Iar. inopinatum, aut antea non cognitum, narraretur. Ab I & Ar coniunctis, fit vocula Iar/ pro annuo Solis curſu; cuius gemina ſtatim ratio ſeſe offert: altera quidem, vt I blandientis ſit, & ſeſe in fauorem inſinuantis; altera, vt I deſignet exilitatem. Illo modo blandè Solis curſum compellamus, vt quàm diutiſſimè nobiſcum maneat, neque citò nobis elabatur: quod votum quàm omnibus ſit commune, neminem reor latêre: nec
Ar. eſt quòd hîc repetam, Ar moram tarditatemq. denotare. Altera verò vocabuli cauſſa Anni exilitatem & minimam moram exponit; admonens, vt ſemper cogitemus, quàm
ἔαρ. paruum temporis ſpatium vnus annus comprehendat. Græci ἔαρ ab hac habent originem, qua voce prima pars anni ſolaris denotatur; E tenui, in locum Iota, ſubſtituto. Nec immeritò ſic prima pars anni nominatur: eo quòd tum vota concipiantur, vt annuus Solis curſus nos non deſerat; ſed diu trahatur, & ſequenti anno nos ſiſtat. Quin-
Ver, veris. ctiam & illa cauſſa eſt, ob quam Ver ſic vocetur; quòd ſicut totum ipſum annum diu cupimus durare nobis, ita & iucundiſſimam anni partem blandè rogare ſoleamus, vt quamdiutiſſimè nobiſcum moretur. Sunt hæc digna quidem latiore explicatu; ſed ſecunda vocalis diutius nos demorata, cogit ſubtile hoc elemẽtum exilius & breuius tractare: quod dum faciemus, naturam eius ſequemur. Si tota præponatur ipſi E, quo vni-
Iet. tas, eſſentia & firmitas notatur; diminuit ſignificatum. Iet enim per diphthongum, qua ceteræ linguæ, de quibus hîc diſputamus, carẽt; exilitatem ligat cum vnitate ſiue eſſen-
Iemant. tia; vt eo ſignificetur, quo Latini dicũt aliquid: à qua ſermonis particula fit Iemant/ adiecto man, & Tau ipſum finem claudente, tamquam cõpoſitionis vinculo: cui opponi-
Niemant. tur Niemant/ id eſt, nullus. Iet conuerſum feciſſe videtur Græcorũ τὶ, vnde τὶς. Eadem
τι, τις. vocalis poſt ſecundam poſita, & eidem coaleſcens, facit Ei, quo ouum ſignari dixi; quia
Ei. vitam habeat illud quidem exilem, ſed necdum perfectam. Eadem diphthongus ſoli-
Eilant. tarium notat, vnitatẽ ipſam exilitate ſua à numero excludens; vt dum dicimus, Ei-lant/ pro inſula; quia regio eſt ſola ab aliis ſeparata. qua etiam de cauſſa Ei pro ouo dictũ fortaſſe fuerit; quòd ſingula oua ſuis limitibus ſic ſe includant, quaſi ſola eſſent. Hebræi אִי pro inſula item dicunt; quod cur faciant, nullam ſanam cauſſam reddere queant: in eo mari quod Britanniam ab Irlandia ſeparat, aliquot inſulæ ſunt, in quorũ nominibus Ei pro inſula poſitum videas: vt, Angles-ei/ id eſt, Anglorum inſula; Irlandes-ei/ id eſt, Irlandorum inſula; Calt-ei/ frigida inſula; Scuil-ei/ pro quo Sijl-ei malè dicunt, inſula ſub qua latêre liceat, quæ vna eſt è Sorlinges; quæ ſic dicũtur corruptè pro Sorglingen/ quo ſignificantur eſſe formidandæ; quales reuera ſunt, propter multa ſaxa; quod genus Virgilius
Iones vnde nomen acceperunt. ararum nomine deſcripſit. Ab hac vocula Ei Iones nomen acceperunt, eo quòd vnus filiorum Iaphet, Ian dictus ſit, ab inſularum quas à patre colendas accepit, habitatione. Corruptum autem eſt vocabulum, ſemel quidem diphthõgo in priore ſyllaba in I longum mutato; iterum duplici Digamma, quo carent Græci, exempto. Nam integra vox eſt Eiwon/ id eſt, inſulam habito. Hebræus textus יון habet: quod ſi legas, Ion ſonat; verùm Maſſoritæ punctorum fabri, ex Ion Iauan fecerunt, tota Ionia & nominis ratione
Eigen. reclamante. Sed de hac re alibi fortaſſis plura. Hinc Eigen/ proprium vnius & ſolitariũ.
Hei. Quòd ſi aſpiratio huic particulæ addatur, vt ſit Hei/ vaſtam ſolitudinem indicabit, arboribus, & ædificiis, & frumento, & gramine carentem; à qua notatione ad herbam
Eiriic. tranſiit, eiuſmodi deſertis & arenoſis locis peculiarem, quam veteres tamen Eiriic nomina-

nominarunt, adſpirationem auferente compoſitionis lenitate; quod nihil aliud eſt, quàm deſerti aridique ſoli diuitiæ; quæ quanti ſint, noſtri Brabanti Campani norunt. Hinc Erica: quod qui negant, etymologiam inueniant meliorem vel apud Latinos, *Erica.* vel apud Græcos. Vt autem Erica ſolitudinis diuitias, vel fruticis huius Hei vocati regnum; ita Merrijc diuitias aquarum notat; à qua voce *μυρίκη* apud Græcos, ad ripas *Merrijc.* aquarum lubenter naſcitura, præſertim locis iis, ad quæ torrentes & flumina nonnum- *μυρίκη.* quam reſtagnant; vt ad Rhenum, ad Tagum, ad Anam & cetera magna flumina licet videre, tum etiam ad exiguos riuos, qualis eſt, qui è Pherſena Tridentum, ſciſſo ingenti ſaxeo monte, decurrit, tantis aliquando turgeſcens vndis, vt ipſis etiam mœnibus minetur euerſionem. Cùm igitur reſtagnantis aquæ caluitiis frutex hic gaudeat, meritò apud Græcos vnius vocalis mutatione, myricæ nomen accepit, ſicut alter, foliis & facultatibus ſimilis, Erica ob id vocatur, quia in deſertis ob ſterilitatem locis maximè ſoleat luxuriare, & opes ſuas proferre; cuius rei nuſquam clarius documentum, quàm in Landis (vt Gotica voce cum Gallis vtamur) à Burdigala ad Pyrenæi ferè iugi radices longè latéque protenſis. Latini, dum Tamaricem nominant, non aliud dicere viden- *Tamarice.* tur, quàm adſtrictas & minimè luxuriantes aquarum diuitias; quaſi è Tam—mer—rijc/ voce noſtrati, ducerent appellationem: vel, ſi mauis, domiti ſtagni diuitias dicas; quia eo loco creſcit, quem aqua reſtagnans reliquit, iam alueo rurſus domita atque conſtricta. Quemadmodum autem Myrica duplex eſt; altera intra fruticis modum magnitudinem coërcens; altera ad iuſtam menſuram arboris, vt in Hiſpania vidi, elata, è qua pocula lienoſis ſatis ampla tornantur: ita plures ſunt Ericæ ſpecies; inter quas quædam in Apennino, & Hiſpanorum montium ſiluis frequenter obuia, inſigniter arboreſcit: qualis qualis tamen, & quantulacumque ſit Erica, in ſolitudine ſemper & ſterilibus locis regnum ſuum & nomine & reapſe poſſidet. Ex hac Ericæ indole, & inde accepta nomenclatura, magna lux accedit aliquot ſacræ ſcripturæ locis, in quibus ערער *Scriptura ſacra loca aliquot explanata in voce Erica.* Erica vocatur, quam vocem Hieronymus non bene, mea quidem ſententia, Myricam interpretatur: cùm Hieremias hunc fruticem locis ſiccis, & deſertis, & ſalſuginoſis, & inhabitabilibus tribuat; qualis eſt Campania Brabantiæ non exigua ſui parte, atque eum opponat ligno ad aquas radices ſuas nutrienti. Nam ſi Myrica ערער eſſet, frigeret contrariorum collatio; cùm æquè Myrica ad aquas, atque lignum, cui opponitur, creſcat. Sic igitur cap. 17. Hieremiæ verba reddamus: Erit enim quaſi Erica in deſerto. Apud Eſaiam, Ecce Damaſcus deſinet eſſe ciuitas, & erit ſicut aceruus lapidum in ruina; Derelictæ ciuitates Aroër gregibus. Sic Hieronymus. vbi nos ſignificantius: Derelictæ ciuitates Erica gregibus. Erica enim greges ouium optimè alit, & integra valetudine conſeruat, & carnem gignit & tenerrimam & ſaluberrimam ad edendum, quod Antuerpiæ nemo, niſi ſit omnino vecors, ignorare poteſt. Deuteronomij item ſecundo, eandem vocem pro ſolitudine ericis plena, accipio; haud ſecus atque apud nos Ericæ nomen, quod eſt Hei/ commune eſt & ipſi frutici, & ſolitudini in qua frutex creſcit. Vbi enim eſt, Ab Aroër, quæ eſt ſuper ripam torrentis Arnon; verterem, A ſolitudine deſerta & Ericis plena, quæ eſt ſuper ripam Arnon. atque deinde coniunctionem Opido, quæ vox ſequitur, præponerem, vti eſt in textu Hebraico; vt tota dictio ſit, A ſolitudine, quæ eſt ſuper ripam Arnon torrentis, & ipſo Opido, quod in torrentis valle ſitum eſt vſque ad Galaad. Cùm igitur ericeta greges optimè alant, & ſolitudinem maximè ſalſuginoſam & ſabuloſam ament, ſintque ab aquis adeò aliena, vt ad eas gramini locũ relinquant; quid ni ערער ericam eſſe dicam; minimè verò Myricam, quæ ad aquas dumtaxat creſcit? Iam in pſalmo centeſimo primo, vbi eſt, reſpexit in orationem humilium, vt eſt apud Hieronymum; vel, reſpexit in orationem vacui, vt eſt in alia verſione; legerem, Reſpexit in orationem ſolitudinis & deſerti; quia & eadem hic vox ſit, & ipſe Vates paullo antè, ſe deſertum eſſe, & in ſolitudine verſari, conqueratur. Quæ verò ſit Hebraicæ vocis origo, Grammatici diſcant. Ego, ſi Hebraica ſit origo, à ערה qua nudare ſignificatur, deriuabo: vt geminatione vocis maxima nuditas locorum ſignificetur, quæ ericetis veſtiuntur; quæ etymologia Myricæ ad aquas creſcenti non conuenit: mihi tamen magis arrideret, ſi conuerſo litterarum ordine, Ergrygh/ ſiue Erchrijch/ id eſt, malum regnum, diceretur: quem ſonum huius litteræ eſſe, pòſt docebo. Prauum enim & malignum regnum eſt, in qua ſolitudinis frutex

ſceptrum tenet: ita vt optima ratione ex Cirijck ſiue Cirijt Ergrijck factum ſit, propter elegantem vocum & rerum alluſionem. Ab Hei deriuatur vox Heienſce ſiue Heien/ pro iis, qui agreſtes ſunt, & in ſolitudine nati; vnde factum, vt omnes gentiles populos Chriſtiani Heiden appellent; eo quòd quicumque in Dei ciuitate non commorantur, tamquam ſolitarij, & ab omni felicitate deſerti cenſeantur; quos Latini paganos nominarunt, quoniam non militent ſub Chriſti ſigno. Atque hæc quidem ſatis de fabrica ſyllabæ Ei/ deque vocibus ab ea deriuatis. Eodem artificio à Ger/ quo cupio notatur, fit Geir/ quod eſt auarus: quia auarus vilis ſit parui & anguſti animi in rebus petendis. Nec alia ratione à Fer/ quod pulcrum ſignat, Anglis vſu frequentiſſimo detritum manat Feir/ id eſt, nimis minutè in quauis vel re, vel oratione, vel geſtu, ipſum pulcrum ambiens. Quia verò eius, qui de ſe loquitur, modeſtiam decet, ne magnum quid oſtentet: exilem hanc litteram ad primam perſonam applicatam videmus; cui ſi Cappa iungas, exilitatem infimis dentium radicibus extremitate linguæ contactis intra te concludes; ſic tamen, vt medio ipſius linguæ ad medium palati, quaſi ad polum quendam, vt ita dicam, conglobato ſignifices tibi curæ eſſe, vt te intra limites tuos ipſi ſphæræ cæleſti reddas conformem. Nihil vſquam otioſum artifex reliquit, ne in minimis quidem voculis fabricandis, ſed vbique vel rerum naturam, vel vtile aliquod humanæ vitæ præceptum iis intexuit. Allemani, & alij nonnulli altiore ſpiritu Ich dicentes, contendere videntur, vt huius flatus vehiculo ab hac incarceratæ tenebroſæque vitæ exilitate ſublimius attollantur. Hinc Græci & Latini ſuum Ego fecerunt, medium litteram pro tenui vel aſpirata ſubſtituentes: de cuius vocis ratione Nigidius quondam diſputauit ſatis quidem ſubtiliter, ſed ratione nec admodum firma, nec optimè explicata, quam de noctibus Atticis memini in ſuperioribus me recitauiſſe. Cùm igitur exilitas tenuitaſque, quam nemo non lubenter confitebitur, qui ſe ſuamque norit imbecillitatem, noſtrati vocabulo, atque eo monoſyllabo, exprimatur; & ea quidem intra ſe dentium radicibus concluſa, & mediæ linguæ conglobatione ad tutelam ſui, Erinacei more, contracta: quæ figura vt cælo nos ſimiles reddit; ita firmiſſima eſt omnium rerum cuſtos. Cedant nobis Græci & Latini de natalium huius vocis iure oportet: Ceterùm in hac vocula alia quoque ratio ſignificationis deliteſcit, & ea quidem potior de natura I & C petita; quorum hoc deſiderantis eſt, illud blandientis. Naturæ enim conſonum eſt, vt de ſe quiſque loquens inſinuare ſeſe alteri deſideret; quod per Ic expreſſum habemus: quandoquidem nihil aliud dicit, qui Ic dicit, quàm inſinuandi deſiderium, quod ex natura litteræ C perſpicuum reddetur: Et quia I inſinuantis, C rogantis, Angli priore littera ſola contenti ſunt, quod Hebræi quoque in coniugatione imitantur. Elementi porrò huius in notando vim præpoſitio etiam In declarat, quæ fit ab Een/ quo vnum ſignatur, per diminutionem; eo quòd omnia vno ſint minora, & in ipſo vno omnia comprehendantur: quemadmodum continens corpus contento maius eſt, vndique contentum complectens. Verùm multo magis in vno ſunt omnia, quàm in loco locatum: quoniam Vnum non tantū omnia continet, ſed etiam conſeruat, & ſic totum penetrat, vt quaſuis eius partes, quantumlibet ſint exiguæ & viles, complectatur atq. ſuſtentet: qua quidem ratione fit, vt Deus quoque in nobis eſſe dicatur: non quòd nos Dei infinitatem comprehendamus; ſed quòd immenſa eius potentia nos intimè penetret & conſeruet. Quamobrem In, non ſolùm ad locum, ſed etiam ad penetrationis ſubtilitatem ſignificationis ſuæ cauſſam refert: Et quia nihil ſubtilius, quàm ipſum vnum omnia penetrans, meritò & hac ratione In ab Een/ quod vnum eſt, deſcendit. Non eſt itaque leuis aut triuialis cauſſa, ob quam In ab Een/ per attenuationem vocalis, & maiorem ſubtilitatem formetur; tum quia & omnia in vno ſunt infinitis modis minora, & rurſus Vnum in omnibus ſit incomprehenſibili ſubtilitate, minimis minores partes penitus permeando: qua de cauſſa hoc vnum, ſpiritum, ob ſubtilitatem, non Chriſtiani tantùm, ſed Virgilius quoque nominauit:

Principio cælum, ac terras, campóſque liquentes,
Lucentemq́, globum Lunæ, Titaniáque aſtra
Spiritus intus alit.

Quo tamen ſubtilitatem augeret, atque vnius omnia penetrantis ſeruantiſque vim magis explicaret; Mentis nomen adiecit:

Totam-

Heien / Heiden / Heienſche.

Ger.

Geir.

Fer.

Feir.

Ic.

Ich.

Ego.

In.

Een.

Vnum omnia comprehēdit.

Vnum, Spiritum nominãt & Chriſtiani & ipſe Virgilius.

Totamq́ue infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Vni itaque, vt omnia intimè alit & conſeruat, ſpiritus nomen dedit: vt verò omnia internè mouet, mentis, qua nihil habemus vel celerius vel ſubtilius: quorum ad vtrumque ſignificandum vocalis Iota accommodatiſſima. Bona Pallas, quanta ſubtilitate primi nomenclatoris ingenium ad intima ſapientiæ penetralia peruaſit, dum ab Een/ præpoſitionem In, deriuaret! A noſtris igitur, apud quos origo inuenitur, præpoſitio hæc ad Latinos tranſiit: A qua Græci ſuum quoque ἐν fecerunt, deriuationis, quæ apud nos E in I mutauit, prorſus ignari. Hebræi ב pro in dicunt, quod videtur confuſione ſignificationis à noſtrati Bi factũ, quo Apud notatur: at hoc, vt vt ſit, id certè negari nõ poteſt, potiore ratione dici In ab Een/ quàm ב ad hanc notationem. Noſtras Bi/ fit à Be/ quod eſt oro; propterea quòd per orationem nos proximè accedamus ad illum quem orare debemus, & idcirco eum rogemus, vt ei inſinuemur. Et quia ex hac inſinuatione eſſe noſtrum dependet, Bin verbum eſt nobis in eadem ſignificatione, in qua Latinis ſum; quod alia dialecto, & alia quoque ratione, Ben pronuntiatur, ceu Bi—en dicas, id eſt, apud Vnum. Sed de hoc alibi. Quia vero I blandiendi inſinuandiq́ue vim habet, non ſolum Ic pro ego dicimus, ſed Di / pro Tu; quod illi qui contemtim quempiam alloquuntur, in Du vertunt, ne blandiri vel ſe inſinuare videantur: quam ruditatem imitati ſunt Latini. Græci lenius τυ & συ proferunt. Di igitur dicentes, blandæ vocis vinculo nos ei qui cum loquimur, alligamus, ex natura litteræ D, ratione deducta. In plurali numero Gi dicimus, vbi G facit, vt ad inſinuationem tendere videamur. Nec citra cauſſam D in G mutatum; quia nimirum vni facile ſit nos blanditiis alligare, ſed vt idem apud multos conſequamur, optare magis poſſumus, quàm aſſequi. Tertiam perſonam per I ſimiliter efferimus, Hi dicentes: vbi adſpiratio docet nos ad inſinuandum adſpirare. & quia natura nos voluit ad eam ferri vehementius, quàm Deus nobis ſociam dedit, in femineo genere Si dicimus, ſibilo loco ſimplicis adſpirationis accerſito, quòd illius, quàm huius, maior impetus ſit. Nec ab hac vocali in primæ perſonæ plurali numero recedimus, dum Wi dicimus, pro Nos: quo denotamus, latiſſimè inſinuationem hanc blandam proferri debere, omniumq́ue nobis amorem conciliandum eſſe. Iam quia hæc omnium inter nos blanda & amica inſinuatio per mutuum amorem latiſſimè per omnes homines patens nos Deo etiam conſecrat, Wi verbum idem eſt quod conſecro. At de hoc pòſt iterum. Porrò ſicut ipſum hoc I ipſi è blanditur, vt ſe inſinuet; ita Si etiam pro verbo vſurpatum, vt idem ſit quod Sum; blandiri videtur, & ſe inſinuare ipſi illi qui Se / id eſt, dicebat, & dicendo omnia faciebat. Sed hic myſterium ſeſe offert, quod latius alibi explicandum, quo tota creationis via, velut Mercuriali manu, indicatur. A Si/ infinitus modus Sin / pro eſſe, vocali producta: quæ dum corripitur, Sin ſenſum & intellectum indicat: cujus ratio non eſt ſimplex; cùm & à vi ſibili, & voce in, Sin idem videatur eſſe, quod vehementi ſpiritu ad rem introſpiciendam delatum; & rurſus Si in ſignificet introſpicio. Præterea Sin à Sen/ quod eſt, mitto, notationis cauſſam ducit; eo quòd nullus ſit nuntius ſubtilior, & altius omnia penetrans, quàm ſenſus, præſertim interior, & intelligendi facultas. In Si/ ſubtiliter pronuntiato, pro video, quis non videt quanta ſubtilitatis ratio habita ſit, & quàm ſibilus egregiè hic partes ſuas in ſignificando tueatur. Nullus enim ſenſus exterior ſubtilius habet obiectum, & quod citiùs omnia longiſſimè penetret. Hinc Si pro intelligere vſurpatur: & quia videndi facultate cælum intuemur, atque hinc opificem eius cognoſcimus; Si per veſtigia retro lectum, nos docet, quò per viſum & intelligentiam noſtram progredi debeamus, ad ipſum videlicet qui eſt, quod nobis Is dicitur. Verùm quia in his nullus exitus reperiretur; ſatius eſt hæc arcana in præſens obiter indicata, in aliud tempus deferre: ne in ſingulis litteris ingentia nobis volumina excreſcant. Penetrandi autem vis in I notata, in Pin vocali longa, quo dolor ſignificatur, luculentum habet exemplum: eo quòd nihil maiore vehementia corpus penetret, quàm dolor. Latini dum pœnam inde faciunt, notationis rationem amittunt. In Pil item pro ſagitta, quis eandem litteræ poteſtatem non agnoſcit; à qua voce, Pilum Romanorum. Infinitus ſim, ſi latitudinem huius litteræ perſequi velim; hic tamen, dum infinitum dico, in mentem venit Latinos peſſimè feciſſe, & omnino contra nominum fabricandorum

ἐν.
Bi/apud.
Be/oro.
Bin / ſiue Ben.
Di. Du. Tu.
Gi.
Hi.
Si/i. ipſa.
Wi.
Si/i. ſum.
Sin.
Si/video.
Is.
Pin / ſiue Pyn dolor. Pœna.
Pil. Pilum.

In privativa particula apud Latinos. On.

artem, dum ex In priuantem compoſitionis particulam fecerunt: quod illis accidit ex noſtro On/ è quo perperam In fecerunt, nulla diſcriminis harum in prima lingua vocularum habita ratione.

O litteræ ſymbolica ſignificatio. Oot vel Oit. Too/ vel Toe.

CETERVM quia iam ſatis exemplorum allatum, quo doceatur, cuius rei imaginem vocalis Iota exprimat; ad O, quartam vocalem, tranſitus fiat. Rotundum hæc ſonum habet, atque idcirco omnibus iis rebus conuenit, quibus cum rotundo aliqua eſt affinitas vel cognatio. Hinc oot vel oit idem eſt quod ab æterno, in quo, perinde atque in rotundo, neque principium eſt, neque finis. Conuerſa vox Too vel Toe duo ſignat: Aliquando pro Ad præpoſitione, aliquando pro clauſo, ponendum. Pro Ad vſurpatum ſignificationis hanc habet rationem, vt ea audita, moneamur, vltimum finem, qui æternus eſt & rotundus, perpetuò intuendum, & ad eum omnes actiones noſtras & omnia ſtudia eſſe referenda, quòd Tau vinciat cum æterno. Quare pro clauſo ponatur; erit apertum, ſi ſciamus, in O, ſiue æuo, ſiue mundi rotunditate, claudi omnia; atque

Doo/ vel Doe. *Doot.*

inde Too ad quæuis clauſa tranſire. Hinc Doo vel Doe pro facio, de priore ſignificatu, quo præcipitur, quicquid facimus, eo fieri debere, vt ad æternitatem nobis viam ſtruat, & cum ea nos vinciat. Eadem de cauſſa mors doot dicitur, quia per eam ad æternitatem tranſeamus. O fauſtum mortis nomen, & primùm pretioſiſſimæ morti Chriſti conueniens, quæ ſola ad æternam vitam mortales transferre poteſt. D & T Platoni vinciendi rationem habent; quibus duobus vinculis nomenclator in hoc nomine æternitatem concluſit, vt indicaret, æternitatem morti arctiſſimè eſſe deuinctam. Vtinam hanc diuinam vocem illi examinarent, quos non pudet profiteri, nullum nobis ſenſum poſt

θάνατος.

mortem eſſe. Græci θάνατος dicunt, ab Ana/ quod perpetuum circuitum notat, quo ipſum illud ſignificatur, quod ad æternitatem tendit, & eo vſque pertingit, ceu articulo integro dicas, Het-ana-to/ & contracta voce, Thanato. Hebræis מות mori notat, & cum aliis punctis mortem; quod crediderim factum à Mort/ Vau pro Res ſubſtituto, vti

March/ ſiue Marg. Mort. Mart.

in מות quoque videmus pro March ſiue Marg medullam ſignificante. Nobis non quæuis mors Mort dicitur, ſed violenta; quo fit, vt imperitè Latini & Græci hoc vocabulo vti deprehendantur, etymologia prorſus repugnante, quæ à Mart/ id eſt, penitus confringit, ducenda. Doot verò & θάνατος priſcam primorum parentum fidem de animorum immortalitate pulcerrimè demonſtrant. Eadem ratione Hoot rotundam litteram

Hoot.

adſciuit; vt cùm rotunditas capitis, tum primi omnium capitis æternitas ſignificaretur. Hinc Thoot apud Ægyptios, præpoſito articulo, id eſt, ipſum caput; de quo alibi plura. Ex O rotundum ſignificante, & M rotundum ipſum in ſe volutum notante, eo quòd

Om. *Am.* *ἀμφὶ.* *Rom.*

clauſo mugiat intus ore, vt Terentiani verbis vtar, componitur vocula. Om/ quæ circum, vel in circuitu, vertitur Latinè: Ga om/ id eſt, circum eo. Om loop/ circularis curſus. Latini in Am mutarunt, quo in compoſitis ſolis vtuntur. Græci hinc etiam ἀμφὶ ſuum traxerunt, neglecta rotunditatis ſignificatione; quia A rectum potius, & quod è recto fit, quàm rotundum aut circulare ſignet. Ab hac vocula Om/ Rom fit, quo id notatur, quod cito ſe circumagere poteſt: vel de natura litteræ caninæ, quæ validam motionem ſignat; vel de compoſitione ex Ra & Om/ id eſt, ex celeritate & facilitate in omnem circum partem; quam qui habet, validus eſt atque potens: quo fit, vt

Mor. Roem. Mort. Mors. Mart. Mars. Mortarium. Moer.

Rom pro robuſto & valido ponatur. Contrarium eſt Mor/ illud videlicet, quod eſt ad ſe in circuitu vndique tuendum imbecille. Ab illo Roem fit, pro iactantia virium & valoris. Ab hoc Mort/ pro violenta cæde, occiſione & interitu. Vnde Latinis Mors. Hinc Mart pro eo quod eſt frangere & conterere; à quo Mars, pro Deo belli. Ex eodem fonte Mortarium, quod nobis Mortier dicitur. Hinc Moer pro terra molli & ad greſſus ſuſtinendos infirma, qua voce paluſtria & vliginoſa loca intelligimus; qualia qui habitarent Belgæ Morini à Latinis; nobis Moeringen ſunt vocati. Quocirca Rom & Mor con-

Ῥωμή. *Romulus vnde dictus.* *Hul.*

uerſione ſua ſatis oſtendunt, ſe noſtræ linguæ originem debere. Hinc Ῥωμή; hinc Romulus, à Rom & Hul/ quo is ſignificatur, qui potentiam habet populi tuendi, ipſius populi ſuffragiis & voluntate confirmatam; cui tyrannus opponitur. Hul fit ab Hui-eel ſyncoptôs, quod eſt idem ac ſi dicas, nobilitatus, ſiue euectus ad populi cuſtodiam

Romus vnde dictus.

& tutelam. Fratri ab eodem Rom/ nomen fuit Romus, vt Græci ſcribunt; ſed huius robur ad populum tuendum non fuit admiſſum.

Ex eadem analogia conuerſionis in Rom & Mor animaduerſæ, liquet Hebreos à nobis ſuum

ſuum רום & cognata vocabula habere, minimè verò contrà, nos ab illis. Aurum item *Aurum vnde dictum.*
Latini ab hac voce retinuerunt, quaſi antiquum robur diceretur. Quamuis autem **Rom**
in vſu eſſe deſierit, in compoſitis tamen & deriuatis ſignificatio eius retinetur, vt in
Rommel & **Rommeler**. Hinc & **From** conſtructum, quaſi **fer-rom**/ quo pulcer & validus *From.*
notatur; ex qua voce Herodotus Πύραμος fecit, Græcè καλὸν κ'ἀγαθὸν interpretatus, in
quo pro **Fer** καλὸν; pro **Rom** ἀγαθὸν poſuit. **Fer** enim pulcrum notat, Anglis hactenus *Fer.*
notum, à quo **Fier** nos retinemus. De hac re alibi ſatis. A **Rom** fit **Ram**/ pro ariete, ob *Fier.* *Ram.*
capitis ipſius robur: & nobis **Rammelen**/ pro eo quod eſt vim maſculam exercere. Hinc *Rammelen.*
Room pro lacte è quo caſeus & butyrum non ſunt expreſſa; quia nutrimentum ſit vali- *Room.*
diſſimum. Quamobrem quoque Roma, Cimbricum nomen, habet maximam poten-
tiam, ab ipſis eius primordiis ominatam. Ab **Om** item fit Vol-omna, ceu **Wol-om** dice- *Volomna*
retur, id eſt, bene rotans, ſiue rem bene circumuoluens: quæ ſignificatio quid aliud in- *dea.*
dicat, quàm deam hanc Dei volútatem eſſe, felici ſucceſſu hominum actiones voluen-
tem. Sic autem non Voltomnam ſcribi oportere, ex Volomniorum nomine mihi per-
ſuadeo. Fuit huius deæ fanum in Etruria, ad quod duodecim regionis populorũ comi-
tia non rarò haberi ſolent; ea videlicet de cauſſa, vt Dei voluntas omnia voluens, & om-
ne rotans fatum, conſilia ad bonũ & vtilem Reip. finem deduceret. **Wol** idem eſt quod *Wol.*
bene, à verbo **Wol**/id eſt, vellem; quia omnis voluntas ad bonum aliquod, ſiue verum,
ſiue apparens, tendit. Hoc conuerſo, & duplici hac in f mutata, fit **Lof**/ quaſi **low**/ pro *Lof.*
laude; quia quidquid bene fit, ſit laudandum. Eſt itaque **Lof** ichnæum vocabulum, ex
Wol/ à quo Latini ſuum Volo habẽt, & Græci βούλομαι. A **Lof** fit Laus, vt modò dictum. *Volo.* *βούλομαι.*
Eadem mutatio w in f eſt in **Wil**/id eſt, Volo; & **Lif**/quod nunc **Lief** pronunciamus per *Laus.*
diphthongum, vt geminam habeat notationis rationem; alteram, quia quidquid volu- *Wil.*
mus, amicum ſit; & è conuerſo, quidquid amicum, id nobis velimus: alteram, vt offi- *Lif, ſiue Lief.*
cium amici oſtendat, ceu **lief** fiat ex **li-hef**/ quod eſt, moleſtias & dolores leuare. Ami-
corum enim index & iudex eſt aduerſitas, non ſecus atq. Lydius lapis auri. Volomnus
itaque & Volomna præſident proſpero rerum ſucceſſui: cum quibus idem videtur Vor-
tomnus fuiſſe; de quo ſatis multa in Propertium ſumus commentati. hic ſatis eſto, *Vortumnus.*
dixiſſe, Vortomnum dici à **Voꝛt**/ quod eſt proſperare, ſiue ad anteriora promouere.
Voꝛ enim eſt ante; **Voꝛt** ſiue **voꝛter**/ & **voꝛder**/ vlterius: hinc Latinis per metatheſim, & *Voꝛ.*
mutatione V in P, Pro. Ordo tamen litterarum ſeruatus eſt in Porro Latinis & Græcis *Voꝛt.* *Pro.*
vſitato. Nos item **Poꝛren** dicimus, pro eo quod eſt aggredi, & ad anteriora promouere. *Porro.*
Hinc **Poꝛt** nobis, & Latinis porta; qua voce monemur, neque domum, neq. ciuitatem *Poꝛren.*
egrediendam, niſi eo propoſito, vt res noſtras promoueamus vrgeamuſque. hoc ſym- *Poꝛt.* *Porta.*
bolum Meſſicani pro exordio anni in ſuis calendariis pinxerunt, valde ſanè accommo-
datè, ad vocis Porta originem. Ab eadem radice **Poꝛ** fit Porto Latinorum; quia quod *Porto.*
portatur, inſigniter promouetur. Quid V in **Voꝛ** ſignificet, ex Martiano Capella patet;
qui ore conſtricto, & labris prominentibus, V proferendum tradit: ita vt **Voꝛ** motum
notet ad anteriora tendentem; cui **Oꝛ** additum indicat, omnia eò eſſe promouenda
vnde omnibus rebus eſſe profluit. **Oꝛ** ex O, quo rotundum & perpetuum; & R, quo *Oꝛ ſiue Ooꝛ.*
fluxus notatur, compoſitũ, illud principium ſignificat à quo omnia procedunt, quodq.
ipſum ab æterno proceſſit, & procedet à patre. Hinc **Oꝛ** pro filio etiam ponitur; vt cùm
dicimus, **Hi ſterf ſonder Oꝛ**/ id eſt, moriebatur ſine prole relicta. Qua, rogo, voce æternũ
æterni patris filium, ante omne tempus ab æterno genitum, rectius notes, quàm ſi ro-
tundo ſono litteram fluxus indicem addas? Quoniam autem filius hic omnia creat,
omnibuſque principium eſſentiæ dat; factum eſt, vt **Ooꝛ** pro omni exordio ponatur, vt
cùm dicimus, **Ooꝛſpꝛonc** & **ooꝛſaec**; à qua voce Latinorum Orior & Origo. Ex eodem *Ooꝛſpꝛonc.*
fonte Hebræi מקור habent, quo principium & originem deſignant. **Mac-coꝛ** enim ad *Ooꝛſaec.* *Orior.*
verbum eſt faciẽdi exordium, à **Mac**/ quod eſt facio; ita vt nihil aliud ſit **Mac-coꝛ** quàm *Origo.*
origo rerum faciendarum: qua voce cùm alia, tum infinitiuum ſuum nuncuparunt, *Mac-cor.*
quòd ex eo reliquos modos fieri exiſtimarint; quàm bene, ipſi viderint, cùm radices in
præterito perfecto indicatiui modi quærunt. Ab eadem voce **Oꝛt** fit, & Ordo, & **Hooꝛt** *Oꝛt.*
& ὄρος, & cetera inde formata; de quibus antè. Vox verſa **Ro** contrarium indicat in **Rot** *Ordo.*
quod eſt corrumpor, vel corrumpo; à quo militaris cohors **Rot** vocatur, quia ad deſtruẽ- *Hooꝛt.* *ὄρος.*
dum corrumpendumque omnia ferè comparetur. Ab **Ooꝛ** originem & æterni patris fi- *Rot.*
lium

lium notante, auditus organum Oor vocatur; quia illud in primis audiendũ & diſcendum verbum, quod erat in principio; & quidquid audimus, ad illud principium referendum: hinc illud, *Ipſum audite.* Latini ex Oor, aurem fecerunt; & ex aure, audio; quaſi aurio. Qui igitur aures noſtras inſtruit, & earum vim omnem ad Verbum æterni patris, quo omnia creata ſunt, dirigit; is Oor fuecht vocatur, à quo Græci Orpheus fecerunt, diphthongo *ue* tranſpoſita in *ευ*. Fuecht autem fit à Vueg / quod eſt compono, ordino, accommodo, diſpono: ſic, Got ſalt vuegen/ſiue fuegen/ id eſt, Deus diſponet. Hinc Fuechdom pro bonis ſuperioris alicuius principis diſpoſitioni obnoxiis: è quo Latini Feudum fecerunt, mutata diphthongo qua carent, in eam quam habent, ſolo vocalium ordine mutato. Iperenſes hactenus ſupremum ſuum magiſtratum Fuecht ſiue Voecht appellant, argumẽto & indicio certiſſimo, hac voce eum notari, penes quem ſummum ius eſt, rerum ordine ſuo diſponendarum dirigendarumque. Hinc & illud eſt, vt tutores quoque pupillorum, & cauſſarum patroni eadem voce denotentur. Quamuis verò ſatis clara hæc nominis ratio ſit, & facilè potuerit vel G vel Ch eximi; in eam tamen partem pronior ſum, vt Orpheus à Phue, quod alij Voe dicunt, deriuetur, atque is dicatur hoc nomine qui auribus nutriendis præeſt. Neq. enim è ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo quod procedit ex ore Dei. Quoniam verò non alio ad vltimum felicitatis finem dirigimur, quàm Dei verbo, idq. vnicum ſit pabulum animorum; voluit architectus linguæ noſtræ primus Orpheus, vt Voege ſiue Vuege idem eſſet quod diſpono, ordino, dirigo; quaſi diceret, Voe-ge/ id eſt, alimentum do, ſiue do vt alaris. Qua de re intelligitur, illam demum veram eſſe humanæ vitæ diſpoſitionem qua verum animorum pabulum, ipſum videlicet verbum Dei, nos ad vltimum bonorum finem dirigit. Nihil itaque, aut perparum intereſt, ſiue à Phue, ſiue à Phuege Orphei nomen manaſſe dicas. Hinc apud Græcos ποιμὴν, quaſi Phoiman dicas, nõ ſolùm ouium paſtorem, ſed regem etiam Homero ſignificat. Videmus itaque quod ſupremũ aurium officium ſit habendum, illud nimirum, vt in primis audiamus verbum Dei, id eſt, ipſum totius vniuerſitatis mundanæ & ſupermundanæ creatorem, & ad illum ſemper arrectis auribus tendamus. Hac de cauſſa aures in acumen ſurſum arrectæ Satyris, Bacchi auditoribus, dantur; quo monemur, in omnibus verbis quæ audimus, ipſam primam omniũ rerum cauſſam eſſe quærendam, eoque ſurſum aures in acumen erigendas. Ariſtoteles in iis quæ de ſenſu & ſenſato ſcripſit, auditum magis neceſſarium ad mentem & intellectum, quàm viſum, eſſe dicit; & plurimùm conferre ad prudentiam & ſapientiam: quia omnis doctrina verbis & nominibus conſtet; quæ ſunt notionum, quibus res apprehendimus, ſymbola. Quòd ſi bonus hic magiſter noſter cognouiſſet aurẽ ab æterno æterni patris filio, verbo inquam, quo omnia facta ſunt, nomen ducere; quantum putamus voluptatis perſenſiſſet, quantis laudibus diuinum nomenclatoris ingenium extuliſſet, quàm auidè ſurſum ad ens ipſum vnius filium euolaſſet! Quæ, rogo, ſatis magna ſint præconia huius linguæ, in qua auri, & ipſi Verbo, patris filio, & primæ omnium rerum origini, vbique auribus hauriendæ atque quærendæ, idem nomen datum videmus. Iam igitur tandem omnes Satyri & Sileni aures arrigant, & Orpheum aurium paſtorem, moderatorem & directorem auſcultent; quò in omnibus nominibus, & fabulis omnibus, ſemper id quærant quod cum auribus idem nomen habet; per Oor/id eſt, aurem, ipſum Oor/ id eſt, omnium cauſſam & exordium intelligentes. Audi, quæſo, in Oor æternitatem genituræ filij à patre per O & R ſummo artificio ipſis elemẽtorum ſonis depictam; deinde audi & illud, ab hoc æterno principio omnia defluere; quod tremulus vibrantis plectri ſonus Platoni indicaret. Perge porrò & illuc, vt humanæ auris non quoſuis ſonos, ſed verba notionum quibus res comprehendimus, teſſeras, obiecta propria exiſtimes; atque inde cogites, ipſum Oor/ id eſt, primam cauſſam, neceſſariò verbũ ei fuiſſe iudicatum, qui monuit hãc primùm audiendam. Niſi enim verbũ eſſet, quî, rogo, audiretur cum intellectus vtilitate? Viden' ergo quorſum hæc tendãt, quæ de cõmuni auris & originis nomenclatura colliguntur: imò potius, audiſne eidem origini & verbi nomẽ propriè conuenire, & eidẽ etiã conuenire, vt æternus æterni patris filius vocetur? Verbum Cimbris Woort dicitur, à Woort verbo, quod ſignificat Fio, vel eſſe accipio, in medio ſui Oor comprehẽdens. quod ſic eſt litteris ſuis compoſitũ, vt maxima latitudo per duplex Digamma notata Patris perſonã indicet, Oor filij æternam poteſta-

Auris.

Orpheus vnde dictus.

Feudum.

Voercht *ſiue* Fuercht.

Voege *ſiue* Vuege.

ποιμὴν.

Aurium ſupremum officium.

Satyris quare aures arrectæ dentur.

Woort.

Trinitatis myſterium.

poteſtatem ad omnia creata maxima vi deſcendentem , Tau, quæ vltima littera, ſpiritum ſanctum ſignificat omnia amoris glutino deuincientem . Nihil enim fit,ad quod non tres perſonæ concurrant. Sed hoc myſterium obiter hic tactum ſuo loco latiùs explicabimus; ſi is cuius hypoſtaſes attingimus, id fieri permittet. Quemadmodum igitur filius perpetuum eſſe à perpetuo patre perpetuò accipiens rectè Oor vocatur; ita rurſus optimè vocatur Wort/ quo eadem generationis ratio denotatur clariſſimè: quam rerum & vocum congruentem affinitatem fruſtra in vocibus Græcis & Latinis venareris. Sciuerunt quidem veteres illi Philoſophi , magna myſteria in verbis latêre, vt ex laudata modò Ariſtotelis ſententia , & Platonis Cratylo quiuis animaduertit; ſed quæ lingua hæc verba conſeruaſſet, ignorarunt ad vnum omnes. Primus ſanè noſtræ linguæ architectus meritò Orpheus dicendus, cùm in omnibus aliis, tum in his maximè verbis Oor & Woort/ quorum hoc ichnæum eſt, id conuerſum indicans, quod ipſi verbo Patris debetur. Trow enim idem eſt quod fido; vnde liquet omnem hominis fiduciam ad verbum tendere debere: nec fidere ſolum denotat, ſed idem etiam eſt quod credo; indicans hoc ſuo gemino ſignificatu, huic ſoli verbo credendum eſſe atque fidendum. Quamobrem Trow ex Woort conuerſum, dum verbum eſt,in agendi ſignificatu idem eſt quod fido & credo; at dum nomen eſt, fiduciam notat & fidem. Sed de hoc alibi. Nunc itaque qui habet aures ad audiendum, audiat, qua voce Verbum Cimbris vocetur; quod vbi intellexerit, mox nouerit ſummum Chriſtianæ religionis myſterium eo ſignari, & tam copioſè, tam variè , tam dilucidè ſignari; vt nihil queat humana mens cogitare præſtantius, nihil ſublimius, nihil ad ſalutem magis neceſſarium. Woort enim primum conuenit ipſi filio , quia is æterna generatione eſſe à patre accipit . Quemadmodum autem filius ex patris abyſſo omnia creat, & reapſe oſtendit, quantum in eius tenebris deliteſcat diuitiarum: ita ſermo noſter mentis noſtræ ſecreta depromit, atque idcirco Woort verbum etiam noſtrum ſignificat. Cùm enim nomenclator eadem voce in diuinis & humanis vtitur; tum eam ſic facit,vt priore atque potiore iure conueniat diuinis, quàm humanis ; quo ſuo artificio deſcenſum idearum ab archetypo imitatur. Eodem modo eademque ratione, eadem vox conuerſa, prius filio æterni patris attributa eſt ; quàm ei quod in nobis ita nominatur. Filius enim ſic omnem in ſe continet veritatem, vt ſeipſe Veritatem appellet; quoniam ab eo omnis rerum veritas dependet atque continetur. Quid enim aliud eſt Veritas, quàm prima cauſſa, omne rerum eſſe, omnemque earum eſſentiam cuſtodiens? quam definitionem linguæ noſtræ faber indicauit, dum eadem voce War/ verum, & cuſtodio,notauit;quaſi diceret, Ipſum verum omnia cuſtodire atque conſeruare. Sed de Trow alibi quoque dicendum, nec id vno loco. Deus itaque, iuxta hanc exquiſitam vocum inueſtigationem, Trow dicetur;quia omnem rerum veritatem continet: & is qui ei credit, Trow item vocabitur; eo quòd ipſum verum omnia in ſuo quodq. eſſe cuſtodiat, nec fallere vllo modo poſſit. Ichnæa ergo conuerſio docet, ſoli verbo quod Wort dicitur, credendum fidendumque eſſe. Iam Trow etiam idem notat quod matrimonio iungo ; de qua notione illud intelligitur, Deum filium humanum genus ſibi, tamquam ſponſam ſuam, coniugare. Sed de hac re aliàs. Oor itaque & Woort filio eadem ratione tribuuntur,quia ſcilicet ab æterno gignatur: quod nos licet vtraque voce æquè intelligamus; alia tamen in hac, alia in illa myſteria panduntur. & in hac quidem illud in primis admirandum, tam diuinum fuiſſe nomenclatorem, vt ad aurem denotandam ea voce vteretur, qua moneremur, quò omnis auditio tendere debeat; perinde atque dixiſſet, non eſt auris officio ſuo functa, niſi ſuum audiat creatorem . Audio porrò Hoor dicitur , adſcita adſpiratione; quæ monet itidem, aurem in audiendo ſurſum, ad ipſam omnium rerum originem , & æterni patris filium, arrigendam. Verùm cùm latiſſimè per ſacras litteras huius ſymboli vtilitas ſeſe diſtendat, & iis perpetuò ad audiendum Dominum moneamur & incitemur; non eſt quo diutius Orpheus eſſe pergam in auris nomine explicando . Diſcant nunc ſaltem hic Græci, diſcant Latini, quis Orpheus ſit, & quorſum omnis fabularum contextus, huic auctori tributarum , contendat; quamque longè frequenter cùm poëtæ, tum eorum interpretes, à veritate aberrarint. Nec me poſthac vel rideant, vel explodant; dum in Ogeniis figmentis enucleandis, ad Chriſtum Dei filium quàm plurima referri, & totam ferè religionem iis contineri, demonſtro: quod ſi vmquam aliàs, nunc

Trow.

War.

Hoor.

certè maximam habet vtilitatem ad Chriſtianæ fidei antiquitatem arguendam; eo quòd in tanta hæreſeôn varietate & peruicacia, in tam denſis offenſionum periculoſiſſimarum ſalebris, in tam craſſa mentium humanarum caligine, quæ totæ carnis tenebris ſunt ſepultæ, in tam gelido pietatis & amoris frigore, verendum ſit, ne multi, religione vera deſerta, ſolis externis ritibus Chriſtianos ſe præſtent; ne illud quidem facturi, niſi fiſcum, faſces, ſecures, ignes, & ſi quid grauius, timerent. Vides itaque, quiſquis es, quàm conueniens nomen ſupremo Theologorum datum ſit, vt aurium nimirum paſtor, gubernator moderatórue dicatur. Si enim aliarum in communi hominum conuictu rerum, quo iuſto ordine diſponantur, præfectos eſſe decet: quanto magis opus erit magiſtro, ad eum ſenſum gubernandum, qui ad diſciplinas capiendas, Peripateticis, ad ipſam primam omnium cauſſam, in omnibus verbis audiendam, Cimbrico, quiſquis is fuerit, nomenclatori comparatus videtur? Sicut iter ignotum ingreſſuro opus eſt vel manu Mercuriali, vel duce; ſicut naui per immenſa Oceani ſpatia ventis vela daturæ opus eſt perito gubernatore: ita & in hoc immani verborum abyſſo, & latiſſimè patente diſciplinarum orbe, oportet inſignem habere itineris præmonſtratorem, cuius ductu, non ſecus ad ipſam omnium rerum originem, quàm Magnetis tractu ferrum ad Septentrionem, dirigamur. Et quia nullus in vita mortalium error periculoſior eſt atque capitalior, quàm à vero ſcopo in diſciplinis diuagari: prudētiſſimè nomenclator ſic aurē, ſic auris moderatorē vocauit; vt ipſo nominū monitu quiuis intelligeret, in omni verbo audiendo ad ipſam primam omnium rerum cauſſam mentem ſubuolare debere; vt nimirum illic pabulum ſibi proprium carpat. Eò enim omnis directio & moderatio aurium ſpectat, vt alimentum verum & ſolidum animo ſubminiſtrent: vt etymologia ipſius Ohuege/ quo diſpono denotatur, clariſſimè demonſtrat. Iam verò quo aures ſurſum ad cibum ſuum erigendas eſſe, magis etiam & luculentiùs doceret; dum ipſum Audio voce Cimbrica Hoor exprimit, adſpirationem adiicit, ad aurem eleuandam. Totus itaque, quàm latè patet, quoquo verſus ſe extendit, quicquid ambitu ſuo complectitur diſciplinarum orbis; feudum eſt, vt ſic loquar, & pabulum ipſius Orphei; nec quiſquam citra huius diſpoſitionem in illius poſſeſſionem eſt admittendus. Neque eſt ſtolidè cum vulgo credendum, vnum aliquem Orpheum fuiſſe, certo tantùm ſeculo & ætati conceſſum. Tot fuere Orphei, & tot hactenus ſunt, quot aurium formandarum euehendarumq; ad proprium nutrimentū, quod primum & ſummum rerum eſt exordium, reperiuntur magiſtri. Quemadmodum autem Ægyptij, teſte Iamblicho, quicquid de rebus diuinis vel ſcriberetur, vel in ſermone hominum eſſet, Mercurio ter maximo adſcripſerunt: ita Thraces & eos imitati, primi Græcorum Poëtæ fabulas ſacrarum diuinarumque rerum laruas Orpheo tribuerunt; quamuis, ſi quiſquam primus

Orpheus ante diluuium Adam, poſt diluuium Nochus, & poſt hos Chriſtus ipſe fuit.

ſit inter mortales quærendus Orpheus, is ante diluuium Adam fuerit, & poſt diluuium Nochus; quibus omnia omnium ſacrorum, omnium diſciplinarum meliorum principia debemus; & poſt hos, Chriſtus ipſe veriſſimus Orpheus, & is ſolus, ad quem omnia Orphica referuntur. Eiuſmodi virum Ariſtoteles in Politicis ſibi finxit; eiuſmodi aliquem fuiſſe, tradit non vno loco Socrates, quem vult non ab alio quopiam priore homine, ſed ab ipſo Deo omnem doctrinam de diuinis rebus accepiſſe; qua confeſſione, mundi exordium ſtatuiſſe, vt antè dixi, conuincuntur. Quæ autem Orphei nomine citantur, ea diuerſorum fuiſſe auctorum, in Suida licet videre; quòd hic prolixiùs docere non eſt propoſiti noſtri, cui ſufficit, ſi intelligatur, Orpheum, aurium ad primam cauſſam & Verbum ipſum, à quo mentes eſſe ſuum accipiunt & pabulum, dirigendarum, de nomine ſuo ius habere. Ceterùm ſat modò explicata eſt ea ratio, atque ſubducta; ad quam nomina prima ex O formata, ſint ad rerum notiones exigenda & accommodanda.

V litteræ ſymbolica ſignificatio.

RESTAT, vt de V quoque vſu in vocabulorum compoſitione dicamus; & id quidem promiſcuè, ſiue vocalis ſit, ſiue conſonans, ſiue ſimplex, ſiue geminata, ſiue longa, ſiue breuis, ſiue etiam ſuo proprio, ſiue Græcæ diphthongi ſono proferatur. Vt enim ſciam, hæc diſcrimina nō paruam cùm ad huius, tum ad aliarum vocalium vtendarum modum adferre diuerſitatem; nolo tamen tam curioſus hîc eſſe, vt hanc mihi putem perſequendam infinitatem, in qua & ingens labor res minutas vel nulla, vel exigua & contemnenda vtilitate perſequeretur, & tædio lectores enecaret. Non arduum fuerit

ex iis

ex iis quæ ad typum primum conferemus, de reliquorum moneta ſimiliter exiſtimare, & cenſuram ferre : quam admonitionem licet non addidiſſemus, ſuccurrere tamen cuiuis ex iis quæ prius dicta ſunt, debuiſſet. Sonum igitur quintæ vocalis ex O incipere, & ex eius compreſſione labra ad anteriora porrecta diducere, modò declaratum. Hac igitur è rotundo labiorum diductione, & ad anteriora porrectione, latitudo, & longitudo, & conſequenter duratio exprimi videtur: propterea quòd eiuſmodi figura angulus ſit exterius nullo fine concluſus. Solum itaq. V pronuntiatum, quod quia longum eſt, *U / pronomē* duplici ferè ſcribimus figura, vt ſit *uu*, datiuus eſt, & accuſatiuus, & ablatiuus pronomi- *ſecundæ perſonæ.* nis ſecundæ perſonæ, vt, *Ick geef uu / ick leer uu / ick leer van uu* / id eſt, do tibi vel vobis, doceo te vel vos, doceor abs te vel à vobis. Eſt tamen propriè pluralis numeri, modeſtiæ, vel potius adulationis fœdæ cauſſa, ad ſingularem tranſlatum. Significanter ſanè hic ſonus à nobis ad ſecundum exterius tranſit, apertiore via, quàm vt ſit prolixius oſtẽdenda. Eandem vim habet V conſonans in *Van*. Cùm enim *An* Ad ſignificet inter ce- *An.* tera, cui in hac notione ichnæum eſt, non contrarium, ipſum *Na*, pro eo quod eſt pro- *Na.* pinquum, *Van* remouendi habet notationem non aliunde, quàm ex natura litteræ V *Van.* conſonantis. quod exemplis declarare vbique in omni ſermone obuiis, nihil aliud ſit, quàm operam perdere. Illud interim non indignum admonitu, ex *Van* elongante per conuerſionem fieri *Nau* / quo id ſignificatur quod proximè accedit & ſtringit. Hinc *Nau.* Nauo Latinorum, pro eo quod eſt rei cuipiam ita inſtare, vt videaris vrgere & con- *Nauo.* ſtringere. A *Van* fit *wan* / quo ſignificatur inſtrumentum quo omnia ſuperflua, paleæ *Wan.* præſertim & acus, à frumento procul euentilantur: qua de voce Latini Vanni nomen *Vannus vnde* habent. Duplicamus nos conſonantem, quo frequentia repulſionis indicaretur; quam *dicta.* notationis vim Latini, quòd hoc elemento carerent, exprimere nequiuerunt. Ex hac vocis ratione Vanni Bacchicæ ſymbolum facile redditur explicatu; quo Sileni, Satyri, *Vannus Bacchica.* Mænades, Mimallones, Tityri, & totus reliquus Dionyſij comitatus monebatur, vt in omni vita, in omni actione, in omni ſtudio, in omnibus cærimoniis & ritibus diligentiſſimè inutilia, & nihil ad Bacchum facientia, à veris fructibus ſecernerent, & procul ſegregarent : cuius in ſacris tanto maior ratio habenda, vt niſi ritus externos diligenter excutias & euentiles; numquam ſis ad veros ſolidæ religionis fructus peruenturus. Iam quòd in ſacris ſuis præeundo hac teſſera commonſtrant ſacerdotes, ad omnes actionum ſtudiorumque rationes pertrahendum, longeque ſemper eliminandæ & proiiciendæ inanes paleæ & glumæ, quò ſinceris puriſque tum ſacrorum, tum totius vitæ fructibus gaudeamus atque bacchemur. Hæc potius myſtica vannus Pierio, quàm grauis attrita dependens cantharus anſa, fuiſſet explicanda. Sed ſobrius, ne dicam ieiunus, Hieroglyphicorum interpres hos delicatos vanni fructus necdum deguſtauerat; tametſi à Mantuano poëta ad puras has dapes fuiſſet inuitatus. Varro ineptus, qui Vannum, quaſi vallum, à volatu aceris, dici exiſtimat: quandoquidem clariſſima ratio docet, à ſecernendis remouendiſque ſuperfluis & inanibus, & nomẽ & ſymboli locum datum fuiſſe. Ne tamen in Vanno vanni monitionem negligamus, relictis quę de Romanorum antiquitatum monumentis huc adferre poſſimus, aliis operam noſtram nauemus; & eos ſanè rideamus qui hoc verbum Nauo à nauibus deducunt. *Nau* enim ab adſtringendi *Nauo.* arcteq; adiungendi notatione, quam per conuerſionem ex *Van* eſt adeptum, ad eum *Nauus.* tranſit, vt attentum ſignificet, generatimque eum qui rei cuipiam totus totis viribus *Nauis.* inhæreſcit; vnde Nauo & Nauus; nec aliundè Nauis & Ναῦς Græcorum venerunt. Ma- *Ναῦς.* gna eſt enim, & termagna, cauſſa, vt Nauis à *Nau*, & conſequenter à *Van* nomen acceperit. In primis enim quæ machina inter omnes quas hominum induſtria ſibi parauit, arctius coniungi compingique poſtulat: deinde qua in re plus cautionis, plus diligentiæ, plus attentæ curæ ponendum, quàm in ea in qua ſi quid negligatur, non vnius, ſed plurimorum, & facultates & vita non ſolùm periclitantur, ſed crebris exemplis prorſus extingui ſciuntur. Qui ergo à *Nau* naui nomen fecit, næ is nauiter operam ſuam in hoc officij genere nauauit, omnem curam ac ſollicitudinem ad nauem compingendam & inſtruendam requirens. Vbi porrò nauis ita naua ſedulitate omnibus rebus neceſſariis eſt inſtructa; hic eius eſt vſus, atque hæc eius facultas, vt ipſa nullum adiumentũ magis idoneum ſit ad longè diſcedendum; quod per *Van* notabatur. In hoc igitur ſignificatu ichnæum eſt vocabulum, conuerſione vſum ſui deſignans. Iam nauis etiam cùm

anguſtam

anguſtam præbeat habitationem, vtpote tota aquis cincta; tum hoc præterea proprium ſibi & peculiare habet, vt anguſtias animi maximas & frequentiſſimas mortalibus adferat; vectoribus quidem & nautis, ne pereant; mercatoribus verò, ne mercium iacturam faciant, metuentibus: quibus ſi principum & ciuitatum timores addas quibus tenentur, cùm claſſes mari, & ventis, & dubiis prœliorum caſibus commiſerunt, egregia acceſſione, cauſſarum ob quas à Nau fit ναῦς & Nauis, momenta auxeris; eo quòd hæc omnia exigua hac vocula Nau ſignificantiſſimè explicentur. Hinc deinde fit ναῦλον, & Latinis Naulum, pro vecturæ naualis pretio; quod qui negabit à Nau-loon noſtrati voce, qua nauis merces ſignatur, deduci; ei neſcio quid poſſit probari. Quamuis igitur hoc tempore Nau pro Naue vix ſit in vſu; licet tamen de poſtulatu meo vocem hanc poſtliminij iure in ciuitatem Cimbricam reuocare; & videatur alioqui Nach à Nau deriuari, quæ vox ad Rhenum eſt vſitatiſſima. Nobis nunc vocabulum Scip pro eo eſt in vſu, à ſceppen/quod eſt formare; & alia notione, aquam vel alium liquorem capere ſiue haurire: cùm propterea quòd nullæ machinæ ab hominibus, quàm naues ſint, maiores fiant; tum quòd ipſe omnium creator, quem Schepper vocamus, primus fuerit nauis architectus, dum Nocho arcam compingendam præciperet, omnem eius menſuram delineando & præſcribendo. Scheppen enim eſt creare & formare de rudi materia: quod vt primùm Deo conuenit, ita per excellentiam nauis fabricationi accommodatur; idque eo maximè, vt ſemper recordemur, quis primus fuerit nauis inuentor. Ex Scip & Schepper perpetuò in mentem veniat totius machinæ mundanæ creator; & eius ſingulare beneficium in Naue maxima Nocho præmonſtranda, toties animo reuoluatur, quoties Scep noſtras nauis nomen audimus. Numquam dormit, numquam ceſpitat nomenclator: nos item aures habeamus ab Orpheo ad originem ſurſum in acumen erectas, ne ſurdi tanta verborum myſteria, velut Sirenum ſcopulos, prænauigemus. A ſcep & ſceppen Græci σκάφος retinent, Hebræi à ναῦς, ספינה fecerunt, contrario ordine litterarum, & poſtrema redundante; niſi nauis vocem è Scip & Nach coaluiſſe velis. Videmus itaque quanta ratione Scep potius quàm Nau placeat, quæ tanta eſt, quanti refert ſemper homines & creatoris, & eius beneficiorum ſingularium memores eſſe. Fortaſſis itaque Nochus vocem ſcep primus & fecit, & caris ſuis Ianigenis dedit vtendam; quo perpetuò creatoris & cataclyſmi recordarentur. Adde, ſi placet, quòd nuſquam magis memores ſimus creatoris, quàm vbi in aſſiduis periculis & dubia ſalutis ſpe verſamur; vt vel hac de ſola cauſſa ſcep à ſceppen dici mereatur: quia videlicet in naue non alius aut ſecuritatis, aut ſalutis certus auctor eſſe poſſit, quàm is qui vt omnia elementa creauit, ita perpetuo ſuo nutu & ventos & maria gubernat. Audin' vt ne in ipſa quidem nautea nobis deſit, quo ad opificem noſtrum inuocandum excitemur? Audin' quibus de cauſſis alia vocabula aliis potiora credantur, & alia in deſuetudinem abeant & obſoleſcant, alia vel de nouo fiant, vel ex antiqua conſuetudine in ſermonis præſentis partes vocentur? Satis iam nauigatum, poſteaquam è ſentina rerum infima ſecundus nos ventus tulit ad opificem & architectum non primæ modò nauis, ſed omnium eorum quæ de infinito patris abyſſo, infinita Verbi ſapientia ſunt producta. At at, nec dum ſatis nauigatum. ſentio me nouo numine ad intima Iſidis adyta rapi. Cuius Iſidis, rogas? Eius, inquam, quæ de ſe dicit, Plutarcho ex eius in Ægypto templi pauimento referente, Ego ſum, quidquid fuit, eſt, & erit; nec meum peplum quiſquã mortalium retexit. Quæ ergo alia hæc eſt Iſis, quàm verbum Dei, ea ratione conſideratum qua Deus de Deo, verum vnum de vero vno, verum ens de vero ente; quod quid aliud eſt, quàm opificis ſapientia, per quam ex patre omnia creantur, quæ præter cetera quamplurima nomina, propter quæ Myrionyma quoque vocatur, hoc etiam nomen habet, quo geminum Eſt in Cimbrica lingua continetur, cùm Iſis idem ſit quod Eſt Eſt. Quòd Sum verbum Deo conueniat, ipſemet Moſi declarauit: quod ſi geminetur, non aliud ſignificatur, quàm verus Deus de vero Deo: ita vt Is-is/ ſiue Eſt Eſt, dicatur de Dei verbo, cuius potentia ſapientiaque omne eſſe ex patre accipiunt omnia creata: cuius ſapientiæ peplum nemo reuelauit; quia caput ipſius obſcuro, caliginoſoque, & inuio mortalibus abyſſo occultatur. Huius quidem numen vnicum eſt, & apud omnes orbis incolas in ſumma veneratione, ſed, vt Appuleius inquit, multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multiiugo. Hanc infinitis modis ſub ingenti nominum diuerſitate latitantem,

Naulum. Nach. Scip ſiue Scep. Sceppen. *σκάφος.* *Iſis dea quæ ſit, & vnde dicta.*

tem, Salomon Sapientiam vocauit: D. Paullus luce clarius ſententiam dicens, Chriſtum Dei virtutem & ſapientiam pronunciauit. Audiamus igitur ipſam Sapientiam de ſe inter alia & hæc loquentẽ. Quid ni illam arrectis auribus audiamus, quàm vt auribus hauriamus, aures nobis datas eſſe, linguæ noſtræ princeps declarauit. Audiamus vtique ipſam Salomonis ore ſe prædicantem, vt tandem videamus quæ ſit Iſis Ægyptiorum. *Meum*, inquit, *eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea & fortitudo. Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt: per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam. Ego diligentes me diligo: & qui manè vigilant ad me, inuenient me. Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia.* Et mox paucis encomiis interiectis: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram, necdum fontes aquarum eruperant: Necdum montes graui mole conſtiterant, ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præparabat cælos aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyſſos.* Hæc & plura alia eódem ſpectantia Salomonis ore de ſe Sapientia decantat, quæ declarant, omnia à patre per ſapientiam creata, & certa lege diſpoſita eſſe. Vnde colligas neceſſaria concluſione, hanc eandem cum filio eſſe, quem patris virtutem & ſapientiam vocat D. Paullus, plenum gratiæ diuinæ dolium. Geminatus certè in nomine Is-is eſſentiæ actus, ſecundam perſonam ſiue hypoſtaſim indicat, cui totum mundi viſibilis & inuiſibilis opificium debetur, quod Iſis ſibi in ſuo pauimento adſcribit. Nunc igitur ad nauem Iſidi ab antiquiſſimis dedicatam. Tacitus apud Sueuos Iſin cultam fuiſſe ſcribit, cuius ſimulacrum fuerit in modum Liburnæ conformatum; qua de figura ſic ratiocinatur, vt religionem aliunde inuectam putet. Lucianus item de nauigij forma colligit, numen eius nauigationi præfuiſſe. Appuleius Cymbium eam læua tenuiſſe ſcribit, liburnicæ nimirum ſub poculo effigiem. Nobis de nomine nauis & creationis communi perſpicuum eſt, vt quod maxime, liburnicam hanc ſiue cymbam nihil aliud denotaſſe, quàm ſub nomine Iſidis ſapientiam & virtutem opificis, qua omnia creauit & creat, principiò adoratam fuiſſe. Nam ſcep idem eſt quod creo; & vt nomen vſurpatum, nauis habet notationem. Hinc nobis ſcepper creator: qua de voce in Hieroglyphicis latiùs. Bene itaque Iſidem reginam cæli vocauit Appuleius, non ille quidem ea quam declaro, ratione ductus, cùm nihil minus cogitarit; ſed tamen id honoris de vetuſtis ritibus mutuatus, ſic locutus eſt, vt quadam tenus, quid diceret, intelligere videretur. Quare porrò Scep pro Creo ponatur, quamuis pòſt iterum ſit dicẽdum, hîc tamen tribus verbis aperiam. Scep idem eſt quod ex vaſe aliquo maiore haurio, vaſe quopiam minore, vt trulla, vel naſiterna, vel cyathis, vel etiam caua manus vola, Diogenis ſcutella. Quia igitur filius ex infinito patris vaſe hunc mundum, & quidquid in eo eſt, hauſit; dictus eſt ſcepper; voce ſibi cum hauſtore & nauta communi. Ex eadem littera, & Vat vocula, fit Vat/ quod idem eſt ac ſi dicas, claudendo interius, & aperiendo exterius teneo: ſiue, latitudine mea comprehendo, & interiore clauſula, quæ compreſſione ſoni prioris in V notatur, ſeruo. & id quidem tum, cùm verbi locum ſortitur: at ſi nomen ſit ſubſtantiuum, vt Grammaticorum more loquamur, ipſum illud ſignificat, quod continet; qua de voce Latini Vas fecerunt, pro Tau Sigma ſubſtituto. Eſt autem Vat/ in hac compoſitione, præteritum imperfectum tertiæ perſonæ; à quo tempore & perſona noſter ſermo lubenter nomina format, quò tempus præſens, præteritum, & futurum vna voce complectatur; quod imperfecto præterito peculiare eſſe, rectè conſideranti perſpicuum eſt. Qui enim tabulæ ſuæ adſcribere ſolet, Pingebat; ſignificabat ſe necdum opus abſoluiſſe, ſed adhuc in pingendo eſſe, necnon futuro labori aliquid reſtare. Ad naturam igitur rei, & indolẽm, & ipſam quoque eſſentiam exprimendam, non aliunde rectiùs nomina deduci poſſent; quamquam id non ſemper obſeruetur. In hau-vaſt enim, quo firmum vinculum ad continendum ſignificatur, præſens tempus in compoſitionem venit, in quo hau & haut/ pro teneo & tenet, dicuntur.

Vat porrò vt verbum vſurpatum, pro ſeruo atque contineo conuertitur; vt ſignificet notionem quandam, latitudini quodam modo contrariam. Tau enim idem eſt quod premendo conſtringendóque quicquam in ſe contrahere; quòd noſtrates intelligunt co-

Sapientiam Iſidem deam vocat Salomon.

Sapientia & virtus Dei patris, Deus filius.

Iſidi nauis dedicata ab antiquis.

Scep.

Scepper.

Vat.

Vas, vaſis.

Vat præteritum imperfectum tertiæ perſonæ.

Hau.

Tau varia ſignificat.

Leertauwers. *Taurus mons vnde dictus.*

gunt coriarij, dum ſe leertauwers vocant. Hinc Tau-rui/ vnde Taurus mons, idem eſt quòd riuos facio, conſtringendo nimirum frigore ſuo halitus cautatibus ſuis compreheníos. Eſt tamen illud ex cognatione ipſius verbi Vat ſumptum; quod nihil queat ad hunc modum præparari, niſi ſit arctè firmiterque comprehenſum. Ex Vat prætcrea, vt verbum eſt, teneo comprehendóque notans, per conuerſionem fit Tau/ pro eo quo aliquid tenetur & alligatur; in quo, vt in plurimis rationum eſt copia, alia adhuc & alia ſignificandi cauſſa reperitur; quia Tau includere videatur Te-hau/ id eſt, ad tenendum & conſeruandum: cuius compoſitionis ſignificatio tam latè patet, quàm multi modi ſunt vel tenendi vel conſeruandi. Hinc pro fune nautico ponitur, quo naues retinentur, ne fluctibus abripiantur; iam & pro aliis vinculis, quibus quicquam alligatur: Tandem generatim pro omni inſtrumento Tau/ ſiue getau/ proſtheſi ſyllabica vſurpatur, quo monemur, ſemper inſtrumentum manibus tenendum, ne cogantur otioſi deſidere. Quòd ſi nunc in huius artificij onomaſtici contemplatione ad illud vlterius pergamus, vt perueſtigemus, quidnam illud ſit quod hanc nomenclaturam præ ceteris omnibus maxima excellentiſſimáque ratione meretur; vereor ne tandem ad Tau Gallicum veniamus. Sit ſanè ita, veniamus; quantumuis prima fronte videatur abominandum. Sed quid dices, eſt Tau Gallicum? Ipſiſſima nempe crux; ita à Cimmeriis, quorum Galli, teſte Ioſepho, proles, nec parua nec vna de cauſſa nominata. Eſt enim inſtrumentum inſtrumentorum quo illud opus peractum eſt, quo nullum vel admirabilius, vel maius, vel felicius ab homine peractum eſt; ipſa videlicet collapſi hominis in mortis tenebras, ad perpetuam vitæ æternæ lucem reſtitutio. Num poteſt quicquam cogitari aut maius, aut præſtantius, aut beatius, hoc tam inſigni & vnico omnium ſeculorum opere? Quòd ſi nihil excellentius: quid ni & ipſa crux, per quam hoc opus Chriſtus peregit, vt verus Hercules per veram clauam, vocetur inſtrumentum; quando omnibus cæteris inſtrumentis præſtantius, & nomine communi dignius ſit cenſendum, quod opus omnium perfectiſſimum abſoluit. Atque hæc vna ſit ratio. Accedit altera. Crux, non ſolùm quia inſtrumentum omnium optimum ſit; ſed quòd etiam ad conſeruandum ab omni malo deſtinetur, nomen Tau meretur; quod Te hau interpretamur. Cùm enim quempiam ſaluum ſignificare volumus, dicimus, hi is behauwen. Quoniam itaque cruce, tamquam mortis Chriſti inſtrumento, ſeruati ſaluatique ſumus; optima ratione Crux Tau vocatur. Deinde Te-au/ id eſt, ad vetus, Tau interpretari licet: quod duplici rurſus dicitur ratione; altera, quòd per crucem priſco ſtatui reſtituimur, Chriſti morte à morte redempti, cui nos peccato noſtro obſtrinxeramus; altera, quòd ſic in integrum reſtituti ad ipſum Au/ id eſt, ad ipſum antiquum tendamus. Quis verò inter omnia antiquus optimè dicetur? Pater haud dubiè, ad quem nos Chriſtus morte ſua per crucem illata reducit. Iam porrò cruce ſua nos Chriſtus, tamquam fune, ſiue retinaculo potentiſſimo, patri ſuo alligauit: qua de cauſſa Crux elegantiſſimè Tau dicetur. Quid quòd à premendo conſtringendóque crebra manuum iniectione, vt coria præparantur, Tau etiam dici hoc inſtrumentum queat: quoniam corium adflixit corporis omnium nobiliſſimi. Poſtrema ſit communis, & in vulgus nota ratio: Tau crucem dici, quòd homines in ea non dolore tantùm immani premerentur; ſed quòd ita etiam tenerentur, vt nullo modo ſolui ab ea ante ſoleant, quàm morerentur. quæ ſignificatio per conuerſionem innoteſcit. Conuerſa porrò vox Vat ichnæam habet demonſtrationem, eamque geminam: vnam, vt Vat ſit imperantis, pro Arripe; qua intellectum ratione, omnes hortatur, vt crucem arripiant, eaque ſe ſeruent, quod Te-hau/ ſiue Tau notat; atque illa, tamquam fune firmiſſimo ſeſe in ſalutis portu retineant atque figant. Alteram, vt Vat ſit tertiæ perſonæ indicatiui modi, pro comprehendit; qua via intelligemus crucem captu ſuo omnia comprehendere, atque id non aliò, quàm vt omnia ſalua reddat; & Patri ſuo, qui Au ſupra omnia dicendus, ceu anchorario fune, deuinciat & adſtringat. Nolo hoc loco linguæ artificium, & arcana ſacra laudibus meis euehere: quæ ne diuinam eorum maieſtatem depreſſa orationis meæ humilitate contaminaſſe potius videar, quàm pro eo ac merentur extuliſſe; quod nulla vis ingenij comprehendere, nulla orationis ſublimitas poſſit, tantum abeſt vt me vel parem huic oneri exiſtimem, vel ſperem vmquam me parem futurum; breuitatem conſuetam retinebo. Hoc ſaltem mihi Dei gratia præſtitit, vt altius paullo mihi ad huius contemplationis

Getau.

Tau Gallicum.

Crux mortis Chriſti inſtrumentum, multis rationibus Tau vocatur.

Au.

tionis

tionis culmen videar adſcendiſſe, & plus myſteriorum è tenebris, quibus hactenus fuerunt ſepulta, eruiſſe; quàm quiſquam vnquam mortalium, non dico fecerit, ſed attentarit. Nihil tamen mihi inde gloriæ, nihil laudis debetur; ſed illi ſpiritui, qui mihi hæc aliaque id genus ſingulari ſuo dono ſuggerere dignatur; quem oro, vt mihi tantiſper vitam proroget atque gratiam, dum ea quæ inſpirauit, aliqua ſaltem tenus, ad communem hominum vtilitatem ſcriptis mandare poſſim. In Hieroglyphicis de pictura Tau plura erunt in medium adferenda, vbi Crucis quoque nomen ad etymologiam vt apertiſſimam, ita ſtupendam, ſi is qui in ea pependit, conceſſerit, vocabo; in qua omnium rituum, omnium cærimoniarum, omnium denique ſacrorum vltimus finis, atque ſumma perfectio cernetur. Vidimus modò, quàm admirabile nomen ſit Vat/ & Tau eius retrogradus ſonus: in quo plus adhuc miraculorum latet, quàm breuitas huius libri ferre poſſet; quæ tum luci ſuæ priſcæ reddemus, dum in nomine trilittero de Patre tractabimus. Hic obiter id ſit admonitum, à Vat ſubſtantiuo nomine fieri Vater/ pro eo qui in vas indit; à quo genitor Vater vocatur, quia ſemen excellentiſſimum in præſtantiſſimum vas conijciat. Hinc Latinorum & Græcorum Pater; vox alibi fruſtra originem quæſitura. A Vat verbo, fit vater/ pro eo qui comprehendit; de quo in eo quem promitto, libro Ab hoc Veter pro catena cum generatim, tum primum pro illa qua pater ſupremus omnia tenet. Arrigite hic aures, ô paniſci, & à Vat & Tau ad patrem adſcendite, vt eius ſapientiæ peplum exterius videatis, & extremas contingatis fimbrias.

Ad alia. Wat Latini in Quod & Quid verterunt; quo interrogamus. Sicut ex wie Quis vel Qui fecerunt. Latiſſimè enim patet interrogatio, eoque meritò duplici diducta ſignanda. Nec aqua ſe nec ventus anguſtis ſpatiis cohibet. Hinc wai pro ventum efflo dicitur, & wa olim pro humecto; vnde wat humidum, & weet facile cedens & imbecille, & was lauo. Nunc water dicimus, quod ſonat humectatorem; & waden pro eo quod eſt in aqua verſari: vnde Vadari Latinorum, & Vadum. Mutato W in B fit Baden & baien/ à waden & waien/ pro Balneis; vnde Baiæ Cimmeriorum inter Cumas & Puteolos: & hactenus Baden/ cum limitanea præfectura ad Rhenum. Wa itaque, quaſi latè & longè procedo; quod optimè conuenit humido. Quòd ſi Iota tenuis & ſubtilis littera ſuauem ſuum ſonum addat, fit wai, quod ſignificat ventum efflo; ab Ai/ quo ſpiritus notatur, quaſi proceſſum ſubtilem dicas: vnde αἴολος, id eſt, ſpirituum antrum. Went idem eſt quod Verto; hinc went vel wijnt; è quo Latini ventum habent, ſic à vertendo dictum, cùm quòd ipſe crebro ſe, tum quòd alia etiam vertat. Quid multis? V littera ſemper latitudinem aliquam & diductionem notat, atque adeò hinc late longeque patens wijt vocamus; & wit/ breui vocali, album, quod viſum dilatet; à quo Vidua albis induta, & in alborum numerum relato nupta. Hinc Video quoque, quod nullus ſenſus longiùs latiúſque ſeſe extendat; à quo digamma Græci in εἴδω & inde deriuatis ademerunt. Ab eodem vito, quòd cum quem vitamus, longè latéque abeſſe velimus. Sic wackel dicimus, pro eo quod eſt huc illuc inclinare lato & inconſtanti greſſu: à quo Latinis Vacillo. At wac/ vocali longa, idem eſt quod vigilo; quia vigilans latè omnia ſenſibus capit & peragrat: quod Latinis dedit Vaco, pro diligenter inuigilare. Vacuum item à wac a breui, quia facilè cuiuis cedit, vt fit in loco vacuo, in quo aër eſt ſubitò cedens, & latitudinem præbens; è quo intelligitur, locum non eſſe vacuum, ſed corpus imbecille in eo eſſe cuiuis latitudinem præbiturum. Wag ſurſum deorſum inconſtanter moueor; hinc wag pro libra, & pro curru longo quatuor rotarum; wagen ab incerto & tremulo motu. Ab eodem motu fluctus ſe ſurſum deorſum librantes wagen nobis dicuntur: inde Vagus & Vagari. Walt vis eſt & poteſtas, eo quòd wy halt/ id eſt, longè latéque teneat & ſeruet; vnde Valeo. Hinc & walt/ & ſaltus, quorum hoc duplex w omiſit, & adſumpſit ſibilum ex aſpiratione wt halt. Vlog/ volabat, à vlt-hog, id eſt, alte effugio, ſiue fugio in altum; Latini tranſmutarunt in volo. Hinc Vlo/ pro pulice, quia nihil celerius ad effugiendum; quod nomen Latini in Pulex mutarunt. War a breui eſt intricare, quod longè latéque impediat; inde Varus apud Latinos is dicitur, qui crura ſic interius torta habet, vt greſſum intricare videatur: Hinc fortè Varronum nomen. Sin war a longo pronuntietur, ſignat diuturnam moram eſſentiæ: & pro verbo vſurpatum, eſt cuſtodio, & tueor; pro nomine, idem quod verum; quoniam veritas omnia in ſuo eſſe cuſtodiat, iuxta illud Dauidici carminis: Domine Deus virtutum, quis ſimilis

Vater.
Pater.
Veter.
Wat.
Quod.
Quid.
Wie.
Quis vel Qui
Wai. Wa.
Wat.
Weet.
Was.
Water.
Waden.
Vadari.
Vadum.
Baden/
Baien.
Baiæ Cimmeriorum vnde dicta.
Ai.
αἴολος.
Went.
Wint.
Ventus.
V littera ſemper latitudinem aliquam et diductionē notat.
Wijt.
Wit.
Vidua.
Video.
εἴδω.
Vito.
Wackel.
Vacillo.
Wac.
Vaco.
Vacuus, a, ū.
Wag.
Wagen.
Vagus, Vagor
Walt.
Valeo.
Saltus.
Volo as, are.
Vlo.
Pulex.
War varia ſignificat.
Varus. Varro

milis tibi? Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo. Nónne hic veritas loco cu-
ſtodiæ ponitur? Cedo, qualem hunc putas fuiſſe, qui veritati, à cuſtodia eſſentiæ ſuæ,
melius ipſius eſſe, quod eſſentiæ eſt officium, & actus nomen conſecrauit? Num Bar-
barum? Non moror quid reſpondeas. Ipſa ſe veritas cõtra vitilitigatores linguæ noſtræ
tuetur. Scuto circumdabit origines noſtras ipſa veritas, vt ad alium Dauidis verſum al-
ludam. Magna vis eſt in hac nominis ſignificatione. Cùm war audio; vt intelligo ve-
rum omnium habere cuſtodiam, ita moneor vt & ipſe veritatem cuſtodiam: qui lo-
quendi modus Hebræis frequens eſt; non ille quidem de Hebraico vocabulo, ſed de
Wis. fonte linguarum & veritatis acceptus. Habemus aliud quoque nomen, wis/ quod ve-
ritatem cuiuſpiam rei exaggeranti conuenit; vt exempli gratia, dum dicimus, Tis wis/
quod tantundem eſt, ac ſi dicas, eſt certiſſimum, à vi ipſius w & Is idem notantis,
quod Eſt; ita vt nihil aliud ſit wis/ quàm quod longè latéque extendit ſuum eſſe; quaſi
wi-is. Ab hoc Chaldæi & Hebræi habent קשט & קוּשְׁטָה mutato duplici W in Qu,
Wishet. quod frequens eſt. Wishet enim, à wis / certitudo & veritatis firmitas eſt; ſicut à wijs/
Wyshet. quo ſapiens ſignatur, wyshet/ quod eſt ſapientia. Ex war itaque & wis veritatis & eſſen-
tiæ cognatio colligitur: eo quòd hoc ipſum eſſe latè in omnem partem patens ſignifi-
cet; illud cuſtodiam & latifundia durationis & amplitudinis addat. Nos pro cuſtodio,
& vero, hodie war dicimus, vocali longa, quod tempus producendum eſſe, plerique ſic
notant, vt ex vocali diphthongum faciant è prima & ſecunda vocali. Zelandi, & alij
Wer. nonnulli, pro war wer dicunt. Nos, quo omnia, quàm poſſunt maximè, in loquendo
diſtincta ſint; pro vero, war efferimus; & wer longa vocali, pro defendo vſurpamus. La-
Verus,a,um. tini, perinde atque Zelandi, verum e war fecerunt; non male illi quidem, quoniam
veritas omnia contra omnia defendat; ſed nos diſtinctius, dum ſonum nonnihil muta-
ὠρῶ. mus. A war pro cuſtodio, vetuſtiſſimi Græci fecerunt ὠρῶ, relicta littera, qua carebant,
πυλωρὸς. & A longo in O magnum mutato; vnde πυλωρὸς, ianitor; & apud Homerum, ὡς δὲ κύ-
φρουρῶ. νες περὶ μῆλα δυσωρήσωνται ἐν αὐλῇ. Ex eodem fonte fluxit φρουρῶ, per litterarum meta-
theſim. Neſcio qua in voce tandem dicam myſteriorum latere faſtigium; cùm videam
in omnibus contineri ſumma. O veritas, veritas, quàm accuratè primum ſermonis no-
ſtri fabrum docuiſti veritatem! O me beatum, cui dediſti in his corporei carceris tene-
bris videre, ſi non te ipſam, at ſaltem imaginem tui excellentiſſimè depictam! Adde,
obſecro, quem hoc beneficio & hac gratia ſingulari reapſe Ioannem feciſti; vt eum ad
perpetuam perducas felicitatem, in qua te videat facie ad faciem; & quorum hic vm-
bram lætiſſimus amplectitur & oſculatur, ea tandem coram, quoad eius animis fas eſt,
liceat intueri. Verùm enimuero, dicet quis, latitudinem & amplitudinem in wy agno-
ſco, ſiue in ipſa littera duplicata, citra vocalis adiectionem: at non video, quid Ar
addat; cùm R. littera ſit ad motionem & celeritatem ſignificandam idonea. Fateor
equidem, & Platoni, & ceteris omnibus, vibrantis linguæ in hac littera canina celerita-
tem motioni, quàm quieti, aptiorem videri: ſed illa eſt linguæ noſtræ analogia, vt è pri-
mis vocibus non raró fiant ſecundæ, per ſolam conuerſionem; in qua formandorum
Ar. nominum regula, non eſt litterarum in ſecundis, ſed in primis ratio habenda: Ar enim
Ra. fit à Ra/ qua voce celeritas pulcerrimè notatur; eo quòd R, veluti haſta vibrata, per re-
Rat. ctam & patulam ipſius A vocalis pronuntiationem feratur. A Ra fit Rat/ vnde Latinis
Rota. Rota. Hinc & Reet/ pro parato, & quod in promptu eſt; vnde Græcis Ῥίδιον, & cogna-
Reet. ῥίδιον. ta. Dicimus autem Ra & Rat pro celeri; cui Ar/ & Tar, contraria; quorum hoc Anglis
Tar. *Tardus,a,ũ.* in vſu, pro moror; vnde Latini Tardum fecerunt. Nos hodie metatheſi vtimur in Tra
Tra. & Trag. Ar igitur tardum notat; à quo flumen tardiſſimum in Gallia, Arar vocatur; ad
Trag. *Arar.* quod dum habitarem, vix oculis primo intuitu animaduertere poteram, in vtram par-
Rhodanus. tem proreperet. A Rat pro celeri, fit Rat-an/id eſt, celer in progreſſu; vnde Rhodano no-
men, flumini rapidiſſimo. Ceterùm quo ipſius Ar gemini, in fluminis nomine, vis &
ſignificatio magis perſpiciatur; Cæſaris verba audiantur. Flumen eſt, inquit, Arar, quod
per fines Æduorum & Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita vt
Art/ *ſiue* oculis, in vtram partem fluat, iudicari non poſſit. Ab hac voce fit Art pro terra, quod
Ert. plerique in Ert detorquent, diſtinctionis gratia; eo quòd vox etiam illud ſignificat, quod
cuiuſque naturæ proprium eſt; nimirum, quia quod tale eſt, diu, immò ſemper, in ea
Mar. re, cui peculiare eſt, moretur. Hinc compoſitum Mar/ vocali breui, quaſi diceretur,

Me-ar/

Me-ar/ id eſt, cum tarditate; quo ſignificamus idem quod quippiam non expedio notaret: à quo Moror Latinorum. Hebræi ab Ar ſeruarunt אֹרֶךְ, & ab art ſiue ert pro terra אֶרֶץ. ab eadem origine eſt Er/ per ἦτα pronuntiatum, pro Terram proſcindo per ſulcos; vnde Aro Latinorum, & Græcorum ἀρόω, vnà cum tota ſobole. Hebræi longiùs receſſerunt, חָרַשׁ dicentes, ceu dicerent, Che-art/ & per Sigmatiſmum, Che-ars/ quo aratum nobis notaretur. Ares, pro Marte apud Græcos, ab ira dicitur & impedimento. Ar enim & Er iratum nobis ſignificat; vnde Ira Latinis: quia & maximè impediat rationem, & quàm longiſſimè faciat aberrare; ita vt gemina ſit ratio. Er autem pro errare, cauſſam habet è litterarum natura; quia fluxus ſit ab vno, cùm E Vnum, R fluxum ſignet. Contrarium eſt Re/ pro ratione, quoniam progreſſus ſit ad vnum. Dicimus autem Re/ & Reden/ pro eodem. Er igitur & Re analogia formaturæ docent, ad cuius gentis incudem ſint referenda. Vide, vt cauſſæ ſimul incidant duæ, ad eandem notationem in Er & Re; quia vtrumque & cauſſam habet è litterarum natura, & ſimul ab ar & ra oppoſitis. Allemanni, dum pro Er/ Irre dicunt, ab etymologia longiùs recedunt. Sic & ἄρης ab impedimento & tarditate rationis, & ab ira; & Er/ pro irato; quia & rationi ſit in mora, & ab Vno recedat. Minuta hæc in ſpeciem, at diligenter tamen annotanda iis qui accuratam volent cognationis vocum & rerum notitiam adipiſci. Redeo ad Ar/ quo mora & duratio indicatur, propterea quòd Ra conuertat ad contrarium. vnde Hart/ pro quouis duro; & Harden/ pro durare; & Hert/ ſiue Hart/ cor, cuius motioni perpetuæ vitæ duratio debetur; & Hert item ceruus, quoniam diutiſſimè in vita duret. Non potuit itaque terræ conuenientius nomen dari, quàm Art; tum propter quietem, quæ omnem ſuperat tarditatem, & à celeritate, per Ra notata, quàm longiſſimè diſtat; tum quia inter elementa ſit duriſſima. Latini ab Ert Ter fecerunt; & hinc Terram. Nobis ter vel tarde/ eſt calco, & audacter pedibus in terram impactis procedo, quaſi gradu quodam militari: vnde ταρσός Græcis pars ea pedis eſt, qua terram calcamus. Hinc Dar nobis pro audeo; quod in θαρρέω Græci mutarunt. A Dar Dardanus nomen accepit, quòd audax eſſet ad aggrediendum, ceu Dart-an/ id eſt, audet aggredi, diceretur. Si omnia quæ ex Ar & Ra fluunt, exponerentur, ipſum Ararem oratio noſtra tarditate ſuperaret. Ex Ar itaque, & gemina latitudinis & expanſionis nota W, fit War/ pro cuſtodio, & vero; quoniam verum omnem ipſius eſſe durationem cuſtodiat. Bene verbum & nomen eodem ſono ſignantur; quoniam in veritate omnia cuſtodiente, ipſum verum cuſtodiens, & actus cuſtodientis, nihil prorſus differunt; cùm Deus non ſit alius à ſuo actu. Expoſui modò artificium nominis Cimbrici in vero notando; quo totum ferè veritatis myſterium, totáque eius prima vis & poteſtas cùm ſit comprehenſa & explicata; perſpicuum fit, quæ ſit collatio ipſius veri, ad primum eſſe; quamque eleganter veritas ſcuto & ſatellitio in ſacris comparetur. Vbi nobis in Scut & War elegantiſſima eſt alluſio: quandoquidem Scut & beſcut/ vnde Scuto Latinorum nomen, idem eſt quod defendo, & malum amolior. Veritas ergo, cùm omnia cuſtodiat & defendat; optimo iure Scutum, id eſt, defenſio vocatur. Ex hac conſideratione non parum lucis accedit hieroglyphico Herculis ſigno, in quo pro ſcuto Leonte eſt ſiue leonis σκύτος, qua voce corium generatim dicitur; quòd animantis corpori ſcutum ſit & defenſio. Cur igitur σκύτος habet? Quia nempe ſcuto ſuo Hercules omnium malorum in curſum amolitur, vnde ἀλεξικάκω nomen. Cur porrò leonis exuuium habet? Quia leoni cor ſit generoſiſſimum & fortiſſimum, vnde lew à leuen/ quod eſt viuere, nomen habet; eo quòd cor vitæ ſit origo. Quoniam ergo Hercules, qui maſculam vim totius rerum vniuerſitatis nomine ſuo profitetur, ſcuto ſuo vitam omnium defendit aduerſus mortis auctorem; leonis exuuio donatus eſt, quo ſimul & defenſio in σκύτει, & fortitudo in leone, & vitæ præſtantia in eodem intelligeretur. Cernis vt ex Hercule ad maſculam vim vniuerſorum venitur: quæ iam quia ipſiſſima ſit veritas, quæ nomine ſuo defenſionem, ſiue ſcutum, præ ſe fert; notauerunt hanc defenſionem σκύτει leonis, cui à vita nomen eſt. Quicquid igitur Hercules agit, id ad perfectiſſimam, excellentiſſimam & generoſiſſimam vitam pertinere intelligatur, quam claua crucis nobis parauit. Huc ſpectat Leo ille de tribu Ieſſæ venturus, diuerſarum gentium vaticiniis eòdem tendentibus, tametſi per diuerſas vias. Nobis vitæ ſymbolum ex leonis nomine clariſſimum eſt. Hebræi ab eadem voce, qua viuere nobis dicitur leb/ לֵב deriuarunt, pro corde id vſurpantes; quo-

Moror.
Er/ varia ſignificat.
Aro, et ἀρόω.
Ares, pro Marte.
Ira vnde dicta.
Re/ Reden.
ἄρης.
Hart. Harden. Hert.
Terra vnde dicta.
Ter/ Terde *vel* Tarde.
ταρσός. Dar. θαῤῥέω.
Dardanus.
Scut/ Beſcut. *Scutum.*
Veritas optimo iure ſcutum vocatur.
Herculis hieroglyphicum ſignum explicatum.
σκύτος. Lew.
Hercules vnde dictus.
Leonis nomine vitæ ſymbolum declaratur.

Claua vnde dicta, & quid ſignificet. tes; quoniam è corde vita procedat. qua de re alibi. Sic & clauæ teſſera non ex re tan-
tùm, ſed ex nomine quoque, notationis rationem ducit; eo quòd Colf/ vnde claua, per
Colf. metatheſim nobis indicet expeditum auxilium, cuique nulla mora poſſit adferri. Floc
Floc / ſiue Flocs. enim, ſiue Flocs / expeditum, promptum, & citò ad deſtinatum finem perueniens de-
ſignat, quaſi Vol-lucs/ id eſt, plenum fortunati ſucceſſus: qua rurſus vocis ratione ſum-
Pollux. ma felicitas, quam per Pollucem ſolum nanciſci datur, continetur. Aliena ſunt hæc à
propoſito; ſed eò conducunt, vt clarè peruideamus, quanta ſit veterum fabularum cum
vocum originibus cognatio, quamque nihil queat ſani ex ipſis elici, citra harum adiu-
menta: tum etiam qua via de fabularum obſcuritate veritas eluceſcat, quam hic in-
uenimus eandem eſſe cum Hercule. Cùm enim apud antiquiſſimos Hercules cuſtos
celeberrimus habeatur, atq. omnium conſenſione celebretur; monſtrarimq. vel ipſam
cuſtodiam à vero, vel verum à cuſtodia nomen traxiſſe: quid vlterius dubitandum, vt
non Herculem veritatis laruam eſſe dicamus; cuius vis cùm in tota rerum vniuerſitate
maxima ſit, meritò nomen habet, quo maſcula vniuerſorum poteſtas indicatur. Quid
Cul. Luc. quòd Cul & Colf ex eodem fonte deriuentur, & recta procedunt ad ſucceſſus felicita-
tem, cuſtodita etiam quadam vtriuſque inſtrumenti ſimilitudine, quam clauæ celerum
Colfdragers. noſtrorum, quos Colfdragers / id eſt, clauigeros vocamus, egregiè ob oculos ponunt.
Obruit me rerum copia: quam ſi perſequerer pro eo ac meretur, quis tandem eſſet fi-
nis? Cuſtos Hercules, cuſtos veritas, Hercules Iouis è mortali femina filius. Chriſtus
ipſa veritas ſupremo patri è virgine naſcitur. Sed hæc in Hercule noſtro. Rideant mo-
dò, qui volent, vel fabularum, vel primarum vocum origines: quarum illas, Græci
ſermonis noſtri ignari, corruperunt, & fœdis erroribus, turpiſſimaque idolomania con-
taminarunt: has longiſſima & profundiſſima à multis ſeculorum voluminibus igno-
rantia ita ſuppreſſit, vt lingua omnium excellentiſſima pro rudi & contemnenda non
War. apud alios modò, ſed apud ipſos etiam noſtrates haberetur. Pergamus in War. Quan-
do conſtat vniuerſam & eſſentiæ & vitæ cuſtodiam à veritate pendere; conſequens eſt,
eum qui ſeſe ab ea ſegregat, mox neceſſariò perire, & æternæ morti ſubiici; quod hu-
mano generi tum accidit, cùm deſerta veritate, Draconi mendaciorum patri creden-
tes, vetiti pomi veneno ſeſe intoxicarunt. Quis ergo ad ſalutem reditus? Nullus profe-
ctò, niſi ipſa te veritas reducat per culpæ agnitionem & pœnitentiam. Agamus igitur
pœnitentiam, & per eius ianuam ad veritatem reuertamur; quo ipſius leonino corio, &
claua, totius felicitatis inſtrumento, ab horrendo Caci antro liberemur. Hoc eſt iter
Raw. quod War nobis demonſtrat: eo quòd ſi per veſtigia vocabulum retro legamus, mox
ſimus pœnitentiam audituri. O admirandam diuinæ benignitatis notam, quæ voluit
ipſum veri nomen ita fieri, vt cum voce clamantis in deſerto, Pœnitentiam agite, ad
vnguem conueniret! Rideant nunc iterum, ſi audeant, inſani linguæ ſuæ contempto-
res, & in nos ipſius veri demonſtratores vel ludibria, vel venenatas, quod quoſdam fa-
cere ſcimus, deſpuant calumnias; ſed ſic id faciant, vt tandem per pœnitentiam ad ve-
ritatis fontem reuertantur; qua pœna nullam ipſis imprecor maiorem, immo contrà
pro ipſorum calumniis illud rependam, vt vel inuitos per veſtigia retro compellam ad
veritatem redire; niſi planè inuicta Draconis, mendaciorum patris, peruicacia ſic veri-
tatem oderint, vt quam nos face prælata oſtendimus, eam videntes agnoſcenteſque,
neque videre, neque agnoſcere dignentur. Et hæc quidem de veritate omnium cuſto-
de, quæ Herculis figmento tegitur, ſatis eſto delibaſſe. Magnam latitudinem dico du-
Wijs. plici W deſignari, quam vt in aliis, ita in Wijs etiam latiſſimè cernas. Sapiens enim id-
circo Wijs vocatur, quia longiſſimè latiſſiméque in omnem partem circumſpicit: quod
Ianus quare dictus ſit geminam faciē habere. quia Ianus diligentiſſimè præſtaret, dictus eſt geminam faciem, & quaternos oculos ha-
bere. Wyſic/ & per apocopen in aliis etiam vocibus vſitatam, Wijs dicetur, qui longè
lateque videt. Inde mox verbum Wijs/ idem eſt quod demonſtro: à quo Truwijs is
erit, qui & ipſe veritatem per ampla ſpatia longè lateque intuetur, & aliis demonſtrat:
Tru-wijs. *Druides.* quo officio qui apud Gallos fungebantur, Druides ſunt à Græcis nominati, duplici W,
quo carent, exempto, & tenui littera in mediam mutata. Tru enim verum notat, ab
Tru. Wrt / Wrtig. Wr. Wrt/ quod ſignificat eleganter beneque quippiam ago; à quo Wrtig vocatur, qui ad om-
nia rectè expediteque peragenda inſigni facultate præditus eſt. Origo eſt Wr / quo id
notatur, quod in genere quoque excellit, propter V latitudinem notans, & R vehe-
mentiam

mentiam motus exprimens. Qui enim latè mouere poteſt, is fortis excellenſque habendus: qua de voce & eius ſobole, in littera R agetur. Porrò nulla in voce clariùs huius V litteræ vis cernitur, quàm in Eeuw/ qua extenſio ipſius Vnius notatur; quæ quid aliud eſt, quàm perpetua, & ante & poſt omnia temporum curricula duratio, ſiue vnius vita; quæ nihil ruiſus aliud, quàm actus ipſius eſſe vltra omnes terminos porrectus. Hæc enim vnius eſt latitudo, qua ſeſe ſicut per omnes res, ita conſequenter per omnia tempora diſtendit. Ab Eeu ſiue Eeuw Latini habent Æuum, Græci αἰών, vocali longa in diphthongum mutata. Definiatur ergo Æuum de nomeclatoris noſtri ſententia, ipſius vnius extenſio; quæ tanta eſt, vt omne tempus excedat. Quæ autem hæc eſt extenſio vnius, ſiue dilatatio, quàm ipſa vnius vita, per quam eſſe & vitam dat omnibus, pro ſua cuique portione. Per hanc extenſionem ipſum Vnum ſe clarificat. qua de re hæc Chriſti apud D. Ioannem verba audiantur: Hæc locutus eſt Ieſus, & ſubleuatis in cælum oculis dixit, Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, vt omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam. Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Hæc ipſe æternus æterni patris filius, qui per ſpiritum ſuum nomenclatori inſpirauit, vt æterni illud nomen faceret, quo extenſio & clarificatio ipſius Vnius ſic contineretur, vt eam nouiſſe homini eſt vtiliſſimum; ſic nimirum, vt intelligeremus, omne genus miſeriarum nobis imminere, niſi Vnum nos ſic per claritatem extenſionis ſuæ comprehendit, vt vitam æternam nobis ex æternitate ſua communicet. Si enim Eeuw conuertas, Wee audies, quæ vox vt interiectio vſurpata idem valet quod Væ Latinorum: at ſi Wee nomen ſit, dolorem notat, vt hinc facilè liqueat dolorem æternitati opponi. Vt autem multa ſunt in ſacris litteris Væ, ita nullum latiùs patens quàm illud, Væ vobis viri impij: & apud D. Ioannem, Væ ciuitas illa magna: & iterum, Væ ciuitas illa magna: & tertium, Væ ciuitas illa magna. Magna eſt æternitas, quam Deus dicitur apud Eſaiam habitare; quod idem eſt cum magna vnius extenſione. & magnum ruſſus eſt Væ magnæ illi ciuitati intentatum, in qua regnat Antichriſtus, homines æternæ mortis hæredes faciens, non ſecus atque Chriſtus æternæ vitæ. Vt igitur Chriſtus æternam vitam dans, & Antichriſtus mortem dans æternam, opponuntur: ita Eeuw & Wee diuinus ille nomenclator voluit opponi; vt videlicet quoties Eeuw audiremus, cogitaremus ſimul vtrumque, & vitæ æternæ felicitatem, & doloris æterni acerbitatem. Hinc priſci Deum Di-eeuw vocarunt, quod Latinè vertas, Ipſam æternitatem; quo nimirum audito hoc Dei nomine, ſtatim in mentem veniret illius doloris & illius Væ, quod paratum eſt iis qui ipſi æternitati aduerſantur, oppoſita videlicet ipſi legentes veſtigia. Ex Di-eeuw/ Diew facit contractio, quam vocem Galli de priſca ſua Cimbrica lingua retinuerunt. Nos diceremus D'eeuw per eliſionem prioris vocalis, quam vocem Leodienſes hactenus vſurpant: vnde Latini Deus fecerunt, θεὸς Græci. Hanc vocem Dieuw maiores noſtri ab Alauda didicerunt; qua de re alibi latiùs, ſi Deus, quem Galeritæ canunt, permittet.

Eeuw.

Æuum, & αἰών.

Wee.

Di eeuw.

Dieu vocem Galli de priſca Cimbrica lingua retinuerunt.

Deus & θεὸς vnde dicantur.

HERMATHENÆ

LIBER VI.

NE EXEMPLA earum rationum quibus è vocalibus ſymbola ad res notandas petuntur, abeant ad quandam infinitatem; tempus eſſe exiſtimo, vt ad conſonantes fiat tranſgreſſus; in quibus ne rurſus nimia vel curioſitate, vel prolixitate fiam odioſus, cum adhibendum modum cenſeo, vt paucis vocibus ad cauſſas reductis, alias aliis relinquamus ad eandem normam examinádas. Quòd ſi aliter facerem, ſingulis vocabulis excutiendis inſiſtens, integrum Lexicon eſſet conficiendum; quod nec eſt huius mei propoſiti, nec operæ vel gratiam vel pretium haberet. Pari item ratione vocalibus multo diutius fuiſſet inhærendum; & in iis non ſimplices tantùm, ſed in diphthongos etiam coaleſcentes ad notationis cauſſas vocandæ fuiſſent: quod non compendioſæ doctrinę tantùm, ſed omnium artium metas excederet, in quibus ſatis eſt rerum formas vno aut altero exemplo declarari. Vt autem ſoni vocalium & conſonantium commiſcentur; ita rationes etiam ſignificationum mixtas eſſe neceſſe; de quibus ex ſimplicium natura iudicandum. Procedat igitur in medium ipſum Beta, cui cur ſecundus locus datus ſit in litterarum regno, pòſt ſuo loco explicabo. Capella hanc litteram ait effici labris per ſpiritus impetum recluſis: quod obſcurius eſt, quàm vt multum videatur allaturum vtilitatis. Repetatur itaque quod Terentianus verſibus ſuis expreſſius de hac muta prodidit:

B littera, vel P, quaſi ſyllabæ videntur,
Iunguntq́ ſonos de gemina ſede profectos:
Nam muta iubet portio comprimi labella:
Vocalis at intus locus exitum miniſtrat.
Compreſſio porrò eſt in vtraque diſſonora:
Nam prima per oras etiam labella figit,
Velut intus agatur ſonus: aſt altera contrà
Pellit ſonitum de mediis foras labellis.

B littera ſymbolica ſignificatio.

Hîc videre eſt, quid conſonans, quid vocalis præſtet. Illi labiorum compreſſio; huic ſoni exitus, compreſſa tamen inferius lingua, debetur. Quocirca idonea erit littera ad propinquitatem, coniunctionem, compreſſionem, & his cognata denotanda. Hinc fit vt apud noſtrates ſyllabica ſit in verborũ principiis adiectio; vocabuli cui additur ſignificationem reddens preſſiorem. Sic è gaen, quo Ire ſignificatur, fit begaen/ notans eum quem cura & ſollicitudo cuiuſpiam rei inuadit & premit. Exempli cauſſa, Ic ben daer me begaen/ id eſt, ſum de re illa ſollicitus, & eius cura premor. Stoten generatim trudere ſignificat; be-ſtoten eſt inuadere, & impetum in quempiam facere. Hau teneo; behau conſeruo & ſaluo. Lopen currere; belopen eſt diligenti cura variè diſcurrendo rei cuipiam conficiendæ inſtare. Copen eſt emere; becopen eſt culpa, ſiue multa, ſiue malo quopiam rei cuiuſpiam præteritæ premi; & ferè idem eſt quod pœnas dare. Sien eſt videre; beſien diligenter inſpicere. Hoort decet; behoort valde decet. Denc cogito; bedenc diligenter cogito. Similiter in multis ſignificationem dumtaxat reddit preſſiorem; in aliis etiam per cognationem quandam detorquet ad propinqua: vt in becopen/ quod eſt quempiam ſibi malum emiſſe ſua quapiam culpa. Scriuen eſt ſcribere; beſcriuen eſt rem ſcriptione notare. Plena ſunt exemplorum omnia quibus compreſſionis vis luculenta ineſt, quæ nihil attinet enumerare. Hinc fit vt bi apud ſignificet; & bie offero ſiue præbeo; & inde bie apis, quia plurima nobis offerat; ceram ad vulnera, dolores, vlcera curanda; ad lumen cùm in tenebris tum in ſacris & feſtis alendum; ad lintea, ad coria aduerſus aquas munienda; ad infinitos denique vſus. Quid dicam de propoli, quàm multis illa medeatur? Iam mellis, liquoris ſecundum vinum diuiniſſimi, quantus vſus ad corporis valetudinem tuendam! Interrogatus quidam quibus remediis ad tantam ſenectutem perueniſſet; reſpondit, Intus melle, exterius oleo. Quid? nónne ingens Europæ & Aſiæ portio ex melle vinum componit, Cretico viribus & inebriandi facultate quàm proximum? Dies me ante deficiat, quàm ſaluberrimum mellis vſum integrè deſcribam.

Be ſyllabica adiectio in verborum principiis.

Bi.

Bie.

Apis Bie *dicitur, quia plurima nobis offert.*

Num

Num igitur immeritò diuinum hoc animalculum bie ab offerendo præbendoque nomen duxit? Quamquam verò hæc maxima queunt beneficia videri; ſunt tamen ex eadem volucri longè adhuc maiora præſtantioraque, dum reſpublica tota, totumque regnum, ab apibus præcepta & inſtituta optima deducit; quibus & Regis erga populū, & populi erga Regem, & ciuium inter ſe officia quàm clariſſimè docetur, ſi quæ exempla præbent, ea ſtudioſè conſequamur, & omnibus actionibus publicis & priuatis exprimamus. Neque enim bie ſolùm ſignificat offero, ſed crebrò etiam pro impero vſurpatur: quoniam eiuſdem ſupremi numinis ſit, & omnia præbere largirique, & omnibus imperare. Quamobrem architectus vocabulorū ſingulari prudentia monarchiam certis limitibus incluſam per Apis nomen nobis commendauit; quam qui reget, is vt examinis regem imitetur neceſſe eſt, qui ſic ſe gerit, vt ab omnibus apibus ametur, & ſumma cura cuſtodiatur, fidiſſimo ſemper ſatellitio ſeptus; & interim tam abeſt procul à lædendo, vt ne aculeo quidem, quo lædat, ſit inſtructus. Accedit & altera ratio nominis de litterarum commutatione, dum vicina in vicinam tranſit, quam ſequendo bie ad wie alludit, quod ſignificat purgare & conſecrare; quorum vtrumq. Apis egregiè præ- *Wie i. purgo & conſecro.*
bet, dum melle corpora purgantur, & ad lætitiam mulſo perducuntur. Iam & cera corpus purgat, per occultos halitus digerendo, & lumine ſuo mentem conſecrat; dum externo ſigno è tenebris mortalis corporis, ad cælos, & ipſam diuinitatem, & lucem æternam inuitat & deducit. Vaſtum rerum Oceanum ingrederer, ſi hunc locum perinde atque poſtularet, per omnia ſua latifundia oratione dimetiri tentarem. Quòd autem bie offero ſignificet, id in compoſitione etiam cernas: nam Bas pro patre familias vſurpamus, eo quòd is præbeat ſuis alimenta. Ban item vocali longa, ſiue baen / vt vulgò ſcri- Baen.
bunt, eſt idem quod præbens progreſſum: qua voce lata via notatur, quaſi bie-an. Hinc Græcis *βαίνω* pro gradior & eo. A bie Latini habent Apis, adiecto in principio articulo *βαίνω.*
Cimbrico, ceu diceret Abie. Epitheton elegans api datum olim fuiſſe videtur dauwar/ *Apis.*
id eſt, roris cuſtos, ſiue rorem diligenter obſeruans & reponens: qua de voce Hebræi habent ſuum דְבוֹרָה, vbi Vau pro duplice w ponitur. Hinc דְבַשׁ mel vocant, quaſi dauwas/ id eſt, quod ex rore prouenit, vbi Vau eſt omiſſum. Verùm dum דֹּבֶר pro cauſa dicunt, corrumpunt d'oiwar/ quod nobis ſignat ipſam ouium cuſtodiam, à verbo דָבַר d'oi-war/ quod eſt oues cuſtodire; quo Chaldæi pro minare vtuntur. Cùm דִּבֵּר pro loqui ponunt, ipſum Word, id eſt, verbum, pro wort tranſponunt; quod clarius eſt in דָּבָר pro Word.
verbo. At cùm pro eo quod fit, ſiue pro re quapiam, eandem vocem vſurpant; ad wort Wort.
alludunt, quod idem eſt cum Latinorum Fit, ſiue eſſe accipit. דָּבַר pro interfecit, eſt à doot-ber/ id eſt, adfero mortem, deriuatum; vnde & peſtis דֶּבֶר vocatur, quia mortem adfert. מִדְבָּר pro ſolitudine & eremo eſt, à mit-var/ id eſt, cum timore; quia deſerta loca & ſolitudines non ſunt ſine metu; iuxta illud, *Væ homini ſoli.* דָּבָר pro cauſſa & ordine, fit à wart/ quod eſt cuſtodio; quoniam res per cauſſam cuſtodiatur. Vide, quæſo, Wart.
qui vocum Hebraicarum inueſtigari queant radices; & quanta confuſione à linguæ primæ perfectione procedant. Per me tamen licet, vt ſententiam meam reiiciant, &, quam volent, in etymologia viam ſequantur. Huius digreſſionis, Apis, à præbēdo apud nos & Romanos, apud Hebræos à roris cuſtodia habens nomenclaturam, præbuit occaſionem. Hebræi ex Bi/ quo Apud ſignificatur nobis, & Ad, & aliquando Per, vt cùm dicimus, bi Got/ id eſt, per Deum, eam loquēdi formulam duxerunt, vt בְּ pro In, cum, Bi.
quando, ad, per, contra vſurparent. Nobis be longa vocali, & bet preces ſignat; eo quòd Be/ Bet.
per eas ad ipſum vnum & ipſum caput arctiſſimè coniungamur. Ben autem vocali Ben.
breui idem eſt quod Sum; propterea quòd eſſe noſtro ad vnum ipſum, quod eſt een, de- Been.
uinciamur. Been verò vocali longa, oſſa ſignificat, quaſi bi een; quòd oſſa in vnum colligent corpus. A be ſiue bet fit baet ſiue boet; quorum hoc adiumentum & remedium, Bet/ Baet/
illud lucrum & vtilitatem ſignat. ab eodem etiam bet & beter pro meliore; propterea Boet Beter.
quòd preces noſtræ quibus Deo aſtringimur, maximum neceſſitatis humanæ remedium, & ſummam vtilitatem adferant, & perpetuò nos reddant meliores. Sed de hac re in Hieroglyphicis. Ex boet Hebræi conuerterunt טוֹב, quo generatim quoduis bonū vocant; quia quod non iuuat, bonum non ſit. Quia autem panis ad eſſe maximè ſpe- Beig. Beg.
ctat, quod eſt be ſiue ben; neceſſariò etiam nobis maximè rogandus. Breig igitur, & con- *Panis duplex,*
ciſè beg panem notat; qui duplex eſt, vti duplex vita; alter mētis proprius, alter corporis; *mentis & corporis.*

k 4 quo

quo fit, vt ille prius, quàm hic, ſit per preces à Deo petendus, quo mentis vita ſeruetur & alatur. Fit autem à be/ beig/ pro precario; vt à wet/ wettig/ id eſt, à lege legitimum, & ſimilia plurima ab aliis ad eandem formam. Vox igitur Cimbrica beg ſtatim oſtendit, panem omnium precarium eſſe. Orandus itaque Deus huius vocis monitu, quò illud nobis det quod ad eſſe noſtrum plurimùm confert. Confert autem plurimùm panis cæleſtis quo animus noſter paſcitur. *Neque enim ex ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo quod procedit de ore Dei*. Hinc rectè Iſychius feciſſe intelligitur, cum panes cibos animarum fidelium interpretatur. Non parum igitur myſticæ intelligentiæ hæc vox cõprehendit, imò tantum quantũ vix ingenti volumine queat explicari. Iam quia Deus dixit, *Petite, & dabitur vobis*; ipſe nomenclator eam vocis formulam inuenit quę & panem precarium eſſe ſignaret, & adderet præterea per conuerſionem ipſum geb/ quod eſt dono; ceu diceretur, Peto panem: & mox à Deo reſponderetur, geb/ id eſt, do, ſiue dono. Geb item ad petentem referri poteſt, vt dicere intelligatur beg-geb/id eſt, panem da. iuxta orationem conceptis à Chriſto verbis factam. Non igitur etymologia tantùm, ſed vocis etiam conuerſio, neceſſaria collectione demonſtrat, beg noſtras eſſe à primis natalibus vocabulum. A beg fit becker/ mutata media in tenuem geminatam, pro eo qui panem facit. His rationibus Herodoti & Ægyptiorum ſacerdotum accedit auctoritas, qui beg Phrygium vocabulum eſſe docent. Hinc Beccefelana & Ariſtophani & nobis, pro iis quæ ab vltima & prima omnium ætatum origine repetuntur. Ab hoc vocabulo Hebræi mutuantur ſuum בג bag/ pro quouis cibo. Huic præponunt nonnumquam פת quo cibum volunt notari. Nos bet pro morſu dicimus, quia mordens ipſi eet/ quod eſt comedo, proximè accedit. Beet beg ergo eſſet morſus panis, ſiue buccella panis; è quo פת per litterarum viciniam effectum: niſi velimus batbeg dici pro precario pane, cùm bat ſit idem quod orabat. Sed hæc ſatis eſt indicaſſe. Noſtrates è beg/ weg faciunt, vt album candidioremque panem è polline factum notent. Beg enim generatim quemuis panem eſſe, becker & backen declarat; quorum hoc à beg deductum, ad quamuis rem ad modum panis coquendum tranſiit: huius weg/ quo delicatiſſimus panis notatur, conuerſio apertè demonſtrat optimi panis effectum, qui eſt, vt ad æterna ſæcula ſalui perduremus. Ge-ew/ & conciſè gew/idem eſſe intelligatur quod dat æternitatem; à ge pro geet & geeft/ id eſt, dat: vel ge/ ad ſignificet, vt ſit ge-ew/ ad æternitatem. Vtroque certè modo intelligitur, panem cæleſtem cùm delicatiſſimum eſſe, & omnis furfuris expertem, tum etiam eius alimento ad æternam vitam dari vigorem. A beg itaque geb/ pro dono; quia huius panis donatio ſit omnium præſtantiſſima. Geb quaſi gheb, id eſt, ad habendum dicitur: quia eo damus, vt is habeat cui damus. & fortaſſe ea de cauſſa ſic verbum hoc factum eſt, vt intelligamus eum qui dat, eo dare, vt habeat; & nihil dandum eſſe, niſi ad eum finem vt habeamus: quod cùm in ceteris donis, tum in iis maximè cernitur quæ pauperibus conferuntur, quæ damus, vt centuplum accipiamus. Nos è geb/ gef facimus, quo & altera etymologia indicetur, qua gef indicet ge hef/ id eſt, ad eleuandum. Cùm enim omnia dona ad leuandos homines e vitæ neceſſitatibus ſpectent; tum nullum eſt quod altius nos eleuet, quàm panis cæleſtis qui de cælo deſcendit, vt nos ad cælos eleuaret, atque in vitã attolleret ſempiternam. Quanta, boni panis dator, hìc rerum eſt & vocum cognatio! quantum latet myſteriorum! quàm latè in omnem partem ſeſe extendit contemplatio! quàm omnia ſcripturis ſacris conſentiunt! Gef ſi conuertatur, mox oſtendet quid tibi donum Dei præſtet, quodque ſit donum excellentiſſimum. Feg enim ſignificat mundare; quo fit, vt qui gef dicit, non ſolùm attolli velit, ſed addat etiam rationem qua velit & poſſit attolli atque eleuari. Da enim, & munda, dicit, qui gef pronũciat: prorſo ordine Da; ichnæo regreſſu, Munda deſignans. Nec hic gradum ſiſtit contemplatio. Vlterius indicatur quid mundatio atque depurgatio nobis efficiat. Gef enim, pro nomine adiectiuo, idem eſt quod Latinus omni ex parte purum nominaret. Sic enim à Deo mundari cupimus, vt nulla prorſus macula reſtet: & ſanè nullum ſtruthium, nullum nitrum, nullus ſapo tam puras lanas reddit, atq. Deus animos mortalium, quos ſanguine ſuo lauat & emũdat. Viden' modò vocem hanc beg, per quam ad hæc arcana viam inuenimus, non indignam eſſe, cuius notatione lingua omnium antiquiſſima deſignaretur? Vt enim panis corpora alit atque firmat, ita ſermonis primi diligens examinatio mẽtem ad vitam paſcit æternam. Hinc,

Geb. Becker. Beccefelana. Bet. Weg. Backen. Geb. Gef. Feg.

Hinc, dum pueri Ægyptij Bet dicuntur popoſciſſe; docemur ante omnia, rogandum
eſſe eum paſtum ſiue panem, quem Phrygia lingua ſuppeditat iis qui rectè norunt lit-
teras & ſyllabas enumerare. Nihil enim eſt in religione, nihil in toto philoſophiæ regno
quod non doceatur primi ſermonis explicatu: atque hæc vera cauſſa eſt ob quam priſci
homines tam curioſè quæſiuerint, quęnam prima lingua eſſet, vt nimirum ea intellecta,
perſpicerent, quid primus homo à Deo didicerit, quidque de vnaquaque re fuerit edo-
ctus. Non exiguum, me hercules, præmium, non contemnendum operæ ſermoni im-
pendendæ pretium; ſi tota philoſophia & religio ipſius continetur inuolucris. Alij ad
Brachmanes, alij ad Gymnoſophiſtas, alij ad Chaldæos, alij ad Perſas, alij aliò currant
ſapientiæ comparādæ gratia: nos indies magis atq. magis in vernaculi ſermonis ſacrariū
penetremus, atq. inde in lucem proferamus diſciplinam primo homini à Deo infuſam,
cuius adminiculo omnia omnium rerū nomina naturæ earū quamoptimè accõmoda-
uit. Hoc demū eſt patres & maiores interrogare, primū omnium patrū patrem interro-
gare, vt ex ipſo tamquā prima ſapientiæ diuinæ ſcaturigine, diſcamus veritatem. Huius
intelligētiæ diuinitùs, non humanitùs, acceptæ ſigna, quāto mens noſtra acutius perui-
debit; tanto rerū diuinarū doctior euadet. Nihil igitur mirū, ſi tā inſignia ſalutis huma-
næ oracula vocibus ſuis primus nomenclator conſignatit: cùm non ex homine, ſed ex
ipſo opificis fonte ſuam hauſerit doctrinam. Hoc eſt quod per obſcuram famam in Aca-
demiam Socrates inuexit: in rebus diuinis primam notitiam à Deo inſpiratam; mini-
mè verò vlla humani ingenij vel induſtria, vel ratiocinatione, perueſtigatam fuiſſe. In
hac littera illud notandum, ſi vocalis præponatur, compreſſionem in ſe notari, vt in Eb, Eb.
quod eſt maris ſe in ſe contrahentis, & à terra recedentis. Sic Heb habeo, quod alij Hab Heb.
dicunt: be conuerſum eb facit, quoniam ſemper rogandus Deus, vt vndæ tentationum
quibus pulſamur aſſiduè, ceſſent, & veluti Oceanus, ab aggere rationis noſtræ recedát.
Bet conuerſum eſt teb, quo notatur, vel ad ceſſationem impetus vndarum, vel ad ha- Bet. Teb.
bendum aliquid, fieri orationem. Sed hæc Hieroglyphicis reſeruentur. In ben/ pro Ben.
Sum, infinitas quædam latitat myſteriorū; quibus quidquid Platonis ſophiſta, quidquid
Parmenides obſcurè diſputauit, ſic expreſſum eſt, vt non mente modò, ſed manibus
etiam videatur teneri. Dixi antè quæ vis ſit ipſius vocalis E, qua ſimpliciter pronun-
ciata, vel vnum intelligimus, vel articulo præpoſito quidquam notamus. Huic ſi N ad-
das litteram, tinnitu ad ſuperiora palati ita tendente, vt ipſis etiam naribus, tamquam
tibiis biforibus, reſonare videatur; & nomen poteſtatis eiuſdem conſonantis proprium
exprimis, & finem omnium das cogitandum, qui ſic in omnium rerum natura tinnit,
ſic ab omnibus rebus auditur, vt nihil ſit quod non obediat & extemplò ſequatur. Quia
autem E vnitatem notat; efficitur, nihil aliud vt dici queat, quàm vnū omnium finem E.
eſſe, cuius dicto, vti ſonantiſſimo, omnia parere cernuntur. Quia igitur in hoc fine ſu-
premo, quod vnum eſt, omnia coniunguntur; En apud nos pro coniungendi particula En.
vſurpatur. At quia coniunctio vinculo videtur indigere, placuit ſermonis auctori, vt T
ſiue D aliquando adderetur, atque ent vel end diceretur: neque tamen id citra vlterius Ent *ſiue* End.
arcanum, quod in trinitate conſignanda, & perſonis diſtinguendis conſiſtit, ſignante E *Trinitatis*
patrem fundamentum omnium; conſonante N filium, qui non ſonus tantùm patris, *arcanum*
ſed Verbum etiam dicitur; T Spiritum ſanctum, vtrumque amore deuincientem. Quid *in dictione* Ent.
En igitur ſit, ſiue Ent/hinc colligendum: quo cognito, mox eluceſcet quid ſit Ben. B ad-
hæſionem, ſiue preſſam quandam coniunctionem notare, modò declaratum: quo fit, vt
ben idem eſſe intelligatur, ac ſi dicas, fini ipſi omnium, qui non aliud eſt, quàm ipſum
vnum per omnia tinniens, preſsè hæreo atque coniungor; quod primum conuenit ipſi
filio patris æterni. Dum itaque ben dico, ſic mihi cogitandum, me mentiri, & patrem
ſequi mendaciorum, ſi ipſi fini omnium non adhæream, & quod me eſſe aſſero, id non
referam rectiſſimè ad hoc ipſum vnum finem omnium ſupremum. Præterea quidquid
mihi tribuo per hanc vocem, id intelligo per hoc ipſum tantum mihi adeſſe, quòd ipſi
me fini conſtringam; per quem, quidquid boni eſt, accedit; immò nihil boni rationem
alio, quàm hoc ſolo quod ad hunc finem deſtinetur, & ei adhæreat, poteſt tueri. Dum
item Ben dico, in animum venit, per eum me id dicere poſſe, qui primùm & propriè
dicere poteſt, ic ben/ id eſt, ego ſum. Quia autem hic filius Dei eſt; apud Hebræos Ben
pro filio generatim vſurpatur, ratione prorſus ignorata; tametſi ad בִּנָה rationē nominis
eos ſciam

eos ſciam referre. Verùm confuſio tanta accidit, vt in id genus originibus pertinacius ſententiæ cuiquam adhærere, hominis ſit parum intelligentis. Nos item pro ben crebrò dici audimus bin/ citra notationis diſcrimen, lubrico lapſu E in I tranſeunte. Vnde Hebræi בִּין habeant pro intelligere; difficile item ſit non tam inuentu, quàm compro-
Vijn. batu. Vijn nos pro inuenire dicimus, quod propriè & primùm cõuenit intellectui. Wein
Wein. verò idem eſt quod opinari, quaſi dicas, rem vertere modò in hanc, modò in illam partem, nec omnino certum habere, qua ratione eam conſtare oporteat. Vel ab hoc itaque vel ab illo fieri בִּין queat. At cùm בֵּין ſignificat, inter, fit à binnen voce nobis vſitata. Atq.
Bijn. hæc de ben. A bi & een fit bijn pro ligo, quaſi vnum apud vnum dicas; à cuius præterito
Bant. imperfecto bant vinculum deſignat: pro quo Hebræi inter alia habent כֶּבֶל, quod à no-
Cabel. ſtrati voce Cabel deriuari videtur, rudentes notante. Sed cùm rex Hiram per deriſionem viginti opida à Salomone donata terram כָּבוּל vocaret; fortaſſis ad Cauuil alluſit, quod frequens nobis eſt, dum rem ita contemnimus, vt meliorem fieri non fore ſperemus.
Ca. Ca enim malum, vuil ſordes. Quid enim malis ſordibus contemptius? Hebræi quid
Vuil. Hiram dixerit, non facilè de ſua lingua aſſequentur: apud quos tamen Cabuil ita frequens, vt nuſquam frequentius omnium gentium. Sed valeat Ca-vuil, ne nos contaminet. A Bant/ Banda & Bandophorus, & Vaen, de quibus in Gigantomachia.

C littera ſymbolica ſignificatio. ACCEDAMVS modò ad C, in quo pronunciando, preſſius quiddam Terentianus inuenit: Martianus addidit extremas linguæ oras molaribus apprimi: nobis conſtat C & K idem eſſe, atque inde mox liquet, nomen huius litteræ de poteſtate ſumptum,
Ke. ke eſſe debere: qua vocula tum vtimur, cùm quempiam ita rogamus, vt blandiendo orandoque ita premamus, vt niſi impetremus, non videamur ceſſaturi. Sic vſus habet, Ke doet dit/ Ke ic bid u: id eſt, Obnixè te oro, fac hoc; oro te quàm poſſum enixiſſimè. Quis in id genus precibus nõ agnoſcit preſſuram? quis non vehemens deſiderium quo rei cupitæ inſtatur? quis non videt, quàm aptè litterarum naturæ ſermo noſter vocabula
Ec. concinnet? Contrarium ec, vt inuerſione ſoni, ita re ipſa; qua vocula vtimur dum quid-
Drec. quam exhorrendum iudicamus; quodq. minimè nobis cupimus. Hinc drec, quaſi dor-ec, id eſt, à quo penitus abhorremus, pro merda nobis vſurpatur. A ke & ar, quo morari
Car. notatur, fit Car/ pro eo quod enixiſſimè cupimus apud nos morari. Latini Carum hinc
Carus. acceperunt, & exordio vocis & ſignificatione concordans; quæ vox ichnæarum vna ſic retrò legitur, vt id intelligatur, quod in Caro maximè carum eſt. Kac enim vocali,
Kac. perinde vt in Car eſt, longa, idem eſt nobis quod Latinis tango. Prorſa itaque vox con-
Karc *ſiue* Kerc. uerſæ iuncta karrac facit, & ſyncoptôs karc, pro templo, in quo hoc hominum proprium eſt officium, vt ſe Deo, qui ſummum eſt omnium carorum, ita coniungant, vt mente eum continuò tangant, nec vllo ſe modo ab eo ſinant auelli. Quòd ſi kerc, vt plerique pronunciant, dicas; videbitur ipſum templum nobis inſonare ke-rac, id eſt, enixè vehementerque te oro, vt tangas. At quem? Illum nempe quem raac conuerſum demonſtrat, quem caar per exochen dicere debemus. Omnes ergo templi cærimonias, blandas preces nobis fundere putemus, vt cogitatione noſtra deum ipſum, omnium carorũ apicem ſupremum, tangere continuò nitamur. Huius enim ſolius contactus omnia con-
Thom. ſeruat, omnia cuſtodit, omnia tuetur. Vnde templum etiam Thom, & media littera
Dom. Dom dici conſueuit, quaſi het-hu-om, quo id notatur quod vndique tuetur atq. cuſtodit. Hoc vocabulum primùm conuenit ipſi cælo inuiſibili, deinde viſibili, quo omnia vndique in circuitu cuſtodiuntur atque conſeruantur; hocque ſupremum templum eſt & maximum eorum quæ videntur. Cùm ergo quoduis templũ nos oret, vt Deum mente tangamus; tum nullum magis, & maioribus illectamentis, quàm totum cælum admirando ſuo artificio ad opificem inuitans, atque mentem attollens, ad eum contingendum, cuius tam ſtupenda opera oculis cernuntur. Vt autem quoduis templum domus eſt orationis, vt kerc ſatis luculenta notatione nobis inſinuat: ita & cælum quo omnes continemur; & animus noſter domus orationis maximè habeatur, vt vbique & ſemper orandum putemus, atque adeò ipſam hominis vitam nihil aliud eſſe, quàm orationem, intelligamus. Dom itaque domus eſt orationis propriè, quæ ſola nos vndique cuſtodit; tam variè vſurpanda vox, quàm variè ſeſe hæc cuſtodiæ ratio diffundit. Sed hæc iis quæ in Amazonicis ſcripſimus, adiuncta ſufficiant pro tempore, cùm multo prolixiore, non dico ſermone, ſed volumine opus eſſet, ad vim vocis kerc ſiue karc integrè perſequendã.

Ex H,

Ex H, quo ſpiritus indicatur, & A, quo progreſſus ad anteriora dicitur, & C, quo enixa
hæc inſtantia intelligitur, fit Haac/ quod idem eſt ac ſi dicam, maximo deſiderio feror Haac
ad aliquid. Huius ergo tam ingentis ſpiritus, quo ita ferimur, finis eſt ipſum bonum,
quod omnia æquè expetunt. Relicta ergo adſpiratione, aac ſignificat ipſum bonum, ad Ac ſiue Aac.
quod anhelatur, ſiue ſuſpiratur; vbi adſpiratio relinquitur, & preſſura ipſius C retinetur;
vt intelligamus, ipſo bono acquiſito, atque iam preſſè contacto, nos non amplius ſuſpi-
rare, ſed grata perfrui quiete. Eodem modo Hel altum ſignat, eo quòd alta ad Deum Hel.
tendant, qui apex eſt omnium: à quo ſi adſpirationem demas, ipſum illud quod omnium
ſupremum eſt, quodque ad nihil aliud ſuſpirat, intelligemus. Ac ergo bonum, Hac ad
aliquid ſub ratione boni ſuſpiro. Iam quia bonum omnia ex ſe ſuſpendit, & velut ma-
gnes ferrum, tenet affixa; fit vt Haac pro vnco ponatur, & vt verbum etiam vſurpetur,
pro retineo firmiter, velut vnco aut harpagone. Ac pro bono, Ca contrarium habet pro Ca.
malo: in quorum vtroque quamuis vocalis noſtratibus producatur, Græci tamen κακὸς κακὸς.
priore breui dicunt, & ἄκος ab ac pro medicamento ponunt. Ab Ac fit Acs/ pro bonum ἄκος. Acs.
reputo: vbi ſibilus loco affirmationis eſt, vt tota poteſtatis nomenclatura ad compoſi-
tionem veniat, ceu diceretur, Ac-es/ quod redditur Latinis, bonum eſt. Huic contra-
rium Sca/ quaſi dicas, Es-ca/ vel So-ca; quorum illud, eſt malum; hoc, ad malum, Sca.
deſignat. κακὸς autem dicitur à Caac/ voce compoſita ex Ca & Haac/ pro eo qui flagran- Caac.
ti deſiderio fertur ad malum; vt cùm dicimus, Tis een erg Cac. Latini rectiùs in Caco
ſuo priorem ſyllabam productam retinuerunt; quo vocabulo malorum pater denota- *Cacus, ma-*
tur; qua vix vlla vox ſignificantior queat eſſe, ad eius naturam exprimendam, quam to- *lorum pater.*
tam ſcimus vehementiſſimo ardore ad mala præcipitem ferri, & homines, vt ferantur,
maximo niſu omnibuſque machinis continuò pulſare. Beatos, & ter beatos Romanos,
apud quos ſiue Saturnus, ſiue filius eius Ianus fabulæ huic totum ſalutis humanæ my-
ſterium intexuit, dum Caci antrum flamis & tenebris horrens finxit, ad quod boues,
id eſt, homines boum ſimiles, retrorſum ad exitium trahebat: Hunc Hercules occidit
claua ſua; huic ara maxima Romæ conſecrata, certum argumentum, Chriſtum apud
gentes, quarum caput Roma, prædicandum, Iudaica gente ob peruicaciam repudiata;
à qua ſeculi legis in ſeculum gratiæ mutatione, Euander nomen accepit. Nemo mire- *Euander.*
tur, aut indignè ferat, me ſæpiùs ad Chriſtianæ religionis myſteria reuolui; cùm totius
Hermathenæ hic vnicus ſcopus ſit, vt ex ſapiente vocum interpretatione ad apicem ſa-
pientiæ veniamus; quem non alium, quàm Chriſtum eſſe ſcimus. Hunc omnibus ex- *Chriſtus ve-*
ſpectandum, plurimis ſuis vocibus nomenclator oſtendit: & vt aliis aliud de eo prædi- *rus Hercules Cacum occi-*
cat; ita in nomine Caci declarat, quem is, qui mittendus erat, occiſurus eſſet. Oremus *dit.*
ergo, dum Caci recordamur, vt deſiderium, quo ad malum nos ferri ſentimus, Chri-
ſtus gratia ſpiritus ſancti extinguat: qui verus Hercules, vt de Caco triumphum duxit
ad capitolium ſempiternum; ita nos à Caci veneno purgatos vnà ſecum ad epulum
ducat ambroſium, huic victoriæ præparatum. Neque illud hìc omittendum, Cac fau- Cac.
ces nobis dici, propterea quòd & primorum parentum fauces, & noſtræ item, ad ma-
lum inclinent, dum ſuauitatem potius ſequimur, quàm frugalem, ſobriam & mode-
ſtam corporis refocillationem. Hinc Hebræi ſuum חך retinuerunt. Porrò quia Cac di-
citur quaſi Ca Haac/ atque id ſic licet interpretari, vt idem ſit quod malum detineo,
tamquam vnco alligatum: obtinuit loquendi conſuetudo, vt vox hæc pro columna ea
diceretur, in qua ad publicam ignominiam flagitioſi homines ſpectandi deridendique
exponuntur. Ab Ac item fonte, aqua videtur ad Latinos deriuata; non alia de cauſſa, *Aqua vnde*
quàm quòd ea plurimis rebus optima videretur. Quid ſitientibus plantis pluuiæ; quid *dicta.*
vel ſolis, vel laboris, vel febris ardore toſtis fontes ſint & gelidi riui; quid coquis, & me-
dicis, & omnibus denique hominibus ad diuerſiſſimos vſus aquæ præſtent, qui neſcit;
is quid ſcire poſſit, ignoro. Quantum commoditatis flumina, quantum maria, quan-
tum reducti ſinus, quantum freta, quantũ ingentes lacus mortalibus vtilitatis appor-
tent, qui expendere & ad calculum vocare velit:

——Libyci velit æquoris idem
Diſcere quàm multæ Zephyro turbentur arenæ;
Aut, vbi nauigiis violentior incidit Eurus,
Noſſe, quot Ionij veniant ad littora fluctus.

ὕδωρ. Ἄριστον ὕδωρ dixit Pindarus : Thales ὕδωρ omnium rerum principium collocauit: quod nos de ipſo ſummo bono, ſiue omnium bonorum Oceano, intelligimus; qui vere Ac eſt, & verè ὕδωρ, id eſt, vt in prima lingua ſonat, cuſtodiæ origo. Siue igitur Ac dicas, ſiue Hud-wos; de eodem principio agere videberis: quandoquidem vt per ipſum bonum omnia fiunt; ita omnia conſeruantur, & in ſua quæque eſſentia & ſtatu cuſtodiuntur. Orphici ergo, & quotquot ex eiſdem fontibus biberunt, Hy door, ſiue Aquam, principium omniũ dixerunt; ſymbolo tribuentes, quod ei quod ſignificaretur, conueniret. Vt enim boni eſt, ex alto ad omnia deſcendere, & ex infimo loco omnia ſurſum educere, & generatim ſe omnibus communicare: ita inter elementa, aqua ex alto deſcendit, & rurſus per halitus attollitur, & congelata flumina effundit, atque omnibus ſeſe largiſſimè communicat, & animalibus, & plantarum omni generi ſuppeditans alimenta : nec his tantùm, ſed ipſis etiam elementis, dum craſſeſcens terra fit, rareſcens aër, & in maiorem ſubtilitatẽ attenuata tranſit in ignem. Cùm citra alimẽta animalia nulla viuere poſſint, omneque alimenti genus aquæ debeatur: cùm nec herbæ, nec radices, nec caules, nec arbores, nec arborum fructus, nec ſeminum aliquod genus citra aquam creſcere poſſit aut nutriri: neceſſariò colligimus, omnibus ſe aquam communicare, & citra eius cuſtodiam nihil conſeruari aliquе poſſe. Quòd autem Ac pro aqua, ipſius ſummi boni teſſera, apud maiores etiam noſtros in vſu fuerit, certiſſimum capias argumentum ex voce

Aker. Aker, quo vas notatur quo aqua hauritur. Hinc apud Græcos non ἄκος tantũ, ſed ἄκατος

ἄκος, ἄκατος, ἀκάτιον, &c. etiam & ἀκάτιον nomen ſortitur, ceu ac-hat, id eſt, aquam tenens, diceretur: quia ſcapha in aquis & ſe teneat & vectores: & generatim omnia quæ per aquas portantur. Macro-

Achelous. bius & alij non pauci docent, Acheloi nomen generatim pro quauis aqua poni: at cur id fiat, non aſſequuntur. Seruius Oceani & Tethyos filium facit. Etymologiarum ſcriptor pro quauis aqua nomen vſurpari annotauit: verùm cauſſam vocis non adiecit. Nobis Ac hel-hot ſignificat altum aquæ caput, ſiue excelſum aquarum principem. Quemadmodum ergo Bacchus pro vino, ita Achelous pro aqua dicetur, deo præſide, pro eo cui præſidet, collocato. Flumen itaque Ætoliam & Acarnaniam dirimens Acheloi nomen accepit, non à ficticio rege, vti plurimi comminiſcuntur, ſed ab eo quòd princeps eſſet fluuiorum illius terrarum tractus, & idcirco à priſcis Cimmeriis ita vocatus. Hinc illud Virgilij intelligitur,

Poculaq́ inuentis Acheloia miſcuit vndis.

Nec aliò fabula de cornu eius ſpectat, quàm vt intelligamus, aquæ beneficio & irrigatione magnam fructuum copiam è terra prouenire. Sed hac de re alibi plura. Iam & A

A longum multorum riuorũ nomen eſt. longum multis riuis apud nos nomen eſt, propter rectum & apertum fluxum qui nobis hac littera notatur. Atqui riui quò, rogo, properant? ad originem nimirum ſuam in qua cuique bene eſt, quæque omnibus bonum affert. Cùm ergo riuus A vocetur; non mirũ Ac dici id quò A contendit, ex litteræ C natura. Iam Oceanus quem omnium deorum patrem fecit Homerus, nedum ceterarum aquarum, eodem modo littora vndique ex alto ferit quo lingua dentium radices in pronunciando. Rurſus igitur fluxus ad omnem partem ſe preſſiſſimè applicans, bene per A & C exprimetur : quæ ratio vt in ſummo bono primùm, ita ſub cælo in aqua ſuam tuebitur veritatẽ, quoad corpora & elementa permittunt progreſſum. Quòd ſi Ariſtoteles hæc intellexiſſet, non tam craſſè Thaletis ſententiam fuiſſet interpretatus; qui eodem quo Homerus modo audiendus. Ex hac contemplatione illud intelligi poſſet, *Separauitq́ Deus aquas ab aquis.* quod aliàs for-

Haat. taſſis explicabo. Hoc iterum mirum eſt in Haat, quod & alteram includat rationem, quam ſic expoſitam cernes: Ha-ic, idem eſt ac ſi dicas, ſi haberem, quod proprium eius

Acca Laurentia. eſt qui vehementer deſiderat. Quòd ſi circulare ex ac & ra vocabulum fiat, Acca Laurentia nominis ſui originẽ agnoſcet; quæ qualis fuerit, fruſtra Latinos interroges, apud quos ridicula ſunt quædam, quædam ſacrilega de huius numine conficta; quæ Macro-

Laurentalia. bius adducit. Conſtat Laurentalia Iouis feſtum fuiſſe, & in eo diis Manibus in velabro ſacrificari ſolere : præterea de veterum relatu accepimus, cum Hercule eam coiiſſe.

Hercules cũ Acca coit. Quis Hercules ſit, modò ſæpius indicatum; cui quid rei fuerit cum Acca, is clarè cernet qui norit hac voce medicinam mali denotari. Quãdo verò Acca habuit rem cum Hercule? Tum cum in templo Olympico clauæ crucis inniteretur, finem facturus omnium veterum cærimoniarum, quarum ambagibus obſcuriſſimis vera religio, & religionis abſoluta

Lauer.

abſoluta perfectio deſignabatur. Lauer nobis idem eſt, quod obliquis curſibus ventos in mari aut maiore flumine capto; à Laf-wer/ quod eſt remiſſioni curſus repugno: formula compoſitionis eadem, quæ annotata eſt à nobis in Grauen/ pro Gar auwen. Priſci homines lubenter ſymbola ab aquis & mari ad religionem tranſtulerunt. Hinc nomen Adam apud noſtrates, pro primo homine; hinc Stepper/ pro creatore; hinc Vater/ pro Deo patre. Nam veteres in hoc vitæ Oceano numquam directè & ſecundis ventis ad felicitatis portum ferebantur: ſed obliquis flexibus, atque iis infinitis, omnibus tamen per ambages eodem tendentibus. Aliis ritibus Iudæi, aliis Cimbri, aliis alij, velut obliquis curſibus, vtebantur, quo tandem per multos mæandros ad veram religionis metam deueherentur: Nec quiſquam erat, qui recto & explicato orationis filo, Chriſti in cruce mortem aperiret: ſed omnes, quotquot de ea, diuino inſtinctu, vel apud Hebræos ſunt vaticinati, vel apud Ianigenas; vel fabulis veritatem occultauerunt, vel obſcuris & intricatis ambagibus, quæ vera hominis ſalus eſſet, coniectandum potius, quàm intelligendum, dederunt. Huius obliquitatis non ante finis erat futurus, quàm is veniret, qui hos plus quàm Gordios nodos diſſolueret; & quid iis vates inuoluiſſent, aperiret.

Chriſti in cruce mortem nemo Iudæorum, Cimbrorum, aut aliorum recto & explicato orationis filo aperuit.

Acca et Laurētia dicta eſt mors Chriſti.

Chriſti ergo pretioſiſſima mors ob eam cauſſam Acca dicta eſt, quòd omnem mali vim in nobis curatura eſſet; Laurentia verò, quòd obliquis huius vitæ curſibus & doctrinæ allegoricæ finem eſſet impoſitura: Lauer-ent enim finem notat omnis illius diſcurſus quo ventos captamus. Hæc autem mors cum Hercule concubuit in aperto quidem cæli templo; verùm ita occulte, vt deitas apud vulgus lateret. Plutarchus in problematis duas Accas Laurentias facit; & alteri in Aprili ſacrificari ſolere aſſerit: quod equidem nec apud Latinos inuenio, nec vnde acceperit, coniectare poſſum. Nec illud ſatis perſpicio, quî dictum à Macrobio ſit, decimo Calendas Ianuarias celebrari Laurentalia; cùm ea ſextæ diei tribuat Varro.

Saturnalia.

Magnam in faſtis errorum varietatem ſuper Saturnalibus fuiſſe, ſatis à Macrobio indicatum; de quibus quod antiquiſſimis placuiſſe cerno, id puto veriſſimum. Nonius itaque Atellanarum ſcriptor, & poſt hunc Mummius, ſeptem dies Saturnalibus tribuerunt; ad quorum ſupputationem referendum, quod à Varrone dictum, ſexto Saturnaliorum die Ioui Laurentalia celebrari. Quid quòd pòſt etiam, Macrobio teſte, ad ſeptem dies diſcurſus publicus, & lætitia religionis extendebatur, adiectis Sigillariorum feſtis.

Sigillariorum feſta.

Quamobrem vtut menſem diuerſis temporibus Romani fuerint partiti: illud perſpicuum, & olim, & pòſt, Macrobij adhuc ætate ſeptem dies feſtos Saturnalibus dedicatos fuiſſe, & in iis vltimum proprie Saturni nomine fuiſſe inſignitum, vt & ſabbatum eſſet, quod Saturno dedicatur, & æternam tranquillitatem meritis ſextæ diei ſuccedentem denotaret.

Saturni dies feſtus Sabbathum eſt.

Accæ ſextus dies ſacer.

Sextus igitur dies Accæ ſacer, quia ſexto die, & ſexta eius diei hora, Chriſtus cruci erat affigendus, & curationem omnis mali exorſurus, quam nona hora abſolueret. Præter autem ceterorum parentaliorum ritum, quæ atra die peragi Pontificum decretis vetitum erat, feſtus hic dies Atra dicebatur; quod in Varrone lectum, perperam correctum eſſe à M. Vertrannio Mauro arbitramur.

Atra dies mortis Chriſti.

Credimus enim nec à M. Varrone, nec à quopiam alio intellectum, cur Atra diceretur; non magis ſanè, quàm cur eodem die Diis manibus ſeruilibus facerent Sacerdotes; quod tamen poſterius tanta conſtantia in omnibus exemplaribus legitur, vt ne auderet quidem Maurus vocem Seruilibus eliminare, tametſi eam intelligere nequiret. Nos vetere lectione ſalua, & Atram diem dicimus, & Manes ſeruiles vocamus; & non ſolum in his ſacris Iouis fuiſſe mentionem, quem aliis atris diebus nominare nefas ducebant; ſed totum etiam ſacrificium ad Iouem patrem dicimus pertinere; cui filius Chriſtus oblatus eſt, ad expiandos hominum animos, qui ſeruituti perpetua ipſi Malo erant adſtricti.

Seruiles Manes

Laurentalia Ioui celebrata.

Diis autem manibus ſeruilibus faciebant ſacerdotes, propterea quòd omnes omnium hominum manes in Cacodæmonis vinculis tantiſper eſſent detinendi, donec ab Acca Laurentia liberarentur. Quàm verò Atra hæc dies fuerit, ex Euangelio notum; è quo tenebras per vniuerſam terram medio die factas docemur.

Diis manibus ſeruilibus in Velabro ſacrificium peragi ſolitum.

Porrò optimè in Velabro ſacrificium hoc peragebatur: vt Velabri & nomine & vſu moneremur, ad id ſacra hæc fieri, quo cœnum & ſordes omnes ex hominum animis perinde tollerentur, atque per hanc lacunam vrbis ſordes effluebant.

Velabrum.

Velabrum enim dicitur à Vuilen bzun/ quo cœnoſa & fœda aqua denotatur: qua in voce mirum non eſt ui diphthongum in aliam ſiue vocalem ſiue diphthongum eſſe mutatam, eo quòd illa

Latini non ferè vterentur. Nunc itaque ſcimus linguæ Cimmeriæ beneficio, cuius vſus in Italia fuit antiquiſſimus, quæ ſit Acca, cur dicta Laurentia, cur ſexto die culta, cur Atra eius dies, cur item Ioui Laurentalia celebrarentur, tum qua de cauſſa diis *Acca, Venus.* Manibus ſeruilibus in Velabro ſacrificium peragi diceretur. Quòd ſi Accam Venerem vocem, nihil peccauero: quoniam & dies Veneris, dies Accæ eſſet; & quia omnis hominum in Tartareum cœnum demerſorum venuſtas ſoli Accæ Laurentiæ debeatur. Acceperant fortaſſe Romani à maioribus obſcuram aliquam opinionem, Accam Laurentiam ad Venerem ſpectare: quod cùm non intelligerent, prolapſi ſunt in fabu- *Acca Laurẽtia Romuli nutrix.* las de ſcorto; quòd ſcorta Veneris propria eſſe exiſtimarent. Sed quid ſibi vult, quòd Romuli nutrix fuiſſe dicatur? Id ſecuta ſæcula apertum fecerunt; dum Romani non ſolùm mortis Chriſti verbo ſunt nutriti, & refocillati; ſed eò etiam dignitatis in religione adſcenderũt, vt ceteræ Chriſtianorũ diœceſes ad Romanã, tamquã ad caput, referrentur. Meritò itaq. Venus Romanorum maioribus ſemper fauiſſe dicitur; meritò Acca Laurentia Romulum nutriiſſe: tum quia Deus populum Romanum perpetuò ſeruauit, & euexit; vt ſub eius imperio mundus diuino diuini verbi nectare recrearetur; tum quia Roma ex mortis Chriſti prædicatione præcipuum ſuum robur & æternitatem eſſet habitura: quæ cùm ſe ita habere clare videamus; quid ni Accam Laurentiam Romuli nutricẽ vocemus, è qua Romulidas omne lac, & omne roboris & durationis ſuæ nutri- *Acca Lupa vocata.* mentũ & iam olim ſuxiſſe, & hactenus ſugere videmus. Eòdẽ & Lupa ſignũ Hieroglyphicũ ſpectat. Sic enim Acca vocabatur; quòd per ipſam ſolam populis omnibus cum Deo patre pax æterna ſanciretur: quod voce Lu-pa, ſiue vt integrè Lui-pai dicimus, nihil aliud ſignificetur, quàm reddo populos contentos: quod fieri non poteſt, niſi pax *Pai.* cum Deo patre contingat. Nam a verbo Pai, quod eſt contentum reddo, fit Pais, quod *Pais.* Latinis Pax eſt: quoniam nullius populi votis ſatisfieri poſſit, niſi pax cum Patre noſtro cæleſti intercedat. Quàm hæc bene quadrant cum Hercule, Accæ amico, ſemper dicere ſolito, *Pax huic domui:* &, *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Quam pacem? Eam quam per Accam dedit mundo: quæ idcirco Luipai vocata, & fabulæ de Lupa Romuli nutrice confictæ, & ſigno nomini ipſi proximè reſpondenti dedit occaſio- *Lupa ſcortũ publicũ quare dicatur.* nem: nec aliunde factum, vt Lupa pro ſcorto publico caperetur; quàm quòd meretrix populum contentum reddat, totius populi, non vnius ſatisfaciens voluptati. Sed hæc propria erant antiquitatum Romanarũ, in quibus de Euandro, de Hercule, de Caco, de Ara maxima, quæ hactenus Romæ eſt, de Acca Laurentia, de Quirino, deque id genus ceteris, ſi tempus detur, ex aduerſariis noſtris agemus. Hîc exempli dumtaxat cauſſa tractanti neceſſarium fuerit hæc obiter diſcutere, & ad ſcopum dirigere veritatis; partim vt cudendarum vocum ratio tradatur; partim vt omnes intelligant, quò cognitionis vſq. per has litterarũ minutias adſpirare poſſimus. Hac itaq. & Ac eo differunt, quòd illo, dum actus habet notionem, notetur ſpiratio ad bonum; hoc verò ipſum bonum, à *Hac.* quo quia omnia pendent, Hac itidem vncum notat, quòd ex bono, tanquam vnco & capite catenæ Iouialis omnia dependeant. Poſſet quiſquam mortalium ingenio ſuo tantum valere, tantum intelligere, tantum inueſtigando aſſequi, vt hoc artificium quod in vocibus his, Hac/ ac/ ca deprehenditur, æquaret? Quàm verò prope naturam ipſam nomenclator ſit ſecutus; declarat ea particula orationis quam Grammatici Interiectio- *Ach.* nem vocant. Ach enim dolentis eſt, ob bonum amiſſum, ſpiritu nimirum poſtpoſito, vt ſignificetur bonum antè præteriiſſe, quàm toto ſpiritu ad ipſum ferremur. Huic ſi Tau *Acht.* nota vinculi addatur, fit verbum, quo ſignificatur Bonum æſtima: quaſi quis dicat, illud tene, & tibi alliga; quod ſi amiſeris, dolebis, & exclamabis, Ach. Iam quia hæc littera *Och.* C dentium inferiorum radices vndique contingit, factum eſt, vt Och ſit optantis; ceu *Ooc.* diceretur, in rotundo rerum curſu vellem hoc contingere. Ooc porrò idem eſt quod Etiam, rotundo videlicet rerum decurſui adiunctum ſiue contingens illud, quod eſt modò deuolutum, quod Latini cõuerterunt, pro Ooc Quoque dicentes, tempore etiam mutato, quod frequenter in vocum imitatione neglectum videmus, vt apud Græcos *Hoec.* in ἄκος ab Ac & apud Latinos in aqua ab eodem. Hinc item fit vt Hoec ſit angulus; quia ſuperficies ſeſe in angulo cõtingant. Sic & Com pro Venio dicimus, ceu diceretur ipſum Om, id eſt, rerum circuitum attingo; à quo Hebræi קם habent, ſignificatu nonnihil mu- *Cap.* tato, pro Surgo. Sed in Cap apertiſſima eſt huius litteræ notatio, ſignificante nimirum

ipſum

ipſum ſupremum vndique è medio eleuato, contingens ea quorum eſt ſupremum. In domo, in templo tectum ſupremum, in mundo cælum, in veſtibus veſtem ſupremam cap vocamus. Eſt igitur cap quaſi coniunctum ipſi hap, quod eſt apprehendo. Sed hac de re in Hieroglyphicis. *Hap.* Ex eadem littera fit can pro poſſum, & ſcio; quorum vtrumq. *Can.* in eo conſiſtit, vt is qui poteſt vel ſcit, id quod poteſt vel ſcit apprehendat, atque arcte complectatur. Hinc Canis apud Latinos, à notitia, quòd ea hoc animal maximè valeat; *Canis.* vt vel ſolo Vlyſſis cane queat conuinci. Hinc can nobis pro poculo, quoniá pocula plurimùm poſſint, & homines reddant omnium rerum & gnaros & potentes. Can verbum in præterito imperfecto facit con; vnde *κύων* pro cane. *κύων.* Plato teſtis eſt Phryges olim canem eiuſmodi voce nominaſſe; cuius teſtificatione fretus nihil vereor aſſerere, olim canem apud Cimbros con fuiſſe nominatum, à quibus Græci *κυνὸς*, & Latini canis nomẽ *Con.* retinuerunt: quarum vocum nec hi, nec illi veram rationem aſſignare poſſent. *Coen.* Nos hactenus dicimus vulgato prouerbio, Coenken onſen hont, è quo charientiſmo clarũ eſt, Coen olim canem denotaſſe. Con apud nos idem eſt quod poteram vel ſciebam; quæ vox ſi producatur, fortem & animoſum notabit. Canis autem non ſolùm notitia plurimùm valet, ſed animal etiam eſt animoſiſſimum. Non mirum igitur, ſi Canis philoſophi ſymbolum fiat, cùm proprium philoſophi ſit, & plurimùm in rerum cauſſis cognoſcendis poſſe, & animum habere maximum. *Canis, philoſophi ſymbolum.* Non leue igitur fuit Socratis iuſiurandũ, dum per canem iurabat: & quáuis Plato fortaſſis huius etymologiæ eſſet ignarus, ductu tamen rerum & rationis eò peruenit, vt intelligeret, Remp. tum optimè habere, cum vel philoſophus regnaret, vel rex philoſopharetur; quod apud nos regis nomine ſignificatur. Con enim eam habet, quam dixi, interpretationem, cui hing, quod eſt omnia ex ſe habere ſuſpenſa, adiunctum, facit Coning; quo nomine rex vocari non meretur, niſi *Coning.* rerum earum quas regit, ſcientia polleat, & potentia plurimùm valeat, & pectus ad res gerendas habeat animoſum, & talis præterea in regno ſuo ſit, vt omnia ex ipſo, non ex alio, pendeant: Hebræi Melech dicunt, quæ vox ad primam linguá vocata eum ſignificat qui docet atque aperit hominibus ipſum Echt ſiue Egt, id eſt, legitimum quo omnia deuinciuntur. Quidquid regis eſt, Mel-echt explicabit, ſi quis ab Echt ad E progrediatur, quo iuſtam rerum omnium vnionem denotamus. Habent Latini Regis nomẽ; *Rex vnde dictus.* ſed vnde deriuetur, parum intelligunt. Neque enim Rex à rego fit, ſed & hoc & illud Cimbricos habet natales. *Re.* Re rationem ſignat; quia fluxus eſt ad vnum: cui contrarium *er.* er, vnde Erro Latinorum. Hinc Recht quaſi Re hecht. *Recht.* Eſt autem hecht annecto & deuincio: & vt nomen quo aliquid firmiter tenetur. *Hecht.* Et eſt alioquin à Re Re-ig; & hinc Reig & Regt; ſicut ab Ee, ee-ig; & hinc eigen, & eegen, & eegt. Vel ergo compoſitam vel ſimplicem dictionem intelligere licet, citra ſignificationis mutationem. Quid quòd litteræ th & t adiectæ ipſi Re notant, per Recht ipſum Re ad omnia præ ſe appelli & alligari. A Recht fit Rex, quaſi Rechs primum nomen fuiſſet. A Re item fit Regen, pro eo quod eſt *Regen.* per rectum ducere: vnde Rego Latinorum. *Rego.* Rex itaque is erit qui omnia ratione fieri curat, & ſic conſiſtere, vt non ſolùm eam tangant; ſed cum ea etiam ſint deuincta. A Regen fit Regel, quæ menſura eſt ad quam res quæpiam dirigitur; à quo Regula. *Regel.* Videmus itaque ex hac noſtra lingua, non regis modò officium; ſed illud etiam quòd omnia *Regula.* ad rectam rationem ſint dirigenda; & rectam rationem nihil aliud eſſe, quàm fluxum ad vnum, per R & E ſignificatum: quarum litterarum ſonus ipſarum rerum ſimilitudinem geſtat. Quis hîc non obſtupeſcat, immò quis non è mentis ſtupore, in quo hactenus plerique iacuerunt, excitetur; dum tantum videt rerum vna vocula contineri? Quàm breui compendio Ethica, Oeconomica, Politica, atque adeò omnem ſcientiarum & artium baſim complexus eſt, qui nomen Recht primus inuenit? Sed dum de baſi fortè loquor, in mentem venit nominis Græci, quo Rex nominatur; *βασιλεύς*, Baſis eſt *βασιλεύς.* populi: quo nomine indicatur, nullam humanam ſocietatem bene fundatam & ſtabilitam eſſe, niſi ab vno capite regatur:

> *Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.* id eſt,
> *Multorum imperium prauum, rex vnus habetor.*

Baes autem ſiue Bas a longa, eſt epitheton terræ, factum à bie-aes, quo præbeo alimentum ſignificatur. *Baes ſiue Bas.* Vnde fit vt Bas non ſolùm infimum elementum notet, ſed quemuis etiam qui nobis alimenta præbet. Sic vulgò famuli & domeſtici omnes herum ſuum

Baſis.

Baes vocant;quia videlicet omnibus ſuis domeſticis alimenta præbeat. Iam quia terra quæ bas vocatur per excellentiam,omnia ſuſtinet atque firmat; factum,vt bas pro fundamento ſtabilimentoque quarumuis rerum poneretur. λεὼς porrò populus eſt, à Lie

λεὼς. Lie.

noſtrati, vnde & לאם Hebræorum. Baſileus igitur non ſtabilimentum tantùm eſt, atq. populi ſui firmamentũ; ſed paſtor etiam, & is cuius eſt offerre omnibus alimenta. Hinc bene Homerus Regem ποιμένα λαῶν, vti modò dixi, vocauit; hac ratione Baſileos nomen, licet fortaſſe neſciret,interpretatus. Credo equidẽ a Phrygibus Ioniæ vicinis cum plurima alia, tum hoc etiam didiciſſe. Quòd ſi Baſileus eſt qui non ſolũ populum confirmat, ſed etiam alit; quid de illo dicendum quem per duo pugnantia vocabula poëta δημόβορον βασιλέα vocauit? O quàm prouidus fuit rerum omnium nomenclator qui veritus, ne populus à Rege deuoraretur,illud cognomen Regi dedit,quo moneretur,vt populum paſceret. Sint igitur Reges populorum paſtores, non demouori, ſi Baſilees dici velint: ſemper item ſe, & ſua, atque omnes, & omnia omnium ad rationem dirigant, & in ratione cõtineant, ſi Reges, vt dicuntur,ita eſſe cupiant. Porrò Coningi dici non merentur, niſi plus ceteris & ſciant,& poſſint,& animoſe gerant, atq. tales ſe præſtent, vt ex ipſis omnia pendeant: quæ quatuor diuina dona ad Cimbricum regis nomen implendum requiruntur. Sed quia à bas ſumus prolapſi,addamus & illud bas pro infimo etiam dici quod à Germanis Franco Romani,& Itali, & Hiſpani Germaniſantes retinuerunt.Hinc Baſſus apud Muſicos pro infima voce,in qua quodammodo baſis eſt ipſius cantus. Vidimus obiter quid ſit Baſis,& vnde dicatur, quod hactenus nemiẽ puto animaduertiſſe. Terra itaque prima omnium baſis, quia omnibus ſuppeditat alimenta: hinc ad ſuſtentaculum tranſiit, quia omnia tellus ſuſtinet: inde rurſus ad infimum,eo quòd elemẽtum omnia alens & ſuſtinens ſit infimum. Habemus nunc explicatas rationes,ob quas Canis apud Græcos & Latinos nomẽ ſit adeptus,& qua de cauſſa teſſera ſit philoſophorum; nimirum, quia notitiam optimam habeat,& ignorantiam ſummè oderit: quod ſatis declarat,dum eundem, cùm ignotus eſt, latratibus & morſibus inuadit; & pòſt, cùm innotuerit, adulatione demulcet. Non enim hominẽ oderat, ſed ignorantiam; qua depulſa, odium ceſſat. Ex hoc liquet, quid ſibi fabula velit, qua fertur, à cane Cyrum maximum Perſarum regem fuiſſe enutritum: haud aliud nimirum, quàm Cyrum omnibus regiis dotibus fuiſſe præditum, quæ canis ſymbolo denotantur. Canis enim ab eo quòd nòtitiæ ſit excellentis,nomen habet, & ton olim dictus eſt, quòd non tantùm notitiam habeat,ſed quòd potẽs etiam animal ſit,& animoſum: quas virtutes in regibus eſſe debere, Cimbrico nomine docemur. Hinc Anubis capite canino pingebatur, qui in Hieroglyphicis teſſeram gerebat eius qui nobis iter ad cuſtodiam & tutelam noſtri demonſtrat, quem Hermanubin etiam vocarunt. Plutarchus hac de re ita: ὁ δὲ ἀναφαίνων τὰ οὐράνια καὶ τῶν ἄνω φερομένων ἄνουβις λόγος, ἔστι δὲ ὅτε καὶ ἑρμάνουβις ὀνομάζεται. id eſt, Ratio atque ſermo nobis cæleſtia & ſuperiorum lationes declarans, Anubis eſt, qui & Hermanubis vocatur. Credidit fortaſſe ab ἄνω, quod ſurſum notat,vocatum Anubin Priſcas,apud Ægyptios ſacerdotes,voces Phrygias fuiſſe,fabula de Bec oſtendit. An ſiue aen nobis eſt nota cuiuſuis ad anteriora progreſſus, vt oſtenſum eſt. Hic itaque pro Ad ponitur. Quocirca Anubis integre diceretur An-hu-wijs, id eſt, ad cuſtodiam monſtro. Hu ſiue hu cuſtodia. Wijs demonſtro. Anubis igitur canis caput habet; vt moneat, neminem, niſi ſagacem,iter ad cuſtodiam poſſe monſtrare; & de nomine Canis neminem rectè hoc iter docere,niſi quod docet,ipſe prius norit. Demõſtrat præterea eum qui docet, animoſum eſſe debere, & audacter latrare contra ignorantes. Canem autem ſymbolum doctoris eſſe, non de vetuſto tantùm nomine, ſed etiam ex Eſaia diſcas; apud quem dicit Dominus: *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi; canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes ſomnia: Et canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem; ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam.* Hic videmus, populi ſiue paſtores,ſiue doctores,ſiue Epiſcopos, canes vocari: quoniam ipſorum ſit tum ſcire & videre quid in omnibus fieri oporteat; tum alta voce & magno animo docere veritatem, & lupos omnes à grege, quem cuſtodiendum acceperunt, arcere. Accuſat ergo eos Deus,quòd non ſolum non doceant,& latrent contra ignorantes; ſed ne ipſi quidem videant,& ſciant veritatem. Tum etiam tantũ abeſſe,vt gregem paſcentẽ contra lupos cuſtodiant; vt ipſimet perpetuò prædis inhient, auaritia nũquam ſatianda.

Regis veri quatuor diuina dona in nomine Cimbrico Coning.

Baſſus.

Canis, teſſera philoſophorũ.

Cyrus Perſarum rex quare à cane enutritus dicatur.

Anubis quare depictus capite canino.

Hermanubis.

An. Hu. Wijs.

Anubis vnde dictus.

Canis, ſymbolum doctorum,paſtorũ, populi & epiſcoporum.

ſatianda. Non habere itaq. eos quæ in bono cane laudanda ſunt; ſed ea quæ in hoc animali ſunt vituperanda; voracitatẽ ſcilicet, & impudentiam, & pro vigilia altũ ſoporem. Videtur apud Hebræos etiam Cimbricum Canis nomen reſtare כֶּלֶב à Ceulieb/ quo ſignificatur notitiæ amicus; adeò vt parum abſit à philoſophi notione, cùm idem eſſe videatur amicus notitiæ, & amicus ſapientiæ. Nil autem miri, Nun eſſe exemptum ab Hebræis, vtpote trium litterarum, quàm veræ rationis, amantioribus. Ex his itaque & Anubis interpretatione liquet, cuſtodiæ doctoribus Anubin præſidere: cui ſi Hermæ nomen præponas, idem fuerit ac ſi diceretur, publicus monitor ad cuſtodiam iter monſtrans. Miror Pierium pro impudente hominem canino capite pinxiſſe; cùm Anubis ſic pingeretur, non pro impudente, ſed, vti dico, pro numine cuſtodiam tutelamque homini demonſtrante: tum quia Canis cuſtos, & nomine ſuo ſcientiam indicat; tum quòd contra veritatis & ſapientiæ deſertores non dentes modò, ſed animum etiam & latratum habere oporteat. Præterea cuſtodiæ doctorem ſagacem decet eſſe; partim in rerum cauſſis inueniendis & explicandis, partim in diſcipulorum ingeniis agnoſcendis atque tractandis; tum etiam vigilem, ne quis error, ne quod peccatum, ne qua fraus irrepat. Quamobrem in ſacris Iſidis Anubis præcedebat, vti doctor & præmonſtrator tutelæ omnium, cuius ritus cauſſam nequicquam ab aliis interroges. Quod verò cuſtodiam potiſſimùm doceret; palmæ ramo & caduceo oſtendebat, quorum hoc læua, illum dextra portabat; indicium ſe pacem demonſtrare & victoriam: pacem quidem cum patre cæleſti, victoriam verò aduerſus draconem & mortem; quibus rebus tota humani generis tutela continetur. Eò enim omnis religio, omnes ritus, omnes cærimoniæ ſpectant; vt diſcamus, qua via, quo deprecatore, quo medio pax nobis cum æterno patre ſit concilianda, & victoria aduerſus cacodæmonis & carnis inſultus conſequenda, quo ab interitu æterno cuſtodiamur. Liquet itaque vocem hanc primùm & propriè Chriſto conuenire, qui nos ducit ad Iſidem, ipſius Patris ſapientiam & veritatem, per quam ad patrem venies; quem Ons Heer/ id eſt, Dominum noſtrum vocamus, à quo corruptum Oſiridis nomen apud Ægyptios remanſit. Sed de his plura in Hieroglyphicis. Vide quàm philoſophum me reddiderit vetus canis apud Phryges nomen; à Platone commemoratum illud quidem, ſed minimè ad originem ſuam reductum. Can igitur ſiue Ken idem eſt quod poſſum & noſco. Nunc quid ſumma noſtra poteſtas nobis, quid ſumma notitia præſtat? Id ſi ſcire velis, conuerte vocem, quæ Nac/ ſiue Nek facit, quod ſignificat appropinquo. Sed quid eſt, cui ſumma mentis poteſtate & ſumma notitia euadimus propinqui? Ipſum illud, quò omnia deſiderio ſupremo ferũtur; ipſum videlicet bonum, quod nobis Goet dicitur, à Got/ qua voce Deum vocamus; quia bonum à Deo deſcendit, & ad Deum deducit, dum de Cimbrica nominis deriuatione cogitamus. De hac poteſtate, qua Deo propinqui euadimus, locutus eſt ille qui dixit: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Per notitiam item ſic Deo appropinquamus, vt in eo cognoſcendo vita æterna & ſumma felicitas conſiſtat. Optimè igitur Can & Nac voces hanc habent conuerſionem, vt proſæ vtilitatem verſa proponat. Ab hoc vocabulo Can/ Latini retinuerunt Vulcani nomen. Idem enim eſt Vul-can ſiue vol-can quod plenum ſcientia & poteſtate: quæ vis à Deo filio, qui patris ſapientia eſt & poteſtas, ad omnes creaturas deſcendit. Hinc quia inter corpora maxima vis eſt ipſius ignis, factum vt ignis Vulcanus vocaretur. Calore enim ignis omnia & fabricantur & viuunt. Calor igitur ille cęleſtis verè eſt Vulcanus: verùm dum in corpora & elementa frigida decidit, claudus efficitur. Quia autem caloris huius beneficio ferimur & eleuâmur; Heph haeſt vocatur, id eſt, eleuans celeriter, vel eleuationis celeritas; vnde Græci retinuerunt ἥφαιστος. Huic vxorem dant Venerem; quia caloris vitalis effectus eſt pulcritudo. Quòd ſi Deo vox applicetur; vim eius opificem notabit, atque inde per ordines ſuperiores ad inferiores deſcendit, omnibus notitiæ & poteſtatis particulas diſtribuens, quas venuſtas pro ſua cuiuſque portione comitatur. Volcani igitur proprium eſt, ſcire & poſſe, qua de cauſſa faber vocatur; & cui maximè affulſerit, ei plurimum notitiæ poteſtatiſque ad faciendum agendumque largietur.

Anubis in ſacris Iſidis præcedere ſolet. *Oſiris.* Can *ſiue* Ken. Nac *ſiue* Nek. Goet. Got. *Vulcanus.* ἥφαιστος.

Pergamus nunc ad D, quæ medium ſonum facit inter T & Th; de quibus Terentiani verſus repetantur:

At portio dentes quoties ſuprema linguæ
Pulſauerit imos, modicéque ſummos;
Tunc D ſonitum perficit, explicátque vocem.
T qua ſuperis dentibus intima eſt origo,
Summa ſatis eſt ad ſonitum ferire lingua.

D litteræ ſymbolica ſignificatio. Plato huic litteræ vinciendi ligandique vim aſſignauit, fortaſſe non alia ratione, quàm quòd prima eſſet in δεσμός. Nam quod de vi innixus & compreſſione dicit; non admodum mihi probatur. Hebræi linguæ litteras dicunt; quàm aptè, ipſi viderint. Suſpicor ſanè Platonem apud Ægyptios ſacerdotes de myſteriis Tau leuem accepiſſe auditionem, qua ligandi ratio fuerit indicata. Nos Terentianum & Martianum Capellam laudamus, qui linguæ ad dentes appulſu has litteras formant. Dentes autem apud vetuſtiſſimos hominibus dati dicebantur, quo iis lingua coërceretur. Hinc Homero frequens ἕρκος ὀδόντων. Cùm igitur in harum pronuntiatione linguæ extremitas dentibus, quibus ſonus eius ligatur, impellitur & coërcetur eorum illiſione; fit vt ſonus earum *Tau. Taut. Dens. Te.* ad vinculi vim exprimendum commodus videretur. Hinc Tau funis nobis vocatur; & Tant dentes, quia ſermonis progreſſum per An notatum dentes coërcent; vnde dens Latinorum. Te apud nos, ad, & in, ſignificat; quia lingua ad dentes appellitur. Sic, Te Louen/ id eſt, ad Louanium, vel in Louanio: Te doen / te gaen / idem quod ad faciendum, ad eundum. *To. Tot.* To item & Tot/ ad etiam & vſque notant, eadem ratione, quòd lingua ad dentes vſque ſe extendat. Quia autem dentibus clauditur, To etiam clauſum apud nos ſignat. *Doe.* A To pro ad, fit Doe pro ago; quia quicquid agitur, ad aliquid refertur, tamquam ſuum finem: & quia in To/ T coniungitur ipſi O, indicatur, omnia quæ facimus, ad æternum finem eſſe deſtinanda: quoniam æternitas rotunditate eius notetur. Artificium vocis minimè negligendum, à quo aliæ linguæ longè receſſerunt. *Tai.* Tai ſignificat id quod lentum eſt, & difficile ad rumpendum; quæ natura vinculis apta *Doot. Toem. Tam. Mat. Moet.* eſt. Doot eſt mors, quia nos æternitati alligat. Toem eſt frenum, in quo aperta ligandi vis cernitur. Tam eſt domitum, cui opponitur Mat/ pro indomito; ſicut illi Moet pro animo, quòd animus freno maximè aduerſetur: & quia animo indomito, in quo ſuperbia eſt, in omnes neceſſitates & moleſtias incidimus; factum eſt, vt Moet pro moleſtia, dum nomen eſt, ponatur; dum verbum eſt, idem ſignificet quod neceſſe eſt. Nuſquam nomenclator à religione noſtra aberrat: ſemper plus habet in receſſu, quàm prima fronte promittat. Quod ſi rectè conſideres, à freni nomine, per conuerſionem, animi nomen fieri; quia animus freno ſit contrarius: intelliges, qua de cauſſa animus noſter figura equi in hieroglyphicis ſignetur: qua de re in Veneticis, quo loco Diomedis equos *θυμός.* ad ſignificationem deduco. A Moet Græci θυμός fecerunt, conuerſione litterarum, & *Anubis hieroglyphicum ſignum.* aſpirata pro tenui admiſſa. Huc ſpectat Anubis hieroglyphicum ſignum, in quo tria capita, canis, hominis & equi, ſignificant, doctorem debere non ſolùm ſcientiam habere, ſed animum etiam. Facies igitur media Selenica eſt, & barbata, Doctoris ſymbolum gerens, quæ media ponitur, vt in animo & notitia humana ratio in medio con*Menſch.* tineat omnia, & id faciat quod homo Cimbrico ſuo nomine facere iubetur: Menſch enim dicitur à Men-ſich/ quo ſignatur, ducit ſeipſum. Quia igitur notitia & animus ratione in medio continentur, caput hominis inter equum & canem medium locum ſortitur. Quæ à Plutarcho de horizonte & duobus hemiſpheriis dicuntur, vana ſunt, & nihil ad Anubin. Ducamus itaque diligenter hunc equum & canem, ad illud ipſum, cui per notitiam & poteſtatem euadimus propinqui. Triceps ſanè hæc imago cùm propria ſit eius qui docet; tum etiam cuiuſuis hominis rectæ rationi poteſt accommodari: eo quòd recta ratio Doctoris officio in homine fungatur. Equus ergo animi teſſeram gerit, qui Moet nobis dicitur, à Mat quod indomitum ſignat. Toem contrarium, *Domo. δαμάω. δαμάζω. δμέω.* frenum animi notat; à Tam/ quod eſt domitum: atque adeò à Tam/ Domo Latini ſeruant, licet ad Toem propius accedat. Græci à Tam δαμάω, & δαμάζω, & à Tem/ quod idem eſt, δμέω per metatheſim retinuerunt: quas voces è Cimbrica lingua ad ipſos venire, quamuis conuerſio nobis peculiaris non clariſſimè doceret atque demonſtraret: de vocum tamen noſtrarum breuitate & ſimplicitate ſatis perſpicuum eſſet, primogenium ius penes Cimbros fuiſſe: quandoquidem naturæ aptius ſit paucis mediis, quàm multis, ad eundem finem peruenire. Nec eſt alienum ab huius litteræ natura, quòd T articu-

articulum Het finiat; propterea quòd veluti dentes linguam reprimunt, ita hæc littera ſpiritum vagum continet, atque ad certam rem coërcet. Vim autem maximam in hoc elemento eſſe, ipſius linguæ vſus declarat, dum breuitatis, quam vbique quærimus, gratia, articulus cum eo cui audientis mentem adſtringit, in vnam coit vocem. Tum enim reiectis H & E, ſolum T relinquitur, quaſi ſatis per ſe virium habēs, vt intelligentiam ad vnam rem coërceat. Exempli gratia: prò het hoot dicimus thoot / quo ipſum caput notatur; qua voce ſacerdotes Ægyptij Mercurium vocabant: quoniam nihil aliud Hermæ *Hermæ.* apud priſcos Cimbros erant, quàm quadratæ pilæ, quibus ſupernè caput imponebatur; quarū vſum Hipparchus primus, ſi Platoni credimus, Athenienſibus oſtendit. Plurimis enim id genus columnis, tum in vrbe, tum agris, collocatis, ſententias graues inſcripſit, quibus homines ad probitatem ſapientiamque excitaret. Quòd autem quidam θωτ, quidam θευτ ſcribunt, inde factum, quòd capitis diuerſa nomina ſint, Heet / Hoot / Huet; *Heet.* quorum primùm ab imperio & calore animalium ſpirituum deductum; alterum ab *Hoot.* *Huet.* Hoo, quod altum eſt, cui Tau adiicitur, quòd caput nos alliget altiſſimo; tertium eſt ab *Hoo.* Hue / quod idem eſt cum Hui, id eſt, cuſtodio & defendo: propterea quòd caput proui- *Hui.* dentia ſua totum hominem tueatur. Diphthongus autem ue à Græcis tranſponitur, vt ſit eu. qua de re priùs. Hinc theut pro thuet, quo Campani Brabanti ferè nomine caput appellant. Siue igitur θωτ, ſiue θευτ dicatur, parum intereſt. vtrumque certè nomen *θωτ ſiue θευτ.* ipſum caput ſignificat. Nec mirum, multa nomina capiti dari, cùm multæ ſint eius dignitates. Eſt igitur & quartum nomen Hooft / quo non pauci vtuntur, quod compoſitū *Hooft.* eſt ex hoo & heft / quorum illud altum notat, hoc idem eſt quod eleuat. qua nominis ratione monemur, nos ſemper à capite noſtro ad ſuprema ferri debere. Hinc Theutates, apud Gallos & Germanos, Mercurius vocatus; quod nihil aliud eſt, quàm caput habens: Hat enim idem quod habet. Nam præter caput Hermis nulla membra erant, exceptis Ithyphallis. Sed de his alibi. Quoniam porrò D & T vinciendi officio funguntur, fit vt frequēter à noſtratibus eximantur, ceu ſatis litteræ citra vinculum cohærerēt. Sic ex Vater & Vader, quod idem eſt, Vaer facimus; atque inde, ſi lubet, ſyllabas duas in vnam contrahimus. Sic ex moeter, moer; ex broeter, broer; & ſimilia è ſimilibus formamus. Latini, dum duæ vocales nimis hiulco coitu viderentur cohærere, D ſæpius interpoſuerunt, vt ex Re-eo fecerunt Redeo, ex Re-amo Redamo, ex Re-emo Redimo, à Re-ago Redigo, & ſimilia è ſimilibus. Plauto frequens eſt eadem euphoniæ ambitio in diuerſis vocabulis, quorum prius in vocalem deſinit, & poſterius à vocali ſumit exordium. Sic in Aſinariæ actu primo. Argyrippus. *Solus ſolitudine ego te .d. atque ab egeſtate abſtuli.* In eadem fabula: *Me .d. amantem dixit,* pro me amantem. Idem in Epidico, *Hæc ædepol remorata me .d. eſt.* quibus plurima apud hunc auctorē leges ſimilia, in quibus D vincit vocales, aut potius coërcet, ne concurrant. Verumenimuerò quidquid huius ſit, id ſaltem conſtat, in Tau nomenclatorem noſtrum ſeruaſſe, vt eo in vocabulis vinciendis & iuſto fine claudendis vteretur; quod tam frequenter in variis vocibus licet videre, vt ſuperuacaneum videatur hac de re plus fundere verborum: & erit alioqui in ſigno ſignorum ſupremo in Hieroglyphicis accuratè rurſus de Tau agendum. Quamobrem exempla plura hoc loco non putaui recenſenda, ne, dum quàm poſſum celerrimo curriculo ad metam Hermathenæ propero, inutilis me prolixitas demoretur.

D littera apud Latinos duabus vocalibus ſæpe interponitur euphoniæ cauſſa.

Theutates Mercurius vocatus.

SVCCEDAT F, de cuius ferina pronunciatione quæ ſcripta ſunt, Romanis relinquamus, quos in loquendo durius os, quàm noſtrates habuiſſe, vel ex huius ſolius litteræ ſono coniectes, qui nobis minimè talis eſt, qualis apud ipſos habebatur. Suaui enim ſpiritu efflatur, labro ſuperiore leuiter ad inferius depreſſo, & inferiore interius ad ſuperiores dentes retracto. Huius litteræ magna cognatio eſt cum V conſonante; nec cum ea ſimplice ſolùm, ſed cum ea etiam quæ duplex vocatur, & duplicis V figura pingitur. Apud Græcos eius loco Φ habetur, quod duriuſculum eſt. Leniſſimum eſt V ſimplex conſonans, deinde idem duplicatum, tertium locum habet F, quartum Φ. Habet item hæc littera nonnihil cognationis cum P, ſicut & V conſonans. Allemani frequenter quo loco nos P efferimus, poſt P litteram F ponunt, pro Pal Pfeil / pro Peper Pfeffer / pro Pal Pfal / pro Perd Pferd / pro Pant Pfand / pro Pap Pfaff / & ſimiliter alia multa permutant. Ex vicinia hac factum, vt ex Vuer, quod eſt porto, Latini faciant Fero, pro *Vuer.* *Fero.*

F litteræ ſymbolica ſignificatio.

diphthongo, qua carent, poſteriore vocali relicta. Nomenclator cognationem hanc ſecutus eſt in deriuandis vocabulis; vt dum ex Vuer facit Pert pro equo, vbi V in P mutauit; cui Germani F addunt, vt mixtum quid audiatur. Idem in Faem F fecit ex W. Eſt
Faem. Fama. φήμη. enim faem, wat-hem, id eſt, venti vox, vnde Fama, & φήμη, cũ tota propagine. Hinc fit vt varius huius conſonantis vſus habeatur. In fine V conſonans, ſiue ſimplex, ſiue duplex crebrò tranſit in F; vt è lieue lief/ hoeue hoef/ roouen roof/ leuen lef. In conuerſione nonnũ-
Wal. Laf. quam ex w fit f, vt ex wal, quo vehementia notatur, laf, quod in conuertendo nobis in
Fal. V conſonans tranſit. Ex laf enim quo imbecille denotatur, fit fal, pro cado, quod nos
Val. val dicimus: Caſus enim ſequitur imbecillitatem & impotentiam. A fal fit fael pro
Fael. Fals. Falſen. Fallo. σφάλλω. erro, quod eſt cadere de recta ratione. Ex eodem fal fit fals, pro mendaci & impoſtore; & falſen, pro corrumpere per fraudem. Ex hoc fonte Fallo & σφάλλω cum tota ſobole deriuantur. Radix igitur in eiuſmodi examinanda, quæ eſt wal, quo latitudo roboris
Wal. Walt. Wel ſiue Wael. notatur; quaſi dicas, latè patens ad omnia. Hinc wal in aqua bullio, walt magnum robur, wal agger hoſtibus oppoſitus. Ex wal wel, & apud quoſdam wael, pro bene & bono; quoniam quæ bene habent, ſint valida. Ex wel fit wil, pro volo; quia omnes id volunt
Wil. quo bene habeant, quodque ipſis bonum ſit. Proprium enim voluntatis, ſcopũ ipſum bonum eſſe, non minus nomenclator, quàm Ariſtoteles perſpexit. Wil in præterito im-
Wol. Volo. Voluntas. βούλομαι. Wijl. perfecto habet wol; vnde Latinorum Volo & Voluntas, Græcorum βούλομαι. A willen infinitiuo habent Velle, & Vellem. A wil fit wijl, pro temporis duratione, ad quam omnium prona eſt voluntas; quamuis hoc à wy-lijt deduci queat, quod eſt, latè longeque tranſit. Sed conueniunt duæ rationes ad eandem vocem non infreqũter, & id quidem
Wiel. non citra artificis maximam laudem. Vt in wiel quoq. pro alto aquarum gurgite, cauſſa ſignificationis ex wel ſiue wal, pro bullio, capi poteſt; eo quòd gurgites ebullire videan-
Wij/ Wijt. tur, & in vortices conuolui. Eadem rurſus vox compoſita videtur ex wij, pro latè lon-
Hel. geque, & hel alto; quæ compoſitio gurgitis definitionem comprehendit, & hoc ſimul oſtendit, hel, perinde atque altum apud Latinos, ad profundum etiam pertinere; de quo
Lef. mox amplius. Ex wel pro bene, & iterum pro bullio, fit conuerſio ad lef, w in f mutato, quod eſt viuo. Vita enim perpetua quædam eſt humorum bullitio, calori debita, ſed ea talis, vt bene habeat, beneque corpus & membra omnia diſponat.

IAM præter boni bullitioniſque rationem, accedit alia, non ex conuerſione, ſed de compoſitione rei naturam declarans. Lee-hef enim Lef facit, quod eſt, membra leuo;
Fel. vitæ enim eſt omnia membra ferre atque eleuare. Contrarium inde Fel/ pro crudeli,
Fel, fellis. & eo quod vitæ aduerſatur: Vnde Fel Latinorum, pro humore in corpore admodum
Feles ſiue felis. crudeli, & crudeliſſima ſymptomata nonnumquam pariente. Poterat feles ſiue felis à Fel deriuari, ſed non ita eſt; eo quòd aperta ſit metatheſis litterarum, qua fit ex Weſel/ W in f commutato: quod moneo, vt diſcas quàm multis variiſque modis vocum ſit fa-
Lief. cta confuſio, & quî ex ea ad veras primæ linguæ origines queat veniri. Iam ex lef fit lief/ pro amico; quòd citra amicitiam vita non ſit; quam qui tollit ex hominum ſocietate, Solem è mundo tollere videtur. Exilis litteræ adiectione expreſſum videmus, quàm exiguo minoris amicitia, quàm vita, ſit æſtimanda. Hoc eſt vocabula facere, ſic vna litterula ad vitæ verbum adiecta, plus docere, quàm multi multis de amicitia libris. Ex
φίλος. Lief Græcis φίλος; φιλ è Lief conuerſo, vbi diphthongus neglecta, qua ſermo Græcus
Fiel. caret. Nobis Lief conuerſum Fiel facit, pro eo qui non eſt ad amicitiam admittendus. Is enim Fiel eſt, quem omnes contemnunt, & amicitia excludunt, ſiue is cui nemo tam eſt amicus, vt eum vel domo excipiat, vel vitæ eius neceſſitatibus ſuccurrat. Ne
Vilis. exiſtimes tamen Vilis Latinorum hinc fieri, quod dubio procul à Veel deriuatur, ſigni-
Veel. ficante multum; eo quòd vilia ea ſint, quorum magna eſt multitudo. Hinc veil apud nos eſt venale, quòd copia res vènum protrudat. Ridiculi hic ſunt Græci, dum ex amico eum fecerunt, cui nullus eſt amicus. Non mirum, Scythas præ ceteris gentibus omnibus amicitiam maximè coluiſſe; quando videmus eos ex ipſo nomine ſibi vernaculo intellexiſſe, amicitiam & vitam minimo diſcrimine ſeiungi, immo ne ſeiungi quidem,
For, faris. ſed minimæ litteræ glutino in vnum nomen coire. Cùm for, pro loquor, Latini dicunt; f, ex w, faciunt; à Woort/ quod eſt verbum, for deriuantes. Non eſt tamen inde fati no-
Fatum. men, verùm à Vat: quia fatum illud eſt quod omnia tenet atque comprehendit, ita vt manum ipſius nihil effugere queat. Loquor autem verbum, pro for, eſt ab Hebræis dedu-

deductum, apud quos eſt קול pro voce, quod Latinus conuertens, Loq fecit, cui adiecit terminationem. קול porrò noſtratis eſt originis à **Cal** quod eſt ſuauiter ſermocinor, de quo ſuperiùs. Sicut ex **Wort** fecerunt for; ita è **Wau-not**/ faunos ſiue faunus. **Waut** ſilua eſt, aliter **Walt**; vnde Saltus. **Not** neceſſarium, **Nut** vtilis. Deus itaque ſaltibus & ſiluis neceſſarius, **Wau—not** dicitur; at ſiluis vtilis, **Wau-nut**: quorum vtrumque faunis conuenit, cùm ſiluarum numina crederentur. Ex **Werm**/ quod eſt calidum, Latini duxerunt feruco, & fermentum, **werm-ment**/ id eſt, adducit calorem, fermentum calore panem attollit. Ferus è **Wreet** metatheſim patitur. **Wau** apud nos ſignificat vellem: Inde **waut**/ pro ſucceſſu optato: Hinc **wauteren**/ eſt ex animi ſententia ſuccedere: **Ten wil nijt wauteren**/ idem eſt, ac ſi dicas, rem quampiam ex animi ſententia & voto ſuccedere nolle. Hinc fit **gewaut** / pro boni ſucceſſus efficacitate. **Got hebs gewaut**/ id eſt, Deus efficiat vt res ſuccedat pro eo ac vellem. Cùm dicimus, **wat t' wauts is dat**/ idem dicimus quod Latinis eſt, Quid, bonum, hoc eſt: **Te wauts** enim ad bonum & optatum finem ſpectat: hinc **Got t'wauts**/ Deus fauſtum reddat. Ex **wauts** fauſtum fecerunt Latini. A **wau** item, quod eſt vellem, fit faueo, quod nihil aliud eſt, quàm cuiquam bene velle. Sed quia **wau** & **wou** citra diſcrimen dicitur; ex **wou** Voueo manauit, quod Latini ad ſacra traxerunt, eo quòd ad voluntatem noſtram explendam Deo promittamus donaria, aut victimas, aut aliud quippiam, quod placiturum putamus. A **wryf** fit frio, pro tero; à **wy ryt ef** / id eſt, latè rumpo ad æqualitatem partium. Sed longiùs receſſit, qui ex **wtgiet** fecit futio; cùm hic duplex V vocalis ſit longa, minimè verò conſonans. E priore igitur F factum, e poſteriore V vocalis. Fur vocabulum retro pronuntiatum, è **roof**/pro ſpolio; vnde Græcis φὼρ. Fit autem **roof** à **voor**/ quod eſt pro, & cum; quaſi diceretur, contrarius ei qui nobiſcum facit, & noſtra promouet atque propugnat. Frux & fructus à **Vrucht** fiunt: quod fit à **Vreucht**: quod rurſus a **Verheucht**/ quod eſt, delectat & recreat. **Heucht** pro lætitia fit ab **hoch**/ quod eſt altum; quòd animus lætitia efferatur, triſtitia deprimatur. A **freucht**, fruor. Quod igitur maximè in quaque re delectat, id fructus eius dici poteſt, ſi etymologiam ſequaris: quo modo huius mei laboris & inquiſitionis, à plurimis hactenus deriſæ, fructus eſt inuentio antiquitatis, vaticiniorum ab exordio generis humani de Chriſti aduentu editorum: fructus eſt, cernere apertiſſimè ſumma religionis noſtræ, & ſolius veræ, myſteria: fructus eſt, videre omnia omnis ſapiētiæ præcepta, omnia omnium ſcientiarum arcana, totamque adeò diuinorum & humanorum vniuerſitatem mentis oculis perluſtrare & intueri, quoad eius fert captus mortalium: fructus eſt etiam, & ille quidem inſigni gaudio & incredibili voluptate omnes pectoris ſinus perfundens & implens, confabulari cum primo illo vocabulorum opifice, atque ex eo audire, quas opiniones de rebus omnibus menti ipſius Deus indiderit, quas inſculpſerit ſententias de incomprehenſo humanis animis myſterio trinitatis. Incomparabilis hæc eſt mihi oblectatio, omnibus deliciis, quantæ quantæ cogitari poſſunt, ſexcentis millibus ſchœnorum præuertens. Hæc me numquam deſerit, adeſt ſtatim abſoluto ſomno, immò & in ipſo ſomno nonnumquam obuerſatur: hæc à ſummo mane frequenter ad ipſam noctem libris affigit, nihil nec cibi memorem nec potus: hæc ambulanti, edenti, bibenti ſemper aliquid noui ſpectaculi præbet. Præ hac diuitias, honores, fauores principum, ceteraque omnia, quæ mundus in ſupremis bonis ducit, nihili facio; & vt ſemper nihili facere liceat, eſt mihi ſumma votorum. Neque porrò inuidus tanta mihi oblectamenta ſecreta ſeruo, at lubentiſſimè communico; quid dico communico, obtrudo etiam inuitis: tanta eſt cupiditas, tanta libido, tanta, vt ad Satyros & Hermas Ithyphallos alludam, tentigo, ad ingenerandam aliorum animis hanc eandem voluptatem. Huc omnis mea ſcriptio, huc neglectus valetudinis, huc contemptus vulgarium deliciarum ſpectat; vt omnes huius nectaris, cuius vi debacchor, participes reddam. Sed excutiamus furorem, aut potius furere pergamus. Quando ſatis modò viſum, F pro V & W frequentiſſimè poni, præſertim in vocum fine, in quo nec V conſonans vel ſimplex vel duplex, nec F conſonans locum habet; tametſi quidam nimis craſſe in diuerſam abiuerint ſententiam; ignorari non poteſt, quis eius in compoſitione vocum ſit vſus. Amplitudinem enim & extenſionem, & efficacitatem, actionemque rerum notat: quoniam in eo pronuntiando labrum vtrumque inſigniter exercetur, & ſpiritus vehemens inter dentes ſentitur, & interim ipſius V vicarias vices gerit,

Cal. — *Faunus.* — *Waut, ſiue Walt.* — *Not.* — *Saltus.* — *Nut.* — *Werm.* — *Ferueo.* — *Fermentum.* — *Ferus.* — *Wau, ſiue Wou.* — *Waut, ſucceſſus optatus.* — *Wauteren.* — *Gewaut.* — *Fauſtus.* — *Faueo.* — *Voueo.* — *Fur.* — *Roof.* — *φωρ.* — *Frux.* — *Fructus.* — *Vrucht.* — *Vreucht.* — *Verheucht.* — *Heucht.* — *Fruor.*

[Ef.] gerit. Ef igitur nihil aliud de ſono litterarum notat, quàm vnius vnam æquabilemq́. extenſionẽ, & ratione vehementioris ſpiritus ſubleuationem. Nam inferius labrum in eo pronunciando attollitur vehementer ad ſuperius, atque idcirco Ef, dum vt verbum vſurpatur, idem eſt quod attollo atque eleuo. Huic verbo quo maior vis adderetur, noſtrates ferè adſpirationem præponunt, Hef dicentes pro Ef. [Hef.] Iam quia dum inferiora attolluntur, & ſuperioribus applicantur, æquitas exiſtit, factum eſt vt effen [Effen.] pro æquabili ponatur atque pari. Inde neffe [Neffe.] conuerſum eſt id quod alterius lateri apponitur. Ef enim illud dicimus quod planum eſt, nuſquam ab vniformitate diſcedens; in quo vis vnius maximè cernitur, quam per hoc elementum dixi notari. Quò tamen hæc vox à nomine litteræ diuerſa eſſet, diſyllabam crebrò facimus, vt pro ef, effen, vel euen [Euen.] dicamus. Ab illo Æquum [Æquus.] Latinorũ, mutato duplici ff in qu. Crebrò enim qu pro w Latini ponũt: vt ex wie faciunt Qui, ex wan Quando. Cùm verò W & F ſuccedanea ſint; nihil miror pro duplici F, Qu inueniri. Diphthongus æ loco longæ vocalis eſt, ad quam ſonus ἦτα proximè accedit, quem in euen gentiles mei ſeruant. Ipſi ef/ fe [Fe.] opponitur, quod dum vt verbum in vſum venit, idem eſt quod odi; dum vt nomen vſurpatur, inimicitiam ſignificat; eo quòd quem odimus, eum deprimere ſtudeamus. Hinc fe pro pecude, quod nos ve [Ve.] dicimus. Antiqui Pe [Pe.] quoque pro pecore poſuerunt; eo quòd Pe aduerſetur ipſi Ep/ [Ep.] quod eſt exilire. Porrò quia membrum virile nos maximè pecudes facit, fe item pro eo vſurpamus: vnde Februæ nomen, vti alibi declaraui. Quod ſi fidere lubet, conuerſionem conſideres è fe in ef/ de qua intelliges, officium huius membri abſolui non poſſe, niſi ſeſe attollat. Ab hef fit heffen/ [Heffen.] pro fermento cereuiſiario; & heuel [Heuel.] pro fermento quouis. Ab eadem vocula deriuatur arf, [Arf.] pro hæreditate, quaſi ar-hef, id eſt, quod in leuandis neceſſitatibus vitæ, maximam habet diuturnitatem atque moram; quod proprium eſt corũ quæ hæreditario & perpetuo iure poſſidemus. Sed quia agris nulla firmior diuturniorque eſt poſſeſſio; factum vt agri arua [Arua.] dicerentur; non illa quidem, vt Latini crediderunt, ab arando; ſed ab eadem radice à qua Aro, ſimul coniuncto agrorum vſu, qui conſiſtit in leuanda humanæ vitæ neceſſitate. Elegans per ipſam elegantiam compoſitio, qua ſimul & firmæ agrorum poſſeſſionis, & ipſius vſus admonemur. Nos tamẽ tam anguſtis terminis ipſum arf non cõſtringimus; ſed tam latè finimus patere, vt omnem firmam complectatur poſſeſſionẽ. Hinc arfrenten, redditus ſunt perpetui. Noſtrates lubentius erf [Erf.] dicunt, A, de frequenti conſuetudine, in E mutato; quod & veteribus video placuiſſe, apud quos Minerua, non Minarua legimus. [Minerua vnde dicta.] Fit autem Minerua ex Men & erue, ſiue erf; ita vt Menerua, vti vetuſtiores Latini vocem ſcribere conſueuerunt, dicatur, cui perpetuum ius eſt ducendi; eo quòd Men [Men.] idem ſit quod duco; vnde Menſch, [Menſch.] qui ſe ducit, ceu Men-ſich. Nec mirum, E in I mutari; cùm id ſit in creberrimo vſu. Hinc Latini ex Men fecere Mino, [Mino.] pro eo quod eſt pecus agere ſiue ducere. Cui verò perpetuum eſt ius rerum omnium ducendarum? Ipſi nempe Veritati, & Verbo æterno, & eidem filio patris æterni, quem Deus conſtituit ducem vniuerſorum. *Ex te egredietur dux qui reget Iſraël*, dixit ille; de hoc duce intelligens qui de ſemine Dauid humanam carnem erat aſſumpturus. Homerus Ageleam [Agelea.] vocauit, quòd populi dux eſſet, eamque facit primam Iouis filiam, πρώτη δὲ διὸς θυγάτηρ ἀγελείη. Hæc eſt origo illa; veritas ex ſolo Iouis cerebro genita ante omnia ſæcula: hæc illa ſapientia quæ ſe dicit fabricæ mundanæ præfuiſſe: hæc non ſapientia, ſed ſapientiæ potius Dea, & ſapientiæ cauſſa ſempiterna. Arrigite aures Satyri; audite fabularum & ſcripturæ ſacræ conſenſum. Ite ineptiſſimi, ite craſſiſſimi cum veſtro ſtupore ad ventrum ſcholas, quibus aures non ſunt, & dicite profano ore, non eſſe ſanctas fabularum origines. Corruptæ ſunt, fateor; ſed ab eiſdem ventribus magiſtris, qui idolomaniam ad ventres ſuos alendos, & pecore faciendos, è ſacris omnibus nominibus confinxerunt. Contra hos Chriſtiani inuehuntur, non contra ſanam & primam fabularum intelligentiam. Dea eſt Minerua, & veriſſime Deus ipſe filius, [*Minerua eſt ipſe Deus filius.*] qui ſe veritatem, & ſapientiam, & patris virtutem ſinit vocari. Huic Deus dedit ducendorum omnium mundanorum & ſupermundanorum poteſtatem ſempiternam: quam dignitatem quamdiu tenebit, tamdiu poterit à Cimbris Minerua nuncupari. Vel igitur illam ipſi filio adimite, vel mihi permittite, vt filium vernacula lingua Mineruam appellem. Si mihi vel Pindari, vel Homeri, vel Virgilij, vel Horatij ad carminis ſuauitatem vena vireſque darentur; quas ego odas, quos hymnos

Mineruæ

Mineruæ canerem, quas laudes detonarem! Sed quid ſtultus opto? Quaſi Dea hęc non omnem ſuperet laudem, omnem ingeniorum, quantumuis illuſtrium, captum excedat. Subuolet mentis meæ apex, diuinitatis ſcintilla, quàm poteſt altiſſimè, ſuper omnes cælorum orbes, ſuper omnes omnium angelorum choros, ſuper ipſos ſupremos ſpiritales ignes; & illic, ſi poteſt, conſiſtat; ac tum demum aciem ſurſum tollat, & videat num poſſit huius Deæ peplum ſibi interius reuelare. Reuertere mens mea, reuertere, fruſtra *Mineruæ peplum.* contendis: ſat tibi ſit, ex pepli parte exteriore, diſcere varietatem, ordinem, pulcritudinem creaturarum; & de hac pictura coniecturam facere de ipſa ſapientia, quæ hæc peplo ſuo intexuit tam infinita ornamenta, tam infinitis modis variata. Huius galea κυνῆ *Mineruæ galea.* ſiue Cun-heet meritò vocatur, & hoc vocabulum primum ipſius galeæ eſt aptatum à ſa- *Cun-heet.* pientiſſimo nomenclatore. Quid enim eſt aliud Cun-heet, quàm caput omnis ſapientiæ & poteſtatis; cui Sphinx inſidens, magnum nobis proponit ænigma? Quod rogas ænigma? Non illud ab Oedipode ſolutum, non illud, inquam, ſed infinito præſtantiorem abſcondens intelligentiam. Quærat quis quid Sphingis forma ſibi velit, quid galeata virgo ſignificet, cur haſtam teneat, cur ægida portet, cur Meduſæ caput oſtendat, cur ad latus habeat oleam, cur eius dicatur inuentrix, cur denique vel Minerua vel Pallas dicatur. Hæc nobis Sphinx ænigmata proponit, quæ nullus hactenus Oedipus ſoluit, nec fortaſſe ſoluturus quiſpiam vmquam fuiſſet; niſi ipſa hæc Dea externam extremæ fimbriæ in peplo ſuo particulam Ioanni Goropio videndam dediſſet. Quamuis igitur aliàs Mineruæ ſuum fortaſſe daturus ſim libellum, hoc tamen tempore obiter indicabo eorum ſolutionem. Sphinx itaque cono impoſita denotabat cùm totum Deæ or- *Sphinx Mineruæ cono impoſita.* natum puris ænigmatis conſtare, tum ipſam eſſe totius veræ religionis caput, cuius ſymbolũ ſuprema galeæ pars præferret. Qua de cauſſa Sphinx veteribus religionem ſignaret, memini me in Gigantomachia tradidiſſe. Erat autem Sphinx, non animal, cuius Diodorus Siculus & alij meminerunt, in ſimiarum genere; ſed hieroglyphicum religionis ſignum, templis maximè præponi conſuetum: quo obſcurè indicaretur quæcumq. in veterum religione fierent, ænigmata eſſe, omneſque cærimonias & ritus alia prorſus ſignare, quàm prima fronte viderentur. In primis caſtarum virginum faciem præferebant: quo monerent, in cultu diuino, virgineo quodam pudore omnia peragenda. Vittatæ erant, quo intelligeretur, religione nos Deo deuinciri, eoque omnes ritus ſpectare debere. Corpus reliquum leoninum erat, quod vnguibus contractis placidum iacebat, denotans & maximas vires religionis eſſe, & ex hac vita exiſtere præſtantiſſimam, quam Leo & nomine Leeu, & reapſe demonſtrabat; & hanc quidem totam eò referri, quo magna vis Dei placaretur; quæ ſi placata non eſſet, leoninos vngues & robur ingens in eum oſtenderet, qui non caſtè eam tractaſſet. Quod ſi patiantur profanæ aures, addam & illud, virginea facie & leonino corpore denotari, ſummum omnis religionis apicem in eo conſtare, vt Leo de virgine naſcatur, atque idcirco in Palladis galea poni ſolere, vt eo ſignificaretur, hanc ſummam eſſe omnium rituum ſacrorum, vt typum gererent illius religionis in qua de virgine Leo de tribu Iuda naſceretur, & hanc quidem religionem fundari in ipſa Minerua. Eſaiæ à Spiritu reuelatum eſt, in capite redemptoris galeam eſſe ſalutis. Placuit & D. Paullo hac galeæ comparatione vti: nihil vt mirum ſit, ſi galeam huic Deæ tribuerint. Sed de galea modò ſatis. Haſtam gerit; *Mineruæ haſta.* quo intelligamus, in huius Deæ manu totius ſalutis noſtræ eſſe ſcipionem, & omnem præterea defenſionem. Ægida habet, quia virtus eſt patris & ſcutum humanæ ſalutis. *Mineruæ ægis.* Caput Meduſæ imago eſt illius capitis quod à ſemine mulieris erat conculcandum; *Meduſæ caput.* cuius ea vis erat, vt quibus Pallas id oſtenderet, ij in ſaxa conuerterentur. Iudæi enim quibus hoc trophæum Chriſtus erat oſtenſurus, conuerſi ſunt in lapides, peruicacia plus quàm ſaxea hanc de ſerpentum omnium capite victoriam prorſus reſpuentes, cùm tamen eam coràm intuerētur. Inuentrix oleæ dicitur, quia huius ſolius medio pax homi- *Minerua inuentrix oleæ.* nibus cũ patre inita, à quo perpetuo bello eramus dirempti. Sed hæc latiùs fortaſſe ſuo loco, ſi Minerua fauore ſuo vitã nobis produxerit. Mineruam itaq. ſic licet interpretari, vt à verbo Erue ſiue Erf fiat cõpoſitio, quo ſignificatur hæreditario iure poſſeſſionem accipere; de qua forma per præſens tempus loquendi in Woꝛt latiùs eſſet conſiderandũ. Diuus Paullus nobis huius vocis vim aliis verbis explicans, *Nouiſſimè*, inquit, *diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula.* Quis

Quis hic noſtri ſermonis peritus Mineruam non agnoſcit? *Dat pater, accipit filius hæreditatem.* Quam rogo hæreditatem? *Vt nimirum exurgat ad regendas gentes*, vt eſt apud Prophetam, & D. Paullum: de quo item vaticinium, *Ex te exibit Dux, qui regat populum meum Iſraël.* Quid porrò de ſeipſa dixit ſapientia ex Salomonis ore? *Per me reges regnant.* Hæc igitur eſt illa hæreditas, quam à Patre ſuo ſapientia accipit, vt omnium regendorum ducendorumque ius habeat, quod vnico Mineruæ nomine videmus expreſſum. Diſſoluta ſunt itaque ad hunc modum Sphingis ænigmata, quæ no-

Sphinx vnde nomẽ habeat. men inde videtur habere, quòd videntes capiat: à Sie phinck/ id eſt, viſionem capio; eo quòd homines figuras has videntes, nec intelligentes quid ſibi vellent, mentis oculos captos haberent. Formula hæc eſt nobis vernacula, vt dum quis quęſtionem quampiam ſiue ænigma diſſoluere non poteſt, dicatur captus, quaſi nodis illigatus. Phinc enim ſiue Vinc idem eſt quod capiebam, Sie video. Et profectò quotquot hactenus vel Sphingis vel Mineruæ hieroglyphica ſigna viderunt, captos ſe & irretitos mentis oculos habuiſſe fateantur. Eſt & altera huius nominis interpretatio, ex Spi/ quod eſt exploro, & Hing/ quo denotatur Dei voluntas omnia ſuſpendens: qua monemur, vt in omnibus ænigmatis ſacris id exploremus, quod Deus prædeſtinauit, & quod ex ipſius æterna dependet voluntate. Omnes enim ritus ſacri ad arcanum illud magni conſilij myſterium referebantur, ſed tam obſcuris gryphis tecti, vt niſi Chriſtus ipſe & eius ſpiritus ſignificationem eorum hominibus reſeraſſet, numquam intelligi potuiſſent. Vtraque certa ratio à nomenclatore videtur conſiderata, cuius tanta fuit diligentia in vocibus fabricandis, vt non rarò plures in vno nomine condendo cauſſas coniungat. Et hæc modò de Minerua, prima & ante omnia ſecula vniuerſorum ductus hærede, cuius nomen

Min-erſ conuerſum fit Fre-nim. Cimbrica norma pronuntiatum Min erſ, ſi conuertatur per retrograda litterarum veſtigia, illud nobis indicabit, quod vnumquemque facere ſic refert, vt niſi faciat, actum ſit de ſalute. Nam niſi pacem cum patre cæleſti per Mineruam oleæ inuentricem ineamus, perditi ſumus, vt qui perditiſſimi, æternis ſuppliciis ſcelera noſtra luituri. Frenim/ ſiue Fre-nem/ idem eſt quod pacem accipe: qui modus loquendi hactenus nobis durat, pro eo quod Latini dicerent, facere pacem. Verùm copioſa eſt huius formulæ ſignificatio. Nam Fre—nim/ id eſt, accipe pacem, ſic intelligi poteſt, vt ipſi Mineruæ verba tribuantur: quo ſenſu Dea diceret cuiuis nomen ſuum audienti, Accipe pacem, accipe oleam, quam offero; accipe, quo nihil mortalium vita vel maius, vel ſuauius, vel diuinius poteſt habere. Quid aliud dixit ipſa veritas, & ſapientia, & virtus patris incarnata: *Pacem,* inquit, *meam do vobis.* &, *Pax huic domui.* &, *Pax vobis.* Quis vocatur Deus pacis? an non ipſe filius, qui nobis cum patre æterno pacem confecit? Minerua itaque & Chriſtus eandem dant pacem, non illam quidem, quam mundus vel dat, vel dare poteſt; ſed æternam, cum patre æterno, vt ea in vita perfruamur ſempiterna. Audiat ergo quiſque Mineruam ſibi dicentem, accipe pacem. Videmus quanta ſit vocum Cimbricarum, hieroglyphicorum ſacræ ſcripturæ, & rerum ipſarum conuenientia: videmus quanto artificio Mineruæ nomen ſit conſtitutum; quàm admirabili regreſſu demonſtret, ad quid nos vltrò Deus inuitet. Hæc contemnant ſcioli, ſi quid ſimile in omnibus linguarum theſauris queant inuenire. Quis oleam pacis ſignum eſſe neſcit? Quis illud Virgilij ignorat?

Paciferæq; manu ramum prætendit oliuæ;

& illud,

Quis procul ille autem ramis inſignis oliuæ?

Multæ cauſſæ ſunt, ob quas oliua Pacis ſignum habeatur; quas, vti notas, prætermitto: illo tamen non neglecto, quod de claua Herculis è Theocrito & aliis ex oleaſtro facta

Oliua pacis ſignum, Mineruæ dedicata. annotaui. Oliua enim Mineruæ & claua Herculis in re ſignificata conſentiunt, vt ex iis quæ de Hercule dixi, quiuis facilè cernat. Verùm illud operæ non paruum pretium habebit, ſi paulò penitius ſymbolum & ipſius nomen inſpicientes, demonſtremus

ἔλαιον. idem vtroque denotari. Elæon Græci oleum vocant, ἔλεος miſericordiam: & illud qui-

ἔλεος. dem ab hoc deriuari nonnulli, inter quos, ſi rectè memini, Probus eſt, crediderunt. Equidem vt hoc ipſis dem; vlterius tamen rogabo, vnde ἔλεος miſericordiam notet. Nobis vtriuſque vocis ratio eſt ita perſpicua, vt & nihil clarius, & habeat myſteria reli-

Heel. gionis minime contemnenda. Heel integrum & ſanum ſignificat: quod ſi vt verbum in agendi

agendi notatione vſurpetur, idem eſt quod ſano, & integritati reſtituo. Le membra dicuntur. Heel-le itaque nihil aliud ſonat nobis, quàm ſano membra: vnde ἔλεος & ἔλαιον, pro miſericordia & oleo; quoniam vtrumque membra ſanet; illa quidem membra eccleſiæ, ſiue generis humani; hoc verò membra corporis. Compoſitionis lenitas, perpetuò noſtris diligenter obſeruata, principio adſpirationem ademit: quod nimis frequenter monere cogor, ob quorundam obſtinatam in id genus minutiis inſectandis peruicaciam, ne dicam ineptiam, aut veſaniam. Verùm vt id alibi fieri conſueuit ſolius lenitatis cauſſa; ita hic aliam quoque habet rationem, ex eo profectam, quòd nomenclatori non ſolùm ſtudium fuit vocum è primis radicibus bene fabricandarum, ſed hoc etiam adiunxit, vt præter primariam nominis cauſſam, ad aliam etiam alluderet, vt gemina, nonnumquam tergemina etiam eiuſdem vocis ratio videatur. Eel apud nos nobile ſignificat & generoſum: quod ſi, vt verbum, in vſum trahas, idem eſt quod nobilem generoſumque reddo. Eel-le igitur, & gemina littera, vitandi labdaciſmi cauſſa, in ſimplicem redacta, non ſolùm notat membra ſanitati reſtituere, ſed adiicit etiam nobilitatem, & facit vt membra, quàm antea fuiſſent, reddantur generoſiora. quæ quidem ratio miſericordiæ diuinæ ad amuſſim conuenit, per quam membra eccleſiæ, non ad prioris modò naturæ reducuntur integritatem; ſed redduntur etiam nobiliora & diuiniora, quàm in prima vitæ conditione eſſent. Eele igitur potiore ratione, miſericordiæ & clementiæ diuinæ conuenit, quàm oleo, quod teſſeram ipſius dumtaxat habet, atque ſimilitudinem; qualis ex ſuprema cauſſa per idearum catenam ad infima hæc corpora deſcendit. Verùm quamuis oleum membra, quæ à doloribus leuat, & integræ valetudini reſtituit, non efficiat nobiliora; ob eius tamen naturam, cuius hieroglyphicum ſignum eſt, & ob vocis communionem, eius etiam nobilitatis notam gerit, quam Deus bonitate & gratia ſua ſingulari Sacerdotibus & Regibus largiebatur: quæ, vt omnium ſuprema, conuenientiſſimè quadrat ad ſignificationem generoſæ ſublimitatis, quam in Eele inuenimus. Eſt igitur & regibus & ſacerdotibus hoc ſigno præceptum, vt populum, & ſocietatis humanæ membra, ipſi illi qui eos ad hoc dignitatis faſtigium ſuſtuliſſet, integra & incolumia ſeruarent: qua in re nobilitatem ſummi magiſtratus, & populi ſalutem, in vnius & dictiunculæ & ſymboli rationem conuenire cernimus: ita vt neſciam, an vlla vox à quoquam mortalium excogitari poſſit, quæ meliùs, aptiùs, ſignificantiùſque vel regum & ſacerdotum tum dignitatem, tum officium; vel ea quæ populo ab his ſunt exſpectanda, explicaret. Diſpeream, niſi obſtupeſcam, dum altitudinem myſteriorum contemplor, quæ vnica vocula nomenclator comprehendit: cui cùm omnem ſymboli rationem & latitudinem video conſentire; non poſſum verbis eloqui, quantum animo concipiam hinc admirationis, hinc voluptatis. Quòd ſi orationis vela ſecundis ventis expanderemus, ad eorum quæ huc ſpectant, oceanum emetiendum; vix finem nauigationis aut portum inueniremus: ita late in omnem partem vocis & ſymboli conuenientia ſeſe extendit. Summittamus igitur antemnam, & ſatis eſto iter ad immenſum pelagus indicaſſe: quod qui volet ingredi, ſacræ ſcripturæ loca conſideret atque expendat, & ſingula ad nominis & teſſeræ conferat cauſſam. Ex Eele noſtri nunc Olie fecerunt: quod ſi examines, rurſus abibis ad immania arcanorum latifundia: quandoquidem & pro heel hoel plurimi Cimmerij dicant, in quibus ſunt Britanni; & idem nomen pro ſancto vſurpent: qua conſiderationis via non ſanitatem modò, & nobilitatem, & dolorum amuletum; ſed ſanctitatem etiam notari videbis. Ab hac Cimmeriorum pronuntiatione Græci ὅλος ſuum acceperunt, & Latini ex Olie oleum. Olie autem non membrorum, vt Eele/ ſed populi ſanitatem & ſanctitatem ſignificat, rem eodem tendentem. Quis modò non videt, linguæ noſtræ vocabulum oliuæ ſymbolum egregiè expreſſiſſe: quod hic indicatum potius, quàm pro eo ac meretur dignitas & amplitudo explicatum, declarat, non alij diuinæ vlli poteſtati hanc arborem potius, quàm Mineruæ, dedicandam. Det ergo Deus nobis pacem per ſuam Mineruam, quæ vera & ſola Pallas eſt, id eſt, Pe hallant/ ſiue Pallant/ quod Latinus diceret, Conſeruans regionem. Vnde Pallanteum apud Priſcos, pro regis ſiue ſummi magiſtratus domo, in qua illud potiſſimum tractandum, quod ad regionis & populi ſpectat ſalutem: quod deinde in Palatium eſt corruptum. Ab Eele non ἔλαιον tantùm, & ἔλεος fecere Græci; ſed Poëtæ etiam cognomen Mineruæ Eleæ dederunt. Hinc in ſiluis Statij: *Aut Elea lucis vidit Tegæa ſacerdos.*

Margin notes: Le. — Eel. — Eele ſiue Eel-le. — Olie. — Heel. Hoel. — ὅλος. Oleum. — *Pallas vnde dicta.* — *Pallanteum. Palatium.* — *Palladis varia cognomina.* — *Elea Pallas.*

m Nec

Alea Pallas. *Elleſia Pallas.* *Hellotis Pallas.*

Nec ego aliunde Aleam Palladem dictam crediderim, quàm ab eele/ vocali E longa in A mutata: tametſi Græci alias quærant huius cognominis rationes. Fuit & Elleſia vocata, vbi eel-le/ agnoſcas. Eadem Hellotis, quaſi Heel-hoot/ id eſt, curationis ſiue ſanationis caput: quia ipſius ſolius beneficio lethale humani generis vulnus eſt curatum. Quoniam verò Minerua è Iouis cerebro nata, eadem ſit cum veritate; à veteribus Cimbris Trutoon eſt nuncupata, è qua voce Græci & Latini Tritoon fecerunt. Eſt autem Trutoon

Tritoon Pallas. *Tritonis lacus.* *Lib ſiue Lif Libya vnde dicta.*

idem quod veritatem oſtendo apud Latinos. Minerua enim, terrarum Pallas, ſiue ſeruatrix, vnde σωτεῖρα apud Græcos, veritatem nobis oſtendit, quæ nata dicitur è lacu eiuſdem nominis; eo quòd nata ſit ex vtero matris virginis, ſiue è carne, quam lacui, ob humorem compararunt. Aiunt autem hunc in Libya eſſe, eo quòd lib ſiue lif corpus ſit: quo notabatur, ipſam veritatem ex eo lacu naſcituram, qui eſſet in corpore humano: quo non intellecto, alij in Bœotia, alij in Aphrica Tritonis lacum quæſiuerunt. Iam Libyæ nomen eo magis placuit, quòd non ſolùm corporis includat notionem; ſed ſignificet etiam corporis cuſtodiam. Lib-hu enim idem eſt, quod corpus cuſtodio & tueor. Hic enim lacus cuſtodiam protulit omnium corporum humanorum, quæ Pallas ſola ab interitu ſeruat æterno. Præterea eadem vox alludit ad Lieb—hui/ quod eſt amoris tutela. Amorem enim inter patrem & genus humanum filius, pacis auctor, conſeruat atque tutatur. Hæc ſi conferas cum iis quæ variis ſententiis apud vetuſtos auctores Græcos de Tritonia, de lacu Libyo ambiguntur; clarè cernes, eos nihil vidiſſe veritatis eius quam Pallas Truitoonia mihi oleæ ſuæ ramuſculo demonſtrauit. Nominatur eadem de cauſſa

ἀτρυτώνη Pallas.

ἀτρυτώνη, qua in voce cùm rectius Ypſilon eſt conſeruatum; pro η, tum α littera præpoſita ἐπιτατικῶς adiicitur, vt indicetur, hanc præ ceteris omnibus veritatem hominibus oſtendiſſe, illo maximè tempore, quo veritas ex terra orta, & verbum caro factum eſt. Erant hæc quidem libello Mineruæ dedicato reſeruanda: ſed quo nominum ratio clarior fieret, & inſignis vocum & ſymbolorum concordia fidem faceret, paradoxis meis inuentis non aliena viſa ſunt à Mineruæ nominis interpretatione; quam tamen ne hac

Sterf & Mim erf ex eadem radice naſcuntur. Ste. Steig. Steeg. Sted *ſiue* Stad. Stadich.

quidem prolixitate totam abſolui. Sterf/ pro morior, ab eadem radice, à qua Mineruæ nomen pullulauit, enatum videmus: quod primum ipſi Chriſto morienti adaptari poſſe, perſpicuum erit omnibus qui intelligent compoſitionem eius. Ste locum apud nos ſignificat & firmitatem. Hinc Steig/ aſſiduum & perpetuum: & steeg is, qui moueri non poteſt; qua voce obſtinatum & pertinacem appellamus. Ab eadem radice vox ſted/ ſiue ſtad/ pullulauit, qua firma ciuitas denotatur: vnde Hebræi מצד acceperunt præpoſito Mem littera ſuperuacanea. Nec aliunde ſuum צדק habent, quo Iuſtus ſignificatur: quoniam ſolus iuſtus ſtadich dici poteſt, id eſt firmus & inconcuſſus, iuxta illud: Iuſtus in æternum regnabit. Ste-erf itaque duo indicat, & perpetuam loci poſſeſſionem, & firmam hæreditatem. Per mortem Chriſti perpetuam excelle tiſſimi loci, & hoc nomine digniſſimi, hæreditatem adimus; & eam hæreditatem, quæ firmiſſima eſt, & numquam auferenda: & idcirco ſterf primum de Chriſto dicitur, ac deinde beneficio eius, de nobis, qui morientes, per mortem Chriſti, ſtabilem & æternam accipimus hæreditatem loci omnium amœniſſimi, cuique vox ſte primum conuenit, eo quòd ſte à ſta dicatur, à

Sto. Sta. Haſt.

quo Sto Latinorum, ſignificationis eiuſdem verbum. Sta noſtras eſſe, conuerſio declarat; quoniam haſt velox & celere ſignificat; in quo ſpiritus additur, ad motionem indicandam. Quæ autem maximè ſtant? Quæ alia, quàm ea quæ in æternæ vitæ tranquillitate ipſi ſummo ſuo bono acquieſcunt, nulla vi vnquam dimouenda. Beatorum itaque ſedes propriè ſte vocatur, cuius hæreditatem per Chriſti mortem morientes adimus: ad quod ſummum humanæ ſalutis myſterium indicandum, nomenclator noſter ex Ste & erf vocem compoſuit; quo tota res ita auribus eſt expoſita, vt nihil clarius aut ſignificantius dici poſſit. Ducit igitur Minerua hæreditatē ſuam, id eſt, omnes homines amore ſibi vnitos, ad æternæ tranquillitatis poſſeſſionem, per mortem ſuam, quam tunc ſubiuit, cùm veritas ſe in carne mortalibus oſtenderet, id eſt, dum Minerua vera eſſet Trutoona. Quemadmodum autem Mineruæ nomen conuertitur, ita & ſterf; & id quidem duabus rationibus: altera ad originem vocis explicatam; altera à voce vnius ſyllabæ ad vocem vnius ſyllabæ regrediendo. Poſteriore via Freeſt/ idem eſt quod time.

Freeſt.

Quis autem timor eſt, qui nobis imperatur? Non alius profectò, quàm excellentiſſimus, vt excellentiſſimum quodque primum nominibus denotatur. Intelligimus itaque,

ſemper

ſemper timendum eſſe, përinde atque is qui vehementer amat, vehementer timet, ne eum offendat quem amat. Audiens itaque verbum ſterf/ ſimul audit, Time. Quid? num ipſum mori? Non illud quidem potiſſimum; cùm alius timor ſit præſtantior, timor nimirum Domini Dei tui; quem ſi times, mandata eius obſeruare conaris, & illud tibi comparas, vt in eorum albo ſcribaris de quibus dictum: *Beati omnes qui timent Dominum.* Et, *Miſertus eſt Dominus timentium ſe.* Rurſus, *Non eſt inopia timentibus eum.* Iterum, *Prope timentes eum ſalutare ipſius.* & infinita eiuſmodi verba, quibus nulla poſſunt eſſe fauſtiora. Quid quod initium ſapientiæ, cui Minerua præſidet, eſt timor Domini? Bene itaque ex Ste-erf in cogitationem Mineruæ venitur, per radicis vocum communionem: atque deinde conuerſa voce docetur, qua via ad ſapientiam perueniatur; ea ſcilicet, cuius exordium eſt timor. Videas, quæſo, quanta arte vnius ſyllabæ vox confecta ſit; quantum ſecum adferat vtilium præceptorum; quàm bene explicet inſignem illam ſententiam ſacræ ſcripturæ, *Initium ſapientiæ timor Domini.* Si hanc voculam Plato intellexiſſet atque conſideraſſet: nónne ex eius monitu ſcripſiſſe videretur, philoſophiam nihil aliud eſſe, quàm mortis meditationem? Quiſquis enim rectè expendat hanc vocem ſterf/ ſiue Ste-erf/ & prorſam & verſam; an non mox totius philoſophiæ & ſapientiæ Chriſtianæ, quæ ſola vera ſapientia eſt, iecerit fundamenta? Intelliget enim ſtatim, firmam & ſtabilem hæreditatem homini per mortem contingere poſſe: ex quo confeſtim animorum immortalitas, & bonorum hominum ſolida & æterna felicitatis poſſeſſio demonſtratur. Deinde conuerſione docemur, ad hanc ſempiternæ beatitudinis hæreditatem nos per timorem peruenire; nec ad eam aliam viam patere. Iam quia hæreditas ſtabilis in ea promittitur: neceſſariò in eam venimus cogitationem, vt quiſquam ſit, qui nos hæredes inſtituat, non bonorum mobilium, ſed firmorum, & numquam perdendorum: quam teſtamenti ſcriptionem & conditionem, talem & tantam cernimus, vt facilè agnoſcamus, nihil nos eius modi mereri, qua via ad eum peruenimus, cuius medio & merito æternæ felicitatis poſſeſſio nobis acquiſita. Cum enim nos veri hæredes eſſe non mereamur; neceſſariò cogitandum, quis ſit verus æterni patris hæres. Quis alius, quàm æterni patris æternus filius, qui amore in nos ſuo nos fecit cohæredes? Sed nec hæres nec cohæres eſt, niſi per cuiuſpiam mortem. Quis igitur moritur? Ipſemet filius, vt morte ſua hæreditatem regni ſui paterni nobis gratis communicet. Bene ergo vna vox mortem, & ſtabilem hæreditatem coniunxit; quòd hæc citra illam eſſe non poſſit: atque deinde per veſtigia retro lecta oſtendit, per Domini timorem ad hanc hæreditatem perueniri: & illud interim vnà admonet, eandem originem eſſe timoris Domini, & Sapientiæ; eo quòd nomen Minerf & verbum ſterf ex eadem radice naſcantur. Hæc eſt apud nos mortis meditatio, ipſo verbo, quo mori ſignificatur, tota conſignata. Quo verò rem adeò neceſſariam æternæ hominum vitæ efficacius repræſentaret nomenclator; noluit ex hoc nomine ſterf/ morti nomen ponere: ſed aliud inuenit, quo apertè non ſtabilitas tantùm hæreditatis, ſed quo æternitas etiam contineretur. Doot enim quid aliud eſt, quàm ipſa æternitas, quaſi De-oot dicatur: in qua voce Tau æternitatem comprehendens & colligans, oſtendit hanc ſempiternam vitam ſola cruce contineri, & totam vinculo ipſius Tau colligari. Doot / De-oot.
Ita me amet Minerua, ita ipſum ſterf Dei timorem mihi inculcet, vt hæc euoluens & referens obſtupeſco. Quam deinde aliam quærimus philoſophiam, quàm hanc, vno vnius ſyllabæ verbo comprehenſam, & deinde artificioſiſſimo mortis nomine abſolutam? Atque hæc quidem primæ ſint ſignificationis documenta, quibus naturalis quoque accedit interpretatio; quæ vocem conuerſam ob eam cauſſam timorem imperare iubet, quia omnia mortem naturaliter exhorreſcant, atque hoc timore inter homines fiat, vt quoties occurrit, admoneat quàm ſit timenda mors ei qui omnem ſuam felicitatem in lubricis huius vitæ deliciis collocauit. *O mors, quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis!* vt ille ſcripſit. Sed quorſum hic timor? Ne videlicet habeamus hanc vanam in breuiſſima præſentis vitæ voluptate fiduciam, qua fiat, vt timoris Dei obliuiſcamur. Hinc idem ſapientiſſimus filius Sirachi, *In omnibus*, inquit, *operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Quamobrem non paruus etiam vſus eſt eius timoris quo mortem naturæ impulſu exhorreſcere cogimur: nomenclator tamen ad præſtantiſſimum timorem præcipuè reſpexit, id ſemper

 in om-

in omnibus vocibus molitus, quòd eſſet homini ad cognoſcendum maximè neceſſarium. Clarum huius rei indicium, quod per ſolum Dei timorem ad ſtabilem & ſempiternam redeamus hæreditatem: ſic vt ex Vreeſt eamus ad ſterf/ & ex ſterf ad Doot/ id eſt, ex timore ad ſtabilem hæreditatem, cui æternitas eſt funiculo ipſius Tau colligata. Quo fit, vt Doot propriè & primo de morte Chriſti in cruce dici debeat, per quam ſolam humanum genus ad æternam vitam adſpirare poteſt. Verùm quia hic campus infinita ſpatia complectitur; nolo longius in eo progredi: cùm videam, quanto plura dico, tanto mihi plura offerri dicenda; nec vllum omnino fore finem, ſi rerum amplitudinem atque dignitatem orationis meæ filo dimetiri vellem. Non poſſum tamen facere, vt non id repetam, & veluti totius contemplationis clauſulam addam, Minerf & ſterf ſic inter ſe conuenire, vt & radicis ſint eiuſdem, & ex voce Minerf intelligatur ipſius ſtabilis hæreditatis, quæ per mortem homini contingit, ducem eſſe ipſam Mineruam: cùm vtrumque vocis compoſitio complectatur; & huic Deæ æternam ducendorum omnium hæreditatem eſſe à patre conſtitutam, & eam præterea eſſe ducem hæreditatis, quam vox ſterf promittit. Si enim hæreditatem nobis adducat, vt adducere ſignificatur: quam rogo hæreditatem, niſi ſtabilem atque diuinam, qualem ipſa apud patrem eſt ſortita, intelligemus, cuius nimirum nos fecit cohæredes? In hac modò arena, qui volet, ſe exerceat, habebit in quo mentis oculos, atque aciem, in quo totam ſuam ſollertiam & ſagacitatem, omnes deniq. vires ingenij queat experiri: & inde illos laboris ſui fructus percipere, quibus haud exiſtimem aut ſuauiores aut ſalubriores vllos alios apud pios animos poſſe iudicari. Poſſunt hæc itidem ad Platonicam, vti dixi, philoſophiam applicari, ſed modo quodam manco, vti omnis ſapientia humana, licet abſolutiſſima habeatur, religioni noſtræ collata, & iis vaticiniis quæ vocibus primis nomenclator intexuit applicata, deprehenditur prorſus claudicare. Philo Iudæus, Platonis in ſuis ſacris litteris, vt videtur, imitator, Abrahæ propriam hæreditatem, ſi rectè memini, ſapientiam interpretatur; atque eam dicit ex vtero Abrahæ, citra mulieris membra, naſci: quo loco, vt non malè ad noſtras Mineruæ nomen alludit; ita quid propriè Mineruæ tum fabula tum nomen notaret, numquam de lingua ſua inuenire potuiſſet. Certè propria illa quidem noſtra maximè videntur, quæ ex cerebro noſtro oriuntur: ſed hæreditas noſtra vera non ex cerebro noſtro oritur, ſed ex morte Chriſti. Sed excuſandus Philo, qui non vlterius eſt progreſſus, quàm ſapientia ex cerebro ipſius nata adſpirare poſſet. Nos Mineruam ducem veræ hæreditatis ſequimur, quæ ſicut nobis pacem offert, ita ſterf quoque, ſi ſic conuertatur, vt origo per geminam ſyllabam exponatur. Nam ex Ste-erf fiet Fre-eſt/ id eſt, Pax eſt. Mors enim Chriſti, cui ſterf primum dixi conuenire, efficit, vt nobis pax ſit cum patre. Ex timore itaque Dei, initio ſapientiæ, venimus ad mortis cum noſtræ tum excellentiſſimæ cogitationem: & per hanc deinde peruenimus ad radices vocis ſterf/ quæ conuerſæ nobis oſtendunt pacem eſſe: Mox ex pace in mentem venit Mineruam nobis dicere, Accipe pacem: quod Fre-nem nobis ſignificat; ita vt Minerf conuerſum monere videatur, Accipe ſterf/ id eſt Accipe mortem Chriſti, per quam pacem contingere, radicum vocis veſtigia retro lecta demonſtrant. Cernimus ergo veram Mineruæ ſapientiam nihil aliud eſſe, quàm mortis Chriſti meditationem, per quam pace per oleam ipſius denotata donamur. Audin' quanto ſimus vlterius, quàm Philo, progreſſi; quanto vlterius quàm Plato: atque id ſolarum vocum demonſtratione, quæ ſe nobis manū Mercurialem præſtiterunt.

HERMATHENÆ
LIBER VII.

EXCRESCERENT in ſingulis litteris exempla, auctu quodam immenſo; ſi per ſingula vocabula eſſet artificij ratio ducenda: quod facere, cùm propoſiti noſtri minimè eſſe declarauerimus; ad ſequentem litteram quæ G eſt, progrediemur: in qua notationis tanta eſt maieſtas, vt eam, ita me Hermathena amet, vix auſim attrectare. Hæc enim nobis demonſtrat, quò per Tau mortales trahantur, & cui tandem ipſius Tau vinculo colligētur, nexu non Gordio, ſed Herculano, nulla vmquam vi vel ſoluendo vel ſecando. Diximus, in C pronunciando, ipſum plectrum dentibus preſſiùs applicari: in hac ſonus C obtuſior eſt, & retrorſum ad ipſum palatum à Terentiano coire dicitur: cui Capella adiecit, ſpiritū quendam cum palato ſentiri. Quæcumque res vſquam ſunt, ad bonum ſuum tendunt; & quidquid agunt, ad ſe primū referunt, & ſic aliis conſulūt, vt id tandem ad ſe putent pertinere. Reip. homines operam ſuam nauant; quia intelligūt, niſi ſalua hæc ſit, ſe ſaluos eſſe non poſſe: deinde plerique externorum bonorum ſummum in honore collocant: quem dum rebus pro communitatis, aut amicorum ſalute egregiè geſtis conſequuntur; tum credunt ſibi maximè conſultum, atque in primis ſupremum bonorum in ſe redundare. Hinc Chriſtus, dum alios homines amandos eſſe præcipit; eam amoris menſuram adiecit, quam quiſque domi ſuæ in ſui amore inueniret, certò ſciens, ab opinione boni ſui homines ad alios amandos tranſire: quod Theologi breui verborum ſumma comprehendere volentes, aiunt à ſeipſa incipere charitatem. Iam quoniam cuiuſque perfectio eſt in ſui ipſius ſalute & conſeruatione: æquum eſt, vt id tandem perfectum putemus quod ad ſummum noſtrum bonum intus refertur; & id quidem à firmis fundamentis, quæ inferno inferiorū dentium vallo denotantur. Deinde littera ipſa non ſolùm à dentium ſepto intus refertur; ſed ad ipſum palatum ſpirat: quo monemur, omne id quod propriè ad nos referimus, ſurſum ferri, & anhelare debere. Venit igitur huius litteræ ſonus ad eum apud nomenclatorem vſum, vt ſummam ea indicaret perfectionem. Primùm igitur & ante omnia Deo patri conuenit, qui ſe amando filium gignit, & per hunc creat vniuerſa, à quo amoris huius fons & origo: quo fit, vt amor ſui ipſius adulterinus ſit, niſi ad ortum ſuum ſeſe ſtatim referat, pro eo ac litterę G ſonus monet. Suus enim cuiq. amor dictat, Ge/ id eſt, da: quod cui alij dicemus, quàm illi, qui ſolus vitam, ſanitatem corporis & animi, atque cariſſima quæque dare poteſt. Vt autem prior eſt prima perſona indicatiui modi apud Grammaticos, quàm ſecunda imperatiui: ita Ge prius patri vniuerſorum conuenit, quàm nobis: eo quòd is ſolus & vnus ſit, qui verè dicere poteſt, Ge/id eſt, do. Dat enim omnia. Sic itaque cuique cogitandum in ſuis neceſſitatibus, ex Ge noſtro, quod eſt Da, rectà eundum eſſe ad eum qui ſolus dat omnia. Hinc fit vt Ge aliquādo pro Ad Latinorū vſurpemus: quia is qui omnia dat, finis ſit ad quem tendunt vniuerſa: vt ſi quis dicat, Ge Louen/ id eſt, ad Louanium, vel Louaniū verſus: quo indicatur tum iter perfectum fore, cùm eò fuerit peruentum. Quòd ſi Eg conuerſo ordine dicas, ad ſe cogitationem ſuam tendere homo indicat, à quo Latinis & Græcis Ego. Nos nunc Ig vel ic dicimus. Vnde eigen apud nos pro eo qui immodico ſui ſtudio tenetur, ita vt cum aliis exiguam habeat vitæ communionem: quæ tamen vox, ſi rebus applicetur, nihil aliud eſt, quàm quod cuiuſque proprium eſt: vt Eigen baet ſuum cuiuſq. lucrum denotat. Ex conuerſione itaque & deriuatione liquet, Eg & Ge eſſe primorum natalium iure, noſtræ linguæ. Porrò quoniam primùm patri ſupremo ipſum Ge cōuenit, & is ſummum ſit omnis perfectionis caput; Ge in verborum formatione perfectionem notat: adeò vt omnia præterita verborum perfecta hac vocula formentur, adiecto Heb in ſignificatione actiua, ſiue Hab/ quod eſt Habeo, & ipſius Habeo fons & origo. Exempli gratia: Ic heb gegeuen/ Ego donaui. Hanc loquendi formulam Goti, & Langobardi, & Franci, & ceteri Germani, in totam Italiam, Galliam, Hiſpaniam, & inſulas vicinas inuexerunt: cuius exempla cùm in omni ſermone obuia ſint, ipſis relinquo expendenda, quorum aſſiduo monitu intelligunt, quibus auctoribus lin-

G litteræ ſymbolica ſignificatio.

Ge.

Eg.

Ego.

Ic.

Eigen.

Heb.

Hab.

Habeo.

Ge in verborum formatione perfectionē notat.

guam ſuam contaminarint: & interim tamen ineptuli quidam contendere audent; Gallicum ſermonem à Græco, Italicum ab Etruſco defluxiſſe: atque corruptelá hanc, & putidam linguarum confuſionem audent cum linguæ noſtræ puritate ita conferre, vt non pudeat etiam pronunciare præſtantiorem. Verùm vt lingua ipſorum eſt corrupta; ita hoc ipſorum iudicium veſana philautia ipſo etiam ſermone reddidit corruptius, longè lateque à recta veritatis rationiſque via ſeductum. In paſſiua verò notione verbũ ſubſtantiuũ adiicitur; quod itidem obſeruatur in ſignificatione neutra, vt, Ic bin geſlagen/ id eſt, Sum percuſſus: Ic bin gereſen, Surrexi; & ita in ſimilibus, in quibus ge ſemper perfectionem notat. Additur eadem vocula in compoſitione, ad perfectiorem quoque

Doen. Gedoen. Val. Geual.

ſignificationem, extra præteritum perfectum. Sic doen, eſt agere: gedoen, agendo ſibi quidquam perficere. Eodem modo val & geual, pro caſu, compoſitione frequẽtiſſima, in qua ge quiddam perfectius indicat, quàm eſſet in priore. Quæ autem cauſſa ſit, vt præteritum perfectum hoc verborum ambitu maluerit deſignare nomenclator, quàm præteritum imperfectum: in cauſſa eſt, cùm ipſius ſoni proprietas ad perfectionis teſſeram apta; tum etiam illud, vt quoties præteritum aliquod perfectum audiremus, toties recordaremur, nihil perfectum eſſe, quod non ab ipſo ſummo patre proficiſcatur, & ad eundem fuerit relatum. Porrò inſigni & admirando artificio nomenclator ipſum Dei nomen ſic fecit, vt per G inciperet: cuius vocis tot ſunt myſteria, & tam latè ſe extendentia; vt peculiarem trilittero huic nomini libellum dedicarim. Idem duplicem huius litteræ ſonum eſſe voluit: lenem quidem, ſi in principio, vel medio; collocaretur; aſpiratum verò ex imo pectore, cùm finem vocis occuparet: quo diſcrimine indicauit, ad G

Got. Tog.

finalem, id eſt, ipſum omnium patrem, ex imo pectore eſſe anhelandum. Sic Got conuerſum, vt ſit Tog, G habet altè expectorandum: qua de re latiùs in Hieroglyphicis litterarum ſignis. G itaque in Daag/ alium ſonum habet, quàm in Gaad: quem quia non ſatis hac littera exprimi poſſe putant; ſcribunt pleriq. ch, vt ſit Daach. quod tamen non bene habet, cùm in Dag, pro diem dico, vel ad certum diem vadimonium anteſtor, audiamus G adſpiratum ex imo pectoris ſinu, ita vt Dagh potius ſcribendũ eſſet.

Dag. Tag.

Dag pro die mediam litteram in principio habet, quam pro tenui poni etymologia declarat, cùm Tag à Gat fiat, quod eſt It: quoniam dies in eundo ſummam habeat celeritatem; propterea quòd ſit méſura motionis omnium celerrimæ, qua inter viginti quatuor horarum ſpatium primum mobile totam cælorum molem vnà ſecum rapit ab Oriente in Occidentem, & inde rurſus in Orientem. Meritò itaque à gat, quod eſt It, ſiue progreditur, Tag dicitur: qua in voce vocalis a magis raptim ſonat, quàm in gaat: tum vt ipſius gh expectorationi locus ſit, tum quò celerrimus diei raptus & breuitas indicetur. Tag itaque, vt ſuperiores Germani pronuntiant, pro die vſurpatur generatim: ſed quia Solis, qui verus Ianus eſt, nocturnum iter non videtur; pro præſentis nobis ſideris curſu frequentiſſimè vſurpatur: atque hac notatione, aliam etiam habet ſignificationis rationem, vt ſit quaſi Te-ach, id eſt, ad æſtimandum: quòd præſens Solis lumen maxima in æſtimatione ſit habendum. Sed huius compoſitionis adſpirationem media

Nacht.

littera G adſpirata includit. Huic opponitur Nacht, quaſi Nie—acht, id eſt, nihili facias; eo quòd diei collata nox nihili ſit æſtimanda. Hæc igitur nomina, pro eo ac debent, primùm iis attributa, in quibus rationum excellentiſſima vis cernitur, ingentes nobis theſauros exponunt. An non illa maximè dies diei nomen meretur in qua Sol perpetuò citra noctis tenebras lucet? At quis Sol? Is certè qui noſtras Solis nomen, quod eſt

Son.

Son/ ſolus ſibi verè poteſt vindicare. Cùm enim Son idem ſit quod pacem facio, & Son etiam Sano ſignet, atque Oſculor; factum vt primùm primo filio ſit tribuendum hoc nomen; quoniam ſolus eſt cui excellentiſſima pax, excellentiſſima ſanitas, & excellentiſſimum oſculum primùm poteſt conuenire: pax quidem inter patrem & genus humanum conciliata; ſanitas verò animis noſtris & primùm data, & poſtquam amiſſa eſſet, reſtituta; oſculum porrò quo & ipſe patrem, & pater eum oſculatur: de quo interno oſculo amor ille erumpit, qui omnia permeans, omnia replet diuina ſuauitate. Hoc oſculo dum homines oſculatur, homines patri conciliat, & ſpiritu ab vtroque progreſſo nos accendit, ardentibus amoris flammis quibus ſurſum rapti, in claritate diei ſempiterna, Solem noſtrum talem intuemur & experimur, qualis noſtro nomine depingitur. Hæc igitur dies eſt illa quæ digniſſima diei nomine iudicatur; quoniam nullas noctis

tenebras habeat admixtas, aut intercedentes: ſed perpetua Solis præſentia illuſtris, præ ceteris omnibus quæ homini contingere poſſunt, plurimi facienda. Meritò igitur Tag ſiue Dach vocatur ab æſtimatione eximia & ſingulari. Meritò etiam prima & ſuprema dies, quoniam in ea ſupremus Sol luceat, omnibus iuſtitiæ & miſericordiæ lumen affundens. Iam hac via vox conſiderata, verſam vocem habet; quæ vnumquemque ſigillatim monet, vt ad hanc diem eat. Gat enim non ſolùm tertiæ perſonæ eſt indicatiui, ſed imperantis etiam ſecundæ perſonæ; ita vt nihil aliud ſit, quàm I, ſiue progredere. Perpetuò itaque noſtrati diei nomine monemur, vt ad eam diem eamus; ad quam niſi peruenerimus, ad tenebras æternas ſumus præcipitandi. Huius diei comparatione hæc vita nox eſt, quæ ob eam cauſſam nihili facienda, vt ad lucem æternam adſpirare poſſimus, contemptis & reiectis omnibus iis quæ illuc tendentibus vel minimum queunt adferre impedimentum. I nunc, i, anime mi, ad diem illam ad quam te verſum noſtras ipſius diei vocabulum ire iubet. I ad diem illam cui Sol, ſeruator omniũ, & æternæ pacis auctor, æternum lumen affundit. I ad eius pacem, ad eius conſeruationem, ad eius oſculum; quò eum videas facie ad faciem. Oſculare eum oſculo ſancto; ſanctiſſimo, inquam, quia hoc oſculo pax cum patre ſancitur ſempiterna. O Tag, diuinum diei nomen! ô Son, diuinius longè Solis vocabulum! quàm bene vos fecit Theodidactus Onomatopœus, verus Iouis ſummi Aoriſtys, verus etiam inter homines Minos, ſi Minoot nihil aliud ſit, quàm caput ipſius ductus. Primus enim & ſummus dux eſt inter mortales, omnibus iter eò demonſtrans, quo nomine Tag ire iubemur. Tag itaque duplicem ſignificationis habet rationem; alteram à Gat per conuerſionem, alteram à Te-ach. His adde & tertiam ex litteris; quas ſi interpreteris, Tau ligabit progreſſum ipſius A, ad ſummam ipſius G perfectionem: ſiue crux aget ad illud ad quod ex imo pectore eſt anhelandum. Gat autem eſt à Gan, & hoc à Ge, & An, quo perfectio ipſius anterioris notatur. Itio enim eſt entelechia ſiue actus ipſius mobilis, vt tale; ſiue ipſius perfectio cuius terminus eſt An. Ianus igitur cuius nomen à Gan deriuatur, mutatione ipſius G in I conſonantem, hanc habet cum die cognationem, vt ab eadem radice acceperit nomenclaturam. Quamobrem Iani nomen Soli prius conuenit, quàm homini; quoniam in Sole potior nominis ratio inuenitur: cuius cùm illuſtris quædã imago in Iapeto cerneretur, eo quòd ad hominum animos illuſtrandos continuò vltrò citroque volitaret; Sol quidam terrenus videretur. Intellexerat Cicero, ab eundo Ianum dici: ſed cur, & qua in lingua ita vocaretur, ignorauit, vt memini alibi tradidiſſe. Eſt enim, ſi rectæ rationis ductum ſequamur, Ianus, ſpiritus ille qui omnia vi ſua promouet, atque ad progreſſum impellit. Ianuis itaque atque portis huius numen præſidebat; quò euntibus & redeuntibus proſperum adeſſet. Neque erat quiſquam apud maiores noſtros qui quemquam à ſe dimitteret ad iter aliquod aggrediendũ, cui non antè Iani poculum, quod Jans gelep, id eſt Iani ductus, vocabatur, præbibiſſet: qui mos vt hactenus apud multos, ita me puero, apud omnes ſacroſanctus habebatur: quamquã Chriſtiani in hoc ritu, Iani nomen ad diuum Iehan tranſtulerunt, quem nos Jan dicimus, propterea quòd Iehan, exciſis mediis litteris, Jan fiat, quo Ianum prius vocabamus, quàm Chriſtianam religionem accepiſſemus. Id verum eſſe, artemiſiæ apud nos nomen teſtatur, quam ob eam cauſſam Iani herbam nuncupamus, quia nihil ea plus virium habeat ad laſſitudinem ex itinere contractam amoliendam; adeò vt quidam eum non fatigandum dicat qui ipſam ſecum geſtarit: quod inde in vulgus iactari cœptum, quia ſi cui ea ad manum ſit, eius decocto pedes lauare & fouere poſſit, cuius beneficio omnis tollitur laſſitudo; atque hac de re alio nomine Biuoet vocatur, quaſi dicas, præſens pedum adiumentum. Cùm itaque Ianus itineribus præſit, eaque plerumque pedibus confici conſueuerint; optimo iure Iani ſibi cognomen artemiſia ſumpſit, quod nunc in diui Iehani eſt commutatum, qui tamen adeò ab itineribus fuit alienus, vt ſemper ad Iordanem tam certo loco moraretur, vt ab omnibus adire eum volentibus ſemper inueniretur; nec vmquam ſcribatur hanc pietatis ſuæ, & concionum ad populum vndiq. confluentem diatribam antè aut reliquiſſe aut commutaſſe; quàm ab Herode caperetur. Huic Iano, paullo ante meſſem, feſtum diem agebant Cimmerij omnes, artemiſia cincti & coronati; quo fauſtum ſibi iter precabantur: propterea quòd expeditiones ſuas eo tempore adornarent, quibus nihil impedimenti adferri, & præ-

Ianus vnde dictus.

Jans gelep.

Biuoet.

ſertim nullum incidere Panicum terrorem, maximè ſibi orandum Ianum putabant. Inde adeò illud eſt quod noſtrates & alij, qui eundem ritum à Cimmeriis acceperunt, hodie etiamnum, ad diui Ioannis, artemiſia & aliis verbenis, ſi hæc deſit, ſeſe plerique obuincire ſoleant & ornare, nec ſe tantùm, ſed fores etiam & poſtes: quoniam ſummũ hoc credant aduerſus omnia itinerum obſtacula, præſertim aduerſus nocturnos Lemures, & dæmonium, vt ipſi vocant, meridianum, eſſe amuletum. Vtcumque Chriſtiani præſules veterem inſaniam ſuſtulerint, Iani nomine & feſto ad diuum Ioannem tranſlato, manent tamen hactenus apud plurimos eiuſdem veteris ſuperſtitionis veſtigia; quæ licet ad D. Ioannem colendum transferantur, apertè tamen primam teſtantur originem. Ianus certè principiò nihil aliud erat quàm poteſtas diuina, itinerum, profectionum, expeditionumque tutelaris; ex qua deinde dæmoniaca fraus, & ſacrorũ Curetes, non tam lucrifugæ, quàm lucifugi, ſuam confinxerunt idolomaniam; in quam quidquid reliquum inuenerunt ſacrorum nominum, iam olim ante omnem poëtarũ Græcorum memoriam pertraxiſſe deprehenduntur; tot diis ſibi conſtructis, quot nomina inueniſſent. Hinc apud Romanos Iani templum patebat, quàm diu exercitus contra hoſtes ducerentur; ne ſcilicet clauſis foribus exitus ipſi Deo non daretur, ad expeditionum obſtacula amolienda. Hæc de Iano, cuius nomen tanto lubentius ad Ga reduxi, quòd in vigilia D. Ioannis, anno ſupra ſeſquimilleſimum vndeuiceſimum, die Iouis, à matre Mechtilde verbenis vincta in lucem ſim editus, & quo fauſta omnia nato eſſent, Ioannis nomen acceperim; quod vt Dei gratiá Hebræis notat, ita oro, vt eam ſemper & in hoc ſæculo, & in futura vita ſempiterna Deus Opt. Max. benignè cõcedat. Vidimus modò Iani & diei nomen apud noſtrates eoſdem habere natales. Latini Diem, vt volunt, à Dio habent; quod an ita ſit, an non, difficile ſit affirmatu: cùm Diën Cimbris idem ſit quod facere vt res quæpiam capiat incremẽtum & promotionem; à quo Dies fortè, quòd hic omnia opera promoueat, & res hominum augeat. Vnde autem dicatur Deus, in Alauda docebo, ſi Deus dies tam diu mihi felices currere permittet. A Ga item, quod Eo ſignificat, fit Gai, quo placidum, alacre & hilare notatur: & vt verbum, idem eſt quod placeo; quaſi dicatur, talis ſum, vt dignus videar ad quem eatur. Eſt & altera cauſſa quæ primaria meritò habeatur. Ge-ai enim idem eſt quod do ſpiritum ſiue vitam: quod proprium eſt ſupremi Gaij, qui eſt Chriſtus, de quo Deus pater, *Hic eſt*, inquit, *filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Hic item ſupremus eſt ſponſus Eccleſiæ ſuæ, & idcirco nomine Caij digniſſimus: cùm ſponſæ ſuæ reuera vitam det, quam etymologia pollicetur. Sed hæc altiora, quàm vt hîc latiùs tractanda. Accedit & tertia nominis ratio, quam reperies, ſi Gai ſoluatur in Ge-hai, quod eſſet aliquid tam eſſe perfectum, vt haberi optetur. Hai enim optandi modus eſt, ab Hab ſiue Heb; ita vt Gai eſſet, quod habere homines vellent & optarent: & quoniam Gai id ſignificat, quod ita placet, vt eo potiri velimus; non malè venit in loquendi conſuetudinem pro coniuge, quam non in hominibus modò, ſed in brutis etiam obſeruamus. In auibus hypocoriſticôs diminuente voce vtimur pro Gai/Gaiken dicentes. Hinc apud Latinos Caius quod Gaius ſcribendum eſſet, ſi ſcriptura pronunciationem ſequeretur. Perfectio itaque habere optantis per Ge, & hac expreſſa, optimè coniugibus applicatur; eo quòd nihil æquè habere optemus, atque ſocietatem ad genus propagandum. Non optimè itaque Ariſtoteles dixit, habendi modum alieniſſimum eſſe, quo vir vxorem habet; cùm nihil magis habeamus, quàm id quod duplice funiculo habemus deuinctum. Neque enim vir amore tantùm ſuo vxorem ſibi habet alligatam; ſed amore etiam vxoris mutuo; ita vt vinculo gemino ligentur, eo modo quo funis funem habet nodo Herculano ſibi alligatum. Et hæc quidem ratio ob quam Gai includat Ge-hai. Altera verò ſignificationis cauſſa, quæ Iota lætitiæ ſignum ipſi eundi actui adiicit, inde ſumitur, quòd nihil ſit ad quod auidius & lætius eatur, quàm ad ſocietatem & complexum generationis. Qua de re ſic Lucretius ad Venerem,

Iani nomen & feſtum ad D. Ioannem tranſlatum.

Dies vnde dicatur. Diën.

Ga. Gai.

Gaius.

Nam ſimul ac ſpecies patefacta eſt verna diei,
Et reſerata viget genitalibus aura Fauoni;
Aëriæ primùm volucres, te, diua, tuumq́
Significant initum percuſſæ corda tua vi:
Inde feræ pecudes perſultant pabula læta,

Et rapi-

Et rapidos tranant amneis. ita capta lepore
Te ſequitur cupidè, quò quamque inducere pergis.
Deniquè per maria, ac montes, fluuióſque rapaces,
Frondiferáſque domos auium, campóſque virentes,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis vt cupidè generatim ſecla propagent.

De eadem ingenti adeundi ſocij animalis cupidine, prolixius & elegantius Virgilius Georg. libro tertio, inter quæ ſunt & hæc,

Omne adeò genus in terris hominumq́, ferarumq́,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæq́ volucres
In furias ignemq́ ruunt; amor omnibus idem.

Quid ego Poëtarum hic vtor teſtimoniis; cùm adeò in ipſo ſtatim ſacrarum litterarum exordio ſic legamus: Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Bene itaque ab adeundi oblectamento Gai vxor vocatur: nec peius à voto habendi, cùm vtrumque in coniugio ſic excellat, vt neminem non vis eius rapiat atque percellat. Hinc apud Romanos à maioribus Cimbris Gaius & Gaia nomina retenta, de quibus ſic Quintilianus: Quid quæ ſcribuntur aliter, quàm enuntiantur? Nam & Caius C littera notatur, quæ inuerſa mulierem declarat; quia tam Caias eſſe vocitatas, quàm Caios, etiam ex nuptialibus ſacris apparet. Plutarchus quærit, ob quam cauſſam in nuptiis contrahendis ſollemnis hic verborum ritus obſeruaretur; vbi tum Gaius ego Gaia: ſed nihil inuenit, quod veram originem explicaret. Nobis ratio clariſſima; quoniam non olim modò, ſed hodie etiam, vel hac, vel ſimili verborum formula matrimonium contrahitur, dum dicit Sacerdos viro, Placet tibi hanc habere coniugem? & mulieri, Placet tibi hunc habere coniugem? Quid enim aliud coniux, quàm Gaius apud Cimbros; niſi quòd hæc vox multo ſit, quàm illa, ſignificantior, multóque clariùs aperiat, quanta ſit vis huius ſocietatis; quam vox verſa non minorem notationis argumento exprimit. Jag enim idem eſt quod vehementer & ſummo impetu perſequor, vt aſſequar; quod Latini dicunt Venari, ratione omnibus iuxtà Grammaticis ac oratoribus ignota, qui credunt Venari primum ad feras perſequendas pertinere, atque inde ad alia venationum genera tranſiiſſe. Venor enim dicitur à Vyn/ id eſt reperio, ſiue peruestigo. Vyn rurſus à Ven/ quo pulcritudo notatur; quia latè patens finis eſt: En enim & Ent finis; V, latè patentis notionem habet. Finis enim quærendi excellentiſſimus, eſt pulcritudo: quia nihil pulcrius ducimus, quàm multa inueniſſe. Iam quàm latè rerum omnium ſe porrigit vniuerſitas, tam latè videbis opificem, pulcritudinem in finibus ipſarum collocaſſe; vt ea illecti homines ad cauſſarum inuentionem ducerentur. Quamuis autem bonum non minus amplè per omnia diſtendatur; ipſius tamen ſpeciem non tam cito, quàm ipſius pulcri, apprehendimus: quia ante pulcrum eſſe aliquid, quàm bonum, innoteſcit. Videas erucas quaſdam miro ornatu depictas, videas papiliones mirabili alarum varietate diſtingui, videas cantharides grato virore ſplendere, videas aconitum floribus ſuis arridere, & id genus infinita alia cernas, in quibus multo antea admirabilem pulcritudinem, quàm vllam rationem bonitatis agnoſces. Hoc itaque fine tam latè patente res omnes primum arripimus, & admiramur; & quia pulcritudo nos allicit, cauſſam eius inueſtigamus. Arripimus autem pulcritudinem non ſolùm viſu, & auditu, & mente, vt Marſilius in Platonem ſcripſit; ſed omnibus etiam ceteris ſenſibus. Tactus enim, qui omnium infimus eſt, & maximè terrenus, ſuam etiam percipit pulcritudinem, vt in cæco noſtro, Pneumatici organi muſici pulſatore excellentiſſimo, videmus & admiramur; dum ſolo tactu optimè formoſas mulieres à turpioribus diſcernit. Quid qui ſolo tactu omnes mentis cogitationes & exponunt, & intelligunt, & tangendi diuerſitate pro litteris vtuntur; quales in Hiſpania Arias Montanus ſe cognouiſſe, mihi commemorauit. De Venerea titillatione nihil dicam, quando eius pulcritudo notior eſt, quàm vt egeat vel exemplis vel explicatu. De guſtatu nemo ignorat, quin pulcritudinem ſaporum ſentiat, & ea plurimum oblectetur: quod licet alij non ſentiant, Apicius tamen & ceteri gulæ miniſtri non negabunt. An non præceptor noſter Galenus è ſaporum diuerſitate vires ſimplicium medicamentorum nos docuit explorare; rem in pri-

Gaius et Gaia. *Jag.* *Venor.* *Vyn.* *Ven.* *En/Ent.* *Pulcritudo rerum.*

in primis pulcerrimam, & non minus vtilem, quàm admirandam? Quid iam dicam de olfactu, in quo vt canum ſtupenda quædam ſagacitas conſiſtit, ita homines etiam varia norunt diſcrimina, & alios odores aliis indicant pulcriores. Videtur profectò ipſa natura nares ſupra os ſuſpendiſſe, vt odoratu antè de alimentis, quàm guſtatu iudicaremus. Vidi Leonoram Franciæ Reginam, heram meam, auguſtæ memoriæ, nullum vnquam bolum in os indere, quem non antea naribus admouiſſet. An non cinnamomo, caſiæ, roſis, violis, & infinitis aliis ſiue ſimplicibus, ſiue compoſitis, quibus vnguentorum thymiamatumque conſtat officina, mirabilis eſt pulcritudinis diuerſitas? Quis non Hiſpanus & Italus Moſcum, & Ambarum, & Ciuetorum ſaniem, latè per plateas omnium naribus adſpirat, non citra periculum frequenter earum mulierum quibus vterus eiuſmodi odorum ſequax facilè ſurſum rapitur, atque phrenes ita ſuſpendit, vt reſpiratio vel ægra ſit, vel tollatur. Hæc item omnia ſenſuum obiecta ad interiorem imaginationem pulcritudinis ſuæ ſpeciem transferunt, & varia ſomniorum genera obiiciunt, quibus perinde ſæpe, atque ſi rebus ipſis præſentibus vigiles perfrueremur, oblectamur. Circumfer itaque mentis oculos per omnia, & cerne, ſi potes, an quidquam inuenias ad quod non radij aliqui pulcritudinis pertingant. Cùm ergo omnium rerum perfectio in pulcritudinem terminetur, & hoc ſuo fine nos ad ſe prius trahat, quàm bonitatis vlla ratio nobis ſit manifeſta: inſignis oportet fuerit artifex qui parua vocula, & ea quidem dumtaxat trium litterarum, totam hanc rationem tam immanibus ſpatiis per totam rerum latitudinem patentem ita concluſit, vt ſatis apertè tamen tota cerneretur. Erat mihi de Veneris nomine in littera V meritò agendum: ſed non poſſunt ſingulis litteris omnia ſua annumerari exempla, niſi integra lexica conſcriberentur. Mihi Gaium fuit,
Venus Gaia. id eſt, placuit, modo quodam ſingulari Gaium Veneri copulare; & docere, non aliam eſſe Gaiam primam, quàm ipſam Venerem, quæ radiorum ſpecierumque ſuarum terminis longè lateque omnia, ceu hamis quibuſdam ſuauem eſcam habentibus, pertrahens, cogit, vt optent omnia ipſa potiri, & vt potiantur adire compellit; quæ duæ res per Gai notantur. Legas totum Platonis ſympoſium, legas Phædrum de pulcro diſputantem, legas quotquot vmquam de pulcro ſcripſerunt; & adfer, ſi potes, quidquam quod tam nobis clarè Veneris, & amoris, quo in eam rapimur, vim omnem & rationem exponat. Audimus in Ven omnium perfectionem terminari; & ſi de nomine ipſius V ſignificationem adiuuemus, quam in Hieroglyphicis Vau eſſe dicemus, confeſtim intelligerentur omnia cælorum volumina ad hoc eſſe comparata, vt in pulcritudinem omnia finiantur. Sed hoc loco ratio hæc ſignificationis adhuc præcox eſt & immatura; vt ſatis ſit eam indicaſſe. Quoniam tamen pulcritudo omnis corporum in cælo exor-
Cælũ & Terra coniuges. dium habet, & inde ad terram ſeſe demittit; factum eſt, vt terra vxor, cælum maritus videretur; quò reſpexit Virgilius dum dixit,

Tum pater omnipotens fecundis imbribus AEther
Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit magno commiſtus corpore fetus.

Miror profectò, vt quod maximè, diuinum poëtæ ingenium eò peruenire potuiſſe, vt quod Græcum terræ nomen Cimbris denotaret, id verſibus ſuis ita exprimeret, vt de
γαῖα terra. noſtra lingua didiciſſe videretur. γαῖα terra dicitur; qua ratione, nemo Græcorum verè explicabit. Nobis nihil magis perſpicuum, nec clariùs eius rei cauſſam, quàm ſi hos Virgilij verſus adducamus, oſtendere poſſemus. Cæli coniux eſt terra, atque idcirco Gaia dicenda, per excellentiam, ad quam genitalis vis cæli deſcendit, vt pulcritudinẽ ſuam ei communicet. Et quamuis terra non videatur habere pulcritudinem; tantam tamen pulcritudinem cælorum volumina, quæ Ætheris nomine ſignantur, ex eius corpore eliciunt, vt huius ſpecie numquam non trahantur; & quo ea potiantur, numquam ceſſent terram maſcula ſua vi adire. O Gaium nomenclatorem, qui terram Gaiam dixit! Et certè ſi terra Gaia eſt, neceſſariò de ritualibus nuptiarum verbis apud Cimbros concipi
Gaium cælũ. ſolitis concluditur, Ætherem Caium eſſe; cùm coniugium conſtare non poſſit, niſi legitimo more ſit contractum. Vide quæſo, quò paulatim nos manus Mercurialis dedu-
Cælum vnde dictũ & quomodo ſcribendum. cat. Caium cælum eſt. Quo id nomine ſignificatur? Non alio quàm hoc ipſo quod audis, dum Cælum dico. Antiqui pro G, C in Caius & Caia ſcribunt: quod vnde originem traxit, alibi fortaſſe: illud ſcio, Cælum dictum à Gai Hel & Um, & pro G, C ſcribi

& pro-

& pronunciari, & cauſſam compoſitionis partim in ſimplicibus integris eſſe, partim in voce per tenuem litteram pronunciata, quæ conuerſioni hac in voce ſeruit: Gai-hel-um igitur eſt coniux motione ſublimi coniugij actum perficiens. Hel / vt mox dicam, & aliquoties dixi, altum. Om / ſiue Um, vt Campani Brabantiæ ſonant, idem eſt quod in circuitu. Aptiſſima igitur & minimè violenta eſt compoſitio, Gaelum, in qua, more noſtro, diphthongus integra eſt pronuncianda, vt Ga & El audiantur commixta, & I abiiciatur, vel in a deliteſcat. Eant Grammatici Latini, & quidquam ſimile tentent. Cernimus in hac voce ad natales ſuos vocata, Cælum per Æ diphthongum ſcribendũ: cernimus Cælum Gaium eſſe ipſius Gaiæ: cernimus denique Gaiam à Gaio prægnantem reddi, perpetua in circulum motione; adeò vt ipſe etiam actus quo coniugalis copula perficitur, exprimatur. Macte virtute tua Virgili. Quis tibi Deus, quæ tibi Muſa inſpirauit tam conſentanea primo Cimbrici ſermonis auctori? Ipſa nimirum veritas, ex cuiuſcumque ore prodeat, ſemper ſibi conſentit. Huius igitur ductu eòdem veniſti, quò nobis Hermathena viam aperuit atque demonſtrauit. Hæc ergo Cæli nomenclatura hanc habeat cauſſam, reiectis frigidis vel de cælatura, vel de cauo, quod κοῖλον dicitur, coniecturis. Quòd ſi quidquam in his affinitatis eſſet, certè hæc potius à Cælo, quàm hoc ab illis nomẽ accepiſſet: eo quòd par ſit credere, nomenclatorem prius cælo, quàm vel cauo vel cælanti nomen dediſſe, ſi talis quidem fuit, qualem primum hominem à Deo formatum & inſtitutum exiſtimare debemus. Accedit huic rationi inſignis alluſio ex eiſdẽ radicibus enata, qua fit, vt dum cælum audimus, non ſolũ de Gai hel om, ſed de Gai heel om quoque cogitemus, quo denotatur, placens, gratum, ſiue Gaium per totum circuitum; quaſi diceretur, in tota rotunditate huius tam vaſti corporis, nullam omnino eſſe particulam, quæ non ſit Gaia. Et quia actus ordine naturæ præcedit potentiam; nulli prius corpori Gaium conuenit, quàm cælo; cuius nulla omnino pars eſt quæ non continuò illud faciat, quò copula cõiugalis ſpectat. Hinc Gai pro verbo etiam vſurpamus, dum dicimus, Die vogelen gaien, id eſt, aues venereo actu commiſcentur: vnde Græci γεγάασι pro eo ponunt quod eſt, geniti ſunt. Quocirca Terra γαῖα dicta, non à verbo vetuſto γάω, pro gigno; ſed hoc potius verbum à cælo & terra perpetuo actu Gaiis deriuatum dicemus. Porrò quo magis clariuſque cognoſcas, noſtratem hanc vocẽ eſſe; vtere conuerſione nobis peculiari, qua eueſtigiò deprehendes, cælum perpetua ſua in circulum motione, & generationis actu numquam ceſſante, nihil omnino defatigari; quod in primis mirum videtur. Mu ſiue Mo Laſſum ſignat, Laet idem eſt quod deficit; ita vt Mulaet idem ſit quod laſſitudinis & defatigationis defectus; qui vt conuerſione notaretur, deriuatio tenuem litteram pro media ſubſtituit. Eſt itaque cælum corporeum ſpeculum diuini actus, qui ab ipſa Dei eſſentia nihil differt, immò Deus purus actus eſt, ad quem in corporibus nihil propius, quàm id quod perpetuo motu agitur, accedit. Qua de cauſſa nos illud cæli nomen retinuimus, quo ipſum nominamus ipſius capitis demonſtratorem. Hemel enim idem eſt ac ſi dicas, caput oſtendo, ſiue declaro. Perpetuus enim motionis & generationis actus puri & æterni actus ſpeculum & imago habetur; cui ſymboli ratio tanto maior adiuncta eſt, quòd cælum perpetuo motionis generationiſque actu numquam defatigetur: quæ res bene accurateque expenſa, magni eos erroris facit manifeſtos, qui ſcribere auſi ſunt, cælum & terram conſeneſcere. Quî enim conſeneſcat quod numquam laſſatur? Sed contra hos in Gigantomachia diſputaui; quo loco hoc argumentum, quantumuis luculentum, de nominis ratione ſumptum, fuiſſet adhuc immaturum: quoniam in eo declarando probandoque plus operæ ponendum fuiſſet, quàm in ipſa re ad quam docendum ipſum protuliſſemus. Nec porrò hæ ſolæ ſunt huius nominis cauſſæ, ſed alia adhuc ſeſe offert, atq. ea quidem adeò in promptu poſita, vt prima & maxima poſſit videri. Nam Ga-hel-um idem eſt ac ſi dicas, vehementiſſimo motu circumeo: quod quàm cælo conueniat, nemo ignorare poteſt, qui modò cogitet, quanta corporis moles, quantum ſpatium intra viginti quatuor horas abſoluat. Quàm ſunt omnia rationum prægnantiſſima! quàm ſunt cauſſæ luculentæ! quàm nihil in iis procul accerſendum! Cælum à Gai-hel-um deriuatur, G in C tranſit, quia tenuis hîc ſuauior eſt, quàm media. & licet in deriuatione litteras ad cognatas transferri frequenter videamus, præſertim ſi ſolius aſpirationis ſit diſcrimen, quo vocum diuerſitas maior enaſcatur; tamen hoc loco huius mutationis alia ratio reperitur,

Hel. Om ſiue Um. Mu ſiue Mo. Laet. Hemel.

peritur, in ea quam modò dixi conuerſione conſiſtens. Sed redeamus à Cælo ad Gai. Iag. Hoc ſi conuertas, Iag habebis, geminam notationis rationem allaturum; alteram, vt contrarium ſit priori, ſignificans id quod Latini dicunt pello; vt cùm dicimus, it iag hem wech/ id eſt, depello eum à me: alteram maioris artificij, & diuinioris, & nobis magis notandi, qua ſignificat vehementi deſiderio rem quampiam perſequi, vt ea potiamur. Iam quid eſt quod magis nos allicit ad perſequendum, quàm pulcritudo, quæ Venus eſt, cuius deſiderio & amore eueſtigio exardeſcimus & inflammamur? Vnde ſicut *Venor.* à Gai habemus Iag; ita à Ven Latini Venor fecerunt, quod eſt perſequi: quia nihil magis, nihil prius, nihil ardentius, quàm pulcritudinem, perſequimur, vt ea quouis modo *Venio.* *Inuenio.* potiamur. Hinc & Venio, quia ea omnia ad ſe venire cogit; & Inuenio, quia nihil æquè atque Venerem aueamus inuenire. Nec mirum, tempus in Venor longum eſſe; cùm in deriuatis non rarò tempora mutentur, & alioqui verbum hoc apud Latinos obſcuræ *Ven.* ſit originis. Ven conuerſum Neu facit, quod eſt Nouum; à quo Græci νέον retinuerunt. *Neu.* *Nouus.* *Νέος.* *Nieu.* *Nou.* *Nu.* *Nunc.* *Νῦν.* Nunc quidam Neu/ quidam Nieu/ alij Nou dicunt; quorum poſtremum videtur compoſitum à Neu/ ſiue Nu/ vt alij dicunt, & hou; vt ſit nouitatem conſeruans. Hinc Nouum Latinis; & nobis Nou ſiue Nu pro præſenti; vnde Latinis Nunc, Græcis νῦν. Allemanni New per duplex ſcribentes, impediunt conuerſionem genuinam atq. germanam ipſius Ven. Videmus vt omnia per Venerem innouari noſtrates ſentiant, dum nouum in Veneris veſtigiis retro lectis agnoſcunt. Maximum hic latet myſterium, atque adeò omnium religionis noſtræ, & totius ſapientiæ diuinæ, & humanæ arcanorum ſupremum. *Venus omnia innouãs Christus.* Quænam Venus eſt illa, quæ omnia innouat? Nempe virtus & ſapientia Dei, quæ die Veneris in cruce pendens totum genus humanum, & vnà totam machinam mundanam morte ſua innouauit, & nouis hominibus ſtabilem & æternam dedit hæreditatem. Hæc eſt illa de qua Cumana Sibylla cecinit:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas:
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo:
Iam noua progenies cælo demittitur alto.

Cerníſne in Venere nouitatem, quæ totum humanum genus non ſolum in integrum reſtituit, ſed venuſtius etiam & diuinius, quàm antea fuiſſet, reddidit? Quo die? Veneris die, & eius diei hora quæ Veneri dicata eſt; quo ſumma venuſtatis perfectio notaretur. Quot ſymbola mortis Chriſti ſimul concurrere videmus, maximo conſenſu eodem tendentia! Ven/ ſi vertas, nouum ſignat, certo indicio, per Venerem homini nouitatem contingere, & per ipſum Neu/ quod nouum eſt, ad ipſam Venerem recurſum patere. *Vyn.* Ven nobis Vyn facit, quod eſt inuenio, denotans, hoc ſummum eſſe omnium inueniendorum, vt per Venerem innouemur, & per nouitatem cæleſtem Venerem inueniamus, omnia mundana & ſupermundana illuſtrantem, & formoſa reddentem. Hanc itaque venemur Venerem; quam niſi conſequamur, nec venuſti eſſe, nec poſſumus innouari. Quærite, inquit hæc Venus, & inuenietis. Eadem hæc Venus eſt cum illa ſapientia quæ de ſe dicit: Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. De hac item: Viæ eius viæ pulcræ, & omnes ſemitæ illius pacificæ. Quæramus ergo ſapientiæ pulcritudinem, vt ea pertrahamur ad Venerem & pacem celeſtem, *Fijn.* quam in Minerua inuenimus. A Ven item habemus Fijn/ quo id notatur, quod omnibus venuſtatis numeris eſt abſolutum. Hinc apud Latinos finis, pro termino; eo quòd terminus rerum pulcritudinem abſoluat, & pulcritudo abſoluti operis indicium ſit apertiſſimum. Quemadmodum igitur à Ven Venor, quia Venus vera maximè venanda: ita à Gai fit Iag per conuerſionem, quod idem eſt quod Venor: quo clarè notari cernimus, nihil eſſe, quod magis ſequi debeamus, quàm vt nos cum eo quod ſummè placere debet, coniungamus. Sicut autem cælum ſummè Gaium eſt eorum quæ corporis oculis videntur: ita eorum quæ mentis acie cernuntur, illud maximè Gaium eſt, ad quod omnia pro ſua quæque portione feruntur atque contendunt. Cùm ergo Iag audimus, moneri nos exiſtimemus, vt ſummam pulcritudinem in omnibus per omnia veſtigia venemur, eoque tota animi contentione rapiamur: perinde atque Latinis ſuggereretur, vt Venerem venentur, ſi rectas vocum rationes peruiderent. Quòd autem Iag & Venor ad ferarum perſecutionem transferamus; id inde eſt, quod plerique maiore ferinæ carnis deuorandæ, ventriſque farciendi; quàm veræ pulcritudinis amore ducantur:

ducantur: à quorum tamen feruidiſſimo ſtudio, ſummiſque laboribus, hoc nobis ſumamus ad vitam emolumenti, vt cogitemus, quanta diligentia nobis mentis pulcritudo ſit venanda, æterna nos radiorum ſuorum luci illuſtratura, ſi tantum operæ carniuori homines ſumant ad aqualiculum ſuum ferina ſaburra onerandum. Iam quemadmodum ſumma Venus ea eſt quæ nos ſexto die in cruce renouauit; ita & ſummus Gaius eſt filius patris æterni, qui Gaiam ſuam, id eſt, eccleſiam, ſic dilexit, vt poſt diuortium humano adulterio commiſſum, eam ſibi rurſus morte ſua vindicarit. Reliqua deinde vel Veneris vel Gaij nomine digna ſunt, pro eo atque ad pulcritudinem & placentiam, vt ſic dicam, ſummam, ordine ſuo referuntur. Nunc ergo de Venere Vrania, & Amore ipſius filio, verius licebit philoſophari, quàm à Platonis conuiuiis factum ſit: verius etiam de pulcro loqui, quam Socratis ingenium multo longoque diſputationis diſcurſu ſit aſſecutum. Per omnes enim pulcritudinis fines tam diu eſt vagandum, dum tandem ad illud pulcrum perducamur, quod homini die Veneris per mortem Chriſti obtigit, per quam ſolam verè innouamur & renaſcimur, vetere ſerpentis leberide prorſus exuta atque reiecta. Hoc igitur nobis venandum, huc omnibus votis & animi viribus contendendum, vt per ſummam Venerem, id eſt, Dei pulcritudinem, innouemur & renaſcamur, & in ea ſimus eccleſia, quam Chriſtus, verus Gaius, ſibi ſponſam & Gaiam fecit. Hoc inquam illud eſt Gai/ hoc illud coniugium, hoc illud votum, & habendi, & adeundi, hac voce denotatum, quò toto corde, toto animo, tota mente debemus anhelare; quod per Jag ſignificatur. Perſequamur igitur, perinde atque Jag iubet, per veſtigia ipſum Gai/ citra quod nihil proficit, nihil iuuat, nihil beat vllum venatorem; tametſi omnes, quotquot vmquam fuere, capiat voluptates. Audiamus iuſtitiæ & ſapientiæ Venerem dicentem: Qui me inuenerit, vitam inuenerit, & hauſerit ſalutem. Per ipſum igitur Vyn/ quod eſt inuenio, ad Ven veniamus; quo per ipſum Ven nouam vitam, quam tum in ſacris litteris, tum in ipſa verſa ſui nominis lectione pollicetur, aſſequamur. Læti, hilares, alacres, verè denique Gaij venemur Veneris pulcritudinem: vt non ipſa tantùm nobis Gaia ſit; ſed nos etiam illi ſimus Gaij, pro eo ac ritus nuptiales, apud vetuſtiſſimos Cimbros ſollennes, audimus poſtulare. Docemur porrò Veneris nomine, Venerem nihil aliud eſſe, quàm latitudinem ipſius Vnius; quia nimirum ipſum vnum latiſſimè per pulcritudinem apprehenditur: eo quòd licet Vnum, bonum, & pulcrum, æquè late pateant; prius tamen ſe pulcritudo, quàm bonitas, inſinuat, vti modò dictum. Ven itaque vel latitudo eſt finis, vel latitudo Vnius. qua de re rurſus noua exiſtit contemplatio, eò nos ducens, vt quæramus quid ſit, per quod Vnum latiſſimè ſe communicet. Alius aliud diceret, & Plato ipſum bonum exemplo pronuntiaret: At nos ſcimus, nec boni, nec Vnius nos verè participes eſſe poſſe, niſi per Venerem in cruce pendentem, per quam mundati & venuſti redditi ad bonum & Vnum venimus. Venio, itaque & Inuenio optimè deriuantur à Ven/ quòd ad eam omnibus ſit veniendum, & per hanc vitæ nouitas, & vera ſalus, quæ eſt communicatio ſiue latitudo Vnius, inuenienda. Hæc item pulcritudo finis eſt latiſſimus, quòd omnibus hominibus ad eam ſit contendendum. Hæc clamitat, Venite omnes qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos. Reficiet certè, quia nouos reddit. Vox porrò Ven ad aſtrorum naturam tranſlata, datur ſtellæ pulcerrimæ, quæ eam diem erat dominio ſuo nuncupatura, qua Chriſtus humanum genus innouaret. Ad elementa autem deſcendens, ſtagnis dari conſueuit, eo quòd citra aquæ beneficium nulla ſit terræ vel fertilitas vel pulcritudo. Deinde Venus generationi præſidet, quòd ea ab humore procedat: vnde factum, vt Venus è mari nata dicatur. Ex humore enim calente terræ permixto, qualis maris eſt, omnis fit generatio & nutritio. Veneti itaque vocantur ij, qui ad ſtagna, & paludes, & æſtuaria commorantur. Hinc Venæ in corporibus vaſa ſunt ſanguinei humoris: eo quòd ex his canalibus membra continuo alimento reficiantur & innouentur, perinde atque terræ innaſcentia per elices aquarum. Quemadmodũ à Ven Veneti dicuntur; ita a Gai Galli, & poſt Galli, qua voce populi Gaij, id eſt, læti, hilares, & in conuictu placidi faciléſque denotantur: alio nomine illi quidem Galatæ dicti, ſed ab eadem radice; quoniam videlicet Gai-lat placidum alacremque geſtum promittat. Et hæc quidem ad præſens de Venere & Gaio ſat ſunto: de quibus, ſi, quantum rei latitudo poſtulat, diceremus; nec Gaij fortaſſe, nec venuſti moroſis ſtomachis videremur.

Gaius ſummus, filius patris æterni, ſuam Gaiam, id eſt, eccleſiam, morte ſua ſibi vindicauit.

Venus quare è mari nata dicatur.

Veneti.

Venæ.

Galli.

Galatæ.

Latini prænomẽ fauſtiſſimũ ab hac origine ſibi ſeruarũt;ſicut & ab alia Cimbrica voce Cnæos nõ paucos dixerũt,in quorũ numero Pompeius aduerſus Caium infeliciter pu-
Gnai. gnauit. Gnai nobis clemẽtiam notat, rem toti humano generi maximè neceſſariã. Per
Ge. hanc enim ſolã Deo à quo receſſimus, appropinquamus. Ge perfectionis notationem
Na. habet. Na idem eſt quod poſt, & prope; cui Iota accedens, lætũ quiddam adiicit: vt in Gai quoque factum animaduertas. Poſt peccatum commiſſum nihil lætius accidere poteſt, quàm ſi is qui peccauit,eum continuò ſequatur,contra quem peccauit;vt nimirum pœnitentia quæ poſt factum ſecuta eſt, & ploratu veniam imploret, atque conſequatur; & per hanc rurſus propinquus ei fiat, à quo fuerat culpa ſua diremptus. Magna profectò vis eſt notationis in hac vocula Na: quandoquidem tria ſimul offerat motionis genera;quorum vnum eſt in iis quæ poſt commiſſum peccatum eueniunt; alterum in eo, quòd ei qui peccarit, poſt eum continuò ſit eundum quem culpa ſua offenderit; tertium,quòd per hæc rurſus queat ei in quem peccauit, euadere propinquus. Meritò
Clementia definitio. itaque perfectio eorum quæ factum noſtrum ſequuntur, clementia dicitur: quando nihil eorum quæ nobis ſolis citra gratiæ diuinæ adiumentum adſcribi poſſunt, tale eſt, vt non vel clementia ſola nos ſeruet, vel culpa facti condemnemur atque pereamus. Nónne ipſum adeò primum hominis factũ eiuſmodi fuit, vt niſi per diuinam gratiam pœnitentia fuiſſet conſecuta,& ex pœnitentia auxilij diuini imploratio,& ex hac noua propinquitas ad Deum, quem deſerueramus, acceſſiſſet; æterna morte pœnas luiſſemus? Clementia ergo perfectio eſt, nata ex iis quæ factum conſequuntur,nouam generans propinquitatem: quæ notio primùm quadrat in diuinam miſericordiam, qua rurſus in filiorum numerum qui patri ſunt propinquiſſimi, reuocamur. Qua verò ratione ad hanc lætitiam facti poſthumam queamus adſpirare, vox verſa declarat, in qua G
Jane *ſiue* Jang. in C, vt in Cæli nomine vidimus,tranſit. Jane enim pro Jang ferè pronunciamus,quo
Ploratus, clementia conciliator. ploratus ſignificatur, qui eſt maximus & præſentiſſimus clementiæ conciliator:quod vt cernas, Euangelij verba in memoriam reducam. *Maria ergo*, inquit Ioannes, *cùm veniſſet vbi erat Ieſus,vidẽs eum,cecidit ad pedes eius, & dicit ei, Domine,ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus. Ieſus vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes,infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum.* Hoc loco audimus, ploratu Mariæ & ceterorum,Chriſtum commotum,Lazarum mortuum ad vitam reuocaſſe. Num quicquam ergo efficacius ad clementiam prouocandam cogitare poſſimus? *Venite,* inquit Pſalmiſta, *adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum qui fecit nos.* Quare, ô bone Vates, vis nos plorare? Nempe vt clementiam conſequamur, veniamq. eorum quæ corrupta noſtra natura aſſiduè cernitur perpetrare. Sic idem alibi, *Exaudi Domine vocem fletus mei.* Quid multis? Tota ſacra ſcriptura plena eſt teſtimoniorum,nihil ad clementiam impetrandam plus virium habere, quàm ploratum: quibus conſentiens nomenclator noſter, ſic clementiam nuncupauit,vt ad eam per fletum & eiulatum iter demonſtraret. Non malè igitur Latini Imploro verbum vſurpant, quo videntur indicare, ploratum ad auxilium obtinendum in primis valere. Imploremus itaque diuinam miſericordiam & clementiam, vt is nobis ſit propitius, cuius ſolius ope poſt peccatum commiſſum poſſumus ſeruari: ſequamur eum flentes, appropinquemus vt nobis fiat propinquus. *Appropinquate Deo*, inquit Iacob, *& appropinquabit vobis.* Intelligiſne hîc quanta ſit ſignificationis efficacitas in exigua hac vocula Gnai, qua omnis clementiæ conſequendæ & via & vtilitas eſt comprehenſa. Manſit hoc prænomen apud Romanos, à Cimmeriis maioribus relictum illud quidem; ſed à nemine hactenus intellectum,nedum explicatum. Quamobrem mirum videri minimè debet, ſi genuina quoque ſcriptura non ſit obſeruata, quæ diphthongum, non ſimplicem vocalem, poſtulat: qua in re tanto procliuius fuit errare; quòd prænomen hoc duabus tantùm cõſonantibus notaretur, in quo videri nequiret, vocaliſne an diphthongus ſonanda eſſet, maxi-
Cnæus. mè quoniam diphthongi & vocalis vnius ſonus iam olim ſit confuſus. Cnæus ergo
Caius. clemens erit; Caius placidus, comis,& ad ſocietatem vel ineundam vel conſeruandam iucundus. A Gnai Hebræi acceperunt חנן pro miſereri, qua in voce Chet ponitur pro Gimel, littera videlicet aſpirata pro media. Adderem huic litteræ alia exempla, niſi ex
Gat. his ſatis perſpicuum factum putarem, G perfectionis ſignificationem habere. Gat tamen,vt cetera omnia omittantur,non prætereundum, quo moræ perfectio denotatur.

Idem

Idem enim eſt quod maturum, vel omnino perfectum, à G & Ar. Hinc modò liquere cuiuis poteſt, Galg vocabulum quo crux ſiue Tau Gallicum ſignatur, perfectionem omnium gemino funiculo, & idcirco firmiſſimo, colligare; eo quòd duo G, ipſum Al, quod eſt omne, in medio cõprehendant. O myſterium! Glorietur D. Paullus in cruce Domini, glorietur etiam noſter nomenclator, qui illud cruci nomen dedit, quo firmiſſima omniũ perfectio ſignificaretur, & ſimul notaretur, crucẽ talem eſſe, vt per eam ſolá Deo Gay eſſe poſſimus. Galg enim dicitur ſyncoptôs à Gai lig, vſitato nobis vocabulo, quod à Gai communi formula deriuatur, ad id ſignificandum, quod tale eſt, vt placere meritò debeat. Quod ergo D. Paullus ad Coloſſ. ſcripſit, per crucem Chriſti omnia & in cælis & in terris Deo reconciliari, & pacem conſequi; id nominis huius opifex ſic expreſſit, vt crucem eo nomine donaret, quo ſignificaretur, per eam omnia Deo Gaia effici. Quòd ſi Galg conuertas, Glag habebis, quo ſignificatur lætitia conuiuij, quam Chriſtus nobis cruce ſua comparauit. Conuiuium autem eſt illud in quo pane cæleſti paſcemur, & toti nectare inebriabimur.

Marg.: Galg. Glag.

NVNC AD H tranſeamus, à cruce in altum adſcendendo. Aſpiratio enim altitudinem notat; eo quòd ſpiritus ſurſum feratur. He igitur nobis altum ſignificat, pro quo Hog etiam dicimus, quo altitudinis æterna perfectio denotetur. Ab He fit Heet, quod vt nomen adiectiuum vſurpatum, calidum ſignificat; quia caloris ſit proprium, in altum ferri. At ſi vt verbum in vſum veniat, idem eſt quod iubeo & impero; eo quòd ſublimiorum ſit imperare inferioribus. Hinc caput Heet vocatur, quia in eo imperium ſit totius corporis. Inde Hemel pro cælo ponitur; propterea quòd cælum altiſſimus ſit altiſſimi capitis reuelator. Helem verò galea eſt caput tegens atque defendens. Mel & Lem contraria; illud aperio, hoc celo notat. Vnde dum phraſim, non nomen, Itali Gotiſantes retinent, *Celada* pro Helem dicunt; quoniam Hellem idem eſt quod caput celans. Sed de Hemel plura in Gimel dicentur; & in Gotodanicis etiã quædam ſunt annotata. He item aliquãdo Hoo dicimus; vnde Hoot caput; & Homo, quaſi Hoo-moet/id eſt, altus animus: eo quòd animus homini ſit altiſſimus, & ſemper animus eius ad altiſſima contendere debeat; ad quæ dum ducem cacodæmonem ſequeretur, ex alto præcipitatus eſt. Homo itaque & ab officio, & à peccato nomẽ habet; eo quòd Hoo-moet non altum, & ad alta contendentem animum tantùm; ſed ſuperbiam etiam notet, per quam, qui ad alta contendit, præcipitatur. Ab He fit Hel, quo altum item notatur; contrarium Leg. Verùm ſuperuacaneum ſit, multis exemplis adſpirationis vim declarare: cùm nemo neſciat, ſpiritu altitudinem, vehementiam & efficacitatem denotari. Nobis in compoſitione frequenter omittitur, ad lenitatem verbis conciliandam.

Marg.: He. Hog. Heet. Hemel. Helem. Mel. Lem. He. Hoo. *Homo.* Hel. Leg.

DE K nihil dicendum: propterea quòd in vocali rerum pictura idem quod C valeat.

L PARTEM cæli ſupremam ferit, atq. idcirco littera altitudini notandæ accommodata. Hinc El/ ſiue præpoſita adſpiratione Hel/ eſt in altum eleuo: & vocali teenuiter producta, nobilem reddo: quorum illud vt nomen, altum ſignificat; hoc nobile. Lee huic oppoſitum, vſurpatur pro moleſto & turpi; hinc leelic, turpis, & leet, moleſtia. Ab El fit heel, quod eſt integrum: quia quanto quæque res magis integra eſt, tanto gratior eſt & nobilior. Inde leech ſiue lee, quòd aſpiratio in fine omittatur, pro membris per quæ ad integritatem peruenitur. In ſingulari numero T adiicitur, vt ſit Let. Ex Te & El ſiue Hel fit Tel, pro numero: eo quòd ad id omnis numeratio tendere debeat, vt ad ipſum El ſiue hel perueniatur: quam ſolam vtilem eſſe arithmeticam, Plato tradit, & ex eo Horatius ad Mæcenatem. Cõtrarium huic Let, pro impedio; eo quòd quidquid huic arithmeticæ, ad ſupremam altitudinem ipſius vnius tendenti, contrarium eſt; verum ſit felicitatis impedimẽtum. El in corpore humano brachium ſignificat; eo quòd brachium perpetuò ad El ſit eleuandum: hinc pro brachij menſura. qua de re in Hieroglyphicis latius. Ex A & L fit Al, pro eo quod omne dicunt Latini, eo quòd omnia ad ipſum altum tendant. A rectum ad anteriora motum vnaque patens quiddam ſignat, cuius ſupremum L adiicit. Contra igitur naturam litterarum Al, pro non, Hebræi ponunt; apud quos El pro Domino fortiſſimo poſitum, nobis debetur; quibus hel forte & altum ſignat: vt hel ſtem, vox fortis & alta: & helt pro viro forti & ſtrennuo. Hel item pro inferno: quia altiſſimus locus eſt ad inferiora; ea loquendi conſuetudine qua

Marg.: *L litteræ ſymbolica ſignificatio.* El. Lee. Leelic. Leet. Heel. leech / Lee / Let. Tel. Let. El. Al. Hel. Helt.

altum profundum dicimus. Adde & alteram cauſſam, quòd Tartara, quicquid ſemel acceperint, contineant fortiſſimè. Helt enim præter ſtrennui & fortis notationem, idem etiam ſignat quod continet. Infernus igitur damnatorum locus hel vocatur, propter profunditatem, & vires in retinendo maximas. Et quia hel etiam profundum notat;
Hellen. hellen aliquando vſurpamus pro eo quod eſt ex alto deſcendere. Accedit & alia ratio, ob quam hel pro inferno ponatur. Ab hel enim, vt altum & forte ſignificat, ipſe Deus El vocatur; finis ſcilicet; ad quem omnia alta anhelant. Et quia altiſſimum hoc
Helen. hel maximè ſe celat; voluit nominum artifex, vt helen pro celare & occulere diceretur. Nihil enim æquè occultum, atque ſublimia diuinitatis myſteria. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei; quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & non veſtigabiles viæ eius! Quòd ſi exclamauit vas illud electionis, quod in tertium cælum adſcenderat: quid nobis dicendum abiectis homunculis, in vitiorum luto hærentibus, & terræ perpetuò affixis? Hel itaque pro alto poſitum, hel verbum dat, pro occulo vſurpandum; in quo vocalis longa ſonanda, cùm in priore corripiatur. Altiſſimus enim ſe occultat, & nemini ſe dat directè intuendum; tametſi per poſteriora, obſcura quadam notitia, ad eum adſcendere mortales moliantur. Hel ergo pro Tartaro hac etiam de cauſſa vſurpari dicemus: quòd qui in eo ſunt, numquam in æternum Deum ſint viſuri; ſed perpetuò de ſummo illo bono ſint celandi. Hel itaque, quòd Græcis litteris ἦλ ſcriberetur, idem eſt quod occulto: nec illud quidem ea ſola de cauſſa, quòd altiſſimus ſe occultet; ſed hac etiam, vt quæ altiſſima ſunt, maneant apud profanum vulgus arcana &
Hil. abdita, & obſcuris aut verborum aut fabularum ſymbolis inuoluta. Ex hel fit hil/ pro colle & monte, vox Anglis frequens. Hel itaque & El pro alto & forti meritò ponuntur, de natura litteræ L, quæ ſic pronuntiatur, vt ſuprema linguæ pars ſupremam cæli partem pulſet, atque id validè & vehementer, vt rectiſſimè à Terentiano explicatur.
Altus. Ab helt deriuatur Altum Latinorũ. Heel, vt verbum acceptum, idem eſt quod ſano, &
Heel. ἥλιος. integritati reſtituo: vnde ἥλιος Sol Græcis, quòd Sol omnia in integrum reſtituat, &
Helice. omnia ſanet. Ab hel pro alto, fit Helice, pro Vrſa cæleſti, quaſi hel-licht/ id eſt, altum
Wel. lumen; eo quòd in parte cæli ſit altiſſima. Ex el præterea & w fit wel/ quaſi ipſius el latitudo. Vnum enim, vt altũ & forte, bonitate ſua ad omnia deſcendens, efficit, vt omnia bene habeant. Id notauit Moſes, dum dixit, Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Quamobrem Deus ex alto videns, & omnia comprehendens, boni-
Lef. tatis ſuæ radios latiſſimè omnibus diffundit creaturis. Ex wel per conuerſionem fit lef/ tum ad diſcrimen ipſius Lew, tum etiam vt alia accedat etymologia, ex le-hef/ quod eſt, membra leuo; quod quid aliud eſt quàm viuo? Ex Dei igitur potentis bonitate vita
Fel. defluit: cui fel/ quod ſignificat crudele, per conuerſionem aduerſatur. A wel fit wil/ pro
Wil. Wolo. voluntate: & volo; quoniam voluntatis ſcopus ſit ipſum bene habere. Cùm ergo wel ab el fiat; monemur deriuationis regreſſu, velle noſtrum totum ad ſummum bonum tendere debere; & ſummum bonorum non alibi, quàm in el/ eſſe quærendum. Vide vt tota moralis diſciplina tribus ſit litteris comprehenſa; dum à wel fit wil. Iam wel primùm conuenit ſummo bono, à quo, & ad quod omnia mouentur, & cuius poteſtas latitudine ſua vniuerſa comprehendit, vt Ariſtoteles duodecimo primæ philoſophiæ tradit. Intelligimus itaque in wel altiſſimæ poteſtatis amplitudinem per duplex W cla-
Lew. riſſimè depictam. Poteſt itaque lew/ per conuerſionem nominis ſui, cauſſam habere ex
Leo. ampliſſima potentia, quam in hieroglyphicis aliquando ſignat. Hinc Leonini in Cherubin vultus: hinc Leo gentium: hinc Leo de tribu Iuda.

M litteræ ſymbolica ſignificatio. M LITTERAM Terentianus ait intus in ipſo ore mugire; vnde aptum erit eorum ſymbolum, quæ in nobis eſſe volumus. Mi itaque dicimus, pro me & mihi. Myn
Mi. Myn. Men. Menſch. *Mens / mentis.* meum. Men idem quod ago & duco; eo quòd agere & ducere omnia ad noſtram commoditatem cupiamus: vnde Menſch nobis pro homine, & Latinis Mens; eo quòd hominem mente duci oporteat. Contrà vox lecta ſignificat capere ab aliquo, quod ad ſe agenti opponitur. Hinc Minerua, vt dixi. A men fit man/ pro viro; quoniam eius ſit ius
Man. Man. *Moneo.* ducendæ familiæ: Hinc man vocali longa, pro moneo; eo quòd verbis & ſignis homines ducantur, & proprium ipſius man ſit, monere & adhortari: Latini inde Moneo habent. Græci Lunam man vocant; quia eius monitu plura diſcamus. Varietas enim eius, & perpetua mutatio, hominem maximè adhortatur ad aſtronomiam inueſtigandam,

dum

dum eius admiratione ad cauſſarum trahitur inquiſitionem. Deinde & agricolas, & nautas, & medicos, & totam denique humanam ſocietatem, officiorum gerendarumque rerum tempora docet; adeò vt nullum ſidus hoc nomen potius mereatur. Iam & ipſa humidorum omnium dux eſt & moderatrix, vt vel hoc etiam nomine mereatur **Man** vocari; quòd elementa, & ea quæ ex elementis conſtant, è vicino ſuo loco ducat. A **man/maent** Lunæ annus vocatur: à quo Menſis Latinorum. Dum nomenclator à ducendo virum **man** vocauit, hoc viſus eſt dicere, ad virum ſolum omnium rerum agendarum gubernaculum & ductum pertinere; & præpoſterum eſſe, ſi mulier imperet atque ducat. Nec aliud dixit D. Paullus, dum mulieris caput virum dixit: quandoquidem penes caput ſit imperandi ducendiq. poteſtas. A **men** item fit **min** pro amo; eo quòd omnia amore ducantur, nihilq. ſit ad ducendũ potentius. Elegantiſſime Virgilius cecinit, *Illas ducit amor trans Gargara, tranſq. ſonantem* **Maent.** *Menſis.* **Min.**

Aſcanium, ſuperant montes, & flumina tranant.

Videmus ne hîc amorem ducem eſſe, & eum quidem minimè vulgarem? D. Paullus caritatem finem ait omnium eſſe præceptorum: e quo liquet, amore, perinde atque fine, duci omnia. Quò autem nos ducit amor? Quò, niſi ad rem amatam? Amor enim impetus eſt è pulcri & boni comprehenſione ortus, quo ad ipſum pulcrum & bonum rapimur: cuius vt tanta varietas eſt, quanta eſt pulcritudinis apprehenſæ diuerſitas; ita ille ſummus eſt & validiſſimus, qui ex ſumma ſummi boni pulcritudine ortus nos æterno vinculo Deo coniungit. Quanto magis ingenium primi nomenclatoris intueor, tanto vehementiùs ipſum amare cogor. Senſerat ille procul dubio, & intimis medullis perſenſerat, quanta vi amor rapiat ad eum à quo proceſſit; atque idcirco a ductu nomen dedit, in quo Iota ad ſuauitatem & dulcedinem ductus vna cum penetrandi ad intima præcordia excellentia denotandam eleganter vſurpauit. Quanto ergo quodque ad ducendum alia potentius eſt; tanto etiam excellentius amabit ea quæ ducit. Ipſum igitur ſummum bonum vt omnia ducit atque mouet; ita omnium eorum quæ ducit, erit amantiſſimum; & tanto ſanè amantius ceteris omnibus, quanto ceteris omnibus ducendi poteſtate præſtat. Si verum eſt quod Ariſtoteles dixit, bonos, quo ſunt præſtantiores, tanto magis amicorum gratia laborare. quid de bono ipſo omnium præſtantiſſimo dicendum? Deinde ſi vnuſquiſque amans eſt ſuorum operum, vt de poëtis Ariſtoteles & Cicero ſcripſerunt: quo amore putamus ſummum bonum operum ſuorum flagrare? Præterea ſi vnuſquiſque ſe ipſe amat; ſibi quiſque erit amabilis; atque idcirco, quanto quæque res eſt amabilior, tanto magis ſeipſa amabit. At quo quæque res melior, eo amabilior. Vnde fit vt idem ſit optimum & amabiliſſimum; & vt Deus optimus, ſe, vt amabiliſſimum, maximè amet. Hinc itaque & opera ſua non poteſt non amare, tamquam ex ſe, vt optimo & amabiliſſimo, profecta. Bonum autem ſupremum ad ſuam bonitatem reflexum gignit filium, & per filium totam rerum vniuerſitatem. Quia autem propter ſui amorem gignit, vt poëta facit verſus, bene dictum eſt à priſcis, Amorem antiquiſſimum eſſe, propter quem Deus creauit omnia: & dum omnia quæ creaſſet, bona videret; omnia paterno amore eſt proſecutus, tamquam opera ſua, ipſius qui bonus eſt. Sicut porrò pater diligit filium, & per filium creaturas; ita filius amat patrem: & quia filius ſola hypoſtaſi, non eſſentia, à patre differt, & actus vtriuſque ab agente eſſentia non ſeparatur; neceſſariò conſequitur, Amorem patris, & amorem filij vnum eundemque eſſe amorem, & ab vtroque procedentem, nihil vel à patre, vel à filio eſſentia differre; ſed ſola hypoſtaſi, quam Latini perſonam verterunt, diſcerni. Hic amor Spiritus ſanctus eſt, omnia virtute ſua permeans, & filio & patri, vnde proceſſit, colligans. De hoc Amore Parmenides ſomniauit, fama quapiam à maioribus accepta; quem ſi ab Vno & Ente putauit procedere, & Vnum quidẽ patris, Ens verò filij notionẽ habere; non malè profectò rerũ principia collocauit. Heſiodus e fabuloſa Theogonia Amorem poſt Chaos & Terram producit: quod ſic ad veritatis regulam applicãdum, vt per Chaos infinitam patris infinitatẽ intelligamus; per Terrã verò ſiue Gaiam, intelligamus filiũ, in quo pater ſibi placuit, & per quem ex infinitate ſua finitum hunc mundum, & certis terminis incluſum, produxit. Sed de hac re alibi fortaſſe. Hic itaque Amor, vt omnis honeſti amoris cauſſa eſt; ita primùm nos ducit ad id quod eſt amabiliſſimum. Quid verò amabiliſſimum, ſi non id, quod omnium optimum? *Amore omnia ducitur.* *Amor Patris et filij eſt ſpiritus ſanctus.*

Summum itaq. bonum primum & ſuper omnia amandũ, amore nimirum reciproco, ſed tanto imbecilliore, quanto homines Deo ſunt infirmiores. Quocirca hominũ amor quo ſummum bonorũ amant, Anteros potius, quàm Eros, dicendus. Ab amore quo patrem noſtrum cæleſtem beneficio & gratia ſpiritus ſancti redamamus, profluit amor in proximum: eo quòd ipſius quem amamus, opus non poſſimus non amare. Quamobrem neceſſaria eſt collectio, eum qui proximum non amat, nec Deum quidem amare. Hæc vera eſt amoris generatio, & eius ad homines deſcenſus, à quo ad patrem reditus per ſuos gradus aperitur. Socrates in Phædro Erota ἀπὸ τῆς ῥώμης deducere videtur; nos

Eros. ex hac contemplatione in eam ſententiam facilè deſcendemus, vt Eros è Cimbrico ſermone trahat originem; eo quòd antiquiſſimo Deo ex antiquiſſima lingua nomen videatur petendum.

Her-hoot. Her-hoot commune omnium caput notat. Atqui capitis proprium officium eſt totum vt corpus ducat, & ceteris membris omnibus imperet: è quo liquet,

Min. eadem de cauſſa, Min apud nos, & Eros apud Græcos, amoris habere ſignificationem. Non nego, validas vires amoris eſſe; atque ea de cauſſa non male nomen à robore mereri: ſed quî ex ῥώμη fiat ἔρως, non perinde cerno. Si ludere luberet, poſſemus Latinis hanc laudem tribuere, vt à Roma vocem Amor fecerint, ſi conuerſionis hoc genus in

Amo. pluribus apud eos vocabulis reperiretur. Equidem Amo ab A & Moe factum ſuſpicor;

Homo. quo animi in aliquem procliuitas notaretur: ſicut Homo ab Hot-moet fieri dixi. Quid enim aliud eſt amor, quàm animi in aliquem propenſio? Hebræi חָבַב pro amo dicunt, quod mihi videtur à Gho-waw pro Goo-waw factum, quod ſignificat bonum optare ſiue

Min. velle. Eſt enim Amor boni cupiditas; qua quia cuncta ducuntur, Min apud nos idem

Phaneta Amorem nominarunt veteres. eſt quod Amo. Veteres poëtæ Phaneta Amorem nominarunt; propterea quòd ſit omnium anteſignanus. Phan enim ſiue Fan Vexillum ſignat, à Ban præterito imperfecto

Phan. Fan. Banda. Bandophorus Brabant. Ban. Bant. Baen. ipſius Bin, quod idem eſt quod ligo. Alio nomine Banda dicitur, vnde Bandophorus & Brabant. Ad diſcrimen tamen agnoſcendum, Fan dicimus pro vexillo; Bant verò pro vinculo & faſcia qua quippiam ligatur: & ban pro ligabam. Ban verò a longa, vel Baen, via publica, à Bie-aen, id eſt, offero progrediendi facultatem. Ad ambiguitatem itaque euitandam Fan dicimus pro vexillo; eo quòd ij qui ſub eodem vexillo ſunt, inter ſe colligati ſint, atque ad omnia pericula, communi damno & vtilitate ſubeunda, deuincti, cùm inter ſe, tum cum eo, cuius ductum ſequuntur. Phan-heet itaque ad verbum idem ſonat quod vexilli caput. Quod autem aliud eſt caput vexilli, quàm caput vexillum ducens? Accipitur enim Vexillum æquè pro iis qui ſub vexillo ſunt, atq. pro ipſo vexillo.

Phan-heet. Her-hoot igitur & Phan-heet eiuſdem ferè ſunt notationis; hoc quidẽ caput vexilli, illud caput communitatis vel exercitus; ita vt vtrumque iuxtà cum Min conſentiat. In Phan tamen ſiue Fan ratio ſymboli efficacior inuenitur; eo quòd Fan non ſolùm nomine, ſed reapſe etiam habeat colligandi notationem, quod proprium eſt amoris officium. Hinc & Sanctus Amor dicitur; quia vinculum inter homines & Deum ſanciat. Adduntur & alæ, vt intelligamus, nos ſolo amore ad Deum poſſe euolare. In Hieroglyphicis pennæ

Ver. pinguntur, quo mentis noſtræ ad ſupremum El volatus indicatur; eo quòd Ver pro penna; à Ver, id eſt, à portando deriuetur; ſicque fiat, vt nomen & res ipſa communi conſenſu motionem ad ſuperiora ſignent. Sequamur itaque Phaneta, ſequamur, inquã, ipſum totius humani angelicique exercitus caput, quo ipſius pennis elati ad ipſum boni pulcritudiniſque fontem adſpiremus. De amore corporeo & cupiditate voluptatum ab ipſo ſummo bono auocantium nihil hìc agendum; cùm non magis amor hic ſit dicendus, quàm homo pictus eſt homo, aut vmbra corporis ipſum corpus: immò adeò amor non ſit, vt verò amori ex diametro repugnet.

Mi. Mut. Muit. Mutus. Mutire. Mutten. Muis. Mus. Muiſen. Muſa. μῶσαι. Mou. De natura litteræ M, Mi, vt verbum, idem eſt quod ad ſe ita reſpicere quemquam, vt omnia aduerſa vitet. Mut ſiue Muit concluſum in ſe; vnde apud Latinos Mutus: & Mutire, obſcurè loqui: & apud nos Mutten eſt per clancularios ſuſurros excitare ſeditionem. Muis Mus vocatur; eo quòd clàm agat, & in abditis locis. Hinc Muiſen, ea quæ abdita ſunt, magno ſilentio inquirere. Hinc Muſarum nomen; quarum proprium eſt in abditis locis magna animi tranquillitate inquirere latentes rerũ cauſſas. Muit itaq. quaſi Mi-vit, vel claudens quippiam ne efferatur. Sic dicimus aues eſſe in Muit, dũ in tenebris clauduntur. Hinc igitur Mus, Muſa, μῶσαι pro inquirere cũ ſilentio, Mutus, Mutio. Apud noſtrates Mou pro manica ponitur; eo quòd in ea abſcondi multa ſoleant.

LITTE-

LITTERA N tinnitum edit à dentibus ad nares vſque elatum. Hinc in fine crebrò adiicitur, ſoni vehementioris cauſſa, vt ex Ee, Een; ex A, An, ſiue Aen. Infinitiui certè omnes in hanc terminantur, non alterius, quàm euphoniæ gratia. Verùm quia ſonum violentia quadam elidit, vt per nares ferè pars eius erumpere videatur; placuit nomenclatori, litteram ad eum vſum vocare, vt quæ negamus, ea ſignificaret. Hinc poſita ante Ee ſiue Een/ facit Neen/ vel Nee, pro Non; quaſi dicas, minimè vnum: à quo Non Latinorum. Iet, eſt aliquid; Niet, eſt nihil. Oit, eſt perpetuò; Noit/ numquam. O rotundo ſuo ſono videtur res perpetuo in ſe circulo tenere; cui N adiectum res diſſoluit & tollit. Sic Nut eſt vtile; Onnut, inutilis: Noſel, qui nocet; Onnoſel, qui citra noxam eſt: Rijp, maturum; Onrijp, immaturum. Hinc Hoon eſt defraudo & aufero. Latini on permutarunt, pro eo In dicentes in compoſitione.

N litteræ ſymbolica ſignificatio. Neen. *Non.* Iet. Niet. Oit. Noit. On. Nut. Onnut. Noſel. Onnoſel. Rijp. Onrijp. Hoon.

P IMPRESSIONEM in aliquid ſignificat; eo quòd prius labra comprimendo ſonus è medio eorum propellatur, atque quodam modo erumpat. Et quia in terram corpora maxima vi impingunt, Pe ferè in iis vſurpamus, omne animalium terreſtrium genus rationis expers ſic vocantes: vnde Pecus Latinis. Pro eodem Ve nunc vtimur; & Fe etiam priſci. Hinc Pat, quaſi Pe-hat/ id eſt, depreſſionem tenens, pro ſemita: Pet ſiue Poet, Pes; ab impreſſione deorſum: & Poet, planta: Pe pro radicibus longè in terram depreſſis dicitur: & Pein, ſiue Pean, pro gramine radices latè agente per terram; quæ Ee eſt, ſiue fundamentum & firmitas. Sed plura in Hieroglyphicis. Id ſummatim conſtet, P vehementius premere quàm B, atque idcirco Allemanis creberrimè pro B pronunciari; quod iam olim clarius eſt, quàm vt vel explanandũ ſit exẽplis, vel pro nouo crimine obiiciendum. Confitemur itaque hanc litteram eundem vſum cum B, & Ph, & F, & V, habere; inter quas in deriuationibus frequenter tranſit. Sic à Bant, quod eſt vinculum, fit Pant, pro pignore; quia pignus vinculum ſit fidei: vel Pe-hant, id eſt, impreſſio & irruptio manuum; quia pignori manus iniicitur. Eodem modo à Vuer/ quod eſt fero, fit Pert pro equo, quòd eo feramur. At Pert alteram cauſſam habet, quòd ſit Pe-hert/ id eſt, quòd vehementer imprimat pedes in terram. Vicinia litterarum non rarò numerum rationum auget. Inde Latini à Vuer fecerunt Porto, & alia commigratione Fero, in quo V in F, ſicut in illo in P tranſit. Quod autem Fero & Porto noſtratibus debeantur, etymologia docet. Vur enim, ſiue vuer/ ſiue vier/ vt alij aliter pronũciant, ignis eſt: & quia in igne vires ferendi ſint excellentiſſimæ; voluit nomenclator Vuer pro Fero vſurpare. Porta Latinorũ à noſtro item Port dicitur; & huius ratio eſt in Vort, quod ſignificat ad anterius: quia nimirũ per portam ad anteriora progrediamur: vnde & Portus, quia maris porta ſit. Hinc Vor, quod eſt ante; quod tranſpoſitũ Latinis & Græcis dedit Pro: hinc Fores & Foras. Quia autem ianua muri tranſitus eſt, fit vt Bor ſit foramen facere, ſiue terebram ipſam, qua quippiam perforatur: à quo iterum Forare, & Foramen. A Vuer fit Ver pro penna; quòd ea aues ferantur: & Fer pro pulcro; quoniam & id homines ferat amore ſui incitatos: vnde Fier, qui pulcritudinem iactat, atque ob eam ſe nimium amat: hinc & Ferum Latinorum. Ex hac litterarum cognatione magna naſcitur vocabulorum ſilua. Sic ex Plat, quod latum planumque notat, fit Blat pro folio. Folium autem à noſtro fit, conuerſione. Lof enim folium eſt, vt hoc obiter annotetur. Ex F Græci φ faciunt, vt dum ex Fam φήμη dicunt; & ex Lief, per conuerſionem φίλος faciunt: quorum rationes nobis vernaculæ, noſtratia docent eſſe vocabula. Latini habent à bar Pario, & à beuen Paueo: ex vater Pater, ex baut Pauio. A voet πούς Græcis, Latinis Pes. Pius à vie-hu, id eſt, offero cuſtodiam & obſeruantiam. A vlat fit blac; ab hoc plac, & plec; & vlec. Vlai & vlaiken in Placentam Latini verterunt: in plat, & πλάτος: plain, & Planum: pluim, & Pluma: pun, & Pinna: pen, & Penna: pijn, & Pinus, & Pœna: pont, & Pondo: pueppel, & Populus: part, & Pars: paer, & Par: raep, & Rapum: pil, & Pilum: put, & Puteus: pur, & Purus: & multis aliis eadem littera ſeruatur; quæ vt omnia de ſermone noſtro ſunt deriuata, ita minutiarum plenos habent explicatus, quas perſequi, plus tædij, quàm vtilitatis apportet. Si quis enim quærat, vnde πλάτος dicatur, in promptu eſt plat: ſed vnde nobis hoc venerit, non æquè apertum. Lat & Tal conuertuntur. Tal itaq. prius pro numero, ex præterito imperfecto: quod ſi vt epitheton capiatur, expeditum notabit: eo quòd omnia in numeratis habeat, & ad omnia ſit paratus: vt dicimus, een Talman pro homine idoneo ad omnia: qua in voce a breue eſt,

P litteræ ſymbolica ſignificatio. Pe. *Pecus.* Ve. Pat. Pet. Poet. Pe. Pein *ſiue* Pean. Bant. Pant. Vuer. Pert. *Porto. Fero.* Vuer *ſiue* Vier. *Porta.* Port. Vort. *Portus.* Vor. *Pro. Fores, Foras.* Bor. *Forare, Foramen.* Ver. Fer. Fier. *Ferus.* Plat. Blat. *Folium.* Lof. *φήμη. φίλος. Pario. Paueo. Pater. Pauio. πούς. Pes. Pius. Placenta. πλάτος. Planus. Pluma. Pinna. Penna. Pinus. Pœna. Pondo. Populus. Pars. Par. Rapum. Pilum. Puteus. Purus.* Plat. Lat. Tal. Talman.

& rationem alteram indicat, qua t'al dicatur quaſi teal/ id eſt, ad omnia. Verùm ſi a
vocalis producatur, primariam ſignificat enumerationem, qua nimirum animi notio-
nes per verba numerantur: vnde talman interpres; & wel ter tale/ facundus & eloquens.
Wal. Hinc wt-tal externa lingua: à qua voce fit wal/ exemptis duobus Tau: & quia alij te-
Italus. nuius wit ſonant, vt I cum W diphthongum faciat; factum eſt vt Italus is dicatur, qui
externæ linguæ eſt. Sed de hoc alibi. Tal rurſus vallem notat; quod tamen nos ferè
Dal dicimus, diſtinctionis gratia; eo quòd in valle omnia oculis expoſita ſunt, & nume-
Lat. ratu facillima. Nunc à tal per conuerſionem fit lat/ quo id notatur, quod leuigatum eſt
& exporrectum, ita vt omnes partes æqualiter ad numerandum offerat: vnde lat ſub-
ſtantiuum, pro longa & lata fiſſa pertica; quia ea intima quæque offerat æquè intuenda
Gelat. atque tangenda. Hinc gelat/ pro eo quod ſic leuigatum eſt, vt lubricum ſit, quaſi perfe-
Gelas *ſiue* cte explicatum. Ex hoc, gelas/ pro vitro, ſyncoptós glas: a quo Glacies Latinis. Glas
Glas. *Glacies.* gles alij dicunt; & inde glesbergen pro montibus glacie perpetua concretis, quos Itali vi-
tretas vocant: quales & plurimos vidimus, & vnum maximum aſcendimus, e quo
Gelu. Mincius gemino fonte capit exordium. Videretur & Gelu hinc oriri: ſed certum eſt
deriuari à kelt/ quo magnum frigus notatur. Porrò quia quæ ſic leuia ſunt & lubrica,
nihil retinent, ſed dimittunt omnia; fit vt lat vocali longa idem ſit quod dimitto, &
permitto, & perinde atque leuigatus nihil adfero impedimenti. Sic laet gaen/ laet ſtaen;
permitte ire, permitte ſtare. Ex hoc laet/ pro ſerò; quo monemur, ne ſic ire res ſinamus,
Latus,a,um. vt ſerò eas aggrediamur. Hinc Latum apud Latinos; eo quòd in lato nihil ſit obſtaculi:
Lætus,a,um. & ab hoc lætus, quia lato animo ſit, & nihil rebus, quo minus eant vt velint, adferat
obſtaculi. Ex lat fit belat/ adiectione ſyllabica, ſiue bie-lat/ id eſt, præbeo latum; in quo B
Plat. in P tranſiens facit Plat/ vnde πλάτος & reliqua quæ diximus. A plat/ plaets pro loco; &
Plaets. *Platea.* hinc πλάτεια & Platea; & apud nos plaets/ pro area, vel latiſſima in vrbe platea. Ab ea-
Platanus. dem radice Platanus pullulauit, quòd late folia propaget blat-an. Vide quantum nego-
Vlac. tij adferat vna dictiuncula. Sic vlac à val-lac/ id eſt, in quo deeſt caſus ſiue occaſio ca-
dendi. Quæ enim in plano præcipitij cauſſa queat offerri? Vel vlac ab V latitudinem
πλακοῦς. notante, & lat/ reiecto Tau, vt ſit vla/ & inde vlac & vlaen: Hinc πλακοῦς, quaſi vla-cout/
Pin. id eſt, planum & latum libum: & inde Placenta. Pin apud nos id eſt quod in acutum
deſinit, ſiue extremum cacumen, a pe in/ id eſt, imprimo intus; quia quod acutum eſt,
facilè quiduis intrat. Hinc paruum & acutum epiſtomium in vaſis pin vocatur; & virga
virilis, ob cauſſam notam: & quia turres olim in acutum deſinebant, factum vt pro
ſummitate murorum pinna ponatur. Ad ſummam, quicquid acutum eſt, pin vocatur:
Pen. vnde pen/ pro Penna; quia velut pinna in corpore figitur. Latini minores pennas pinnas
Penna. *Pinna.* etiam vocant. Pin itaque noſtras eſt, ob penetrandi intrandiue facultatem ſic vocatum.
A pin fit pijn pro pœna; quia dolor maximè fiat ob penetrationem cuiuſquam rei in cor-
Pijn. pus. Pijn conuerſum facit Nijp/ quod eſt dolorem infero conſtringendo, vt pinna pe-
Nijp. *Pinus.* netrando. A pijn fit Pinus, quia nucem ferat, quæ pœnæ oſtendit vtilitatem. Pijn-not
Pyn-not. enim nux eſt difficillima apertu: igne enim, à quo ſumma pœna, recludenda eſt.
Pijn-nut verò vtilitas eſt pœnæ, cuius nux pinea ſymbolum; quoniam poſt pœnam plu-
Pœna. rimum ſuppeditet fructum. A pijn etiam Pœna, in quo diphthongus pro longa vocali
Punio. adſcita: & hinc Punio. A pin etiam fit punt pro acumine, & eo quòd acumine ſignatur;
Punt. *Pungo.* Vnde Pungo & Punctum Latinorum. Pin item Pingo dedit Latinis, à pint/ quod eſt
Punctum. Pinna vtor, vel primam concinno; eo quòd pictores & pinnis vtantur, & eas continuò
Pingo. Pint. in acumen concinnent. Dicimus & pint-oog/ pro eo quod eſt oculis ſemicluſis intueri,
Pint-oog. vt radij per pinnam dumtaxat admittantur. A bie-in igitur pin/ & inde cetera. Sed nec
Pinax. illud omittendum, à pin fieri vocem Pinax, quaſi pin-haeer diceretur, quo notatur id
quod pinnam, ſiue pennam, ſiue penicillum retinet: ita vt quæuis tabula, in qua vel
Pont. pingi, vel ſcribi ſolet, ſic vocetur. de quo nomine alia deriuantur. Pont pro Pondo fit
Bant. à bont; & hoc à bon/ id eſt, colligabam, eo quòd in præterito imperfecto promiſcuè bon
Bont. & ban dicimus, vnde bant & bont pro vinculo. Quia igitur rebus colligatis neceſſariò
grauitas accedit; fit vt è bont pont pro pondere dicatur. Quamobrem terra maximum
pondus habet, eo quod partes habeat maximè colligatas. Hinc & auro pondus, quia
tam arcte partes auri ſunt vnitæ, vt vix vllo ingenio queant diſſolui. Intelligimus ita-
que, ea quæ conſtringunt & ligant, pondus addere: contrà, quæ diſſoluunt, inducere
leuita-

leuitatem. Frigus ergo pondus; calor leuitatem facit. Iam quia pondera ponderibus *Pendo.*
metienda, fit vt Pont pro libra ponatur, præcipua videlicet menſura. A pont fit Pendo,
quod eſt pondere deprimo. In his etymologia declarat, arctis partium vinculis pondus
ſuum res debere, & à contrario contrarium effici; quod vt aſſequantur Latini interpre-
tes, quis non videt longè abeſſe? Purpel à puppen/ quod eſt ſonum edere confuſum, & Purpel.
non intelligendum: vnde pup-hel/ ſonus vehementer confuſus: à quo populo nomen. Puppen. Pup hel.
Sic popelen dicimus, pro eo quod eſt verba non intellecta fundere. Part à bie-art/ id eſt, *Populus.*
præbens naturam; eo quòd rerum natura è partibus exiſtat: quamquam hic prior ratio Popelen. Part.
à par deducatur; eo quòd membra ſic ſint comparata, vt paritatem inter ſe in officiis
cuſtodiant. Par/ bie-ar/ id eſt, præbens demonſtrationem: quoniam è rerum paritate &
æquitate maxima duratio contingat; impar rerum congreſſus velocem interitum ad-
fert iuxtà in ciuilibus atque naturalibus. Nomenclator ergo dum par in hoc poſuit ſi- Par.
gnificatu, optimam reipub. legem dedit, indicans, nullum violentum, quod minimè
paritatem ſeruat, perpetuum eſſe poſſe. Exigua vox, & trilittera dumtaxat; ſed talis
tamen, vt firmiſſimum omnis durationis vinculum includat; quod Latinus in ea ne-
quicquam inueſtiget. A par/ quod paer ſcribimus, fit Raep/ pro colligo: quo monemur, Raep.
tum in ſocietatis humanæ æquitate facillimum eſſe plurimas ſibi quemque colligere
facultates; tum in colligendis opibus paritatem maximè conſeruandam eſſe: quæ quia
à Tyrannis tollitur, Athenienſes Oſtraciſmum ſanxerunt, ne quis tam diues & potens
euaderet, vt nemo ipſi par inueniretur: quæ lex vt ratione firma nitebatur, ita per in-
uidiam crebrò fuit ad maximam detorta iniquitatem. A Raep fit Rapum, quia cibus ſit *Rapum.*
ad colligendum facillimus. Rap vocali breui, longè aliud ſignat: Celerrimus enim ita Rap.
vocatur, à Ra-op/ id eſt, velox ad rem quampiam inuadendam, occupandam & ſupe-
randam. Hinc Rapio Latinorum. Hoc autem maximè contrarium eſt ipſi Pari, eo quòd *Rapio.*
& ſyllabæ breuitate, & litterarum ordine, durationi per Par oblatæ prorſus aduerſetur.
O admirandum vocum artificem; vt nuſquam operoſa diligentia deſideratur! Quàm *Paritatis*
breui vocula & phyſicam, & medicinam, & totam morum ſocietatiſque humanæ diſci- *laus.*
plinam concluſit; docens è paritate durationem, & ex imparitate contrarium euenire;
quod principium qui per omnem latitudinem deducere vellet, næ ei tota ætas conſu-
menda eſſet in huius ſolius explicatu. Par itaque, vt paritatis latifundia digito potius
procul oſtendamus, quàm in iis diutius exſpatiemur; hoc monuiſſe contenti, quòd in
cælis diutiſſimè durent omnia, quia ſic paria ſunt, vt nihil alterius partes inuadat aut
corrumpat: in aliis verò ita quodque minimè durare, quo longius à paritate diſcedit.
A par fit paren/ id eſt, duo vel plura inter ſe iuxta paritatem coniungere. Hinc Paro La- Paren.
tinorum, & Comparo, in quibus tempus mutatur. Nos à par pas facimus, quo commo- *Paro. Comparo.*
ditas notatur: Hinc pas pro commodo progreſſu; vnde Paſſus apud Latinos. Quicquid Pas.
denique paritatem commoditatemque cuſtodit, pas dicitur. Het en paſt niet/ non bene *Paſſus.*
quadrat, ſiue non bene accommodatum eſt. Ponitur etiam pro tempore opportuno.
A pas fit paſſer/ pro circino; eo quòd hoc inſtrumentum ad res inter ſe accommodan- Paſſer.
das ſit aptiſſimum. Pil iaculum eſt, à liep/ id eſt, currebat; & recta prorſæ dictionis ratio- Pil.
ne, quod præbeat hel/ id eſt, altum; quaſi dicas biehel: in altum enim velociſſimè fertur. Hel.
Put contrarium habet tup/ quod verticem ſignat: illud à bie-vit/ quòd præbeat haurien- Put. Tup.
di ex ſe commoditatem. Purus fit à vur/ quo ignis denotatur; eo quòd omnia per ignem *Purus.*
purgentur. Vur itaque purum, & purgo, dat Latinis; nobis pur/ à quo Purpur color pu- *Purgo.* Vur.
rè igneus, quaſi pur-vur. Sic tamen Latini vſi ſunt, vt purpur color ſit purus purus. Sic Pur.
dixit ille, quiſquis nomen Virgilij ſumpſit: *Carmina purpurea candidiora niue.* & Valer. *Purpur.*
Flaccus: *Hic ſale purpureo viuáque nitentia lympha.* Sic Horatius,

> ——*Tempeſtiuius in domo*
> *Paulli, purpureis ales oloribus*
> *Comeſſabere Maximi.*

Quo loco demiror intolerabilem Lambini audaciam, qui cùm poëtæ elegantiam non
intelligeret, pro *purpureis*, poſuit *marmoreis*, operoſa teſtium denunciatione, docens
marmoreum pro candido dici. Citantur Lucretij verſus, citantur Virgilij, citantur
Ouidij, quo vetus ſcriptura & genuina lectio corrumperetur. At non vidit hic Lyn-
ceus, cornicum oculos configere paratus, hanc lectionem non in omnibus modò
vetuſtis

vetuſtis exemplaribus inueniri; ſed iam olim etiam à Seruio probatam germanamque habitam fuiſſe, vt interim Acronis ei teſtimonium contemnere permittam. Ille enim hunc Virgilij locum,

Namque ipſe decoram
Cæſariem nato genitrix lumenq́ iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores;

ſic interpretatur, vt purpureum pulcrum & floridum vocari dicat: quod vt probabile reddat, hanc ipſam Horatiani verſus partem adducit, *Purpureis ales oloribus.* Vellem equidem Lambinum interrogare, quid ſibi Columella voluerit, dum dixit, *Frondes purpurat auro.* Sanè ſi conſentire ſibi Horatium emendanti vellet; neceſſe haberet, vel ineptum auctorem dicere, vel locum caſtigare. Quis enim vmquam aurum vidit purpureum, ſi purpureum ſit rubrum ad atrum declinans? Neſcio profectò quæ ſit effrons corrumpendi impudentia dicenda, ſi hæc correctio & emendatio ſit vocanda. Nos igitur purpureum id dicemus quod floridum eſt & pulcrum, idque vocis origini conuenienter, quæ nihil aliud ſignificat, quàm vel purum ignem, vel purum putum. In igne autem non tam color, quàm lux & ſplendor conſideratur. quò videtur Horatius reſpexiſſe in Arte poëtica canens:

Inceptis grauibus plerumque & magna profeßis,
Purpureus latè, qui ſplendeat vnus & alter
Aſſuitur pannus. Nec inde alienum eſt illud Auſonij in Moſella,
Phœbusq́ ſereno
Lumine purpureum reſerat iam ſudus Olympum.

Fecit itaque purpuræ nomen ad rectam rationem vocatum, ne purpuream niuem, ne purpureos olores, ne purpureum ſalem admiraremur; nec abſurdum item putaremus, ſi quidquam auro purpurari diceretur. Furius apud A. Gellium ſic legendus:

Vt fulica ipſa leuis volitat ſuper æquora claßis,
Spiritus Eurorum virides dum purpurat vndas.

Exemplar meum habebat, *Sicut fulica leuis*; quod non placet, niſi ex *fulica fulca* facias; quod per me liberũ eſto. Hìc purpurat ſic interpretatur Gellius, vt idem ſit quod niteſcere facit; quod non poteſt diſplicere, maximè ſi nitorem quendã ſplendidũ & igneum intelligat, qualis in criſpanti mari videtur, adeò vt noctu etiam luceat. Purpureum itaque ignis ſplendorem vbique indicat, qui quòd in Oſtro maximus ſit & excellentiſſimus, purpureum Oſtro tinctis potiſſimùm applicatum. Eleganter Virgilius, *Tyrióque ardebat murice læna.* Liuius in Laodamia, Ille Aſiatico ornatu affluens, aut Sardiano ac Lydio fulgens decore. Bene dixit fulgens, vt igneus purpuræ fulgor intelligeretur. Addamus & Quintiliani locum inſigniter corruptum, ex libri duodecimi cap. decimo, & in eo corrigendo ſi minus placebo, Lambini audaciam dicar æmulatus. Sed euaneſcunt hæc, inquit, atque moriuntur comparatione meliorum, vt lana tincta fuco citra purpuras placet: at ſi contuleris etiam Tyriæ lacernæ, conſpectu melioris obruatur, vt Ouidius ait. Si verò iudicium iis corruptis acrius adhibeas, vt fucis purpuram; iam illud quod fefellerat, exuat mentitum colorem, & quadam vix enarrabili fœditate palleſcat. Luceat igitur hæc citra Solem, & vt quædam exigua animalia igniculi videntur in tenebris. In his alia aliter corrupta fuerunt, vt liquebit conferenti. Quod autem dicit, vt Ouidius ait, neſcio an à quopiam ſit adiectum. Eius certè alia eſt comparatio. Tyrias enim Amyclæis confert. Eſt autem locus in Remedio amoris,

Confer Amyclæis medicatum vellus ahenis
Murice cum Tyrio, turpius illud erit.

Si mihi citra exemplarium fidem coniectandum ſit, pro *Lacernæ*, non *Laconicæ*, ſed *Tyriæ lacernæ* legam; vt alludat ad Iuuenalis illud, *Tyrias humero reuocante lacernas*; & illud, vt Ouidius ait, à quopiam ſciolo dicaci margini adiectum, cui viſa fuerit eadem vtriuſque auctoris collatio; cùm tamen Horatius potius citandus fuiſſet, apud quem eſt:

Non qui Sidonio contendere callidus Oſtro
Neſcit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum, propiúſue medullis,
Quàm qui non poterit verum diſtinguere falſo.

Hìc

Hîc enim fucum purpuræ, perinde atque apud Quintilianum, comparari videmus. An verò Amyclis iuxtà ac Aquini fuco pro purpura vterentur; an purpura quidem vterentur, ſed pallidiore, quàm eſſet Tyriorum; aliis coniectandum relinquo, penes quos etiam eſto eius, quam velint, lectionis ſequendæ poteſtas; cùm non vno modo locus intelligi corrigique poſſit. Nobis ſatis eſt, ex eo intellexiſſe, igneum fulgorem in purpura maximè placuiſſe, quo ratio nominis à me aſſignata facilius ſuam tueatur probabilitatem. Nonnus purpuræ inuentionem deſcribens,

καὶ τυρίης σκοπίαζε δεδευμένα φάρεα κόχλῳ
πορφυρέους σπινθῆρας ἀκοντίζοντα θαλάσσης.

Et mox,

Χείλεα φοινίξας δίερῷ πυρί. Videſne hîc ſemel ſcintillas rurſus ignem ipſius purpuræ? Num poſſit quippiam ad etymologiam eſſe aptius? Sed ſi quis dicat πῦρ Græcum eſſe, eoq; ad Græcos vocem pertinere; ei mox reſpondebo, dum oſtendá, ab Or vur, & hinc πῦρ & pur deriuari; & alioqui Græci non purpuram, ſed πορφύραν dicentes, longius quàm Latini receſſerunt. Ad reliqua. Pluim à vlieg-um, quod eſt, *Pluim.*
circumuolo, quia & ipſa circumuolet, & aues circumuolare faciat. De Pater, & Pario, & φίλος alibi. Plaga apud Latinos, & πλήγη Græcorum, à noſtro plag fiunt; cuius origo *Plaga.*
eſt à bie-lag deriuatum. Laeg à lag, quod eſt iacebam, deriuatum, omne id ſignificat *Plag. Laeg.*
quod vel homines vel feras deiicit, atque cogit iacere. Vnde λήγω pro ceſſo. Laeg itaq. *λήγω.*
inſidiæ, & locus inſidus. Quidquid ergo tale eſt, vt nos impellere videatur ad iacendú, plaeg dicetur. Hinc percuſſio & quæuis afflictio plaga vocatur. Quid quòd & retia, quamuis alio accentu, plagæ dicuntur, à belag/ id eſt, obſidebat. A Lag, Pelagus illud *Pelagus.*
mare dicitur, in quod ſi pecus incidat, nõ poſſit enatare: ſicut Boſphorus mare tam an- *Boſphorus.*
guſtum eſt, vt bos traiicere poſſit. hinc πελαγίζειν eſt modú anguſti maris aut lacus exce- *πελαγίζειν.*
dere, ita vt quadrupedes nequeant vel traiicere, vel è medio ipſius ad terram peruenire. Poteſt & Pelagus dici quaſi bie-lag, quoniam perpetuas inſidias offerat quibus queamus perire. A vullen Latini Pleo per ſyncopen fecerunt, V in P tranſlato. Plant pro ſolo *Vullen.*
pedis, à belant, quod eſt terram tenens, vnde & plant noſtrum, & Planta Latinorú dicta, *Pleo. Plant.*
quòd terram teneat: hinc planten terrę committere, & Planto. Fit & P ex F, vt in πλέκω, *Planta.*
quod nos flechten dicimus, quaſi vol-hechten, id eſt, plenè connectere: & quia in conne- *Planten. Planto.*
ctendo res plicantur, Latini Plico ſuum ad vicinam ſignificationem detorſerunt; & à *πλέκω.*
flechten ſimiliter Flecto, non parua catachreſi voces ab origine detorquentes. Eſt dum *Flechten.*
W in P tranſit: πιστύω enim fit à wis ſtijf, quod quid aliud nobis eſt, quàm vel ſcire fir- *Plico. Flecto.*
miter, vel notitiam cuiuſpiam confirmo. Wiſt firma nobis notitia eſt, à Wi-eeſt/ quod *πιστύω.*
reddas, longè lateque veritas huius rei patet. Nobis wiſt idem eſt quod ſciebam certò: *Wiſt.*
vnde wiſt pro certa notitia: hinc πίστις. πίλος, Latinis Pileus, à noſtro vilt/ quod fit à *πίστις.*
vult, quod eſt repleo; quoniam qui pileos faciunt & id genus cetera, lanam non texunt, *πίλος. Pileus.*
ſed infarciunt. aut potius à veel, quod eſt multum; quod vil dicunt Allemani. Vilt itaque *Vilt.*
eſſet multiplico, quod ad eandem demum radicem veniret: hinc πιλόω. πείθω di- *πιλόω.*
citur à weet-doo, quod idem eſt quod ſcire facio, ſiue facio certiorem. πίθος pro dolio, *πείθω. πίθος.*
à wit-hou/ quod eſt latè contineo. πίνω à wijn, quod eſt vinum: πίνειν enim quod vetus eſt *πίνω.*
Æolum infinitum, nos wijnen diceremus, quod eſt vinum bibere.

Q LITTERA ex C & V compoſita, vtriuſque elementi vſum ſortitur. Sic dici- *Q littera*
mus Caet & Quaet pro eodem, niſi quòd V latiorẽ reddat & leniorem pronunciationẽ. *ſymbolica*
A Quaet Quatuor Latinorum, eo quòd huius numeri proprium ſit, vt ſymbolum fiat *ſignificatio. Quatuor.*
ignis, in quo principium cuſtodiæ à malo. qua de re in numeris plura. A Com/ quod ſignificat Venio, fit Quam pro Veniebam: Hebræi קום pro Surgo ponunt. A Comt fit becomt, id eſt, conuenit; hinc bequam conueniebat: à qua voce bequaem, pro eo quod *Bequaem.*
conuenit, & aptum eſt ſiue idoneú. Nobis olim Ae pro Aqua in vſu fuit; eo quòd ad hu- *Ae.*
midum omnia, tamquam ad nutrimentum, ſummo deſiderio ferantur, quod eſt Har, à qua voce Ae-ger/ & lenius, Aker hactenus pro vaſe quo aqua hauritur, frequenti apud Campanos Brabantos vſu tritum. Vnde Hebræi קְעָרָה quod Queara nunc plerique pronuntiarent, quam vocem acetabulum in Bibliis vertunt. Videtur autem parum cum aeger conueñire; eo quòd Hebræi vocalem conſonanti in principio dictionum numquam præponant, & ipſum ע non efferant genuino ſuo ſono, vt in hieroglyphicis docebo.

[*Ger.*] cebo. Hauſtorium igitur Vas Keger eſt, quaſi dicas, aquam congregans; eo quòd ger ſit congrego, vel appeto; quorum vtrumque conuenit ſignificationi. קָצַר eadem gens dicit pro Capt/ id eſt, diſſecat ſiue diſcindit; vbi manifeſtum, Q pro C poni. in קָצָה pro [*Quets.*] concidere ſiue cædere hæc littera naturam ſuam ſeruat. Nobis quets idem eſt quod vulnerat & lædit; à quaet quod eſt malum, ceu dicatur, malum infert. קֵץ retrogradum eſt [*Starc.* *Staecken.*] vocabulum à ſtaeck/ quo palus notatur poſitus loco Termini: ſtaecken enim eſt terminare, à ſteken/ quod eſt infigere; eo quòd in finibus notandis palis infixis vti ſoleamus. קָצָה item ſignificat nauſeare, quod nos dicimus mi is quets/ id eſt, nauſea me tenet: [*Keits.* *Kots.*] Hinc keits idem eſt quod vomo, pro quo Allemanni kots dicunt. Apud Hebræos nonnumquam pro W noſtrati ponitur, vt קֹשֶׁט wisheit/ id eſt firma veritas: qua in voce Græcos dixi W in Π mutaſſe. in קָפַץ quod Capaſt ſonant ſiue Capas, agnoſces haw-vaſt/ ſi vocalem, pro eo ac nos facimus, præponas conſonanti in exordio cum adſpiratione. Eſt [*Haw-vaſt.*] autem haw-vaſt firmiter contineo: quo verbo Deuteronomij caput decimum quintum vtitur, vbi nos habemus, Non contrahas manum tuam, ſed aperias eam pauperi. קָנָה [*Win.* *Bewin.* *Gewin.*] cum noſtro wan conuenit, quod ſignificat acquirebam, à win/ quod inter cetera acquirere notat. Inde bewin poſſeſſio ſiue villa cum agris gewin lucrum & acquiſitio. קָנַן pro nidificare ponunt Hebræi, quod nobis generatim ſignificat habitare, quod eſt wonen. קִלְּשׁוֹן tridens vocatur: nobis veelſend/ id eſt multorum dentium. קִין lamentari: Nos ween dicimus pro fleo. In קִיא pro vomere, tzade in aleph tranſiit, pro kots. In קָדַר confuſa eſt tranſpoſitio, in qua Nun relictum; pro noſtro donker/ quo obſcurum, obſcuro & obſcuror notatur. קַב pro certa menſura ponitur; nobis generatim bac vſurpatur pro vaſe quouis, è quo comeditur vel bibitur. קָאַת Bibliorum interpres Leuitic. vndecimo cap. Onocrotalum vertit, in Pſalmo centeſimo primo Pelicanum, Eſaiæ 34. cap. Onocrotalum: Ego potius noctuam verterem. Quid enim Ericio & Onocrotalo commune, cùm Onocrotalus minimè viuat in ruinis & cauernis, vt Ericius, ſed perpetuò ſtagna & mare ſequatur, quo piſcibus ſe ingurgitet. Sit igitur coniecturæ locus, קָאַת noctuam eam eſſe, quæ in turribus & ædium deſertis locis muſculos capit, cui nomen à Cat/ quo Cattus ſiue felis notatur, cuius rationem mox enucleabo, eo quòd in venandi genere cum Cato conueniat, illud nimirum inter aues quod Catus inter quadrupedes. כּוֹס verò bubonem vertit idem interpres Leuitici cap. eodem. Nos eam noctuam hac voce deſignari putamus, quam hactenus Germani kuts dicunt, tametſi Brabanti eandem huибelen appellent, Galli hoc tempore chouette vocant, quod nomen æquè ad קָאַת atque ad כּוֹס alludit. Cùm autem כּוֹס pro ſcypho ſiue calice vſurpatur, deriuatur à Croes/ exempta littera canina, quo ternarius Hebræis in litteris ſeruaretur. Latini, vt antea [*Quis, Qui.* *Quando.* *Quercus.* *Quirinus.*] monui, ex W itidem Q fecerunt, vt in Quis, & Qui pro wie/ Quando wan. Quercus ex wer-cou/ quod eſt defendo à frigore. Ex wer etiam Quirinus. Adde & hoc, Allemanos quoque ex W Q V facere, vt dum dicunt quellen/ pro wellen/ quod eſt ſcaturire, aut potius ebullire. Concludendum itaque ex his ſimilibuſque exemplis, varium vſum ipſius Q eſſe, & in ſingulis iudicium ex primis radicibus petendum. Nobis natura C & [*Quijt.*] V in hac littera ſeruatur, vt quijt eſt demitto & aufero, quaſi dicas wijt/ ab eo quod per C notatur, quæ littera ad molares appreſſa rem quampiam retineri vel attrahi deſignat. [*Quicken.*] Quicken eſt manibus pondus examinare, quaſi dicas, latitudinem, quæ media eſt in V, [*Verquicqué.*] concludere & comprimere ad certam menſuram. Hinc ver-quicken/ eſt corpus tremulo adhuc motu ab ægritudinis caſu releuare, & vires quodammodo pedibus totoque [*Quincken.*] corpore trutinare. Hinc quincken vel quinquen eſt tremulo & dubio motu paulatim effu- [*Quinque.*] gere: Vnde Quinque Latinorum, qui numerus ea notat quæ lubrica ſunt, tremula & inſtabilia, teſſeram materiæ & humidorũ gerens. A quinc/ quanc imperfectum præteri- [*Wanckel.* *Wanckelbaer.*] tum; à quo wanckel eſt tremulus & inconſtans: hinc wanckelbaer/ eſt is qui inconſtantem ſe demonſtrat. Intelligitur itaque hinc, quid Quinque ſignificet; quod operæ non [*Quinct.*] leue pretium habet illic peruidendum, vbi de numeris agetur. Hinc quinct eſt error, ſiue tremulus & incertus in re quapiam motus.

[*R littera ſymbolica ſignificatio.* *E.* *Er.*] ER LITTERA fluxus, vibrationis, motionis aſperioris ipſo ſuo nomine mox indicat errorem, eo quo ab E/ ſiue Vno, tremulo motu vox feratur, quod non aliud eſt, quàm Vnum deſerere, quod dum fit, erratur. In perturbationibus et iratum notat, propterea quod hæc motio rationi, non minus quàm inſania, vel maximus error, aduerſetur.

uerſetur. Contrarium eſt Re/ quo ratio ſignificatur, quaſi dicas motionem ad ipſum Re.
Vnum. Hoc enim proprium eſt rationis officium, vt omnia ad Vnum deducat, veluti cauſſarum omnium ſupremam. Mox itaque ea vocum vis in Re & Er offertur, vt definitio vtriuſque nobis ob oculos ponatur, melior ſanè illa, quàm vllam vmquam ipſe definiendi magiſter Ariſtoteles aſſignarit. Cùm enim homo Menſch vocetur, id eſt, Menſch.
ſeipſum ducens; quo rogo ſe ducet, & cuius præmonſtratione ſe ducet? Id ſtatim formæ, qua à ceteris animantibus differt, nomen cuius indicabit. Quando enim ſola ratione ab aliis diſtat, cetera communia habet; perſpicuum fit homini, tum de nomine ſuo, tum de nomenclatura rationis, ſe debere ducere per viam rationis. At quò ducit via rationis? Id litterarum natura declarat; quarum prior R motionem indicat; ſecunda Er/ Vnum, veluti finem totius humanæ motionis oſtendit. Quicquid igitur nos mouet, aut ducere molitur per aliam viam, quàm eam cuius meta in ipſo Vno eſt conſtituta; id minimè ſequendum, ceu id quod nos abripere tentet in errores. Porrò interroges, quî poſſit intelligi, an aliquid ad Vnum tendat; an verò aliorſum iter monſtret? Hoc Deus tabulis mentis noſtræ, quantumuis primi parentis ſcelere corruptæ, tam claris inſculpſit characteribus, vt à nemine ignorari queat, qui modò rationis expers nõ ſit. Quoniã enim omnes ſciunt, ſe à ſeipſis nec eſſe, nec vitam, nec quæ ad vitam neceſſaria ſunt, habere, ſed ab ipſo Vno; confeſtim intelligunt, ipſum Vnum, propter ſumma beneficia, ſummè diligendum colendumque eſſe. Iam quia videmus ab Vno proficiſci omnes æquè homines; mox cernimus, tantum in proximos eſſe conferendum amoris, quantum ab illis viciſſim nobis in ſimili vel re vel caſu poſtularemus. His duabus tabulis menti noſtræ inſcriptis, totam legem & prophetas ipſe ille dixit contineri, ad quem Vnum, vti creatorem & ſeruatorem noſtrũ, contendere debemus. Nemo igitur excuſabitur, ſi rationis via deſerta ad ipſum Vnum non deducatur; cùm domi ſuæ præmonſtratorem habeat in ſumma arce præſidentem, & aſſiduo in omnibus vel agendis, vel faciendis, vel ferendis rectum iter indicantem, idque de tabulis ſuis Dei digito ſculptis. Cùm ergo hæc principia ſint omnium actionum humanarum, atque in iis ab interno præmonſtratore dirigamur; non potuit melius homini nomen excogitari, quàm illud, quo ſeipſe ducere notaretur; nec rurſus aptiorem nomenclaturam ipſi rectæ rationi quiſquam inueniat, quàm eam qua ſignificatur vis eius & facultas, qua ad Vnum iter demonſtrat. Excutias quicquid vſquam eſt librorum vel in Academia, vel in Lyceo, vel in Stoa, vel in ipſa Ægypto, & diligenter animaduertas, an tantum ad vitam bene inſtituendam momentum inuenias in multis paginis, quantum in his duabus voculis Menſch & Re continetur, quarum ſignificatio omnia abſoluit, quæ tota ſapientiæ latifundia ambitu ſuo immenſo complectuntur, & tam clarè id faciunt, vt ipſa litterarum pronuntiatio ſalua eſſe non poſſit, vt non ſimul id quod ſignificant, intelligatur. Dum me Menſch vocari audio, dum ſolo Re à ceteris animantibus differre; quid obſtat, vt non vna intelligam, me ductum meum ſequi debere, & in eo ſic progredi, vt ad ipſum Vnum rectà contendam? Huc illa concluſio Socratica, quo lucem accipiat veritatis, referenda, Quicquid à ſe mouetur, ſemper mouetur: Anima hominis à ſe mouetur: Ergo ſemper mouetur. in qua explicanda, maiorem in modum quoſdam, cùm in ſcholis Philoſophorum verſarer, animaduerti hallucinari, dum non ſatis, de qua motione ageretur, peruiderent. Magni hanc collectionem fecit Cicero, nec minoris, quotquot fuerunt Ciceronis ſimij; ſed nemo breuius, nemo clarius, nemo ſignificantius, quid ſibi vellet, aut quò tenderet, quàm nomenclator noſter explicauit. Quoniam autem Mi- *Minerua dux*
neruam dixi hæreditarium ductus vniuerſorum ius habere; neceſſarium eſt, & noſtri *vniuerſorũ,* *virtus & ſa-*
ductus eam principem eſſe: & quia nos ratione noſtra ad ipſum Vnum ducimur, è cuius *pientia Pa-*
cerebro Pallas prodit; videmus nos à nobis ipſis duci ad ipſum Palladis patrem: & quia *tris.*
illa dux eſt vniuerſorum, nos etiam ductum noſtrum prius in Palladem terminamus, quàm ad Patrem eius peruenire poſſimus: quod ita fieri debere, ſi ad patrem velimus adſpirare, ille nos docuit, qui & hominem ſui ipſius ductum regere notauit, & præterea Mineruam ductui vniuerſorum præfecit. Quocirca prius ad Mineruam, quàm ad patrem, recta ratione veniendũ; quæ cùm ipſa virtus ſit & ſapientia patris, monet nos nomenclator huius ſolius medio ad Vnum ipſum iter patère. Porrò quia hæreditatem ſtabilem, qualem Mineruæ eſſe oportet, per ſterf/ id eſt, mori, ſignificauit acquiri; ne-

ceſſariò in eam nos pertraxit cogitationem, hanc hæreditatem nobis non poſſe contingere, niſi quiſquam moriatur, cuius mors hæreditatis ſit ſtabilimentum. Sed nihil ſtabile per mortem eius acquiritur, qui & ipſe non ſit ſtabilis. Quis autem ſtabilis & conſtans per ſeipſum, vt ab alio moueri non poſſit, præter ipſum Deum? Tandem ergo Re ſiue ratio à nomenclatore eo deducitur, vt ille, cuius mors hæreditatem confirmat, & moriatur, & tamen ſtabilis, & citra interitum perſiſtat in conſtanti & æterna ſua eſſentia. Quamuis itaque ipſum re ad vnum ducat; nomenclator tamen monuit, non poſſe eò perueniri, niſi per Mineruam, & mortem, ius ipſius vnius hæreditarium nobis confirmantem & ſtabilientem. Re itaque recta ratio ad Vnum mouens vocatur, quò tamen

Red. adſpirari non poſſe, diuinus & vocabulorum & fabularum auctor nobis non obſcuris indiciis, quæ vocibus Palladia arte intexuit, demonſtrauit. Quoniam verò re perbreue nomen eſt, placuit nominum artifici, vt d adderetur, quo & ternarius, & trinitatis imago in mente noſtra à Deo, cùm nos crearet, depicta abſolueretur, & vnà indicaretur, motionem hoc nomine ſignificatam non fluxum modò ad vnũ eſſe, ſed ad ipſum etiam eet/ id eſt iuramentum, quod firmamentum eſt omnis veritatis: qua ex voce, & R præpoſito, fit red/ media littera in locum tenuis ſuccedente, quo declaretur, in ratio-

Reden. nis ductu ſemper medium teneri. Iam pro red item reden dicimus, adiecto en/ partim vt finis omnium per en notatus indicaretur rationis ſcopus eſſe; partim quo vox in auribus noſtris per nomen litteræ N à poteſtate ſumptum magis tinniret, ipſóque ſono nos

Redenen. ad ipſum illud quò ratio nos ducere debet, inuitaret. Nobis à reden / redenen fit; quo non ratiocinari tantùm, ſed ſermone etiam rationem explicare deſignatur. Latini à re

Reor. Reor fecerunt, ſignificatione à quauis ratione, ſiue bene ſiue male ducente, ſumpta.

Ratus,a,um.

Ratio. Sed dum Ratum pro firmo ponunt, iam ad reden propius accedunt. Ex hoc deinde Rationis nomen deriuant; eo quòd ratione omnia confirmentur. Et quare confirmantur? Quia nimirum ad ipſum Vnum applicantur, in quo eſt omne omnis eſſentiæ firmamentum, vt per re denotatur: quod in nomine Ratio intel igi non poſſet, niſi hac, quam in eo, via, ad primum fontem, è quo deriuatur, reduceretur. Quoniam porrò re motionem ad Vnum ſignificat, & hac motione omnia creata ferri debeant, vel à ſe, vt homi-

Ῥέω. nes; vel ab aliis, vt cetera animantia; factum eſt, vt Ῥέω apud Græcos pro quouis fluxu poneretur, nimirum quia omnia ad eundem finem fluant. Nos accuratiùs pro quouis

Rui. fluxu aquarum rui ponimus, à ru/ quod eſt imperfectum: quoniam motio fiat non ad

Ru. vnum, ſed ad latitudinem vagam, quæ per V denotatur, cui I adiecta latitudinem ad aquas conſtringit. Quòd ſi addatur ſibilus vehementis ſpirationis inſtar habens, fit

Ruis. Riuier. ruis/ pro quouis maiore ventorum impetu. A rui nos facimus riuier/ Latini Riuum.

Riuus. Hinc & rit canalis aquarum propriè terras rumpens; à qua inſigni terras rumpendi vi,

Rit. Ryt. quam in aquis cernimus, quæuis ruptura rijt vocatur, & ret pro Rima dicitur. A rui item

Ret. & ru fit ruiten / quod eſt omnia vaſtare, more torrentium, & inundantium aquarum. A

Ruiten. ru Latinis eſt Rude, & à rui ῥοῦς Græcis. ab eodem Taurus mons, quòd primas teneat

Rud.s. ῥοῦς. in fluxu aquarum generando. A ῥέω Græci plurima deriuant, ita vt magna ſoboles à ru

Taurus mõs. proficiſcatur. Apud nos à re fit recht/ regel/ regen/ rijgen/ regelen: Et hinc apud Latinos

Recht. Regel. Rex, Rectum, Rego, Regula; de quibus antè, dum de Coning/ Regis, & Βασιλέως no-

Regen. menclaturis diſſereretur. Ab R & hoog fit root/ mutata media in tenuem, pro fumo; eo

Rijgen. quòd ſit fluxus in altum. Hinc roic ſiue reuc pro odore; eo quòd feratur in altum, quem

Regelen. *Rex.* adſcendentem nares cauitate ſua inferius patentes ſuſcipiunt Hinc ruic ſiue riet/ eſt odo-

Rectus. rari: vnde Græcis Ῥὶς pro nare, & Hebræis ריח pro odorari. Hinc & quemuis ſpiritum

Rego. רוח appellant, quia nimirum veluti fumus in altum feratur: quæ ratio nobis, non aliis,

Regula. Rooc. debetur. Ru/ vt eò redeam, non prorſum modò, ſed verſum etiam, ſuam habet ſignifi-

Reuc. cationis cauſſam. Vr enim potentiam ſignificat latè fluentem, ſiue idem quod latam

Riec. Ῥίς. mouendi habens poteſtatem. Magna itaque, & magnam vim habentia, & perfecta,

Vr. hac voce ſignamus; quibus, quæ ru ſunt, opponuntur. Hinc Vr-os eſt magnus & vaſtus

Vr-os. *Vrus.* bos, à qua Vrus apud Latinos, animal altum, & denſe iubatũ, & virium maximarũ, quale

Vr halt. hoc anno Antwerpiæ vidi. Vr-alt eſt valde ſenex. Vr-haen eſt magnus Gallus, qui mon-

Vr haen. tanus eſt, & in ſiluis agens. Ab hac voce Sat-ur excellentiam maximam ſeminis no-

Saturnus. tat, quaſi dicas ſummum ſatorem. Sic Merc-ur maximam vim notat conſiderationis.

Mercurius. Illud itaque nomen Deo conuenit, vti ſummo rerum omnium ſatori: hoc verò ea ratione

tione qua nobis indit accuratam rerum omnium conſiderationem;quæ quoniam & celeritate mentis in cerebro ſedem habentis conſiſtit,alas Mercurij capiti poëtæ affinxerunt. Talaria item alata pedibus addiderunt, quibus denotabant,omnem conſiderationem noſtram,omnes greſſus noſtros ſurſum ſubuolare debere;nec quemquam omnino cui hic Deus ſit benignus, ſic pedes terræ habere affixos, vt non perpetuò greſſus ſuos ad alta dirigat. *Mercurio alas & talaria alata cur affinxerint poëtæ.* Verumenimuerò admiranda eſt huius vocis Mart compoſitio, quæ vt tota videtur volatui in altum repugnare; ita nihil eſt quod contemplationis ad excelſa contendentis naturam rectius aptiuſque exprimere poſſit; ſi quæ de M tradidi, rectè intelligantur: cuius cùm ea ſit proprietas & indoles, vt rem in ſe mugitu ſuo interiore retrahi ſignet; illud hac in voce præſtat,vt Ar primum in ſe contineat. *Mart.* *Ar.* Quamuis itaque in A vocali, quid Ar ſit, expoſuerim: hîc tamen idem,vt illic recepi,paucis rurſus explicabo. R vibrationem motionemque notat: A rectum iter ad anteriora aperit. Motus igitur vibrans, & apertis ſpatiis per rectum decurrens, per Ra notabitur, qui quis alius cogitari poteſt, quàm is qui celer eſt? Quamobrem Ra celeritatis index contrarium habet Ar, quo tarditas notatur. *Ra.* Ab Ar plurima fiunt: inter alia Lar, qui deus eſt commorantes conſeruans, in qua voce L nomen poteſtatis implet,quod eſt El, quo Altiſſimus notatur. *Lar deus.* In eadem voce Leear includitur; quo moleſtiarum dolorumque remora deſignatur. Iam & Lie-ar cognoſcas,quo hominum mora & quies indicatur. Lar itaq. ſecundum rationum nomen ſortitus, deus eſt, rem domeſticam faciens diu integram ab omnibus aduerſis manere. Ex ar & rat, quod eſt attingo, habemus Art, quaſi Ar-rat, id eſt remora attactus; vnde Arca, Arceo, & apud Græcos ἕρκος. *Rat.* *Arca.* *Arceo.* *ἕρκος.* A ra fit rat, quod vt adiectiuum idem eſt quod ra, pro quo ras quoque dicimus: inde ῥᾴδιον Græcis pro facili & prompto: & apud nos raet, pro conſilio; eo quòd ad res promptè expediteque gerendas conſilio maximæ ſint vires. *Rat.* *Ras.* *ῥᾴδιον.* *Raet.* Temeritas enim,& ſubita ad res aggrediendas feſtinatio citra conſilium, ſucceſſum non accelerat, ſed impedit, & frequentiſſime cogit priore opera perdita, ſecundos ſubire labores. Num potuit nomenclator nos efficacius ad deliberandum adhortari,quàm ſi per conſilij nomen indicaſſet, nihil celerius & facilius ad deſtinatum finem peruenire,quàm id quod maturo conſilio geratur? Ipſi rat opponitur tar/ vnde Tardum apud Latinos: quæ vox tar vt verbum vſurpata, idem eſt quod Exſpecto ſiue tardo, Anglis hactenus in frequentiore, quàm nobis, vſu. *Tar.* Chaldæis ex tar remanſit שְׁרָא, T in S mutato, pro manco, quod verbum eſt Danielis ſecundo. A tar per metatheſim & adiectionem G gutturalis, fit trag vocali longa, pro tardo & negligenti. *Trag.* Rat verò ſubſtantiuum, eſt circulare inſtrumentum,ad motus celeritatem facilitatemque comparatum, quod Latini Rotam exigua mutatione dixerunt. *Rat.* *Rota.* Primarium autem natalium ius penes noſtrates eſſe, conuerſio vocum Ar & Ra/ Rat & Tar clarè demonſtrat. Ar igitur Tardum ex oppoſitionis ratione, per quam ipſi Ra ex diametro repugnat. Tarditas ergo in ſe retracta Mar erit. Mar enim dicimus pro diu multumque exſpecto, ſiue moram traho; quod Moror dedit, & Moram Latinis. *Mar.* *Moror.* *Mora.* Iam Mart componitur ex mar & rat/ ceu dicas, Mar-rat/ quod ſi vertas, idem fuerit nobis quod Latinis eſt, diu immorando attingo. Qui enim conſiderat rem quampiam,ei tantiſper immorari debet, dum totam eius naturam & vſum mentis diſcurſu contingat. Vidéſne hîc contemplationis tum rationem omnem, tum vtilitatem etiam indicatam? Quorſum enim diu immoramur rei cuipiam intuendæ? Non aliorſum ſanè, quàm vt eius naturam, omniaque ea quæ naturam conſequuntur, attingamus. Eſt in hac conſideratione mora quidem, atque ea in ſe retracta; eo quòd mens in ſe recurrat: ſed talis mora, vt quanta fieri poteſt celeritate, ad totam rei indolem peruidendam perueniat. Neque enim mens dum immoratur, ceſſat: ſed celerrimè per rei naturam, per eius materiam & formam, per magnitudinem, per numeros, per partes, per qualitates omnes, per cauſſas, per euenta, per cognata, per loca, per omnem vſuum varietatem, per omnia denique quæ in quauis re conſiderare oportet,diſcurrit, atq. citatiſſimis pennis fertur. Quis crederet in mora tantum inueniri pernicis celeritatis? Quamuis igitur contemplatio & accurata inquiſitio moram poſtulet;eam tamen poſtulat moram, in qua ingenij diſcurſus ſit velociſſimus,ita vt meritò alæ Mercurij & petaſo & talaribus adhibeantur. Petaſus autem datur,vt cerebrum, in quo mentis vis conſiſtit,diligentiſſime cuſtodiendum ſignificetur; cui ſi noxa adferatur, mox id perit de quo homo Menſch nomi- *Petaſus Mercurij.*

 natur,

Cardinalibus & Epiſcopis petaſus Mercurij impoſitus quid moneat.

natur, eo quòd in cerebro vis ſit ſuiipſius ducendi. Petaſus igitur Mercurij, Cardinalibus & Epiſcopis impoſitus, monet, cerebrũ iis & mentem eſſe debere ab omnibus perturbationibus tutam, nec vlla re externa ſic percelli, vt à ſanis conſiliis dimoueantur. Quid dico, mentem iis ſecuram & munitam aduerſus omnes ſuperbiæ, libidinis, auaritiæ, inuidiæ, iræ, ceterarumque id genus peſtium impetus eſſe debere? Id potius dicendum fuit, ipſos petaſo ſuo moneri, vt aliis hominibus omnibus ſe præſtent Mercurios; nec petaſo dignos eſſe, niſi reuera Mercurij dotes in omni vita præ ſe ferant. Quid

Mercurij officium.

verò facit Mercurius? Interpres eſt voluntatis diuinæ, & eorum quæ Iupiter imperat, celerrimus & fidiſſimus nuncius. Pacem caduceo ſuo & præfert & denunciat, ceu diceret, *Pax vobis*; quæ niſi ſit, voluntatem diuinam exſequi nequitis, nec quidquam omnino ſani conſilij vobis ipſi, nedum aliis, dare poteſtis. Pax autem prima eſt quæ nobis à deo datur, omnes perturbationes, omnia interna bella procul excludens; quæ cui non fuerit, is nec Mercurij imitatorem, nec voluntatis diuinæ, nec verbi paterni interpretem ſe poterit præbere. Videte ergo Epiſcopi, videte Cardinales, quid petaſus admoneat. Videte ne pedum ſiue caduceum veſtrum aliud nobis, quàm pacem, denunciet atque demonſtret. Videte ne mens veſtra alas perdat. Videte ne greſſus veſtri ſint terreni: ſed ſemper ad ſublimia ſubuoletis. Videte denique vt ſemper & vbique ſitis Mercurij, id eſt, & opere & verbo fidi interpretes diuinæ voluntatis. Sed ſatis de petaſo alato. Marc igitur vel Merc idem eſt quod conſidero. quod ſi vt nomen vſurpetur, ſignũ notat & limitem; quòd limes & terminus diligenter ſit obſeruandus. Quamobrem

Mercurius excellens limes.

Mercurius excellens quoque limes vocari poterit: atque inde adeò factum, vt priſci quadratas pilas in viis collocarint, non illas quidem terminos agrorum, ſed rerũ agendarum quibus ſententiæ ad vitam vtiles incidebantur, dicebanturque à capite quod

Hermæ.

termino imponebatur, proficiſci. Hi ſunt Hermæ illi è quibus librorum Mercurio ter maximo adſcriptorum factus eſt contextus; & optima illud quidem ratione, quòd in iis diuinæ voluntatis interpretatio contineretur: quo fit, nihil vt ſit admirandum id quod apud Iamblichum legimus, multa librorum millia Mercurio Triſmegiſto adſcripta fuiſſe. Collocabantur item Hermæ in triuiis & quadriuiis, ad iter indicandum; qui ſi poſiti non eſſent, loco earum lapides à viatoribus congeri ſolent, quo earum acerui vice Mercurij fungerentur: vnde & nomen duxerunt. Hinc intelligitur locus ille Prouerbiorum: *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit inſipienti honorem.* Cùm enim interpretes varia comminiſcantur, & alius dicat fundam, alius dicat purpuram intelligi: optimè illi ſenſerunt qui aceruum Mercurij ex Marguma reddiderũt, quos D. Hieronymus eſt ſecutus. Marguma itaque, mea quidem ſententia, non deriua-

Marguma propriũ Mercurij nomen.

tur à רגם, vt nonnulli putarunt; ſed proprium eſt Mercurij nomen, à Marc-hu-man, id eſt, monitor limitis cuſtodiendi, vel Marc-man, limitis monitor. Hinc Marguman lapidum aceruus ad iter demonſtrandum, quales in Hiſpania in vſu hactenus manent, à me in ea præcipuè via annotati quæ ex Luſitania Guadalupam ducit. Qui igitur ſtultum honorat, tantundem facit atque is qui lapide vno aut altero Margumam auget. Quamuis enim is beneficium præſtet, atque aceruum noua acceſſione honoret; is tamen qui recipit, nullum beneficium ſentit, nec intelligit ſe honorari: atque idcirco beneficium collatum rei nihil ſentienti, nihilq. agnoſcenti, fruſtra collatum videtur: tametſi beneficium reuera ad eum veniat cui via monſtratur. Non itaque vetatur, vt ſtultus honoretur, ſed monemur, ne à ſtulto gratum animum exſpectemus. Salomon enim ipſe Prouerbia ſua ſcripſit omnibus, non ſapientibus modò, ſed etiam ſtultis; cùm tamen apud hos nihil habeant honoris: eo ipſo monſtrás, benefaciẽdum omnibus, nec quemquam eo abſterreri debere, quòd apud ſtultos & ingratos nulla ſit vel honoris, vel beneficij, & agnitio & recordatio. Imperat enim ipſa natura, & ſummum bonum, naturæ ipſius fons & origo, vt perpetuò boni omnibus ſimus, licet certò ſciamus, eos quibus vel beneficium vel honorarium conferimus, aut craſſiores aut ingratiores fore, quàm vt ſe quidquam accepiſſe cognoſcant, vel ſi cognoſcant, ſe nouiſſe fateantur. Qui ergo ſtulto exhibet honorem, tantundem facit, atque ſi lapidem coniiciat in aceruum Mercurij, quo ſuo quidem facto humanitatis officium præſtat; ſed ſic, vt à nemine ſit agnoſcendus. Sic & Salomon Parabolas ſuas omnibus æquè ſcripſit & gratis & ingratis, officio boni viri defunctus ille quidem; at minimè apud ſtultos eas quas meretur, gratias conſecuturus.

ſecuturus Quamuis igitur ſtulti & ingrati beneficia quibus honorantur, non agnoſcant; nobis tamen ea de cauſſa ceſſandum non eſt in iis præſtandis quæ communis hominum vtilitas poſtulabit: cogitandumque ſemper, numquam nobis negligendam bene de omnibus merendi occaſionem, non ſecus atque illi faciunt, qui lapidibus in aceruum Margumani coniectis iter viatoribus demonſtrant. Ex eadem itaque radice Marguman & Mercurius primam vocabuli ſyllabam habent, quod apud Hebræos ex prima lingua relictum eſſe, minus miraberis, ſi conſideres Rigman etiam apud eos in vſu *Rigman.*
eſſe, cuius vocis notationem ex lingua ipſorum difficile ſit ad cauſſam vocare. D. Hieronymus Rigma principes vertit pſalmo ſexageſimo ſeptimo, *Principes Iuda duces eorum.* quam vocem ſi ad רגם reducas, quo lapidare notatur, non video, quid rationis inueniri queat, vt principes à lapidatione dicantur. Nobis Rigt-man vir dicitur cui iuris dicundi poteſtas eſt, quæ ſignificatio optimè cum principis officio quadrat. Sed redeamus ad Mercurium, nihil certius habentes, quàm nos tantum gratiæ reportaturos apud Hebræos, quantum ſi ſaxum Margumano adieciſſemus. Quoniam verò à magna perfectaque conſideratione Mercurius nomen ſortitus eſt; non ſolum ad res diuinas, ſed ad forum etiam, & hominum inter ſe commercia numen eius aduocatur. Ementibus enim & vendentibus ob eam cauſſam vel propitius vel iratus dicitur; quia diligenti opus ſit conſideratione ad rerum permutationem cum vtilitate faciendam; qua qui caret, Mercurio non fauente & emit & vendit. A merc igitur, quod eſt conſidero, Latini *Merx, mercis.*
nomen Mercis habent, & inde Mercor, & cognata vocabula. Hinc factum, vt crume- *Mercor.*
na Mercurio in manu detur, quoniam vulgus præcipuum Mercurij donum in lucro *Mercurio*
ponat; à quo Wons dag pro die Mercurij, à Won quod eſt lucrabar; quòd hic dies fauſtus *quare crumena in manu*
rebus cum lucro vendendis & emendis crederetur. Hac itidem de cauſſa ἐριούνιος hic *detur.*
Deus apud Græcos dicitur; quaſi hominibus plurimum adferat vtilitatis. Nec nos alia *Wonſ dag, Mercurij dies.*
de re merct forum dicimus, in quo qui cum lucro verſari volet, ei opus eſt accurata re- *Merct.*
rum emendarum vendendarumque conſideratione. Præeſt itaque Mercurius cuiuis conſiderationi obſeruationique, ſiue ea ſit rerum diuinarum, ſiue forenſium, ſiue infernalium. Marc porrò ſi conuertas, Cram reddet, quo denotatur rerum venalium vel *Cram.*
taberna, vel capſa hominibus ad conſiderandum propoſita; quæ vox tam artificioſè facta eſt, vt non per conuerſionem tantùm habeat notationis ſuæ cauſſam; ſed per prorſam etiam compoſitionem: eo quòd Cram Car-ram ſiue Car-raem includat, quod nihil aliud eſt, quàm diſtenſio rerum cararum, quam apud mercatores ſua venum exponentes videmus. Quamobrem verò Mercurius ter maximus dictus ſit: ei obſcurum non *Mercurius quare dictus termaximus*
erit, qui ſciet hanc vocem primùm Spiritui ſancto conuenire, vtpote toti hominum conſiderationi præfecto, quique omnibus ad contemplandum diuina, lumen accendit; & ſolus dat humanæ menti veritatis intuendæ poteſtatem. Huius ſolius alis in cælum attollimur, huius talaribus omnia penetramus, huius caduceo pax nobis oſtenditur. Nónne igitur bene dicetur Spiritus ſanctus ter maximus; cùm idem ſit eſſentia cum patre & filio? Maximus pater, maximus filius, maximus Spiritus ſanctus: & hic quia maximus ab vtroque procedit, ter maximus meritò vocatur. Græci & Latini quid Mercurij nomen, quid Hermæ, quid Thoot ſignificaret ignari, hominem ſomniarunt, qui ante Pharaonis vixerit ætatem, litterarum & omnium artium liberalium inuentor, cui ter maximi nomen ob id datum fingunt, quòd primus aperuerit myſterium trinitatis; qua in opinione turpius errarunt quàm in Orphei nomenclatura vni homini applicanda. Hic igitur ſiue Mercurius, ſiue Hermes, ſiue Thoot rectiſſimè dicetur Anu- *Anubis.*
bis, quoniam iter nobis ad noſtri cuſtodiam demonſtrat; eo quòd Spiritus ſancti donum ſit ipſa fides, per quam Chriſtus, ſolus humani generis cuſtos atque conſeruator, demonſtratur. Huic cur caninum caput ſit, antè dictum: cur caduceum detur, vt omnes ferè Poëtarum interpretes ſcripſerunt, pacis illud indicium facientes; ita veram nominis rationem nemini hactenus perſpectam eſſe exiſtimo. Ca malum notare de- *Ca.*
claraui. Duic idem eſt quod caput demitto. Caduceum itaque virga dicetur, qua fit, vt *Duic. Caduceum.*
omne malum, & omnis mali pater, ipſe draco caput dimittat. Huic duo ſerpentes ſunt deuincti, alter draco ille peſtilentiſſimus, alter quem hic in mulieris mente, & per hanc in vniuerſis hominum animis generauit; de quibus Chriſtus in cruce triumphauit, pacem nobis cum patre cæleſti morte ſua hæreditariam relinquens. Caduceum igitur

ſymbolum eſt crucis, præ ſe ferens trophæum duorum ſerpentium deuictorum. Hanc virgam Spiritus ſanctus nobis oſtendit, fidem nobis & fiduciam,& amorem infundens, & per hæc pacem ſanciens ſempiternam. Caduceum ergo demonſtrat, à ſemine mulieris ſerpentis caput conculcatum iri, quod Adamo poſt lapſum fuit promiſſum. Sint ſanè aliæ in ſerpentibus notæ: at hæc tamen vna tenet principatum, quam mirum non eſt neminem hactenus animaduertiſſe, cùm ſignificatio vocis non intelligeretur. Qui Caduceum à cadendo deriuant, eo quòd bellum per hanc virgam cadat; aliqua ſaltem tenus oſtendunt, aliquid eſſe quod per caduceum cadat. Quid quod & ipſum Cado
Cado. & Caduceum ab eadem pullulant radice. Cado Latini pro Labor vſurpant; cùm nos non quoduis genus labendi per Cado intelligamus, ſed illud dumtaxat, quo ille ruit, qui mali quippiam committit: Ca do enim idem eſt quod malum ago. Ca-duic ipſum ipſius mali caput deprimi & ſummergi ſignat. Verùm Mercurius nouas perpetuò obſeruationes ſuggerens, nimis me diu in ſymbolis ſuis detineret, eoque quod pace eius,
Vr. qui pacem oſtendit, fiat; redibo ad Vr/ ex quo, vt Satur & Mercur nomina duxerunt;
οὐρανός. ita & οὐρανὸς; quo magnus & perfectus progreſſor notatur, ceu diceres, Vr-aen: quamquam ſuſpicor Vr-an-hoot dici debere, vt perfectum & magnum progreſſus omnis caput ſignificetur, è quo οὐρανὸς Græci fecerint terminatione ſibi vernacula. Conuenientiſſimum profectò Cæli nomen; eo quòd principium omnis motionis Cælo adſcribat, & idcirco primo mobili maximè dandum; quod motu ſuo maximo & potentiſſimo omnium cæterorum motuum præbet exordium, cælos reliquos rapiens, & omnia quæ ſub cælis ſunt, cælorum varia motione temperans. Quoniam verò quod ſupremum eſt, excellentiſſimo motu cietur, qui per An nobis notatur; factum vt ἄνω Græci pro eo dicant quod Latinis eſt ſurſum, quaſi An-hoot/ id eſt, progreſſus caput ſurſum eſſe denotare vellent; aut potius indicare, omnem progreſſum noſtrum ad ſupremum caput con-
Vur. tendere debere. Ex vr noſtrates vur habent, pro igne; eo quòd ignis vis inter omnia ma-
πῦρ. Vueren. ximа ſit & excellentiſſima: à qua voce Græcis πῦρ, mutato V in P. Allemani feur ſcri-
Fero. bunt. Hinc vueren noſtras, & Fero Latinorum. A vur Latinis eſt Vro,& inde comburo,
Vro. & amburo, & Vſtulo. Hebræi אור pro luce dicunt, quoniam ignis lucis eſt fons & origo. Hinc liceret Agenoris nomen craterem ſiue fontem lucis interpretari, ſi Phœni-
Vr. cum linguæ, vt poëtis eſt conſentaneum, debeatur. Hinc fit vt vr ponatur pro temporis opportunitate, eo quòd nihil hac ſit ad res agendas maioris momenti; qua de voce
Hora. Latini & Græci horam ſumpſerunt. Quia verò agendi tempeſtiuitas breuis eſt & lubrica, & citiſſimè tranſiens, factum vt nobis vr/ Græcis & Latinis Hora pro temporis ea parte poneretur, quæ totius primi mobilis circuitus viceſimam quartam partem complectitur. Iam quia quarundam nobis rerum ad certum & opportunum tempus copia neceſſaria eſt, hur ponitur pro conduco, quaſi ad horam ſiue opportunum tempus di-
Hur. cas. Noſtrates item hur pro capite apri vſurpant, eo quòd inſignis & maxima vis ſit apro in capite, cuius dentes ob eam cauſſam fulmineos non male dicas. A vur fit fer pro pulcro, eo quòd pulcritudinis maximæ ſint vires ad hominem ad ſe ferendum: vel dicetur
Fer. Vieren. fer à vieren/ quod eſt ignem facere; eo quòd pulcritudo amoris ignem accendat; quibus rationibus accedit, quòd vt ignis omnia reddat pura, ita omnia etiam faciat pulcra.
Fier. ſed de hoc prius. Hinc fier pro eo qui pulcritudinem iactat. Græci φὲρ pro præſtanti &
φὲρ, φέρτερος, φέρτατος, φέριστος. validο olim videntur vſurpaſſe; à quo φέρτερος, & φέρτατος, & φέριστος. A fer & rom fit ferrom/ & ſyncoptôs from/ qua in voce f Herodotus in πυ mutauit, πυρωμ pro from ſcribēs.
From. πυρώμ. Nos vieren pro celebrare diuinis honoribus, in vſu habemus; eo quòd eos quos ſic cele-
Feria. bramus, ignibus accenſis veneremur. Hinc Feria apud Latinos, pro feſto die: & ferior,
Ferior. pro otior; quia feſtis diebus & ignes accendebantur, & homines à laboribus vacabant. Chriſtiani, quoniam omnes dies ſacros eſſe vellent, nec vllū tranſire ſine diuino cultu, pariter omnes ferias nominarunt, ſolo numero faciente diſtinctionē; dum feriā primam, feriam ſecundam, feriam tertiam, & ſic de reliquis dicunt. Nobis igitur quotidie ignis accendendus, non tam ille qui externus cernitur, & calefacit, & ſurſum tendit; quàm ille, qui hoc exteriore veluti ſymbolo denotatur. Quis, inquam, ignis alius, quàm qui in mēte noſtra diuini amoris flammis inardeſcit, & totos nos ad ſuperna rapit, omnem noſtram actionem ad cælum dirigens: qua in re vera vita, vt in Hieroglyphicis docebo, conſiſtit. Omnes itaque dies, aut potius omnes horæ nobis feriæ ſint, ſemperque

interno

interno igne flagremus, illius ſolius amore accenſi, qui ſe ſolũ ex toto corde vult amari. Hoc ſibi cereorum flamæ, hoc lychni ſemper ardentes in templis volunt, hoc faces, hoc ignes diebus feſtis fieri conſueti monent, vt nimirum perpetuo illius amore flagremus, & ſurſum feramur, qui omnis lucis & caloris auctor eſt & conſeruator. Hinc Feronia dea, quaſi **Fier-ron**, & **Fier-hon**, quia ad vtramque alluditur nominis rationem; illam quidem, quòd hæc Dea colatur per ignem currendo; hanc verò, quia ignem effectu ſuo defraudet, dum pedes per prunas ardentes currentium non læduntur. Magno in honore hanc fuiſſe apud Sabinos iuxtà ac Latinos, Halicarnaſſæus ſcribit, addens ab aliis ἀντηφόρον, ab aliis φιλοστέφανον, ab aliis φερσεφόνην vocari. Nos ex ignis in ſacris teſſera intelligimus, geminum huius Deæ ignem fuiſſe; alterum, per quem numine ipſius rapti currerent; alterum eum, cui vires lædendi tolleret, & quem corrumpendi facultate defraudaret. Quis autem ignis eſt per quem diſcurrere Deo gratum eſt? Quis alius, quàm is qui ignibus accenſis in templis denotatur, nimirum flagrans diuini amoris ardor, per quem currere veriſſimus eſt Dei cultus? Per hunc cucurrerunt Apoſtoli, per hunc ceteri martyres, per hunc omnes cæleſti amore correpti. Iam verò qui per hũc currunt omnibus terrenis calceamentis exuti, ij ignem externum, & cetera omnia tormenta illæſi perferunt atque contemnunt. Secundo itaque igne tormenta denotantur grauiſſima; eo quòd nihil crudelius queat excogitari, quàm igne comburi. Duplicem hunc ignem D. Laurentius ſenſit; priorem internum & diuinum, quo feruidus per omnia Chriſti beneficia diſcurrebat; poſteriorem corporeum & externum, & in corpus ſæuientem; quem, dum viuus aſſaretur, contempſit, citra omnem mentis, ſiue veri hominis, qui ſola mente definitur, læſionem, ardorem perferens. Feronia ergo dea caritas eſt, quam qui habet, feruidiſſimè per omnia Dei beneficia diſcurrit tantiſper, dum accipiat brabeion à Deo conſtitutum, quæ hanc habet poteſtatem, vt hominibus eas conferat vires, quibus omnia tormenta, licet truculentiſſima, contemnant. Porrò Caritas non has modò præſtat, verùm & ipſum ignem tartareum defraudat; propterea quòd ſola caritas à flamis infernalibus nos queat liberare. Ab hac libertate in quam à caritate aſſerimur, dum prius ſerui pœnæ eſſemus, in eam ventum eſt conſuetudinem, vt in Feroniæ fano ſerui pileum acciperent, quibus idcirco caput radebatur, vt notaretur, neminem liberũ fore, niſi omnia terrena, omnes curas ſuperuacaneas, omnia denique quæ ad corporis integritatem non pertinent, abiecerit, & nudus nudum Chriſtum ſequatur. Nihil ſacris antiquiſſimorum ritibus celebratum eſt, in quo non veræ religionis ſymbola continerentur. Seruorum libertatem ſignum eſſe voluerunt eius libertatis in quam à Feronia vindicamur, cuius beneficio Tartareas flámas euadimus, ad quas peccatum nos cõdemnarat. Præſidet ergo Feronia Libertinis, id eſt, omnibus hominibus qui à ſeruitute per caritatẽ & Chriſti & ſuam ſunt liberati. Fruſtra Seruius apud Latinos quæreret, cur Libertis Feronia præeſſe dicatur, tametſi præeſſe ſciuerit & ſcripſerit. Huius lucũ olim exuſtum fuiſſe, fabulantur, & mox contra naturæ leges ſubitò reuiruiſſe; quod nihil aliud eſt, quàm totam humani generis ſiluam flamis æternis fuiſſe adiudicatã; ſed ſubitò per caritatem diuinam, quæ vera Feronia eſt per omnia diſcurrens, in priſtinum ſtatum fuiſſe reſtitutam: atque idcirco ignem infernalem à Feronia dicimus defraudari, illis nimirum animis quos inde amoris vehiculo in cæleſtem ducit libertatem. Eleganter itaque nomen factum, vt & ad **Fier-ron**, quod eſt celerrimus ignis curſus, & ad **Fier-hoon**, id eſt, ignem defraudo, alludat; quæ ambæ rationes eòdem tendere deprehenduntur. Bene itaque Virgilius:——*Viridi gaudens Feronia luco:* & multo melius quàm ipſemet intelligere quiuerit; eo quòd caritas perpetuò & viridis ſit, & cetera omnia viridia reddat; quod non cuiuis igni, ſed ſoli cæleſti & diuino conuenit ardori. Qui plura de Feronia nouiſſe volet, is Strabonem conſulat, apud quem ritum per ignem currendi licet videre. Quemadmodum autem Feronia à **Fier** dicitur, ita & Ferueo, & inde deriuata; eo quòd feruor ignis ſit effectus. Nos à **Fier**, **Werm** dicimus pro calido; eo quòd calor ab igne naſcatur; qua in voce F in W tranſiuit. Ex eodem fonte manauit Ferox, quaſi **Fier-roich** diceretur, id eſt, ignis fumus; eo quòd feroces igneo quodam fumo ferri videantur. Nec aliunde dicitur Ferum; eo quòd ignis feriſſimum ſit elementum. Nos aliquando **Fier** in eadem dicimus notatione pro Fero, licet ſæpius ita accipiatur, vt à **Fer** pro pulcro deſcendat. De Puro, quod fit à **Pur**, & purgo, & purpura, antè dictum.

Feronia dea.
Ferueo.
Werm.
Ferox.
Ferus.

Dur. dictum. Ex D, cui vinculi facultatem dedit Plato, & Vr, fit Dur, pro eo quod ipſum perfectum ligat, atque in ſe deuincit. Dur enim idem eſt quod in robore & perfectione
Duro. permaneo: vnde Duro Latinorum:

Durate & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

Durus. Id eſt, Colligate totum veſtrum robur, ne dilabatur. Hinc Durum, quod ita colligatũ eſt, ne facile poſſit diſſolui. Nos Dur etiam dicimus nimis carum; eo quòd ſic ſit domino alligatum, vt vix ab eo diſtrahi poſſit; pro quo Dier etiam dicimus. Ab Vr præterea
Rur. fit Rur / quod eſt Moueo; eo quòd is qui aliud mouet, neceſſe eſt vt magnam habeat mouendi poteſtatem, vtpote quam non in ſe modò, ſed in aliud etiam exerceat. Hinc
Rus, ruris. fortaſſe Rus, & rura; quòd rus maximè ſit mouendum, vt fructus ferat. Iam ex Vr fit
Natura. etiam Nat-ur, quo ſignificatur humidi perfectio; quæ nihil aliud eſt, quàm calor agens in humidum, ea ratione, vt res generentur, creſcant atque conſiſtant. Humore enim & calore vita continetur, ſicut ex eorum contrariis frigore & ſiccitate mors occupat, ipſius
Naſcor. videlicet naturæ deſtructio. Nats-oor autem humidi origo eſt, vnde Latinis Naſcor factum. Naturæ ergo nomen, citra longiorem verborum contextum, prima ſtatim fronte demonſtrat, tum quibus rebus vita conſeruetur, tum quas res mors & corruptio conſequatur; nec illa ſolùm, ſed hoc etiam quod ignis, in cuius notitiam deducimur, ex Vr in Dur progreſſi, vi ſua humidum moueat atque perficiat. Non malè ergo quarto Meteororum libro Ariſtoteles naturam, quaſi formam quandam eſſentiamque eſſe dixit; eo quòd calore ignis humidum perficiente exoriatur atq. conſiſtat. Cùm verò humidum materiæ loco ſit in quam ignis agit; confeſtim de naturæ nomine intelligitur vtrumque, & res omnes naturales ex materia & forma conſtare, & huic deberi ipſius materiæ perfectionem: atque prius etiam illud apertum eſt, ipſum humorem materiam eſſe, ignis autem vim formandi facultatem habere. Præterea ſenij corruptionis mortiſque ratio eadem ex voce tam clarè cognoſcitur, vt quod clariſſimè; cùm contraria contrarias habeant effectiones. Vide quanti interſit veram huius vocis fabricam intueri, quam qui rectè examinarit, is parum abſuerit à perfecta rerum naturalium cognitione. Quis non rectius ex hac etymologia, quid Natura ſit, intelligat; quàm ex ea definitione quam Ariſtoteles ſecundo Phyſicorum libro tradit, Naturam eſſe dicens principium alicuius & cauſſam motionis & quietis eius in quo eſt, & id per ſe, non ſecundum accidens. Breuiſſima voce, duabus tantùm ſyllabis conſtante, nomenclator totam totius naturæ naturam explicauit, in ſumma breuitate nihil obſcurum relinquens: vbi contrà Ariſtoteles per multas diuiſiones, & eas quidem non omnes ſatis accuratas, per longam denique & odioſam inueſtigationem, vix tandem quidquam certi concludit; & quod concludit, tanta caligine tegit & inuoluit, vt ægerrimè, quid ſibi velit, vel à diligentiſſimo queat peruideri. Porrò à Dur fit Sulfur, quod nos hodie Solfer dicimus, à Sol vel Sul / quod eſt
Sulfur. conſeruo; quæ manant à Sal. Hinc vlees ſulten eſt carnes in muria conſeruare. Sulfur
Solfer. itaque ſiue Solfer idem eſt quod conſeruans ignem. Hebræi גָּפְרִית dicentes pro ſulfure noſtrati item voce vtuntur, cùm Go pher reet nihil aliud ſit, quàm bona ignis promptitudo, ſiue id quod bene promptum eſt ad ignem parandum, ſiue potius ad verbum, bonus ignis apparatus. Quid enim ad ignem accendendum ſulfure promptius & expeditius? Nihil eſſe, magno mortalium malo, in puluere fulmineo, aut potius tartareo, experimur. Eſt ergo ſulfur ignis quaſi ſale conditus, perpetuò ad vſum promptiſſimus, ſi vox pro eo ac debet de vernaculo Cimbrorum ſermone intelligatur. Littera C, ipſi
Cur. Vr præpoſita, Cur facit, altiſſimi myſterij vocabulum; quo ſignificamus, nos per Cur ipſi Vr velle adhærere. Eſt enim Cur ritus in ſacris obſeruandus, per quem Deo blandimur & ſupplicamus; cuius Kr notationem habere dixi, vt ipſi perfecto preſſiſſimè vndique adhæreamus. Ritus enim ſacri non aliò ſpectant, quàm vt nos ſic ad Deum rapiant, vt
Ruc. toti ipſi coniungamur, perinde atque lingua extremis ſuis dentium exortus tangit. Ruc itaque, per veſtigia retrò lectum, demonſtrat quid Cur, ſiue ritus ſacer, nobis præſtet. Ruc enim idem eſt quod vehementer & valida vi traho; quod proprium eſt cærimoniarum. Neque enim in ritibus ipſis conſiſtendum, ſed iis trahi debemus vehementiſſimè. Quò? Ad ipſum nempe illud perfectum & magnum, ad quod Kr cõtendebat, dum ex Kr-vr Cur dicimus. Kr-vr enim quid aliud eſt, quam blanda precatio, vt magna perfectio concedatur? Ad hanc itaque perfectionẽ validiſſimè cærimoniis trahi debemus, ſi earum

ſi earum vſu perfrui velimus. Fruſtra enim, fruſtra omnes cærimoniæ, omnes ritus in ſacris ſollemnes & fiunt, & celebrantur, & videntur; niſi iis ad ipſum illud quod perfectum eſt, & omnia perficit, magna vi trahamur. Bone Deus, quanta breuitate nomenclator omnem cærimoniarum vſum tribus litteris incluſit: quantam rurſus contemplationis latitudinem aperuit, dum in Cur Ke-Vr voluit intelligi. In omnibus enim ritibus mens noſtra hanc orationis formulã concipere debet, vt ipſi perfecto tantiſper per Ke Vr blandiatur, donec ab ipſo impetret atque conſequatur veram perfectionem. Ex Cur & Ruc prorſo & verſo vocabulis componitur Cur-ruc/ haud ſecus atq. ex An & Na fit Anna/ & è Car & Rac fit Car-rac/ & ex Ser & Res Ser-res. Ex Cur-ruc ſyncope reddit Cruc, quo ſcipio cum tranſuerſario ligno ad rectos angulos impoſito denotatur. Vnde cruc-wijs/ & ſyncoptôs cruys/ & Crux Latinorum, de cuius myſterio in Hieroglyphicis plura. A Cur fit Cur-heet, pro eo qui cærimoniarum caput eſt, ſiue is penes quem rituum ſacrorum eſt imperium: à qua Curetes nomen ſuum traxerunt. Cùm ergo apud Germanos Cureet ſupremus ſacerdos vocaretur; factũ eſt vt hæc vox in Cureetum, & pòſt in Curatum, quò magis Latina videretur, euaſerit. Si enim Curatus à Curando nomen ſumeret; non Curatus, ſed Curator vocaretur: niſi quis officium ſacroſanctum deriſui habens diceret, Curatos idcirco potius quàm Curatores nominari, quòd magis curentur quàm curent; quod vtinam in nullis verum eſſet conuicium. Abſit tamen, vt ſacrorum antiſtiti a conuicio nomen in Catholica eccleſia datũ dicamus; ſed id vt veriſſimum teneamus è vernaculo Cimbrorum ſermone, quo Goti & Franci vtebantur, Curatos quaſi Curetos dictos eſſe, E longũ facillimè in A longum cõmigret, vt ex φήμη Fama. Porrò vt Or & Vr differunt, ita Cor & Cur. Oor enim æternitatis circulus eſt, à quo omnia fluunt. Vr eſt ampla & magna latitudo, vnde omnia fluunt, ita vt in illo æternitatis, in hoc amplæ poteſtatis omnia perficientis ratio habeatur. Coor itaque vocali longa, vt eſt in Oor/ eorum ſignificat multitudinem & veluti rotundo circulo comprehendit, qui ritibus & cantibus ſacris ipſi Oor blandiuntur, quaſi Ke Oor diceretur. qua ratione fit, vt hoc nomen conueniat primùm ordini angelico, qui proximus ipſi Oor ſiue omnium origini aſſiſtit, & perpetuis blandimentis ſupplicat. Græci hinc & Latini Chori nomen habent, quam vocem citra aſpirationem ſcripſiſſent, ſi veros eius nouiſſent natales, in quibus apertiſſimè verum Cori officium cõtineri videmus. Si Coor vertas, Rooc fiet, quo fumus quiuis, vt modò docui, notatur. Eſt enim Cori ſuauiſſimus Deo fumus. Eccleſiaſticus dixit: *Oblatio iuſti impinguat altare, & odor ſuauitatis eſt in conſpectu altiſſimi*. Et ſtatim poſt diluuium odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis, Nocho ſacrificio ſuo Deum propitium reddente. D. Paullus odorem notitiæ diuinæ ſe dicit manifeſtare, ſeq. dicit Chriſti odorem eſſe. Quemadmodum autem ipſe Chriſti odor eſt Deo; ita ipſi patri æterno bonus odor opificis angeli ſunt, & piorum hominum mentes, qui fumo comparantur; eo quòd perinde atq. fumus ex aromatum foco gratus eſt hominibus, ita animi amoris diuini igne fumigãtes ſuauiſſimum Deo ſpirant odorem. Externus enim fumus mentalis fumi teſſeram habet, & fruſtra ille citra hunc Deo offeretur. Concentus itaque Angelorum & piorum hominum eo fit, vt ſit fumus Deo altiſſimo gratus atque ſuauis, qui fumo externo denotatur. Ad hoc myſterium nomen Hebræum alludit, qui ex Rooc quo fumus dicitur, רוח fecerunt pro ſpiritu; quandoquidem ſpiritus Deum laudantes perpetuo odore ſuo diuinas nares replent. Sapientia apud Eccleſiaſticum inter alia ſic dotes ſuas prædicat: *Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi, quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris*, & cetera. Diuini itaque amoris ignis Deo circumſiſtens, in quo Apollo Deum dixit habitare, & Seraphicum, id eſt, ardentem angelorum ordinem conſtituens, optimum & ſuauiſſimum fumum Deo ſpirat, quem ab ipſa ſapientia, mundi totius opifice, benigna manu ſuſcepit. Poſt hunc alij & alij ordines, quibus pij homines, duce Chriſto, ſeſe ſocios addunt; & tandem ex multis coris vnus corus efficitur, qui in æterna vita æterno Deo laudes canet æternas, & ſuauiſſimum odorem citra omnem ceſſationem aſſiduo fumo exhalabit. Ad hunc corum omnis corus dirigendus, quo tandem omnis ſpiritus & omnis ſpiritalis homo Deo ſit fumus ſummæ ſuauitatis. Viden' quid Coor/ quid Rooc ſibi velint, & quàm concinnè blandimenta cantuum & hymnorum cum ſuaui ſuffumigio coniungant; tum etiam quàm eximiè doceant, fruſtra omnem cantum fieri, fruſtra omnes

Cruc. Cruys. Crux. Curetes. Curatus. Or ſiue Oor. Coor. Chorus. Rooc.

ſacros

ſacros ritus, quibus Deo blandiri volumus, ſuſcipi; niſi mens noſtra ardens gratum Deo ſpiret odorem, & perinde atque aromatum thymiama ſurſum feratur. Rurſum conuerſo ordine ex roor ad coor venimus, quo ſciamus, fruſtra ſacrificiorum fieri fumos, niſi accedat ke oor/ id eſt, blanda mentis noſtræ ad ipſam omnium rerum originem facta oratio. Cernimus ergo & cantum, & ritum, & ſuffumigium, & vocabula horum notionem exprimentia mirabili conſenſione inter ſe quadrare; quam ſi in Coris, & ſuffumigiis, & ceteris ritibus diligenter expendamus, ſtatim verum omnium

Ceur. cærimoniarum vſum intelligemus. A ke etiam & vr fit ceur pro eligo; eo quòd electio ſic ipſi electo blandiri videatur, vt ipſum perfectiſſimum, quod per vr ſignificatur, atque vt ſibi contingat orat. Hanc vocem alius aliter ſcriberet: ea tamen nobis eſt pronuntiatio, vt ſonus quidam ex E & O, vel E & V compoſitus audiatur. Siue igitur ceor/ ſiue ceur ſcribas, alium ſonum ſentias, quàm ſi coer vel ceur pronunties; eo quòd in ceor ſonus in O deſinat, non in E. Latini hac diphthongo carentes, quam ne noſtri quidam ſatis

Cœremonia. obſeruant, ex Eo faciunt Oe. Hinc Cœremoniarum nomen, quod nihil aliud notat, quàm id quod monet quid ſit eligendum. Vt enim à man Moneo, ſic è ceor man Cœremoniæ fiunt. Explicatur itaque & hac voce veriſſimus cœremoniarum vſus, qui totus in eo eſt vt monitu earum, id quod optimum eſt, eligamus. Quemadmodum enim nomina nõ ſunt, nec res ipſæ, nec rerum notiones; ita nec cœremoniæ illud ſunt quod eſt ſignatum; ſed nos monent dumtaxat eius quod eſt præ ceteris omnibus eligendum. Sic Chriſtus: *Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima: Porrò vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Idem nobis occini putemus in omnibus ritibus & cœremoniis, eaſque omnes ad illud Vnum referamus, quod eſt neceſſarium; quodque optimum eſſe maximéque eligendum, & Chriſtus, & cœremoniarum docet nomen, ſi ad originem vocetur. Inepti ſunt hac parte Latini, quia Cærimoniarum nomen à Cære opido deriuant, quaſi ante illius conditorem nulli fuiſſent ſacri ritus hac nomenclatura nuncupati. T. Liuius cauſſam eôdem refert, & eam quidem L. Albino alligat, qui Romana ſacra Cœre eo tempore inuexerit, quo vrbs à Gallis capta eſſet. Bis hic peccatum: ſemel, quod malè nomen per æ ſcripſerint, quod potius per œ ſcribendum fuiſſet, in quo facilis lapſus; rurſus quòd vetuſtiſſimam vocem, quales pleræque ſunt in ſacris, tam finxerint recentem. Præterea quod de καῖρε, quo Theſſali pro χαῖρε vtuntur, fabulantur; id ego & vanum opinor, & indignum longa confutatione: cùm hic non diſputem, cur opidum vel Agilla vel Cœre nominetur; id vnum docere cõtentus, cœremonias aliunde nomen accepiſſe. Cur ergo & Cœremoniæ eandem rem ſignant; diuerſa illam quidem ratione, ſed eodem tamẽ tendente.

Cura. Curo. A cur Latini Curam & Curo retinuerunt pro ſollicitudine, re vt alia à proprio ſignificato, ita eam habente comparationem, vt nihil ipſa magis neceſſarium ſit in ſacris ritibus, quos curen dixi vocari. Sollicitè enim omnia peragenda, & ne minimum quidem Iota eorum omittendum, quæ patrum maiorumque conſuetudine & inſtitutis ſunt in religione ſancita. Ab ea ergo ſollicitudine per quàm anxia, qua in ſacris Curetes & Corybantes verſari oportet, Latini quamuis ſollicitudinem Curam vocarunt. Sed quia Corybantum mentio facta, addamus & eorum nomenclaturæ interpretationem.

Corybãtes ſacrorum cuſtodes. Strabo Curetas & Corybantes eoſdem credidit; qui tamen, ſi prima lingua conſulatur, non exiguo diſcrimine diſtinguuntur. Curetas cœremoniarum capita eſſe, & ſacrorum quaſi regulos, modò dictum; quos Franci pòſt, & Goti Romaniſantes, Curatos dixerunt. Corybantes verò ſacrorum cuſtodes erant, excubantes, ne qua turba irrumperet ſacros ritus impeditura; néue quid è fano ſuppilaretur. Coor quid ſit, modò expli-

Hu. Want. catum; quæ tamen vox tempus in compoſitione mutauit. Hu cuſtodio ſignat. Want eſt defenſor, quaſi diceretur vihant/ & hinc want/ ad diſcrimen vant/ littera in vicinam commutata. quamuis & alia cauſſa dari poſſit ex wi-hant/ quod eſt manus latè ſe extendens. Quando enim manus ad hominis defenſionem comparatas videmus, nec alia arma, qualia ſunt ceteris animantibus diuerſa, corpori ipſius innaſci; ſermonis artifici non malè potuerit placere, vt defenſio, quæ extrinſecus nobis accedit, wi hant/ & inde want

Trou-wanten. diceretur: Vnde trou-wanten ſatellites vocamus, qua voce fidi defenſores exprimuntur. Hinc & illud eſt, vt want paries nominetur; eo quòd & hic homini ſit aduerſus iniurias externus defenſor, tum aëris & ferarum, tum inimicorum, furum, & latronum.

num. Nec alia ratione want chirothecam nominamus, quàm quod manui aduerſus externa, ſiue frigora, ſiue ſpinas, ſiue calores, ſiue alia, præſidium ſit. Galli corrupta voce *Gant* vocant, duplex W in G mutantes, eo modo quo ex wigant factus eſt Gigas. Quæ cùm ita ſint, coor-hu-wanten/ & mutato W, quo Græci carent, in Beta, *κορύβαντες* defenſores erunt coro cuſtodiendo præfecti, in quo cùm non aliud ageretur, quàm vt Iupiter omnium origo in animis naſceretur; ſubiit in hominum vulgus fabula, Corybantes cuſtodiuiſſe Iouem naſcentem, & ſtrepitu cantus, & armorum, & ſaltationum effeciſſe, ne Saturnus partus conſcius factus, Iouem deuoraret: id eſt, ſic cuſtodiuiſſe ritus ſacros & cantus, vt Saturnus, cuius nomine hic vetus Adam intelligitur, nihil impedimenti Ioui naſcenti adferret. Vetus enim noſter Adam, totius generis humani Saturnus, facilè animum noſtrum à piis cogitationibus diſtraheret, atque Deum in nobis naſcentem deuoraret, niſi cærimoniis à rebus terrenis & carnis voluptatibus ad cæleſtia & diuina traheremur. In eiſdem ſacris aderant *κάβειροι*, quorum officium è vocis natalibus perſpicuum fiet. Apud Romanos in ſacris omnibus edicebatur, vt ij qui adeſſent, linguis fauerent, id eſt, ne ſacris mali ominis verbo obeſſent; quod quo certius faciliuſque caueretur, ſilentium omnes ſeruabant, ita vt fauere linguis idem eſſet, quod tacere. Eodem modo de aliis aliarum gentium ſacris cogitandum, maxime de vetuſtiſſimis, in quibus anxia ſollicitudine omnia peragebantur; & aderant miniſtri, quibus ea incumbebat cura, vt ne quid mali ominis aut fieret aut diceretur; quos ea de re *καβείρους* vocabant. Nobis ca-weren dicerentur, quo vocabulo eos intelligimus, qui defendunt & cauent, ne quid mali rebus, quæ fiunt, intercedat; è quo Caberi, W in βῆτα mutato. Verùm ne Cabirorū numerus nimis magnus eſſe cogeretur, ſi in maxima hominum frequentia ſigillatim eſſent ipſis omnia obſeruanda; pueris quibuſdam vtebantur exploratoribus, quos ab officio Caſmillos nominabant, id eſt Mali reuelatores: Camillos alij dixerunt; ſed illud elegantius, ſi conſtructionem in compoſitione ſpectes. Cas ſecundus caſus eſt à ca/ ita vt caſ-mel idem ſit quod malorum reuelator. At ca-mel idem eſt quod malum reuelo, qua via ex verbo fieret compoſitio. De mutatione E, quod eſt in origine in I, eadem ratio eſt qua ex men fit Mino. Bœotij Cadmilon Mercurium vocarunt, quod idem eſt cum Camillo; cùm citra diſcrimen ca/ cat/ & cad dicamus. Poſtea ab horum diligenti in ſacris diſcurſu, quo omnia audirent & diligenter explorarent, quoſuis liberaliores miniſtros minoris ætatis, Camillos, boni ominis cauſſa, vocarunt. Diu ſe fatigabunt Grammatici, nec tamen quicquam inuenient in hoc nomine rationis. Ferè oblitus eram, quos alij Corybantes dicunt, eos ab aliis Curbantes nominari; inter quos eſt Pherecydes: quæ vox non Cori, ſed Cærimoniarum & rituum ſacrorum defenſores notat, à cur & want ducens compoſitionem. Par autem eſt, plures cuſtodes fuiſſe, quàm Caberos; atque ita illos nouem, hos tres apud Priſcos numerari videmus. Strabo myſtica nomina Caberorum & Corybantum eſſe confitetur, quæ ſi vel ipſe, vel Scepeius intellexiſſet, numquam eoſdem eſſe Curetas & Corybantes putaſſet, nec à *κορύπτω* nominis rationem petiuiſſet. Iuuat interpretationem noſtram eorum teſtimonium qui Corybantes fuiſſe armatos ſcribunt; cùm tales eſſe eos deceat, qui aliis cuſtodiendis tuendiſque præſunt. Pòſt, pro veterum religione, quæſtuoſa ſuperſtitione & idolomania ab auaris Curetibus inducta, Corybantes non amplius templi corique cuſtodes, ſed pars inſanientium ſacerdotum fuerunt. A coor item & rei fit *χορεία*. Nam Rei apud nos eſt celerior ſaltatio, quæ alteri tardiori ſolet ſuccedere, à Ra, & I, vt celeritas cum iucunda quadam & exili motionum conciſione denotetur; vbi ex rai rei fieri, quæ ſine diſcrimine ſignificationis apud nos dicuntur, nihil noui. Chorea ergo primum conuenit ſacris choris, à quibus tamen nunc ſunt penitus ſublatæ ſaltationes. Sed horum ſatis. Ex ur præterea bur habemus pro vicino, vnde Buræ vetuſto apud Achæos opido nomen, cui cognominis Bura non exiguæ apud nos dignationis, vt pote quæ præcipuæ nobilitatis domui titulum præbet. Ab eadem voce Eburones apud Belgas, & Eburum apud Quados ad Lunæ ſiluam. Eſt autem Ee-bur iuratus vicinus. Bur quaſi bi-ur / quo notatur perfectio quædam ex propinquo res noſtras reddens auctiores & potentiores. Quantum momenti in vicino ſit, Heſiodus indicauit: & ille qui domum venum exponens, per præconem adiici iuſſit, eam bonum vicinum habere. Quid non vidit, quid non vocibus expreſſit, quid non docuit prudentiſſimus

Corybantes Iouis naſcētis cuſtodes.

Caberi.

Camillus.

Curbantes.

Chorea.

Rei.

Bur.

Bura.

Eburones.

Eburum.

tiſſimus nomenclator? Detinuerũt me paullo diutius, quàm mea ferat in his effundendis feſtinatio, Vz & Nu: multo tamen plus moræ allatũra, ſi totam eorum ſobolem, pro eo ac mereretur, examinarem. Reuertor ergo ad Ne & Er, quæ dixi opponi; & er quidem

Ver.

conuerſionis ratione notationem habere. Ab Er nos dicimus Ver, pro eo quod longè à ratione aberrat. Gef eſt dono, vergef toxicum do, quaſi dicas, illud do quod longiſſimè à recta ratione recedit. Sic Doen eſt facere, verdoen eſt abſumere, perdere, occidere. Gaen ire, vergaen perire. Sien eſt videre, verſien eſt in videndo longè aberraſſe. At quia in quo longè erratur, id iterum emendandum eſt; fit vt Ver pro iterum ponatur, quandam prioris facti indicans compenſationem, vt verſcencken / vergeten / verhalen / veruallen.

Weer.

Extra compoſitionem Weer pro rurſum dicimus. verùm quia quod iteratur, quodammodo inualeſcit; placuit nomenclatori, vt Ver in quibuſdam vocibus augendi vim haberet, vt ſtoot trudo, verſtoot repello, abiicio, aſpernor. Vul repleo, vervullen omnino replere. Bont vinculum, verbont arctum vinculum, ceu dicas iterum atque iterũ ligatum:

Verbum.

vnde Latinis Verbum; eo quòd nullo vinculo homo arctius, quàm verbo ſuo, obligetur: quæ nominis cauſſa vt Latinis non eſt nota, ita hoc tempore magnam patitur calamitatem, qua verbi vinculum apud plurimos magna humani generis ignominia, & omnis fidei exitio rumpi videmus, non apud plebeios modò homines, ſed apud principes etiam magiſtratus; quo nihil poteſt exſecrabilius cogitari: quoniam nec pax componi, nec pacis firmamenta inueniri poſſunt, vbi verbum, vnicum inter mortales vinculum,

Mendacij abominatio.

quauis occaſione pro nihilo habetur, atque proculcatur. Olim mendacium inter generoſos viros tam abominandum habebatur, vt qui eius conuictus fuiſſet, capite diminutus eſſet, nec pòſt honeſtorum conſortio dignus iudicaretur: quod præuidens ſermonis noſtri artifex, ſic teſtem vocauit, vt ei per cõuerſionem opponeret hominem omnium hominum abiectiſſimum. Qui enim verbis ſuis non ſtare deprehenſus eſt, is teſtimonij dicendi iure atque poteſtate abdicandus, atque idcirco nomine Guit vocandus, quòd

Tuig. Guit.

ex diametro veritatis teſti repugnet. Tuig enim Teſtis, Guit verò homo viliſſimus, & omni omnium proborum hominum conuictu indignus: quæ ſignificatio non ſola conuerſionis cauſſam habet, ſed de compoſitione etiam vim ſuam ſortitur. Quis enim eſt Guit alius, quàm is cui vbique dici meritò debeat, Ga-uit / id eſt, Excede extra. Si quis ergo Tuig & Guit cum verbi notatione cõferat, næ is clarè cernet, nullo inter homines loco eum dignum eſſe qui verbi ſui vinculum rumpit; in cuius infamia exaggeranda nolo multus eſſe, ne ij qui nullo loco digni ſunt, me nullo loco eſſe permittant; & eſt

Her.

alioqui per ſuum nomen res ſatis aperta. Ex eodem Er ipſi Ne contrario fit Her / pro eo quod iterum fit, vt corrigatur prior error. Sic Herdoen eſt de nouo agere ſiue facere. Hergaen de nouo aggredi. Quando autem ita in rebus mortalium comparatum eſt, vt communiter omnes à vera ratione aberrent, neque quiſquam poſt Adami lapſum, citra diuinam gratiam, ſcopum veritatis attingat; placuit nomenclatori, vt Her hominum communitas vocaretur; quòd ea tota ad errorem ſpiritu ſuo, per aſpirationem ſignato,

Hominũ cõmunitas tota ad errorem fertur.

feratur. O infauſtum nomen! ô peſſimum omen! ô triſtes minas! ô exitium funeſtũ! Adeóne tota hominum communitas contra rationem conſpirat, vt hac de nota tam indigna humanis mentibus, quàm ſe totas ratione ducere deberent, primus linguæ faber noméclaturam dare voluerit, non huic vel illi, ſed toti hominum vniuerſitati? Profectò ita eſt: nullus eſt mortalium, vno Chriſto excepto, qui non erret ab vtero, atque rectæ rationi aduerſetur, quem non conceperit in peccatis mater, vt Pſalmiſta canit, *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat, ſi intelligens eſt aut inquirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Ceterùm quamuis ſinguli peccent, ita vt iuſtus etiam ſepties in die cadat; tamen nuſquam inſanus hominum error, & excors effronsque dementia magis elucéſcit, quàm in tota aliqua ciuitate. Sic Horatius cecinit:

O ciues, ciues, quærenda pecunia primùm,
Virtus poſt nummos! hæc Ianus ſummus ab imo
Perdocet, hæc recinunt pueri dictata ſenesq́.

Commemorant Diogenem, ipſius Alexandri magni teſtificatione, ſoli Alexandro ſecundum, quodam die maximæ hominum multitudini exeunti magna vi obuiam iuiſſe; totis viribus contrà nitentem; atque dum rogaretur, quid ageret, quid fruſtra laboraret,

raret; reſpondiſſe, non aliud ſe tanto molimento agere, quàm vt vbique hominum multitudini aduerſari videretur: quippe qui ſciret, vulgus numquam rectum iter tenere. Timotheus, ſi recte eorum quæ Ælianus ſcripſit, memini; diſcipulum quendam ſuum non ob aliud, quàm quòd ei canenti totus populus applauſiſſet, verberauit, dicens, fieri non poſſe, quin in aliquo errasſet, dum vniuerſo vulgò placeret. Vide itaque quid illi agant, qui omnia ſua ſtudia, omnes ſuas curas, omnes labores eò conferunt, vt ſe populo probare poſſint. Equidem non alia ratione Beccelelana mea cara habeo, quàm quòd ea videam ab hominum vulgo minimè laudari; adeóque ea de cauſſa hoc nomen magis placuit, quod Ariſtophani, cùm ambitioſo publici Græcorum applauſus & popularis auræ captatori, tum Socratis præceptoris mei inimico, inter ludibria habitum fuiſſet. Gaudeo interim in tot myriadibus duos mihi familiariter cognitos eſſe, Læuinum Torrentium, Archidiaconum Brabantiæ; & Taium dominum Goicanum, ſingulare Bruxellarum decus; qui abortum illum meum ita laudarint, vt vel ſexcenteſima pars tam honeſtæ teſtificationis ingens præmium totius mei laboris queat iudicari, ab eo præſertim, qui quales, quantique illi viri haberi debeant, quantóſque in ſapientiæ ſtudiis progreſſus fecerint, non ſit ignarus. Trita eſt multorum laudibus illius ſententia, qui vnius ſapientiſſimi auditoris præſentiam pluris fecit, quàm magnæ multitudinis applauſum. Scio equidem & alios eſſe nonnullos, quibus meæ extemporaneæ nugæ non diſplicuerunt: ſed Torrentius & Taius vt primi fuerunt cenſores, ita & inſignis eruditionis & acris iudicij merito apud me plurimi fiunt. Sed nunc ad **her**; quod mirabili artificio ſic eſt factum, vt confeſtim nobis indicet hominum vulgus perpetuò anhelare ad deteriora, aduerſam rectæ rationi viam toto ſpiritu totiſque viribus ſemper tenendo. Macte igitur, anime mi, audacia tua ſedulo perge in his quæ totus populus ridet meditandis, quando ducem eum ſequeris, qui primus mortalium incomparabili ſapientia aptiſſimas rebus poſuit nomenclaturas. Ab **her** non pauca deriuantur. **Her-baen** publica via eſt: **her-tog** dux communitatis. Vſurpatur item pro exercitu; quòd is rempublicam debeat tueri, quo ſignificatu **hertog** exercitus dux eſſet. Neſcio certè an communitatis dux eſſe mereatur, qui exercitum ducere cum laude non poſſit. Sed ipſi viderint, qui ſic vocantur. Herba apud Latinos communem vtilitatem, ſiue eam quæ omnibus ex æquo propoſita eſt animalibus, deſignat nutrimenti medicinæque commoditatem, ceu **her-bat** diceretur; quo nomine neſcio an quicquam queat conuenientius inueniri. **Her-alt** publicus ſenator, ſiue is qui communiter apud omnes eſt venerandus; vel, ſi placet, exercitus ſenator: quo nomine is vocatur, quem Latini dixerunt caduceatorem; cui cùm nemo, Catonis iudicio, nocere debeat, optimè nomen datum eſt à ſenio, quod communiter omnibus eſt venerandum. Verùm & alteram cauſſam adde, quam inde duxit nomenclator, quòd monitos omnes vellet, eum mittere oportere caduceatorem, qui per longam ætatem plurimamque multarum rerum experientiam optimè noſſet, quî cum hoſtibus ſermo prudenter eſſet inſtituendus. Homerus, vt oſtenderet in nuntiis perferendis & legationibus nihil iuuenili temeritate eſſe commutandum, aut de ſuo addendum, eadem ferè verba iis dat qui mittunt, & iis qui mandata, quò iubentur, perferunt. Latini in bellis indicendis fœcialibus vtebantur, quos cur ita vocarint, non memini legiſſe. Equidem boni ominis nomen agnoſco, quo in hoc officij genere nullum poſſet vel fauſtius, vel aptius inueniri. Nos vulgo dicimus, **T'is eenen goien voegal** ſiue **foegal**/ quo notamus, quempiam eſſe virum talem, vt omnia in meliorem partem transferat & pacificè componat. A **foegal** igitur Cimbrico vocabulo fœcialis nomen apud Latinos remanſit, media littera in tenuem mutata, & iota adiecto; quod hac de cauſſa per diphthongum pronuntiandum. Ex hac interpretatione illius legis æquitas intelligetur, quæ ſic apud Ciceronem dicitur lata: fœciales oratores, iudices fœderum, pacis, belli, induciarum ſunto. Apùd eundem eſt, belli æquitatem ſanctiſſimè fœciali populi Romani iure perſcriptam eſſe; quod noſtrates ex ipſo **foeg-al** vocabulo clariſſimè perſpicere poſſunt, quo tantam æquitatis excellentiam vocamus, vt apud hominum vulgus nihil rectum probans **foegal** ferè pro ludibrio aut conuicio dicatur. Peſſimus certè præmonſtrator ad omnia in meliorem partem interpretandum, eſt iuuenilis ardor; ita vt rectiſſimè nomenclator noſter monuerit, oratores eos ad hoſtes mittendos eſſe, qui per ætatem minus caloris, minuſque bilioſi humoris

Herbaen. Hertog. Herba. Her alt. Fœcialis.

Ius Heraldicum ſiue fœciale. reliquum haberent. Ex hac voce Herald, ius Heraldicum dicetur, quod Ciceroni ius fœciale vocatur, quo non ſolum fœderum ſanciendorum caduceoque vtendi; ſed inſignium etiam, ſiue armorum, vt ferè appellamus, decernendorum poteſtas continetur. Sed video mihi obiici poſſe, ab iis qui Latina à noſtris deriuari inuiti admittunt, fœcialem non à foeg-al/ſed à fœderibus icendis fœdicialem,& inde fœcialem fuiſſe nominatum: quod quidem lubenter faterer, ſi analogia recta videretur; & alioqui ne ſic quidem effugerit, quiſquis hoc oppoſuerit, quin partem vocis noſtratem eſſe confiteri cogatur. Fœdus enim quaſi fidus dici, vt Varroni placuit Ennioque, ſcripturæ prorſus *Fides.* aduerſatur: & quamuis Cicero fidem dici putet, quòd dicta fiant; ego tamen altius *Widen ſiue Wien.* originem examino: à widen/ quod idem eſt quod wien/ & Latinis conſecro, vocem deriuo. Fides enim vt dicta omnia conſecrat & ſancit, ſiue ſancta reddit; ita & ipſa perpetuò ſacroſancta eſt habenda; quam qui violat, ſacrilegus eſt iudicandus. Quanto ſignificantius, quanto efficacius, quanto luculentius, quàm Cicero, hac via & ratione interpretationis nomenclator nos adhortatur, dictis ſtandum eſſe, non ob id tantùm id faciendum dicens, quia faciendum ſit quod verbis eſt conceptum; ſed quoniam verba ſic hominem obligent, vt ſi horum vinculum ſoluat, non contra hominem ſolùm peccarit, ſed contra Deum etiam, cui fides eſt conſecrata. Hinc ipſe Iupiter Dius fidius dictus eſt, quòd ipſi fides ita ſacra ſit, vt qui eam non ſeruet, is Iouem vltorem ſit *Dius Fidius quare dictus Iupiter.* experturus. Idem enim eſt dius, quod Iupiter; cùm id quod alij ſub dio, Horatius dixerit ſub Ioue frigido. Iouem autem fidei præeſſe, T. Liuius declarat in fœdere Romanorum & Albanorum deſcribendo, vbi poſt alia ſic habet: Si prior deflexit publico conſilio, dolo malo, tu illo die, Iupiter, populum Rom. ſic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam; tantoque magis ferito, quanto magis potes polleſque. Id vbi dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit. Virgilius eadem de re ſic cantat:

Stabant, & cæſa iungebant fœdera porca.

Quintilianus cum maieſtate quadam feminam porcam à poëta poni credit, quod ex Seruio intelligitur, qui auctor eſt, ſi porco mare litatum non eſſet, ſuccidaneam hoſtiam feminam dari; at ſi femina non litaſſent, ſuccidaneam victimam non adhiberi. Quamobrem ſic Virgilium audio, vt dixiſſe videatur, fœdus inter Albanos & Romanos vltimum & ſupremum fuiſſe, quo violato, nulla ſuccidanea hoſtia rem Albanam ſeruare poſſet. A widen ergo, quod eſt conſecrare, fides vocata; & illa quidem conſecrata, non alicui minorum gentium numini, ſed ipſi Ioui, ſupremo omnium regi; ideoque meritò Sancta nominata: quod Chriſtianis bene conſiderandum, qui ſciunt, eam fidem, quæ per excellentiam præ cæteris omnibus fidei nomen meretur, non ſolùm Deo conſecratam eſſe, ſed etiam ipſos, in quibus eſt, efficere ſanctos. Qui ergo Cimbricum nomen fidei alio nomine volet interpretari, is ſanctionem poterit vocare. Ridendus Seruius, qui fœdus à porco fœdè cæſo crediderit nominari; quaſi verò nulla *Fœdus.* conuentio, nulla pactio citra victimam iniri poſſet. Fœdum in nota ſignificatione à foi *Foi.* dicitur, quo res quæpiam reiicienda abominandaque notatur. Vnde verfoien cum au- *Verfoien/ ſiue Verfoiden.* gente particula idem eſt quod abominari ſiue exſecrare: à qua origine ſi fœdus petatur, non à porca fœdè cæſa dicetur; ſed ab exſecratione, qua ij qui pactum inibant, ſeſe, niſi dictis ſtetiſſent, deuouebant. Quia igitur ſeſe exſecrabant, quod nos foiden diceremus, vel verfoiden/ fœdus nomen accepit; quo fit vt non quoduis pactum fœdus ſit dicendum, ſed illud, quod ad illam formulam concipitur, vt ij qui illud ineunt, ſeſe diris deuoueant, niſi dictis manſerint. Ab eadem itaque radice & fœdum, & fœdera nomina traxerunt: tametſi neceſſe non ſit, vt in fœdere iungendo porcus fœdè cędatur. Non iraſcatur ergo fœcialis populi Romani, ſi nomen ipſi à maioribus ſuis Cimbris deducam; cùm & ipſa fœdera, & ipſa adeò fides, fœderum anima, ab eadem gente nomina ſua acceperint: immò gratias potius agat Heralto, cuius occaſione nominis ſui habuit interpretationem. Et nunc quidem de Heralto ſatis, qui vt à ſenio nuncupatur, ita eius dignitas non ſolùm conſenuit hoc tempore, ſed etiam prorſus decrepita eſt, mox futura ſilicernium, niſi priſca fides è cælo ad homines, quos reliquit, rurſus deſcendat. *Herman. Hermes Mercurius.* Ex her & man vocali longa, fit Her-man/ pro publico monitore; qua de voce Græcis ἑρμῆς pro Mercurio, cuius officium eſt, omnes officij ſui reddere certiores. Huic ſermonem ob id ſacrum eſſe dicunt, quòd ſermo publicus monitor ſit eorum quæ quiſque

ſentit

ſentit & cogitat; vnde ἑρμηνεύω idem eſt quod interpretor, ſiue mentis cogitata denuntio. Hinc Hermathena interpretationem ſapientiæ ſupremæ copulat; quo coniugio nihil poteſt beatius ab iis optari, qui diſcendi cauſſa vel ſcholas adeunt, vel mutos magiſtros conſulunt. Quando autem hoc Hermathenæ numen nemini mortalium largiore copiæ cornu omnes dotes ſuas effudit, quàm noſtri ſermonis auctori; meritò libri, quibus artificium vocabulorum exponitur, huic conſecrantur. Ab her item Hercules nomen duxit, quo communis totius mundi orchys & maſculum robur denotatur; qui quis alius, quàm Chriſtus, æterna æterni patris virtus. Ab eadem Heros is vocatur, qui caput eſt communitatis, quaſi her-hoot/ quo nomine claros viros dignamur, quòd capita ſint rerum publicarum: quorum animos, poſt mortem, vrbibus gentique ſuæ præſidere, quidam crediderunt. Quæ de Heroibus alij ſcribunt, ceteris etymologiæ ſcriptorum nugis annumerentur.

Hermathena. *Hercules vnde dictus.* *Heros.*

> Ζεὺς κρονίδης, inquit ille, ποίησε δικαιότερον καὶ ἄρειον
> Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος οἳ καλέονται
> Ἡμίθεοι.

Rectiſſimè diuinum hominum genus Heroas dixit; eo quòd omnis ſuprema reip. gubernandæ poteſtas à Deo proficiſcatur; ſintque principes non ſolùm populi & communitatis totius capita, ſed etiam ſemidei quidam, quibus nimirum, vti Diis, & honor & obedientia debetur, ipſo Chriſto, & D. Paullo ſic fieri oportere demonſtrãte. Hæc vera eſt Heroici nominis & dignitas & interpretatio: à qua, vt à tota fermè reliqua Theologiæ priſcæ veritate, vana ſuperſtitio & fœda idolomania longiſſimè poëtarum ingenia diſtraxit.

HÆC de ipſius her ſobole ſatis ſunto, in qua voce noſtrates E breue pronuntiant, quod non mirum eſt Græcos non ſeruaſſe in ἥρως & ἡρακλῆς, cùm infinita alia multo magis vel corruperint vel confuderint. At ſi heer dicamus, vocali longa, vox ab Eer ducetur, quod ab Er contrario ipſi ne longiſſimè diſtat, quamuis parum diſtare videatur; & quamuis longè diſtet, tamen frequenter ex eer in er homines procliui admodum præcipitio labuntur. Ee vnionem firmam & legitimum notare coniugium, ex iis quæ de vocalis E in nominum compoſitione vſu dixi, liquebit: cui ſi R addas, litteram fluxus indicem; quid aliud ſignificabis, quàm id quod è legitima vnione manat? Omnibus perſpicuum, voculam hanc pro honore vſurpari, re inter externa bona longè ſumma, & plurimorum totius vitæ ſuprema felicitate, vt diligenter eſt ab Ariſtotele in Ethicis annotatum. Propter honorem enim diuitiæ maximis & corporis & animi laboribus quæruntur: propter honorem poteſtas & magiſtratus ambiuntur: propter honorem omnia bellorum diſcrimina, omnes militares adeuntur & feruntur ærumnæ. Sed an hi veri ſint honores, an in ſola hominum opinione conſiſtãt, Cimbricum honoris nomen extra omnem controuerſiam ponet; quod ſolum illum honorem verum honorem eſſe definit, qui ex legitimo coniugio hominibus affertur. Quod verò coniugium, quæ copula, quæ vnio honorem nobis conciliat? Num fortè matrimonium? Minimè gentium; cùm id frequenter ingentem adferat infamiam, tantum abeſt, vt in eo ſolo perpetuum honoris & gloriæ fontem collocare poſſimus. Quod igitur coniugium? Illud nempe, quod eſt inter Dei filium & Eccleſiam, vnicam Chriſti ſponſam, contractum. Cùm enim homo ex primo peccato abominabilis factus ſit, nedum capite diminutus; nullam honoris in ſe reliquã habet occaſionem. Antè, cùm opifici ſuo adhuc eſſet coniunctus, tantum honoris habebat, quantum ei ex vnione, qua ex Deo pendebat, ſplendoris & gloriæ affundebatur: quod diuinus Odarum ſcriptor ſic expreſſit, *Minuiſti eum paullo minus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Sed cùm copulam hanc culpa ſua violaſſet & ſoluiſſet; adeò nihil honoris ipſi remanſit, vt etiam panno menſibus muliebribus infecto fœdior euaſerit. Hoc idem Pſalmiſta ſic diceret, *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Soli Deo honorem & gloriam eſſe, gentium doctor tradit, à quo primo fonte omnis honor emanet neceſſe eſt. Quamobrem niſi Chriſto in ipſa eccleſia ſponſa ſua coniungamur, nullus ad nos honor deflueţ; quod vocabulum noſtras duabus litteris, vt breuiſſimè, ita luculentiſſimè declarat. Cùm igitur per adulterium & fornicationem humanum genus legitimum coniugium violaſ-

Heer. *Eer.* *Honor verus quis.* *Coniugium honorem concilians.*

ſet, ſimul in maximum dedecus & ſummam ignominiam eſt prolapſum, & omnem ſibi viam ad ſponſum zelotypum redeundi præcluſit. At miſericordia immenſa ex infinito bonitatis abyſſo emanans tanto amore ſponſum accendit, vt ipſe morte ſua, & morte quidem f . diſſima, ſolisque ſeruorum ſceleribus puniendis deſtinata, turpitudinem noſtram expiarit, & rurſus plus honoris incomparabili ſua gratia largitus eſt, quàm ante diuortium haberemus. Hic eſt honor ille quem ſponſæ ſuæ abiectiſſimæ, & toti ſordibus & cœno vitiorum obſitæ in cruce afflauit, dum ſpiritum ſuum redderet ſupremum. Hæc venuſtas illa qua nos Veneris die, & ad vltimum horæ Veneris momentum, ipſa vera & alma Venus decorauit. Hoc fuit tempus illud quo denſam caliginem & nubem nullum lumen admittentem, qua ſepti, tamquam obſcuro carcere, eramus, Sol iuſtitiæ diſcuſſit. Iuuat hæc elegantiſſimis Mantuani verbis expolire, Deus & homo ſponſus noſter in cruce pendens dixit, *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.*

Vix ea fatus erat, cùm circumfuſa repentè
Scindit ſe nubes, & in æthera purgat apertum.
Reſtitit Adamus, claraq́ in luce refulſit
Os humerosq́ Deo ſimilis. Namque ipſa decoram
Cæſariem nato genitrix lumenq́ iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

En Adame, diſcuſſam iuſtitiæ radiis nubem, quam nemo mortalium poterat penetrare. En redditam iuuentam, & te renatum, ſingulari & vnico omnium ſæculorum Veneris genitricis tuæ fauore. En nos omnes rurſus Deo ſimiles. En honores quos alma Venus natis tuis afflas.

Grates perſoluere dignas
Non opis eſt noſtræ: quæ te tam læta tulerunt
Sæcula, qui tanti talem genuere parentes.
In freta dum fluuij current, dum montibus vmbræ
Luſtrabunt conuexa, polus dum ſidera paſcet,
Semper honos, nomenq́ tuum, laudesq́ manebunt.

Videte igitur, ô mortales, nihil nobis honoris à nobis ipſis eſſe: externus eſt omnis honor; & non ſic tantùm externus, vt Ariſtoteles putauit, vt nimirum ab hominibus homini tributus intelligatur; ſed ſic prorſus externus, vt & aliunde adueniat, & nullam in nobis habeat ſui occaſionem: ita vt non noſtris meritis, non vllis præclaris noſtris virtutibus, ſed totus, quantus quantus eſt, ſoli Chriſto debeatur, cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Peripateticus honorem externum ille quidem bonum eſſe agnouit, ſed putauit virtutis humanæ præmium; hoc interim veriſſimè dicẽs, honore ſolum bonum dignum eſſe, ſi ſolum Deum bonum eſſe, nec quidquam boni de ſuo mortales habere, cognouiſſet. *Mihi abſit gloriari,* inquit ille, *niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Hic enim ſolus honor noſter, hæc ſola noſtra gloria, quam Chriſtus alma Venus ſponſæ ſuæ afflat. Nullæ naturæ noſtræ dotes, nulla fortunæ bona honore digna ſunt: quidquid honore dignum, id totum ex aſſe vni ſoli Chriſto acceptum ferendum. Nemo itaque, quantumuis contendat, quantumuis currat, honoris brauium conſequetur, niſi illud Chriſtus afflarit. Et quibus afflat ſpiritu ſuo diuino hunc honorem? Illis ſolis quos ſibi legitimo coniugio deuinxit. Ille ſibi copulat quos vult; ille ſponſam eligit, dotem perſoluit, honores denique omnes largitur. Totum gratuitum eſt, totum coniugium & coniugij honores ipſi ſoli debentur. Quid ergo ſpei, vt ad hunc honorem adſpiremus, cuius nullam ex nobis occaſionem reperimus? Id nomenclatoris induſtria, vti cetera omnia, demonſtrat clariſſimè, dum vocem Eer ſic facit, vt ſi conuertatur, oſtendat coniugium, vnde honor dimanat, omnibus volentibus paratum eſſe.
Ree. Nam ſi Eer retrorſum legas, Ree videbis, quod paratum, & id quod in promptu eſt, notat; à Ree/ quo ratio notatur, deriuatur, quæ omnia parat & expedit. Quid vltrà quæris? paratum eſt coniugium: accede modò, & agnoſce tantùm te nihil pulcri ex te habere, ſed & coniugium & honores inde ſecuturos prorſus tibi in promptu eſſe, modò petas. *Petite, & dabitur vobis; pulſate, & aperietur.* Quid quod ipſemet ſponſus flagrantiſſimo amore accenſus nos ambit, nos ad ſe vocat. *Venite omnes qui laboratis & onerati eſtis,*

eſtis, & ego reficiam vos. Venite igitur vocati, venite, paratus Chriſtus eſt ad nos ſibi ſociandos, paratus ad nos honorandos; & non vulgari honore, ſed illo quo Rex eam honorat, quam legitimo ſibi matrimonio iungit, & regni ſui diademate coronat. Audiuimus modò nomenclatorem demonſtrantem, omnem honorem è legitimo connubio promanare; & cuiuis hoc connubium & hunc honorem paratum eſſe, & in medio conſtitutum, vt qui ſponſum vocantem non recuſet, arripere poſſit feliciſſimam conditionē. Audiamus eadem de re D. Paullum; vt perſpici queat, an vterque ex eodem ſpiritu verba ſua depromat. *Mulieres,* inquit ad Epheſios ſcribens, *viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino; quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: ipſe ſaluator corporis eius. Sed ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto; ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi; ſed vt ſit ſancta & immaculata.* Idem paullo pòſt, ne prolixior fiam, ſi omnia recitem: *Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Videmus hic D. Paullum poſt multas comparationes matrimonij cum eo cōiugio quod Chriſto eſt cum ſua Eccleſia, tandem hoc epiphonema addidiſſe: magnum ſacramentum, magnum myſterium eſſe in Chriſti & Eccleſiæ coniugio; qua in re totus cum ſermonis noſtri artifice conſentit, qui, vt matrimonium ſacrum ſignum eſſet eius coniugij quo Chriſtus Eccleſiam ſuam ſibi iungit; vocem legitimi connubij ſic fecit, vt niſi vnius cum vna vnio eſſet, non poſſet Ee, id eſt, legitima & firma vnio vocari. & quod dictum eſt, duos eſſe in carne vna, id nomenclator auribus oſtendit, dum ex duabus breuibus litteris eiuſdem ſoni vnam litteram longam pro legitimo coniugio fecit. Quid enim aliud eſt Ee, quàm duo temporis ſpatia in vnum tempus longum contracta, & ea quidem in eodem ſono, vt notaretur è duobus vnum fieri, dum legitima matrimonij copula initur. Plumbeus ſit oportet, qui hîc non admirabitur ſummum in minima vocula & vna vocali artificium, dū ſimul vnio, ſimul vnionis firmitas, ſimul duorum corporum in vnam carnem coëuntium vnitas, vna vocali deſignantur. quæ omnia dum Chriſto & Eccleſiæ applicantur, immane eſt, quanto fiant illuſtriora. Quid, obſecro, vnionem Chriſti & ſponſæ ſuæ aptiùs queat ſignare, quàm ipſa vnitas, per eam vocalem ſignificata quæ duos breues ſonos in vnum commiſcet, & firma linguæ depreſſione ad inferius palatum & dentium radices, denotat vitæ humanæ fundamentum eſſe, vt cum origine omnis firmitatis nos cōiungamus & vniamus. Ex hoc itaque coniugio, legitimo ritu contracto, Eer emanat, id eſt, honor, Rho elemento fluxum conuenientiſſimo ſono denotante: quæ vox conuerſa nuncium adfert, quo nullus mortalibus accidere lætior poteſt. Quid enim lætius, quàm nobis dici, tam diuinum honorem, quo nullus maior, atque adeò qui ſolus & vnicus honor eſt mortalium, omnibus ex æquo paratum eſſe? Non ſpectari formam, non diuitias, nō genus, non patronos, non clientes, non facundiam, non aliud quidquam quod commendare poſſit. Omnibus paratum eſſe citra diſcrimen. Accurrant pauperes, claudi, turpes, blæſi, quales quales tandem, ſcabioſi, vlceribus fœdi, toti denique tabo obſiti, & putreſcentes, atque fœtentes; omnibus æquè nuptiæ paratæ, omnibus idem honos exhibendus. Vide quàm immenſis ſpatiis hic honor diſſideat ab honoribus illis, qui quamuis veri honores non ſint, pro ſummis tamen honoribus habentur. Num hi parati ſunt & expoſiti omnibus, perinde atque ille? Scilicet. Paucis conferuntur, & id quidem non vltrò, aut gratis, vt ille; ſed ingentibus laboribus, nocte dieque corpus & animum affligentibus; ſummis moleſtiis, maximis difficultatibus, longiſſimo temporis diſpendio, intolerabili patientia ſunt emendi: & quamuis hoc tam incomparabile pretium offeras, omniaq; præſtes quæ humanis viribus fieri poſſunt; non tamen certus es, an ſis conſecuturus quod tanti licitaris: an potius, quod frequentiſſimè accidere ſolet, atque quotidianum eſt ſpectaculum, omni impenſa curarum, & laborum immanium pretio adnumerato, tantundem ſis accepturus, ac ſi nihil prorſus egiſſes. Contemptis ergo falſis his honoribus, velut fucatis ſcortis, magno emendis, ad verum honorem properemus, qui omnibus paratus ex æquo, neminem vnquam mortalium ſefellit. Nihil ergo dices in hac vita honorandum. Nihil ſanè, quod quidem noſtrum ſit, & penitùs humanum. At quantum in vnaquaque re, qualis qualis ea & quanta quanta, diuinæ

gratiæ inuenitur;tantum in ea honorandum, cetera negligenda, & pro nihilo ducenda. Hoc modo magiſtratus honorandus, quia à Deo datur, tametſi ſit improbus, iniquus, & tyrannicus. Sic Chriſtus ipſe Pilato dixit: *Non haberes in me poteſtatem vllam, niſi tibi data eſſet deſuper.* Eadem ratione ſanctos viros honoramus, non ipſos vt creaturas, aut diuites, aut potentes; ſed quatenus gratia Dei in ipſis eſt honore digna. Et hæc vera

Honoris diſpenſatio vera. eſt omnis honoris diſpenſatio, vt ſicut ab vno Deo omnis honor deriuatur in eos quos ſibi coniugio deuinxit; ita ad vnum Deum honor omnis referatur, & ne minima quidem pars eius humanis rebus communicetur. Porrò vt vox eer propriè & primò ſic vſurpanda; tamen vt ciuili etiam honori nomen tribuatur per analogiam ſic loquemur, vt nomen hoc Cimbricum applicemus ei potiſſimum honori, qui ab vno profluit, quod ſolùm verum, & pulcrum, & bonum. Quicquid igitur bonum, & pulcrum, & verum ex ipſius vnius participatione; id honorandum dicemus. Vel quemadmodum in vero Chriſtianorum honore dictum, illum ſolum honorem ciuilem dicemus, qui ex aliqua cum ipſo vno copula effluit. Coniungimur autem ipſi vni per rectam rationem, quam vt quiſque præſtantiſſimam habebit, ita erit maximis honoribus dignus. Hinc perſpicuum, ſolam virtutem honorandam, ceteris nihil gloriæ & honoris tribuendum; atque hoc limite totum honoris regnum concludemus. Quamobrem vt verus Chriſtianorum honor cuiuis paratus; ita ciuilis etiam honor, is inquam, qui veram primi honoris imaginem tuetur, cuiuis expoſitus eſt. Nam licet non omnibus ſint diuitiæ, non omnibus generoſi natales, non omnibus potentia, omnibus tamen honor tam paratus eſt & in promptu, quàm cuiuis eſt expeditum, vt virtutem ſequatur, vitia declinet; quod nemini mortalium, modò mentis compos ſit, Deus negauit. Honoremus nunc diuinam in nomenclatore noſtro gratiam, cui magnus ille Eccleſiæ ſponſus tantam ingenij dexteritatem dedit, vt nomen honori dederit illud, quo, licet breuiſſimè, pretioſiſſimi myſteriorum theſauri comprehenduntur, quos explicare vix multis libris vel ipſe Cicero poſſet, tantum abeſt vt nos id temerario auſu velimus attentare. Satis eſto, nos fores ipſius fani, ceu Mercurium quendam indicaſſe, in cuius adytis hæ gazæ deliteſcunt. Quamuis autem eer non tantùm vt nomen, ſed etiam vt verbum vſurpetur; dicimus tamen nonnumquam eer-do/ pro honorem exhibeo; quam vocem Hebræi videntur

γέρας. peruertiſſe in חֵרַר; Græci ex ge eer/ id eſt, exhibeo honorem, videntur γέρας accepiſſe.

ἦρ. ἔαρ. Græcis item Ver, ἦρ vocatur, quod deinde in ἔαρ ſoluitur; quod ex noſtro ſermone du-

Erigone. cit originem, quia nimirum tempus vernum totius anni honor videatur. Hinc ἠεργόνη, quæ Ver parit omnium ſeculorum, virgo videlicet pariens Chriſtum, honorem, vt do-

Ver. cui, totius generis humani. Ver inde Latinis veniſſe facilè crediderim, ſolius Digam-

βῆρ. ma acceſſione, niſi apud Iones βῆρ vocari Varro annotaſſet, quod à weer noſtro deſcendere videtur, quo temperiem aëris indicamus, à ber ſiue bar, quod eſt parere & producere, eo quòd varia aëris temperies varia producat, quod pro prima parte anni, qua noctes di bus fiunt breuiores, per excellentiam dicitur: quoniam ea plurima pariat, & in lucem proferat: quam non malè beer/ Iones nuncupabant. Iam quia temperies aëris

Weer. ſemper redeat, weer pro iterum ſiue rurſum vſurpatur. Eſt & alia etymologia in weer/ quæ primam litteram non ex vicino Beta, quod eſt in baer, ſed ex origine ſua petiuit. Congeruntur enim plures cauſſæ ad vnius nominis ſtructuram. Quia igitur ſuauis veris temperies non ſolùm ad pariendum, ſed etiam ad cuſtodiendum quæ parta ſunt, idonea eſt; nomen weer ita factum, vt à waer fieri videatur, quo cuſtodire ſignamus. Adde Arietem etiam, primum Veris ſignum, weer vocari, à weer verbo, quod ſignificat defendo; eo quòd hic ſe toto capite defendat, ſymbolum ob id gerens humanæ defenſionis, non eius quæ manibus fit, ſed alterius, quæ in capitis & cerebri viribus conſiſtit.

Heer. Sed hæc alterius loci. Quòd ſi ipſi eer H præponamus, eum notabimus, cui honor eſt aſpiratus de ipſius litteræ natura; quamquam he & eer coniuncta altum honorem exprimunt: quæ ratio eódem tendit; quia is cui honos afflatur, honore exaltetur. Latini ab

Herus. heer Herum fecerunt; quo nomine quid dicant, parum intelligunt. Certè Herus de origine ſua longo tempore pronuntiandum fuiſſet, atque pro eo ponendum, quem honorandum putamus. Primum itaque illi nomen hoc tribuendum, cui honor debetur omnis, qui eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Hinc nos ons Heer dicimus, pro Deo,

Oſiris. quaſi Latinus diceret, noſter Herus. Ex ons Heer Oſir fecerunt Ægyptij, vnde, quis

Oſiris

Oſiris ſit, clarum euadit. Græci ἥραν Deam honoribus præſidentem vocant, quam Iu- *Hera, ἥρα.*
nonem dixerunt Latini, quaſi iun-hoot/ id eſt, caput fauoris. Bene ſanè caput fauoris, *Iuno.*
cùm inter omnia externa bona, honore nihil ſit excelſius aut præſtantius. Latini non in Herus tantùm, ſed in Hera etiam vocalem corripiunt, contra originis rationem, peccato non infrequenti. Sic Ennius à Cicerone laudatus, *Vóſne velit, an me regnare Hera quidue ferat ſors Virtute experiamur.* Cùm Iuno regnorum præſes ſit, non dubito, quin poëta eam hic Heram vocarit; Iouem, ſi res ita tuliſſet, Herum vocaturus, à quo omnis honor profluit, & in quem omnis honor referendus. Honorabile certè nomen, & magnificum, quod à Budæo etiam video regi ſuo attributum, crebróque repetitum, dum cum ipſo de philologia ſuauiter φιλολογεῖ, ſiue philologizat, vt ad colloquij titulum alludam; quem crediderim à Germanorum quopiam, in quorum ore vox hæc aſſiduè verſatur, etymologiam intellexiſſe, atque ob id lubenter ea vſum eſſe in rege appellando. Domini nomen longè aliud notat, nec vllo modo ad Heri dignitatem aſpirat. Sicut apud Cimbros non vna capitis eſt nomenclatura; ita non vna ipſius domus. Angli *Domus varia*
hom dicunt, nos huis/ vtrumque tamen ab hu: illud quidem ab hu & om/ id eſt, vndique *nomenclatura apud Cimbros.*
cuſtodiens, & defendens circum circa; hoc ab hu-is/ quo ſignificatur cuſtodiam eſſe atque tutelam. Vtroque certè vocabulo vſus ipſius domus egregiè explicatur. Heim aliam *Hom.* *Huis.*
ſignat notionem, ab ei & em cum adſpiratione, qua intelligimus domicilium vndique *Hu.*
ſeparatum ab aliis & ſolitarium. Ei ſolitarium, cui præpoſita adſpiratio, & M adiectum *Heim.* *Ei.*
facit heim: quod ſi vt verbum vſurpetur, eſt idem quod circum ſepire, & rem propriam & ſolitariam ſibi reddere: vbi aſpiratio laborem ſiue actionem, M retractionem, qua res in ſe ſolam refertur, deſignat. Quamobrem heim pro domo ſolitaria, quales ſolent eſſe Germanorum, Tacito teſte, ponetur. Iam het hom cum articulo contractum, & capite truncatum, more noſtro, facit thom/ & lenitatis cauſſa, media littera poſita pro aſpirata, dom/ qua voce noſtrates per excellentiam pro domo Epiſcopi & Canonicorum *Dom.*
vna circa templum habitantium vtuntur; ad eam nimirum formam, qua Epiſcopus pro ſummo Sacerdote, & paſtor pro concionatore vſurpatur. Græci olim pro præcipua templi parte dom dixiſſe credentur, ab eo qui ſciat, πρόδομον templi partem vocari, quæ eſt ante ſedem ipſius numinis: ὀπισθόδομον alteram partem, quæ poſt eandem cellam eſt, vt Varro prodidit. Non mirum itaque nec nouum, dom pro primario templo nobis hactenus in vſu eſſe: quæ vox tam eſt antiqua, quàm Curetum, & Cori; nec minus quàm hæc, noſtras. Hinc Latinorum Domus, & δῶμα Græcorum: vbi rurſus aliud tem- *Domus.*
pus apud Latinos, aliud apud Græcos videtur. quod addo, quo frequentia tandem *δῶμα.*
eiuſmodi leuium variationum omnem tollat ſcrupulum & hæſitationem in originibus quærendis. Nunc ergo dom-men ſiue dom-min is erit, qui domum ducit ſiue gubernat; ita vt idem ſit Dominus, quod domus alicuius rector & gubernator. vbi cernas, nihil *Dominus.*
tyrannicum, nihil ab humanitate alienum hac voce ſignari, tametſi tandem, dum ſerui crudelius à dominis tractari cœpiſſent, ex libidine magis, quàm recta domus gubernandæ ratione, ſæuientibus, factum eſt, vt Domini nomen inuiſum redderetur, quaſi nemo Dominum agnoſceret, niſi eius ſeruus eſſet: cùm tamen liberi omnes æquè atque ſerui dominorum ductum ſequi debeant. Ignobilius profectò eſt, & longiſſimo interuallo nomen Domini ab Heri dignitate ſeiunctum: cùm hoc honor, ſummum bonorum extrinſecus aduenientium, denotetur; illo dumtaxat quauis cuiuſuis domus gubernatio. Verùm cùm totus mundus magna quædam domus ſit; non eſt abſurdum, Deum Domini nomine vocare, tanto ceteris omnibus ſuperiorem, quanto totus mundus quauis alia domo maior eſt & præſtantior. Græci δεσπότην dominum dicunt, quo *δεσπότης.*
domini in domo regenda ſcopus indicatur, ſi ad natalium rationem vox examinetur, die-ſpoet enim is eſt, qui & ipſe ad rei familiaris incrementa diligenter contendit, & alios, vt idem faciant, incitat. Dien enim eſt increſcere, & promoueri ad meliora: Spoet verò *Dien ſiue*
eſt diligens & matura rei expeditio: vnde voorſpoet expeditus ſucceſſus in rebus omni- *Dien.*
bus. Alij ſpueden pronuntiant: è qua voce, tranſpoſita diphthongo, σπεύδω Græcorum. *Spoet.* *Voorſpoet.*
Accedit & altera ratio ex diet/ pro opere & re ipſa quæ fit, qua vocula Angli vtuntur fre- *σπεύδω.*
quentiſſimè dicentes, tis tru in diet/ id eſt, verum eſt reapſe, ſiue vera eſt oratio, ad ipſum opus, ſiue id quo fit, examinata. Hac itaque notatione diet-ſpoet is eſſet, qui operi accelerando & maturando inſtaret. Dominus ergo ſiue familiæ gubernator tum demum

deſpotæ nomine dignus eſt, cùm rei familiaris incrementa accelerat, & facit vt opera omnia domeſtica diligenter maturentur. Nec mireris, ex die-ſpoet de-ſpot fieri, cùm Græcos diphthongis Ie & Oe ſcias carere. Diu Grammatici omnes ſuas ſchedas euoluent, diu omnia ſua ſcrinia excutient, priuſquam quicquam ſani de Deſpota perueſtigare poſſint. Latinus in promptu haberet dicere, Dominum eſſe, qui domum minat, ſiue familiam gubernat & ducit; quod ſi Varro dixiſſet, non potuiſſem non laudare: ſed vlterius quæſiuiſſem, vnde Domus & Mino in Romanam veniſſent ciuitatem: quod interrogatus, reſpondiſſet, Domum à Græcis, & fortaſſe Mino ab Vmbris, vel Etruſcis, vel Oſcis veniſſe; vlterius nihil habiturus, quod ad cauſſas ſignificationis pertineret. Κύριος & κοίρανος eiuſdem ſunt & originis & notationis, vt cùm vtrumque à keuren ſiue koren dicatur, quod eſt eligere; quo fit, vt magiſtratum à populo electum hæ voces deſignent. Apud Hebræos שַׂר & שָׂרָה mihi ſic facta ex heer videntur, vti ex hal fit ſal/ adſpiratione in ſibilum mutata: quod non Hebræi tantùm, ſed vetuſti etiam Galli fecerunt, pro Hero maioris dignationis ſire dicentes, quod Angli apertius oſtendunt, dum pro Heer Ser dicunt. Hinc Hebræos verbum ſuum, quo dominari ſignificatur, accepiſſe dicemus; niſi nobis cauſſam reddant veriſimiliorem: & vt magna eſt, nulla neceſſitate cogente, confuſio litterarum, per Samech etiam סֶרֶן pro heeren dicunt Chaldæi. Verùm tempus eſt vt ex hac canina littera commigremus. Sed pænulam retrahit vocabulum, & moram iniicit, de cuius ſignificato maxima celeritas expectari debuiſſet. Dixi, quid ne/ quid er/ quid her/ quid eer/ quid heer/ quid Dz/ quid Nu/ quid alia his vel cognata vel contraria notarent: nunc Nu rogat, ne ſui obliuiſcar. Nij equito notat, fluxum nimirum cum facilitate, & cita & facili ipſius Iota penetratione. Ab hoc ternarius numerus nomen eſt ſortitus, dum Dzij pro Doz-rij/ quod eſt celeriter penetrare, dicimus. Eſt hic numerus Spiritui ſancto ſacer; eo quòd eius vnitate ternarius terminetur atque formetur; quæ tota conſiſtit in tanta penetrandi omnia celeritate, vt nulla mentis acies, nulla celeritas eam aſſequi poſſit. Ad huius vim Virgilius reſpexit:

κύριος. κοίρανος. Keuren ſiue Koren. Sire. Ser. Nij. Dzij. *Ternarius numerus Spiritui ſancto ſacer.*

Principio cælum, & terras, campóſque liquentes,
Lucentemq́, globum Lunæ, Titaniáque aſtra
Spiritus intus alit, totamq́, infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

De hoc ſpiritu locutus eſt Moſes, dum dixit: *Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, id eſt, omnes aquæ, ſiue abyſſi, ſiue materiæ minimas particulas & atomos, vi ſua penetrabat; quo eſſentiam & vitam omnibus penitus inderet atque inſinuaret. Sicut enim à patre omnia, & per filium omnia; ita in Spiritu ſancto omnia, ſi rectè illud D. Paulli examinetur, *A quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*; quibus verbis deſcripſiſſe videtur Trinitatem. Meritò igitur per omnia penitus ferri dicitur, in quo ſunt omnia.

HER-

HERMATHENÆ
LIBER VIII.

A Littera canina & fluxum notante, tranſeundum ad ſibilum, *S litteræ ſymbolica ſignificatio.*
qui vt aſpiratione ſimplici vehementior eſt, ita auget etiam notatio-
nem. Hinc nomen Es/poteſtatem ipſius Vnius exprimens, idem eſt *Es.*
quod Eſt; quod ſibilus vni quaſi ſpiritum vehementem addat, per
quem eſt. Extenſio enim & magna ſpiratio per ſibilum ſignificata,
eſſe ipſi Vni addit, & vitam, & quandam ingentem ſpirationem, per
quam omnia eſſe accipiunt. Ex Es, Is alij faciunt: illo Flandri, hoc *Is.*
nos vtimur lubentius. Hinc Iſis, quaſi dicas, Eſt Eſt, Virtus Dei. Reſtat hinc ἴς apud *Iſis.* *ἴς.*
Græcos, pro vehementia: quam vocem Homerus elegantiſſimè ventis vehementi flatu
ſibilantibus attribuit. Latini Digamma Æolicum addiderunt, quo latior adhuc vehe-
mentia ſignificaretur, Vis pro ἴς dicentes. Hinc fit vt S interiectum vehementiam quan- *Vis.*
dam & vim addat: vt Vat apprehendo, Vaſt eſt idem quod firmiter retentum, quaſi di- *Vat.*
cas magna vi comprehenſum. Subeſt & alia notationis cauſſa in vaſt, vt ſit à veſt, quod *Vaſt.* *Veſt.*
ſignat firmare, ceu dicas, latè eſſe concludit atq. connectit, Tau ipſi Es vinculum inii-
ciente, & V ipſius eſſe latitudinem notante. Hinc Veſta dea, quæ rebus firmandis præ- *Veſta dea.*
eſt, quæque ipſam eſſentiæ latitudinem alligat, & conſeruat. Hanc Græci ἑςίαν dicunt, *ἑςία.*
Digamma in aſpirationem mutato. Quia autem ignis cæleſtis perpetuò in orbem volu-
mine omnia conſeruat; Veſtam perpetuo igne coluerunt, rogantes eo ſymbolo, vt Deus
perpetuum calorem in omnibus conſeruaret, atque in iis firmiter ligaret. Templum ei
rotundum fecerunt, ad æternum calorem, quem rotundi cælorum orbes perpetuo ſuo
volumine conſeruant, denotandum. Deinde ad firmam rerum ſtabilitatem, rotunda fi-
gura, in qua nullæ partes extant, vltra alias eſt accommodatiſſima. Senarius autem huic *Senarius numerus Veſtæ ſacer.*
ſacer, Ses dicitur, duabus rationibus concurrentibus: altera à Set/quod eſt pono &
colloco; quia rebus omnibus in eſſentia locandis præſit: altera à ſo-es/& hinc Ses/quod *Ses.*
eſt idem quod ad eſſentiam ſiue ad ipſum eſſe. Senarius enim materiam & formam
colligans, è duabus rebus vnum conſtituit, quod ad eſſe per ſibilum ſuum refert; qui
quid aliud eſt, quàm ſpiritus eſſe per omnes perferens creaturas ipſius ternarij proxima
imago. Et quia tota rerum eſſentia huius numeri ſpiritu quodammodo animatur, &, vt
ſic dicam, actuatur; rectiſſimè geminus ſibilus ipſum E, quod eſt Vnius nota, compre-
hendit. Præterea vt propius, aut potius adamuſſim Veſtæ vires exprimeret; ita nomen
factum eſt, vt ſit circulare, ſine omni diſcrimine, vel prorſum, vel verſum legendum. In
angelicis ordinibus tertius, poſt primum ternarium ipſi Deo per tres hypoſtaſes tribu-
tum, Thronus dicitur; cuius vocis notio cùm ſedem Dei ſignificet, ſiue vinculum ro- *Thronus.*
tundum; egregiè cum Veſta & nomine ſenarij quadrat, quod à collocando ſic dicitur,
vt Seſſel idem ſit quod thronus in vulgari loquendi conſuetudine, pro quo alij Setel *Seſſel.*
dicunt. Deriuatur enim Ses à Set, quod eſt colloco. Quæ verò ſumma eſt, ſuprema *Setel.*
& prima collocationis idea? Illud ipſum quod in creaturis ſupremam Dei imaginem
abſoluit, quod munus & Veſtæ, & Senario, & Throno dico conuenire. Addamus & il-
lud plurimi momenti ad multa intelligenda futurum, huius primi ternarij varia ſym-
bola hieroglyphica fuiſſe, pro eo ac variæ eius ſunt & conſiderationes & nomenclatu-
ræ. Ipſa certè notio, qua omnia in eſſentia in hoc primùm collocantur & ſtabiliuntur, *Terra elementum, deorum ſedes.*
effecit, vt inter elementa terra hieroglyphicum eius ſignum eſſet, quòd hæc inter ele-
menta ſola ſtabilitatem & firmitatem perpetuam ſeruet. Timæus Locrus, doctiſſimus
Pythagoræ ſectator, Terram ſedem deorum eſſe dixit: quod ſi de hac terra in qua viui-
mus, aut potius morimur, dixit, prorſus aberrauit, cùm nihil minus ei quadret, quàm vt
Dei thronus dicatur. Audiuerat, Terram deorum ſedem eſſe; ſed male id huic immo-
bili corpori accommodauit, non intelligens, id de illo omnis eſſentiæ firmamento dici,
cui ſenarius dedicatur. Quia porrò audiuerat, Terram omnium eſſe antiquiſſimam,
nec videret, quî nam id veritati conſentiret; adiecit, antiquiſſimam eſſe non totius vni-
uerſitatis; ſed corporum dumtaxat quæ ſub cælo ſunt; quod Plato eſt imitatus, ſed vter-
que deceptus. Peruenit etiam ad Platonem cæleſtis terræ cuiuſdam notitia, ſed eam
non

non aliud putauit, quàm cæleſte huius terræ exemplar: cùm terra illa quæ ſedes eſt deorum, non terræ tantùm, ſed totius vniuerſitatis complectatur ideam. atq. idcirco etiam à Pythagora ζηνὸς πύργος appellatur, & ζηνὸς φυλακή: quorum hoc primæ ſecundi ternarij vnitati, illud ſecundæ conuenit; quas duas vnitates ſenarius noſter connectit atque confirmat. Senarius igitur ſiue terra hieroglyphica ſumma cuſtodia eſt, & ſumma Iouis arx in qua ſedet, veſtigio clariſſimo Trinitatis impreſſo. Videmus itaque, quanta arte tribus his litteris S, E, T, vſus ſit ſermonis noſtri auctor; in quibus S vim patris omnia efflantis, E filij, patris flatum opificio ſuo firmantis, T ſpiritus ſancti totum colligantis perſonam depingit tam viuis vocum coloribus, vt haud inuenias in omni linguarũ vniuerſitate, quo ſignificantius rem quampiam repræſentes. Ses ergo numerus nomen à Set ſortitus Veſtæ ſacer, quæ mutato Digamma in adſpirationem, vt ex Felena fit Helena apud Græcos, & ex *Fablar Hablar* apud Hiſpanos, Heſtia dicta eſt. Qua porrò de cauſſa Ses rotundum eſt vocabulum, & ſenarius circularis & perfectus numerus, & Veſtæ rotundum templum datum; eadem de cauſſa primus hic rerum omnium creatarum ordo Thronus eſt vocatus, quod vocabulum ſcio apud Athenæum à θρήσασθαι deriuari: ſed nec formatura reſpondet, nec ſic Græcorum proprium eſt, vt non & apud nos in communi loquendi conſuetudine verſetur. Prima certè ſignificationis ratio ſoli ſolius Dei ſedi conuenit, quam ipſe ſibi cælum eſſe dicit: cui Lyricus Hebræus diuino inſtinctu concinit, dicens, Dominum ſibi ſedem in cælo paraſſe. & alibi dicit, Deum filio ſuo thronum paraſſe in ſæculum ſæculi, vt D. Paullus interpretatur. Quid? an Deo ſede opus eſt, vt ſedeat? Minimè gentium. Quomodo ergo ſedere dicitur? Vti Rex quiſpiam terrenus ex alta ſede ius populo ſuo dicit, & hos honorat, alios punit, & omnia conſilio iuſſuque ſuo diſponit & gubernat: ita Deus non cælos tantùm & terram, ſed omnes creaturas tam ſpiritales quàm corporeas nutu ſuo regens, in altiſſima poteſtatis ſuæ arce dicitur ſedere; quàm cælum, quia altiſſimum, vt teſſera quædam hieroglyphica in ſacris litteris deſignat; cui terra deinde, quia infima, præbet locum ſcabelli; eo quòd à cæli ſupremo ad centrum terræ omnia & ſingula diſponat atq. moderetur. Verùm is qui Throni nomen fecit, altius aſcendit, cùm Tron à Ter-ron, ſyncoptôs Tron, dicatur, quod eſt calcationis rotundum: vbi exoche poſtulat, vt ſummus calcans, & ſummum calcatum, & ſummum etiam rotundum intelligatur. Num igitur cælum eſt ſummum? Nequaquam. Quid altius? Spiritales orbes angelorum chori. Quid in his altiſſimum? Primus eſſentiæ ternarius primam Trinitatis ſimilitudinem impreſſam habens. Quis hunc calcat? ipſe Deus trinus & vnus; eo quòd totus hoc toto ita ſuperior ſit, vt homo calcans eo quod calcat, altior eſt. Cùm enim omnis creatio per ternarium deſcendat, cùm vis hypoſtaſeon ad omnia creanda neceſſariò cõcurrat, quia illæ reapſe ſeiungi minimè poſſunt; firma collectione concludo, ſenarium ſupremam ſedem eſſe in qua Deus dicitur ſedere; propterea quòd nulla creatura ſit inter hunc ternarium quem ſenarius abſoluit, & eum ternarium qui hypoſtaſes numerat. In ſenario enim prima imago Dei elucet, ad hypoſtaticum numerum expreſſa & perfecta, formam & materiam colligans, ſiue potius actum & potentiam. Huius ideæ imago, ſiue, vt vulgatius dicatur, huius intelligentiæ vis & poteſtas in ſupremo cælo cernitur; quod quia rotundum eſt & orbiculare, & omnibus numeris perfectum & abſolutum, oportet & ipſam ideam huius rotunditatis in ſe exemplar habere: atque inde confitendum, huic intelligentiæ neceſſariò eum numerum tribuendum qui & ipſe ſit circularis atque perfectus. Hunc videmus ſenarium eſſe qui circulo in ſe reducitur, & totus ex totis ſuis partibus abſoluitur, ita vt nihil vel deſit vel ſuperſit: quod admirationis incomparabilis myſterium nomenclator ita vnius ſyllabæ vocula expreſſit, vt haud ſciam, an ex Dionyſio Areopagita & omnibus antiquis ſcriptoribus plus lucis, quàm ex ea queat adferri, ad totum primum intelligentiarum ordinem rectè & conuenienter priſcæ Theologiæ examinandum. Fateor equidem me non parum aut oſcitanter in his arcanis verſatum eſſe, & adiiſſe plurimos tum viuos tum mutos magiſtros; ſed fecit vel craſſa ingenij mei ruditas, vel illorum obſcuritas, vt nihil certæ aut ſolidæ eruditionis antè affulſerit, quàm Cimbricos meos numeros & eorum nomina diligenter iterum atq. iterum excuſſiſſem, quorum monitu, quidquid inueni, me fateor inueniſſe. Diuinum interim Areopagitæ ingenium demiror & exoſculor, & tanti facio, vt nõ in alio, poſt Apoſtolos, tantum

SET, trinitatiſ myſterium.

Sedere quomodo Deus dicatur.

Thronus vnde dictus.

Senarius numerus ſuprema eſt ſedes in qua Deus ſedere dicitur.

tantum enthuſiaſmi & Palladiæ ſublimitatis credam inueniri poſſe. Quis te, Dionyſi, hos Angelorum choros docuit? quo vſus præceptore tam excelſa, & ab omni cognitione humana remota perſpexiſti? quis ante ætatem tuam tam accuratam cæleſtis exercitus diſponendi prodidit doctrinam? Non certè Hebræi, apud quos ne nomina quidem plura ordinum quàm duo inueniuntur; cùm reliqua principum quidem ſint Angelorum, at minimè claſſium diſtinctarum. Profectò vix ab ea poſſum diuelli opinione qua hactenus exiſtimo, à D. Paullo in tertium cælum rapto hos tres Angelorum ternarios fuiſſe reuelatos; non illos quidem in vulgus, ſed apud ſuos Apoſtolicæ gratiæ ſymmyſtas: atq. adeò ægrè quis mihi perſuaſerit, aliud tres cælos apud ſingulare electionis vas eſſe, quàm hos tres ternarios, per quos, velut per tres idearum ſcalas in vnam ſcalam, & vnius ſcalæ ardentem apicem deſinentes, ad ipſam Trinitatem tam propè peruenitur, vt ne angelicæ quidem mentes fieri poſſint propinquiores: quam intelligentiam in numeris & numerorum nominibus, nullius præceptoris ductu, deprehendi: & idcirco, ſi quis meliora certioraque ſciat, ab eo cupio doceri. Sed quorſum rapior? Alibi his locus dandus, quando eorum latitudinem & profunditatem huius libri anguſtia excludit. *Cæli tres apud D. Paullum.*

Quoniam ergo demonſtratum, primum creaturarum typum à ſenario abſolui; rectiſſimè nomenclator à ponendo collocandoque ipſum nuncupauit. Sedet enim in ea Deus, velut ſigillum quo ſignamus, ſedet in ipſa cera imaginem recipiente. Quòd ſi comparatio quæratur, omnes ordines oculis ſubiiciens; adferatur typographia, in qua chalybei ſtyli extantes litteras habentes primas aliarum litterarum ideas, Trinitati, ſi fas eſt, conferantur. Hi valido niſu primam ſui imaginem imprimunt ſolido ferro, in ipſo ferro ſedentes, veluti maſculus inſidet matrici; à qua re matrices quoque litterarũ nominantur. E matricibus exeunt ſtanneæ litteræ, ab his litteræ chartis imprimuntur, in quibus chalcographicus ordo finitur, angelico ternariorum proceſſui comparatus: & quemadmodum nos è litteris chartæ impreſſis omnem cognitionem per oculos accipimus; ita ab angelicis ordinibus mens noſtra diuina notitia informatur. Senarius itaque matricem abſoluit, integra iam creantis trinitatis imagine ſuſcepta; atque inde Thronus dicitur, in quo Trinitas primam ſedem characteris ſui rerum formas imprimentis collocauit. Hebræi pro Ses Siſa dicunt in maſculino genere, & Ses in feminino. Chaldæi pro Ses Set: in quibus Siſa & Set circularem perdunt figuram, vt facilè agnoſcas hæc vocabula à noſtro Ses profluxiſſe, in quo genera non diſtinguuntur, & integra rotunditas conſeruatur, vnà cum Trinitatis imagine in numero litterarum. At diceret quis, Hebræos ſuum Siſa & Ses à שות vel שַׁתַת habere, eoque hac parte in ære noſtro non eſſe. Contrà dico, non illas modò voces, ſed hæc etiam verba è lingua noſtra profluxiſſe, tametſi, vt pleraque omnia cetera, ſint corrupta. Set nobis pro colloco & pono eſt in vſu, quod primùm Trinitati omnia in primo ternario collocanti conuenit, à qua imago collocantis in ſes, vt in ſuprema creatura manens, nominis dedit cauſſam. Noſtratem autem hanc vocem eſſe, analogia formaturæ conuincit, eo quòd ſit ichnæa, per veſtigia nos ad id ducens quod à Set efficitur. Set Tes facit, quo ſignificatur accepit eſſe. Sic enim dicimus, Tes gemaect/ tes gedaen/ & reliquis omnibus præteritis perfectis paſſiuis. Conuerſio itaque in Set oſtendit, quid Trinitas collocans præſtiterit, ipſam videlicet primam, ipſius quod eſſe accepit, ideam, ſiue ipſum eſſe ab alio procedens: quam intelligentiam tertiæ perſonæ præteritorum perfectorum in verbis paſſiuis oſtendunt, quæ omnia per Tes exordimur. Iam præterea ipſum Tes ſimplex non eſt, ſed compoſitum: atque id rurſus gemino modo, & gemina conſideratione. Tes enim ſemel ſolutas in Te es, quo ſignificatur ad ipſum quod eſt: quæ notatio demonſtrat, per hanc ideam omnia alia ad ipſum Ens referri atq. deduci, vti per ſupremum apicem creaturarum. Rurſus Tes ſic intelligi poteſt, vt ſignificatio eius oriatur ex natura litteræ T, & ipſius Es: qua via reſolutum, idem dicet quod vinculum entis; quod quid aliud eſt, quàm idea hac prima rerum omnium, ſine omni medio à Deo impreſſa, omnem rerũ eſſentiam colligari & inter ſe & cum Deo. Atque hinc eſt, vt huic numero hieroglyphica figura ſit vinculum, quod alibi explicabo. Ex hoc itaque cauſſa intelligitur, cur ſenarius coniugio ſit dedicatus: & hinc vlteriùs cognoſcas, cur Veneri ſacer. Cùm enim docuerim, omnem honorem, & per conſequens, omnem venuſtatem noſtram è coniugio legitimo manare, ſitque Venus pulcritudinis dea, ipſique etiam amori coniugali præſit;

Typographica coparatio.

Set.

Tes.

Senarius numerus coniugio eſt dedicatus, & Veneri ſacer.

præſit; quid, quæſo, aptius conuenientiusque, quàm numerum coniugij huic deæ conſecrare: quippe per quam coniugium inter Deum & Eccleſiam eſt redintegratū. Sextus igitur dies Veneris eſt, quo die coniugium eſt contractū, & omnis honor & pulcritudo mortalibus à Chriſto afflata. Eat, qui volet, aliò quæſitum eiuſmodi vocum & rerū concentū; & vbi multùm laborarit apud Cabaliſtas, tandē expertus clamet, pro theſauris ſe carbones inueniſſe. Illi litteras numerāt, & verba variè conſcindunt, litteras tranſponūt, nulla habita ſignificationis vſitatæ ratione. nos ne latū quidē culmum ab vſitata loquēdi cōſuetudine recedimus, nec quidquā cōſideramus quod nō ſit apertiſſimæ apud omnes noſtrates notationis: & in hoc tā claro examine omnia myſteria veteris Theologiæ, ſiue fabulis ea ſit, ſiue numeris, ſiue hieroglyphicis ſignis conſignata, reuelantur. Demiror quis Pythagoram docuerit, vt ſenarium ſecundum coniugium vocaret; quod cum tamen feciſſe, Ariſtobulus auctor eſt, cùm & religionis veræ, & ſermonis noſtri eſſet ignarus: niſi fortè, quod ſuſpicor, ex Abari Scytha id genus hauſerit arcana. Cernite quanto ſpatio Dei ſedem ſupra omnem corpoream naturam nomenclator extulerit, dum à Deo dicit ſupremum rotundorum calcari: quo aliud intelligere non poſſumus, quàm id cuius ſenarius inter numeros ſymbolum eſt. Dicet quis: Cur igitur Seraphin non dicitur Dei ſedes? Quia non integram Dei ſimilitudinem gerere intelligitur, ſed eam dumtaxat quæ paternæ perſonæ reſpondet, ſicut Cherubin filij typum refert. At ſenarius vtramque vtriuſque hypoſtaſeos perſonam colligans, & totam Trinitatis ſpeciem accipiens, ſupremum rotundum eſt, ex vnitatis binarij ternarijque ideis vnum orbem conſtituens, id eſt, ſimilitudinem primam & abſolutam ferens ipſius Trinitatis, ſub tribus perſonis diſtinctè in ipſo & adæquatè comprehenſis. Vnum enim, duo, & tria ſenarium integrum abſoluunt atque æquant. Hoc eſt tertium cælum, ab infimo numerum exordiendo, voce pro rotūdo ſupremo, non corporeo, ſed ſpiritali accepta. Thronus ergo ſupremū eſt ſupremæ calcationis rotundū, quod duos inferiores cælos, ſiue angelorū ordines, cōprehendens, aliquādo dicitur Terra; quia Deus thronū hunc, perinde atq; homo

Terra vnde dicta. terrā, calcat: & dicitur alioqui Terra etiā à Ter/ quod eſt calco: ita vt Thronus & Terra ab eadē radice pullularint. Hinc nūc perſpicuū, quæ terra antiquiſſima ſit deorū dicenda, & qua de cauſſa. Ad hunc ferè modū in Odis Dauidicis legimus: *Credo videre bona Domini in terra viuentiū.* Et alibi: *Quoniam qui malignātur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominū, ipſi hæreditabunt terrā.* Hìc Terram pro cæleſti patria intelligimus, cuius hæreditas ſtabilis eſt & perennis, ad quam per eius mortem venimus; de quo Sterf propriè dicitur, vox antè explicata. Eodem modo rurſus terram pro cælo, ſiue beatorū ſede. *Quia benedicentes ei hæreditabunt terram, maledicentes autem ei diſperibunt.* Iterum: *Portio mea in terra viuentium.* In his tamen magis ad ſtabilitatem regni cæleſtis, quàm ad myſterium Throni cōparatio ſpectat: hoc ſaltem hinc effici videtur, vt abſurdum minimè ſit, ſi philoſophorum antiquiſſimi terram primi rerum creatarum ordinis teſſeram eſſe voluerint, tum propter ipſam ſtabilitatem, ob quam & Veſta dicitur; tum quòd Deus hoc rerum omnium faſtigium pedibus ſuis, perinde atque nos terram, cal-

Thronus. Ron. caret: de qua ratione Thronus nomen accepit. Qua verò de cauſſa Ron rotundū ſignet,

Ri. addendum Ri fluo, equito, labor: vnde Rent quaſi Ri-ent/ quo ſupremum finem in ce-

Ren. leri motione ſignamus, vt in equitando Rent de eo dicatur, qui admiſſis habenis fertur.

Renus fl. A Ren Renus, à veloce fluxu, vni Germaniæ, & alteri agri Bononienſis flumini commune nomen. A Ren præteritum imperfectum Ron, id eſt, celerrimè ferebar; à quo nomen Ron, propter rationem aliàs oſtenſam, quæ à tribus temporibus incluſis pendet, quo id notatur quod omnium eſt celerrimum. Cùm igitur rotundo corpore nihil ſit celerius, factum optima de cauſſa, vt Ron pro rotundo diceretur. Quamuis enim & aliæ ſint rationes ob quas ſupremum cælum rotundum ſit; vna tamen de primariis eſt, quòd hæc figura aptiſſima ſit à celeritate, quæ cùm ſumma ſit in ſupremo cælo, ipſum nomen à celeritate ductum, inter corpora ſupremo cælo maximè quadrabit: & ſicut hoc inter corporata omnia ſummum eſt; ita aptiſſimum ſymbolum erit ad ſummum

Ront. orbem ſpiritalium denotandum. Ceterùm vt nomen à verbo diſcrepet, Ront pro Ron dicimus: qua littera in compoſitione ipſius Tron non fuit opus, in quo o producitur, vt alterum tempus accedens ſonorum magis reddat vocabulum, & eliſæ ſyllabæ tempus cōpenſet: quod itidem in Croon factum, quod ex [illegible] fonte manat: de quo priuſquam

plura

plura dicã, aliud adferendũ luculentiſſimũ eius quod aio, Troon noſtras eſſe, documentũ. Troon Dei ſedem eſſe, demonſtratũ: cui quid ex diametro opponatur, ſi nouerimus; vna opera ſciemus, quid Noort vox verſa ſignet: quæ vocum formandarum ratio ſi hic locum ſuum habere deprehendatur, impudentis pertinaciæ ſit, negare, voces nobis vernaculas eſſe. Si Deus ſummum bonum ſit, neceſſe vt ſummum malum ei maximè repugnet: atque hinc illic ſedem ſedi Dei contrariam quærendam, vnde malum promanat. Hieremias autem, præter ceteros, auctor eſt, ab Aquilone omne malum pandendum: è quo liquet, mali ſedem in Aquilone collocari. Sed quid ego per mali veſtigia ad eius regiam pergo; cùm clariſſimis verbis Iſaias eam demonſtrarit? *Quomodo*, inquit, *cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris: corruiſti in terram qui vulnerabas gentes: qui dicebas in corde tuo, In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Verumtamen in infernum detraheris, in profundum laci.* Hæc & plura ille de Luciferi ſolio, qui pòſt Ates nomine dignus euaſit. Plurima ſacræ ſcripturæ loca his conſentiunt, quæ adducere operæ ſit ſuperuacaneæ: cùm nihil iis quæ allata ſunt, clarius eſſe poſſit. Priſcus ſiderum nomenclator, vt perpetuum in cælo huius dæmoniacæ ſuperbiæ extaret monumentum, magnum ſtellarum in Aquilone gyrum Draconem vocauit; quem ſi totum examinarem, & cum vicinis ſideribus conferrem; omnibus ad oculum patefacerem, totius religionis noſtræ ſymbola in cælo inueniri. Hic eſt Draco ille magnus, rex Ægypti & omnis idolomaniæ, cuius inſignis apud Ezechielem mentio. Hic ſerpens, cuius caput erat conculcandum à ſemine mulieris: quod inſigni teſſera in cælo deſcripſit, qui ignotum hominem in aſtris collocauit contra duos dracones pugnantem; alterum Arcticum, cuius caput pede proterit; alterum ad Æquinoctiorum circulum hominis corpus inuoluentem, cuius capiti, Tropicum Cancri verſus eleuato, & vaſto rictu hianti, clauam intentat ianuam percuſſurus. Hunc Græci ἐν γόνασι vocarunt, id eſt, in genibus; de quo alij alia, vt fit, & fieri neceſſe eſt, vbi nullo veritatis fundamento collocato, quiſque ſomnia ſua nititur protrudere & probare. Eratoſthenes tamen optimè omnium de antiquorum relatu illud litteris prodidit; hunc Herculem eſſe, Draconem interficere nitentem. Verùm in reliquis accommodandis nihil certi potuit videre, vt cui nullus eſſet radius gnomonicus, crucis ſimulacrum, quo non interualla ſtellarum, ſed imaginum cæleſtium ſignificata deprehenduntur. Duos certè Dracones in aſtris habemus, præter hydrum, quorum maior is eſt qui Vrſas inuoluit, qui ſignum perpetuum in aſtris gerit ſuperbiæ illius qua Lucifer elatus ſedem ſuam cõtra Thronum Dei in Aquilone ponere temerario auſu cogitauit. Deturbatus inde, & in terram delapſus, quæ æquinoctiorum circulo deſignatur, quòd is medius ſit inter polos, perinde atque terra, hominem inuaſit, & ipſi mala Heſperidum obtulit, alteram hic meritus figuram, quibus illectum & eorum lethali veneno imbutum ita medium complexus eſt, vt eius firmiſſimos nexus nulla manuum vi, nulla contentione euadere poſſet. Hunc hominem Ophiouchum vocant, quòd ſerpente totus medius teneatur; aptiſſimum ſymbolum hominis animi ſerpentis lethifero tabo infecti. Hunc filius Iouis miſeratus è cælo deſcendit, ſerpentem claua ſua interfecturus; cuius imago ſic eſt collocata, vt altero pede caput maioris Draconis proterat; quo indicatur Lucifer ſiue Ate, à Deo in cælo conculcata. Hac conculcata, ſecundum init certamen, magna vi connixus illo corporis poſitu, vt alterius ſerpentinæ imaginis capiti clauam intentet, quo Ophiouchum mortalium genus liberaret. Proponitur autem ingens huius certaminis præmium, corona nimirum inſignis, nouem clariſſimis ſtellis, veluti nouem flagrantibus pyropis exornata, poſita inter Herculem, caput Draconis, & Booten; ita vt huius quidem humerum, illius dextrum pedem, Draconis fauces ferè contingat. Hæc eſt coronæ illius ſupermundanæ ſiderea imago, ipſum omnium regem nouem choris ambiens. Hercules ergo ſiniſtro pede caput Draconis prioris premit, & dextro pede coronam attingit: Pedes autem ſurſum porrigit, vt ſe oſtendat è cælo ad terram deſcendere, vt cum Dracone iam cælis eiecto, cuius notam Ophiouchi ſerpens habet, ſecundum ineat certamen; atque vt antè in cælo eum vicerat, ita rurſus regnum ipſius in terra euertat. Certat ſtrennuè Draco, vt coronam gloriæ & regnum cæleſte homo numquam conſequatur. Certat contrà ſummis viribus

Troon. *Noort.* *Aquilonis plaga.* *Draco ſidus cæli.* *Religionis noſtræ ſymbola in ſideribus cæli.* *Hercules ſidus cæli.*

Bootes ſidus cæli. Hercules, ſimilis vehementer laboranti. Adſtat certamen videns Bootes, imago cuiuſuis prophetæ, ſed maximè Ioannis Baptiſtæ, qui à capite ſurſum tollitur, ad cælum videlicet è terra connitens, quemadmodum Hercules è cælo ad terram ſpectat. Bubulcus autem dicitur, quia homines, quos boues fecit ſerpentis venenum, verbo diuino paſcit, videns Herculem, coronam, & Draconem iam iam contundendum; atque homines cohortans, vt ſe ad coronam vitæ cæleſtis præparent, quam propinquam eſſe clamat in deſerto. Quid eſt aliud quod dixit: *Appropinquabit regnum cælorum*, quàm, coronam cæleſtem adeſſe, quam colliſo capite Draconis, claua crucis mox erat datura, cùm Hercules modò de cælo ad pugnam deſcendiſſet. Geniculatur autem Hercules, oſtendens ſe venire in forma eius qui planè nihil eſſe videretur: qua de re in hieroglyphico ipſius Bet ſigno pluſculum erit dicendum. Hic ſatis ſit, hoc poſitu & humilitatem, & orationem ad Patrem denotari; quibus rebus coronam nobis comparaturus eſſet. Stat Bootes ſuper Virgine, cuius fructu in vētre adhuc latitante fretus, cœpit prędicare, mox generis humani adfuturam ſalutem; ipſe etiamnum in ventre conſtitutus, in quo matri ſigna dedit ipſius Chriſti præſentis, & iam iam naſcituri. Videamus itaque in cælis imagines Virginis, Bootæ, geminam Draconis, Herculis è cælo deſcendentis, & contra ſerpentem, à quo homo medius tenetur, claua ſua pugnantis: videamus ſpicam Virginis, conferamus cum his Chriſti natalem, & cetera huc ſpectantia; & tum demum conſideremus, quanto hæc omnia religioni noſtræ magis conueniant, quàm vllis vel poëtarum figmentis, vel Grammaticorum coniecturis. Prophetico ſpiritu aſtris nomina nuncupata, imagines depictæ non quarumuis illæ quidem rerum, ſed earum, quæ digniſſimæ erant, vt cælo inſcriberentur: quas poſt profanum Græcorum vulgus iis accommodauit, quæ vel obſcuris & non intellectis fabulis eſſent inuoluta, vel pòſt multò contigerunt, quàm hæc aſtris nomina fuiſſent. Verùm hæc minimè hoc loco perſequēda: eo dumtaxat indicata ſunt, vt clarè cernamus, quæ ſedes Throno in cælis opponeretur, & qua parte illius monumentum ſiderum nomenclator poſuiſſet: quæ res vlterius ad id ſpectabat, vt apertè à quouis cerneretur, quàm nominum rationes à me explicatæ inſigniter concordent & ſacris litteris, & tabulæ cæleſti hieroglyphicis litteris pulcerrime depictæ. *Aquilo ſoliū Draconis oppoſitum Throno Dei.* Inuenimus enim, Aquilonem ſolium Draconis, eſſe oppoſitum omnino ex diametro Throno Dei; quod cùm ſciret nominum architectus, ſic Throni nomen fecit, vt cōuerſum ſedem aduerſarij indicaret. *Nort.* Nort enim Aquilonem notat, vox prorſus contraria via adeunda quàm tron. Abeant itaque in bonam rem Græci cum ſuo θρήσασθαι, à quo Throni nomen deriuare moliuntur. Ceterùm quia non ratio modò nominis in tron ad tron me deduxit; ſed ipſe etiam ſiderum poſitus, & *Corona ſidus cæli.* rerum conuenientia: non poſſum cōmittere, vt non de Corona quoq. nonnihil addam. Vidimus enim in cælo Coronam poſitam nouem ſtellis radiantē, cæleſtis vitæ ſignum; quæ nouem Angelorum choris cōtinetur, ipſum ſuum Regem trinum & Vnum triplice ternariorum orbe ambientibus. Hæc autem propoſita eſt pugnanti contra Draconem, quem ἐν γόνασι vocatum videmus. Aratus ignotum idolum vocauit, plus dicens quàm intelligeret. Hic enim Deus, cuius hoc in cælo eſt Idolum, omnibus Græcis erat ignotus, & erat cauſſa etiam laboris magni, quem ei adſcribit, ignota. Huic ara fuit apud *Corona vnde dicta.* Athenienſes, ignoto Deo conſecrata, quem D. Paullus eis demonſtrauit. Huic igitur primùm corona tribuenda, cuius nunc nomen ſuſcepi interpretandum. Croon enim quaſi rat-ron, quo cari rotunditas notatur; quæ quid aliud eſt, quàm vitæ, quæ nobis cariſſima, æternitas. Croon itaque primùm vitam ſignificat ſempiternam; deinde ea, quæ analogia quadam ad hanc referuntur. Quia autem temporum pater æternæ etiam *Cronus Deorum antiquiſſimus.* vitæ auctor eſt; Cronus Deorum antiquiſſimum ſignificat, quia is vitam præſtet æternam. Hinc pro tempore ponitur, vt Bacchus pro Vino, Venus pro pulcritudine, alij Dij pro aliis donis. Inde ad rotunda ſerta capiti impoſita tranſit, quorum notatione vitæ lætitiæque perpetuus vſus iis optatur, quibus imponuntur. Latini ex rat ron Coronam ſeruarunt. Demonſtrat igitur hæc etymologia, coronam illi primùm deberi, qui æternæ vitæ hominibus auctor eſt, qui non alius eſt, quàm Chriſtus omnium opifex, & redemptor, nos in vitam ſempiternam morte ſua vindicans; de quo D. Paullus illud Lyrici intelligendum docet: *Gloria & honore coronaſti eum.* Sic diuus Iacobus: *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam*

promiſit

promiſit Deus diligentibus ſe. Eôdem ſpectat illud Apocalypſeos: *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Sic Eccleſiaſticus: *Corona ſapientiæ timor Domini.* Rerum itaque cararum perpetuitas per Cronum & Coronam apertiſſimè notatur, ſi primos natales intueri velimus: quos ſi Pierius cognouiſſet, minimè Coronam à Cornu deriuaſſet, ſententia cornuto boue, quàm Pieriis Muſis, digniore. Quando verò inter cara nihil vita æterna carius; huius primùm notationem tum coronæ nomen, tum ſacra ſculptura habebit. Nunc quia vita æterna nemini contingit, niſi per virtutem & ſapientiam Dei, Iſidem nominatam, priſcis Ægyptiorum litteris proditum eſt; teſte Leone Ægyptio, Iſidem primam omnium ſe coronaſſe, atque id non quauis corona, ſed ſpicea; qua ſignificabatur, panem viuum, qui in ſpica continetur, & comedendum eſſe, qui velit coronari; atque adeò nihil aliud vitam æternam dare & ſuſtinere, quàm panem viuum. Quis autem eſt hic panis viuus, quo ſe Iſis coronauit? quænam ſpicæ panem viuum continentes, quibus caput ſuum obuoluit? Audi Chriſtum de ſe loquentem: *Non Moſes dedit vobis panem de cælo, ſed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei eſt qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo.* Et mox: *Ego ſum panis vitæ: qui veniet ad me, non eſuriet; & qui credit in me, non ſitiet vmquam.* Et iterum: *Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendẽs, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Mox deinde, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam; & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* & plura eodem capite, eôdem ſpectantia, per diuinam Ioannis gratiam accepimus, quæ tam clarè ſpiceam coronam exponunt, vt nihil videatur lucis addi poſſe. Sapientia & virtus patris, & ipſum ens ab ente, quod eſt Iſis dea, carnẽ humanam aſſumpſit, quam panem vitæ vocat; quia ad eum accedentes, & in eum credentes, & hac ratione comedentes quam ſuis diſcipulis expoſuit, alimentum accipient, non corruptibile, ſed quo viuant in æternum. Panis autem viui ſymbolum ſpica: quòd panis in eo contineatur necdum corruptus, ſed talis, vt quamuis in terram iaciatur, & in ea corrumpatur, vitam tamen non amittat; ſed auctior rurſus & pulcrior exſurgat. Sic Chriſti caro afflicta vſque ad mortem, & in terram coniecta eſt, vnde rurſus ſic ſurrexit, vt credentes omnes & ex ea comedentes à morte ſuſcitet ad vitam æternam. Spica itaq. panem viuum notat: corona regenerationis quæ per panem fit, æternam vitam ſignat, quæ Iſidis capiti ſiue ſapientiæ diuinæ impoſita eſt, quia *Verbum caro factum eſt*; vnde ſe ſpicea corona dicitur inuoluiſſe. Neque porrò vetuſtiſſimi illi noſtri maiores contenti fuerunt hoc inuolucro veritatem occultaſſe; ſed ſpicæ etiam ſymbolum in cælo pinxerunt, quam Erigone virgo ſimul & mater veris omnium ſæculorum ad feminum regionum tenet, certo indicio, ex vtero eius ſpicam aliquando naſcituram, atque id eo tempore quo ſpica hæc Virginis cæleſtis in Oriente conſpicienda eſſet. Hanc vt Græci Erigonen ab Orphicis nominandam didicerũt; ita Latini Iuſtitiam eam vocarunt, à maioribus haud dubiè Cimmeriis accepta nomenclatura. Hanc libra, Iuſtitiæ ſymbolum, comitatur, certiſſimo indicio, per virginem veris matrem, & panem eius viuum, toti generi humano Iuſtitiam aduenire, atque adeò hanc Iuſtitiæ matrem eſſe, per quam Ver ſæculorum omnium mundo exoriretur. De hac qui plura volet doceri, Cronia noſtra conſulat, & fructus reportabit non pœnitendos. Quòd ſi huc omnia quæ ad coronam ſpiceam pertinent, adferrem; nullus eſſet finis: ita omnia oracula, omnia ſymbola, omnia hieroglyphica ſigna, perpetua quadam catena inter ſe cohærent. Confer modò quæ de Meduſæ capite in Minerua ſcripſi, quæ de dracone ſub eius haſta colligi poſſunt; confer Iſidis interpretationem, & eius nauem, creationis teſſeram; & cetera, quæ longum ſit enumerare: facilè cernes, longè aliud ſub poëtarum fabulis & Ægyptiorum laruis occultari, quàm hactenus quiſquam ſit ſuſpicatus; quod totum ſe prodit recto ipſius veræ vocum interpretationis ductu. Verbum Græcum στέφω, pro corono, perinde factum, atque è Roof φὼρ, & è Loof folium, totius noſtratis vocis metatheſi, Hebræis maximè vſitata, vt à Lam אמל pro infirmus redditus ſum, & ab aliis alia quamplurima. Stefo enim, ſi terminationem Græcorum demas, Feſt erit, quod idem eſt quod Veſt, tum confinio litterarum, tum ſignificandi ratione. Eſt autem Veſt nobis,

Iſis dea ſe prima omnium corona ſpicea coronauit.

Spica ſymbolum in cælo.

Erigone ſiue Iuſtitia.

Libra iuſtitiæ ſymbolum.

στέφω.

Veſt.

quod Latinis deuincio & firmo: quo fit vt Veſt diadema ad verbum noſtratibus ſit, quod ab obligando nominatur. Verùm tanto ſignificantius Veſt pro corona ponetur, quanto propius exprimit, quàm regi præſtet poteſtatem; cùm non tantùm vinciendi habeat notationem; ſed præterea nobis ſignificet quempiam in poſſeſſione cuiuſpiam rei collocare. Corona enim ius regium confert atque confirmat, perinde atque diligentibus Deum æternæ vitæ ſtabilit poſſeſſionem, cuius cùm ſimus Chriſto regi vniuerſorum cohæredes, omnes in regnum cooptamur. Rurſus ergo videmus nos ad Veſtam venire, de Stephani nomenclatura; atque porrò eò deduci, vt ſupremus intelligentiarũ orbis non ſolùm Thronus dici poſſit, ſed Stephanus etiam, & Veſta, cùm & ſenarius huic vtrique conueniat, & circularis forma æquè quadret in coronam, atque Veſtam: deinde hoc etiam Stephani vocabulum addat, vt ſignificet non ſolùm coronam Throno Dei conuenire; ſed huic etiam primum & ſupra omnia dari firmam vitæ ſempiternæ poſſeſſionem. Fauſto ergo nomine, & diuina prædeſtinatione, is Stephani nomen accepit, qui primus fuit poſt mortem Chriſti per martyrij coronam, regni cæleſtis, quod ſibi adhuc viuus aperiri videbat, poſſeſſione firmiſſima donatus. Primus enim hic inter martyres, haud ſecus atque Thronus, primas tenet in regia poſſeſſione rerum omnium creatarum. Hinc modò perſpicuam emergere videas veritatem diuini illius Platonici ænigmatis, Dionyſio Siculo Tyranno perſcripti, quo dixit: circa omnium regem omnia ſunt, & illius gratia omnia, & illa cauſſa omnium pulcrorum eſt; ſecunda verò circa ſecunda, & tertia circa tertia. In his obſcuritatis origo ex collatione ſecundorum & tertiorum oritur, quam ſic de mea quidem ſententia explicabo, ſecurus eorum quæ aliis meliora videantur. Circa omnium regem ſunt omnia, id eſt, ipſum Deum trinum & vnum eſt Thronus, omnium rerum creatarum primas tenens; atque idcirco vocatus Omnia, quia videlicet omnium eſſentiam complectitur. Circa ipſa omnia, ſiue circà Thronum, ſiue circa hanc Veſtam, quam hîc appellat Secunda, reſpectu regis, quia nullo medio ſecundo ab ipſo loco ponuntur; ſunt ſecunda altera, quæ dicuntur ſecunda, non reſpectu Dei, à quo ſunt tertia, ſed reſpectu ipſius Throni, qui primas tenet rerum creatarum. Altera igitur hæc ſecunda quæ circa priora ſecunda eſſe dicuntur, ſunt nobis nouenario numero conſignata, qui explet ſecundum intelligentiarum orbem. Porrò circa tertia ab ipſo rege computata, ſunt altera tertia, quæ non à rege, ſed poſt Veſtam tertia deputantur, noſtratibus duodenario numero denotata, qui abſoluit tertium chororum orbem. Nam nobis numeratio per diuerſa nomina procedit tantiſper, dum duodecim abſoluat, à quo deinde ternarij nomen denarij nomini componit: quod nomenclator noſter ob eam cauſſam fecit, vt dum hoc nobis peculiare videremus, ad rationis quam ſecutus eſſet, veſtigationem incitaremur: & tandem, vario mentis diſcurſu, ad Dodecatheon templum, ſiue Pantheon, veniremus, quod tribus ternariorum orbibus primam Triada omnium regem in medio penetrali & vero adyto adorandum potius, quàm videndum, proponit: quæ, ſicut centri natura ſola magnitudinis negatione, ita ſola omnium, quæ circa ipſum ſunt, rerum negatione definitur. quod addo, vt Platonis mentem clarius intuearis, dum intelliges, templum conſtructum rotundum, cuius extremus ambitus extremum chororum ternarium comprehendat, quem tertia circa tertia Plato nominauit. Interior peribolus ſecundum ternarium intelligentiarum complectitur, qui vocatus eſt Secunda circa ſecunda. Intimus verò ambitus primum omnium rerum creatarum ternarium continet, qui, tamquam corona regium caput cingens, dictus eſt Omnia. Intra huius intimi templi ambitu prima trias rex omnium deliteſcit, & in hoc Thronum ſuum habet. Hoc templum Veſtæ, imò hæc ipſa Veſta, hic Stephanus, hæc corona regis caput circumdat: non illa quidem ornatum addens, ſed primum ornatum & ſupremam pulcritudinem recipiens, quod deinde omnibus rebus pro ſua cuique portione communicet. In hoc primum elucet vnitatis imago, in hoc expreſſa eſt regij binarij ſpecies, in hoc primi ternarij character inuenitur: e quibus in vnam coronam connexis, diuinus ille Senarius emergit, totus è totis ſui partibus conſtans, & in æternum orbem circumuoluendus: cuius prima pars Seraphicum, ſecunda Cherubicum ordinem, tertia Thronum abſoluit.

Stephanus.

Ænigma Platonicum Dionyſio Siculo Tyranno perſcriptum.

Dodecatheon templum ſiue Pantheon.

Vidimus modò verum Pantheon, in cuius intimo penetrali igneo Deum ſedere, ipſe Draco ſub Apollinis nomine confeſſus eſſe memoratur. Hoc verum dodecatheon, in

quo

quo intimi numeri ſiue primi ſolis hypoſtaſibus non eſſentia differunt, à Platone vnius regis nomine comprehenſi. In huius templi ſtructura cernas, qua ratione Pythagoram docuerit, quiſquis ille fuerit præceptor, omnia eſſe tria, & in omnibus tria inueniri: quod quamuis à Parmenidis ſententia diſſidere videatur, dicentis, omnia eſſe Vnum, & Vnum eſſe omnia; adamuſſim tamen cum ea quadrat, ſi hic de eſſentia, ille de hypoſtaſibus intelligatur. Ariſtoteles in vtroque, & Vno & Terno, vel carpendo vel applicando nimium fuit profanus, ne dicam nefarius, impius & ſacrilegus. Ex hac vetere & prima Theologia fabulæ de duodecim Diis maioribus emanarunt, in quibus variè & infinitis modis erratum fuiſſe, adeò non miror; vt contrà potius demirer, qui numerus hic integer in tanta caligine fuerit conſeruatus: cùm in ſola noſtra, & nulla alia lingua, priſca numerorum nomina, & eorum rationes, ad duodecim vſque progrediantur: & hactenus non apud doctos tantùm, ſed apud omnes iuxtà infimæ fecis homines conſeruentur. qua ſola de cauſſa, tametſi nullæ aliæ eſſent, vt ſunt infinitæ, omnibus ceteris linguis eſt præferenda; quippe quòd inde totius priſcæ & veræ Theologiæ myſteria aperiantur. Diuina benignitate factum videmus, vt ad antiquos philoſophos ſententiæ quædam à maioribus per manus acceptæ peruenerint: ſed hactenus nulla norma in vllo ſermone inuenta eſt, quæ cum religione vera conueniens eas potuerit dirigere ad veritatem. Optarem Marſilium Ficinum linguę huius peritum fuiſſe, & hæc mecum contemplatum: meliora profectò & ſaniora ad Platonis ænigma attuliſſet: quod tamen vereor ne ipſe Plato non ſatis intellexerit, vt ego fateor, me in eo, ceu in obſcuriſſima ſpecu, caligare; nec plus quàm ceteros fortaſſis videre; ſed hoc interim aliis minus errare me puto, quòd in labyrintho hoc, velut Theſeus quidam, filum ſequar; quod partim è primis linguæ noſtræ rationibus, partim ex Orphicis fabularum laruis, partim ex ſignis hieroglyphicis, partim è philoſophicis demonſtrationibus, ipſa mihi neuit Ariadne, quæ omnes omnium res, quantumuis intricatas & difficiles, ad finem *Ariadne.* deducit optatum, modò lenta feſtinatione eas aggrediantur, & aggreſſi lenta rurſus feſtinatione pergant. Eſt enim Ar ri hat ent in Ariadne permutatum, quod nomen eam virtutem ſignificat, quæ in rebus maturo conſilio aggrediendis, & lenta feſtinatione conficiendis, officium ſuum exercet. Hæc ſummi Bacchi vxor eſt, ac deinde illius etiam Bacchi, qui Sabazius dictus, arcam, difficillimum opus, compegit. Hæc filia ſummi Mi- *Sabazius Nochus.* nois, id eſt, ſummi capitis in omni ductu & gubernatione; eo quòd ex eius gratia omnis induſtria noſtra, omnis mediocritas, omnis ſcopi attactus, & voti perfectio naſcatur. Hæc non Theſeum tantùm, quiſquis ille fuerit, è fabulis malè intellectis natus, Athenarum conditor, filo ſuo dirigit; nec ſoli Nocho Sabazio ſe coniungit: ſed omnibus filum ſuum porrigit, omnibus operam offert, omnes ad finem perducit, qui modò filum ipſius arripere & ſequi non recuſant. Agamus ergo Ariadnæ gratias immortales, quæ ſummi ducis & ſummi regis filia, nos in labyrinthum duxit, in cuius intima æde ignea rex ipſe thronum ſuum collocauit, è quo ius diceret toti rerum vniuerſitati. Sed vt annulus annulum in catena trahit, ita in mentem vltro ſuccurrit, Deum in Sole tabernaculum ſuum poſuiſſe: quod quî cum noſtris conſentiat, addendum videtur: non quia omnia huc ſpectantia hoc loco perſequi velim; ſed quòd videam aliud vocabulum hîc mihi offerri examinandum, in quo litteræ quoque S natura non parum queat illuſtrari. Es nomen poteſtatis in hoc elemento idem nobis ſignificat, cuius rationem, qua *Es.* Græcus æquè in ἐςὶ, atque Latinus in Eſt caret, hanc dedi; quod vita ſiue Eſſe ipſius Vnius, per e ſignati, nulla vocis nota potius, quàm magno ſpiritu, queat exprimi; qui cùm in ſibilo audiatur, ipſum E per S vehementer procedit; & magno flatu dilatatur, quod nihil aliud eſt, quàm vnius eſſe. Idem igitur denotat es / quod Latinus diceret, Vnum difflatur. O ſi Plato hoc intellexiſſet, quàm hanc voculam fuiſſet exoſculatus! in qua mox peruidiſſet, ſic ſe Vnum ad Eſſe habere, vt Vnum quidem prius intelligatur, deinde accedat Vnius communicatio, per ſibilum, qui gemini ſpiritus inſtar habet, facta. E enim Vnum eſt; es nihil aliud, quàm Vnum ſe difflans ſiue vniens; cuius flatus Spiritus ſanctus eſt, omnia permeans: quibus tribus & Trinitas & exemplar omnium rerum creandarum explicatur. Vnum in ſe manet; flans ſiue ſibilans creat, & Vnum communicat; flatus ipſe ſanctus Spiritus eſt, patrem & filium vniens, & trinam imaginem per omnia creata deferens. Ab es ſiue is / Iſis dicitur, Ens entis, ſiue ſecunda

Vnius hypoſtaſis. Nunc ergo, quia ſibilus vehementem habet motionem, veluti ventus quidam; fit vt hac nota in motione ad aliquid vtamur: & quia omnis motio ſpiritalis, qualis eſt ſibilus, contendere debet, vt ad omnium originem adſpiret, quæ rotundam ſe eſſe per imaginẽ Throno impreſſam declarat; maxima ratione ipſi ſibilo o poſt-
So. ponimus, quaſi cum ad Veſtam ferri velimus, vt illius ductu ad originem adſpiret. So. ergo dicimus pro Ad · qua vocula tantum concludi myſterij, quis non miretur? Ex ſo &
Soen. ecn fit ſoen/ quod eſt idem ac ſi dicas, Ad Vnum feror. Significatur igitur hac voce id quod Latinus diceret, pacem concilio. O ſtupendam arcanorum altitudinem! Quò me rapis Hermathena? Non ſum dignus, vt tantum myſteriorum profanis anguſtæ & caliginoſæ mentis meæ oculis reueles. Sed ſequar te ducem; qua præeunte, nihil non audendum, quo ad eius obſcuro hominum captui fas eſt audere. Quam mihi ſummam pones, ô Dea ſapientiæ diuinæ interpres, pacis conciliandæ rationem, ob quam hoc nomen fecerit nõmenclator? Sed me ſtupidum, modò audiui. Eam nimirum ſummam ſummæ pacis conciliationem dicis, qua ad ipſum Vnum adſpiramus. Verùm qua de cauſſa conciliatio pacis ſic vocatur, non ipſa pax, quæ nos ad Vnum ducit? Vt intelligeres, & quoties hanc vocem audis, recordareris, opus tibi eſſe, vt cum Vno reconcilieris; è quo mox neceſſariò colligis, te ab Vno inimicitia quapiam aut odio diſſidere. Quærenda igitur hoſtilitas, & quæ eius cauſſa; vt cum Vno tibi ſit pugna, à quo ſeparari ipſiſſima mors eſt. Interroga igitur te ipſum, & mox inuenies, te domi bellum cum recta ratione alere; & à bono, quod Vnum eſt, ad malum perpetuò eſſe procliuem; ideóque te Mali partes ſequi plerumque in omnibus, conſcientia ipſa iudicium ferente, ex Dei tabulis, quas mente ſemper circumfers. Malum Vni contrarium agnoſco, & id ab opifice & auctore meo, qui ſummum bonum eſt, ſat video non potuiſſe proficiſci: ſed vnde proceſſerit, ratio nulla mihi dictat. Quærit Plato, quæſiuerunt ante Platonem plurimi; ſed nihil ſolidi inuenerunt. Qui proximi ſibi viſi ſunt veritatem attigiſſe, corpus noſtrum carcerem nobis eſſe exiſtimarunt, & ei animum incluſum, propter cæcam errorem, quo in amorem corporum delapſus ſit, deſertis cæleſtibus & diuinis. Sed hi egregiè ſe decipiunt: non vident, ſi animi vmquam prorſus ſine corpore fuiſſent, & ſummi boni participes, vt fingunt; non poſſe intelligi, quî ſe quiuerint à ſummo bono ſeparare. Verùm hæc difficultas multas ambages trahit errorum, ſi de humanis philoſophorum rationibus examinetur: nec quiſquam inter eos ſic Ariadnam habuit propitiam, vt vllum diſputationis ſuæ exitum inuenerit. Plato ad Dionyſium ſcribens, eandem mouit quæſtionem; ſed ſolutionem reſeruauit Archidemo coram indicandam, eo quòd ſcriptis tantum myſterium credere non auderet, ne nimirum in vulgus dilaberetur, apud quod non alios ſermones magis ridiculos eſſe dicit, quàm eos, qui de id genus altiſſimis rebus inter præſtantes ingenio & eruditione viros, ſumma cum reuerentia, & diuina quadam voluptate, ſolent haberi. Nos quid Archidemo in aurem dixerit, non reſciuimus; nec in Phædro, nec alibi, nobis ſatisfecit: hoc mihi optimè in Timæo & alibi dixiſſe viſus, ea quæ ad diuina attinent, ab iis diſcenda, qui priſcis Theodidactis proximi fuere: quod cum alibi, tum hic maximè locum habere ſuum videtur. Sunt ergo hæc à Moſe petenda, qui maiorum de hominis creatione ſententiam partim per manus acceptam, partim diuinitùs reuelatam, ſcriptis tradidit. Videamus ergo nunc, an Moſi ſermonis noſtri artifex conſentiat. Conſentit haud dubiè, dum nobis cum ipſo Vno bellum eſſe dicit. Vnde autem bellum ſit exortum, cùm Ate, Adam, ficus, nomine ſuo; tum alia plurima, quæ non eſt huius loci referre, nobis declarant. Hoc certè loco per verbum ſoen indicatur, nos contra vnum peccaſſe, & ob id opus eſſe reconciliatore, qui pacem inter nos & Vnum componat. Quis autem hic erit? Hoc idem artifex hoc nomine demonſtrat, quod exiguo ſoni diſcrimine, vix ſcriptura aſſequendo, pro filio voluit vſurpari; quaſi diceret, is pacem eſt conciliaturus, qui filius eſt. Quis filius? Quis, niſi ſummus? At hic eſt filius vnius patris æterni. Dedit igitur nomenclator filio nomen à Pace reconcilianda: vt intelligeremus, illum, qui ſummus ſummi patris filius eſt, pacem reconciliaturum nobis cum ſuo patre. Vera ergo eius nominis ratio, quo filius apud Germanos omnes tum ſuperiores tum inferiores vocatur à reconciliando, ſumpta, nos docet, ſummam ſummi filij propriam eſſe reconciliationem, quam Plato in Phædro ſuo non inuenit. Allemanni ſun ſcribunt, ipſi V O ſuperponentes, pro

Filius Dei cõciliator pacis inter Deum patre & homines.

tes, pro filio; & diſcriminis cauſſa, pro reconcilio, Sün, dimidiato o ipſi V ſuperſcripto; quod quidem faciunt non malè omnino, quando etiam pro ſo ſů dicant, vel potius zů. Nos tam exiguum ſoni diſcrimen flocci facientes, Soen pro vtroque ſcribimus, etymologiam ſecuti, quæ O & E commiſcet, vt conciliatis vocalibus in vnam diphthongum, reconciliationis modus proprius exprimatur, dum ſo, quo motus, & een, quo vnum notatur, in vnum ſonum coëunt; vbi ſo homo eſt tendens ad Vnum. Vnum verò Deus; quo rurſus nomenclator imitatus eſt modum reconciliationis quæ futura erat, Deo & homine in vnum coëunte Chriſtum, qui ſolus eſſet & filius Dei & reconciliator generis humani. O ſtupendam nomenclatoris gratiam! cui Spiritus ſanctus eiuſmodi ſuggeſſit vocem, vt ea & filium, & reconciliatorem, & reconciliationis modum demonſtraret. So autem notam hominis propriam in hoc vocabulo eſſe, etymon declarat. Huic enim ſoli conuenit ad originem ſuam toto ſpiritu anhelare, vt cetera animalia ad eſcam terrenam. Soen ergo hominem includit. ſed quem hominem? Non quemuis certè, cùm neminem inuenias ex virili ſemine natum, qui toto ſpiritu ad originem ſuam anhelet; ſed contrà, magna ſui parte ad malum origini contrarium pronus feratur. *Omnes* enim *declinauerunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt ne vnus quidem.* Homo ergo peccato Adæ corruptus, non poteſt genus humanum recōciliare, nec vnus fieri Chriſtus verus homo & Deus. So ergo ſoli Chriſto conuenit, qui verus, purus, nulla labe infectus, toto ſpiritu ad Deum patrem, omnium originem, perpetuò anhelabat. Hic homo de ſe ſolus dicere poterat: *Ego & Pater vnum ſumus.* Hic ergo ſolus reconciliator; quia ſolus Dei amicus, ſolus perpetuò pura mente ad originem contendens. Hic ſolus Deus & homo, & idcirco verus Dei & naturæ humanæ conciliator. Hic ergo ſolus filius dignus eſt, vt nomen habeat à reconciliando: quandoquidem ſolus ſit qui reconciliationis ſupremæ partes queat ſubire, & ad felicem exitum promouere. Iam vocis huius architectus, non contentus tanto artificio, illud etiam addere voluit, vt Soen conuerſum in Noes, culpam & offenſam notaret; quæ tota eſt ex diametro cum filio Dei pugnans. quo ſignificauit, noxam & offenſam humanam nulli magis aduerſari, quàm ipſi filio Patris ſupremi. Hic enim peccata noſtra tulit, onus omnium onerum innocenti homini grauiſſimum; hic pœnas dedit peccati, cùm nihil peccaſſet; huic mortem culpa & offenſa noſtra inflixit; hic, cùm Dominus eſſet vniuerſorum, non ſolùm ſeruus factus eſt, ſed crudeliſſimum etiam ſeruorum ſupplicium ſubiuit, quo nos draconis ſeruos, & ad mortem ſeruili ſcelere dignam iuſto Dei iudicio condemnatos, à ſeruitute & morte liberaret. Quid ergo magis aduerſarium, quid magis contrarium, quid magis repugnans, quàm offenſa? Et quæ offenſa? Non certè ipſius filij qui cum Deo vnus eſt, & qui nomen à pacis conciliatione habet; tantum abeſt vt offenderit aut læſerit. Cuius ergo? Noſtra, noſtra offenſa eſt, quæ ex diametro cum filio Dei pugnat, atque ideo eam accepit nomenclaturam quæ filij nomini prorſus opponeretur. Quamobrem vtrumque indicauit hac conuerſione nomenclator, & pacem concilianda eſſe, propter noxam paci repugnantem; & præterea noxam filio maximè contrariam eſſe. Cernimus hîc, offenſam & peccatum mali originem eſſe, & eius diſſidij quod nobis eſt cum Vno: deinde videmus, non illa via quam Plato indicauit, reconciliationem fieri poſſe, & ad Vnum patrem rediri, quem non deſeruimus modò, ſed etiam offendimus, æterno exilio ab eius domo, ob culpam noſtram, per ſummam iuſtitiam, damnati. Si ergo malum in nobis & ipſam offenſam agnoſcimus, vt philoſophi agnouerunt; eius principium ex Ate eſſe ſciamus, cui cùm Deus contrarius ſit, cogitemus, medicinam culpæ noſtræ, non aliunde, quàm à Deo petendam; quando contrariorum contraria remedia eſſe, trito medicorum axiomate celebratur. Noes itaque contrariis veſtigiis lectum Soen facit, vocabulum filij ſimul & reconciliationis ſuggerens notionem; ita vt ipſius morbi nomen & medicum monſtret, & medendi modum, qui totus in reconciliatione conſiſtit. Vix mihi lubet ex hoc tam ſublimi contemplationis faſtigio ad minutias deſcendere: ne tamen obſtinatis ignorantiæ patronis quidquam occaſionis ad obganniendum relinquatur; ſcrupulum tollam qui iniici poſſet ab eo qui parum memor eſt eorum quæ anteà ſcripſi. Quamuis Noes nec ab omnibus, nec paſſim hoc tempore vſurpetur; analogia tamē hæc conuerſionis demonſtrat, vernaculam eſſe nobis vocem, quam Galli adhuc in corrupto ſuo ſermone retinuerunt; certiſſimo argumento, olim

Noes.

Soen.

Onnoeſel. in communi loquendi conſuetudine Cimbris fuiſſe. Iam Onnoeſel vox pro innocente paſſim omnibus in ore, ſatis oſtendit, quid Noeſel/ quid Noes deſignet, à quibus onnoeſel
Noceo. Noxa. duxit ortum. Latini à Noes Noceo, & Noxam duxerunt, S in C mutato: quod in Ceres quoque factum, quæ Seres dicenda eſſet. Græcis νόσος, & cognata vocabula, apertas præferunt natalium notas, tametſi aliam quandam vicinam indicent notionem; de qua mox; ſi prius illud indicauero quod nequaquam negligendum. Sermonis architectus vbique illud molitus in nominibus fabricandis, quod vtiliſſimum cogitu ſciret, ipſi peccato per quod offendimus, nomen dedit, quo perpetuò moneremur, nullum peccatum tam magnum eſſe, quin per reconciliationem purgetur; nul-
Sont *ſiue* Sunt. lum iterum tam exiguum, quin nobis ſit reconciliatio diligenter roganda. Sont enim ſiue ſunt peccatum dicitur, monens vt reconciliemur. Sont enim idem eſt quod Allemanis ſunt, quo ſignamus in modo imperandi illud quod Latinus diceret, Reconcilia. Toties ergo a nomenclatore audimus Reconcilia, quoties peccati nomen audimus, inſignem beneuolentiæ accipientes ſignificationem, qua nuſquam voluit luculenta nobis in ſermone, quibus ſalutis noſtræ moneremur, deeſſe præcepta. Iubet itaque ſummus ille Iouis oariſteus, totius ſermonis admirabilis magiſter, nec ob vllam vllius peccati magnitudinem aut enormitatem, deſperandum; nec rurſus tam exiguum aut nullius momenti peccatum eſſe, cui non opus ſit reconciliatione. Si inutile aut contemnendum id cuiquam videatur documentum, eius craſſo ingenio condonandum, ſi arti-
Νόσος. ficium huius, de qua agimus, vocis nihili pendat. Nos iam ad vocem νόσος reuertamur. Ea Græci morbum ſignant, haud dubiè à Cimbris memoria retenta: & ſi rectè memor ſis eius quod inter pauca poſtulaui, licere voces in lingua matrice perditas e filia mu-
Nos. tuari; non abſurdum fuerit, ſi rurſus pro morbo Nos dicamus. Fuiſſe autem olim vocabulum hoc in communi ſermone, tum etymologia, tum conuerſionis analogia, tum etiam compoſitio declarat. Etymologia, quia ex eo morbus νόσος dicitur; quòd in omne morborum genus ex Noes, quo dixi notari offenſam, ſimus prolapſi: quod quia perſpicuum, non eget argumẽtis. Heſiodus morborum cauſſam Pandoræ tribuit, quod nomen Ates epitheton eſt, ſumpta de falſa eius pollicitatione cauſſa, dum dixit: Simi-
Pandoræ pyxidecula. les eritis Deo, ſcientes bonum & malum. Huius ergo pyxidecula ab Epimetheo, id eſt, ab Adamo improuido & malè cauto futurorum aperta, morborum oceanum in omnem poſteritatem effudit; à qua tamen ne vllum donum acciperet, prouidentia opificis, verus Prometheus, ſub mortis pœna iuſſerat. Quemadmodum itaque à Noes morbus originem traxit; ita æquum fuit, vt inde quoque nominaretur: quo eius monitu intelligeremus, ab eodem morbum & offenſam poſſe curari. Conuerſio porrò ex Nos/
Son/ *ſano. Sano Sanus.* Son facit, quod idem eſt quod ſano: immò ipſum Sano & Sanus inde deriuatur. Huic ſignificationi veritatis indicium præbet minimè obſcurum vox compoſita, geſont/ quo
Geſont. perfectè ſanus notatur. Deſiit autẽ Son pro Sano & pro Sanus eſſe in vſu, ad euitãdam
Son / *Sol.* ambiguitatẽ quæ oriretur inter nomen Solis, & nomen Sani. Et videntur ſanè homines hunc Soli honorem exhibere voluiſſe, vt ſolus primum nomen ſanitatis poſſideret: ij verò qui ſani eſſent, vt à Sole ſanitatem accipiunt, ita nomen quoque à Solis nomine deriuatum haberent. Nunc tandem redimus ad Solem, cuius occaſione, quæcumque de Soen & Noes dicta ſunt, paullo anteà, dum ex Throno in Solis tabernaculum ſeries nos traheret orationis, exordiebamur. Videte, quæſo, quàm ſeriò in hac homonymia paruo ſonorum diſcrimine diſtinguenda, vocum luſerit architectus. Reconciliationem filio intexuit, filio nomen tale dedit, vt ab eo Solis nomen deriuari videretur, non alio diſcrepans, quàm quòd Solis nomen breue tempus habeat, cùm filius longo dicatur; atque illud quidem tanta ratione, quanto latius filij, quàm Solis viſibilis patet poteſtas; tametſi id non ita valere velim, quin dicere poſſim, prius filio Sanantis notionem conuenire, quàm ipſi Soli; & tanto prius, quanto eius ſanitas & ſanitatis conſeruatio prior eſt, latior & excellentior. Ex filio enim ſicut omnia eſſe accipiunt, ita omnia accipiunt ſanitatem. Siue ergo Solis nomen pro Throno capiatur, ſiue pro Sole viſibili ſanitatis in corporibus datore; ſemper tamen altiùs mens attollenda ad primum ſanitatis fontem, à quo & Thronus & Sol accipiunt omnia. Neque porrò Thronus, neque Sol, hominis iniquitatem & lethalem morbum, quem de pomi Heſperici eſu contraxerunt, curare poſſet: ſolus ille, qui hominem creauit, homi-

nem

nem poteſt reſtituere priſtinæ integritati: qua de cauſſa immane quanto magis nomen huius notionis ſignum Deo conueniat, quàm vel Throno, vel Soli, ſi ad cauſſam originis referatur. Hic igitur ſummus eſt ſanator, ſummus ſaluator, ſummus ſummæ ſanitatis auctor, & ob eam cauſſam, vt in omnibus, ita in hoc nomine ſibi vindicando primas ſemper tenebit. Quid quòd vna definitio & filium, & conciliationem, & ſanationem comprehendit, quam nominis homonymi interpretatio declarat. Nam & filius eſt ſo-een/ quod eſt ad Vnum; quoniam totam rerum creatarum vniuerſitatem patri vnit, ex patris infinito ſinu ipſarum ſumens eſſentiam, & eam ad patrem reducens & connectens. Iam reconciliatio ex eo ipſo pendet, quòd opificis boni ſit, id quod fecit ad ſuam ſimilitudinem, id amare; & patri, quoad eius fieri poteſt, reconciliare. Quòd ſi non ſolum offenſa interceſſerit, ſed ea etiam graue vulnus & lethale inflixerit; tum bonitas ipſius ſumma quodammodo cogere videtur, vt quod ad imaginem ſuam formauit, id etiam, cùm læſum fuerit, priſtinæ reſtituat ſanitati. Quid verò reconciliatio, quid ſanatio præſtat, quem ſibi ſcopum præfigit alium, quàm vt id quod reconciliatur, Vni rurſus coniungatur; quod vulnere fœdatum eſt, rurſus vnionem accipiat eorum quæ quopiam diſceſſerunt hiatu. Magnum vulnus eſſe ſcio, quod homo accipit; ſed non tantum tamen, vt ſanari nequiret à filio: at ſi qui vulneratus eſt, ſanari nolit, nec curationem diuinæ bonitatis admittere; eius vulnus tanto diſcedit hiatu, vt magnum chaos in Euangelio vocetur. Non ſolùm offendimus patrem vniuerſorum; ſed ſic ab eo receſſimus, vnione longè latéque ſoluta, vt nullius medici ope, quàm eius qui nos compegit, ſanari queamus. Et filius itaque ad Vnum dicitur, & ſolus primum, & totus; ita vt nihil deſit definitioni: & reconciliatio reductio eſt ad Vnum: & ſanatio curatio eſt ſolutæ vnionis; quæ nihil aliud eſt, quàm ea quæ diducta ſunt, ad Vnum rurſus redigere, & Vnum facere ex diuiſis. Quòd ſi hic analogia quærenda, & eius caput exordiumque aſſignandum; non videor mihi erraturus, ſi dixero, ex prima vnione duas reliquas vniones, tamquam ex cauſſa ſua, dependere; & ex ea manare, tamquam ex ſummi boni primo. Pater bonitatem ſuam, cuius eſt ſe communicare, conſiderans (humano more, quando aliter non poſſumus, loquendum) filium gignit; de quo dici neceſſarium, quod primum & caput ſit eorum, quæ ad Vnum poſſunt vocari, patrem videlicet & primum fontem omnium bonorum. Ex hoc igitur Ad Vnum ſiue ſo-een primus hic ſoen nominandus: cui deinde ex bonitate accedit, vt non ſolùm opifex ſit vniuerſorum, ſed etiam humani generis reconciliator & ſanator; ita vt reconciliatio & ſanatio ſecundaria ſint ex illo primo pendentia, tametſi prius ad ſanationis & reconciliationis notitiam veniatur, quàm ipſius filij; vt liquet in Socrate, ad ſanationem quidem animorum & reconciliationem vel ratione, vel maiorum auditione deducto; at ignorante, eam fieri debere per filium. Quantum bone opifex nomenclatori gratiæ infudiſti! cuius beneficio tantum luminis eſt aſſecutus, vt hæc viderit; & tantum bonitatis adeptus, vt ea poſteris clariſſimo indicio ſermonis voluerit communicare; atque id facere potuerit vnica vocula, tribus litteris Trinitatem referente; cuius vt variæ ſunt efficientiæ, ita variæ ſunt notiones. In Son, S vis prima eſt, Vnius omnem eſſentiam efflans; quod Es nomen ipſius litteræ declarat. Vocalis media, vtcumque pronuncietur, rotunditatem oſtendit; quæ figura omnium eſt potentiſſima ad cuſtodiendum, omnium aptiſſima ad perpetuam motionem, omnium conuenientiſſima ad capacitatem; quæ filio conueniunt, vtpote Veritati omnia cuſtodienti, vtpote è Patris ſinu omnia ad perpetuam motionem educenti, vtpote omnia Idearum genera mente ſua complexo. Prætereo cetera, quæ ex hac figura ad filium pertinere nemo poteſt negare; quæ vt plurima ſunt, ita illud omnium videtur clariſſimum indicium, filium è Patre ſic gigni, vt primus & proximus orbis è centro: & quemadmodum centrum ad orbem, ſic ſe habet pater ad filium. Sed hæc alibi. Tertia littera N eſt, inter cetera Spiritui ſancto attribuenda; hoc notans, quòd omnia Spiritus ſanctus ad radicem firmitatis ſupremæ, per radicem dentium ſuperiorem ſignatæ, tam potenti ſpiritu ferat, vt ſonus eius per nares etiam tinniat; quod organum ſpirituum intelligentiæ exprimendæ, propter ſpiritalem odorum naturam, maximè conuenit. Deinde tinnitus huius litteræ gratiam Spiritus ſancti egregiè exprimit; eo quòd is cauſſa ſit omnium eorum quæ tinnitu orationis & laudis diuinæ, in qua ſumma vita eſt, patris cæleſtis aures feriunt: qui vt à Patre & filio

Son tribus litteris Trinitatem refert.

& filio procedit, ita nos patri & filio rurſus inſinuat, & mentes noſtras ſurſum velociſſimè rapit, & raptos amoris glutino filio, & medio filio, patri connectit & vnit. Iam & alius tinnitus eſt in ſacris litteris Moſis & prophetarum, Spiritui ſancto adſcribendus: & rurſus multo maior Apoſtolorum, quorum tinnitus exiuit in vniuerſum orbem terrarum; qui tum demum tinniit, cùm Spiritus ſancti in ſpecie linguarum flamearum delapſi ardore flagrare, ac furere diuino amore cœpiſſent. Quis hic non agnoſcit tinnitum ſurſum elatum: quis non agnoſcit claſſicum ad Chriſtianæ vitæ militiam: quis hic non Spiritum ſanctum audit, diuinum illud & Bacchicum taratantara inflantem? Hoc tandem eſt formare voces de ſonorum imitatione, quas nemo, niſi auribus acutis, rectè percipere poſſit. Hinc denique perſpicuum, quod non loquendi modò conſuetudine myſteria hæc nobis indicentur; ſed hoc etiam in vocabuli formatura ſeruatum ſit, vt & Trinitas ea ſit expreſſa, & ſingularum hypoſtaſeon attributa diſtinguantur. Rideant diligentiam noſtram, quibus hæc ridicula videbuntur; & ipſo ſuo riſu doceant, quàm nihilo differant à profano vulgo, quod ad Dionyſium ſcribens Plato, de diuinis arcanis, voluit celare; certus, non magis iis ſacroſancta hæc balſama, quàm ſuibus vel roſas vel ſamſychum olere. Optarem certè me ſcriptis meis Cabiros potuiſſe adhibere, ne id genus lutulenti ſues omnia fœdarent atque proculcarent: at cùm id in hominis manu non ſit, malui hanc curam Deo relinquere, quàm ea quæ in ſermone noſtro mihi primo poſt complurium ſeculorum memoriam ſpiritus inſonuit, & tinnitu ſuo ad aures, dum Satyros ſequor, pertulit, occultare. Ante me vita deficeret, quàm omnia quæ hac vocula ſon conſideranda proponuntur, explicarem. Græci & Latini ſanitati

Apollo ſanitati præfectus.

Apollinem præfecerunt, non malè illi quidem; ſed prorſus, cur ita faciendum eſſet, ignari; niſi quantum natura Solis rationis ſuppeditabat. Nobis de alia longè ſanitate cogitatur, dum filium Dei ſanitatis facimus auctorem; quæ tamen Solis omnia corpora conſeruantis teſſera rectè notatur, ſi corporalia ad mentalia transferantur. Stolida antiquorum inſania, & inepta de diuinis fabularum exordiis cogitatio, dum nihil certi de vero Apolline & vero ſanitatis datore inueniret, multos Apollines confinxit, non ſecus in hoc, atque in ceteris Diis, ſtultiſſima & abſurdiſſima ſomnia protrudens.

Apollo verus, eſt Chriſtus.

Verus Apollo nobis ſon dicitur, Dei filius, cuius corpoream imaginem Sol viſibilis oculis repræſentat. Chriſtus itaque verus Sol iuſtitiæ, & verus Apollo, mane diluculo tranſiit, vt Iſaias dixit; atque idcirco Ver omnium ſeculorum, omnia noua luce, noua vita, noua pulcritudine exornans; nec alia de cauſſa formoſiſſimus & imberbis iuuenis Apollo habitus, vt eo nimirum, quod Chriſtus nobis præſtitit, indicaretur. Hic cælo deiectus, ab amore paterno, quo humanum genus dilexit; hic greges & armenta pauit

Admeti ſiue Adameti greges pauit Chriſtus.

Admeti, ſiue integra dictione, Adameti, qua ſignificatur Chriſtus, verum caput generis humani. Deus enim filius de cælo deſcendens greges & armenta pauit, id eſt, homines primo peccato ad beſtialem animorum procliuitatem redactos. Adameti autem pecus dicebatur; quia totus grex humanus Chriſto datus eſt, qui potius Adametus, id eſt, hominum caput, quàm Adam debebat vocari. Chriſtus enim paſtor eſt veriſſimus, & verè ποιμὴν λαῶν, paſtor, inquam, ſui gregis, ſiue, quod idem eſt, Admeti, quo Adami caput is intelliget, qui quid Heet eſſe dixerim, recordatur. Hic Pythonem draconem maximum occidit ſagittis ſuis, id eſt, amoris radiis. Hic in corpore humano inter mortales apparens, vt omnia compleuit; ita omnia veteris ſcripturæ myſteria vera luce

Apollo vnde dictus.

donauit, ea de cauſſa Aup-Hol nomen ſortitus, quòd quicquid occultum eſſet aperiret, omnem rituum & cærimoniarum obſcuritatem, non ſecus atque Sol tenebras, tollens. Huc referri poteſt illud Ouidij:

Iupiter eſt genitor, per me, quod eritque, fuitque, Eſtque, patet.——

Verùm dæmoniaca fraus perpetuis impoſturis venena ferere moliens, hoc de vero Apolline vaticinium ad falſa oracula tranſtulit, omnibus priſcæ Theologiæ arcanis fabulis ſibi mendaciſſimè attributis. Verùm ne longiùs in huius Dei ſacris euagemur;

Sol vnde dictus.

illud potius conſideremus, vnde Sol nomen ſortiatur, & an hoc etiam Cimbricum ſit, an verò corruptum ex ſon; quod minimè abſurdum videretur, niſi nos id ſemper ageremus, quo integris nominibus ratio, ſi fieri poteſt, aſſignetur. Quid ſolidum ſit apud Latinos, quid item ſolum, nemo ignorat: ſed vnde hæ voces emanent, non perinde credo liquere. Videndum itaque quid ſit Sal, & an ab hac voce commodè queat trahere

here nomenclaturam. Hal adſpiratio eſt ad omne, ſiue perfectum, in quo videlicet ſic
ſunt omnia, vt nihil deſit. Vt verbum itaque hæc vox vſurpata, idem eſt quod ſeruo;
quo noſtro actu curamus, ne quid nobis ad omnia quæ neceſſaria ſunt, deſit. Olim ergo
id notabat nomen Hal, quod pòſt Sal dici cœpit; vt in vetuſtis locis Hal apud Saxones.
& Hal apud Sueuos ad Oenum quiuis perſpexerit, qui modò tam vecors non ſit, vt à
Græcis hæc loca nomen accepiſſe credat. Pòſt, dum mercatus vigere cœpiſſet, Hal lo-
cus dici cœpit, in quo merces ſeruantur: & diſcriminis cauſſa pro condimento cibi Sal *Sal, ſalis.*
venit in vſum, quo notatur So-hal, quod eſt, ad conſeruandum, qua notatione Salis
vtilitas explicatur. Inde rurſus Sal, pro lata palatij domo, in qua conſilia Reip. ſeruan- *Sal ſiue Sale.*
dæ capiebantur, quibus haud ſecus, atque Sale, vtendum eſſet. Hinc Salus apud Lati- *Salus.*
nos; & apud nos ſaluen pro vngere, vnde Latinorũ Saluo. Vtinam principum aulæ per- *Saluen.*
petuò Sale, pro eo ac dicuntur, eſſent; & in iis non aliud, quàm quòd populi ſalutem *Saluo.*
contineret, ageretur. Sed de Saal alibi plura. Ex eadem radice Solt pro ſtipendio; eo *Solt.*
quòd ſale comeſto fides confirmaretur, optimo iuramenti ſymbolo. Qui enim ſale
comeſto iurat, idem dicere videtur, ac ſi dixiſſet: Sic ego conſeruer, atque hoc quod
promitto, ſum ſeruaturus. Porrò quia etymologia explicata So-hal reddit, quod eſt, ad
ſeruandum; factum eſt, vt quæ quippiam ſeruant & firmant, Solen dicantur; qua voce *Solen.*
pro plantis pedum quibus firmamur, & pro coriis plantæ pedum ſubditis, vtimur. Hinc
Soldeeren eſt firma commiſſura res connectere; quod in auro Borace, genere quodam *Soldeeren.*
ſalis nitri, quod inde Chryſocolla nominatur, effici videmus: ita vt non minus hîc res, *Chryſocolla.*
quàm nomina, conſpirent: Græci Collam dixerunt à Sol, S in C mutato, vti in Cerere *Colla.*
item factum. Hinc Solum Latinis & Solidum. Nobis item Solder pro tabulato greſſus *Solum, ſoli.*
firmante; & Soldur pro cuiuſuis metalli colla, quaſi Solt-dur, quod eſt continens & fir- *Solidus, a, ũ. Solder.*
mans perfectè. Poſſet alia quoque ratio nominis huius notari, in eo conſiſtens, quòd *Soldur.*
So-hœl idem ſit quod So-heel, id eſt, ad integrum; quoniam colla duo vel plura in vnũ
integrum colligátur. Hinc Soldurij, quorum apud Cæſarem mentio, quaſi Solt hueren, *Soldurij.*
quod ſonat ſalario conductos. Hinc modò cernas, vnde Sal Latinis, & ἅλς Græcis; qua- *ἅλς.*
rum vocum nec his nec illis cauſſa aliqua vernacula reperietur. A Sol per conuerſionẽ
fit Los, pro eo quod non eſt firmum aut colligatum: & dum verbum eſt, cum actionis *Los.*
ſignificatu, idem eſt quod diſligo, vel cuiuſpiam rei tollo firmitatem. Hîc Latini paſſi
ſunt idem quod in folio. Nam vt pro Lof Folium dicunt præpoſterè; ita pro Los dicũt *Lof. Folium.*
Soluo; vnde Solus, qui eſt ſolutus ab omnibus. Quia igitur maximum illud & clariſſi- *Soluo.*
mum iubar, à quo cetera ſidera lumen & vitalem calorem accipiunt, omnia conſeruat, *Solus.*
omnia ſtabilit, omnem formam & materiam colligat, rectiſſimè Sol nominatur: quæ
vox ſi perinde atque Son, ad litterarum quibus componitur, examen vocetur; non
minus, quàm illa, demonſtrabit & Trinitatem & perſonarum attributa. Nam quod in
illa præſtitit tinnitus, hoc hîc efficit Lambda; quæ littera linguam ſurſum ad ſummum
oris cælum, haud aliter atque Spiritus ſanctus mortalium animos ad cæleſtes angelorũ
orbes, attollit. Vide quanto diuinius Solis nomen fecerimus, quàm illi qui ſic vocatum
putant, quòd ſolus ſit in cælo: quod falſum eſt; cùm perinde interdiu ſtellæ in cælo
ſint, atque noctu; tametſi Solis lumine ſic oculi noſtri repleantur, vt ſtellarum lumen
præſentia maioris offuſcetur. In eclipſi maxima viſæ ſunt aliquando, in puteo item al-
tiſſimo fortaſſe cerni poſſent; ſed cùm Sole iam ſub horizontem progreſſo mox etiam
illæ cernantur quæ poſt Solis occaſum ſuper finitorem non adſcenderunt; obtuſi ſit in-
genij, exiſtimare, Solem interdiu ſolùm in cælo verſari. Annon Lunam frequentiſſimè
interdiu cernimus: vt ne hoc quidem ſe prætextu excuſare poſſint, qui Solem ob id So-
lum dicerent, non quia ſolus ſit, ſed quia ſolus cernatur? Sol profectò Sal mundi eſt cor-
porati, perinde omnia conſeruans, atque carnes & cetera edulia ſalis condimentum.
Deinde dicimus Hol pro Hal creberrimè; ita vt So-hol idem ſit quod So-hal, id eſt, ad *Hol.*
ſeruandum ſiue tenendum. Sol ergo & Sal nomina ſunt eiuſdem originis, non magis
diſtincta quàm Hol & Hal verba. Corporeus ergo rerum corporatarum conſeruator,
imago eſt conſeruatoris omnium rerum, tum earum quæ magnitudine conſtant, tum
etiam omnium ſpiritalium. Hæc ſymboli ratio plurimas gentes ad idolomaniam traxit,
quæ ſignum pro ſignato adorauerunt. Dum Solem intuemur, dũ lumen eius immenſa
cæli ſpatia momento replens oculis offertur; tum de Deo atque eius infinito lumine,

quo

quo omnibus vitam adſpirat, cogitemus quidem, ſed non ſic, vt creaturæ tribuamus, quod debetur creatori. Nulla ſtatua, nulla imago fieri poteſt, quæ oculis noſtris Dei ſimilitudinē melius, quàm Sol, exprimat: nihil vt miri ſit, ſi Deū Solem vocemus, vocabulo adeò non repugnante, vt ratio eius prius in Deum, vt archetypum conſeruationis, quàm in Solem quadrare cernatur. Addatur & illud conſideratione digniſſimum, Solis nomine non conſeruationem tantùm, & firmamentum rerum omnium notari; ſed illud etiam veſtigiis retrò lectis oſtendi, eū cui primùm hęc conuenit ratio conſeruandi, talem eſſe, vt ſolus nos ſoluere poſſit à catenis quibus ſumus alligati. Conuerte Sol, habes Los; quaſi de ſe diceret Deus: ego non conſeruo modò, ſed etiam ſoluo. A quo ſoluis ô Sol ſupreme? A vinculis, inquit, mortis æternę, quibus vos cacodæmon, ſiue Ate, fraude ſua alligaūit. Hac re perſpecta, ignorari non poteſt, Solis nomen ſic à ſermonis artifice formatum eſſe, vt primùm & propriè ſummo Solis exemplari conueniat, quàm ipſi imagini corporatæ. Quamquam ergo diuerſa ſunt nomina, Sol, & Son/ & Soen/ & Suon; quoquo tamen modo ſcribas, omnia tamen primùm conueniunt Dei filio, humani generis ſeruatori atque liberatori. Quod igitur D. Ioannes Lucem vocauit, aiens, *Vita erât lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*; id Solem primus vocabulorum architectus nominauit. Verumenimuerò, cùm dicitur Deus in Sole poſuiſſe tabernaculū ſuum; nomen accipiendū pro primo intelligentiarū cælo, de quo & illud Lyricen cantauit, *Thronus eius ſicut Sol*; quibus verbis Thronum, qui primam primi Solis imaginem gerit, & idcirco Sol item vocatur, comparauit Soli cæleſti, quem oculis noſtris intuemur. A Sole ergo viſibili, ad Thronum inuiſibilem, à Throno ad primū Solem Dei filium peruenimus; de quo Malachias: *Et orietur vobis timentibus nomen meum, Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius.* Adoremus ergo hunc Solem, per quē Tartari vincula ſoluuntur; vt nominis veſtigia retrò lecta declarāt: & viſibilis Solis ſplendore ad ſummū Solem mens noſtra ducatur, in quo ſolo tota mentis noſtræ ſanitas conſiſtit, vt alterum nomen Cimbricum Son demonſtrat. Quis non miretur ſuauem hunc nomenclatoris noſtri & ſacræ ſcripturæ concentum? quis non admirabilem in vocibus fabricandis ſollertiam obſtupeſcat? Græci item vocem retinuerunt noſtratem, ἥλιον Solem vocantes; cuius cauſſam Plato nimis frigidam mihi videtur dediſſe, dum à perpetua vertigine, vel Doricôs à populo congregando nomen deriuat. Nihil nobis clarius, quàm Heel idem eſſe quod ſano, & integritati reſtituo, dum vt verbum vſurpatur: vnde ἥλιος idem erit quod ſanator; nihil notationis ratione à Son differens. Quamobrem hoc nomen rurſus conuenit Dei filio primùm, qui ſolus eſt medicus omnia integritati ſuæ reddens. Solem boni filium vocauit Plato, non malè ad religionem veram alludens; qui vt opifex eſt omnium, ita omnium eſt redintegrator. In fabulis Hyperion pater, Theia Solis mater vocatur: quarum vocum rationes nobis ſunt vix ipſo Solis lumine obſcuriores. Dei ſiue Dÿ eſt augeſco, & promoueo in maius ſiue melius: Ober ion/ ſiue Ober gon, eſt ſupernus fauor. Supernus ergo fauor ex infinita ſua bonitate omnia in melius promouente Solem genuiſſe hac fabella deſignatur: & ea quidem non malè conficta, propterea quòd nuſquam ſupernus Dei fauor clariùs cernatur, quàm in Sole, lumen ſuum æquè bonis atque malis communicante: cuius exemplo Chriſtus in Euangelio vſus eſt, dicens: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos; & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos; vt ſitis filÿ patris veſtri qui in cælis eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.* Excellentiſſimus certè fauor, & omnem fauorem alium ſuperans eſſe cernitur, quo Deus omnibus lumen & vitam impertitur, tametſi operibus ſuis ſe hoſtes, non filios, patris æterni eſſe, clariſſimè demonſtrent. Noſtrates Ouer ferè pronunciant pro ſupra & vltra; cuius loco Ober dicūt Suęui; Græci ὑπὲρ, adiecta adſpiratione, quam Latini in ſibilum mutarunt, Super pro Huper efferentes. Gon, ſiue Ion, vt Flandri loquuntur, præteritum imperfectum eſt à Gun/ ſiue Iun/ pro faueo: vnde Iuno & Iunius deriuantur. Hac de re Heſiodus:

Sol Deus dicitur. — *ἥλιος.* — *Heel.* — *Hyperion. Theia. Dei ſiue Dÿ.* — *Ouer. Ober. ὑπὲρ. Super. Gon ſiue Ion. Gun ſiue Iun. Iuno. Iunius.*

Θεία δ' ἠέλιόν τε μέγαν, λαμπράν τε σελήνην,
ἠῶ θ' ἣ πάντεσσιν ἐπιχθονίοισι φαείνει,
ἀθανάτοις τε θεοῖς τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι,
γείναθ' ὑποδμηθεῖσ' ὑπερίονος ἐν φιλότητι.

quod ita, vt in buccam venit, Latinè effundam:

Theia parit magnum Solem, Lunamq; nitentem,
Nec non Auroram, cunctis mortalibus almi
Luminis auctorem, diiſque immortalibus vna
Peruinci ſuaui ſe paſſa Hyperionis igne.

Homerus Theiæ Græcum nomen dedit, à lato lumine εὐρυφάεσσαν vocans, Hyperionis nomine ſeruato; verùm quid Dya notaret, non intellexit. Hyperionem autem vnum ex Titanibus volunt fuiſſe, de quibus quid ſentiendum, alibi docebo. Selana Lunam ſignificat; eo quòd tempus per prius & poſterius numeret, ab ana/ de quo prius; & ſel pro tel/ quod eſt numero. Quemadmodum verò à ſo & een/ fit ſoen & ſon: ita ex eodem ſo & hoec/ fit ſoec/ id eſt, quæro; quaſi diceres, ad angulos omnes curro; cùm hoec angulum notet. Ab eodem ſen pro mitto, veluti ſo-en/ id eſt, ad finem: Ad finem enim aliquem mittimus, quicquid mittimus. Quoniam verò intellectum & ſenſus exteriores præcipuos nuntios rerum omnium habemus; à ſen/ ſin factum, mutato E in I, vt nuntij ſubtilitas & celeritas indicaretur. Latini E retinuerunt, Senſum & ſentio dicentes, à ſent/ quod eſt mittit. Quid autem aliud ſenſus eſt, quàm nuntius mentis noſtræ ad res omnes explorandas deſtinatus? Hinc fit vt vocabulum commune ſit ad ſenſus interiores & exteriores; quam loquendi conſuetudinē Latini quoq. retinuerunt. Dum autē intelligimus ſin à ſen fieri, & hoc à ſo-en/ id eſt, ad finē: in mentē venit, nihil à nobis ſenſibus explorandum, quod non ad ſummum bonorum finem deſtinetur. Hebræi חוש pro ſenſu dicunt, à ſuech/ quod idem eſt quod ſoec id eſt, quæro & inueſtigo; quia ſenſuū ſit inueſtigare. Quoniā verò qui quærunt, properāt; fit vt חוש etiam pro feſtinare ponatur. Hinc Græci à celeritate αἰσθάνω dixerunt pro ſentio; propterea quòd ſenſibus nihil ſit celerius. Haeſt an etenim nobis idem eſt quod celeriter. Celerrimi certè nuntij ſunt, & citiſſimi rerum inquiſitores, ipſi ſenſus. At huius rationis cùm Hebræi, & Græci, & Latini ſint ignari; nihil habent à quo voces ſuas deriuent. Quia autem ſibilus celerrimum motum habet; architectus vocum noſtrarum, ſubtiliſſima diphthongo ipſi Sigma poſtpoſita, ſie fecit, pro Video; propterea quòd viſione nihil ſit celerius aut ſubtilius. Hinc ſiel pro mente, ceu ſie el/ quod eſt, video altiſſimum. Proprium enim mentis noſtræ opus eſt, Deum videre: qua de cauſſa brutis animantibus non eſt ſiel/ niſi per vocis abuſum. Cogitent ergo, cogitent quotquot hoc nomen audient, quis ſcopus ſit propoſitus menti noſtræ, quoque ſemper interni oculi ſint dirigendi. Huic vocabulo ex diametro repugnat lies/ quo perdo ſignificatur. Quiſquis enim Deum non videt, & mentem perpetuò ad hunc ſcopum dirigit; is omnia perdit, tametſi omnia lucrari ſibi videatur. Intextum itaque huic voci, nihil prodeſſe quicquam, niſi Deum vbique acies mentis noſtræ intueatur. Huic illud Chriſti apud Matthæum conſentit: *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Sed Deus aliter adhuc luſit in anima, dicens: *Qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam: Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Hæc verba ſi ad linguam noſtram examinentur, infinito plus gratiæ & elegantiæ habebunt; vt ipſe Chriſtus ad primam linguam reſpexiſſe videatur, in qua animæ nomen ſic effertur, vt ſi retro per veſtigia legatur, perdere deſignet. Tam multa mihi mirabilia nomenclator in omnibus vocabulis proponit, vt tandem nihil admirer. Quis enim admiretur, quod eſt perpetuum & in omnibus obuium? Eximium profectò animæ nomen dedit, & dignum quod in omnium hominum animis perpetuò verſaretur, quo officij ſui numquam obliuiſcerentur, quóque animam ſuam rebus aliis intuendis non perderent. Perdimus animas noſtras, quoties Deum in omnibus cogitationibus, omnibus ſermonibus, omnibus actionibus non intuemur; quoties ad Deum mentis aciem non dirigimus; quoties aliò, quàm ad Deum, ſpectamus. Quis tandem, ô mortales, finis perdendi; ſi ferè ſemper omnia ſtudia noſtra ad honores, ad diuitias, ad voluptates, ad neſcio quæ alia tendant? Veniat in mentem animi nomen: intelligamus ipſum altiſſimum animi noſtri ſcopum eſſe; & quoties ab eo deflectimus, nos & noſtra omnia perdi. Dedit Ariſtoteles animæ definitionem, generaliorem illam quidem, quàm ſit hæc, quam nomenclator ſoli humanæ animæ accommodauit. Verùm ſi examines, vtra plus adferat ſolidæ cognitionis; immani interuallo noſtratem ſenties præſtantiorem, vtpote qua ſumma animæ felicitas ſit expreſſa. Quid enim aliud eſt ſiue beatitudo, ſiue vita

Selana. Soec. Sen. Sin. Senſus. Sentio. αἰσθάνω. Sie. Siel. Lies.

æterna, quàm Deum videre, vt apoſtolica ſententia ſumus edocti? Quamobrem qui hoc fine animam deſcripſit, an non excellentiſſimam dedit definitionem? Omnes itaque actiones noſtræ, omnia vitæ officia eò ſunt conferenda; vt ipſum altiſſimum intueamur: quod ſi non facimus, non magis dicemur ſiel habere, quàm habeant vel boues, vel ſues, vel mulæ, vel ſi quid his animam habeat craſſiorem. Moris eſſe audio, & vetuſto ritu apud Canonicos Monaſterienſes obſeruatum, vt iam iam morituro, & animam modò agenti, caput ſuillum oſtendatur; quo agnoſcat, ſe non humanam, ſed porcinam vitam egiſſe; eoq. moueatur ad veram pœnitentiam, & diuinam miſericordiam in poſtremo vitæ articulo implorandam. Non equidem ſuilli capitis concionem derideo; ſed mallem, vt mox in principio, dum in Canonicorum collegium cooptantur, cum porcis ipſis prandium parari, vt diligenter cauerent, ne tam lutulento & immundo animali perpetuò comparandi viderentur. Cogitent, dum bubulas & ſuillas carnes deuorant, ne dum toti corporis in viuendo ductum ſequuntur, fiant & ipſi boues atque porci capitibus ſemper in terrena defixis. Nemo profectò diutius ſe ſiel habere dicat, quàm mentis aciem ad altiſſimum ipſum dirigit; quod dum facere negligit, mox intelligat ſe brutis animantibus meritò annumerari. Sed in hieroglyphica ipſius Pe figura eadem hæc admonitio repetenda: qua de cauſſa breuior hic ero, quàm rei poſtulat latitudo. Sie præterea pro bullio accipitur, propter ſubtilem bullientium ſibilum: quæ ratio ad ſiel applicata, non ſolùm animantibus eam, ſed plantis etiam faceret communem; in quibus omnibus anima nihil aliud eſt, quàm calor quidam humidum perpetua agitans bullitione, vt meritò altiſſimum caput bullientium vocari poſſit. Ex ſie fit ſee/ propterea quòd mare ſemper bullire videatur: vnde cirſee/ quæ vox Circe Latinis & Græcis ſcribitur, S in C mutato. Eſt itaque Circe maris ornamentum, quod reuera de Circæo promontorio dici poſſe, nemo eorum qui diligenter conſiderabit, infitias ibit. Ex littera ſ & a, orationis fit particula, qua ad agendum incitamus, vtraque littera motum indicante. Quòd ſi adſpirationem & vocalem maximè idoneam ad penetrandum ipſi S præponas, facies hiſ/ quod ſignificat incito. Iam ſi voculam ſa vincias, Tau inter conſonantem & vocalem interiecto, facies ſta/ quod eſt motui contrarium. Exerit ergo Tau in hoc verbo inſigni quodam modo atque luculento vim alligandi. Hinc Latinorum Sto; & Græcorum ἱςάω, & ἵςημι, & cetera cognata. Nobis porrò vocem deberi, conuerſionis analogia demonſtrat. Haaſt enim contrarium deſignat, cùm idem ſit quod Latinis feſtino; quod verbum ab haeſten tractum videtur, mutata adſpiratione in digamma Æolicum; eo modo quo ex Helena fit Felena. Nos dum A longum notamus, ferè A & E coniungimus; quo loco Sueui duplex a notarent. Quòd autem adſpiratio in conuerſione ſit adſcita, id rationem hanc habet, vt celeritas ſpiritu præmiſſo adiuuaretur. A ſta fit ſtaat ſiue ſtaet/ pro ſua cuique conditione ac dignitate: Latini hinc Statum dixerunt: Ab eodem ſtatio: Nobis ſtat/a breui, pro loco; qua voce etiam opida nominamus, quòd is locus ſit excellentiſſimus ad tutam ſecuramque vitam peragendam. Statua ſimulacrum è lapide, ære, vel alio metallo, in memoriam cuiuſquam erectum; quaſi ſtat hou diceretur, quo ſignificatur id quod alterius locum tenet. Simulacrum enim loco eius cuius ſimulacrum eſt, collocatur. Nobis ſtatoue: quamuis nunc ferè belt frequentius ſit in vſu, quæ vox fit à behelt/ id eſt, conſeruat. Vſus enim ſtatuæ & imaginis in eo eſt, vt memoria cuiuſpiam conſeruetur. Hinc Nembrot ſtatuam auo ſuo poſuit, quam generica voce belt vocauit, eo quòd aui memoriam conſeruaret; vnde Bel apud Hebræos, pro Idolo, quod Babylonij adorabant. Vt ſic ſuſpicer, facit Diodorus Siculus, qui Belum Neptuni filium facit, id eſt, Nochi, qui in diluuio verè Neptunus dici poterat. Quòd autem matrem det Libyam, id ſic intelligo, Chamo Libyam patris diſtributione obtigiſſe, vel Chamum in Libya primum idolomaniam erexiſſe, ſibi Iouis Hammonis ſumpta nomenclatura. Belus itaque Chamus eſt, cui Nembrot ſtatuam erexit, per excellentiam belt ſiue bel vocatam. Verùm quia in linguarum cõfuſione quid belt propriè ſignificaret, ignorari cœptum eſt; in eam ventum opinionem, vt auum Nembrodi crederent Bel fuiſſe nominatum: cùm tamen hæc vox generatim cuiuis ſtatuæ, memoriam cuiuſpiam conſeruanti, communis eſſet. Scio & alia huc afferri poſſe, & Beli nomẽ ad bal referri, quo cor vocant Chaldæi, Hebræi conuerſa voce vtuntur pro eodem. Nobis bal pilam notat, à behal/ quod eſt conſeruo; eo quòd

Canonicorum Monaſterienſium vetuſtus ritus, vt morituro caput ſuillum oſtendatur.

Sie. See. Circe.

Sa/ *imitandi particula.*

His. Sta. *Sto.* ἱςάω. ἵςημι. Haeſt. *Feſtino.* Haeſten.

A longum plerumque per æ ſcribitur in Cimbrica lingua, in Sueuica per a a.

Staet. *Status.* Statio. Sat. *Statua.* Statoue. Belt.

Bel idolum. Belus.

Iupiter Hammõ, Chamus.

Bal.

quòd globi figura maximè idonea ſit ad conſeruandum; quod vt tota mundi machina, ſic guttæ in pilulas contractæ, & erinacei in globos ſe cogentes; apertis docent argumentis. Fieri ergo poteſt, vt Solem, qui cor mundi eſt, & omnium rerum conſeruator, antiqui bal nominarent; quæ vox cum belt origine deriuationis conuenit, cùm vtraque à conſeruando dicatur. Quemadmodum igitur Bel & Bal ex eodem fonte deriuantur, diuerſa licet ratione; ita in eadem ſtatua, tum mortuus Hammon, tum Sol cæli, & totius mundi cor, abſolutiſſimus perfectiſſimúſque globus, non ſe modò, ſed omnia etiam alia conſeruans, intelligi poſſet. Chaldæi enim Solem vt cor mundi, ita viſibilem Dei imaginem putabant: atque vt Sol in cælis Dei ſimulacrum erat, ita inter elementa ignis imaginem Dei præferebat. Coluerunt ergo ij qui prudentiores erant, Solem & ignem: non illos quidem vt Deum, ſed vt Dei ſimulacra, ipſius Dei manu facta; quod plebeij animi non intelligentes, in ipſis imaginibus conſtiterunt, creaturam pro creatore ſtultè adorando. Quamobrem ſi phyſicôs Belum capiamus, Solem intelligemus, à bal/ quo nobis globus, Chaldæis cor denotatur. At ſi ſtatua ad hiſtoriam referatur, idem erit Iupiter Hammon Libycorum, & Belus Babyloniorum; qui Neptuni ſiue Nochi filius cùm eſſet, matrem dicitur Libyam habuiſſe; eo quòd ipſe & eius poſteri ab ea regione alendi eſſent, perinde atque à ſua matre. Quando verò cacodæmon ſtatuis ſe pòſt inſinuauit, & homines ad idolomaniam pertraxit; dici cœpit belden-gal/ id eſt, fel ſtatuarum; quaſi diceretur memoriam omnem mortuorum amara bile corrupiſſe; vnde Beligal manſit apud Hebræos. עַל enim per G pronuntiari debere, alibi docendum. Cognomen ergo Ates eſt Beligal ex eo tributum, quòd vſum ſtatuarum felle ſuo amariſſimo & plus quàm vipereo corrupiſſet. Cùm enim ſerpens eſſet; quis potius ſerpens, quàm vipera dicetur, cuius cùm fel ſit maximè lethale, rectè factum ab iis qui Draconem fel ſtatuarum vocarunt: eo quòd nullum crudelius & exitioſius ſit venenum, quàm ſtatuas adorare. Quia autem Idololatria ſuprema eſt præuaricatio, non mirum quòd בְּלִיַּעַל pro præuaricatione ponatur. *Ex te exibit*, inquit Nahum, *cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans Beligal.* Hinc filij Beligal dicti omnes impij & Idolorum cultores, quaſi felle vipereo idolorum infecti. Nihil enim Deo magis aduerſatur, quàm Idolomania; & idcirco ſummus & æternus Dei hoſtis Beligal nominatur. Non eſt igitur ſtatuarum vſus prohibitus, ſed abuſus hic adorationis fel viperinum in ſtatuis vocatur; quo ſi careant, ſoli memoriæ rerum abſentium conſeruandæ ſeruientes, non erunt in vetitis habendæ, non magis ſanè quàm vel ipſi Cherubim arcam alis ſuis tegentes, vel boues ænei æneum ſtagnũ ſuſtinentes. Beelt ergo à behelt/ quod eſt conſeruat, rectiſſimè nominatur; quandoquidem in eo verus ſit vſus ſtatuarum, & omnium ſimulacrorum; à quo ſi diſcedatur, mox viperæ fel præcordia lethali inficit veneno; à quo, perinde atque ab ipſiſſima morte, diligentiſſimè cauendum. Ex ſta fit ſte/ pro loco, qui aliter ſtede dicitur: vnde ſte-ur/ & contractè ſtur/ idem eſt quod guberno; propterea quòd is qui dirigit omnia & gubernat, perfectio ſit totius loci in quo gubernat. Hic fons eſt, è quo ad Hebræos vox צור fluxit, qua pro Deo vtuntur; nec malo ſanè iure, cùm Deus omnium ſit gubernator. Verùm ipſi, dum omnia vocabula confundunt, crediderunt Deum ita vocari, quia צור etiam petram ipſis ſignet: vbi dignum eſt diligenti conſideratione, vt ex duabus vocibus noſtratibus ingenti diſcrimine diſiunctis vnam fecerint. Rots nobis rupem & ſaxum ſignat, à violentia nimirum; quod vocabulum more ſibi minimè raro retro pronuntiantes, in Stor mutarunt, quod צור cùm ſcriberetur, per errorem factum, vt per Surec legatur. Apud priſcos enim Vau pro V & O ponebatur. Confuderunt ergo roets & ſtur in eandem vocem, atque inde facta homonymia. Sed illud in eadem voce ineptius, quòd ex ſnoor fecerint צור, cùm non ſt ſed ſn hîc ſcribendum fuiſſet, ſi originis ratio ſeruaretur. Eſt autem ſnoor ligamen, vnde צור pro ligo vſurpatum. Hinc pari errore Latinorum Reſtis per conuerſionem voce vlterius corrupta. Iam quia ſtort idem nobis quod effundo, צור etiam pro effundo dixerunt, Tau finali adempto. Stur porrò guberno ſignificans, ichnæum eſt vocabulum. Qui enim gubernat, eò omnem operam ſuam conferre debet, vt rebus quas gubernat, quies comparetur. quæ ratio primùm ſummo omnium gubernatori conuenire cernitur, qui ſic gubernat, vt omnes tandem ſimus in felicitate ſumma requiem adepturi. Ad hanc ergo requiem omnis gubernatio nauis humanæ dirigenda,

Beligal.

Ates cognomẽ eſt Beligal.

Ste ſiue Stede, Stur.

Rots.

Snoor.

Reſtis.

Stort.

Ruſt.

rigenda, vt in æterna vita quieſcamus. Vt numquam ſui obliuiſcitur nomenclator, vt ſemper nos hortatur ad perpetuam animorum ſalutem, vt ſemper humana ex Deo ſuſpendit, & ex primis exemplaribus nominum ducit rationes! Veniat igitur in mentem, dum ſtur audimus, nos in mari verſari, & ea naui vehi, in qua Deus nobis clauum commiſit, quem ſic tenere debemus, vt ad requiem veniamus ſempiternam. Verùm quia non antè quieſcendum, quàm omnia ſint abſoluta; factum, vt Ruſten aliquando pro perficere ponatur. Quia præterea armati animo ſint quietiore & minus perturbato, Ruſting etiam pro armatura vſurpatur. Hinc apud Hebræos צור aliquando idem notat quod formo, quod quid aliud eſt, quam perficio; eo quòd re perfecta in opere ceſſetur, à quo צורה pro figura ſiue forma in qua res acquieſcit. At hìc rurſus vox euerſa. Ceterùm vt ex ſtur fit ruſt/ ita ex roeſt fit ſtoer pro impedio, turbo, irrito, offendo, exaſpero; quod ſaxorum & rupium proprium, cùm nihil magis itinera impediat, quàm rupes, quæ non ſolùm viam exaſperant, ſed omni ſationi & agricolarum labori obſtant. Ex hac voce צור Hebræi pro tribulare, vt ſic cum vulgo loquar, & pro impugnare poſuerunt. Hinc צֹרֵר hoſtis & moleſtiam exhibens: & צָרָה anguſtia, moleſtia, afflictio. A ſtur pro guberno fit ſtier, quod aliquando pro eodem ponitur; aliquando pro deſtinare vſurpatur: vnde צִיר apud Hebræos legatus & nuncius quopiam deſtinatus. Quid quod צור item Tyrum ſignificat; vel quia in rupe eſſet ædificata, veluti rots; vel quia omnibus regionibus nauali bello infeſta eſſet; vel quia ſola mare gubernaret. Verùm illud maioris fuit apud Hebræos confuſionis, quòd צַוָּר etiam pro collo ponunt, à noſtro ſtrot/ quo gulam notamus; pro quo etiam צַוָּרוֹת dicunt, vbi ſtrot facilius agnoſcas. Dicitur autem ſtrot per metatheſim à ſtoꝛt, quod eſt fundo; quoniam per hanc partem omnia corpori, velut per clepſydram, infundantur; vnde fit vt quidam per deriſionem ſtoꝛt-gat dicant, nec deſint qui ſtoꝛt pro ſtrot efferant. Quoniam porrò ianua in cardine gubernatur, ציר etiam pro cardine poſitum inuenitur. Hic licet videre luculentam obſcuritatis & corruptelæ in lingua Hebraica cauſſam, dum tot diuerſæ res in vna voce confunduntur, quarum nomina apud nos non diſtincta modò ſunt, ſed myſteriorum etiam plena. Eo autem lubentius hoc exemplum adduxi, quod ex eo clarè perſpici queat vera ipſius צ pronunciatio, quam huius ætatis Hebræi prorſus corrumpũt. Eſt & יָצַב pro ſtatuere & ſtare, à noſtro ſtaf/ quod vt verbum, idem eſt quod firmo & conſtituo; vt nomen, deſignat ſcipionem quo ſuſtinemur, ſiue quo greſſum firmamus. Si vocem conuertas, confeſtim vſus ſcipionis in lucem venit: eo enim baculo vtimur, quo ſimus faſt/ id eſt, firmiter conſiſtamus. Sed quoniam citra delectum, modò prorſas, modò verſas dictiones ſibi ſumunt; fit vt מוצב pro munimento & vallo ponatur; quod nos Veſtdum ſiue vaſtdom dicere poſſemus. Hinc perſpicua fiunt loca ea in quibus huius vocis vſus eſt: vt Iſaiæ 22. *Expellam te de ſtatione tua:* vbi vertere licuiſſet: Expellam te è caſtris ſiue munimentis tuis. Et in eiuſdem capite vndetriceſimo, *Et faciam contra te aggerem:* quo loco, vallum caſtrorum ſiue aggeres intelliguntur: nos Veſten diceremus. Sic apud Zachariam capite nono: *Et circumdabo domum meam ex his qui militant mihi.* vbi dicere poterat interpres: Ego domum meam vallo cirũcdabo. Eodem modo יַצִּיבָא pro vero fit à vaſt, quod eſt firmum; qua voce vtimur in re quapiam aſſeueranda. Ceterùm ſatis horum. Quoniam verò ſte non locum tantùm ſignificat, ſed in compoſitione conſtantiæ etiam habet notam: fit vt ſter continuam & perpetuam vibrationem ſignet, quæ ſtellarum propria eſt, earum maximè quæ ob longinqua ſpatia perpetuò micare cernuntur; atq. hæc ratio eſt, vt ſterren dicantur: à quo nomine Stellæ apud Latinos, Lambda pro littera canina adſcita: niſi quis à ſte-hel, id eſt, alta ſtatione Stellam dictam velit. Vtriuſque certè ratio conſtat, cùm Latini nihil quod dicant, habere videantur. Ster cum articulo, ad conſuetudinem Flandricam & Anglicam, pronunciato, facit aſter; vnde Græcis ἀϛὴρ, & eius cognata. Quoniam verò diligens inſpectio citra intermiſſionem, micantibus quodammodo & trementibus fit oculis; ſter propriè vibrantem oculorum obtutum deſignat. Et reuera in oculis eſt, non in ſtellis, aſſidua ipſarum vibratio; nobis illum quidem tremorem in ipſis eſſe æſtimantibus, at reapſe nihil minus, quàm id quod facere videntur, admittentibus. Tantum enim abeſt vt ſempiterna vibratione vacillent, vt nullam omnino corporis ſui ſuſcipere queant mobilitatem, præter eam qua cum cælo ſuo aut orbe, cui infixæ ſunt, mouetur.

Verum-

Ruſting. Stoer. Stier. Strot. Stoꝛt-gat. Stoꝛt. Staf. Vaſt. Ster. Stella. ἀϛὴρ.

Verumenimuerò quod ſtur vel ſteur nos dicimus; id non rarò ſtier pronunciatur in eadē notatione: vnde ſtert pro cauda nobis dicitur; propterea quòd caudæ in auibus idē vſus Stert. ſit, qui gubernaculo in auibus. Quid quòd & canes in currendo cauda ſua, velut gubernaculo, vtuntur; minus ad curſum idonei futuri, ſi membrum hoc prorſus amputetur. A ſte præterea & rijc fit ſterc pro forti & robuſto, quaſi conſtantiæ & firmitatis diuitem Sterc. dicas: vnde Græcis ϛερεὸν, & Latinis Stercora, quæ ſic dicuntur, quòd robur frumento ϛερεὸν. & omni ſemini addant, ceu ſterc-coren vocarentur. Taurus item à ſtoer/ quod eſt durum Stercora. & iracundum, ſtier dicitur. A ſtoer Latini Toruum habent, reiecto Sigma, in eadem Stier. ſignificatione. Si ipſi ſte/ quo locus & firmitas notatur, Lambda addas; ſtel facies, quo Toruus. Stel. colloco ſignificatur: quia is qui collocat, videtur ſupremam loci habere poteſtatem: vnde ϛέλλω Græcorum; tametſi eius verbi ſignificatio ad alia quædam tranſiuit. A ſtel/ ϛέλλω. ſtijl, pro columna quippiam ſuſtinente: à qua voce ϛήλη, cum tota ſua ſobole deſcendit. Stijl. A ſtel item ſteel, pro eo in quo quippiā tenetur, vt in pomo pediculus, in ſcopis baculus ϛήλη. Steel. cui ſcopæ annectuntur. A ſtijl item Stylus, & Epiſtylion, quæ vox pro inſtrumento etiam Stylus. ponitur, quo ſcribitur; à ſtel/ quod eſt colloco; quoniam eo litteræ collocentur. Hinc fit Epiſtylion. vt pro tota ratione collocationis verborum accipiatur: cuius rei cauſſa non tam ex columnæ ſimilitudine, quàm ex deriuatione pendet. A ſtel, quod eſt loco & compono, fit ſtil, pro quieto; quod quieſcens bene compoſitus videatur. Quoniam autem quieta & Stil. tranquilla vita hominem cautum & prudentem reddit, voluit nomenclator, vt Liſt Liſt. aſtutiam & ſubtilitatem notaret; eo quòd ad hanc veniatur, ſi ſtil retrorſum pronuncietur. A ſtil, Sileo, relicto Tau, Latini tenuerunt. Eſt in prouerbio, noctem conſilia dare, Sileo. non ob aliam cauſſam, quàm quòd dū omnia ſilent, & ſenſuum exteriorum inſtrumēta mentis diſcurſum non perturbant, prudentiſſima conſilia capiantur. Omnis ergo aſtutia & callida machinatio quæ liſt dicitur, in quiete inſtruenda, dum nihil eſt quod vagum animum ad diuerſa diſtrahit, ſed id quod agit, totum agere permittit. Audienda itaque omnis ſapientia, omnis doctrina, omne cōſilium ſummo ſilentio, & ſumma quiete, ſi vtilitatem inde conſequi velimus: atque hac de cauſſa Pythagorici Harpocratem ad quinquennium colere conſueuerunt, quo ad omnia agenda dicendaque prudentes callidique redderentur. Ex ſta & al fit ſtal, pro loco in quo ab omni labore quieſcitur, Stal. quaſi omnia in eo ſtare diceremus: vnde Herſtal pagus dictus ab exercitus ſtatione, in Herſtal. quo Pippinus, ſecundus eius nominis Brabantiæ dux, natus, Herſtallij cognomentum Herſtallius, accepit, vt prior Landaſius à Landas vocabatur. Contrarium eſt laſt, quo onus denota- Pippinus dux tur, quod in ſtatione quietis deponitur. Fuit autem Herſtal principio Arborichorum Brabantiæ, cognominatus. exercitus ſtatio; de quibus aliàs. At ſi ſtael pronuncies, chalybem notabis, cui nomen à ſta hel, id eſt, à vehementi vi conſiſtendi, quia nulli metallo cedit. Sed ſufficiant Laſt. Stael. hæc exempla de litterarum S & T commixtione, quam veteres pro vna littera, quam Hebræi Sade vocant, acceperunt; vnde fit vt in conuerſione ſeruetur integra, vt viſum in faſt & ſtaf, in liſt & ſtil/ in laſt & ſtal/ ſtur & ruſt/ in haeſt & ſtaeh. Sed hac de re in Hieroglyphicis. Eſt & altera complexio ex S & C, quam pro eadem etiam littera vſurparunt vetuſtiores, vt boſch à ſchob vel ſchop, quòd tegat. Quidquid enim tegit, ſcop voca- Boſch. mus, quaſi ſcai op, id eſt, vmbram ſupernè facio. Scaa pro damno, quaſi ſo caa, id eſt, Schob ſiue ad malum; cui opponitur achs, quod idem eſt quod conſideratione dignor. Hinc ſca Schop. Scaa. pro vmbra, quæ ad malum & mortis tenebras ſpectat, lumine contrà vitam afferente. Achs. Hinc ſcaa-op & ſcop, à quo σκέπη pro tegmine & vmbraculo, & huic cognata. Scau di- Sca. ligenter conſidero, quaſi ſca-hu, id eſt, tueor à damno, quod fit diligenti cautione. Hinc σκέπη. Scau. Caueo Latinis, relicto Sigma. Quòd ſi vox ſcau vt nomen vſurpetur, ponitur pro loco Caueo. eo in quo focus fit, ea ſecuritate, vt muri ab incendio, canalis vnà cum foramine à fumo defendat. Pro ſcau ſcou frequenter pronunciamus: à quo Græcis σκόπος & σκέπτω. Scou. Hinc nobis Voſch/ Alemanis Vocs/ pro vulpe, per conuerſionem; quoniam animal ſit σκόπος. cautiſſimū, & egregiè circūſpiciens, ne quid capiat damni. Ex hac ſignificationis ratione σκέπτω. Voſch. liquet, qua de cauſſa ſcou pro vito ponatur. Quæ enim vitamus, ob id vitamus, ne quid Vocs. noxæ ab iis accidat. Hebræi שָׁמַר pro cuſtodio & caueo dicunt, à ſcaa-mar, quod ad verbū nobis ſignificat Damnū retardo ſiue impedio. Hebræi item Vulpem שׁוּעָל vocant, quaſi ſcou-lag/ id eſt, vitans inſidias diceretur, vnius litteræ metatheſi. Nam y per G gutturale pronunciandum eſſe, ſuo loco demonſtrabo, & modò memini monuiſſe. Nobis

ergo & Hebræis ab eadem deducitur origine vulpis nomenclatura, in qua nos Sc pro
vno habemus elemento, vt in conuerſione planum eſt, dum ex ſcou voſc fit: vbi obſer-
uandum, hanc litteram nobis in fine adſpirari, vt ſit voſch: ſicut ex ſcop fit poſch ſiue
Boſch. boſch/ quo nomine ſilua dicitur, ab vſu tegendi, quem Virgilius agnouit, dum Tityrum
Schoen. ſub tegmine fagi collocauit. Schoen/ ſiue, vt Allemanni ſcribunt, ſchoen/ à ſchou-een,
per ſyncopen ipſius u, & contractionem in aliam diphthongum formatur, qua voce
pulchrum notamus; eo quòd pulchra omnem diligentem conſiderationem ſibi vniant,
& tam arctè concilient, vt ipſis arctiſſimè copulentur. Hinc Amor exoritur, qui eum
qui conſiderat, & id quod conſideratur, coniungit & vnit. Rectiſſimè ergo ſchoen pro
pulchro dicitur, qua vocula & tota vis pulchri explicatur, & præterea monetur, vt ipſum
ſemper in omni re diligentiſſimè conſideremus: quod ſi fecerimus, ſecuriſſimè nobis
cautum fuerit, ne vllum vmquam damnum incurramus. Viden' totum hic pulcri
& conſiderationis vſum, clarius, quàm longis Platonis dialogis, depictum? Quamuis
Leſch. leſch à leſen deriuarim; quia tamen leſch per Sch in fine ſcribitur, videtur aliam quoque
includere rationem, vt inde dici videatur, quòd doctrina, pro qua leſch dicimus, diſcri-
Schel. mina rerum diſtinguat, à ſchel/ quod eſt differo. Schel item excorticare notat; & ſchel
Seee / ſiue corticem, quaſi diceretur ſeee ſiue ſcephel/ id eſt, ſeparatio vehemens. Seee enim ſiue
Seep. ſeep/ idem eſt quod ſeparo; à ſcaa/ pro damno; quoniam diuiſio ad malum & deſtructio-
σκεδάζω. nem totius pertinet: Vnioni enim aduerſatur, qua nihil melius. Græci σκεδάζω inde
duxerunt. A ſeee/ quod eſt ſeparo & ſegrego, fit ſcyt/ quo caco notatur; eo quòd ſit ex-
Scyt. crementi diuiſio ab alimento. Hinc ſceet pro venti per anum expulſione: à quo σκατὸς
Sceet. merda, & σκατοφάγος conuicium in Æſculapium ab Ariſtophane factum. A ſeee fit ſceâr
σκατὸς. *σκατοφάγος.* pro tondeo & rado; ceu ſeee-haer diceres, quod eſt crinem ſeparo. Græci hinc retinue-
Sceâr ſiue runt κείρω, reiecto Sigma, vt in Cauco à ſcau factum. A ſceir/ ſic enim ferè pronuntia-
Sceir. *κείρω.* tur, vel ſceâr/ fit ſcars pro nouacula: ξύρος Græcis: & ſceir pro forfice. Munſterus שְׁיהוּר
Scars. *ξύρος.* interpretatur vocem neſcio de qua radice mutuatus, niſi fortè Iudæis Germanis de-
Sceir. beatur. A ſo & ken fit ſchijn/ pro eo quod ad notitiam tendit ſiue ſpectat. Hinc bifariam
Schijn. voce vtimur. Vno modo pro lucere, quia lux rebus cognoſcendis ſeruiat: Altero modo
pro apparere, vt dum dicimus, Het ſchijnt ſoo te zijn/ id eſt, res videtur ita habere. Hinc
ſchijn pro nomine, idem eſt quod opinio; qua de re in nomine, quo hæc litterarum S &
Scoon. C complexio vocatur, latiùs agendum. Poſſet hinc ſcoon deriuare is, cui minus etymo-
Seeynt. logia, quam prius dedi, placebit. A ſeep & ent fit ſeeynt pro deſtruo, quaſi dicas quic-
Scand. quam ſeparare à ſuo fine: niſi malis à ſcai & ent fieri. A ſeeynt/ fit ſcand pro dedecore; &
Scandel. ſcandel pro offenſa, qua cuiuſpiam opus impeditur, quo minus ad finem ſuum veniat.
Sic dicimus: ic bin daer in geſeeynt/ id eſt, offendiculum paſſus ſum in ea re, quo minus
rectè ad bonum meum finem, ad quem omnia dirigere debeo, potuerim peruenire.
Scandalum. Hinc intelligant Græci, non à Σκάζω Scandalon dici, quod D. Hieronymus ſcripſit;
ſed à ſeeynt/ quod eſt impedire propoſitum alicui finem. Hinc paxilli qui in tendiculis
Scandale- inſidias ſuſtinent, Scandala & Scandalethra dicuntur; eo quòd animalia ad eſcam pro-
thrum. perantia offendant, & à fine ſuo auertant. Siue igitur ſeep-ent/ ſiue ſcai-ent dicas, iuxta
damnum illud intelligetur, quo finis impeditur; vnde ſcand dedecus, & ſcandel pro eo
Scat. quod offendit, ratione apertiſſima deſcendunt. A ſca pro damno, deriuatur ſcat vocali
correpta, quo theſaurus pecuniarum dicitur; propterea quòd magnus nummorum
theſaurus citra damnum multorum vix queat parari: tum etiam, quòd eiuſmodi gaza
non aliis modò damno ſit, ſed ipſi etiam poſſidenti. Veriſſimum enim illud eſt iam olim
à priſcis ſeculis tritum prouerbium, diuitem aut iniquum eſſe, aut iniqui hæredem:
cui Plato ſic concinuit, vt ad modum diuites dicat vulgo etiam malos iudicari. Nomen-
clator itaque cauere volens, ne homines ſermone ſuo vſuri in eam aliquando venirent
opinionem, vt magnos theſauros in bonis ponerent, aut ad felicitatem putarent perti-
nere; ingentem diuitiarum copiam ſcat vocauit, vel à ſcaat/ quod eſt nocet; vel à ſcaa-
hat/ id eſt, damnum habet: quorum vtrumuis acceperis, idem intellexeris, magnas ni-
mirum diuitias noxias eſſe, idque non ſolùm in acquiſitione, quæ magna ſit iniquitate,
ſed etiam in poſſeſſione, quæ plurimis malis, atque iis maximis, præbet occaſiones. A
Scatting, ſcat fit ſcatting/ quo notatur exactio principum, ad pecuniam conficiendam è laboribus
exactiones Principum. & ſcriniis ſubditorum, vltra tributa & vectigalia ordinaria; quæ quàm ſit æqua, ipſi
nomi-

nominis natales demonſtrant. Hinc ſcat vt verbum vſurpatum, idem nobis eſt, quod pecuniam ad hunc modum exigo. Quid non præuidit nomenclator? cui malo non tradidit amuleta? Verùm enimuero, ne putet quiſquam omnem exactionem ab eo condemnari; id obſeruauit, vt vocalem, quæ in ſcaat pro eo quod Latini dicunt nocet, vel damnum dat, longa eſt; in ſcat corripiatur: quo intelligamus, damnoſas quidem eſſe magnas exactiones, ſed hunc in iis modum eſſe ſeruandum, vt paruæ ſint, & parum adferant damni rebus ſubditorum, id eſt, vt breui tempore iactura ſentiatur. Illam prætera in ſcat voluit fieri conuerſionem, vt omnis exactio ad bonum referretur totius communitatis, atque vnuſquiſque pro bonorum portione ſoluere cogeretur, ne ditioribus exemptis, omne onus pauperum humeris incumberet. Tacs enim compoſitum eſt *Tacs.* à Te & acs/ quod eſt ad bonum, quaſi diceretur bonorum intuitus & conſideratio. Vel ſi mauis, à ti & acs/ quorum illud idem eſt quod imputo, à te/ quod ad aliquid denotat, non aliter quàm à tegen fit tygen / de quibus mox. Ti acs igitur idem eſt quod bonum imputo vel homini vel rei; quod nihil aliud eſt, quàm æſtimo. cui originem debet vocabulum taxo, quod eſt boni rationem in re quapiam æſtimare. Acs vt verbum, idem *Taxo.* eſt quod in bonis duco, ſiue ad bonum anhelo: qua in voce ac bonum, ſibilus ſpiritum *Acs.* *Ac.* noſtrum, quo afficimur ipſi bono, deſignat. Hinc ἀξιόω Græcorum. Te-acs igitur ad *ἀξιόω.* bonum refero ſignificat. Sed hac de re prius. Scat ergo primum ad bonum ſpiret, ſiue ſibilet; deinde ſic fiat, vt ſua cuique bonorum iuſta ratio ſupputetur, quorum vtrumque in tacs intelligitur. Hinc factum vt ſcat pro æſtimare etiam vſurpemus; propterea *Scat.* quòd in exactionibus non certa ſcientia requiratur, ſed æſtimatio dumtaxat fiat bonorum: quo monemur, in exactionibus non eſſe libros rationum excutiendos, nec iuſiurandum extorquendum, quo ſcientia certa bonorum acquiratur; ſed ſufficere æquabilem quandam opinionem. Ex ſcee pro ſeparo & diuido, fit ſceelich/ pro eo quod facile eſt *Sceelich.* *Schlichten.* ad diuidendum ſiue diſcernendum. Hinc ſchlichten eſt demere omnia impedimenta. *Schlecht.* Hinc ſchlecht ſimplex, ſiue id in quo facile eſt omnia diſcernere. Vnde pro eo etiam homine *Slecht.* ponitur, in quo nihil eſt reconditæ diſciplinæ. Nos ſlecht ſcribimus, ad molliorem *Slichten.* *Scee.* ſonum; & pro ſchlichten, ſlichten. Iam quia ſcee diſcerno notat; beſcee idem eſt quod rem *Beſcee.* ratione diſcerno & expono: qua phraſi a Germanis in ſermonem Latinum illata, *Diuiſer* *Diuiſer.* *Diſcretio.* Galli dicunt, pro diſſerere. Ex eodem loquendi modo Diſcretio venit in vſum, pro *Beſceet.* iudicio & æſtimatione; eo quòd beſceet idem ſonet quod diſcretio, ſiue ſeparatio, ſiue diſiunctio: cùm nobis beſceet ſit rerum cum ratione expoſitio, quæ rerum diuiſione conſtat. Docemur itaque hac voce, totam Dialectices vim, omnemque diſſerendi rationem *Dialectices tota vis & omnis diſſerendi ratio in quo conſiſtat.* in eo conſiſtere, vt res probè nouerimus diuidere atque partiri. Nemo enim quicquam omnino ſcire poteſt, niſi per diuiſionem, in qua tota conſiſtit diſſerendi ratiocinandique diſciplina. Definitio enim cuiuſuis rei per diuiſionem fit, cuius nomine partitionem etiam complector. Cicero definitionem bifariam diſtinxit: alteram diuiſionis faciens definitionem, alteram partitionis: quod illi malè memoriæ mandarunt, qui eum in Officiorum libro primo reprehendunt, quòd Officij definitionem pollicitus, non definitionem, ſed diuiſionem reddiderit; quaſi verò qui diuidit, non definiat. Sed hæc ſunt ſtolida eorum iudicia qui Dialecticam dumtaxat didicerunt ex frigida vulgarium præceptorum exercitatione; nec Platone, nec Cicerone, nec ipſo Ariſtotele ad veritatis cenſuram vocato. Conſulant Parmenidem, conſulant Sophiſtam, conſulant Phædrum, conſulant alios ſummi externæ ſapientiæ anteſignani dialogos, & inuenient, nihil definiri poſſe, quin diuiſio præcedat & viam monſtret. Sit hoc, vt cætera, latioris examinis: at hic tamen vt iudicium facerem, vox noſtras coëgit, tametſi præcipiti curſu properarem. Beſceet ergo accurata rerum eſt diſtinctio; à qua loquendi conſuetudine *Diuiſer* & *Diſcretio* vocabula apud Gallos & ceteros in vſum tracta eſſe, quis poterit negare? Diſcant ergo noſtrates Dialecticam è ſua lingua, atque in omni propoſita ad dicendum materia intelligant, eam definiendi rationem, quæ rerum diuiſione & diligenti diſcretione conſtat, optimam rationem eſſe, ad *Taal.* quamuis controuerſiam & quæſtionem, vel in hanc, vel in illam partem terminandam. *Tel.* Addant præterea ex iis quæ à me didicerunt, Taal/ quo lingua deſignatur, à Tel nomen *Numeratione partium omnis ſermonis perfectio abſoluitur.* accepiſſe: qua voce nos idem intelligimus, quod in Numero Latini; quo clarè planeq́. cernant, omnem ſermonis perfectionem numeratione partium, quales quales illæ ſint, abſol-

abſolui. Angli hactenus de vetuſta loquendi apud Cimmerios conſuetudine Tel pro loqui vſurpant. Plato in eo libro quem Legum appendicem, ſiue Corollarium, quod Epinomis ſignificat, nuncupauit; ita de ſapientia ſcripſit, vt eam totam ſola numeratione perfici concludat. Iam in Sophiſta, qui de ipſo, quod eſt, differit; quid aliud facit, *Arithmetica laus.* quàm numerare docet? Idem libro De Repub. 7. Arithmeticam ſic laudat, vt eam dicat primas vires habere ad animum ad excelſa tollendum: quod nomenclator noſter multis antè ſæculorũ voluminibus à ſpiritu præceptore ſuo edoctus, paruula vocula, & ea quidẽ trilittera conſignauit; ſed tali tamen, vt ex ea mox intelligatur, omnia ſic numeranda eſſe, vt numeratione eorum ad ipſum altiſſimum ducamur. Quid enim aliud eſt Tel, quàm Te hel, ſiue Te-el? de quo alibi plura. Videte itaque quid ſit apud Cimbros Beſcreet; videte, inquam, diligenter, ne incidatis in illud quod eadem voce, vt ver- *Beſchyten.* bum ſit, vſurpata denotatur. Præteritum enim imperfectum à Beſchyten, quod eſt con- *Beſcreet.* cacare, Beſcreet dicitur, quo vtimur, cùm volumus denotare quemquam in ratione ſubducenda aut rebus diſcernendis eſſe deceptum. Hi beſcreet hem, id eſt, hic eum concacauit, dicimus, cùm quiſquam à quoquam eſt deceptus; occaſione locutionis acceptæ ex homonymia vocis Beſcreet. Diligenter itaque in omni colloquio cauendum, ne ſic rerum fiat ſupputatio atq. diſcretio, vt dici meritò poſſit, Het beſcreet beſcreet ons, id eſt, rationis explicatus nos cõcacauit. Vt pulcerrimum præceptum huic voci Beſcreet nomenclator intexuit, atque adeò vt in ea totius humanæ ſapientiæ iecit fundamentum: ita rurſus per homonymiam nos monitos voluit, in hominum vita nihil turpius, nihil fœdius, nihil magis porcinum aut ſuillum eſſe, quàm decipi in ratione ſubducẽda Admirare diuinum Platonem, admirare Pythagoreos numeros, admirare quoſcumque voles; interim hoc agnoſce, ſic apud Cimmerios noſtrates loquendi habere conſuetudinem, vt quæ in illis maximè ſuſpicis, ea nobis clariſſimè duabus voculis Beſcreet & Tel denotentur; quarum vtraque omnem totius humanæ ſapientiæ latitudinem & complectitur & explanat ei qui cauſſam eius expendit atque diligenter intuetur. Verumenimuerò tam multa ſunt inſignis artificij in hac S & C litterarũ complexione exempla, vt ſi omnia perſequi vellem, vix multa volumina iis ſuffecerint explicandis: qua de cauſſa ad ea reuertamur in quibus ſimplex littera S inuenitur, quam Samech veteres nominarunt. Verùm cùm & de hac ſatis modò mihi videar egiſſe; vno atque altero exemplo addito, finem huic libro imponam. In Saxſonicis memini me cauſſam nominis *Saac.* Saac dediſſe, qua Cauſſa deſignatur, à ſo-ach/ id eſt, ad æſtimandum. Hìc vbi accuratiùs omnia examinanda, addatur, non id modò hac vocula indicari; ſed hoc etiam, omnem cauſſam ad bonum ipſum referendam eſſe, quod eſt aac/ vt antè demonſtraui. Deinde ſummam omnium cauſſam omnia ad ſe trahere, quod eſt ſo-haac / eadem vox ſaac declarat. Qui ergo quid Ac & Hac vocali longa ſignificent, norit; eum latère non poterit, quàm excellentem hæc vocula ſaac habeat rationem. Primùm enim intelligitur, eam primam cauſſam vocandam, ad quam omnia toto ſpiritu feruntur, quæque omnia ad ſe rapit, non ſecus atque harpago, quorum vtrumque in ſo-haac auditur. Deinde quia *Aac.* aac bonum ipſum vocatur; clarum eſt, cauſſam nullam hac voce ſaac dignam eſſe, niſi ad bonum tendat. Hìc rurſus contemplationis ingentia latifundia aperiuntur, in qui- *Cauſſa omnium prima eſt ipſum bonum.* bus cõfeſtim & in primo limine cernitur, ipſum bonum primam omnium cauſſam eſſe dicendã, & ei propriè nomen ſaac conuenire, & aliis cauſſis, ea ſolùm tenus, quatenus ad bonum ipſum referuntur. Bonum igitur & finis eſt ſupremus omniũ, & cauſſa efficiens totius rerum vniuerſitatis. Bonum ergo ſeipſum, vt bonum eſt, inſpiciens, & ſe ad ſe referens, creat vniuerſa propter bonum, id eſt, propter ſeipſum. Vide quò nos ducãt tres litteræ in ſac comprehenſæ. Quanto compendioſiùs omnis creationis cauſſam in Cimbrico cauſſæ nomine, quàm in quauis cuiuſuis philoſophi diſputatione, quantumuis & *Cauſſa vnde dicta.* luculenta & prolixa, inuenimus. Latini ſac inuertiſſe in Caus videntur, è longa vocali *Sac.* facta diphthongo. Sac verò pro Sacco vocali breui pronunciatur, ab eadem origine deriuatum; vt præceptum detur, quo iubeatur, ſacco nihil indendum quod non ad bonum deſtinetur atque referatur. Et non otioſè factum, neque ad homonymiam tantùm vitandam, quòd tempore pronunciationis ſic differant, vt Sac pro cauſſa producatur, pro ſacco breuietur. Eo enim nobis oſtenditur, longum temporis ſpatium, cauſſarum inquiſitioni breue, ſacco replendo oportere nos impendere, ſi hominis, non pecudis, vitam

dis, vitam agere velimus. Dum Saxſonica ſcriberem, necdum probabile reddere potuiſſem, At apud veteres bonum denotare: id apud omnes me facilè obtinere poſſe vi- At.
debam, Acht idem eſſe quod in pretio habeo. Acht igitur ad At ſequitur & nomine & Acht.
reapſe; quoniam id in pretio habemus quod bono coniunctum putamus, eoque quidquid boni ratione appetitur, neceſſariò in pretio habetur: quo fit, vt ne illa quidem ratio quam tum dedi, vti comprobatu faciliorem, ab hac, quam nunc aſſigno, ſit aliena. O inſignem & admirabilem induſtriam, quæ tribus litteris tantum incluſit & expreſſit myſteriorum, vt ſimul tum omnem totius humanæ vitæ felicitatem, tum totam, quam late patet, & ſapientiam & prudentiam auribus inſtillarit. Omnia ex prima cauſſa pendere, omnia ad primam cauſſam eſſe ſummo ſtudio referenda, eamq. totam in ipſo bono contineri; tum etiam multum temporis in cauſſarum inueſtigatione ponendum, vocabulum ſaac declarat. At ſac vocali correpta planè demonſtrat, nihil nobis eſſe ſaccis recondendum, quod non ad ipſum bonum dirigatur, addens & illud, breue tempus in iis quæ ſaccos replent, eſſe collocandum, ne ſacci ſtudium cauſſarum officiat inquiſitioni. Videmus itaque, nec iniuſtè quidquam eſſe quærendum, nec rurſus diuitias parandas, licet iuſtiſſimè, vltra eum terminum quem boni ratio præfigit. Rerum affluentia, vel luxui ſumptū ſuppeditatura, vel inſatiabilem auaritiam auctura, vel ad ambitionem & ſuperbiam comparata, vel iuſtum cauſſarum examen, quo religio & ſapientia omnis abſoluitur, excludens, ipſo Sacci nomine vetatur. Dignum nomen apud omnes gentes memoria ſempiterna, ſi perinde omnes rationem eius intelligere poſſent: hoc certè fato à nomenclatore factum, vt in confuſione Babylonica, minus quàm omnia
cetera, fuerit corruptum. Hebræi שק dicunt, Latini Saccum, Græci σάκκος; tametſi Saccus.
omnes æquè ſignificationis cauſſam ignorent; adeò vt luculentiſſimum in hac voce ſit σάκκος.
argumentum, ceteras linguas à noſtra originem traxiſſe, noſtram à nulla alia dependere. Saac an olim conuerſionem admiſerit, ſtatuere non poſſum, ob exemplorum defe-
ctum: ſuſpicor tamen Caas olim in vſu fuiſſe pro euentu, ſiue eo quod ex cauſſa depen- Caas.
det: atq. inde apud Latinos phraſim manſiſſe, vt Caſum pro euentu ponerent cauſſæ, Caſus.
vt ſic dicam, accidentariæ: propterea quòd eiuſmodi euentus non ad hanc vel illam
cauſſam, ſed ad cauſſam ipſam in genere videatur pertinere. Sic enim à Vort ſiue Fort Vort ſiue
Fors retinuerunt, quòd Vort generatim ad quemuis bonum ſucceſſum commune ſit. Fort.
Cùm igitur aliquid euenit nobis, non ex noſtro conſilio, aut deſtinatione; id dicimus Fors.
forte eueniſſe, id eſt, à cauſſa ſuperiore & communiore quàm ſit conſilium & opera Forte.
noſtra; quam idcirco communi res promouentis nomine deſignamus, non adiecto vel hoc vel illo. Certè nihil accidit, cuius non ſit cauſſa; eorum quidem, quæ ad bonum tendunt, Deus & eius adminiſtri; eorum quæ ad malum ſpectant, Ate & eius item miniſtri & pediſſequi. Hæc igitur præter deſtinationem noſtram euenientia, generico promouentis nomini ſiue ad bonum ſiue ad malum attribuimus, fortè ea dicentes euenire, id eſt, ab eo quod promouet. Sic & Caas illud erit inter euenta, quod cauſſam quidem habet, ſed altiorem quàm id quod operatur, ad alium reſpiciens finem. Verùm
Caes pro Caſeo alterius eſt originis, ab eo nomen ducens quod malum ſit nutrimentū, Caes.
ſi ad alteram lactis partem conferatur; ceu Ca-aes diceretur, id eſt, malum edulium: cui
butyrum comparatum dicitur Boter, à Boet, quod ſignificat adiumentum ſanitatis, & Boter.
Eet, quod eſt, ſumptum in edendo facere; ita vt boeter ſalutis comeſtio dicatur. Hinc Boet. Eet.
Latinis Caſeus & Butyrum: tametſi poſterius Græcum videatur, eam capiens inter- Caſeus.
pretationem, vt caſeus bubulus dicatur, bubula prorſus ſententia. Quis enim ratio- Butyrum.
nis capax Butyrum caſeum eſſe dixit? Det ſanè vaccinum lac plus butyri, quàm lac ceterorum animantium; ex eo ne efficietur, vt protinus butyrū caſeus vaccinus ſit dicendus? quaſi verò non aliud in vaccino lacte caſeus eſſet, aliud butyrum. Pudet me id genus originū, in quibus adeò nihil ſani inuenitur, vt prorſus cum rerum natura pugnent, nedum eius ſymbolum & notionem declarent. In omni lacte butyrum eſt, non modò bubalo; in omni lacte caſeus, in omni lacte ſerum. Butyrum ergo à boter, vel butter, vt alij pronunciant, deriuatur: quod alimentum tanto melius nomenclator, quàm caſeum iudicauit, vt hunc, reſpectu illius, prauum dicat præbere alimentum. Interrogentur modò medici, vtri rectius cenſeant; grammaticine, butyrum caſeum eſſe dicentes; an Cimmerij, ſuis notis quibus ad corpus humanum conferuntur, hæc alimenti genera diſtin-

Tyros. diſtinguentes. Tyros autem Græcorum pro caſeo, à ter dicitur; eo quòd caſeus ferè commune fuerit primorum hominum edulium, multo quàm butyrum probabilius. Iam ad ſac redeamus, quod breui vocali elatum conuertitur illud quidem, ſed ſic, vt
Cas. *Cassus.* Cas duobus modis intelligatur: Vno, pro vacuo, vt dum locum pro vacuo capimus; vnde Caſſus Latinorum: Altero, vt ſit receptaculum cuiuſuis rei. Quæuis enim arca & quiuis loculus Cas vocatur. Saat Angli & Zeelandi ſet pronunciant. Sat-gun igitur, ſi-
Segun. ue ſet-gun / & ſola media littera retenta segun / idem eſt quod cauſſam omnium ſupremam cuiquam opto; qua de voce in Saxſonicis ſatis latè, vbi etiam quid Saga, quid Sa-
Set. *Sede ſiue ſeed.* *Sedig ſiue ſeeg.* *[illegible] ſiue [illegible]* gio, quid Sagax, quid seggen / quid Sagmen notet, explicatum. A set / quod ſignificat pono & colloco, ſit sede ſiue seed pro moribus compoſitis, & modeſtia. Vnde sedig / & conciſione vſitata seeg pro modeſto & compoſitis moribus prædito: à qua voce syg vel syge pro victoria, propterea quòd ea demum vera ſit victoria, quæ homines effrenes ad modeſtiam compellit. Prima itaque victoria, vt quiſque ſe vincat, id eſt, vt ſe modeſtum faciat, atque in omnibus temperatum. Altera, qua alios vincimus, ita vt eos ad temperantiæ frena cogamus. Neque enim hoc victor ſpectare debet, vt pro ſua voluntate atque libidine quiduis victis imperet: ſed eum ſibi terminum præfixum habet ab eo qui syg à seeg pro victoria voluit vſurpari, vt & ſe primùm præbeat temperantem, deinde victos etiam ad eandem temperantiæ legem inducat. Sic Strymon non aliud à ſuperatis gentibus exegit, quàm vt efferos & belluinos mores exuentes ciuili modeſtiæ aſſueſcerent, vt alibi memini tradidiſſe, dum Francorum examinarem antiquitatem. Hæc regia victoria eſt digna principibus, qui auguſtorum nomen volunt mereri: quæ ſi ſola victoriæ nomen apud nomenclatorem noſtrum ſit adepta; quid illos dicemus agere, qui non aliam ſibi cauſſam vincendi proponunt, quàm vt victis omnia abripiant, ſpoliatis pro iumentis vtantur, eorum vxores, filias, & ancillas conſtuprent, totam denique regionem ſic ſcelerum enormitate vexent, vt omnes mori, ſi honeſtè liceret, mallent, quàm ſub eiuſmodi victoribus in perpetuis duriſſimæ ſeruitutis malis non tam viuere, quàm lentis cruciatibus ſemper enecari. Tyrannorum hæc laniena eſt, non victoria, in ſermone Cimbrorum; quam ne quiſquam mortalium experiatur, eum rogo,
Sygebertus. *Sygeſmondus.* qui ſolus poteſt iugum tollere ſeruitutis. A syge Sygebertus dicitur is qui dignus eſt victoria: & Sygeſmondus, qui victoriam ore præfert, vel qui ore ad victoriam poteſt incitare, vel etiam oratione ſua hoſtes ſuperare, & ad legum conuertere æquitatem: quod genus victoriæ, quò minimum ſanguinis effundit, eo eſt præſtantiſſimum, & tanto homine dignius, quanto naturæ ipſius conuenientius, cuius eſt ratione atque ſermone, non gladiis & rabie pugnare. Suſpicor Hebræos צדק ſuum & צדיק hinc habere, perperam צ pro Samech admiſſo, quo iuſtus apud eos denotatur. Modeſtia enim omnes virtutes complectitur, perinde atque Iuſtitia in ſacris litteris; vt dum Nochus dicitur fuiſſe vir iuſtus. quamquam à stadich poſſet deriuari, ſeruata vera pronuntiatione, quam ſcriptu-
Stadich. ra demonſtrat. Stadich enim conſtans nobis dicitur: qua rurſus nomenclatura totus
Sedo, as, are. virtutum chorus comprehenditur. A seed vel seede fit Sedo Latinorum, quod verbum ad animi perturbationes pacandas propriè videtur pertinere, à quibus ad alia transfer-
Wijc. *Swijc.* *Swac.* tur. A wijc / quo denotatur Cedo, fit swijc / quaſi so wijc / id eſt, ad cedendum: quo deſignamus, flecti quicquam & deorſum inclinare, & ſe ſubmittere: Vnde swac / pro eo quod facilè flectitur & deprimitur: quod ad tempus applicatum, cæli conſtitutionem morbis obnoxiam & infirmam deſignat. A swijc fit swijg pro taceo; eo quòd ſilentium maxi-
Swijg. ma ſit ſummiſſio, qua nos ſinimus ab aliis doceri; interim dum tacemus, infirmitatem
Harpocrates qualis fingatur. animi noſtri confitentes. Hinc Harpocrates puer fingitur infirmus, & omnino ſummiſſus; pedibus ſedens inter veſtium ſinus contractis, & digito os comprimens: de quo Capella in Philologiæ nuptiis: Verùm quidam, inquit, redimitus puer, ad os compreſſo digito ſalutari, ſilentium commonebat. Sed nos de huius hieroglyphico ſigno alias fortaſſe plura. A swijg Græci habent σιγάω; littera, qua carent, reiecta. Hebræi שתק pro
σιγάω. swijgt dicunt, ק pro digamma duplici quo carent, ponentes: & quia metatheſim frequenter admittunt, & parui faciunt ſi Thet pro Tau proferatur, in eadem ſignifica-
Sing. *Hing.* *Hinge.* *Hingeniſſe.* tione שטק dicunt; in vtraque tamen voce Gimel reiectum, ne conſonantes ternarium egrediantur. A so & hing / fit sing / pro canto; eo quòd omnis cantus ad eum referri debeat, ex quo ſolo omnia dependent. Hing enim & hinge & hingeniſſe poteſtatem eam notant,

notant, è qua ſumma cuiuſquam negotij pendet: atque ideo propriè & primò de diuina poteſtate, omnia manu ſua ſuſpendente, dicitur. Additur frequenter ge/ perfectionis nota, vt dum dicimus, Gots gehing/ id eſt, diuina diſpoſitio. Quamobrem omnis cantus ad hanc diuinam catenam omnia tenentem, ipſiúſque ſempiternum verbum omnia diſponens, referendus, ſi nomenclatori credere volemus. Hoc eſt illud: *Septies in die pſallam tibi.* Sang præteritum imperfectum facit ſanc nomen, pro cantu; vnde & Cano Latinorum, mutato S in C. Vide ergo quid faciant, qui carmina & odas ſuas ad alia tranſtulerunt; quámque grauiter peccent, qui ſpurciſſimas ſpurciſſimis carminibus libidines celebrant, & cantus ſuauitate lumbos ſcalpunt, vt Satyrico more loquar; & oleum ardentibus iuuenum animis affundunt. Semper Deus canendus, nec vlli alij rei ſeruire cantus debet, quàm vt immenſa eius poteſtas, qua omnia temperat, & ſuauiter diſponit, laudetur, & quoad eius humanis viribus fieri poteſt, celebretur & extollatur. qua de re in A lauda latiùs. Quoties Pſalmiſta nos adhortatur ad canendos Deo hymnos, quoties exclamat, *Cantate Domino*; quàm nobis in cantando diligenter præiuit! Atqui noſtrarum vocum architectus noluit nos vernaculum cantus nomen audire, vt non ſimul cogitaremus, omnem cantum ad eum referri debere, de cuius nutu & diſpoſitione dependet omnia & in cælis & in terra. Gloria igitur Patri, & Filio, & Spiritui ſancto; quod & nunc, & ſemper, & per omnia ſeculorum ſecula cantemus, vt iis choris iungamur qui perpetuò canunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Proclus in Parmenidem ſcribens, cùm oſtendiſſet nihil de Deo affirmando dici poſſe; addidit: ſi quid dicatur, id ſic exponendum, vt id quod ipſi tribuitur, ab eo pendere intelligatur. Exempli gratia: Deus eſt fons diuinitatis, id eſt, diuinitas pendet ex Deo. Eodem modo Deus eſt cauſſa omnium, id eſt, omnia ex Deo pendent; ita vt reſpectus rerum ad Deum ſolum affirmetur, de ipſo verò nihil dicatur. Quamobrem qui hing canit, hoc ipſum canit quod in omnibus Deo attributis eſt intelligendum, adeò vt nullum nomen potius videatur canendum, quàm quo cetera omnia comprehenduntur. Sic Deus eſt Deus, quia deitatis notio ex eo pendet, quæ ipſa eſt æternitas, ſi Deus à vetuſta Cimmeriorum dictione D'ew dicatur, quam ſæpius iterant Alaudæ. Quicquid enim mens noſtra concipit, id à Deo ſuperatur; tantum abeſt vt quicquam de eo propriè poſſimus affirmare. Pendet ex eo vnitas, eſſentia, integritas, æternitas, diuinitas, ſanctitas, infinitas poteſtatis. Quid multis? omnia quæ de ipſo dicuntur, ex ipſo pendent.

Ge. *Cantus omnis quò referendus.* *Sanc.* *Cano.* *Deus vnde dictus.*

HERMATHENÆ

LIBER IX.

Lingua Cimbrica prima omnium linguarum.

POSTQVAM modò ſatis multis exemplis docui, primas linguæ noſtræ voces ſignificationis ſuæ cauſſas ex ipſa elementorum ducere natura, & inde reliquas deriuari: neceſſaria collectione efficitur, nullam linguam noſtra poſſe dici priorem, niſi primis aliquid prius eſſe fingatur. Cùm igitur ſermonis Hebraici, Græci, Latini,& noſtri magna ſit in pluribus vocabulis communio & cognatio; dicemus, primas vocum,quæ communes ſunt, origines neceſſariò ad noſtram linguam pertinere; niſi fortè quiſquam poſthac reperietur qui nos doceat, illas quoque linguas omnia ſua nomina ad primas voces, & has in elementa, vt primogenias cauſſas, referre poſſe. Nos interim, dum quiſquã talis exiſtet, qualis numquam ne eſſe quidem poſſit,nedum ſit futurus, tenebimus, nullam aliam linguam, quàm noſtram hanc admittere in prima elementa ſolutionem; vt ex iis liquidò conſtent ſignificationis vocabulorum cauſſæ: atque idcirco noſtram in harum collatione (nam ceteras non moramur) primam eſſe dicendam. Quamobrem ſi veræ linguæ non ſint, quæ veris vocibus non conſtant, iuxta Socratis inueſtigationem,apud quem veræ voces ſunt, quæ res,vt natura earum poſtulat, ſignificant, ſola noſtra lingua veræ linguæ nomine fuerit dignanda.

Barbarorum lingua. Quod ſi ita eſt, rectè dictum à Clemente Alexandrino, Barbarorum linguam propriè gloſſam vocari; vtpote, quæ ſola primas dare poſſit vocabulorum cauſſas. Plato item *Barbari.* apertè fatetur, Barbarorum ſermonem,quàm Græcum,priorem eſſe. Qui verò Barbari ſint, non puto cuiquam hactenus liquêre. Socrates certè generatim Barbarorũ ſermo- *Phryges.* nem priorem confeſſus, exempla quibus id doceret, è Phrygia ſumpſit, quaſi Phryges primarij Barbarorum eſſent habendi. Plinius tradit, Phryges primos inueniſſe artem *Phrygiones.* veſtium acu texendarum; & hinc eos qui huius artis periti eſſent, Phrygiones fuiſſe *Barbaricarij.* nuncupatos. At Iuriſconſulti Barbaricarios eoſdem vocant; eo quòd Barbaricas veſtes facerent; quo fit vt Phryges peculiari quodam ſuo iure Barbari dici debere videantur: *Latini originem ſuam Phrygibus referunt acceptam.* quod tamen ad contemptum referri non poteſt;propterea quòd Latini originem ſuam Phrygibus referant acceptam; aut ſaltem confiteantur,ſe eoſdem primos parentes habuiſſe. Iam olim enim Homerus vaticinatus erat, Æneam & eius poſteros perpetuò regnaturos. Quid quòd Plautus quæ in Latinum ſermonem conuerterat,ſe dicit vertiſſe Barbarè; non illud quidem, vt opinor, per Latinæ linguæ contemptum; ſed de vetuſta loquendi conſuetudine, qua Græci cùm ceteros,tum Phrygios maximè Barbaros voca- *Barbaricæ veſtes.* bant. Sic Lucretius pro Phrygiis veſtibus Barbaricas dixit:

Iam tibi Barbaricæ veſtes, Melibœaq; fulgens.

ad quem verſiculum Adrianus Turnebus annotauit, Barbarum pro Phryge dici, eſſe frequentiſſimum. Quamuis autem non ignorem,non alios modò,ſed Virgilium etiam Barbaricum pro externo accipere & inculto; & Strabonem putare, Barbar inconditam exterorum vocem frequenter à Græcis auditam, in cauſſa fuiſſe, vt alterius linguæ homines Barbaros nominarint; ex eo tamen effici nego,hanc vocem non prius Phrygibus *Cares Barbarophoni dicti ab Homero.* quàm ceteris tributam fuiſſe. Videtur tamen nobis Homerus aduerſari, qui Cares Barbarophonos vocauit: Νάστης αὖ Καρῶν

ἡγήσατο βαρβαροφώνων οἳ Μίλητον ἔχον.

Verùm cùm nos ſciamus tũ è Geographo, tum ex aliis, totam Cariam & vicinã oram, vnà cum Epheſo, ab Amazonibus olim habitatam fuiſſe, & in ſuburbano Mileſio Branchidarum templum & oraculum ad Xerxis vſque duraſſe expeditionem, atque eundem Branchidas atque vetuſtos Vrancos ſermonem habuiſſe;non miramur,ab Homero Cares potiſſimùm Barbaros fuiſſe nuncupatos; eo quòd & Amazonum poſteri eſſent, & eorum ſacerdotes adhuc priſco ſermone vterentur. Et verò licet demus, iam inde ab Homeri ætate, Barbari nomen aliis, quàm Phrygibus dari cœpiſſe; id tamen noſtra non admodum refert,& eſt alioqui eadem in Caribus,quæ in Phrygibus, Barbariſmi ratio: propterea quòd vtraque gens à Iapeto deſcendat, cuius filius Ion Caris fuit pater, vt in Hiſpanicis docebo. Porrò ſi verum eſt, Amazones totam Ioniam poſteriùs occu-

occupaſſe, vti Græci ſcriptores prodiderunt: gemina cauſſa fuerit ob quam Cares Barbarophoni potiſſimùm vocentur: altera, quòd ab Ione Iapeti filio genus ducant: altera, quòd Amazones Gomeri poſteri Ioniam quoque tam olim occuparint, vt plurimas in ea ciuitates condidiſſe ſcribantur. Epiphanius totam illam mundi ætatem quæ ab Adamo ad cataclyſmum vſque computatur, Barbariſmum vocat; & à cataclyſmo ad confuſionem Babylonicam, & vſq. ad Seruch, in quo cœpit idololatria, Scythiſmum: qua in re antiquos videtur ſecutus auctores. Nam & D. Paullus primùm Barbaros, deinde Scythas, deinde Hellenes, deinde Iudæos enumerat; ceu ea fuiſſet gentium & viuendi rituum in orbe ſucceſſio. Nobis itaque, cùm hæc, tum illa quæ de lingua noſtra tradidimus, conſiderantibus, ſuſpicio oboritur; aliquid hîc occultioris antiquitatis latêre, quàm vulgus hominum hactenus crediderit; & aliud longè Barbari vocabulo, quàm vel Strabo, vel ceteri crediderint, denotari. Cùm enim Phryges videam Barbaros potiſſimùm vocari; & Ægyptiorum teſtificatione cõſtet, horum ſermonem omnium eſſe antiquiſſimum; & Plato fateatur, Græcam linguam non pauca ab illis vocabula accepiſſe; & Clemens dicat, ſolum Barbarorum ſermonem linguæ nomine vocari debere; & nos certò ſciamus, eos ſermone noſtro, qui idem eſt cum Thracio & Getico, vſos fuiſſe; & noſtrum modò docuerimus primum eſſe: cogor in hanc deſcendere ſententiam, vt Barbarum dicam nihil minus eſſe, quàm quod Græci crediderunt. Frequenter monui, & frequenter iterum in aliis erit monendum, Græcos Digamma Latinorum carere; quod hi tamen à vetuſtis Æolibus videntur accepiſſe, apud quos fuerit Vau nuncupatum: quod nomen noſtras eſſe, in Hieroglyphicis docebo. Loco autem Vau ſubſtituerunt aliàs βῆτα, aliàs adſpirationem. Adde quòd quamuis Latini Vau habeant, duplex tamen Vau non admittant. Nunc igitur ad rem. Wat nobis idem eſſe quod Verum, dum pro nomine accipitur, tradidi; & tantundem valere ac cuſtodio, dũ pro verbo vſurpatur. Hinc igitur Wat Wat vocabulum compoſitum è nomine & verbo, eum notabit qui verum cuſtodit. Hanc vocem nec Græci, nec Latini, nec Hebræi ſcribere poſſent characteribus ſibi vſitatis; & idcirco è War-war βάρβαρ & Barbar factũ; quod nomen ſi interpreteris iuxta rectam rationem, Veritatis cuſtodiam vertas oportet. Phryges igitur Barbaros ſeipſos vocabãt, maxima quadam prærogatiua dignitatis; quippe qua ſibi ſolis fidam priſcæ veritatis cuſtodiam arrogarent. Græci, voce hac non intellecta, & propter aſperæ ſyllabæ iterationem iudicata duriore, Barbaros dici putauerunt ab aſpera locutione. Quam verò Phryges ſe iactabant cuſtodire veritatẽ? Quam aliam quàm veritatem primarum vocum; quas ſic Adamus rebus accommodauit, vt omnis veritas in iis cerneretur? Hanc veritatẽ in vocibus noſtratibus hactenus eſſe, abũdè mihi cumulateque videor tradidiſſe. Nunc itaque videbimus, antiquiſſima quæque proximè ad Barbariſmum accedere; quia nimirum proxima ſint veritati: & ideo primam mundi ætatem optimo iure dictam fuiſſe Barbariſmum; quoniam in ea veræ vocabulorum rationes fuerint conſeruatæ, non in vna modò natione, ſed in tota terra; vti de ſcripturæ ſacræ teſtimonio facti ſumus certiores. At altera ætas, diluuium proximè ſecuta, Scythiſmus nuncupatus eſt; eo quòd homines primùm in Scythia habitarint; & ſola Scythia veterem linguam & ante & poſt confuſionem Babylonicam conſeruarit. Poſt Scythiſmum ſucceſſit Helleniſmus, in Aſia Scythis ad ſuas terras digreſſis. Inter hos, Phryges, Aſcanij & Gomeri poſteri, ſibi Barbarorum nomen præ ceteris arrogarunt; eo quòd priſcæ veritatis in Aſia eſſent cuſtodes: quorum coloni quidam in Europam digreſſi, Duitſchen ſe indigitauerunt, quo ſignificantur antiquiſſimi; eo quòd & linguam antiquiſſimam ſeruarent, & genus à Gomero & Aſcanio, duobus primogenitis, ducerent. Verùm quia in veritatis cuſtodia eorum maximè hominum rationem haberi oportet qui non vocabulis modò veris vterentur, ſed totam quoq. vitam ad veritatis normam quadrarent: in ætate illa quæ Barbariſmus vocabatur, mentis acies ad eos dirigenda qui à Set deſcendentes eos reliquerunt poſteros, per quos genus humanum in diluuio eſt conſeruatum. Hos autem Setinos ſacra ſcriptura filios Dei vocauit: è quo fit, vt Barbara Phrygum lingua filiorum Dei lingua; & conſequenti collectione, Lingua deorum verè dici queat, aut potius dici debeat, ſi res quæque clariſſimo ſuo nomine ſit nuncupanda. Ex his modò agnoſcas, vnde Homerus acceperit linguæ deorum & linguæ hominum diſcrimen: tametſi priſcam veritatem ad fabulas ſuas traduxerit. Totam ſuam

Barbariſmus. *Scythiſmus.* *Wat.* *Barbarus vnde dictus.* *Barbariſmus* *Scythiſmus.* *Helleniſmus.* *Setini, id eſt, à Set deſcendentes, filij Dei vocantur.* *Barbara Phrygum lingua, lingua filiorum Dei, ſiue deorum.*

poëſin Orphicis magiſtris eum debuiſſe, neminem hactenus vidi qui negarit. Atqui iis clarum erat, ſuam linguam primam fuiſſe; & idcirco à Setinis olim Dei filiis vſurpatam, & hac de cauſſa meritò deorum linguá vocari. Verùm Homerus quamuis diſcrimen hoc vel à Thracibus, vel, quod idem eſt, à Phrygibus magiſtris accepiſſet; ad linguam tamen Græcam accommodauit: & quia didicerat vocabula in deorum lingua rationibus optimis & præſtātiſſimis eſſe conſtructa; ea deorum nomina vocauit, quorū cauſſas rectiſſimas putaret; hominibus verò illa tribuit, quorum deterior ratio videretur. Hinc cùm duo eiuſdem fluminis apud Troianos nomina videret, alterū Xanthum, alterum Scamandrum; prius diis, poſterius hominibus adſcripſit: *Xanthus fl.*

ὃν ξανθὸν καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ σκάμανδρον.

Crediderim equidem ipſum à quopiam didiciſſe, Xanthi nomen priſcorum Phrygum, & idcirco deorum vocabulum fuiſſe; Scamandri verò nomen poſterioribus ſæculis deberi. Nobis Xant arenam ſignificat, maximè maris, à See rant/ id eſt maris margo; eo quòd maria ferè margines ſuos ex arena conſtituant: vnde littus arare, & maris arenas numerare, cōmunibus prouerbiis iactatur. Ex S & C, accedente metatheſi, duplex littera facta eſt; atq. ita Xant ex See-rant euaſit. Hinc Xant-wijs eſt illud quod arenæ ſimile eſt; qua de voce Græci ξανθὸς pro flauo, eo quòd color hic arenam referat. Sic Virgilius: *Xant.* *Ξανθὸς, flauus.*

Atque hic Aeneas ingentem ex æquore lucum
Proſpicit; hinc inter fluuio Tiberinus amœno
Verticibus rapidis & multa flauus arena
In mare prorumpit.

Eodem modo Horatius:

Vidimus flauum Tiberim retortis
Littore Etruſco violenter vndis
Ire deiectum monumenta regis
Templaq; Veſtæ.

Aptiſſimum igitur nomen fuerit Xanthus ei fluuio qui multas arenas ſecum trahat. Habet & aliam Xanthus apud nos interpretationem, ſi vtraque ſyllaba producatur. Nam Xan-thuis idem eſt ac ſi dicas, feſtinans domum; quæ notio æquè flumini Troiano atque prior conuenit: eo quòd ex Ida erumpens mox in mare præcipitet. Eſt autē mare fluminum omnium domicilium. Porrò quàm violentus crebrò voluatur, ex pugna eius cum Achille diſcas; quam hîc commemorare non lubet, quia verſus quibus eam deſcribit Homerus, plures ſunt, quàm vt recitandi mihi videantur. Alterum nomen, quod hominum eſt, ſi ad Barbaram quoque linguam interpreteris, idem eſt ac ſi damni dicas monitorem. Sca-mander enim ad verbum damni monitorem deſignat. Cur ergo, dices, hoc non æquè, atq. illud, deorum eſt? Nempe quia Setini fauſtiſſimas ſemper nomenclaturas dare conſueuerunt, non eas quibus malum aliquod omen contineretur. Poſterius ergo nomen, vtpote à damno datum, non eſt filiorum Dei, tametſi ſit ab hominibus eiuſdem linguæ acceptum; propterea quòd à recta regula declinet. Romani hactenus Tiberis inundationem in malis ominibus habent. Certè dum flumina, vel imbribus vel niuibus liquefactis ſubitò aucta, vel à mari etiam & ventis repulſa atq. retorta, vt Horatius dixit, alueos ſuos egrediuntur; ſemper aliquid mali ſignificant: non illud quidem diu pòſt exſpectandum, ſed eodem tempore quo inundant, præſens futurum: de quo Scamander rectè potuerit nomen ſuum ſortiri. Scamander igitur idem eſt quod μάντις κακῶν: atque adeò Mantis & Scamander ab eodem verbo Man, quod eſt moneo, deſcendunt. Ineptum eſt quod Etymologici ſcriptor adduxit, & indignum ferè confutatione. Ait Scamandron ἀπὸ καμάτου dici, vel παρὰ τὸ ἐσκάφθαι ὑπὸ ἀνδρός. Quis rogo hominum hunc fluuium fodit, quem Homerus βαθυδίνην, ἀργυροδίνην δινήεντα, & alis cognominibus appellat; è quibus clarè conſtat, maxima vi aquarum ex Ida præcipitantium eum crebrò intumeſcere, & rapidum per campos ferri. Ne foſſor quidem vllus tam deliras ſcriberet nugas. Iam quid κάματος cum Scamandro habet commune? Sed tales ſunt etymologiæ Græcorum. Quid? ánnon Homerus δῖον vocauit hunc fluuium? Profectò ſi quis eum fodit, nemo virorum fodit, ſed ipſe Iupiter pluuius, de cuius vrna maxima videlicet accipiebat incremēta: & quia plurimas tū arenas volueret, meritò Xanthus eſt nominatus, apud eos qui rectam nominū rationem à Setinis Dei filiis obſerua- *Scamāder fl.* *Mantis.*

obſeruatam ſequuntur. At ab aliis, humano more, damna ſua Diis imputantibus, Sca- *Nomina ma-*
mander vocatur, tam contra omnem rationem, vt Pythagoras mali ominis nomina *li ominis mu-*
mutanda cenſeret, ne quippiam mali ex eorum contagione eueniret. Quamobrem *tanda.*
recte ab eodem vate fictum habemus, Hectoris filium à mulieribus Scamandrium, quia *Scamãdrium*
fortaſſis ad Scamandrum editus eſſet, nuncupatum; verum à viris dictum fuiſſe Aſtya- *mulieres, viri*
nactem. Videmus enim quanto fauſtius ſit & felicius cuipiam regnum portendi, quàm *Aſtyanacta*
eum nomen ab admonitione malorum habere. Vult itaque poëta, vt nomina fauſta *vocarunt He-*
ſint & boni ominis: quod mulieres in Scamandrio cùm neglexiſſent, viri compenſa- *ctoris filium.*
runt, & loco Scamandrij Aſtyanacta, id eſt ciuitatis regem nominarunt. Eodem ſpe-
ctauit, dum hunc condidit verſum,

Χαλκίδα κικλήσκουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ κύμινδιν. *Chalcis auis.*

Ariſtoteles tradit ab Ionibus Cymindin hanc auem vocari. Mihi nec Ariſtotelis lectio *Cymindis a-*
integra videtur, nec video qui poſſim ei mederi. Adiecta enim ſunt verba quædam de *uis.*
Hubride & Ptyinge, quæ tamen nec Euſtathius nec Plinius videtur legiſſe. Hic etiam
λεπτὸν omiſit, quod Gaza & Euſtathius agnoſcunt vt genuinum. Gaza quibuſdam
Ptyngen vocari addit, ſed Hybridis nullam facit mentionem. Plinius nocturnum ac-
cipitrem vocauit. Ariſtophanes etiam inter accipitres enumerauit, & proximum aquilæ
recenſuit. Nobis hic non lubet accuratius de Cyminde perquirere, eo quòd nocturna-
rum auium valde obſcura hactenus ſit hiſtoria, & nocturnæ caligini comparanda. Qui
Hubrida etiam vocari voluerunt, videntur ab Hub-ur ſibi nomen feciſſe, quo maximus *Hubris auis.*
bubo denotatur: & certè huic maximè Homeri fabula videtur conuenire; nec malè
item in hanc auem quadrat Comicus auium exercitus. Nec enim bubo vel corporis *Bubo auis.*
magnitudine vel viribus aquila inferior eſt; & ſi inter has pugna ineatur, anceps eſt cer-
tamen. Deinde quemadmodum aquila interdiu lepores rapit, ita & bubo nocturno
tempore. Venatur autem tam auide & dextrè, vt magnam vna nocte prædam frequen-
ter congerat. & ſi quis nidum eius in rupibus exploratum habeat, & ad eum clanculum
pernoctare velit; ei facillimum fuerit, prædæ partem ſubducere; quod familiarem
quendam mihi venatorem non ſemel feciſſe, de ipſius didici relatu. Ipſe cum robuſto
cane pugnantem vidi, & cùm ſemel vnguibus ei hæſiſſet, difficillimè potuiſſe auelli,
nec canem pòſt aggredi auſum. Nec alibi lubentius, quàm in altiſſimis rupibus nidu-
lantur; adeò vt Idæum Lecton, quod altiſſimum eſt promontorium, locus videatur ei
aptiſſimus. Nec veriſimile eſt, Iunonem in exiguam aliquam ſeſe mutaſſe auem; ſed in
eam potius, quæ nocturno tempore omnium eſſet regina, haud ſecus atque aquila Io-
ui ſacra interdiu imperat. Certè Ariſtoteles tenuem admodum & ieiunam bubonis
dedit hiſtoriam; vt ego verear, ne Cumindis Ionum & Phrygum non fuerit tenuis illa
vlularum forma, quam in arborum cauis, non modò in montibus, habitare ſcimus, &
noctu columbaria prædari. Hanc tamen Ariſtoteles depingere videtur, & hac parte ab
aucupibus noſtris diſſidere. Sed liberum ſit aliis quod velint coniectare, mihi Hubris
& Buas eadem auis eſt, quæ alio nomine Ptynx & Cumindis vocetur. Atqui hæc illa *Buas auis.*
eſt, quæ cum aquila pugnare poteſt: & non ſine cauſſa, quando eandem prædam, licet *Ptynx auis.*
diuerſo tempore, ſequuntur. Auem enim tenui corpore præditam non video quî pari
marte cum aquila committas. Ariſtophanis interpres γλαῦκα κύμινδιν κικυμίδα καὶ κικ-
καβὰν eiuſdem auis nomina eſſe prodidit, & κικκαβᾶν eſſe noctuæ propriam vociferatio-
nem. Callimachus κικυμῖδος etiam meminit, καρτ᾽ ἀγαθὴ κικυμίς. Pompeius Cicumam *Cicuma auis.*
nocturnam auem facit, ſed quænam ſit non addit. Heſychius κικυμηΐδα γλαῦκα inter-
pretatur; & κικυμώττειν idem eſſe quod δυσβλέπειν. Itali quidam *Chio* vocant, nos
hubelein/ id eſt, parua noctua. In hoc genere minima auribus eſt inſignis, à quibus Otis *Otis auis.*
quoque vocatur. Gaza Cicumam pro nycticorace reddidit, non bene, mea quidem
ſententia; cùm nocturnus coruus nihil ſimile habeat noctuarum generi. Nos enim
nacht-rauen diuerſam ab omni vlularum & noctuarum genere eſſe ſcimus, qua tamen *Nacht-raue.*
voce Nycticoracem ad vnguem interpretamur. In tanta igitur obſcuritate quid miri *Nycticorax.*
acciderit, ſi quiſquam diceretur hallucinari; tametſi vel ipſe eſſet Ariſtoteles? Nos er-
go vatis honori conſulamus, & Ariſtophanem dicamus triarium robur poſtremò enu-
meraſſe; in quo cùm vultur, aquilæ ferè magnitudine par, Cumindem præcedat, &
longius ab aquila, quàm Cumindis, recenſeatur; cogitemus neceſſe eſt, Cumindem

Vulture maiorem eſſe & validiorem. Sit ergo Aquila Iupiter, Cumindis ſiue Hubris Iuno; & hæc quidem noctu, ille interdiu regnet. Hinc quibuſdam Duc vocatur; quòd Duces ſecundi ſint à regibus. Nunc igitur ad nomina. Chalcidem ab obſcuro æris colore dictam interpretor; quod nomen quia à natura ſumptum, rectam habet ſignificationis cauſſam. Cumindis verò Phrygium eſt vocabulum, inditum à malo omine: Com-hinder enim idem eſt quod aduenìens damnum, ſiue aduentus nocumentum, ſiue etiam quoduis impedimentum quod rei venturæ obſtat. Quamobrem Cumindis nomen eſt ab hominibus factum, peruerſam vocum formandarum rationem ſecutis. Virgilius Buboni triſte omen tribuit, quem nos eandem auem cum hac Homerica facimus,

Chalcis.

Cumindis vnde dicatur.

Seráque culminibus ferali carmine Bubo
Viſa queri, & longas in fletum ducere voces.

Vl. Vlula. Vlulo. Hul ſiue Hupl.

Nobis à fletu Vl vocatur, vnde Latinorum Vlula & Vlulo. Hul enim vocali longa idem eſt quod fleo cum triſti voce, ſiue ploro: quod ab eadem origine dicitur Eiulo. Vt ergo Scamandri, ita Cumindis nomen hominibus adſcribendum; eo quòd vtrumque ab infauſto omine inditum ſit, contrà ac ratio ſapientum & Deorum poſtulat. Cumindis certè damnum adfert, ſed leporibus maximè, & vulpibus, & muſtelis, quas noctu rapit, & ad nidum congerit. Quæ enim de auguriis dicuntur, vana ſunt & anilia deliramenta, & idcirco ſapientibus nominum opificibus indigna. Eiuſdem peccati eſt Ptyngem eandem auem vocare à phe-tijng/ quo ſignificatur hoſtilis vel inimicæ rei nuntius. Ex phe-tijng per concitionem fit Ptyng, & addita littera Græcorum terminante, Ptynx. Hubris verò è noſtro hub-ur/ ceu Huburis, & ſyncope admiſſa, Hubris, eſt maximus bubo; vti Vr-os maximus bos, & Vr-han/ maximus gallus, & Vr-alt/ maximè ſenex, & Merc-ur maximus conſiderator, & Sat-ur maximum ſemen ſiue præſtantiſſimus ſator. Heſychius Mileſius nocturnam auem eſſe dixit, non adiecto quænam eſſet. Ariſtotelis certe contextus de Cyminde aliquid monſtri alit. Suſpicor ab aliquo additum fuiſſe, Cumindem ab aliis Hubrin, ab aliis Ptynga, vocari. At is quiſquis fuit, non animaduertit, Ariſtotelem Cumindis nomen ad aliam auem detorſiſſe. Nobis interim clarum dedit indicium, Ariſtophanis & Homeri Cumindem, maximum eſſe bubonem, longe quàm noctua ſit maiorem. Verùm ne cum noctuis, & vlulis, & bubonibus, & diuerſis harum auium formis, in tenebris diu vagemur, ſatis habebimus, hæc indicaſſe; & oſtendiſſe, cur Chalcis Deorum, Cumindis hominum nomen dicatur. Erat in ſuburbano Troianorum tumulus, quem homines βάτειαν, ſiue βατίειαν, nominarunt: Dij verò monumentum Myrinæ.

Vr os. Vr-han. Vr alt. Merc-ur. Sat-ur.

Βάτεια ſiue βατίεια.

Τὴν ἤτοι ἄνδρες βατίειαν κικλήσκουσιν,
Ἀθάνατοι δέ τε σῆμα πολυσκάρθμοιο μυρίνης.

Hic alij alia: nobis placet, βάτειαν à rubo tumulum nominatum, quo ſpinæ genere abundaret, veluti neglectus: Dij verò & ſapientes rerum priſcarum periti, ſcientes eum Myrinnæ Amazonis tymbum eſſe, & virtutis memoriam perpetuò eſſe venerandam, quo præſentis æui homines ad fortitudinis & ceterarũ virtutum in antiquis celebratarũ æmulationem incitentur; nullo modo locum hunc ſepulcro conſecratum à rubis per incuriam enatis nominandum putauerunt. Quo verò luculentior hæc mea euadat ratio, quam nec Euſtathius, nec quiſquam, quod ſciam, ceterorum prodidit; addam quid Cicero de Archimedis ſepulchro in Tuſculanis ſuis quæſtionibus ſcripſerit. Huius ſepulchrum, quod ipſimet Syracuſani ignorabant, ait ſe in vepribus & dumetis, quibus ſeptum erat, perueſtigaſſe, ac locum iuſſiſſe falcibus expurgari. Vides igitur quanti Cicero huius viri fecerit monumentum; quanto contrà vitio vertat Syracuſanis, quòd acutiſſimi ſui ciuis ignorarent ſepulcrum. Ex hoc igitur, ſimilitudine ad vnguem propoſito noſtro congruenti, de Myrinnæ Amazonis ſepulcro ferenda ſententia, quod vulgus vepretum ſiue rubetum vocabat, ob ignorantiam veteris hiſtoriæ. Dij verò & ſapientes, quibus antiquæ virtutis memoria curæ erat, Myrinnæ fortiſſimæ quondam Heroinæ monumentum nuncupabant. Taxat ergo poëta occulte Troianos, ceu eos, apud quos iam priſcæ virtuti nullus honor exhiberetur; quod vitium ciuitatum ferè ſequi ſolent euerſiones. Videſne quantum ſententiarum pondus diuerſo Deorum & hominum nomine velarit; quamque parum, quid ſibi voluerit, interpretes aſſequantur?

Myrinnæ tymbus.

quantur? Habet alibi Homerus Briarei & Ægæonis nominum diſcrimen. Briareus. Ægæon.

Ὣς' ἑκατόγχειρον καλέσασ' ἐς μακρὸν ὄλυμπον,
Ὃν βριάρεων καλέουσι θεοὶ ἄνδρες δέ τε πάντες
Αἰγαίων'· ὁ γὰρ αὖτε βίῃ οὗ πατρὸς ἀμείνων.

Obſcurior profectò hæc nominum eſt diuerſitas, propter incertam Ægæonis notationem. Narrant quidam, & inter alios Ælianus, Briareum ex Euboia Ægæi maris inſulas ſibi ſubiugaſſe. Alij Ægæona tumulum quendam eſſe dicunt centum fontibus inſignem. Nobis eorum arridet ſententia, qui Ægæona Solem interpretantur. Hunc Dij Briareum vocant, à *βριαρὸς*, quo grauis & robuſtus denotatur. Neſcio tamen an nomen ad Phrygios potius ſit referendum, apud quos Bri-war-heut idem eſt quod princeps in libertate ſeruanda cuſtodiendaque; quæ notatio in fabulam Homericam rectiùs quadrat. Dicitur autem Sol Iouem liberare, quia per Iouem vita intelligatur, & hæc à Sole cuſtodiatur, & à frigoris carcere liberetur. Hieme enim à frigore tota vita adſtringitur, & vinculis quibuſdam videtur coërceri, ne libertate ſua in germinando, florendo, fructuq. producendo perfruatur. Eam Sol è vinculis eximit, & in libertatem aſſerit. Quamobrem bene Briareus à Bri-war-heut nominatur. Heut & hoot & het caput Heut. ſignificant, diuerſis & rationibus & dialectis. In war duplex digamma eſt omiſſum, Hoot. Het. quod frequens eſt. Homines verò Solem à perpetuo gaudio vocant Ægæona; qua in voce quia corporis potius gaudium ſpectant, quàm mentis; à vera aberrant nominum fabricandorum via, quæ, quod ſummi honoris eſt & ſummæ efficacitatis, in vocabulis potius quærit, quàm quod minus habet vel emolumenti vel neceſſitatis. Quòd ſi ſimplicius placeat nodum ſoluere, dicas Briareum à Setinis Dei filiis dictum; Ægæona verò à Græcis; & idcirco hoc hominum, illud deorum nomen eſſe. Quod ſi ita eſt, Homerus fabulam ab Orphicis acceperit, vti ceteras omnes, quæ quidem ad germanam pertinent antiquitatem. Quòd autem *γαίω* pro lætari accipiatur, ipſemet vates oſtendit, γαίω. dum dicit, *κύδεϊ γαίων*: qua appendice videtur Ægæonis etymologiam indicaſſe. *γαίω* verò à noſtro Gai eſſe deriuatum, neminem puto dubitaturum. Et hæc quidem de iis Gai. quorum duo nomina ſunt, alterum deorum, alterum hominum, ſatis ſunto. Ceterùm illud mirabilius, poëtam etiam herbam deſcripſiſſe, cuius nullum apud homines, ſed apud ſolos deos nomen exſtaret. Poſt alia igitur quibus vim herbæ expoſuit, ſic canit: *Moly herba.*

Ὣς ἄρα φωνήσας πόρε φάρμακον ἀργειφόντης,
ἐκ γαίης ἐρύσας, καί μοι φύσιν αὐτοῦ ἔδειξεν,
Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος·
Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί· χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν
Ἀνδράσι γε θνητοῖσι· θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Id eſt ad verbum,

Sic Deus effatus, cæſo cui nomen ab Argo,
De terra vulſum mihi dat medicamen, & addit
Naturam: radix nigra, erat flos lacteus illi;
Moly vocant ſuperi; mortalibus ardua res eſt,
Et dura effoſſu: ſed poſſunt omnia Diui.

Ex hac allegorica Homeri herba, crediderim Moly Theophraſti manaſſe, qui ad Peneum & Cyllenem id inueniri ſcribit, & radice rotunda eſſe, ad modum cepæ formata, quæ tamen non difficulter euellatur; qua nota ab Homero receſſit, niſi fortaſſe negatio in Theophraſti codice deſideretur. Plinius quamuis Theophraſto in radicis deſcriptione conſentiat, in eo tamen diſcordat, quòd difficilem ad euellendum dicat, ne videlicet ab Homero recedat. Addit etiam, Græcos luteum florem, contra poëtæ auctoritatem, herbæ appinxiſſe. Poſtremò omnino vacillans, & à cepæ rotunditate longè dilabens, de periti neſcio cuius medici opinione, radicem ei dat pedibus triginta, & eo amplius, longam, quam è Campania ſibi allatam dicit; nec foliorum nec floris addita delineatione. Galenus nullum genus priuatim hoc nomine celebrauit, ſed illius dumtaxat Moleos meminit, quod alij Rutam ſilueſtrem nuncuparunt; & loco Moleos Theophraſti & Dioſcoridis, herbam nobis inuexit Mylen vocatam, quam dicit paruo bulbo radicem ſimilem habere, & conſtringendi vi tanta præditam eſſe, vt matricem hiantem cum farina lolij ſuppoſita curet; quòd de Moly ſuo Dioſcorides refert:

ἡδὲ ῥίζα, inquit, *μικεὰ βολβοειδὴς αὐτὴ σφόδρα ἀγαθὴ πρὸς ὑστέρας ἀνασ[τ]ομώσεις τετριμμένη μετ᾽ ἰρίνου μύρου.* Galenus loco *ἰρίνου μύρου*, habet, *αἰρίνου ἀλεύρου*, & tamen Dioſcoridi hanc adſcribit ſententiam. Dubium eſt an Dioſcorides eam valere dicat ad apertiones matricis procurandas, an inhibendas. Irinum certè vnguentum non adſtringendi, ſed recludendi facultatem habet, & ſi quid aliud ſtrennuum eſt ad matricis obſtructiones amoliendas. Quòd autem Galenus lolij farinam eius loco legerit, ne id quidem facit quidquam ad aſtringendum ea quæ ſunt aperta; cùm lolium acredine ſua matrices aperiat, & hac de cauſſa ad fecunditatem facere ſcribatur. Quid quod ipſe Galenus fatetur, huius acredinem, quàm ireos, eſſe maiorem; & calorem eius ad tertium excalfacientium gradum adſcendere. Ruellius ſanè ſic Dioſcoridem intellexit, vt ad aperiendas vuluas, non occludendas, herbam valere dicat. Sed hæc alibi diſcutienda. Si fas eſſet fateri, equidem Galenum hîc dormitaſſe dicerem. Vereor tamen ne tota hæc medicorum de Moly diſputatio ad lanam caprinam referenda ſit; eo quòd Moly in Homeri & antiquorum potius fabulis, quàm in vllis montibus, natum ſit. Paullus Ægineta & Aëtius præter Beſaſan ſiue Rutam ſilueſtrem nullum Moly agnouerunt. Nos interim contendimus, Homericum Moly totum ſymbolicum eſſe, & eius nomen

Moet. Mat. è deorum ſiue Setinorum ſermone deriuari. Moet nobis animum ſignificat, à Mat, quod eſt indomitum. Animus enim; quo nomine pars noſtri, rationi aduerſaria, intelligitur; per ſe indomitus eſt, & à ratione ſiue mente, veluti fera quæpiam domandus, iuxta illud Horatianum,

Animum rege; qui niſi paret,
Imperat; hunc frenis, hunc tu compeſce catena.

Magna vis eſt veritatis, omnibus ſapientibus occulto quodam modo inſpiratæ. Vide, rogo, quàm aptè Horatius diuinis nominibus cecinerit, dum animum dixit frenis eſſe compeſcendum. Nobis enim Moet ichnæa vox eſt, cui conuerſione frenum nobis de-

Toem. monſtrans, quod Toem vocamus. Docemur ergo à vocum architecto, animum noſtrum perpetuo freno eſſe continendum. Quoniam verò animus indomitus omnis humanæ neceſſitatis in primo homine cauſſam dedit, & nos moleſtiis inuoluit infinitis; placuit ſermonis opifici, vt neceſſitas & moleſtia Moet homonymia quadam diceretur, vti vera animi primorum parentum ſoboles. Id adeò fecit, cùm quo hiſtoriæ veteris monumentum in nominibus exſtaret ſempiternum; tum ne quis Deum ærumnarum quibus humanum genus affligitur, crederet auctorem; tum etiam, & id quidem potiſſimùm, vt animum ſemper freno compeſcamus, ne in maiores moleſtias & neceſſitates nos præ-

Lij. cipitet. Moet-lij igitur idem nobis eſt, ſi lij vt verbum capiatur, quod Anime fer ſiue patere: ſin lij vt nomen accipias, animi patientiam notaris. Porrò in alia ipſius Moet

T littera in Cimbrico ſermone ſæpe è medio tollitur. ſignificatione, Moet-lij erit moleſtiarum & neceſſitatis patientia. Eſt autem noſtro ſermoni ſollemne, vt ſæpius dixi, Tau è medio tollere, quod ſi fiat, Moelp habebis diſyllabum vocabulum, in quo I longum duplici ferè I. notare conſueuimus, vnde Græci nonnumquam *ὑψιλὸν* fecerunt, vt è Strijman Strymon, & alia; quod hoc in nomine tanto magis excuſandum, quòd hac via Græcorum terminationi accommodetur. Admirandæ igitur efficacitatis herba eſt Moly, quo in primis animo patientia imperatur, & illa quidem omnis moleſtiæ & neceſſitatis humanæ. O nigram radicem, & difficillimam euulſu, & profectò numquam euellendam à quoquam mortalium, citra diuinum auxilium. Verùm hanc atram difficultatem flos lacteus compenſat. Suauiſſimus enim fructus ex hac patientia enaſcitur, quo nullum lac vel candidius, vel dulcius, vel robuſtius ad alendum eſſe poſſit.

Lapathi herba genus quod vulgò Patientia dicitur. Eſt nobis Lapathi genus, delicatius & tenerius ceteris, in hortis excultū, quod vulgus Patientiam nominat. De hoc tritum eſt omnium ore prouerbium, *Lapathum non in cuiuſuis horto prouenire*; quod Homerus dixiſſet, Moly non à quouis vel cognitum eſſe, vel euelli poſſe. Duobus ergo nominibus hanc herbam Diis ſolis adſcribit; altero, quòd diuinitus eius nobis gratia contingat; altero, quòd nomen nihil Græcæ dialecti haberet, ſed tota eius compoſitio ad vetuſtum Deorum ſermonem referenda eſſet. Nulla verò eſt præſentior aduerſus omnia omnium cupiditatum incantamenta medicina, quàm ſi animo noſtro imperemus, vt patienter ferat rationis mentiſque frenum; quod tametſi principio durum videatur, pòſt tamen mellitum euadit, iuxta illud principis

cipis Sophorum dictum, Vitam delige optimam, ſuauem reddet conſuetudo. Nuſquam autem maius periculũ eſt ne animus rectore, velut Phaëthonte quopiam excuſſo, per deuia feratur, quàm in magna rerum omnium affluentia, & ſummis deliciis, cum ceteris, tum ad ventris infima ſpectantibus. Verum enimuerò quia omnis totius vitæ rectè inſtituendæ ratio in Moly continetur, nec quicquam tam durum eſt, quod animi patientia non vincat, atque adeò ipſa veritas dixerit, *In patientia veſtra poſsidebitis animas veſtras*; multi mihi codices ſint ſcribendi, ſi omnes huius herbæ facultates ſigillatim ſint recenſendæ. Illud in ſumma ſatis eſto dixiſſe; eum cui Deus hanc herbam dederit, nihil vmquam tam grauis periculi aditurum, quod ſuperare non poſſit; & ſemper tutiſſimum fore ab omnibus mundi incantamentis. Circe enim nihil aliud eſt, quàm mundi illecebra, potentiſſimis philtris homines in porcos & feras mutans. Praua tertiæ apud Latinos litteræ pronuntiatio effecit, vt vocis Circe ratio recta dari nequeat, niſi genuina littera in locum ſuum vocetur. Priſca enim & vera huius nominis ſcriptura Chir-ſee eſſet, quo ſignificatur maris ornamentum, & illecebra, & omnis ratio, qua hoſpites ſuos tractare conſueuit. Habet autem hoc vetuſtiſſima Setinorum conſuetudo, vt mundum mari comparent, propter inconſtantem & inſtabilem naturam, qua modò tranquillum arridet, & eos allicit quos mox ſit omnibus tormentis vexaturum; modò inſana ventorum vi agitetur, modò huc modò illuc teneat curſum, &, vt vno verbo dicam, numquam diu in eodem maneat ſtatu. Nulla profectò aptior queat fieri collatio, quàm ſi mundum vaſtum pelagus vocemus, omni monſtrorum, periculorum, inſidiarum, blandimentorum, procellarum, turbinum, & omnium eorum quibus homines perire poſſunt, pleniſſimum. Huius ergo tam infidi maris illecebra blandis carminibus & ſuauibus poculis omnes mortales inuitans, & potentiſſima ad incantandum voluptatum prouocans Iynge, Circe ſiue Chir-ſee à priſcis eſt vocata. Nihil igitur miri, ſi Vlyſſis ſocij ſint decepti; ſed mirum, ipſum Vlyſſem tam blandas inſidias euadere potuiſſe. Quamobrem ingenioſè à Poëta factum, quòd hoc docuerit non ſine numine diuûm accidiſſe; & eum Deum ad partes vocarit, qui Iouis voluntatem mortalibus ſolet nuntiare. Hunc Deum mente concipimus, dum accuratè, quid recta ratio in ſingulis dictet, conſideramus. Cùm igitur huius monitu, ceu freno quodam, animum noſtrum à cupiditatibus coërcemus, & moleſtias omnes, & ea quæ vitari non poſſunt, perferre condocefacimus; tum dicimur Moly à Mercurio accepiſſe, & eius dono ab omni incantamentorum veneficiorumque genere perfrui ſecuritate. Priſci Ianigenæ, quid Circes nomine notaretur, non ignari, finxerunt hanc Deam in promontorio quodam Italiæ amœniſſimo quondam habitaſſe; atque illud ea de cauſſa Circæum nuncuparunt. Nec malè quidem promontorium illud Chir—ſee poteſt vocari, propterea quòd inſigne ſit maris ornamentum. Variarum procreationi herbarum aptiſſimum videtur, hinc propter altitudinem, hinc propter mare & paludes quibus cingitur, hinc quia Solem toto die circumeuntem aliqua ſui parte ſuſcipiat, nullo montium obiectu luminibus officiente. Mihi, dum ad Amaſenum fluuium in vetuſto diui Thomæ Aquinatis muſeo putres chartas euoluerem, magna oborta eſt cupiditas huius montis adſcendendi: verùm nemo Pipernatium, ob piratarum inſidias, quas perpetuò ſub rupibus eius latere metuunt, ducem ſe voluit itineris præbere; tametſi liberali mercede, vt meæ res ferebant, eos inuitarem. In montibus proximo interuallo diſtantibus, eſt mediocris herbarum varietas, & in rupe Taracina Tithymallum dendroidem primum conſpexi, ſed non dubito, quin Circæum longè ſit fecundius, ob eas quas modò dixi, cauſſas. Mirum eſt, quantum aër marinus & magnorum lacuum, tum generandi vim, tum calorem augeat; quod qui neſcit, littora Cantabrica & Gallaica cum interiore regione conferat, & illud latus montis Baldi, quod Benacum reſpicit, cum altero, quod ad Lagarinam vallem & Atheſin ſpectat, comparet. Illic enim Medica mala, & olîueta, & ceteræ id genus plantæ indicium facient, quantum maria valeant ad terrarum fecunditatem; docebuntque, quàm recta ratione Veteres finxerint, Venerem e mari natam eſſe; quam rem non accuratius à Græcis conſideratam notatamque fuiſſe mirarer, niſi ſcirem, non longè à Græcia ſua peregrinatos fuiſſe eos quorum ſcriptos de plantis libros habemus. Sed hæc de Moly & Circe, quantum propoſitum nobis exigit negotium, dicta ſufficiant; quæ ſi ad fabulam Homericam referentur, maiorem

Circe.

Circæum promontoriũ.

Venus è mari nata fingitur à veteribus.

in modum Veterum figmentum iuuabunt, & veram Poëtarum intelligendorum viam oſtendent; qui citra Phrygij & Thracij ſermonis, qui idem fuit cum antiquiſſimo Setinorum, & nobis hactenus vernaculo, difficillimè queunt accipere lucem. At quid ego de poëſi dico? Quaſi verò ea ſola ſit, quæ de priſco ſermone & queat & debeat illuſtrari? Generatim dicere oportet, nullam prorſus linguam eſſe, quæ veras vocum ſuarum rationes inuenire poſſit, niſi ad vernaculi nobis ſermonis officinam reducatur. Quid ago? Dum me corrigo, rurſus longè infra veritatem ſubſiſto. Non ſolùm nullæ primæ origines vocabulorum citra linguæ noſtræ ſubſidium dari poſſunt; ſed ne litteræ quidem ipſæ iuſto ordine recenſentur in Alphabeto, niſi ratio de ſermone noſtro petatur.

QVONIAM ergo nunc ſatis dictum eſt de diuinis & humanis apud Poëtam vocabulis; ad Abecedarium, è quo Hermathena vocum depromit cauſſas, reuertamur; videamúſque primum illud, quod Latini ſeruarunt, vti ſimplicius, & de ſola litterarum poteſtate, vt videtur, nomina ſua ſortitum. Pòſt in Hieroglyphicis de Alphabeto apud Hebræos retento latiùs agemus. Æquum enim eſt, vt priſco Ianigenarum Alphabeto opitulemur, & illud à calumniis Iulij Scaligeri, & aliorum qui nullum rectum in eo elementorum ordinem ſeruari criminantur, vindicemus. Si ſola noſtra vernacula lingua rectè vtitur elementorum ſonis in vocibus fabricandis, ſoláque veram habet earum pronuntiationem; probabile etiam eſt, litterarum ordinem ex ea petendum eſſe; idque tanto magis, quòd eius quem omnis Latinorum ſeruauit antiquitas, veluti per manus à maioribus acceptum, nullam prorſus rationem aſſignare poſſint, immo fateantur diſertis verbis, eum longiſſimè à recta ratione diſſidere. Mirandum itaque videtur, tam ſupinos omnes Veteres fuiſſe, vt non rectum potius ordinem, quàm peruerſum in elementis recenſendis ſequerentur. Quid enim abſurdius, quàm pueros ſuſcipere formandos, vt recto ordine omnia cùm dicant & ſcribāt, tum ab aliis dicta & ſcripta intelligant; & in ipſo ſtatim limine omnem ordinem turbare? Egregium ſcilicet auſpicatumque principium, in ordine docendo, animiſque componendis, nullum ordinem tenere. Scaliger non rectè factum eſſe dicit, quòd quem Latini à Græcis, aut Græci à Syris accepiſſent ordinem, retinuerunt; quod quorſum dicat, & quantum valeat, haud equidem ſatis intelligo. At illud ſcio, nec Græcos, nec Hebræos, nec Syros, nec Chaldæos, nec Arabes ordinis in Alphabeto ſuo plus aſſignare poſſe rationis, quàm poſſint in ſuo Abecedario Latini. Cùm enim eorum omnium Alphabetum ab eo varia ratione deſcendat, quo Hebræi vtuntur; & clariſſimis argumentis demonſtraturi ſimus in noſtris Hieroglyphicis, nullam Hebræis ordinis in recenſendis elementis ſuis conſtare rationem; non eſt ſpes vlla, vt vel Græci, vel Syri, vel Chaldæi, vel alij affinium linguarum homines nos doceant, cur poſt Aleph Beth, & poſt hoc Gimel, & cetera poſt cetera elementa conſequantur. His ergo pro tempore valere iuſſis, Romanorum Abecedariam aciem conſideremus; videamúſque, ecqua cauſſa, quæ ceteros hactenus latuerit, queat inueniri, ob quam hæc, quam habemus, non alia, elementorum ſeries fuerit inſtruenda. Quòd ſi Heſiodicum illud verum eſt, non carere ſua cauſſa, quod plurimorum fama ac rumore iactatur; quanto minus credi poteſt, Abecedariam Latinorum aciem, quam nemo ab omni ſeculorum memoria rumpere auſus eſt, tametſi aliqui non bene inſtructam eſſe murmurarint, nullam ſtationis ordiniſq. habere cauſſam. Nos itaque aſſerimus, luculentiſſimam totius ordinis rationem in noſtro ſermone cerni, atque eam tam grauem, tam ſolido fundamento nixam, tam diuinam, vt non humano ingenio, ſed Spiritus ſancti inſtinctui tribuenda videatur. Quamuis ergo non aliis antea argumentis euiciſſem, noſtram linguam Latinæ matricem eſſe; ex ordine tamen litterarum euidentiſſima exiſteret priſcæ veritatis demonſtratio. Neque enim Latinis enumerationis litterarum inuentio tribui poteſt, quando nulla apud eos ſtructuræ ordiniſque cauſſa reperitur: neque rurſus eam Hebræis vel affinibus nationibus adſcribere poſſumus, quoniam nec ordo idem ſit Latinis & Hebræis, nec Hebræis ſui ordinis cauſſa vlla conſtet, tantum abeſt vt alios docuerint ſeriem elementorum. Reſtat igitur, vt Latini litteras ab eis dicantur accepiſſe, apud quos earum ſeries certiſſimis cauſſis & maximis continetur. Porrò vt ordinis cauſſa perſpicua fiat, in primis nobis annotandum, duo priſcis Setinis nominum genera fuiſſe, quibus litteras docerent. In litteræ definitione tradidi, litteræ nomen ipſis vocibus prius conuenire, ac deinde per analo-

Alphabeti ſiue Abecedary ordo.

Setinis priſcis duo nominũ genera fuerunt, quibus litteras docerent.

analogicam homonymiam ſcriptis quoque vocibus tribui ſolere. Priſci igitur illi viri alia nomina ipſis vocalibus elementis, alia figuris elementorum dederunt; & vocibus quidem ea accommodarunt quibus poteſtas ſiue ſonus litteræ indicaretur: in pictis verò litteris, non poteſtatis tantùm rationem nomina habebant, ſed ipſam etiam imaginis earum delineandæ formam indicabant. Duplex hinc exſtitit Alphabetum: alterum, quod Latini; alterum, quod Hebræi confiniſque ſermonis nationes ſibi ſeruarunt. Quia verò in pingendo binæ litteræ coniungi poſſunt; nihil miri, ſi plures litteræ pictæ, quàm pronunciatæ recenſeantur. Nam apud Latinos, qui vocalium elementorũ nomina retinuerunt, non plures ſunt ſimplices litterarum ſoni, quàm vndeuiginti, licet hi compoſitione & temporibus quoque varientur. At ſcripta elementa viginti duorum numero comprehendere priſcis viſum eſt; cuius cauſſas Hieroglyphica noſtra declarabunt. Quamuis autem hic loquendi docendique vſus apud antiquiſſimos fuerit obſeruatus; poſtea tamen Latini ſua nomina æquè ſcriptis atque pictis litteris dederunt; nec aliter Hebræi nomina ſua ad ſonos traduxerunt. Verùm hæc analogia nihil habet abſurdi, & idcirco minimè proſcribenda. Quia verò naturæ ordine prior eſt vocalis ſermo, quàm pictus; noſque totis his commentariis non de ſcripti, ſed de vocalis ſermonis partibus egimus; rationi conſentaneum eſt, vt nomina quibus voces priſci deſignarunt, hoc loco explicemus, alteris illis ad Hieroglyphica, quorum numero comprehenduntur, dilatis. Vt ergo rem aggrediamur, ea nobis hîc ſumenda quæ apud omnes Grammaticos extra omnem controuerſiam poſita videmus. Quis eſt eorum qui non fateatur litteram Ka ſuperuacaneam eſſe, & eius ſonum tertia littera contineri & abſolui? Q item nihilo magis eſſe neceſſariam, vno ore clamant omnes litterarum magiſtri; quoniam ea eiuſdem cum C ſit poteſtatis. Porrò X duplex cùm ſit, reiicienda eſt è ſimplicium vocum numero; nec magis hoc noſtro vocalium elementorum cenſu dignanda, quàm St, aut Tr, aut Sc, aut aliæ id genus duos litterarum ſonos complexæ. Quòd verò Latinorum aliqui H adſpirationem litterarum albo exemerunt, id citra iuſtam rationem tentarũt. Quamuis enim conſonantibus poſtpoſita poteſtatem non admodum mutare videatur; ſuam tamen vim ante vocales habet apertiſſimam. Fateor equidem, eam facillimè euaneſcere, ceu ſpiritum quendam; ſed non citra manifeſtum ſoni diſcrimen. Quòd ſi claram in pronunciatione faciat differentiam, ita vt addita luculento ſono ab aliis conſonantibus diſtincto aures feriat: quid, rogo, iuris eſt, vt è medio tollatur? At non eſt apud Græcos. Fateor equidem, & hoc ipſo nomine eorum Alphabetum mutilum eſſe cenſemus; ſicut duplicium litterarum nomine & vocalium longarum appendice redundans. Quæ enim amentia, adſpirationem remouere, quæ clariſſimè vocalibus conſonat: & ex breui & longa vocali duas litteras comminiſci; & id non facere in omnibus, ſed in duabus dumtaxat? Quæ rurſus ſtoliditas, duabus litteris coniunctis numerum augere litterarum, ſi id non fiat æquè in omnibus geminatis? Vnde igitur hæc tam confuſa & perturbata doctrina in ſcholas irrepſit? Ex eo, mihi crede, quòd & ordinis & numeri litterarum nulla ipſis certa ratio conſtaret; nec item diſcrimen inter ſcripta & pronunciata elementa agnoſcerent; atque idcirco, vt cuique viſum fuiſſet, litteræ vel exemtæ vel inſertæ. Nobis igitur ſolis, quibus & ordo & numerus certus litterarum vtriuſq. generis cognitus eſt, licebit de his rebus iudicium ferre: ceteris nationibus quæ ſermonis noſtri ſunt imperitæ, tantundem credendum, quantum cæco de coloribus diſputanti. Apud Latinos igitur quibus vocalis Abecedariæ enumerationis ratio remanſit, Kappa ab illis adſcitum credimus, qui adſpirationem temerario oſtraciſmo ciuitate litteraria eiecerunt, quo videlicet vacuus locus expleretur. Eodem modo, quod ex antiqua memoria à maioribus accepta didiciſſent, inter P & R litteram vnam interpoſitam fuiſſe, cuius ſonus ipſis periiſſet; quo locum eius quo carebant, ſupplerent, Q commenti ſunt; tanto tamen id, quàm prius illud, maiore ratione; quòd Q ſiue Cu aliquando illius deperditæ litteræ locum in vocabulis à priſco Ianigenarum ſermone ſeruatis occuparet. Ex Wie enim, Quis vel Qui; ex Wan Quando retinuerunt, vt antè tradidi. Nobis ergo perſpicuum eſt, hanc litteram quam Digamma duplex crebrò vocamus, quia per duo Vau pingatur, ex hoc loco deperditam olim fuiſſe; propterea nimirum, quòd citra hanc nec litterarum numerus quibus vtimur, ſit expletus; nec integer ſit totius Abecedariæ orationis contextus. His nunc præmonitis, & obiter delibatis; ordinis eius quo nouemdecim

Alphabetum duplex.

Litteræ ſimplices ſiue vocalis nouemdecim: ſcriptæ verò viginti duæ.

K littera ſuperuacanea.

Q littera ſuperuacanea.

X littera ſuperuacanea.

H adſpiratio malè litterarum albo eximitur.

Alphabetum Græcorum mutilum & redundans.

Digamma duplex W.

decim ſimplices litteræ, ſiue prima vocum elementa, recenſentur, cauſam aperiamus: quam tanto ſtudioſis omnibus, & noſtratibus præſertim, ſpero fore gratiorem, quanto pluribus ſæculis in Cimmeriis tenebris iacuit ſepulta; quantoq. minus ſpei eſſe potuit, vt quiſquam tandem exiſteret, qui poſt tam illuſtria Romanorum ingenia fruſtra in hac quæſtione fatigata, veram rationem inueniret. Nemo eſt tam vecors, aut omnis communis ſenſus expers, vt neſciat, inter ea quæ docentur, elementa primum ſibi locum vindicare. Quanta verò religione ſemper apud omnes mortales obſeruatum ſit, vt prima rerum initia fauſta feliciaq. eſſent, ſi multis doceam vel Latinorum vel Græcorum exemplis; meritò dicar in re clariſſima ſuperuacaneam operam poſuiſſe, aut potius perdidiſſe. Quo verò ſolida ad felicitatem & proſperos rerum propoſitarum ſucceſſus fundamenta iaciantur; Deus, citra cuius opem nihil poſſumus, ante omnia inuocandus; non in magnis modò, ſed in minimis etiam rebus aggrediendis; vt veriſſimè cùm ab aliis, tum à Platone in Timæo traditũ habemus. Poëtæ qui hactenus in hominum manibus verſantur, licet vetuſtiſſimorum vatum, qui primi fabulas condiderunt, vix mereantur ſimij nuncupari; hoc tamen diligenter ſeruarunt, vt ſancto aurei ſæculi ritu Deûm principio auxilium orarent. Optime igitur ille qui poëma ſuum ſic auſpicatur, ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. Nec malè ille, Μῆνιν ἄειδε θεά. Et rurſus, Ἄνδρα μοὶ ἔννεπε μοῦσα. Et alius, εἴπε θεὰ κρυφίων ἐπιμάρτυρα λύχνον ἐρώτων. Virgilio placuit, vt prius quid acturus eſſet, proponeret; ac deinde inuocaret. Quid quod Lucretius, Dei religioniſq. omnis contemptor, Veneris auxilium in primo operis ſui limine hymno ſatis longo & operoſo implorat? Nec mea nunc refert, quo nomine quiſque Deum inuocarit; hoc ſatis eſt, omnes ab oratione opera ſua inchoare. Sed quorſum meridiano Soli lychnum accendo? Quòd ſi omnium rerum exordium preces faciant, non apud Chriſtianos tantùm quibus præcipitur vt continuò orent; ſed apud exteros etiam, & veræ religionis ignaros: quid cenſemus in pueris erudiendis faciendum eſſe, in quorum ſpe tota reſpublica conſiſtit? Nam ſi verè dicitur,

Deus inuocandus in omnibus rebus aggrediendis.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu:

nihil æquè in omni vita curandum, quàm vt prima ætas ſolidis & firmis fundamentis fulciatur, quibus deinde ad normam quadrata totius vitæ ſtructura ſit ſuſtinenda ac colliganda. Vt quiſque igitur & ſeipſe, & domum ſuam, & totam ciuitatem ſaluam eſſe vult; ita pueros mox à teneris vnguiculis formare debet, qui, veluti mollis adhuc cera, quocumque velis, facillimè ſequentur. Quamobrem ſi nihil exordiendum citra orationem præmiſſam; minimè fuerint litteræ ſine precibus docendæ. Præpoſteræ enim ſit & peſſimæ peruerſitatis, non illud in principio litteraturæ facere, quod ſummos & maximos quoſque non feciſſe modò ſcias; ſed vt fiat, primos etiam philoſophorum ſuis clariſſimè mandaſſe. Si diſcipulum tuum ad poëtarum & reliquorum ſapientiæ doctorum lectionem deducere velis, & is pòſt intelligat, te in primo limine elementorum ab eorum præceptis declinaſſe; an non te vel craſſæ ignorantiæ, vel inuidiæ, qua id quod primarium erat in omni eruditione, celaueris, meritò accuſet? Hac ratione ab ipſis naturæ principiis homini inſita permoti atque compulſi primi Abecedarij doctores, ea litterarum ſimplicium nomina excogitarunt, quorum iuſta & congrua inter ſe conſtructione oratio pueris aptiſſima abſolueretur, quo ſimul & elementa & ſalutarem precandi formulam memoriæ mandarent. Ne tamen quidquam vel melius poſſet excogitari vel compendioſius, omnia nomina monoſyllaba fecerunt; & vocales quidem per ſe; conſonantes verò, quia aliter audiri non poſſent, vna adiecta vocali extulerunt. Nec aliis conſonantibus aliam vocalem, ſed omnibus vnam eandemque ſecundam tribuerunt; tum vt facilior litterarum traditio eſſet ac memoria; tum vt in omnibus conſonantibus cogitaremus, nihil in rerum natura eſſe poſſe, quod non nitatur ipſi Vni, tamquam fundamento. Quamuis enim Ha quoſdam audiamus pronunciare; id tamen vitioſè fit, & contra ceterarũ conſonantium regulam. Hebræi He ſeruarunt, pro eo ac vera ratio poſtulat. Quod autem E longo tempore pronunciatum Vnum ſignificet; id antea ſatis ſupérque monſtraui; quo fit, vt eadem hic repetenda non ſint. Tota igitur & nominum & ordinis ratio pendet ex orationis contextu; quam qui non intelligit, is fruſtra de Abecedario ordine diſputabit. Eſt autem

Litterarum ſimplicium nomina qualis excogitarint primi Abecedarij doctores.

hæc

hæc tanti ponderis,quanti refert, ne primæ ætatis diſciplina à communi omnibus gen-
tibus religione ſtatim ab initio deuia feratur; qua qui maiorem grauioremque reperiri
poſſe credet, is à communi ſenſu longiſſimè aberrabit, & non ſolùm prudenti erudito-
rum hominum colloquio, ſed indocto etiam plebeiæ fecis conſortio indignus haben-
dus eſt: tantum abeſt, vt eius, aut ei ſimilis approbationem vel ſordidiſſimo gry putem
comparandam. Nullius ergo amplius ſententiam morati, ipſam orationem Abeceda- *Oratio Abecedaria in tres partes diſtincta.*
riam exponamus; in qua hoc erimus ſuccinctiores, quòd eadem ferè omnia in Hiero-
glyphicis erunt remandenda; in quibus non nomenclaturas tantùm litterarum, ſed
ipſas imagines nominibus congruentes explicare, & ad veras cauſſas reducere coge-
mur. Inuocato igitur Spiritus ſancti auxilio, ipſam precationem auſpicemur, quam præ-
ceptor ſuis verbis pro diſcipulo concipit, quem ſimul & elementa pietatis & litteratu-
ræ docet. Primùm igitur, vt animum addat puero adhuc tenello & timido, & alacrem *Prima pars.*
reddat ad rudimenta perdiſcenda, ab A incipit, cuius litteræ vim eam eſſe docui, vt
hortetur ad motum & actionem recta via aggrediendam. Secundo loco monet, vt
oret, quo Deus vires ad id quod agendum eſt, dare dignetur. Be enim idem eſt nobis Be.
quod Ora, dum vt verbum imperans capitur; idem quod Oratio, dum nominis loco
ponitur. Pro eodem Bet dicimus. Sed vocis huius myſterium Hieroglyphica enuclea-
bunt, & vox eſt alioqui nobis in vſu quotidiano, nihil vt opus ſit explicatu eius proli-
xiore. Norunt noſtrates omnes quid Principum Be vocetur, nec ignorant eorum *δεή-
σεις εἶναι ἀνάγκας*, tametſi Platonem perpauci legant. Tertio elemento orationem au-
ſpicatur, quod vt Kappa pronuntiandum, non vt vulgus per S lenius profert. Neque
enim nobis litterarum ſoni confundendi, ſed diligentiſſimè iuxta vetuſtiſſimorum pa-
trum conſuetudinem ſeparandi. Ke igitur vocula eſt qua maximum deſiderium indi- Ke.
catur, vti traditum eſt. Hinc dum vehementius quempiam oramus, ea vti conſueui-
mus; eo modo quo Latini iis orationis particulis quas vocant Interiectiones. Quam-
obrem qui preces à Ke exorditur, is ex toto corde, ex toto animo, ex tota mente ſeſe
orare demonſtrat: atque eum ad modum Deus orandus, ſi velimus audiri. Sequitur
De/ quæ vocula articuli apud nos vſum habet. E quid deſignet, copioſè antè expoſui. De.
De Ee igitur idem eſt ac ſi dicas ipſum Vnum omnia vniens & continens. Ef verbum eſt E.
imperantis, quod vel cum aſpiratione, vt ſit Hef; vel citra eam licet efferre, pro eo quod Ee. Ef ſiue Hef.
eſt leua. De hac voce plura in Hieroglyphicis. Eſt autem Hef propriè à terra ſubleuare.
Ge idem eſt quod Latinus dicit verſus ſiue ad. He altum denotat, quod aliter Ho dicitur Ge.
& Hoog. He Angli hactenus vſurpant. Ab He Heuel/ id eſt cælum, deriuatur. Sed plura He.
de hac voce alibi. Tota igitur huius partis ſententia eſt, O ipſum Vnum omnia vniens
& continens, leua ad altum. Hæc prima pars eſt orationis, qua nihil poteſt eſſe con-
gruentius, nihil aptius, nihil prius præceptori pro diſcipulo ſuo precanti. Cùm enim
puer ad diſcendas humaniores artes ad ludum litterarium veniat, atque ipſa doctrina
Leer vocetur, vocabulo homonymo ad ſcalas & doctrinam; ſitque huius etymologia Leer.
talis, vt quod humile eſt, & terræ hærens, cæteris prius honoratiúſque reddat; conue-
nientiſſimè preces eas fundit, quibus, vt puer à terra ſurſum leuetur, rogatur. Plura
hoc loco de voce Leer dicerem, niſi Hieroglyphica adſpirationis figura hanc ſibi mate-
riam ſuo iure vindicaret. Hoc loco ſatis eſto monuiſſe, analogiam eam in Leer à primo
ſermonis opifice ſeruatam eſſe, vt hinc ſcalas, quibus in altum adſcenditur, hinc do-
ctrinam denotaret. Cùm autem eadem vox vt verbum vſurpatur, æquè pro doceo at-
que pro diſco accipitur; & notationis ſuæ non vnam habet cauſſam, eo quòd analyſis
eius diuerſa eſſe poſſit. Vel enim in litteræ primæ poteſtatem el eer ſoluitur, quo modo
excelſum honorem deſignat; vel in le-eer/ quo humilis ad honores adſcenſus ſignifica-
tur; vel in Li-eer/ quod eſt populi ad honores exaltatio. Conuerſio autem eius ichnæa
fit per ſolutionem vocis in Reer-el/ quo rationis in altum euectio denotatur. Cùm igi-
tur hac noſtrati voce deſignetur, omnem doctrinam eò referri, vt is qui diſcit, à terra
ſurſum leuetur, & ad honores euehatur, & ratio ipſa ſiue mens ad excelſa conſcendat:
quid rogo huic ſcopo aptius orari queat, quàm id, quod prima Abecedariæ precationis
pars exponit? Verbum autem Ef ſiue Hef (vtrouis enim modo idem denotatur) idem Ef ſiue Hef.
nobis eſt quod à terra eleuo; vel, vt ſit ſecundæ perſonæ verbum imperantis modi, ele-
ua: quo nullum verbum ad primum gradum eius ſcalæ per quam ad cælum adſcen-
ditur,

ditur, deſignandum, inueniri poſſit magis proprium. Eius enim conuerſio in contrarium ſe tranſit, quo pecus & alia deſignantur, quibus humanus animus terrenis rebus affixus eſt; qua de voce ſuo loco latius. Verùm quando nunc ſcimus quid primum præceptor oret: videamus & illud, quem oret; & à quo tanto deſiderio, quantum ſte expreſſit, id quod rogat, cupiat impetrare. Non alium ſane quàm ipſum Deum orat; cuius cùm nullum ſit nomen proprium, propriam eius formam deſcribens, quippe quam nulla mentis cogitatio capere queat; illis vocabulis in eo compellando vti oportet, quibus dona eius, quæ largo cornu per ſpiritum ſuum effundit, denotentur. Aliàs igitur aliis nominibus Deum vocamus, pro eorum quæ ab ipſo petimus, diuerſitate. Huic certè loco nullum nomen aptius eſſe potuit, quàm ee cum articulo. Quando enim omnis oratio omniſque doctrina eò primum ſit referenda, vt Deo reconciliemur & vniamur; optimè ab Vnione eum vocabimus, dum hoc ab ipſo petemus. Ee verò non vnionem modò, ſed legitimum etiam & firmum coniugium deſignat, à quo per primum peccatum diuortium factum eſt. Cùm itaque, niſi hoc coniugium rurſus inter humanam mentem & Deum redintegretur, ſalui eſſe nequeamus; maxima ratione Deum in prima oratione & prima eius parte ipſum Vnum vocamus voce noſtrati, cui nulla apud Latinos, nulla apud Græcos, nulla apud Hebræos vox æquiparanda reperitur. Longiſſime enim omnes ceteræ linguæ abſunt ab hoc vocis ee artificio, vti ſatis antè declaratum. Neque porrò hac ſola cauſſa, tametſi ingens pondus habeat, Deum hoc loco ipſum Vnum nuncupauit Abecedarius precator. Altera accedit, & ea ſanè cùm aliis, tum duobus nominibus illuſtriſſima: ſemel, vt ſtatim ab initio omnis Deorum multitudo per Vnius nomenclaturam excluderetur, omniſque idolomaniæ & occaſio & contagio à tenella pueri mente procul abarceretur; ad quam cautionem nihil efficacius, quàm ſi mox cum primis litterarum nominibus imbiberet hoc axioma, quo nullum in religione prius, Vnum ſolum Deum eſſe adorandum: Rurſus, vt in primo elementorum limine vltimus hominis finis proponeretur, de quo Chriſtus dixit, *Vnum eſt neceſſarium*. Finis enim hominis eſt ipſius Vnius cognitio, & per cognitionem cum ipſo Vno vnio, quæ ab alio, quam ab ipſo Vno, fieri nequit; & idcirco non ab alio, quàm ab ipſo Vno, eſt petenda. Sed infinitus ſim, ſi omnia quæ huc ſpectant, in medium adducam conſideranda. Abunde cumulatéque mihi videbor lectori promiſſa perſoluiſſe, ſi per tranſennam dumtaxat eminus indicauero, quantum myſteriorum breuiſſima oratione, monoſyllabas ſolas complectente voculas, ſit comprehenſum. Secunda orationis pars ternarium præcedenti ſenario adiungit, qui ſic habet: I, el/ em. Hic rurſus prima vocula interiectio eſt, ei conueniens, qui ſeſe altius profundiúſque cuipiam inſinuare contendit; cuius vſus nobis, non minus quàm ipſius ſte/ familiaris eſt & quotidianus. Eſt enim blandientis inſinuantiſque proprius ſonus, quo nullus aptior eſt, vt in eius præcordia, cui placere cupimus, penetret; propter inſignem nempe ſubtilitatem. El ſi breue pronunties, idem eſt quod exalta; ſi ſyllabam producas, nobilita: at dum ſyllaba breuis eſt, frequentius adſpirationem præponimus. Hel enim vt hef quoque crebrius dicimus; eo quòd ſpiritus vim euehendi augere videatur. Em/ ſiue hem/ quod nobis quoque vſitatius, idem ſignificat quod Latini Eum dicunt: ex em enim Eum fecerunt. Tota igitur ſententia his tribus vocibus abſoluta Latinè reddetur, I redde eum excelſum, ſiue euehe ipſum in ſublime. Paulatim igitur precator adſcendit, perinde atque in Leer/ i l eſt, in ſcala & doctrina fieri debet. Qui quid el ſignificet, ſcire volet, ea quæ antè tradita ſunt, conſulat. Neque enim mihi lubet eiſdem repetendis ſemper immorari. Sequitur nunc tertia & vltima orationis pars, quæ parentheſim complectitur, & tota Latinis ita reddi poteſt, Et exalta pecudem (vti ipſe eſt) ad te. En nobis coniunctio eſt deuinciendi copulandique indicans notionem. O ſiue ho idem quod exalta; propterea quòd æterna ſint altiſſima. Magna igitur ſignificandi vis eſt in O ſiue ho, dum pro exalto ſiue in altum euehο vſurpatur. Nam non altum modò, ſed æternum etiam includit, & propterea pro alto ponitur, quòd ſola æterna vere alta dici queant. Videmus ergo ſcalam, per quam ex hef ad hel/ ex hel ad ho peruenitur. Fruſtra crebrius monerem, me nihili facere, an adſpiratas has voces, an citra adſpirationem pronunties; quoniam ſignificandi ratio ex adſpiratione in his minimè pendet: quemadmodum contra altitudo in hc e ſola petitur adſpiratione. Ho igitur de recta verbi notatione æternæ cuiuſdam

Ft. *Ee.* *Vnus in Oratione Abecedaria vocatur Deus.* *Orationis Abecedariæ ſecunda pars. I interiectio blandientis.* *El. Hel.* *Em ſiue Hem.* *Orationis Abecedariæ tertia pars.* *En.* *O ſiue Ho*

cuiuſdam exaltationis rationem habet, qua precatur non contentus, ſummum culmen
omnis altitudinis & ſublimitatis adiecit, dum dixit, Exalta ad Te. Dicit verò, Exalta
pecudem ad te, qualem diſcipulum ſuum eſſe confitetur. Inſignis hæc eſt doctrina, qua
ad orandum inſtruimur. Vt enim à Deo exalteris, neceſſe eſt vt te ipſe ad infimam hu- *Humilitatis*
militatem deprimas. Diuina eſt & aureis litteris ſcribenda ſententia filij Syrach, *Oratio* *laus.*
humiliantis ſe nubes penetrabit. Sed quid ego alios cito teſtes? Quin ipſam potius audi-
mus veritatem hæc ore ſuo proferentem, *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe*
humiliat, exaltabitur. Hinc beata Virgo, & beatior mater, & beatiſſima ſimul mater &
virgo, Deo hymnum canit, quòd reſpexerit humilitatem ancillæ ſuæ. Et Dauid mul-
to antè cecinit, *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Et paullo antè; *Exul-*
tabunt oſſa humiliata. Quid multis? Deus, iuxta diuæ Virginis oden, *deponit potentes*
de ſede, exaltat humiles; & iuxta ſuam ipſius ſententiam, *Humiles exaltat.* Maxima igi-
tur Chriſtianorum virtus eſt humilitas, à qua quantum philoſophi receſſerunt, dum
eam in vitiis numerant; tantum à cognitione ſuiipſius, & à vera ſapientia fuerunt re- *Suiipſius co-*
moti. Nam accurata ſuiipſius cognitio ſummam gignit humilitatem; vti contrà tanto *gnitio.*
quiſque ſuperbior eſt, quanto ignorantior; adeò vt nulla firmior ſit collectio, quàm ea
qua concluditur, ſuperbiſſimum quemque eſſe ignorantiſſimum. Non aberrauit ergo
longè Socrates, dum ſe nihil ſcire dixit; & hoc ſuo dicto demonſtrauit, ſe maximam
ſui notitiam habere. Abecedarius noſter magiſter nos docet confiteri, nos non homi-
nes, ſed pecudes eſſe. Reuera enim pecudes effecti ſumus cacodæmonis fraude; qui *Pecudes, non*
mendacio impudentiſſimo parentibus noſtris impoſuit, dum polliceretur, ſi vetitum *homines, nos*
malum comediſſent, Deo ſimiles futuros. Contrà namque res accidit, dum pro Diis *eſſe, confiten-*
pecudes ſunt effecti; quod vates hoc verſiculo in odis ſuis expreſſit, *Et homo cùm in ho-* *dum.*
nore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.
Hoc illud eſt quod omnes iuxtà philoſophi ignorarunt; & ideo numquam ad veram
ſui ipſorum notitiam adſpirare potuerunt; vnde efficitur, vt ne ſapientiæ quidem ve-
ræ principium vmquam aut perſpexerint aut cogitarint, tantum abeſt vt ſapientes de-
beant vocari. Rectiſſimè igitur hæc confeſſio Abecedaria omni non orationi modò, ſed
doctrinæ etiam adhibebitur, quo Deus humilitate noſtra ad auxiliandum prouocetur.
Dicitur autem Pe/Phe/Ve & Fe nobis pro eodem. Sueui Viech & Vich dicunt, vnde Pe.
Latinorum Pecus remanſit. Sed de hac voce alibi ſatis multa. Ingens ſanè interual- Phe.
lum eſt inter pecudem & Deum; & tamen ex hac humilitate audet nos præceptor ſur- Ve.
ſum euehere ad ipſum illum ſupremum apicem, fretus nimirum infinita ipſius boni- Fe.
tate & clementia. Dicit itaque, Exalta pecudem (vt ipſe eſt) ad te. In his nihil amplius Viech.
eſt obſcuritatis: Parentheſis enim claris vſitatiſque vocabulis tota conſtat (Wie er es) Vich. *Pecus.*
Wie enim Vt nobis ſignificat vel Qualis: Er idem eſt quod Ipſe: Es vel Js/ quorum Wie.
vtrouis æquè vtimur, idem quod Eſt Latinorũ. Poſtremæ litteræ, Te/ V, ad Te ſignifi- Er.
cant. Atq. hæc eſt tota oratio tribus partibus abſoluta, vt Trinitatis numerus indicare- Js *vel* Es.
tur; quam Latinè ad verbũ reddere non poſſis, ob duas interiectiones; & vt interprete-
ris, numquã tamen vim vocũ æquipararis. Craſſiuſculè tamẽ & proximè ſic vertemus:
Age: Ora: Quod ſummo animi deſiderio cupio. O ipſum Vnũ omnia legitimè vniens, *Orationis*
leua verſus altũ! Quàm poſſum blandiſſimè te rogo, euehi ipſum in excelſum. Et ſub- *Abecedariæ*
limitate perenni exalta pecudem (vti ipſe eſt) ad te. Nunc itaque totam precationem *interpretatio*
Abecedariam habemus explicatã, qua præceptor ipſum Vnum rogat, vt diſcipulũ ſuũ *Latina.*
ſic paullatim in ſublime tollat, vt tandem ad ipſum Vnum adſpiret: atq. ita breuiſſimo
cõpendio, & plus quàm Laconico, totius vitæ noſtræ & miſeriam & felicitatẽ ſupremã
complectitur, ſimul litterarum nomina recenſens, ſimul orandi rationem omnem ex-
plicans, ſimul etiam oſtendens quod nam ſit homini ſummum bonorum, quo cùm
omnes totius vitæ rationes, tum litteratura maximè dirigenda eſt. Eant nunc qui vo-
lent, & adhuc rideant me, dum ſermonem noſtrum Latino antiquiorem eſſe conten-
do. Accuſent nunc priſcos illos viros, quòd litterarum nomina nullo ordine enumera-
rint. Tentent, ſi placet, ecquid ſimile ipſi totis ingenij viribus in eiſdem elementis
præſtare poſſint. Equidem nullum mihi amplius in hac arena certamen reſtare cerno,
quando modò multis variiſq. argumentis ſatis conſtare exiſtimo, noſtrum ſermonem
primum mortalibus fuiſſe, & ex eo ceteros miraculoſa quadam cõfuſione in Babylonia

Babelen. extitiſſe, quibus vtentes nos Babelen dicimus,id eſt, ſic confusè loqui,vt non intelligan-
tur ab iis qui primi ſermonis ſunt periti. Quòd ſi mihi coniectura libera detur, dicam
ipſos etiam campos Babylonicos שִׁנְעָר vocari de primo ſermone; & dictionem hanc ſic
Stein-gar. efferendam eſſe,vt Steingar audiatur, de proprio videlicet litterarum ſono, qua ſignifi-
catur id quod omnino corrumpit. In planitie enim terræ Steingar omnis priſca veritas
corrupta eſt, omnis vitæ ratio peruerſa, idolomania inducta, immanis ſuperbiæ turris
erecta, omnia denique & diuina & humana iura violata: & inde pœnæ vltionisque loco
linguarum facta confuſio, & Babyloniſmus ſtupendo miraculo exortus. Steingar ergo
planities hæc vocata eſt; eo quòd omnia in ea fuerint corrupta atq. vitiata. Ceterū quia
dico miraculoſam hanc fuiſſe confuſionem, non fuerit abs re, labores hos meos quos
antiquæ veritatis ſtudioſorum nomine ſuſcepi, mantiſſa hac reddere gratiores, è qua
Linguarum cuius liceat portenta corruptelæ linguarum peruidere. Linguæ quæ paullatim vel de
confuſio & diuerſi ſermonis hominum colluuie, vel de veteris puritatis obliuione corrumpuntur,
corruptela. vocabula quidem plurima habent multum ab integris detorta, ſed ſic detorta, vt litte-
rarum tamen ſeries aliqua ſaltem tenus in corruptis vocibus ſeruetur, tametſi vel prin-
cipium dictionis vel finis nonnihil ſit mutilatus. Sic Hiſpanus ex Homo habet *Hombre*,
Gallus ex eodem *Homme*, Italus *Huomo.* Eodem modo ex Femina Gallus fecit *Femme*,
Hiſpanus *Hiembra.* Ex Lumen Hiſpanus *Lumbre*, Gallus *Lumiere*; & ad hunc modum
alia ex aliis corrumpunt, ſed ſic vt facilè cernas cognationem. At in confuſione Baby-
lonica longè aliter res habet: nam præter hunc communem & vulgarem ſermonis cor-
rumpendi modum, acceſſit & alter, qui voces retrorſum ire compulit, haud ſecus atq.
Cacus boues Herculis in antrum ſuum traxit. Nec hic ſolus ſatis viſus eſt habere vi-
rium ad confuſionem. Additus ergo & alius, qui talis eſt, vt litteras vocis alicuius inte-
grè diſſoluat, & eas deinde, velut talos quoſdam, iactet, ac pòſt, vt quæque ceciderit,
ita eas in vnum congreget ac deuinciat. Hinc factum, vt in quibuſdam vocibus rectè,
in quibuſdam aliter fuerint collectæ: & vt verum fatear, hic poſtremus ſecundum
comprehendit. Nam dum litteræ ſic, ceu teſſeræ, iaciuntur; nonnumquam contrarius,
ac prius fuerat, ordo exiſtere poteſt; aliquando alius enaſci. Hanc rem exemplis aliquot
aperiemus, de lingua præſertim Hebraica petitis, quæ ſola noſtræ aſſertioni obſiſtere
videtur, cùm Græca & Latina facilè nobis de principatu ceſſura ſit, non illis quidem
multis, ne totum Lexicon collegiſſe videamur, ſed tot ſaltem, vt ex iis facilis de reli-
quis coniectura fiat. Fateor equidem omnes ferè Hebraicarum vocum radices me exa-
minaſſe, & maximam earum partem ad veras primi ſermonis origines non ſine lucu-
lenta voluptate reduxiſſe; verùm & me ſcriptionis, & alios lectionis pigeret, ſi quis, vt
eas tranſcriberem, compelleret. Nec eſt vllo modo in artium traditione committen-
dum, vt documentorum fimbriæ minutiſſima quæque complectantur. Lubenter hanc
prouinciam iis relinquemus quibus tempus & otium ſuppetet ad omnes omnium
vocum rationes ſupputandas; quod vt promptiſſimè præſtare queant, rectiſſimā viam
Litterarum iis commonſtrabimus, quam ingreſſis nulla offeretur difficultas. Primùm & ante om-
cognationes nia litterarum cognationes diligenter conſiderandæ, quas è Græcis & Latinis Gram-
& mutatio- maticis facillimè diſcas. In vocalibus procliuis eſt tranſitus ex A in E: & ex E in I:
nes. rarior ex A in O: frequentiſſimus ex O in V, & contrà. Ex facio præteritum habes
feci; ex capio cepi; & compoſita efficio, perficio, & ſimilia ex ſimilibus; nec aliter ex
Labium. noſtro Lippe Labium habent Latini. Sic nos Taem & Maet/ ſiue Tam & Mat dici-
mus: alij Tem & Met/ vt Zelandi. Sueui ex Temt Timpt faciunt. Sicut Latini
Mino. ex Men Mino, ex Menerua Minerua, & alia. Latini ex Met Metior habent,
Minerua. eiuſdem ſignificationis verbum. Græci ex Temt Themis, quo decorum denota-
Metior. tur. A in O mutant Sueui, dum ex Man pro Luna Mon dicunt. Et Latini dum
Themis. ex Man Moneo faciunt, verbum eiuſdem cum Man ſignificationis. Contrà Lati-
Moneo. ni ex O faciunt A, dum à Loc Lacio, à quo allicio, formant. Græci ex Man pro Luna
Loc. μὴν fecerunt, ſicut ex Selana σελήνη. Iam breues vocales in longas, & longæ in breues
Lacio. non raro commigrant. Sic ex Mer ſyllaba longa Mare faciunt Latini pro eodem, & ex
μὴν. merit Metit verbum eiuſdem notationis. Græci ex Met pro Metior, μέτρον breui prio-
σελήνη. re ſyllaba deducunt. Ex Heel pro toto Græci ὅλον dicunt. In conſonantibus tenues in
Mare. Metior. Metrum. ὅλος. Peto. medias & aſpiratas tranſeunt, & è diuerſo hæ in illas. Sic ex Bet pro oro, fit Peto, tem-

pore

poreetiam mutato; ex mager fit Macer. Sed hæc notiora, quàm vt exemplis opus ſit. *Macer.*
Digamma, quod Vau vocant, in alterum digamma, quod ſexto loco inter Latinas litte-
ras recenſetur, tranſit: & noſtrum digamma, quod duplex vocamus, aliquando tolli-
tur è medio, aliquando in ſimplex abit, aliàs in Beth, aliàs in Qu tranſit: quorum om-
nium ante poſita ſunt ſuis locis exempla. Tau in Sigma & Sigma in Tau mutari, lippis
& tonſoribus notum. R item in L nonnumquam permutatur, vitio ferè pronuntiare
caninam litteram nequeuntium. Iam adſpiratio in F, & F in adſpirationem mutatur;
quod Hiſpanis frequens. Græci & Latini adſpirationem in C non rarò verterunt; vt ex
Hart/ *καρδίαν* & Cor; ex Horn/ Cornu & *κέρας* fecerunt. S in C quoque mutatur: vt ex *καρδία.*
Slaut/ Claudo; ex Seres/ Ceres faciunt. De terminationibus linguarum peculiaribus *Cor.*
ne mentionem quidem faciam, cùm ea res ſit omnibus notiſſima. Harum ſimilium- *Cornu.* *κέρας.*
que mutationum paſſim exempla in ſcriptis meis reperies; quo fit vt ſuperuacaneum *Claudo.*
exiſtimem, hic magnam è Græcis Latiniſque congerere ſiluam. Nunc ad Hebraicæ *Ceres.*
linguæ corruptelam hæc conferantur. In primis in אב clarum eſt, duplex noſtrum di- *Hebraica lin-*
gamma in Beth tranſiiſſe, Aw enim antiquum ſignificat, & pro patre nobis frequētiſſi- *gua corrupte-*
mè ponitur. Hinc Auwers maiores omnes vocamus: & den Auwen pro patre familias *la & cõfuſio.*
crebrò dicimus. Ex eodem fonte Latini Auum habent, in quo geminum digamma *Auus.*
clarius agnoſcitur. Rurſus in אָבָה quod eſt deſiderauit, voluit, videmus alterum duplex
digamma periiſſe, alterum in Bet mutatum. Wou enim idem eſt quod volebat. In
אִבְחַת quod pauor, conturbatio, fremitus, ab interpretibus redditur, nobis perſpicua eſt
origo à Ge-wo/ quod rabiem ſignificat; quod ſi Ge-wol/ dicas, perturbatio erit. Verùm
prius placet vt apud Ezechielem rabies gladij intelligatur. Hic Chet pro Gimel habe-
mus, & litterarum ordinem præpoſterum, vti Latini ex lof Folium, è los Soluo, Græci è *Folium.*
form *μορφὴ*, è rof *φὼρ* retinuerunt. In אָבַל ſignificatio variata. Obel enim ſiue Vbel quod- *Soluo.*
uis malum ſignificat, vnde Hebræi אֵבֶל pro luctu ponunt, & אָבַל pro lugebat, quaſi in *μορφὴ.* *φώρ.*
luctu ſummum eſſet malorum. Certè quibus longa vita, vt ſummum præmium, pro- *Obel ſiue*
mittebatur; iis non poterat non ſummum malum in morte collocari; nihil vt miri ſit, *Vbel.*
vt אֵבֶל pro luctu dicant. At cùm אבל pro magna planitie ponitur, vt Iud. ſeptimo, tum
originem ducit ex velt/ quo campus nobis deſignatur, Tau malè reiecto, & nihilo me- *Velt.*
lius Aleph præfixo. אַבִּיר validus dicitur & potens. Nobis ober ſuper ſignificat; & vt ver- *Ober.*
bum, idem eſt quod ſupero. Nos dicimus de oberſt ſiue ouerſt pro ſupremo, vnde He- *Oberſt.*
bræi אַבִּיר pro Deo quoque ponunt. In אֶגֶל pro gutta conuerſio eſt vocis, præpoſito arti- *Ouerſt.*
culo noſtro; Leec enim idem eſt quod guttatim ſtillo, vnde אֶגֶל è leec pro gutta. Verùm *Leec.*
Aleph frequentiſſimè redundat; vti vides in אָגַר pro congrego, quod à noſtro ger venit.
Eodem modo ſuperfluum eſt in אַבְנֵט quo zona denotatur qua ſacerdos cingebatur.
Nobis bant dicitur quoduis cingulum & vinculum. Vnde Banda pro vexillo, & bont *Bant.*
pro fœdere. Hinc de ſymbolica ratione cogita. Redundat item in אָבַס, quod ſignificat *Banda.* *Bont.*
pinguem fecit, quod factum eſt à noſtro vet/ mutato Tau in Samech, more Sueuorum,
quos in ſibilis Hebræi libenter imitantur. Nec magis neceſſarium fuit in Chaldaico
אֱדַיִן pro tunc, quod clariſſimè cernitur noſtratis eſſe originis: Dicimus enim doen pro *Doen.*
Tunc in præterito, & dan pro Tunc in futuro. אָדַם pro rubere ab eo dicitur, quo color *Dan.*
ruber, haud ſecus ac flamma & pruna, oculos fatiget; ceu præpoſtero ordine dicas
mat-og/ id eſt, ſatigans oculum. Quod ſi ogdam legas; eodem ferè res cadet. Hinc אֹדֶם
lapis quem carbunculum vocamus, qui vibranti flama oculos laſſat. Nos Rubrum co-
lorem Rot vocamus, qua voce etiam Virga denotatur, quod Seruius in illo Virgilij an- *Rot.*
notauit, *Virgatis lucent ſagulis.* Ruber enim color oculum flagellat & conturbat. De
Adami nomine alibi dictum. אָדֹן Dominus dicitur, qua in voce Aleph ſuperuacaneum,
quod Hiſpani Gotiſantes ſatis clarè demonſtrant, dum Don pro Domino quopiam ge- *Don.*
neroſiore dicunt. Noſtratibus frequens eſt loquendi formula, Hi is mijn doon en mijn la-
ten/ id eſt, eius apud me eſt poteſtatis, vt ex eo omnia mea dependeant; nec quicquam
faciam aut omittam, niſi ipſius arbitratu. Hinc doon pro Domino, penes quem om- *Doon.*
nium eorum quæ facere nos oportet, arbitrium eſt. Gotis olim in vſu fuit, nobis obſo-
letum, niſi quod ratio eius non vna apud nos exſtet. Nam non ad doon tantùm alluſit
nomenclator, ſed ad deon etiam ſiue don/ quo norma ipſius cantus denotatur, quam qui
ſeruat, & in ea ceteris præit, Græcis coryphæus vocatur. אֲהָהּ Hebræorum interiectio

eſt, quam Aha pronuntiant quidam: Noſtrates Ach ach dicunt, ita vt He ſit pro Chet,
quod eſt frequentiſſimum. אָהַב pro amo eſt à noſtro hog-haw/ id eſt, alto loco habeo, ſi-
ue plurimi facio. Eiecta eſt littera, & eam quam dico eiectam eſſe, de Græco verbo di-
ἀγαπῶ. ſcas, quod ex hac radice eſt corruptum: *ἀγαπῶ* enim idem ſignificat; quo in verbo Gam-
ma cernis, & ex Beth tenuem litteram factam; quæ ratio originis è cognatis linguis in-
ueſtigandi magno nobis frequenter eſt vſui. Niſi enim *ἀγαπῶ* Græci haberent, vix mi-
hi crederetur quod de Gimel adempto dixi. Et quia id hic perſpicuum eſt, non debet
abſurdum videri, quod paullo prius de אָדָם dixi. אֹהֶל tabernaculum interpretatur. Nos
Hal. hal dicimus pro laxiore loco ad res ab iniuria cæli ſeruandas accommodato. Aleph au-
tem ſuperfluum eſſe, ipſi etiam fatentur Hebræi, quia nonnumquam vox hac littera
Magal. caret. Arabes ab hal Magal fecerunt, quo communis cognatorum habitatio denota-
Of. tur; qua de voce alibi fortaſſe. In או quis noſtratum non agnoſcit of / quo Vel denota-
Aut. tur. Hinc Latinis Aut. Notes hic Vau pro f creberrimo eſſe in vſu. Hinc Sueui pro
noſtro Vau frequentiſſimè f ponunt. Nos enim vraut / illi fraut dicunt, & alia ſimili
Eiuer. formula. Pro zelo nos eiuer / illi eifer dicunt, vnde Hebræi אוה pro vehementer cu-
Eifer. *Aueo.* pere vſurpant, vbi Aleph pro E ponitur. Latini inde Aueo habent, quod in אַוָּה pro
deſiderio clarius apparet. In אוי pro Ve Aleph ſuperfluum eſt, & Vau locum dupli-
Wee. cis digamma tenet, eo quòd nos wee dicamus. און verbum varie vſurpatur. Aliàs enim
fortitudo redditur & virtus, cuius ratio ex oben/ quo ſupernum denotatur, petenda; eo
Oben. quòd virtute ceteris ſimus ſuperiores. Propriè igitur oben excellentia verteretur. Aliàs
pro fletu ponitur, re admodum diuerſa; qua in ſignificatione ex ween eſt corruptum, ſim-
plici Vau pro duplici collocato. Eſt vbi iniquitatem & fraudem interpretes reddunt,
vt Pſal. triceſimo quinto, *Verba oris eius iniquitas & dolus*. Vbi ſcriptum eſt אָוֶן. Hic
Hon. Aleph eſt loco He, quod apud Hebræos frequentiſſimum eſt. Nos enim hon pro fraudo
dicimus. Puncta igitur ſuperflua ſunt, vt ſuperflua ſunt frequentiſſimè. In hac voce di-
ligenter notes, qua via & ratione fiat, vt eadem verba apud Hebræos tam diuerſa ſigni-
ficent. Confuſio quoque ſimilis eſt in אוץ, ſed quæ faciat notationem non ita diuerſam.
Staw. Cùm enim pro cogere ponitur, fit à ſtaw/ quod eſt impello ad progrediendum; litteris
nimirum tranſpoſitis. At cùm pro feſtinare vſurpatur, radicem habet haſt/ qua in ſigni-
ficatione Vau ſuperfluum eſt. Vide, quæſo, quàm perſpicua ſit in his corruptela. Quod
autem littera, quam Hebræi perperam Sade vel Sadic vocant, & per Sigma pronun-
tiant, ſemper pro duplici Sigma videlicet ac Tau ponatur; in Hieroglyphicis docebo.
Vur. אור illuminare vertitur. Nos Vur dicimus, quæ vox vt verbum vſurpata, ſignificat ignem
πῦρ. facere; vt nomen, idem eſt quod ignis. Hinc *πῦρ* Græcorum. Hebræi ad rem vicinam
& de neceſſitate conſequentem vocem detorſerunt. Pro igne נורא Chaldæi dicunt, vbi
Nun ſuperuacaneum & Aleph terminatio. Hebræi verò נור lucernam vocant & ignem
Heet. non אור tantùm, ſed & אֵשׁ dicunt, voce diducta à noſtro heet/ quo calidum denotatur,
in qua Tau Sueuico more in Samech tranſiit, & loco Samech Sin poſitum eſt, quas
litteras Hebræi turpiter confundũt. Animaduerte hic quî à veris vocum notationibus
ad res vicinas ſignificandas vocabula per confuſionem commigrent. In אור igitur pro
vur Aleph inanis eſt littera, cuius loco alterum Vau fuiſſet collocandum, & וור pro אור
Vrim & Tu- ſcribendum. Quid autem ſit Vrim & Tumim in ſacerdotis pectorali, nemo hactenus
mim in ſacer- Hebræorum potuit explicare. Rabbi Dauid in libro radicum ab אור deriuat, addens
dotis pectora- interim non liquere Iudæis, quid Vrim & Tumim ſignificent; & aliud tamen fuiſſe,
li quid ſit. quàm lapides pectoralis? Rabbi Selomoh ſcripturam nominis expoſiti, id eſt, Dei, fuiſ-
ſe tradit, per quam lucere faciebat & perficiebat verba ſua. Verùm & huius & aliorum
illa tandem eſt concluſio, veram huius vocis Vrim & ſignificationem & rationem
ignorari. Conſului ſuper eadem re doctiſſimum virum, & linguarum omnium peritiſſi-
mum, Benedictum Ariam Montanum; qui relicta & deſperata vocum interpretatio-
ne, ad cælum confugit, vt Deus, more Tragico, in partes fabulæ vocaretur. Ait enim
hæc verba, non aliter atque manna, de cælo à Deo Moſi fuiſſe demiſſa, vt rationali ſiue
pectorali includerentur. Laudanda ſanè mihi ſingularis huius viri pietas & eruditio;
ſed perfugium hoc nec mihi, nec aliis eruditiſſimis etiam Hebraicæ, Chaldaicæ, Ara-
bicæque linguæ viris vel placuit vel ſatisfecit. Nam ſi res aliqua diopetes fuiſſet, vti
manna & flores virgæ Aaron, quorum monumenta in Siclo videntur; non equidem
vllam

vllam inuenio cauſſam ob quam Moſes tantum miraculum faceret, & non æquè Vrim & Tumim Deo adſcriberet, atque tabulas Dei digito dixit exaratas. In Hieroglyphicis expono quid verba illa denotent, quibus Moſes tradit Pharaonem vſum eſſe, dum Ioſepum inaugurato ad ſummum Ægypti euexit magiſtratum: quæ à nemine hactenus vel Hebrǫrum vel alterius nationis hominum fuerunt intellecta; quamquam ſunt qui Ægyptium ſermonem eſſe fateantur. Quemadmodum igitur Moſes verba illa à ſe recitata non eſt publicè interpretatus Hebræis; ita crediderim & Vrim & Tumim ex eodem ſermone deriuata, & idcirco nõ aperuiſſe vulgò eorum notationem, ſed eam ſacerdotibus fortaſſe inter myſteria tradidiſſe, quo plus haberent venerationis. Fuit Moſes peritus omnis ſcientiæ Ægyptiorum, quo fit vt nihil dubitem, quin arcanam quoque ſacerdotum linguam didicerit, & ex ea hæc verba petiuerit, haud ſecus atque illa, quibus Pharaonem vſum dicit in Ioſepo inaugurando. Quærenti ergo mihi ecquid è ſacris Ægyptiorum ritibus emulgere poſſem, quod ad harum vocum faceret interpretationem: Harpocratis natalis mihi in mentem venit, qui ad brumam natus eſſe ſcribitur; quem dum diligentius conſidero, inuenio Iſidem, dum in vtero hunc fœtum gereret, phylacterium ſibi appendiſſe, quo felix fauſtusque partus eſſet: illud autem amuletum non aliud fuiſſe, quàm ſcripturam qua vera vox notaretur, quod Plutarchi nobis aperuit diligentia, qui ſi ſacrum è ſacro & arcano ſermone nomen expreſſiſſet, à magna nos dubitatione liberaſſet. Cauſſam tamen cur non adſcripſerit, cùm ceteroquin in aliis vocibus ſacerdotum exponendis ſatis fuerit curioſus, eam eſſe exiſtimo, quòd Græcis litteris ſacram dictionem, qua vera ſignificaretur vox, notare non poſſet. Mar enim Græcis characteribus non magis ſcribere potuiſſet, quàm Plinius *Wi* Gallorum nomen, quo viſcum denotatur, litteris Latinis. Vterque igitur & hic & ille ſacrum nomen miſſum faciens, ſolam eius poſuit interpretationem. Nos igitur de collatione tum rerum tum illuſtrium auctorum hanc facimus coniecturam, Moſen pectorali ſuo phylacterium illud incluſiſſe, quod veræ vocis haberet ſignificationem; idq. eum eiuſdem ſpiritus inſtinctu feciſſe, quo D. Ioannes ſcripſit, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*, & cetera quæ aquilinis mentis oculis perſpecta mortalibus prodidit. Habemus enim apud Moſem, *Dixit & facta ſunt*; è quo liquet, æquè Moſi atque diuo Ioanni reuelatum fuiſſe, Deum verbo ſuo & vera voce totam rerum creaſſe vniuerſitatem, & eius ſolius amuleto omnia in cælis & in terra cuſtodiri, atque ab omni periculo & interitu poſſe ſeruari. Nec dubium eſt, quin Moſes, quid Iſidis nomine ſacerdotes intelligerent, inter cetera fuerit edoctus, atque ita optimè cognorit, eo ſecundam in Trinitate perſonam ſiue hypoſtaſin denotari, vti nos ſuo loco docemus. Quamobrem, dum Iſis humanam naturam aſſumeret, veram vocem, & verbi per quod omnia creata erant, naturam non depoſuit, ſed ſibi pro phylacterio certiſſimo ſeruauit: quo nimirum fecit, vt & carnem ſuam à morte ſuſcitaret, & totum genus mortalium ab æterna morte ſeruatum ſecum ad ſupremum cælum leuaret. O potentiſſimum amuletum! ô præſentiſſimam & certiſſimam phylacterij formam! Moſes itaque diuini ſpiritus inſtinctu ductus, cùm ſciret pontificē ſuum illius veri pontificis typum gerere, qui ſimul & Deus & homo eſſet; voluit vt in pectore eodem quo Iſis, phylacterio vteretur, id eſt, eodem quo Chriſtus verus Pontifex ſeſe aduerſus draconis venenum muniuit, & omnia in cælis & in terris æterna cuſtodia tuetur. Neque enim, ſi linguæ ſacerdotum erat peritus, vt haud dubiè fuit, ignorare potuit, prima rituum ſacrorum apud Ægyptios inſtituta non aliud quàm typum fuiſſe futurorum, & idcirco verum eorum vſum à religione minimè reiici oportere, tametſi apud vulgus in idolomaniam omnia raperentur. Ioſepus ſacerdotibus omnium onerum & vectigalium immunitatem conceſſit; quod cum non credo facturum fuiſſe, ſi eos cacodæmonum miniſtros eſſe ſciuiſſet. Quid verò colerent, ignorare non potuit; quando de ſacræ ſcripturæ teſtificatione conſtat, eum tam familiarem & amicum iis fuiſſe, vt vnius ſacerdotum filiam ſibi matrimonio copularit. Vt ergo abuſus & demens ſuperſtitio abominanda; ita prima & vera cærimoniarum intelligentia fuit piè amplectenda. Nunc igitur, his pro tempore breuiter indicatis, nomina, quæ vocata ſunt in quæſtionem, rebus ipſis applicemus. Quoniam igitur clarum eſt in אור Aleph loco Vau poſitum eſſe, & pro Vur Aur ſcriptum (nihil enim punctorum diſcrimina in hoc examine moramur) dicemus idem in אורים contigiſſe. Quamobrem Plutarchi

Iſidis, matris Harpocratis, phylacteriũ.

tarchi auctoritatem ad Moſis interpretationem adhibentes, aſſerere non veremur, hanc vocem ex War-em factam eſſe, quo ſimul & vera vox, & vox cuſtodiens denotatur. *Hem ſiue Em. War.* Hem enim ſiue Em ſimpliciſſimam vocem ſignificare, antè docui: quo fit, vt de verbo quod primum eſt & omnium ſimpliciſſimum, optimè dicatur. War autem verum ſignificare; & dum verbum eſt, cuſtodire, ſuo quoque loco explicatum. Iſidis igitur phylacterium War-em fuit, quo illa videlicet omnia & fecit primùm, & ſemper cuſtodit. Videmus hìc quàm eleganter phylacterij cuſtodia & tota vis in War ſit expreſſa, ita vt nihil ſit ambigendum, quin War-em illa dictio ſit quam Plutarchus veram vocem interpretatur: quam citra dubium ſcripſiſſet; ſi Græcis litteris eius ſonum germanum atque genuinum exprimere quiuiſſet. *Tumim.* Et hæc quidem de Warem: nunc ad Tumim. Hebræi, vt id primum annotem, ſuum Tau perperam per Thet efferunt, atque hinc fit vt pro Tam ſiue Taem, quod idem eſt, Tham cum adſpiratione dicant. Vtuntur autem hoc vocabulo ad hunc modum, vt interpretes aliàs perfectum aliàs immaculatum, aliàs innocentem, aliàs ſimplicem, aliàs integrum reddant. Verùm vt Hebræi vocis ſuæ ſignificationem תמם petunt; ita in ſacerdotum lingua Taem plus includit myſteriorum. Decorum enim hac voce intelligitur, quod conſiſtere non poteſt citra accuratam omnium rerum actionumque menſuram, vti ichnæa conuerſione manifeſtò declaratur. Quod igitur omnibus rebus modiſque intra iuſtitiæ terminos continetur, Taem dicitur, quod conuerſum maet/ id eſt, menſuram deſignat. Hinc apud Græcos *Themis Dea.* Themis Dea, adſpiratione Hebræorum more accerſita, quaſi temt diceretur, id eſt decet. Themidem autem apud Græcos Venerem etiam Vraniam dici, & omnes iuſtitiæ numeros in cælis & terris abſoluere, in Amazonicis tradidi: quæ, qui volet plura nouiſſe, conſulat. Quoniam igitur omnis ſacerdotij ratio, totumque Pontificis munus eò referebatur, vt toti iuſti decorique fieremus, neque id miſeri mortales ſuis viribus aſſequi poſſent: voluere priſci nobis verum pontificem, id eſt, fœderis purgatorem indicare, cuius ceteri pontifices, quotquot & quales quales eſſent, non aliud quàm perſonam & laruam gerebant. Hunc igitur per phylacterium ſignificarunt, eo quòd is ſolus omnes ab omnibus malis cuſtodire poſſet, atque idcirco verum eſſet & vnicum phylacterium, non ceterorum modò hominum, ſed & ipſorum Pontificum, qui veri pontificis typum præ ſe ferebant. Tota igitur phylacterij ſententia ſic eſt explicanda, War-em/ Tam-em/ id eſt, vox vera & cuſtodiens, iuſtum & decorum eum redde. Vel, Vox vera & cuſtodiens, vox iuſtum & decorum reddens. *Hem.* Hem enim vt vocem ſimplicem ſignificat, ita & ipſum denotat; qua de re in hieroglyphico Mem ſigno latius. Vtrouis tamen modo Hem in poſteriore loco capias, res eòdem pertinet, atque clarè ſignificatur, nos nec decoros nec iuſtos eſſe poſſe, niſi per vocem veram. Dum alterum Hem vt pronomen accipitur, ad eum refertur cui phylacterium appenditur. Vt ergo Iſidi Vera vox appendebatur, ita ſacerdoti & altera erat adiungenda, qua iuſtitia & pulcritudo ipſi per ſolam veram vocem contingere poſſe notaretur. Altero tamen modo, quo vtrobique per Hem idem denotatur, quod per ſimplicem vocem, phylacterium ad Iſidem æquè atque ad Pontificem ſpectat. Et hæc quidem homonymia nullam adfert obſcuritatem; ſed contrà ad id quæſita eſt, vt copioſior eſſet ſignificatio, qualis frequens eſt in vocum noſtratium compoſitione, ad eandem rem pluribus notis indicandam. Interea tamen Hebræis permittimus, vt dum extra pectoralis mentionem Thumim vel Tham legunt, ſuo more interpretentur; at in pectorali phylacterium pace ipſorum intelligemus, quod Moſes de ſacro ſermone ſumpſit, & inter abdita myſteria ſeruauit: & id quidem ſummo iure, cùm nihil hoc arcano Dei conſilio, quo mortalium genus per veram vocem à morte liberauit, ſit arcanius, & maiore veneratione & ſilentio dignum. Tota enim ſacerdotij rituum ſacrorum, cærimoniarum, ſacrificiorum, luſtrationũ vita ex hoc phylacterio pendebat; & ea de cauſſa ſuper corde proprio vitalis caloris fonte vt portaretur, Moſes iuſſit, ceu citra illud nulla vita conſtare poſſet, non ſacerdoti modò, ſed toti populo Iſraëlitarũ. Hinc duodecim tribuũ nomina lapidibus duodecim inſcribebantur, vt totius populi vita ſeruaretur. Hebræus loco pectoris לֵב habet, quo cor *Leb/Lef/Leuen. Leew. Leo.* intelligit, cuius vocabuli ratio nobis eſt clariſſima, cũ leb/ſiue lef/ſiue leuen vitã ſignificet. Quia verò vitalis facultas, quæ ſolis calori fertur accepta, leoni eſt inſignis; factum vt à leb leaum ſiue leew pro Leone poſuerit nomenclator, vnde Hebræi לָבִא fecerunt, &

Græci

Græci λέων, Latini Leo; quibus vt vox nobiſcum communis, ita nulla eſt cognita ſignificationis cauſſa: de qua latius in hieroglyphica ipſius Alef figura. Non caret itaque cauſſa recondita ac ſingulari, quòd pectus hic לֵב vocatum ſit. Quamuis enim alio vocabulo vti Moſes potuiſſet magis proprio; voluit tamen cordis nomen vitæ notationem in prima radice habens hoc loco ponere, quo ratio phylacterij magis indicaretur. Porrò pectoris hoc ornamentum phylacterium fuiſſe, de forma ſatis liquet, quæ quadrata erat, & quatuor lapidum verſibus inſcripta, totumque ſic comparatum, vt ipſi Vrim & Tumim includerentur. Quatuor autem Vitæ habere ſymbolum, vel ex Tetracti Pythagorica diſcas, vel ſermoni noſtro credas, in quo quatuor & ignis eodem nomine dicuntur. qua de re in Hieroglyphicis. Quemadmodum autem quatuor vitæ fontem deſignant; ita duodecim duas nobis vitas nomine ſuo in noſtrati lingua pollicentur; alteram, quam Adam primùm ſortitus eſt; alteram, quam in palingeneſia, non Pythagorica, ſed Chriſtiana, credentes accipiunt. Sicut ergo tria in ſe ducta nouem producunt, ita ducta in quaternarium vitæ ſymbolum, duodecim reddunt, & alteram vitam abſoluunt, quæ proprium Chriſti donum eſt. Ternarius autem ductus eſt in quaternarium, dum Deus ſeſe naturæ humanæ copulauit. qua de re alibi plura, ſi trinus & vnus quaternarium noſtrum tantiſper in mortali corpore ſinet manere. Satis hic eſto, duodenario vitam denotari, quam per Chriſtum natura accipit humana, qui ſolus vera vox eſt, & ſolus iuſtum decorumque hominem in iudicio coram patre ſiſtit. Cùm igitur huius ſolius veræ vocis iuſtitia & venuſtate nos Deo probare poſſimus, nec alia ratione ſeruari queamus; ſupremum vitæ cordiſque phylacterium vera vox erit, quæ quadratæ thecæ & duodecim lapidibus ornatæ includi iubetur; cuius myſterium vix multis libris quiſquam aſſequatur, ſit licet ſacrorum rituum in primis peritus & dexter interpres. Porrò thecam, cui vera vox vnà cum Themide includebatur, Hebræi חֹשֶׁן nuncupant, cuius vocis nec alibi vſus eſt vllus, nec vlla exſtat apud Hebræos etymologia. Græci λόγιον verterunt; quod nomen ſi indiderunt, quia verbum, quod λόγον D. Ioannes appellat, contineret; optima ſanè ratione mihi ducti videntur. Verùm Latini, qui rationale verterunt, aliò videntur reſpexiſſe. D. Hieronymus ad doctrinam putat pertinere, & à ſermocinando ſic vocari, atque hinc Vrim doctrinam, & Tumim veritatem interpretatur. Quòd ſi mihi coniectare licet, dicam & hoc nomen è ſacro Ægyptiorum ſacerdotum ſermone, Moſem eſſe mutuatum. Cùm enim veræ voci, & voci iuſtum & omnibus modis decorum reddenti, veluti ſacellum quoddam ſplendidiſſimum conſecraret, nomen illud indidit, quo eius quod in ipſius adyto lateret, ſignificatio indicaretur. Nam quid rogo aliud eſt vera vox, quàm patris ſplendor & imago, iuxta D. Paullum, qui ſic Chriſtum nuncupauit? Atqui illud ipſum חֹשֶׁן ſignificat, ſi de noſtrati lingua interpreteris. Cho-ſcein enim ſiue Go-ſcijn idem eſt ac ſi dicas Boni ſplendor & imago. Chet è Gimel frequenter faciunt; atque adeò apud nos etiam, dum imperando vehementiam locutioni addere molimur, Ch pro G ponimus: vt à giet præſenti, fit Chiet pro funde, vti ſuo loco declarabo, & in אֶחָד pro vno Deo. Chod pro God/ & hoc pro got ponitur, vt alia taceam ſexcenta. In hieroglyphico litteræ שִׁין ſigno quid ſcijn deſignet, latius aperiam, ſi hic ipſius Boni ſplendor benignus affulgeat. Poſſet etiam non abſurdè reddi Dei ſplendor; eo quòd loco ipſius Got/ quo Deus ſignificatur, frequenter go dicimus: nec verò inter Deum & Bonum diſcrimen vllum, re quidem tenus, inuenitur. Quoties enim Bi Go/ &, De Son gat te Go/ Campani noſtri Brabanti dicunt: quorum illud eſt per Deum iurantis, hoc ſignificat Solem ad Deum abire, id eſt occidere. Cho-ſcyn igitur vel Boni vel Dei ſplendorem & imaginem ſignificat, quæ attributa proprio iure Chriſto veræ Dei voci debentur. Hinc modò perſpici poteſt, cur Goſcyn ſiue חֹשֶׁן iudicij habeat cognomen. Chriſtus enim boni ſplendor eſt, cùm ſemper aliàs, tum verò multo maximè in iudicio, quod à Patre accepit. Iudicat enim homines iuſtos & decoros, non quia tales ſua ipſorum ſponte ſunt, ſed quia ipſe nos meritis ſuis iuſtos & decoros coram Patre ſiſtat, ablutos nimirum illius agni ſanguine, qui mundi peccata tollit. In iudicio igitur illo, ſupremæ Themidis pulcri iuſtique apparemus, non de vlla noſtra virtute peculiari, ſed de ſolo ipſius boni ſplendore, fœdum peccatorum cœnum luſtrante atque expurgante. Nam ſi de prauæ noſtræ naturæ meritis, quæ ſola noſtra propriè dici poteſt, humanum genus iudicaret; omnes ad vnum condemnaremur.

Quatuor, ſymbolum vitæ.

Duodecim, ſymbolum duplicis vitæ.

Quicquid igitur mereri dicimur bonorum, id ipſius gratiæ & bonitatis ſplendori acceptum feramus neceſſe eſt, atque ita, dum nos iudicio ſempiternæ Themidis ſiſtit, totos aura luminis ſui veſtit, quæ albæ ſtolæ ſymbolo deſignantur. Hunc ipſius Boni ſplendorem, qui Chriſtus eſt, Ieſaias celebrat ad hunc modum: *Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non ſilebo, donec egrediatur quemadmodum ſplendor iuſtitia eius, & ſalus eius vt lampas fulgeat.* Quid conuenientius dici potuit noſtræ interpretationi? Nempe ſolus hic locus ſatis oſtendit, quorſum hoc pectoris Pontificij ornamentum ſpectarit, cuius geſſerit figuram, quid varius gemmarum fulgor denotarit, quid in ſe concluſerit & myſticis ignotiſque apud Hebræos verbis celarit. Externus ſplendor internum iuſtitiæ per Chriſtum, qui Verum verbum eſt ſiue Vera vox, comparandæ, ſplendorem denotabat, qui longo diuturnóque ſilentio in arcanis Dei conſiliis erat occultandus. Quamobrem puluinus ille pectoralis, ſiue theca ſuper vitæ ſede & peccati origine ſuſpenſa ac duodenario fulgentium gemmarum inſignita, optimè & aptiſſimè go-ſchein nuncupatur, qua voce non ſolum Dei ſiue boni ſplendor & imago denotatur; ſed etiam illud exprimitur, nos coram Deo in iudicio bonos apparituros, non alterius, quàm vocis ſiue verbi Veri, eos quos illuſtrat, decoros iuſtóſque reddentis, beneficio & gratuito dono: ad quod continendum, hæc ſiue theca ſiue arcula in pectore ſuſpenſa comparatur. Quemadmodum igitur non vna ratione pectorale Sacerdotis ornamentum go-ſchein vocatur; ita maxima de cauſſa & abditiſſima cognomen accepit à iudicio, in quo per ſolum ipſius Boni ſplendorem boni apparebimus. Dicitur autem iudicium Hebraicè מִשְׁפָּט quod vocabulum radicem primam è noſtra lingua ducit, in qua

Scep. Scepſel. ſcep idem eſt ac ſi dicas, rudi materiæ formam indo, vnde ſcepſel pro exemplari & forma collocatur. Quia verò Iudicis eſt Rempub. ordinare, & quæ in ea impolita ſunt, ad

Scepen. bonam redigere formam, qua ſola conſeruantur ciuitates: ſcepen pro eo dicimus, qui in Repub. rebus rectè conſtituendis & controuerſiis tollendis præeſt. Et hæc quidem ſcep in prima perſona, & ſcept in tertia perſona, vnde Hebræi ſuum verbum habent שָׁפַט, in ſermone noſtro deſignat: cuius ſi vlterius rationem quæras; ad ſummum creato-

Scepper. rem, atque omnium rerum formatorem aſcendas oportet, qui ſcepper nominatur, eo quòd totam mundi machinam, & omnium rerum, tum corporatarum, tum non corporatarum vniuerſitatem, ex infinitis patris ſui abyſſis hauſit, & in idealem, vt ſic dicam, matricem ſuam infudit, atque hac via & ratione formauit. Quod igitur eſt ſummus opifex in toto mundo; hoc eum qui ſcepen vocatur, eſſe decet in ſua ciuitate formanda ordinandáque. Hinc factum, vt apud Hebræos verbum שָׁפַט non ſolùm iudicare, ſed præeſſe & ordinare etiam ſignificare deprehendatur. Vnde intelligas non malè eum dicturum, qui מִשְׁפָּט ordinationem & iudicium interpretetur, quo videlicet vtrumque denotetur, & ipſum Goſcyn ad diuinam ordinationem, qua mundum erat reparaturus; & ad iudicium extremum pertinere. Habemus itaque nunc quid go-ſchein ſiue חֹשֶׁן in prima ſignificet lingua, è qua à Moſe acceptum eſſe credo, vtpote eam apud

Phylacteriū. Sacerdotes edocto. Non malè igitur Græci phylacterium hoc ornamenti genus nominarunt, à fine videlicet accepta nomenclatura. Eò enim referebatur, vt nos in iudicio aduerſus diabolum ad Dei tribunal tueretur. Quamuis autem phylacterij nomen nil habeat ſimilitudinis cum War; eiuſdem tamen eſt ſignificationis cum cuſtodia, quam phylacen nominant Græci, cuius vna cum cognatis ratio de ſermone noſtro pendet, vt & illud obiter annotemus. Veel enim ſiue Veel multum ſignificat, à Vol/ quod eſt

φυλάξαι. plenum. Acht idem eſt quòd exiſtimo ſiue æſtimo; vnde Veel acht/ à quo *φυλάξαι* idem eſt quod plurimi facio. Nam illa ſola cuſtodimus quæ plurimi facimus. Et quia pericula etiam plurimi facimus, non ad illa quidem ſeruanda, ſed euitanda atque fugienda;

φυλάττω. fit vt *φυλάττω* æque pro caueo atque cuſtodio vſurpetur. φ autem in digamma noſtrum

φῦλα. transire, quis ignorat? Sic *φῦλα* pro gente, à noſtro Volc deriuatur; & *φύλλον*, à loof/ per

φύλλον. conuerſas litteras, vnde Latinis folium, eiuſdem notationis vocabulum. Sufficiant hæc modo de pectoris Pontificij ornamento, & veri verbi humanum genus iuſtum decorumque facientis arca; cuius duodecim gemmæ, non duodecim tantùm Veræ vocis nuntios ſiue Apoſtolos deſignant, ſed totius etiam generis humani & machinæ mundanæ perfectionem, quæ dodecade continetur. Totius autem generis humani duodecim tribus Iſraëlis typum & ſimulacrum gerebant, quibus quæ factæ ſunt promiſſio-

nes,

nes in Chriſtianis ſunt perſolutæ, cùm antea in vmbra dumtaxat latuiſſent, & obſcuris imaginũ quarundã inuolucris. Ceterùm ad ea quæ huc ſpectãt, omnia explicanda, non vno libro aut vno codice opus eſſet: de quibus aliàs fortaſſe latiùs agam, ſi veræ vocis phylacterio tantiſper in hac vita manebo. Nunc ad alia. אות pro ſigno vſurpant, vox eſt retrograda, in qua Aleph rurſus ſuperuacaneum in alterius litteræ locum irrepſit. Tog enim idem eſt quod oſtendebat; niſi mauis à teeken eſſe præciſum, quo ſignum notatur. אזוב pro Iſopo, fit ab Hees-hop quo raucorum ſpes denotatur. Quòd ſi Hees-ſop dicas, ſuccus fuerit raucorum. Vtrouis certè modo propria herbæ facultas exprimitur. Adſpirationem periiſſe nihil miri; nec magis mirum, litteram quam Zain vocant, pro Samech poni; cùm hæc elemẽtorum confuſio Hebræis admodum ſit familiaris. Sic & in אז pro Samech ponitur, qua vocula Tunc ſignificatur. Nos dicimus, Als ic quam/ ſo gonc hi; id eſt, quando ego veniebam, tunc ille diſcedebat. Hic So pro Tunc vſurpari videmus; & per S, non per duplicem litteram ſcribi. Sed de vera Zain pronunciatione in Hieroglyphicis. Verùm אזוב nonnumquam generatim ponitur pro quauis herba, in qua notatione fit à noſtro Gewas, quo quæuis planta deſignatur, atque ita intelligendũ eſt quòd Salomon dicitur diſputaſſe à Cedro Libani ad Iſopum, quæ creſcit in pariete; quo nihil aliud ſignificatur, quàm eum omne genus plantarum nouiſſe, à maximis quæ ſunt Cedri Libani, ad minimas quæ creſcunt in parietibus. Nec proprius ſonus ipſius Zain in אזל retentus eſt, quo denotatur recedere. Nos Lat dicimus, Sueui Las pro relinquo; & compoſita voce, Ver-las. Ic lat hem/ id eſt, Ego deſero eum, ſiue recedo ab eo. Ceterùm in אזל pro lapide viam notante, proprium hæc littera vſum ſeruauit. Eſt enim vox Exel à Weg-ſel deriuata, à principio digamma duplici reiecto, & Gimel & Samech in duplicem litteram coëuntibus; qua dictione viæ numerator denotatur. Solent enim viæ lapidibus notari, & per eos interualla numerari. Hinc apud Romanos ad primũ lapidem, ad ſecundum lapidem, & centeſimum lapidem, & ita in aliis. In אזן fœdiſſima corruptio eſt: videntur enim vocem qua Naſus notatur, pro aure poſuiſſe. Nas ſiue Naes naſum ſignificat, è quo vocabulo tranſpoſitis litteris nomen fecerunt, quo auris notaretur. Eodem vitio ראה pro videre dixerunt: cùm Hoor contrario ordine idem ſit quod audio. Græci à ראה ὁρῶ fecerunt, pro video; vbi apertiſſimum eſt quod dico; vocabulum videlicet auditionis proprium, ad videndi partes tranſiiſſe. Bella ſcilicet locutio, dum video pro audio, & Nas pro aure dicunt. אזק catena redditur. Hîc iterum præpoſterus litterarum ordo, & Zain rurſus loco Samech ſcriptum, & pro Tau, Allemanico ſiue Sueuico ritu, vſurpatum, & litteræ deciſæ, quæ ketten nobis finiunt, quarum loco Aleph ſcriptũ; quod vt ſuperfluum omittitur Nahum tertio capite, vbi בזיקים legitur, non באזיקים, vnde planè ketten agnoſcas. In אזר quod accingere & præcingere vertunt, Zain pro Sade ſurrepſit; & Aleph vel ſuperuacaneum eſt, vel loco E ponitur. Nos Ruſte dicimus, pro eo quod eſt parat ſe, & armis inſtruit ad bellum, quod cingendo maximè fiebat, vt & vetuſtæ Romanorum picturæ & antiquus mos loquendi ſatis apertè demonſtrat. Hinc apud Iuriſperitos Cingendus habetur pro Cincto. Hinc item, In procinctu eſſe. Quod ſi à Gorte corruptum eſſet, Gimel deſideraretur. Certè tam varia & incerta Hebræorum eſt corruptela, vt non mirum videri deberet, ſi quis à Gorte ſiue Gorde diceret eſſe præciſum; mutato Tau vel Delta in Zain loco Samech. Dum אח pro fratre dicunt, ab honore videntur vocem mutuati. Nam hoch altum ſignificat: vnde paullo antè hog-haw, quod & hoch-haw dici poſſet, oſtendi pro ἀγαπάω vſurpari. Propter caritatem itaque hoch diceretur: aliis fortè placeret ab Acht fieri, quo æſtimatio denotatur. Mihi prius magis arrideret, niſi aliud quod rectius eſt, haberem, idque eo magis, quòd eadem voce altare denotetur, vt Hieremiæ triceſimo ſexto cap. bis vſurpatur. Altare autem citra dubium ab Hoch, id eſt, ab alto nomen hoc ſortitur. Verùm vt de altari non repugnem, dum tamen אח pro fratre dicitur; aſſerere nihil dubito, nomen corruptum eſſe ab Echt/ quo nobis germanum denotatur, & ita coniunctum naturæ lege, vt propè vniatur. Ab Ee enim Eeich, & hinc Echt dicitur. Hinc de vxore etiam, & liberis, & aliis ad hunc modum legitimo iure nobis coniunctis vſurpatur, adiecto tamen eo cui tribuitur: vt Echt wijf/ echt kint/ id eſt, legitima vxor, legitima proles. Quemadmodum igitur vox germanus pro fratre, ita Echt etiam optimè ponetur. Puncti ſubſcripti nulla ratio habenda, ſicut nec Tau reiecti, quod Hebræi crebrò vel abiiciunt vel adiiciunt,

Iſopus. So. Gewas. Lat. Nas. Naes. Hoor. ὁρῶ. Ruſte. Hoch. Acht. Echt.

citra neceſſitatem ab origine pendentem. אֶחָד Vnum ſignificat, vox haud dubiè compoſita in primo ſermone. Nobis frequens eſt, dum numeramus, vt princi-
Ee. piò dicamus, Ee met got/ id eſt, Vnum cum Deo, ceu dicas, Vnum proſperante Deo. Diuina ſanè prouidentia factum videtur, vt hæc dictio apud eos remanſerit, quibus nulli magis mortales ad idolomaniam fuerunt proniores. Ee Got ergo, id eſt, Vnus Deus, pro Vno dixerunt, minimè tamen, quid dicerent, intelligentes. Moſes tamen qui primi ſermonis notitiam apud Ægyptios ſacerdotes ſibi compararat, videtur hoc quod dico, Deuteronomij cap. ſexto his verbis indicaſſe: שְׁמַע יִשְׂרָאֵל יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יְהוָה אֶחָד Id eſt, *Audi Iſraël, Iehoua Dominus noſter Iehoua vnus*: vbi ſi dicas Iehoua Ee-got ſiue Ee-chod, vti Hebræi, quibus Chet & Gimel confunduntur, ſcribũt; an non elegantiſſimam feceris ſententiam, Iehoua Dominus noſter eſt, Iehoua vnus Deus? Nec mirari debemus, ſi in אֶחָד è Tau Daleth fecerint, cùm id noſtrates quoque non rarò committant. Hebræi tamen in Daleth maximum dicunt latêre myſterium, credentes ea littera imperium Dei notari quod in quatuor mundi plagas exercet; de numero, ni fallor, ducta opinione iuxta ſtolidam Cabaliſtarum ſupputationem. Tantam verò vim horum verborum eſſe credunt, vt eorum prolatione omnia aduerſa fugari opinentur; ſi tamen in loco veſtituque nullis ſordibus inquinato pronuntientur. Sed in hac ſententia id obiter notes, שמע pro audio poni, eodem modo quo רָאָה pro video, illo excepto quod in שמע
Smac. rectius litterarum ordo ſeruetur. Smac enim idem eſt quod guſto. Tranſlatum igitur ad auditionem verbum guſtandi habens ſignificationem. אָחָה ſiue אחו quid propriè deſignat, interpretes videntur ignorare. Nam Geneſeos cap. quadrageſimo primo verterunt Loca paluſtria. In Iobi capite octauo Carectum reddunt, & neutrum bene, mea quidem ſententia. Nobis Heuch-vee ſignificat pecoris lætitiam, quæ non alibi maior eſt quàm in lætis paſcuis, quæ & prata Latini vocant, & irrigari debent. Quia enim ad fructum paratiora ſunt quàm arua, quæ multo coli debent labore; prata ceu parata dicuntur. Virgilius:

Claudite nunc riuos pueri, ſat prata biberunt.

Hinc modò cernes, non aptè verſum eſſe illud, *Et paſcebant in locis paluſtribus.* Dicendum fuiſſet, *Paſcebant in lætis pratis* ſiue *paſcuis.* Iob itaque dicit prata læta ſine aqua & irrigatione eſſe non poſſe. אָחַז apprehendere dicunt. Vox eſt euerſa, in qua Zain pro
Tac. Tau poſitum, & Cap in Chet mutatum. Tac enim dicimus pro apprehendo. At cùm
Dec. pro Tego ponitur, clarum eſt quòd ſit à Dec. אַחְלַי vtinam vertunt corruptum ex Och-
Och Heer. heil, id eſt, Vtinam ô ſalus vel ſeruator. Hoc tempore dicimus, Och-Heer, id eſt, Vtinam ô Domine; quod eiuſdem eſt ſignificationis, niſi quòd prius aptius eſt optanti, eo quòd
Achter. omne votum tendat ad ſalutem. אָחַר differre, tardare. omiſſa eſt littera Tau. Achter enim idem eſt quod tardare & moram adferre. Dat achtert my, id eſt, hoc me retardat. אַחְלָמָה quidam Amethyſtum vertunt, alij Cryſtallum. Ego his accedo: propterea quòd cryſtallus vitreos nobis oculos optimos præbeat, quibus oculos corporis tuetur. Och-lam enim ſiue Oog-lam idem eſt quod oculum conſeruans atque defendens. Mira eſt Hebræorum interpretum in vocabulis lapidum plantarumque ignorantia; vt nihil mirer, ſi modò hoc, modò illud ex eodem nomine faciant. אֲחַשְׁדַּרְפְּנִים Satrapas principeſque dicunt, qua in voce Chaldæi Aleph in fine loco Mem ſuo more ponunt. Equidem antiquam Medorum Perſarumque linguam, quia Ianigenæ fuerunt, eandem cum noſtra fuiſſe exiſtimo; atque inde non pauca magiſtratuum vocabula à Cyro in Babyloniam inuecta; inter quæ & hoc vnum eſt. Quid quod ex Herodoti teſtificatione, Germani apud reges Perſarum ſtipendia fecerunt. Quàm verò familiaris ipſis fuerit Sacarum vſus, non ex Herodoto tantùm & aliis, ſed ex Xenophonte etiam diſcas. Vel ergo de ſua ipſorum lingua, vel de Germanica, multa noſtratia vocabula in regis aula potuerunt relinqui. Hinc מֶלְצַר pro architriclino, quem nos Mal-ſtier diceremus, id eſt, eum qui conuiuio ordinando gubernandoque præeſt: qua in voce fruſtra laborant Hebræi, dum alius aliud interpretatur: quod non tam miror, quàm miror quemquam extitiſſe qui tam bene collimarit vt architriclinum verterit. Eodem ſermone ſupremi exercitus duces אחשדרפנים vocabantur, quod nobis ſonaret, Hochs-der ueinen, id eſt, ſupremi ordinum equeſtrium, ſiue turmarum duces. Nos Rend pro ordinario. Eodem modo אֲחַשְׁתְּרָנִים idem ſignificat, ac ſi dicas, ſupremi veredarios; quod quid aliud eſt, quàm Regis ſu-

giſ ſupremi capitis curſores, vt ſic vulgato more loquar. Hochſt enim ſupremum ſigni- Hochſt.
ficat. Ren idem eſt quod velociſſimo equi curſu feror. Punctorum rationem nullam ha- Ren.
bendam eſſe crebrius monere cogor. אָטַם claudere & obturare vertunt, vti Prouerbiorum viceſimo primo, *Qui obturat aurem ſuam, ne audiat pauperem.* & Eſaiæ triceſimo tertio, *Qui obturat aurem ſuam, ne audiat ſanguinem.* Pſalmo item quinquageſimo ſeptimo, *Sicut aſpidis ſurdæ & obturantis aurem ſuam.* Ex his ſatis liquet exemplis, hoc verbum ad aures obturatas propriè pertinere: vnde rurſus perſpicuum fit, vel quàm nulla neceſſitate Aleph ſit præfixum, vel quàm malè loco alterius vocalis ſit ſubſtitutum. Thum/ vel Dum per mediam litteram, ſignificat ſurdum aut ſurdaſtrum: Mut ſignificat nullum ſonum edere: Tum nullum ſonum audire. Quæ verò hæc ſit conuerſarum vocum cognatio, non eſt opus hîc latius explicare. Hoc interim addam, Dum pro ſtupido etiam poni, propterea quòd ij qui tardi ſunt ad intelligendum, ſurdaſtri videantur. Hinc auris craſſa & Batava in prouerbium abiuit. Dum ergo ſiue Thum clariſſimè apud noſtrates tum originis eſt, tum ſignificationis; & ideo ſedulo videndum, quæ in vocula hac corrumpendi via ſeruata ſit ab Hebræis, quò per eandem alia quoque verba examinentur, & ad primos ſuos fontes reducantur. Neque enim inferioribus tantùm Germanis, ſed ſuperioribus etiam hactenus hæc vox Dum in vſu eſt quotidiano, tametſi hi contra rectam rationem Dumm ſcribant, littera mugiente geminata.

Thum. Dum. Mut. Tum.

אי Inſula ab Et/ quod fit ab Et/ quaſi ſingulare & ſolitarium dicas. Hodie ferè Ei-lant dicimus, quaſi ſolitariam regionem nominaremus. Hinc יון à noſtro Ei-won/ id eſt, Inſulæ habitator. Primus ergo Ionum pater in inſula habitauit. Sunt enim Iones inſularum maris mediterranei habitatores. Hebræi, qui puncta addiderunt, ex Ion, Iauan fecerunt; & id quidem ineptiſſimè, cùm vocabulum ita pronuntiatum nec originem primam referat, nec vllam habeat ſignificationem; quæ in Ei-wen eſt apertiſſima, vnde diphthongo in I longum mutata, & duplici digamma reiecto, Ion fit, formula nobis in primis vſitata. Quod cùm ita ſit, omnes illorum nugæ profligantur, qui varia commenta de Ionij maris nomine ſibi finxerũt. Stephanus Ionium Apollinis & Creuſæ filiũ ad Eponymiam vocat. Didymus ab Ionio Dyrrachij filio nominis cauſſam petit, quem Hercules imprudenter occiderit, & in mare proiecerit, & ab eo mare nominarit Ionium. Lycophron Iûs errorem cauſſam nominis facit. Alij ab Ione Adriæ patre dictum putant. Solinus ab Ionia regiuncula Italiæ Ionium mare vocari exiſtimat. Noſtra etymologia clarè docet, Ionem primum eum vocatum fuiſſe, cui Inſulæ inter Ianigenas ſorte obtigerunt; & inde & ipſum mare vocatum, & tranſmigrationes factas ad continentem fuiſſe. filij enim Ionis רֹדָנִים אֱלִישָׁה תַּרְשִׁישׁ כִּתִּים: quorum Eliſa Elidem ad Alpheum Peloponeſi regionem condidit, & eiuſdem nominis ciuitatem. Punctum enim poſtremum & He ſuperflua ſunt, vti puncta in יִן Tharſis pro Tharſees dictus. Iod enim æquè per E atque I pronuntiatur. Sunt autem à Tharſees omnes illi conditi, qui Aſiæ minoris littora habitarunt, & inde in Græciam traiecerunt; quorum primus parens ſic dictus, quòd audacia magna ad maria omnia peruadenda eſſet; cuius poſteros veriſimile eſt plura maritima Europæ loca occupaſſe. Thar/ ſiue Dar/ vt nunc potius proferimus, idem eſt quod audeo; vnde apud Græcos θαῤῥῶ cum tota ſobole remanſit. See autem mare eſt, cuius patrius caſus Sees; atque ita Tharſees idem eſt, ac ſi Latinus diceret, audax maris. Ab hoc credo Tarteſſum in Hiſpania conditam, quæ vrbs mercatu & diuitiis nobiliſſima olim fuit. Tarſees enim & Tar tes ſees idẽ ſignificat. Nos nunc diceremus Dar des ſees/ id eſt, audax ipſius maris. Tarteſſus igitur ſolo articulo à Tarſees differt. Aſpiratam litteram in mediam & tenuem commigrare, nihil miri. Hic tamen obiter monendum, à Ioſepo in Tharſis aſpiratam litteram agnoſci, quam in Tarſus opidi nomine in tenuem mutatam dicit; è quo colligitur, iam tum ipſum Tau malè ſono ipſius Thet cœpiſſe pronuntiari. Interim illud ab eo ſumimus, adſpirationis paruam aut nullam habendam eſſe rationem, & aliis ſeculis aliter eadẽ vocabula efferri ſolere; cùm videamus Tau non aliter ac Thet tum ſonuiſſe. Primum igitur ex Aſia minore in proximas Inſulas ab Ione coloniæ deductæ, deinde ab Eliſa ad Peloponeſum, pòſt à Tarſes ſiue Tarteſſo ad ipſas vſq. vltimas Hiſpaniæ oras. Per Citim autẽ Cai et heim/ id eſt, domus placidi lætique promontorij deſignatur. Dodonanim Dodonheim/ id eſt, Dodonæ domus eſt: Hic Epirũ vicinaq. loca, ille Caietam & proxima littora occupauit.

Et. Ei-lant. Iones. Ionium mare. Tharſis. θαῤῥῶ. Tarteſſus.

occupauit. Cùm igitur videamus primos conditores nominibus regionum vocari; fateamur neceſſe eſt, ea vel ſpiritu fatidico indita fuiſſe, vel poſt ceu cognomina quædam acceſſiſſe; perinde atque Scipio vocatus eſt Africanus. Sed miſſa hac quæſtione, ad Tarteſſum reuertar; quò, quæ contra omnium dico opinionem, ea probabilia reddam auctorum veterum & ſacræ ſcripturæ collatione. Tarteſſus, teſte Strabone, tota Bætica olim nuncupabatur, atque adeò ipſe Bætis principio Tarteſſus à Tarſo eſt indigitatus. Steſichorus enim fluminis Tarteſſi fontes commemorat, & eos ἀργυροῤῥίζους vocat. Strabo montem è quo Bætis profluit, Argenteum nominatum fuiſſe ſcribit, ob maximam argenti copiam, quam contineret. Tota certè illa & proxima Hiſpaniæ ora plurimo argento antiquitùs abundauit; ita vt Polybius teſtis ſit, quatuor hominum myriadas circa nouam Carthaginem in argentifodinis laboraſſe. Poſidonius ingentem auri & argenti in Hiſpania copiam ſic celebrat, vt in ea credat ſiluis quondam exuſtis aurum & argentum efferbuiſſe. Tarteſſus autem ciuitas in fluminis, eodem nomine vocati, inſula quondam fuit, cuius Rex Arganthonius admodum longæuus celebratur ab antiquis. Hinc Anacreon dicit ſe neque Amaltheæ cornu velle, neque centum & quinquaginta annos Tarteſſi imperium tenere. Argenti Tarteſſiaci ſacræ etiam litteræ meminerunt: Argentum, inquit Hieremias, de Tharſis afferetur in laminas extenſum. Quod enim inuolutum verterunt, Hebraicæ lectioni non conſonat, quæ vocem habet

Gerect. Rec. è radice קע quod eſt extendit, formatam; cuius apud nos origo eſt à Gerect/id eſt, extenſum, littera vna tranſpoſita. Rec extendo ſignificat: & tertia littera vel ſuperflua eſt, vt aliàs frequenter; vel ex augmento præteriti gerect adiecta. Ezechielis cap. viceſimo ſeptimo clariſſimè mercatus diuitiæque Tarteſſi demonſtrantur, vbi habemus iuxta

Tharſeſii. Hebraicam veritatem, Tharſeſij negotiatores tui à multitudine cunctarum diuitiarum, argento, ferro, ſtanno, plumbóque repleuerunt nundinas tuas. Vulgata noſtra interpretatio habet, Carthaginienſes: verùm malè. Nam Tarſeſij, Ianigeni erant, non Phœnices, ab Ione genus ducentes. Melius Carteienſes dicerentur, eo quòd Tarteſſus pòſt Carteia fuerit nominata. Mentionem fecit & Eſaias, Sidonis excidium prædicens: *Vlulate*, inquit, *naues Tharſis*; id eſt, vlulate mercatores Tarteſſiaci, quia ciuitas illa peribit, ad quam merces portare maximo veſtro lucro ſoletis. Caietani item eò nauigabant, vt mox idem addidit, mox coniungens eos qui Inſulas habitant. Et vt intelligerentur omnes iſti vltra mare habitare, ſtatim ſubiunxit, Tranſmarinis repletam fuiſſe Sidonem. Nihil ergo hic opus fuit, Naues maris vertere, pro nauibus Tharſis; cùm Cethim ipſi Tharſis mox addatur vti gens genti. Quamobrem non credam D. Hieronymo, Tharſis apud Hebræos propriè mare vocari; quando hoc loco, cuius teſtimonio maximè nititur, gentis, non maris, fieri mentionem cuiuis vel mediocriter attento liquebit. Quòd ſi ex Homero coniecturam cum Strabone facere licebit, dicemus tantam olim in occidentali Hiſpaniæ littore benignitatem cæli fuiſſe, vt Elyſios in eo campos finxerit Poëta. Hic enim in Protei vaticinio ſic canit:

Elyſios campos in occidentali Hiſpaniæ littore finxerunt poetæ.

Α'λλά σ' ἐς ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης
Αθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανθὸς ῥαδάμανθυς·
Τῇ περ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν,
Οὐ νιφετὸς, ἔτ' ἂρ χειμὼν πολὺς, οὐδέποτ' ὄμβρος,
Αλλ' αἰεὶ ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας
Ωκέανος ἀνίησιν, ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

Id eſt, vt ex tempore de Græcis Latinos faciam verſus,

Elyſium verò in campum poſtremáque terræ
Te Dij tranſmittent, vbi ſceptra tenet Rhadamanthys,
Atque homines facili vita ſuauíque fruuntur:
Qua non nix, non ſæuit hiems, non largior imber,
Semper at Oceanus Zephyros exhalat, amœno
Frigore tollentes nimium mortalibus æſtum.

Ex his aliiſque, quæ cùm ex Strabone & cæteris ſcriptoribus, tum è præſenti illius tractus felicitate colligi poſſunt, in eam veni opinionem, vt quæ de Elyſiis campis apud Græcos canuntur, ea accepta fuiſſe ex omnium rerum affluentia, & beatiſſima copia, qua extremæ hæ tum Bæticæ tum Luſitaniæ partes abundabant. Nam occidentales

terræ fines, quos Homerus deſcribit, non alibi reperiuntur: & hactenus Nerium extremum Gallæci littoris promontorium caput finis terræ vocatur. Liſbonam igitur non ab Vlyſſe vel dictam vel conditam fuiſſe exiſtimo; ſed multo eſſe antiquiorem; tametſi Græci, & Strabo inter primos ad Vlyſſis errores eam putet referri oportere. Nobis e ſacra hiſtoria liquet, Eliſa fratrem Tarſis fuiſſe; quo fit vt credam, Tarſeſium quidem prius Tarteſſum condidiſſe, atque inde Eliſſam, partim fratris vicinia, partim locorum clementia allectum, ad oſtium Tagi vrbem ſtatuiſſe, & de nomine ſuo Eliſ-won vocaſſe, vnde Eliſbon, ac deinde Liſbon fuerit nuncupata, duplici digamma in Beta commutato. Quis non videt, quanto hæc nomenclatura propius accedat ad vrbis nomen, quod hactenus ſibi ſeruauit, licet Græci ambitioſè illud conati ſint ad Vlyſſipolin detorquere? Elis autem dictus videtur, quaſi Veel-wis/ id eſt, totus ſapiens, exemto duplici digamma, eadem clade, quam Ion patris nomenclatura paſſa eſt. Quod ſi integrum vocabulum eſſe velis, idem erit Eelis quod Eel-his/ id eſt, incitans ad nobilitatem & generoſas actiones. Nec abſurdum eſt, in Aſia etiam Tarſum ad Cygnum flumen inueniri, non magis ſanè quàm in Phrygia & Latio Aſcanios, & eoſdem rurſus in tota Germania recenſeri. Prius enim quàm gentium capita ad inſulas & Europam colonias deducerent, ſui memoriam in Aſia reliquerunt, vt de prima origine conſtaret. Nónne Gomares, & Daas, & Sacas, ad Paropaniſum videmus; quorum tamen nomina in Europa poſt clariſſima fuerunt? Eſt igitur quod meritò Liſbona ſeſe de antiquitate iactet, quando non ſolum ab Eliſa, Ionis filio, Iapeti nepote accepit primam & vrbis & nominis originem; ſed occaſionem etiam Poëtis dedit de Elyſiis campis fabulandi. Habemus itaque duarum vrbium Tarteſſi & Liſbonæ primos ortus, quæ priſcis illis temporibus omni genere deliciarum maximè excelluerunt. Reges igitur Tharſis reges ſunt Bæticæ, vel totius Hiſpaniæ, vt tota frequenter regio à parte nobiliore nuncupatur. Cùm igitur diuinus Vates Chriſtianæ doctrinæ latitudinem deſcribere vellet, dixit, *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.* ceu diceret, à mari Perſico & Indico, quod Arabes attingunt, ad vltima vſque Oceani littora occidentem verſus porrecta, Reges ſeſe Chriſto ſubmittent. Porrò cùm Moſes filios Iaphet recenſuiſſet, addidit, *Ab his diuiſæ ſunt inſulæ gentium:* quod quamuis ad omnes filios queat referri (quod & à pleriſque fieri videmus,) propiùs tamen videtur ad filios Ionis pertinere, qui per mare ad omnes inſulas, non maris modò mediterranei, ſed Oceani etiam occidentalis penetrarunt. Fuerunt autem tempore Prophetarum in Italia Caietani nobiliſſimi mercatores, & inſulas etiam poſſederunt. Sic enim in Hieremia legimus: *Ite ad inſulas Cethim*; quarum nomine intelligo Italiam, Siciliam, Sardiniam, Corſicam, & ceteras Italiæ adiacentes. Ferè enim tota Europa maritima inſularum nomine vocabatur, quod per pæninſulas longè in maria partes eius procurrerent. Et hæc quidem ob eam cauſſam à me prolixius ſunt enarrata, quo clarè quiuis cerneret, Ei/ & Ei won/ & Tharſis, & Eliſa, & Cethim, noſtratis originis eſſe voces, & longè aberrare, qui de his alia ſibi commenta quærunt. אֵיב conuerſum eſt verſum à noſtrati Vee/ quo inimicitia denotatur; & dum verbum eſt, idem ſignificat quod odio habeo, vel cuipiam ſum inimicus. Ita alia recta, alia verſa pronuntiant. Nunc iterum rectum exponemus. אֱיָל fortitudinem vertunt, & ea in re magnopere ſibi placent. Hinc in pſalmi viceſimi primi verſu illo, *Tu autem Domine, ne elongaueris auxilium tuum à me; ad defenſionem meam conſpice*; iuxta Hebraicam vocem אֱיָל quæ loco defenſionis poſita eſt, transferri oportere putant, *Tu autem Domine, ne longè fias: fortitudo mea in auxilium meum feſtina.* Et rurſus pſalmo octogeſimo ſeptimo כְּגֶבֶר אֵין אֱיָל D. Hieronymus vertit, *Sicut homo inualidus*; vbi communis interpretatio habet, *Sicut homo ſine adiutorio.* Eodem modo אֵל vertunt fortitudinem, vt Deuteronomij viceſimo octauo inter ceteras diras ponitur: *Et hæc imprecatio filij tui & filiæ tuæ, tradantur alteri populo videntibus oculis tuis, & deficientibus ad conſpectum eorum tota die, & non ſit fortitudo in manu tua.* Sic Laban manum ſuam לְאֵל vocat, quod fortitudinem reddunt. Nos omnibus his locis propriam vocis noſtræ Heil ſignificationem, qua ſalus denotatur, retinendam putamus, qua ſeruata, mirum eſt quanto elegantior in omnibus fiat ſententiæ explicatus. Sic in Pſalmo, pro, ad defenſionem meam; vel, fortitudo mea, dicendum eſſet, Salus mea.

Liſbona.

Elis.

Ionis filij inſulæ gentium diuiſerunt.

Cethim inſulæ.

Vee.

Heil.

& in altero, vbi D. Hieronymus habet, *Sicut homo inualidus*; vera erit interpretatio, *Sicut homo nullam habens ſalutem.* In diris item Deuteronomij reddemus, *Non ſit ſalus in manu tua*, id eſt, nec manu tua filios tuos ſeruare poſſis. Nec aliter Laban manum ſuam Heil vocat, eo quòd omnem ſalutem in manu ſua collocabat, quaſi diceret, in manu mea, ex qua tota conſeruatio & mei & meorum dependet, ſitum eſt vt te interficiam. Verùm enimuero quia אֵל pro Deo frequenter vſurpatur, atque hoc nomen doctiſſimus quiſque ad fortitudinem refert, & inter alios Ben. Arias Mont. vir mihi amiciſſimus; non facile erit mihi huius aſſertionis meæ probabilitatem tueri, niſi ſimul docuero, ipſum אֵל etiam à noſtro Heil/ quo ſalus denotatur, deriuari. Scio magnos titulos & ſummam auctoritatem luminibus meis officere; conabor tamen ſtructuram meam
Hel. El. altius attollere, quàm vt feneſtris meis Solem veritatis proſus excludant. Hel & El/ dum vocalis corripitur, & verbi loco vox vſurpatur, idem eſt quod exalto, vel excellens facio, dum nomen eſt, excelſum notat, idque de vi pronuntiationis, quæ ſummum linguæ apicem ſummo cæli vertici applicat. Sic Hel ſtem alta vox, Hel licht excellens lumen,
Helt. Hil. Help. & helt vir præſtans, & ſimilia. Hinc hil pro monte, vox Anglis hactenus frequens. Ab eadem radice help pro auxilio pullulat, vocabulum vel ex hel-pe/ vel ex hel-ep compoſi-
Heil. tum; de quo alibi. Ab hel breui, fit heil vel heel; quod rurſus vel vt verbum, vel vt nomen vſurpatur; & illo quidem modo idem eſt quod ſeruare, ſanare, & quod vulgo dicimus, ſaluare, & quouis modo in integrum reſtituere: at dum nomen eſt, Heil idem eſt quod
Heiland. ſalus, non noſtris modò, ſed Sueuis etiam in communi loquendi vſu; vnde heiland ſer-
Heel. uator. Heel verò integrum ſignificat & ſanatum; quod dum vt ſubſtantiuum vſurpatur, integritatem & ſanationem, & vno verbo ſalutem etiam deſignat. Quamobrem cùm Deus non ſolùm ſeruator ſit, ſed ipſiſſima etiam noſtra ſalus; quoties hanc notionem vna vocula denotare volemus, heil dicemus, vt modò dixi: Och-Heil/ id eſt, Vtinam ô ſalus. Deus ergo vt de variis ſuis donis alia & alia apud homines nomina ſortitur; ita ſi hil eum voces, vocali breui, altiſſimum denotaris; ſin hel nomines, ipſum dixeris ipſiſſimam eſſe cum rerum omnium tum generis humani ſalutem. Nunc igitur ad veritatis cenſuram, ſacræ ſcripturæ loca, in quibus אֵל nomen vocali longa pronuntiatum inuenitur, examinemus. Eſaiæ cap. triceſimo primo, quod incipit, *Væ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis ſperantes*; habemus: *Ægyptus homo & non Deus*, אָדָם וְלֹא אֵל, quod alij ad fortitudinem referunt. Nobis clara ſententia eſt: Ægyptus homo eſt, non ſalus. Homo enim ſiue Adam externæ ſalutis ſemper indiget, tantum abeſt vt ipſe quemquam ſeruare poſſit, aut alterius ſalus haberi. Dicit enim Deus per Vatem, *Quia vos ab Ægyptiis vobis ſalutem quæſiuiſtis, & putaſtis eorum vos armis ſeruari poſſe; ego non vos tantùm, ſed illos etiam perdam; vt intelligatis me ſolum eſſe qui ſeruare poſſum, & in me ſolo omnem conſiſtere hominum ſalutem.* Nolo hic prolixa contentione meam roborare ſententiam. Qui veritatis erit, quàm anticipatæ opinionis, ſtudioſior, ipſa contextus totius verba expendat, & ex iis, quod viſum fuerit, ſtatuat. Conſulamus etiam Oſeam Prophetam. Is cap. vndecimo ſic habet: *Non conuertar vt diſperdam Ephraim, quia Deus ego, & non homo*; vbi Hebræus legit כִּי אֵל אָנֹכִי וְלֹא אִישׁ id eſt, quia ſalus ego, & non vir. Dicit itaque Deus ſeſe non eſſe virum vindictæ cupidum, qualis vir fortis ferè eſt, pro quo אִישׁ poni ſolet; nec ſe furorem iræ ſuæ oſtenſurum eſſe, nec perditurum omnino Ephraim, quaſi more viri fortis in prœlium contra hoſtem deſcenderet; ſed contra ſeſe Ephraim ſeruaturum, & ſe ipſi fore ſalutem loco occidionis. Quis hic non videt totam ſententiæ vim eneruari, ſi Deus dicat, Ego non faciam furorem iræ meæ: Non conuertar vt diſperdam Ephraim, quia fortis ego, & non vir; vel quia fortitudo ego, & non vir fortis. At ſi illorum aſſertionem ſequamur, qui אֵל ad fortitudinem propriè ſpectare dicunt, ſic eſſent verba Latinis interpretanda. Fateor equidem me tam ſtupidum eſſe, & aures ita habere craſſas, vt quid hæc ſibi velint, non intelligam; cùm è diuerſo ſignificantiſſima ſit ſententia: Ego non perdam Ephraim, quia ego ſum ſalus, & non vir fortis: Vel ego ſum ſeruator, non vir fortis, paratus ad iniurias vlciſcendas. Videamus & alium locum Geneſeos cap. triceſimo tertio, cùm Iacobus fratri ſuo Eſau cum quadringentis viris obuiam venienti occurreret, ac magno in timore verſaretur, ne à fratre ob iniuriam benedictionis ſurreptæ occide-

retur,

retur, eaque de cauſſa munera ad eum pacandum præmiſiſſet, Deo propitio contigit,
vt gratus ipſius aduentus eſſet, ac ſaluus a fratre diſcederet. Quamobrem Deo Serua-
tori ſuo altare erexit in perpetuam ſalutis ſuæ memoriam. *Et erecto,* inquit Moſes, *ibi
altari, inuocauit ſuper illud* אֵל אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל id eſt Seruatorem Deum Iraël. Hîc vertunt
fortiſſimum Deum Iſraël; quo fit vt recta ſignificatio pereat, & vera altaris erecti cauſ-
ſa obſcuretur. Orauerat enim antea Deum ad hunc modum: *Eripe me de manu fratris
mei Eſau, quia valdè eum timeo;* & cetera 32. cap. narrata. Qua de cauſſa Deo Soteria de-
bebat, quæ perſoluit altari Deo Seruatori erecto. Vide, rogo, quam frigidè tractentur,
ne dicam perdantur, myſteria, propter prauam vnius voculæ interpretationem. Nec
melius triceſimo ſecundo Deuteronomij capite eandem voculam intelligunt, dum
Deus dicit, *Ipſi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus.* אֵל eſt apud Hebræos, quod ad
fortitudinem referunt. At nos ſic capimus, vt Deus dicat, ipſos pro Deo illum habuiſ-
ſe, qui ſeruare nullo modo eos poſſet; quod declarat addens, *Et irritauerunt me in va-
nitatibus ſuis,* vbi in Hebræo eſt, in בְּהַבְלֵיהֶם quod fortè ſimulacra ſit reddendum. Ve-
rùm vt vt illud ſit, illud clarum, nihil vanius eſſe, quàm vel ſtatuas, vel illos adorare, à
quibus nulla poteſt ſperari ſalus. Quorſum enim adoramus, quàm vt ſeruemur? Nam
ſi per nos ipſos ſeruari poſſemus, non eſſet opus adoratione. Deus igitur conſideratus
vt nos ab omni aduerſitate ſeruat, heil vocatur; quod ea de cauſſa nos propriè Chriſto at-
tribuimus, eo quòd is vera & ſola totius mũdi ſalus & ſit & vocari debeat. Romani Sa- *Salus Dea apud Romanos.*
lutem Deam coluerunt: ſed neſcierunt eam Sapientiam, Veritatem, & Verbum Patris
eſſe. Et hæc quidem de אֵל vocula à noſtro heil / ſiue heel/ vt alij efferunt, deriuata; quam
nemo hactenus Hebræorũ radicitùs intellexit. Huius occaſione eò pertrahor, vt & alte-
rum Dei nomen apud Hebræos vſurpatũ ad veros natales reducam, in quo æquè ac in
אֵל hallucinantur. שַׁדַּי enim Deum vocant, quod omnipotens D. Hieronymus vertit:
Alij à שָׁדַד deducunt, quod eſt vaſtare, à noſtro woeſt digamma videlicet duplici reie-
cto, & vocali de more Hebræorum poſtpoſita; quod ita eſſe factum, Vaſto Latinorum
declarat. Hebræi enim à vocali, vt crebrò monui, vocabula ſua exordiri nefas arbi-
trantur. Deus ergo hac via Vaſtator diceretur; quod equidem non ſanius iudico, quàm
quod quidam Apollinem à perdendo nominarunt. Sed omnium doctiſſime illi, qui di-
ctionem compoſitam faciunt e ש & דַי quorum illud idem eſt quod Qui; hoc verò ab-
undantiam ſufficientem deſignat, ita vt idem ſit ac ſi dicas, Qui ſufficientia eſt, vt ſic
loquar. Græci αὐτάρκειαν ſignificantiùs vocarent. Huius ſententiæ eſt Rabbi Moſes
Ægyptius, Sadai Deum vocari dicens, eo quòd non egeat alio ad eſſentiæ ſuæ firmitaté.
Videamus modo ecquid conuenientius ſacris litteris de noſtro poſſit ſermone depromi.
Profectò nemo nobis eſt vernaculorum, qui non intelligat, quid Sat-di ſignificet. Sat *Sat.*
enim ſemen dicitur. Di verò idem eſt quod augeo, incrementum facio, & quouis mo- *Di.*
do ad ampliora promoueo. Satdi igitur Deus dicetur, cùm ſemen cuiuſpiam auget, ac
magnis proſperat incrementis; in quo nihil miri, ſi tenuis in mediam mutetur, quo vi-
cinæ ſuæ litteræ ac cognatæ ſono reſpondeat. Hinc Hebræi Saddi ſcribunt; nec noſtra
repugnat conſuetudo, ſi ſadi pro eodem dicatur; quia nimirum Tau facile è medio tol-
lamus, & alioquin in media littera tenuis commodè quieſcat. A di verbo, facimus dig/
vt ex ha hoog/ è lee leeg in eadem ſignificatione: vnde nomen deeg/ à præterito imperfe- *Deeg.*
cto, pro augmento & promotione venit in vſum. Hinc Hebræis דַי relicto littera y
quod ſufficiens & ſatis interpretantur. A ſat nobis Saturnus dicitur, pro Deo qui ſemini *Saturnus.*
excellenti perfectoque reddendo præeſt. Satur enim excellentiam maximam ſeminis
notat, adeò vt Saddi & Saturnus eadem ratione Deo conuenire videantur. Nunc ergo
loca ea in quibus huius voculæ vſus eſt, expendamus, quo veritas ab exemplis mani-
feſta fiat. Geneſeos cap. decimo ſeptimo Deus ita Abrahamum alloquitur אֲנִי אֵל שַׁדַּי
id eſt, vt D. Hieronymus interpretatur, *Ego Deus omnipotens*, vt alij vocem deriuant
à שָׁדַד *Ego Deus vaſtator*; vti alij tradunt, *Ego fortis ſufficientia*. Nos ex eiſdem verbis
intelligimus, Ego Salus ſemen magno promouens augmento; quo Deus tantundem di-
xiſſe videatur, ac ſi dixiſſet: Ego ſum is qui non ſolùm ſeruo, ſed ſemen etiam & ge-
nus multa ſobole augeo & promoueo. Audiamus ergo quæ mox addat: *Ambula,*
inquit, *coram me, & eſto perfectus: Ponamq́ fœdus meum inter me & te, & multiplicabo*

te vehementer nimis. Et rurſus, *Ego ſum*, inquit, *& ponam pactum meum tecum, eríſque pater multarum gentium: Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium conſtitui te: faciamq́ te creſcere vehementer, & ponam te in gentibus, Regéſque ex te egredientur*. Vidéſne hîc duo Dei nomina explicata; prius quidem Heil ſiue Heel; poſterius Saddi? Nam cùm dicit ſe pactũ cum Abrahamo initurum, ſe dicit ſeruatorem ipſius futurum. Homines enim omnes de primo peccato Dei ſunt hoſtes, & perpetuo diuortio reiecti. Niſi igitur Deus ex ſola clementia ſua pacis fœdus nobiſcum de nouo feriat, ſalui eſſe nullo modo poſſumus. Omnem igitur ſalutem noſtram huic fœderi debemus; quod ſi violamus, perimus. Huic tamen reſarciendo Pontifex deſtinatur, qui bont-fecht/ id eſt, fœderis purgator, ex eo nomen accepit. Solus igitur Chriſtus, qui ex Abrahami ſemine naſcitur, verus Pontifex dici poteſt; cuius ceteri Pontifices typum dumtaxat quendam & laruam habuerunt. Deus ergo primùm ſe אֵל vocat, id eſt, Seruatorem: quia ſalutis noſtræ fœdere ſe ſponte ſua obligauit. Deinde addit *Saddi*, id eſt, magnum ſeminis incrementum, de quo ſalus noſtra Chriſtus erat carnem ſuam ſumturus. Eandem vocem rurſus legimus Geneſeos cap. viceſimo octauo, vbi legitur: *Deus autem omnipotens benedicat tibi, & creſcere te faciat, atque multiplicet, vt ſis in turbas populorum*. Hic loco Deus omnipotens, Hebræus habet אֵל שַׁדַּי id eſt, Seruator ſemen promouens & magno incremento augens. Quod autem אֵל præmittat, ad illud quod modò expoſui arcanum ſalutis humanæ conſilium ſpectat. Propter ſalutem enim generis humani ſemen Abraham, Iſaac & Iacob erat augendum, quod Chriſtus tandem, veluti omnis incrementi ſcopus, abſoluit; de quo Sibylla cecinit:

Aggredere ô magnos, aderit iam tempus, honores,
Chara Deûm ſoboles, magnum Iouis incrementum.

Maximum itaque in eo myſterium latet, quòd אֵל ipſi שַׁדַּי præponatur, quippe quo indicetur vltimus finis, ad quem totius ſobolis augmentum referebatur. Addatur & aliud exemplum è cap. Geneſ. quadrageſimo octauo, in quo legimus: *Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ eſt in terra Chanaan, benedixítque mihi, & ait, Ego te augebo, & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum*. Hic iterum אֵל שַׁדַּי habemus, adeò vt nihil clarius eſſe queat quàm nomine Saddi ſeminis augmentum denotari, & אֵל ea, quam dixi, ratione præponi. Iam & illud Balaami quorſum ſpectat aliò, quàm ad Iſraëlitici generis incrementum, dum dixit, *Qui viſionem omnipotentis intuitus eſt*. Ait enim ſe vidiſſe quod Saddi, qua voce vtitur, populo Iudaico daturus eſſet magnum ſeminis & poſteritatis augmentum, vti mox declarat, dum oraculo ſuo intexuit: *Fluet aqua de ſitula eius, & ſemen illius erit in aquas multas*. Apud Iob item cap. viceſimo ſecundo, dum dicitur, *Qui dicebant Deo, recede à nobis, & quaſi nihil poſſit facere omnipotens, æſtimabant eum, cùm ille impleſſet domos eorum bonis*. Rurſus: *Si reuerſus fueris ad omnipotentem, ædificaberis*. Et paullo pòſt: *Eritq́ omnipotens contra hoſtes tuos, & argentum coaceruabitur tibi. Tunc ſuper omnipotentem deliciis afflues*; Saddi legitur. Agitur enim contra Iob, ceu is Deum, qui ſemen ipſius auxerat & ſecundis rebus filios filiaſque proſperauerat, deſeruiſſet, atque cuiuis potius, quàm Deo, ſobolis ſuæ incrementum & felicitatem acceptam tuliſſet, atque idcirco in eas, quas ferre cogebatur, incidiſſet ærumnas. Apud Eſaiam cap. 13. elegans eſt ſimilium vocum contraria significantium alluſio, dum dicitur כְּשֹׁד מִשַּׁדַּי יָבוֹא, id eſt, quaſi vaſtitas ab eo veniet, cuius proprium eſt, ſemen augere ac proſperare. Perinde igitur Vatis verba capienda, ac ſi dixiſſet, Deus non erit Saddi, ſed Sod, id eſt, Deus non dabit ſeminis incrementum, ſed loco incrementi vaſtitatem. Ezechiel item, dum capite primo vaticinij ſui hac Saddi vtitur, ad etymologiam verba accommodauit: *Et audiebam*, inquit, *ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum ſublimis Dei*. Hic loco ſublimis Dei שַׁדַּי legitur, & quidem elegantiſſima collatione, ſi rectè pro eo ac debet explicetur. Dicit ſe audiuiſſe ſonum alarum ſimilem ſono multarum aquarum, qui talis erat, quaſi ſonus eſſet Dei Saddi/ id eſt, ſemen augentis. Quando verò ſonus ipſius Saddi auditur? Quando? Nempe tum

Cùm pater omnipotens fœcundis imbribus æther

Coniu-

Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus.

Imbres enim ſeminum omnium terræ commiſſorum faciunt incrementum, & maximo ſono in terram à Deo Saddi præcipitantur. Sic Ennius in noctibus Atticis citatus dixit: *Humidus vnde oritur imber, ſonitu ſæuo & ſtrepitu.* Sonum igitur alarum comparat Ezechiel magno vehementis imbris ſono, quem Deus Saddi ad ſeminum incrementa promouenda in terram demittit. Cedo nunc, an quidquam poſſit elegantius dici, aut ad veram nominis Saddi rationem accommodatius. Nemo igitur ignorare poteſt, quis ſit ſonus Saddi, qui modò largioris imbris ſtrepitum aliquando audiuerit. Aliud Dei nomen eſt אֱלֹהֵי vel אֱלֹהִים, quod non raró Angelis etiam tribuitur, & iis qui Dij falsò putantur. Dicitur & אֱלֹהַּ, & Chaldaicè אֱלָהּ vel אֱלָהָא, cuius ratio ſi ab אָלָה petatur, quod maledicere & imprecari diras ſignificat, peſſimi ominis nomenclaturā Deo affinxeris; nec eſt tamen alia etymologia apud Hebræos. Nobis Hel-hoi altam cuſtodiam deſignat, vnde fit vt Deus hoc nomine cuſtodiam rerum omnium ſupremam habere deſignetur. Nemo autem rectè cuſtodire poteſt id cuius ordinem & totum perfectionis artificium ignorat. Hinc dum Latini dicunt, *In principio creauit Deus cælum & terram*; Hebræus אֱלֹהִים legit, quaſi diceretur, idem ille Deus qui omnia cuſtodit & tuetur, in principio ipſa illa quæ cuſtodit, creauit. Quoniam autem Deus non ipſe modò omnia cuſtodit ac tuetur, ſed angelis etiam cuſtodiendi partes diſtribuit: frequenter & hi אֱלֹהִים dicuntur, id eſt alti cuſtodes, quos nos Hel-hoien, vel Flandrico modo, El-hoien vocaremus. Perſpicuum itaque, cur hoc potius nomen, quàm cetera, ad ſpiritus creatos transferatur; & cur per Segol prima ſyllaba ſcribatur. Nobis enim, vti paullo antè dixi, in Hel & El pro alto & excelſo vocalis breuis eſt, quæ in אֵל producitur; eo quòd ab Heel vel Heil deriuetur. Quando igitur nihil communius à Deo peritur, quàm vt nos noſtraque omnia cuſtodiat; non mirum eſt, hoc vocabulum אֱלֹהִים frequentiſſimum ſacris litteris eſſe. Porò quia Hel id quod in re quaque excellit, notat, factum vt aries Oi-el, id eſt, ouis excellens vocaretur, è quo Hebræi אַיִל fecerunt. Cur verò ceruum אַיָּל vocarint, equidem coniectare potius poſſum, quàm aſſerere. Ai nobis idem eſſe quod ſpiro, antè tradidi; vnde Græcis ἄιω, & alia. Ai-hel igitur ſiue Ai-el illud erit cui ſpirandi excellens ſit facultas. Cerui certè diutiſſimè viuunt, & diligenter ſibi ſpirandi auxilium quærunt; quod clarè cernitur, dum auidiſſime vel Solis ardore, vel curſu excalfacti aquas expetunt. Hinc Vates, *Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* In אֶלְגָּבִישׁ quo Hebræi dicunt grandinem denotari, metatheſis videtur eſſe ex hagel-bis, quo grandinis tempeſtas deſignatur. D. Hieronymus prægrandes vertit in Ezechiele, vbi legitur, *Erit ei imber inundans, & dabo lapides prægrandes.* Mihi nihil dubij eſt, quin אֶלְגָּבִישׁ grandinis tempeſtatem hoc loco ſignificet, vt ſit ſententia: Immittam lapides per tempeſtatem grandinis. Eodem modo alter locus intelligendus cap. triceſimo octauo, vbi imber vehemens & lapides immenſi leguntur. Nam & hîc grandinis tempeſtas ſignificatur, quam nos hagel-bis vocamus. Vnde cernere licet, quàm neceſſaria ſit primæ linguæ cognitio ad Hebraicum ſermonem rectè interpretandum; in quo quia plurimæ voces ſunt raró vſurpatæ, nec radicum certè cauſſæ exſtant, magnas crebrò tenebras exiſtere neceſſe eſt: in quibus facile eſſet ad primos fontes reuocare cenſuram, niſi tanta eſſet in confuſione. hinc vocum mutilatio, & ſuperuacaneorum characterum appendix: hinc fœdiſſima ordinis elementorum perturbatio; vt cetera interim, quæ plurima ſunt, miſſa faciamus. Quid turpius & rationi magis aduerſarium, quàm ex Nee vel Neen אַיִן, quod ein ſonat, facere? Certè non aliter hîc peccatur, quàm ſi quis ex Vno omnium principio omnia dicat in nihilum redactum iri. Nobis Een & Nee contraria ſunt, vt ſatis clarè, additis rationibus, oſtendi, & Nee quidem negationis vim habet in ſermone noſtro, quod Hebræi in een conuerterunt, metamorphoſi qua nullam habet Ouidius portentoſiorem. In quibuſdam procliue eſt originem ex eiuſmodi conuerſione agnoſcere, ſed conciſio & ſuperflua litterarum additio voces à natalibus quamlongiſſime alienat. Quis in אִים mi/ quod ſignificat vito, agnoſceret? Atqui ſi vocem citra puncta legas, ſtatim mi inuenies, cui Aleph ſuperuacaneum acceſſit. Verùm ſignificatio à vitandi notione ad

Ai. ἄιω. Hagel-bys. Mi.

Mit. horrorem & terrorem tranſiit. Latini à mit/ id eſt, vitat, Timeo fecerunt; & formula re-
Timeo. cta ex mit/ Metuo. Quia verò littera He in fine in Tau mutatur in femininis, ex Ee-
Metuo. phat אֵיפָת fecerunt; quod aliter אֵיפָה dicitur, vt Primi Regum cap. decimo ſeptimo,
vbi Dauid in mandatis à patre accipit, vt Ephat polentæ fratribus ferret. Equidem
credo noſtrum articulum in cauſſa crebrò fuiſſe, vt Aleph principiis vocum adderetur.
Phat. Phat ſiue Vat generatim vas, & peculiari vſu certam nobis ſignificat menſuram, non
Vat. liquidorum modò, ſed etiam aridorum. Ceterùm ſicut hoc rectam ſeruat ſeriem, ita
אֵיב contrarium habet litterarum ſitum, quo inimicitiam cum aliquo alicui eſſe deno-
Ve. tamus. Nos enim Ve dicimus, quæ vox vt verbum vſurpata, idem notat quod inimi-
cus ſum: dum vt nomen in orationem venit, idem ſignificat quod hoſtilitas & inimi-
citia. In aliis difficultas eſt, quòd ratio nominis è diuerſis locis peti poſſit. Cùm enim
Heet. pro heet/ id eſt, impero, Het dicamus; & Hebræi, haud ſecus ac Sueui, ſibilos affectent,
Hit. אִשׁ pro viro vſurpatur, propterea quòd eius ſit imperare. Eiuſdem vocis ratio ab hit
pro calore deriuari non incommodè poſſet. Cùm verò אִישׁ pro aliquo ponitur, deri-
Et. uatur ab et ſiue iet/ quo aliquid ſignificatur, qua voce nos in neutro dumtaxat genere
Iet. vti ſolemus. Eſt autem Scin in hac voce, vti in plurimis aliis, pro Samech collocata.
Quædam etiam voces metaphoricam habent rationem, vt in אֵיתָן videmus. Nobis
enim heet-han pro viro valdè calido & forti ponitur; propterea quòd maxima vis ſolaris
Han. in gallinaceo, quem han vocamus, reperiatur. Hinc Alani nomen ſibi ſumſerunt. Heet-
Alani. han igitur gallinaceum ſignificat, & calidum, & aliis imperantem; quando heet vtrum-
que deſignat. At heet-an ſine adſpiratione, idem eſt quod calidè & magno impetu ali-
quid aggrediens. Sic flumina celeriter currentia heet-an dici poſſunt; & vehemẽtes item
dolores heet-an licebit vocari. Et hæc quidem de אֵיתָן vt Nun radicalis eſt littera, vti
Tai. vult Rabbi Dauid. Verùm ſi אֵית radix ſit, dicemus à tai noſtro fieri per conuerſionem,
quo ſignificatur id quod difficillimè rumpitur atque ſuperatur. Ad hanc rationem per-
tinet illud Numerorum viceſimo quarto cap. *Robuſtum eſt habitaculum tuum.* & illud
Deuteron. vndeuiceſimo cap. *Ad vallem duram & cultu inſuperabilem.* Item illud
Prouerbiorum: *Via contemtorum dura.* Tum etiam illud Michææ, quo terræ funda-
menta Ethan dicuntur. Dignum igitur diligenti animaduerſione, eandem vocem
diuerſas habere notationes, pro eo ac radices diuerſæ ſunt; quibus ignoratis, nulla po-
Oor. teſt homonymiæ cauſſa reperiri. אַךְ variè apud Hebræos in vſum venit. Nobis Oor il-
lud ſignificat quod Adhuc, etiam; vt ſit nimirum copulæ ſignum. Sic apud Moſem
duodeuiceſimo Geneſeos cap. *Si loquar adhuc ſemel.* Clarior hæc eſt huius vocis nota-
tio, dum pro eo ponitur quod Item Latini dicere ſolent. Sic viceſimo tertio Leuiti-
ci cap. vbi dicitur: *Decimo die menſis huius ſeptimi dies expiationum erit celeberrimus.*
Hebræus orationem ab אַךְ incipit. Vertendum igitur erat, *Item die decimo* &c. Exodi
item viceſimo primo, *Si autem vno die vel duobus ſuperuixerit*; dici Latinè poſſet, *Si au-
tem vno atque altero ſuperuixerit.* Eodem modo in Odes Dauidis centeſimæ triceſimæ
octauæ parte ilia, *Si dixi fortè tenebræ apprehendent me*; vera ratio poſtulat vt dicatur,
Et dixi etiam tenebræ apprehendent me. Nec aliter in Geneſeos cap. vndetriceſimo,
vbi eſt, *Os meum es & caro mea*; verti debuiſſet, *Ad hæc os meum es* &c. vt ſit copula
ſententiæ cum præcedenti colloquio. Expendas hac ratione loca omnia, & videbis in-
terpretes non ſatis huius coniunctionis vim cognouiſſe. Latini pro noſtro Oor/ more
Ac. Hebræorum, Ac dicunt; vbi vera veteris pronuntiationis in Cappa manſit veſtigium,
quod apud Hebræos malè per ſonum Chet enuntiatur. Mira eſt apud Hebræos in
litteris quibuſdam efferendis corruptela. Nam vt Cappa litteram tenuem loco adſpi-
ratæ ponunt; ita adſpiratam abſurdiſſimè per nudam adſpirationem geminatam
efferre conantur. Nec recens hæc eſt aut heri aut nudiuſtertius nata confuſio, ſed
iam inde ab eo tempore quo Ioſepus Hiſtoriæ Iudaicæ ſcriptor, & D. Hieronymus
vixit. Quemadmodum enim Ioſepus peruerſam prodidit ipſius Tau in Tharſes
pronuntiationem; ita Hieronymus tradit חָם per Ham denſius, quàm ſi per He ſcri-
beretur, efferri, atque He quidem ſimplicem illam duplicem eſſe adſpirationem. Eo-
dem modo ſonum Sade corrumpunt, quæ littera per S T proferri debuiſſet. Nec aliter
Scin pro Samech ponunt, idque tam priſca conſuetudine, vt Saba modò per Scin, mo-
dò per

dò per Samech ſcribant. Sed hac de re in Hieroglyphicis latiùs. id modò obiter ſit annotatum; iuſtam germanamque litterarum diſtinctionem iam olim apud Iudæos corruptam fuiſſe. Hoc loco in אך Latinorum nos iuuat locutio, quæ Ac habet non Ach. Quòd ſi D. Hieronymo & aliis crederemus, Ahh ceu lari hiantes efferre deberemus, quod tam abſurdum eſt, vt ne ſimplex quidem adſpiratio ſatis commodè in fine queat pronuntiari. Ab אך addito Nun fit אכן eiuſdem notationis. Hinc Geneſeos cap. ſecundo, vbi legitur, *Quomodo palam factum eſt verbum iſtud*; verti potuit, *Etiam palam factum eſt*. Eodem modo pſalmo octogeſimo ſecundo, vbi legimus, *Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes; vos ergo quaſi Adam moriemini*; dici potuiſſet, *Atque ſicut Adam ſiue homo moriemini.* Nec aliter Eſaiæ quadrageſimo nono, vbi vulgo legitur, *Ergo iudicium meum cum Domino*; vertendum, *Atque iudicium meum cum Domino.* Dicit enim Propheta in perſona Chriſti, ſe in vanum apud Iſraëlitas laboraſſe, & id ipſo Dei iudicio probat, qui ſolus poteſt arcana filij videre. Minuta ſunt hæc in ſpeciem, fateor: ſed talia tamen, vt totum Dialecticorum acumen in his plerumque verſetur. אכף per conuerſionem à primogenio degenerauit, & Aleph ſuperuacaneum accerſiuit. Hoc verbum flectere & impellere vertunt. Prouerbiorum decimo ſexto, *Quia compulit ad illud os ſuum.* Nobis Pog eſt tentare, & aggredi, & ad aggrediendum impellere. Per- Pog.
inde igitur אכף ſonandum, ac ſi Poch per adſpiratam litteram ſcriptum eſſet; loco cuius G ponitur, altius expectoratum. Huius certum eſt argumentum כָּפַף quod idem ſignificat formula ea qua Hebræi nonnullas voces in variis ordinibus efferunt. Hic Aleph relictum eſt, quod in prima noſtra radice non inuenitur. Quod ſi Booch dicas, idem eſt Booch.
quod incuruare. אכר agricola, ab אכר Rabbi Dauid dicit fieri à כר quo ſignificetur ager, & Aleph eſſe Noſephet. Nobis perſpicuum ab Acker fieri, vnde Latinis Agri nomen. *Ager.*
Eſt autem Acker nobis & nominis & verbi loco, pro terra culta, & terram colere: ceu Acker.
dicas, Ac-ert/ id eſt, bona terra, vel terram bonam facio. Aleph igitur ad vocis pertinet integritatem, contrà ac magiſter noſter ſenſit. At cùm Hebræi אכר pro agricola ponunt, idem faciunt, ac ſi agrum Latinus pro agricola diceret. Nos Ackerman dicimus; Ackerman.
vnde liquet, Mem & Nun cum vocali ſua reiecta eſſe ad trium conſonantium legem conſeruandam, qua nihil potuit aptius cogitari toti linguæ miſeris modis corrumpendæ. Turpiſſime verò in אל ſe geſſerunt, quo pro Non vtuntur. Vocem enim citra notationis diſcrimen vertunt, לא ſimiliter dicentes, tametſi in hoc alio puncto vtantur. Hic enim Niet omiſerunt, haud ſecus atque in כר ; Man. Dicimus enim Al-niet/ id eſt omnino nihil. Ex Al-niet igitur, Al ad negandi vſum venit, cùm apud nos Omne & Omni- Al.
no deſignet. & hinc rurſus inani metatheſi & citra cauſſam inductæ לא pro non. Eodem modo litteram omiſerunt in אכל quo deuorare ſignificatur. Aleph enim, quod ſuperfluum eſt, locum Samech occupauit, vt nimirum è Slot Lot fiat; & hinc אכל. אלל lamentari, vlulare Chaldęis, à noſtro Huilen. אלה maledicere, imprecari. Hoc verbum inſignem cladem paſſum eſt, nos Vloot dicimus. Vau igitur perperam in Aleph tranſiit, & He Vloot.
loco Chet vel Caph poſitum. Vtrouis enim modo dicimus Vloot & Vlooch. אלח inutilem eſſe vertunt. Nobis Heel leech/ id eſt, omnino nihil agens, & deſidioſum. אליל idolum. id alij aliunde ducunt. Noſtrates Heil-iel id vocant, quod nullam poteſt dare ſalutem: Iel enim & Idel inane & vacuum ſignificat, vtpote illud quod prorſus ſolita- Iel.
rium eſt, nec quicquam habet quod comitetur aut adſit. Quid verò elegantius dici Idel.
queat, quàm ſi Idolum & ſtatua Heil-iel vocetur, id eſt omnis ſalutis dandæ poteſtate carens. Hac ratione diuinatio Pſeudoprophetarum apud Hieremiam cap 14. אליל dicitur, id eſt, omnis ſalutis expers, ſiue nihil habens ſalutare. אלם facere manipulos. Hic rurſus vocula relicta eſt. Halm culmum ſignificat ſiue calamum; & Latina quidem vox à noſtrati deſcendit, mutata adſpiratione in C, quod Latinis & Græcis frequens. Sic ex Horn/ Cornu Latini, Græci κέρας dicunt: Ex Hart καρδία Græci; Latini Corda; & alia quam plurima. Halm igitur calamus, Halmger/ culmos colligo. אלם mutus, ab Iel-em/ Halm.
id eſt, vocis expers, ſiue voce carens; ſicut אליל carens ſalute. אלם pro vtique vſurpant; *Culmus.*
ſed quia ignotæ ſignificationis eſt, interpretes ferè vti ſuperfluam vocem omittunt. Deriuatur à noſtro Wel-an/ quod eſt vlterius ſermonem fauſto omine continuantis. Hinc Wel-an.
pro Veſtibulo ponitur, quia illud primum ſit templorum exordium, ad quod intrantes

meritò dicere debent, Wel-an/ id eſt, felix ſit & fauſtus progreſſus & introitus. Alij
Germani Wol-an efferunt, quo ad auſpicatam operis aggreſſionem hortantur; quæ vox
propiùs accedit ad אֵלָם ſiue אוּלָם cum Wel-an אֵלָמִים in plurium numero propius refe-
rat. Scurec autem אוּ loco duplicis digamma poni modò dictum in אוּרִים. Latini Veſti-
bulum vocant, cuius vocis in noctibus Atticis dubiam videbis interpretationem. Oui-
dius à Veſta deduxit, quòd eius nomen in omnibus ſacris primum inuocaretur. Hinc
Ἀφ' ἑςίας. Ἀφ' ἑςίας apud Græcos in prouerbium abiit, quoniam ſacrorum primitiæ huic debe-
Veſta. bantur. Veſtæ nomen à Viſto Naſo deducit; alij ab ἑςία. Nos ſcimus Veſtam à Veſt
ἑςία. dici, quo firmitas denotatur: vnde mœnia ciuitatis Veſten dicuntur. A Veſta fit ἑςία,
vt à Veneto Henetus, à Sus ὗς. Plurima enim vocabula in lingua Latina quàm in Græ-
ca origini ſunt propinquiora, tametſi contrà ferè ipſi crediderint Latini. A Veſt ſiue Ve-
ſte (nam vtrumque iuxtà in vſu eſt) fit Veſte-wol / id eſt, firmitatis felix ſucceſſus; ſiue
bene firma, & ſtabile redde: quod votum eius eſt qui Deum precatur, vt propoſitum
ſuum confirmet atque ſtabiliat. Hoc enim à primo limine rogare ſolemus, vt id quod
Veſtibulum. volumus, Deus firmum nobis reddat. A Veſte wol igitur Veſtibulum apud Romanos
manſit. porticus ante templa ſirui conſuetæ; vnde ad palatiorum prothyra tranſiit. Ea-
dem igitur ratio nominis Hebraici & nominis Latini, licet diuerſæ ſint, & diuerſos ha-
beant natales duæ ipſorum partes. Wel enim ambobus commune; quod in Bul muta-
tum eſt apud Latinos; quia facilis ſit è digamma noſtro duplici in B commigratio. Cùm
verò אַלְמָן per Nun ſcribitur, apud Hebræos Viduum ſignificat; quæ notatio rationem
ducit è noſtro Ee-lam/ quo ſignificatur is qui legitimo coniugio mutilatus eſt. Connu-
Ee. bium enim legitimum è duobus vnum facit, & idcirco ab Vno ee nomen habet, ceu
Vnionem dicas; quo fit, vt dum alter moritur, alter mutilatus dimidia ſui parte relin-
Lam. quatur. Lam/ a breui, mutilum ſignat. Hîc cernere licet, vt è variis originibus homo-
nymia Hebraicarum vocum exiſtat, cuius tamen Rabbini nullam norunt cauſſam.
אַלּוֹן Quercus. Huius vocis vt plures queant dari radices, ea tamen mihi maximè arri-
det, quæ Heil-won nobis vocatur, vox rurſus geminam habens interpretationem; alte-
Won. ram, vt Won vocalem longam habeat, qua ratione ſalutis domicilium denotatur; alte-
Win. ram, vt vocalis breuis ſit, & vox compoſita ex Heil & præterito imperfecto ipſius win/
quod ſignificat Luctor, vinco, obtineo; qua via Quercus Heil won/ dicitur, quòd per
eam ſalutem mortalium genus acquirat & lucretur; vel quia quercus ipſius ſalutis, id
eſt, Chriſti ſit victoria. Vicit enim draconem in querna cruce, quæ vera fuit arbor vi-
tæ, vt in Druidarum religione declarabo. Quòd ſi nullam admittas litteræ in hac voce
iacturam, Ee-loon exponam; quo quidem modo Quercus Ee-loon dicetur, quoniam
connubij legitimi merces ſit. Per crucem enim Chriſtus mercedem ſponſæ ſuæ perſol-
uit, quaſi donum quoddam matutinum, quod mariti nuptis dare conſueuerunt. Fran-
ci Teutonico vocabulo Morgengab dicunt, cuius Epiſcopus Turonenſis in hiſtoria ſua
fecit mentionem. Verùm, vt dixi, mihi prius illud placet magis, de quo qui plura no-
Pheel. uiſſe volet, Gallica noſtra conſulat. אֶלֶף mille. Nos Pheel ſiue Veel pro multis dicimus.
Veel. Hebræus ergo generis nomen pro certa numeri forma poſuit. אָלַץ moleſto. Nobis Laſt
dicitur pro onere & moleſtia, dum vox vti nomen vſurpatur; at dum verbi locum te-
net, idem eſt quod onero & moleſto. Vides hîc veram ipſius Sade pronuntiationem,
& quàm inanis ſit littera Aleph tum in hac, tum in voce ſuperiore; niſi velis eſſe metà-
En. theſim. אִם Si vertunt. Fit à noſtro en/ quæ vocula non ſolùm copulandi vim habet, ſed
Laſt. frequenter etiam pro ſi vſurpatur. Hic clarè cernitur, Mem loco Nun poſitum eſſe,
Mee. quemadmodum & antè in אֵלָם vocabulo ex Wol-an. אֵם pro matre, fit à noſtro Mee/
Mei. qua mater etiam notatur; vnde Mei ſiue Mai matertera. Fit autem Mee à Me/ quod eſt
Mai. adiuuo, quoniam primarium hominis auxilium mater ſit, patris videlicet ſemen ſic
Me. adiuuans, vt & foueat & nutriat; ac deinde fœtum lacte ſuo poſt partum tantiſper alat,
Macht. dum victu ſolido veſci poſſit. אָמָה famula. Nobis Macht vel magt virginem ſignificat,
Magt. & pro famula etiam ponitur, quia virgines ferè loco ancillarum habeantur. Quo ta-
Mat. men inter virginem & ancillam diſcrimen agnoſcatur, hodie ferè Mat pro Magt di-
cunt, dum famulam noſtrates denotant. He igitur hic pro Chet poſitum eſt, & hoc
Maet. rurſus pro G, quod eſt creberrimum. At dum אַמָּה pro cubito ponitur, à Maet pro
menſura

menſura deriuatur; eo quòd cubitus princeps ſit & primaria hominis menſura. Quadrat enim hominem, dum quater acceptus totam hominis abſoluit longitudinem. אָמַל deficere, imbecillem fieri. Fit à Lam/ quo mutilum & infirmum denotatur, & aliquando etiam mutilare. Lam. אָמַן credere & ſtabilem eſſe. ab Ee-mein id eſt verum & legitimum puto. אָמָן pro artifice, quis non videt ab Hant-man fieri, quo vir manualis, vt ſic dicam, & mechanicus notatur? אָמֵץ firmare, roborare, præualere, à Meeſt/ quo maximum Meeſt. ſignificatur; vnde Meeſter pro doctore, eo quòd in ſummo & maximo honore ſit habendus. Meeſter. Meſt. Meſt/ & Maſt/ vt alij loquuntur, eſt pinguem & robuſtum facio. Maſt. אַמִּיץ fortis. Meeſt/ nobis maximus. אָמַר dicere, loqui. Mar. Mar famam nobis ſignificat, ſiue quod vulgo homines loquuntur. Maren. Hinc Maren & Vermaren eſt loqui de aliquo. Vermaren. à quo לֵאמֹר, quod D. Hieronymus tranſtulit, vulgo dicitur. Abutuntur ergo voce hac Hebræi, dum pro quauis locutione ponunt. Verùm dum pro cogitare vſurpatur, vocabulum verſum eſt è Raam/ Raam. quod nobis inter alia ſignificat rem mente noſtra ſupputare, conſiderare, & cogitare. אִמַּר lingua Chaldaica ſignificat arietem, quæ vox conuerſa eſt è noſtra Raam/ Raam. quæ, dum breuis eſt vocalis, arietem deſignat. אֱמֶת dicunt pro veritate. Teem. Nobis Teem decorum iuſtumque ſignificat, quod à veritate nequit ſeiungi. Quod igitur Dauid cecinit, *Veritas de terra orta eſt*; id fabularum textores ſignificarunt, dum Themidem è terra ortam dicunt. Sed nunc ſatis eſt exemplorum, quæ ſumta ſunt è dimidio paulo plus minus eorum quæ à littera Aleph ſumunt exordium. Quid igitur futurum, ſi totum Lexicon Hebraicum ad hunc modum à nobis examinatum adderemus?

FINIS.

Ioh. Goropij, piæ memoriæ, Hiſpanica, Francica, Gallica, Vertumnus, Hermathena, & Hieroglyphica, eiuſdem ſunt eruditioris cum iis operibus quæ viuus edidit. Nec quicquam in his libris à me, aut ab aliis eſt animaduerſum quod fidem aut morum integritatem lædat. 21. Sextilis, 74.

Ioh. Molanus, Apoſtolicus
& Regius cenſor.

HIEROGLYPHICA
IOANNIS GOROPII
BECANI.

ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini
Architypographi Regij.
cIↃ. IↃ. LXXX.

STVDLERORVM FAMILIÆ

INSIGNIA.



CVRA, ET FIDE.

ORNATISSIMO PRVDENTISSIMOQVE VIRO GASPARO STVDLERO ZVRCHIO,

Chriſtophorus Plantinus S. D.

MAGNI EGO SEMPER, *ornatiſſime Zurchi, & Becanum ipſum feci, & ſcripta eius doctrinamq́; . Eaq́; cauſſa, & viuo adhuc illo Antiquitates eius (quibus Becceſelana nomen ludens fecerat) edidi; & nunc mortuo reliquorum eius operum editionem auidè ſum aggreſſus. Quanquam enim præuiderem pleriſque etiam litteratis & doctis, viri huius monumenta non factura ad guſtum(ſiue quia hæc ex vltima antiquitate repetita, noua multis; ſiue quia ignota iis lingua noſtra, quam ille ſæpe & neceſſariò immiſcet:) tamen quia ſemper artem ſtudiumq́; meum ad bonum publicum retuliſſem non ad meum, etiam hîc rationem eam habui: & ne Becani ingenium doctrinaq́; perirent, perire aliquid malui rebus meis. In quo confirmatum me conſilio auxilioq́; tuo fateor: qui reuerſus Traiecto, (quò Becanus noſter moriens te notæ fidei amicum euocauerat, & res ſuas vnà cum clariſſ. Lauino Torrentio commendauerat) auctor mihi ſtatim fuiſti ſcripta hæc vulgandi, & eius rei curam nō leuem etiam Becano morienti fuiſſe oſtendiſti. Dedi hoc ergo libenter amico mortuo, dedi tibi. qui cùm adflicta & calamitoſa nobis hæc tempora videres; libros præterea Becani eius notæ eſſe, vt quanquā optimi, non paſſim nec optimè venirent: pro tua in amiciſſimum & doctiſſ. virū pietate ſponte curaſti, vt non contemnenda pecuniæ ſumma, ſumptus mei laboréſque iuuarentur. Quod calcar mihi viréſque dedit ad iſta peragenda: ſicut & Ioſephi Scaligeri doctiſſimi æuo noſtro viri teſtimonium. quod etſi parum de honeſtiſſimo viro honeſtum; tamen illuc valuit, vt commotis multis ad videndum, plu-*

ta hoc triennio exemplaria Becceſelanorum vendiderim, quàm prioribus totis octo annis. Itaque cogito breui eadem Becceſelana iterum dare, ſed correcta ab auctore, dum viueret auctáq́ȝ. Tibi autem, prudentiſsime Zurchi, partem ſelectam iſtorum operum, cui Hieroglyphica nomen, iure mihi viſum eſt dedicare. Primum quia pro amicitia auctor ipſe, ſi vixiſſet, id facturus videbatur: deinde quia æquum, vt cuius diligentia, ſtudio, liberalitate lux data his libris, ipſe etiam ab iis accipiat viciſsim lucem. Quod futurum confido: non ſolùm propter illuſtre iam Becani nomen, ſed etiam propter proprias tuas egregiáſque virtutes: prudentiam dico, moderationem, fidem, quibus probaſti te iam antè, & nunc maximè in hoc publico munere, quod cum omniũ laude & amore adminiſtras. Vale & nos ama. Antuerpiæ Idib. Sextilib. M. D. LXXX.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM IN HIEROGLYPHICA.

A.

A Litterę pronunciatio & ſignificatio. 24,96.
A & E proprium, vt litteram tinnientem ſibi ſocient. 211
Abraham obedientiæ exemplum. 175.
Abyſſini frequenter crucis ſimulacra in collo & manibus ferunt,&c. 268
𝔄𝔠. 208, 253
Achelous vnde dictus,&c. 208
copiæ cornu permutauit Amaltheæ cornu. 208
Acheloi & Herculis certamen pro Deianira. 208
Adam vnde dictus. 133
Adamus defecit in laude diuina priusquam ſerpenti fidem haberet. 129
Adami fidem Dei promiſſio præceſſit. 129
Adam & Chauæ in paradiſo lapſus. 182
Adorantes cur dextram ori ſoleāt applicare. 79
Æ[illegible] peruenerunt. 31
A[illegible] litterarum [illegible] 12
Æ[illegible] Cimbrica lingua [illegible] 28,154
Æ[illegible] dictus, & quod numen,&c. 92
𝔄𝔢ſen. 138
Æſopus vnde dictus. 117. & ſeq.
Æternitas. 59
Agenor quid ſignificet. 3, 9. idem eſt qui [illegible] 3, 9, 11. cur Phœnix rex [illegible]gatur, &c. 10 & ſeq. e[illegible] filius Cadmus. 3. & 11. eius fi[illegible] fingitur Europa. 11.
Agnus quid humano generi præſtiterit. 183
Ἄγμ@ dictus Pan. 267
Ain litteræ pronunciatio. 219
eius germanum nomen. 223
𝔄𝔨𝔢𝔯. 209,222.
𝔄𝔩. 116,149,152,181
Alæ quibus cum alaudis in cælum vehimur. 123
Alauda vnde dicta. 116. vocabulum eſt Gallicum, ibid. & ſeq.
Alauda dicta Coridos & ἐπιτυμβίς. 105
Alauda Chriſti ſymbolum. 121
Alauda ipſa terra antiquior dicitur. 115,117,120
Alauda ſepties quotidie in altum euolat,& hymnos Deo canit.117, 118. eius cantus epinomę. 140.
Alauda patrem cur in capite ſuo ſepeliſſe fingatur. 115,121.
eius pater qua ratione mortuus dicatur. 121
Alaudæ antiquitas. 115
Alaudæ caput ſepties in Bembi tabula hieroglyphica. 118
Alaudæ capita quid ſignificent in ſuprema ſcipionum parte. 126.
Alaudæ natura hominibus ſedulò imitanda. 122
Alaudæ opus, fides. 125, 126
Alef quid ſignificet. 113
Alef litteræ figura, figuræ partes, & partium rationes. 96, 113
Aleph & Daleth in figura diſcrimen. 152
Alexicacus. 216,231
Ἀλιπλαγίτης dictus Pan. 267
Almuſia Canonicorum. 198
Alphabetum cur ab A littera ſumat initium, & in T deſinat. 24.
Alphabetum duas vitas indicat. 18,22. & ſeq.
Alphabeti recitatio & interpretatio, 24. eius ordinis ratio. 148.
Alphabeticæ Orationis idem qui Dominicæ ordo, 229. eius paraphraſis. 26. eius epilogi artificium. 236
𝔄𝔩𝔱𝔬𝔬𝔰. 67
Altus,a,um. 87
𝔄𝔪. 203
Amalthea quæ, & vnde dicta,&c. 205,209.
Amaltheæ cornu, vide Cornu.
Ἀμάω, ἀμαρεύειν. 204,205.
Amoris cauſſæ. 179
Amuletum fidiſſimum, veritas 51
𝔄𝔫. 139
𝔄𝔫𝔞. 258
𝔄𝔫𝔤. 218, 230
Angelus Caninius Anglarenſis refutatur. 6. & ſequent.
Anguis vnde dictus. 218
Anguis ſidus in Septentrionali cęli plaga. 36
Anima totius vniuerſi, ignis. 150, 151.
Animæ definitio. 100
Animam cum corpore interire, perſuaſio diabolica. 100
Animus à carnis deſideriis abſtrahēdus. 214. freno domandus. 237.
Antiquus dierum. 270
Antiquiſſima quæ ſunt, eadem eſſe præſtantiſſima. 115
D. Antonius cur Tau habuerit & in manu & in pænula. 265.
eius natales. 265
Antonius Cheuallerius refutatur. 7
Anubis vnde dictus. 264,265
Anubis Oſiridis & Iſidis cuſtos. 264. Spiritus ſancti eſt ſymbolum. 264
Aperio, is. 57
Apex,icis. 191
Apices litterarũ quales olim fuerint. 189
Apis nominis etymon, &c. 263.
Apollo vnde dictus, &c. 56,57
Apollo dictus Harpocrates. 56. & quare. 57
Apollo idem qui Horus. 50
Apollo cur è loto primum exſtitiſſe fingatur. 84,85,86. & ſeq.
Apollo Spiritum ſanctum denotat. 58
Apologi à Cimbris originem habuerunt. 116
Aprilis vnde dictus. 57
Aqua, materiæ teſſera. 170
𝔄𝔯. 51
Ara maxima. 147
Arces cur altioribus opidorum locis communiantur. 75
Ari forma atque natura. 95
Aries cur Zodiaci initium occupet. 156
Aries immaculatus Chriſti ſymbolum. 157
Ariſtophanes poëta Comicus, peſſimus calumniator, &c. 51,115 188.
Ariſtoteles, Pythagorę & Platonis deſertor, ſiniſtrè veteres philoſophos interpretatus. 97,252
𝔄𝔯𝔪. 139
Aſcus gigas. 10
Aſtronomiam duabus columnis ante diluuium inſcriptam falſò à Ioſepho tradi. 11
Athanatizontes dicti Getæ. 101
𝔄𝔲, 𝔄𝔲𝔱, 𝔄𝔲𝔱𝔴𝔢. 116,204,253,270
Auditionis fructus. 56
𝔄𝔲𝔣. 57
𝔄𝔲𝔤. 244
Augur, uris. 244
Augurum verum & proprium officium. 244
Auguria quæ bona & quæ mala. 45.
Auguriorum origo & vanitas. 238
Aura, æ. 83
Auris, is. 94
Auris aſinina in Harpocrate & eius

eius

eius noctua, quam notationem habeat,&c. 94,95
Aures patulæ in Canopo quid ſignificent. 113
Aurum vnde dictum. 83. vnde χρυσὸς dicatur. 82. naturæ noſtræ neque vires neque nutrimentum ſuppeditat. ibid. Soli eſt ſacrum. 66. auro præferendum plumbum. 82
Auxilium diuinum omnibus in rebus implorandum. 202
Axones. 188

B.

B Litteræ pronunciatio & ſignificatio. 132
B Cimbricum ſæpè in P tranſit apud Latinos. 197
Bacchus dictus Nochus. 10,11
Baccho à veteribus cornu tributū. 207.
Bacchicus thyrſus cur pro mucrone conum habeat pineum. 104.
Baculus cuiuſmodi appingatur D. Chriſtophoro, &c. 126,127.
Baculus fidei teſſera. 126,127.
Baculus paſtoralis reuelationis alterius ſymbolum. 143
Baes. 10,189
Bæſi nomen vnde Scythopolitanis impoſitum. 10
Bant. 256
Bar. 31
Bardocucullus. 179
Bardus quis dicendus 179
Barg. 30
Βασιλεὺς. 189
Be. 133,199
Bec, Beg. 155,201,223
Berkcr. 201
Beſ. 198
Beſſa Canonicorum. 198. & ſeq.
Behema. 228
Behemoth. 228
Belial. 228
Ben, id eſt, ſum. 76
Ben, Bende, id eſt, turma. 231
Bergen. 220
Bereſit vocis compoſitio. 241
Bet Hebreorum littera quid ſignificet. 6,7. 134. eius figura. 134, 138.
Betracht. 257
Βιαίχὴς dictus Pan. 267
Binarius dilatationi & amplificationi maximè conuenit. 176
Binarius ſecundam in Trinitate perſonam, id eſt, filium denotat. 21,24.
Binarij vita quæ. 21.
Blaker. 222
Boeck, Boic. 30
Boeckenboom. 30
Bog. 222
Boij. 30
Bont. 196
Borg, Borgen. 220
Braien. 138
Brys. 142.

C.

Ca. 253
Cabiri vnde dicti, &c. 256
Cabirorum pueri. 1
Cac. 170
Cadmilus. 1
Cadmus vnde dictus, & quid ſignificet. 3. vnde oriundus. 3. & ſeq. Agenoris filius. 3, 11. dictus Iapetus, & idem eſt qui Ianus. 2, 9, 11. an primus fuerit litterarum inuentor, 1. & ſeq. eius vxores. 2
Caduceum. 217
Cælum, caput voluptatis. 180 terra beatorum. 67. reuelationis prioris teſſera. 143
Cælorum motu omnis diuinus ordo deſcriptus eſt. 142
Cæleſtium corporum contemplatio quem fructum adferat. 123
Calamus. 52
Calor alius quidam & diuinior quàm elementaris. 150
Caloris regni exordium. 150
Camillus. 1
Can. 110,171
Canis præſtantia. 264
Canopus vnde dictus. 110. & ſeq.
Canopus ſtella. 112
Canopus Ignem deum dicitur viciſſe. 109, 113. lituum manibus tenet. 146. cuius rei ſit ſymbolum. 112
Canopi aures patulæ quid ſignificent. 113. eius falx quid notet. 112. eius fabula. 108, 109. eius monumenta in Ægypto. 108. eius ſimulacrum ex Ægypto Antuerpiam allatum. 108
Cap litteræ figura. 180
Cap vocis ſignificatio. 179
Cap in oratione alphabetica quid ſignificet. 180
Capedunculæ Numæ. 262
Capio, is. 52
Capitaneus. 12
Cappæ monachorum. 179
Capræ hieroglyphica ſignificatio. 208.
Caput, itis. 52
Capitis diuerſa nomina Cimbrica. 174.
Καρδία. 52,84
Cardo, inis. 52
Carmina ſiue Verſus fuiſſe antequam litteræ ſcriberentur. 1
Carnis opera. 214
Caſtor vnde dictus. 253
Caſtor & Pollux Dij Samothraces. 257
Caſtor & Pollux dicti Corybantes. 256
Caſtor & Pollux dicti Dioſcori & Soteres. 255. cur pileati in antiquis monumentis pingantur. 255. Caſtor eques, Pollux pugil quare fingantur. 255. eorum memoria apud Phœnices clara iam olim ante Troiam euerſam. 256. eorum fabulæ & ſimulacra explicantur. 251,255 & ſeq.
Caſtoris nomen D. Ioāni optimè conuenit. 253,255
Cat. 170
Caudex, icis. 52
Κάζειν. 1
Ce ſiue Ke. 44.181
Celada. 183
Celo, as, are. 56
Celſus, a, um. 87
Centro comparatur Deus. 97
Ceres, eris. 240
Cereris fabula explicata. 240
Cerimoniæ, arum. 249
Ceruix, icis. 52
Ceur. 249
Charta ex papyro quomodo fieri conſueuerit. 162
Charta ex tritis lineis & goſſypio. 31,162.
Chiet quid ſignificet. 169. & ſeq.
Chiet littera eiuſdem cum Chi Græco figuræ. 173. eius figuræ explicatio. 171. eius genuinus ſonus & pronunciatio. 169
Chinæ crucem inter ſacra ſigna habent. 269
Chinæ iam olim optimam chartam fecerunt. 31
χρυσὸς vnde dicatur aurum. 83
Chriſtus qualis fuerit ab Iſaia prędictus. 72
Chriſtus idea humilitatis. 71
Chriſtus verus Hercules. 22
Chriſtus Pan magnus. 267
Chriſti morte quæ miracula ſubſecuta. 267
D. Chriſtophoro baculus cuiuſmodi appingatur. 126. & ſeq.
Cidaris Perſarum regum. 186
Cimbricæ linguæ peculiaris eſt conuerſio vocum. 211
Cimbrica lingua vſi ſunt in ſacris Ægyptij ſacerdotes. 28
Cimmeriis ſolis litterarum figuræ hieroglyphicę & ſymbolicę. 29
à Cimmeriis rationē ſcribendi acceperunt Hebræi. 31
Circenſes ludi. 40
Circus ſoli conſecratus. 37
Circi duæ picturæ. 40
Circi pars dextra quæ ſit. 40
Citus, a, um. 52
Ciuis, is. 52,74
Ciuitas Dei optimè Ste dici poteſt. 74
Ciuitas Dei qua calliditate oppugnetur. 77
Ciuitatis Dei arx, quies & tranquillitas. 75, 77. eius ciues efficimur morte Chriſti. 75
Clema. 159
Clepſydra, S. ſpiritus fuſionis ſymbolum. 173
Clepſydrarum vſus. 171
Clim. 159
Climax, acis. 159
Clymenon. 159
Coc. 220
Codex. 30,161
Κωδία. 84
Core. 220
Collis. 52
Collum. 52
Colum. 80
Cōciuis Latinè cur nō dicatur. 75

Conradus. 105
Conſilij in quibuſuis rebus expediendis neceſſitas. 55
Conſt. 110
Conſuetudo altera natura. 34
Contemplari quid. 238
Conuerſio vocum Cimbricæ linguæ peculiaris. 211
Conus vnde dictus. 105
Conus quid, & quo à Pyramide differat. 104. eius ſignificatio hieroglyphica. 119
Coon. 105
Cop. 83,104
Coper. 104
Coppen. 83
Cor, cordis. 52
Coridos dicta Alauda. 105
Cornu Amaltheæ. 205. quare copiæ cornu dicatur. 208. cur capræ fuiſſe fingatur. 208
Cornu Baccho tributum à veteribus. 207
Cornu cuius rei teſſera. 206,207
Cornu omnibus aliis vaſis excellétius. 206
Cornu pro ſuperba potentia in ſacris litteris qua ratione accipiatur, & rurſus pro iuſti hominis fortitudine. 206
Cornua fluminibus adſcribi ſolere. 207
Cornuum apud antiquos reuerentia, & vſus in ſacris, &c. 206, 207.
Corpus ſphæricum quid ſit. 35
Corporis pars dextra & ſiniſtra, &c. 33, 34. & ſeq.
Corporis partium in orantis poſitu hieroglyphicus explicatus. 138.
Corporis virium & roboris cauſſæ. 52.
Corybantes vnde dicti, &c. 256
Coryphes germana figura. 188
Κοσμός. 1
Crab. 31
Creatarũ rerũ quatuor genera. 159
è Creaturis, humanæ ſalutis arcanũm conſilium elici non poteſt. 148.
Creſen/ Creſclen. 31
Crines in quæſtionibus nonnunquam abradi. 52
Crines abſcindi, triſte veteribus. 52
Crines ad robur conferre cur credantur. 52
Crinium generatio. 52
Crijten. 168
Cronus. 59
Crue. 240,250
Crux, crucis. 149,250
Crux inter ſacra ſigna apud Chinas, &c. 269
Crux perpetuum ſcutum aduerſus cacodæmonis impetum. 258
Crucis apud Rom. ignominia. 249
Crucis dominicæ ſignum inter ſacras Ægyptiorũ litteras, & eius interpretatio. 260
Crucis figura. 250
Crucis figuræ hieroglyphicæ in Serapidis templo cuerſo repertæ. 250
Crucis nomẽ apud Abyſſinos. 268
Crucis ſimulacrorum ferendorum in collo & manibus vſus apud Abyſſinos frequentiſſimus. 268
Crups. 250
Cuen. 105
Cuiſſchen. 1
Cul. 62
Cuneus. 105,120
Cuneus malus malo nodo quærẽdus. 105
Cupido eſt Harpocrates. 90
Cupidinis armorũ, arcus & pharetræ in Harpocrate ſignificatio. 90
Cupreſſus vnde dicta. 104
Cupreſſus dicta meta. 103
Cupreſſus feralis arbor cur habeatur apud Poëtas. 102
Cupreſſus ſacra Diti & Soli. 103 in funeribus & ſepulchris quid ſignificet. 103. in Cupreſſum arborem mutatus puer Cypariſſus. 103
Cupreſſina ligna non eſſe coaceruanda. 104
Cur. 188,249. & ſequent.
Cura, Curati, Curetes. 249
Curbantes. 43
Curius. 189
Cybele quid Phyſicis. 104
Cybelæ ſacra eſt Pinus. 104
Cypariſſus puer in Cupreſſum arborem mutatus. 103
Cyrbas. 188. & ſequent.
Cyrbaſiæ forma & vſus. 189. eius nomenclaturæ ratio. 186
Cyrbaſij Turcorum. 186
Cyrbes quæ, vnde dictæ, & quem vſum habuerint. 188
Cyrbis. 188

D.

Dael. 149,151
Dæmon vocabula ignotæ ſignificationis facilè potuit ſibi vſurpare. 266
Dæmonis fraus & aſtutia. 261
Dæmonis malitia aptiſſimè mari & vndis comparatur. 133
Dag. 222
Dalet vocis interpretatio. 149
Daleth littera maximùm veneranda. 156
Daleth litteræ figura. 152
Damaſcus vnde nomen acceperit, &c. 10
De. 44, 217
Dee. 220
Dei ſiue dij. 149,152
Der. 217
Derf. 222
Deltoton cur in cælo collocarit Mercurius. 156
Deus vnde dictus. 59
Deus centro comparatus. 97
Deus in vna diuina eſſentia quandam habet patris & matris ſimilitudinem. 59
Deus pater orandus per filium. 134. & ſequent.
Deus quibus rationibus Thoot, Herman, & Mercurius nominetur. 13. & ſequent.
Deus vnus colendus & adorandus. 87
Dei quæ maxima cognitio. 212
Dei ſimiliter parendum, vt corporis membra capiti obtemperant. 175
Deorum ſuorum nomenclaturas nec Ægyptij, nec Græci, nec Latini intelligunt. 48
Δέξιος. 44
Dexter, a, um. 44
Dexter locus exterior eſt, ſiniſter interior. 44
Dextra pars Circi quæ ſit. 40
Dexteram ori applicare cur ſoleant adorantes. 79
Dextrum quid, & quid ſiniſtrum in animalibus. 33
Dextrum & ſiniſtrum in cælo quid, ſecundum Aſtronomos & Poëtas. 35
Dextrum in cælo quomodo ponendum, ſecundnm Ariſtotelem. 34
Dextri & ſiniſtri in corpore differentia, naturæ, non conſuetudini, adſcribenda. 34
Dextro melius & præſtantius ſiniſtrum. 44
Digamma priſca figura vnde originem traxerit. 164
Digitus ſalutaris. 78. & ſeq.
Digiti ad numerandi artem maximè comparati inueniendi deſiderij ſunt ſymbolum. 137
Dioſcuri filij Sedec. 256
Dioſcuri, dicti Cabiri & Corybantes. 256
Dioſcuri cur dicantur Caſtor & Pollux. 255
Diſcere volens, animũ habere debet perturbationibus liberũ. 65
Diſcendi duæ viæ. 148
Doe. 258
Docana. 257,258
Doctrina, ſcala eſt, qua in cælum aſcenditur. 158
Doctrinę & ſcalæ conſenſus. 158
Doctrinæ primus gradus. 159
Dolor & voluptas nexu quodam colligantur. 177
Dom. 70
Donder. 29
Donderbach. 29
Drac. 217
Draco, onis. 217
Dracunculi forma atq. natura. 95
Dri. 21
Due. 258
Duodenarius Herculi ſacer. 21,251
Duodenarius rerũ totius vniuerſitatis ſymbolum, totius mundi ideam complectitur. 154,252. cur imparem deorũ numerum dicatur ad æqualitatem redegiſſe, &c. 20,21. & ſeq. eius ſignificata & myſteria. 20. & ſeq. 259. eius duplex intelligentia. 21

E.

E 21,23
E in I tranſitus frequens. 204
E paragogicum Cimbris frequẽs. 170.

Ed. 133
Er. 44
Echt. 191,214
Ecſtaſis Socratis, &c. 126
Ee. 211
Eel. 66
Eent. 201,203
Eenter. 201,203
Eems fl. 201
Eer. 158
Eew. 59,227,235
Eun. 201
εἰμὶ. 200
El, id eſt, altus. 66,82,136,141
El, id eſt, cubitus & vlna. 136
Elf. 19
Ellenbog. 136
Em. 200
Emden. 201
ἐμῶ. 201
Enckel. 138
Ent. 228
Ep. 227
Ephialtes dictus Pan. 268
Epiſcopus Athenienſibus quis fuerit. 244
Epiſcoporum pedum, & ſudarium à pedo dependens. 144,146
Epiſtylium. 73
ἐπιτύμβιος dicta Alauda. 105
Ereſione. 191
ἔριον. 191
ἑρμηνεύειν, 14
Es. 23
Europa vnde dicta. 11
Europa cur Agenoris filia dicta. 11.
Euſebij ſententia de litterarum Hebraicarum ſignificationibus confutatur. 4. & ſequent.
Erter. 44
Erter-ertgiſteren. 44,213
Exteriora quæ ſint, & quæ interiora in cælo. 37
ἕζω. 64

F.

F, ferina littera. 226
F & V naturæ coniunctio. 166
Fabulis ſiue ſymbolis priſcorum religionis myſteria applicari poſſe. 61
Facht. 89
Fackel. 89
Fag. 89
Fagus in tenuiſſimas aſſulas ſe ſcindi patitur. 30
Falx vnde dicta. 112
Falx Canopi quid notet. 112
Falx mortis ſignum. 112
Faſt. 128
Fata non criminanda. 225
Fax, facis. 89
Fax accenſa in ſiniſtra Harpocratis quid ſignificet. 89
Fe. 53
Februa lana. 190
Feg. 89,197
Feig. 226
Fel. 114
Fel fellis. 114
Feneſtra. 230
Feſtino, as. 73
Feſtina lentè. 55
Feſtinanti nuditas propè neceſſaria. 167
Fi. 226
Fides, alaudæ ſeu vitæ opus. 125
Fides altiùs hominẽ eleuat, quàm vnquam ſteterit. 128
Fidei teſſera baculus. 126, 127
Fidem perficit ſenſus. 130
Filius. 76
Fiſtula Panis cuius rei ſymbolum. 267.
Fœdus quid, & eius definitio. 196.
Fœdus Dei cum homine. 195. cum Abraham, ibid. cum Adamo in paradiſo, ibidem.
Folium. 76
Fortuna quomodo vtramque paginam dicatur facere. 162
Fundere in ſacris litteris. 171
Futurorum cognitionem omnes expetunt. 238

G.

G litteræ in fine dictionum Cimbricarum pronunciatio. 219
Gait. 222
Gal, id eſt, fel. 114
Gal, id eſt, macula, ſcabies. 221
Galea primum locum habet in defenſionis armis. 184
Galea ſalutis. 197
Galerita vnde dicta. 119. Reliqua vide in Alauda.
Gallus gallinaceus regis, militis, & boni patrisfamilias exemplar. 91
Gallus nutriendus, non immolandus. 92
Galli gallinacei guttur ab Harpocrate preſſum quid ſignificet. 90
Galli gallinacei natura ſolaris. 90
Gallum gallinaceum Æſculapio immolari iuſſit Socrates certus mori. 92
Gallorum gallinaceorum ſollemnis pugna cur à maioribus inſtituta. 91
Galt. 83
Gas. 221
Gat. 220
Gaudium repentinũ mortẽ quandoque adfert. 177
Gaut. 83
Ge particula vocibus Cimbricis præpoſita perfectionem indicat. 128
Gebet. 220
Gec. 222
Geel. 66
Geeſt. 227,236
Gef. 197
Gebeel. 221
Geit. 220
Geloof. 128
Geloven. 129
Gelt. 222
Geiuſt. 221
Genua flexa quid ſignificent. 135
Genua humanæ infirmitatis ſymbolum. 135
Genugt. 220
Gexeis. 223,242
Ger, id eſt, congrego. 222
Ger, id eſt, bellum. 220
Gerra. 220
Geſt. 236,240
Getæ dicti Athanatizontes. 101
Getij. 220
Getuig. 222
Gewas. 221
Gier 221
Gimel vocis compoſitio & interpretatio. 141
Gimel litteræ figura integra apud Latinos. 146
Gof. 220
Goffo. 220
Got. 141,170,251
Grab, Graf. 30
Γράμματα. 30
Γράφω. 30,31
Grex, gregis. 222
Greſie/ Grieſier. 31
Groen. 223
Gul. 220
Gulſich. 220
Γύψ. 221

H.

H aſpiratio Cimbrica frequenter temporis longi locum ſubit, & contrà. 53,133.
H aſpirationis tranſitus in C, 52. & in F digamma. 73
Haet. 170,217
Hag. 222
Ham ſiue Haen. 91
Hain litteræ pronunciatio. 219. eius germanum nomen. 223. eius figura. 227.
Hal. 219
Han. 228
Hang. 218
Hang-dief. 218
Hant. 136
Hap. 191
Har. 51,53,55,57
Harman. 53
Harmonia quare Cadmo copulata coniugio. 2
Harpocrates vnde dictus. 51
Harpocrates Iſidis filius. 49
Harpocrates cur Deus putatus, & quam ob rem coli ſolitus, &c. 50. cuius rei ſit ſymbolum. 54. & ſeq.
Harpocrates multorum Deorum inſtar. 89
Harpocrates dictus Apollo, & quare, 56. ipſiſſimus eſt Cupido. 90. denotat Deum patrem. 58. dictus Horus, & quare. 56, 94. appellatus Sigaleon, & quare. 69, 70, 73. quare ſedeat. 125. eius ſeſſionem non ad mutilos pedes eſſe referendam. 69. Galli gallinacei guttur premit, &c. 90. facem accenſam manu tenet. 89. tenet manu tria loti capita. 90. tenet arcum & pharetram. 90
Harpocratis figura, & eius explicatio. 49, 63. & ſequent.

Harpo-

Harpocratis ornamēta & inſignia. 89. & ſequent.
Harpocratis ſignificatio. 94
Harpocratis ſincipiti auris aſinina impoſita. 94,125
Harpocratis auris præ ſe fert naturam dracunculi ſiue ari herbæ. 95
Harpocratis capiti appingitur ſerpens. 93
Harpocrati appingitur lunula. 94 & noctua 92
Harpocrati prima legumina offerebantur. 50
Harpocratici ſilentij mentio in Prophetis. 80,81
Hart. 52
Haſt. 73,127,229
Hau. 270
He,id eſt, altus. 54,157,174,223
He litteræ figura. 157. eius notatio. 157. cuius rei ſit ſymbolum. 159
Heaulme. 183
Hebræi rationem ſcribendi à Cimmeriis acceperunt. 31. ex eorum litteris in Hebraico idiomate nullam orationem conſurgere. 8. eorum ſcribendi modus abſurdiſſimus. 45. & ſeq. eius cauſſæ. 46
Hebræorúmne an Latinorum & Græcorum ſcribendi progreſſus ſit rectior. 32
Hebræorum in littera Xain abuſus. 168
Hebræorum linguam quid maximè corruperit. 221
Hebraicæ voces è Cimbricis factæ. 168,170,219,229,234,& ſeq. 241. & ſeq.
Hebraicarum litterarum ſignificationes ſecundum Angelum Caninium. 6. ſecundū Antonium Cheuallerium,7. ſecundū Euſebium. 4. & ſeq. ſecūdum Martinum Gilbeitum. 7
Hebraicarū vocum originis inquirendæ ratio vnde perturbata. 218
Hecht. 214
Heet. 154
Hef. 53,127,227
Heilig. 221
Heim. 202
Hel. 56,82,221
Hellem. 183
Heliotropium gemma, & herba: & vtriuſque locus natiuus, color, & nominis ratio. 88. & ſeq.
Han. 201
Hemel. 141,142
Hendecas deorum numerus. 20
Hep. 227
Her. 217
Heraclij Imp. ſigillum. 245
Heraut. 204
Herban. 13
Hercules vnde dictus. 22
Hercules quis apud primos fabularū textores intelligendus. 21
Hercules Alexicacos. 216
Hercules verus, Chriſtus. 22
Hercules Vindex quomodo dici poſſit. 216
Herculis infantis cum anguibus duobus pugna quid ſibi velit. 216
Herculis de hydra interfecta fabula explicatur. 22
Herculi duodenarius ſacer. 21. & ſequent.
Herculanus nodus. 216
Hermæ quales olim fuerint, & quid ſignificent, &c. 13
Hermes dictus Taantus, Thoot & Thoyt. 12
Hertog. 13
Herodotus deceptus ab Ægyptiis ſacerdotibus. 28
Herſt. 230
Het. 174,183
Hiel. 138
Hieroglyphica. 27. & ſequent.
Hieroglyphicæ notæ Phrygio ſermoni accommodatæ fuerunt. 28. earum origo. 48. earum interpretatio à quibus petēda. 28. & ſeq. interpretandarum recta ratio. 15
Hil. 74
Hil-bil. 44
Hipparchus Athenis plures Hermas erexit. 13
A. Hircij locus expoſitus. 42
Hit. 68
Ho, Hoo, Hoog. 53,54,67.119 123,157,175,225.
Hol. 54,56
Hom. 10
Homeri locus explicatus. 36
Homo, inis. 225
Hominis primi lapſus, & quæ illū mala ſunt conſecuta. 227
Hominis proprium officium. 225
Hominis partes duæ inteſtino odio diſſident. 227
Hominum in cæleſtiū corporum pulchritudinis contemplatione negligentia. 84
Honoris ratio in iis quæ docenda diſcendaque ſunt, præcipuè habenda. 158
Hoeden. 84
Hoog. 53,119,123,157,223
Hoop. 118
Hoor. 56,94
Hoot. 174
Hoot-man. 12
Hop. 78,110
Hopen. 138
Hora mortis. 173
Horatij loca explicata. 37,41,42, 216.
Horen. 205
Horus ſiue Orus. 94
Horus idem qui Apollo, &c. 50. idem qui Harpocrates. 56,94. denotat Deum filium. 58,63. & Spiritum ſanctum. 59.
Horus qua in re inuocari ſolitus, 58.
Horus quare Typhoni teſticulos fingatur amputaſſe. 61
Hori fabula explicatur. 58,59. eius generatio. 59. eius natiuitas gemina. 63
Huden/Hudeken. 93
Hui. 76
Hul. 186
Humili ſpiritu ad ſublimitatem peruenitur. 135
Humilitas cuiuſmodi virtus. 71 Philoſophis incognita. 258
Humilitatis idea Chriſtus. 71
Hydra ab Hercule interfecta, &c. 22.

I.

I litteræ vis. 176
Iag. 222
Ianus dictus Cadmus. 2
Iapetus dictus Cadmus. 9,11
Iapetus patris ſui Nochi adiutor, miniſter, & archidiaconus. 9. cū patre Nocho ex Oriēte in Occidentem proficiſcitur, &c. 9. in Europam à Nocho deſtinatus, ibidem litteras docuit. 11
Ideæ Platonis. 86
Idolomanię origo. 48,238,259,265
Iephte omnes eos occidi iuſſit, qui Sibolet pro Scibolet pronunciarent. 241
Ieucht. 176
Ieud vocis ſignificatio. 176
Ieud litteræ figura 178
Ieudich. 176
Ignis, anima totius vniuerſi, 150,151
Ignis motionis inſtrumentum. 100
Ignis figura, pyramis. 96,98
Ignis vitæ teſſera apud vetuſtos. 120. eius myſticæ ſignificationes. 97
Ignis, Chaldæorum Deus, aliorum omnium deorum victor. 109. victus à Canopo. 109,113.
Igni poteſt applicari quaternarius Platonicus. 151
Ἱμᾶν. 204. Ἱμαῖον. 204.
Imaus mons. 203,204
Imbet. 204. & ſeq.
Ἱμονιά. 204
Imperium omne à Deo. 174
Inarculum reginæ ſacrorum. 194
Incubus dictus Pan. 268
Index ori admotus quid notet in ſacrificiis. 79
Inſula quid, & vnde dicta. 194
Inſula cur faſcia ſiue funiculus ad vinciendum comparatus videatur. 195. cur lanea. 197
Intellectus & voluntatis idem obiectum. 178
Intellectus & volūtatis in ſummi boni fruitione coniunctio. 178
Interiora in cælo quæ ſint. 37
Inubus dictus Pan. 268
D. Ioannes Baptiſta cur in mundum venerit. 253
Ioi. 176 Iolijt. 176
Ioſephus quo magiſtratu in Ægypto fuerit functus. 131. eius inauguratio, ibidem.
Ion. 176
Iouis vnde dictus. 276
Ἴπτος. 53
Is. 78,200
Iſis, idis. 265
Iſidis fabula explicatur. 58. & ſeq.
Iſidis filius, Harpocrates. 49
Iſidis amuleti ſeu phylacterij inſcriptio.

§ 5

ſcriptio, VERA VOX. 49, 51.
Ἴσημι. 73
Ithyphalli cuius rei teſſeram habuerint. 61
Iubilo, as, are. 176
Iupiter vnde dictus. 176
Iupiter qua ratione ſupremus Deus appellatus. 178. eius ſtatua. 29
Iuuenalis locus quidam explicatus. 42, 161
Iuuenis, Iuuenta, Iuuentas. 177
Iuuo, as, are. 177
Juweel. 176

K.

Ken. 155, 228
Kerſteen. 230
Kme / Kniel. 135. Græca vide in littera C.

L.

Lac, lactis. 220
Lætitiæ cauſſa. 66
Lag. 114
Lallare. 111
Lam, id eſt, agnus. 72, 182, 183
Lam, id eſt, mutilus. 72. 181
Lambinus reprehenditur. 37, 40, 41, & ſeq.
Lamet quid ſignificet. 181, 183. quid in oratione alphabetica denotet. 183
Lamet litteræ figura. 184, 206
Lampades ardentes quæ intelliguntur in Euangelio. 245
Lampeus dictus Pan. 267
Lana, æ. 190, 191
Lana cur Februa appellata. 190
Lanæ in ſacris vſus apud Roman. 190, 197.
Lanæ in ſummo ſacerdotalis tutuli, cuius rei ſymbolum habuerint. 190, 197.
Lapidum tumuli in viis à viatoribus congeri ſoliti. 14
Lar. 44, 190
Larum mater Mania, &c. 190 & ſeq.
Latus ſiniſtrum olim honoratius habitum. 42. & quare. 43
Laus in oratione debet præcedere. 140.
Laudibus efferenda quæ ſint. 128
Le. 96
Lec. 220, 221
Leef. 25, 120
Leeg. 66
Leer. 157, 158
Leeſt. 73
Leeu-werck. 105, 117, 120
Lef. 96
Leg. 66, 221
Lei. 223
Lel / Lellen. 110, 111
Lem. 221
Leſt. 73
Let. 144
Leueathan. 228
Leuen. 20
Liber, libri. 30
Liber quem ad ſuum Canopum Alphabetarius præceptor à ſpiritu ſancto cupit dimitti, qualis ſit. 163
Libri duo Raimundi de Sabunda. 148.
Librorum duo genera apud antiquos. 161
Librorum materia ante chartæ lineæ inuentionem. 30
Librorum tituli qua forma olim fuerint, & eſſe debeant. 187
Libros complicādi peculiaris modus. 162
Liber pater dictus Nochus. 10, 11 eius nutrix Nyſa. 10
Liberum arbitrium. 225
Licht. 66
Lijm. 159
Linguæ primę artificium & neceſſitas. 148
Linguarum confuſionis occaſio. 9
Lijſt. 73
Lis, litis. 53
Liſt. 77
Lit. 53, 144
Lites forenſes. 53
Litteræ duplices pauciſſimæ. 19
Litterarum duo genera, alterum populare, alterum ſacrum. 27
Litterarũ figuræ ſolis Cimmeriis hieroglyphicæ & ſymbolicę. 29
Litterarum figuræ pręſtantiſſimæ & antiquiſſimæ quę ſint. 29
Litterarum figuræ quando pingi cœperint. 31
Litterarum notæ plures, quàm vocum ſimplicia elementa. 18
Litterarum numerus cũ tota Muſices latitudine cõſonat. 19
Litterarum numeri & partitionis myſteria. 19. & ſeq. 23. & ſeq.
Litterarum ordinis ratio vnde ſit petenda. 17
Litteras quis primus inuenerit. 1, & ſeq. earum inuentio prima Deo tributa. 15, 16, 17. earum primum inuentorem Ægyptij putauerunt fuiſſe Theut. 12
Litteris magnum contineri artificium. 17
Lituus vnde dictus, &c. 144. eius antiquitas. 144
Lituus parte ſui tenuiore reflectitur. 145
Lituus reges maximè decet. 145
Lituus ſolus ex incendio ſaluus. 147.
Lituus à Saturno in Latio, Quirino conſecratus. 147
Lituus in manu Canopi quid ſignificet. 146
Lituus apud ſolos Pontifices remanſit, &c. 145, 147. qua ratione venerit ad augures. 145.

L.

L litterę pronunciatio & ſignificatio. 82, 87
Loc. 80
Loch. 80, 170
Locht. 66
Locus vter honoratior, dexter an ſiniſter; interior an exterior, apud priſcos. 40
Lof. 76, 128, & ſeq.
Logen. 220
Loof. 128, 130
Loog. 80
Loot. 226
Loſſen. 230
Lotus vnde dicatur. 82. & ſequent.
Lotus qualis herba. 82
Lotus Solem denotat. 83. eius cũ Sole ſympathia. 85. è Loto primùm extitiſſe fingitur Apollo. 84, 86.
Loti tria capita in manu Harpocratis quid notet. 90
Loti vtilitas. 83
Louen. 129
Luc. 62, 254
Lucani locus explicatur. 37
Lucerna quid ſignificet in ſacris litteris. 245
Lucernæ penſiles. 245
Ludi Circenſes 40
Luna in Api cur quæri ſolita. 263.
Lunæ frigida quæque & ſoporifera ſunt ſacra. 83
Lunula cur Harpocrati appicta. 94.
Lupercus dictus Pan. 267
Luſtig. 221
Lux cæleſtis quantum ſuperet lumina terrena. 123
Lycæus dictus Pan. 267
Lychnus vnde dictus. 246
Lychnus auguris nunquam concludi potuit. 244
Lychnum extinguere apud Romanos piaculum. 244
Lychnos in ſepulcris veteres quare collocarint. 244
Αὐτήριος dictus Pan. 267

M.

M litteræ vis. 200. eius figura. 202.
Macrocolla. 162
Maet, id eſt, menſura. 102
Maet, id eſt, ſocius. 221
Mag, id eſt, cognatus, 50, 219
Mag, id eſt, ventriculus. 231
Magalia. 219
Magiſtratus qualis eſſe debeat, & quatenus ei parendum. 174
Magus vnde dictus, &c. 85
Magi tres quæ Chriſto obtulerint munera. 86
Magorum duo genera. 86
Magica lingua apud Lucianum quæ ſit. 28
Mal. 181. & ſequent.
Malchus dictus Porphyrius. 260
Malum, i. 182
Malus, a, um. 182
Man. 15, 190, 225
Mancop. 83
Maneros. 48
Mania Larũ mater vnde dicta. 190
Manus cuius rei teſſera. 136
Marc. 14
Marcomani. 14
Marcus. 14
Marcuma. 14

Mari &

Mari & vndis comparatur diaboli malitia. 133
Martialis locus explicatur. 161
Martinus Gilbertus de Hebr. litterarum ſignificationibus. 7
Mas. 214
Mat, Maet. 102, 262
Maternus ſcriptor libelli de Cacodæmonis fraudibus. 261
Me. 181, 200
Mede. 202
Mem. 225
Mel. 141, 221, 231
Meliſſa, Meliſſi filia. 209
Meliſſus quis, & quomodo primus Ioui ſacra fecerit. 209
Mem vocis ſignificatio & artificium. 200. & ſeq. 203
Mem litteræ pictura. 209
Men. 224
Menſch. 75, 225
Mens, mentis. 75, 224
Mentis in homine præſtantia. 224 & officium. 225
Merc. 14
Mercurius vnde dictus. 13
Mercurius qua ratione dicatur Deus. 13
Mercurius dictus Taantus, Thoot ſiue Thoꝛt. 12, 13. Saturni fuit ſcriba. 16
Mercurius Triſmegiſtus. vide Triſmegiſtus.
Mercurij apud Hebręos notitia. 14
Mercurij caduceum. 217
Mercurij ſtatua. 29
Mercurij ſtatuæ ſiue Hermæ quales olim fuerint. 13
Mercurio quæ celeritas tributa. 69
Merx, mercis. 14
Meta, æ. 102
Meta dicta Cupreſſus. 103
Meta-noctis, terræ vmbra. 102
Metæ in circis cur pyramidali figura conſtructæ. 102
Metæ è ſaxis exciſæ cur Tutuli nominatæ. 187
Meten. 102
Metor, aris. 102
Mijt. 102
Min. 222
Mineruæ noctua ſacra. 93
Modius in Serapidis ſimulacro quid notarit. 262
Moet. 237
Mola, æ. 182
Molen. 182
Molo, is. 182
Mont. 139
Mons cuiuſmodi ſit in quo Deus orandus. 125
Montes & excelſa loca maximè Dei laudibus & orationi conuenire. 125
Montes perennium aquarum ciſternæ. 149
Moræ & tarditatis vtilitas. 55
Mortis & gaudij cognatio. 177
Mortis hora. 173
Moſes architectus. 161
Moſt. 70
Mundi zonæ. 36
Muſtum. 70
Mut. 70
Mutus, a, um. 70

N.

Na, Nag. 222
Nac. 110
Nachte-gael. 123
Nact, Naect. 166
Naes. 139
Nau. 166
Ne. 211
Neen. 211
Neken. 155
Net. 111
Nilus vnde dicatur. 61
Nobiles reuera qui ſint dicendi. 66
Nobiles nulli minus quàm nobiles. 66
Nochus dictus Agenor. 3, 9, 11.
Nochus dictus Bacchus ſiue Liber pater. 10
Nochus dictus Meliſſus. 209
Nochus Phœniciæ primus conditor, &c. 11
Nochus monarcha ſummus & Pontifex maximus Iapetum filium ſuum adiutorē, miniſtrum & archidiaconū ſibi ſumpſit. 9.
Nochus & Iapetus ex Oriente in Occidentem proficiſcuntur, &c. 9.
Nochi poſt diluuium ſedes. 9
Noctis meta, terræ vmbra. 102
Nocturni temporis ſpatia dimetienda regibus & militibus. 91
Noctua Harpocrati cur appingatur. 92. cur Mineruæ ſacra. 93
Noctuæ dotes. 93
Nodus vindice dignus, apud Horatium. 216
Nomios dictus Pan. 267
Nos, Noſel. 77
Nos vnde habeant Latini. 60
Nudus quis, & pauperibus quis ſua omnia dare dicendus. 167
Nuditas feſtinanti neceſſaria. 167
Numæ capeduncule. 262
Numerus maior dignior minore. 46
Numeros ſcribendi ratio. 45
Numeros non eſſe rerum cauſſas, ſed cauſſarum notas indicare. 252.
Nun vocis ſignificatio. 201
Nun litteræ figura. 212
Nyſa, Liberi patris nutrix. 10

O.

O tria ſignificata comprehendit. 72.
O æternitatis nota. 67
O dictio imperantis quietem. 68
O ſiue Ho altum ſignificat. 53, 54, 67, 72.
O & V quomodo poſſint eadem voce comprehendi. 165
O cæli rotunditate, V libro aperto ſignificatur. 165
O litteram pingendi modus & ſignificatio. 32
Obedientiæ exemplum Abraham. 175
Obeliſcus vnde dictus, &c. 101
Obeliſcus cur diminutiuo voce appelletur. 155
Obeliſcus euerſus cuius rei teſſera. 155.
Obeliſci dedicati Soli. 103, 153
Obeliſci quo diſtēt à pyramide, & quales fuerint, &c. 101, 153
Obeliſci qui ſint. 154
Obeliſci Romæ. 187
Oceanus omnium rerū exordium, 170. eius pars ſuprema. 150
Oculus quid ſignificet in ſacris litteris. 245
Oculi & mentis ſimilitudo, & vtriuſque officium. 224
Oculi ad quem vſum hominibus potiſſimum dati. 122
Oeneus. 209
Oet, Oetmoet. 67, 71
Og. 123
Ogygia philoſophia. 97
Oi. 67, 72
Oir. 221
Oleum quod in Euangelio intelligatur. 245
Onnoſel. 77
Ons. 60, 77, 227
Oog. 123, 139, 223, 244
Oor. 94, 95, 119, 139, 223
Oot. 67, 221
Op. 57, 60
Oppij ſiue A. Hirtij locus expoſitus. 42
Oz. 154
Oracula & verſus fuiſſe antequam litteræ ſcriberentur. 1
Oro, as, are. 119
Orare quid. 132
Orare non poſſumus, niſi laus præcedat. 140
Orandus quis ſit. 132
Orandus Deus pater non niſi per filium. 134
Orandi modus & ratio. 18
Orantis habitus & membrorum poſitus explicantur. 138. & ſeq.
Orantes Deum, omni corporis actione & mentis cura carere debere. 126
Oratio an verba requirat. 139
Oratio qua in adhæſione verſetur. 140.
Oratio quo corporis poſitu fieri debeat. 136
Oratio ſua cuique optima tuitio, 139.
Orationis cauſſa. 132. eius ſcopus primarius. 133. eius finis. 133. ab Oratione in omni re exordium ſumendum. 17
Orationis quæ ex Alphabeti interpretatione conſurgit, myſterium. 25. & ſequent. eius artificium. 25
Orationis Alphabeticæ & Dominicæ idem ordo. 229
Orationis Alphabeticæ paraphraſis. 26
Orationis Alphabeticæ epilogus. 236.
Orbis rotundus æternitatem ſignificat. 111
Oren. 120, 154

Ordo,

Ordo,inis. 120,154
Origenes impietatis inſimulatus. 173.
Orpheus vnde dictus. 117
Ort. 119,154
Orus, vide Horus.
Oſiris quis,& vnde dictus, &c.59, 263. eius fabula explicatur. 58, 59. cur à Typhone diſcerptus fingatur. 263. eius inſigne ſiue teſſera. 60
Otiari. 126
Otium vnde dictum, & quomodo ſcribendum,&c.67. & ſeq. eius vocis abuſus. 68
Otium iners & vituperandum. 68.
Otium omnes optare, neminem conſequi. 65
Ouerleg. 66
Ouidij loca reſtituta & explicata. 40,41.
Ouidium libros Moſis legiſſe, quidam ſuſpicantur. 36

P.

Paer. 179
Paien. 267
Palmæ aquis deriuatis, non imbribus gaudent. 205
Pan vnde dictus, &c. 267. eius parentes cælum & terra. 267. eius varia nomina. 267. & ſeq. 268. cur ſeptem fiſtularum cōpactor fingatur. 267. eius fiſtula cuius rei ſymbolum, ibidem.
Pan qua lana Lunam ad ſe pertraxerit. 197
Pan magnus, Chriſtus. 267
Pan magnus mortuus. 266
Panis quotidianus. 202
Pap. 111
Papauer. 83
Papeuæul. 95
Pappare. 111
Papyrus ab Ægyptiis inuenta. 31
Papyrus cuiuſmodi fuerit, & ex ea quo modo charta fieri conſueuerit. 162
Parallelæ lineæ quæ. 213
Pareo,es. 31
Pario,is. 31
Paſſerculus ab accipitre impetitus in Xenocratis ſinum deuolauit. 119.
Pauperibus quis ſua omnia dare dicendus,&c. 167.& ſeq.
Pax & iuſtitia oſculatæ ſunt. 203
Pax ciuitatis Dei. 76
Pacem & quietē à Deo habemus, à nobis nil niſi peruerſum. 77
Pe. 53,226,227
Pe litteræ vis & natura. 226. eius figura. 227
Pecus. 53
Pedum quid ſit, & vnde dictum. 143,144.
Pedum paſtorale, & eius vſus. 143, 144.
Pergameni membranas ad librorum materiā pręparauerunt. 31
Periclymenon. 159
Peripateticorum philoſophia. 97
Periſtylium. 73
Pes, pedis. 138. eius partes. 138. & ſequent.
Peto, is. 119
Phaethontis fabula. 171
Phalli notatio. 62
Phe ſiue Pe vocis ſignificatio, 53, 226, 227, 228.
Phe littera. 226
Philoſophia Ogygia vetuſtiſſimorum ibi incipit, vbi Peripateticorum deſinit. 97
Philoſophiæ fructus. 87
Phœniciæ primus conditor Nochus. 11
Phœnicum litteræ ab Hieroglyphicis diuerſæ. 27
Phœniceus color vnde dictus. 193.
Phœnicei ſermonis idiotiſmus. 2
Phœnicopterus auis. 193
Φώρ. 76
Phrygius ſermo Ægyptio vetuſtior. 99
Phrygio ſermoni accommodatæ fuerunt Hieroglyphicæ notæ. 28.
Phylacterium homini tutiſſimum eſt ipſa veritas, ſiue vox vera. 51.
Phylacteriorum vſus quàm antiquus,& quouſque permiſſus. 51
Pil. 226
Pileum capiti detrahere, quid ſignificet. 79
Pilorum ſiue crinium generatio. 52.
Piloſos maximas vires habere. 53
Pilot. 226
Pinus Cybelæ ſacra. 104
Plant. 138,226
Planto,as. 138
Platonis ideæ. 86
Plicandi procliuitas in infantibus. 160.
Plinij locus explicatus. 162
Plumbum copia, vtilitate, & vſu præferendum auro. 82
Plutarchi locus de Pane magno deo mortuo. 266
Principiis quæ figuræ conueniant. 187.
Pſalmi centeſimi noni duo verſiculi in ſpeciem contrarij conſentire docentur. 43
Poculum vires ſuppeditat, & inducit ſcientiæ opinionem. 110.
Poculi & puerilis animi analogia. 110.
Pœnitentiæ natura, munus, & effecta. 253
Pog. 53,57,222
Pollux, ucis. 254
Pollucis nomen Chriſto optimè conuenire. 254
Pontifex vnde dictus. 196
Pontificum lituus. 145
Pontificum Rom. tiara. 185
Porcus. 228
Porci nomen quibus hominibus iure tribuatur. 228
Porphyrius dictus Malchus. 260
Poſitionis differentiæ vnde ſint capiendæ. 34
Ποὺς. 138.
Puero quæ primùm proponenda. 113.
Puerorum animos diſciplinæ omnis capaciores, quàm prouectiorum. 64
Puerilis forma quid notet in Harpocrate. ibid.
Puerilis animi & poculi analogia, 110.& ſequent.
Puerilis ætatis quanta cura habenda. 113
Punctorum ſubſcriptione voces plurimas apud Hebræos corruptas. 168
Puniceus color quis. 193
Punicum malum vnde dictum. 194.
Purpurei coloris & Punicei diſtinctio. 193
Puſionis è loti flore naſcentis ſymbolum quid ſignificet. 86, 87. & ſequent.
Put. 263
Pyramis,vnde dicta. 99,153
Pyramis,ignis figura. 97,98
Pyramis è numeris conſtructa. 97
Pyramis quarum rerum teſſera.97 100,151,239.
Pyramis è regione Memphis trans Nilum. 98
Pyramis Ceſtij Romæ. 99
Pyramidis,obeliſci, ignis, &c. ſignificationes myſticæ. 97,153.
Pyramidis figuram omnibus rebus, tanquam diuinitatis characterem, imprimi. 151
Pyramides Ægypti quales fuerint. 98. quid ſignificent, & cur extructæ. 101
Pyramides Regum ſepulchris cōſecratæ. 100
Pyramidali figura conſtructæ metæ in circis. 102
Pyropus. 101
Pythagorici quare ſe in numeris exercuerint. 252.

Q.

Q & W eandem aliquando figuram fuiſſe. 234
Qualen. 170
Quaternarius, fons æternæ naturæ. 150,151
Quaternarius ignis ſymbolū, &c. 151,251.
Quaternarij myſteria. 154
Quelen. 170
Quirinus quis,& vnde dictus.145, 147.
Quirito,as. 176
Quof litteræ nomenclatura & interpretatio.233. eius figura, 234.

R.

R litteræ figura. 240
Ra. 54
Raam. 99
Radius. 226

Ranc.

Raem. 242
Rat. 55,57
Raw. 253
Ratio, diuinæ naturæ ſoboles & imago, in homine imperium tenet. 227
Reden. 59
Ree. 158,253
Rees. 104
Reg. 223
Regen. ibid.
Regina ſacrorum virga mali granati, infulæ loco, vtebatur, &c. 193. eius inarculum. 193
Reis. 231
Religionem Chriſtianam à Romanis nunquam auferendã. 147
Res litteræ figura. 238, 239. eius nomenclatura & ſignificatio. 236.
Res optimæ quæ ſint. 82
Rerum creatarũ genera quatuor. 159.
Reuelare, Spiritus ſancti proprium. 141
Reuelationes omnes ad duos modos poſſe referri. 142. & ſeq.
Reuelationis vtriuſque ſymbola. 143, 144.
Rex ſacrorũ apud Romanos. 193
Reges maximè decet lituus, &c. 145
Regibus & militibus nocturni têporis ſpatia dimetienda. 91
Rhea vnde dicta. 59
Rijs. 236
Roi. 192
Roof. 76
Rots. 230
Rotundũ æternitatis teſſera. 163
Rotunditas mundi, primum diuinitatis ſpeculum. 270
Ruber color in militia prœlij ſignum. 193
Rue. 249
Ruſt. 253

S.

S litteræ figura. 218
Sacer, ſacra, ſacrum. 186
Sacerdotis noui apud Ægyptios inauguratio. 131
Sacerdotum lituus. 145
Sacrificia ſanguinolenta quò ſpectarint. 193
Sacrificiorum prima origo, & quid in eis primùm ſpectandum. 196
Sacrificiorum miniſtri quàm debuerint eſſe integri, & omnibus numeris perfecti. 249
Salich. 230
Salutantes cur digitum indicem ori admoueant. 79
Sam. 214,257
Samaritanorum characteres à Poſtello depictos, non eſſe genuinos. 269
Samecht vocis ſignificatio. 214
Samecht litteræ figura. 215
Samothracia vnde dicta. 257
Samothracum initia & myſteria occultiſſima. ibid.
Samus inſula. 257
Sanchuniathon Berytius antiquiſſimus Phœnicum ſcriptor. 12, 16, 256
Sc in vocum conuerſionibus pro vna littera habetur. 19
Scala, æ. 159
Scala Iacob. 159
Scàla Raimundi de Sabunda. ibid.
Scala qua in cælum aſcenditur, eſt doctrina. 158
Scalæ & Doctrinæ conſenſus. ibid.
Scatter. 242
Scel. 159
Scen. 112
Scenckel. 138
Scep. 262
Scepen. 242
Scepper. 262
Schola σχολή. 66
Scur. 10
Scijn. 236,242
Scijt. 242
Scipio, fidei teſſera. 126, 127, 128
Sciſſina arbor. 30
Scolw. 241
Scouwer. ibid.
Scrabben. 31
Scrib/ ſcrif/ ſcref. ibid.
Scribo, is. 30,31,33
Scribendi prima ratio cum primo ſermone vnà periit. 8
Scribendi rationem Hebræos à Cimmeriis accepiſſe. 31
Scribẽdi progreſſus vter ſit rectior, Hebræorum'ne an Latinorum & Græcorum. 32
Scribendi progreſſus à ſiniſtra ad dexteram rectiſſimus; contrarius, abſurdus. 33,45
Scyn litteræ figura. 243
Scyn litteræ vera ac genuina poteſtas, pronuntiatio, nomenclatura, & ſignificatio. 242. eius poteſtas & pronuntiatio deprauata. 241
Scythopolis in Nyſa regione. 10
Scythopolitanis vnde Bæſi nomen impoſitum. 10
Sedo, as. 74
Sedeo, es. 63
Sedetur ad conſiliũ capiendũ. 63
See. 241
Seiſchen. 112
Senarius Veneri & Veſtæ ſacer. 24
Senionis myſteria. 23
Senſus fidem perficit. 130
Senſus omnes, præter viſum, mùnere ſuo funguntur in tenebris æquè ac in luce. 122
Septenarius Mineruæ ſacer. 267
Sepulcra veterum lychnis inſtructa. 244. & ſequent.
Ser. 240,261
Serapis vnde dictus. 261. quis Deus priſcis fuerit. 260
Serapidis in Ægypto templum & ſimulacrum. 259
Serapidis ſimulacrum cur ex omni materiæ genere congeſtum. 262
Serapidis ſimulacrum priſcis ad aliud ſpectabat, quàm ad idolomaniam. 260
Sermo à nobis externus deſtinatur. 33
Sermo cur in Hermæ tutela. 14
Sero, is. 240
Serpens cur Harpocratis capiti affictus. 93
Serpentis India & Africa contra elephantos educare dicuntur. 216.
Serpentes pellem quotannis mutant. 93
Serpentium in coitu arctiſſimus nexus. 215
Seruij locus in Virgilium illuſtratus. 192
Ses. 23,24
Seſſio in comitiis vniuerſalibus. 63.
Seſſio quid ſignificet in Harpocratis effigie. 63
Set. 23. & ſeq. 63,73,242.
Si/ ſie. id eſt, video. 78,80,200
Si/ ſije/ ſich, id eſt, colo, as. 80
Siderum imagines & nomenclaturæ quid ſignificent. 148
Siel. 224
Sif. 80
Sigaleôn appellatus Harpocrates. 69. & quare. 70,73.
σιγάω. 70,78
Sigma litteræ ſibilus. 23
Sigma aduerſus Tau accuſatio apud Lucianum. 247
Sij/ſijde. 138,230
Sileo, es, ere. 69,73,78
Sileo & Taceo quomodo differant. 69
Silentium, ij. ibid.
Silentij origo ſpes cognitionis, &c. 78.
Silentij Harpocratis mentio in Prophetis. 80,81
Simile ſibi quodque ſua natura amore proſequitur. 243
Singhe. 140
Siniſter vnde dicatur. 44
Siniſter locus interior, dexter exterior eſt. 44
Siniſtrum latus olim honoratius habitum. 42. & cur. 43
Siniſtrum in animalibus quid ſit. 33.
Siniſtrum in cælo quid, ſecũdum Aſtronomos & Poëtas. 35
Siniſtrum dextro melius & præſtantius. 44
σιωπή, σιωπάω. 78
Sit. 63
Slang. 218
Slotum. 231
Slites, pro Lites. ibid.
Sno. 60,77,227
Socrates certus mori, cur gallum Æſculapio immolari iuſſerit. 92
Socratis ecſtaſis. 126
Sol cuius rei ſymbolum. 235
Solis mons in manibus. 78
Solis in malis auferendis præſtantia. 234
Soli dedicatus obeliſcus. 103
et ſacra Cupreſſus. 103
Son. 76,77,234,235
Soteres vnde dicti Caſtor & Pollux

Slus 255
Speet. 154
Speetken. ibid.
Spadicem colorem à Puniceo diſtingui. 193
Sphæricum corpus quid ſit. 35
Sphinx vnde dicta. 124
Sphinges quare ante templorum fores collocari cõſueuerint. 124
Spi. 154
Spiritus ſancti gratia quàm ſit nobis neceſſaria. 206
Spiritus ſancti proprium reuelare. 141
St Cimbris pro vna littera habetur. 69,128,233
Sta. 73,127,229
Staf. 127, & ſequent.
Stagen. 222
Stagnum. 230
Staken. 231
Stang. 230
στάω. 229
Starc. 230
Starcharterus. ibid.
Stat. 231
Status. ibid.
Status rerum humanarum teſſera. 233
Ste. 73,74
Stec. 220,230
Steeg. 236
Steel. 73
Stel. ibid.
στήλη. 73
Steien. 230
Stere / Sterete. 220,230
Sterf. 75, & ſequent.
Stic. 230
Stier. ibid.
Stijg. 236
Stil. 69,73,74,77
Stif/ Stijf. 230
Stim. ibid.
Sto ſtas, ſtare. 73,229
Stob/ Stof. 230
Stoc. ibid.
Stom. 70
Stomachus. 231
Stop. 230
Stor. 230,253
Streng. 230
Strot. 230
Studiorum omnium ſcopus. 87
Stultitia & inconſtantia omnium malorum cauſſæ. 182
Stur. 253
Sturm. 230
Sudarium in pedo epiſcoporum quid notet. 146
Summum bonũ cognoſcere quàm laborarint Philoſophi. 173
Summum gaudium quod, & qua ratione contingat. 177
Superſtitionum & idolomaniæ cauſſa. 48
Swac. 70
Swenck. ibid.
Swig. ibid.
Syrictes dictus Pan. 267
Symbolis ſiue fabulis priſcorum religionis myſteria applicari poſſe. 61

T.

T litteræ vis & efficacia. 136
T quo manuum poſitu formetur. 137.
Taancus. 12
Taceo, es. 69
Taceo & Sileo quomodo differat. 69.
Tam. 102,262
Tant. 139
Tarditatis vtilitas. 55
Tau vox vnde compoſita, & quid ſignificet. 248. & ſeq. 269.
Tau littera cur Alphabetũ finiat, 269. eius figura. 247,269.
Tau crucis figura à Samaritanis pingitur. 247
Tau D. Antonij crux à vulgo appellatur. 265
Tau pro ſigno apud Hebręos vſurpatum. 247
Tau Gallicum apud Virgilium. 247,248.
Tau homines placentes Deo reddit. 248
Tau in vetuſtis monumentis frequentia. 248
Teecken. 220
Teen. 138
Telephaë quid, & cur Cadmo vxor ſit data. 2
Temeritas. 55
Templum vnde dictum. 237
Templũ triplex apud Varronem. 237, & ſeq.
Tẽpla Dei, hominũ corpora. 237
Templorum forma, & formæ ratio. 239
Temporis quanta ſit habenda ratio. 172
Teniæ in humano corpore naſcũtur. 215
Tering. 53
Ternarius numerus perfectus. 90
Ternarius Spiritus ſancti teſſera. 252.
Terra viuentium quæ ſit. 67
Terræ vmbra, meta mortis. 102
Terrenis quouſque operam dare liceat. 122
Teſticuli maſculam vim notabant veteribus. 61
Tetractys Pythagorica. 97
Thaletis aqua. 170
θείω, θέω. 205
Theophraſti locus reſtitutus & explicatus. 205
θεὸς. 59
Thet vocabuli compoſitio & ſignificatio. 174
Thet litteræ figura. 176
Theut/ Theuten/ Theuthorn. 198
Theut, Thoot ſiue Thoyt quis fuerit, & vnde dictus. 12. & ſeq. ſic dictus Mercurius, Saturni ſcriba, quem primũ litterarum inuentorem putant Ægyptij. 12,17.
Thoot, Thoyt, ſiue Theut qua ratione dicatur Deus. 13,48
Thraces vnde dicti. 257
Thracum ingenij ſubtilitas. 257
Thyrſus Bacchicus cur pro mucrone conum habeat pineum. 104.
Thyrſus fidei baculum denotat. 104.
Ti. 67.205
Tiara aduerſus diuinam iram ſacerdoti munimentum. 185
Tit ſiue Tijt. 67,172,205
Tituli librorum. 187. vide reliqua in Tutulus.
Tombe. 105
Torneſol herba apud Hiſp. 88
Tracht. 257
Tranquillitas arx ciuitatis Dei. 77.
Tria ſunt omnia. 90
Triangulus prima omnium figurarum. 156
Triangulus æquilaterus diuinitatis character, &c. 111,151,153
Trinitatis myſterium in Got Cimbrica Dei nomenclatura. 141. in Harpocratis nomine. 57. in Mem littera. 200,203. in mundi ſtructura. 22. in numeris. 151 in vocula Dou. 165
Triſmegiſtus eiuſque ſtatua. 15
Triſmegiſto libellus inſcriptus. 16
Triton vnde dictus. 2
Triton lacus. 2
Troianorũ nauale certamen apud Virgilium. 40
Trou. 49
Trouwant. 43,256
Trunco, as. 231
Tſ in vocum conuerſionibus pro vna littera habetur. 19
Tuig. 219,222
Tumbi noſtratium cur in tumuli effigiem aggerantur. 105
Tup. 263
Turnebus reprehenditur. 40,41. & ſeq.
Tuttul. 189
Tutulus vnde dictus. 186,187. & ſequent.
Tutulus pileus flaminicus. 185
Tutuli plebeiorum ſacris operantium & flaminum, quo differebant apud Romanos. 190
Tutuli cur dictæ metæ è ſaxis exciſæ. 187
Twe. 21
Twelf. 20. & ſeq.
Typhon quis, & vnde dictus, &c. 60,263.
Typhon eſt cacodæmon. 60. & ſeq. carnem noſtram etiam ſignificat. 61
Typhon Horo, Iſidi, & Oſiridi aduerſarius. 60

V.

V litteræ natura. 160
V vocalis & V conſonantis naturæ ſocietas. 165
V & W cognatio. 166
V & O quomodo poſſint eadem voce comprehendi. 165
V & F coniunctio. 166
V dum Cimbricam dictionem claudit, in F tranſit. 128

V apud Cimbros ſæpe tranſit in L. 160
V Cimmerium Latini & Græci in P frequenter conuertunt. 254
Vacare philoſophiæ. 126
Vallium commoda & vtilitas. 149.
Van. 166
Vaſt. 128
Vat. 248
Vau. 160
Vau in Oratione alphabetica quid deſignet. 161
Vau cuius rei ſymbolum. 163.
Vau litteræ figura. 164
Vau litteræ nomen apud Æoles & vetuſtos Romanos etiam vſitatum. 160
Vaut/Vout. 160
Vauwen/Vouwen. 160, 164
Ve. 53,222,226,227
Veel. 176
Veli artificioſiſſima pictura. 213
Velo. 56
Vellus,eris. 191
Vello,as. 191
Venſter. 230
Ver. 113
Verrken. 228
Veri præcipuum donum. 254
Veritas fidiſſimum amuletum. 51
Verleeſt. 73
Verwant. 256
Veſt/Veſte. 230
Verſus fuiſſe antequam litteræ ſcriberentur. 1
Veterinus. 53, 226
Vier. 151,246
Vinger. 137
Virga in ſacris litteris. 192
Virga & ſceptrum paternæ correctionis ſymbola. 192
Virga in Pontificis conoide quid ſignificarit. 192. quare lana obuoluta. 197
Virga punicea Reginæ ſacrorum quid ſymbolicè ſignificarit. 193, 194.
Virgata ſagula. 192
Virgilius vetuſtatis & arcanorum ſacrorum peritiſſimus. 248. continet religionis Chriſtianæ myſteria. 147
Virgilij locus explicatus. 40
Virium & roboris in corpore, cauſſæ. 52
Viſus citra lucem nihil poteſt. 123.
Vita quid. 100
Vita ipſius Vnius quæ dicatur. 20
Vita Binarij quæ. 21
Vitæ opus à maioribus iudicatũ, Deum aſſiduè laudare & adorare. 117
Vitæ opus, fides eſt. 125
Vitæ rectus ordo quis ſit. 120
Vitæ teſſera, ignis. 120
Viuere quis verè dicatur. 100
Vmbilicus in voluminibus quis ſit. 161
Vmbra terræ, meta noctis. 102
Vlacker. 222
Vina,æ. 136
Vnctio in ſacris litteris. 207
Vndenarius ſymbolum vnius vitæ 19. & ſeq. 22. & ſeq.
Vngues rodere. 137
Vnum. 54. & ſequent.
Vnum ipſum orandum, &c. 132, 133.
Vnum, primam perſonam, id eſt, patrem, in Trinitate denotat. 21,23.
Vnius cognitio difficillima. 212
Vnius cognitio, Dei cognitio eſt, 212.
Vnius vita quæ. 20
Voces ſacras ad religionem ſpectantes ad Phrygias referri debere. 99
Vort. 138
Vol. 128,198
Volumen. 161
Voluo,is. 160,165
Vouwen. 160,164, & ſeq. 166
Vox ſimplex ante omnia ſecula à Deo genita. 201
Vp. 60
Vr. 172
Vuer. 113
Vur. 99,246

W.

W & Q eandem aliquando figuram fuiſſe. 234
Wackelen. 89
Wag. 222,234
Wager. 222
Want. 43,256
War. 50,234,254
We, Wee. 227,235
Wer. 204,234
Weis, Weit. 241
Wijc. 70
Wyden. 234
Wijs. 79,80,264
Wijſer. 79, 80
Wis. 80.234,264
Wl. 93
Wol. 191
Won. 234
Wort. 49,50,80,251

X.

Xain vocis ſignificatio, etymon, & artificium. 166
Xain litterę figura duplex. 168,169
Xain litteræ poteſtas. ibid.

Y.

Υἱός. 76

Z.

Zade litteræ figura. 232. eius nomenclatura & poteſtas. 229, 231. eius proprius ſonus. 231.
Zade pro Samecht ſimplici & duplici. 230
Zonæ mundi. 36

FINIS.

Svmma privilegii.

Regis Priuilegio ſancitum eſt, nequis *Opera omnia Goropij Becani partim antehac impreſſa, ſed ab ipſo emendata, partim verò non impreſſa*, integra, vel eorum partem aliquam, citra Chriſtophori Plantini voluntatem, à die cuiuſq. editionis abſolutæ intra decem annos, imprimat, aut alibi impreſſa importet venaliáue habeat, ſub pœna confiſcationis librorum: vt latiùs patet in literis datis Bruxellis pænultima Nouembris, M. D. LXXIIII.

Signat.

I. de Witte.

IOAN. GOROPII BECANI

HIEROGLYPHICA.

LIBER I.

QVANDO nobis propoſitum eſt, quis primus litterarum fuerit inuentor, perueſtigare; id in primis ſcire oportet, *Litteras quis* quid earum nomine veteres, in eadem quæſtione verſa- *primus inue-* ti, denotarint; ne vocis ambiguitate decepti, in ridicu- *nerit.* lum aliquem labamur errorem. Tzetzes eandem materiam in Chiliadibus ſuis tractans, poſtquam Palamedi, totius, vt ait, Græciæ conſenſu, ſedecim litterarum tribuiſſet inuentionem; & à Simonide duas longas, ab Epicharmo tres duplices, à Cadmo Mileſio tres adſpiratas additas dixiſſet; ſuam adiecit ſententiam: qua magna ſibi cenſurę grauitate non citra arrogantiā ſumta, ſtatuit litteras in Græcia non ante Palamedem modò, ſed ante Cadmum etiam Phœnicem fuiſſe. Eius rei fidem viſus eſt ſibi luculenta demonſtratione feciſſe, dum rationē ſuam ſic concluſit: Cadmo oraculum redditum eſt verſibus hexametris, vt Pytho accederet: è quo neceſſaria collectione efficitur, vt litteræ fuerint ante Cadmum, propterea quòd carmen citra litteras nec pronuntiari, nec eſſe poſſet. Argutum ſanè hominē agnoſco, & in Dialecticorum elenchis virga cenſoria dignum. Scio equidem, & nemo ignorat, *Oracula &* nec ſolutam nec pedibus adſtrictam orationem vllam eſſe ſine litteris poſſe; at illud præ- *verſus ante* terea noui, multo priùs & oracula & verſus eſſe potuiſſe, quàm vllæ omnino voces ſcri- *fuiſſe quàm litteræ ſcri-* berentur. Ineptum igitur ſeſe Grammaticus hic præſtitit, dum quæſtionem de litteris *berentur.* ſcriptis ad vocum elementa traduxit. Nemo tam alienus eſt ab omni communi ſenſu, vt neſciat, eundem omnino ſermonis & ſimpliciſſimarum eius partium inuentorem fuiſſe: qua in re, non quis primus fuerit locutionis auctor, cùm ea primo homini citra controuerſiam fuerit à Deo tributa; ſed quis primus inter mortales fuerit ſermo, in quæſtionem vocari ſolet, quam Hermathena noſtra diſcuſſit. Ceterùm dum de litterarum agitur inuentione, de pictis ſculptisque litteris diſputatur, quæ non paullo ipſis vocum elementis poſteriores eſſe potuerunt, eo quòd & hodie apud plurimas gentes ſcribendi vſus deſideretur. Cùm igitur alij alios celebrent litterarum inuentores, & Ægyptij quidem ſuum Thoot, Phœnices Taantum, alij etiam Herculem Ægyptium Nilo genitum, alij alium, vt modò ex Tzetza didicimus; tentemus & nos, ecquid ſani è diuerſis opinionibus elicere poſſimus. Plerique Græcorum Cadmo Phœnici litteras *Cadmúſne* acceptas ferunt, tanto omnium conſenſu, vt mirer Tzetzem contrarium prodere vo- *primus fuerit* luiſſe. Exſtat apud Suidam Zenonis epigramma, ſed corruptum; quod aliis aliter con- *litterarum* cinnare per me licet; ego ſic in præſens interpolabo: *inuentor.*

> Ἔστι πάτρα Φοίνισσα, τίς ὁ φθόνος; εἰμὶ δὲ Κάδμος,
> Κεῖνος ἀφ' οὗ γράπταν ἑλλὰς ἔχει σελίδα. id eſt,
> *Sum patria Phœnix. quis liuor? Sum tamen ille*
> *Cadmus, cui debet Græcia tota libros.*

Plutarchus, ſi rectè memini, auctor eſt, Tyrios Cadmo Agenoridæ primitias herbarum offerre conſueuiſſe: qua de re colligas, non litteras modò illi, ſed herbarum etiam cognitionem acceptam tuliſſe Phœnices. Euſtathius Cadmi nomen Mercurij etiam epitheton fuiſſe tradit, à κάζω, quod eſt orno; & hinc Cadmilum etiam vocatum. Κάζειν *Κάζειν.* à noſtrati Cuiſſchen deriuatur, vnde & κοσμός. Verùm Cadmilus & Camillus Romano- *Cuiſſchen. κοσμός.* rum vox, eiuſdem ſunt originis, à Catmel / id eſt, malum reuelo: quo nomine ingenui *Camilli no-* Cabirorum pueri vocabantur; qui ſacris adhibiti & populo permiſti auſcultabant, ec- *minis origo.* quid infauſti in templis diceretur, quo litatio poſſet impediri: quamquam mihi magis *Cabirorum pueri.*

placet generatim ingenuos pueros ſic vocari, quòd puerili quadam ſimplicitate citra ambages reuelent, ſi quid mali in familia aut dicatur aut fiat: idque eo magis credo, quòd trito apud nos prouerbio iactetur, pueros nihil celare poſſe. Cadmillus igitur, ſiue Camillus ſono Latinorum, is generatim de nominis ratione dicendus qui mala detegit & manifeſtat: quod ingenuis pueris & ad honeſtatem educatis peculiari quodam iure conuenire ſcimus. Sed fruſtra hæc vel ab Euſtathio, vel ab alio ad Cadmi nominis interpretationem afferuntur, quando omnium veterum confeſſione conſtat, Cadmum Phœnicem, non Græcum fuiſſe; & idcirco Phœnicum ſermonem in eius nomine conſulendum.

Phœnicij ſermonis idiotiſmus.

Hos igitur ſi rogemus, dicent, niſi fallor, Cadmi nomen à Cadma, quod idem eſt quod Cedem Hebræorũ deriuari, & eo Orientem intelligi. Vt enim ex Alef Alpha, ex Dalet Delta, ex Melech Malcha; ſic ex Cedem Cadma faciunt Phœnices, adiecta A in fine, & ſono pænultimæ vocalis ſuppreſſo: quo addito, Alepha, Daleta, Malecha & Cadema audiremus. Quamobrem ſi queratur, quis propriè & primario iure Cadmus ſit vocandus, nemini dubium eſt, quin Soli orienti hoc nomen maximè conuenire cernatur. Verùm nobis de homine, non de aſtris aut elementis agendum. Variæ ſunt & de Cadmo & eius progenie fabulæ: omnes tamen ad hanc Syram vocis originem nonnihil alludentes.

Cadmi vxores.

Mnaſeas apud Stephanum in voce Dardanus, Telephaën priorem eius facit vxorem; qua mortua, duxerit Harmoniam, quam ait Dardani & Iaſonis fuiſſe ſororẽ, quos Cadmus in Samo hoſpitalitate magna ſibi deuinxiſſet.

Telephaë q.d, & cur Cadmo vxor data ſit.

Quid autem eſt Telephaë aliud, quàm vis ea quæ ſplendorem & lumen ſuum longè diffundit? quam vxorem Cadmo dare, non aliud mihi videtur quàm dicere, Cadmum religionis & omnium liberalium artium è quibus homines vitæ lumen capiunt, fuiſſe doctorem.

Harmonia quare Cadmo coniugio copulata.

Eam deinde ſequitur altera vxor Harmonia, eo quòd in cultu diuino & eruditione omnis reip. bene formandæ ratio cõſiſtat. Idem igitur fuerit, dicere Harmoniam eius fuiſſe vxorem, ac ſi totius ſocietatis humanæ vocaretur Hermoſtes. Aliis in quibus Nonnus Panopolita, placuit commentum, Cadmum cum Harmonia primùm ad lacum Tritonem concubuiſſe: eadem prorſus de cauſſa conficta fabula qua Pallas ibidem exſtitiſſe narratur. Nam vt Sapientia è veritatis demonſtratione gignitur; ita Harmonia nulla in hominum ſocietate eſſe poteſt, niſi veritas fuerit oſtenſa. Faceſſant hinc eorum deliria, qui citra allegoriam lacum Tritonem in Africa intelligendum arbitrantur. Symbolica Theologia cum aliis inuolucris, tum etiam non rarò locorum vtitur alluſione: in qua inter cetera recta nominũ ratio ſpectatur; è qua ad veram peruenitur intelligentiam.

Triton lacus.

Lacus eſt in Africa Triton, ſed huic nihil præcipuum aut ſingulare, ob quod ſibi vel Mineruæ natales, vel Cadmi & Harmoniæ coniugium bono iure queat vindicare. Alia ergo via veritas inueſtiganda; quæ plana eſt & aperta, ſi Mercuriũ Cimmerium præmonſtratorem ſequamur.

Tritonis etymon.

Is docet **Tru-toon** idem eſſe ac ſi quis dicat, Veritatis demonſtrationem: quo patefacto, quis non videt cur & Minerua ex Trutone naſcatur, & idem Cadmi & Harmoniæ concubitus adſcribatur, cùm nec ſapientia, nec leges, nec tota reip. rectè conſtituendæ ratio aliunde quàm de veri ipſius oſtẽſione proficiſcantur? Nonnus itaque Dionyſiacôn libro decimo tertio perquàm conuenienter Cimmeriæ Theologiæ hos cecinit verſus:

Κεῖθι καὶ ὡς ἐνέπουσι παρὰ Τριτωνίδι λίμνῃ
Α῾ρμονίῃ παρέλεκτο ῥοδώπιδι Κάδμος ἀλήτης.

Id eſt, vt ex tempore profundam,

Hîc propter Tritonis aquas, vt fama, potitus
Eſt roſea Harmonia terræ vagus incola Cadmus.

Minimè negligendum arbitror, quòd, vt reuera fuit, ita perquàm ſignificanter Cadmũ vagum nominarit poëta. Mirum enim eſt quàm id conueniat cum Iani nomenclatura, quæ facta eſt à perpetua itione; propterea quòd Iaphet patrem ſuum imitatus, perpetuò terrarum orbem velut epiſcopus quidam & Harmoſtes circumiret, quò mortales in vera religione & patriis inſtitutis contineret, atque ad ea, ſi qui declinaſſent, reuocaret.

Cadmus idẽ qui Ianus.

Quid ni igitur Cadmum & Ianum eundem hominem dicemus; Ianum quidem priſca lingua, Cadmum verò ſermone Phœnicum ſiue Syrorum: in quo nomen id ſortitus ſit, quòd ex Oriente in Syriam venerit? Ex Orientis, inquam, ea parte, ad quam Indoſcythica noſtra Iapetum cum prole ſua remanſiſſe docuerunt; tum nimirũ, cùm

ceteri ex Oriente in campos Sennaar per longam montium catenam commigrarent, in quibus linguarum legimus factam confuſionem. Exordiamur itaque rurſus, & inueſtigemus cuius filius fuerit Cadmus. Extra omnem cõtrouerſiam poſitum videmus, Agenoris filium fuiſſe. At quis hic Agenor, & quo in ſermone ſic vocatus? Si Syros aut Phœnices interrogemus, mox reſpondebunt, Agenoris nomine non aliud quàm cratêrem lucis denotari. Quod ſi verum eſt, vt eſt veriſſimum, pergamus porrò quæſitum, cui maximè hæc nomenclatura ſit applicanda: nemini profectò potiùs poſt cataclyſmum quidem quàm ipſi Nocho, ex quo totius religionis & omnium ſcientiarũ lumen vniuerſæ poſteritati affulſiſſe ſcimus. Quemadmodum igitur variis nominibus pro diuerſitate munerum ſiue donorum, quæ diuina benignitas ipſi larga manu contulit, eſt nuncupatus; ita nihil miri, ſi apud Aſſyrios & Phœnices Agenor ſit vocatus, ab ea videlicet dote qua nullam aliam habuit præſtantiorem: niſi ſi quis religionis & ſcientiarum luce, quam ex eius cratêre poſteri hauſerunt, quidquam norit præclarius. Cùm igitur Cadmus litterarum apud Phœnices dicatur inuentor, atque is Ianus fuerit Nochi filius qui Babylonicæ confuſioni non interfuerat; videtur litteris ea nomina reliquiſſe, quæ non ab aliis quàm ab Orientalibus ſiue Ianigenis intelligerentur; vnáque mandaſſe, vt ſe Cadmum lingua Phœnicia nominarent, ne vnquam obliuio ſurreperet vnde characteres & characterum nomenclaturas accepiſſent, & verò à quibus eſſet harum interpretatio petenda. Ne tamen ſibi ſoli tantum beneficiũ arrogaret, patrem ſuum voluit Agenorem à Phœnicibus dici, vt ſcirẽt perpetuò, Nochum omnis lucis inter mortales primum eſſe cratêrem. Hanc rem, vt eam trado, ita habere perſpicuè cernes, ſi rationem omnem rectè ſupputes, tum qua in lingua, tum à quibus Cadmus hoc nomen ſit ſortitus. Primum nomen minimè Græcum eſſe, neminem puto hominem dubitaturum: quandoquidem omnes confitentur, Cadmum è Phœnicia in Græciam traieciſſe; & clarum eſt, hac voce Orientalem Phœnicibus denotari. Ridiculum enim ſit, & Agenorem & Cadmum Phœnices dicere fuiſſe, & illud addere, nomen ſibi à Græcis petiuiſſe. Quòd ſi quis tam ſit communi ſenſui aduerſarius, vt Cadmi nomen Græcum putet; eum cupio mihi reſpondere, quo nomine fuerit prius apud ſuos vocatus: quod ſi neſcit, ne tam ſit impudens, vt citra omnem tum rationem, tum auctoritatem mecum contendat. Non equidem nego, aliquid apud Grammaticos commenti poſſe inueniri, quo Cadmus ab ornatu dictus eſſe videatur; verùm id propterea, vt dico, non admitto, quod in abſurdiſſimis ſit habendum, vocem Phœnicibus apertiſſimam ad Græcos fontes velle detorquere; cùm vno ore omnes fateantur, Cadmum antè hoc nomine nuncupatum fuiſſe quàm in Græciam veniret. Sed ſi qui ſint tam læuis ingeniis, vt è ſolo contradicendi ſtudio glor
iolam quærant, nihil penſi habentes quàm vel abſurda vel veriſimilia obtrudant, eos vt contemnamus æqui iudices nobis, ni fallor, permittent. Pergam modò. Si Phœnicum vox eſt Cadmus, atque ea orientalis homo ſignificatur, vt eſt extra omnem doctorum hominum dubitationem; ſequitur vt illud quærendum ſit, quorum cõparatione Cadmus, id eſt, orientalis fuerit dicendus. Certè ſi Cadmus Phœnix erat, dici non poteſt, eum Phœnicibus orientalem fuiſſe; & ſic orientalẽ, vt hac de re orientalis homo apud Phœnices vocaretur. Quid enim cogitari poſſet abſurdius, quàm quemquam domi noſtræ natum orientalem nominare? Nos ſcilicet Ooſterlingos, id eſt, homines orientales eos dicemus, qui in Belgicogermania nati ſunt? Minimè gentium: ſed eos qui toti patriæ noſtræ, totíque huic nationi ſunt orientales. Quod ſi ita eſt, quis Phœnicibus Cadmus erit dicendus? An non is qui non in Phœnicia natus eſt, ſed in ea regione quæ diſcrimine magno & notatu digno à Phœnicibus ad Orientem eſt remota? Neque enim ferè id genus nomina à cæli plagis petita interuallis exiguis accommodamus, ſed iis demum quæ tanta ſunt, vt propria regionum nomina notitiam vulgi fugere putentur. Quos enim tam propinquos habemus, vt patriam eorum neminem ignorare arbitremur, eos non à plagis cæli, ſed à patria nominamus: at qui tam longinquis locis ſunt oriundi, vt patriæ eorum nomen non ferè in vulgus notum ſit; vel ab Oriente, vel ab Occidente, vel ab Auſtro, vel à Septentrione nuncupamus. Quamobrem ſi hanc communem loquendi conſuetudinem conſulemus, facere non poſſumus, vt non fateamur Cadmum patria minimè fuiſſe Phœnicem: & verò tam Phœnicem non fuiſſe, vt longis terrarum interuallis ipſius regio ad Orientem fuerit

Cadmus Agenoris filius

Agenor quid ſignificet.

Agenor idem qui Nochus.

Cadmi nomenclatura cui idiomati debeatur & quid ſignificet.

Cadmum nõ in Phœnicia natum.

Cadmus vnde oriundus.

remota. Cuiatem ergo dicemus? Id nos nomina litterarum, quarum inuentio magna omnium conſenſione ipſi adſcribitur, docebunt. Rogentur veteres, quænam natio ad Orientem id temporis habitarit, in cuius lingua nomina characterum ſanam aliquam habeant interpretationem: quam cùm reperiemus, tum cogitandum, nos ad eos perueniſſe, è quorũ regione Cadmus venerit ad Phœnices. Scio Euſebium & alios aliquot exiſtimaſſe, litterarum nomina quæ apud Hebræos in vſu ſunt, & olim fuerunt apud Chananæos, à quibus ea Hebræi acceperunt, ad Hebræorum linguam eſſe interpretanda. Verùm quàm id feliciter Euſebio, aut iis quos eſt ſecutus ſucceſſerit, equidem alios iudicare mallem, quàm ipſe explicare. Non ignoro tamen nihil tam eſſe diſſipatum quod non aliqua ratione queat colligari; præſertim ſi verba tum, vt volumus, interpretemur, tum ſignificata citra omnem conſtructionis rationem ſigillatim examinemus, & hæc magnis commentariis longè petitis ad aliquam ſententiam cogamus, quam ipſa quidem verba non exprimant; ſed quam nos ipſis verbis affingamus. Ne tamen grauiſſimi teſtis pondere deprimamur, aut potius ipſa eleuetur veritas, adſcribemus totam Euſebij interpretationem, quò cuiuis videre liceat & exiſtimare, quanti ſit arcanum hoc myſterium, quod pius hic vir eſt admiratus, faciendum; apud eos maximè qui non auctoritate cogi, ſed ratione duci volunt. Poteram equidem in aliud tempus hanc rem reiicere; ſed quia non parum momenti in ea eſt ad cognoſcendam Cadmi vernaculam & patriam linguam, viſum nõ fuit diutius eam differre. Vt enim ille firmam eſſe collectionem ſtatuit, primam litterarum inuentionem ob id Græcis tribui non poſſe, quòd earum nomina Græcis nihil ſignificent; ita & ego docebo hac ipſa de cauſſa dici non poſſe, Hebræos litterarum primos eſſe inuentores; propterea quòd nihil ſani nominibus litterarum apud eos denotetur. Poſt alia igitur, Euſebius Georgij Trapezuntij beneficio Latinè loquens ſic habet: Omnes autem litteræ apud Hebreos viginti duæ ſunt; quarum prima Aleph dicitur, quod Latinè diſciplina dici poteſt: ſecunda Beth, quod domus ſignificat: tertia Gimel, quod vocis plenitudinẽ ſignificat: quarta Daleth, quod librorum dici poteſt: quinta He, quod vocabulum Iſta ſignificat. Quæ omnes voces talem ſenſum efficiunt: Diſciplina domus plenitudo librorum hæc. Sextum elementũ apud eos Vau dicitur, quæ vox Latinè In ipſa dici poteſt: deinde Zain, quod vocabulum ſignificat Viuit: octauum Het, quod ſignificat Viuens. Totum hoc ſimul: In ipſo viuit viuens. Nonum Teth dicitur, id eſt, bonum: decimum Iod, & interpretatur principium. Simul hæc duo bonum principium ſignificant. Vndecimum Caph, Latinè Tamen: duodecimum Lamed, quod Diſce: & poſtea Samech, quod interpretatur Auxilium. Totum hoc ſimul ſignificat, Tamen diſce auxilium. Deinde ſequitur elementum quod Mem appellant, quod interpretari poteſt Ex ipſis: deinde Nun, id eſt, ſempiternum auxilium: his accedit Ain, quod Latinè fontem aut oculum ſignificat: deinde Phe, quod Os dici poteſt: deinde Sade, quæ vox Iuſtitia interpretari poteſt. Simul ſenſus eſt, Fons & oculus & os iuſtitiæ. Elementum deinde accedit Coph, id eſt, vocatio: deinde Res, quod caput ſignificat: deinde Sin, quod dentes dicere poſſumus: poſtremò Thau, quod ſigna dici poteſt. Omnium igitur ſenſus elementorum hic eſt: Diſciplina domus plenitudo librorum hæc, in ipſa viuit viuens; bonum principium tamen diſce ex ipſis, ſempiternum auxilium fons aut oculus atque os iuſtitiæ vocatio capitis & dentium ſigna. Hæc eſt elementorum Hebraicorum Latinè dicta ſententia; quæ diſciplinæ litterarum ſummoperè conuenit, quod apud alias gentes inueniri nequit. Vnde fateri neceſſe eſt, non ab aliis quàm ab Hebræis litteras eſſe inuentas. Hæc Euſebius. Cuius ſententiæ ſubſcribit D. Hieronymus; quod deinde magna ſequitur turba pedaneorum. Quid nunc dicam, an non ſum victus? Eſſem haud dubiè, ſi nomina litterarũ recte interpretaretur, & ex iis aptam conuenientemque faceret ſententiam. Nunc nec illud, nec hoc præſtat. Quid? quod Samech litteram ordine ſuo deturbauit, & in Sade & Sin eandem exprimit litteram, ita vt alteram ſuperuacaneam eſſe neceſſe ſit? Nominum ſignificationem non rectè redditam quiuis facilè deprehendet qui ſingulas voces examinabit. Nam neque Aleph doctrinam notat, quamuis id aliquo modo concedi poſſet; nec Gimel notat vocis plenitudinem, ſed ſi quid notet, camelum ſignificabit, & ſi Gamul pronunties, ablactatum notabit. Quòd ſi vt Piel à Paal; ita Gimel a Gamal dictũ voles, idem erit Gimel quod, fecit retribuere: quæ notatio quàm huic

Hebræorum litteras ad Hebræorum linguam eſſe interpretandas voluit Euſebius.

Hebraicarũ litterarum ſecundum Euſebium ſignificationes.

Euſebij ſententia de litterarum Hebraicarum ſignificationibus confutatur.

Aleph.

Gimel.

huic loco conueniat, ab alio lubenter diſcerem. Iam quid Daleth commune habet *Daleth.*
cum libris? niſi de Græco ſermone Daleth pro Delta dici velimus. Apud Hebræos Da-
leth oſtium ſignificat; rem à libris tam diuerſam, quàm plenitudo differt à camelo. Sed
longè abſurdius eſt id quod mox additur. He dicit idem eſſe quod Iſta ſiue Hæc; & hunc *He.*
articulum voci præcedenti iungit, quod facit contra omnem apud Hebræos loquendi
conſuetudinem, qui ad hoc hyſteron proteron æquè atque ad carnem ſuillam nauſea-
rent. Nec ſanius eſt quòd mox Vau, in ipſà, reddi poſſe dicit. Si enim Vau Hebræis *Vau.*
quidquam ſignificet, volutas columnarum notare dicam; quæ capita D. Hieronymus,
alij clauos verterunt. Ego Vauot antiquum Cimbricum vocabulum eſſe credo, & eo
notari capitis volutam, ſi mihi hac voce vti licebit, quam in Ionicis capitibus videmus.
Zain verò idem eſſe quod Viuit, quis Hebræorum, vt dicatur, feret? זן pro eſca poni fa- *Zain.*
tebuntur; ſed ſi idem eſſe quod viuit dicas, explodêris. Eſt ſanè hoc loco Euſebius He-
braicam vocem de Græcorum Ζῇν interpretatus: quo tamen non Viuit, ſed Viuere no-
tatur; perinde vt ante in Daleth libros inuenit; non illos quidem apud Hebræos, ſed
apud Græcos. Porrò quòd Het pro Chet dicat, facit id quidem de more & conſuetudi- *Het.*
ne pronuntiandi apud pleroſque omnes vſurpata, perperam tamen & contra rationem;
quæ non permittit vt duæ litteræ in eadem ſoni poteſtate collocentur. Quid enim in
Het audis quod non itidem in He? Sed hoc condonemus peccantium multitudini. Het
verò idem eſſe quod viuens, non facilè adducar vt credam, cùm pro viuo חַיִּ Hebræis
vſurpari videam, non Het. Detur tamẽ & hoc aliquo modo tolerari poſſe. Verùm illud
quod Thet dicit bonum notare, neſcio de quibus didicerit magiſtris. Thob & Thub ſic *Thet.*
interpretaretur, ſed quid his cum Thet? טִיט lutum eſſe ſcio; at hoc hactenus ignoraui
cœnum & lutum in bonis numerari. In eodem luto hæret, dum Iod principium ſigni- *Iod.*
ficare dicit. Iad manum eſſe, & ad poteſtatem denotandam transferri, nemo Hebræo-
rum ignorat; ſed Iod principium ſignificare, nemini perſuadebis. Id facile dabunt, ipſam
figuram Iod principium eſſe litterarum, eo quòd reliquæ elementorum figuræ in Iod
reſolui poſſe videantur: ſed hinc non efficitur, vt vox Iod bene principium dicatur no-
tare. Quòd ſi pro bono principio, quod in Thet Iod intellexit, lutum agri interpretare-
tur, eſſet quo excuſari poſſet; eo quòd Iad aliquando pro agro videatur in vſum veniſſe.
Certè quiſquis horũ Euſebio doctor fuit, non verba ei tantùm dedit, ſed cœno manus &
calamũ eius impleuit. Vt hæc aliena ſunt ab omni communi intelligẽtia; ita quod mox
ſubiungit omnem ſuperat abſurditatem. Quid alienius à lingua Hebraica, quàm Caph *Caph.*
idem eſſe quod Latini Tamen dicunt; cùm apertum ſit & extra omnem dubitatio-
nem, hac voce Caph palmam notari? Quòd ſequitur Lamed idem eſſe quod diſce, *Lamed.*
non facilè perſuadebit, niſi doceat, Lamed, non Lemod vel Lemad dicendum, contrà
planè quàm habeat loquendi conſuetudo. Perrecturus offendit in Mem. Mem igitur
& Nun tranſiliens, Samech extra ordinem vocauit; quòd ſi Samech poſt Lamed nul- *Samech.*
lo medio poneretur, apta ſcilicet eſſet ſententia orationis: quam vt conſtruat, Samech
reddit auxilium; cùm Samech tamen idem ſit quod imponens ſiue innitens: vnde quo-
dam modo ad auxilium, quo fulcimur, transferri poſſet. Quòd Mem, ex ipſis vertat, *Mem.*
non reprehendam, ne nimiũ videar Momus. Sit enim Mem pro Me-hem quod ab ipſis.
Verùm Nun ſempiternum notare quis concedet? Si quid ea vox notet, vel pro filio qui
Nin dicitur, vel pro eo cui filius eſt natus, ponetur; quamuis neutrum horum ſit vſita-
tum. Sed ſit hoc e Cabaliſtarum arcanis fortaſſe deriuatum, vt Nun pro ſempiterno *Nun.*
ponatur; quia per filios genus redditur perenne; vel altiùs progrediẽdo, quia Deus æter-
nitatem dat per filium. Vt igitur nugæ ſint, non ſunt tamen nugæ ſollemnes; ſed raræ, &
inter ſecretiores habendæ. Ain non malè fontem interpretatur: nec Phe malè vertit *Ain.*
os; ſed dum Sade iuſtitiam dixit, ex inſidiis, vel reti, vel hamo, iuſtitiam fecit. Excuſari *Phe.*
potuiſſet, ſi littera Sadec vocaretur. Sed caſtigabit ſe in Coph, ſcilicet, dum Coph vo- *Sade.* *Coph.*
cationem reddit. Coph dum vt verbum vſurpatur, idem eſt quod circumiuit; dum vt
nomen, ſimiam ſignificat. Vide quid hæc ad vocationem. Verùm tria quæ ſequun-
tur, omnium præcedentium fœditatem abſtergent. Res enim, & Sin, & Tau non *Res.*
male interpretatur, ſed citra omnem orationis connexionem. Sin tamen & Res *Sin.*
aperiunt, minimè Hebræis hæc nomina litterarum tribuenda; propterea quòd Sen *Tau.*
& Ros, non Sin & Res dicant pro capite & dente.

Verumenimuerò licet modò cuiuis liquere putem, eorum ſaltem qui rationi malunt cedere quàm anticipatam ſequi auctoritatem, nihil ſanæ intelligentiæ è nominibus litterarum apud Hebræos conſtrui poſſe: ne quid tamen neglexiſſe videamur, quod à quopiam aſſertioni noſtræ, quam molimur, obiici poſſit; videamus quid aliis hac in re viſum ſit. Neminem profectò hactenus vel audire vel legere memini, qui litterarum nomina aliter ſit interpretatus, præter vnum Angelum Caninium Anglarenſem, hominem doctiſſimum linguarum, non Græcæ modò & Latinæ, ſed Hebraicæ etiam, Syriacæ, Arabicæ & Æthiopicæ. Huius igitur verba adſcribere, non magnum tantum operæ temporiſque pretium habere, ſed propè etiam eſſe neceſſarium duxi. Ea ex ipſius inſtitutionibus in linguam Syriacam, Aſſyriacam & Thalmudicam deprompta, ad hunc habent modum: Litteræ quibus Hebræi Chaldæique vtuntur, viginti duæ ſunt, figura diſſimiles, vi ac ſono eædem. Nos Danielis, Eſræ, Thalmudicorumque doctorum conſilium atque auctoritatem ſecuti, quò res planior ſit, Hebraicis erimus contenti characteribus: quorum ſignificatum exponere, quod perfecte hactenus fecit nemo, haud equidem abs re fore exiſtimo. Euſebius enim, cui, vt res ipſa loquitur, Iudæus aliquis impoſuit, venia dignus eſt. Ignoſcendum etiam Hieronymo, qui Euſebium imitatus eadem tradidit. Nos, quantum e lingua Hebraica atque Chaldaica intelligere poſſumus, hanc ſimplicem collegimus interpretationem: Aleph, bos: Beth, domus: Gimal, camelus: Daleth, oſtium: He, vermis punici: Vau, clauus aduncus: Zain, telum: Heth, quadrupes: Thet, inuolucrum: Iod, manus: Caph, palma: Lamed, ſtimulus: Mem, macula: Nun, piſcis: Samech, baſis: Ain, fons: Phe os: Sadi, hamus: Coph, ſimius: Res, caput: Scin, Dens: Thau, crux. Hæc ille; quibus mox addit: Nomina litterarum Chaldaica potius videntur quàm Hebraica, vt oſtendunt שין נימל ריש quæ Hebraicè dicerentur שֵׁן גָּמָל ראש. Id quod etiam vſus Thalmudicus docet, qui ſcribunt בֵּיתָא אַלְפָּא cæteraque eodem modo cum א in fine, quod linguæ Chaldaicæ, vt explanabimus, peculiare eſt. Porrò quod ad ſignificatum attinet, facilis & naturæ conſentanea ratio eſt. Vt enim Ægyptij variis animantium rerumque ſimulacris natura arteue conſtantium orationem ſuam explicabant; ſic Hebræi, quorum lingua & origo longè eſt Ægyptiis antiquior, pro litterarum figuris res aliquot notas ac luculentas acutiſſimè imitati ſunt, calamóque adumbrarunt. Quod vel aſtronomi ipſi factitant; apud quos notis quibuſdam planetæ & zodia referuntur. Hæc ille, doctè profectò & ingeniosè: contra quem difficilior mihi pugna ſit, quàm cum Euſebio, ſi contendere adnitar. Cùm enim nullam connexionem verborum, perinde vt ille, adducat, non poterit hac ex parte quicquam obiici, quo commentum refellatur: quod licet ſit perquàm aſtutum, dum res prorſus diſiunctas, & nulla vel naturæ vel ſententiæ lege cohærentes ad ſacras notas referri debere dixit; nihil tamen vel perparum facit ad id, vt inde doceatur litterarum nomina Hebræis deberi vel Chananæis. Fatetur enim Chaldæorum potius quàm Hebræorum videri inuentionem. Verùm nec hic ſatis conſtare ſibi videtur, dum Aleph in fine à Chaldæis præcipuè dicit vſurpari. Nam ſi id verum eſt, minimè fuerat Aleph & Beth dicendum, aut harum vocum quærenda interpretatio, ſed Alpha & Beta, quæ nomina eſſe dicit in vſu Thalmudicorum. Cui illud item addatur, Cadmi etiam nomen non Hebræorum formulam, ſed Chaldæorum ſequi; quoniam ab illis Cedemi potius nomen, cùm dicant Cedem, quàm Cadmi defluxiſſet: vnde veriſimile redditur, non cum Hebræis, ſed cum Chaldæis de litterarum primatu eſſe certandum. Verùm diſſimulemus hanc controuerſiam hoc loco, & ſuſque deque feramus vtrius gentis linguæ nomina litterarum accommodentur; modò id teneamus, neque Chaldæis neque Hebræis vllam in Alphabeto ſententiam abſolui; ſed ſi quid nomina ipſis deſignent, id totum diſiectum eſſe, & nulla conſtructione aut ordine deuinciri: In quo ſolo ſatis argumenti fuiſſet, cuiuſuis alterius potiùs nationis, quàm vel Chaldaicæ vel Hebraicæ hanc eſſe orationem, niſi ad Hieroglyphicas notas effugium patuiſſet. Non difficilis ſane nec ardua hæc via fuit ad declinandam abſurditatem, verùm eos qui hanc ingredientur hoc rogabo, quid cognationis ſit inter has notas & ipſas litteras? Scio ſane de boue promptam eſſe rationem ex fabula de Cadmo bouem ſequi iuſſo; ſed non video quid Beta commune habeat cum domo, vt inde nomen huic litteræ dandum fuerit: nec item quid camelo cum gamma, & reliquis rebus ſignificatis cum ipſis

Angelus Caninius Anglarenſis.

Hebraicarum litterarum ſecundum Angelum Caninium ſignificationes.

Angeli Caninij de Hebraicarū littera rum ſignifica tionibus opinio reiicitur.

vel figuris vel poteſtatibus litterarum conueniat. Quòd ſi quis dixerit, primas figuras tales fuiſſe, vt prima bouis, ſecunda domus, tertia cameli, quarta oſtij, quinta vermis punici, & reliquæ ceterarum rerum quæ denotantur nominibus aliis habuerint ſimilitudinem; duo rurſus quæram; alterum, quæ fuerit cauſſa vt ab his rebus potius quàm à ſcientiis, aut à ſideribus, aut aliis rebus nobilioribus & figuræ & nomina litteris darentur: alterum, quî factum ſit, vt apud nullam omnino gentem exſtent vel tenuiſſima earum rerum veſtigia. Vt enim demus Eſdram apud Hebræos alias commentum eſſe figuras, non video tamen cur nec apud Chaldæos vel apud Arabes, nec apud Æthiopes aliqua ſuperſint indicia harum veterum notarum. Procliue fuit dicere, hieroglyphicas litteras fuiſſe; at ratio reddenda fuiſſet, cur hæ potius quàm aliæ notæ litteris conuenire viderentur: quæ ſi nec inueniri nec dari poteſt, non inane modò, ſed abſurdum etiam figmentum nobis dicemus obtrudi. Verùm quamuis aſtutum fuerit Caninij commentum, non potuit tamen efficere, vt ceteris quoque Hebraicæ linguæ peritis ipſum probaret. Paullo enim pòſt Martinus Gilbertus, diligenter omnibus examinatis & diſcuſſis, totum Alphabetum in ſeptem partes diſtinxit: quarum prima eſt; Doctrina domus plenitudo tabularum. Secunda: Iſta eſt hæc vita. Tertia: Bonum principium. Quarta: Manus diſciplinæ ſiue cordis. Quinta: Ex ipſis ſempiternum adiutorium. Sexta: fons ſiue oculus oris iuſtitiæ. Septima: vocatio capitis dentium ſigna. Hoc modo litteris diſtributis, & quod vellet ipſe ſignificare coactis, magnum ſibi viſus eſt myſterium aperuiſſe. Verùm ſatius fuerit ipſummet videre auctorem, & in eo cognoſcere quàm nihil certi è litterarum nominibus elici poſſit, cùm ne ipſe quidem ſua omnia ratione confirmet. Coph enim vocationem vertit, & Nun æternum, cùm nihil tale ſignificare docuiſſet in ſingularum vocum explicatu. Sed quid ego fruſtra hic tempus teram, vbi clarè cernitur, pro cuiuſque ingenio & imaginatione ex vicinia aliqua aut Chaldaicæ aut Hebraicæ aut Syriacæ vocis fieri coniecturam de nominum ſignificatione: atque deinde ex abſurda vocum farragine, id quod quiſque ſomniat, denotare compulſarum, orationem componi à communi ſenſu prorſus abhorrentem? Et cur ego Caninio potius quàm Martinus Gilbertus credam; & cur item Martino potius quàm Caninio, cùm neutrum horum quicquam dixiſſe quod ſequendum ſibi putarit Antonius Cheuallerius ſatis oſtendat? qui in Grammatica ſua ſic litterarum nomina expoſuit, vt quamuis ea nulla violenta copula coniungeret, non omnibus tamen certam dederit ſignificationem: & quibus dedit, inter ea fateatur etiam quædam eſſe à communi loquendi conſuetudine detorta. Huius igitur verba, vt hominis hac in re magis ingenui, & rectam ſimplicis veritatis viam melius ſequentis, lubenter adſcribemus. Aleph, inquit, quaſi princeps dicitur, quòd primarium locum in Alphabeto obtineat: vnde & Græci ſuum Alpha mutuati ſunt. Beth, id eſt, locus; nam præ ceteris litteris ſpatium ampliſſimum lineis ſuis circumſcribit. Gimel à gibbo, quem in dorſo gerit ſicut camelus, qui dicitur Hebræis גָּמָל. Daleth deducitur à דֶּלֶת porta, quam delineat. He nomen ſumſit à poteſtate. Vau, id eſt, vncinus; cuius figuram refert. Zain, arma ſynecdochicôs vocatur; quòd clauæ figuram exprimat. Heth ſic vocatur à poteſtate. Iod à יָד, id eſt, ſpatium. Nam vbicumque ſcribitur, propter exilitatem, vacuum ſub ſe relinquit ſpatium. Caph, ac ſi inflexam & incuruam dicas, à כָּפַף, incuruauit. Lamed deducitur à מַלְמַד ſtimulus ſeu veru, cui ſimilis eſt. Mem à poteſtate ſic dicitur, ſicut Græcis & Latinis. Nun ſimiliter à poteſtate. Samech, id eſt, continua & in ſeipſam ducta, à סָמַךְ innixus eſt, continuauit. Aain, oculus; cuius figuram imitatur. Pe, à poteſtate. Sade, venabulum; quod ſumma parte exhibet: deriuatur à צור venari. Coph, à poteſtate. Res, caput; ob craſſitiem capitis: Subtiliùs poteſt exponi, pauper; quòd plerique careant facultate rectè proferendi hanc litteram. Schin vel Sin, dens; quaſi dentata littera, quòd tres dentes videatur continere. Tau, terminus, quòd Alphabetum terminet & claudat, ab ordine vocatur, vt Aleph. Hæc ille: qui principem & ducem Aleph eſſe maluit quàm bouem. Nec male profectò. Me certè liberauit à bouis capite, quod in paruo Græcorum Alpha quidam ſibi finxerunt. Sed quid refert? ſit princeps, ſit doctrina, ſit vitulus, ſit bos, ſit quiduis; modò nullius ſanæ orationis principium efficiat. Sed vide, rogo, diligenter, quàm rectè congruant doctiſſimi huius viri rationes cum litterarum figuris. Equidē vt in Beth non plus ſpatij video quàm in Aleph, quàm in Mem, quàm in

Hebraicarum litterarum ſignificationes ſecundùm Martinum Gilbertum.

Hebræorum litterarum ſignificationes ſecùndum Antonium Cheuallerium.

 Scin,

Scin,& aliis quibuſdam; ita non facilè vel cameli gibbum in Gimel,nec portam in Daleth,nec venabulum in Sadi agnoſco; vt cetera valere ſinam. Hoc interim laudo, quòd litteras non magis quàm Caninius, aut Abraham de Balmis, aut alij quamplurimi graues eiuſdem linguæ profeſſores, inuitas coëgerit cõmenticiæ alicui ſuæ ſeruire orationi. Rogaui & alios doctiſſimos huius linguæ profeſſores, vt omnibus Syrorum, Chaldæorum,Arabum & Hebræorum viribus coniunctis ad vnam orationis farraginem congerendá, diſquirerent ecquid ſanius excogitare poſſent: quorũ cùm alius alia collegiſſet, tandem deprehendi nihil certius eſſe, quàm e nominibus litterarũ nec apud Hebræos, nec apud cognatarum linguarum homines vllam conſtrui poſſe ſanam orationem, ſed inania & vana & abſurda ſomnia eſſe quæcumque hactenus ad integram ſententiam reddendam obtruduntur. Quò magis laudandi doctiſſimi quique Hebræorum grammatici, quòd his nugis nec ſe fatigarint,nec deceperint lectorem: qui ſi hoc in litterarũ nominibus artificium eſſe ſciuiſſent, vt ex omnibus ſimul vinctis integra oratio conſurgeret, numquam illud neglecturi fuiſſent; quando videmus quoſdam tam ambitioſos linguæ ſuæ fuiſſe præcones,vt ſtolidos Cabaliſtarum numeros diligẽter excuſſerint, & ad linguæ ſuæ ornamentum adſciuerint,rem tam vanam,vt nihil vanius inter vaniſſima queat excogitari. Quamobrem cùm neq. Rabbi Dauid Kimchi,nec Ioſeph Kimchi, neque Abraham de Balmis,nec Elias Germanus, Grammaticorum apud Hebræos facilè princeps, quidquam tale deprehenderint, nec poſteriores intra Hebraicæ linguæ terminos citra magnam vocum corruptelam ea quæ conati ſunt comminiſci potuerint tueri; cuius tandem ſit inſaniæ id genus monſtroſis ſomniis fidem adhibere? Relictis igitur his, vti nulla ratione nixis, videamus ecqua gens reperiri queat, quæ non Phœnicibus tantùm, ſed Hebræis etiam & Chananæis, qui ſedes eorum antea tenuerunt, & ipſis pariter Chaldæis,vnaque toti Arabiæ fuerit orientalis: in cuius lingua Alphabetum primùm integram abſoluat & congruam orationem; & præterea eas habeat figuras quæ in nominum ſignificata ſic quadrent, vt ſymbola nequeant vel inueniri vel cogitari conuenientiora. Hanc ſi queam demonſtrare, non opinor quemquam tam vel ſtupidum vel peruicacem inuentum iri, vt non potius in noſtra ſententia, quàm in aliorum acquieſcat. Primùm itaque iis quæ in Cadmi nomine obiter attacta ſunt, fuſius copioſiusque repetitis, quæramus an Cadmus litteras primus inuenerit, an iam olim inuentas primus Syrophœnicibus tradiderit: & ſi primus tradiderit, quo medio & occaſione vt id faceret, fuerit adductus. Hìc nobis Indoſcythica noſtra ſuccurrent; oſtentura Chaldæorum, Aſſyriorum, Arabum,Phœnicum & gentium ceterarum cognatam linguam vſurpantium maiores ab eo loco qui primus poſt cataclyſmum habitatus eſt, Occidentem verſus commigraſſe; atque illic in campis Sennaar linguarum accidiſſe confuſionem. Veritati igitur conſentaneum, vnà cum priſco ſermone ſcribendi etiam vſum periiſſe; propterea quòd is antea non alij linguæ, quàm primæ accommodatus fuiſſet: quæ cùm modò oblitterata eſſet, fieri non potuit vt ex eius collatione litterarum notæ linguis recens enatis poſſent applicari. Quo enim modo Biſcainus, ſolius ſui ſermonis peritus, ex alia lingua iam ſcribi conſueta litterarum ſibi figuras mutuabitur? Num poteſt fortè ſcientia vlla ex rebus ignotis comparari? Num imitationis exempla queunt ex iis duci quæ prorſus ignorantur? Quòd ſi nullo modo in noſtram id cadere poteſt cogitationem, vt ex ignotis ignota diſcamus; fatendum erit, vnà cum prima locutione primam quoque ſcribendi periiſſe rationem. Quamobrem ſi ea recuperanda erat, non potuit aliunde peti, quàm ab iis qui eam retinuiſſent. Cùm igitur & Moſes, & totius vetuſtatis cùm apud hiſtoriographos, tum apud poëtas celebratæ conſenſus oſtendat, primum ſermonem in Oriente manſiſſe, committere non poſſumus quin fateamur, litterarum vſum iam vnà cum prima lingua in Occidente abolitum, ab Orientalibus fuiſſe mutuandum. Hoc itaque conceſſo, quærendum qui primarij eorum fuerint qui in iis locis permanſerant, circa quæ & arca conſedit, & vitis eſt inuenta, & prima poſt diluuium hominum ſedes collocata. Vt in coloniis emittendis non ipſe ſummus magiſtratus ex vrbe ſua ad nouam emigrat, ſed alios amandat; nec paterfamilias, dum ſedes liberis ſunt ampliandæ, è domo ſua diſcedit, ſed quos viſum fuerit aliò emittit habitatum; ita Nochum quoque feciſſe exiſtimare debemus. Contra naturæ ordinem,contra omnem omnis imperij & patriæ poteſta-

Ex litteris Hebraicis in ipſorum ratione nullam orationem conſurgere.

Scribendi prima ratio cum primo ſermone vnà periit.

poteſtatis dignitatem ſententiam dixerit, ſi quis non dico aliter faciendum, ſed cogitandum etiam iudicarit: atque idcirco non arbitror pluribus mihi opus eſſe ad id perſuadendum, de quo nemo, qui modò non omnino ſit communis ſenſus expers, dubitare poſſit. Cùm ergo Nochus omnium pater eſſet, atque hoc ſuo iure Rex omnium, & vnà Pontifex maximus, non poſſumus nec naturæ ordini, nec rectis humanæ ſocietatis inſtitutis conſentire; niſi dicamus Nochum in primis ſedibus à ſe occupatis imperantem, eos quos vellet ad alias terras colendas emiſiſſe. Deinde nec venerandum patris ſenium, nec regia toti orbi imperantis maieſtas, nec ſacroſanctũ Pontificis maximi nomen ferebat, vt nullum omnino filiorum ad ſubſidium ſuum apud ſe retineret. Quem igitur dicemus apud eum manſiſſe? Quem alium, quàm eum quem ſacra hiſtoria gratiſſimum ipſi fuiſſe tradit, quemque fauſtiſſimis verbis fratrum ſuorum imperatorem & dominum ipſemet conſecrauit? Commigrantibus ergo duobus fratribus vnà cum ſuis, Nochus & Iapetus ad Nyſam & Bactra remanſerunt, & vicina loca colonis frequentarunt. Interea qui ad Sennaar conceſſerant, & in maximam hominum multitudinem excreuerant, paullatim cœperunt à vera pietate & priſca religione degenerare, & in giganteam viuendi rationem relabi: vti apud eos fieri ſolet qui in Regis & Pontificis abſentia bonos mores & veteres in Deo colendo ritus primùm negligunt, deinde contemnunt, poſtremùm abiiciunt. Hæc autem vitæ licentia & corruptela tam immanes breui fecit progreſſus, vt nihili facientes ea quæ à Nocho patre ſuo & ſacrorum antiſtite acceperant, in tantam proruerint dementiam, vt arcem fabricari moliti ſint, qua ſeſe aduerſus Deum tuerentur, ſi forte iratus diluuio rurſus terras cooperiret: quod impium ipſorum propoſitum præſenti vltione punitũ eſt ad eum modum, vt primo ſermone ſtatim apud omnes perdito, plures & confuſæ linguæ audirentur, nec alius cum alio loqui poſſet aut communicare. Vnde & religio ipſa magnam mox cladem accepit, abolita nimirum ea lingua è qua diuina nomina & ſollennes precum formulæ petendæ fuiſſent. Nochus tanta ſuorum clade & diuini cultus iactura audita, nihil ſibi prius duxit, quàm vt quamprimùm rebus lapſis ſuccurreret; atque, quoad eius fieri poſſet, religionem & bonos mores inſtauraret: quod cùm citra præſentiam ſuam fieri non poſſe cerneret, coactus eſt de noua peregrinatione cogitare, & regiam ſuam Nyſam, primam poſt diluuium vrbem, nepotibus ſuis committere gubernandam. Quia verò iam admodum ſenex eſſet, nec tot laboribus par futurus; nec æquum videretur ſummum monarcham, & eundem Pontificem maximum, citra inſignem aliquem adiutorem & miniſtrum tantam ſuſcipere expeditionem, tantaſque aggredi moleſtias, Iapetum filium ſuum cariſſimum Archidiaconum ſibi ſumſit; cuius nimirum tum ſuaui conuictu ſuam recrearet ſenectutem, & animi ægritudinem, quam ex noua ſuorum clade acceperat, ſolaretur, tum fido miniſterio deuios Semigenas & Chamigenas, & ſi qui, vt veriſimile eſt, ex Ianigenis vnà fuiſſent, ad rectam religionis doctrinam reuocaret, ac denuò litterarum vſum, quem perdiderant, doceret. Et oportebat alioqui Iapetum ſedulò curare, vt quos in minore Aſia vicinos eſſet habiturus, eos veris de Deo opinionibus imbueret, ac ſi quid in iis corruptũ inueniret, id diligentia ſua emendaret, ne mala viciniæ contagione tandem etiam ſui corriperentur. Deinde tempus iam erat vt iter in Europam pararet, terram ſibi de patris voluntate contributã, in qua diuino inſtinctu acceperat, completum iri eam quam pater conſecratione ſua promiſerat, poſterorum felicitatem. Sic igitur Nochus & Iapetus iter inſtituunt, vt ex Oriente Occidentem verſus pergant; atque ille quidem Epiſcopi partibus fungens ſacros ritus & cærimonias inſtituit, & quì ſacris operandũ eſſet exemplo ſuo cõmonſtrat. Verùm quia non intelligebãtur à Babyloniis, cogebantur Chaldaicum & Hebraicum ſermonem ediſcere: cuius facultatem aſſecuti, veram priſcæ religionis doctrinã, quam Sethini ab Adamo vſq. per manus acceperant, tradunt. Quò autem ea ad poſterorum quoque memoriam pertineret, Iapetus eos vetuſtos docuit characteres, eoſque iiſdem nominibus nuncupauit, quibus in primo ſermone & olim ante cataclyſmum fuerant vocati, & adhuc apud Bactrianos & Margianos & ceteros Iapeti filios vocabantur. Hinc itaque vetus ille de Cadmo ſermo: quo nomine Iapetum, quòd ex oriente ad ipſos veniſſet, appellarunt occidentales; eiuſque patrem Agenorem dixerunt, eo quòd ampliſſimus crater lucis eſſet; quippe is qui non ſolùm primus crateras meri hominibus propinaſſet,

Nochi poſt diluuiũ ſedes.

Linguarum confuſionis occaſio.

Nochus & Iapetus ex Oriente in Occidentem proficiſcuntur.

Iapetus Cadmi, Nochus Agenoris nominibus appellati.

propinaſſet, verùm etiam lucem omnis religionis, omnium ſcientiarum, omnium artium magno cratêre largiter omnibus effudiſſet. Fingitur autem Agenor Phœniciæ Rex, eo quòd illic diu conſederit, quò medius eſſet inter minorem Aſiam & Semi & Chami regiones, ad quas Iapetus docendi cauſſa ſæpius excurrebat. Hinc Damaſcus nomen accepit, eo quòd illic Nochus totius ſanguinis ſui procurator & gubernator diu moratus fuiſſet. Neque enim alio nomine aliaue cauſſa hanc ſibi ſedem delegerat, quàm vt ad eam ceu commodiſſimam omnes ſuos filios & nepotes verum ſuum ſanguinem conuocaret, comitiaque ad remp. totius orbis conſtituendam haberet, omniumque regionum habitatarum religionem & ſalutem procuraret. Eſt autem hæc phraſis qua ſanguis pro cognatis ponitur, linguæ noſtræ vernacula atque inde conijcio ipſum Nochum ſermonis iam Phœnicum peritum, Damaſci nomen vrbi indidiſſe; quò intelligerent omnes eiuſdem linguæ homines in ea Nochum tamquam in puppi clauum gubernaculi tenuiſſe, quo totius orbis velut vna nauis in vaſto & procelloſo opinionum oceano dirigeretur. Eſt itaque Damaſcus compoſita dictio ex דם, quo ſanguis notatur, & מֶשֶׁק, qua voce procuratio & procurator dicitur. Poteſt tamen eadem vox Cimbricam habere interpretationem, & eam quidem perquàm conuenientem Hebræorum ſcripturæ. Si enim דמשק ſic efferas, vt idem ſonet quod D'om-ſcit, nihil aliud in veterum Nyſæorum lingua ſignificaueris, quàm bonam domus diſpoſitionem; propterea quòd Scit idem ſit quod ordino; D'om verò conciſum ſit ex articulo De & Hom, quo domus notatur; quam vocem Britanni hactenus ſeruant ab Hui-om, id eſt, vndique cuſtodio & tueor. Hinc veriſimile fit מֶשֶׁק pro gubernatore originem e prima lingua duxiſſe, atque ſic dici, quaſi Me-ſcit nobis eſſet; quo is vocabitur qui in rebus ordinandis cuipiam ſocius eſt & adiutor. Verùm id minimè prætereundum, vrbem prius דַּרְמֶשֶׂק dictam fuiſſe, quo ad verbum notatur D'arme-ſcit, id eſt miſerorum ordinatio; quoniam nimirum illic Nochus miſeros ſuos filios & nepotes in ordinem redegit, & confuſam ipſorum cum remp. tum religionem iuſta via & ratione diſpoſuit. Græci quidam Damaſci nomen viri cuiuſpiam fuiſſe credunt, qui vites à Baccho ſub Libano conſitas ſecuri exciderit: ob quod ſcelus cùm à Baccho excoriatus fuiſſet, pro Damaſco dictus fuerit Darmaſcus; quaſi vter excoriatus vocaretur. Alij aliter; inter quos quidam Aſcum Gigantem Lycurgi ſocium fuiſſe fabulantur, & ab eo Bacchum ligatum, atque in flumen præcipitatum fuiſſe: mox Dionyſium quidem à Mercurio liberatum, Aſcum verò excoriatum, pellem ſuam vtri conficiendo, quo vinum ſeruaretur, reliquiſſe. Videmus hic obſcura quædam antiquitatis veſtigia Nochum nobis ſub Bacchi nomine indicantia: e quibus probabile redditur Nochum vrbis fuiſſe conditorem, & in ea giganteam & confuſam miſerorum hominum vitam legibus & inſtitutis diſpoſuiſſe atque formaſſe. Atque hoc illud eſt quod de Dionyſio & Gigante fabulantur. Vocatur autem & Hermes in partes, eo quòd Nochus & Ianus vetera nomina iis qui Babylonicæ interfuerant confuſioni, coacti ſint interpretari. Quamuis itaque Darmaſcus principiò vrbs nominaretur, melioris tamen ominis cauſſa vox ad eum modum eſt commutata, vt Hebræis quidem ſanguinis ordinationem; Nyſæis verò domus diſpoſitionem deſignaret. Porrò hæc probabiliora redduntur Nyſæ & Scythopolis vicinia: quarum illa clariſſimè clamat, ſe à Nyſa Indoſcythica ſiue Merica nomen accepiſſe; hæc verò, quamuis Græcam habeat nomenclaturam, oſtendit tamen Scythas primos ſuos indigenas fuiſſe. Quos verò alios in ea Scythas habitaſſe ſuſpicemur, quam eos à quibus prima poſt diluuium ætas Scythiſmi nomen accepit? quod ita eſſe licet nec de nomine, nec aliunde, ex ipſa tamen Nyſa doceretur. Dicitur enim Scythopolis in Nyſa regione Syriæ condita fuiſſe, ita vt regio Nyſam antiquiorem, vrbs primos Scythiæ habitatores memoriæ ſuggerat. Plinius à Libero patre Scythopolim conditam, & eò Scythas deductos docet; nomen verò Nyſæ de nutrice ipſius datum fuiſſe. Quæ verò Nyſa nutrix Bacchi fuit? Ea nempe quæ in Mero Liberum patrem vitigineo ſuo liquore ſuauiter lactauit. Prodidit Stephanus, Scythopolitanos olim Bæſos vocatos fuiſſe: quod nomen vt nec ab ipſo nec ab alio eſt intellectum, ita nobis perſpicuam habet interpretationem. Hactenus enim Baes pro eo ponitur qui toti domui præeſt, ab alimentis ſuppeditandis nomen adeptus, & Baes quaſi Bie-aes vocatus, id eſt, præbens nutrimentum. Nochus ergo & Ianus & eorum ſocij Bæſos ſe vocarunt, propterea quòd in regione illa non ob aliam

Agenor cur Phœniciæ rex fingatur.

Damaſcus vnde nomen acceperit.

Damaſci etymon.

Scit.

Hom.

Aſcus gigas.

Nochus Bacchi nomine intelligitur.

Scythopolis in Nyſa regione.

Nyſa Liberi patris nutrix

Baſi nomen vnde Scythopolitanis impoſitum

Baes.

aliam cauſſam commorarentur, quàm vt miſero populo alimenta præberent; non illa quidem corporum, ſed animorum; quæ verum hominum pabulum vocari merentur. Quis modò tam læuo ingenio erit, quis tam obſtinata probabilibus repugnandi pertinacia, vt nec ex Nyſa, nec ex Bæſis, nec ex Scythis, nec ex Damaſco, nec ex omnium horum conſenſu ſibi perſuaderi ſinat, Nochum, quem Liberum patrem vocant Latini, in illis locis quondam conſediſſe, & has vrbes ſui reliquiſſe monumenta? Primus ergo huius partis Syriæ conditor quam Phœniciam plerique veterum nominarunt, tametſi frequentius id nomen maritimo tractui detur, Nochus dicetur fuiſſe; quem Syra lingua Agenorem idcirco vocauit, quòd ſe fecundiſſimum præbuerit omnis lucis craterem.

Phœniciæ primus conditor Nochus.

Huius igitur filius Iapetus litterarum tum figuras tum nomina Phœnicibus tradidit, quem Cadmum vocarunt; & quia ex oriente cum patre veniſſet, & vt perpetuò poſteri recordarentur, litterarum & nomina & figuras ex Nyſa Scythica originem habuiſſe. Tacitus Phœnices litterarum figuras aliunde quidem accepiſſe ſcribit; ſed dum ab Ægyptiis eas petit, ex diametro cum veritate pugnat. Eadem enim ratione Iapetum Cadmum Phœnices nominarunt, qua Ægyptij fabulam de Bet confinxerunt; propterea quòd, vt Bet oſtendit vnde panis doctrina ad Ægyptios venerit ſacerdotes; ita Cadmi nomen docet ab Orientali homine in Babyloniam & Syriam litterarum veniſſe & nomina & figuras. Poſtquam verò Iapetus ſatis diu Phœnices docuiſſet, iuſſus eſt à patre ſuo in Europam nauigare, quæ filia Agenoris fingitur, quia eam præ ceteris terris maximè videtur adamaſſe: quod ſatis declarauit, dum ad eam quærendam cariſſimum ſuum filium amandaret.

Europa cur Agenoris filia.

Memini alibi Europæ nomen ſic me interpretatum eſſe, vt perfectam hominum multitudinem indicare dicerem: hîc addam non hanc modò, ſed aliam etiam in hoc nomine ſuccurrere notionem, quam intelliges, ſi ea quæ de Francorum inſignibus ſcripſi conſulas: in quibus oſtendi hoc nomine maximum myſterium humanæ ſalutis denotari. Eſſe enim vocem in E-ur-hop ſoluendam, atque ſic interpretandam, vt vnionis & connubij excellens ſpes denotetur.

Europæ etymon.

Non caret ergo magna ratione quòd Europa Agenoris ſiue Nochi filia dicatur. Spes enim vnionis, qua Ianigenæ erant per Chriſtianam fidem Deo rurſus copulandi, è Nocho, tamquam diuino magiſtro & propheta altiſſimi, nata erat; idque tum cùm in conſecratione Iapeti indicaret, aliquando fore vt in tabernaculis Sem habitaret, & Chanaan ſeruus eius eſſet. Iuſſit ergo Agenor vt Cadmus Europam quæreret, vel alioqui exſulij pœnam ſubiret. Et certè exſulaturus erat, niſi Europam, ſiue præſtantem vnionis ſpem, inueniſſet: nec vulgari quidem exſulio, vt eo quo è patria cæleſti excluderetur. Iapetus igitur Cadmus eſt, id eſt, orientalis apud Phœnices litterarũ doctor: qui vt prius eas Damaſci & in Phœnicia & locis vicinis oſtendit; ita mox inde eaſdem in Europam quoque portauit.

Iapetus in Europam à Nocho deſtinatus ibidem litteras docuit.

Hinc vetus fama, Phœnices primos eſſe litterarum inuentores; quòd nimirum poſt Babylonicam confuſionem Iapetus eas in Syrophœnicia primùm tradidiſſet. Hinc modò liquet, Cadmum litteras multò antè inuentas primùm in Syria & Phœnicia docuiſſe, ſed ei minimè deberi primam earum inuentionem.

RVRSVS igitur alia via quæſtionem aggreſſi, inueſtigemus quis tandem princeps fuerit huius tam illuſtris ornamenti, quo ſcientiarum omnium & artium atque adeò ipſius religionis memoria conſeruatur. Hîc ea nobis via tenenda, qua de rerum priſcarum veritate vetuſtiſſimus quiſque ſententiam rogatur: quam ſolam rectam eſſe Socrates, cuius paullò pòſt verba recitabo, clara voce confitetur. Si nobis dubias obſcurorum hominum & nullis idoneis teſtibus nixas opiniones in medium adferre placuiſſet, facillimè docuiſſemus, litterarum vſum ante diluuium fuiſſe. Scribit enim Ioſepus ex ſuorum hominum, ni fallor, traditione, duas ante diluuium à Sethinis columnas erectas fuiſſe; alteram lateritiam, ne igne diſſiliret; alteram lapideam, ne aquis corrumperetur: quarum vtrique Aſtronomiam inſcripſerunt. Accepiſſe enim eos ab Adamo geminam totius orbis euerſionem futuram; alteram per vim ignis, alteram per vaſtam aquarum inundationem; & idcirco cauiſſe, vt vtrouis modo mundus periret, cæleſtium ſaltem motionum doctrina ſupereſſet.

Aſtronomiã duabus colũnis ante diluuium inſcriptam falsò à Ioſepho tradi.

Egregium ſanè commentum; ſed tale tamen, vt nemo mihi Iudæorum ſit perſuaſurus. Dignam ſcilicet piis viris curam audimus, dum magna ſollicitudine hoc agitur, ne aſtrorum curſus vlla vmquam obliuione perdatur; quo nihil eſt quod ſuiipſius cognitionem faciliùs & certiùs queat tueri. Si bene res omnes expen-

expendiſſent, hac cura Soli & Lunæ, qui ceterorum ſiderum reuerſiones metiuntur, relicta, hoc omni ſtudio contendere debuiſſent, ne oracula de generis humani per Chriſtum ſalute apud poſteros ignorarentur. Diluuium autem futurum legimus Nocho primùm fuiſſe à Deo reuelatum; & eius ſcriptoris qui hoc prodidit, tanti facimus auctoritatem, vt eos qui diuerſa tradunt, aut nihili aut minoris nihilo æſtimemus. Bene igitur valeat Ioſepus cum ſuis columnis: nos interim Moſem ſequamur, ne tàm ſiniſtram de Sethinorum piis animis concipiamus opinionem, vt maiorem Aſtrologiæ quàm religionis & vaticiniorum à maioribus editorum rationem atque curam eos habuiſſe dicamus. Porrò quæ de prophetia Enoch D. Iudas citat, ea poterant per manus primùm à maioribus accepta, & multo pòſt à quopiam litteris tradita fuiſſe: tametſi ſciam & ea inter apocrypha numerari, atque idcirco minùs idonea eſſe ad fidem dubiis & controuerſis rebus faciendam. Ante cataclyſmum igitur nullam inuenio firmam ſacræ ſcripturæ teſtificationem, qua ſcribendi tum rationem exſtitiſſe conſtet. Poſt diluuium deprehendo Iacob & Laban lapides erexiſſe, quibus fœdus inter eos initum inſcriptum fuiſſe vix dubitare poſſum. Iam idem Iacob titulum ſcribitur erexiſſe in loco in quo Deus eum fuerat allocutus; qui niſi aliquam habuerit inſcriptionem, haud video quis eius vſus eſſe potuerit ad memoriæ omnino vllius perennitaté. Qui Moſi hanc laudem adſcripſerunt, longiſſimè mihi videntur aberraſſe; cùm ſacris litteris proditum habeamus, eum omni ſcientia Ægyptiorum eruditum fuiſſe, atque inde veriſimile reddatur, Ægyptiis litteras multo prius fuiſſe vſitatas: idque eo credibilius ſit, quòd Hieroglyphicorum antiquitas omnem omnium ſcriptorum memoriam longiſſimè excedat. Cui verò præclarum hoc munus vti primo datori acceptũ ferant Ægyptij, Plato indicauit, aiens apud eos Theut primum haberi litterarum inuentorem; & non litterarum tantùm, ſed arithmetices etiam & omnium aliarum diſciplinarum. Quis autem Theut, ſiue Thot, vt alij ſcribunt, fuerit, de vetuſtiſſima Philonis Biblij narratione, è Sanchuniathone Berytio antiquiſſimo Phœnicum ſcriptore ſumpta, perſpicuum fiet. Is enim quem Græci Hermen vocant, apud Phœnices Taantum, apud Alexandrinos Thoot, apud Ægyptios ceteros Thoyt dicit nũcupari; addens hunc litterarum eſſe inuentoré. Vixit autem hic Sanchuniathon, teſte Malcho Phœnice, non multò poſt Moſen; ea ætate qua Semiramidé quidam regnaſſe ſcribunt, qui ſuam de mundi exordio opinioné ex ipſius Taanti doctrina cõfirmat, aiens eum Saturni ſcribam fuiſſe. Cicero item tertio De natura Deorum Mercurium apud Ægyptios Thoyt vocari aſſerit, eique primum anni menſem ſub eodem nomine dedicari. Nos licet quis Thoot ſit, & cur ſic vocetur, in Gallicis noſtris ſatis declarauerimus; hîc tamé id breuiter repetere cogimur. Thoot tam perſpicuæ apud noſtrates & indubitatæ eſt notationis, vt nemo ſit qui non ſtatim intelligat ipſum caput eo deſignari. Cùm igitur Thoot dicimus, non adiicientes de cuius capite loquamur, meritò menté attollimus ad ipſum caput totius vniuerſitatis: quod niſi faceremus, à Grammaticorum & Sophiſtarum pueris non iniuria rideremur; qui mox in ipſis litterarum initiis à magiſtris ſuis Exoches figuram docentur. In noſtro ſermone ea viget hactenus loquendi conſuetudo, vt cuiuſuis ordinis & corporis ſupremũ Hootman vocemus: quod ſi Latinè capitalem virum verteres, inſolentem faceres & abſurdum ſermonem. Qui rerum ſigillatim ſuis vocibus exprimendarum quàm Ciceronianicæ dictionis ſunt ſtudioſiores, Capitanei nomen receperunt: qua voce ſi noſtrates ad phraſim ſuam vernaculam exteris hominibus explicandam aliquando vtantur, minime accuſandi videntur. Scimus principes dici poſſe, ſed ea vox capitis vim non exprimit; nec illud deſignat imperium quod capiti eſt in cetera membra, nec itidem eam obedientiam qua omnia membra reliqua capiti promptiſſimè parere cernuntur. Hanc tam inſignem & lucuſentam ſignificandi efficacitatem totam videbis perire, ſi capitis omittas mentionem: & profectò fruſtra aliud vocabulum quæras quo breuiùs, quo clariùs, quo copioſiùs & ſupremi magiſtratus & eorum qui magiſtratui ſubſunt officium ob oculos ponas. Sed hæc non curat Ciceronianus Hippoclides, qui pulcerrimarum paſſim rerum iacturam facere mauult, quàm voculam aliquam admittere, qua M. Tullius non ſit vſus. Quemadmodum igitur Hootman capitaneum virum ſignificat, ita Thoot ſolum pronuntiatum ipſum caput ſignificat; non alicuius quidem viri aut ciuitatis aut exercitus aut alterius corporis, ſed ipſum, inquam, caput vniuerſorum. Thoot autem compoſita dictio eſt ex articulo

Ægyptij Theut primũ litterarum inuentorem putauerunt.

Theut quis fuerit Ægyptius.

Hermes.

Taantus.

Thoyt.

Sanchuniathõ Berytius, antiquiſſ. Phœnicũ ſcriptor.

Thoot.

Hootman.

Capitaneus.

Het

Het & Hoot/e quibus de more noſtrati Thoot formatur,vt ipſum caput denotetur. Quòd ſi iam velimus ipſas antiquiſſimas Mercurij ſtatuas ſiue hieroglyphica ſimulacra cum vocali ſymbolo conferre, deprehendemus adamuſſim hæc ad illa quadrare, nec aliam per ipſum nomen auribus vſurpatum, aliam per aſpectabile ſignum notionem repræſentari. Et hæc quidem vera eſt norma ad quam ſacra veterum ſimulacra ſiue hieroglyphicæ notæ ſunt examinandæ: & rurſus ea vera eſt nominum interpretatio, quæ vetuſtiſſimis ſacrorũ reſpondet figuris. Si enim nomina ſymbola ſint,neceſſe eſt vt cum ipſis adſpectabilibus imaginibus conſentiant, & illud exprimat nomen quod figura demonſtrat. Hoc igitur ſit nobis omnium hieroglyphicorum principium & ſolidum fundamentũ,cui omnia noſtra quę de id genus imaginibus trademus,innitentur. Quamobrẽ ſi Thoot ipſum caput ſignificet,ſitque hoc Cimmeriũ Mercurij nomen,atque huic conueniens fingẽda ſit ſiue ſtatua ſiue pictura ſiue ſcalptura, eandem oportet nobis proponamus notionem quam nomen indicauit.

Hieroglyphicarum notarum explicandarum recta ratio.

Quales olim Hermæ fuerint (ſic enim vetuſtiſſimas Mercurij ſtatuas nominabant) neminem puto latere eorum qui vel à limine veteris mythologiæ ſtudium ſalutarunt;nec ij qui in vetuſtis Romanorum monumentis inquirendis verſati ſunt, terminorũ formam ignorare poſſunt:quam dum vident, Hermas ſe videre credant. Macrobius etiam auctor eſt, pleraque Mercurij ſimulacra quadrato ſtatu figurari ſolere, ſolo capite inſignita: quam formam quis non videt eſſe terminorum?Phornutus præterea quadratas ſtatuas ſine manibus& pedibus Mercurio tribuit:cuius tamen figuræ cauſſam non prorſus eſt aſſecutus.Et hæc quidem fuit antiquiſſima Mercurij forma;cui pòſt Athenienſes,teſte Herodoto,erecta faſcina adiecerunt,ritu eo accepto à Pelaſgis: cuius cauſſam in Gallicis meis habes explicatam. Nunc igitur ſi huic columnæ quadratæ,ſolo capite ſupernè inſignitæ,Cimmerium nomen dandum ſit,an non rectiſſimè Thoot vocabitur,id eſt,ipſum caput? Viden' quàm vocale ſymbolum cum ſtatua quadret,quamque aptè eandem vtrumq. ſignum exprimat notionem?

Mercurij ſtatuæ ſiue Hermæ quales olim fuerint.

Cùm ergo in vetuſtiſſimo Mercurij tum nomine tum ſimulacro caput agnoſcamus, quærendum vlteriùs, cui vel homini vel Deo hoc ſignum fuerit à priſcis conſecratum; aut quid tandẽ hoc figmentum, cui nec pedes eſſent nec manus,denotarit. Hoc,ſi Cimmerio ſermoni credamus,obſcurum eſſe non poteſt; cùm per ipſum caput aliud intelligere nequeamus quàm totius vniuerſitatis Imperatorem, cui ad vnam omnes totius & adſpectabilis & nõ adſpectabilis mundi partes,quales quales tandem ſunt,perinde atque capiti ſuo debent obedire. Erant igitur Hermæ ipſius Dei ſimulacra & hieroglyphica ſigna,quibus principiò graues ſententiæ & vtilia vitæ præcepta incidebantur; vt qui legerent, ſtatim de figura capitis cognoſcerent, eorũ veritatem ab ipſo Deo pendere,& non aliter accipienda eſſe quàm ſi à ſummo totius vniuerſitatis capite fuiſſent pronuntiata.

Hermæ quid ſignificent.

Hinc Hipparchus plurimos Hermas, teſte Platone & aliis,Athenis erexit, quibus ea inſcripſit,quæ putaret maximè facere ad communem hominum ſalutem.Horum quanta fuerit reuerentia, eo maximè tempore, declaratum eſt; cùm capita eorum deiecta magnum periculum plurimis pepererunt,& non Alcibiadem tantùm,ſed complures etiam alios miſerè vexarunt.

Hipparchus Athenis plures Hermas erexit.

Primus ergo & antiquiſſimus Hermarum vſus fuit, vt iis graues ſalutareſque ſententiæ inſciberentur,& præterea quicquid in vllo diſciplinarum genere ab ipſo Deo proficiſci videretur; atque idcirco in triuiis atque quadriuiis & aliis locis plurimùm frequentatis erigebantur,quo publicè quæ diuina eſſet voluntas,omnes monerentur.

Hermarum primus et antiquiſſimus vſus.

Sicut autẽ apud Ægyptios à capite nomen acceperunt;ita apud Græcos Hermæ dicti ſunt ab hac publica admonitione, quoniam nimirum Herman idem ſit in ſermone Cimmerio, quod publicè moneo; ſicut Herban publica via eſt, & Hertog communitatis dux. Latini Mercurij nomen ex eadem lingua ſeruarunt,quo conſiderationis excellentia denotatur: & huic nomini alæ petaſi reſpondent, quibus cogitandi celeritas indicatur.

Hermæ notatio.

Herman. Herban. Hertog.

Deus ergo ſic conſideratus vt caput eſt omnium,Thoot;vt omnes publicè monet,Herman;vt & ipſe ſui ipſius præſtantiſſimus contemplator,& ceteris contemplationis excellẽtiam largitur,Mercurius nuncupatur. Hîc non otioſè animaduertas oportet,tria vetuſtiſſima Dei nomina noſtratia eſſe,nec eorum vllum ab illis gentibus à quibus vſurpatur,ad originem vocari poſſe. Nec enim Ægyptij quid Thoot ſignificet intelligunt,nec Græci vocis Hermæ rationem inuenire domi ſuæ poſſunt, nec Latini Mercurij nomen rectè interpretabuntur. Quamuis enim Mercurium à mercibus,quibus præſit,Romani

Deus quibus rationibus Thoot Herman & Mercurius nominetur.

Mercurij etymon.

dici exiſtiment; earum tamen terminis minimè circumſcribitur amplum huius Dei regnum: quod, tantum abeſt vt ſordibus mercatorum finiatur, vt ne tota quidem terræ latitudine contineatur; ſed maximam ſuam poteſtatem per omnes cælos & corũ exercitus, per ipſos etiam Manes & obſcura Tartara extendat: ad quæ omnia & horum ſingula, non viles hominum merces, at præſtantiſſima volucris mentis conſideratio, quam *Mercur.* Mercur nobis ſignificat, pertingit. Quid? quòd & Mercis nomen noſtratis eſt originis, vt *Merx, mercis.* in Gallicis copioſe declaraui. Græci Herman dici putant quod ſit interpres: verùm in hac etymologia cancri modo procedunt, propterea quòd ab Herma ἑρμηνεύειν, non contrà, deriuetur. Verùm vt hoc hyſteron proteron illi demus, ex eo tamẽ minime efficiẽt, vt rationem verbi ἑρμηνεύειν è domeſticis ſuis copiis aſſignare poſſint. Nos ſcimus Herman illud vocari quod publicam rei cuiuſpiam habet monitionem: quo fit, vt Deus admirabili ingentium & ſtupendorum operum ſuorum ſpectaculo homines diuinæ prouidentiæ & maieſtatis commonefaciens, Herman tanto priùs ſit vocandus, quanto hæc monitio ceteris omnibus antecellit. Alia verò inferiora tantum habent rationis, vt ad nominis admittantur communionem, quantum virium habent ad res quaſpiam vtiles *Sermo cur in Hermæ tutela.* & ſalutares publicè monendas. Hinc quia ſermo inter homines communis eſt eorum monitor quæ cogitantur, factum eſt, vt is maxime in Hermæ præſidio eſſe atque tutela *ἑρμηνεύειν.* putaretur: qua de re factum, vt ἑρμηνεύειν pro ſermocinari, & quæ obſcura ſunt interpretari, in vſum Græcorũ veniret. Num quicquam hìc Græcus habet quod opponat? num aliam poteſt verbi originem explicare? Si quid habet, in medium afferat: ſin nihil inuenit, fateatur neceſſe eſt, (niſi Platonem deſerere velit,) hoc verbum peregrinos habere natales. Videmus itaque non Ægyptios tantùm, ſed Græcos etiam & Latinos primo litterarum & ceterarum artium liberalium inuentori ac datori nomen de noſtro ſermone mutuatos eſſe; idque tam olim, vt nihil prius aut antiquius commemorare poſſint. Phœnices ex Thoot / Taaut fecerunt, dum quid nomine denotaretur ignorarent; niſi fortaſſe Philonis Biblij liber fuerit corruptus: & ceteroqui nihil miri, ignotæ originis vocem ab hominibus eam non intelligentibus corrumpi, & ſemel vitio cuiuſpiam *Mercurij apud Hebraeos notitia.* corruptam, perpetuò deinde corruptam manere. Videamus nunc an Hebræi quoque, qui Ægyptiis & Phœnicibus medij ſunt, aliquam etiam habeant Mercurij notitiam. Scio Prouerbiorum capite viceſimo ſexto ſcriptũ eſſe: *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij; ita qui inſipienti tribuit honorem:* quo loco pro aceruo Mercurij Hebræi *Marguma.* legunt Marguma, quæ vox pluribus plurimum negotij fecit; & mirum eſt quàm frigida & ridicula quidam de ipſa ſomniarint. Equidem de illorum controuerſia ſic colligo, peregrinam ipſis vocem eſſe, & idcirco me nihil mirari, magnas de illius interpretatione *Lapidum cumuli in viis à viatoribus congeri ſoliti.* lites exſtitiſſe. Illos laudo, qui Mercurij aceruum verterunt. Solent enim apud priſcos in viis lapidum cumuli congeri, ad iter viatori demonſtrãdum: quibus ij qui præteribant & eorum beneficio de recto itinere tenendo moniti eſſent, lapidem adiicere, quò paula- *Marcman.* tim aceruus viæ monitor augeretur. Hunc igitur Marc-man vetuſtiſſimi nuncuparunt; quod ad verbum redditum deſignat limitis monitorem, vel monitorem qui diligenter *Marc.* ſit conſiderandus, vel eum qui monet vt accuratè quippiam contemplemur. Marc enim dum verbũ eſt, idem notat quod diligenter attendo: at dum nomen eſt, quoduis ſignum generatim ſignificat, & peculiari notatione pro quouis limite vſurpatur. Ex Marc-man quàm facilè Marguma factum ſit quiuis facilè cernet. Dicit ergo Salomon, eum qui inſipienti tribuit honorem, non plus gratiæ apud eum inire, quàm is init qui lapidem in aceruum mittat Mercurij, quid accipiat nihil prorſus intelligentem. Sunt hactenus in Hiſpania id genus acerui quamplurimi; quorum non paucos vidi dum ex Auguſta Emerita Guadalupam proficiſcerer. Quamuis igitur Marc-man & ab Herma & à Mercurio differre videatur, re tamen & nomine ſic conuenit, vt priorem ſyllabam eandem habeat *Merc.* cum Mercurio; poſteriorem eandẽ cum poſteriore in voce Herman. Marc enim & Merc nullo apud nos ſignificationis diſcrimine pro diligenter attentéque conſiderare ponun- *Marcus.* tur. Vnde Marci prænomen apud Romanos è vetere Cimmeriorum lingua remanſit; cuius originem ridiculam & ineptam Grammatici dederunt. Is igitur qui nos commonefacit vt accuratè in re quapiam expendenda conſiderandáque verſemur, Marcman dici poteſt: nèc minùs is qui nobis limitem deſignat; quorum vtrumque iuxtà Herma- *Marcomani.* rum proprium fuit munus. Quamobrem non malè acerui viarum indices Marcomani

dicti

dicti ſunt: in quo tamen quiſquam forte quæret, an Marcomani vetus Germaniæ populus nomen habeant eiuſdem ſignificationis. Aliud apud nos Man vocali breui, aliud vocali longa deſignat: per breuem quidem elatum, virum denotat; per longam idem eſt quod moneo; ita vt Marcoman vocali breui virum limitaneum denotet: quo ſanè modo dum populo tribuitur, eſt & pronuntiandum & exponendum, eo quòd is orientalem Germaniæ limitem quondam teneret, & ab eo nomen ſortitus eſſet. Marcoman verò poſtremam ſyllabam producens, id notat quod modò explicatũ; è quo Marguma ſiue Margoma Hebræi fecerunt. Sed nimium diu his immoramur, cùm eadem à nobis alibi ſatis prolixè tradita ſint; vbi quid Man/ quid conuerſum Nam ſignificet, vnà cum iis quæ annexa ſunt, expoſui. Fuit tamen hæc vocum interpretatio neceſſariò mihi in memoriam vocanda, vt ex ea tandem liqueret, cui litterarum omniumq. artium liberalium inuentio ab antiquiſſimis fuerit attributa. Quando nemo neſcit, vocem nullius alterius appendice ad certum quiddam denotandũ coarctatam, pro eo accipiendam eſſe, quod ſit præſtantiſſimum eorum quibus applicari poſſet; expendamus penes quem ſit ſumma contemplationis excellentia, quę Mercurij nomine denotatur. Si hîc Ariſtotelem rogemus, dicet ſummam & perfectiſſimam contemplationẽ eſſe ipſius Dei ſeipſum contemplantis, & æterna ſui contemplatione gaudentis. Rurſus ſi quæras, quis ſit excellentiſſimus totius mundanæ communitatis monitor Herman vocatus, confeſtim inuenies Deum eſſe; qui, vt modò dixi, admirabili cælorum & elementorum omnium machina, & eorum quæ illa complectitur, omnes publicè monet, non ſolùm ſe Deum ſolum eſſe, & ſolum adorandum; ſed præterea ſic nobis eius voluntatem ſequendam, vt in cælis eam perpetua obedientia obſeruari videmus. Porò cùm iam Thoot audis, an non mox ſupremum caput intelligis, vnaque intelligis, eius imperio tibi ſic eſſe obſequendum, vti membra corporis noſtri capiti ſuo obtemperare cernimus? Cùm igitur in his nihil amplius dubij ſit, nec aliter res queat ſupputari, neceſſariò cogemur fateri, primam litterarum ſcientiarumq. inuentionem Deo fuiſſe attributam: ab illis, inquam, qui horum nominum quæ expoſuimus auctores fuerunt. Operæ pretium fuerit hoc loco Platonis è Philebo verba audire, vbi rectam & numquam fallentem ad ſapientiam viam quærit. Non tamen eſt, Socrates inquit, præſtantior via, neque eſſe poterit, quàm ea eſt cuius ego ſemper amator ſum, ſed quæ iam ſæpe mihi fuga elapſa dubium me ac conſilij inopem conſtituit ac reliquit. Protarchus: Quæ eſt hæc, dicatur ſolummodo? Socr. Quam indicare quidem non admodum difficile eſt; vti verò longè difficillimum. Omnia enim quæ arti innituntur & vmquam inuenta ſunt, per hanc manifeſta facta ſunt. Conſidera quæ dico. Protarc. Dic tantùm. Socr. Deorum in homines donum, vt mihi videtur, alicunde ex Diis demiſſum eſt per quendam Prometheum, vnà cum lucidiſſimo quodam igne. Et veteres quidem nobis præſtantiores, & Diis propiùs habitantes. Hæc Plato Cornarij verbis; quæ deinde vetuſtæ idearum traditioni accommodat. Cerníſne hîc, eam Socratis fuiſſe ſententiam, omnem ſcientiam à Deo ad homines tamquàm clariſſimum donum veniſſe, & aliquem omnino primum fuiſſe, quem Deus ſcientiarum artiumque theſauris locupletarit; atque tanto antiquiores eſſe præſtantiores, quanto primæ artiũ traditioni ſunt propinquiores? Illud igitur nobis tenendum, vetuſtiſſimos minimè cuipiam mortalium, ſed ipſi Deo litterarum inuentionem adſcripſiſſe. Hinc quicquid vmquam rerum ſacrarum & ad reip. ſalutem tendentium litteris traditum fuit, id ad Thoot ſiue ad Hermen, ſiue ad Mercurium fuit relatum; quem idcirco Triſmegiſtum vocarunt, vt Deum vnum & trinum intelligeremus: quod dum ſimulacro aſpectabili ob oculos ponere vellent, vni quadratæ pilæ tria capita imponebant, clariſſimo indicio demonſtrantes, ſe nulli mortalium, ſed ſoli Deo ter maximo hanc ſtatuam collocare. Et hæc quidem fuit eorum ſententia qui nominum & ſymbolorum primi fuerunt architecti. Verùm poſteriores nomina quidem & ſimulacra à priſcis accepta retinuerunt; ſed paulatim ad eam tandem delapſi ſunt ignorantiam, vt nec voces quidem ipſas intelligerent; atque inde plebeio more de illis cogitantes, hæc nomina hominis alicuius propria fuiſſe putarẽt: vnde mox omnium errorum de Mercurio Triſmegiſto ſeminarium; de quo ridiculas admodum & aniles fabellas gentes omnes prodiderunt; inter quas & illa eſt quam Plato commemorat; Veniſſe videlicet ipſum Thoot ad Thamum Ægypti Regem, & ei cùm alias artes, tum ſcribendi rationem demonſtraſſe: quam, quia nota eſt in vulgus, & in libris Platonis

Man.

Litterarum ſcientiarumq; prima inuentio Deo tributa.

Triſmegiſtus, eiúſq. ſtatua.

cognoſci poteſt, nos miſſam faciemus. Nec verò Ægyptij tantùm de ſuo Thoot, vt de homine quopiam, multa commenti ſunt, quæ ab ipſis ad Græcos manarunt; ſed Phœnices etiam; adeò vt ante Troiam captam Sanchuniathon Taantum ſuum hominem fuiſſe ſcripſerit, & eum quidem Saturno à manibus, & tandem Ægypti Regem: cui nimirum litterarum & ſapientiæ omnis inuentio deberetur. Quid? quod eò hæc mendacia proceſſerunt, vt quo tempore Mercurius hic vixerit, in Chronica commentaria relatum ſit, vti licet apud Euſebium videre. Reiectis igitur ſtolidis his ineptiis, quæ pariter vetuſtiſſimis & nominibus & ſimulacris ipſius Thoot repugnant, Deo ter maximo munera ſua pro eo ac debemus feramus accepta; & ingenuè confiteamur, à Spiritu ſancto, omnis præſtantis contemplationis, omnis ſalutaris monitionis, omnis denique inuentionis ad veram vitam fructum aliquem adferentis principe & capite ſupremo, litteras homini primò traditas fuiſſe; nec litteras tantùm, ſed omnium etiam aliarum rerum, hominum ſaluti vel vtilium vel neceſſariarum, eruditionem. Imitemur etiam hac parte antiquiſſimorum hominum modeſtiam, nec quicquam nobis eorum arrogemus quæ nobis diuina Spiritus ſancti gratia dictauit; ſed ex aſſe omnis eum bonæ ſanctæque doctrinæ & principem & Regem dicamus: tametſi ea nonnumquam per impuros canales & ſordidas clepſydras fluere cernatur. Veniat in mentem Balaam: quid Balaam? de aſino eius cogitemus: recordemur Caiphæ; oraculorum de vero Deo à cacodæmonibus aliquando editorum memoria refricetur, & mox intelligemus, liquorem non ipſis vaſis, non ipſis canalibus, ſed ei ſoli deberi, qui primus eius fons eſt & prima ſcaturigo. Hac re diligenter conſiderata atque perſpecta, ſumma religione vetuſtiſſimi illi patres cauerunt, ne quicquam eorum quæ ad ſacroſanctam rerum diuinarum doctrinam ſpectarent, vlli mortalium inſcriberetur: quò nimirum ſua ſemper vetuſtis de veritate traditionibus inuiolata conſtaret auctoritas; vtpote non ab vllo homine mille erroribus & mendaciis obnoxio, ſed ab ipſo Spiritu ſancto profecta, perpetuo veræ doctrinæ veræque ſcripturæ in Eccleſia ſua ſempiterna cuſtodi ac magiſtro. Non igitur falſum illud fuit, licet ſtolidiſſimè à Phœnicibus intellectum, quod Sanchuniathon Berytius prodidit; Mercurium videlicet ſiue Thoot Saturni ſcribam fuiſſe. Quid enim ni ſcribam voces eum cui Deus pater, qui verus eſt Saturnus, perpetuæ ſuæ voluntatis omnia diſponentis ac ordinantis, æternique ſui teſtamenti tabulas dedit ſcribendas atque cuſtodiendas? Hanc tamen veriſſimam ſententiam à Ianigenis acceptam inſana deuiorum hominum interpretatio non ineptam modò & plus quàm anilem, ſed impiam etiam ac ſacrilegam fecit, dum de Mercurij Triſmegiſti libris ea dicunt petita eſſe, quæ cacodæmonum fraus & humanæ prauitatis dementia ad impiam idolomaniam & ſuſcitandam & alendam litteris mandauit. Quid enim veſanius eſſe poteſt iis quæ Berytius ille ſcriptor è veterum traditionibus ſiniſtra manu acceptis, magno faſtu memoriæ prodidit? Verſatur hactenus in hominum manibus libellus Mercurio Triſmegiſto inſcriptus, in quo quibuſdam veritatis ornamentis primùm oſtentatis, ſceleſtiſſima tandem idolomania ſuccedit, tam ab auctoris nomine, qui præfertur, aliena, quàm vaſtum eſt & immane inter Deum & diabolum, inter veritatem & mendacium, inter lucem & tenebras interuallum. Ceterùm quia latiùs multo harum rerum patet contemplatio quàm propoſitæ mihi breuitati conueniat; totumque adeò ſacræ ſcripturæ regnum, cuius ſceptrum Spiritus ſanctus tenet, propiùs oſtendit, nec mearum eſt virium in eo luſtrando præmonſtratoris partibus fungi; cenſeo mihi gradum reuocandum, vt fontibus vniuerſæ veritatis oſtenſis ad riuum meum tenuem deſcendam.

Litterarũ primus traditor Spiritus ſanctus.

Mercurius ſiue Thoot Saturni ſcriba.

Triſmegiſto libellus inſcriptus.

LIBER

LIBER II.

PRIMAM itaque litterarum inuentionem Deo acceptam ferri debere, priſci illi magiſtri tradiderunt, qui hæc Phœnicibus, & Ægyptiis, & Græcis, & Latinis nomina reuelarunt, quibus primus earum inuentor vocaretur: quæ cùm noſtris hominibus ſunt vernacula, perſpicuum eſt, eos qui vetuſtiſſimos Phœnices & Ægyptios litteras docuerunt, noſtra vſos lingua fuiſſe; & idcirco hanc totius antiquitatis habere principatum. Quando igitur priſci illi Phœnicum & Ægyptiorum & ceterarum gentium doctores ipſum Deum ter maximum, ſiue Spiritum ſanctum, principem faciunt litterarum inuentorem; neceſſariò fateri oportebit, ſummum in iis artificium contineri; propterea quòd quidquid à patre luminũ deſcendit, non poſſit non eſſe perfectiſſimum. Quamobrem minime credendum Zopyrioni Grammatico, litterarum tum numerum tum ordinem fortuitum eſſe dicenti; verùm in iis accuratiſſimè quæramus neceſſe eſt, quæ ratio ſit, vt litterarum nomina hac ſerie quam omnis antiquitas religiosè ſeruauit, non alia recenſeantur. In primis diligenter ſingularum conſiderata poteſtate, clariſſimè cernimus cognatas cognatis non eſſe coniunctas, nec vllam omnino ordinis quo numerantur rationem de natura pronunciationis inueniri: quæ res cuiuis tam perſpicua eſt, vt hominis inepti videri poſſit & nimiũ otioſi, velle eam pluribus verbis explicare. Quemadmodum autem nulla ſonorum obſeruata eſt vel cognatio vel cõſequentia; ita nec figurarum vlla aut comparatio aut affinitas in earum enumeratione reperietur. Quoniam itaque nec è poteſtate nec è figura ordinis vlla ratio dependere cernitur, reliquum eſt vt ea ab ipſis nominibus petenda videatur. Iam nomina vt nudæ voces ſunt ad res ſignificandas non vſurpatæ, quas materialiter accipi arguti ſuppoſitionum magiſtri dicunt, nullam ruſus ſeriem in Alphabeto conſtituunt naturæ conſentaneam. Reliquum eſt igitur vt nomina iuxta ſignificationem ſuam ita collocata dicantur, vt eum ordinem ſeruent, quo melior non poſſit inueniri. At optimum ordinem in nominum poſitu non videbimus, ſi ſic enumerentur, vt nullam perfectam abſoluant ſententiam: quam rurſus reddere nequeunt, niſi apta conſtructione colligentur. Porrò non ſatis fuerit ad hoc vt diuinum quiddam videatur Alphabetum, ſententiam aliquam integram eo perfici, niſi & ipſa per ſe diuina ſit; & talis præterea, vt pueris iam primùm ad litterarum rudimenta admiſſis, ante alia omnia primo loco ſit proponenda. Vt enim hæc litterarum traditio perfectiſſima ſit, eam viam & rationem ſeruet neceſſe eſt, qua ea quæ pueris diſcere cupientibus prima eſſe debent, prima quoque tradantur: qui ordo niſi teneatur, non tantùm nihil diuini in Alphabeto reperiri dicemus, ſed & illud deſiderari quod in quouis docendi genere ſic eſt neceſſarium, vt à nemine citra piaculum negligi poſſit. Quoniam ergo nemo mortalium, immò ne angelorum quidem vllus, quidquã omnino poſſit citra Dei auxilium, neceſſarium eſt vt cùm in omni cuiuſuis rei molitione, tum maximè in animo excolendo ab oratione exordium fiat. Hoc vt apud Chriſtianos teſtimoniis è ſacra ſcriptura petitis fruſtra docerem; ita apud exteros tum philoſophos tum poëtas tam ſollemne eſt præceptum, vt eius vſum apud omnes paſſim videamus frequentari. Sic Timæus à Socrate rogatus, vt Diis primum ritè inuocatis ſermonem inciperet; At, ô Socrates, inquit, hoc ſanè omnes faciunt qui vel parum ſapiunt, vt in omni aggreſſione tum paruæ tum magnæ rei Deum ſemper inuocent. Eodem modo Aratus:

Litterarum inuentio Deo à veteribus Ægyptiis, Phœnicibus & aliis tributa.

Litteris magnum contineri artificium.

Litterarum ordinis ratio unde ſit petenda.

Ab oratione in omni re exordium ſumendum.

> Ἐκ διὸς ἀρχώμεθα, τὸν οὐδέποτ᾽ ἄνδρες ἐῶμεν
> Ἄῤῥητον· μεσταὶ δὲ διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ,
> Πᾶσαι δὲ ἀνθρώπων ἀγοραὶ, μεστὴ δὲ θάλασσα
> Καὶ λιμένες· πάντῃ δὲ διὸς κεχρήμεθα πάντες,
> Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

Id eſt, vt ex tempore cantilenam ad verbum expreſſam canam Latinis:

> *Ex Ioue principium capiamus: dicere numquam*
> *Mortales ceſſemus eum: Iouis omnia plena*
> *Sunt fora, ſuntq́ viæ, portus pleni, pelagúſque:*

 Omnibus

Omnibus auxilio Iouis eſt opus, vſque per omnes
Res; illius enim ſoboles ſumus.

Cernimus itaque ne laudati quidem magiſtri munere eum perfunctum eſſe qui primus Alphabetum tradidit, niſi eo mox ab initio docuerit, Deum ante omnia orandū eſſe; tantum abeſt, vt ad originem diuiniorem citra hanc laudem queat referri. Præterea nō ſatis eſt ad perfectionem, preces eo notari; niſi eæ illis verbis ſint conceptæ, quæ maximè decora ſint pueris initiandis. & illud Deum orent, quo totius vitæ ſalus cōtinetur. Cùm enim omnis actio de finis cōſideratione proficiſcatur, neceſſe eſt vt oratio ea quæ pueris primùm occinitur, vltimū bonorū finem proponat; & media quibus ad eum perueniri poteſt, breuiter oſtendat. Neq. enim puer tātummodò ad orandū a præceptore incitari debet, ſed etiam doceri quis orandus ſit, & quid ab eo petendū, & quomodo petendū, & ad quem finem totæ preces deſtinandæ. Quoniam igitur illi qui Hebraicam moliuntur interpretationem, præſtare nequeunt, vt quidquam horum in Alphabeto demonſtrent contineri rogamus æquos iudices, vt tantiſper nobis patientes aures præbeant, dū oſtenderimus litterarū nomina clariſſima oratione & aptiſſima ſyntaxi preces ad Spiritū ſanctum complecti; atque eas tanto artificio explicare, quantū vix humani ingenij captus aſſequi poſſit. Bifariam nos de litteris loqui poſſe, ſemel vt vocibus & primis vocū ſignificantium elementis; iterum vt ſcriptis elementorum notis, Hermathena noſtra ſatis copiosè, ni fallor, oſtendit; & nos hic de figuris, non de ſonis, agere, non de verbis modò noſtris, ſed de ipſo etiam operis titulo clarum eſt. Quamobrem nihil miri accidit, ſi plures notæ ſint quàm ſimplicia vocum elemēta, propterea quod & eiuſdem ſoni plures eſſe queant figuræ; & prætere aliæ etiam addi, quibus plura elementa comprehendantur. Illius exemplum apud Hebræos eſt in illis litteris quæ aliter in fine, aliter in medio & principio dictionum pinguntur. Hoc vero liquet e ח צ ז ש p, quarum notarum prima C & H notat, ſecunda T & S ſemper deſignat, ſiue hoc ſiue illud præcedat, quamquam plerumque ſemper ſibilans littera ipſi Tau præfertur in complexione; tertium C & S, quartum S & C. quintum C & V conſonantem. Iam G ſeptimum in vocibus elementum duas etiam ſortitum eſt figuras; alteram qua G lene denotatur, proximè ad ſonum C accedens; alteram qua Gh aſpiratum & ex imo pectore ductum depingitur. Eodem modo factum, vt ipſi T elemento duæ reſponderent figuræ; altera adſpirato, quæ Thet; altera leni, quæ Tau vocatur. Quamuis autem ſimili ratione ipſi P duæ dari potuiſſent notæ, duoque notarum nomina; id tamen à nomenclatore factum non eſt. Adde quòd alia figura ipſius V vocalis, alia conſonantis pingi potuiſſet, & de numero notarum duæ etiam dari nomenclaturæ. Nec aliter de I vocali & I conſonanti cogitandum. Vnde efficitur, aliam quandam rationem in figurarum numero & earum nominibus initam eſſe, quàm vel vocale Abecedarium, vel multitudo ea quæ probabiliter fieri poſſet, exigere videretur. Quid? quòd ordo quoque alius in elementis, alius in eorum figuris enumerandis ſeruatus oſtendit manifeſtiſſimè, aliud quiddam potius nomenclatori viſum fuiſſe, ad cuius regulam & normam litterarum figuras tum numeraret, tum nominibus inſigniret. Cum enim ſciret hinc plures longe fieri potuiſſe notas, hinc etiam pauciores, vt quiuis ex iis quæ modò dixi poteſt ſupputare, cum ſibi putauit modum tenendum, vt nec nimia paucitas obſcuram redderet lectionem, nec ingens multitudo ſcriptionem operoſiorem. Vt enim longum eſſet ac ſuperuacaneum, ſingulis ſonorum ſimplicium formis ſingulas dare figuras; ita ruſus nimia paucitas ambiguum lectorem teneret. Hinc igitur libertatem ſuam ſequens architectus, hinc rationem conſulens ſtrictiorem, ſic moderatus eſt numerum notarum; vt is qui linguæ quam lecturus eſt ſit peritus, nihil ſit habiturus aut impedimenti, aut obſcuritatis. At ſi quis linguæ cuiuſpiam ſit imperitus, vt is eam multo labore de ſcriptura tandem intelligere poteſt; ita nunquam veram & genuinam pronunciationem & germana vocum diſcrimina è multis magiſtris aſſequetur. Hoc igitur ſeruato temperamento, vt nec nimia paupertate ſcriptio premeretur, nec diffuſa figurarum copia luxuriaret, certus numerus eſt conſtitutus; & is quidem tali delectu, vt ad plurima diſcenda non alius plus vtilitatis adferre poſſet. qua in re luculenta cernitur certæ atque definitæ multitudinis cauſſa. Senarius itaque numerus, vt primis diſciplinarum rudimentis tradendis aptiſſimus; ita plenus arcanæ ſapientiæ: cuius neminem ne in prouecta quidem ætate

quear

Orandi modus & ratio.

Litterarum notæ plures quàm vocū ſimplicia elementa.

queat pœnitere, vti mox aperiemus. Duplices tamen litteras pauciſſimas admiſit; & inter eas quidem ex leni littera & adſpiratione, quam nos litteram etiam dicimus, conſtantes, tres dumtaxat Ch, Th, Gh, quarum tamen poſtrema peculiarem quandam cauſſam habet, à nobis ſuo loco explicandam. Pe autem cum adſpiratione non adiecit, quòd eius loco Vau digáma Æolicum ſcribi queat: nec fuerit alioqui ne ceteris quidem peculiaribus adſpiratarum figuris opus, niſi numeri & orationis ratio eas poſtulaſſet: in qua potiſſimum eſt momentum totius Alphabeticæ ſtructuræ. Hæc enim ipſum Zain quoque & Quof in numerum & ordinem traxit: in quorum poſteriore tamen aliud quiddam deliteſcit, quod in ipſius figura declaranda in lucem vocabo. In Tſade & Scin alia etiam cauſſa inuenitur in eo conſiſtens; quòd in conuerſione vocabulorum hæ litteræ pro vna habeantur, & idcirco non ferant conuerſionem. Verùm hæc omnia in ſingulis litterarum figuris declarabo; additurus etiam genuinam litterarum pronunciationem, quæ figuris ipſis denotantur; quam Hebræi non heri aut nudiuſtertius ſed iam olim magna ex parte corruperunt, vt ſuis locis ſigillatim docebo. Quemadmodum verò numerus quæſitus, qui plurimum vtilitatis & myſteriorum complecteretur; ita ordinis cauſſa tota dependet à congruo precum ad Spiritum ſanctum ſuarum contextu: cuius rationem etiam in numero conſtituendo vel primariam haberi oportebat. Nunc igitur ad orationis explicatum accedemus, ea tamē præmiſſa admonitione, nos germano ſono litterarum nomina pronunciaturos; ſusque deque ferentes, quas litteras confuderint Hebræi; apud quos idem ferè ſonus eſt ז, צ, ס, שׂ cum ſiniſtro puncto. Iam ע non eodem modo in omnibus vocibus effertur: de quibus pòſt, vt dixi, in ſingularum figuris. Nunc quod illic firmis rationibus demonſtraturi ſumus, nobis ſumemus: qua in re quia proprios cuique litteræ ſonos dabimus, ab ipſo ſtatim initio ab æquo iudice conſpectum iri confidimus, quanto noſtra pronunciatio quàm Hebræorum rationem magis & litterarum numerum ſequatur; cui cōfuſus & idem ſonus plurium litterarum prorſus repugnat. In primis itaque numerum conſideremus, in quo multa arcana continentur. Cum enim omnis doctrinæ ratio eò tendat, vt in homine apta ſit cùm corporis & animi perturbationum, & mentis officiorum, & totius vitæ concinnitas; tum horum omnium etiam modulatio cum tota vniuerſitate rerum & ipſa opificis voluntate ad ipſa vſque hemitonia & minima vocum conciſa, vt ſic τμήματα vertam, reſpondeat & conſonet; numerus placuit qui totam Muſices latitudinem comprehenderet; quæ conuenientiſſime viginti duobus interuallis terminatur, vti illi norunt qui ab imo ad ſummum eius gradum per tres octonarios continuos adſcendunt. Porrò quia nullum eſt ſpectaculum quo magis ad Deum cognoſcendum incitamur, quàm admirabilis cælorum machina, & varij aſtrorum decurſus & reuerſiones; nec horum nobis menſura conſtare poteſt, niſi ratio aliqua inueniatur qua circularis figura ad rectam comparetur; viſus eſt huic quoq. inueſtigationi idoneus aut potiùs neceſſarius numerus viginti duorum, eo quòd circulus per hunc æqualibus portionibus ſectus diametrū nobis oſtendat, cui eſt triplus; & vlterius tanto maior, vt viceſima ſecunda parte triplicatum eius ſeptenarium excedat. Quantum ex hoc inuento vtilitatis Mathematicorum dimenſionibus accedat, vt docti norunt; ita nō eſt huius loci latiùs explicare. Multo ſanè ante Archimedem Alphabetarius noſter magiſter hanc nobis circuli & diametri propoſuit commenſionem; qua ſimul ſtudium noſtrum ad difficillimam Arithmeticæ partem ſurdis numeris intricatam excitauit. Quoniam autem hac circuli partitione litterarum numerum incluſit, ſummo artificio ſupremum & maximum orbem in Alphabeto expreſſit, dum à Dei patris perſona exorſus ad eandem eſt reuerſus: quod mox clariùs aperietur. Et hæc quidem de toto numero ad Mathematicas diſciplinas relato, & Alphabetum ad circulum accommodante, quem Hebræorum interpretatio ex Aleph ad Tau progreſſa non aſſequitur, eo quòd ex eodem non redeat ad idem, ſed ex doctrina, vel vitulo, vel capite, vel ex neſcio quo alio veniat ad ſignum quod per Tau dicunt denotari. Videamus modò huius numeri diuiſionem. Ea ad duos vndenarios nos deducit; quorum ſingulos ſi nomine noſtrati exprimas, vnam vitam denotari cernes. E leuen/ ſiue E leue/ ſiue Elef/ & exempta littera per ſyncopen, Elf/ vnam vitam ſignificat; à qua vndenarius, quia eius ſymbolum gerit, nomen accepit: cuius cauſſam, ſi Deus vitam mentemque dederit, in Cimbricis numeris explicabo. Duæ igitur vitæ in toto

Litteræ duplices pauciſſimæ.

Tſ & Sc in vocum conuerſionibus pro vna littera habentur.

Litterarum numerus cum tota Muſices latitudine conſonat.

Litterarum numeri & partitionis myſteria.

Vndenarius ſymbolum vnius vitæ, à qua & Cimbricè nomen accepit. Elf.

 Alpha-

Alphabetum duas vitas indicat.

Alphabeto indicantur. Prior perfecta & æterna in ſummo contemplationis diuinæ gaudio conſiſtens: altera vita hominis lapſi & adhuc militantis, & ad priorem illam contendentis. Illam & totam eius deſcriptionem prior litterarum vndenarius exponit; poſteriorem alter vndenarius abſoluit. Verùm aliud adhuc myſterium in duobus vndenariis delitéſcit, quo nihil admirabilius, nihil diuinius, nihil homini ad ſalutem magis neceſſarium. Duabus enim hendecadibus abſolutis geminæ vitæ abſolutæ ſymbolum habemus; numeri illud quidem nomine minimè expreſſum, ſed per diuiſionem vnius circuli & vnius numeri indicatum. Atqui ad totius vniuerſitatis perfectionem & integram pulcritudinem non diuiſio circuli, ſed circuli vnio neceſſaria eſt; citra quam non modò non bene eſſe, ſed ne eſſe quidem quidquam poteſt. Quòd ſi ergo duas vitas ſigillatim duobus vndenariis denotatas, quorum vterque Eleuen/ id eſt, vnam vitam pollicetur, coniunxeris; & vno numero, & vno vnius numeri nomine deſignes, Twe leuen/ & conciſa voce de more noſtro, Twelf habebis, id eſt, duas vitas vno numero & vno nomine vnitas atq. firmiſſimo vinculo copulatas. Twelf enim dodecada ſiue duodenarium in priſca Ianigenarum lingua, quam primam eſſe dicimus, ſignificat: quo in nomine Cimmerij Tauricam hactenus Cherroneſum habitantes ipſum Leuen/ id eſt vitam integrè exprimunt, citra conciſionem nobis vſitatam: quod & in ipſo hendecadis nomine Eleuen obſeruant, quo clariſſimè vna vita citra omnem ſyncopen & apocopen denotatur: quod à teſtibus fide digniſſimis acceptum, in quibus primarius eſt Boeſbecanus, Cæſaris apud Turcum ante aliquot annos legatus, admonitum volui, vt de germana horum nominum origine nihil dubij relinqueretur. Quia ergo duodenarius duas diuiſas vitas vnit & firmiſſimo vinculo colligat, neceſſarium omnino eſt ad abſolutam mundi & parui & magni perfectionem, vt hic numerus occultam ſuam vim affundat. Sed quia hoc magnum illud eſt & occultum Dei conſilium, quod ne calidiſſimus quidem draco priùs agnouit quàm ad finem ſuum perductum eſſet; ſtupenda quadam arte factum eſt, vt licet in Alphabeto nulla partitione tolerabili ad duodenarium perueniretur, eius tamen cognitio è duobus vndenariis exiſteret; propterea quòd, cum ſinguli vnam vitam exprimant, neceſſariò duæ vitæ conſequantur: quas ſi vno numero & vno nomine in Cimmeria lingua efferas, atque ita & nominis & numeri vnitate coniungas, Twe leuen / id eſt, duodenarium agnoſces; qui à duabus vitis ſimul copulatis nomen accepit: quem tamen non antè ex Alphabeto colligere poſſis, quàm totum ſit duobus vndenariis abſolutum. Hic eſt igitur duodenarius ille occultus, qui nec priore Alphabeti vndenario, nec poſteriore continetur, nec rurſus ex his duobus coniunctis efficitur aut componitur; ſed vocibus dumtaxat Cimmeriis per conſequentiam quandam neceſſariam indicatur, à nemine mortalium intelligendus, niſi linguæ noſtræ ſit peritus. Quia verò hic vndenarium, vnius vitæ indicem, vna dumtaxat ſuperat vnitate; dictus eſt apud veteres Ianigenas imparem Deorum numerum ad æqualitatem redegiſſe. Qui verò Dij ſunt? Qui alij quàm qui viuunt, à quorũ numero mortales ſunt excluſi; cùm hi moriantur, non viuant: adeò vt longè diuinior ſit illa ſententia quam Euripides, eius, ſi rectè memini, ſcriptor, intellexerit; qua interrogatur: Quis ſcit an hoc noſtrum viuere ſit mori, & ipſum mori ſit viuere? Nunc igitur cùm viuentium ſiue Deorum, quod idem eſt, vita per vndenarij ſymbolum denotetur, & Cimmerio eius nomine exprimatur, quid ni hendecas numerus Deorum vocetur? Quoniam verò vnitas vnius vitæ fons eſt, ipſam vitam ſolam conſtituens, dimetiens, & terminis ſuis includens; vndenarius hac parte ſola numeratur & abſoluitur, tamquam principio ſui interno; & ab eo ipſo principio nomenclatura quoque exordium ſumit, ipſi Vni vitam addens, ceu vna ipſius vnitatis vita diceretur. Hæc illa eſt vita ab Vno ſiue patre vniuerſorum mundo primùm tributa; & idcirco non vna tantùm vita, ſed ipſius Vnius vita nuncupata. Ab hac primùm Lucifer cum ſuis excidit in mortem ſempiternam: quam cladem Deus compenſaturus, aſpectabilem hunc mundum creauit, & in eo hominem ad imaginem ſuam formatum, principem conſtituit, quò iucundiſſima ipſius voluptate perfrueretur. At Lucifer ſiue Draco inuidia concitatus, fraude ſua homines quoque ex vita illa prima & beatiſſima in mortem pertraxit. Hac igitur parte magnum vitium mundus recens ad hominum vſum creatus fecit, & ingentem integritatis ſuæ paſſus eſt lacunam: qua pulcritudo eius

Duodenarij myſteria. — *Twelf.* — *Leuen.* — *Duodenarius cur imparem Deorum numerum dicatur ad æqualitatem redegiſſe.* — *Hendecas Deorum numerus.* — *Vita ipſius Vnius quæ dicatur.*

eius miſerrimè defœdata tantam accepit maculam, quantam mors æterna attuliſſe poteſt cogitari, alta & tartarea caligine tot ſexcentas myriadum myriadas inuoluens. Poſt hoc igitur grauiſſimum & altiſſimum vulnus pulcerrimæ & formoſiſſimæ mundi parti inflictum, quod mortem ſecum traxit ſempiternam, ipſius Vnius vita in illis ſolis manſit qui ab ea non exciderunt, atque ij Dij ſiue viuentes poſtea ſoli poterant vocari; quorum vndenarius vnam ipſius Vnius vitam continens proprius meritò habebatur: qua de re latius in numeris Cimbricis. Porrò vt mundus in integrum reſtitueretur, atque humanum genus, ad cuius vſum cælum & terra erant creata, à morte in ſecundam vitam reuocaretur, externa opus fuit vnitate; haud ſecus atque in vulneribus latè dehiſcentibus externa opus eſt vnione, & ad partes corruptas rurſus implendas & æquandas noua carne. Acceſſit igitur hæc vnitas lacunam omnem impletura, & quidquid diſceſſerat vnitura: qua vndenario prioris vitæ indici adiuncta, duodenarius enatus eſt; qui quòd alteram vitam adderet priori, Twe leuen vocatus eſt, id eſt, duæ vitæ: quod tamen nomen geminam habet intelligentiam, perinde atq. Hendecadis quoq. nomenclatura. Statim enim prima fronte geminá offert ſignificationem; alteram qua duæ vitæ, vti modò dixi, intelliguntur; alteram qua vita ipſius binarij denotatur. Twe enim & duo ſignificat, & binarium; ſicut E vnum, & vnitatem; & Dri tria, & ternarium. Quemadmodum igitur prior vita vnius vita dicitur; ita altera binarij vita nuncupatur. O bone Deus, Spiritu tuo ſancto nos dirige in his abditiſſimis arcanis in lucem tandem proferendis! Quis hic eſt binarius cui dodecas nomine ſuo Cimbrico alteram vitam adſcribit? Si clarum eſt ipſum Vnum Patris nobis denotare perſonam, nihil dubij quin binarius ſecundam in Trinitate perſonam deſignet: è quo perſpicuum fit, hanc alterá vitam eſſe vitam ipſius filij. Sicut enim Pater E / id eſt, Vnum, & Vnitas, à firmitate in ſe compreſſa, quæ omnium rerum eſt fundamentum, vocatur, vt Hermathena noſtra docuit; ita Filius Twe dicitur, ceu Het-wi-e diuiſis vocibus vocaretur, quo vel ipſum illud quod vnitatem dilatat, vel ipſum Vnum dilatatum denotaretur. O ſtupendá voculæ fabricam! cuius ſimpliciſſima & cuiuis obuia interpretatione totius rerum vniuerſitatis creatio, & creationis modus, & vnà Filij à Patre progreſſus apertiſſimè declaratur! Sed hæc latius ſuo loco. Hinc mox liquet, alteram vitam, quæ Twe lef dicitur, ipſius Filij eſſe propriam, atq. idcirco nemini communicandam qui cum Filio non ſit vnitus: quæ res Chriſtianis perſpicuam habet veritatem, atque idcirco non amplius declarandam. Verùm an quemadmodú Ianigenæ dodecadis nomine hoc nobis humanæ ſalutis myſterium indicarunt, ita fabularum quoq. inuolucris tectum ad poſteros tranſmiſerint, operę pretium fuerit videre. Herculi duodenarium ſacrum eſſe, duodecim eius labores ab omnibus celebrati, à nemine intellecti, ſatis nobis apertè demonſtrant. Hunc priſci tradiderunt imparem Deorú numerum, vt modò dixi, ad paritatem redegiſſe: quod Seneca elegans Tragœdiarum ſcriptor in Agamemnone ad carminis ſui quod Chorus canit, ornamentum vocauit:

Duodenarij duplex intelligentia.

Twe. E. Dri.

Vita binarij qua.

Vnú primá, binarius ſecundam in S. Trinitate perſonam denotat.

Duodenarius imparé Deorum numerú ad paritatem redegit.

Argos nobilibus nobile ciuibus,
Argos iratæ carum nouercæ,
Semper ingentes educas alumnos,
Imparem æquaſti numerum Deorum,
Tuus ille biſſeno meruit labore
Allegi cælo magnus Alcides.

Hæc Seneca: cui alios eiuſdem rei teſtes adiungere in re vel ipſis Grammaticorú pueris clariſſima, ſuperuacanei foret laboris. Quis autem hic Hercules apud primos fabularum textores intelligatur, ipſum nobis aperit nomen. Idem enim nobis ſignificat ac ſi maſculam vim totius vniuerſitatis diceremus, quæ apud vetuſtiſſimos faſcino erecto notabatur: quod ſtatuis ipſius Thoot additum, ſignificabat ipſum Thoot omnium rerum eſſe creatorem. Herculis igitur nomen Cimmerio ſermone, pro eo ac debet, explicatum, ſymbolum eius exprimit cui communis rerum omnium & ſingularum generatio debetur: ad cuius eiuſdem rei ſignificationem Hermarum Ithyphallos referre oportet. Sed quid huic maſculæ generandi facultati, per quam Pater ſupremum caput totam rerum creauit vniuerſitatem, cum duodecim laboribus, & gemina ipſius binarij vita? Nempe quòd Deus vt per filium maſculam ſuam vim, cuius perſona dyade ſignatur, om-

Herculem quem intellexerint primi fabularum textores.

tur, omnia creauit; ita per eundem humanum genus à morte liberatum ad ſecundam vitam, duodenario notatam, perduxit.

Hercules verus Chriſtus.

Verus igitur Hercules Chriſtus eſt, cuius nomen ad inſaniſſimas nugas, ab omni propè natione decantatas, ſerpentis calliditas detorſit: qua tamen in re tantum fraus eius non potuit, vt priſcæ veritatis veſtigia prorſus obſcuraret atque deleret. Dodecadis enim ſymbolum in laboribus eſt apertiſſimum, & in eo vitæ ſecundæ nobis per Chriſtum datæ Cimmerium duodenarij nomen nos reddit certiores. Quid domita monſtra totius mundi aliud deſignant, quàm Herculem totum mundum atque omnes eius partes ab omni fœditate purgaſſe? qua in re maximos ſubiit labores, & grauiſſimas pertulit ærumnas; quas duodecim fuiſſe propterea finxerunt, quia ab ipſo vno Patre omnium progreſſus per omnes rerum creatarum numeros, deſcendit ad ipſam vſque humanam naturam; qua accepta, totum mundum in priſcum decus reſtituit. Quid dico priſcum decus? immo longè reddidit quàm antè vmquam fuiſſet per ſecundam ſuam vitam pulcriorem. Maxima igitur hæc fuit mundi felicitas, qua non ſolùm eſſe ſuum accepit antiquum, verùm etiam longè maiore quàm illud prioris vitæ fuiſſet decorauit ornamento.

Herculis etymon.
Hercul.
Luc-rch.

Hercul igitur dictus, vt is per quem omnia creata ſunt; quod nomen ſi vertas, videbis quid filius Dei in hominem verſus præſtiterit. Luc-rch enim, producta poſteriore ſyllaba per ſpiritum appoſitum, idem nobis deſignat ac ſi Latinus diceret felicitatis præparatorem. Poteſtne quicquam eſſe clarius? Quid vltrà dubij relinquitur, quis Hercul reuera ſit nuncupandus?

Herculis de hydra interfecta fabula explicatur.

Hunc aiunt hydram, feralem generis humani peſtem, multis capitibus ſemper in omnes mortales ſæuientem occidiſſe: quo quid aliud ſignificatur, quàm à vero Hercule draconem illum magnum, qui totum genus humanũ lethifero ſuo veneno perdidit, interemptũ iri: cuius vt perpetuum apud homines exſtaret monumentum, primus ſtellarum nomenclator ingentem nobis draconem in Septentrionali cæli plaga, in qua Lucifer ſedem ſuam ponere volebat, deſignauit; atque illi ſic Herculem commiſit, vt genibus innixus, maximumque præ ſe ferens conatum, iam iam caput draconis claua ſua fracturus eſſe videatur. Hæc, idque genus quamplurima alia priſcæ incorruptæque veritatis veſtigia à nobis alibi latiùs perſequenda, ſatis declarant quis Hercules verus fuerit antiquis, & cuius myſterij inuolucrum fabula de laboribus eius conficta complectatur. Redeamus ergo ad noſtrum Alphabetum, in quo duæ vitæ ſigillatim enumeratæ nos deducunt ad duodenarij cogitationem: cuius nomen duas vitas exprimens arcana humanæ ſalutis oracula mirabili artificio ſuggerit. In primis itaque hac diuiſione totius Alphabeti duas vitas deſignatas videmus; alteram ipſius Vnius, alteram ipſius Binarij; qui non dilatat modò abditam patris potentiam ipſius boni per creationem communione, quod noſtras Binarij nomen apertè ſignat; ſed vitam etiam ſecundam largitur, & omnem hominibus labore ſuo comparat & inſtruit felicitatem. Illud ferè exciderat in tanta myſteriorum occurrentium copia, quòd, quemadmodum vnitas vndenario addita alteram vitam facit, & vndenarij nomen geminat; ita vndenarius geminatus numerum conſtituit, qui diametrum, Spiritus ſancti totum mundum ab extremis ad extrema permeantis indicem, ter acceptum, vna ſuperat vnitate; citra quam vnitatem totus totius vniuerſitatis circulus lacunam & hiatum pateretur.

Trinitatis in mundi ſtructura ſymbolum.

Quia igitur Pater centro, filius circulo, Spiritus ſanctus diametro centrum & circumferentiam coniungente & ab vtroque progreſſo denotatur, intelligimus ipſum filium toti vniuerſitati per diametrum ter acceptum deſignatæ (ſpiritus enim ter maximus omnia complet & permeat, vnam vitam diffundens,) addere vnitatem ad totam integritatem ſic abſoluendam, ne quicquam omnino reſtet lacunæ. Atque hæc ſatis ſunto ad arcana ipſius totius numeri & vndenariorum duarum eius partium indicanda potiùs quàm vel minimo tenus euoluenda. Ceterùm vndenarius quia ſicut vnius vita eſt, ita ab vno dumtaxat menſuratur; vlteriorem diuiſionem in æquales partes non admittit. Quamobrem is qui litterarum nomina digeſſit, aliud partitionis genus ſecutus eſt, qua impar numerus per imparem diuiſorem ſecaretur, quò diuiſionis totius ratio numeri naturæ conueniret. Quia igitur primus imparium partientium ternarius eſt, in tres partes vndenarium diſtraxit; & vt ſuus diuidenti numero honos tribueretur, primam trium partium ipſum ternarium in vndenario priore diuidundo conſtituit, quo diuerſa trium perſonarum in Deo vno attributa explicauit, aptiſſimo ordine à Patre ad filium, à filio ad Spiritum ſanctum progreſſus. Huic ternario pri-

rio primæ omnium rerum cauſſæ numerum illum ſubiecit, qui hanc ad primam triadem ternarium ſecundum adiecit, prioris in omnibus rebus creatis imaginem. Is eſt Senio, per quem omnia à Deo eſſe accipiunt & ſtabilem firmitatem, à qua Ses nobis dicitur, à Set, quod eſt conſtituo. Mutatur autem Tau in Sigma, cùm vt nomen à verbo differat, tum maximè, vt circularis & perfecti numeri vocabulum quoque ſit circulare. Set itaque radix nominis eſt, quo numerus hic apud nos, apud Hebræos, apud Latinos, apud Græcos exigua facta mutatione nuncupatur: qua prorſa quidem id intelligimus, quod Latini colloco atque firmo dicunt; verſa verò duo indicantur; alterum vt ſit idem quod Hoc eſt; quo monemur, res eo ipſo eſſe, quòd ſint per hunc ternarium ſecundum à priore emanantem firma ſede atque ſtabili fundamento conſtitutæ: alterum, vt Tes compoſitum intelligatur, non ex Yet es, ſed ex Te es, quo denotetur, ad id quod eſt. Quemadmodum enim hic ſecundus ternarius ſimulacrum eſt quod rebus omnibus à Deo creatis imprimitur, velut character quidam Trinitatis, atque per hoc res omnes à Deo fluunt; ita per eundem ternarium res omnes ad ipſum illud quod verè Eſt, reducuntur. Quantum, bone Mercuri, ſapientiæ tribus litteris indicaſti! quanto breuiùs, quanto clariùs, quanto ſolidiùs, quanto copioſiùs primum rerum omnium creatarum principium nobis expoſuiſti, quàm quiſquam omnino philoſophorum! Verſa ergo ipſius Set denotatio non hoc ſolùm luculento ſigno demonſtrat, vocem prima ab origine noſtratem eſſe, atque ab ea ad Hebræos שית & שֵׁת veniſſe, nec aliunde Latinos Sedere ſuum, & totam habere cognationem, & ad eandem etiam καθέζομαι & ἕδραν, & affinia Græcorum vocabula pertinere; ſed totam præterea vniuerſitatis bene conſtitutæ oſtendit firmitatem in eo conſiſtere, quod ad ipſum illud quod Eſt per ternarium reuertatur. Ceterùm vt hæc vocis conuerſio, noſtratibus ſolis vſitata, abditiſſima primæ philoſophiæ adyta recludat; longè tamen adhuc maius arcanum prorſæ voculæ nomenclator intexuit. Sicut enim Es pro Eſt, ab E valida vi, quæ per ſibilantem ventoſamque litteram denotatur, procedit, atque E Pater eſt, Es filius, vbi Vnius ad Ens perſpicitur progreſſus; ita ſi vocem retrò legas, Se habebis, quo nobis idem denotatur quod Latinis verbo, Dicebat. O ſtupendum myſterium! ô nullis vmquam hominum vel eloquentiſſimorum linguis ſatis laudandum! Quid dico laudandum? cùm ne cogitando quidem vllus vmquam auguſtam eius maieſtatem ſit aſſecuturus. Quamobrem & mihi in his cenſeo plura eſſe ſancto ſilentio veneranda, quàm verbis nec aptis ſatis, nec ſignificantibus fuſiùs explicanda. Omnes norunt vehementem ipſius Sigma ſibilum, quo non video quæ vis & facultas conuenientiùs queat denotari, quàm ea qua Deus mundum creauit. *Formauit,* inquit Moſes, *Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Viden' hìc ſpirantem Deum in vita homini danda? Quod hìc vides expreſſum, id de reliqua etiam cogita creatione, in qua omnibus rebus Deus ſuum cuique eſſe adſpirat: quæ ratio optimè per Sigma exprimitur. Ab E igitur, quo vnum ſiue Pater denotatur, Sigma ſiue valida flandi vis procedit, quæ filius eſt; deinde ab vtroque Spiritus ipſe promanat. Quòd ſi nunc Sigma ipſi E præmittas, filium ſignificabis, per quem ipſum Vnum omnibus afflatur, atque eo ipſo tota rerum vniuerſitas creatur. Iam porrò quia Sigma ipſi E præmiſſum, vernaculo nobis ſermone idem ſignificat quod dicebat, ſtatim intelligimus id quod Moſes ſcripſit, *Dixit & factum eſt,* ab eodem ſpiritu dictatum eſſe; qui nomenclatori noſtro hanc vocum formandarum rationem oſtendit: Nec equidem vel ingenio meo, vel induſtriæ acceptum fero, quòd hæc primus poſt tam diuturnam tot ſeculorum caliginem in lucem protraxerim; cùm verè iurare poſſim, non antè mihi huius myſterij in mentem veniſſe, quàm in hoc vocis Ses examine calamus ad ipſius Es conuerſionem ſcribendum delatus eſſet. Nunc igitur iudicent qui volent quis primus linguæ noſtræ fuerit inuentor: in qua ſic ſunt Trinitatis & creationis myſteria expreſſa, vt ea vltrò ſeſe vel nolentibus offerant; & id vna vocula hinc prorſa, hinc verſa doceant, quod inter myſteria Moſi diuinitùs reuelata vti primarium admiramur. Hæc igitur de Es & Se noſtris hominibus ſint indicata; quò craſſæ pecudes tandem homines fiant, & ſermonis ſui, quem hactenus impiè contempſerunt, & turpius quàm lutulenta ſus roſas conculcarunt, agnoſcant diuinitatem. Ex Se Set fit, adiecto Tau: quod vinculum eſſe firmiſſimum, vt communis apud nos loquendi vſus demonſtrat, ita Plato ceterique tradiderunt. Hac itaque

nota

Senionis myſteria. Ses. Set. Tes. Es. Se. Sigma littera ſibilans. Set.

nota adiecta Spiritus ſanctus, Patrem & filium amore colligans, exprimitur;& tota vox tribus litteris tres perſonas ea ratione exponit, qua filius ipſum Vnum omnibus afflat, & Spiritus ſanctus ipſam vim, quæ ipſum quod Vnum afflat & aſpirat omnibus rebus creatis,& ipſum Vnum inter ſe deuincit,& eo ſuo vinculo totam rerum colligat vniuerſitatem. Set igitur pro colloco nobis vſurpatum has habet ſignificationis cauſſas, à quo Ses factum eſt vocabulum circulare, atque idcirco ad omnia firmo nexu continenda aptiſſimum. Firmitas autem ei contingit ab amore Spiritus ſancti omnia validiſſimo nexu colligante, vt modò in Set annotatum. Et vt hæc vocis docet explicatus; ita & ipſius numeri natura, quæ tota coaluit è tribus partibus; quarum prima Patrem, ſecunda filium, tertia Spiritum ſanctum deſignat. Senarius igitur, firmitas, perfectio, pulcritudo totius vniuerſi meritò ab antiquis Cimbris Veneri & Veſtæ ſacer habitus eſt, cùm illi pulcritudo, huic firmitas debeatur. Primus ergo Alphabeti doctor ab ipſo Deo vno & trino exorſus, ad ipſam primam omnium rerum pulcritudinem & perfectionem omnibus numeris abſolutam diſcipulum deduxit, vt in ea velut in imagine Deum ipſum intueretur. Poſt ſenarium, binarium adiecit, quo tota vita prior expletur. Eius nomine monemur dilatationis, qua vnum omnibus bonitatem ſuam communicat. Voluit igitur litterarum nomenclator nos ſic in totius vniuerſitatis pulcritudine contemplanda verſari, vt ea inuitati,nos ipſos etiam dilatemus: quod fieri non poteſt, niſi eius beneficio qui vnum dilatat, qui filius eſt vnius. Atque hæc quidem prioris vndenarij diuiſio & partium collocatio.Poſterior verò vndenarius alio ordine partes enumerat. Quia enim pulcritudinem & perfectionem complectitur eam quæ hominibus à priore ſtatu delapſis eſt quærenda; principio viam per quam ad eam paulatim peruenitur,deſcribit,atque huic totum impendit ſenionem. Quoniam verò hæc per filium peccata noſtra abluentem datur, ipſi ſenario binarium ſtatim ſubiicit, vtpote filij ſymbolum: & quia per hunc ad ipſum Deum trinum peruenitur, poſtremò ternarium addit; in quo Spiritus ſanctus primùm, deinde filius, vltimò Pater propriis quibuſdam & clariſſimis attributis denotantur: quo ordine totus circulus à Patre exorſus, ad Patrem recurrit, mirabili contextu omnia ſapientiæ & religionis arcana complexus:in quo vt omnia eſſent ordine pulcerrimo diſtributa, illud etiam cautum videmus,quò omnes totius orationis annularis partes ſenarius metiatur, cùm vterque vndenarius tribus abſoluatur partibus: vnde efficitur, vt totum alphabetum ſex partibus conſtet; hoc ſuo numero par ſex diebus, quibus tota rerum omnium creatio à Moſe comprehenſa eſt, & illa abſoluta venuſtas, quam ſeptimo die Deus veluti Sabbatum agens contemplatur. Et hoc quidem eſt artificium à nobis in litterarum numero & totius alphabeti partitione clariſſimis indiciis deprehenſum; quod nec ex Hebræa, nec vlla alia lingua quàm noſtra poteſt doceri, & ad nominum ſignificationem applicari, vt ſigillatim deinceps in eorũ expoſitione cernetur. Quamuis verò in his ſat rationis ſit, ob quam litterarum is quem habemus ordo ſit inſtitutus,accedit tamen & aliud orationis ornamentum,idque geminum; alterum principio,alterum fini additum, velut ſingulare quoddam margaritum. A litteram hunc apud nos vſum habere, vt ea ad progreſſum hortemur, idque fieri conuenientiſſimè ipſius ſiue poteſtati ſiue pronuntiationi, Hermathena noſtra demonſtrat. Quamobrem aptiſſima fuit non orationis modò ſententiæ, ſed ipſi etiam omnium diſciplinarum exordio, eo quòd hoc recta via per apertum ſpatium progredi debeat. Quemadmodum autem nihil principio aptius quàm iſtud ad progreſſum incitamentum; ita fini & vltimo termino illud eſt conuenientiſſimum, quo vlterior progreſſus impeditur. Tale verò elementum Tau eſſe tum pronuntiatio, tum ipſum nomen noſtratibus declarat,quo vinculum & validus funis ad tenendum comparatus denotatur. Cùm hæc igitur in exordio & vltima orationis clauſula obſeruatio naturæ ſit aptiſſima, eamque ſola noſtra lingua queat explicare, multis modis perſpicuum eſt ad quem ſermonem litterarum nomina debeant referri. Hæc de numero & eius diſtributione, deque principio & fine orationis, elementorum figuras & earum nomina digerentis: quæ licet citra ipſius interpretationem quadam tenus intelligi poſſint, infinito tamen plus lucis accipient ſimul ac nomina & conſtructio tota fuerit explicata. Agedum igitur ipſum Alphabetum, quod in quæſtione verſatur, recitemus, ac deinde vertamus Latinè: Alef, Beth Gimel Daleth He Vau Xan Chiet Thet Iud Caph Lamet Meem

Senarius Veneri & Veſtæ ſacer.

Binarius Dei filij ſymbolũ.

Alphabetum cur ab A littera ſumat initium, & in T deſinat.

Alphabeti recitatio & interpretatio.

Meem Nien Samecht Hoogen Phe Stades Quaaf Reis Scin T'au. Id eſt ad verbũ: Age, viue, ora. Vos, reuelator. Demitte ex alto ſublime Volumen: feſtinanter funde Ipſum caput, Voluptatis ſupremum tegmen. Defenſor capitis Adiuua eum. Ne connectas excelſum & veterinum. Status. Alexicace Erige Imaginem Ad antiquum. Hæc tota eſt oratio de ſermone noſtro ad verbum expreſſa: in qua diſtincta eſt ſingularum litterarum pronuntiatio, quam Hebræi non parum corruperunt, vti pòſt in ſingulis oſtendam. Huic igitur in primis diſtributionem à nobis expoſitam accommodemus. Prior vndenarius prioribus vndecim nominibus integram abſoluit ſententiam, priorem, vt dixi, vitam ad ſummum bonorum deducens: Poſterior poſteriorem vitam ad ſupremam quoque euehit felicitatem. In priore hendecade primâ tria nomina tria diuerſa trium perſonarum attributa diſtinguunt. Pòſt ſuccedit ſenio, preces continens prioris vitæ modum exponentes. Huic binarius ſubiungitur eleganti Grammaticorum appoſitione vitæ modò declaratæ appendicem nectens, quæ nullo modo poteſt ab ea diuelli: quandoquidem ſummi capitis contemplationem non poteſt non ſequi voluptas ſuprema, cuius propria eſt ſumma animi dilatatio & veriſſima conſecratio, quam binarij nomenclatura deſignat. Secundus vndenarius vitam hominis lapſi ſuſtinet, atque ad antiquum dierum reducit; in quo primum locum hexas habet, collapſo homini ſcipionem, cui innitatur, oſtendens. Deinde binarius ſequitur, qui vt filio ſacer eſt; ita quid filius homini collapſo præſtet, pulcerrime & ſignificantiſſimè deſcribit. Cimmerium enim binarij nomen denotat hominem eſſe expurgandum, dilatandum & ſanctificandum; quibus rebus vt ſit inſtructus & ornatus prius quam ad antiquum dierum veniat, neceſſe eſt. Poſtremus eſt ternarius a Spiritu ſancto ad filium, & ab hoc ad Patrem per diſtincta & propria perſonarum vocabula progreſſus. Expoſita modò diuina totius orationis architectura, reliquum eſt, vt ad exordium reuerſi, conſideremus num quicquam eo artificioſius bene ornatéque dicendi magiſtri inuenire poſſint. Ex horum placitis tale orationis principium eſſe debet, vt attentum, vt docilem, vt beneuolum reddat auditorem. Atqui hæc tria præcepta ſic in Alphabeto ſunt obſeruata, vt nec ſignificantius, nec efficacius, nec elegantius, nec breuius quicquam poſſit ab vllo prorſus oratore, quamuis eloquente, cogitari. Incipit enim præceptor non veluti plagoſus quiſquam Orbilius vel ab aſpera ſæuaque voce, vel ab aure de vetuſto Romanorum ritu vellenda; ſed à ſono leniſſimo: quo ſuauiter ore aperto, rectum ad progrediendum iter demonſtrat, & vt illud ingredi velit, benignè hortatur: ſimul ad attentionem excitans ipſa vocis ſignificatione: ſimul ſuauitate ſoni beneuolum reddens: ſimul etiam recta via per pronuntiandi modum demonſtrata, & oſtio verſus eam recluſo, ad doctrinam præparans. Verùm quia adhortatio hæc infinita eſt, & ad nullum officium, ad nullam certam actionem terminata, additur mox, ad quid eum progredi velit ac rectum iter tenere: qua in re illo vtitur verbo quo nullum eſt quod hominem vel magis excitet atque inuitet, vel magis beneuolum reddat: & cum tale ſit, totius præterea orationis ſcopum demonſtrat, & argumentum tribus litteris exponit. Ieſ enim idem eſt quod viue. Quo in verbo littera prima ſupremam cæli in ore partem linguæ ſummo feriens, claſſicum canere videtur, vt mentem ſurſum tollamus. ſed hac de re pòſt iterum: hic verbi notationem conſideremus. Quid, rogo, poſſet efficacius inueniri ad cuiuſpiam attentionem excitandam, quàm ſi res noua quæpiam ad vitam conducens adferri audiatur? Cùm enim hanc quiſque maxime amet, maximéque cupiat tueri, non poteſt non vehementer permoueri ad ea arrectis auribus auſcultanda, quæ hanc quauis ratione vel longiorem vel iucundiorem pollicentur. Nunc an quicquam eſt in omni hominum ſermone quo maior beneuolentia concilietur, quam ſi quem viuere iubeamus? Vt ſummis Regibus blandiamur, totiúſque ſimul ſtudij noſtri & amoris erga eos calorem voce declaremus, quid aliud clamamus, quàm, Viuat Princeps, Viuat Rex, Viuat Imperator, Viuat Cæſar, Viuat Auguſtus? Quid igitur gratius diſcipulo accidere poteſt, quàm ſi mox ab initio à doctore ſuo viuere iubeatur? Porrò eodem verbo confeſtim ſumma totius orationis explicatur, & vnà proponitur ſcopus & finis vltimus omnium diſciplinarum: quarum tota vtilitas in hoc cernitur, ſi ex iis veræ vitæ promantur adiumenta. Hoc igitur principio vſus, mox diſcipulum inſtruit qua via id conſequi poſſit ad quod hortatur & blanda voce inuitat, iubens eum preces ad Deum effundere. Verùm quia adhuc rudis

Orationis quæ ex litterarum interpretatione cõſurgit, myſterium.

Orationis quæ ex Alphabeti interpretatione cõtexitur, artificium.

Ieſ.

eſt, nec edoctus quis orandus, quid orandum, quomodo & quibus verbis orandu m ipſemet pro diſcipulo orat, ſtatim ab initio Spiritum ſanctum inuocans, à quo omnis ſapientiæ ſcientiæque dona petenda ſunt, iuxta D. Paulli, atque adeò ipſius Chriſti, doctrinam. Ab hoc igitur non triuiale aliquid aut terrenum petit, ſed ipſam rerum diuinarum, & ex iis confeſtim patris cæleſtis cognitionem vnà cum gaudio ſempiterno. Quia verò metuendum, ne pater puerum peccato originali inquinatum, & ob id capitis reum, ad tantum decus & felicitatem non admittat, rurſus blandis verbis Spiritum ſanctum compellat, vocans eum infirmi capitis protectorem, & rogans vt puerum adiuuet, nec permittat animum eius ad excelſa & ſublimia à Deo creatum, cum veterina & bruta corruptæ carnis natura perpetuò ligatum manere. Ceterùm quia puerum ſuum non tantùm in terreſtris paradiſi vitam reſtitui cupit, & ad priſcam illam innocentiam redire; ſed vlterius ad patrem ipſum cæleſtem intuendum erigi atque ſuſtolli, tertiò Spiritum ſanctum inuocat, nouo rurſus & fauſtiore eum nomine ſalutans. Vocat enim Alexicacon, ſiue omnis mali Auerruncum; vnà indicans, ſtatum noſtrum primum corruptum eſſe, nec ad eum nos redire poſſe, niſi ab his malis in quæ nos peccatum æterna pœna dignum præcipitauit, liberemur. Porrò ne poſſent preces reiici, excellentiſſima arte adiecit, diſcipulum Dei imaginem eſſe: idcirco rogans, vt ipſam ſui imaginem erigat & attollat ad antiquum dierum ſiue patrem vniuerſorum. Non eſt diligentiore animaduerſione indignum, immo de mirabili myſterio potiùs ſtupendum, quòd in tota oratione tribus diuerſis nominibus Spiritus ſanctus ſalutetur; & primùm quidem Gimel, quo Apollo ſiue manifeſtans; deinde Lamet/ quo capitis cuſtodia; poſtremò Quaaf/ quo Alexicacus ſiue Auerruncus omnium malorum denotatur. Quia enim ternarius tertiæ perſonæ ſacer eſt, ter ſalutatur Spiritus ſanctus, & id tribus diuerſis epithetis; in quibus ille ordo ſeruatur, vt primùm omnium ad ſalutem neceſſariorum manifeſtatio, deinde cuſtodia ac defenſio, vltimò omnium malorum depulſio ac integra purgatio ab eo petatur. Verùm ſi omnes huius artificioſiſſimæ & prorſus diuinæ orationis loculos rimari atque excutere velim, nec ego ad capiendum, nec vlla verborum copia ad explicandum ſatis ſit futura. Nos ex tempore totam orationem & vim verborum paraphraſi paucis verſibus incluſa explicemus:

Orationis Alphabeticæ paraphraſis.

Alef.

Nunc age care puer, poſtquam rationis ad vſum
Mens admiſſa nigram diſpellere corporis ægri
Occepit nubem, noctemq́ odiſſe profundam,
Celantem radios & dij luminis auram,
Viuas; At vitam non quam plebs inſcia veri
Sic vocat, & quæ te fallaci decipit vmbra,
Cùm nil ſit niſi mortis iter tacitæq́ ruinæ;
Sed puram, cui nil mortis triſtíſque veneni
Admiſtum: quæ ſola animum corpúſque ciebit
Æterno motu ſuper alti ſidera cæli

Lef.

Euectum, quod Lef *vox Cimbræ cognita linguæ*
Protinus ex ipſis elementis, exq́ ſolutis
Particulis monſtrat; cœno depreſſa leuare
Corpora promittens: quod non niſi vita perennis
Præſtabit, ſecura necis, ſecura malorum,
Nil metuens Hydræ dentes virúſque malignum,
Nil mundi immundi rabiem ſæuáſque procellas,
Quæ nos vexabunt donec mors inuida clauum
Noſtræ puppis aget ſub falſo nomine vitæ.
Ergo cùm moriaris adhuc vix natus, agáſque
Faucibus in diris Erebi mox matris ab aluo,
Admonitus fugias lethum, vitamq́ ſequaris
Me duce, & auſpiciis eius qui ſolus in omnes
Vitam auidos fundit; calidi de pectoris imo

Bet.

Orari tantùm cupiens, nullumq́ repellens:
Hunc precibus pulſes. nec ſit mora, feruidus inſta

Vltrò

Vltrò inuitanti; facilem votisq́ benignum
Experiere: roga tantùm. prece vendit Olympum.
Sed ne quid pecces rudis ignarusq́ precandi,
Pro te verba prior faciam, tu ſedulus audi,
Mente Deum tota venerans, pia vota ſequendo.
O vos ter magnum, ter ſanctum numen Apollo, Gimel.
Diuinæ pandens animis myſteria legis,
Semper & humanæ reſerans arcana ſalutis,
Notitiæq́ omnis diſciplinæq́ magiſter;
Dimitte ex alto cælo ſublime volumen, Dalet.
Cui Patris æterni inſcripta eſt æterna voluntas; He.
Ocyùs ex illo iam fundas & caput ipſum, Vau. Xan.
Et capitis ſummi perfectum munus amorem, Chiet.
Cuius in excelſis tectis terramq́ polumq́ Thet.
Deſuper amplexis nunquam peritura voluptas Iud. Cap.
AEternum manet, ambroſiam nectarq́ propinans.
O noſtri infirmi capitis fidiſſime cuſtos Lamet.
Huic tenero præſens ſemper ſuccurre puello, Mem.
Quò grauiter lapſum tollas firmesq́ labantem,
Ne permitte adytis cæli ſublimibus ortum
Hunc animum turpi veterini corporis antro Nien.
Includi, grauibus vinclis durisq́ ligatum. Samecht.
O ter ſancte omni ſtatui Auerrunce malorum Hoogen. Stades.
Semper Alexicaci totum ſubiture per orbem, Quaaf.
Herculeas partes poſtremo hoc munere fungi
Digneris, quo mens diuinæ mentis imago Res.
Præpetibus pennis ſummi ad faſtigia cæli Scyn.
Auxilij ſublata tui, pertingat ad ipſum Tau.
Antiquum patrem, Cronium qui condidit æuum.

Quando igitur ſatis oſtenſum eſt, nihil poſſe hac oratione vel artificioſius, vel diuinius, vel primæ ætati formandæ aptius excogitari, ſi de ſermone noſtro eam interpretemur; reſtat modò demonſtrandum, antiquiſſimas litterarum figuras his noſtratibus vocibus ita ad vnguem conuenire, vt nemo mortalium, quamuis ſubtili ſollertis ingenij acumine præditus, ſymbola poſſet meliora comminiſci, & ad res ipſas per nomina ſignificatas rectiùs iuſtiusque quadratura. Id autem ſic aggrediemur, vt ordine modò expoſito ſingularum litterarum nomina & figuras inter ſe conferamus, & ſymbolicas rationes in iis examinemus. Quoniam tamen ſic vulgo perſuaſum videmus, hanc figurarum & nominum conuenientiam in ſolis hieroglyphicis notis poſſe reperiri, nec eam omnino vel apud Hebræos, vel apud alios in elementorum delineatione ſeruari, non paruum operæ fecero pretium, ſi quid de hac re à veteribus memoriæ proditum ſit, quidq́. veritas ipſa dictare videatur, breuiter enarrem. Eorum opinionem qui Phœnicum litteras ab hieroglyphicis diuerſas eſſe credunt, Lucanus vir antiquitatis omnis, hiſtoricæ præſertim, curioſus indagator, in Pompeij exercitu recenſendo, his verſibus confirmat:

Hieroglyphicas litteras à Phœnicum litteris eſſe diuerſas.

Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris:
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Nouerat, in ſaxis tantùm volucresq́ feræq́
Sculptaq́ ſeruabant magicas animalia linguas.

Herodotus item Ægypti diuturnus incola, & plurimarum in ea rerum commemoratu dignarum teſtis oculatus, quem Plautus decem præfert auritis, duo litterarum genera fuiſſe prodit; alterum populare, alterũ ſacrum. Quinetiam Diodorus Siculus, autoptes Ægypti explorator, hæc litterarum genera agnoſcit, duo illa quidem fuiſſe ſcribens, ſed ſacras notas non quoſuis, ſed ſacerdotum dumtaxat filios doceri conſueuiſſe. Et his quidem duobus teſtibus ſimul euntibus contenti, quid vox Hieroglyphicorum ſignificet, expendamus. At hîc nulla difficultas, nullum dubium, quin ſacræ ſcalpturæ La-

Litterarum duo genera; alterum populare, alterum ſacrum.

Hieroglyphicorum vocis interpretatio.

tinis verti poſſint. Cùm igitur hæ notæ ſacræ & habitæ ſint ſemper & dictæ, conſtetque ſolos ſacerdotum filios ad eas cognoſcendas admitti ſolere, probabili mihi collectione

Hieroglyphicis notis ſacra tantùm res notantur.

concluſurus videor, ſi dicam, Hieroglyphicis litteris non alia quàm res ſacras à maioribus acceptas notari conſueuiſſe; nec cuiquam fas fuiſſe iis res profanas deſignare. Ad harum enim ſcriptionem cõmunes & in vulgus notas litteras non minus ſacrifici quàm plebeij addiſcere cogebãtur; ne videlicet ſacræ imagines ad religionem tantùm & Dei cultum memoriæ ſuggerendum à priſcis deſtinatæ, profano vſu inquinarentur & in contemptum venirent. Quod ſi ita eſt, non parum illi aberrarunt qui Ægyptios ſcripſerunt antè animalium figuris, quàm communes litteræ inuentæ eſſent, in quauis re deſcribenda vſos fuiſſe: quorum ſententiæ Tacitus hiſtoriæ ſuæ lib. vndecimo accedere

Herodotus deceptus ab Ægyptiis ſacerdotibus.

videtur. Quamobrem inſigniter Herodotum ſacrifici fefellerunt, dum litteras hieroglyphicas gradatæ ad Memphim pyramidis ita ſunt interpretati, vt iis ſignificari dicerent, quantum in apio, alliis & cepis operæ abſumſiſſent. Nec minus deceptus eſt Germanicus, dum Ægyptias litteras ſenior quiſpiam ſacerdos ad veterem rerum ab Ægyptiis geſtarum hiſtoriam, aut potiùs fabulam, & priſcas diuitias ſigillatim accommodaret. Pudebat nimirum eos ignorantiam ſuam fateri, atque idcirco quæ idonea admirationi antiquitatis putabant, ſacris notis contineri comminiſcebantur. Nec maiorẽ mihi fidem ea faciũt quæ ſunt ex Hermapione ab Ammiano Marcellino allata ad eius obeliſci qui in Circo maximo Romæ iacet ſepultus, interpretationem. Diodorus Siculus, qui Ptolemæi Dionyſij tempore in Ægypto fuit, fatetur nihil certi de pyramidum auctoribus extare; & quoſdam fuiſſe qui conditores earum ante ter mille annos & eo amplius obiiſſe dicerent: quæ quidem annorum ſupputatio vt maior eſt quàm vera chronologia ferat; ita ſatis docet ante omnem annalium ſcriptorum calculum has immẽſas moles in Ægypto erectas fuiſſe, & tum ſimul litteras etiam hieroglyphicas vel inuentas vel illatas. Ne miremur ergo ſi Latini litteras ignorabiles haſce nominarint, quia reuera iam olim earum lectio nemini fuerit nota. Nobis itaq. veriſimile videtur tum de nomine ipſo, tum de vtentium profeſſione, hieroglyphicas ſolis ſacris ſeruiiſſe: & quia ſacerdotes antiquitatem ſuam & ſucceſſionem ſic computabant, vt Cimbricè dicerent

Ægyptios ſacerdotes Cimbrica lingua in ſacris vſos.

καλὸν κἀγαθὸν ἐκ καλοῦ κἀγαθοῦ, ſiue, Probum è probo natum eſſe; quod Herodotus Piromis ex Piromi ſcripſit, nos **Phrom van phrom**, ſiue **From van from** dicimus; non poſſum mihi aliud perſuadere, quàm ſacerdotibus ſicut litteras; ita & linguam quandam in ſacris ritibus peculiarem fuiſſe, & eam quidem Phrygiam ſiue noſtratem, quam Lucanus rectius Magicam linguam nuncupauit quàm ipſemet cogitarit; eo nimirũ quòd in hac ſola vera magia, ſiue vera cognatio rerum exprimatur, ſeruata etiam vocum & rerum ſignificatarum inter ſe cognatione, quam nulla alia lingua cuſtodit. Sumam igitur hoc mihi nunc quod pòſt exemplis ſuo loco adducendis demonſtrabo, Litteras hie-

Hieroglyphicæ notæ Phrygio ſermoni accommodatæ fuerunt.

roglyphicas non Ægyptio ſermoni ſcribendo, ſed Phrygio accommodatas fuiſſe; & ne potuiſſe quidem ad aliam linguam referri, propterea quòd, vt modò luculento Hermarum exemplo oſtendi, ſymbolorum vocalium & ſcriptorum ea debeat eſſe cõuenientia, vt eandem notionem & vox exprimat & figura. Quid? quòd crebrò hæc occulta & ænigmatica ſententiarum notatio non tam è rebus aut pictis aut ſculptis, quàm ex ipſarum rerum nominibus depẽdet, quod in Canopo mox perſpicuum reddam. Adde quod contrà etiam ipſa rerum nomina non rarò de ſymbolica ratione dependeant, vt

Hieroglyphicorum interpretatio à quibus petenda.

Alauda noſtra clariſſimè demonſtrabit. Hinc efficitur, vt Hieroglyphicorum interpretatio ab aliis fruſtra quæratur, quàm ab iis qui linguæ eius ſunt periti, ad quam hæc per teſſeras loquendi ratio eſt applicata. Nunc igitur ſic ſtatuamus, Hieroglyphicas notas omnes eas fuiſſe quibus Cimmerij ſermonis periti ad res ſacras per inuolucra tradendas vtebantur; nec quidquam obſtare quò minus litteris etiam communibus ad eundem ſcopum vterentur. Quamuis enim Ægyptij eiſdem litteris ſua ſcriberent, non tamen ex iis figuris in notitiam eorum veniebant quæ à Cimmeriis per eas intelligebantur, propterea quòd nomina quibus vocabantur, nihil iis denotarent quod ad figuræ faceret explicatum. Demus, Aleph eadem forma apud Ægyptiam plebem qua apud Phrygios pingi ſolere, ex eo tamen non efficitur vt Ægyptius ſciat quid Phryx aliúſue Cimber per figuram Aleph deſignet. Ignorat enim Aleph adhortationem denotare qua viuere iubeamur: quo fit vt ne figuræ quidem intelligentiam facile aſſequi poſſit;

poſſit; quam nos ſimul ac nomen audimus, ſtatim vitæ ſignificationem habere cernimus; ad eum omnino modum quo intelligimus, columnam cui caput impoſitum eſt, & vocabulum **Thoot**, quo ipſum caput denotatur, eiuſdem omnino rei notionem repræſentare: quod nemo hactenus vel Ægyptiorum vel Græcorum aut eſt aſſecutus, aut aſſequi omnino de ſuo quidem ſermone potuiſſet. Similiter fulmen in manu ſtatuæ virilis cernentes eueſtigiò Cimmerium Iouis nomen, quo eum **Donder** nuncupamus, in mentem venit; eo quòd **Donder** ſignificet tonantem: vnde dies Iouis **Donder dach** vocatur. Nec aliter dum alas in capite & talaria in pedibus pulcerrimi iuuenis videmus, mox Mercurij nomen ſuccurrit, propterea quòd magna attentæ conſiderationis rerum omnium præſtantia celerrima ſit, momento temporis cælum, mare terrasque percurrens; atque eo ſemper maiorem nacta vigorem, quo diſcurſu vario plura pererrarit. Alæ igitur & ipſæ iuuentæ flos adamuſſim cum Mercurij nomine conuenientes, totam nobis ſymbolicam & ſtatuæ & nominis rationem belliſſimè exponunt. Et licet Latini ceterique alterius linguæ homines ad huius rei intelligentiam de adſpectabili ſimulacro queant venire; nullo tamen modo poſſunt nominis & ſtatuæ nouiſſe cognationem, nec ſuam de ipſius ſignificatione ſententiam de nomine confirmare. Ægyptij Harpocratem ſilentio præſidere per digitum labris admotum intelligebant, ſed totam ipſius effigiem de nominis notatione interpretari, & ad cauſſas reducere nequiuiſſent. Quid multis? Omnia adſpectabilia ſiue ſacrarum ſiue aliarum etiam rerũ ſigna manca ſunt, & maximam partem gratiæ perdunt, ſi nomina iis reſpondentia non intelligantur.

Iouis ſtatua & nomen Cimmerium. **Donder.** **Donder dach.** *Mercurij ſtatua.*

Quamobrem fatebimur litterarum figuras nec Ægyptiis, nec Græcis, nec Latinis, nec Phœnicibus, nec Hebræis, nec Chaldæis aut hieroglyphicas aut omnino ſymbolicas notas fuiſſe, tametſi apud Ianigenas non minus quàm quæuis aliæ huius generis imagines in ſacris notis & eſſent & haberentur; propterea quòd ad earundem prorſus rerum notationem à primo artifice comparatæ eſſent, quæ per ipſa litterarum nomina ſignificarentur. Hinc efficitur, non de omnibus hieroglyphicis ſymbolis homines plebeios ſermonis noſtri peritos celatos fuiſſe; ſed ad earũ admiſſos cognitionem quibus vocum elementa notarentur. Quamuis igitur Aleph, Bet, Gimel, Dalet, & cetera eiuſdem claſſis nomina apud alias gentes non alij vſui quàm litterarum figuris & poteſtati notandis in alphabetica enumeratione ſeruiant, nobis tamen præter litteras & earum poteſtatem aliam habent vlteriùs ſignificationem, & eam omni ex parte adamuſſim ipſis nominibus concordem, & idcirco ſi in ſaxis ſcalpantur, hieroglyphicæ notæ dicentur. Summatim enim & vno verbo nihil aliud eſt ſignum hieroglyphicum, quàm rei ſacræ ſymbolum materiæ cuipiam inciſum. Vt igitur Hebræis daremus aliquid litterarum nomenclaturis in ipſorum ſermone denotari, id tamen tale eſſet, vt nihil faceret ad litterarum figuras enucleandas. Verumenimuerò hîc mox quæſitum iri video, quænam illæ ſint litterarum notæ quibus hæc nomina reſpondeant. Id licet non aliis argumentis poſſem docere, attamen vel de hac ipſa vocum & figurarum concordia manifeſtarem. Nam ſi rogetur vtrum præſtantioris ſit artis, magisque deceat litterarum inuentorem, imaginéſue nominibus in ſignificando conuenire, an non conuenire? neminem puto fore tam rationis omnis & communis ſenſus expertem, vt dicere audeat, nullum eſſe in his duobus laudis diſcrimen; nedum conuenientiam artificioſam figuris, nihil facientibus ad nominum ſignificationem, poſthabere. Quoniam itaque litterarum inuentionem ſingulari Spiritus ſancti gratiæ tribuimus, neceſſariò nobis erit fatendum, in omni litterarum apud diuerſas nationes varietate eas, vt præſtantiſſimas, ita antiquiſſimas eſſe, quæ ad vnguem quadrant ad ipſorum nominum ſignificationem. Quòd ſi præterea huic conuenientiæ certa & minimè dubia Ogeniæ antiquitatis monumenta accedant, impudentiæ magnæ fuerit, his reiectis, alias vel quærere vel præferre litterarum figuras. Nos igitur, ne ſæpius idem agere cogamur, in ſingulis litteris antiquas earum formas delineabimus, additis rationibus quibus ita faciendum eſſe demonſtretur. Magna enim diuerſitas eſt characterum, non apud omnes modò nationes; ſed apud ſingulas etiam, dum aliàs alia placuit pingendi ratio, nec eandem omnes eiuſdem linguæ homines vſurpant. Quamobrem nos nihili facientes commenticias quorumuis vel populorum vel ſingulorum hominum notas, eas ſolas explicabimus in quibus ſymbolica & hieroglyphica ratio ipſis nominibus accommodata reperitur. Quemadmodũ autem

Litterarum figuræ ſolis Cimmeriis hieroglyphicæ & ſymbolicæ.

Hieroglyphici ſigni definitio.

Litterarum figuræ præſtantiſſimæ & antiquiſſimæ quæ ſint.

litteræ nomen noſtratis eſſe originis Hermathena noſtra demonſtrat, ita hîc obiter annotabo γράφω Græcorum & Scribo Latinorum natales ſuos ſermoni noſtro acceptos ferre debere; atque inde etiam probabile reddi, ſcripturæ principé noſtra lingua vſum fuiſſe. Grab omnem foſſam denotat; cui & ordine litterarum & notatione Barg contrarium eſt, quo mons notatur. Nos tamen, b in f mutato, Graf dicimus, à Gat-af, id eſt, omnino deorſum: quo dum vt verbo vtimur, idem ſignificatur quod fodio; non ruſticis modò notum, ſed illis etiam qui foſſularum ductibus vel in ligno, vel in ære, vel alia materia quidquam delineant. Ex hoc igitur poſteriore vſu Græci γράφω retinuerũt, f in φ, pro eo ac litterarum vis poſtulat, mutato: vnde γράμματα pro litteris vſurpata, potiore iure de inciſis vel effoſſis litteris, quàm de pronuntiatis vel pictis dicerentur. Hinc liquere credo, antiquiſſimos illos tabulis ligneis ad notas temporarias vſos fuiſſe, perinde vt ad diuturnas & perpetuæ memoriæ deſtinatas ſaxis & ære. Libri nomen, cortices ad hunc eundem vſum adhibitos fuiſſe, demonſtrat; qui ſic dicuntur, quòd arborem, ne quid exteriùs patiatur, defendũt; quod Li-war nobis ſignificat. Adde maiores tabularum moles iam ad iuſtam trunci magnitudinem exereſcentes, codices dici; qualibus mercatores ad accepti & expenſi rationes deſcribendas vtuntur: atq. eo modo Cicero inter aduerſaria & codicem diſtinxit. Nomen quo noſtrates vtuntur, non à materia, quæ aliis ſeculis alia fuit, ſed à primario librorum vſu acceptum. Librum enim Boic vocamus, à Boi ken, quo ſignificatur mandata noſce. Nam ad illũ maximè finem libri olim fiebant, vt præcepta Dei à maioribus accepta & patrias leges cognoſceremus. Bie idem eſſe quod præcipio ſiue mando, non ſemel in aliis tradidi; à quo præteritum imperfectum Boi ſiue Boe: vnde Boiorum nomenclatura. Bocken igitur, & per apocopen Bock idem eſt quod mandata noui, ſi in prima perſona liber loqui intelligatur; vel mandata noſce, ſi ad eum modum vox capiatur, vt nos liber nomine ſuo videatur commonere ad quoduis genus præceptorum cognoſcendum. Neſcio ſanè an cuiuſquam vnquam mortalium tanta fuerit eloquentia, vt perpetuam nomenclatoris noſtri vigilantiam verbis vllis aſſequi poſſet. Sed quid ego de eloquentia nugor? Hoc ſcio, neminem viuere cuius ingenij captus tantus ſit, cuius tanta ſollertia, tanta ſagacitas, vt vel ſexcenteſimam ſedulitatis & artificij partem comprehendat, nedum verbis exprimere poſſit. Satis igitur mihi ſit tantillum dixiſſe, in hac vocula bock definitam eſſe omnem libri cuiuſuis vel ſcribendi vel legendi rationem: à qua ſi diſcedat, Cimbrica hac nomenclatura ſit indignus. O grauem cenſuram, & ſemper in animo iis habendam, qui vel ad ſcribendum, vel ad legendum ſeſe componunt, ne rebus inutilibus & nihil ad recta vitæ inſtituta facientibus, tempus, res omnium & pretioſiſſima & fugaciſſima, teratur! Bonæ Muſæ, quot libros vna hæc vocula proſcripſit! quot chartas miſerè perditas eliminauit! quot in exſilium inanium librorum, ne dicam bonis moribus noxiorum, protruſit auctores! Videmus modò diuinarum legum volumen primas ſibi inter omnes libros vindicare, & ratione quadam principe & plus quàm herculana bock debere nuncupari; ac deinde ceteros codices tanto hac nomenclatura eſſe digniores, quanto plus vtilium præceptorum ad rectum vitæ curſum tenendum lectoribus exponunt: at eos in quibus non modò nihil eſt doctrinæ ſanioris, ſed claſſicum etiam canitur ad ſpurcam vitiorum turpitudinem, quiduis potius quàm bocken vocandos. Ceterùm nullus exitus inueniretur, ſi nominis huius admonitionem, licet quatuor dumtaxat litteris comprehenſam, & eius vtilitatem latiſſimè patentem perſequi vellem. A Bock arbor illa nomen accepit, quæ veterum Germanorũ iudicio aptiſſima viſa eſt, vt ex eius aſſulis tenuiſſimis codices compingerentur. Eam Græci Oxeam dixerunt, Latini Fagum: quidam etiam quòd in tenuiſſimas laminas ſcinderetur, Sciſſimam vocarunt: cuius hiſtoriæ memini me aliàs non parum lucis, priùs à ſeculi noſtri hominibus haud viſæ, intuliſſe. Profectò nulla arbor eſt quæ ſe patiatur in tenuiores aſſulas findi; cuius quotidianum & vbique obuium documentum cùm alia, tum vaginæ gladiorum nobis exhibent. Habeo hactenus libellum ſatis ſpiſſum ex hac materia confectum; nihil vt veteres mirer ante lineæ chartæ inuentionem hanc arborem ad libros delegiſſe. Nec credo ſanè, cùm huius copia non deeſſet, ex alia tabulas confici ſolere. Vt igitur Liber ab vſu & fine ſuo Bock vocatur; ita arbor quæ libris materiã ſuppeditare conſueuit, Bockenboom, id eſt, librorum arbor vocata eſt. Porrò quò tabulis eiſdem ſemper vti liceret,

cera

γράφω & Scribo Cimmeriã habere originem. — *Grab.* — *Barg.* — *Graf.* — *γράμματα.* — *Libri etymõ, & Cimmeria nomenclatura.* — *Codex.* — Boic. — Bie. — Boy. — Bock. — *Librorũ materia ante chartæ lineæ inuentionem.* — *Sciſſima arbor.* — *Fagus in tenuiſſimas aſſulas ſe ſcindi patitur.* — Boecken-boom.

cera inducebatur; quæ ſtylis exarata, & variis foſſularum ductibus excauata, ſermonem denotabat. A Graf igitur, quod eſt fodio, γράφω ſuum cum tota ſobole Græci accepe-runt; & ab eius præterito imperfecto nos Griefie pro ſtylo habemus; quam vocem ad ſurculos quoque quos fodiendo inſerimus, tranſtulimus: quod monitum volui, ne quis Griefie à γραφὶς manaſſe crederet. A Griefie fit Griefier/ pro eo cuius officium eſt ſtylo aſſiduum negotium in curia exhibere. Verùm Latinorum ſcribo à noſtro item verbo manauit. Scrib enim Germani ſuperiores, Scrif noſtrates dicunt: cuius verbi ratio eſt à Scrab petenda, & huius rurſus à Crab. Crab idem eſt quod frico; vnde Crefen & Crefelen/ pro leniter & cum pruritu quodam fricare. A Cref per metatheſim Latini frico fecerunt. Nunc qui tanta vi fricat, vt ductus ſui ſignum depreſſum relinquat, is Scrabben dicitur, ſibilo vehementiam addente. Hinc Scrib vocali longa, ſiue, vt ſuperiores Germani pingunt, Screib/ pro quo nos per digamma, quod in fine vocum amamus Scrif dicimus: vnde Scref lineam deſignat. Hinc liquet tum Græcos & Latinos à noſtratibus vt verba, ita rem quoque ſignificatam quondam accepiſſe; tum ſcriptionem omnem principiò depreſſis foſſulis conſtitiſſe, atque hactenus hieroglyphicis notis ſimilem fuiſſe. Poſtea Ægyptij papyrum inuenerunt; de cuius compingendæ, glutinandæ, plicandæque ratione in littera Vau nonnihil è Plinio aliiſque adferemus. Alij etiam, in quibus pergameni maximè celebrantur, membranas ad librorum materiam præpararunt: qua certe neſcio an elegantius quicquam aut durabilius adhuc ſit inuentum; tametſi & linum & lana xylina chartas nobis dent pulcherrimas. Nolo in hoc comparationis deſcendere certamen, in quo non deſunt vtrique parti inſignia laudis argumenta, quæ vix vno libro, quamuis ſpiſſo, queant explicari. Profectò quiſquis lineam & goſſypinam chartam primus inuenit, næ is rem inuenit, vt humanis vſibus vtiliſſimam; ita facillimam comparatu. Chinæ optimam iam olim faciunt, è qua librum vidi oblongiorem quàm latiorem, ante aliquot annorum centenarios, vt videbatur, typis excuſum. Emporeticam eorum & candidiſſimam & ſubtiliſſimam, ſed tenuiorem quàm vt atramentum non bibat & tranſmittat, domi habeo; & à Luſitanis paſſim pro mercium inuolucris adferri videmus. Poſt papyri igitur, membranæ, chartæ lineæ goſſypinæque vſum, litterarum figuræ pingi cœperunt: quæ res quia in locum ſcriptionis ſucceſſit, & ad eundem finem comparata eſt, in poſſeſſionem quoque venit vocum antiquarum, licet earum primæ veræque rationes ex alio principio ducantur. Hebræorum verbum quo Scribere denotant, longiùs ab origine receſſit, propterea quòd multarum conſonantium in vna voce impatientes, omnia ferè vocabula miſeris modis truncare conſueuerunt. כתב enim à Woort-teken deriuari non dubito, ſolo n reiecto, & verbo præpoſterè pronunciato; quo ad verbum ſignificatur, Librum notare. Quid autem eſt librum notare, quàm litteras in eo ſcribere? Quòd ſi nullam aliam etymologiam Hebræi domi ſuæ reperiant, & hæc ſit ratio clariſſima; quid ni dicamus Hebræos ab iis ſcriptionem didiciſſe, à quibus verbum, quo res ipſa deſignatur, acceperunt? Si roges, vnde Latini Dialecticam, Grammaticam, Rhetoricam, Geometriam, Arithmeticam, Aſtronomiam, Muſicam, ipſam denique Philoſophiam habeant; nemo erit qui non mox reſpondeat, omnes has ſcientias à Græcis acceptas eſſe; & eius rei certiſſimum ſignum in ipſis vocabulis remanſiſſe. Quamobrem effrontis potiùs hominis & impudenti peruicacitate quiduis negantis, quàm ſani & amantis veritatis eſſe videatur, ſi quis hanc rationis concludendæ formulam contemnens, aliunde res ipſas, aliunde proprias earum voces veniſſe contendat. Neſcio an hîc de סֵפֶר & eius cognatione verba facere debeam; & rationem addere, cur non ſolùm recenſere & numerare, ſed narrare etiam & nuntiare & quandoque ſcribere deſignet. Nobis certè clarum eſt, quòd Wt-bar/ vnde Wt-par/ ſignificet quouis modo dare cognoſcendam rem quampiam; quod fieri poteſt numerando, narrando, ſcribendo & nuntiando. Bar enim nobis idem eſt quod in lucem edo: à quo vtrumque verbum apud Latinos & Parco & Pario, & apud Hebræos בָּרָא pro creare. Hinc Wt-bar ſiue Wt-bar/ quod eſt idem, expono, enarro, ſiue generatim quauis ratione notionem mentis meæ exterius aperio & declaro. Hinc igitur סֵפֶר, in quo verbo duo fuerunt Hebræis commutanda; alterum, vt vocalis ipſi Sigma præpoſita reiiciatur; quoniam nefas ipſis habeatur, vocem vllam à vocali capere exordium: alterum, vt hæc vocalis in eam mutetur quæ radicibus ipſorum eſt familiaris. Ab hoc verbo סֵפֶר pro libro quo res exponuntur, & סֹפֵר is qui exponit

Griefie. *Griefier.* *Scribo.* Scrib. Scrif. Scrab. Crab. Crefen. Crefelen. Scrabben. Scref. *Papyrus ab Ægyptiis inuenta.* *Pergameni membranas ad librorum materiã præparauerunt.* *Charta linea & goſſypina.* *Chinæ optimam chartã iam olim fecerunt.* *Litterarum figuræ quando pingi cœperint.* *Scribendi rationem Hebræos à Cimmeriis accepiſſe.* Bar. *Pario & Parco verborum etymon.*

ponit quicquid vel ſcribit, & סְפרות ſcripturam. Ex his coniecturam facias, Hebræiſne nos, an illi nobis tradiderint ſcribendi rationem; atque adeò vtra lingua prior ſit & antiquior habenda. Quando igitur luculentis rationibus nunc mihi videor euiciſſe, primam ſcriptionis originem à Deo linguæ noſtræ contributam fuiſſe, totamque eam orationem, quæ litterarum notis recenſendis nuncupata eſt, ex ea interpretationem accipere debere, tempus eſt vt cauſſas reddamus, cur ſuam quæque littera ſortita ſit figuram.

LIBER III.

Scribēdi progreſſus vter ſit rectior, Hebræorūne an Latinorum & Græcorū.

VERVM quò id minùs eueſtigio aggrediar, facit illa dubitatio quam mox ab initio hîc video exoriri. Magno enim plurimorum applauſu ab Hebræis iactari ſcio, ſe rectum ſcribendi progreſſum tenere; Latinos & Græcos dum contrario ductu pingunt, prorſus à primis exarandorum characterum inſtitutis aberrare. Se enim à dextris ad ſiniſtra in ſcribendo progredi, primi mobilis hac in re ductum ſequentes: eos qui ex aduerſo litteras ſcribunt, planetarum ſiue erronum curſum tenere; & quanto ille quàm hic naturæ conuenientior eſt, tanto ſuæ ſcriptionis modum eſſe præſtantiorem. Argutum, ita me Dialectica amet, concluſionis genus, & vnà cum Diopete Troianorum Palladio è cælo, vt puto, delapſum. Vt tamen hunc Gordium nodum vel diſſoluam vel gladio diſſecem, non Alexandri illo quidem, ſed veritatis præfari oportet, quæſtionem hanc in eo maximè verſari, An litterarum multarum deſcriptio per verſus rectos deducta ad dextram debeat tendere, an ad ſiniſtram. Cùm igitur nec Hebræi nec ceteri vlli verſus ſuos in circulum regredi faciant, ſed per rectas lineas porrigant, non video quid nobis ſit cum orbiculari motione. Quid? quòd ne ſimilitudo quidem vlla ab orbiculari ad rectum progreſſum, ad hanc quam agimus rem transferri poteſt; cùm ille ex ſe in ſe redeat, hic à termino quopiam ad alium tendat, non minùs illi diſſimilis, quàm idem ab alio differt. Vnica eſt Latinorum & Græcorum figura quam circulus abſoluit, in qua liberum cuiuis eſt vt à dextris ad ſiniſtra, & hinc rurſus ad dextra procedat: verùm ne illud quidem aut neceſſarium aut pluribus vſitatum, cùm plerique in hac littera exaranda à ſuperiore parte dextrorſum ad inferiorem, & ab hac ſiniſtrorſum ad ſuperiorem calamum reducant: quod non citra magnam cauſſam facere videntur. Cùm enim hæc littera quandam æternitatis habeat ſignificationem, & in æternitate conſideranda & ad res creatas deducenda ab ipſo apice incipere oporteat, & hinc deſcendere vſque ad infima eorum quæ rotunditate hac continentur, & rurſus inde gradum referre ad ſuperiora, nec ante conſiſtere quàm ad ipſum redieris patrem vniuerſorum; non poteſt figura eius melius delineari, quàm ſi hunc mentis noſtræ motum, atque adeò ipſius opificis ordinem, dum depingitur atque formatur, imitetur. Quòd ſi id quod nos ſupremum dicimus, quiſquam dextrum vocare velit, vti memini à Ioanne Sacrobuſtano rudimentorum ſphæricæ contemplationis auctore ſcribi; dicam nihil mea referre, quas ſibi quiſque in rebus æternis & diuinis ſimilitudines fingat; modò mihi quoque concedatur, id quod reuera ſupremum eſt, ſupremum vocare; non in figura tantùm huius elementi vocalis, ſed in tota etiam rerum vniuerſitate. Sed vtcumque tandem & quoquo modo hæc dicantur, quid inde ad Hebræos, apud quos nulla littera inuenitur quam integer circulus abſoluat? Taceant de primo mobili, planetas accuſare deſinant, qui æquè à ſuis dextris ad ſiniſtra, & inde ad ſua dextra redeunt, atque ipſum primum corpus; tametſi contra primum mobile obliquis curſibus ferantur. Verùm hæc alterius loci; nec quicquam faciunt ad id quod in quæſtionem modò vocatur, quæ de recta litterarum ſerie deſcribenda, non de orbiculari in ſe regreſſione tractat. Repulſis igitur Hebræorum ſophiſtarum nugis, nos ipſam rimemur veritatem; quæ non aliunde clariùs exiſtet, quàm ſi quid ſcriptio ſit, breuiter definiatur. Ea namque luculentiſſima eſt demonſtrandi via & ratio, quam formæ rerum de quibus agitur, oſtendunt. Quamuis itaque ipſa verbi ſcribo interpretatio ſatis declaret quid ſit

O litteram pingendi modus & ſignificatio.

ſcriptio,

ſcriptio,& ad quod genus rerum ea ſpectet; quo tamen nihil ſcrupuli relinquatur apud quemquam, ſed omnia ſint expedita & libera ab omni obſtaculo, non verebimur rurſus incurrere in illorum criminationem, qui nos nimium didaſcalicos, nimiumq́ eſſe curioſos in minutiis quibuſque exiliſſimis diſcutiendis non ſemel obiecerunt. Reſpondebo enim illis quod aliàs crebrò feci, in paradoxis, qualia omnia mea ſunt, docendis nihil mihi videri nimis accuratum; nihilque tam planum, vt non plurimi offendantur. Quid? an non frequenter audiui à viris Latinæ, Græcæ, Hebraicæ & affinium linguarũ peritiſſimis, me rationibus niti admodum firmis, & talibus, vt eas vel reiicere vel frangere nequeant; ſe tamen adduci non poſſe, vt ea quæ docere nitor probent, atque vera eſſe fateantur? Apud hos igitur num quidquam nimium eſſe poteſt, qui ne illa quidem quæ vident videre volunt, aut ſaltem fateri ſeſe quæ vident videre? Sed dicet quis, & optimo iure dicet, apud id genus homines non curioſam modò in docendo prolixitatem, ſed omnem omnino orationẽ, quamuis ſuccinctam, nimiam eſſe: quandoquidẽ perinde eſt ſiue ſurdo canas, ſiue contumaciam ab errore liberare coneris. Nos tamen ſi non aliis, at nobis certè & Muſis canemus. Scriptionem ergo eam vocabimus ſiue actionem, ſiue operationem, quæ linearum ductu litterarum nominibus conuenienti, ſermonem & eius partes ob oculos ponit. Neque enim hîc de quibuſuis notis cuiuſuis arbitratu excogitatis agimus; ſed de illis dumtaxat quæ vim nominum quibus Hebræi in litteris enumerandis vtuntur, exprimunt, & aptis & conuenientibus eorum ſignificationi exponunt figuris. Verùm de his, vt dixi, in ſingulis elementorum nomenclaturis diſputabo, demonſtraturus ſuam ad quodque nomen formam quàm aptiſſimè quadrare; nec melius artificioſiuſque poſſe rem per litteræ cuiuſque vocabulum denotatam depingi, oculiſque ſubiici. Quemadmodum igitur in figuris accuratiſſima ratio habita eſt, vt nominibus litterarum reſponderent; ita in tota ſermonis per id genus notas delineatione conuenientia quædã & concordia eſſe debet ſermonis & ſcriptionis; haud ſecus atque pictura rem eam quam oculis oſtendere molitur, quoad eius fieri poteſt, ſtudioſè imitatur. Qua de re fit, vt ſi quæratur an dextrã an ſiniſtram verſus ſcriptionem progredi oporteat, conſulenda ſit natura ſermonis; atque diligenter videndum, an locutionem ad nos ipſos an ad alios dirigamus. Nam ſi nobis ipſi loquamur, ſcriptio ad nos tendat neceſſe eſt; ſin aliis per ſermonem cogitationes noſtras ſignificemus, quis nõ videt ſermonis delineationem à nobis exterius porrigi debere, ſi picturam quidem rei pictæ velimus conuenire. Quòd ſi in Panathenaicis virgo quæpiam Mineruæ peplum ſua acu pictum oſtẽdiſſet, in quo deam ſic delineaſſet, vt auerſa à gigantibus ad cælum contendere videretur; an non eam omnes ſpectatores exploſiſſent, ceu contumelioſam & impiam; eo quòd Palladem non inuadentem, ſed fugientem texuiſſet? Quis non exſibilet eum pictorem, qui eum qui foras progrediatur ſic nobis delineet, vt faciem habeat portæ aduerſam? Cùm igitur nemini ſit obſcurum, quin ſermo mentis ſit interpretatio, de qua Ariſtoteles titulum Hermenias mutuatus eſt; non poteſt non perſpicuum eſſe, eum à nobis exterius deſtinari, & idcirco in ipſo pingendo eam ſeruãdam eſſe rationem delineationis, vt clarè demonſtretur exteriùs tendere locutionem. Quid inſanius quàm ſibi quemquam loqui, & verbis ſignificare quid mens intus cogitet atq. meditetur? Hæc cùm ſint perſpicua, reliquum eſt vt conſideremus dextrúmne an ſiniſtrum exterius dicatur; vt hac quæſtione deciſa liqueat in vtram partem tendere ea debeant quæ ſic pingere volumus, vt à nobis exteriùs ad alterum proficiſci denotentur. Quid dextrum ſit, quid ſiniſtrum, vt cuiuis videtur liquere, ita penitiùs conſideranti non admodum facile fuerit definire.

Scriptionis definitio.

Scriptio quà progredi debeat.

Sermo à nobis exterius deſtinatur.

Dextrũ quid & quid ſiniſtrum in animantibus.

Plato hoc partiũ in homine diſcrimen, ſoli conſuetudini & educationi adſcribit, cui natura ipſa videtur reclamare. Quid? an non bruta animantia ſolo ſolius naturæ inſtinctu atque ductu priùs dextrum pedem mouent quàm ſiniſtrum? In hominibus item dextra validiora cernimus ſiniſtris, non ſolũ de conſuetudine exercitationis, ſed ab ipſo mox ortu. Iam nulla in re natura frequentiùs monſtrum producit quàm in dextro & ſiniſtro. Cùm enim illa pars corporis dextra animalibus ſit, in qua hepar venam cauam vel emittit iuxta Galenum, vel ſuſcipit ſecundum Ariſtotelis ſententiam; non raró videmus in hominibus euenire, vt pars ea dextram manum habeat, in qua lien ſedem habet; quod alius quo nomine velit appellet, equidem monſtrum vocare non verebor.

Quòd

Dextri & ſiniſtri in corpore differentia naturæ, non conſuetudini adſcribenda.

Conſuetudo altera natura.

Quòd ſi manibus & pedibus id accidat, maior erit ab ordinaria naturæ conſtitutione diſceſſus. In his itaque in quibus contrà ac in ceteris dextrum habetur, manifeſtum eſt non tam conſuetudini quàm naturæ dextri & ſiniſtri in corpore differentiam adſcribi oportere; cùm in iis nulla cura & exercitatio efficere queat, vt non ea parte ſint robuſtiores & ad motionem promtiores in qua ſplen collocatur. Adde quòd quidam ſic à natura ſint comparati, vt vtraq. manu æque valeant, atq. idcirco ambidextri & ſint & vocentur. Non eo interim infitias, magnas quoque vires eſſe conſuetudini, quam lubenter fatebor alteram eſſe illam quidem naturam; ſed tamen ſic alteram, vt & ſecunda ſit, & minus virium habere cenſeatur. Veriſſimum enim illud eſt,

Naturam expellas furca, tamen vſque recurret.

Poſitionis differentia vnde ſint capienda.

Ex his quæ quotidiana nobis experimenta demonſtrant quæſtio exiſtit, in quo dextri & ſiniſtri in homine, vt de ceteris taceamus, principium ſit collocandum. Nam ſi vel in corde, vel in hepate, vel in cerebro id ponas, neceſſariò confiteberis aut idem in omnibus dextrum eſſe, aut has primarias partes non in eadem ſede in omnibus hominibus locari. Atqui & cor & hepar & cerebrum eundem ſitum in eo habet qui ordinario & communi hominum ritu dextris & ſiniſtris partibus præditus eſt, atque in illo qui contrario modo partes has poſſidet. Cùm dextrum & ſiniſtrum propria ſint animalium ad progrediendum natorum, in iis oportet vel ſolis, vel prius quàm in aliis, huius diſcriminis cauſſa quæratur. Quoniam autem dextrum in latitudine, ſurſum & deorſum in longitudine, antè & retrò in altitudine capiuntur, & hæc omnia in peculiaribus motionibus conſiderentur, ita vt Superum quidem nutriendi, Dextrum progrediendi, Anterius ſentiendi principium ſit; videamus quibus inſtrumentis progreſſus fiat, & à quo principio deſcendat. Ariſtoteles dextra omnia in animalibus calidiora & validiora & efficaciora eſſe dixit, atque adeò in agendo tantùm, non etiam in patiendo, dextrum notari; & ideò non inueniri in ſenſibus qui patiuntur ab iis quorũ occurſu mouentur, nihil contra in ipſa actionis edentes. Idem auctor eſt, dextra viſcera omnia præſtantiora & nobiliora eſſe ſiniſtris; vt hepar liene, renem dextrum rene ſiniſtro, & id quidem in calore & propriis operationibus. Quando igitur prima caloris ſedes in corde eſt, & inde per venas tamquam per canales totum corpus irrigetur, & ſanguinem vti alimentum ſuſcipiat, atque etiam è corde nerui oriantur, iuxta eiuſdem ſententiam in corde dextri & ſiniſtri ratio quærenda erit. Atqui cor in omnibus hominibus eundem ſitum habet, ac parte ſui dextra qua venam cauam ad hepar emittit, calidius eſt, ſi credimus eidem magiſtro. Quo fit, vt necdum mihi liqueat, cur quidã contrà ac ceteri partem dextram eam habeant in qua lien eſt. Medici partem cordis ſiniſtram calidioris ſanguinis & eius qui per arterias fertur ſtatuunt officinam, & neruos negant à corde exoriri. Maior igitur hîc controuerſia & altercatio aperitur, quàm vt tota hoc loco ſit perſequenda. Satis eſto eam indicaſſe. Porrò cùm motus ille cuius proprium dextrum & ſiniſtrum Ariſtoteles fecit, à neruis oriatur; neceſſe fuerit, vt nerui eius partis in qua hepar eſt, calidiores ſint in omnibus corporibus in quibus idem eſt viſcerum ſitus: vnde rurſus efficitur, vt nemo vel ambidexter eſſe, vel læua manu pro dextra vti de naturæ quidem ratione poſſit; cui rei quotidiana aduerſantur experimenta. Nos igitur viſcerum eorum quæ ad motum eum in quo dextrum & ſiniſtrum ſpectantur, nihil faciunt, nulla habita ratione, ad neruorum exordium adſcendemus; & in eo partem illam conſiderabimus quæ ſpinæ medullam emittit; propterea quòd ab hac nerui manus & pedes mouentes procedant, vti rami à primo trunco in cerebro radicato enati. Quoniam verò certis morborum argumentis deprehendimus alteram huius partem citra alteram lædi impedirique poſſe, vti in paralyſi alterius lateris videmus; dicendum videtur, communem & ordinariam naturæ regulam eſſe, vt ea medullæ pars quæ hepar propiùs adſpicit, validiores calidioreſque ramos emittat quàm altera. Verùm in paucis contrà euenire, & id eſſe inter monſtroſa recenſendum: cuius cauſſa vel è patris ſemine, vel ex vtero matris petenda; non verò ex hepate vel dextro cordis ventriculo, vti Ariſtoteles videtur ſenſiſſe.

Dextrum in cælo quomodo ponendum, ſecundum Ariſtotelem.

Quòd ſi nunc vlteriùs roges quì dextrum in cælo ſit ponendum, breuiter dicam, Ariſtotelis rationem hac in re mihi nequaquam probari. Vt enim cælum animal ſtatuat, nullam tamen viam inueniet qua oriens cæli pars potentior & efficacior ad mouendum dicatur quàm occidens; quando cælum ſic ſuis partibus omnibus ſimilaribus conſtat, vt nec maior

maior vis vni quàm alteri parti tribuenda videatur, ad motionem localem ciendam: nec celerius pars orientalis quàm occidentalis feratur, nec item prius illa quàm hæc queat cieri; tametſi motionis principium cælo tribuas. Quid quod cælo à principio interno nulla pars vel oriens ſit vel occidens; ſed tota hæc res ei tribuitur collatione eorum quibus ſidera oriuntur, & idcirco ſit externa. Iam cùm dextrum & ſiniſtrum priorem differentiam, quæ ſupero & infero continetur, requirat; ſi Peripateticus verum aſſerat, neceſſario confitendum, non magis dextrum cælo quàm ſuperum ineſſe. At ſuperum non ineſt, eo quòd non nutriatur. Quamobrem ſi dextrum & ſiniſtrum in cælo quærantur, per ſolam comparationem ad ea quibus dextrum eſt & ſiniſtrum in eo poterunt inueniri. Quocirca ſi dextrum à calore & efficacia ducas, Sol in cælo ſuo dextra pars erit; & item in reliquis ea pars quæ plus virium habet. Sed hoc abſurdum, nec pertinet ad motionem localem. Reſtat igitur, vt ſi in cælo dextrum & ſiniſtrum collocetur, ea ratione qua in animalibus progredientibus dextrum illud ſit quod ad mouendum, ſiniſtrum quod ad quieſcendum magis idoneum videtur; & id quidem in latitudine, in qua ſola dextrum & ſiniſtrum conſideratur: Latitudo autem corporis ſphærici ab axe ad circumferentiam computanda. Quoniam enim Mathematici lineam definiunt imaginarium puncti ductum, ſuperficiem ductum lineæ, corpus ductum ſuperficiei; videndum quæ ſuperficies ducta ſphæricum corpus conſtituat. Id Euclides cæterique Geometræ definierunt, dicentes globum illud eſſe corpus quod naſcitur è ductu ſuperficiei; quæ fixa diametro tantiſper mouetur, dum eò redeat vnde principio cœpit moueri. In hoc motu ſi dextrum quæras, peripheria dextri pedis rationem habebit, axis verò pedis ſiniſtri. Quod ſi in medio peripheriæ inter polos Solem colloces, & vna cum ſuperficie moueri intelligas, pars vnde moueri incipit, terminus à quo; pars ad quam mouetur, quæque maxime diſtat, terminus ad quem fuerit: & quia id a quo animal mouetur poſterius eſt, id ad quod, anterius; res planè contrà fuerit ſupputanda quàm Ariſtoteles fecit. Fingas enim cum ipſo cælum moueri cœpiſſe, & illum eſſe orientem, vnde motionem ſecundum latitudinem exorditur; certè peripheria dextra erit, axis ſiniſter, oriens poſterior, & occidens anterior. Quando enim homo progreditur dextro pede, ſiniſter quieſcit; & ſi continuò dextrum pedem promoueat, ſiniſter axis & partium circa axem rationem ſubibit, dexter circulum abſoluet; haud aliter atque in circino cernitur fieri, in quo ſi roges vter pes dexter ſit, quis non eum dextrum vocet qui mouetur & circumducitur? Relicta igitur hac conſideratione dextri & ſiniſtri in cælo ex poſitu partium ipſi ingenito, tranſeamus ad comparationem eam quam Ariſtoteles comminiſcitur, vt videlicet cælo ex collatione corporis humani, cui globus circumſcribatur, conſideretur; videamúſque quàm feliciter hoc ei ſucceſſerit. Sumit illud dextrum eſſe à quo motus incipit, atque ex eo colligit orientem dextrum eſſe, & occidentem ſiniſtrum; quod eſt abſurdiſſimum: eo quod dextrum & ſiniſtrum non inter terminum à quo & terminum ad quem à quoquam ſtatuantur, nec ſtatui quidem poſſint; cùm ea quæ progrediuntur naturali ductu ad anteriora ferantur, & inter ante & pòſt dextrum & ſiniſtrum nequeat computari, niſi hæc de quibus agimus poſitus diſcrimina confundantur. Quis rogo ferat, ſi homo dicatur à dextro progredi ad ſiniſtrum, cùm ipſe ſermo ipſaque natura clamet nos anteriùs progredi, termino à quo poſteriùs relicto? Inepta eſt itaque hæc Atlantis deſcriptio, & prorſus cæli motioni repugnans. In ceteris enim dum pars dextra mouetur, ſiniſtram quieſcere oportet; quod fieri in axe & peripheria dixi, & in circino clare cernitur. Quamobrem Peripatetici argutiis relictis, quibus Pythagoreos oppugnat nos aliud conſilium eiuſdem ſecuti, quo cenſet vnicuique in ſua ſcientia credendum eſſe, Aſtronomos rogemus quid dextrum, quid ſiniſtrum in cælo appellent. Apud hos profectò longe alia ratio dextri ſupputatur, in qua naturæ ductu obſeruato, anteriùs & poſteriùs in motu locali inter terminum à quo & terminum ad quem conſtituuntur; atque ita Sol progrediens anterius ſpectat, quo fit dextrum eius latus Septentrionem, ſiniſtrum ad meridiem vergat. His conſentiunt Poëtæ vetuſtiſſimi ſcriptores, quorum hac de cauſa auctoritas non eſt negligenda. Illis igitur quia in ſua ſcientia verſantur, his quia primo homini à Diis edocto proximi fuerunt, credere debemus. Coſmographorum clara eſt ſententia ex iis quæ de longitudine & latitudine locorum ſcribunt, quorum hæc inter polos & cir-

Sphæricũ corpus quid ſit.

Dextrum & ſiniſtrum in cælo quid ſecundum Aſtronomos & Poëtas.

& circulum æquinoctialem capitur, in meridiano ſupputanda; illa inter orientem & occidentem, in æquinoctiorum circulo conſideratur, vti in progredientium ſpatiis metiendis fieri debere natura ipſa demonſtrat. Quod ad Poëtas attinet, nihil dubij fuiſſet, niſi Simplicius Homerum ad Peripateticam tuendam abſurditatem aduocaſſet. Verſus quos indicat, adſcribere placuit:

Homeri locus explicatus.

Τύνη οἰωνοῖσι τανυπτερύγεσσι κελεύεις
Πείθεσθαι, τῶν οὔτι μετατρέπομ' οὐδ' ἀλεγίζω,
Εἴτ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι πρὸς ἠῶτ' ἠέλιόντε,
Εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοίγε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.

Id eſt, vt nos ex tempore iuxta ſententiam noſtram Latinè vertamus:

Præpetibus mandas auium tu credere pennis,
Aſt ego nil moueor, nec me cura vlla moratur,
Siue ad dextra volent, ſeu tendant Solis ad ortum;
Siue ſiniſtra petant, ſeu captent noctis opaca.

In his non duæ tantùm plagæ, vt Simplicius exiſtimauit, ſed quatuor enumerantur; quod alios quoque ſenſiſſe Euſtathius teſtatur, quos tamen nec de conſtructione verborum, nec de intelligentia verſuum reprehendit. Quid igitur neceſſe eſt ſic Poëtam capere vt ſolus ab omnibus aliis & ab ipſa natura diſſentiat? Cùm enim Poëtæ Soli Apollinem aurigam dederint, non potuerunt committere vt non partem cæli Arcticam dextram; & oppoſitam facerent ſiniſtram. Neque aliter Homerus ſtatuere de his potuit, quando Auroram orienti luci præficit, & eius ductu mortalibus lumen reddi crebrò cantat; quæ dum ex orientis cardine emergit, neceſſariò dextra ſui parte vergit ad Septentrionem. Virgilius, diligentiſſimus priſcæ veritatis inquiſitor, clariſſimè quid hac de re ſenſerit, his verſibus oſtendit:

Zonæ mundi.

Quinque tenent cælum Zonæ: quarum vna coruſco
Semper Sole rubens & torrida ſemper ab igni eſt,
Quam circum extremæ dextra læuáque trahuntur
Cærulea glacie concretæ atque imbribus atris.

Ouidium vetuſtiſſimos ſcriptores in iis quæ de mundi exordio, diluuio, & aſtrorum poſitu cecinit, diligenter ſecutum eſſe, res ipſa declarat; adeò vt non deſint qui eum Moſis libros legiſſe ſuſpicétur. Apud hunc Apollo Phaëthontem rectum Solis iter docens, inter alia cognitu non minùs vtilia quàm iucunda præcepta hoc etiam exponit:

Neu te dexterior tortum declinet ad anguem,
Néue ſiniſterior preſſam rota ducat ad aram.

Hoc loco nemini obſcurum eſſe poteſt, dextram rotam eam vocari quæ ad Arctos ſpectat, quos draco maximus vaſtis ſinibus intortus comprehendit; ſiniſtram quæ cæli partem oppoſitam reſpicit, in qua Aræ monumentum ſtellis conſignatum videmus. Anguem autem Septentrionis plagam tenere Maro declarat his verſibus:

Anguis ſidus in Septentrionali cæli plaga.

Maximus hîc flexu ſinuoſo elabitur anguis
Circum, perq́ue duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentes æquore tingi.

Ouidius item priore libro dextrum & ſiniſtrum in mundo ſic deſcripſit, vt inter polos latitudo, quæ hoc partium diſcrimen facit, contineretur:

Vtq́ue duæ dextra cælum, totidemq́ue ſiniſtra
Parte ſecant Zonæ; quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura Dei, totidemq́ue plagæ tellure premuntur.

Zonæ.

Varro tamen orientem ſiniſtram mundi partem, occidentem dextram facit; poſticam Septentrionem, anticam meridiem: quem Plinius lib. vndecimi capite octauo imitatur. quam cæli partitionem collatione eorum ſibi finxerunt, qui ſeſe ad meridiem conuertunt; vt illa nimirum dextra dicantur quæ nobis ſunt ad dextram. Verùm hæc ratio plebeia eſt, & à poëtis non alibi quàm in auſpiciis & auguriis vſurpata. Sic apud Plautum coruus à læua cantat Euclioni, & apud Virgilium ſiniſtra cornix monet à litibus abſtinendum eſſe. In cælo curſus ipſius ſolis conſiderandus, qui ab oriente in occidentem progrediens, neceſſariò Auſtrinam partem ſiniſtram habet, Arcticam dextram.

Hinc

Hinc Lucanus:

Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem,
Vmbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

Lucani locus explicatus.

Deſcribit eos Arabes quibus vltra Tropicum æſtiuum habitantibus vmbræ, dum Sol in Cancro verſatur, Auſtrum verſus meridianis horis porriguntur: qui, dum apud Romanos multo citra ſideris viam militarent, mirabantur vmbras in ſolſtitio æſtiuo ad dextram mundi partem, non ad ſiniſtram ſiue Notiam ferri. Quando igitur clarum eſt Arcticam, cæli partem dextram, Notiam verò ei oppoſitam ſiniſtram vocari; atque ex his teſtimoniis conſtet qui ſint Homeri verſus quibus quatuor cæli partes deſcripſit, intelligendi; reliquum eſt vt videamus, vtra harum partium vel interior vel exterior vocetur, vt eo inuento quæſtio nobis propoſita decidatur. Ne recedamus ergo à poëtis, apud quos certiſſima ſunt vetuſtiſſimæ lanigenarum diſciplinæ veſtigia. Horatium conſulamus, qui Satyrarum libro ſecundo luculentiſſimam nobis reliquit teſtificationem, ea in cælo interiora vocari, quæ ad Auſtrum ab Æquinoctiorum circulo ſiue iſemerino declinant; & contrà exteriora quæ ab eodem tendunt ad Septentrionem. Eius verba hæc ſunt:

Exteriora quæ ſint, & quæ interiora in cælo.

Siue Aquilo radit terras, ſeu bruma niualem
Interiore diem gyro trahit.

Horatij locus expoſitus.

Eſt quiſquam tam hebes vt hîc non videat interiorem gyrum eum vocari, quem Sol in ſignis maximè ad Auſtrum vergentibus deſcribit? Nihil ſanè mihi magis perſpicuum videretur, niſi Dionyſium Lambinum inſigniter hoc loco ceſpitaſſe cernerem. Is enim dum ad interiores circulos diei refert breuitatem, & eandem circulorum magnitudinem in brumalibus diebus & æſtiuis reperit, tandem eò coactus eſt confugere, vt Horatium dicat neceſſario epitheto rem diſtinxiſſe, & idcirco non interiore tantùm gyro, ſed die niuali quoque brumam denotaſſe; ita vt, niſi niualis mentionem addidiſſet, interior gyrus æque æſtiuis ad Cancrum circulis atque hibernis ad Capricornum conueniret. Eâdem circulorum deſcriptione alium quoque locum eodem Satyrarum libro declarat, qui ſic habet:


——Ne tamen illi
Tu comes exterior, ſi poſtulet, ire recuſes.


Verùm turpiter vtrobique hallucinatur Grammaticus, dum doctum puluerem indoctis lineis perturbat. Neſcio profectò an Lambinus Turnebum, an Turnebus Lambinum in errorem traxerit; hoc ſcio, in dextri & ſiniſtri, interioris & exterioris, honoratioris & minùs honorati loci diſcrimine annotando, vtrumque ex diametro cum veritate pugnare. Si quis igitur me prolixitatis accuſet, is animaduertat me tam illuſtrium virorum auctoritate compulſum fuiſſe ad totam hanc quam tracto materiam diligentiùs accuratiuſque verſandam, & opinionem meam maiore opere muniendam; vtpote quam viderem horum arietibus & vineis oppugnari. Priùs ergo illud quod priore loco ex Horatio citaui, bene à me explicari latiùs euidentiuſque demonſtrabo: qua in re, quoniam imaginem Solaris curſus propius quàm ipſum Solem Grammatici poterunt intueri, à Circenſibus ludis argumenta ducam. Circum Soli conſecrari Tertullianus teſtis eſt, & idcirco eius effigiem in medio ſpatio de templi faſtigio, vt eius verbis vtar, emicare. Atque hinc adeò obeliſci in Circis poſiti, de quibus pòſt nobis iterum agendum. Caſſiodorus quatuor diuerſos colores quibus agitatorum diſtinguebantur factiones, ad quatuor anni partes refert; quos exponere, & ſymbolicæ rationi applicare, non eſt huius loci. Satis eſto docuiſſe, Circum & agitatorum certamina ad Solis honores pertinere, & iis quoddam eſſe Apollinarium quadrigarum ſimulacrum. Quamobrem ſi dextrum & ſiniſtrum, exterius & interius in Circo inuenerimus; non poterit ignorari qua ratione eadem in Solis curſu ſint collocanda, ſi nobis quidem per æquos iudices à ſacris ſignis, ab antiquiſſima Etruſcorum memoria repetitis, ad ea quæ denotantur, argumenta ducere licebit. Et quid ni liceat? cùm Ouidius ipſe ſideris decurſum ad Circi ſtructuram compararit, ad hunc modum canens:

Circus Soli conſecratus.

——Heſperio poſitus in littore metas
Humida nox tetigit.——

Si quæratur itaque vtra pars dextra Circi fuerit; quis non videt à quouis reſponſum iri,





Circi pars dextra quæ ſit. eam quæ agitatori à carceribus egreſſo ad dextram eſſet; & eam dextram rotam quæ dextris gradibus vicinior decurreret? Verumenimuerò, ne in tenebris micemus, id diligenter conſiderandum, quadrigas dum è carceribus emitterentur in dextro Circi latere,currere,ac dum ad metam venirent,ad ſiniſtrum latus circumagi ſolere:quo nimirum Phœbo quadrigas ab oriente occidentem verſus agenti ſimilem curſum tenerent. Turnebus nec equeſtri diſciplinæ, quæ defenſionem exteriorem poſtulat, vti quilibet, non dico eques, ſed lixa intelligit; nec Solari decurſioni, nec priſcis Circenſium ludorum monumentis conuenientia prodidit, dum agitatores dextrorſum equos circa metam agere ſolere tradit. Quamuis verò cuiuis perſpicuum ſit, Solem ab Ortu ad Septentrionem declinare, & dum ad Occaſum vergit Auſtrum verſus, & idcirco ad ſiniſtram curſum deflectere; eaque de cauſſa eandem viam & rationem in Circenſi decurſu tenendam fuiſſe, vti in cæleſtis decurſionis ſimulacro; addidi tamē duas Circi picturas vnà cum agitatorum & quadrigarum imaginibus, quas, vt veras eſſe omnes intelligant, è doctiſſimis Philandri in Vitruuium commentariis mutuatus ſum.

Ludi Circenſes. IN his clarè ob oculos poſitum videmus, quadrigas è carceribus ad metam per dextram Circi partem curſum tenere; & medium ſeptum, in quo metæ & obeliſcus cernuntur, ad ſiniſtram relinqui, ita vt neceſſariò in reflectendo ſiniſtra rota interior currat, & ad metas propius quàm altera pertingat. Neque enim priſci illi ludorum auctores tam erant ſtupidi, vt quotidianam Solaris decurſionis viam non animaduerterent & notarent; nec tam alieni ab omni iudicio, vt quem viderent, cum in ſimulacro & Soli ſacro & maximis ſumtibus ſummoq. totius populi ſtudio exhiberi ſolito, non imitandum ſibi putarent. Demiror ergo ſupinam Turnebi, viri ceteroqui priſcorum rituum doctiſſimi, cùm negligentiam tum audaciam in illo Ouidij verſu interpretando, qui eſt in altera tertij Amorum libri elegia: *Nunc ſtringam metas interiore rota.*

Ouidij locus explicatus. in quo, vt modò dixi, interiorem rotam dextram eſſe contendit, contrà atque Solis decurſus & eius imitatio in Circis de ſacro ritu fieri conſueta, ac claris imaginibus à priſcis ad poſteros tranſmiſſa, demonſtrat; contrà etiam quàm omnium aurigarum conſuetudo, ab ipſis naturæ rudimentis ad noſtram vſque ætatem progreſſa & perpetuò duratura, declarat; apud quos interiùs & ad ſe equos attrahere, nihil aliud eſt quàm eos trahere ad ſiniſtram; & exteriùs ad dextram. Porrò quoniam Lambini & Turnebi, & ſi qui eorum ſint pediſſequi, auctoritate premor; non fuerit abs re rationum mearum ponderi ſacoma aliquod adiicere, quo lanx illorum magis eleuetur. Aduocemus itaque Virgilium ad partes, & in eo pulcerrimum locum ab errore tueamur, quo neceſſariò ab iis ſit corrumpendus qui iuxta Turnebi ſententiam eum velint interpretari. Deſcribit hîc nauale certamen, & id quidem ad Circi ludos comparatum; quod vt fieret, metam conſtituit in mari, haud ſecus ac ſi in Circi ſpatiis naues decurſuræ eſſent. qua de re verſus hi leguntur:

Nauale Troianorũ apud Virgilium certamen.

Eſt procul in pelago ſaxum, ſpumantia contra
Littora; quod tumidis ſummerſum tunditur olim
Fluctibus; hiberni condunt vbi ſidera Cori.
Tranquillo ſilet, immotaq; attollitur vnda
Campus, & apricis ſtatio gratiſſima mergis:
Hîc viridem AEneas frondenti ex ilice metam
Conſtituit, ſignum nautis pater; vnde reuerti
Scirent, & longos vbi circumflectere curſus.

Virgilij locus explicatus. Et hæc quidem de meta. In certamine verò depingendo inter alia hæc canit Poëta,

Quo tandem mihi dexter abis? huc dirige curſum,
Littus ama, & læuas ſtringat, ſine, palmula cautes;
Altum alij teneant, dixit: ſed cæca Menœtes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad vndas:
Quò diuerſus abis iterum? pete ſaxa Menœte:
Cum clamore Gyas reuocabat: & ecce Cloanthum
Reſpicit inſtantem tergo, & propiora tenentem.
Ille inter nauemq. Gyæ ſcopulosq. ſonantes
Radit iter læuum interior.

Eſt quiſ-

Eſt quiſquam qui hîc non videat ſiniſtrum nauis latus metæ ſiue ſcopulis ſaxeis, in quorum vertice meta erat, ſiniſtrum fuiſſe? Poteſtne quicquam à Poëta clarius dici? Quemadmodum autem hoc loco læuum & interius coniunxit, ceu multis pòſt ſeculis committendo à Grammaticis errori reclamans; ita paullo pòſt docet gubernatorem interiorem metæ proximum inhæſiſſe:

Namq. furens animi dum proram ad ſaxa ſuburget
Interior, ſpatióque ſubit Sergeſtus iniquo,
Infelix ſaxis in procurrentibus hæſit.

Vide quæſo quàm eleganter ſtudioſéque diuinus vates Circenſes decurſionis in nauali certamine expreſſerit, quod eum non dubito feciſſe quò ad delphines in Circo ad Neptuni, cuius equus donum fertur, honorem poni conſuetos alluderet, & eorum ſignificationem explicaret. Quàm denſa ignorantiæ caligo pulcerrimam hanc tabulam obfuſcaret, ſi quis eam Turnebi pigmentis induceret! Verùm licet colophonium hoc debeat ſuffragium videri, quia tamen latiùs hic error, quem profligare nitor, graſſatur; & plura illuſtrium tum poëtarum tum aliorum loca corrumpit; cogor paullò altiùs eum eradicare. Nam non rectum modò Solaris & Circenſis decurſionis iter peruertit, ſed in honoribus etiam apud priſcos de loco tribui conſuetis ita perturbauit omnia, vt priora poſteriora fiant; & quem veteres honorandum eſſe cenſuerunt, eum poſthaberi dedecorarique mandet. At quo res hæc clariùs intelligatur iudicarique poſſit, quærendum, vter locus apud priſcos honoratior fuerit, dexterne an ſiniſter? ſiue exteriórne an interior. Hîc Turnebus & Lambinus citra hæſitationem reſpondent, dextrum honoratiorem, & eundem interiorem dictum fuiſſe. Audiamus ergo ſi placet ipſa Turnebi verba, quæ libri Aduerſariorum decimi quarti capite 24. ſuper hac controuerſia ſcripſit, quæ ſic exorditur: *Viſne tegam ſpurco Damæ latus?* Sermonum 2. ſcribit Horatius: quod quidem illic ab Horatio fingitur ab Vlyſſe, vt heroë indignum, recuſari: & Oppius ait, Deinde poſt Racilium; nam is latus Caſſij tegebat, quaſi reſponſum ab eo peteret, celeriter dato loco, cùm ſe inſinuaſſet, ſiniſtra corripit eum, dextraque bis ferit pugione. His locis velut chirographis aut teſtationibus, tegere latus intelligimus eſſe, latus ſiniſtrum alterius, qui vel ætate vel honore ſuperior eſt, claudere; quod qui facit, tamquam pro ſcuto ſit quo latus præſertimque ſiniſtrum tegitur, latus tegere dicitur: aut vt qui in acie nobis ad læuam adſtat, dum ſcutum ad dextram vertimus, nudum latus ſiniſtrum protegit. Addit & Flaccus:

Locus vter honoratior, dexter an ſiniſter; interior an exterior apud priſcos.

Ne comes exterior, ſi poſtulet, ire recuſes.

Quis hic exterior comes? nempe qui ad læuam eſt. Hæc Turnebus & alia, inter quæ Ouidij locum in quinto faſtorum libro turpiſſimè & audaciſſimè corrupit, lectione germana inducta, & ea loco illius exarata quam nulli omnino codices vel typis excuſi vel manu ſcripti, quos equidem videre potui, admiſerunt. verſus hi ſunt:

Ouidij locus reſtitutus & explicatus.

Et medius iuuenum non indignantibus ipſis
Ibat, & interior ſi comes vnus erat;

in quibus Turnebus pro Interior, ſcripſit Exterior: quod ego ſimulac vidiſſem admiratus, eueſtigiò plures libros conſulo, & inter alios tres in membrana pergamena deſcriptos, bene vetuſtos; quorum Theodorus Pulmannus copiam fecit, & ſimul teſtis fuit oculatus, in omnibus Interior, non Exterior, haberi. Pudet me profectò tam effrontis in auctoribus corrumpendis audaciæ, & tanto magis pudet, quòd temerarius hic corrector non viderit, & lectionem ſuam & expoſitionem ex diametro Naſoni aduerſari. Sic enim ſcribit Turnebus: Ouidius dextrum hominem, qui in honeſtiore loco eſt, interiorem putauit, cùm qui ad læuam eſſet, exteriorem vocauit. Quid ais Turnebe? Vbi eſt mens tua? Vel hoc vno loco debuiſſes intelligere, te toto cælo aberrare; dum exteriorem læuum facis. Ouidius enim docet apud antiquos ſenioribus ſummos honores tribui ſolere, & idcirco ſemper honeſtiore loco decoratos fuiſſe. Tu contrà ſic fœdas omnia, vt ſenem minùs honeſto loco colloces: niſi fortaſſe verſum quem corrupiſti ſic conſtruas, vt comes exterior, ſenex interior fuiſſe dicatur. Sed quid noſtra, qui verba quæ ſuppones intelligas? Illud certè falſiſſimum, & quòd Exterior hoc loco apud Ouidium ſit legendum, & quòd dexter locus fuerit honeſtior apud antiquos iudicatus. Cùm enim modò oſtéderimus & grauiſſima Maronis teſtificatione, & aliis item ratio-

nibus multo firmioribus, ſiniſtrum latus interius dici; atque Naſo dicat ſeniorem interiore loco ire ſolere ſi comes vnus ſolus ei adeſſet, neceſſaria collectione efficitur, ſiniſtrum latus honoratius olim habitum fuiſſe. Ceterùm, quia Ariſtoteles id quod melius ac nobilius eſt dextro loco in humano corpore conſtitui libro tertio de partibus animalium & earum cauſſis tradidit, ſintque dextra non robuſtiora modò, ſed feliciora etiam habita, non iniuria cuiquam poſſit videri, Romanos etiam locum dextrum in eundo & ſedendo honoratiorem cenſere debuiſſe; & inde conſequens eſſe, me falſam opinionem & comminiſci & tueri. Quamobrem præter rationes priùs adductas illuſtriſſimum validiſſimumque proferam teſtimonium, quo tota hæc quæſtio profligetur. Nihil apud Latinos Virgilio doctius cùm ceterorum, tum maximè rituum veterum, & totius antiquitatis. Is igitur volens oculis ſubiicere quanto honore Æneas Pallanta ſibi à patre Euandro ſumma fide & calidiſſimis votis commendatum perpetuò affecerit, & quàm ſe gratum maximis à rege acceptis beneficiis præſtiterit, inter cetera canit, Pallanti ſemper locum datum fuiſſe honoratiorem. Quemadmodum itaque Ouidius ſenem in medio iuuenum honoris cauſſa conſtituit, dum cum pluribus verſaretur; ita Virgilius Pallantem in medio collocauit, his verſibus:

Siniſtrum latus olim honoratius habitum.

Iamq; adeò exierat portis equitatus apertis,
Æneas inter primos & fidus Achates,
Inde alij Troiæ proceres; ipſe agmine Pallas
In medio, chlamyde & pictis conſpectus in armis:
Qualis vbi Oceani perfuſus Lucifer vnda,
Quem Venus ante alios aſtrorum diligit ignes,
Extulit os ſacrum cælo, tenebráſque reſoluit.

Num potuit illuſtriùs honoratiſſimus locus in multis equitum turmis deſcribi? num quicquam dici explicatiùs, num quicquam pulcriùs exornari? Vt verò hic locus illi Ouidiano modò citato, *Et medius iuuenum non indignantibus ipſis Ibat*, reſpondet; ita alteri parti, *Et interior ſi comes vnus erat.* alter quoque locus Virgilij ſic ſimilis eſt, vt ex eo quid Naſo Interioris nomine denotarit, clariſſimè intelligatur. Libro enim Æneidos decimo Æneam & Pallantem ſolos inter ſe conſidere facit, & quem in magna comitum caterua medium conſtituerat, eum hîc collocat ſiniſtrum. Audias igitur canentem:

Hîc magnus ſedet Æneas, ſecumq; volutat
Euentus belli varios; Palláſque ſiniſtro
Affixus lateri, iam quærit ſidera opaca
Noctis iter, iam quæ paſſus terráque marique.

Conferant nunc qui volent Ouidium & Virgilium, & mox videbunt, eum qui alterius honori concederet, dextrum ſemper latus clauſiſſe. Quòd ſi quis adhuc dubitet quanto dextro latere ſiniſtrum eſſet honoratius, is legat Suetonij Tranquilli verba ea quibus ſuperbiam Neronis in Teridate Armeniæ rege tractando deſcribit; vbi poſt alia contumeliæ plena hæc etiam leguntur; *Perductum deinde in theatrum, ac rurſus ſupplicantem iuxta ſe latere dextro collocauit.* Quis hîc non videt à Nerone triumphante honeſtiorem locum capi debuiſſe, & tanto quidem honeſtiorem, quanto ſe rege triumphato magis auguſtum videri volebat? Hinc igitur perſpicuum fit, perperam Horatij illud à Lambino exponi:

Ne tamen illi
Tu comes exterior, ſi poſtulet, ire recuſes.

Loca duo Horatij expoſita, & vnus Iuuenalis & alius Oppij ſiue A. Hirtij.

Nec meliùs quod ſequitur paullò poſteriùs:

Víſne tegam ſpurco Damæ latus?

Latus enim claudit qui dexter adſtat: quo modo & Iuuenalis intelligendus.

Diuitis hic ſerui claudit latus ingenuorum
Filius.

Quod igitur Turnebus ex Oppio ſiue Aulo Hirtio citauit, ad eandem conſuetudinis antiquæ regulam examinatum faciliùs intelligetur. Nam cùm Racilius Caſſio dexter & exterior comes eſſet, ac locum Minutio dediſſet; Minutius ſiniſtra ſua dextram Caſſij arripuit: alioqui ſi Racilius ei ſiniſter adſtitiſſet, Minutius ſiniſtram, non dextram,

dextram, arripuiſſet, vti perſpicuum eſt conſideranti; tametſi Turnebus alibi occulatiſſimus, hîc cæcutiuerit. Quando nunc de ritu apud priſcos Romanos obſeruari conſueto ſatis conſtat; cauſſa danda eſſet aliqua, ob quam ſiniſtrum latus dextro prætulerint; niſi eam modò ſatis oſtendiſſem, dum dextram manum dixi defenſioni dedicari. Ex eo enim efficitur, vt is qui ſe dextrum nobis præbet, tantundē faciat ac ſi recipiat ſe loco dextræ futurum, & pericula omnia & omnem impetum propugnaturum. Hinc apud noſtrates Wanten & Tru Wanten apparitores vocantur, eo quòd manuum vice ſint in defendendo. Want enim idem eſt quod Wi-hant, id eſt manus exterior, ſiue manus quæ longè lateque à nobis extenditur. Vnde pro chirotheca etiam vſurpatur, eo quòd & illa exterior quædam manus eſſe videatur. Quia verò eiuſmodi manus exteriores exteriora pericula amoliuntur, loquendi conſuetudo recepit, vt paries etiam, quo homines non minùs quàm manibus defenduntur, Want vocetur. Tru Want fidum apparitorem defenſoremque deſignat. Ex hac vocula Curbantes quaſi Cur wanten dicerentur, id eſt, cærimoniarum & rituum ſacrorum defenſores; qui Iouis infantis adhuc cuſtodes finguntur, eo quòd cærimoniæ Iouis ſiue Dei in nobis generandi primam conſtituant infantiam. Eadem igitur ratio fuit eorum qui dextrum latus apud veteres claudebant, quæ apparitorum & eorum qui alterius ſeſe defenſores fore pollicerentur: quo fit, vt tanto minoris haberentur, quanto pluris ſunt quæ in corpore defenduntur, quàm quæ defendunt. Cor & cerebrum in nobis maximè muniuntur, & quanto ea coſtis & craneo & manibus præſtant, tanto qui ab aliis defenduntur, defenſoribus ſunt honoratiores. Ad hanc rationem Cicero reſpexit, aut potiùs eam declarauit in oratione pro Marcello: Omneſque tibi, vt pro aliis etiam loquar quod de meipſo ſentio, non modò excubias & cuſtodias, ſed etiam laterum noſtrorum oppoſitus & corporum pollicemur. Hinc iuuenes ſenatoribus dextri adſtare debebant, quò hi interiore ſiue ſiniſtro loco eſſent tutiores. Ex hac collatione non exiguum in ſacris litteris dubium tollitur, quod exiſtit è duobus eiuſdem Pſalmi verſiculis in ſpeciem contrariis: Priùs enim Dauid canit; *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*; & pòſt interiectis aliquot verſibus dicit Domino ſuo: *Dominus à dextris tuis*. Hîc cùm Chriſtum Dominum ſuum Vates appellet, & eum ad dextram Deo patri collocet; quî fit vt mox eidem Chriſto applaudens dicat, *Dominus à dextris tuis?* Quî enim fieri poteſt, vt Deus Chriſto & ſiniſter & dexter bene vereque celebretur? Duplex eſt igitur conſideratio in mentem vocanda, altera vt honoratioris loci de communi antiquorum conſuetudine ratio habeatur; altera vt defenſio ſpectetur. Dum igitur audimus, *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*; intelligamus Deum patrem ſiniſtrum vti honoratiorem aſſidere filio homini facto, ratione carnis quam Chriſtus adſumſit. At pòſt dum canitur, *Dominus à dextris tuis*, cogitemus Deum & Chriſto vti vero homini, & omnibus creatis defenſionem eſſe & propugnaculum, & locum dextræ manus, quæ ad tuendum comparata eſt, habere. Hîc alij ſeſe non parum torſerunt, & neſcio an quiſquam ſatis explicatè nodum diſſoluerit. Deus itaque omnibus rebus creatis eſt à dextris, id eſt, potentiſſimus eſt protector, & tamen ſi de ſeſſione & loco more humano loquemur, nos ei & omnis vniuerſitas dextro loco debemus aſſidere. Eodem modo dum Rex quiſpiam veri paſtoris munere fungens pro grege ſuo in acie ſtat, populo ſuo eſt à dextris; at ſi in palatio cum quopiam ſubditorum velit ſedere, eum ſibi à dextris collocabit, eo quòd ſiniſter locus antiqua præſcriptione honorem ſibi ſumſerit. Sic Solomon in throno ſedens, matrem ſibi à dextris collocat, & Beſacis filia libro tertio Eſdræ dicitur à dextris Regi aſſediſſe, cuius tantùm erat concubina. Nec aliter Eccleſia, quam Dauid Reginam vocat, dicitur à dextris Chriſto adſtare; cui tamen ipſe illa altera conſideratione eſt à dextra, quando eius verus cuſtos eſt & vnicus defenſor. Quandocumque ergo Deus in ſacris litteris à dextris cuiquam eſſe dicitur, ſic ſupputanda ratio, vt defenſor & propugnator eſſe intelligatur. Et hæc quidem ſatis ſunto de dextro & ſiniſtro. Vnus tamen reſtat ſcrupulus ex Horatio mihi iniiciendus, apud quem hi verſus leguntur:

Si fortunatum ſpecies & gratia præſtet,
Mercemur ſeruum qui dictet nomina: læuum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere.

Siniſtrum latus dextro cur prætulerint Romani veteres.

Want. Truwant.

Curbantes vnde nomen acceperint.

Pſalmi 109. duo verſiculi in ſpeciem cōtrarij conſentire docetur.

Hìc ſeruum ſiniſtrum videmus, herum dextrum; quo fit, vt quæ diximus videantur vel omnino aduerſari veritati, vel ſaltem perpetua non fuiſſe. Potuiſſem profectò nonnihil hoc loco commoueri, niſi res ipſa clamaret, hìc non honoris inter herum & ſeruum, ſed miniſterij rationem habendam fuiſſe; quæ non poſtulat modò, ſed cogit, vt ſeruus domino ambienti, & dextram ciuibus porrigenti, & ſingulos nominatim roganti ſiniſter adeſſet; tum ne obſtaret ac impediret, tum vt ab interiore parte commodiùs nomina ſuggereret atque inſinuaret. Inter ſeruum miniſtrantem & dominum non honor loci, ſed commoditas & neceſſitas ſpectatur. Num quiſquam tam rudis, vt non intelligat famulum hero tum ſiniſtrum eſſe debere, dum ſiniſtro pedi vel ocreas vel calcaria accommodat? Concludamus ergo, apud Romanos, & non apud Romanos ſolos, ſed apud Hebræos etiam dextrum locum minus honoratum quondam fuiſſe; tametſi hodiernus vſus aduerſetur.

Siniſter locus interior, dexter exterior eſt.

Vnde perſpicuum & illud, Dextrum exteriorem, Siniſtrum interiorem vocari, iuxtà ac naturæ inſtinctus omnibus noſtratibus dictat aurigis. Verùm enimuero ſi cauſſarum in foro patroni præuaricari dicuntur, ſi non omnibus armis partes ſuas defendant, quanto magis cogar ego graue facti mei crimen ſubire, niſi illud adducam argumentum, quo nec firmius vllum & euidentius, nec antiquius vllum & venerabilius queat inueniri. Cui rogo potiùs credemus, quàm ei qui & prima ſui origine Deo proximus fuit, & à ſolo Spiritu ſancto omnem edoctus naturæ & cognationem & repugnantiam. Quis verò hic eſt? Is, inquam, qui primus ſuum cuique rei indidit nomen. Latini dextrum dicunt & ſiniſtrum, Græci δεξιὸν καὶ ἀριστερὸν; ſed neutri vocum ſuarum cauſſas hactenus perueſtigare potuerunt.

Dexter vnde dicatur. δεξιός.

In his dextrum & ſiniſtrum noſtratis ſunt originis, & δεξιὸν ab eadem radice à qua dextrum pullulaſſe non puto quemquam negaturum, qui modò Hermathenam noſtram audiuerit de vocum primordiis diſputantem. Dexter compoſitum nobis eſt vocabulum ex articulo ſiue pronomine De & Exter/ quo Exterior denotatur. Exter formam comparantium ſequitur, ab Ee deriuatum. Ce pro eo ac debet pronuntiatum, Ee habet ſibi vt litterarum ordine, ita ſignificatione etiam contrarium; de quibus in libris de Sapienti interpretatione modò citatis. Quoniam autem Ce vehementer deſiderantis eſt, & Ee abominantis, Ees illud denotabit quod reiiciendum eſt. Vnde Exter quod à nobis remotum eſt: qua deriuatione docemur, ſolis nos internis bonis inhiare debere; & quicquid tale non eſt, reiiciendum à nobis eſſe. Hinc apud Latinos Ex, Extra, Exterus & reliqua ab eadem radice. Dexter igitur ipſum exterum reddes, ſi De articulum noſtratem per pronomen notabis. Exter autem Antuerpiæ hactenus in vſu eſt frequenti, dum Exter eergiſteren pro nudiuſquartus dicitur. Sunt in ſuburbano Antwerpianorum agro duo loca, quæ quia vacua ſunt & inculta, Lar nomen ſortiuntur; quorum alteri ad dextram ab vrbe exeuntibus ſito nomen eſt Exter Lar/ de quo mox perſpicitur vnde Dextrum apud Latinos dicatur; de quo ſi conſtet, ne de illo quidem dubitari poterit, à quo δεξιὸν ſuum acceperint Græci.

De. Exter. Ee. Ce. De. Exter eergiſteren. Lar. Exter-laer.

Non ignoro interim Euſtathium à δέχομαι vocem deriuare; qua de re nolim diu multum'ue altercari, eo quòd mihi ſatis ſit, in dextro Latinorum apertam eſſe originem; non ex eo modò quod modò dixi, ſed de ſiniſtri etiam interpretatione; quod perinde factum eſt ac ſi dicas Syn neſter/ quod ſignificat idem quod Latinis redderetur, Suum propinquius.

Siniſtri etymon.

Ex his ergo liquet, Dextrum primi nomenclatoris iudicio exterius eſſe, & Siniſtrum propinquius & interius; quod omnem Romani ſermonis conſuetudinem apud Poëtas & ceteros bonæ notæ ſcriptores ſecutam eſſe, exempla à nobis in medium adducta ſatis, ni fallor, ſupérque docuerunt. Quocirca nihil mihi abſurdi dicturus videor, ſi dicam ἀριστερὸν apud Græcos pro ſiniſtro dici; non, vti ipſi fortaſſis arbitrantur, per oppoſitionem mali ominis euitandi cauſſa, ſed quia reuera ſiniſtrum melius ſit dextro, tametſi dextrum corporis latus robuſtius.

ἀριστερός. Siniſtrū dextro melius & præſtantius.

Quanto enim quæque res nobis interior eſt, tanto melior præſtantiórque cenſeatur neceſſe eſt; idque tanto, quanto quod ſeruit, eo cui ſeruitur, eſt minoris æſtimandum. Verùm clarius id erit, ſi de prima omnium rerum cauſſa cogitemus, ad quam, cùm ipſa immota ſit, omnia feruntur. Idem cernes, ſi dextrum pedem promoueas, idque immoto ſiniſtro facere pergas. Videbis enim ſiniſtrum centri rationem habere, & dextrum peripheriæ ſiue circumferentiæ. Quia verò centrum prius circumferentia originis ratione, quid ni dextrum ſiniſtro poſthabeamus? Adde ſiniſtri eſſe quietem, dextri motionem; & idcirco rurſus, vt in prima cauſſa dixi,

ſini-

ſiniſtrum dextro melius eſſe. Præterea, quia ſiniſtrum frigidius, ſenſuum operationi magis erit idoneum quàm dextrum; & idcirco locus ſiniſter ſenioribus, dexter iuuenili tribuitur ætati. Quemadmodum autem in tota rerum vniuerſitate Deus Pater centri rationem habet, atque omnibus rebus proxima & intima cauſſa eſt, cum qua ſiniſtrum maximam habet cognationem, vt interpretatio demonſtrat; ita conus ipſius cordis, in quo dilatationis & compreſſionis vitalis centrum eſt, ſiniſtrum latus occupauit; atque hac conſideratione ſeruata, meritò ſiniſtra pars dicetur non ſolùm interior, ſed tanto etiam honoratior, quanto principium iis quæ à principio proficiſcuntur atque dependent, dignius eſt habendum. Præterea clariſſimum eſt è ſiniſtro cordis ventriculo magnam arteriam, quam aortam vocat Ariſtoteles, exoriri; & in ea ſanguinem ſubtiliorem multo quàm in vena caua contineri; & tanto ſubtiliorem, vt ei duplice opus fuerit tunica, ad maiorem ſanguinis tenuioris & præſtantioris cuſtodiam; cùm venæ vna ſimplex ſufficiat: quo fit, vt rurſus ſiniſtrum dextro præſtet, ac materiam contineat magis elaboratam; &, magis idoneam ſpiritibus nobilioribus alendis, qui ad actiones longè præſtantiores, quibus & vita & ſenſus tum interior tum exterior conſtat, deſtinantur: vt hinc non videam qua ratione dextrum ſiniſtro honoratius aut nobilius dici queat, niſi imperfecta perfectioribus præferantur, & rudis materia materiæ elaboratæ. Iam vt materia ſe habet ad materiam, ita facultas materiæ præparandæ ad facultatem, & actio ad actionem. Dextra igitur pars, vti ea quæ ſiniſtræ materiam rudem ſubminiſtrat, tanto eſt inferior ſiniſtra, quanto is qui ligna cædit ſtatuario, & ſimpliciter quiuis famulus inferior magiſtro ſuperiore. Non igitur bene colligit Ariſtoteles è maiore dextræ partis calore maiorem partis, nobilitatem, quando maior calor in corpore humano temperatiori calori ſeruit; & verò ea ratio eſt maioris caloris ad temperatiorem, quæ ſanguinis fibroſi ad ſubtiliorem, & concoctionis ad ſenſuum operationem, & eius qui robuſto eſt corpore & rudi mente, ad eum qui corporis viribus minùs ille quidem valet, ſed ingenio, ſollertia & prudentia excellit. Quoniam itaque ſanguis ſiniſtri lateris in corde rationis & ingenij operationibus quàm dextri lateris propinquiorem ſuppeditat materiam; neceſſariò fatendum, rectam nomenclaturam eum poſuiſſe, qui ſiniſtrum ſic vocauit, vt eo illud ſignificetur quod homini propinquius eſt; quia videlicet propiùs faciat ad eas actiones quæ humanæ menti ſunt præcipuæ & propriæ ſubtilis ſanguis, quàm craſſus & fibroſus. Sophiſtica ergo concluſio eſt atque fallax: Si calor frigore nobilior, maior calor in corpore humano nobilior minore; quàm tamen niſi admittas, ægrè Ariſtoteles ſe tuebitur, ſi dicat in toto corpore dextrum nobilius ſiniſtro. Sit ſanè hepar ſplene, dexter teſticulus ſiniſtro, & ren dexter ſiniſtro nobilior; non tamen ex eo effeceris, vt dexter cordis ventriculus ſiniſtro ſit nobilior; nec item, quòd maior calor præſtet temperato. Sed tandem modus eſto huic de dextro & ſiniſtro diſputationi, teneamúſque dextrum exterius, ſiniſtrum interius dici; & hinc ſiniſtra auſpicia ſinere illa quidem id quod proponitur fieri, iuxta feſtum; verùm non dici à verbo ſino, vt ille credit; ſed à propiore nobis natura: & idcirco dum aues conſuluntur, ſi ad ſiniſtram volent, rem oſtendunt de qua agitur nobis arripiendam; ſin ad dextram exteriùs à nobis, abigendam atque propulſandam. Verùm valeat inſana auguriorum ſuperſtitio; nos ad propoſitam nobis quæſtionem reuertamur: Quòd ſi dextrum exterius, ſiniſtrum interius ſit; nec quiſquam ſibi, ſed alij loquatur; ac ſit ſcriptura locutionis ad oculum expreſſa notatio; peſſimus pictor ſit, & omnibus modis præpoſterus oportet, qui ſermonem ſic oculis ſubiiciat, vt interiùs, non exteriùs tendere cernatur. Quocirca in ſcribendo dextram verſus manus dirigenda, quò adſpectabiles notæ ſermonem quem exprimunt quàm proximè ſequantur. Abſurdiſſimos igitur pictores Hebræos, & omnes eos qui ſiniſtram verſus ſcribunt, eſſe dicemus; eo quòd perinde faciant ac ſi quis eum qui egreditur è templo, depingat velut intrantem. Ceterùm obiectum iri cerno arithmeticas rationes ſic ſcribi, vt à dextris ad ſiniſtra notæ progrediantur. Primùm nego in numeris ſimpliciter recto ordine deſcribendis nos à dextris ad ſiniſtra progredi. Contrà enim fieri in numeris ordine pingendis videmus, in quibus primùm Vnum, deinde Duo, hinc Tria, mox Quatuor, & ita deinceps ceteri dextram verſus pinguntur. & hæc ratio in multis numeris ſcribendis ſeruatur. Quòd ſi vnus numerus multis denariis vel centenariis vel

Auguria quæ bona, quæ mala.

Scribendi progreſſus à ſiniſtra ad dextram rectiſſimus, contrarius abſurdus.

Numeros ſcribendi ratio.

riis vel millenariis conſtans pingatur, ſcriptio quidem eundem ſeruabit ordinem, verùm maior prior minore ſcribetur, & idcirco maior ſiniſter erit, minori locum occupans plus ſortitum dignitatis. Quòd autem in addendo & multiplicando, in quo multiplex additio fit, à dextris ad ſiniſtra pergamus; nihil facit ad ſcriptionem, ſed ad nouam numerorum generationem, in qua quia à minoribus ad maiores numeros fiat progreſſio, meritò à dextris ad ſiniſtra tenditur, vtpote à partibus ad totum. Quis enim non videt totum partibus ſuis dignitatis honoriſque ratione præſtare, & idcirco totum rectè ſiniſtro loco vti honoratiore poni. Contrà dum numeros diuidimus, quia à toto ad partes deſcendimus, à ſiniſtro loco, vti honoratiore, ad dextrum fit progreſſus. Quiſquis ergo Cifras nobis oppoſuerit, næ is magnum rationibus noſtris adiumentum adferet, quibus docuimus ſiniſtrum dextro honoratius haberi; propterea quòd clarè in illis cernamus, ſiniſtrum locum maiori numero & toti tribui, dextrum minori & partibus. Minor enim numerus maioris pars habetur, licet non ſit ſemper pars talis, vt aliquoties ſumta integritatem maioris abſoluat. Quoniam ergo totum partibus præſtantius eſt, maior numerus minori præferatur oportet, atque idcirco ſiniſtro loco dignus, vti honoratiore. Hinc perſpicuum, cur additio, ſiue ſimplex ea ſit, ſiue multiplex, à dextris ad ſiniſtra; & diuiſio, ſiue binarium, ſiue diuiſorem habeat maiorem, contrà à ſiniſtris ad dextra progrediatur. Et hæc ſatis ſunto hoc loco de numerorum notis, quas cur Cifras vocemus tum explicabimus, cùm de duodecim numerorum nominibus & eorum myſteriis & figurarum quibus pinguntur cauſſis agemus: niſi nos antè Deus ad plurium numerum transferat. Cùm igitur hæc obiectio adeò nihil ſcriptionis ordinem turbet, vt noſtram etiam opinionem luculentiſſimo iudicio & ſolida ratione confirmet; procul reiicienda erit à laudatæ picturæ officina Hebræorum ſcriptura. Sed dicet quis, ſi Hebræi litterarum nomina & eorum ordinem à Iano acceperunt, cur à recta ſcribendi via declinarunt?

Numerus maior minore dignior.

Profectò dum mecum diligenter reputo, ac cauſſam tam abſurdæ ipſorum ſcriptionis inueſtigo, non aliud animo meo occurrit in quo acquieſcat, quàm ipſum Cadmum huius rei auctorem primum fuiſſe; non illum quidem odio gentis impulſum, ſed grauiſſima ratione ductum. Vt enim Hebræos, Chaldæos, Arabes, & ceteras nationes cognato ſermone vtentes perpetuò commoneret, linguam eorum à prima lingua inſigni corruptela degenerauiſſe, ſic eos locutionem depingere docuit, vt in quouis verſu animaduertere poſſent, ſeſe cancrorum more procedere. Quemadmodum autem ipſorum ſermo à perfecto ad imperfectum ceciderat; ita ſermonis quoque picturam ad eundem modum fieri voluit primus ſcribendi magiſter, non inuidia, non odio, non vlla maleuolentia; ſed contrà ingenti beneficij maximi in eos conferendi ſtudio incitatus. Quod verò hoc erat beneficium? Illud nempe: Voluit vt corrupti ſui ſermonis ipſo ſcribendi ductu perpetuò monerentur; & id quidem tum maximè, dum audirent Ianigenas in Europa contraria via litteras exarare, & eo ſcribendi modo locutionis naturam ſequi. Huius monitionis is fuit ſcopus, vt è meliore ſcribendi ratione de ſermone quoque meliore & antiquiore cogitarent, & ad eum diſcendum incitarentur: cuius tandem ea eſſet futura vtilitas, vt ex eo cognoſcerent, eadem ſibi per Prophetas ſignificata eſſe quæ prima lingua artificioſiſſimo myſteriorum contextu intelligentibus indicaret, atque ex hoc mutuo conſenſu firmius crederent ea quæ ad Chriſtum ſeruatorem omnium pertinerent. Quamuis autem tarda admodum huius vtilitatis ratio videatur, eo quòd nemini hactenus poſt legem Moſi datam fuerit manifeſtata; non eſt tamen ea de cauſſa cogitandum, eam numquam ad frugem peruenturam. Occulta ſunt diuina conſilia, & eorum abyſſi nullis vmquam ingeniis explorandi; & quod nobis fieri poſſe non videtur, id ex illis ſæpiſſimè de improuiſo hominibus non opinantibus emergit. Numquam ego fore ſperaueram, vt ad hanc ſermonis noſtri notitiam anguſtus puſilli ingenij mei captus adſpiraret, & ecce ſubitò, haud ſecus ac furore correptus, Cronias incipio conſulere, & accuratè explorare antiquitates: quibus non diu immoratus, mox deprehendo noſtrum ſermonem primas ſibi vindicare debere; ac non exiguis deinde paſſibus progreſſo, tam multa mihi arcana ſermo noſter reſerauit, vt ea ſcribendo aſſequi nullo hactenus modo poſſim; atque adeò verear, ne exiguum vitæ meæ ſpatium vix centeſimæ eorum

Hebræorũ abſurdi ſcriptionis ordinis cauſſa.

mæ eorum parti ſatis ſit effundendæ. Spero itaque aliquando fore, vt non pœnitendi fructus ab omnibus nationibus ex hoc ſermone carpantur, doceaturque mirificus legis Moſaicæ & priſcæ vetuſtorum Ianigenarum Theologiæ conſenſus. Fateor equidem, niſi Moſes, & religio Chriſtiana iter mihi præmonſtraſſet, & totius veritatis ianuam aperuiſſet, numquam me ad certam arcanorum quæ in ſermonis noſtris adytis deliteſcunt, intelligentiam peruenturum fuiſſe. Verùm poſtea quàm Ogenia illa & Ogeniis antiquiora, vnaque totam Orphicam mythologiam hinc ſacrarum litterarum ductu, hinc ſermonis noſtri ſubſidio diligenter rimatus fuiſſem, & magna ex parte mihi ipſe primus enucleaſſem, non facilè dixero quantum voluptatis ex hac collatione perceperim, quantumque lucis affulſerit ad obſcuriſſimarum alioqui rerum caliginem diſcutiendam atque profligandam. Sed nunc ad penſum noſtrum reuerſi, ſingulas litteras examinemus. Verumenimuerò metuendum mihi video, ne hæc prolixa litterarum tractatio prima ſtatim fronte plurimorum animos auertat, deterreat, & antè reiicere noſtra cogat, quàm vel minima tenus parte cognorint. Quamobrem mihi videor non malè operam meam collocaturus, ſi horum ſtomachos oxyporo aliquo, aut garo, aut halmadibus exacuam; quò litterarum deinde moleſtiam auidius aut ſaltem minore nauſea deuorent. Quoniam in omnibus olim apud Ægyptios ſcholis Harpocrates cernebatur, cuius ſymbolo diſcipuli officij ſui monebantur; non abſurdum fore putaui, ſi & hîc Alphabeto meo præfigeretur. Quòd ſi Martiano Capellæ laudi detur, quòd, licet res traderet non admodum à vulgari ſcholarum notitia remotas, Harpocratem tamen in partes vocarit; quanto minùs mihi vitio vertendum, ſi his meis Hieroglyphicorum initiis Harpocratis imaginem præmittam, atque eam totam ſic ad cauſſas & principia reducam, vt inſana ſtolidorum hominum ſuperſtitione ſublata, quis huius ſymboli ſcopus fuerit, clariſſimè intelligatur. Quamplurimos noui maiorem in modum quàm ſanæ mentis eſſe videatur, vetuſtorum numiſmatum & ſimulacrorum ſtudioſos, quos vt video plus ſatis reuerenter omnem antiquitatem venerari; ita neminem adhuc reperi qui quidquam ſani attulerit ad Ægyptias has notas interpretandas: quo fit, vt ſperem operam meam nec inutilem viris litteratis, nec iniucundam futuram.

LIBER IIII.

Harpocrates.

Superſtitionũ & idolomaniæ cauſſa.

VARIAS & inſanas Ægyptiorum ſuperſtitiones tam multi ſcriptores celebrarunt, vt ne ipſos quidem Grammaticorum pueros latêre poſſint: quarum cauſſas vt alij alias attulerunt; ita illa mihi ſemper viſa eſt habere principatum, qua fit vt vetuſta rerum ſacrarum ſymbola à ſignificatione ſua & primo vſu detorta pro Diis colantur. Hæc autem latiſſimè patet, hinc ignorantia veræ religionis; hinc ſacrificorum auaritia, quæſtum ſuum ex omnibus ritibus & cærimoniis & ſignis venantium; hinc cacodæmonis, cuncta ad ſuum cultum pertrahentis, fraudibus adiuta. Antiquiſſimi illi gentium omnium magiſtri ſententias ſuas de rebus vel ad diuinum cultum, vel ad hominum ſalutem pertinentibus ſancire, & ſempiternæ poſterorũ memoriæ tradere volentes, ſigna finxerunt; quibus eæ non litteratis modò, ſed indoctis etiam & plebeiis ob oculos ponerentur. Ceterùm quo promptiùs & faciliùs quid teſſeris eius generis moneretur homines coniectarent, nomina illa indiderunt quibus tota ſignificationis ratio indicaretur. Termino itaque quadrato quo Deum notabant, non ſolùm caput ſupernè imponebant, ſed Thoot etiam nomen dabant, quo ipſum caput notaretur. Eodem modo illud caluariæ figmentũ, quod in conuiuiis Ægyptiorum circumferri ſolere, cùm alij, tum Plutarchus prodit, Manerota nuncupabant; quo ad verbum denotatur caput commonefaciens, vt honori conſulamus, nec à decoro deuij feramur. Sed quia hæc idque genus alia iam crebrò à nobis ſunt explicata; pluribus hîc exemplis nihil opus eſſe remur. Ex his igitur nominibus ſtatim agnoſcitur, non hoc tantùm, quid teſſeræ denotent; ſed & illud, qua lingua vſi ſint qui primi earum fuerunt auctores. Quamobrem cùm plurimis & luculentiſſimis rationibus aliàs oſtenderimus, totam Ægyptiorum Theologiam à Phrygibus petitam eſſe, & Phrygio ſiue Cimmerio ſermone conſignatam; nihil mirandum, nec ab Ægyptiis nec à Græcis rerum ſacrarum vel nomina vel ſymbola intelligi exponique potuiſſe; propterea quòd eam linguam è qua ſignificatio eorum pendebat, prorſus ignorarent. Nec id Ægyptiis ſolis accidit, ſed & Græcis & Latinis; quorum nec illi, nec hi deorum quos impiè colunt, nomenclaturas intelligunt. Quid Herculis, quid Mercurij, quid Hermæ, quid Apollinis, quid Palladis, quid Heræ, quid Iunonis, quid ceterorum commenticiorum numinum vocibus denotetur, nemo adhuc quiuit interpretari; & interim Andabatarum more in tenebris de poteſtate & ſacris eorum digladiantes, variis erroribus implicantur: quorum controuerſias & altercationes cùm alij complures, tum pulcerrimè Plutarchus in libro de Iſide & Oſiride exponit. Laudat is philoſophorum illud quo dicitur, Non bene eum rebus vſurum, qui non rectè didicerit nomina intelligere; quæ ſententia vt in plurimis aliis locum ſuum habeat, nuſquam tamen quanti ſit facienda clariùs apparet, quàm in his de quibus agitur nomenclaturis ſymbolorum: è quorum peruerſa intelligentia, aut craſſa potius ignorantia demens exſtitit idolomania. Quia igitur nobis in præſentia hoc negotium propoſuimus, vt quis Harpocrates apud Butios & ceteros Ægyptios fuerit, & quid apud vetuſtiſſimos denotarit, & quàm fœdo deinde & impio errore ipſum ſimulacrum ad diuinos peruenerit honores, examinemus. Principiò duas eius imagines ex germana & fida antiquitate delineatas exhibebimus: quarum priorem Pighius, curioſiſſimus Romæ veteris explorator, & plurimorum mihi per totum Latium priſcæ memoriæ veſtigiorum præmonſtrator, ſe fatetur à Pyrrho Ligorio Neapolitano diligentiſſimo item antiquario, accepiſſe; atque primum exemplar æreum fuiſſe: poſteriorem habeo è copioſiſſimis illuſtriſſimi Cardinalis Granuellani, nunc vice regis Neapolitani, theſauris; quibus ſic muſeum ſuum locupletauit, vt neſcio an cuipiam in tota Europa in hoc diuitiarum genere cedere debeat. Lapis eſt Heliotropius, ea quam hîc cernis amplitudine, cuius altera facies puerũ habet ſedentem qui in-

Hieroglyphicorum ſignorum origo.

Thoot.

Maneros.

Deorum ſuorum nomenclaturas nec Ægyptij, nec Græci, nec Latini intelligunt.

qui indicem ori applicat: altera Loti florem præfert; è quo puſio indicem ad ſilentium imperandum oſtentans emergit, cui hæc ſubeſt inſcriptio:

ΜΕΓΑϹ ωΡΟϹ ΑΠΟλλων ΑΡΠΟΚΡΑΤ.
Ευιλ ΑΤΟϹ τω ΦΟΡΟΥΝΤΙ.

Luculentum profectò veritatis indicium in hoc Epigrammate videmus: cui cùm Epiphanius conſentiat, Arpocratem & Orum eũdem Butiorum deum faciens, non eſt quòd de fide Heliotropij dubitemus. Ex Plutarcho didicimus Harpocraté Iſidis filium eſſe, natũ circa ſolſtitium hibernum; nec eum quidem maturum & perfectũ: quæ cùm ſe grauidam ſentiret, phylacterium ſibi ſiue amuletum appendit, quod aiũt eam habuiſſe inſcriptioné, qua *Vox vera* denotaretur. Plutarchus ipſum nomen cuius ea eſſet ſignificatio non adſcripſit, ceteroqui Ægyptiarum vocum curioſius indagator: qua de re ſuſpicor ei hîc idem accidiſſe quod Plinio in Gallico Viſci nomine; quod non expreſſit, quia ſcribi non poſſet litteris Latinis. Wi enim per duplex digamma dicebatur, vnde Gui poſtea corruptum; quod licet ex auctoritate Druidarum interpretaretur, maluit tamen ſubticere, quàm eius ſonum alienis litteris vitiare. Eadem itaque de cauſſa ſuſpicor Plutarchum vocabulũ apud Sacerdotes pro Vera voce vſurpatum ſilentio prætériuiſſe, eo quòd Græcis litteris explicari nequiret. Cimmeria namque lingua veram vocem Woꝛt appellat: quod vocabulum prorſo litterarum ordine lectum, Verbum ſignificat; verſo autem verum & fidum; ita vt de ichnæa conuerſione ſolis noſtratibus vſitata, non verbum modò, ſed verbum verum & fidum intelligatur. Quòd ſi War woꝛt dicas, quo verum verbum citra conuerſionis conſequentiam exprimitur, duas voces habebis, quarum neutra aut Græcis aut Latinis litteris ſignari poteſt; & in priore clariſſimè cernes, nullum aliud eſſe in toto mũdo amuletum ſiue phylacterium, quàm ipſum Verum: quod apud noſtrates à cuſtodia nomé habet, aut potiùs cuſtodia

Harpocrates Iſidis filius.

Iſidis amuleti ſeu phylacterij inſcriptio, VERA VOX.

Woꝛt. Trow.







Wat. à Vero nomen eſt mutuata. Wat enim cuſtodiam & verum, citra vocis & picturæ diſcrimen vocamus. Videmus itaque quid Iſidi cum veritate ſit cõmune: & ſi rem iuſta trutina expendamus, Iſis eſſentia erit, ab eſſentia procedens vox patris, per quam omnia facta ſunt, Veritas omnia cuſtodiens. Hermathena enim noſtra docuit, vocabulum *Woit.* Iſis idem eſſe quod Latinus diceret Eſt eſt, quaſi Ens ab ente. Wort idem eſt quod eſſe accipit ſiue gignitur, & homonymôs pro verbo vſurpatur. Iam Wat quo verum notatur, cuſtodiam denotat; quod Græci dicunt Phylacterium. En miram vocum & rerum conuenientiam, quam fruſtra in alia lingua quæras. Lucanus hieroglyphicis notis magicas voces deſignari cecinit, multò ille verius quàm ipſemet intellexerit. Cùm *Mag.* enim Mag idem ſit quod cognatum; & Magiris, vnde Magus corruptè dicitur, qui & nouit & docet cognationem; nihilque niſi ſacrum ſacris illis litteris notaretur; & id quidem de Phrygio ſermone; non dubito quin & hæc quæ modò dixi maxima cognatione deuinciri, & id genus alia, hieroglyphica ſcriptura deſignaret. Quamuis verò Wat per ſe enuntiatum, id quod de cognatione Iſidis & Veritatis dixi, ſatis explicet; facit tamen ſacroſancta Moſis auctoritas, vt Wat-em Iſidis phylacterium fuiſſe credam; quod nomen ad vnguem veram vocem, vt Plutarchus vertit, in arcano ſacerdotum Ægyptiorum ſermone deſignat: qua de re cùm de Vrim in Hermathena egi, nonnihil à me annotatum eſt, pluraque aliàs, ſi Deus qui Vera vox eſt, nos cuſtodiat, ſcribam. Hæc obiter de Phylacterio: quibus mox nonnihil addemus. Commemorat Plutarchus, au-*Horus idem qui Apollo.* ctor mihi ſæpius laudandus, in libris Mercurio inſcriptis reperiri, Horum eundem eſſe quem Græci Apollinem nominant: nec aliud eo nomine capiendum eſſe, quàm ordinatam vim qua Sol in orbem fertur. Aiunt in Copto Hori ſimulacrum Typhonis pu-*Harpocrati prim- legumina offerebantur.* dendum altera manu tenere. Harpocrati prima legumina offerebantur verbis his adiectis, Γλῶσσα τυχὴ, γλῶσσα δαίμων, id eſt, lingua fortuna, lingua genius. Qua de re Plutarchus colligit, præſidem eum fuiſſe ſermonis qui imperfectus adhuc ſit, nec bene per membra omnia abſolutus, formandi perficiendique; atque inde adeò eſſe, vt ſilentium digito imperet. Addidit & illud, Magnetem os Hori nuncupari, Typhonis verò os ferrum haberi: quod ipſe ſuo more ad ordinatam naturæ motionem refert, quæ ordini contraria Typhoni adſcripta ſecum rapere frequenter & in ordinem redigere videtur. Eudoxus auctor eſt, in Ægyptiis eſſe fabulis, Iouem principiò pedibus fuiſſe connatis & conſtrictis, & idcirco greſſus omnino impotem; at Iſidem huius pedes diſſecuiſſe, atque ita progrediendi dediſſe facultatem. Plutarchus ſacra Ægyptiorum nomina pleraque putat e fontibus Græcis emanaſſe, atque ex iis Iſidis, Oſiridis, Anubis & Hori nomenclaturas deducit: qua in re inſigniter ipſum falli ea demonſtrant quæ de vetuſtiſſimo Phrygum ſermone cùm hîc, tum alibi à nobis dicta ſunt. Hinc fit, vt ſurſum deorſum horum numinum partes & naturas voluat & reuoluat, & quàm longiſſimè ab hieroglyphicis ſignis aberret: quod ſi quis fuſiùs nouiſſe volet, ipſum conſulat; ac deinde videat, *Harpocratem deum nõ fuiſſe, ſed ſignum dumtaxat.* egóne an ipſe dicat probabiliora. Primùm itaque illud ſtatuo, Harpocratem deum non fuiſſe, ſed ſymbolum dumtaxat vtiliſſimam habens admonitionem, cùm omnibus liberalem quampiam artem addiſcere cupientibus, tum illis præſertim qui ſacris litteris volunt initiari: atque idcirco à priſcis illis Ianigenis in primo ſcholarum veſtibulo ſoli-*Harpocrates cur deus putatus, & quã ob rem coli ſolitus.* tum collocari. Poſtea verò, vti modò de toto ſuperſtitionis genere dixi, partim ignorantia, partim Eriuniorum ſacerdotum, lucrum ſuum ex multitudine deorum quærentium, auaritia; partim etiam impio cacodæmonis inſtinctu factum eſt, vt Harpocrates Deus haberetur, & eius imago tutiſſimum omnium malorum amuletum, vti videre licet ex modò recitata Heliotropij inſcriptione. Perſuaſum enim erat, ei cui hic propitius eſſet, nihil aduerſi poſſe euenire; cui iraſceretur, nihil ex voto ſucceſſurum. Hinc Lucilij intelligitur epigramma in Simonem quendam medicum imperitum ſcriptum:

Ην τιν' ἔχεις ἐχθρὸν Διονύσιε, μὴ καταρᾶση
Τὴν Ἶσιν τοῦτῳ μηδὲ τὸν Ἁρποκράτην,
Μηδ' εἴπῃς τυφλοὺς ποιεῖ θεὸς, ἀλλὰ Σίμωνα,
Καὶ γνώσῃ τί θεὸς καὶ τί σίμων δύναται.

Id eſt, vt ex tempore idem Latinis effundam:

Odiſti ſi quem Dionyſi, ne pete vt Iſis
Harpocratéſne huic ſit trux, aliúſue Deus

Excæcans;

Excæcans; voueas vt Simo ſit medicus,
Et noris poſsit quid Simo, quidq́; Deus.

Harpocratis igitur imago, quò propitius eſſet, è collo plurimis dependebat; qui meliùs ſibi conſuluiſſent, ſi quæ pictura hac ſignificabantur, ea diligenter conſideraſſent, & reapſe præſtitiſſent, & vlteriùs ſignificationem ad veram religionem, eo quo fas erat modo, tranſtuliſſent. Vellem equidem nihil ſimile inter Chriſtianos reperiri, nec tantum quemquam appenſis ſibi phylacteriis fidere, vt ſigna pro ſignatis habeantur: & quod vel ad memoriam rerum præteritarum, vel ad exſpectationem futurarum, vel ad vtilem aliquam admonitionem referri oportet, id ſuperſtitiosè & diuinis honoribus colatur, & vim aliquam credatur habere diuinam, ſiue ad corpus, ſiue ad animum, ſiue ad vtrumque cuſtodiendum. Epiphanius circa finem eorum quæ contra hæreſes ſcripſit, omnem Phylacteriorum vſum Chriſtianis interdictum eſſe tradit: quod qui ſit intelligendum, & quouſque ſeſe porrigat, illis quorum partes ſunt vt religio nulla labe ſuperſtitionis ſit inquinata diligenter procurare, diſcutiendum ac definiendum relinquo. Nobis ſatis erit de Cimbrico ſermone monuiſſe, nullum homini tutius eſſe & ſecurius phylacterium, quàm ipſam veritatem ſiue vocem veram, qua omnia & in terris & in cælis cuſtodiuntur: & ei qui hanc in pectore circumfert, nihil eſſe metuendum, ne ſi cælorum quidem moles capiti illabatur, aut corpus igne concremetur & in cineres redigatur. Hoc illud eſt Iſidis phylacterium, quo vt grauida ex abditis patris abyſſis in lucem produxit omnia; ita omnia quoque conſeruat & tuetur. Fidiſſimum igitur amuletum ipſam credamus veritatem: quæ cùm ipſiſſima vita ſit, atque adeò ipſe Chriſtus verus Hercules alexicacos, ab omnibus nos mortis periculis liberabit. Qui hoc phylacterio caret, ei nihil profuerit ſexcenta periapta vel è collo habere ſuſpenſa, vel brachiis alligata, vel veſtibus inſuta, vel quouis alio modo ad cuſtodiam portata: At qui hoc veritatis verbo omnium malorum fortiſſimo auerrunco ſe muniuerit, is omnibus aliis phylacteriis tutò poterit carere; propterea quòd huius ſolius vis omnem tutelam, omnem cuſtodiam, omnem defenſionem, iuxta Cimbricam ipſius Veri nomenclaturam, complectatur & abſoluat. Valeat igitur Harpocrates, valeant cetera amuleta, modò Iſidis phylacterium, quod eſt War woꝛt ſiue War-em/ quod idem eſt quod Vera vox, numquam à nobis diſcedat. Eſt vetus Græcorum prouerbium, aduerſus calumniam nullum eſſe alexipharmacum: quod in Plutó ſua Comicus ille vſurpauit, quo vix alius Athenis peior exſtitit calumniator. Nos itaque vti nihili facimus Harpocratis numen; ita ſymbolo eius moniti, digito labella compeſcamus, ne quis Ariſtophanes aut alius ſycophanta aut quiſquam Corycæus auſcultans, ea quæ nos dextra vola damus, capiat ſiniſtra: quod Theodorus quondam ſibi accidiſſe dicit. Proſcripto igitur vano numine, quod ſtatuæ & imagini ineſſe ſuperſtitio credebat, & reiecto ſtolido dementium hominum delirio, ad priſcam accedamus veritatem; ad quam nulla rectior via eſt, nullum breuius compendium, quàm illud quod Mercurius ex vocis interpretatione demonſtrat. Rimandum igitur quid Harpocratis nomen ſignificet, ac quæ ſit vocabuli & aſpectabilis ſigni cognatio. Nulla in hoc nomine accidit litterarũ clades: vna dumtaxat adſpirata in tenuem commutata eſt, ad conciliandam vocis lenitatem; addita præterea terminante littera de conſuetudine Græcorum, quò nomen exuat peregrinitatem. Cimmeriis integra compoſitio in has ſoluitur partes, Har-poch-ra-t'e/ aut Har-pogh-ra-t'e/ quibus ſignificatur, Diu morando arduum opus aggredi tenta: Celeriter ad vnum feſtina. Quòd ſi mihi permittas, vt vocis ſtructuram per Apocopen factam eſſe dicam, ne finalis quidem littera à Græcis addita eſſe dicetur, ſed ex Cimbrico quoque fonte manaſſe. Si enim Har-pogh-ra-t'e-ſi compoſitæ vocis partes facias, has duas ſententias habebis expreſſas; Diu morando ardua aggredi tenta: Celeriter ad vnum reſpice. Har ab Ar/ quo tardum notari Hermathena copiosè expoſuit, formatum eſt: vocabulum illud quidem Germanis ſuperioribus quàm inferioribus vſitatius. Aurigæ tamen noſtrates frequens in ore habent, dum tarditatis celeumate equos retinere volunt. Ex alluſione etiam ſua ad cognatam vocem adagium nobis dedit, quod plures paſſim vſurpant quàm vnde originem ducat expendunt. Dum enim quicquam intricatum & difficile ad expediendum dicere volumus, dicimus: Tis Har. Har autem vocali longa crinem notat, tum quòd is hominibus & aliis etiam animantibus datus ſit vt aduerſus mala perdurent

Phylacteriorum vſus quàm antiquus & quouſque permiſſus.

Veritas fidiſſimum amuletum.

Ariſtophanes peſſimus calumniator.

Harpocratis nominis compoſitio & interpretatio.

Har. Ar. Har.

Har.

atque perſeuerent, tum etiam quòd eo ipſo retineri queamus. Har vocali breui, vt eſt in Ar/ idem eſt quod duro, perſeuero, & diu in re quapiam moror. Hinc eodem tempore

Cardinis ety mon.

H adſpirationis Cimbricæ in Capud Latinos permutatio.

Capio. *Caput.* *Calamus.* *Citus.* *Ciuis.* *Collum.* *Ceruix.* *Collis* *Caudex, icis* *Hart.* *Cordis & καρδίας etymon.*

ſeruato, vt nomen in orationem venit, idem nobis ſignificans quod Cardo Romanis: atque adeò Cardo apud hos ab Har deriuatur, mutata adſpiratione in Cappa; quod in aliis quoque vocibus obſeruatur, vt ab Hap fit Capio, ab Haupt Caput, ab Halm calamus, ab Hit Citus & cognata, ab Huiwis Ciuis; quia ad tutelam ſui ciues congregantur, ita vt nomen à fine ducatur: ab Hals collus vel collum, Ceruix, ab Harwicht ſiue Harwicht/ quod idem eſt, eo quòd ceruix ad pondus diu ferendum apta ſit. Collis per hyſteron proteron à Loh/ de quo in Aduaticis: Caudex ab Haut-echt/ id eſt, germanũ & legitimum, vt ſic dicam, lignum. Hac enim voce ſolidum arboris lignum deſignatur. Cardo igitur ab Har fit, eo quòd ianua in cardinibus ſuis perpetuò duret ac perſeueret. Ab Har fit Hart/ pro duro: qua voce pro nomine & verbo vtimur. Hinc Hart etiam ipſum cor ſignificat, vera & prima Cordis apud Latinos & καρδίας apud Græcos origo. Et in his quidem vocalis breuis auditur, quæ in Har pro crinibus producitur. Vetus eſt omnino hominum opinio, crines ad perſeuerandum durandumque plurimum habere momenti. Legimus enim, Sampſonis robur omne in crinibus conſtitiſſe: quod quamuis equidem ſciam præcipuum quoddam Dei donum fuiſſe, nec omnibus crinitis, quorum caput nec radebatur nec tondebatur, eaſdem vires fuiſſe; video tamen mirifice cum

Crines in quæſtionibus nonnũquam abradi.

Crine abſcindi triſte veteribus.

priſca hominum opinione concordare. Quid? quòd adhuc Iudices frequenter eos quos quæſtionibus ſæuioribus adhibent, omnibus totius corporis crinibus ſpoliare ſolent, ne obſtinata pertinacia tormenta pati perſeuerent? Hinc apud vetuſtiſſimos quoſque triſtiſſima clades habebatur, ſi cui caput raſum eſſet, eóque hoc ſigno vel luctus vel ſeruitus indicabatur. Diis certè & eorum ſacerdotibus, tum etiam poëtis & philoſophis barbas promiſſas fuiſſe, & fortiſſimum quemque crinibus abundaſſe, quis non de veterem ſcriptorum lectione nouit? Nonne Nazaræos, quia Deo conſecrati eſſent, omnem raſuram tonſuramque repuliſſe, de ſacris litteris ſcimus? Nihil abominabilius priſcis Francorum Regibus accidere potuiſſet, quàm ſi coma quopiam infortunio fuiſſet vel mutilata vel cæſa. Facile ſane ſit & cuiuis promptum, ingentem exemplorum ſiluam tum ex poëtis, tum ex hiſtoriis huc transferre; at illud difficillimum, cauſſam explicare,

Crines ad robur conferre cur credãtur.

ob quam crines ad robur conferre credantur. Arduum non eſt ad intelligendum demonſtrandumque, magnas vires in hominibus & multos crines ex eadem ratione pendere; ſed cur crinibus ablatis vires minuantur, id verò non parum habet obſcuritatis. Ariſtoteles calori & pingui humori in cute contento crinium adſcribit materiam, addens eius craſſitudinem in hominibus non parum conferre ad augmentum. Hinc ego colligo, vehementer hirſutos, & durum habentes & plurimum capillum, robuſtos eſſe; eo quòd humor pinguis & lentus neruos reddat robuſtiſſimos. Galenus plus ſatis ſiccitatis vim in pilorum generatione exaggerat; cùm ipſa experientia doceat, lentore opus eſſe ad ea quæ crinium naturam imitantur effingenda. Non ignoro quid medicus hic excuſet, verùm numquam quiſquam mihi probauerit, ſatis explicatam eſſe pilorum generationis in ſiccitate cauſſam, licet quantum velit caloris addat. Poſſem hîc prolixus eſſe, tum rationibus tum experimentis in medium adferendis; quibus docerem, non paucos hirſutos & denſam menti ſiluam habentes, timidiſſimos & molliſſimos fuiſſe; ſed video in rerum naturalium contemplatione totius inquiſitionis terminum eſſe ignorantiam, nec quicquam tam accuratè nobis cognitum eſſe, vt ad cauſſam & integram & proximam à nobis queat referri. Ceterùm hanc ignorantiam non quiuis agnoſcit, ſed is dumtaxat qui cum Socrate ad hos inuios tenebrarum receſſus in abditiſſimis quibuſque cauſſis explorandis peruenit. Nihil tam minutum, in quo non infinito plus

Crinium ſiue pilorum generatio.

nos lateat quam ſciamus: quod & hîc mihi vſu venire cerno. Equidem magnam pilorum denſitatem non calidi tantùm & ſicci temperamenti indicium pono, ſed ex ea etiam materiæ humidæ & ad tenacitatem vſque coctæ copiam colligo, & citra huius abundantiam nego ſpiſſam crinium ſiluam enaſcituram. Siue igitur calor huius coctionis auctor, ſiue humor idoneus ad lentorem acquirendum deſideretur, vtrouis modo

Viriũ & roboris in corpore cauſſa.

pilorum generatio impeditur. Iam calor copioſo humori & ad tenacitatem apto coniunctus, vires maximas ſuppeditat & non facilè fatigandas, eo quòd is cui harum duarum rerum ſatis eſt, nec frigore torpeat, nec diſſipatis ſpiritibus, qui lentore pingui continentur,

tinentur, exareſcat. Ceterû m icet hoc ita eſſe ſtatuamus, hinc tamen necdum efficitur, pilos cauſſam vllam, ſed ſignum dumtaxat fortitudinis habere. Si quid in ipſis momenti eſt ad robur conſeruandum, id vel occultum eſt, vel eò referendum videtur, quòd pori pilis occluſi non facilè ſinant ſpiritus elabi & diſſipari; quos ſi abradas, non ſolùm ianuam diſſoluendo virium firmamento aperueris, ſed occaſionem dederis, vt natura mox plurimum humoris ad cutis cauitates diſtribuat, quo noui pili creentur: atque ea via tantum robori diſcedat, quantum neruoſis partibus pinguis huius & viſcidi alimenti fuerit abſtractum. Sed hæc huius loci non ſunt, & ampliorem deſiderant conſiderationem. Mihi ſufficit, ſi conſtet, communem veterum omnium eſſe ſententiam, pilosos in quauis re & agenda & toleranda maximas vires habere, & idcirco non malè Har pro pilo dici, ab Har quod eſt duro & perſeuero. Et hæc quidem vna ſit ratio nomenclaturæ. Accedit altera. Nihil eſt in corpore humano quo facilius quis quàm crinibus teneri impedirique poſſit, quod in mulierum comis & promiſſis virorum barbis nemo neſcit crebrò accidiſſe; & clariſſimum eſt huius rei in Abſolone exemplum. Cùm igitur Har retardandi etiam notionem ſignet, non iniuria hominum pili ab hoc vocabulo nomen acceperunt, vtpote quibus maxima violentiſſimaque remora expedito homini adferatur: quæ altera eſt huius nominis cauſſa, & ea quidem paulo magis quàm prior apud vulgus obſeruata. Quamobrem cùm nullum homini maius impedimentum ad rectum rerum agendarum curſum abrumpendum afferri poſſit, quàm lites ſint & contentiones forenſes; noſtrates Har pro hac tranquillæ vitæ noxa ponunt, & eum Harman vocant, qui ſcatet calumniis & cauillis, & in quauis re lites quærit. Latini litem hoc concertationis genus vocarunt, tametſi eius ſignificationis cauſſam prorſus ignorent. Cimmeriis Lit dolorem & tormentum notat: qua de re factum, vt grauiſſimum hominis tormentum litem vocarint: quod qui neſcit, is neſcit quæ vis ſit illius ſententiæ: ἐξὸν φυγεῖν οὐκ ζητῶ δίκην. Si non ob aliud, ob hoc ſaltem Heſiodus ſemper nobis vel in manibus vel in memoria habendus eſſet, quòd tam inſigniter forenſium contentionum damna depinxerit; cui qui non credit, is dignus eſt vt audire mereatur: παθὼν δὲ ὁ νήπιος ἔγνω. Nemo certè meliùs nominis quo lites vocantur, cauſſam peruidebit, & in imo corde ſentiet, quàm is qui vel iniuria dorophagorum iudicum, vel cauſſidicorum confertiſſimas quaſque bulgas exenterantium tricis & cauillis ſemel aut iterum ceciderit liti. Sed plus ſatis de Har & Hermannis, quibus opto, vt omni patrimonio in rabulas pragmaticos & iniquos iudices profuſo, ſenili fame & decrepita mendicitate, tormenta, quibus alios afflixerunt, expiare cogantur. Nunc igitur eo explicato, Har in Harpocrate vocali breui pronuntiari, & diuturnæ moræ habere notationem; ad alteram ſyllabam pergamus. Pogh nobis idem eſt quod aggredi rem arduam tento: quæ vox inſignem habet ac luculentam ſignificationis cauſſam. Compoſita enim eſt ex Pe & Hogh/ voculis duabus contrarias notiones indicantibus, quoniam illa id quod terræ fixum eſt, hæc altum & ſublime deſignet. Veteres Pe/Phe/ Ve & Fe citra diſcrimen pro bruta natura vſurparunt; vnde apud Latinos Pecus à Pe remanſit, & Veterinum à Ve/ & Tering quaſi dicas victum pecoribus conſtantem. Poſteriores Cimbri, quò homonymiam euitent, Pe pro radice terræ infixa dicunt; & in radicum genere eas per excellentiam hoc maximè nomine dignantur, quæ maximè ſunt edules. At Ve craſſiùs & longiùs pronuntiatum, pro omni bruto animali ad hominum victum nutriri conſuetum vſurpant: &, quia nihil homini magis inimicum quàm natura rationis expers, Ve etiam pro inimicitia ponitur. Quòd ſi vox paullo tenuiùs pronuntietur, & quaſi media inter longam & breuem, faſcinum deſignat, eo quòd hac corporis parte brutis ſimillimi reddamur, & toti terrenis ſordibus inquinemur. Contrarium ipſi Phe Pe & Fe eſt Eph/ Ef & Ep/ quæ in conuerſione principium adſpiratum habent loco temporis longi: & id quidem ſumma ratione factum eſt. Quæ enim terræ affiguntur, tarda ſunt, & longa voce digna: Contrà quæ à terra quicquam ſubleuare debent, ea vt ſpiritum & celeritatem quandam tarditati contrariam habeant oportet. Hinc igitur ex Phe / Fe & Pe longis, fiunt Heph / Hef & Hep: quorum priora ſignificant à terra leuare; poſtremum frequens iis celeuma eſt qui ad leuiter ſaltandum hortantur. Vnde ἵππος apud Græcos. Hep enim nihil aliud eſt quàm leuiter ſalto vel ſalta; quod & equo conuenit, & ei qui equum aſcendit. Hogh idem eſt quod excelſum, vox ſpiritus plurimum requirens.

Piloſos maximas vires habere.

Lites forēſes.

Harman.

Lis, litis.

Lit.

Pogh.

Hog.

Pe. Phe/ Ve. Fe.

Pecoris etymon.

Veterinum animal.

Tering.

Pe.

Ve.

Eph/ Ef/ Ep.

H adſpiratio Cimbrica frequenter temporis longi locum ſubit, & contrà.

Hef/ Heph/ Hep.

ἵππος vocis etymon.

Hogh.

He. Ho. In eadem ſignificatione dicimus he & ho: ſed hæc frequentiùs in compoſitione & deriuatione, vt he in hemel/ heuau/ het/ helem/ ſiue helm; & ho in hoinoet/ pro alto animo; & hot pro capite: de quibus in littera He. Hogh igitur præter ſpiritum à quo incipit, litteram ſibi in fine eam accerſiuit, qua nulla magis expectorat & ex imis præcordiis anhelat: de qua latiùs ſuo loco. Hæc per ichnæam conuerſionem demonſtrat ſupremum

Gho. excelſorum finem ipſum eſſe Bonum. Gho enim longa vocali bonum ſignificat: qua in voce longum tempus adſpirationis vim ſupplet, eo quòd in fine adſpiratio non

Hol. Loh. aliam habeat poteſtatem, quàm vt ſonum producat: quod videas in hol & loh voculis conuerſis; in quarum illa vocalis breuis eſt, in hac longa; quo productum tempus adſpirationis, quæ in fine efferri citra aliam conſonantem non poteſt, locum teneret. Hogh igitur nos ad gho deducit, id eſt, ſummus excelſorum apex eſt ipſum bonum, ad quod omnia in altum tendentia adſpirare nituntur. Cùm igitur hogh verbũ eſt, idem ſignificat quod exalto; atque inde ye-hogh idem eſt ac ſi dicatur, brutam & terrenam naturam exalto ſiue exalta. Qua de re perſpicuum redditur, eam mentem nomenclatoris in vocula yogh fabricanda fuiſſe, vt nihil aggrediendum tentandumq. homini cenſeret, quod deſidem & tardam, humi iacentem, terræque adfixam naturam non exaltaret, & in ſublime ferret. Quis dignis modis diuinum hoc artificium explicet, quod admonitionis breuiſſima vocula comprehenſæ vtilitatem latiſſimè per omnes vitæ rationes, per omnes actionũ & officiorum partes ſeſe diffundentem ſufficienti ſermonis & elegantia & vbertate perſequatur? Nos certè ne aggredi quidem tentabimus, eo contenti futuri, quòd noſtro indicio huius voculæ myſterium per tranſennam eminus

Ra. ſit oſtenſum. Et hæc quidem de ſecunda ſyllaba: nunc ad tertiam. Ra celeritatem indicare quiuis intelliget, qui ſciet vibrationem recto motui præmiſſam vehementiſſimo impetu ciere, vt in Hermathena non vno loco explicatum. Quarta ſyllaba clariſſima

Te. eſt, quæ ex Te & E contracta per ecthlipſin, ſiue prioris vocalis eliſionẽ, idem ſignificat quod ad vnum; ita vt Ra t'e nihil aliud ſit, quàm citò ad vnum: quæ locutio celerandi ſtudio verbum ſubticet, quò breuior ſit & expeditior. Quòd ſi quintam ſyllabam in Sigma intelligas, verbum habebis cauda mutilatum, quo Video denotatur: verùm vt ei locus eſt non incommodus; ita eius appendix non eſt neceſſaria, quandoquidem abruptus ſermo maximè decet & exornat admonitionem ad celeritatem incitantem. Totum igitur Harpocratis nomen ex Har Pogh Ra T'e compoſitum, idem ſignificat, ac ſi dicas, Diu moram trahe in bruta tua natura exaltanda; atque dum id facis, magna ce-

Vnum. leritate mentis tuæ oculos ad Vnum dirige, quia videlicet ipſum vnum totius altitudinis vertex ſit ſupremus. Quemadmodum enim diu multumque meditandum ad hanc nobis acquirendam ſublimitatem, & longa diuturnaque in ſilentio & diſciplinarum ſtudio mora opus eſt, vt tandem ad cælum euehamur; ita mox ab ipſo initio mentis acies ad ipſum vnum rectà ferri debet, alioqui nullis laboribus, quantumuis longis, in altum euehenda. Fruſtra enim in otio litterarum & quinquennali Pythagoreorum ſilentio verſabimur, fruſtra longum tempus teremus, & tacita multorum annorum cõtemplatione nos fatigabimus, vt brutam noſtram naturam ad ſublimia tollamus, niſi principiò ipſum Vnum nobis pro ſcopo collocauerimus, & ad illud ſolum omnes noſtras direxerimus cogitationes. Hoc eſt illud Vnum quod ſolùm Chriſtus dixit eſſe ne-

Harpocrates cuius rei ſymbolum ſit. ceſſarium: è quo liquet, eandem eſſe Harpocratis & Veritatis ſententiam. Cùm igitur in ſcholis hoc Harpocratis ſymbolum priſci Ianigenæ proponebant; quid aliud indicabant, quàm illud quod D. Paullus ad Hebræos ſcripſit, *In diſciplina perſeuerate?* quod vocula har deſignat; cui yogh adiectum, idem dicit quod Timotheus ab eodem audiuit: *Labora in omnibus:* &, *Labora ſicut bonus miles.* Et quia arduus labor in yogh præcipitur, audiendus eſt & ille qui dixit: *Induamini virtutem ex alto*; vt nimirum alta aggreſſi, ab eo adiuuemur, quem ſcimus nobis patrem in cælis: cuius regnum vt adueniat rogamus; quod & primùm quærere debemus. Totus autem hic labor ad excelſa à terrenis vehementi ſpiritu contendens, ad Vnum ipſum refertur: & ſi, pro eo ac facere iubetur, perſeueret, tandem ad illud quò tendit adſpirat. Vide quantũ vnica vox comprehendat arcanorum, quantum breuiſſimo compendio præceptorum exponatur! Simul vt terrenis relictis excelſa aggrediamur monemur, ſimul vt iuſtam moram in meditando tanto molimine præmittamus; & vbi inceperimus hæc tam alta attentare, vt

in pro-

in propoſito perſeueremus, nec vlla re ab arduo labore deterreamur; tum etiam, ne à recta linea aberremus, additum habemus, vt mox à principio ſtudia noſtra omnia ad ipſum Vnum feſtinent. Deinde eandem vocem ſic capere potes, vt arduum opus debita & mora & conſtantia aggredienti & in eo perſeueranti promittat; fieri non poſſe vt ad Vnum ipſum non pertingat. O beatum certamen! ô felicem laborem! in quo is qui perdurat, certò ſcit ſe in ipſum ſcopum collimaturum. Porrò vt hæc omnia ad eos maximè ſpectant, qui ſacris litteris & diſciplinis ad Dei cognitionem neceſſariis initiantur; ita ad cuiuſuis operis honeſti aggreſſionem accommodanda ſunt. Omnibus enim in rebus maioribus moliendis veriſſimum eſt, diuturnam quandam in meditando conſulendoq. moram præmitti debere; & vbi ea præceſſerit, tum ipſum opus ſic eſſe tentandum, vt animus terreno frigore diſcuſſo, in ſublime ſeſe erigat contra omnes quæ occurrere poſſunt, difficultates. Quò tamen felicem exitum propoſiti laboris ſortiatur, id in omnibus curandum, ne quid vel minimo tenus ab Vno deuium feratur. Neque enim in toto ſolùm negotio & rerum moliendarum ſumma ad Vnum omnia ſpectare debẽt, ſed in ſingularum etiam partium principio ſtatim ad Vnum mentis oculus eſt dirigendus, ſi fauſtum nobis felixq. quod agitur eſſe cupiamus. Adde & eo modo vocabulum exponi poſſe, vt dicat, Tardam inceptionem in opere quopiam aggrediendo tentandoq. celerem eſſe atq. feſtinam; quod intelliges ſi ſyllabas ſic enumeres, Har pogh rat/ id eſt, Tarda molitio celeris. vbi elegantiſſima eſt antitheſis paradoxo quodam modo contraria inter ſe iungens. Eandem ſententiam Cimbricæ linguæ nomenclator in Rât ſecutus eſt, dum hac voce producta pro conſilio nos vti voluit, ceu diceret, Ad celerem cuiuſuis negotij expeditionem nihil æquè ac conſilium vel vtile eſſe vel neceſſarium. Plurimos videas ex temeraria feſtinatione in ipſo ſtatim operis limine collabi, alios nondum nihil progreſſos, maximis inuolui difficultatibus, & vel numquam vel tardiſſimè ad exitum peruenire, alios etiam adeò nihil expedire, vt eo ipſo, quo ſtolidè & ſine maturo conſilio attentarunt, opprimantur. Elegantiſſimè & veriſſimè Horatius cecinit:

Harpocratis alia ſignificatio.

Rat.

Conſilij in quibuſuis rebus expediendis neceſſitas.

Vis conſilî expers, mole ruit ſua:
Vim temperatam Dij quoque promouent
In maius.

Immenſa exemplorum infinitas, quot temeritas & olim & noſtro hoc æuo perdiderit; & quot ſana conſilia conſeruarint, nos tacere potius quàm loqui iubet. Inter multa illuſtre eſt illud è Romana hiſtoria de Fabij Maximi tarditate; maxima illa quidem, ſed neceſſaria Vrbis exercituumque duorum ſaluti: cui ſi Minutij temeritatem conferas, mox intelliges, quanti matura in conſulendis rebus arduis præparandiſque mora ſit æſtimanda; quamque iuſto titulo Ennius Fabium celebrarit, vnico verſu & trophæum ei fabricatus ſempiternum, & poſteris omnibus luculentiſſimum modulatus documentum, prudenti in rebus aggrediendis mora nihil eſſe vel ſalutarius vel expeditius ad res arduas felici exitu finiendas. Is ſic habet:

Mora & tarditatis vtilitas.

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.

Quid temeritas poſſit & inconſulta audacia, & quàm breui res maximas funditus euertat; & quàm, contrà facilè & citò quietis & maturis conſiliis ingentes calamitates & rerum publicarum ruinæ auertantur, etſi nullis antiquorum hiſtoriis edocti eſſemus, hæc tamen tempora & iugum grauiſſimum ceruicibus noſtris impoſitum ſatis nos pondere ſuo moneret, tum quorum audacia & inconſiderantia perditi ſimus, tum quorum prudentia & conſiliis ſeruari potuiſſemus. Vtinam omnes ſemper & vbique in omni rerum vel priuatarum vel publicarum aggreſſione intelligeremus prudentiſſimum hoc nomenclatoris conſilium, quo Rât vocali longa pronuntiandum ex Rat breui vocula deriuauit: quod dum fecit, hoc ipſum videtur mihi dixiſſe, conſilium non aliud eſſe, quàm tardam feſtinationem & feſtinam tarditatem. Laudatur illud, *Feſtina lentè*; & meritò laudatur: at quanto laude dignius, conſilio illud nomen dediſſe, quod ne intelligi quidem ab origine poteſt; niſi vna de tarda feſtinatione & celeri tarditate cogitetur: Vbi mora maturam minimeque præcocem deliberationem ſuadet, celeritas in nominis ratione inuenta, expeditum & facilem exitum pollicetur. Quod autem Cimbricum conſilij nomen vnica ſyllaba comprehenſum conſulit, conſequentia quadam interpretationis non omnibus aperta, & neſcio an ab vllo vmquam noſtratium conſi-

Temeritas.

Feſtina lentè.

derata, illud ipſum Har-pocht tribus ſyllabis oſtendit: qua quidem nominis ſolutione & conſiderationis via Harpocratis teſſera non ad diſcipulos tantùm liberalium artium, ſed omnes mortales, quorum quidem vllæ eſſe queant actiones, refertur; & rectè explicata & expenſa, ac deinde in omni officiorum genere ante oculos poſita, ingentem adfert vtilitatem, atque adeò vna omnium hominum continet ſalutem. Acceperant id quidem Ægyptij a Ianigenis, Harpocratis ſignum omnes eos qui id in pectore ferrent, ſeruare poſſe; verùm non intelligebant, nec nomini nec imagini aliam vim eſſe quam monendi; at in ſua eſſe poteſtate ſitum, vt quod monitum eſſet, id vel negligerent vel contemnerent, vel magni facerent & amplecterentur. Hinc igitur partim vocis & ſymbolicæ rationis ignorantia, partim demens idolomaniæ ſtudium dæmonum fraude & ſacrificorum auaritia accenſum eò rem ſaluberrimam pertraxit, vt nec inſanius quicquam, nec magis execrandum cogitari poſſet. Harpocratem enim Deum fecerunt, & imaginem, quæ nihil aliud erat quam nota hieroglyphica, collo appendebant; ceu in hoc amuleto omnem conſeruandi poteſtatem priſci Ianigenæ eſſe docuiſſent. Sed hæc communis eſt omnium veterum ſymbolorum clades, ſiue ea vocalia fuerint tantùm & ſolis nominibus indicata, ſiue adſpectabilia & ſaxis inciſa. Nos de priſco vſu & originis veritate, non de abuſu diabolico & anili ſuperſtitione tractamus. Quando igitur Harpocratis nomen ſatis eſt explicatum, pergamus modò ad ceteras, quibus idem ſymbolum vocatur, nomenclaturas. Inter has eſt Horus, vocali priore longa: quod addo, ne cum ὅρος, quo terminus & definitio ſignificatur, eadem vox putetur. Plutarchus certe hac nominum affinitate deceptus, ſtatuit huius Dei vires in iuſtis terminis rerum ponendis maximè cerni. Fateor equidem ad conſilium tacitum & quietum pertinere, vt res de quibus deliberatur, rectè definiantur, & conſilio maximè ad certos rei cuiuſque terminos perueniri; ſed nego hanc cauſſam eſſe ob quam Harpocrates Horus nuncupetur: qua tamen in ſententia refellenda verboſam nolim inſtituere diſputationem, tum ne prolixior æquo fiam, tum ne videar apertiſſimis rationibus, quas adducturus ſum, & aptiſſimæ conuenientiæ, & arctæ rerum vocumque inter ſe cognationi parum fidere voluiſſe. Harpocratis admonitionem bifariam conſiderauimus; ſemel vt ad diſcipulos ſapientiæ ſtudiis initiandos propriè præcipuéque ſpectaret; iterum vt æquè ad omnium negotiorum operumque aggreſſionem pertineret. Quia verò vtrobique & in diſcendo & in conſulendo parum domeſticæ vires præſtare poſſunt, niſi alij audiantur, illic quidem doctiores, hîc autem prudentiores; optimè factum à Ianigenis, vt Harpocratem non modò in aggrediendo tardum dicerent, ſed Horum etiam vocarent: quo nimirum omnes monerentur, moram eam quæ in priore nomine denotatur, auditioni maximè impendi oportere. Sicut enim verè à magiſtro noſtro dictum eſt, *Fides ex auditu*; ita non otioſè ab Ariſtotele ſcriptum, hanc ſentiendi facultatem ad diſciplinas percipiendas potiſſimum referri, cùm eo ſolo docentis notiones à diſcente velut ſemina quædam futuræ frugis excipi poſſint. Quid igitur aptius potuiſſet cogitari eo nomine, quo euidentiſſimè explanatur, primarium Harpocratis officium eſſe, vt audiat & diligenter auſcultet. Hoor enim idem eſt quod audio vel audi: cui ſi Græcam vocum clauſulam adiicias, ὧρος habebis. Eat nunc Plutarchus, & cum eo quiſquis velit, quæſitum apud Græcos, ecquid ſimile queat vel ſexcenteſima tenus parte reperire ad Harpocratis & Hori vel vnionem vel cognationem de vocibus ipſis docendam: quod ſi perueſtigarit atque oſtenderit, lubenter nos ei de teſſeræ huius primordiis & antiquis eius nominibus cedemus. Porrò vt auditionis huius fructus maximus oſtenderetur, & oſtenſus inuitaret omnes, ſiue bonas artes diſcere vellent, ſiue ſanis aliorum conſiliis vti, tertiam nomenclaturam adiecerunt, qua Harpocrates Apollo indigetatus eſt. Apollo enim, ſi in duas tantùm voces ſoluas compoſitionem, & poſtremam ſyllabam Græcorum dicas eſſe appendicem, eum ſignificat, qui occulta & abdita & in obſcura ſpecu latentia ſepultaque in lucem profert & reuelat. Hel enim vocali longa, vt eſt in ϵλῃχάω, idem notat quod celo: & ipſum quidem Celo Latinorum ex noſtra voce manauit, eo deriuationis modo quo ex Hart noſtrati καρδίαν Græcos feciſſe modò annotaui. Nec aliunde Velo manat, adſpiratione in digamma mutata. Hinc Hol antrũ & ſpecus obſcura, & inde Af-hol ſiue Aph-hol, & ademptis adſpirationibus ad leniorem ſyllabarũ vnionẽ, Apol is dicetur, qui ea quæ in occulta ſpelunca deliteſcunt, reuelat.

Quòd

Harpocrates qua ratione Deus factus.

Horus idem qui Harpocrates.

Harpocrates cur Horus appellatus.

Auditionis fructus.

Hoor.

Harpocrates idem qui Apollo.

Apollinis etymon et interpretatio.

Hel.

Celo, as, are.

Velo, as, are.

Hol.

Op. *Auf.*

Quòd ſi tam facilis & cōmodus, immò tam iuſtus & æquus mihi iudex detur, vt quod verum eſt mihi concedat, dicam veteribus Cimbris eam in voce **Op**, qua modò vtimur, conſuetudinem pronunciationis fuiſſe, vt magis A obſcurum quàm littera rotunda audiretur, atque inde fieri, vt ſuperiores Germani hactenus **Auf** ſcribant pro noſtrati **Op**.

Aperio verbi, & Aprilis nominis etymon. *Aup.*

Sicut igitur ab **Auper**, ſiue, vt nunc dicimus, **Oper**, Aprilis nomen accepit; & ſicut **Auper** noſtras Aperio dedit Latinis; ita Apollo etiam ab **Aup** nomenclaturæ ſuæ habere poteſt interpretationem; vt videlicet **Aup-hol** idem ſit quod recludo ſpecum. Sed quoniam mihi res ferè ſolet eſſe cum moroſis hominibus, contentionis quàm veritatis amantioribus, vix audeo tantum mihi ſumere, vt vel vnius vocalis mutationem in vocibus origini reddendis adducam. In adſpirationibus enim ademptis minus abſurdi quàm in mutatis vocalibus eſſe credunt: verùm ſi quod res eſt fateri velimus, procliuis etiam eſt vocalium inter ſe permutatio, vt de gentiũ diuerſarum dialectis, vel de longo ſæculorũ lapſu crebrius inoleſcens.

Harpocrates quam ob rem Apollo nominatus.

Vtrouis ergo modo Apollinis vocabulũ ad etymologiam examines & interpreteris, is eo nomine omniũ erit digniſſimus, qui quàplurima e tenebris in lucem profert, quiq. optimas claues & certiſſimas habet ad obſcuram abditarum rerum ſpecũ aperiendam. Vt igitur Sol, quia tenebroſum noctis antrũ reſerat, Apollo non iniuria vocatus eſt; ita Harpocrates quoque meritò eodem nomine nuncupatur, propterea quòd diuturna meditatio & diligens auditio occultam ſcientiarum & conſiliorum ſpecum quàm optimè recludat. Quòd ſi quis vltimam in Apollo ſyllabam de Cimbrica quoque lingua manaſſe dicat, ei Apollo denotabit id quod integre efferremus **Aup-hol hoot**, id eſt, aperiendæ ſpeluncæ caput quæ notatio ei conuenit, qui princeps eſt eorum omnium qui res abditas hominibus reuelant. Sed quid ego me hîc ſuperſtitioſa nimis interpretatione defatigo, cùm ea omnium ſit ſimpliciſſima quam in Gallicis explicaui, qua Apollo dictus ſit quaſi **Af hol los**, id eſt, ab antro obſcuro liberans.

Apollinis etymon aliud.

Sunt enim apud Græcos quibus priſcum hoc Apollos nomen remanſit; inter quos is fuit cuius D. Paullus fecit mētionem. Fortaſſe ergo diſcriminis cauſſa Apollo pro Deo, Apollos pro homine dictum fuerit: attamen ſuſpicor id factum ratione multiplicis & copioſè interpretationis, quam ſermonis noſtri architectus perpetuò quæſiuit. Mea ergo nihil refert, ſiue Apollos, ſiue Apollo dicas, cùm vtrumque nomen æque Deo conueniat, & Apollos conuerſionem etiam patiatur; quam vt Gallica noſtra declarant, ita hîc non duco repetendum. Satis eſto indicaſſe, vtrouis nomine Deum dici poſſe, cùm & ab antro caliginoſo liberet, & antri aperiendi caput ſit atque princeps, & vtrouis modo reuelator à tenebris cùm aliis, tum æternis mortales liberans. Nec mirum propter terminationes linguarum proprias & litteras cognatas aliam & aliam dari poſſe interpretationem, ea tenus parte qua variari poteſt. Valeant igitur illi cum ſuis nugis, qui Apollinis nomen à perdendo, vel ab alia quauis Græcorum voce deriuant: ad quos refellendos idcirco nihil adfero argumentorũ, quia non putem quemquam tam ſibi Apollinem habere vel parum propitium vel iratum, vt non clarè cernat res per ſe euidentes, & nullius alterius egentes probationis, quàm eius quam ipſa vera vocum ſignificatio demonſtrat. Nemini poſthac dubium eſſe poteſt, eorum quidem qui vel noſtræ linguæ ſunt periti, vel meæ credent interpretationi, cur Harpocrates, & Horus, & Apollo ſit vocatus: nec opus eſt pluribus ad id explicandum commentariis, cuius veritas mox ad primum ſeſe obtutum ipſa luce clariùs oſtendit.

Trinitatis myſterium in Harpocratis nomine indicatum.

Illud tamen diſſimulandum non eſt; quòd, vt in alphabeto trium in vno Deo perſonarum diligens ratio habita eſt, & diſtinctis vocibus conſignata; ita & hîc quoque non in Harpocratis modò nomine per ſyllabas explicato, ſed in tribus etiam ipſius nominibus ordine ſibi ſuccedentibus Trinitatis myſterium indicetur. Dum enim nomenclator Harpocratis ſymbolo optimam diſcendi rationem perpetuæ poſterorum memoriæ mandare vellet, ac eo ipſo doceret, omnia mox ab initio ad Vnum referri oportere, noluit in nomine eius fabricando à præcepto ſuo aberrare. **Har** igitur tarditatis & perſeuerantiæ ſignũ ipſi Patri conuenit, vt ei quem antiquum dierum Daniel vocauit; quique nec cogitanda, nedum dicenda ſæculorum infinitate tardauit antequam mundum crearet. Altera ſyllaba **Pogh**, quæ operis aggreſſionem ſignificat, Filio conuenit; eo quòd per hunc Pater ingentem mundi machinam molitus ſit atque perfecerit. In hoc enim principio creauit Deus cælum & terram. Tertia ſyllaba quæ **Hat** eſt, & celeritatem notat, in quam magis perſonam quadrat, quàm in

Spiritum

Spiritum ſanctum; qui celeri ſua per aquas ſiue materiam latione animauit vniuerſa, & ad ſuam vnumquodque incitauit motionem, & hactenus celeritate omnium creatarum mentium captum excedente, & maiore quàm luminis per aërem ſit diffuſio, totam permeat rerum conditarum molem, omnibus præſens motionem vitamque fundens atque conſeruans? Quòd ſi Harpocratis nomen ita diſſoluas, vt poſtrema pars ſit Ha Te Si/ rurſus Spiritus ſancti munus agnoſces, cuius vt celeritas propria eſt; ita tota celeritas ad vnum contendit, & nos, vt oculos mentis ad vnum quàm ocyſſimè vertamus, incitat. Quid in rebus adſpectabilibus igne velocius, quid eo celeriùs ſurſum ad vnum apicem contendit? Cùm igitur in huius forma ad Apoſtolos deſcenderit ſánctus Spiritus, quid ni eum velocitatis nomine honoremus? Iam linguæ figura adiuncta celeritatis indicat augmentum, quod nullum in homine membrum celeriùs moueatur, nec quicquam eius tinnitu ſit pernicius: quod Homerus animaduertens ἔπεα πτερόεντα frequenter iterauit. Omnis autem hæc velocitas ad vnum veluti pyramidis ſupremum punctum contendit, & omnes audientes & ſequentes vnà rapit ſecum. Et hæc quidem arcana in vnico Harpocratis nomine. Iam ſi tria ipſius nomina conſideres, ſtatim deprehendes Harpocratem prima ſyllaba patrem notare, qui tarde admodum æternum ſuum conſilium aggreſſus eſt, ſed vbi aggreſſus ſemel eſt, celerrime & dicto citiùs expediuit: de quo hoc habemus in ſacris litteris; *Dixit, & facta ſunt*. Horus verò propriè præcipuéque filius dicetur, de quo ipſe Pater, *Hic eſt*, inquit, *filius meus dilectus, ipſum audite*. Quod ex eo etiam intelligas, quòd filius vox ſit & verbum Patris. Vox autem ad auditionem ſpectat, quam Hori nomen deſignat. Tertium nomen Apollo, principem ſignificans eorum qui res abditas & reconditas è tenebris in lucem proferunt, cui perſonæ potiùs dabimus quàm Spiritui ſancto, cui in omni arcanarum rerum inquiſitione, in omnibus conſiliis inchoandis, de concordi omnium patrum doctrina vota facere & preces fundere ſolemus, vti illi à quo omnis veritatis doctrina procedit, iuxta ipſius Veritatis in Euangelio teſtificationem? Hunc in Alphabeto ſic compellauit nomenclator, vt eædem partes idemque munus ei tribueretur: & quemadmodum hic tertio loco, ita & illic recenſetur; tam conſtans & perpetua in omnibus priſcis Ianigenarum ritibus & ſacrorum nominibus doctrina ſeruatur: à qua ſi quid aberret, confeſtim ſe adulterinæ monetæ & ſpurij ortus manifeſtabit. Magno igitur in pretio habendus eſt Granuellani ille, cuius picturam do, Heliotropius, cum ob aliam, tum ob hanc potiſſimùm cauſſam, quòd non tria modò ſymbolicæ ſcalpturæ nomina exponat, ſed ſic etiam exponat, vt iuſtum eorum inter ſe ordinem obſeruet, ac præterea tria hæc nomina vni ſymbolo adſcribat: de quibus alioqui multa in dubium potuiſſent vocari. Quamuis enim Epiphanius, diligentiſſimus antiquitatis obſeruator, eundem Horum Harpocratem eſſe dicat, non defuerunt tamen quidam inter antiquos, quibus placeret alium Horum, alium Harpocratem fuiſſe: qui tamen cernentes ſe receptæ iam olim opinioni aduerſari, qua idem Horus & Harpocrates putabatur, duos Horos ſomniarunt; alterum antiquiorem, qui idem eſſet cum Apolline; alterum iuniorem, quem eundem alio nomine Harpocratem vocari docerent. Nos hæc nomina eidem teſſeræ accommodata cernimus; tametſi id fiat diuerſa conſideratione, vt multa ſunt in vno diſcipulo rectè ſcientiis ſapientiæque ſtudiis initiando neceſſaria.

SED iam quando de nomenclaturis quæ dicta modò ſunt, ſufficere videntur, ad fabulas veniamus; corruptiſſimas illas quidem Ægyptiorum culpa, qui peregrina nomina ad ſuam linguam pertrahere conati, omnia hieroglyphica fœdiſſimis nugis & dementi idololatria turpiſſimè contaminarunt, & aliò quàm deſtinata erant à Ianigenis, detorſerunt: quorum ineptias qui compendio nouiſſe volet, Plutarchum ſibi in manus ſumat, tales tamen, vt in iis quædam adhuc veritatis veſtigia cernantur. Nos capita dumtaxat obiter attingemus. Primùm igitur illam inter Oſiridem, Iſidem & Horum cognationem apud priſcos agnitam videmus, vt hic ab illis occultè in matris aluo genitus dicatur: quod ſi nominum ſignificationi & veræ religioni applicare ſtudeamus, neceſſe fuerit, vt Hori nomen pro eo numine accipiatur, quod illi, qui aures ad audienda diuina habent arrectas, inuocare conſueuerunt. Et eſt ſanè ita, dum de ſolo Horo & Harpocrate loquimur, & nomina non ſymbolis, ſed ſymbolorum præſidi tribuimus; ad Spiritum ſanctum ferè referimus cogitationem; eo quòd hic ſalutari diſciplinæ infundendæ

Hori Oſiridis & Iſidis fabula explicata.

Horus qua in re inuocari ſolitus.

dendæ præſit, tametſi alioqui prima nominum notatione aliarum perſonarum attributa indicentur. Videtur ergo hæc fabula è Triadis arcanis humanæ menti inuiis ad hunc modum conficta, vt æternitatem totius diuinæ ſubſtantiæ aluum nominarint, à qua *Æternitas.* Dei nomen de Cimbrico ſermone factum eſt. De-ew enim idem nobis ſignificat quod *Dei vocis etymon.* Latinis Ipſa æternitas diceretur; vnde contractione per prioris vocalis ecthlipſin facta, *Eew.* D'ew nobis componitur, vox à qua Deus Latinis, & θεὸς Græcis deriuatur. Quoniam *θεός.* igitur æternitas diuina eſt ſubſtantia ſiue eſſentia, tres in monade complexa hypoſta- *Hori generatio.* ſes, finxerunt Oſiridem & Iſidem in ipſius aluo adhuc conſiſtentes, tanta inter ſe amoris vi flagraſſe, vt ſe complexi Horum generarint. Quò autem omnia humanis rebus ſimilitudine quadam compararent, & quæ omni noſtra notione & omnibus nominibus infinito ſpatio ſunt ſuperiora, ea vocibus vſitatis aliquo ſaltem modo darent cognoſcenda, patrem etiam & matrem addiderunt. Ipſam enim æternitatem Cronum *Cronus.* & patrem vocarunt; Æternitatis verò rationem, qua omnia complectitur & omnia ad *Rhea etymō. Rie.* ſe trahit, Rheam. Rie enim idem nobis eſt quod ratio, dum vt nomen vſurpatur; dum verò vt verbum, idem eſt quod paro. Quia verò infans in vtero paratur, rationis ſummæ & æternæ omnia in ſe complexæ & parantis nomen matri contulerunt. Quid autem eſt hæc diuinæ rationis præparatio aliud, quàm efficientia ipſius patris; qua illa quæ creat, ſibi quadam tenus accommodat & alligat, & iis ipſius Vnius rationem impertit? Rie enim nihil aliud eſt, quàm vehemens motio ad ipſum Vnum; qua omnia ad ipſum Vnum quodammodo vibrantur. Hinc igitur Rea, ſiue more Græco Rhea. Cronus à *Cronus vnde nomē habeat.* Cron dicitur, quaſi Car-ron/ id eſt, eius quod cariſſimum eſt omnibus rotunditas ſiue rotundus decurſus: quæ vera eſt deſcriptio æternitatis, cuius amore ducuntur omnia, quando nihil omnibus carius, quàm vt ſint ſempiterna. Sicut enim Ew ipſam Vnius latitudinem & durationem infinitam notat; ita Cron perennem eius decurſum, cuius amore rapiuntur omnia. Quoniam igitur ſuiipſius amore perpetuò in ſe recurrente Deus omnia creat, Croni nomen aptum putarunt Ianigenæ ad patris notionem explicandam. Et quia eo ipſo quo omnia quæ creat ſibi ipſi vnit, Rie matri applicarunt; quod non aliud eſt quàm ſi dicas, Antiquum dierum eſſe patrem vniuerſorum; Sapientiam verò omnium eſſe matrem. In eadem igitur & vna diuina eſſentia patris & matris ſimi- *Deus in vna diuina eſſentia quandam habet patris & matris ſimilitudinē.* litudo quædam inuenitur, iuxta illud Orphicum:

Iupiter & mas eſt & femina neſcia mortis:

& quia in hac vnitate tres ſunt perſonæ ſiue hypoſtaſes, & quia Spiritus ſanctus ab antiquo dierum & à ſapientia procedit, veritatem fabula velarunt, qua Spiritus ſanctus ab Oſiride & Iſide ſe mutuo amore complexis, genitus diceretur. Ianigenæ Apollinis potiùs nomine hoc loco vſuri fuiſſent, niſi ſciuiſſent ab Hori ore Apollinem procedere, & nomen Hori pro eo etiam accipi poſſe; qui præſidio ſuo omnem diſciplinam auribus inſtillandam tuetur, atque adeò ipſemet inſtillat, ab Oſiride & Iſide in eſſentiæ vnitate procedens. Addiderunt & illud, vnà cum Oſiride vocem exſtitiſſe; qua diceretur, Vniuerſi totius dominus in lucem procedit: quod non aliud iis ſignificat qui veritatem agnoſcunt, quàm patri Oſiridi coæternum eſſe Verbum ſiue Vocem, per quam Deus ſiue Oſiris, id eſt, Dominus noſter omnia creauit: cui cùm addunt ipſam lucem, Spiritum ſanctum indicant, quo verbum omnia illuſtrat ac tuetur. Oſiris igitur vox & lux idem ſignant quod Oſiris, Iſis & Horus. Atque hinc illud eſt quòd oculorum Hori genitura quoque celebretur: quo in ritu Horum & ipſius oculos habes diſtinctos, quaſi Horus propriè filius ſit, & eius lux ſiue oculi Spiritus ſanctus. Quòd autem ſapientia, in qua Deus omnia vt in principio creauit, Rea vocetur, id valde conueniens eſt noſtrati locutioni, in qua Rie rationem ſignificat, quæ ſapientiæ æquè ac voci conuenit, propterea quòd Rie etiam idem ſit quod paro: & quia Deus omnia dicendo parat, Rie pro loquor ſiue ratiocinor vſurpatur; quod alij Reden paragogicôs dicunt, iuxtà atque pro ratione quoque Reden plerique pronuntiant. Neque igitur longe aberrarunt, qui Iſidem *Reden.* ſapientiam eſſe ſtatuerunt; quamuis in nomine ad Græcos fontes referendo nihil ſani dixerint. Illud certè ad linguam noſtram bene quadrat, quòd in Oſiride Domini & Re- *Oſiris quid ſignificet, & nominis origo.* gis vniuerſorum agnouerint dignitatem, cùm ea voce Dominus noſter ſignificetur: vel ſi poſtremam ſyllabam Cimbricam quoque eſſe velis, quod equidem malim, quo-

niam

niam eadem ſit in Iſis, Oſiris; idem fuerit ac ſi dicas, Noſter dominus eſt. Atque hæc
Oſiridis inſigne ſiue teſſera. nominis notatio teſſeræ ſiue inſigni Oſiridis egregiè conuenit, quod ſceptrum erat cum
oculo; quorum illud poteſtatem & filium, hoc lucem & Spiritum ſanctum denotabat.
Quoniam verò Oſiris à noſtra voce nonnihil deflexit, origo eius examinanda, quæ eſt
Onſeris. quod nomen ſi per veſtigia retrò legas, habebis Sireſno: quod rurſus duobus
modis diuidi poteſt, vel vt ſit **Si-res-no**, quo denotatur viſus ad erectionem ſiue ad
aſſurgendum neceſſarius: ſiue viſus ad erigendum aſſurgendumque inuitat: vel vt ſolu-
tio fiat in **Si-re-ſno**/ qua dicitur viſus præparat malum vel peruerſum. Cælorum enim
obtutu præparantur peruerſi noſtri animi, vt Deum eſſe cogitent, & eius poteſtatē &
ordinem agnoſcant. Videmus ergo in ichnæa Oſiridis cōuerſione oculum & ſceptrum,
& præterea quem hæc vſum nobis præbeant. Oculus viſum confert, ſceptrum nos aſ-
ſurgere cogit, & ad ſupremum bonorum inuitat vt rem nobis neceſſariam; & hæc ipſa
peruerſos & malos noſtros animos præparant ad ſalutem. Quicquid enim in nobis bo-
ni eſt, à Deo eſt; quicquid propriè noſtrum eſt, malum eſt: quod nomenclator in **Ons**/
Ons. quo Nos & Noſtrum denotatur, manifeſtauit, quaſi diceret, Vis ſcire quid noſtrum ſit,
Sno. redi per veſtigia, & in **Ons**/ **Sno** inuenies. Ab **Ons** Latini Nos per metatheſim fece-
Nos, vnde habeant Latini. runt. Sed hæc ſpiſſum codicem poſtularent. Nobis ad reliqua pergendum. Quoniam
igitur Oſiris pater eſt vniuerſorum, faſcinum ei ſemper erectum tribuerunt, indefeſſam
Typhō Horo, Iſidi & Oſiridi aduerſarius. creandi vim denotantes. Finxerunt deinde Typhonem Oro, Iſidi & Oſiridi aduerſa-
rium. Oro item id tribuunt quidam quòd Typhonem caſtrarit. His inſana addunt, &
ea varia & infinita, nec ordine vllo aut ratione cohærentia, pro eo atque quiſque vel
hoc, vel illud de horum nominum ſignificatione ſomniauit. Nobis ſatis eſto voces in-
tellexiſſe, & ex his viam præmonſtraſſe ad priſcam veritatem necdum mendaciis con-
taminatam. **Onſ-heer-is** in Oſiris mutatū eſſe dixi, vt ex **E** longa crebrò fit I longum, vt
de Iride & Liliis in Francorum inſignibus memini tradidiſſe. Quòd autem fabulantur
Iſidem phylacterium aſſumſiſſe vt Horum feliciter pareret, ex eo videtur originem
ſumſiſſe, quòd filius humaná naturam aſſumpturus eſſet, quæ vera foret humani gene-
ris cuſtodia; & qua aſſumta audiendus eſſet, ac Spiritum ſanctum hominibus daturus.
Iam Typhon cacodæmon eſt, ita dictus, quòd hominum genus ſemper fruſtrari cone-
Typhonis nomenclaturæ ratio. tur, atque impedire quò minùs adſcendat & intelligat veritatem. **Het uphon**/ ſiue **Het op
hon**/ ſiue etiam **Het auphon** idem eſt ac ſi dicas, Id quod nos defraudat ſupernis & aper-
Op. tis. Hinc more noſtro Tuphon. **Op** enim vtrumque ſignat, ſupra videlicet ac reſera-
tum. Hinc Hori & Typhonis pugna. Horus enim Apollo eſt, ea quæ occulta ſunt re-
cludens, & nobis ſpecum aperiens: Typhon contrà nos impediens atque defraudans,
ne Apollo nobis recondita reuelet, ac caliginoſum antrum recludat. In Apollinis no-
mine ex **Aup** **A** ſeruatur, in Typhonis poſterior diphthongi pars remanſit. Sed hæc ne
nimis anguſtis ſpatiis incluſerim vereor, & idcirco huic Typhonis omnia perturbantis
conſiderationi immorabor. Ipſum certè nomen nobis apertum, nec vllam cladem no-
Aup. tatu dignam perpeſſum; eo quòd non **aup** tantùm, ſed **op** & **vp** etiam variantibus diale-
Op. ctis in eadem ſignificatione dicatur. **Het-up-hon** igitur **Tuphon** dedit, quod Græci Ty-
Vp. phon, non aliter quàm *μυκάω* pro Mugio, & ſimilia pro ſimilibus ſcribunt. Quia verò
Op duo notat, quorum alterum tantundem valet quantum ſurſum & ſupernè; alte-
rum apertum ſignificat, quòd ſuperiora aperta ſint, inferiora anguſtis ſpatiis concluſa,
Typhon cacodæmon eſt. Typhon tam latam nobis fraudem indicabit & fruſtrationem, quàm latè ipſius **Vp** ſi-
gnificatio patebit. Diabolus igitur dum primùm ſeipſe per inuidiam & ſuperbiam cælo
fraudauit, loco omnium ſupremo, verè poterat Typhon vocari: deinde cùm è felici ſta-
tu Adamum deiecit ad mortalem miſeriam, rurſus Typhon meruit dici: nec minùs
nunc & ſemper dum fraudibus ſuis & retibus nos impedit, quò minus ſurſum quea-
mus euolare. Præterea quando nos ſemper ab illis arcet quæ infinitis ſpatiis patent, his
terrenis perpetuò includens, poteſt & hac rurſus ratione Typhon nuncupari, quòd iis
nos defraudet quæ Deus nobis aperta eſſe voluit & peruia. Deus enim cælum nobis
recluſit; hic molitur vt nos inſidiis ſuis irretitos ab eo procul excludat. Hic igitur ille eſt
perpetuus Oſiridis in nobis hoſtis, qui ſemper diligentiſſimè inueſtigat, ecqua noſtri
parte exigua adhuc diuinæ imaginis ſcintilla reſtet, vt eá protinus inuadat, & variis per-
turbatio-

turbationibus & animi morbis diſſipet, ac tandem penitus extinguat. Typhon igitur hoc modo in genus humanum graſſans, & Oſiridem ſiue verum Dei cultum in varias & inſanas diſtrahens ſuperſtitiones, hoc effecit fraudibus ſuis, vt ſapientia & prouidentia diuina, occulta & incognita via cuniculos aduerſus hanc dæmoniacam tyrannidem moliretur, & vim ſuam maſculam tandem in Nilum deiici permitteret, id eſt, Verbum ſuum, per quod omnia creauit, humanæ naturæ vniret. Nilus nomen eſt Ianigenarum, quo id vocatur, quod nouitatem inducit. Ægypti igitur flumini terram quotannis renouanti hoc nomen dederunt: & quia caro, in quam verbum demiſſum eſt, toti mundo nouam faciem induxit, finxerunt priſci Oſiridis teſticulos in Nilum deiectos, id eſt, in id quo nouitas adduceretur. Νεῖλος enim ex Νεῖ fit, quo nouum notatur, & λεῖ, quod idem eſt quod duco. Quòd ſi propiùs ad fluminis & hominis naturam nomen quadrare velis, licebit dicere, Nilum quaſi Ni-leem vocari, quo noua argilla denotatur, propterea quòd quotannis nouam argillam ſiue cœnoſam & pinguem terram inuehat. Sic Verbum ſiue Oſiridis maſcula vis in Nilum demiſſa diceretur ea de cauſſa, quòd Chriſtus non noua modò argilla eſſet, ſed vetus etiam veteris Adami lutum renouaret, & eius antiquum & aridum ſqualorem noua pinguedine, effetam ſterilitatem noua feracitate commutaret. Iſis igitur, ſiue ſapientia diuina, inſtituit, vt ad huius nouæ generationis futuræ ſignificationem feſtum celebraretur, & Phalli circumferretur figura. Sed hæc omnia Typhon in rem ſuam vertit, & in fœdas turpitudines detorſit; nec ab eo deſtitit, dum Horus Dei filius eum deuicit, & per Apollinem ſuum ſiue Spiritum omnem aperuit veritatem, & vincula quibus Typhon nos à cælo diſtinebat, abrupit. His nominibus ita explicatis, clara ſunt omnia & veritati conſona quæ de Horo & Typhone dicuntur. Verùm quia non ſolùm dæmon nos decipit atque fallit, & ne ad lumen veritatis adſcendamus impedit; ſed caro etiam & corruptus noſter Adam; factum eſt vt Typhonis nomen pro vitiata noſtra natura frequenter vſurpetur: & quia Horus per ſpiritum oris ſui hanc ad ſe trahit, fit vt Horus magneti, animus noſter corruptus ferro comparetur; non aliter atque Orpheus ſaxa modulatione ſua traxiſſe narratur. Horus enim ab audiendo dictus, vti Orpheus ab auribus moderandis, & iis quæ audienda cuique ſunt componendis. Fides autem in Ieſum Chriſtum filium Dei, quem audire iubemur, auribus inſtillatur à doctoribus, & ſancta ſermonis horum efficacitate haud ſecus trahimur, atque ab Hercule quopiam Gallico; cuius fabula ad hanc ipſam veritatem, omnes ad ſe ſpiritu ſuo rapientem, refertur; vt ad primam omnis veri ſermonis ideam. Atque hæc quidem omnia, quæ de Harpocrate & Horo & Apolline dicuntur, & ſymbolo denotantur, vt vera ſunt, dum ad quoſuis diſcipulos & quoſuis veritatis doctores accommodantur, ita multo magis in præſtantiſſimum doctoris exemplar quadrant, citra cuius opem, ſubſidium & gratiam nihil nec diſcere nec docere poſſumus hominum animis ſalutare. Ne miretur ergo quiſquam, dum ſymbolum ſummis applicamus, quando quæ vera ſunt nuſquam veriora ſunt quàm in ſuis ideis: & certè ita ſemper in priſcis teſſeris & nominibus eſt verſandum, vt eorum ſignificatio in ſummis examinetur, in quibus niſi firma ratione ſubſiſtat, fruſtra eius veritatem inferioribus applicare nitemur. Nec quiſquam offendi debet, dum religionis myſteria priſcis ſymbolis & nominibus adſcribuntur, quaſi ſacra profanis polluantur. Idem enim ſpiritus veteres illos Sethinos & ante & poſt diluuium duxit, qui multis pòſt ſeculis Apoſtolos rexit, & hactenus Eccleſiam ſuam gubernat. Quid mirum igitur, ſi primo primæ linguæ auctori æternæ veritatis arcana ab hoc inſpirata dicam, vt ea idoneis & artificioſis nominibus conſecraret, & iis vtpote monumentis perennibus ad poſteros tranſmitteret, quò tandem ex horum & legis veteris & euangelicæ doctrinæ collatione perpetuus ab initio mundi veritatis & religionis conſenſus & concors in omnibus vnio cognoſceretur, ab iis penes quos hæc lingua manſiſſet? Quoniam verò ad Typhonem infirmandum eiuſque vires frangendas nihil Apollinis omnia reuelantis munere potentius, finxerunt antiqui, Horum teſticulos Typhoni amputaſſe. Teſticulos ad maſculam vim notandam veteres vſurparunt, & dum Ithyphallos pingebant, generandi ſignificabant facultatem; non eam modò qua quid creatur, ſed illam etiam qua mentes formantur ac docentur: & hanc quidem tanto potentiùs, quanto intelligentia corpori præſtat.

Nilus.

Nili etymon.

Nei.

Lei.

Typhon carnem noſtram etiam ſignificat.

Fabulis ſiue ſymbolis priſcorum religionis myſteria applicari poſſe.

Horus quare Typhoni teſticulos fingatur amputaſſe.

Teſticuli maſculam vim notabant veteribus.

Ithyphalli cuius rei teſſeram habuerint.

præſtat. Quamuis autem ſigna primùm ſummo conueniant, inde tamen per ſimilitudines efficaces ad inferiora deſcendunt; & idcirco vbicumque Ithyphallus cernitur, generationis vis indicatur, ſiue illa ad mentem, ſiue ad corpus, ſiue ad ſummum opificem, ſiue ad eius miniſtros debeat referri. Et hæc quidem prima eſt & proxima Phalli notatio: cui & altera indiuidua comes adhæret. Cùm enim eiuſdem ſit & regere & docere poſſe, ex conſequentia de virili membro intelligitur, eum cui id tribuitur, gubernandi quoque & ducendi ius eſſe ab ipſa natura tributum: quod vocibus noſtratibus ſignificantius indicatur, apud quos vir & virile membrum à ducendo nomen habent: & teſticulus **Cul** nuncupatus votum videtur indicare, quo homines optent, vt is ad regendi cuſtodiendique populi veniat dignitatem; & ichnæa ſui conuerſione apertè demonſtrat felix & fauſtum imperium illud ſolum eſſe, quod teſticulus adminiſtrat. Quamobrem ſi hæc corporis pars cuipiam dicatur exſecta, intelligere oportet ei non maſculas tantùm vires, ſed gubernandi quoque regendique præciſam eſſe poteſtatem: & ad hunc modum illud de Typhone caſtrato intelligi, vt nimirum ſignificetur regnum ipſi ab Horo ademptum, totaſque ipſius vires fractas & peſſumdatas fuiſſe: quod tum contigit, cùm Chriſtus verus Horus, & idem verus Hercules, id eſt, totius vniuerſitatis maſculum robur magnum draconem in cruce deuicit. Verumenimuerò dum hoc modo vel de Horo vel de Harpocrate loquimur, ſermonem noſtrum de numine ipſo & præſide veræ religionis, cuius diſcendæ imaginem ſymbolum proponit, capere neceſſe eſt. Deum enim frequenter ab eo nuncupamus, cuius nobis gratiam concedit: qua ratione Harpocrates dicetur, quia nobis largitur, vt quæ Harpocratis ſymbolo notantur, ea & intelligamus & reapſe præſtemus. Vel ſe Harpocratem Deus præſtat, dum æternum ſuum conſilium Harpocratico more exſequitur. Sunt enim in mente diuina omnium eorum quæ recta ratione procedunt ideæ ſempiternæ, à quibus ad inferiora ſimilitudines trino progreſſu funduntur. de quibus latiùs in Daleth agemus. Horus autem vocari poteſt, quòd & ipſe nos audiat, & nobis det veritatis audiendæ facultatem.

Phalli notatio.

Cul.

Luc.

LIBER

LIBER V.

NOMINIBVS ergo & fabulis ſic ſatis explicatis, reliquum eſt vide-
re, an ſignum Harpocratis aſpectabile vocali ipſius ſymbolo concor-
det, atque an alterum alterius nobis offerat intelligentiam & inter-
pretationem. Abſurdiſſimum enim eſſet figuras hieroglyphicas à *Harpocratis effigiei explicatio.*
ſacris nominibus diſſidere, vel cum iis aut parum aut nihil habere
cognationis. Priore igitur loco Heliotropij ſcalpturam explicabo,
quòd ea ſimplicior ſit, & minus quàm altera effigies ex ære fuſa va-
rietatis oſtendat: & quia vtrique commune eſt quòd ſedeat & digitum ori applicet, de
his notis priùs agendũ. Scio apud Ægyptios geminum Hori natalem in fabulis fuiſſe; *Hori natiuitas gemina.*
alterum perfecti, & toto corpore integri; alterum imperfecti, & parte corporis inferiore
mutili, & ad eundum impotentis: quod quamuis ad duplicem filij genituram videatur
referri; & illam qua ſatu æterno pater filium gignit; & alteram qua verbum caro factũ
eſt, & mortalem & mancam & multis modis claudam induit naturam, nos tamen in
eo exponendo diutius non morabimur, eo quòd cùm ex his quæ dicta ſunt ſatis perſpi-
cuum reddatur, modò dumtaxat ſit indicatum; tum hoc nomine pro ſymbolo diſcendi
auidis proponi conſueto malimus vti, quàm ad ſublimia illa euolare, in quibus contem-
plandis nullus exitus reperiretur. Traherer enim mox quadam fabularum catena ad
Vulcani lapſum & claudicationem; & adamantinum illud rete quo Venus Marti con-
nexa fuiſſe narratur, enodare cogerer; in quo plus quàm in ipſo opere quod ſuſcepimus
agendum, laboris eſſet. Omittam igitur hanc mancam ſupremi Hori naturam, quam
aſſumpſit vt nos in vmbra mortis & profundo æternæ caliginis barathro iacentes erige-
ret, ac greſſus eius compotes redderet, quo in cæleſtem patriam redire poſſemus. Omit-
tam etiam ſummum illud ſilentium quo vſus eſt Horus in Typhone fallendo: nec di-
cam de tarditate, heu nimium longa patribus in Tartari limbo iacentibus, qua Deus
vſus eſt in arcano hoc & maximo conſilio aggrediendo. Hæc enim & id genus alia eo-
dem pertinentia vel nimis tenuiter exponenda nobis eſſent, vel plus temporis, plus do-
ctrinæ, plus eloquẽtiæ, quàm noſtra præſtare queat ieiunitas, deſiderarẽt. Scio equidem
in his ſupremum verticem eſſe omnium myſteriorũ, ad quæ cognoſcenda omnis diſci-
plina tendere debet; atque adeò omnia quæ hoc ſymbolo denotantur, ad hunc ſcopum
collimare; verùm nos, vt modò diximus, nolumus pennis noſtris altius attolli, ne lique-
facta ingenij noſtri cera, cum Icaro in pelagus aliquod ignorantiæ & vagos diuerſarum
dubitationum fluctus incidamus. Satis nobis eſto ea velut indice quodam Mercuriali
eminus oſtendiſſe, & iis quibus Horus benigniore affulſit aura, materiam ſuppeditaſſe;
non copioſam modò & vberem, ſed digniſſimam etiam ſapientia eloquentiſſima, &
eloquentia ſapientiſſima. Nos humiles humiliora tractemus, & ſedentariam puſionis
noſtri vitam ad Harpocratis nomen, vt polliciti ſumus, quadrare doceamus. Qui Har
ſonat, tardare iubet ac perſeuerare. Atqui nulla corporis forma aptior eſt diuturnæ mo- *Seſſio quid ſignificet in Harpocratis effigie.*
ræ, quàm ſi quis ſedeat; eo quòd ſedendo minimũ defatigemur. Quamobrẽ qui quàm
diutiſſimè velit in re quapiam perſeuerare, ei nemo non ſuadebit vt ſe componat quàm
cõmodiſſimè poteſt ad ſedendum. Nónne in Latinorũ conſuetudine videmus eſſe, vt
Sedere pro morari ponát? iuxta quam Cicero malitia pelagi detentus, dixit ſe Corcyræ
ſedere; & T. Liuius Pœnos ad Trebiam ſediſſe narrat; eo quòd diu illic commorati eſ-
ſent. Sed quid exemplis opus eſt? An non aſſiduus inde dicitur, qui diu in eadem re
verſatur, quòd ei videatur aſſidere? Iam quorſum ſeſſio potiſſimùm conducat, comi- *Seſſio in comitiis vniuerſalibus.*
tiorum apud Chriſtianos vniuerſalium ſeſſiones ſatis declarant. Sedetur enim maximè
ad conſilium de rebus arduis capiendum, vt Virgilius cecinit: *Celſa ſedet Aeolus arce.* *Sedetur ad conſilium capiendum.*
vt Plautus: *Sine iuxta aram ſedeam, & dabo meliora conſilia.* Hinc ſenatorum apud Ro-
manos curules ſellæ, vt nimirum in iis ſedentes conſilia caperent tranquilliora & aptio-
ra ad res ſtabiliendas & diu conſeruandas. Eſt autem Sedeo ab origine noſtratis linguæ, *Sedeo vocis etymon.*
in qua Set idem eſt quod colloco, & Sit idem quod Sedeo: quorum vtrumque ichnæa *Set.*
conuerſione monſtrat omnẽ ſeſſionem ad ipſum Ens referri oportere; quod quid aliud *Sit.*
eſt, quàm nobis propterea ſedendum eſſe, vt in Entis & veri contemplatione ſumma

Se. Es. T'es. T'is. ἕζω.

tranquillitate verſemur. Porrò Set fit à Se / quod eſt dicebat; & hoc à vehementi ſibilo ad Vnum omnia ferente, à quo Es / quod Eſt ſignificat, gignitur: qua de re in Senario, qui Ses dicitur, latiùs. Deus ergo dicendo vniuerſa collocat, & ad hoc ſedere facit, vt ad Eſt ferátur; quod noſtra lingua dicimus Te es, & eliſione vocalis prioris T'es: & ſimiliter è Sit redimus ad Tis, quod idem ſignificat ac Latinus diceret à ſeſſione ad Ens. Græci ἕζω à Sets fecerũt, ſibilo in Spiritũ mutato; cuius verbi deriuationibus vtũtur. Ipſa igitur vera verbi ſedeo ratione de noſtræ linguæ principiis petita clare docemur, quis ſummus ſit & excellentiſſimus ſeſſionis fructus, & quò deceat & oporteat omnem humanam tendere ſeſſionem. Quid dixi humanam? Num angelis alia de cauſſa throni adſcribuntur, quàm quòd in iis æternum ſedentes, vt poëtæ more loquar, Dei faciem ſemper intueantur, atque ex hoc beatiſſimo obtutu ſuauiſſima & ſuprema perfruantur voluptate? Cui non ſederet animo cum illis ſedentibus æterna quieſcere ſeſſione? Sedeamus igitur in hac vita, vt in illis tandem cæleſtibus thronis ſeſſione fruamur ſempiterna, id eſt, omnia noſtra ſtudia aſſiduè ad ipſum Ens in hoc mundo referantur, quo poſt hanc perituram vitam in Entis contemplatione nulla vi amplius abrumpenda perpetuò quieſcamus. Hæc eſt illa beatiſſima ſeſſio, qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſedet ad dexteram patris, cui niſi vniamur & in vnum corpus coaleſcamus, numquã poterimus ad dextrã patris noſtri qui in cælis eſt, ſedere: quæ nihil aliud eſt, quàm fons ſempiternæ vitæ, è quo ad omnes vita deriuatur & emanat: cui aſſidere idem eſt quod vitam continuò haurire, & eius aſſiduo hauſtu ſempiterna ambroſia repleri. Quò igitur hanc nobis Deus concedat ſeſſionem, & perenni nos diuini nectaris ſcaturigine inebriet, Domino noſtro, qui verus homo ad dextram patris ſedet, fide, ſpe & caritate vniamur; quãdo per nullum alium poſſumus ad hanc adſpirare ſuauiſſimam quietem. Ad hanc vt certam nobis viam ſtruamus, à teneris annis ſeſſioni adſueſcere debemus, & Harpocratem puellũ adhuc intueri, & cogitare in iis nos poſſe diutiſſimè & facillimè perdurare, in quibus à primis annis fuerimus educati. Tenella enim hæc Harpocratis ætas commonefacit, dum ea quæ ad ſalutem noſtram & veram vitam faciunt diſcere volumus, & in eorum meditatione perſeuerare, nos pueros effici debere. Talem ſe præſtitit Magdalena, licet iam ætate prouectior, dum ad pedes Chriſti in domo Marthæ ſederet, ad vitæ verbum audiendum. Tales ſe præbuerunt omnes quotquot vmquam cum fructu ſalutari ſe diſciplinæ dediderunt; & niſi tales perduraſſent, fruſtra apud præceptorem ſediſſent. Sic enim nos ipſe Chriſtus docuit, niſi efficiamur paruulis ſimiles, non intraturos nos in regnum cælorum: ad quod cùm omnis doctrina referri debeat, valde conuenienter veritati Harpocrates idonei diſcipuli exemplar tenellum refert puſionem. Et vt hoc quidem ad ſummiſſam animi humilitatem ſpectat, quæ omnibus Chriſti diſcipulis eſt neceſſaria; ita ipſum etiam primæ ætatis exordium diuinæ legi addiſcendæ dedicare oportebit, ſi iuxta Dei in Deuteronomio præceptum vitæ rationes conſtituere velimus.

Puerilis forma quid notet in Harpocrate.

Puerorũ animos diſcipli næ omnis capaciores quã prouectiorũ.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem Teſta diu.

Et verò ſi canes docere velis, à prima ſtatim ætate docendi ſunt; & quid tũ doceas tanti refert, vt in eo quid tum docueris conſtanter perſeuerent: quod Spartanis ſuis Lycurgus duobus catulis, altero ad patinam, altero ad leporem conſectandum inſtituto ad oculum demonſtrauit. Quanto igitur ſigilla facilius molli ceræ imprimuntur quàm plumbo aut aliis corporibus duris, tanto tener puerorum animus ad omnem diſciplinam & virtutem ſuſcipiendam aptior eſt, quàm eorũ qui iam longa ruſticitate & craſſa ignorantia obduruerunt. Quamobrem puerorum animis ea ſunt inſtillanda præcepta, quorum ductu iam mox à teneris vnguiculis rectà tendant ad veram vitæ felicitatem; & in iis omnibus quæ ad hanc referuntur ſic adſueſcant, vt ab iis recedere inſuaue & moleſtum; in iis manere dulce & amœnum exiſtiment. Qui ſeniores iam ſunt vt difficiliùs erudiuntur; ita facillimè ad priſtina vitia relabuntur, & non ferè in iis quæ tardius condocefacti ſunt, perſeuerant. Har itaque prima in Harpocratis nomine ſyllaba nulla melius figura exprimi potuit, quàm puerili ſeſſione; quæ aptiſſima eſt ad durandum, & in iis immorandum ad quæ ſeſſionem omnem referri oportere, primi verbi Sedeo natales ichnæa conuerſione docuerunt. Seſſionem autem ad animum pertinere, eiq. neceſſariam eſſe ad ſcientiarũ perceptionem, Ariſtoteles etiam tradit, oſtendens animum

vario

vario perturbationum fluctu inquietum non antè ad diſcendum fieri idoneum, quàm tumultus ſedetur. Vt enim imagines in vndis commotis integræ cõſiſtere non poſſunt; ita nec notiones rerum in animo perturbato: & verò qui ſic agitatur veluti procellis quibuſdam, non ſolùm tranquillus non eſt ad integram rerum notitiam accipiendam, ſed ne ſuus quidem eſt, aut liber. Qui enim vel auaritia, vel ambitione, vel libidine, vel ira, vel ſimili aliquo morbo vexatur, eum nullo pacto liberum dicas; ſed peſſima ſeruitute & plus quàm tyrannica preſſum. Tyrannus licet corpus affligere & cruciare poſſit, in animum tamen nullum ius habet: quod multorum tormenta, præſertim Chriſtianorum, luculentis & illuſtribus exemplis toti mundo probauerunt: at vitiorum dominatus in animum carnificinam ſuam exercet, & intus in ipſis viſcerum penetralibus deſæuit; tanto grauiorem adferens ſeruitutem, quanto animus corpori antecellit. Hanc igitur domeſticam tyrannidem expellas oportet, ſi animi tranquillitate ad ſcientias percipiendas neceſſaria perfrui velis: nec ante idoneus diſciplinis fueris, quàm hoc miſerrimæ & turpiſſimæ ſeruitutis iugum excuſſeris, & te totũ in eam aſſerueris libertatem, à qua liberales artes nomen ſibi vindicarunt. Errat enim ſi quis aliud ſeruitutis genus liberalibus artibus credit opponi; cùm nihil vetuerit quo minùs vel Socrates in carcere, vel Epictetus in ſeruitute animum habuerit liberum atq. ab omni negotiorum turba ſedatum. Ac quemadmodum hæc vera eſt libertas quæ animi cuſtodit tranquillitatem; ita otium illud à quo liberales artes diſcentium diatribæ, ſcholæ vocantur, ab animo negotiorum turbas excludat neceſſe eſt. Mirum eſt quàm omnes mortales otij ſint cupidi, & quàm rurſus ipſi ſibi ſexcentas negotiorum turbas accerſant. Magnis laboribus & diſcurſibus diuitiæ quæruntur & parantur, quo iis otium ali ſuſtinerique poſſit. At dum his nimium incumbimus, & nihil ſatis eſſe ducimus, non otium modò procul abercemus, ſed totam etiam negotiis impendimus ætatem, & illo ſemper caremus quò ſtudia noſtra omnia ſpectabunt. Sed quid eſt fruſtrari, & fruſtrà plurimum laboris ſubire? hoc ipſum eſt fruſtrari, perpetuò materiam otio comparare, & numquam ad otium peruenire. Elegantiſſimam nobis oden Horatius cecinit, qua has ſtolidas curas, & fruſtra ſuſcipi conſuetas procul ablegauit, & longum valere iuſſit:

Diſcere volẽtem animum debere perturbationibus habere liberum.

Otium omnes optare, neminem conſequi.

Otium Diuos rogat in patenti
Prenſus AEgæo: ſimul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis.
Otium bello furioſa Thrace,
Otium Medi pharetra decori
Groſphe, non gemmis neque purpura venale nec auro.
Non enim gazæ neque conſularis
Summouet lictor miſeros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.
Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum:
Nec leues ſomnos timor aut cupido
Sordidus aufert.
Quid breui fortes iaculamur æuo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exſul
Se quoque fugit?
Scandit æratas vitioſa naues
Cura, nec turmas equitum relinquit
Ocyor ceruis, & agente nimbos
Ocyor Euro.
Lætus in præſens animus, quod vltra eſt
Oderit curare.

Hæc & plura ille: quibus me veluti Siren quædam detinere ſolet. Quid, rogo, magis

ridiculum, quàm perpetuis curis immori, vt otio tandem optato potiaris, ad quod nullum tibi vitæ ſpatium relinquas? Digniſſimum eſt illud Cyneæ dictum quo Pyrrhum conatus eſt à bellorum tumultibus ad otium vocare. Cùm Pyrrhus interrogatus ab eo, quid Italia, quid Sicilia, quid Carthagine, quid Macedonia, quid Græcia in poteſtatem redacta facturus eſſet; reſponderet, in otio & lætis conuiuiis ſe victurum; mox ſubiecit: Quin igitur nunc otio illo perfruimur, & animum oblectamus? Quòd ſi σχολῆς & Otij nomina ad originem primam reducas, deprehendes in iis magnam cum Harpocratis ſeſſione conuenientiam; & fateberis, non minus has voces, quàm ipſam imaginem ſymbolicas eſſe. Schol enim à Lochs fit, per conuerſionem: quæ vox lætiſſimum ſignat, à Locht/ quo lætus denotatur, dum vt epitheton vſurpatur: cuius ea ratio eſt, quòd Licht ſignificat & lumen dare, & leuare; vnde Locht à præterito imperfecto formatum, dum ſubſtat adiecto, aërem ſignificat; eo quòd ſimul leuitatem rebus & lumen præbeat.

Scholæ nomenclatura. — Schol. Lochs. Locht. Licht.

Lætitiæ cauſſa. Quoniam itaque tantum in nobis eſt lætitiæ, quantum luminoſi aëris, vox Locht alteri voci adiecta lætum ſignificat; cauſſam ſimul lætitiæ & eius vſum deſignans. Qui enim Locht vocatur, is ſimul & leuitatem & lumen accepiſſe dicitur. Leuitas igitur idonea eſt ad pernicem & volucrem mentis celeritatem: lumen verò rectum iter ad ſuperna, à quibus deſcendit, nobis demonſtrat; & eodem ipſa etiam leuitas ſuapte natura contendit. Vides itaque in Locht læti animi cauſſam, quæ tota in lucido ſpiritu continetur. Vides item maximum eius & præſtãtiſſimum vſum eum eſſe, vt ad ſuperna & primum luminis fonte ſubleuemur. Et certè hæc vera eſt veræ lætitiæ definitio, non efficientem modò cauſſam complexa, ſed etiam finientem. Quamobrem id quod ipſius Locht ſiue Lochs eſt (vtrumque enim dicitur) id eſt, lætiſſimi proprium, Schol, vnde σχολὴ Græcorum, denotat. Quid autem hoc aliud eſt, quàm otium collatum ad ſuperna, & ipſum luminis fontem cognoſcendum? Lætiſſimum igitur otium ſit neceſſe eſt, & plenum lucidi ſpiritus, ſi Græco Scholæ nomine merebitur vocari. Huic nihil magis contrariũ, quàm graues curæ animum ad terrena deprimentes: quas niſi procul aberceamus, fruſtra ſcholaſticam vitam agere nitemur. Hæc cùm ita ſint, eodem Seſſio & Schola referuntur, nec alterum ab altero poteſt ſeparari. Nos hodie Leg otioſum vocamus, à Leg verbo, quod eſt iacere, vel facere vt quicquam iaceat. Hinc dicimus, Ter ſcholen leggen/ id eſt, facere vt quiſquam in ſcholis iaceat. Maximum ſanè otium eius eſſe dicis, quem ſignificas iacere. A Leg fit Querleg / quod eſt ſuper re quapiam accuratè conſideranda otiari, ſiue, vt more noſtro loquar, iacere. Neceſſe enim eſt animum noſtrum ab omnibus fluctibus & procellis liberum eſſe, & veluti planam & æquam tranquilli maris vndam iacere, quo ſinceras & puras rerum imagines & notiones ſuſcipiat atque intueatur. A Leg igitur verbo, in quo vocalis breuis eſt, fit Leeg nomen, quo otioſus & iacens denotatur: quam vocem ſi vertas, & longam vocalem in duas breues ſoluas, habebis Ge-el/ quod eſt ad altum. At nihil altum eſt omnium rerũ ceterarum collatione præter Deum; vnde fit vt El pro altiſſimo ponatur, per excellentiæ figurã. Ab El voce breui fit Eel vox longa, qua nobile & generoſum deſignatur, eo quòd omnis generis noſtri gloria ab altiſſimo fluat, nec quicquã nobile dici debeat quod non à Deo proficiſcatur. Quo fit, vt ſi Leeg in G'eel vertas, docearis otioſum ad nobilitatẽ rectà contendere, & per id quod nobile eſt ad altiſſimum peruenire debere, alioqui otioſi nomen non mereri.

σχολή. — Leeg. Leg. — Querleg. — El. Eel.

Nobiles nulli minus, quam nobiles. Nihil ergo minùs otioſum, nihil minùs vel ad nobilitatẽ, vel ad Deũ ſpectans, quàm homines illi aut belluę, quibus tota ętas potationibus, ludis, bellis, libidinibus, & aliis id genus nugis cõſumitur; tametſi hi ſoli ſeſe generoſos eſſe & arbitrẽtur & iactẽt, cùm nullæ pecudes magis ſint aut degeneres & viliores, aut à primo nobilitatis fonte longius remotæ. Deſpuamus igitur hos nugiuendos apud vulgus nobilitatis ſuæ præcones, & belluinos potiùs ventres & gaſtrimargas pecudes, quàm vel otioſos vel generoſos vocemus.

Nobiles reuera qui ſint dicendi. — Geel. Soli illi his nominibus digni ſunt qui liberalium artium ſtudiis feriantur, & ea omnia ad eum referunt in quo ſolo nobis & omni menti creatæ licet gloriari, vt Leeg & G'eel ichnæa ſua conuerſione demonſtrant. Quoniam verò G'eel idem eſt quod ad nobilitatem ſpectans ſiue tendẽs, aureum colorem Geel dicimus, eo quòd eius metalli proprius ſit, quod firma partium ſuarum vnione ipſum vnum maximè referre videatur; nec

Aurum Soli ſacrum. quicquam in his terrenis magis accedat ad immortalitatem. Hinc aurum Soli dedicatum, eo quòd Solis omnia conſeruantis vis in ipſo luculentiſſimè cernatur; quo fit, vt

aurata

aurata inſignia omnium ſplendidiſſima habeantur: quibus qui ſe iactant, ij vel à nobis, vel ab aliis diſcant, qua ratione digni fieri queant, vt otioſi, generoſi & aurati vocentur. Non otioſè igitur, vt vulgus loquitur, ſed otioſè vt ſapientibus loquendum conſiderare debemus huius vocis Leeg arcana; & in illis ſic verſari, vt ex nominum & rerum magia, ſiue (quod idem eſt, cognatione ad ipſum altiſſimum adſpiremus. Latini Otium dicũt, ſed nullius vernaculæ etymologiæ gnari; licet ineptuli quidã ab Ocyus per euphemiam deriuent: quos fortaſſis audirem, ſi in Otium Cappa & Y Græcorum agnoſcerem. Libri veteres Otium per Tau & Iota ſcribunt: quibus accedens Papyrius, à Paullo Manutio ſingulari orthographiæ vindice & patrono in hac ipſa quæſtione laudatus, hoc addit, in hac voce ſub Tau, quendam ipſius Zeta ſonum audiri, vt & in nomine Tatij & ſimilibus, in quibus I poſt T ſequitur. Quid? quod & lapides Tau in Otio habent? Nulla igitur cauſſa eſt Latinis nota, ob quam à moleſtiis & laboribus vacantes, in otio degere dicantur. Oed Germani ſuperiores, nos Oet dicimus, vt in Oetmoet & Oetmoedig cernitur. Eſt autem hæc vocula variè vſurpata, eo quòd varia ſint quæ ab æterno dimanant, & ad æternum feruntur. O enim circulari ſua rotunditate index eſt æternitatis: cui adſpiratio præpoſita, Ho facit, quo altum denotatur; eo quòd alta ad perennem duratiõe ſpirare videantur, & perpetua circa idem centrum regreſſione imaginem nobis præbeant vitæ ſempiternæ. Ab O item fit Oot pro perpetuo, & Altoos pro omnino ad perpetuum. Ex O & I in diphthongum coëuntibus fit Oi, quaſi quiddam tenue & exile ab æterno ſic fluens, vt cum eo coaleſcat: qua voce ouis, cuius ſymbolo Chriſtus denotatur, olim generatim dicebatur; nunc pro oue femella dumtaxat in vſu eſt, eo quòd hic ſexus, vti imbecillior, magis videatur Chriſti humilitati conuenire. O mirabile exiguæ voculæ myſterium! Æternitatem exilitati vnitam, ipſum infinitum minimo coniunctum cernimus; & id quidem duabus litteris in vnum ſonum coëuntibus, vt nimirum cogitaremus, ſub oue vnam perſonam latere, quæ infinitam naturam exilitati abiectiſſimæ copularet. Sed de hoc alibi. Ex eodem fonte manat Oet, qua vacuum ſignificatur & abiectum; vnde Oetmoet eſt pauper animus, ſiue animus ſpiritu excelſo & faſtu omni carens. Eadem voce mitem quoque vocamus, propterea quòd mitis animus omnibus ſeſe præbeat vacuum & otioſum ad ea quæ quis velit audienda, & ad locum dandum iis quæ petuntur. Hanc pauperum ſpiritu & faſtu carentium cognationem cum iis qui miti ſunt, quieto & vacuo à perturbationibus animo, Deus nobis aperuit dum dixit: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Hos enim vt coniunxit, ita eiſdem præmiis ornauit. Quid enim aliud eſt regnum cælorum, quàm terra viuentium, quam Terræ nomine hoc loco intelligere debemus. Dicitur autem beatorum ſedes Terra, propter æternam eius ſtabilitatem & quietem: & dum eadem cælum vocatur, non mobile aliquod cælum eſſe dicitur, ſed æterna ſedes omnibus cælis ſuperior, perpetua firmitate conſtans, per nullam vmquam vim mouenda. Vt enim in cælo excelſum, ſic in terra quietem æternam intelligimus. Cælum igitur beatorum Terra dicitur, & nominibus his coniunctis ſublimitas æternæ quietis denotatur. Quia igitur æterna quies propria eſt pauperum ſpiritui & mitium, rectiſſimè nomenclator & conuenientiſſimè ipſi Chriſto Oet-moet pro paupere, miti & quieto animo poſuit, vocabulo ab æternitatis nomenclatura deriuato. Eſt itaque Oet-moet animus perinde atque locus vacuus, omnibus cedens, nullo faſtu turgens, nullis perturbationibus occupatus. Et verè talis animus vacuus ſolus capax eſt æternitatis, quoniam ſuperbia hominem diſtendens, nullũ locum ſapientiæ relinquat, & ceteroqui Deus ſuperbis reſiſtat, & humiles ſolos exaltet. Ab Oet igitur per diphthongum nobis ſcripto, Latinorum Otium deſcendit, quaſi Oet Ti diceretur, quod idem eſt quod vacuum tempus. Tit enim ſiue Ti tempus notat, à Ti verbo, quo tendere ad aliquid ſignificatur; quia tempus nimirum & motus ſit menſura, & perpetuò ad aliud tendere, nec vmquam conſiſtere videatur. Otium igitur adiecta terminatione Latina vacuum tempus definietur, ſi ad originem, pro eo ac debet, referatur; & per Tau, non per Cappa ſcribendum; non ſolùm quia ſic ſcriptum apud veteres inueniatur, quam vnam Grammatici habent rationem; ſed quia ſic etymologia poſcat. Quemadmodum autem lumen nos ad illud vnde lumen emanat intuendũ conſiderandumq. inuitat, & vt riuus nos ad fontis vocat cogitatiõe; ita Oet, quod vacuum ſignificat, animum

Margin notes: *Otij etymon, & orthographia.* — Oet. — *O æternitatis nota.* — Ho. — Oot. — Altoos. — Oi. — Oet. — Oetmoet. — *Terra viuentium qua ſit.* — *Cælum terra beatorum.* — *Otij compoſitio & interpretatio.* — Tit. — Ti.

mum noſtrum impellit ad **Oot** & ipſum **O**, id eſt, ad perpetuum & æternitatẽ. Quamobrem dum Otium audimus, in mentem venire debet ipſum non ad aliud eſſe accommodandum, quàm ad eorũ quæ ſempiterna ſunt, contemplationem. At ne hîc quidem artificij ratio metas ſibi fixit, ſed vt proſa vox **Oet ti** ad perennia vocat; ita verſa elegantiſſimum habet ac ſignificãtiſſimum celeuma, quod iubet vt feruido curſu ad æternitatem feſtinemus. Quid enim aliud intelligunt noſtrates dum **It te o** audiunt, quàm ſi Latinus diceret, feruenter ad æternum ſiue ad altum? I nunc, & dubita, an otium noſtras ſit ab origine vocabulum, & an per Tau ſit, an per Cappa ſcribendum. Prodeat Varro vel Varroni quiſpiam ſimilis, & nobis tam rectas, tam aptas, tam vtiles, tam ſalutares proferat rationes vocabulorum. Non addam hîc quam pulcra ſit in **It te o** ad aurigarum incitamenta, quibus equorum curſum moderantur, alluſio. **Hit** enim ſiue **It**, incitantis eſt ad feſtinandum; **o** imperantis quietem. Quòd ſi hæc ad vitam tuam accommodes, nónne cernis tibi ſemper ardenti ſtudio properandũ ad quietem æternam, quæ ſola verè digna eſt vt **O** vocetur? nec alia de cauſſa **O** in hanc venit loquendi conſuetudinem, vt pro quiete ponatur. Quid hîc ſapientibus faciendum, vbi tam graues ſententiæ rudibus aurigarum labris innatant & aſſiduo vſu teruntur? Quid aliud, quàm vt hoc exemplo diſcant, in contentiſſimis quibuſque voculis ingentes condi theſauros myſteriorum? Vide quò Otium, quò **Leeg**, quò Schola, quò Seſſio contendat, ad quas nos epulas inuitet. Dum ſedes, cogita te ſedere, vt ad ipſum Ens animus tuus adſcendat: dum ad ſcholas itas, in mentem veniat ſpiritui lucido dumtaxat ſcholas patere, & hoc ipſo nomine te ad ipſum fontem luminis accerſiri: dum **Leeg** noſtras vocabulum audis, diligenter obſerua, vt eam vacui temporis & à negotiis liberi rationem ſubducas, qua ad nobilitatem & ad ipſum altiſſimũ omnis tua ſpectet cogitatio: dum Latinorũ Otium ad originem vocas, non antè tibi conſiſtendum in rebus meditandis exiſtimes, quam ad ipſam peruenias æternam quietem; ad quam non à ſapientia modò, ſed ab aurigarum etiam barbarie incitaris. O diuinum nomenclatorem! O artificium vocabulorum ſtupendum! Quàm rectè, quàm ad amuſſim Mariæ Magdalenæ otium ad pedes Domini ſedentis his vocibus expreſſum videmus; quàm omnia hæc nomina per directam lineam ad ipſum Vnum, quod ſolum neceſſarium Chriſtus dixit, feruntur atque collimant! Quòd ſi hæc ita ſint, quid nobis inertibus, ſocordibus, & perpetuo ſtupore depreſſis fiet, dum totum vitæ tempus vel terrenis negotiis, vel inani otio, vel luſibus omne morborum genus in animo noſtro accendentibus occupamus? Non enim de omni tantùm verbo otioſo, vt videmus, homines Dei iudicium ſubibunt; ſed ſui etiam otij rationem reddere cogentur; quæ eò grauior erit ad expediendum, quòd ipſis vocabulis otium denotantibus ſimus redarguendi atque damnandi. Quid igitur illis facias, qui quicquid temporis ſtolidis ſuis aut potiùs inſanis negotiis, non alij quàm ambitioni, auaritiæ, & ventri ſeruientibus ſuffurari poſſunt, vel impudicis libris legendis, vel potationibus, vel aleæ ludendæ impendunt; in quibus omnium irritamentorum ad fœdiſſima vitia animum ſtimulantium ſumma continetur? Verùm vaſtum hîc & procelloſum pelagus proſpicio, nõ paucioribus monſtris, quàm illud quod Chriſtophoro appingitur, plenum; quæ ſi enumerare tentem, ætas me antè & charta deficiat, quàm cuncta recenſeam. Nos verò otium colamus, & Deum rogemus, in eo tantiſper nobis liceat in hac vita ſedere, donec nos Chriſtus ſibi vnitos ad dextrã patris faciat ſedere in quiete ſempiterna, ad quam Otij nomine citamur. Abſit itaque, vt aut ignauam & inertem, deſidem & inanem, aut vitioſam ceſſationem Otium vocemus, licet Latini originis ignari hoc vocabulo frequentiſſimè abutantur; inter quos Catullus ſic canit:

Hit. *It.* *O dictio imperãtu quietem.* *Otium iners & vituperandum.* *Otij vocũ abuſus.*

Otium Catulle tibi moleſtum eſt,
Otio exultas nimiumq; geſtis,
Otium reges priùs & potentes
Perdidit vrbes.

Et hæc quidem pro tempore de ſeſſione otioſa & ſcholaſtica ſufficiant: quæ vt ipſi **Hae** ſyllabæ primæ reſpondet; ita ichnæa vocum conuerſio à nobis modò explicatarum, ad ſecundæ ſyllabæ **Pog** notationem quadrat; qua monemur vt veterinam noſtram naturam, quæ terrenis nos affigit, ſublimemus, id eſt, è limo ad excelſa tollamus: quo verbo vt Cicero vſus fortaſſe non fuerit, nihil tamen huic noſtræ notioni quam **Pog** deſignat, aptius

aptius queat inueniri. Atqui ſublimare pecudem noſtram nequimus, niſi ea diligenter & ardenti ſtudio præſtemus, quæ conuerſione verbi, à quo Sedeo & Sedo deriuatur, monentur. Pog igitur ipſius ſeſſionis oſtendit ſcopum atque fructum: qui tam latè patet, quàm ſe latè ſublimium rerum contemplatio in omnem ſapientiæ partem porrigit; quamque ſublime cogitationes noſtræ ad Ens & Vnum feruntur. Iam hac ipſa via è tarditate atque perſeuerandi mora ad id venimus, quod primo obtutu contrarium prorſus videtur; ad ipſam nimirum celeritatem: quas duas res ſublimitas medium locum tenens coniungit. Dum enim ſeſſioni veræ & vero otio immoramur, atque mentem noſtram è terrenis ad cæleſtia exaltamus, ad eam peruenimus celeritatem, quam Mercurio veteres tribuerunt, petaſum eius & talaria pennis inſignientes. Quæ verò hæc eſt celeritas? Nempe non alia quàm ea qua mens noſtra ex imis terræ viſceribus ſupra omnia elementa, ſuper omnes cælos momento temporis euolat, & ipſi ſeſe ſummo omnium rerum vertici coniungit. Viden' modò vt ex Har perueniatur ad Rat/ id eſt, ex longa duratione & mora ſedentaria ad celeritatem; idque per medium ipſius Pog/ ſiue arduæ aggreſſionis, qua veterinum noſtrum Adamum ad cælum rapimus atque ſublimamus? *Celeritas quæ Mercurio tributa.*

CEDO nunc, an quicquam poteſt Harpocratis nomine de compoſitionis artificio mirabilius cogitari, an quicquam plenius arcanorum, an quicquam rectius ad ſupremum ſapientiæ culmen iter oſtendens? Confer huic ſeſſionem, de qua modò ſatis dictum; confer ſilentium, quod indice dextræ manus labris admoto diſcipulis omnibus imperat, & diligenter examina, ecquod poſſit ſimulacrum inueniri ipſi nomenclaturæ Harpocratis aptius & conuenientius. Numquam reperietur profectò, aut ego inſigniter fallor. Quamuis autem Seſſio inſignia nobis dederit documenta, ea tamen non ad diſcipulos tantùm, ſed omnes eos pertinent qui rerum diuinarum contemplationi incumbunt, ſiue auditores ſint, ſiue magiſtri, ſiue ſibi dumtaxat & Muſis fenientur. Errarunt enim illi, & errarunt longiſſimè à recta priſcæ veritatis ipſis nominibus conſignatæ via, qui ſeſſionem ad mutilos pedes retulerunt; quando nec in ſeſſione, nec in Harpocratis vocabulo quicquam tale reperitur. Sedet Dominus noſter ad dextram patris, ſedebunt Apoſtoli in iudicio ſupremo, ſedent Angeli in thronis, ſedent doctores in cathedris; num idcirco quicquam mutili in ipſis vel eſſe vel denotari intelligemus? Sit ſanè ita, ſit Harpocrates diſcipulus; & is quidem adhuc greſſus impos, eo quòd necdum ſua ſponte in ſapientiæ ſtudiis vel conſiſtere vel progredi poſſit, & accedat hoc ad ſymboli elegantiam quandam; ſit etiam ita, vt Chriſtus in forma mutili hominis venerit, & quadam etiam ratione hic Harpocratis nomine queat denotari; id tamen minimè cogitandum, ſeſſionem generatim ad hanc notationem referri, vti ſatis à nobis eſt declaratum. Quamobrem cùm ſeſſionis nota ad diſcipuli officium exprimendum non ſufficeret, additum eſt & alterum ſignum quod propriè auditoris partes indicaret: à quo & Sigaleonis nomen accepit. Sic Auſonius: *Harpocratis ſeſſionem non ad mutilos pedes eſſe referendam.* *Harpocrates Sigaleon appellatus.*

Aut tua Sigaleon AEgyptius oſcula ſignet.

Ouidius tacito nomine tacitum puerum deſignauit:

Quique premit vocem, digitóque ſilentia ſuadet.

Martianus Capella eiuſdem his verbis fecit mentionem:

Verùm quidam redimitus ad os compreſſo digito ſalutari ſilentiũ commonebat. *Conticuere omnes, intentiq; ora tenebant.* Alibi puerum piceum vocat. Nos prius de vocabulis quibus ſilentium ſignificatur. Apud Latinos duo verba ſunt ſileo & taceo, illo ſignificationis diſcrimine à Seruio diſtincta, vt Tacere idem ſit quod loqui deſinere; Silere, non loqui; ita vt is qui locutus non ſit, ſilere quidem dicatur, at non tacere: qua in re clarè mihi ob oculos poſuit primã & germanam horum verborũ originem. Vtrumque certè verbum in principio vnius litteræ defectum habet; eo minùs mirum, quòd ſt vna apud nos littera frequenter habeatur, vti liquet in conuerſionibus ichnæis Haſt & Stah/ Faſt & Staf/ Strei & Jerſt/ & ſimilibus; atque idcirco vna figura olim ſcribebatur, perinde atque hactenus apud Hebræos. Sileo igitur à Stil-em fit, quo ſignificatur quies vocis: Taceo verò à Stat-em/ quod eſt finio vocem. In priore verbo Tau periit, in poſteriore Sigma. Hinc modò perſpicuum eſt, Tacere eum, qui loqui deſit; Silere verò, qui quouis modo linguam continet. Miror profectò & amo hanc Grammatici diligen- *Silentium.* *Sileo & Taceo quo differant.* *St Cimbris pro vna littera haberi.* *Sileo vnde nomẽ habeat: Stil.* *Taceo vocis etymon.*

ligentiam; qua factum eſt, vt ex proprio verborum apud Latinos vſu origines eorum
poſſim probare. quamquam ſcio hoc diſcrimen non obſeruari. Mihi ſatis eſt Seruio
hanc ſuboleuiſſe priſci ſermonis proprietatem: quam licet nemo animaduertiſſet, de
conſueto tamen corruptelæ, qua ceteræ linguæ à prima degenerarunt, modo ad verbo-
rum radices peruenire potuiſſem: & , vt verum fatear, ante perueni, quàm cum Seruio
Swig. ſuper hac re conſultaſſem. Græci à Swig/ quod idem nobis eſt quod Latinis Taceo,
σιγάω verbi etymon. σιγάω fecerunt, reiecto duplici digamma, quòd eo carerent. Hebræi à Mut דום fece-
Mut. runt, ſollemni ſibi conſuetudine, qua voces noſtras alibi aliter inuertunt. Mut nobis lon-
Mutus vnde acceperint Latini. gum ſilentium ſignificat, vt dum dicimus auiculas canoras eſſe in Mut/ non aliud dici-
mus, quàm eas occluſas eſſe ne cantent: atque hinc Mutus apud Latinos. Mut verſum
Tum. Tum reddit, quod Dom ferè pronuntiamus, quo ſtupidus denotatur. Hinc Stom/ adie-
Dom. Stom. cto ſibilo ad augendam notationem, pro muto apud nos vſurpatur: à quo Moſt pro vino
Moſt. adhuc bulliente & needum defecato: quod propterea ſic vocauit Nochus, quòd ſe
mutum potu eius iacuiſſe ſibi conſcius, omnes ſuos poſteros monitos vellet, vt a vino
quod necdum deferbuiſſet abſtinerent; ne videlicet perinde atque ipſi imprudenti &
Muſti vocis etymon. tum primum capienti experimentum acciderat, muti redderentur. Hinc Latini Muſti
vocabulum à Nocho Saturno, & Iano eius filio retinuerunt. Vtinam in ceteris vocibus
tam fuiſſent veteris primorum parentum ſuorum ſermonis obſeruantes. Mea igitur
non refert ſiue à Mut/ ſiue à Stom Hebræorum דום fluxiſſe dicas, cùm hoc ex eodem
fonte manarit. Sed miſſos facientes Semigenas, Ianigenarum vocabula examinemus.
Swic. Græcorum σιγάω à Swig venit: Swig à Swic; cui verbo ſibilus adiectus, cedendi auget
ſignificationem, facitque vt Swic nihil aliud ſit, quàm ſic cedere quempiam, vt ad ter-
Swec. ram flectatur, vel totum ſe ſubmittat fortiori. Vnde Swec & Swac imbecillus & infir-
Swac. Swechen. mus. Hinc apud Germanos ſuperiores Swechen/ eſt violare & conſtuprare. Nos in agen-
Swene. di notatione Swene dicimus. A Swic fit Swig/ Cappa in gamma adſpiratum mutato;
litteram illam quidem cognatam, ſed dum efferturm, magis expectorandam: quo fit, vt
is qui tacet, alteri cedat & ſe ſubmittat; atque id quidem intra pectoris ſui ſinus ſe re-
Swigt. trahens. Hinc apud nos Swigt/ vox tacere iubentis, contemtum habet quendam; &
ideo in familiari cum æqualibus colloquio non fere ea vti conſueuimus; at eius loco
dicimus Stil/ quod eſt quieſce ſiue ſile. Magna igitur ſummiſſio in Swig indicatur,
quæ maxime decet diſcipulos erga magiſtros: atque inde non ſilent tantùm in ſcholis,
ſed vel humi ſedent, vel in ſubſelliis, vel certè in ſcamnis inferioribus quàm ſit cathe-
dra doctoris. Cernis itaque ſeſſionem diſcipulo tacenti & ſe demittenti aptiſſimam in
Sigaleon quare vocatus Harpocrates. Harpocratis effigie; quo fit, vt ſignificantiſſimè ſymbolum hoc Sigaleon dicatur, ſi Græ-
cæ vocis origo ſpectetur; quæ non ſilentium tantùm indicat, ſed apertiſſimam etiam
habet ſummiſſionem. Hinc mox & illud colligas, barbarum eſſe loquendi morem,
quo ſuperiores Germani Schweig pro Swig & dicunt & ſcribunt, vltra ſibilum adſpi-
rata etiam accerſita ad vocis ſibilum littera, ne parum ſcilicet inflatam & ventoſam ha-
bere videantur locutionem: quod in omnibus ferè iis faciunt vocabulis, quorum princi-
pium noſtratibus eſt Sigma duplici digamma præpoſitum. Neque enim parum con-
ducit ad ſinceram ſermonis noſtri vetuſtatem arguendam probandamque hæc Græca-
rum & Latinarum vocum cum noſtratibus collatio, quando conſtat non contemnen-
dam eſſe harum linguarum antiquitatem. Cùm igitur σιγάω, non χιγάω dicatur, pro-
babile redditur, in matrice lingua Swig/ non Schweig fuiſſe. Sed hoc obiter. Videamus
modò ecquid Swig conuerſum ſignificet, quod ad præſens faciat taciturnitatis inſtitu-
tum. Sunt quædam nobis voces, quæ licet verſæ nihil nobis denotent, in radicibus ta-
Wic. men ſuis habent luculentam & vtilem regreſſionem. Dixi Swig à Wic genus duxiſſe;
& Wic nihil aliud quàm cedo & locum cuipiam do, denotare; atq. inde potiſſimum &
præſtantiſſimum cedendi genus Swig dici; propterea quòd frequenter exitioſiſſima
Kif. bella e verbis oriantur, quæ tacentibus nulla exſtitiſſent. Wic igitur Kif contrarium
habet, quod idem eſt quod iurgor & litigo; vbi duplex digamma in alterum digamma
mutatur, tum quia hæ litteræ admodum ſunt cognatæ, tum quòd f in Kif accommo-
datius ad ſignificationis videatur efficacitatem, vtpote elementum aptum ad deſpuen-
dum, quod in rem abominandam maximè quadrat. Monuit ergo nomenclator, nobis
crebro, niſi cedamus, altercandum litigandumque eſſe: quo documento vix aliud poteſt
eſſe

eſſe ad vitæ tranquillitatem & ſuauem quietem fructuoſius. Quod igitur in Swig deriuata voce non inuenitur, id in radice cernis moneri; & tanto id quidem vtilius, quanto hæc quàm illa latius patet, atque ad plura cedendi genera refertur. Verumenimuerò quia magna reuerentia fidum arcanorum ſilentium cùm in ſapientiæ ſcholis, tum maximè in ſacris ritibus apud omnes gentes coli conſueuit, non potui mihi perſuadere, non magna hîc cura nomenclatorem verſatum fuiſſe, & non ſolùm in Wic vocula matrice ichnææ conuerſionis artificium, ſed in ſwig etiam adhibuiſſe: quod cùm prima mihi fronte non apparuiſſet, ad ipſius ſwig tranſeo perpetuitatem, quam preteritis verborum imperfectis in Cimbrico ſermone denotari ſæpius memini me commonefeciſſe; propterea nimirum quòd iis præteritum, præſens & futurum tempus indicetur, vt cuiuis non obeſæ naris homini non poteſt non ſubolere. Sweeg igitur ſic verſum, vt G'ewus nobis faciat, & ecthlipſis, per apoſtrophon Græcis notanda, intelligatur admiſſa, idem ſignificat quod Latinus diceret, ad ſæcula ſempiterna. Voluit itaque ſilenti hac ſua machinatione verbi architectus æterna illis ſæcula polliceri, qui perpetuò cederent & ſe humiliarent; quorum illud wic, hoc ſwic ſignificat; quæ ambo verbi ſwig notatio complectitur: & præterea has primarias Chriſtiani hominis virtutes perpetuo ſilentio, quod ſweeg denotat, ornarent. Videtur enim dixiſſe, his virtutibus quæ in ſweeg continentur, quarum prima in cedendo, altera in ſe humiliando, ad terram demittendo, infirmandoque; tertia in taciturnitate perpetua cernitur; viam nobis ſtrui, non ad vnum ſæculum, ſed ad ſæcula ſempiterna. An non idem hîc rurſus audimus quod in Oetmoet à nobis eſt annotatum? qua voce eius laus deſignatur qui animum ſuum omni exinaniuit ſuperbia. Quid enim aliud eſt ſe exinanire, quàm cuiuis cedere, cuiuis ſe inflectere & humiliare, & ad omnes iniurias tacere; quas omnes virtutes ſweeg continebat? Profectò licet Dialecticum interrogares, neſcio tamen an meliorem multis verbis ipſius Oetmoet deſcriptionem expediret. Oet vacuum eſt & inane; oetmoet igitur virtus eius qui ſe animo, ſiue facultate qua iraſcimur, exinaniuit. Exinaniuit ſe qui nemini reſiſtit. Hoc enim animi proprium eſt, obſiſtentibus reniti. Quoniam itaque Oet tum deriuationis natura, tum ichnæa verſione nos condocefacit, ipſum vacuum & inane ad æternitatem iter demonſtrare iis qui ſeſe exinaniunt; videamusq́. ſweeg eodem pertinere, & illud præterea addere claritatis ad intelligendum, quod non ſæculũ tantùm, ſed ſæcula promittat, vt cogites è præmiorum numero plures in ſweeg virtutes abſconditas eſſe; non fuerit abs re D. Paulli ad Philippenſes huic loco inſerere verba, quò cernamus, quàm ad vnguem quadrent in hanc nomenclatoris ſententiam duabus nobis vocibus expreſſam. Sunt autem hæc apud Latinos: *Si qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum; vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes vnanimes, idipſum ſentientes, nihilq́; per contentionem, neque per inanem gloriam; ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes; non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum. Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu; qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuẽtus vt homo. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.*. Hæc ille. E quibus liquet eodem ſpiritu nomenclatorem vocabula ſua cõdidiſſe, quo præeunte D. Paullus ſua ſcribebat. Et verò quia totius humilitatis exemplar & perfectiſſima idea in Chriſto fuit, ipſum Oet Chriſto primùm conuenire dicemus, iuxta illud quod ſæpius monui, vocum rationes in ipſis primis formis ſuam veritatem maximè tueri. Quamobrem quo magis conſidero vocis oet architecturam, eo maiore capior admiratione. Chriſtus filius eſt Patris æterni, oet ab æterno ducit ortum; oet ſupremam inanitatis ideam ſignificat, Chriſtus ſuprema eſt inanitatis idea, eo quòd ſumma ſeſe omnis perfectionis plenitudine exinaniuerit, dum æqualis Patri in humanam ſe demitteret naturam, & ſe in forma miſerrimi ſerui cruci affigi, & diris tormentis enecari patientiſſimè ferret. Vt horum commemoratione horreſco & attonitus hæreo,

G'ewus.

Humilitas cuiuſmodi virtus.

Oet.

Oetmoet.

Humilitatis idea Chriſtus.

hæreo, quando nihil in me video quod vel minima parte hanc imitetur humilitatem; ita è diuerſo vehemēter gaudeo, hanc mihi vocum noſtratium, & ſummi myſterij ſymphoniam diuinitùs reuelatam eſſe. Pergo igitur. Vti Chriſtus à Patre exaltatus eſt vltra omnes res creatas, & ad ſe omnes trahit ſublimes qui ſeſe cum ipſo exinaniunt; ita

Oet. Te-o. Oet dum conuertitur, Chriſti nobis demonſtrat adſcenſum; quia, vt dixi, Te-o idem ſit quod ad æternum & altum. Qua de re fit vt oet primùm Chriſto attribuendum ſit, qui non ſolùm ab æterna ſublimitate ad infimam deſcendit inanitatem, vt oet ſignificat; ſed ex hac rurſus ad illam peruenit, humanam naturam omnibus rebus creatis reddens altiorem; quod vox verſa Te-o clariſſimè monſtrat. Hinc illud perſpicuum quod antè ex Euangelio docui, regnum cælorum & terram viuentium, quibus altitudo ſuprema

O tria ſignificata comprehendit. & æterna quies deſignatur, eorum eſſe qui pauperes ſunt ſpiritu atq. mites. In O igitur tria ſignificata, quæ priùs indicaui, vnà comprehendūtur, Æternitas, Altitudo, & Quies: ad quæ nobis ex oet datur adſcenſus, ſi nos cum vero & primo oet, id eſt, cum ſummo inani, glutino caritatis vniamus. Porrò quondam dixi, in præterito imperfecto ipſius ſwig quandam deſcriptionem occultari, qua inanitas per oet denotata tribus quaſi gradibus explicatur, dum cedendi, humiliandi, tacendique virtutes in vno ſweeg continentur; conſequentiæ ratio poſtulat, vt cui primo & ante omnia conuenit definitum, eidem quoque primùm conueniat definitio. Quocirca ſicut Chriſtus eſt ipſiſſimum oet, id eſt, ſupremum vacuitatis & exinanitionis exemplar; ita vt primum etiam ſit ſweeg oportet. Audiamus ergo diuiniſſimum vatem Ieſaiam, qui copioſè has tres, quas dixi, virtutes in Chriſto depinxit. Omnibus enim modis cuiuis cedebat vt vltimus haberetur, vt weec denotat: omnibus rebus ſe humiliabat, & ſumma infirmitate depreſſus iacebat, nullo non genere iniuriæ, contumeliæ, diræque violentiæ deiectus in terram; quod ſweec ſignificat: & ad hæc omnia tacebat, vt ſweeg deſignat. Audiamus, inquam, ipſum va-

Chriſtus qualis fuerat ab Iſaia prædictus. tem, quem mirum eſt à contumacibus Iudæis hactenus non audiri. Sed & hoc ipſum ita fore diſertè idem vates prædixit: *Quis credidit*, inquit, *auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? Et aſcendit ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti. Non eſt ſpecies ei neque decor, & vidimus eum, & non erat adſpectus, & deſiderauimus eum. Deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus: vnde nec reputauimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, & nos putauimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus: Vnuſquiſque in viam ſuam declinauit; & poſuit Dominus in eum iniquitatem omnium noſtrûm. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Hæc & plura eodem tendentia Ieſaias propheta Spiritu ſancto plenus. Videmus hîc eodem ordine enumerata quæ in Sweeg continentur. Primùm enim ita omnibus cedit, vti in terra ſitienti naſcatur; è vírgine ſcilicet, è qua nulla ſtirps alia naſci potuiſſet. Mox natus poſtremus omnium eſt, & nullo loco habetur, tantum abeſt vt cuiuſpiam locum occupet; atque adeò vera ouis eſt ſiue Ois, ſiue,

Oi. vt eſt in matrice lingua, Oi, quo perſonæ vnitas indicetur. Et certè hactenus Oi pro abiectiſſimo & homine minimi aut potius nullius animi vſurpamus: quod Itali imitati *Vna pecora* pro eodem dicere ſolent. Agnum autem quem hic Propheta prædixit,

Lam. D. Ioannes demonſtrauit, Lam vocamus: quæ vox dum adiicitur alij, mutilum ſignificat & impotentem, & nullis viribus præditum: vnde mox ex ipſo nomine noſtrati intelligimus, cur Chriſtus agno ſe compararit. Porrò non ſatis fuit quòd agnus natus eſſet, quo nihil imbecillius & magis innoxium; niſi hoc etiam accederet, vt omni genere aduerſitatum deiiceretur, & ſub grauiſſimo iniquitatum humanarum pondere depreſſus iaceret: quod ſecundo loco vates adiunxit. Poſtea idem omnibus vexatus iniuriis ac tractus ad occidionem, tacet, haud ſecus atque agnus dum tondetur. Quid ego hîc prius admirer, vaticinij'ne claritatem, an mirificū arcanum in fabrica verbi Sweeg, ſub tenui & ferè Coo velo deliteſcens? Quàm multis vocibus, bone Mercuri, & tu vere Apollo, ſecretum illud humanæ naturæ redimendæ myſterium intexuiſti! quàm

multis

multis vocabulorum indiciis ſalutis noſtræ viam ab æterno prædeſtinatam demonſtra-
ſti! Ita me ſpiritus amet eius architecti qui ſermonem noſtrum condidit, vt ad hunc
ſemper ſcopum videtur collimaſſe, quo de vocum ſtructura in felicitatis humanæ co-
gnitionem veniremus. Quo fit, vt effrontis impudentiæ, & craſſiſſimæ & pluſquàm bel-
luinæ ignorantiæ non iniuria accuſarer atq. reus peragerer, ſi alij quàm Spiritui ſancto,
qui reuera Hermes ter maximus & eſt & debet nominari, linguæ noſtræ primordia ac-
cepta ferrem. Thot igitur Thot, & vt ter maximũ ter nominem, Thot, inquam, & lin-
guam & litteras hominibus tradidit, non in Ægypto, vt errabunda Græcia putat, ſed
apud Indos, eo ipſo tempore quo Adamus Spiritus ſancti inſtinctu animalibus ac rebus
ceteris, iuxta cuiuſq. naturá, & pro eo ac veritas poſtulabat, nomina narratur indidiſſe.
Tum itaque inter cetera verbum ſweeg ad eum modum fecit, vt rectum Chriſto mili-
tanti, conuerſum triumphanti conueniret; atque ſignificaret eum eſſe ſolum, de quo
dici queat ge-ews/ id eſt, dat ſæcula ſempiterna. Ews enim & ewen in plurali numero
dicitur, vt patet iis qui norunt noſtratem nominum inflectendorum formulam, vt
Seews & Seeuwen/ & Flemigs & Flemingen/ Scots & Scotten/ Engles & Engelen/ & ſimilia
infinita. Chriſtus ergo qui omnibus cedebat, omni malorũ pondere deprimebatur, ad
omnes iniurias tacebat; bifariam ge-ews dici meretur, tum quia ad ſempiterna ſæculo-
rum ſæcula & ipſe tendit & alios ducit, tum quia ipſemet hæc ſæcula ſempiterna largi-
tur. Et hæc quidem de verbo ſwig/ vnde Sigaleon deriuatur: quod nomen ſi de origine
ſua examines, iuxta eam quam modò dixi rationem, nemini prius quàm ipſi Chriſto,
atque deinde ipſi Harpocrati, vti ſymbolo nobis oſtendenti doctrinam Chriſtianam,
attribuendum eſſe deprehendes, vt priùs omnia ſunt in exemplaribus quàm in ſignis.
Verùm quia ex ſignis ad ideas peruenitur, & ex illis hæ cognoſcuntur, nomina in do-
cendis hominibus priùs ſymbolis damus, & ſymbola vt ſymbola, non vt res ipſas tracta-
re debemus. Harpocrates igitur Sigaleon eſt, quia figura ſua ſilentium ſeruandum eſſe *Harpocrates*
demonſtrat, vt nimirum ex hoc noſtro ſilentio tandem ad eius veniamus cognitionem, *cur Sigaleon dictus.*
cui ratio verbi ſwig primò conuenit. Ceterùm quoniam ſilentij nomen à ſileo deriua-
tur, & hoc à ſtil noſtrati, quærenda & huius radicis etymologia. Stil itaque vt verbum *Sileo, es, ere.*
& nomen vſurpatur; & illo modo quietum reddere, hoc quietum deſignat. Vt enim Stil.
ſet ſignificat idem quod facio ſedere, & ſit ſedere; ita ſtel ſignificat collocare, & ſtil quie- Set. Sit.
tum. Componitur autem hæc vox ſtel ex ſte & hel. Ste idem eſt quod ſtatio ſiue locus, vt Stel.
T'is myn ſte/ id eſt, locus ſiue ſtatio mea eſt. Fit autem à ſta/ vnde verbum Sto Latino- Ste.
rum eiuſdem ſignificationis, & Græcorum ἵϛημι. Eſt autem ſta vehemens vinculum *Sto & ἵϛημι*
ipſius ad anteriora progreſſus, vt patet è natura litterarum, contrarium Haſt/ quod idem *etymon.* Sta.
eſt quod accelero: cui voci adſpiratio pręponitur, vt celeritas ipſo ſpiritu magis incitetur. Haſt.
Ab haſten Latini deriuarunt feſtino, adſpiratione mutata in digamma: quæ varianda- *Feſtino vnde Latini*
rum litterarum forma nulli genti quàm Hiſpanis frequentior; apud quos alij *hyo*, alij *acceperint.*
fyo, & plurima ſimiliter alij per adſpirationem, alij per digamma efferunt. Sed hoc *H adſpira-*
obiter. Ste igitur ſtatio ſiue locus eſt, cui ſi hel vel el iungas, ſtel feceris, & id ſignificaue- *tionis tranſitus in F di-*
ris quod ſupremum eſt in ſuo cuique loco aſſignando. Cùm igitur vt verbum vſurpa- *gamma.*
tur, idem eſt quod ſtatuo; at cùm nomen eſt, loci principem denotat, vel quod ſum-
mam tenet ſtationem; quo tamen raró vtimur. Stel-bier dicimus pro cereuiſia ea quæ
nunc ad ſupremum bonitatis ſuæ ſtatum peruenit; vltra quem ſi progrediatur, corrum-
pitur. Contrarium eius verſa voce intelligimus, quæ teritur vſu frequentiſſimo. Leſt
enim vltimum ſignificat, à quo lyſt pro limbo ponitur, eo quòd vltimus rebus accedat; Leſt.
& leeſt pro forma calceorum, & quia pes vltimum ſit membrorum, & forma calceis Lyſt. Leeſt.
vltimò eximatur: vnde verleeſt per metaphoram idem ſignificat quod vltimam ma- Verleeſt.
num cuipiam rei impono. Steel conuerſum id notat, quo primùm res quæpiam arri- Steel.
pitur: vnde verbum ſteel pro furari dicitur; quòd qui furatur, omnem quærat arripiendi
anſam. A ſtel breui fit ſtil breue, vt à ſet ſit. Quòd ſi vocem producas, illud denotabis,
quod & ipſum firmiter per ſe ſtat, & aliis vt ſtent præſtare poteſt: vnde Græcis ϛήλη. *ϛήλη à noſtro*
Quòd ϛήλη à noſtro ſtyl fiat, in compoſitione facilè cernas, vbi ex I longo, non ἦτα, ſed Styl *fieri.*
ὐψιλὸν factum videmus. Omnes enim & Græci & Latini Periſtylium & periſtylum *Periſtyliũ & Epiſtylium*
ſcribunt, pro eo loco qui columnis circumdatus eſt; Epiſtylium pro eo quod columnis *quid ſignificent & vnde*
imponitur. Sicut igitur lyſt/ id eſt limbus, vltimus rebus imponitur; ita ſtyl primum ſibi *formentur.*

locum vindicat; & idcirco hoc à ſtel/ illud à leſt deriuatur. Sed hæc longiùs nos abducunt. Stil ergo breui vocali pronuntiatum, vel quietum reddo, vel quietum ſignificat, de hac quam dixi deriuatione. Verùm in eadem vocula alia notationis ratio reperietur, ſi diligenter quæratur. Stil enim nobis ſte hil in mentē vocat. Nam ex hel altum denotante, hil deriuatur, quo locus altus ſignificatur. Hinc hilbil puerorum luſus, quo nates in altum tollunt capiti inſiſtentes. Anglis hil quàm noſtris frequentius. Londini Tor hil/ id eſt arcis tumulus, nobiliſſimus locus eſt, plurimis ibi Ducibus & ſatrapis decollatis: cuius eo magis memini, tum quòd ipſe Northumbriæ Ducem & alios aliquot principes viros viderim truncari, & hodie nobis referatur Ducem Nortfociæ condemnatum eſſe vt ſemiſuſpenſo caput amputetur, & corpus in quatuor partes ſecetur. Cùm igitur hil tumulus ſit, ſte hil idem fuerit quod ſtationis tumulus: quo fit, vt in ſtil/ id eſt, in quieto, altitudinem quandam intelligamus. Quæ verò ea eſt altitudo, quæ ſic propria ſit tranquilli, vt Cimbrico eius nomine indicetur? Quæ alia, quàm ea ad quam quies omnis ſpectare debet? Vt ſit ſiue ſeſſio ad ipſum Ens ſui conuerſione deducit, ſchola ad luminis fontem, otium ad æternitatem, leeg ad nobile & excelſum; ita ſtil quoque nos monet, vt quieti ſtationis noſtræ quæramus ſublimitatem: quo nomenclatoris artificio docemur, celſiſſimam humani ſtatus ſedem in tranquillitate collocari. Quid? an non ex ſtel quoque idem intelligis, in quo æquè altum deſignatur, ita vt nemo ſtatuere illud meritò dicatur, quod non ad altitudinem quampiam attollat? Quamobrem qui domi ſuæ & in ſua ipſius ſtatione tumulum aliquem & montem quærit, è quo tamquam è ſpecula longiùs proſpiciat, & cælum propiùs tangat; is ſibi quietem comparet atque animi tranquillitatem. Latinis non Sedeo tantùm, ſed Sedo etiam pro quietum reddo, à Set noſtrati vocabulo deriuatur: quod ſi de radice interpreteris, comperies non aliud notare, quàm rem quampiam componere ad ſeſſionem. Quemadmodum itaque Sedo, ſi ad originem voces, docet ſedatum animum ad ipſum Ens ſpectare; ita Sileo, quod à ſtil deriuatur, oſtendit omne ſilentium ad excelſa & ardua eſſe comparatum, nec nos ad ſublimem dignitatis humanæ altitudinem poſſe adſpirare, niſi vitam agamus quietam. D. Paullus ad Timotheum ſcribens hanc vnicè commendat, vtpote totius corporis Chriſtiani vnioni neceſſariam. *Obſecro*, inquit, *primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate*. Hanc igitur viam nobis præmonſtrat, qua rectà ad vnum Chriſtum peruenimus, & vnum cum eo efficimur corpus, & ei vniti ad quietem adſcendimus ſempiternam; in qua ſola ſtationis humanæ conſiſtit altitudo, quam ſtil ex ſte & hil compoſitum ſignat. Nihil enim aliud eſt ſte-hil/ quàm ſtationis mons. Atqui hic non alius eſt, quàm mons Domini; in quo ſoli habitant beati: quo fit, vt de nomenclatoris ſententia intelligas ad hunc tibi adſcenſum non patere, niſi animum habeas ſedatum atque tranquillum. Verumenimuerò quamuis idem ſtationis noſtræ mons & mons Domini, idque firmis rationibus poſſim docere; nolo tamen hîc prolixiùs verſari, eo quòd longè maius myſterium in huius vocis ſtructura deliteſcat; quod ſi in lucem protulero, multo maius operæ meæ fecero pretium, & lector vberiorem temporis ſui ceperit fructũ. Quia ſte pro quouis loco ſiue ſtatione poni ſcimus; & ſcimus item in nominis etymologia ſtandi firmitatem contineri; nemini obſcurum eſſe poteſt, firmiſſimum quemque locum hoc nomine rectiſſimè vocari. Hinc factum, vt in communi loquendi conſuetudine ſte ſimpliciter elatum ſignificet ciuitatem, quòd in ea hominibus ſtatio ſit firmiſſima, propter ſocietatem & mutua auxilia tum in neceſſariis rebus comparandis, tum in aduerſis depellendis. Iam vlteriùs, quia nulla ciuitas ſola humana ope ſtabilis eſt atque tuta, iuxta illud Lyrici, *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilant qui cuſtodiunt eam*; ipſum ſte Cimbricum nomen à ſtabilitate factum, non alij ciuitati rectiùs conueniet, quàm ciuitati Dei. Quid dixi Cimbricum nomen? cùm nec ciuis omnino quiſquam Latinis de recta vocabuli ratione dici queat, niſi ſtationem ſuam habeat in ciuitate Dei. Vt enim antè indicaui, Ciuis dicitur quaſi huiwis/ mutata adſpiratione in Cappa, ad eum modum quo ex hart fit καρδία: qua voce is ſignificatur, qui certam habet cuſtodiam & tutelam & ſuiipſius & aliorum; quoniam nimirùm vox vtrumque indicat, & eum qui ciuis eſt, certũ eſſe tutelæ ſuæ, & in ipſo etiam certam eſſe cuſto-

Hil. Hilbil. Stil vocis myſteria. Sedo verbi etymon. Ste. Ciuitas Dei. Ciuis etymō.

cuſtodiam aliorum. Et quia reciproca hæc eſt & mutua cuſtodia, qua quis & cuſtodit alium,& cuſtoditur ab alio; non tulit rectè loquendi conſuetudo, vt conciuem quempiam Latini vocarent; cùm tamen condiſcipulum & conſeruũ dicerent, & quamplurima alia eius farinæ vocabula vſurparent: cuius rei, vt certa eſt apud auctores obſeruatio; ita nemo Romanorum veram cauſſam explicabit. Fruſtra enim Con particula adderetur, vbi citra hanc in ipſa vocis ratione coniunctio & copula deſignatur. Dicunt ergo, Ciuis meus eſt, id eſt, & ego ipſi certa ſum cuſtodia, & ipſe mihi: quo in explicatu cernas, ipſi Con, coniunctionis ſigno, nullum locum eſſe. Hinc liquet, fruſtra eos in cauſſis linguæ Latinæ verſari, qui primas nominũ verborũq. radices ignorāt. Verùm quia certa hîc denotatur cuſtodia, & quæ nullo modo fallere quemquam poſſit; perſpicuum eſt, neminem alium recta ratione ciuem nominari qui non ſit ciuitatis Dei ciuis, propterea quòd extra hanc tantum abeſt vt certa ſit cuſtodia hominum inter ſe, vt contrà certiſſimum ſit non periculum modò, ſed etiam exitium. Vide, quæſo, quantum vtilitatis adferat tum ad veritatis cognitionem, tum ad vitæ rationes rectè putandas & inſtituendas, primos vocabulorum nouiſſe fontes; è quibus modò hauſimus veram & certam & vnicam reip. cõſtituendæ formam, quam nec Plato, nec Ariſtoteles, nec Cicero longa & operoſa diſquiſitione peruestigare quiuit. Non dubito D. Auguſtinum maximas mihi gratias habiturum fuiſſe, ſi huius eum etymologiæ feciſſem certiorem: quo ſi noſtri temporis homines, quos eam docui, quiſquam nunciet fuiſſe ingratiores, ei profectò nulla ſoluam euangelia, vtpote nihil noui aut ignotæ antea rei adferenti. Ex his modò cognoſcas, non tantùm quis verus ſit ciuis, & quæ vera ciuitas; ſed illud etiam, quantoperè adlaborare debeamus, ne in verorum ciuium numerum cooptati, culpa aliqua noſtra in exilium eiiciamur, aut in inſulam relegemur. Ciuitas igitur à cuſtodia & tutela; Ste à ſtabilitate nomen accepit; & æquè hoc atque illud ex origine ſua demonſtrat, vnicam ſolam Dei ciuitatem veram dici poſſe ciuitatem. Hoc conſtituto, mox cernemus quid ſtil ſibi velit. Neque enim ex hac ſignificatione ipſius ſte aliud fuerit ſte-hil, quàm mons ciuitatis Dei. Atqui nemini obſcurum eſt, quis montis in ciuitate vſus eſſe conſueuerit. In altioribus enim opidorum locis arces muniuntur, tum quòd ſpeculam & defenſionem præbeant commodiorem & latiùs patentem, tum quòd difficiles habeant aditus & perículoſiſſimas oppugnationes. Ste-hil igitur apertè declarat quietem ac tranquillitatem ſpeculam & arcem eſſe ciuitatis Dei: è quo ſtatim efficitur, vt quieti & tranquilli in arce ipſa ciuitatis Dei rectè dicantur habitare; non illi quidem vt cuſtodes, quando Deus ſolus ciuitatem ſuam cuſtodire poteſt, ſed vt cariſſimi, & ij quos proximos ſibi Deus eſſe vult. Atqui cùm multi cognati ipſis filiis habeantur cariores, neceſſaria conſequitur concluſione, homines quietos Dei filios eſſe. Quis nunc non cernit idem in nomine Cimbrico ſt'il pro quieto doceri, quod Deus in monte concionem habens, his verbis pronunciauit: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Noſtra vox ſt'il, vti dixi, vtrumque notat, & quietum, & quietum facio. Et reuera nemo quietus, niſi qui ſe quietum reddit. Homo enim cùm animal ſit ſeipſum ducens, quod Cimbrico nomine Menſch, vnde Latinorum Mens, denotatur; neceſſe eſt, ipſe ſuas ſedet perturbationes, & animum reddat quietum: quod niſi ita eſſet, non dixiſſet Chriſtus, *Nolite ſoliciti eſſe de craſtino.* Nolite hoc vel illud facere. Cùm igitur nos ipſi quietos reddere debeamus, & omnes tumultus animi rectæ rationis imperio ſedare ac prohibere, prudenter admodum nomenclator quietum eo vocabulo nominauit, quod cùm vt verbum vſurpatur, ſignificat quietum facere: quo nimirum intelligamus, in noſtra poteſtate ſitum eſſe vt omnibus rebus nos præſtemus quietos. Verùm quia mens noſtra ſemel à diabolo ducta, ducendi ſuiipſius arbitrium & dignitatem abiecit; fieri non poterit, vt id præſtemus, quod ſtil videmus poſtulare, niſi Spiritus ſancti gratia ratio noſtra adiuuetur & dirigatur. At hic non veniet niſi Chriſtus nobis mortuus ſit, quoniam non antè ad Dei admittimur ciuitatem, extra quam nulla eſt rectè ducendi poteſtas. Tum autem Dei nos ciuitate donari, ſterf, quod idem eſt quod morior, explanat; dum in ſte-erf diſſoluitur, quod ſignificat hæreditatis iure ciuitatem Dei adire. Quis autem ſit cuius morte ad hanc venimus ciuitatem, clarum eſt, ſi videas cuius ſit ciuitas. Cùm igitur Dei ciuitas & ſit & vocetur, ipſemet Deus mortalem naturam induat; & non ſolùm eam induat, ſed etiam moriatur neceſſe eſt, quo nos morte ſua reddat hæredes, iuxta

Conciuis Latinè cur non dicatur.

Arces cur altioribus opidorum locis communiantur.

Ciuitatis Dei arx, quies et tranquillitas.

Menſch. Mens, mētis.

Sterf.

Morte Chriſti efficimur ciues ciuitatis Dei.

illud ipſius documentum, quo demonſtrauit Spiritum ſanctum non venturum, niſi & ipſe eſſet mortuus, & à morte reſurrexiſſet, ac tandem in cælum adſcendiſſet; vt primus hominum Dei ciuitatem aperiret & hæreditariam poſſideret, atque omnibus eodem iure daret poſſidendam; omnibus, inquam, qui ſe ipſius corpori vnirent. Quamobrem ſi ciuis eſſe velis, concorpora te Chriſto Deo & homini, & cum eo morere, quod nos dicimus ſterf; quo ex eo conſequaris, quod ſte-erf vox ſoluta deſignat, id eſt, quo ciuitatem Dei hæreditario adeas iure. Quid porrò ex eo conſecuturus eſt is qui
Sterf. cum Chriſto moriens ad hanc ciuitatem venerit? Quid? Illud nempe quod fre-eſt pro-
Fre-eſt. mittit, vox conuerſa ex ſte-erf/ qua ſignificatur idem quod alio ordine & articulo præpo-
Pax ciuitatis Dei. ſito diceremus, het es fre/ id eſt, eſt pax. Noſtra loquendi conſuetudo articulum hîc omnino poſtulat: quod tamen fruſtra moneo, cùm cuiuis noſtratium ſit apertiſſimum. Quemadmodum igitur ex verbo ſterf intelligimus de morte ad ciuitatis Dei veniri hæreditatem, & in ciuitatis hæreditate pacem inuenimus; ita ex ſt'il voce illud elicimus, eos qui ſe quietos & alios reddunt, in arce ipſa ciuitatis Dei habitare, & reuera filios Dei vocari. Bone Deus, quanta eſt hîc vocum & rerum concordia! quàm amabilis pax inter Chriſtum & linguæ noſtræ architectum! Dixerat hic, eos qui ſe tranquillos & quietos præſtiterint, ipſam arcem ſiue acropolim, quod magis ad hil alludit, tenere: è quo conſequenter intelligitur, vel nullos, vel hos Dei filios eſſe: Dicit Chriſtus pacificos ſiue εἰρηνοποιούς filios Dei vocandos eſſe, quod reapſe nihil ab illo quod nomenclator vocalibus ſymbolis occultauit, differre cernimus. Quid enim aliud eſt pacem facere, quàm facere quietem? Niſi enim quis priùs pacem fecerit in animo ſuo, & ſe tranquillum reddiderit, nec pacem facere inter alios poteſt, nec pacificus nominari. Quid? quòd ne ipſe quidem filius Dei in noſtro ſermone filius Dei dici poteſt, niſi pacificus
Son. vocetur. Son enim vocali longa idem eſt quod pacem facio. Hinc ſon filius vocatur,
Filius. quod idem eſt ac ſi pacificum dicas; adeò vt propterea filius nobis ſon vocetur, quia pacem faciat: quam niſi faceret, ſon dici nullo modo mereretur. Quod cùm ita ſit, perſpicuum eſt, nomen ſon primaria ſignificationis ratione ſoli Dei filio conuenire, atque inde per ſimilitudinem quandam de aliis quoque dici, parua vel nulla habita originis ratione. Quamobrem ſoli illi in noſtra lingua reuera filij ſiue ſonen nuncupantur, qui ſeſe Chriſto primo & ſupremo & ſoli pacifico concorporarunt. Quid enim vetat quo minùs in re Romanis ignota nouum mihi verbum componam? Quòd ſi hæc rectè expendantur, maximam lucem toti religioni Chriſtianæ inferent, & cauſſam reddent clariſſimam ob quam ſemper Chriſtus dicere ſoleat, *Pax ſit huic domui*; quando videmus filium Dei in puro & incorrupto ſermone ſon/ id eſt, pacificum ſiue pacis auctorem vocari. Cùm igitur dixit, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*, non aliud dixit, quàm ſi dixiſſet, Beati pacifici, quoniam eodem nomine quo ego vocor, vocabuntur; & hanc ſolam habebunt nominis rationem, quòd ego ipſis fuerim apud patrem verus veræ pacis auctor; & quos patri conciliaui, eos non ſolùm in nominis mei admiſi communionem, ſed in idem etiam corpus redegi. Videte, ô miſeri & deuij Chriſtiani, qua via & ratione conſequi & poſſitis & debeatis, vt ad communionem corporis & ſanguinis Chriſti dignis modis accedatis. Pax eſt, pax eſt quam dedit nobis, quam reliquit nobis, per quam ſolam filij Dei poſſumus vocari: quod ſi ita eſt, vt ipſemet dixit qui falle re nequit, per hanc ſolam nos corpori Chriſti, qui verè filius Dei eſt, vniemus; & quicquid erimus, id totum erit Chriſtus in nobis: quod fieri non poteſt, niſi noſtram naturam corruptam expellat, & loco eius ſuum nobis corpus & ſanguinem communicet, vt eo ſolo viuamus. Sed de filio alibi; vbi docebimus, non Cimbricum tantùm nomen ſon Chriſto ſoli, & iis qui ei corporati ſunt & vniti Spiritus ſancti veram vitam dantis vnione, conuenire; ſed ne filium quidem, aut υἱὸν, aut בן alium vera ratione dici poſſe,
Filij etymon. quàm Chriſtum: filius enim ſic à noſtro lief proceſſit, vti e Lof fit folium, & è roof fit φὼρ,
Lief. & infinita alia ad eundem modum rè prorſis verſa fiunt vera, quæ dici ſolent, hyſtera
Lof. Roof. protera. De Chriſto enim dictum eſt: *Hic eſt filius meus dilectus*. Idem autem eſt fi-
Folium. lius, ſi ad originem examinetur, ac ſi amatum dicas. υὸς formatur ab hui/ quod eſt idem
υἱὸς vocis etymon. quod cuſtodia & tutela. Sic dicimus, Chriſtus es mijn hui/ Chriſtus eſt mea cuſtodia &
Hui. tutela: & reuera hic ſolus eſt qui nos aduerſus omnes malorum impetus defendit atque
Ben. cuſtodit. Ben verò, qua voce pro filio Hebræi vtuntur, nihil aliud in puro Cimbrorum

ſer-

ſermone ſignificat, quàm Sum : quod ſic filio conuenit, vt ipſe ſolus ſit; eo quòd ſicut Vnum de patre; ita Ens de filio dicatur. Hinc illud : *Ego ſum qui ſum.* Et iterum: *Sum miſit me.* Deus enim omnibus dat eſſe per filium, per quem omnia ſcribitur creaſſe. Sed hæc, vt dixi, alibi. Non ſunt tamen hæc aliena à re noſtra, cùm hinc illud etiam intelligatur, Ciuis nomen primùm Chriſto tribui debere, propterea quòd is ſolus Huiwis/ id eſt, certa ſit cuſtodia & tutela. Nunc ad ſt'il redeamus. Cùm tranquillitatem per ſt'il ſignificatam arcem eſſe dixerimus ciuitatis Dei, aduerſarij aliqui & hoſtes ciuibus Dei videntur opponi. Quorſum enim arx vbi nulli metuuntur inſultus & oppugnationes? Videamus ergo ecquid ipſi ſtil opponatur. Id mox inueneris ſi vocem retrò legas. Liſt enim calliditatem ſignificat, eodem tempore manente in verſa voce quod erat in prorſa. Quæ verò hæc eſt alia calliditas, quàm ea de qua ſcriptum habemus, *Erat ſerpens callidior omnibus animantibus.* Hac igitur calliditate ciuitas Dei magnam mox ab humani generis exordio accepit cladem, & hactenus accipit & grauiſſimas & infinitas, dum quotidie infiniti draconis fraude è mœnibus ciuitatis Dei trahuntur. At hi ſi quietos ſe redderent, in ipſa arce tuti manerent, nec vmquam cacodæmonis aſtutia vincerentur. Quòd ſi Chaua quieta manſiſſet, nec dubitationis fluctibus ſeſe immiſiſſet, tutò potuiſſet a diaboli fraudibus oppugnari. Cùm enim Deus dixiſſet, morituros ſi fructum vetitum guſtaſſent, ipſa à cacodæmone cauſſam cur non ederent interrogata, mox labaſcere cœpit, atque in dubium ipſam pœnam à Deo conſtitutam vocare; dum videlicet reſpondit, *Ne fortè moriamur.* Stil ergo & Liſt ſic opponuntur, vt in hac vita perpetua pugna ſit contra diaboli fraudes: quas non alia via nec alio modo repellere poſſumus & irritas reddere, quàm ſi nos præſtemus quietos & liberos ab omni perturbatione. Quies ergo acropolis eſt & arx firmiſſima aduerſus omnes cacodæmonis inſidias. Mirabile profectò vocis artificium; quo cùm quietis ſecuritas atque ſumma dignitas indicatur; tum etiam oſtenditur, quibus arx hæc machinis ſit oppugnanda, & qua via ſit reſiſtendum. Sicut autem hîc ex arcis nomine in hoſtilis impetus ducimur cogitationem; ita ex ſon/ quo pacificus denotatur, mox ſuccurrit quæſtio, quæ fuerit inimicitia, ob quam pax fuerit ineunda; quam ſimiliter retrogrado & contrario ductu deprehendis. Nos enim, vnde Noſel & Onnoſel/ idem eſt quod offenſio & iræ prouocatio. Deinde ſi quæras cuius hæc fuerit offenſio; tolle mediam litteram è medio, ne extremæ in ſon per mediam copulentur, atque hanc transfer in primum locum, & quæ prima eſt fac vltimam, omnia nimirum diſſociando, & turbando ordinem fatalem; ac tum mox videbis cuius ſit offenſio, cuius ſon pacem pollicetur. Homines enim in medio erant extremorum, libertate ad vtrumque donati, Dei ſcilicet & cacodæmonis, vitæ & mortis. Hi ſuperbia dæmoniaca inflati primum locum voluerunt occupare, & extremum, qui cacodæmon erat, Deo prætulerunt, dum Dei verbis neglectis, diaboli mendacio crediderunt. Hac igitur litterarum metatheſi facta, Ons enaſcitur, quo noſtrum denotatur. In vtraque igitur ipſius ſon/ quo pacificus ſignificatur, conuerſione, littera prima in vltimum locum reiicitur, & diuinus honor tum homini, tum cacodæmoni poſthabetur. Deinde ſi ipſum Ons vertas, Sno habebis; quo quicquid peruerſum & ad mala procliue eſt, deſignatur. Vnde intelligi datur, à noſtro nihil promanare niſi peruerſitatem; & quicquid noſtrum ſic vocare poſſumus vt à nobis procedat, id præpoſterum eſſe, & ad malum inclinare, & pronum ruere in peius. Hoc enim prauo & iniquo ſuo iudicio primi noſtri parentes ſunt conſecuti, vt omnis poſteritas ad malum propenſa ferretur; & nihil haberet propriè ſuum quod non à Deo ad diaboli partes declinaret. Quamobrem nihil reliquum fuiſſet humano generi factum, quo ſe à miſerabili hoc ſtatu & natura maligna liberaret, niſi Deus arcano conſilio Verbum ſuum, quo omnia creauit, hominem feciſſet, atque eum toto peccatorum pondere oneraſſet, quò ipſe purus & innoxius omnia hominum ſcelera expiaret. Hic igitur ſimplicitate ſua & humilitate ac taciturnitate, diaboli aſtutiam & ſuperbiam vicit, & hominum genus patri conciliauit; quod morte ſua non ſolum redemit, ſed ciuitate etiam Dei donauit. Quicquid igitur pacis, quicquid quietis habemus, ab illo habemus: quicquid è nobis proficiſcitur & verè noſtrum dicitur, id malignum eſt atque peruerſum. Et hæc quidem de pace & pacis auctore, vt intelligamus eundem eſſe qui nos pacificos reddit, & qui

Tranquillitas arx ciuitatis Dei.

Liſt. *Calliditas, qua ciuitas Dei oppugnatur.*

Nos. Noſel. Onnoſel.

Ons.

Sno.

Pacem & quietem à Deo habemus. à nobis nil niſi peruerſum.

qui reddit quietos; & hæc nomina ſon & ſtil ad eundem filium pertinere, & nobis eã tantùm tenus conuenire, quatenus Chriſto ſumus vniti; & tantum nos à Chriſto recedere, quantum recedimus à pace & animi tranquillitate. Cùm igitur Sileo à ſtil ceu radice ſua pullularit, hæc omnia quæ indicauimus potius quàm expoſuimus myſteria, in ſilentij interpretatione dicemus contineri, & ab eo qui ſilentium indicit omnes moneri, vt hæc arcana ſilentes quietique rimentur. Quamuis autem quis ſit huius tacitæ auditionis finis, ex eorum quæ interpretati ſumus vocabulorum origine ſatis ſuperque demonſtretur, reſtat tamen aliud nomen apud Græcos pro Taceo vſurpatum, quod alia *Σιωπὴ vnde nomẽ habeat. Σιωπάω.* quadam ratione ſilentij cauſſam oſtendit atque finem. Σιωπὴ enim quo ſilentium notatur, & Σιωπάω quod eiuſdem eſt ſignificationis cum σιγάω, ſi ad primos ſuos natales & matricem linguam examinentur, nobis indicabunt, omne ſilentium ad contemplationem referri, atque præſentis inſpectionis ſpe ſuſtineri atque fulciri. Si idem eſt quod *Sie.* video, vocali per ſubtilem quendam ſonum producta, quem vt indicent alij, ſie ſcribunt. Refertur autem non minùs ad mentem, quàm ad corporis oculos; &, ni nos ichnæa fallat conuerſio, à mentis inſpectione ad corpus deſcendit, eo quòd Is vocali breui idem ſit quod Eſt. Proprium enim mentis obiectum, vt ſcholarum more loquar, eſt *Is.* Ens. Hìc notatione dignum, in Is breuem ſonum audiri, in ſi longum; quoniam Ens purus ſit actus ab omni tempore, non modò longo, abſolutus: Inſpectio verò & contemplatio longa ſit oportet & ſubtilis, vt perueniatur ad ipſum Ens intuendum. Eſt *Si.* aliud ſi longum, ſed craſſiùs & pinguiùs pronuntiatum, quod Sum, ſim, ſit denotat, & *Hop.* pro articulo etiam & pronomine venit in vſum. Hop vocali longa, ſed ſono non admo- *Silentij origo ſpes cognitionis &c.* dum rotundo, ſpem ſignificat & ſpero: vnde ſi hoop inſpectionis ſpem deſignat. Prima igitur & potiſſima & interna ſilentij origo eſt ſpes cognitionis eius qua mens ad ipſum Ens conſpiciendum fertur. Natura enim omnes homines ad ſcientiam & rerum inſpectionem rapiuntur, ad quam vt adſpirent alios audiunt lubenter; & vt audiant, ipſi linguam ſuam labiis & dentium vallo coërcent: vnde fit, vt σιωπὴ totam rationem ſilentij, tum eam à qua oritur & ſuſtinetur, tum eam ad quam refertur, pulcerrimè duabus ſyllabis comprehendat & exponat. Qui Græcorum vocum etymologias curioſè perſecutus eſt, is σιωπῶ à σιγάω magna molitione deducit; & in σιγάω non aliud verbi inuenit principium, quàm σιγὴν; quaſi non æquè dubium ſit vnde σιγὴ dicatur, atque cetera ab hac voce deriuata. Sed omnem ſuam operam ludunt & oleum perdunt, qui vel Græci vel Latini ſermonis radices extra matricis linguæ latifundia inueſtigant. Singulari profectò Dei prouidentia factum eſt, vt quamuis nobiliſſimæ linguæ corruptæ ſint, tantum tamen in iis reliquum ſit veſtigiorum, vt per ea ad primas vocum origines queat perueniri, ſi diligenter corruptelæ modus & varia ratio animaduertatur. Quando igitur tantum reconditæ ſapientiæ illis vocibus continetur, & earum ſolutione ac conuerſione explicatur, quibus apud Græcos & Latinos & noſtrates taciturnitas depingitur, quantum ne diſertiſſima quidem oratione & longiſſima vel ipſe Cicero explanare poſſet; non parui faciendum fuerit ſpectabile ſymbolum, quod non tantùm ad ſilentium hortatur, ſed vocum etiam quibus illud ſignificatur interpretationem indicat & ob oculos ponit. *Digitus ſalutaris.* Digitum autem quo Harpocrates ſilentium indicat, ſalutarem veteres Theologi nominarunt: non illi quidem medicos hac in re ſecuti, qui annularem potius quàm indicem hoc epitheto dignarentur, propterea quòd in eo conſenſus quidam ſit & veluti ſympathia cum corde: cuius rei facilius ſit veritatem experimentis quàm euidenti aliqua ratione demonſtrare. Scio equidem arteriæ ramo plerumque bifurco hunc digitum donatum eſſe, verùm & ceteris digitis arteriæ portiones diſtribuuntur. Quòd ſi quid ſit omnino hìc rationis, Ixis fortaſſe Hippocratica in medium adferetur, eo quòd ramuſculis hic ad annularem rectiùs ferri videatur, & paullò plus habere capacitatis. Sed hæc ad coniecturas potiùs & naturalium rerum obſcuritatem, quàm ad firmas per- *Solis mons in manibus.* tinent demonſtrationes. Qui Chiromantiam profitentur, ſub radice huius digiti Solis montem collocant; qui ſi recta & integra linea ſit inſignis, ingenij dexteritatem & honores pollicetur. Quia igitur cor in hoc noſtro microcoſmo Sol eſt, hunc digitum cordi attribuerunt: quòd ſi hinc colligant ingenij felicitatem, videntur in corde non vitæ tantùm, ſed ſenſuum etiam principium collocaſſe. Verùm hæc nihil aut perparum ad id quod

id quod agimus. Nos indicem cum Theologis ſalutarem vocamus, & laudamus eo nomine Martianum Capellam; quòd epitheton hoc memoriæ mandarit poſterorum, perpetua fortaſſis alioquin obliuione celandum. Primùm quid hominum ſaluti magis neceſſarium, quàm habere indicem aliquem qui vitæ rationes omnes rudibus adhuc puerorum animis oſtendat? Cùm igitur digitus index ad demonſtrandum videatur à natura comparatus, & ab eo officio nomen apud Latinos ſortitus, meritò ſalutaris dicetur; eo quòd omnis ſalus à doctorum hominum præmonſtratione proficiſcatur. Germanis ſuperioribus ab oſtendendo Zeiger vocatur, nobis Wiſer: quæ vox in horologiorum manibus quarum index horam oſtendit, quotidiano vſu trita. At Wis vocali longa dum nomen eſt, ſapientem deſignat; dum verbum, idem quod quouis modo oſtendo, propterea quòd ſolius ſapientis partes ſint, vt viam aliis præmonſtret, & quid ad ſuam cuique ſalutem neceſſarium ſit, oſtendat. Dum igitur Wijs pro oſtendo vſurpatur, duo ſimul aperiuntur; & quis docere debeat; & ad quem finē omnis demonſtratio referatur. Quiſquis igitur hunc digitū porrigit, ad ſapientiam rectum iter oſtendit, vt de ipſius nomine colligunt noſtrates: quo fit, vt optimo iure ſalutaris ſibi nomen ſumſerit. Quamobrem congruentiſſimè ſilentium hoc digito indicebatur, vt de ipſius nomine cogitantibus mox in mentem veniret, à ſapientibus ſapientiam eſſe diſcendam; & eam quidem diſcendam longa taciturnitate. Hinc dum quemquam reuerentiùs volumus ſalutare, hunc digitum ori admouemus, ceu diceremus, Nos te ſic veneramur, vt tacita audientia dignum iudicemus, & talem, vt tuum ductum lubēter ſimus ſecuturi. Qui pileum capiti detrahunt, indicant ſe paratos, vt eius nomine cui hunc exhibent honorem, libertatem deponant, quæ pileo denotatur; & præterea caput ſuum ſe velle quibuſuis obiicere periculis. Prior ergo modus paullo liberalior, licet à nemine, quod equidem ſciam, hactenus intellectus. Plerique manus oſculum hoc indicio notari exiſtimant; quod ſi ad barbarum morem referant, vti referre exiſtimo, nihil faciunt quod nobis ſit annotandum. Plinius in adorando dextram ori applicari ſolere tradit: quod quia à vetuſto Ianigenarum ritu ad Romanos venit, dignius fuerit vt ad cauſſam ſuam vocetur. Scimus orationem & preces & vota ore perfici; manum dextram operationi & labori à natura eſſe deſtinatam. Quamobrem qui hunc morem adorandi præſcripſerunt, non aliud indicarunt, quàm Deum ſic inuocandum, vt & nos manum operi admoueamus, & putemus nec vota citra laborem, nec laborem citra vota quicquam profuturum: ſed ſi precibus & adorationi labor adiungatur, nihil dubitandum eſſe de proſpero eorum quæ agimus ſucceſſu. Æquis igitur paſſibus & labor & vota procedant, quò ad optatam metam adſpiremus, & iis potiamur, quæ à Deo opt. max. petere fas eſt. Cælius Rhodoginus & Lilius Gyraldus commemorant, ſacerdotes ſacris abſolutis ſe verſus dextram conuertere ſolere, ac deinde manum dextram ori applicare, ad eum modum vt index pollici recto inſideret: quem ritum equidem credo ad plura commonenda fuiſſe inſtitutum. Per totam enim dextram ori admotam illud intelligendum reor, quod modò dixi. Dum index pollici erecto inſidet, crux denotatur, vnica humanæ ſalutis ancora; vt nimirum indicaretur, omnes cærimonias ad crucem referri, & fruſtra fieri ſacra & orationes, niſi hoc ſanctiſſimo charactere obſignentur. Simul igitur monebat ſacerdos, & votis abſolutis manum operi admouendam, & non ad aliud quàm ad crucem omnes ſacrificiorum & precum ritus pertinere, nec aliunde habere ſuam vim & efficacitatem. Cùm enim ipſum Tau in hieroglyphicis frequentiſſimum reperiatur, vt in huius litteræ cauſſis inueſtigandis latiùs docebo, minimè debet mirum videri, ſi in priſcis Ianigenarum cærimoniis id cernamus, quod in ipſis obeliſcis & ſphingibus & aliis antiquitatis monumentis ſcalptum exaratumque inuenitur. Præter has verò ſignificationes illud etiam monebatur, primùm quidem ſacris operandum, & diuinam implorandam eſſe gratiam ante omnia, ſed deinde cetera peragenda, iuxtà ac Harpocrates doceret. Cùm enim ori indicem admouiſſet, ad eum quem diximus modum conſidebat, vt nimirum ſilentij indicio & ſeſſione Harpocratis ſymbolum omnibus in memoriam vocaret, atque quæ illo denotabantur populo proponeret ſequenda. Quis nunc non videt quàm recta ratione index ſalutaris vocetur, & quanto ſignificantius id in noſtra lingua exprimatur, in qua indicis nomen, quod eſt Wiſer/ duo

Zeiger. Wiſer. Wis.

Salutātes cur digitum indicem ori admoueant.

Pileum capiti detrahere, quid ſignificet.

Adorātes cur dextram ori ſoleant applicare.

Index ori admotus quid notet in ſacrificiis.

ſimul oſtendit; alterum, ſolorum ſapientum eſſe docere, & rectum vitæ iter præmon-
ſtrare: alterum ipſam ſapientiam finem eſſe omnis veræ demonſtrationis, & ad hanc
ſolam omnia indicia ſpectare debere, alioquin indigna fore germano matricis linguæ
vocabulo. Quòd ſi wis hîc ad examen vocaremus, codicem ſpiſſiſſimum ſcribere co-
geremur; & ne ſic quidem ampliſſimas ſapientiæ gazas hac vocula obſeratas euoluere
Wis. poſſemus. Wis vocali breui, certum ſignificat: iam certæ rerum omnium cognitionis
habitus longo tempore confirmatus, eiſdem litteris, ſed vocali producta, quo fixæ noti-
tiæ congruat, effertur. Wis breue fit à wi-is / quo late longéque quicquam eſſe denota-
tur: quod cui primùm tribuendum ſit, ille intelliget, qui ſciat ſolum Verbum, quod
Woort. woort dicimus, fide dignum haberi de ichnæa nominis conuerſione; & idcirco non alium
vocula wis producta vocari, quàm eum cuius ſapientia in woort eſt fundata, & ex woort
producta. Quamobrem omnis item demonſtratio ad Verbum tendere debet, atque ex
Verbo proficiſci. Deinde vox non ex wis breui tantùm ſignificationis habet cauſſas,
ſed ex alluſione etiam ad wi / quo dilato, expurgo & conſecro ſignificatur; vt in nomine
Viſci explicatum eſt. Iam & wis à wi-ſie fieri poteſt per apocopen, quod eſt longè laté-
que videre. Eodem modo vox verti poteſt non vno modo. Nam ſi longæ vocalis ſono
Si. ſeruato ſi-w dicas, idem dixeris quod cola te, perinde atque lac vel quiuis alius liquor
colatur: quod ad hominem relatum, mirificam habet admonitionem & plenam vtilis
diſquiſitionis. Si enim colandus es, colum habeas oportet: atqui colum etiam ſi dicitur.
Seih. Germani ſuperiores ſeih ſcribunt, quo melius ſpirent. Colum res leuicula, vilis, & à
Colum. philoſophiæ dignitate aliena fortaſſe videatur; at ſi etymologiam excutias, duas mox vi-
debis grauiſſimas ſeſe offerre rationes; alteram à ſie / quod eſt video: alteram à ſij / quo
ſum vel ſit denotatur. Quoniam enim in colo videtur quid reuera ſit, quid ipſi quod
eſt admiſceatur externi, ab his duobus verbis inſtrumentum nomen accepit; exiguum
illud quidem, ſed quo tota ſapientis viri meditatio definiatur. Quæ enim aliæ ſunt phi-
loſophi partes, quàm in omnibus diligentiſſimè rebus quid ſit, quid non ſit videre? A
videndo igitur quid ſit, quid non ſit ſi vocatur: iuxta cuius voculæ etymologiam ſi te
colaueris, profectò non minimam ſapientiæ partem abſolueris. Latini ſi quid colo ſi-
gnificet interrogentur, citra hæſitationem reſpondebunt: at ſi nominis cauſſam quæ-
Coli etymon. Loch. ras, haud aliter quàm piſcis obmuteſcent. Sicut à lof fit folium; ita à loch fit colum.
Nec mirum adſpirationem ademptam eſſe, cùm Leodienſes quoque loc dicant pro vi-
de. Origo vocis eſt ab hel-oog / quod eſt vehementer oculos intendo in aliquid. Vnde
fortè log pro foramine, eo quòd per illud acutiſſimè oculi cernant; quamuis huic voci
non deſit aliunde etymologia. Videre igitur diligenti oculorum obtutu, & paruis fo-
raminibus ad diſcernenda purum ab impuro vti, eſt colare. Colo igitur à loc pro videre,
& loch pro foramine formatur: & quamuis loc pro colo nunc non ſit in vſu, vocem ta-
Loog. men habemus ab hac deriuatam. Loog enim dicimus pro lixiuio, quoniam colando fiat.
Videmus itaque vtrumque vocabulum & noſtratibus hactenus vſitatum, & illud quod
Romani è matrice lingua retinuerunt, à videndo duci: & in illo ad eſſe; in hoc ad fo-
ramina minuta nomenclatorem reſpexiſſe. Adde quòd ipſius wijs conuerſio ſie-w / id
eſt, vide te, de neceſſaria huius expoſitionis conſequentia includere cernatur: quod
quid aliud eſt, quàm Noſce te ipſum? Quid? quòd duplex digamma in conuerſione in
alterum digamma mutari poſſit, vt monoſyllabum in monoſyllabon vertatur; qua via
Sif. ex wis / ſif habebis, quod eſt cribra: quod rurſus inſigni & luculenta ſimilitudine ſa-
pientis officium depingit. Sed hæc, vt vides, tam latè per totam philoſophiam ſe ex-
tendunt, vt ſi per ſingulas eius partes colum & cribrum circumferas, nullus exitus ſit
futurus. Sufficiat ergo indicaſſe quæ vera ſit ſapientia, & quæ ipſius primariæ partes, &
quòd wiſer / id eſt, index dextræ manus ad hanc nos inuitet contemplationem, per
quam ad ſapientiam venire poſſimus; eam præſertim, quæ ipſi Verbo innixa, nos ex-
purgat, colat, cribrat, dilatat & conſecrat: quæ omnia, & multo etiam his plura, vni-
ca vocula trilittera comprehenduntur. O digitum ſalutarem! qui nobis de ſolo ſuo no-
mine Cimbrico tam multa reuelat arcana, ac deinde ad teſſeræ vſum tranſlatus, & pol-
licem duobus extremis articulis supernè coronans, crucem ſiue Tau refert: nec his
contentus, ſilentium præterea indicat; non illud quidem plebeium & vulgare, ſed proſ-
ſus ne-

ſus neceſſarium ad hominum ſalutem & ſummam felicitatem! De hoc ſilentio Hieremias in ſuis lamentationibus ſic cecinit, vt totum Harpocratem deſcripſiſſe videatur: *Pars mea Dominus*, dixit, *anima mea, propterea exſpectabo eum. Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum. Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Domini. Bonum eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſe ſuper ſe. Ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.* Audimus hic Harpocratis ætatem, audimus ſilentium, audimus ſeſſionem, audimus ſeſſionis & taciturnitatis vſum, audimus puluerem in quo ſedet, vt humilitate ſua ad id quod ſperat adſpiret: & dum ſpem audimus, σιωπὴν in mentem vocamus. Ieſaias illius ſilentij fecit mentionem ad quod hoc Harpocratis ſilentium ſpectare debet. *Et erit*, inquit, *opus iuſtitiæ, pax & cultus iuſtitiæ ſilentium & ſecuritas in ſempiternum:* Filius enim Dei iuſtitia ſua, qua peccatis noſtris ſatisfecit, pacem nobis conciliauit, à qua ſon/ id eſt, filius vocatur. Iuſtitiæ autem huius veriſſimus cultus eſt trãquilla verbi Dei & myſteriorum contemplatio: quam, vt optimam partem, Maria Magdalena ſibi elegerat. Et certè optima pars eſt humanæ poſſeſſionis, eo quòd numquam auferatur; ne tum quidem cùm corpus eſt ad tempus relinquendum; ſed vnà nobiſcum eò poſt mortem adſcendat, quò ſemper in hac vita tendebat: quod non itidem de practica vita dici queat, vtpote quæ cum corpore deponatur atque ceſſet. Quoties igitur Harpocratem videbimus, toties nobis memoria refricetur huius tam ſalutaris ſilentij & tranquillitatis, qua iuſtitia Chriſti culta ad ſilentium ſempiternum & ſempiternam perducit ſecuritatem; quam vt nobis Deus largiatur in aſſidua taciturnitate ſemper oremus. Atque hæc quidem mihi ſilentij myſteria hoc fine claudantur; quibus ſi trita illa & in vulgus nota adiiciam, quæ cùm ceteri, tum Plutarchus in libello de Garrulitate curanda memoriæ prodidit, haud iniuria à ſilentij myſtagogis, vti nimium profanus & decori immemor, expellar. Quid enim illa vulgaria ex hiſtoriis curioſè conquiſita taciturnitatis vel præcepta vel exempla tantæ habent dignitatis, vt iis quæ modò à nobis veluti per tranſennam ſunt indicata, conferantur? Præceperit Lycurgus ciues ſuos ſtatim à puero ſilentio adſueſcere: Fuerint breuia & acuta Laconum reſponſa in adagium tracta, inter quæ illud ad Philippum, Dionyſius Corinthi; & aliud, Non totam abſoluens reſponſionem, & ſimilia nonnulla ab auctoribus Græcis ſui nimium amantibus vbique celebrata. Admirentur qui volent diuinum γνῶθι σεαυτὸν, &: Ne quid nimis, & illud mercatoribus Antuerpianis quàm otio litterario notius: Sponde, præſens eſt noxa, & his ſi quæ alia Loxias callidè reſpondit, addant; nihil tamen ex his omnibus inuenietur, quod eorum quæ diximus vel ſexcenteſimam partem poſſit æquare; tantum abeſt, vt hæc mihi poſtremo loco quaſi corollas quaſdam adiicienda exiſtimarim. Poteram multus eſſe in taciturno Pythagoræ quinquennio, poteram Ariſtotelem admirari; eo quòd totos quindecim annos Platoni audiendo impenderit, & hæc atque alia his ſimilia ad Harpocratis ſymbolum magnis laudibus euehendum prolixa exponere oratione: verùm quicquid eius generis eſt, triuiale mihi & plebeium videtur, poſtquam ſemel eminus ex ipſo veſtibulo tantum incomparabile diuini ſilentij ſacrarium aſpexi. Sint hæc illis bellaria delicatiſſima, ſint omni ſaccharo & melle ſuauiora, qui necdum ambroſiam hanc noſtram promulſidem deguſtarunt: ex qua de toto epulo licet facere coniecturam.

Harpocratici ſiletij in Prophetis mentio.

LIBER

LIBER VI.

Lotus qualis herba. NOS VNA Heliotropij facie explicata, ad alteram tranſeamus, quæ puerum præfert e Loti codia ſiue capite emergentem. Loton Ægyptij herbam vocant, quæ ſub Nili aquis in campis inundatis plurima naſcitur, quam Theophraſtus copioſè depinxit. Huic caulis fabæ Ægyptiæ, flos lilij, ſed tenuiora folia habens, caput papaueris maximi codiæ ſimile, & loculis ſimiliter diſtinctũ, in quo ſemen milij copioſiſſimum. Flos cùm Sol occidit clauditur, & vnà cum herba paullatim ſub aquas ſidit; ac deinde rurſus paullatim emergit è profundo, Solis decurſum ſecutus; quo oriente ſeſe ſuper aquas attollit & folia recludit. Fœda labes Dioſcoridis hiſtoriam corruperat, quæ κριθῇ pro κρίνῳ habebat. Marcellus germanam reſtituit lectionem; è qua florem lilio ſimilem cognouimus, quem Theophraſtus apertè expreſſit, ſimul quo differret adiecto. Radix cotonei mali magnitudinem & formam aſſequitur, foris nigra, intus candida, perinde atque nuces caſtaneæ; quæ cocta, vitellos ouorum ſapore videtur referre. Semen pani conficiendo adhibetur. Ex hac herbæ indole facile fuerit intellectu, cur Ægyptij Apollinem è Loti flore emerſiſſe dicant. Hieroglyphicas enim notas aut ipſi ſibi priſci finxerunt, aut à natura ſumptas ad ſymbolicam docendi rationem applicarunt. Quod igitur antè in Harpocratis imagine examinanda feci, idem hîc quoque faciendum mihi duxi, vt nimirum prius nominis ſignificationem explorem, quàm ad figuram ſacram accedam. Vt cetera vocabula in ſacris Ægyptiorũ vſurpata, ad Phrygiam ſiue noſtram linguã ſpectare dixi; ita & hoc ad eandẽ video referri debere; & eius rationẽ non paruam illam quidẽ in herba cerni, ſed infinito maiorem in re ſignata inueniri; & tanto ſanè maiorẽ, quanto ideæ ſuis exemplis ſunt
L littera pronunciatio & ſignificatio. El. præſtantiores. Littera Lambda dum pronunciatur, linguam cogit ſupremũ cæli ferire: quo fit, vt dũ ſimpliciter more Cimbrico, quem Latini retinuerũt, El vocali breui effertur, ipſius Vnius ſignificet altitudinẽ, & ſimpliciter pro quauis ſublimitate ponatur. In vocibus igitur ex ea formandis, vel ipſa citra vocalem adiectã ponitur, vel vocalẽ habet
Loti etymon. El-hoot. L'oot. adiũctam, & vtrouis modo altitudinem ſignat. Siue igitur El-hoot, ſiue L'oot dicas, idem notaueris, nempe altum & excelſum caput. Quemadmodũ autem altitudo gemina eſt, altera à terra ad cælum; altera à nobis in oppoſitam cæli partẽ porrecta; ita & Hel vtriuſ-
Hel que altitudinis ſignificationem habet. Hinc Hel pro inferno ponitur, quia à nobis altiſſimè deſcendit in oppoſitam vertici noſtro mundi partẽ. Quia igitur in metallis plumbi grauitas maximè nota eſt, & reuera nihil aliorum in eodem pretio tantum ponderis adfert, licet aurum ſub eadem magnitudine præponderet; factũ eſt, vt Loot pro plumbo à noſtratibus poneretur, quaſi dicas, caput eorum quæ in profundum deſcendunt.
Plumbum copia, vilitate, & vſu auro præferendũ. Siue igitur copiam metalli, ſiue pretij vilitatem, ſiue multiplicem vſum cernas, plumbum auro præferendum eſt. In hoc enim raritas & pretij magnitudo populum ab vſu excludit: ac deinde, tametſi ea eſſet auri quæ plumbi copia; plus tamen vtilitatis ex plumbo quàm ex auro caperetur: quod intelligas ſi ceruſſam & ſandycem, duas res vſu latiſſimas, & cetera vel pigmenta, vel medicamenta, quæ plumbum ferè gratis ſuppeditat, conſideres. Ægrè fortaſſis hoc auaris hominibus & ſemper aurum ſitientibus perſuaſeris; at medicis & rerum naturalium peritis nihil clarius eſſe poſſit. Si enim res non opinionibus, quibus mundus non tam regitur, vt quidam volunt, quàm diſſipatur,
Res quæ ſint optimæ. ſed de ſapientiæ amuſſi examinentur, illæ optimæ fuerint, quarum plurimæ beneficiorum erga homines rationes reperiantur. Quamobrem veteres nulla adhuc iudicij prauitate ſeducti, plumbum auro prætulerunt; propterea quod plures ſui vſus hominibus communicaret, quàm illud metallum quod ſic totum ſuiipſius eſt, vt nullum vitæ diſ-
Aurum naturæ noſtræ neque vires neque nutrimentum ſuppeditat. crimen hominum cauſſa velit ſubire. Nugas vendunt Chemiſtæ, dum aurum potabile ſe dicunt parare; & vt parent, id tamen certum eſt, non poſſe naturam noſtram roborare, niſi à natura noſtra vincatur, & vel in ſanguinem, vel in ſpiritus mutetur; quod quàm auro conuenire non poſſit, non eſt huius loci docere. Metalla cetera plurimùm ſui in aquis & aliis liquoribus deponunt, & eius vtendi copiam iis qui velint faciunt; aurum licet ſexcenties coquas, nihil ſui tamen aquis cõmunicat, hac ſua indole viam auaritiæ

præmon-

præmonſtrans: qua qui tenetur, tanto minus vel ſibi, vel aliis ad vitam commoditatis adfert, quanto plus metalli inuidiſſimi coaceruarit, atque arcis tenuerit obſeratum. Vanum igitur eſt eorum commentum, qui torques aureas in iuſculis ſuis coquunt, vel aquam à candenti auro quàm à ferro plus virium accipere ad viſcera roboranda iactant, cùm ſordes dumtaxat ab auro relinquantur, nec vlla facultas auri vel in aquam vel in ius tráſeat: quod ſi fieret, ſaporis diſcrimine vel aliqua alia via cognoſceretur, quam nullam mihi hactenus monſtrarunt experimenta. Hinc aurum cauteriis tum commodiſſimum eſt, cùm nihil ipſius metallicæ facultatis in vulnere volumus relinqui. Et verò quia vires eius numquam veteraſcút, ſed ſemper in eodem manent vigore, priſci Cimmerij **Au-rom** dixerunt, id eſt, antiquum ſiue præſtantiſſimum robur; quo nimirum *Auri etymõ.* omnibus reſiſtit. Luminis autem ſplendor aura dicitur, ab **Au-Ga**, id eſt, antiqua celeritate; atque hinc fit, vt aëri etiam ad velocitatem apto tribuatur. Neque enim vel aura *Auræ nomenclaturæ ratio.* ab auro, vel aurum ab aura nomen accepit, tametſi prior pars vtrobique eádem reperiatur. Nos hodie eâdem de cauſſa **Galt** & **Gaut** dicimus, ceu perfectè antiquum dice- *Galt. Gaut.* remus, à **Ge** & **Aut**. Hinc liquet, eam veterum fuiſſe ſententiam, aurum omnem ferre ætatem, & idcirco ſtolidè credi id in alimentum noſtrum aut ſpirituum naturam tranſire poſſe: quod ſi ita eſſet, malè nomen vtrumque poſitum fuiſſet. Græcis auri epitheton remanſit, quo magna ſcilicet eius laus continetur. χρυσὸς enim per metatheſim, à *χρυσὸς unde dicatur aurũ. Seurch.* **Seurch**, quo ſolicitudo & cura ſignificatur, manauit: quæ ſi vſquam magna eſt, certè in auro & quærendo & ſeruando eſt immanis & portétoſa. **Loot** igitur ob benigniſſimam ſui copiam & maximos vſus in omni artium genere, meritò ab antiquis altum caput dictum, eo quòd in metallis communis vtilitatis ratione teneat principatum. Eodem modo in herbarum genere eam **Loot** vocarunt, quæ altum & excellens caput in tota ſua natione eſſe videretur: & id quidem tanto maiore ratione, quòd ipſa herba inſigné capitis haberet figuram. Habent cùm aliæ aliquot herbæ ſua capita, tum papauer in illis excellit; at cùm Lotus papauer magnitudine æquet, ac frequentiſſimè excedat (ma- *Loti vtilitas.* ximo enim comparatur) & præterea ſeminis copia vincat; optimo iure excellens caput vocatur. Adde non vnum Loto caput eſſe, ſed geminum, & vtrumque ad edendum ſuauiſſimum; alterum ſupernum, alterum infernum, quod cotoneum malum magnitudine, ſapore, & alendi facultate oui vitellum, ſaluberrimum corporis nutrimentum, proximè refert. Quæ verò præſtantior herba poſſit cogitari, quàm ea ſit quæ citra laborem, quæ citra fimum, quæ citra ſationem ſponte ex aquis emicans, copioſiſſimum homini & ſuauiſſimum pabulum largitur; non ſemine tantùm vbertatem omnem ſuperans, ſed eandem etiam radicis ſuauitate locupletans. Et hæ quidem nominis cauſſæ, tum à figura, tum ab edulij & copia & præſtantia petuntur: quæ licet ſint admodum graues & euidentes, longè tamen ea anteferenda videtur, quæ de ſympathia eius cum Sole ſumta, ſymboli continet originem. Lotus enim Solem nobis primùm denotat, & *Lotus Solem denotat.* ab hoc ad ipſum caput, id eſt, **Thoot**, cuius ſpectabilis hîc eſt imago, transfert cogitationem; quo fit, vt ſupremæ ſignificationis gratia optimo iure **El-hoot** vel **Loot** vocetur; propterea nimirum quòd per eam ad cognitionem ſupremi capitis vocemur: qua in re multo plus eſt ſolidi fructus, plus firmi animorum pabuli, plus veræ ſuauitatis, quàm in vllo vel validiſſimo dulciſſimoque corporis alimento. Sed hoc mox videro, vbi prius hanc meam de capite ſententiam ſimili quadam voce reddidero probabiliorem: quod tamen minimè neceſſarium fuiſſet, cùm antè in **Thoot** & **Maneroot** ſatis fuerit argumenti, vt ab eadem radice **Loot** pullulaſſe diceremus. Siue enim ſublimitatis excellentiæque rationem ſoli Lambda tribuas, ſiue vocabulum per aphæreſin compoſitum, & ex **El-hoot** **Loot** formatum eſſe aſſeras, vtrouis modo excellens caput denotaris. Nos papauer **Mancop** nominamus, eo quòd inter alia capitis nomina **Cop** etiam ſit vſitatum; *Papauer. Cop. Coppen. Mancop.* ſed ea ratione, vt caput non referat ad corpus. Hinc **Coppen** eſt caput amputare. **Mancop** ſi breuis ſit in priore ſyllaba vocalis, viri caput deſignat; verùm ſi producatur, Lunæ caput ſignificat: quod poſterius veritati priſcæ propiùs accedit; tametſi in altera ſignificatione non parum illi Indiæ principes rationis inuenient, qui opium ad libidinis irritamenta quotidiano habent in vſu, atque idcirco hac ſua libidine mercatores Thebai- *Lunæ frigida quæque & ſoporifera ſunt ſacra.* dis inſigniter hactenus ditant. **Mancop** verò longa vocali priore, ob eam cauſſam papauer dicetur, quòd frigida & quæcumque ſomnum conciliant, Lunæ conſecrentur, vt

quæ

quæ noctis frigidæ & ſoporiferæ domina ſit & gubernatrix. Latini quamuis herbam papauer vocent, capita tamen in ea agnoſcunt: & ſi vera eſt hiſtoria, papauerum capitibus demeſſis indicatum quondam fuit, principũ virorum capita præcidenda eſſe, quo vnius tyrannis ſtabiliretur. Videamus itaque ecquid Græci in hac herba ſimile agnoſcant, apud quos κωδία caput papaueris nuncupatur. Etymologici auctor à κῶμα deducit: cui propterea non credo, quòd videam apud Heſychium Mileſium, virum longè ſermonis Græci peritiorem, annotatũ eſſe, his vocibus κωδία & κωδὶς caput ſine corpore ſignari: cuius aſſertionis auctoritatem & latiorem explicatum is nobis inuidit, qui copioſiſſimũ auctorem in compendium contraxit, aut potiùs mutilauit, & genuino ſuo exuit ornatu. Frequenter mihi illud iterandum, nequicquam primas vocum origines alibi quàm in matrice lingua quæri. Dixi antè, vocabulum καρδία ab Hart deriuari, & plurimas ſimiles inueniri harum litterarum commutationes. Nihil igitur dubij eſt, eâdem hac corru-

κωδίας vocẽ vnde Græci habeant. Hooden.

ptelæ via ex Hooden, quo capita nobis ſignificantur, κωδίας ad Græcos pro eadem re in vſum veniſſe. Rectiſſimè igitur Heſychius fecit, quòd ſoli papaueris capiti vocem non adſtrinxerit: & contrà non bona fide ab Etymologici auctore vocabulum ad κῶμα reductum eſt: & ne id ſtatim lectori fieret manifeſtum, id quod de κωδία Heſychius ſcripſerat, ſtudioſè omiſit. Ex Hooden igitur κωδίας Græci fecerunt, quo capita vniuerſim cuiuſuis apud nos rei denotantur. Quamobrem mirum videri non debet, ſi Lotus quoque ab eadem voce Hoot genus ducat: in qua propter Cimbricam compoſitionem adſpiratio è medio exempta eſt; nec alioqui littera Lambda capax eſt adſpirationis. Nec crederem tam incorruptum Loti nomen apud Ægyptios remanſurum fuiſſe, niſi viderem eius principem cauſſam ex hieroglyphica notatione depromi: quæ cùm tota Cimmerio ſermone conſtaret, quid miremur æquè huius herbæ nomen atque Harpocratis, Manerotis, Thoot, & id genus cetera integritatem ſuam ſeruaſſe. Quòd autem compoſitio vocis ſacrarum debeatur auctoribus teſſerarum, ex ichnæa eius verſione ſtatim diſcas, quæ docet per Loot nos ad æternitatem eleuari; quod dotibus herbæ, tametſi maximis, nullo modo fuerit adſcribendum, cùm copioſo corporis pabulo ab æternorum contemplatione maximè reuocemur atque impediamur. Quod quia nemo negare poteſt, vocis artificium non tam ad herbæ naturam, quàm ad ſymbolicam rationem referre debemus: & quia ichnæa hæc vocum conuerſio noſtro ſermoni peculiaris eſt & propria, perſpicuum fuerit cui linguæ huius vocis origo debeatur. Prima itaque huius ſymboli occaſio arrepta eſt è ſympathia floris & Solis; atq. ex ea proceſſit fabula, Apollinem è Loti flore extitiſſe: quo nihil aliud indicare voluerunt, quàm ex Loti conſideratione nos venire in Solis cognitionem; & ex Solis iterum inſpectione nos ad altiſſimi capitis notitiam peruenire. Eſt enim ea ferè hominũ natura, vt veluti pecudes alimenta

Hominum in cæleſtium corporum pulcritudinis contemplatione negligentia.

ſua è limo & terræ vligine producta diligentiùs attentiusque conſiderent, & eorum naturam accuratiùs rimentur, quàm cæleſtium corporum pulcritudinem, motionem & facultatem; qua hæc inferiora moderantur & gubernãt. Quotus enim quiſque eſt non plebeiorum modò hominum, ſed eorum etiam qui ſibi vel de iuriſprudentia, vel theologia, vel de hiſtoriæ & antiquitatum cognitione maiorem in modum placent, qui Solis & aſtrorum curſus varietatem obſeruarit, & ex ea noctium & dierum, caloris & frigoris, & ceterarum rerum diuerſitatis cauſſas norit explicare? Diſpeream niſi me ſæpius pudeat tam barbaræ noſtri temporis ignorantiæ, quo nihil omnino bene diſcitur, niſi quod faciat ad farinam, & rectà tendat vel ad ambitionis vel ad auaritiæ augmentum. Et quod magis mireris, non raro ab his hominibus audias, ſe lubenter Arithmeticam, Geometriam, Aſtronomiam, Muſicam, & ceteras liberales artes ignorare; quòd ex iis nihil accedat culinę, aut dignitati ei quam vel ex magiſtratibus, vel ex ſacris ordinibus maxima ingenij contentione ſectantur; adeò omnium ferè animi hac ætate ſordibus obruuntur, & quicquid diſcunt, in turpiſſimam deiiciunt ſeruitutem. Vetuſtiſſimi igitur illi Ianigenæ, quo perpetuum Ægyptiis relinquerent eius viæ monumentum, qua ex corporis pabulo excellentiſſimo ad ſummi capitis cognitionem ve-

Apollo cur è Loto primùm extitiſſe fingatur.

niretur, & à temporario cibo ad cibum ſempiternum; Apollinem finxerunt è Loto primùm extitiſſe, id eſt, ex hac inferiorum cum ſuperioribus ſympathia & naturali connexu nos cognouiſſe hæc terrena omnia à cæleſtibus corporibus gubernari; atque inde paullatim adſcendendo, tandem deprehendiſſe vnum ſuper omnia caput eſſe, quod

non

non hæc modò elementa, ſed cælos etiam imperio ſuo cõtineat atq. verſet. Sic Ariſtoteles cùm animaduertiſſet generationis & corruptionis cauſſas ex Solis acceſſu & receſſu in obliquo circulo pendere, & omnia hæc elemẽta vnà cum iis quę ex ipſis coaluerunt, à cæleſtibus temperari & regi; ad cælos adſcendit, & ex perenni ipſorum regreſſione eò tandem peruenit, vt vnum totius mundanæ agitationis caput eſſe deprehenderet, quod ipſum immobile omnia ſempiterno motu cieret. Iam ſi Deus tantam curam vnius herbæ habuit, vt eius naturam ipſi Soli generationis auctori tam arcta colligaret cognatione; quid credemus eum in hominibus feciſſe, quorum cauſſa non plantas modò omnes & animalia, ſed ipſum etiam Solem creauit? Abſurdum enim ſit, vt non diuina mens arctiore vinculo humanam ſibi mentem, quàm Niloticam plantam ipſi Soli alligarit, cùm ad hominis vſum omnia cetera corpora & cæleſtia & elementa, & ex his compoſita deſtinarit. Quæ cùm ita ſint, videamusque quàm hæc planta preſſis veſtigiis eum ducem ſequatur cui eam Deus ſubiecit, æquum eſt vt cogitemus, tanto nos propiùs & diligentiùs ſummi capitis imperium ſequi debere, quanto animus noſter corporis ſui pabulo præſtantior eſt & diuinior: quod ſi fecerimus, omnem humani officij ſummam nos abſoluiſſe exiſtimemus. Mirabilis eſt ſanè huius plantæ cum ſuo duce conſenſus, dum vt ille vel ad hemiſphæriũ emergit, vel ab eo recedit; ita hæc ſe vel aquis exerit, vel in eas ſubſidit. Plurima ſunt nobis in hac herba diligenter annotanda, quorum præter ea quæ modò dixi, quæ & maxima ſunt, eſt illud vnum, quòd flos eius ſtatim ſimulac Sol horizontem ſuperarit, totum ſe ad radios eius excipiendos conuertat & expandat; verùm vbi finientem circulum ſubiuerit, ſe contrahit & ſub aquis abſcondit: quod nobis à teneris vnguiculis, in ipſo maximè ætatis flore, imitandũ; vt nimirum ſi quis Apollo ſiue occultorũ reuelator Solis radios nobis affundat, animos noſtros ſalutari doctrina illuſtret, ei nos totum ingenij noſtri floſculum aperiamus: at ſi hic diſcedat & tenebræ offundantur vel ab ignorantiæ patronis, vel à cacodæmonis miniſtris, tum ſtatim nos ipſos occludamus, & cogitatione & mentis oculis nos ad illum qui diſceſſit conuertamus, vt in eorum quæ ab eo accepimus meditatione tantiſper taciti quieſcamus, dum rurſus aut ille idem, aut alius veritatis doctor exiſtat qui nobis benigna ſani ſermonis aura affulgeat. Quãuis autẽ & alij flores ſint qui ſeſe Sole diſcedẽte claudunt, & rurſus eo exorto aperiunt; nulla tamen planta eſt in Ægypto quæ vel nobilior ſit & omnibus notior, vel illuſtriùs demonſtret, Solem nobis eſſe perpetuò ſequendum. Qui memoriæ artem tradiderunt, loca ſibi ſumunt maximè nota, vt quid quaq. illorum ſede collocarint, promptiſſimè reminiſcantur. Eadem de cauſſa in parabolis & ſymbolis quanto quæque res magis nota eſt, quantoque omnibus euidentior, tanto latius ſignificationis ſuæ fructum communicat in vulgus, & ad omnem porrigit ætatem. Sit ſanè, fuerint aliæ apud Ægyptios herbæ quæ Solem ſequerentur, at nulla tamen fuit quæ vel excellentior eſſet, vel frequentior omnibus in vſu; eo quòd ex eius non ſemine modò copioſiſſimo, ſed radice etiam edulia ſibi delicata quotannis pararent: quo fit, vt non ex alia planta faciliùs cæli & terrenorũ poſſent manifeſtare cognationem; in qua cognoſcenda & ad primam originem deducenda qui ſapiens eſſet, eum Mag-wis Ianigenæ ſoliti ſunt vocare. è qua voce Magorum nomen ad alias venit gentes; & tandem dum quid ſignificaret ignoraretur, detortum eſt ad eos qui dæmoniacas fraudes exercerent, & præſtigiis hominum ſimplicitati imponerent; quibus non magis conuenit, quàm ſapientis nomen inſano atque furioſo. Agnouerat Socrates hanc rerum cognationem per ideas à ſummo patre ad omnes res creatas deſcendere, & in ea ſciebat totam philoſophiam verſari, tametſi huius noſtræ interpretationis conſcius non eſſet. Quid? an non & Homerus dum Iouem hominum & deorum patrem vocat, & ab eo omnia catena quadam eſſe ſuſpenſa canit, hanc quoque nobis generis neceſſitudinem ſatis indicauit? Iam quid Ariſtoteles aliud facit in primæ ſapientiæ libris, quàm quòd omnẽ rerum multitudinem in certas familias diſtribuit, & familiarũ capita deſignat, & hæc rurſus ad ſuperiora capita refert; & id tantiſper facit, dum tandem ad ſupremum caput totius rerum cognationis adſcendat, atque illud purũ contemplationis æternæ actum agnoſcat, qua ipſum videlicet ſupremum generis caput ſeipſum intuetur, & ex ea ſempiterna fruitur voluptate. Sic D. Paullus ait, inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpici, atq. inde ad ſempiternam eius virtutem & diuinitatem à ſapientibus

Loti cum Sole ſympathia.

Magi nominis etymon.

perueniri. Hæc igitur cognatio in loto deſignabatur; è qua idcirco Apollo puſio adhuc dicitur natus, quòd ex ea omnis reuelationis arcanorũ principium ducatur. Et optimè profectò tenellũ adhuc Apollinem ex hac herba natum eſſe fabulãtur, propterea quòd omnis Dei cognitio ex hac ſola cognatione reuelata puerilis adhuc ſit & manca, & impos eius greſſus quo ad perfectam & omnibus numeris abſolutã Dei cognitionẽ homines euadunt. Hæc enim non ab Apolline puſione, ſed ab Apolline iam viro per fidem in Chriſtum reuelatur; qua certiores facti ſumus alterius cognationis multo maioris, qua nimirũ Deus homo factus nos ſibi fratres in hæreditatem patris cooptauit, vt idem nobis pater eſſet ac creator, & idem frater, quo nos à regno patris exſules iuſtitia ſua reſtitueret ac in patriam reduceret, iam deinde cohæredes futuros æternæ felicitatis. Huius myſterij reuelator perfectus eſt Apollo, qui non alius eſt quàm Spiritus ſanctus, & ipſe Chriſtus in quem D. Ioannes Spiritũ ſanctum vidit deſcendentem. Vt igitur duplex eſt humani generis & Dei cognatio, & duo quoque ſunt Apollines; ſic & duo ſunt genera Magorum. Alij enim beneficio Apollinis puſionis Magi ſunt & cognationis periti, quales veri fuerunt philoſophi: alij gratia Apollinis perfecti, qui Spiritus ſanctus eſt, cognationis ſecundæ, & multo quàm prior eſſet maioris, reuelationem acceperunt; quales omnes fuerunt Prophetæ, & veri vates Spiritus ſancti inſtinctu de Chriſto oracula hominibus edentes. Sic Balaam Magus dici potuit, cuius ſucceſſores D. Hieronymus eos Magos facit qui ad Chriſtum in Bethleem recens natum venerunt. Mihi de ſucceſſione non aliud occurrit, quàm quòd omnes qui pòſt à Spiritu ſancto accipiunt reuelationem eorum quæ prius aliis fuerunt inſpirata, dicantur priorum ſucceſſores; quia nimirum ab eodem ſpiritu eadem accipiant reuelationis dona. Nobilis fuit apud Perſas Magorum ſapientia; quorum nationis an tres Magi fuerint, vt difficile ſit aſſerere; ita illud conſtat & nomine & profeſſione Magos fuiſſe, id eſt, rerum naturalium & cæleſtium motionum peritos; ac iis ſingulari gratia ſtellam nouam fuiſſe oſtenſam, quam priùs nõ vidiſſent, & Spiritus ſancti afflatu reuelatũ fuiſſe hanc eſſe illam ſtellam quam Balaam dixerat in Iudæa orituram: & idcirco aurum, vti Regi; thus, vti Deo; myrrham, vti mortali eos infanti obtuliſſe: quibus donis tam luculentum ediderunt de Chriſto oraculum, vt haud videam, quídnam in omnibus vaticiniis ei præferri debeat. O ſtupendam Dei erga exteras gentes benignitatem, quibus aduentum ſuum priùs clariſſimè reuelauit, quàm ipſi ſacerdotes & legis periti vaticinia de Meſſia perpetuò iactantes quicquam ſubodorati eſſent! Ex his modò liquere puto, quid paruulus ille puellus, partibus inferioribus adhuc infirmus, è loto naſcens deſignarit. Vt enim ſummatim dicam, hoc ſymbolo docemur veram omnium rerum creatarum cognationem, quarum nulla tam vilis eſt & degeneris naturæ, vt non ideam aliquam referat diuinitatis. Terra à cælo quàm longiſſimè receſſit, nec eius lumen ad partes ſuas intimas admittit, nec quicquam habet motionis circularis; ſed inerti pondere ſemper depreſſa iacet; attamen hæc ſuam etiam habet diuinitatis imaginem; & eam quidem multiplicem, tot modis diſtinctam, quot in ea reperiuntur idearum ſimulacra. Inter cetera quietem habet perennem, qua Deum & beatorum ſedem inſigniter imitatur & nobis ob oculos ponit, & idcirco à ſacris litteris eum accepit honorem, vt terram viuentium beatorum locum nuncuparent. Nihil igitur inter res creatas tam abiectum eſt, vt nulla in eo diuinitatis ſimilitudo reperiatur: ad quem modum ſi de Platonis ideis ſiue æternis rerũ omnium exemplaribus ac formis cogites, ſtatim videbis quàm iniquum ſe Ariſtoteles præceptoris ſui præſtiterit cenſorem. Scimus in gentibus quibuſdam primorum parentum longa plurimorum ſucceſſione ſimilitudinem quandam conſeruari; à qua ſi mentem ad omnium patrem transferas, an te ab omni ratione tam longè remouebis, vt eius vim genitricem minùs virium habere dicas, quàm cuiuſpiam è medio vulgo hominis, cuius aliqua nota peculiaris ad poſteros tranſit? Abſit tanta iudicij peruerſitas, abſit tam impia de creationis arcanis ignorantia, vt quicquam omnino eſſe credatur, quod nõ hoc ipſo quod eſt cum primo ente habeat cognationem, & hoc ipſo quod partibus ſuis conſtat vnitis ipſius primi Vnius ſoboles ſit, & quidam per gradus cognationis ab vno patre defluxus. Cùm igitur Ianigenæ, quicumque tandem illi fuerint, ſiue Phryges, ſiue alij, hanc ſapientiæ viam Ægyptiis & oſtendere vellent, & expoſito omnibus exemplo perpetuæ memoriæ conſecrare; Lotum ad allegoriam vocarunt, vt nimirum ex domeſtico

Apollo cur è Loto natus fingatur.

Magorũ duo genera.

Magi tres quæ Chriſto obtulerint munera.

Puſionis è Loti flore naſcentis ſymbolum quid ſignificet.

Platonis idea.

& ver-

& vernaculo ſibi pabulo ad cognitionem veri animorum pabuli ducerentur; & non ſolùm quæ vera eſſet ſapientiæ methodus oſtenderent, ſed fructum etiam eius in hac vita carpendum demonſtrarent. Neque frugifera dici poteſt eorum philoſophia, qui cùm ex rerum cognatione ad Vnum omnium principium deducti ſunt, non idem primo ſuo patri exhibent officium, quod Soli lotum quotidie præſtare cernunt. Hic enim ſcopus eſſe debet omnium ſtudiorum, vt vnum Deum patrem in omnibus quæramus, & inuentum ſic colamus, vt eum coli decet, citra cuius præſentiam ne momento quidem temporis eſſe poſſemus, nedum bene viuere & lætari. Quamobrem ſi ſuauiter viuere velimus, neceſſe fuerit vt vnum ſolum Deum colamus & adoremus; & non adoremus verbis & externo ritu tantùm, ſed tota mente & omnibus mentis operibus, ita vt eum perpetuò tum exteriùs erga alios, tum interiùs apud nos ipſos ducem ſequamur, & ab eius imperio & nutu nulla perturbationum vi, nulla dæmoniaca fraude, nullis hominum blandimentis deuios nos ferri ſinamus. Quòd ſi his Ianigenarum monitis Ægyptij paruiſſent, numquam in tam fœdam incidiſſent idolomaniam, numquam tam impias de diuinitate opiniones vel ipſi ſuſcepiſſent, vel ad alios propagaſſent. Accidit videlicet illis quod D. Paullus de philoſophis ſcripſit, qui cùm vnum Deum è rebus creatis eſſe deprehendiſſent, mox ab eo deſciuerunt: & quem Deum cognouerant, non vt Deum honorarunt, ſed aut inanibus titulis & fabulis, aut rebus creatis, aut ipſis cacodæmonibus diuinos attribuerunt honores; ob hoc ipſum tanto plebeiis hominibus ſceleſtiores, quanto grauius eſt, ſcientem & volentem, quàm ignorantem atque ſeductum à vero Deo omnium patre & vnico cuſtode diſcedere, & ſe in certum præcipitare exitium & mortem ſempiternam. Quid enim aliud eſt à vitæ datore & cuſtode transfugere, quàm ſe ire perditum? Nihil igitur in omni hominum genere perditius iis qui Deum nouerunt, & tamen non vt Deum honorarunt: in quorum numero vti olim philoſophi fuerunt; ita multo magis ſunt hodie Chriſtiani illi qui patrem ſuum, quem per Chriſtum norunt, non vbique & ſemper ſequuntur, iuxta illud Apoſtoli, *Scienti & non facienti, duplex peccatum*. Lotus ergo Ægyptiis non ſolùm viam & rationem per cognationis gradus Dei cognoſcendi præmonſtrabat, ſed vnà fructum philoſophiæ vnicum & ſolum vitæ neceſſarium indicabat; qui totus in eo conſiſtit, vt nos rectam rationem veluti Solem noſtrum, recta ratio Deum vti patrem ſequatur: atque ita toti non ex nobis aut quauis alia re, ſed ex Deo pendeamus; non ſecus ad eius imperium parati, atque membra corporis noſtri, dum bene valent, capitis iuſſis obtemperant. Et hoc quidem fuit commodiſſimum & breuiſſimum veræ doctrinæ & arcanorum reuelationis compendium, quo ex ſuaui corporis cibo ad ſuauiſſimum animorum pabulum perueniretur; & idcirco nomenclator ſic Lotum vocauit, vt eius ichnæa conuerſio doceret, nos ad æternam ſublimitatem eleuatum iri, ſi ductum ipſius loti fuerimus ſecuti. Nam, vti dixi, Lambda ſiue vocalem addas ſiue non addas, nobis ſemper idem ſignificat quod ſublime vel ſublimo: vnde, ſicut **loot** ſublime caput ſignificat; ita vim verbi quoque intellexeris, ſi dicas eo ſignificari, ſublima caput, vel ſublimo caput; vt illud ſit monentis, hoc ſit herbæ aſſerentis, ſe caput in altum eleuare. Et quia bene docet ſolus ille qui bene præit, bene factum eſt, vt **loot** vtrumque ſignificet, & ſublimo & ſublima, dum vt verbum accipitur. **Loot** itaque hoc ſuo nomine non ſolùm altum caput eſſe & excellens denotatur, ſed monere etiam intelligitur, vt qui eam videt ac conſiderat, ſic caput attollat, vt ipſa ſolem ſecuta caput in altum effert. Iam quis inde ſperari fructus debeat, vox retrò lecta declarat; quam ſi herbæ pro eo ac debes applices, idem dicit ac ſi Latinus diceret, Ad æternum leuo ſiue exalto. Verùm quia **oo** non ſolùm æternum ſignificat, ſed altum etiam, vt quæ reapſe ſeiungi non poſſunt eadem quoque voce denotentur, fit vt meliùs reddideris ſi dicas, Ad æternam ſublimitatem, ſiue ad ſublimem æternitatem exalto: quod clariſſimè **te-oo-el** denotat; quod ſi contrahas, **T'oo'l** habebis. Quid clarius eſſe poteſt? Pronuntia dumtaxat ipſas litteras eo ordine quo ponuntur, nónne **te-oo-el** audis? Atqui hoc idem eſt nobis ac ſi Latinus diceret, Ad æternam ſublimitatem exalto. Latini ab **eelt**/ quod ſignificat nobilitat & ad altum attollit, Altum fecerunt: & alia via ab **hel** cum adſpiratione, quam extra compoſitionem ferè adhibemus quo ſpiritus in altum ferat, Celſum ſibi finxerunt: haud ſecus ac κωδίας ex **hooden** ſumſerunt, & ab **horn** Cornu, & multa alia, quorum nonnulla antè

Studiorũ omnium ſcopus.

Deus vnus colendus & adorandus.

Philoſophiæ fructus.

T'oo'l.

Eelt.

Alti & Celſi etyma.

poſuimus exempla. Ineptum eſt quod Feſtus dixit, Celſum à κέλης fieri; eo quòd qui equo vehuntur, ſublimes ſint. Lotus itaq. primogenia ſua voce, quæ eſt Ioot, pollicetur ſe ſui imitatores donaturam æterna ſublimitate: quod haud dubiè præſtabit, ſi in virum adoleſcat, id eſt, huic Dei è naturalium rerum cognatione notitiæ eam addat quæ ex Spiritus ſancti reuelatione contingit, quæ maſculum habet robur omnibus numeris abſolutum. Forma autem puſionis videtur Harpocrates eſſe recens natus. Quòd autem lapis ſit heliotropius, id in lotum & totius ſymboli ſignificationem optime quadrat, eo quòd huius lapidis nomine ſtatim intelligamus qua de cauſſa Apollinem puſionem è loti fructu produxerint. Statim enim videmus illud in loto ipſos maxime annotandum putaſſe, quòd ſeſe cum Sole circumagat, & eius ductum, quocumque ſe vertat, promptiſſimè ſequatur. Vnde liquet frigidum & prorſus ineptum eorum eſſe commentum, qui hoc puſione Solem dumtaxat orientem deſignari apud Plutarchum

Heliotropij locus natiuus, color & nominis ratio.

prodiderunt. Heliotropium Plinio naſcitur in Æthiopia, Africa, Cypro, porracei coloris, ſanguineis venis diſtinctum. Cauſſam nominis dat, quòd in vas aquæ deiectum fulgorem Solis accedētem percuſſu ſanguineo mutet. Eandem ait extra aquam Solem ſpeculi modo accipere deprehenderéque defectus, ſubeuntem Lunam oſtendens. Addit Magorum vanitatem, qui hanc certis precibus adiectis, vnà cum herba heliotropio præſtare dicunt, vt quis non conſpiciatur. Ego hîc nihil ſani video: & quod de Solis percuſſu, & quod de Eclipſi dicitur, vanum eſt. Quod de heliotropio adiicitur, crediderim equidem eum qui hunc lapidem ſecum ferat, & vnà Lotum heliotropiam noctu ſequatur, non conſpectum iri. Mihi placet lapidi nomen datum à colore Heliotropij minoris, quod tricoccum Aëtius vocauit; quod pallido virore præditum eſt, & intus ſucco ſanguineo turget. Quia enim gemma ſanguineas quaſdam venas oſtendit, videtur intus eundem colorem habere quem ſuccus herbæ, licet foris in vtraque viridis

Tornesol herba apud Hiſp.

appareat. Hiſpani hanc herbam *Torneſol* nominant, vernacula voce Heliotropium exprimentes, & eius tincturam vilibus linteis exceptam ad nos ſub eodem vocabulo mittunt. Maius heliotropium *Torneſol bobo* vocant, eo quòd ſanguineo ſucco, vti minus, præditum non ſit. Ab hoc igitur minore heliotropio, cuius ſemen ſiliquis trino interuallo diſtinctis continetur, lapis nomen mihi videtur accepiſſe, quaſi & ipſe tritus cruorem ex venis illis, quas oſtentat, daturus eſſet; nec aliam appellationis cauſſam reor inueniri: quam cùm alij ignorarent, nec ſcirent minus heliotropium ſub pallido virore purpureum ſuccum occultare, varia ſomniarunt, & in re tenui magnas nugas commen-

Heliotropij herbæ genus duplex deſcribitur.

ti ſunt. Equidem vtrumque Heliotropij genus frequenter in eiſdem agris copioſiſſimum vidi, maximè circa vallem Dolitanam. Maius altiùs aſſurgit, ſed minoribus eſt foliis, & floſculorum pediculum, haud ſecus ac ſcorpius caudam, reflectit; vnde *Scorpiuro* nomen. Huic ſemen thecis incluſum eſt quaternos loculos foris intuſque oſtendentibus: qua nota ſeſamo comparatur. Quod Dioſcorides in flore ὑπόπυῤῥον vocat (neq. enim ὑποπόρφυρον legendum) non deprehendes, niſi accuratè floſculum intus conſpexeris; qui diligentiùs intuenti nonnihil ſubfului oſtendit. Minoris heliotropij theca tres loculos coniungit, vti Aëtius item annotauit, & multo maior eſt quàm ſit prioris fructus: adeò vt ſi fructum & folia tantùm ſpectes, hoc genus maius eſſe dicas: & profectò tanto maiorem adfert vtilitatem, vt huius collatione maius bobo dicatur. Lapis igitur

Heliotropium gēma à Praſio quo differat.

heliotropius minori heliotropio colore exteriùs ſimilis eſt, & rubris venis ſuis, quibus à Praſio diſtinguitur, promittit ſe intus ſuccum habere ſucco herbæ ſimilem, atque inde Heliotropium à naturæ peritis nuncupatum eſſe opinor. Ingenti tamen duritia à Praſio differt, eóque maiore in pretio habetur. Sanguinem eo cohiberi quidam volunt, & certa rei iactant experimenta: quod facilè credetur ab iis quibus placet occultas rerum facultates externis quoque notis frequenter indicari: quod in plurimis ſanè ita habere deprehendo. Reginæ Angliæ calicem ex hac gemma eſſe dicunt, quo non raro ad bibendum vtatur. Quòd ſi ſe cum Sole, quod equidem needum credo, verteret, inſignem nobis præberet vſum. Nam leui ligno impoſitus aquæ vel oleo innatare poſſet, atque intra vnius exiguæ ſcutellæ, cuius limbo horæ inſcriptæ eſſent, capacitatem, totū nobis Solis curſum quouis momēto indicare: qua cōmoditate quid poſſet eſſe maius ad plurima diligenter obſeruāda citra errorē, in obſcuriſſima etiā nocte vel die nubibus obſcuro? Vtinam eiuſmodi heliotropiū haberem: næ ego pluris eū facerē, quàm quicquid

vſquam

vſquam eſt carbunculorum. Sufficiant hæc de Heliotropio. Inueniuntur & aliæ gemmæ quibus hic puſio Loto inſidens inciſus ſit; quarum vnius ectypon Langius ad me miſit, vir omnis reconditæ litteraturæ ſtudioſiſſimus, tum accuratiore antiquitatum & totius rei herbariæ cognitione vix pauciſſimis conferendus, nedum cuiquam ſecundus. Verùm quia per omnia illius ſcalptura cum hac Heliotropij facie, quam modò expoſui, conueniebat, nihil mihi attulit vlterioris myſterij, atque idcirco non eſt cur ei diutius immoremur. Reſtat nunc ſymbolum ſiniſtra manu comprehenſum, cuius vel ſolius cauſſa nobis de Harpocratis figura antè tractandum fuiſſet, quàm ad hieroglyphicas litterarum notas accederemus. Ex hac enim acuti anguli ſurſum tendentis imagine primi elementi figura conſiſtit. Verũ quia in Canopo de hoc ipſo ſymbolo rurſus erit agendũ, hîc non aliud annotabo, quàm vitæ ſignum hunc angulum habere; & idcirco nos moneri, totam Harpocraticæ imaginis ſignificationem ad eam vitam ſpectare, quæ è lato ſpatio in quo homo verſatur, ſe totam refert ad vnum ſupremum apicem, qui non alius eſt quàm ipſe Deus, via, veritas, & vita. At de hoc ſigno & eius notatione latiùs in Aleph. Tranſeamus ergo nunc ad priorem Harpocratis imaginem, quam Pyrrhus ex ære depromptam, Pighio; Pighius mihi communicauit. In hac enim quædam ſunt communia, quædam præcipua & propria; quorum vt illa non ſunt repetenda, ita hæc quanta fieri poterit breuitate perſtringenda, ne ſingulorum latitudinem perſequentes, nullum tandem exitum reperiamus. Plurima enim ſunt ſymbola, & ſingula tam vberes habent & rationes & ſignificationes, vt quot ſunt, tot codices non iniuria poſtularent. In primis hæc tanta varietas indicat, ſimplici veterum Harpocrati, quem modò expoſui, plurimas poſtea phaleras acceſſiſſe; idque ea maximè ratione, quòd phylacterio eius tantundem virium eſſe putabatur, quantum ceteris diis omnibus *Harpocrates multorũ deorum inſtar.* ſimul ad auxiliandum congregatis. Iuuenalis cecinit: *Nullum numen abeſt ſi ſit prudentia.* Eodem modo potuerit dici de Harpocrate, & longè fortaſſe verius: *Nullum numen abeſt cui cuſtos Harpocrates ſit.* Cùm igitur multorum numinum inſtar vnus haberi crederetur, videntur ei ceterorum quoque præcipua ornamenta & inſignia tribuiſſe, maximè eorum quibus cum putarent ei eſſe quandam cognationem. Hanc ſi velimus *Harpocratis ornamenta & inſignia.* ſequi rationẽ, breui opera omnia abſoluerimus, dicendo facem accenſam Cereris eſſe, pharetram & arcum Cupidinis, vlulam & ſerpentem Palladis, longam aſini aurem Sileni vel Bacchi, gallum Æſculapij indicium habere. Verùm ſcalpturæ elegantia mereri mihi videtur, vt artificioſius explicetur, nec tam pinguem admittat philoſophiam. Nos itaque ſingulas teſſeras Harpocrati accommodabimus, & omnes ad eundem ſcopum tendere oſtendemus: atq. id quidem tanto conſenſu, vt ex omnibus ſimul iunctis non alius quàm vnus exſiſtat Harpocrates; licet diuerſis indiciis diuerſa eiuſdẽ officia monſtrentur. Primùm igitur quid fax accenſa in ſiniſtra faciat, aperiendum. Si facis conſi- *Fax accenſa in ſiniſtra Harpocratis, quid ſignificet.* deretur vſus pro eo ac debet, mox intelligemus imbecilliori hominis parti lumine opus eſſe & flama, qua in apicem ſurſum feratur ad ipſum luminis & caloris omnis auctorẽ, ad quem vitæ ſignum ſiniſtra Apollinis è Loto emergentis manu comprehenſum nos tendere debere demonſtrabat. Totus autem noſter vetus Adam ſiniſtra parte deſignatur, eo quòd totus mancus ſit, atque adeò in mortis tenebras deiectus: niſi ab alieno lumine & flama vitam rurſus accipiat, & nouo accendatur deſiderio ſupernorum. Facula igitur lumen Spiritus ſancti ſiue Apollinis ſignat: cuius ea vis eſt, vt depreſſos noſtros animos & in tenebris iacentes illuſtret, accendat, & ſecum ſurſum ad ipſum fontem lucis attollat. Nos hodie non Facht/ vt olim, ſed Fackel dicimus, à Wackelen / quod eſt *Facht. Fackel. Wackelen.* continuo motu huc illuc ferri, ignium flamis propriè applicari conſuetum. Antiquum nomen Facht videtur fuiſſe, à quo Fax, vt à Recht Rex, à Merck Merx: cuius etymon *Facis etymõ.* Feg & Fag, id eſt, mundo. Nihil enim æquè aërem mundat ac ignis accenſus; omnis *Feg. Fag.* ille quidem plurimum ad id virium habens, ſed nullus præſtantior, quàm is qui lignis reſiniferis & ſuaues odores lacrymantibus conſtat. Porrò vt ceteri ignes alia circumfuſi aëris vitia purgāt; ita fax non ſolũ hunc vſum præſtare ſolet, ſed & alium longè diuiniorem; quo nimirũ nocturnas tenebras, horrendũ hominibus malum, diſcutit ac procul à ſe pellit: qua de re præ ceteris ignibus facis nomen meretur, id eſt, flamæ purgantis atque mundantis. Inſignis igitur ſignificationis nota eſt, dum ſiniſtræ hominis appingitur, ad tenebras partis mortalis depellendas. Solet hoc quoque ſigno vita denotari,

ob eam quam in Aleph expoſituri ſumus cauſſam, vbi latiùs de toto ignis ſymbolo & pyramide, & angulo acuto, quem Apollo & Canopus oſtentat, erit agendum. Hîc ſatis eſto dixiſſe facem Harpocrati prorſus eſſe neceſſariam, eo quòd tum depurgato animo & ab omnibus ſordibus libero ei opus ſit, tum etiam luminis plurimi egeat, quo deſideratum ſibi mentis pabulũ perueſtiget. Ceres natam perditam face quærit, id eſt, ſemen terræ commiſſum vitali calore reſuſcitare conatur: at quid Harpocrates reperire velit, eadem manu indicat. Præfert enim tres codias, non illas quidem papaueris, vt quidam

Loti tria capita in manu Harpocratis quid notent.

fortaſſe ſunt opinati, ſed Loti; quibus quid aliud ſignificat, quàm perfectum & trinum ſe quærere alimentũ; & id certè non corporis, quod iam in manu habet, ſed illud cuius corporis pabulum eſt ſacramentum. Non ſine maxima igitur ratione tres codias dederunt qui primi fuerunt ſymboli auctores, quo nimirum intelligeremus, diuinum eſſe, non humanum aut mortale quod facis ope quæreretur. Virgilius communem veterum ſententiam ſecutus cecinit: *Numero Deus impare gaudet.* Cuius cauſſam dum Ser-

Ternarius numerus perfectus.

uius quærit, ſatis oſtendit quàm veræ philoſophiæ nihil ſciret. Nec multo ſaniùs Ariſtoteles eſt in ternarij conſideratione verſatus, dum egregio ſophiſmate principium eorum quæ de cælo ſcripſit ornare vellet. Fatetur ſe à Pythagoreis didiciſſe, ternarium omnia eſſe: at dum hoc propoſito ſuo applicat, & neſcio quæ alia inde colligit, oſtendit ſeſe huius ſententiæ vim non aſſecutum fuiſſe: atque adeò ſic credo ne ipſum quidem Pythagoram ſatis quid diceret intellexiſſe. Erant enim apud vetuſtiſſimos homines certa quædam ogeniæ veritatis documenta, à maioribus illa quidem accepta, ſed quid iis ſignificaretur vel nullis vel pauciſſimis, quos æquus amauit Iupiter, erat notũ. Inter illa & hoc vnũ fuiſſe cerno, quo nihil perfectum, quod non ternario conſtaret; ac quicquid tribus conſtat, id omnia eſſe atque perfectum diceretur. Nos in figura Daleth latiùs hac de re loquemur: hîc obiter monebo, omnium rerum creatarum eſſentiæ imaginem

Tria ſunt omnia.

quandam ineſſe Trinitatis creatricis, atq. inde dici, Omnia tria eſſe: quod vt Chriſtianis claram habet ſignificationẽ, ita apud vetuſtiſſimos fuit celeberrimum: quod Ariſtoteles infinito profanius quàm Plato interpretatus, ad rem eam accommodauit in qua nihil faceret ad Bacchum. Tria igitur Loti capita diuinum & æternum animorum pabulum

Cupidinis armorũ, arcus & pharetræ in Harpocrate ſignificatio.

deſignant: ad quod perueſtigandum face vtamur neceſſe eſt. Arcus & pharetra Cupidinis vim indicant; ſed eam quam tum Cupido maximè exercet, cùm arcu remiſſo ipſe ſuum intus fouet ignem, in pectoris pharetra multas ſagittas acuendo. Sunt autem iſtæ ſagittæ tacitæ de rebus diuinis cogitationes; quas pennis & acumine mentis armamus, vt iis nos ipſi feriamus, quo dulciſſimo amoris diuini vulnere percuſſi langueamus. Totum enim liberalium diſciplinarum ſilentium ad Amorem debet referri; & eum quidem non impurum illum poëtarum puerum, ſed cæleſtem, & è cæleſti Venere natum:

Harpocrates ipſiſſimus Cupido.

vt bene Platonis Dipnoſophiſtæ diſputarunt. Harpocrates itaque noſter hic ipſiſſimus eſt Cupido, ex Vrania Venere, quæ eadem eſt cum Themide, ſemper procedens, & ad eandem ſemper reuerſurus, & vnà ad hanc ſuam matrem pertracturus omnes quos occultis ſuis ſagittis vel leuiſſimè ſauciarit. Cum igitur amor hic in nobis è pulcritudine rerum cæleſtium & æquabili totius vniuerſitatis harmonia & concentu bene diligenterq́ue audito & attentè conſiderato naſcatur, idq́ue non alias quàm dum tranquillo ſilentio conquieſcimus ac ſedemus; cur non Amoris arma Harpocrati rectiſſimè applicentur? Sed hac de re plura qui volet, Platonis adeat ſympoſium; in quo ingentes nectaris hauſtus Socrates ſitienti propinabit: ceteroqui nihil facturus eum qui non ſiticuloſus acceſſerit. Cùm in ceteris rebus omnibus aggrediendis magna vis eſt ardentis cupiditatis, tum nuſquam hanc decet eſſe maiorem, quàm in ſtudio rerum pulcerrimarum. Ne putemus ergo poſthac ab Harpocrate Cupidinem poſſe vllo modo ſeiungi; eum,

Galli gallinacei guttur ab Harpocrate preſſum quid ſignificet.

inquam, cui Vrania Venus mater eſt. Porrò quid hoc monſtri eſt, quod ſiniſtro cubito galli gallinacei guttur premat Harpocrates? cùm tamen nemini dubium ſit, huic animali maximam cum Sole intercedere cognationem; & eam quidem tantam, vt leoni etiam hac ratione incutiat pauorem? Duo hîc in primis animaduertenda; alterum, gallum non deeſſe Harpocrati: alterum non quouis modo adeſſe: ita vt ſit in hac aui quod

Galli natura ſolaris.

placeat, ſit quoq. quod diſpliceat, niſi comprimatur. Galli naturam ſolarem eſſe, certa eius cum Solis curſu mutatio declarat; quæ tam vehemens eſt, vt animal hoc certis horarum interuallis cantare cogat. Nolo hîc generoſum eius animum celebrare, nec fabulam

bulam referre, qua Martis armiger fingitur fuiſſe: nec Luciani præterea ſomnia narrare. Ea qui volet aliũde petet. Nos ſcimus gallum eum maximum ſui vſum hominibus præſtare, quòd cantu ſuo homines quotidianas temporũ doceat opportunitates; & ea ratione eum haberi veluti magiſtrũ quendam operum omnium per horas diſtribuendorum: & quia ad ea incitat, nomen Hain accepiſſe, ceu Hit-an, id eſt, feruenter aggredere, diceretur.

Hain.

Verùm quia Harpocrates otium quærit, & omnium operum externorum vacationem; non permittit ei, vt hoc excitandi ad labores munere fungatur; & ideo quemadmodum digito ſua labra compeſcit; ita huic cubito guttur coërcet. Sed interroget quis, ſi nulla huius auis vtilitas ſit ad ea vel præſtanda vel iuuanda quæ Harpocratis ſymbolo denotantur, cur ad partes vocetur; cur non potius, vt nihil ad rem faciens, omittatur, perinde ac picæ, cornices, graculi, philomelæ, & ceteræ id genus auiculæ aut garrulæ aut canoræ? Et certè ſi nocturnum quæratur ſilentium, luſcinia potius quàm gallus compeſci debuiſſet, quòd ea ſola totas ſæpe noctes canendo ducat inſomnes; hic vix ter ſtridulam & minimè durantem vocem exhalet. Eſt quidem hoc ita; verùm, vt dixi, gallus animal ſolare eſt, & inter omnia ſolaria tenet principatum, adeò vt non fruſtra videatur erigere criſtas. Cùm igitur diligenter diurni temporis vices obſeruet, atque homines ad agendum incitet, non potuit apud Harpocratem aſymbolus manere. Cùm enim maxima cupiditate id quod quieſcens agit agere videatur, vti Cupidinis arma declarant; quid gratius habere potuiſſet, quàm animal ſub cubito tenere, in cuius gutture iam vocem moliente ſentiretur tacitum & internum incitamentum? Quamuis enim vocem edere nequiret, vrgebatur tamen ad vocem: & quod exteriùs præſtare non poſſet, id muſculis & vocalibus inſtrumentis moliebatur: quod facile erat ei ſentire, qui cubito guttur preſſum teneret. Gallus igitur hic ſic poſitus eſt, vt non cantet ille quidem, nec ſilentium rumpat; ſed vſum tamen eum præſtet, vt tacita corporis molitione ſolaris curſus det ſignificationem. Neque verò ſolis Regibus, gentium ſuarum ſalutem ſedulò tueri ſtudentibus, nec ſolis militibus noctu identidem eſt expergiſcendum; ſed iis etiam qui curam gerunt animi ſui diuinarum rerum cognitione excolendi. Et reuera non poteſt dici ſerio aliquo ſtudij genere teneri, qui ſeſe non comparet vt Rex fiat; ſi non populi, at ſaltem ſuiipſius: quo fit, vt ſi Regi & homini militari nocturni temporis ſpatia ſunt dimetienda, ſint etiam & illi diligenter diſpenſanda, qui & ſeſe ad verum regnum paret, & non contemnendum noctu contra brutam naturam bellum gerat.

Regibus & militibus nocturni temporis ſpatia dimetienda.

Quiſquis igitur ſeriam operam bonis diſciplinis nauabit, ei nocturni temporis accuratè ſubducendus eſt calculus; tum quia regnum ſibi parare molitur, tum quia militat contra domeſticum hoſtem, quem nullis portis, ſed ſola interna poteſt excludere cuſtodia. Quid? an leue hoc videtur bellum quod non tantùm ciuile eſt, nec vnis tantùm opidi mœnibus eſt incluſum, ſed intra vnius hominis ſepta omnia inteſtinis bellis perturbat? Quòd ſi bellum difficile meritò dicatur, in quo tanta eſt hoſtis vel dexteritas vel potentia, vt rarò cõtra eum victoria quis potiatur; non video aliud bellũ grauius, quàm ſit illud quod quiſque domi ſuæ contra ſuas ipſius gerit affectiones. Quanto autem difficilius, tanto diligẽtiore cura vigiliæ & conſtituendæ & obeundæ: qua in re qui gallinacei partes nõ nouit, is numquam Teutones in bellũ vidit proficiſci. Iam ſi periculi magnitudo & victoriæ raritas nos à pugna deterreant, actum fuerit de tota hominis libertate; & idcirco aſſiduo pugnandi & vigilandi vſu animus noſter exercendus, vt tandem illud ſibi robur paret, quo vel ſemper ſuperior euadat, aut ſaltem rarò vincatur. Atqui ad hoc nihil plus adiumenti contulerit, quàm ſi gallinaceos nobis imitandos proponamus; quorum tam magnus eſt animus, tanta magni animi conſtantia, vt vitam malint perdere, quàm alterius imperium iugumque vel ad vnum temporis ferre momentum. Sciuit hoc Themiſtocles, ſciuerunt noſtri maiores; & anniuerſariis gallorum pugnis ſollemni ritu inſtitutis, perpetuos nos eſſe voluerunt gallorum imitatores: qua in re quam laudem meruerimus, referre nec tutum eſt nec decorum.

Gallorũ ſollemnis pugna cur à maioribus inſtituta.

Imitemur igitur gallos; & imitemur non his modò quæ diximus, ſed in iis etiam quæ in hoc animali domeſticum exercẽti regnum peculiaria videmus. In primis enim non vigilem tantùm ſe ſuorum præbet cuſtodem, & manè dum tempus eſt ad quotidianum inuitat laborem; ſed ipſe primus exſilit, non tam voce quàm reapſe quid faciendum ſit oſtendens. Ipſe omnia verrit, omnia explorat, diſpicit, & ſimulac

Gallus regis, militis & boni patrisfamiliás exemplar.

aliquid eſcæ nactus eſt, gallinas & pullos ad paſcendum conuocat; interim velut pater quidam & ſympoſiarchus excelſus adſtat, & ad epulandum inuitat; hoc vnum ſemper curæ habens, vt ſuis ſit quod edant. Interea ipſe diſquirit ecquid in proximo reperiat, quo reperto rurſus ſuam familiam citat. Accurrunt ilico. Ille ſublimem ſe gerens & vndique circumſpiciens ecquid hoſtile vſquam appareat, totam cohortem circumit, & obiter granum aliquando vnũ ſibi ſumit, non citra inuitationem, vt ſe ſui conſequantur. Hæc tota denique diei ratio eſt, vt quicquid virium habet, id totum ad ſuorũ conferat ſalutem, & nullius rei minus quàm ſuiipſius ſollicitus eſſe videatur. O inſigne patrifamiliâs exemplar! ô inſignem totius maſculæ vitæ magiſtrum! Hunc ſi velimus ſequi, ſtatim, ſimulac experti fuerimus, Deo gratias agamus, ac mox totius domus noſtræ eam quam gallinaceus docet curam habeamus. Pythagoras hanc huius animalis vitam conſiderans, dixit gallum nutriendum quidem eſſe, at non immolandum: quod vt alij aliter interpretantur; ita ego inter cetera hoc dico denotare, homini hanc galli ſollicitudinem ad res corporis curandas eſſe quidẽ neceſſariam, verùm non ſic eſſe neceſſariam, vt eam etiam ad ſacrificiũ & cultum diuinũ ferre debeamus, vt quem omnis externæ curæ liberũ eſſe decet, nec vlla terreni pabuli ſollicitudine diſtineri. Abſit ergo gallinaceus à ſacrificiis, hac quã dico ratione. Iam & illud moneri videtur, cetera quidẽ animalia immolari poſſe, gallũ citra piaculũ nõ poſſe; eo quòd is qui optimũ totius vitæ exẽplar occidit, is videatur indicare ſibi nihil amplius opus eſſe laudatiſſimis huius animalis dotibus, citra quas tamen probo ſapientiq. viro non fuerit viuendum. Alendus igitur gallus, & perpetuò dũ viuimus imitandus, tum in familia alenda & propugnanda, tum in vitæ officiis per opportunas temporum vices diſtribuẽdis. Hinc Socrates iam certus mori, gallum iuſſit Æſculapio immolari; ceu diceret, Nec mihi poſthac corporis curis, nec ope medicorum, nec cuiuſuis alterius rei ad corpus pertinentis ſubſidio opus fuerit: quo fit, vt ne galli quidem, horum viui exemplaris, amplius egeam; atq. idcirco permitto, vt Æſculapio huius corporis medico immoletur, quò animal ſolare ad ideam ſolarẽ, qua corporata noſtra vita gubernatur, rurſus adſcendat; & animus iam corporis expers, ad mentem ſolarem reuertatur. Sed hæc ſat ſit indicaſſe, obſcuriora enim ſunt, quàm vt breuiter & dilucidè explicari poſſint. Æſculapius nobis eum ſignificat qui maſculum alendi robur ſemper reſarcit: quo nomine generatim illud numen denotatur quo auxiliante omnia huius vitæ munia obimus ad noſtram & noſtrorum ſalutem: & quia ſingulare huius vitæ rectè inſtituendæ exemplar eſt in gallinaceo, quod & Regi, & priuatim cuiuis in familia ſua eſt imitandum; placuit antiquis, vt Apollinis filio ſiue Apollini corpus curanti gallus conſecraretur, qui non antè, quàm quis à corporis curis liber eſſet, fuerit immolandus. Verumenimuerò in noſtro Harpocratico ſilentio hæc omnia ab externis ad interna transferuntur, vt quorum illa egent exteriùs ea nos ſimilitudine quadam ad paſtum animorum applicemus. Exiſtimet vnuſquiſque ſe moneri, vt perpetuò gallinaceum tacitum domi ſuæ habeat; & haud ſecus atque gallus totus ſolaris eſt; ita & ipſe totus à Sole ſupermundano pendeat, & in animi affectionibus moderandis inſignem ſeſe præbeat & militem & Regem; & quamuis potius ſibi mortem oppetendam ducat, quàm vllius ſeruitio deprimatur. Habuit & gallus ſuas in tragœdia ſalutis humanæ partes, dum D. Petrum monuit quàm vano faſtu ſeſe iactaſſet, à domino ſuo ſe non receſſurũ. Sed iam ſatis de gallinaceo, veriſſimo Regis & militis & patrisfamilias exemplari: quod ad animum tranſlatum, in varias admonitionum formulas trahi poſſet ab eo qui docere vellet, ſolius philoſophi eſſe, bene Regis officio fungi: quod quia prolixioris eſſet ſermonis exordium, in præſens omittatur. Properandum enim eſt, ne ſi diutius in gallinaceo hæreamus, Noctua ſe ſubducat. Adſtat hæc Harpocrati magna quadam grauitate: Philoſophiam de vultu diceres. Sed mirabile ſecum monſtrum adfert, necdum, vt opinor, in toto hoc noctuarum genere viſum. Tametſi enim auritum bubonem nouerimus; hoc tamen hactenus genus necdum prodiit, cui longa aſini auris ſupernè ſinciput ornaret. Verùm quia hoc inſigne non Noctuæ tantũ, ſed ipſi Harpocrati quoq. attributũ cernimus, prius de noctua, pòſt de aure tractemus. Palladi hanc auem ſacrã eſſe, ſi non de alio, de vetere certè Athenienſium conſtaret numiſmate; quod locum prouerbio fecit, quo is noctuas Athenas ferre dicebatur, qui rem quampiam ad eum locũ portabat in quo maxima eius eſſet copia & vilitas, vt ſi quis telam

Gallus nutriendus, non immolandus.

Socrates certus mori cur gallum Æſculapio immolari iuſſerit.

Æſculapius quid ſignificet, & quod numen.

Noctua cur Harpocrati appingatur.

lam

lam lineam ferret in Hollandiam, aut Leodium ſaxeum bitumē. In Gotodanicis quædā à me de noctua dicta ſunt: & eſt certè in noctuarū genere nocturna quædā caligo, quam vereor ne ipſe etiam Ariſtoteles penitùs effugerit, dum βύαν & hubridem diſtinguit. Homerus Chalcida eandem videtur nuncupaſſe,

Χαλκίδα κικλήσκουσι θεοὶ ἄνδρες δὲ κύμινδιν.

Verùm nos bubonem miſſum faciamus, de noctua dumtaxat ea quæ in vrbibus commoratur, verba facturi, quam vulgus noſtrum templorum bubonem vocat: & noſtrates quidem totum noctuarum genus Ul dicimus; & eas quas Latini vlulas nominant, nos Hubens & Hubckens & Kuts vocamus: cui generi calliditatis tribuimus palmarum. Noctua igitur quoniam eo tempore quo ceteræ aues ad paſtum euolant, quieſcit; & quo ceteræ quieſcunt & dormiunt, vigilat & prædas agit; & tum maximè videt cùm reliquæ per tenebras caligant, Mineruæ conſecrata eſt. Hoc enim proprium ſapientiæ videtur, illic vbi totum hominum vulgus valde occupatum eſt, quietem agere; & contrà vbi plebs nihil videt quod agat, plurimum videre. Diſcurrebat Martha multis diſtracta negotiis, à quibus Magdalena quieſcebat: Magdalena interim illic plurimum quod ageret videbat, vbi Martha nihil agi poſſe arbitrabatur. Hoc igitur ſapientis eſt, in illis quietem agere, quibus vulgus occupatur: & contrà illic ſeſe plurimum exercere, vbi vulgus nihil videt agendum: quod dum facit, egregiè noctuam imitatur. Hinc plerumque & illud ſapienti viro vſu venit, vt ſi apud plebeios compareat, haud ſecus ac noctua ſit in admiratione, & ſolus omnium roſtris vellicetur: quod dum ipſi accidit, noctuam rurſum imitatus, ſeſe ſupinum impeti ſinit, roſtro ſuo & vnguibus reliquum corpus defendens. Et certè nulla auis eſt quæ prudentiùs ſeſe cuſtodiat aduerſus alias quàm noctua; adeò vt vna ſola ſeſe contra totum exercitum poſſit tueri: qua vel ſola ingenij dote Palladi dedicari meretur. Quoniam itaque & plurimum in tenebris videt, & illic maximum otium agit, vbi vulgus hominum plurimum laborat; & ſeſe præterea ſua ſolius ope contra totum auium exercitum defendit atque cuſtodit illæſam, quid ni dicamus vel eam eſſe, vel nullam quæ digna ſit Mineruæ ſocietate? Non mali igitur ominis ſibi nomen ſumſerant, qui ſeſe olim Herulos nuncuparunt; id eſt, communes noctuas: de quibus in Gotodanicis. Liquet hinc, qua de cauſſa noctua Harpocrati adſtet: liquet, inquam, iis qui ſciunt Harpocratem illic ſedere vbi plebs diſcurrit; illic plurimum agere, vbi vulgus nihil cernit: atque hinc illud effici, vt noctuæ quoque ſibi comparet ſecuritatem, ſoluſque poſſit totas aduerſariorum copias propulſare. Nihil ſanè vel Palladi vel Harpocrati conuenientius, quàm noctuam habere adſtantem: quo de huius auis dotibus in eorum deducamur cognitionem, quæ nobis vel Palladis vel Harpocratis fauore contingent. Et hæc quidem breuiter de Glauce. Nunc de dracone, quem temporibus intortum videmus appingi. Multæ ſunt & variæ ſerpentis ſignificationes. Apollo de Pythone occiſo celebratur, Æſculapius eius filius draconem habet cariſſimum, & crebrò ſub eius tegmine deliteſcit; Hercules hydram trucidauit; Minerua Gorgonis angues geſtat; Mercurij caduceum duobus ſerpentibus ornatur; Ceres vehitur draconibus. In his omnibus non vna videtur eſſe ſignificatio, nec opportunum fuerit hîc omnem varietatem explicare. Scimus ſerpentes quotannis tempore veris vetus corium deponere, & exuuio illo deiecto recens natos videri. De hac natura homines ſymbolum ſibi finxerunt, quo per ſerpentem nouam vitam, abiecta vetere ſenecta, denotabant. Omiſſis ergo ceteris quæ de ſerpente diſputari copioſè varieque poſſent, dicamus Harpocratis capiti eum affingi, quò denotetur tacitæ ingenij contemplationi eas vires eſſe, vt per eam quicquid in nobis veteris eſt ſenectæ excutiatur, & noua rurſus vita ſuccedat. Neque enim Harpocrates puer tantùm eſt, ſed eos qui monitis ſuis obtemperant, è ſenibus pueros reddit, & primo reſtituit vigori; idque tum maximè, cùm terrenis & mortalibus rebus neglectis, æternis & numquam aut morte aut ſenio conſumendis toti adhærent. Sacræ litteræ non calliditatem modò ſerpenti, ſed prudentiam etiam tribuunt; quam ſic quidam prædicant, vt eum aiant aures ſibi aduerſus incantamenta obturare; alteram quidem terræ opponendo, alteram cauda opplendo. Propoſito noſtro prior ratio congruentior videtur, quæ Harpocratem ſequentibus, perpetuam iuuentutem & vitam ſemper innouandam pollicetur. Reſtat modò frontis ornamentum, idque duplex, alterum lunulæ, alterum auris ſimulacrum ferens,

Ul. Hubcken.

Noctua cur Mineruæ ſacra.

Noctua dotes.

Serpentis in fabulis vſus multiplex.

Serpentes pellem quotannis mutant.

Serpens cur Harpocratis capiti affictus.

Lunula cur Harpocrati appicta.

ferens. Lunula apertiſſimum habet creſcendi indicium. Huc enim totum Harpocratis ſilentium ſpectat, vt ingenium ipſius haud ſecus atque luna noua tantiſper luminis capiat incrementum, dum totum ſuum orbem compleuerit, id eſt, donec integram Solis ſupermundani imaginem, quoad eius fas eſt captui humano, conceperit, & orbem illum ſcientiarum abſoluerit; quarum adminiculo ad Dei notitiam & inſpectionem venitur.

Auris aſinina in Harpocrai & eius no..ua quam notationẽ habeat.

Porrò auris longa & prorſus aſinina non Harpocrati tantùm, ſed noctuæ etiam impoſita, attentam præ ſe fert auſcultationem. Quis neſcit, ob id Satyris aures eſſe acutas & ſurſum arrectas, vt diuina Dionyſiaca quàm accuratiſſimè audiant? De Midæ auribus alibi memini ſcripſiſſe, & id quidem contra receptam apud pleroſque omnes opinionem. Audiuit enim hic Silenum tanta attentione, vt aſini aures ei affixerint. Noſtro Harpocrati & noctuæ hoc peculiare, quòd erecta aſini auris, & ea quidem vnica, ex ipſo ſincipite naſcatur: qua de re intelligimus, non illas eſſe corporis aures, quas capitis lateribus natura appoſuit, quibus Deus audiatur; ſed eſſe vnicam aurem quæ ex apice mentis & omnium ſenſuum oriatur, & recta ſurſum ad ipſum Vnum omnium principium & conum tendat, nihil admittens terrenum, nihil ex his inferioribus accipiens, ſed ſolis patens ſupernis. Hæc auris eſt ad audiendum Deum; hæc auris talis, quales ille ſibi voluit qui dixit, *Qui habet aures audiendi, audiat.* De hac ſic cecinit Ieſſæus vates: *Audiam quid loquatur in me Dominus meus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.* Loquitur Deus in nobis, aure igitur interna audiendus; aure, inquam, mentis noſtræ, cuius hæc aſininæ auris figura teſſeram præfert. Et reuera hæc ſola auris

Ooꝛ.

Cimbricum auris nomen meretur. Ooꝛ enim idcirco dicitur, quòd per aurem in originis noſtræ cognitionem veniamus: & quia ooꝛ priùs originem & primam cauſſam ſignificat quàm aurem, videtur auris ea ſola ratione ſic dicenda, quòd proprium ſit primæ

Auris etymõ.

cauſſæ capiendæ inſtrumentum. Ab ooꝛ Latinorum auris, & Græcorum οὖς. Prima ergo cauſſa primum eſt & proprium auris, vt ita dicam, obiectum: ad quod niſi tota dirigatur, auris dicenda non ſit.

Hooꝛ.

Ab Ooꝛ fit Hooꝛ, adſpiratione agendi vim indicante. Hinc Horus Harpocrates dictus ab audiendo; cui nomini hæc, de qua agimus, auris in ſymbolo reſpondet: & hac quidem parte non paullò plus habet elegantiæ quàm prior Harpocratis imago; in qua nulla erat peculiaris nota ad Hori nomen exprimendum. Videmus itaque cuius rei Horus ſibi velit auditionem, & quam aurem ad audiendum. Admirabilis eſt hìc conſenſus eius qui primus ſermonem noſtrum condidit, & huius qui ſymbolum hoc Harpocrati accommodauit. Eſt'ne quiſquam mortalium, qui aurem congruentiorem fingere poſſit ad id audiendum à quo auri nomen datum eſt, & à quo

Horus ſiue Orus.

Horus pòſt nomen accepit? Fuerunt qui Orum citra adſpirationem ſcribendum putarent; qui qua ſint nixi ratione, non video. Noſtra nihil intereſt, an citra adſpirationem, an cum adſpiratione ſcribas, cùm vtraque notatio eôdem recurrat. Si enim Orum dicas, ab aure nomen dederis: at ſi Horum, ab audiendo Harpocratem indigetaris. Homerus videtur hanc in Apolline aurem ſubodoratus fuiſſe, dum de Sole dixit: ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει. Apollo igitur non ſolus ille reuelator eſt qui pulcerrimum diuinæ maieſtatis ſpectaculum oculis offert, ſed is etiam qui mentis aurem primæ cauſſæ co-

Harpocratis ſignificatio.

gnitione inſtruit ac format. Nunc tandem videmus quorſum ſilentium, quorſum ſeſſio, quorſum cetera omnia ſigna ſpectent; ad hoc nempe, vt interna mentis aure primam omnium rerũ cauſſam auſcultemus, & eam quidem, vt Dauid cecinit, in nobis loquentem. Quid verò loquitur? *Pacem*, inquit idem, *& veram tranquillitatem.* O ſtupendam rerum & vocum ſymphoniam! O diuinum auris nomen! Quàm omnia ad vnum ſcopum collimant! Sciebat Ariſtoteles auditum ad ſcientiarum perceptionem eſſe quàm viſum præſtantiorem, ſed neſciebat vtrumque ſenſum à Cimbricæ linguæ architecto tam artificioſum accepiſſe nomen, vt in altero prima omnium cauſſa, in altero ipſum altum intelligeretur. Hæc enim eſt ipſius Ooꝛ & Oog conuenientia, vt oculus ad altum tendere debere dicatur, auris verò ad primam nos vocet cauſſam: ceu nec ille ad aliud datus ſit, quàm vt excelſa contempletur; nec hæc ad alium vſum comparata, quàm vt primum omnium principium & originem audiamus. Horus ergo Harpocrates iuſtiſſima de cauſſa dicitur, eo quòd totum ipſius ſilentium, tota ſeſſio, tota tranquillitas, totum otium ad hoc vnum ſpectet, vt primam cauſſam in omnibus rebus audiamus, & ei auſcultemus. Erigamus ergo hanc longam aurem in capite noſtro, quò

cum

cum Horo ad originem & primam cauſſam adſpiremus, & eius attenti ſimus vbique & ſemper auſcultatores: quod vbi conſecuti fuerimus, exiſtimemus nos ad ſummum huius ſymboli Harpocratici pertigiſſe culmen. Porrò cùm noctuæ Palladis ſymbolo eandem aurem impoſitam videmus, duo ſimul docemur; alterum Harpocratis & Mineruæ eundem eſſe ſcopum: alterum totam Palladis ſapientiam ad hoc nos inuitare, vt ſuperna & cæleſtia, non terrena audiamus. Quæ verò ſunt pura cæleſtia? Quæ alia quàm quæ ſolo humano ingenio cognoſci non poſſunt, ſed Spiritus ſancti gratia reuelantur. Sic Chriſtus dixit; *Caro & ſanguis non reuelauit tibi.* Ad hæc igitur præcipuè nos Horus inuitat, & cetera omnia ſic audienda putat, vt ad hæc referantur: quibus niſi conſentiant, nihili ſint æſtimanda. Nec aliud Cimbrica vox Oor indicat, qua hæc mentis auris ſurſum ad primam cauſſam rectà tendens propriè denotatur; adeò vt cùm de aliis antea expoſitis, tum de hoc dubitari non poſſit, quin hoc ſymbolum à Ianigenis ſit principiò fictum & ſermoni ſuo accommodatum. Vt autem copioſiſſimum hoc ſymbolum videmus, & magna ſignificationum diuerſarum varietate plenum; ita non ſatis fuit artifici, auris longæ ſimulacrum dediſſe, niſi & aliud præterea addidiſſet arcanum. Vide, quæſo, vnde auris ſimilitudinem petiuit. Prima fronte aſini aurem diceres; at ſi diligenter inſpicias, fructum neſcio quem ex aure erumpere videbis: è quo mox ſentias aliud quippiam quàm aſini aurem hic deſignari. Quid igitur eſt? Qui dracunculum norunt & primum ſeminum rudimentum è theca auriformi prodire viderunt, næ illis mox clarum erit, vnde hoc auris ſimulacrum ſit acceptum. Habemus itaque non auris modò aſininæ formam, ſed in ipſa etiam aure primum exordium rerum omnium luculento exemplo deſignatum. Qua enim meliùs ratione primam omnium rerum cauſſam, vnde omnia fluunt, ſignifices, quàm ſi ſeminalem vim iam primùm extuberantem oſtendas; & id quidem ea figura, vt membrum generationi aptum quodam modo agnoſcatur; & ad id eam deligas herbam, cuius hoc primum ſeminis rudimentum inſigni calore & humore præditum ſit. Certè ſiue dracunculum ſiue arum accipias, vtrobis modo hanc inuenias naturam. Et in aro quidem mox audias papen cul/ id eſt, membrum ſacerdotale: quo nomine apud nos vulgo vocatur. Habemus itaque non auris modò effigiem in acumen ſurſum pendentis, ſed in ipſa etiam aure pulcrum & luculentum originis exemplum atque ſimulacrum. Quid? quòd herba tota ad venerem excitandam idonea eſt, atque idcirco ſemen eius maiorem habet originis ſignificationem: cui cùm figura accedat, non video quid deſideretur, aut quid melius inueniri queat & congruentius ad aurem denotandam in ea conſideratione, vt cum origine prima ſit coniuncta, quàm ſi huius herbæ aurem cum primo fructus rudimento pingas, in quo non ſeminalis tantùm vis eſt, ſed forma etiam membri quo animalia creantur. Verè enim de flore hoc ſiue rudimento fructus in aro & dracunculo dicas aurem eſſe, quæ in ſe ſuiipſius contineat principium, eo quòd ſeminum vim contineat, è qua tota herba procreatur. Cùm igitur Oor auris ſit, & prima omnium rerum cauſſa, non poterit figura huic nomini aptior reperiri, quàm ſi hæc vel ari vel dracunculi auris depingatur. Porrò vt maiorem cernas ſignorum & rerum conuenientiam & cognationem, ſcito nihil eſſe ad aures depurgandas efficacius, quàm ſuccum harum vtriuſlibet herbarum: quo fit, vt non auris tantùm cauſſæ primæ auſcultatrix, ſed depurgata etiam auris deſignetur. Quis crederet tantum ſollertiæ, tantum arcanorum in vnico auris aſininæ figmento contineri? quis hanc vel ari vel dracunculi florentis effigiem tam inſigniter quadrare in Cimbricum auris nomen exiſtimaſſet? Et licet hæc omnia ſimul accepta talia queant videri, vt nulla acceſſione videantur fieri poſſe elegantiora, ſi tamen naturam vlteriùs examines, aliud adhuc myſterium minimè contemnendum in ſymbolica ratione deprehendes. Neque enim hac aure tantùm monemur, vt originem noſtram ſupremam ſemper in auribus habeamus; ſed illud etiam, nullo modo quæ in auribus habemus ad linguam transferri oportere: & ſi quis temerè quod in aure eſt ad linguam transferat, graues pœnas eueſtigiò daturum. Nam ſi fructus aut dracunculi aut ari rudimentum quod in aure cernis ad linguam transferas, ingentes & intolerabiles ſenties dolores, à quibus non facilè te liberaris. Sciunt id qui experimento ſuo harum herbarum norunt facultatem. Quamobrem huius herbæ auris inſigniter Harpocratem decet, vtpote quæ non ſolùm quæ audienda ſint monſtret, ſed pœnam etiam

contineat

Auris Harpocratis dracunculi ſiue ari herbæ figuram præ ſe fert.

Dracunculi & ari forma atque natura.

Papen-cul.

contineat eorum qui linguam ab iis quæ in auribus ſunt,non poſſunt continere. Haud ſanè ſcio an quicquam in omni rerum natura queat reperiri,quod maiore vehementia, maiore efficacitate , præſentiore pœna demonſtrare poſſit, patulas nobis & erectas aures eſſe debere; & ea quæ in auribus ſunt non eſſe vllo modo ad linguam transferenda. Mordax, me Hercule, admonitio , ei præſertim qui vel ſemel tantummodò ari ſemen deguſtauerit. Placet verò mihi ari magis auricula , quàm dracunculi , eo quòd thyrſus eius Papencul vocetur : qua in voce generationis pater indicatur; eodem modo primam rerum omnium cauſſam ſignificans,quo vel ipſius Thot, vel Oſiridis Ithyphallus.

LIBER VII.

Aleph.

A littera pronunciatio & ſignificatio.

Aleph littera figura figuræ partes, & rationes partium.

HÆC LITTERA duabus partibus abſoluitur ; quarum prior prioris, poſterior poſterioris ſyllabæ exprimit notationem . A rectam linguam patulo ore ſuſpendens, idoneum ſonum habet ad incitandam motionem omnem & omnem actionem : quam vim qui figura imitari ſtudebit , ei non video quid offerri queat quod recta linea in longum extenſa ſit aptius ſimiliusque. Cui enim motus quiſpiam proponitur abſoluendus , ei recta planaque via nihil poteſt expeditius cogitari, cùm nihil ſit per quod maiore compendio ad finem queat perueniri , ſi recta quidem linea inter duo quælibet puncta nihil breuius reperiatur. Hinc fit,vt recto brachio rectaque manu iter demonſtretur: quem poſitum niſi manus Mercuriales obſeruarent, non rectæ viæ, ſed errorum indices dici mererentur . Quia verò omnis motus naturæ ductu à dextra parte exordium ſumit; & à termino in quo eſt , ad alium exteriùs tendit, in quo non eſt; meritò hoc imitationi dandum, vt à manu dextra exteriùs lineam rectam porrigamus, non contrà ad pectus reducamus. Vt igitur motionis initium à dextra incipit ; ita ſi motio vlla ſuſcipienda in rectum contendens, ea à dextra exteriùs peragetur. Sed hac de re antea ſatis copioſè egimus; hîc ſufficiet indicaſſe, ipſius A ſoni nullum congruentius ſimulacrum inueniri , quàm ſi recta linea dextrorſum ducatur, quo rectus à nobis ad alium motus denotetur. Hæc eſt itaque prior primæ litteræ pars , recto ſuo ductu à dextro extrorſum tendente , perinde atque Græcorum & Latinorum ſcriptura porrigitur , demonſtrans progreſſum qui per A ſignatur. Verùm quòd hæc incerta ſit & minimè definita exhortatio , non declarans ad quid agendum velit incitare, additur altera figura alterius ſyllabæ depingens ſignificationem . Cùm enim qui A-lef dicit cuipiam, eum hortetur vt viuere aggrediatur ; neceſſarium fuit pictori,vt viuendi actum exprimeret quàm maximè poſſet accommodata & conuenienti figura. Diſpexit itaque quid inter omnia ea quæ oculis corporis offeruntur efficaciſſimum videretur ad vitæ actum perfectionemque delineandam :qua in re vocis indicium ſecutus , quæſiuit quid ex omnibus rebus viſui patentibus altiſſimè

Lef. ſubleuaret. Lef enim geminam habet rationem; alteram ex litteræ Lambda poteſtate, quæ ad cæli polum ſonum leuat,ita vt Lef idem ſit quod in altum ſuſtollo, ceu Hel ſiue

Le. El-hef diceretur: alteram ex Le, quo membra denotantur, ita vt Lef ſit idem ac ſi dicas, membra leuo. Quando itaque vtrobique vita per eleuationem deſignatur, congruum ſignum erit , quo maxima ſurſum ferendi poteſtas denotabitur: & quia nihil maiore vi ſurſum rapitur quàm flama , viſa eſt flamæ figura maximè conuenire ad ele-

Ignis figura, pyramis. uationem ſub oculos ſubiiciendam. Quæ porrò ignis, cuius motus in flama potiſſimùm cernitur,alia figura pingetur,quàm ea quæ ſibi nomen ab igne ſumſit? Qua de re Pyramis eleuationis optimum erit ſimulacrum de tot hominum ſuffragiis,quot nomen pyramidis rectè ab igne deduci iudicabunt. Fuit ſanè hæc omnium priſcorum ſapientum ſententia , vt igni pyramidis figuram tribuerent : qua in re niſi conſenſiſſent, nomen

ipſius figuræ minimè ſic nuncupaſſent. Solus Ariſtoteles, Pythagoræ & Platonis deſertor, argumenta congerere maluit, quibus receptam ab antiquis opinionem oppugnaret, quàm inueſtigare quid ſibi priſci illi maiores voluerint, dum tanta concordia non igni modò hanc darent figuram; ſed eam etiam ab eodem elemento nominarent, quaſi eius præcipua, propria & peculiaris eſſet. Longè profectò aliter primi illi ſapientes in rerum principiis inquirendis verſati ſunt, quàm eos Ariſtoteles vel intelligere vel reprehendere videtur. Vſi ſunt vocibus è medio petitis, non ad ea quæ obuia ſunt explicanda, ſed vt earum prætextu & velamine Theologiam occultarent, quam nolebant à vulgo & profanis hominibus magis attingi, quàm amaracum & roſas à ſuibus conculcari. Quòd ſi verum fateri volumus, illic tandem Ogygia vetuſtiſſimorum patrum philoſophia incipit, vbi Peripatetica metas ſuas fixit. Quicquid enim agunt id eo capiendum modo, vt ad diuina referatur, nec vſquam in eorum dictis examinandis mens in corporibus acquieſcat. Quocirca cum vmbris & laruis pugnat Ariſtoteles, dum priſcorum hominum ſententias de Theologiæ arcanis intelligendas, ad craſſam corporum applicat caliginem: in qua non mirum eſt, eum immanibus interuallis à veritatis linea deuium ferri. Nihil recta idearum contemplatione diuinius, nihil vno Parmenidis verius: nihil plus mentis habet, quàm Anaxagoræ mens: ſed hæc ceteraque id genus permulta ad Ariſtotelicam trutinam examinata, quauis palea videntur leuiora. Eodem modo de pyramide igneæ naturæ ab antiquis maximo conſenſu tributa iudicabit is qui Theologiæ non erit ignarus: in qua qui ignem audit, mox mentem ad apicem omnis creationis dirigit, minimè conſiſtens in elemẽto calore & ſiccitate naturam ſuam terminante. Quis in religione noſtra Seraphici ordinis flamas nõ audiuit? Quis primum illum ignem in quo Deus dicitur habitare & ſedere in arcanioribus mentis adytis non perſentiſcit, ſi modo vel vnam minimam ei diuini amoris ſcintillam Spiritus ſanctus fuerit elargitus? Hic eſt ignis ille qui pyramidis ſortitus eſt figuram, cuius cuſpis infinitum diuinitatis orbem attingit: illum, inquam, orbem, cuius centrum vbique eſt, circumferentia nuſquam. Nam dum per veſtigia in magnitudinum conſideratione ſequimur veritatis vmbram, cuius lumen mens noſtra non capit, Deum centro comparamus, circa quod omnia ſunt, & à quo omnia ordine certo in orbem procedunt, donec integra rerum vniuerſitas abſoluatur. Vt enim centrum nec magnitudo eſt, nec circulus, nec orbis, ſed omnium & circulorum & orbium principium; ita & Deus nihil eſt eorum quę ſunt in mundo, nec mundus totus, ſed totius tamen mundi principium. Ad hoc ergo centrum omnis creaturarum ſummitas terminatur, perinde atque in circulo omnes portiones per formam pyramidis à circumferentia in centrum finiuntur. Quî verò per circuli figuram diuinitas inueſtigetur, cùm apud alios, tum apud Nicolaum Cuſanum de docta ignorantia doctiſſimè ſpeculantem licet videre. Cui placebit, idem in numeris cernet, & paullo etiam clariùs: quod in cauſſa fuit, vt Pythagoricis numerorũ ſymbola ad diuinorum contemplationem magis placerent. Vnum ergo, quod Parmenides omnia fecit, Deo reſpondeat, & eius gerat imaginem: quo poſito, ſi per planos numeros deſcendas, ad multa venies; quorum primum locum binarius poſſidet, cum vnitate triangulum conſtituens: à quo deinde per triangulos æquilateros ad infinitum fit proceſſus, lateribus ſibi per continuam numerorum ſeriem ſuccedentibus; qui rectus ordo eſt ab vno ad omnia creata viam dirigens, vt latiùs in littera Daleth oſtendetur. Porrò in ſolidis numeris, qui corpora ipſa dimetiuntur, non modò eorum plana, ſi ab vnitate ad multa pergas, confeſtim ex ea in quaternarium incides, primam omnium corporum pyramidem, quatuor angulis ſolidis & quatuor triangulis planis conſtantem. Quamobrem ſi integrũ orbem rerum creatarũ imagineris, per pyramides omnia ad ipſum vnum contingent, quorũ quæ Deo proxima ſunt, ſupremos pyramidum numeros occupabũt: quo fit, vt primus ordo quaternario ſolido menſuretur, ſub quo deinde ordo eſt ſecundorum & tertiorũ, quæ per curtas pyramides ad primam pyramidem ordinato quodam ſucceſſu adſcendunt, & eius medio Deum contingunt. Pyramis itaque prima omnibus rebus diuinam vnionem, eſſentiam & vitam communicat, ſolido proceſſu per curtas pyramides vim ſuam deriuans, quam ex fonte vnitatis haurit. Hæc eſt Tetractys illa Pythagorica, quam æternæ vitæ fontem nominarunt aurea carmina:

Ariſtoteles malè in veterum de theologiæ arcanis ſententiis verſatus.

Philoſophia Ogygia vetuſtiſſimorũ ibi incipit, vbi Peripateticorum deſinit.

Pyramidis et ignis myſticæ ſignificationes.

Deus centro comparatus.

Pyramis è numeris conſtructa.

Tetractys Pythagorica.

Ναὶ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν

II παγὰν

παγὰν ἀεννάου φύσεως. Quòd ſi hunc præceptorem Ariſtoteles ſequi maluiſſet, quàm diuinas ſententias ſophiſticis argutiis oppugnare, non tam temerè de ignis figura diſputaſſet. Quicquid de diuinis intelligimus, id per imagines dumtaxat & ſymbola apprehendimus; quorum mathematica aptiſſima illa quidem ſunt ad contemplationem demonſtratione abſoluendam, ſed à ſenſibus tamen phyſicis corporibus remotiora, & minùs etiam apta ad agendi vim exprimendam. Quocirca, vt ſymbolicæ rationi efficientia accederet, ad naturam ipſam numeros & magnitudines applicarunt, & in ea quæſiuerunt, quid primæ huic ſolidæ figuræ in elementis maximè reſponderet; in qua inueſtigatione igni multis rationibus primas tribuerunt, tum quòd maxima vi in agendo ceteris omnibus præſtet, tum quòd ad ſummum apicem perpetuò contendere videatur, haud ſecus ac primum ſolidum corpus ſeſe ad vnitatem ſupremam effert. Ignis itaque ſymbolum eſt tetractys, tetractys primi ordinis creaturarum, quem ab ardore & flamis Seraphicum dixi vocari; in quo Deum habitare ipſe etiam cacodæmon diuino coactu confeſſus dicitur. Quid? quòd ignis quoque noſter corporeus figuram pyramidis exprimit, inferiore parte, qua materiam depaſcitur, baſim conſtituens, & ſuperiùs vndique ad conum ſe cogens. cuius cauſſam Ariſtoteles potiùs explicare debuiſſet, quàm id quod oculis omnium cerneretur oppugnare. Quæ tam exigua flammula cernitur, quæ ſe in acumen non tollat? & quod minimæ cuique parti à natura eſt tributum in corpore partium ſimilitudinem conſeruante, quid ni toti dicamus id conuenire? Hîc ſi ſeſe exercuiſſet omnium veterum Momus, clariora vtilioraque ea quæ de ignis figura diſſeruit, reddidiſſet. Miror quid reſponſurus fuiſſet, ſi quis eum interrogaſſet, vnde Pyramis nomen accepiſſet: quòd ſi ab igne vocabulum deriuaſſet, vel ſe, vel primum nomenclatorem, & omnes eum ſecutos erroris condemnaſſet; ſed hoc quàm illud facere maluiſſet. Lubet hîc ridere Stephanum, qui de vrbibus ſcripſit, aut eum qui libros ipſius defflorauit potius quàm in compendium redegit; apud quem legimus Pyramidem inde dici, quòd Ægypti Rex omne frumentum in pyramides congerens, effecerit frumenti inopiam per reliquam regionem, ita vt Pyramis πυροῦ ἄμη diceretur, quaſi falx meſſoria omne tollens frumentum: quam niſi vocis det interpretationem, non video quid frumenti inopia cum pyramidibus habeat commune, niſi has voluerit crudelium Regum & luporum potiùs, quàm populi cuſtodum & paſtorum granaria fuiſſe, in quæ non alia ratione frumenta fuerint deuecta, quàm vt eo monopolio Rex totius Ægypti pro eo ac auaritia iuſſiſſet premeret annonam. Sed id genus interpretationes non tam antiquitatum myſteria enucleant, quàm animum eorum oſtendunt qui talia de Regibus imaginantur, qualia ipſis, ſi in eo faſtigio ſederent, in mentem venirent. Liberalior honeſtiorq. illorum opinio, qui ad Ioſepum omnem Pyramidum fabricam retulerunt, dicentes horrea hæc fuiſſe, in quibus futuræ inediæ repoſuiſſet alimenta: in quorum numero Nazianzenus videtur voluiſſe recenſeri: ſed pius hic vir parum animaduertit quanti ſumptus monſtroſæ illæ fuerint moles, & quanto minoris horrea exſtrui potuiſſent, immenſo diſcrimine ad frumenta conſeruanda commodiora, cùm in pyramidibus nihil prorſus loci reperiatur, quod magnæ tritici copiæ aſſeruandæ ſatis eſſe queat. Adde quod in plurimis ne aditus quidem vllus ad meditullium detur, & pleræque etiam ſolido corpore viſantur; niſi fortè quantum occulta & magnis molibus munita ſepultura ſpatij diſpeſcit, ad quod nullus patet acceſſus. Vnica dumtaxat Pyramis eſt è regione Memphis trans Nilum, quæ anguſto tramite ad cauum quoddam antrum in medio ſui conſtructum homines admittit: quod latum ad quatuor paſſus, longum ad ſex Belonius eſſe narrat; in eoque grandem arcam è Baſalte exciſam cerni, longam ad pedes duodecim, latam ad ſex cum altitudine vlnæ vnius: qua de re quis non colligat in ea Regis cuiuſpiam corpus conditum fuiſſe? Quæ hîc oriri poteſt ſuſpicio, quæ omnino cogitatio, hanc tam ingentem molem granarium fuiſſe; cùm nullus idoneus locus exſtet, in quo vel mediocris frumenti copia poſſet aſſeruari? In hac ſola gradus ſunt alti ad pedes quatuor cum dimidio, vt Belonius refert: quamuis alius quidam dicat, tres dodrantes cum dimidio dũtaxat ſingulos gradus altos eſſe; quorum hoc quam illud faciliùs credo, cùm idem Belonius totam altitudinem ad mille fere pedes credat patere: quæ menſura quatuor pedes ſingulis gradibus adſcriberet. Totam itaque altitudinem ſic Aquileienſis quidam Patriarcha computauit, vt gradus nu-

Pyramides Ægypti quales fuerint.

Pyramis è regione Memphis trans Nilum.

merct

meret decem ſupra ducentos: quorum ſingulis ſpithamas tribuit tres cum dimidio vnius; latitudini verò octingentos & decem dodrantes; tametſi dodrantes ſuos paullo quàm vetuſtos faciat maiores. Habet hæc pyramis ſupernè planitiem, ita vt curta ſit: quæ ſi complementum acciperet, ſeptuaginta quinque dodrantum infima cuiuſque lateris menſura altitudinem adamuſſim æquaret. Strabo altitudinem paullò maiorem facit latere, eamque ſtadio metitur. Sed vt ad id vnde digreſſi ſumus redeamus, quid eſt, rogo, vt altiſſimas potiùs pyramides ad horreorum vſum inuitis veterum ſcriptorum teſtimoniis transferamus, quàm minores ſolida fabrica conſtitutas, citra omnem quæ adiri poſſit cauitatem? Inſanire ſanè is meritò dicetur qui Romæ Ceſtij pyramidem tritico aut alij grano reponendo ſeruiiſſe contendet. Quid de aliis minoribus etiam; an de his quiſquam affirmare audebit eas fuiſſe loco granariorum? Velim præterea ab his hominibus tam abſurda vel referentibus vel ſcribentibus audire, quod huius figuræ nomen fuerit ante illud tempus quo Regum inſania his ſtructuris frumenta condere cœpiſſet. Non poterant ſcilicet Græcorum pueri in arena pyramides pingere, aut ſi pingerent, non erat vox qua id quod pinxiſſent nuncuparent. Abſit vt tale quippiam de pyramidum vel origine vel nomenclatura cogitemus, cùm non has modò, ſed obeliſcos etiam ingentes erexerint, non ad alium vſum quàm illas relatos. Ammianus Marcellinus laudandus hoc nomine, quòd ab igne dicat eas nuncupari: at ego iampridem in Hermathena docui, à Vur/ quo ignis nobis vocatur, πῦρ Græcum deriuari: ne Platone quidem repugnante. Nec diſſimili via à vur-raam fit Puramis, adiecta peculiari Græcorum terminatione: qua compoſitione ſignificatur regula ad quam ſe ignis natura extendit. Raam enim inſtrumentum vocatur, quo res pro ſuo quæque modo diſtenditur & explicatur. Vt ergo à Phrygibus Græcos πῦρ habuiſſe Academiæ magiſter confitetur; ita Pyramis ab eiſdem tum ad Græcos, tum ad Ægyptios commigrauit: quod hi non poterunt negare, ſi volent verum id eſſe quod priſcis ipſorum monumentis proditum Herodotus ceterique retulerunt, ſermonem Phrygium Ægyptio eſſe vetuſtiorem: atque inde recta collectione efficiatur, voces ad religionem ſpectantes maximè ad Phryges referri debere, quando religionis nomina atque ſigna inter antiquiſſima primum locum ſortiuntur. Quid enim religione antiquius? Nihil eſſe ſi non cuiuis per ſe notum eſt, pro eo ac eſſe deberet, mox poſt hanc litteram oſtendam, dum Alaudæ ſymbolum explicabo. Vetuſtiſſimis autem rebus vetuſtiſſima nomina contigiſſe, quis non lubenter confitebitur, qui intelliget omnem ſermonis & finem & vſum conſiſtere in iis quæ cogitantur, alteri cuipiam interpretandis. At quid primis priùs in mentem venit? Nihil. Quod igitur homini antiquiſſimum, de eo primùm ſermo inſtitutus: quo fit, vt vocabula in antiquiſſima religione vſurpata primas ſibi ſumant antiquitatis. Quid porrò in iis quæ ad ſacra pertinent, notis, pyramidum figura vetuſtius reperietur; ſi non per hiſtoriam tantùm compertum habemus, antiquiſſimas figuras hieroglyphicas in pyramidibus & pyramidalibus obeliſcis ſcalpi ſolere; ſed cernamus præterea ipſas quoque Pyramidum in ſacris ſcalpturis notas frequentes fuiſſe? quod qui nondum animaduertit, eam ſeriem notarum inſpiciat, quæ in Ægyptiaca Bembi tabula ſupremo Deorum ordini, vt ſic pro tempore cum vulgo loquar, eſt ſubiecta; in qua mox pyramidales figuræ occurrent. Si quis tam ſtupidus ſit, vt ex iis non intelligat id genus figuras loco nominum ſacrorum fuiſſe, cum eo mihi non magis quàm cum pecude diſputandum exiſtimo; tantum abeſt vt illos etiamnum ferendos ducam, qui ſibi de granariis ſomnia finxerunt. Fuerit verò hæc apud Ægyptios ſcalptura qua quis velit voce nuncupata, id ſaltem de ſermone noſtro tenere nobis permittat, Pyramidis nomine ſignificari eam figuram ad quam videmus ſe igneum corpus extendere atque conformare: quam conformationis vim nemo mortalium Cimmeriorum lingua exprimet luculentiùs & ſignificantiùs, quàm ſi Vur-raam dicat. Nec porrò vna eſt huius vocabuli notatio, ſicut nec ipſius nominis Vur. Hoc enim dum vt nomen vſurpatur, ignis eſt; dum vt verbum, idem eſt quod ignem facio vel fero: propterea quòd ignis hoc ſibi habeat præcipuum & ſingulare, quòd omnis vitalis motio calori debeatur. Vur ergo inter alia idem eſt quod fero, ago & porto: quod in homine nihil aliud eſt, quàm ipſum viuere. Quamobrem ſi viuere viuentibus eſt ipſum eſſe vt talia ſunt, quod Ariſtoteles in iis quæ de anima ſcribit confitetur; quid aliud erit ipſa vita, quàm caloris, quo omnia

Pyramis Ceſtij Romæ.

Pyramidis etymon. Vur.

Raam.

Voces ſacræ & ad religionẽ pertinentes ad Phrygas referri debere.

Vur.

viuunt, ſiue opus ſiue actio? quæ continua quædam motio eſt eius ignis quem intus habemus. Ariſtoteles animam nouo nomine entelechiam dixit, quo veluti ſepia quædam ignotæ vocis atramento naturæ cognitionem offuſcaret. Satius ergo, ex iis de anima iudicium ferre quæ omnium conſenſu ſtabiliuntur, quam in huius ſolius tenebris verſari. At, ipſomet confitente, omnes animam definiunt motu, ſenſu & incorporeo: quo fit, vt cùm anima corpori ſuo vt forma inſit, rectè deſcribi queat, incorporea eſſentia ſiue forma corpori motum & ſenſum præbens. Huius autem motio vita erit: at mouere non poteſt corpus, niſi per calorem; quem viuentis corporis ignem ſi voces, non peccaris, eo quòd calor ſubtiliſſimo ſpiritui inditus, igneæ ſit naturæ. Videmus itaque ignem motionis inſtrumentum eſſe: quo exſtincto, anima corpus deſerat, nec amplius mouere poſſit. Huius ergo inſtrumenti, quo tamquam vehiculo anima vtitur, ſiue latio ſiue motio ipſiſſima eſt vita: quo fit, vt 𝔙𝔲𝔯 & 𝔏𝔢𝔣 eiuſdem ſint notionis, cùm 𝔏𝔢𝔣 quod eſt viuo, per 𝔙𝔲𝔯 quod eſt moueo, definiatur. Quamuis quoduis ferendi genus per 𝔙𝔲𝔯 intelligamus, ratio tamen vocis poſtulat, vt primùm ignis motioni conueniat, qui omnia tamquam vehiculo corpus mouet. Hinc modò liquet 𝔙𝔲𝔯 & 𝔏𝔢𝔣 prorſus idem eſſe, eo quod 𝔏𝔢𝔣 ſignificet vel in altum leuo, quod eſt ignis proprium; vel membra leuo, quod quid aliud eſt, quàm corpus moueo? Quemadmodum ergo in 𝔏𝔢𝔣/ quo viuo ſignificatur, ſtatim admonemur, vitam eleuationem eſſe; ita in 𝔙𝔲𝔯/ quod eſt fero, intelligimus ignis lationem maximè lationem dicendam eſſe, eo quòd à 𝔙𝔲𝔯/ quod ignem notat, verbi ſignificatio deriuetur. Vita igitur cùm brutorum, tum hominum terrena ſola ſpectantium vita dicenda non erit de prima vocis noſtratis ratione, cùm is ſolus viuat qui ſurſum ſeſe leuat & ad ignem motione ſua ſe conformat. Non malè ergo illi qui animam ignem eſſe dixerunt, eo quòd humana anima officio ſuo non fungatur, niſi ritu ignis hominem ferat ſurſum ad ipſum vnum, ad quod omnium rerum creatarum pyramides finiuntur. Quocirca cùm pyramis ipſa illa ſit figura ad quam ſe ignis in motione ſua conformat; age, dic mihi quiſquis es, an aliquid perſpicaci ingenij tui acumine inuenire queas, quod vt vitæ ſymbolum ſit potius quàm pyramis mereatur? Nec tamen cuiuſuis vitæ teſſeram geret, ſed eius dumtaxat quæ propriè vita Cimmerio ſermone dicetur; quæ à multis huius mundi negotiis ſe paulatim ad vnum colligit, & in Deum, vt apicem ſummum, omnes ſuas dirigit actiones: haud aliter atque in pyramidali numero à multis ad vnitatem peruenitur, & in ipſa pyramidis figura latitudo in vnũ apicem tendit. Hanc pyramidem expreſſit Deus dum dixit: *Martha, Martha ſollicita es, & turbaris circa plurima: porrò vnum eſt neceſſarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Qua de re intelligas, vt ab vno omnia profluunt & multa fiunt; ita à multis totius vitæ ſummam in vnum eſſe colligendam, ſi optimam partem cum Maria conſequi velimus. Quanto ad plura diſtrahimur, quanto latiùs in multis occupamur, tanto ab vno, quod neceſſarium Chriſtus eſſe dixit, ſumus remotiores. I nunc, & diuitiis ad immenſum accumulandis inſta, porrige quàm potes latiſſimè poſſeſſiones, nullus te ſatiet decempedarum numerus, metire arua per ſchœnos & paraſangas, ambitione nocte diéque per totam ætatem diſtrahere, nullus honor tam amplus ſit vt non deſideres ampliores: At dum nullo fine negotiorum latitudinem coërces, vide quando tandem ſit pyramis tua abſoluenda; ad quam adeò nulla iacis fundamenta, vt viam teneas prorſus contrariam à paucis ad multa, à multis ad plura, ab his item ad plura & ampliora perpetuò contendens. Intellige igitur nec te viuere, nec ſurſum adſcendere, nec pyramidis notam mereri; ſed præcipitem vt ab vno ad multa ferri, ita te multis turbis quibus diſtraheris non attolli, ſed immori & morte perire ſempiterna. Sit nunc itaque ſatis declaratum, pyramidem beatæ feliciſque vitæ præ ſe ferre menſuram: quo cognito, non erit arduum cauſſam coniectare, ob quam pyramides Regum fuerint aliorumque ſepulcris conſecratæ. Numquam draco humani generis hoſtis ceſſauit venenum ſuum hominum animis inſpirare, nec aliud inuenit vmquam præſentius, quàm ſi perſuaderet, poſt hanc vitam nihil noſtri reliquum eſſe; verùm cum corpore animam interire. Quàm verò latè per omnem orbem hæc peſtis ſit graſſata, non eſt nobis de vetuſtæ hiſtoriæ monumentis docendum, cùm, pro dolor, hodie etiamnum ſatis magnam eorum multitudinem credam inueniri, qui ſic opinantur.

Anima definitio.

Ignis motionis inſtrumentum

Vita quid.

Viuere quis verè dicatur.

Pyramis felicis vitæ ſymbolum.

Pyramides Regu ſepulchris conſecratæ.

Animam cũ corpore interire, perſuaſio diabolica.

Qui

Qui in Italia ſapientiæ ſtudiis incubuerunt, qui medicorū ſcholas frequentarunt, qui liberis diſputationum diſcurſibus crebriùs interfuerunt, qui deniq. omnino cum vulgo hominum in illa regione ſunt verſati, iis obſcurum eſſe nō poteſt, quàm non ſine cauſſa in hanc ducar ſuſpicionem. Græcorum tam communem opinionem fuiſſe, nihil homini poſt hanc vitam ſupereſſe, vt Getas vicinos ſuos Athanatizontas per ludibrium vocarent, quaſi ei nationi id peculiare eſſe dicerent, vt animorum crederent immortalitatem, alibi demonſtraui: nec eſt rebus per ſe ſatis notis & alioqui abominandis diu inhærendum. Ægyptij ergo ſacerdotes de vetuſta religione diligentiſſimè cùm apud omnes, tum apud Reges eam ſententiam muniebant, qua peſtiferum hoc animorum mortalitatis venenum tolleretur, quibus aſſenſi Reges, & ſatis inſtructi quàm exitiale malum non ſolùm ſingulis, ſed toti etiam reip. daret, ſi futuræ vitæ ſpes fracta eſſet, ſummis viribus contendendum ſibi putarunt, vt illa inter homines opinio retineretur, qua labefactata & Dei cultus & hominum ſocietas collaberetur. Quamobrem cùm magnificentiſſimis templis homines ad religionem prouocarent, tum ſibi ſepulcra conſtituerunt; quibus oſtenderent ſe firma fide tenere, ſe poſt corpus depoſitum non viuere tantùm, ſed vitam etiam viuere quàm priùs vixiſſent beatiorem. Pyramides itaque nihil aliud erant, quàm perennia & ſemper duratura fidei ipſorum argumenta, incomparabili illa quidem ſumptu concluſa; ſed tanto validiora, quanto maiore labore, maiore impenſa, maiore ſubditorum moleſtia conſtitiſſent; cùm quæ talia ſunt & præſentes maximè moueant, & apud poſteros ſui admirationem excitantia eò cogant, vt qua de cauſſa erecta fuerint interrogetur. Viuunt ergo hactenus, & non viuunt modò, ſed ſe viuere etiamnum teſtantur qui has moles in cælum ſuſtulerunt; quas nec Perſæ, nec Romani, vt omnia quæ poſſent & agerent & raperent, vel diruere vel labefactare potuerunt. Durant adhuc ſtupenda Regum opera, ſtultis quidē & rationis veræ, ob quam poſita ſunt, ignaris potentiæ & diuitiarum miracula: at iis qui cauſſam examinant, firmiſſima non priſcæ modò fidei monumenta, ſed efficacia etiam ad vitam rectè formādam præcepta: quæ qui ſequetur, ignis ritu ad ætherem & ad ipſum vnum recta linea feretur. Quamuis ergo impenſam perditam plerique omnes has moles & nunc iudicent & olim iudicarint; nobis tamen minimè eorum calculus approbandus, ſi clarè cernimus veneno perpetuo perpetuum amuletum adhibitum fuiſſe: quo beneficio quia Reges illi maius nihil mortalium generi præſtare potuiſſent, non miremur eos tanto ſtudio tantiſq. ſumptibus curaſſe, vt ad omnem poſteritatē vtilitas pertineret, & omnes ij qui operum magnitudinem ſtuperent, occaſionem haberent tum de cauſſa ſtructuræ perquirendi, tum vitæ ad pyramidis teſſeram accommodandæ. Verùm neminem hactenus legere memini veteris vel ſapientiæ vel hiſtoriæ ſcriptorū, qui ad veram ſymboli tam toto orbe terrarum celebrati intelligentiam adſpirarit: nec equidem adſpiraturus eram, niſi Cimmerius Mercurius interpretatione ipſius Alef viam aperuiſſet. Vt verò pyramides ex innumeris & ingentibus lapidibus ſunt conſtructæ ad hanc quam dico notationem; ita ad eandem aliud quoddam eiuſdem ferè figuræ genus inuentum, quod vnico lapide viuo cōſtans, obeliſci accipit appellationem; quaſi paruum veru eſſet, cùm nullum magnitudine conferendum reperiatur. Facile mihi Ammianus conceſſerit, eiuſdem obeliſcum & pyramidem ſignificationis eſſe; cùm hanc ab ignis figura dictam fateatur, illum ad hunc deſcribat modum, vt aſperrimum lapidem eſſe dicat in figuram metæ cuiuſdam excelſam, ſenſim ad proceritatem conſurgentem, & paullatim graciliorem, vt radium imitetur. Cùm enim metam factam dicat, vt radium imitetur; quod diſcrimen eſt huius & igneæ figuræ, niſi quòd obeliſcus acutiùs adſcendat, & vno dumtaxat lapide conſtet? qua re ſymboli ratio nihil immutatur. Fuere qui hoc argumento radiorum freti, omnes obeliſcos Soli conſecratos fuiſſe indicarent; quibus non aſſentietur Marcellinus, qui obeliſcum illū quem Conſtantius Romam tranſtulit & in circo erexit, ea de cauſſa ab Octauiano relictū dicit, quòd Soli præcipuo quodam honore nuncupatus fuiſſet. Nos lubenter faciemus vt hoc Soli tribuamus, obeliſcos ei hactenus ſacros eſſe, qua vitam tenus hac figura denotatam omnibus largitur. Vita enim à calore, calor à Sole, Solis lux à Sole ſupermundano, & hic à Deo ipſo trino & vno dependet. Quòd autem rotundam pilam obeliſcis impoſuerint antiqui aureo fulgore radiantem, atque inde pyrōpum nominatum; id hac ratione capiendum, vt

Athanatizontes dicti Getæ.

Pyramides Ægypti quid ſignificent, & cur exſtructa.

Obeliſcus.

Obeliſci quo diſtent à pyramide, & quales fuerint.

Pyropus.

intelligamus vitam noſtram radio denotatam in æternam lucem terminandam, quam rotundus pyrôpus pollicetur. Quem itaque ex hac vita bene pieque acta ad æternam vitam ſignificabimus tranſiiſſe, ei ſi obeliſcum cum pyropo metæ apicem claudente ponemus, ab hieroglyphica diſciplina videbimur inſtructi. Pierius in obeliſco & pyramide igneis figuris explicãdis tam frigidus fuit, vt ſi quis eum pingere volens, Salamandram igni imponat, nihil ab ingenio eius aberret. Sed de obeliſco rurſus. Quando modò quid pyramis ſit, quid obeliſcus, & quid apud ſacrorũ antiſtites denotarit, ſatis mihi videor declaraſſe; poteram finem huic conſiderationi imponere, niſi Meta (cuius voce in obeliſci deſcriptione Ammianus vſus eſt) poſtulare videretur, vt & nominis ſui, non minus quàm pyramis, acciperet rationem; cui reddendæ tantus modò ſub oculis iacet apparatus, nihil vt præterea ſit quærendum. Cùm enim is totius noſtræ vitæ ſcopus eſſe debeat, vt iuxta ignis & radiorum lationem ſurſum ad vnum apicem, qui Deus eſt, omnem actionem & maximam & minimam referamus; ſtupidus ſit neceſſe eſt, qui non animaduertet pyramidem ſignum eſſe vitæ præſtantiſſimæ, ad quod omnibus ſit tota mentis acie collimandum; quoq. contracto, felicis vitæ curſum dicamur emenſi. Meten idem eſt quod menſurare: vnde Latinis Metior. Hinc Maet, quod alij Met vocali longa pronunciant, pro menſura. vnde Meta Latinorum nihil aliud ſonat, quàm menſuram: quæ vox per excellentiam humanæ vitæ dimetiendæ examinandæq. primùm videtur conuenire. At hanc pyramis metitur & norma ſua coërcet; quo fit, vt ipſa meritò dicatur ſine meta ſiue menſura actionum humanarũ. Hinc ad ſignum cuiuſuis finis ſignandi meta transfertur. Nec alia cauſſa vetuſtis fuit, vt pyramidibus fines notarent, quàm vt cuiuſuis termini ſigno viſo hominibus ſuccurreret, vitam totam ignis figuræ eſſe conformandam, niſi numquã ad felicitatis finem pertingere velimus. Quamuis ergo meta de vocis origine cuiuis cuiuſuis rei menſuræ conueniat, pyramidi tamẽ exoche quadam potiſſimùm accõmodatur; eo quòd hac rectus humanæ vitę curſus menſuretur. Quamuis igitur in circis antiquitùs ad curſus terminum denotandum columna rotũda æquè commodè collocari potuiſſet, maluerunt tamen priſci illi patres pyramidem ſub metæ nomine collocare, vt in ludis etiam beatæ vitæ finis ob oculos verſaretur. Hæc eſt itaq. ratio ob quam & fines pyramide olim ſignarunt, & metæ vocabulum pro pyramide ſola poſuerunt: quorum vtrumque omnibus hactenus æquè ignotum reor fuiſſe, tametſi metam à metiendo dici annotarint, contra quàm analogia poſtulare videretur Sed in ea re nihil difficultatis, quando alibi clariſſimum feci, vtrumq. vocabulum à noſtra lingua ad Latinos veniſſe: quorum primus fons eſt Tam, vox conuerſione Mat generans: vnde Maet & Taem vocabula ichnæa. Meta itaque pyramidis formam habebat, ea quam dico ratione, quòd nimirum vltimus felicitatis humanæ finis à priſcis hominibus huius figuræ teſſeram acceperit. Hinc ſimpliciter pro fine ponitur, vt in illo Virgilij,

His ego nec metas rerum nec tempora pono.

Alibi ad figuram etiam & circenſem ritum vocabulum accommodauit,

Hic vel ad Elæi metas, & maxima campi
Sudabit ſpatia, & ſpumas aget ore cruentas.

Elegantiſſimè Cicero vmbram terræ vocat metam noctis, in quam Luna incurrens, luminis patitur deliquiũ. Nos Mijt dicimus pro ſtrue in conum ſubducta: Latini metari caſtra & metari agros dixerunt, pro eo quod eſt, metis diſponere atque diſtinguere. Vt in catena annulus annulum; ita in antiquaria contemplatione vera vniuſ ſymboli expoſitio aliam & aliam ſecum trahit. Dixi quid pyramis & obeliſcus notarent, & inde mox verus exſtitit metæ explicatus: ex hoc video aliud luculentum ſignum accipere interpretationem, quod à nemine hactenus intellectum fuiſſe cerno. Norunt omnes, cupreſſum apud poëtas feralem arborem haberi, ſed qua de cauſſa in hanc venerit exiſtimationem, non item omnibus puto liquere. Pierius more ſuo rem tractauit, id eſt, præclaris & ſeſquipedalibus verbis non pauca locutus nihil dixit. Cupreſſum non alibi quàm in Creta de radicibus vbi reciſa fuerit naſci annotauit, atq. idcirco ſepulcris conuenire, vt eius videlicet exemplo diſceremus, eum qui ſepultus eſſet, non reſurrecturũ. Tolerabilis profectò interpretatio apud Epicureos porcos, qui poſt mortem nullam vitæ ſpem relinquunt: at nobis & natione Germanis, apud quos numquam animorum immortalitas in dubium vocata eſt, & fide Chriſtianis, adeò hæc intelligentia reiicienda videtur,

Meta nominis ratio & myſteria.
Meten.
Maet.
Meta.

Meta in circis cur pyramidali figura conſtructa.

Tam.
Mat.

Vmbra terræ, meta noctis.
Mijt.
Metor, aris.

Cupreſſus feralis arbor cur habeatur apud poëtas.

videtur, vt prorſus contrarium hoc ſymbolo denotatum fuiſſe contendamus; nec non eandem omnino ſignificationis rationem in cupreſſo atque in pyramide veteres obſeruaſſe. Sed condonemus Pierio, ſi Feſto credere & communem plurimorum ſuæ regionis hominum opinionem ſequi maluit, quàm nihil de cupreſſo in ſuis Hieroglyphicis commemorare. Plinius cupreſſum feminam metam vocari ſcribit, eo quòd in metam attollatur: qua de cauſſa non immeritò natiua ſua forma vitæ cæleſtis & ignei vigoris indicium præfert: quamquam non hac vna ratione, cùm & aliæ accedant quibus hæc prima adiuuatur & luculentior euadit. Quamuis enim Diti ſacra hæc arbor eſſet, atq. idcirco inuiſa & funeſta, minimè tamen id notabat quod plerique omnes tum veterum tum recentiorum exiſtimarunt. Doctè Virgilius, vt omnia: *Cupreſſus dicta meta.* *Cupreſſus Diti ſacra.*

Nec minùs interea Miſenum in littore Teucri
Flebant, & cineri ingrato ſuprema ferebant.
Principiò pinguem tedis & robore ſecto
Ingentem ſtruxere pyram: cui frondibus atris
Intexũt latera, & ferales ante cupreſſos
Conſtituunt, decorantq́ ſuper fulgentibus armis.

Idem alibi:

Ergo inſtauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus: ſtant manibus aræ
Cæruleis mæſtæ vittis atráque cupreſſo.

Ad quem locum Seruius annotauit funeſtam cupreſſum eſſe, quòd cęſa non reuireſcat: quod illi minimè aſſentior. Solet eadem ante fores collocari mortuorum: quem ritum Horatius indicauit:

Linquenda tellus & domus & placens
Vxor; neque harum, quas colis, arborum
Te præter inuiſas cupreſſos
Vlla breuem dominum ſequetur.

Ouidius Cypariſſum puerum in hanc arborem mutatum canit: qui ceruā quam vehementiſſimè amabat, imprudenter à ſe occiſa, ita contabuit & obriguit dolore, vt commiſeratione Apollinis in cupreſſum ſit conuerſus. Nobis quidem placet, Cypariſſum Apollini gratum fuiſſe; at necdum videmus eius amoris cauſſam ſatis explicatam. Fuerunt qui omnes obeliſcos radiorum crederent ſymbola; eatenus illi quidem veritati propinqui, qua Deus hic vitæ præſidere intelligitur, quæ per metæ figuram ſignificatur, quam Ouidius expreſſit: *Cypariſſus puer in cupreſſum arborem mutatus.*

Adfuit huic turba metas imitata cupreſſus,
Nunc arbor puer antè Deo dilectus ab illo
Qui citharam neruis, & neruis temperat arcum.

Quemadmodum ergo obeliſcus ille quem Octauianus Auguſtus mouere noluit ob religionem, & Conſtantius ſuperſtitionem contemnens Romam tranſtulit, Soli fuerat dedicatus, vt præcipuo & ſingulari vitæ datori; ita Cupreſſus etiam eidem Deo à priſcis hominibus fuit conſecrata: cuius rei cauſſa non rectè vel examinata vel intellecta, conficta eſt fabula, ſollẽnis & antiquus ignorantiæ prætextus. Eſt autẽ Soli dedicata non ob id tantùm quòd pyramidem inſigniter æmuletur, eaque forma vitæ ſignum habeat ſempiternæ; ſed propterea etiam quòd lignum eius nec cariem ſentiat, & alia etiam ab eroſione & vermibus ſeruet. Quamobrem merito ſuo maximo & ſepulcris & funeribus dedicabatur, vt eius monitu homines docerentur, eos quos mortuos putarent, ad æternam & cupreſſinam durationem tranſiiſſe, iam apice cælum contingentes. Eadem ratione Deorum ſimulacra è cupreſſo fieri conſueuerunt, vt materia, quoad eius fieri poſſet, illorum reſponderet æternitati. Quanta ſit cupreſſini ligni duratio qui neſcit, cùm alios, tum Plinium legat, & mox intelliget quanto & veritati, & veterum, qui ſymbolo huius vſi ſunt, exiſtimationi meliùs à me conſultum ſit, quàm à Feſto Pompeio, Seruio, & ceteris ſententiam ſecutis, non Chriſtianis modò, ſed omnibus etiam ſapientibus indignam. Quid? quòd cupreſſus minimo ſemine citra omnem cultum iacto ſic aſſurgit, vt numquam degeneret. An non hoc quoque nobis indicat, ipſum corpus terræ mandatum de minima elementorum portiuncula reſurrecturum? Cùm enim cor- *Obeliſcus Soli dedicatus.* *Cupreſſus Soli ſacra.* *Cupreſſus in funeribus & ſepulcris quid ſignificet.*

pora in ſemina elementorum reſoluantur, non illa quidem è trunco ſuo aut radicibus reſurgunt, ſed è minimis particulis ad integritatem tantam reſtituentur, vt non tantùm non ſint degeneratura, ſed etiam immortalitatem aſſumptura pluſquam cupreſſinam. Quanto ſaniùs priſci illi patres, quàm Sadducæi & Epicuri de grege porci de vita animorum ſempiterna & corporum reſurrectione ſenſerunt, dum teſſeram hanc ſepulcris imponerent. Vellem equidem etymon mihi à quoquam vel Græcorum vel Latinorum exponi, vt viderem, ecquid & inde lucis affulgeret: at quantum memoria teneo, fruſtra apud ſcriptores illud veſtigarem. Et quid opus eſt longa inquiſitione? Præſto eſt Cimbrica interpretatio, non arboris tantùm naturam oſtendens, ſed luculentam

Cupreſſi etymon.

Coper.

etiam addens ſymboli rationem. Græcorum ὐψιλὸν & V Latinorum frequenter in O tranſire; & rurſus hoc in illa mutari, notius quàm vt ſit admonitione dignum. Nos Coper dicimus pro ære: quod nomen huic metallo datum, eo quòd eius in emendo maximus olim vſus eſſet. Latini Cuprum inde fecerunt; vnde & Cypros inſula, quòd hoc metallo abundaret. Verùm originis ignari crediderunt æs Cyprum à Cypro vocandum, quaſi illic primùm inuentum fuiſſet. Eodem modo ex Coperps ſiue Coprees fit

Cop.

Rees.

Cupreſſus, & Cypariſſus Græcis. Eſt autem Cop caput, ita vt Cop rees arbor vocetur, quæ capite ſuo in altum aſſurgit. Sic Rees etiam is vocatur, qui alto corpore ceteris hominibus præſtat. Elatam ergo in altum comæ in hac arbore naturam nomen expreſſit, & vnà denotauit, huius teſſera reſurrectionem capitum noſtrorum denotari; quæ tan-

Cupreſſina ligna non eſſe coaceruanda.

to virore aſſurget, vt nullum vmquam ſenium aut marcorem ſit ſenſura. Eſt inter breues Pythagoræ ſententias & hæc vna, non eſſe ligna cupreſſina coaceruanda: qua quid notatum ſit, difficile fuerit coniectare. Iamblichus ſic recitat, vt cypreſſinum aceruum non oportere fieri dicat, vel quia Iouis ſceptrum cupreſſinum fuerit, vel ob aliam quampiam myſticam rationem. Simpliciter & citra ambages aceruus cupreſſinus mihi ab eo fieri videtur, qui ſic rebus coaceruandis eſt intentus, vt diuitias velit parare ſempiternas; cùm tamen earum vſus breuis ſit, & momento temporis finiendus. *Vitæ ſumma breuis*, inquit Horatius, *ſpem nos vetat inchoare longam.* Et iterum: *Immortalia ne ſperes monet annus, & almum Quæ rapit hora diem.* Qui vltra vitæ terminum curas extendit, nec vllam metam ponit cupiditati, is aceruum parat cupreſſinum; talem nimirum, vt numquam abſumatur. Diuitiæ corpori dumtaxat quæruntur; at hoc breui eſt interiturum. Quæ igitur inſania aceruum velle parare immortalem? Eodem modo Iouis ſceptrum cupreſſinum dicitur, quia regnum eius eſt ſempiternum, cùm alia regna omnia caduca ſint & exiguo tempore duratura. Quòd Gyraldus hîc putauit vetari, ne ex rebus ſacris nobis diuitiarum aceruos paremus, minimè placet: nec magis quòd ſuſpicatur nos moneri, ne ſimus ſolliciti de ſepultura & funebri pompa. Conſentit ergo Pythagoræ allegoria cum eo quod dixi, cupreſſo in ſepulcro & funere cùm animi immortalitatem, tum corporis etiam reſurrectionem denotari. Ex cupreſſi meta in

Conus quid, & quo à pyramide differat.

mentem venit Coni & Pini. Conus Græcis idem quod Latinis meta, non alio à pyramide differens, quàm quòd Conus pyramis ſit ex rotunda baſi aſſurgens, qualis eſt cupreſſi forma. Eiuſdem notationis eſt Turbo. Hinc & fructus pini & cognatarum arborum ex hac forma Conus vocatus. Sic Virgilius Coniferas cypariſſos dixit. Ex figura itaque Pinea nux conum formans, vitam ſignificat; non illam quidem quamuis, ſed

Pinus Cybelæ ſacra.

Cybele quid Phyſicis.

occultam atque concluſam. Quamobrem pinus Cybelæ deæ terram concludenti, & ſemina gremio ſuo cuſtodienti dedicatur. Nihil enim aliud apud Phyſicos interpretes Cybele fuerit, quàm terræ vis concluſa; ſterilis illa quidem exteriùs, ſed vitam intus alens ſeminum vniuerſorum, quæ cono pini deſignatur. Et haud ſecus atque nux pinea ſolo calore vel ignis vel aquæ calentis aperitur; ita & terra non antè ſe recludit, quàm

Bacchicus thyrſus cur pro mucrone conum habeat pineum.

Sol radiis eam directioribus excalfecerit. Hinc Thyrſus Bacchicus pro mucrone conum habet pineum, denotans vitam ſimiliter concluſam & occultam in Bacchicis cærimoniis latère, quæ non niſi mentis calore diuinitùs accenſo reſerari queat. Sicut enim vannus myſtica eſt in huius Dei ſacris, ea quæ in omni vitæ ratione ſuperuacanea ſunt haud ſecus ac paleas euentilans; ita & thyrſus nihil minus quàm haſta militaris, is eſt

Thyrſus fidei baculum denotat.


ſcipio, cuius ope vita myſtica & comparatur & ſuſtinetur. Quòd ſi vlteriùs pergas, verè dixeris Thyrſo fidei baculum notari, cuius vita concluſa eſt & occulta; nec alia via in apertum fructus ſuos prolatura, quàm ſi caritatis ignis accedens, quòd vitam ſuam

firmis

firmis clauſtris intra ſecretos ſinus tuetur, id multiplici & vndiquaque patente hiatu recludat. Hic eſt feruor ille, qui niſi omnibus iis quæ vel ſymbolis, vel hieroglyphicis, vel ſacris ritibus abdita deliteſcunt, vim ſuam validam benignè adſpiret, nihil vmquam ex corũ inuolucris capietur emolumenti. Multos varioſque ſcipiones in ſacris Ægypti ſcalpturis videmus, pro eo ac varia in vario vitæ genere officia proponũtur, alios hoc, alios illo animalis aut floris ornamento ſupernè inſignitos; inter quos hic ſi poneretur, non poſtremas vtilis notationis partes, ne dicam primas, obtineret; vt dilucidè patebit, ſi fides cum caritate, iuxta D. Paulli ſententiam conferetur. In fide enim omnis noſtra vita vires ſuas tamquam in munitiſſima arce conſeruat: cuius fructus ſuauiſſimus ſolius caloris à Spiritus ſancti accẽſi beneficio ſeſe prodit ad communem omnium ſalutem. Quid thyrſus cauſſæ myſterijque nomine Cimmeriis demonſtret, non eſt huius loci planius docere. Satis eſto ſi examinetur, cur pyramidis hæc formula Conus dicatur. Hic rurſus Græcos & Latinos fruſtra conſulas de vocis origine: at non luſeris operam, ſi eam apud noſtrates explores. Coon forti audaci, & ad quiduis aggrediendum prompto animo præditum deſignat. Hinc Coon-rat/ quem Conradum Latinorum formula vocamus, qui cor habet ad res magnas audendas paratum. Quam ergo figuram audaciſſimam dicemus ad quiduis inuadendum? Num aliam, quàm eam cui Plato maximum tribuit acumen, & ſummas vires ad quiduis penetrandum? Hanc ipſe Pyramidem vocauit: quæ ſi nomen à modo & ratione poteſtatis accipiat, Coon/ & Græca terminatione κῶνος dicetur: atque ſic vocata & nomine & reapſe igni maximè conueniet; cui non audaciam modò, ſed maximam etiam in agendo vim omnium ſæculorum gentiumque tribuit obſeruatio. Porrò quia alij Coon/ alij Cuen dicunt pro eodem, & procliuis alioquin horum eſt commutatio elementorum, Latini ex eadem origine Cunei nomen ſeruarunt: quo licet ad inſtrumentum dumtaxat audaciſſimum & omnis contemnens aduerſitatis vtantur, ea tamen eſt ſignificatio, vt cuiuis formæ pyramidali perquam ſcitè queat applicari. In prouerbium abiit, Malo nodo malum cuneum quærendum; dum indicatur, nihil tam ſolidum eſſe, quod non cuneo aliquo vel rumpatur vel ſoluatur: & maxima id quidem ratione, cùm ea huius figuræ vis ſit, vt omnia penetret, nec quicquam tam firmiter ſit connexum quod non diſrumpat. Quocirca non video quid aptius dici potuerit, quàm igni omnia penetranti & ſoluenti formam eſſe cuneatam: quam ſi de Cimbrica interpretatione deſcribas, eam eſſe dicas quæ nihil non audet atque poteſt. Diſcant modò Græci, diſcant Latini, quàm elegantibus vtantur vocabulis, quamque ſapientiæ arcanioris plenis, ſi eorum nos rationes de ipſis ſermonis radicibus explicare permittent. Sed quid dixi ſi permittent? cùm nihil interſit mea, quid mihi ipſorum liceat vetitum'ue ſit permiſſu; ſi quidem conſtat, eos nihil ſani de vocum harum origine poſſe comminiſci. O bellum, & plenum voluptatis ſpectaculum! in quo tantam datur intueri vocum & rerum cognationem, vt neſcias Timæus'ne à nomenclatore, an nomenclator à Timæo his ſapientiæ præceptis fuerit imbutus. Non poſſum committere, quin aliud adhuc addam argumentum, quo nihil hominibus noſtris dici poſſit luculentius. Alauda, à criſta Corydos Græcis vocatur; & à Theocrito ἐπιτύμβις, eo quòd tumbum patris in capite habeat erectum ea forma qua in Ægypto pyramides videntur: ex quo quiuis intelligit, veterum tumbos in metam fuiſſe ſublatos, atque idcirco apud nos hactenus tumuli ad hanc effigiem è terra aggeſti, quales cùm in tota Albania plurimi, tum tres non procul ab ipſis mœnibus Thenenſium cernuntur, vernaculo hactenus ſermone Tomben nominantur, quæ ſunt vetuſta Romanorum hìc olim cæſorum buſta. Alauda autem Lew-were nobis, ſiue Lef-were vocatur, id eſt, vitæ opus: qua in voce videas pro tumbo, quem in capite gerunt, nos vitam ipſis tribuere. Sed de hac aue vt pluribus agamus, admiranda naturæ conſideratio, & eius monumenta à priſcis hominibus diligentiſſimè ad poſteros tranſmiſſa me cogere videntur, nedum incitare. Prius tamen quàm de alauda verba faciam, ex ipſa Ægyptiorum antiquitate hanc primæ litteræ figuram in lucem proferam; vt non ſolum de nominis ratione conſtet hanc eſſe congruentiſſimam, ſed præterea etiam è vetuſtiſſimis monumentis perſpicuum fiat, & hanc ipſius Aleph olim figuram, & hanc ipſius figuræ ſignificationem in hieroglyphicis fuiſſe, quam modò explicaui.

Coni etymon. — Coon. — *Conradus.* — Cuen. — *Cuneus vnde nome habeat.* — *Cuneus malus malo nodo quærendus.* — *Alauda dicta Corydos, & ἐπιτύμβις.* — *Tumbi nostratium cur in tumbi effigiem aggerentur.* — Tomben. — Lew-were.

Neſcio







Canopi ſimulacrum ex Ægypto Antuerpiam allatum.

Neſcio equidem quo fato accidiſſe dicam, vt dum in hieroglyphicis litterarum notis verſarer, ſimulacrum quoddam antiquiſſimum ex Ægypto Antuerpiam allatum ſit, cuius materies Cyaneo lapidi ſimillima eſſet, & tota longitudo quatuor paullo plus minus digitos æquaret. Caput pueri formam præferebat, totum velo contectum, ſola facie mento tenus & auribus bene magnis exſtantibus. Propendebat autem capitis hoc velum ex parte anteriore à mento in ipſum medium pectus; perinde atque mulieres quædam noſtrates lugent; & ſimiliter in poſticam parté à capite inter ſcapulas deſinebat: reliquum corpus totum tectum, ſolis manibus exſtantibus, ad eum modum, vt cubiti decuſſatim ſe premerent ſub veſte, & manus dextra in ſiniſtro latere, ſiniſtra in dextro videretur. Reliquum corpus terminorum ritu finiebatur in quadrangulam baſim, cui tota effigies recta inſiſtebat. A medio corpore deorſum litteræ hieroglyphicæ anteriorem partem occupabant. Dextra manus figuram Aleph tenebat, vnà cum funiculo, è quo à tergo librarius ſaccus è iuncis vel viminibus factus pendere videbatur. Siniſtra falcem gerebat. Nobis itaque puer Alphabetarius nunc primùm rationis compos factus hoc termino denotari videbatur, quem Ægyptij de ſacro ſermone Canopum ſolent nuncupare. Non minus nobile fuit Canopi atque Harpocratis nomen; ſed quid eo ſignificaretur, à nemine hactenus explicatum. Strabo Canopum Menelai gubernatorem fuiſſe ſcribit, cui & ceteri conſentiunt: vnde & vrbi Canopo & foſſæ Canopicæ & oſtio Canopico nomen manſerit. Mihi veriſimile non fit exterum hominem, & eum nec rebus geſtis illuſtrem, nec apud Spartanos vllos conſecutum honores, tanti apud Ægyptios fuiſſe, vt non hæc modò monumenta ei dedicarint, ſed & in deorum numerum retulerint, & clariſſimum ei ſidus conſecrarint. Nimis hæc abſurda ſunt, & indigna quæ vel inter fabulas recenſeantur, & idcirco luculentum dant indicium, nihil prorſus notitiæ probabilis de Canopo exſtitiſſe. Audiamus interim fabulam de Canopo in Ægypto olim iactatam, quam Rufinus in hiſtoria Eccleſiaſtica recitat. Iam verò, inquit, Canopi quis enumeret ſuperſtitioſa flagitia? vbi prætextu ſacerdotalium littera-

Canopi in Ægypto monumenta.

Canopi fabula.



litterarum (ita enim appellant antiquas Ægyptiorum litteras) magicæ artis erat pænè publica ſchola. Quem locum velut fontem quendam atque originem dæmonum in tantum venerabantur pagani, vt multo ibi maior celebritas, quàm apud Alexandriam haberetur. Sed de huius quoque monſtri errore cuiuſmodi originem tradant, abſurdũ non erit paucis exponere: Ferunt aliquando Chaldæos Ignem deum ſuum circumferentes, cum omnium prouinciarum diis habuiſſe conflictum; quo ſcilicet qui viciſſet, hic eſſe deus ab omnibus crederetur. Reliquarum prouinciarum dij æris aut auri, argentíque aut ligni vel lapidis, vel ex quacumque materia conſtabant, quæ per ignem proculdubiò corrumperetur. Ex quo fiebat, vt ignis locis omnibus obtineret. Hæc cùm audiſſet Canopi ſacerdos, callidum quiddam excogitauit. Hydriæ fieri ſolent in Ægypti partibus fictiles, vndique crebris & minutis admodum foraminibus patulæ, quibus turbida aqua deſudans defecatur & purior redditur. Harum ille vnam, cera foraminibus obturatis, deſuper etiam variis coloribus pictam, aqua repleta, ſtatuit in deum, & exciſum veteris ſimulacri, quod Menelai gubernatoris ferebatur, caput deſuper poſitum diligenter aptauit. Adſunt poſt hæc Chaldæi. Itur ad conflictum, circa hydriam ignis accenditur; cera qua foramina fuerant obturata, reſoluitur; ſudante hydria ignis extinguitur. Sacerdotis fraude Canopus Chaldæorum victor oſtenditur. Vnde ipſum Canopi ſimulacrum pedibus perexiguis, attracto collo & quaſi ſugillato, ventre tumido in modum hydriæ, cum dorſo æqualiter tereti formatur. Ex hac perſuaſione velut Deus victor omnium colebatur. Hæc Rufinus: quæ ad eundem modum apud Suidam narrantur. Quis hîc non videt ridiculam & anilem fabellam, ne dicam putidam & ineptam, tantum abeſt vt ad veram referri queat antiquitatem. Stupidi fuerint & plus quàm plumbei Chaldæi illi neceſſe eſt, qui nec hydriam, nec aquam effluentem deprehendere quiuerint. Deinde qua tandem ætate hoc commentum dicemus accidiſſe? Certè ſi vmquam, Cambyſis tempore contigerit, qui plurima contra Ægyptiorum ſuperſtitioſam inſaniam deſignaſſe narratur. Atqui id fabulæ auctores non commemo-

Ignis, Chaldæorũ deus, aliorum omnium deorum victor.

Canopi fabula cõfutatur.

rant,adeò vt facilè cernas qualis ea ſit hiſtoria , quæ nullo tempore,nullo regno , nullo auctore circumſcribitur. Nos igitur eandem viam quam in ceteris hieroglyphicis ingreſſi , primùm quid Canopus in ſacra Ægyptiorum ſignificet lingua declarabimus ; ac
Canopi nomenclaturæ ratio. deinde videbimus , quæ conuenientia ſit nominis & adſpectabilis ſigni . Can apud nos dum verbum eſt duo ſignificat, poſſum & ſcio: vnde ab eius præterito imperfecto Conſt/
Can. dicitur ars & facultas. Significationis ratio in Ce-an cernitur; quæ vox vehemēs deſiderium indicat cuiuſpiam rei quā nobis adeſſe cupimus. Omnes enim homines & ſcire, &
Conſt. aliquid facere poſſe vehementer deſiderant,nec quicquā eſt quò maiore naturæ procliuitate rapiantur. Vox Can conuerſa Nac facit;quod ſignificat vehementer & cum impe-
Can. Nac. tu quodam ad aliquid inclino,vt dum dicimus, Hi nact dat-na, id eſt, pronus ad hoc fertur. Quia verò ex hoc tam ardenti deſiderio ad rem ipſam ad quam ferimur paullatim
Nac. accedimus & reddimur propinquiores , Nac vocali longa idem eſt quod appropinquo; in quo finis eſt ipſius ſciētiæ. Tota enim rerum cognitio cò tendere debet,vt ipſi enti & ipſi vni quàm poſſumus proxime coniungamur. Verumenimuerò vt nuſquam dormitauit nomenclator ; ita in hac voce Can inſignem arripuit ſymbolicæ doctrinæ occaſionem. Quemadmodum enim animus ad ſciendum pronus fertur ; ita corpus ad poculum. Nihil enim infantes auidius appetunt,quàm vel mammæ,vel poculo mammæ vicem habenti adhærere ; ita vt quicquid arripuerint , id mox , veluti poculum ſit , ori admoueant & inde ſugant. Quamobrem Can pro poculo nomenclator voluit vſurpa-
Poculum vires ſuppeditat, & inducit ſcientiæ opinionem. ri. Iam poculum nobis vires ſuppeditat ; & ſi largius eo vtamur, maximā inducit ſcientiæ opinionem;falſam illam quidem & temporariam,ſed talem tamen,de qua ſibi poti inſigniter placeant & blandiantur. Porrò vti poculum cuiuſuis liquoris capax eſt ; ita
Poculi et puerilis animi analogia. puerorum animus cuiuſuis ſcientiæ & artis, ſi modò hanc, modò illam infundas. Hinc tandem ſymbolum Canopi, fingebatur puer qui ſolo capite & obſcuris corporis lineamentis à poculo differebat , quem Canopum vocabant , ſimul ad Can pro ſcio & poſſum vſurpatum, ſimul ad poculum alludentes. Idem autem ſignificat Canop/ac ſi dicas
Hop. cognoſcendarum rerum ſpem. Hop enim ſpes eſt. Dum igitur hanc pueri imaginem pingebant , omnia ſimul hæc indicabant, puerorum animos haud minus ad ſcientiam & artes natura pronos eſſe, quàm ad pocula ipſorum palatum : & quemadmodum poculis viciſſim quiuis liquores infunduntur ; ita puerorum animos quauis arte imbui poſſe: & quoniam maxima eſt puerilis ingenij capacitas , ventricoſum poculum & amplum Canopi capiti corporis loco ſupponebant. Eiuſmodi ſimulacrum cernes in primo limbo ad dextram partem hieroglyphicæ tabulæ, quā Bembi nobis bibliotheca communicauit. Eòdem
Canopi ſimulacrum alterum explicatur. ſpectat in ordine infimo ſecūda à ſiniſtris figura, tota reti incluſa , perinde atque fictiles orcæ, quibus oleum & alia è Luſitania ad nos adferūtur, funibus in retis modum connexis aduerſus iniurias muniuntur. Idem ſimulacrum in eodem ordine repetitur, ſed minus quàm priore loco, & ſcipione nonnihil immutato. Nemo non pueri formam in capite agnoſcit,& in reliquo corpore poculum reticulo munitum. Vt autem tenellam adhuc ætatem agnoſcas, mento ipſius caruncula longa appen-
Lel. det , quam noſtrati lingua Lel vocamus, quam pueris adhuc lactantibus tribuere ſolemus,



ſolemus, eo quòd mentum eorum perpetuò papillis hærere videatur. **Lellen** enim nos pro ſugere dicimus, eo quòd puer ſugens **Lel** in ore habeat carnem pendentem: qua voce contemtu quodam mammam pendulam denotamus. Fit autem vox per duplex Lambda, eo quòd puerorum lingua ad ſupremum palatum in ſugēdo referatur. Canopus igitur velut lallans adhuc puer eſſe deſignatur, dum hæc caruncula mento eius appingitur: quod ex alia lingua numquam intelligas. Latini veteres Lallare à priſcis Cimmeriis retinuerunt: Sic Perſius: *Lellen.* *Lallare.*

——At cur non potiùs teneróque palumbo
Et ſimilis Regum pueris pappare minutum
Poſcis, & iratus mammæ, lallare recuſas?

Vbi duo Cimbrica verba cernas, Pappare & Lallare. **Pap** nobis pulticulam pueris dari conſuetam ſignificat: vnde pappare, pulticula veſci ſignificat. Hinc optimè Plautus in Epid. Nouo liberto opus eſt quod pappet. Interpretes, noſtri ſermonis ignari, nec quid lallare, nec quid pappare ſignificet, ſatis intellexerunt; dum lallare & pappare ad voces putant referri. Perſius ridens pueri mollitiem, cur non, inquit, ſimilis palumbo & Regum pueris minutam pappam qua veſcaris, poſcis, cùm iam nolis lallare, iratus mammæ? id eſt, nolis mammam ſugere. Cùm noſtrates cuipiam infantium & pueriles mores exprobrant, dicere ſolent, **De lel henct hem noch aen den mont/** id eſt, Lella ſiue mamma ei adhuc pendet ex ore. Fruſtra igitur ex alterius linguæ conſuetudine huius hieroglyphici ſigni petas interpretationem, quæ nobis de vulgato loquendi more eſt clariſſima. Quod autem in hoc Canopi ſimulacro caruncula è mento dependens nobis **Lel** vocata deſignat, idem in Canopo cyaneo peplum è mento dependens notat, quo hæc pendula caruncula occultari videtur. Vt autem tenerum vas eſſe agnoſcas, & diligenter cauendum ne offendatur, reticulato opere totam hydriam ſiue poculum circumdatum atque munitum vides; quo non firmitas tantùm ei conciliatur, ſed noua etiam accedit ſignificatio. Rete enim nobis **Net** dicitur: at eadem vox pro mundo & puro vſurpatur, ita vt dum rete vides, de Cimbrico ipſius nomine ad puritatis venias cogitationem. Denotatur igitur puer hic vaſculum adhuc purum eſſe, nullo hactenus imbutum liquore. Quamobrem ſummopere obſeruandum, vt principiò optima infundantur. Quæ verò infundenda ſint, ſcipio quem ambabus manibus Canopus tenet, demonſtrat. Hic igitur nobis eſt declarandus. Verùm de ſcipionis notatione & capite alaudæ, quod eius ſupremam partem abſoluit, mox in Alauda pluſculum dicemus. In medio ſcipione ſub alaudæ capite clariſſima crux cernitur, quæ nobis indicat totius vitæ opus per alaudæ caput denotatum ſuper cruce fundari, & omnem cognitionem quam pueris proponimus, ad crucem debere ſpectare ſiue Tau, de quo pòſt latiùs. Tau verò non ſolum hîc cernitur, ſed vnà lituus tenetur; & figura quædam quæ Aleph eſſet, ſi rectam lineam haberet motionis ad locum indicem, quam priùs in Hori Apollinis ſiniſtra conſpeximus. De lituo & eius notatione in Gimel agemus. Hîc dumtaxat figuram illam quæ partem Aleph refert, conſideremus. Dixi pyramide vitam denotari ſempiternam, vtpote eam quæ in ipſum Vnum finiatur: quæ quia omnes homines admittit, inferiore ſui parte aperta eſt, vt nimirum cuiuis liber & amplus pateat acceſſus. Dum igitur Canopus hanc figuram pyramidis indicem manibus apprehendit, vitam apprehendit æternam; cui cetera coniuncta viam & rationem vitæ huius aſſequendæ oſtendunt, vt in Alauda, Lituo & Tau patebit. Porrò quamuis ex antica parte egregie hic Canopus noſter munitus ſit ſacrorum ſignorum amuletis, à poſtica tamen parte habet aliud adhuc phylacterium, triangulum nimirum cum orbiculo dependentem: quo deſignatur homini diuinam naturam eſſe ad æternam vitam deſtinatam; tametſi hac prima corporum & ingeniorum infirmitate deorſum in terram dependere videatur. Triangulo æquilatero diuinitatem notari Plutarchus auctor eſt, & nobis è ternarij ſignificatione manifeſtum eſt. Rotundum autem orbem æternitatis indicium eſſe, neminem latere poteſt, qui non prorſus ſit rationis impos. Bene igitur vndique munitus eſt Canopus, & in magna ſpe immortalium bonorum ſtare cernitur. Nunc cyaneum noſtrum Canopum conſideremus. Huic in dextra clariſſimum Alef videtur, vnà cum linea quæ priori ſyllabæ in Alef reſpondet. Vnà funiculus tenetur cui ſacculus librarius appendet, quo pueri ad ſcholas itantes vti conſueuerunt. Siniſtra manus falcem

Pappare. *Pap.* *Net.* *Triangulus æquilaterus diuinitatē ſignificat; rotundus orbis æternitatem.*

Falx Canopi quid notet. Seiſchen. Seen. *Falcis etymõ.*

gerit. Priùs ergo quid falx ſibi velit, expendamus. Cimbricum falcis nomen Seiſſen eſt, quo denotatur id quo ſata deſtruuntur. Seen enim deſtruo ſignificat Latina vox falx è Cimbrico quoque ſermone manauit, ceu Fal-hact diceretur; quod nihil aliud eſt quam ſi dicas Cedit vt cadat: è quo falx ſyncoptôs, & ct in x mutato, vt in aliis etiam obſeruatur: Vel ſi mauis Fal-hac/ id eſt, vncus trahens ad caſum. Quoniam igitur falcis nomen apud Ianigenas vſurpatum, eorum quæ ſata ſunt minatur deſtructionem, atque eam apertè præ ſe fert; factum eſt, vt falx pro mortis ſigno poneretur, eo quòd hæc omnia quæ ſata ſunt demoliatur & exſcindat. Canopus ergo ſiniſtra manu, quæ imbecilliorem hominis partem ſignificat, demonſtrat deteriorem noſtri partem morte interituram; nec tantam ſpem nobis vel ſcientiæ vel alterius facultatis affulgere, vt mortem effugere poſſimus. Dextra verò manus meliorem præſtantioremque hominis partem ſignificans, qua corpus nimirum mouetur & viuit, vitam continet ſempiternam per Alef denotatam; cui ſaccus adiungitur, quo vitæ huius viaticum continetur: indicans, libros ſiue ſcientias libris comprehenſas veriſſimum pabulum eſſe vitæ perennis. Bene igitur accidit, quòd hic cyaneus Canopus in manus noſtras venerit, vt nobis euidens adferret argumentum eius figuræ qua Alef olim apud Ianigenas notabatur. Ex his liquere puto Canopum nihil aliud fuiſſe, quàm ſpem eam quæ de puerorum futura fruge iam inde à teneris vnguiculis, atque adeò ab ipſa lallatione concipiebatur; quæ ob eam cauſſam poculi habebat figuram, vt intelligeremus pueros haud ſecus ac pocula cuiuſuis liquoris capaces eſſe; & magni referre quo primùm imbuantur humore, eo quòd iuxta Horatium,

Falx mortis ſignum.

Canopus, ſpei de puerorum fruge ſymbolum.


Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.

Hinc Canopus haud aliter in ſcholis pingebatur quàm Harpocrates, & vt hic Deus paullatim ex hominum ignorantia euaſit; ita & Canopus in errorum materiam tractus varias vulgo præbuit fabellas. Quoniam autem hæc tenella adhuc puerorum vita, licet magnam habeat futuræ aliquando frugis exſpectationem, parum tamen hactenus à terra attollitur, veteres Ianigenæ clariſſimæ cuidam ſtellæ, quæ in Ægypto videtur, Canopi nomen dederunt, eo quòd clariſſima quidem ſit, ſed parum tamen ſupra finientem circulum eleuetur: ea in re puerilem nobis indolem ob oculos ponens; magnam illam quidem & illuſtrem, ſed adhuc non procul à terris elatam, atque adeò vix dum emergentem. Elegantiſſimè profectò ſidus quod non altè ſupra horizontem adſcendit, puerilis ſpei nomine conſecrarunt, eo quòd perpetuò, velut in primo ſemper eſſet ortu, depreſſum maneret; nec vmquam ad eam perueniat, quam polliceri videtur ſublimitatem. Viden' quàm omnia inter ſe conſentiant, tum quæ de Canopo puero, tum quæ de ſtella, tum quæ de poculo dicuntur, quàm vbique immatura adhuc ſpes ſit frugis olim futuræ? Quid hæc habent cum Menelai gubernatore cognationis? qui ſi vllus in Ægypto mortuus fuit vel de ſerpentis morſu, vel de quauis alia clade, certè prouectæ iam fuerit ætatis & multo ſenior, quàm vt lallantis pueri præ ſe tulerit formam. Quis vmquam Regum tam ſtolidus, tam inſanus, tam omni rectæ rationi aduerſarius, tam furioſus denique fuit, vt vel puerum imberbem, vel iuuenem eius nauis in qua ipſe veheretur, clauum voluerit tenere? Quòd ſi id vnum eſt de abſurdiſſimis; qui poterit eorum probari commentum, qui puerilem hanc, quam in omnibus vetuſtatis monumentis videmus, faciem gubernatoris Menelai eſſe dicent? Quod ſi nullo modo admitti poteſt, vt non mox de omni actum ſit probabilitate; quid de Canopo & lallanti eius imagine cogitandum? Ille ſcilicet ſtellæ ad ſeptuaginta quinque Auſtralis latitudinis gradus ab Europæis remotæ, nomen dediſſe dicetur, qui numquam eam antea obſeruare potuerit, quàm vel in Ægyptum, vel in vicina loca appuliſſet. Sunt hæc frigidiora, aut potiùs abſurdiora, quàm vt poſſint vel in ridiculis, vel in fabulis haberi. Quamobrem cùm Canopus primæ magnitudinis aſtrum ſit, & parum ſupra Ægypti horizontem eleuetur, dicimus ab ea ſpe nomen accepiſſe, quæ maximam quidem & illuſtriſſimam ſeſe oſtendit in ſuo exortu; ſed ſic in exortu ſuo hæret, vt perpetuam videatur infantiam agere velle, nec vmquam ad illud decus excelſum adſcendere, ad quod ſe dum oriretur videbatur præparaſſe. Cùm igitur Canopus nihil aliud ſit quàm pueri imago, de quo nunc primùm ſpes concipi queat, vt tandem aliquid ſciat & poſſit; diligenter

Canopus ſtella.

Canopũ Menelai gubernatorem non fuiſſe.

ligenter quid nobis ea repræſentet conſiderandum. In primis igitur in hieroglyphica Bembi tabula cernimus, ſtatim ab in ꝓo puero ea præponenda eſſe, quæ rectà ducant ad vitam ſempiternam. *Puero quæ primùm proponenda.* Idem in noſtro Cyaneo Canopo videmus per figuram Alef deſignari; atque idcirco hac veterum nobis teſſera præcipi, vt pueris à teneris ſtatim vnguiculis æternæ vitæ ſemita monſtretur. Paruulus ille Canopus, qui in ſupremo Hieroglyphicæ tabulæ limbo cernitur, ſola ferè penna inſignis eſt, quæ in capite erecta ſtans nihil aliud ſignificat, quàm totam ipſius ollarem capacitatem ad hoc ſpectare, vt omnibus iis quibus implenda ſit ſurſum ad cælum euehatur, quod penna Cimbrico, Ver/ nomine, quod à Vuer/ id eſt, fero deriuatur, deſignat. *Ver.* *Vuer.* Quanta autem huius ætatis cura nobis habenda ſit, ne qua parte fragilis eius natura lædatur aut offendatur, ſatis declarat accurata illa cuſtodia, quam reticularis plexus in Ægyptiaca tabula demonſtrat. *Puerilis ætatis quãta cura habenda.* Cyaneus noſter Canopus ſic totus faſciis eſt munitus, vt vix manus extremæ exſtare videantur; quo intelligamus tenellam hanc pueritiam accuratiſſimè eſſe ab omni noxa tuendam, ſi illam quidem, quam concepimus, ſpem nobis integram velimus manere. Hinc illud eſt quòd nihil vſquam præ ceteris extet membrorum, quo iuxtà omnia in tuto conſeruentur. Aures tamen bene patulas in Canopo videmus; quo intelligamus, totam puerilis ſpei firmitatem in diligenti conſiſtere præceptorum auſcultatione: per has videlicet totum poculum, quod in corporis eius effigie videmus, eſt replendum: his inſtillandum quicquid per ſcipionis indicium, quicquid per figuram Alef infundi iubetur. *Aures patulæ in Canopo quid ſignificent.* Reliqua membra omnia in alta quiete contineantur; non manus, non pes, non lingua, non cubitus, non quicquam ceterorum libero motu vagetur, ſed his omnibus adſtrictis ſolæ pateant aures. Per has totum poculum repleatur, per has omnia totius meſſis ſperatæ ſemina indantur; quod ſi fiat, Canopus id reuera erit quod dicitur, Spes nimirum omnis ſcientiæ & facultatis, qua homines ad vitam æternam queant peruenire. Hoc igitur modo puerilis ætas inſtituenda atque formanda, ſi Canopi ſymbolo credere velimus: & ſi huic credemus, facilè ignem falſum Perſarum Deum exſtinguemus, quo omnes qui Canopi conſilium ſecuti non fuerint, exurentur. Vt enim & hoc ad cauſſam aliquam referamus, licet minimè ſit neceſſarium quaſuis fabellas ad veritatem aliquam vocare, quòd Ignem Perſarum Deum ſolus Canopus dicatur viciſſe; nemo Chriſtianorum ignorat, eos qui citra Canopi ſpem vixerint, æternis ignibus poſt mortem eſſe cruciandos; atque idcirco non iniuria fabellam in vulgus emanaſſe, ſolum Canopum flamis reſtitiſſe & de igne Perſico triumphaſſe. *Ignem Deum dicitur Canopus viciſſe.* Niſi enim cum Canopo ſub vitæ ſempiternæ ſigno militemus, Tartareos ardores euadere nequimus: at ſi ipſum Alef alacres dextra manu arripiamus, omnia flamarum tormenta vincemus. Et hæc quidem de Canopo & vetuſtiſſima ipſius Alef figura, citra quam hieroglyphicum Canopi ſigillum numquam vel intelligere vel explicare potuiſſemus. Aliàs fortaſſe copioſiùs exponemus, cur mortis ſignum dextrorſum ſiniſtra manu porrigatur; & dextra manu Alef vitæ index ad ſiniſtrum latus feratur. Hic ſufficiat dixiſſe, mortem nobis internam eſſe, vitam externam & aliunde arripiendam; & illam quidem exteriùs à nobis, hanc interiùs ad nos ſpectare debere, niſi mori quàm viuere malimus. In Cyanei Canopo integrum Alef videtur: at in tabulæ æneæ Canopo & horo Apolline Lef ſolum notatur, relicta linea quæ ipſum A exprimit, eo quòd ad ſignum hieroglyphicum Canopi formandum non magni referat ſiue ei integrum Alef, ſiue Lef dumtaxat in manu ponas, cum vtriuſque ſignificatio eodem tendat. Antiquiſſima igitur & prima ipſius Alef figura pyramis eſt, duabus lineis ſupernè coëuntibus notata, quæ infernè non clauditur, vt indicetur cuiuis ad vitam aditum patere, & ab vno ipſius coni apice vitam ad infinita ſpatia inferiùs diffundi. *Alef antiquiſſima & prima figura.* Hanc Græci & Latini integram ſeruarunt, ceteræ gentes perdiderunt. Quamobrem vt pyramis & vita conueniunt; ita Alef & eius nota inter ſe congruunt; adeò vt nemo poſthac dubitare poſſit, quin Alef Cimbricum ſit vocabulum, idem ſignificans ac ſi dicas, Age viue. Eſt autem huius vocis Lef illud quod antè dixi artificium, vt recta ſtructuræ ſuæ ratione promittat ſe ad excelſum leuare id in quo eſt: qua in re ignis conſonat naturæ, & idcirco eadem pingitur forma. Quòd ſi vocem conuertas, hoſtilem vitæ oppugnationem videbis. Nomenclator enim quo doceret quàm crudelitas aliena ſit ab humanitate, ſic vitæ fecit vocabulum, vt eius



Fel. conuerſio crudelem denotaret. Fel enim crudelem notat : quæ vox ſi vt verbum vſurpetur, idem ſignificat quod è vita tollo. Fellis etymon. Latinorum Fel hinc manaſſe videtur, quo crudeliſſimus in corpore humor denotatur. Nos eundem benigniore vocabulo Gal. Gal vocamus; à fine nimirum veſicæ fellis nomine dato. Nam ſi hæc pro eo ac debet ſanguinem à bile bene purget, hominem reddit Gal/ id eſt, Gai-al ſiue omnino placidum & hilarem. atque hinc Lag. per ichnæam conuerſionem Lag idem eſt quod rideo. Sed nunc ſatis de Alef; cuius quoties in mentem veniet, toties cogitemus omnem nobis vitam ſic eſſe inſtituendam, vt pyramidis ritu à multis ad vnum tendat, & in Vno finiatur: quod ſi præſtiterimus, certò ſciamus nos ad vitam peruenturos ſempiternam. Nunc itaque tandem quiuis videbit, quàm non fuerit mihi committendum, vt Harpocratis imaginem negligerem, vtpote eam quæ in Heliotropio exſculpta clariſſimum haberet ipſius Alef rudimentum, quod in Canopo item cernimus expreſſum. Atque hinc liquet quæ ſit Harpocratis, Canopi, & ipſius Alef cognatio; quorum ſimulacra nimirum nos iuxtà ad vitam vocant ſempiternam, quæ ſola vera vita dici poteſt non apud Chriſtianos modò, ſed apud Plotinum etiam & ceteros ſapientiæ extêrnæ magiſtros.

Alauda.

PRISCOS homines nobis eſſe præſtantiores, & ad Prometheum propiùs accedere, qui primus luculentiſſimum omnium ſcientiarum ignem mortalibus intulit, in Platonis Philebo memini legiſſe: & eiuſdem Timæus docet, antiquos deorum filios vocari, & iis fidem habendam, in iis maximè quæ ad diuina pertinent; tametſi nullam adducant demonſtrationẽ, propterea quòd domeſtica & ſibi in primis nota proferant. Ariſtoteles item, licet equinum ſe pullum præceptori ſuo; & non huic modò, ſed vetuſtioribus etiam præſtiterit, hoc tamẽ veritatis impulſu coactus eſt fateri, illud omniũ honore digniſſimum, quod ſit antiquiſſimũ. Quòd verò hac ſua confeſſione eam opinionem conuellat quæ mundũ & hominũ genus ſtatuit æternum, cùm infinitum quod eſt nullum admittat primum aut antiquiſſimum, in Hermathena explicaui; hìc ſatis mihi fuit teſtificatione duorũ, quibus nihil habent Græcorum ſcholæ quod anteponant, clarum facere, nullum firmius eſſe veritatis argumentum, quàm ſi quid doceatur vetuſtiſſimis hominibus placere. Ceterum cùm antiquitas omnis veneranda ſit, illud in ſummo pretio habendum eſſe concludo, quod antiquorũ auctoritate antiquiſſimum eſſe comprobatur. Atqui inter antiqua nihil alauda antiquius; quam vetuſti priſcorum hominum ſermones ferunt ante ipſam terram fuiſſe. Ariſtophanes, quia antiquiſſima quæque deridet, pro ludibrio Cronia & Becceſelana habens, nihil nos turbat, quòd alaudam quoq. in comœdiæ partes vocarit. Quis enim tam inſanus eſt aut vecors, vt eius commoueatur ſcurrilitate, qui Socratem & in Socrate omnem ſapientiæ laudem populo propinauit deridendam; & id quidem, quo ſceleratiorem agnoſcas, pecunia emptus? Venalis tamen hic ſcurra, & linguam habens proſtitutam ad conuicia in optimum quemque iacienda hoc nobis attulit emolumenti, vt ex eius deriſione multo clarius quàm ex vllo alio doctore, qui in hominum quidem manibus verſetur, antiquiſſimam de Galerita fabulam cognoſceremus. Qui, inquam, itaque palàm profitetur ſe veritatis antiquæ perduellionem, exordium tamen ab eo ſumemus veritatis è tenebris eruendæ. Apud hunc Piſiſtratus auium chorum imperitiæ taxans, hæc de Alauda verba facit:

Antiquiſſima quæ ſunt, eadẽ eſſe præſtantiſſima.

Alauda antiquitas.

Ariſtophanes.

Αμαθὴς γὰρ ἔφυς· κ' οὐ πολυπράγμων οὐδ' αἰσώπου πεπάτηκας
Ος ἔφασκε λέγων κορυδὸν πάντων πρώτην ὄρνιθα γενέσθαι
Προτέραν τῆς γῆς· κ' ἄπειτα νόσῳ τὸν πατέρ' αὐτῆς ἀποθνήσκειν,
Γῆν δ' οὐκ εἶναι. τὸν δὲ προκεῖσθαι πεμπταῖον τὴν ἀποροῦσαν
Υπ' ἀμηχανίας τὸν πατέρ' αὐτῆ· ἐν τῇ κεφαλῇ κατορύξαι.

Intelligimus itaque Æſopo hanc fabulam adſcribi, qua narretur, Galeritam omnium auium primam ante fuiſſe quàm terra eſſet; ac deinde patrem eius obiiſſe, nec terram fuiſſe in qua ſepeliretur. Cùm igitur hic iam quintum diem iaceret, illam conſilij impotem, patris tumulum in capite ſuo collocaſſe. Atque hic quidem eſt Apologus ab Ariſtophane ad Æſopum relatus. Hinc modò Theocriti idyllion lucem capit, quod ſic meridianum tempus deſcribit, vt & lacertos in ſepibus dicat quieſcere, nec galeritas vagari ἀνίκα δὴ καὶ σαῦρος ἐφ' αἱμασίαισι καθεύδει οὐδ' ἐπιτυμβίδιοι κορυδάλλιδες ἠλαίνονται. Galenus galeritæ eſum colico dolore laborantibus commendans, facere non potuit vt Ariſtophanis verſus ſubticeret, ex quibus Theocritum explicauit ille quidem, verùm nec ipſe, nec quiſquam aliorum expoſuit quæ cauſſa fuerit huius figmenti, vt Alauda ipſa terra, omnium, non eorum modò quæ animalis habent naturam, ſed inanimorum etiam matre & nutrice, vetuſtior diceretur. Certè fabulam eſſe nemo non intelligit: ac fabulæ à priſcis hominibus fingi non ſolent, niſi ad inſignem aliquam eorum qui intelligerent vtilitatem. Magnum & illuſtre nomen apud antiquiſſimos Græciæ ſapientes Æſopus fabellis ſuis comparauit, in nullo futurus pretio, ſi anicularum duntaxat delitamenta nullum fructum afferentia prodidiſſet. Ad hunc autem & hoc vetuſtiſſimum

Alaudæ fabula.

de vetuſtiſſima auicula commentum refertur; qui cùm Phryx fuerit, vt pleriq. tradunt, vel Thrax, vt in Ariſtophanis interpretibus legimus; de patria ſua nos monet, eandem

Apologi à Cimbris originem habuerunt.

apologorum & Orphicæ theologiæ eſſe originem: & vtrumque docendi genus à Cimbris antiquitus inuentum fuiſſe; propterea quòd & Thraces & Phrygij & lingua & natione Cimmerij eſſent, Beccceſelana mea demonſtrant. Vel igitur quiſquam de Latinorum aut Græcorum monumentis nos doceat, quid ſibi voluerint qui alaudam hac antiquitatis prærogatiua donarunt; vel permittant quod ipſi facere nequeunt, id vt nos expediamus. Primum illud quæratur, quo nomine hæc auicula Cimmeriis olim fuerit vocata, quo cernatur ecquid ex eo queat lucis adferri. Gallos ab origine Cimmerios eſſe, nos non vno loco indicauimus, & eſt alioqui de Ioſephi teſtificatione certum. Quamobrem ſi Gallicam galeritæ nomenclaturam reperero, Cimbricam quoq. repe-

Alauda, vocabulū Gallicum eſſe.

rero. Hic me iuuabit Plinius, qui tradidit Alaudæ nomen Gallicum eſſe, addens & legionem inde nuncupatam: quo fit, vt non Latinos, ſed Cimbros de vera vocis notatione conſulere debeamus. Suetonius Tranquillus huius legionis his meminit verbis: Qua fiducia (de Iulio Cæſare loquitur, iam conſecuto vt ſibi ad quinquennium imperiū prorogaretur) ad legiones quas à Rep. acceperat, alias publico, alias priuato ſumptu addidit; vnam etiam ex Tranſalpinis conſcriptā, vocabulo quoq. Gallico, Alauda enim appellabatur: quam diſciplina cultuque Romano inſtitutam & ornatam poſtea vniuerſam ciuitate donauit. Hæc ille. quibus cùm nihil clarius eſſe poſſit ad docendū Alaudæ nomē Gallicum eſſe, nihil amplius aliorum teſtimonia morati, exponamus quid Alau-

Alaudæ nominis notatio.
Al.
Aut.

dæ nomen ad veram rationem vocatum deſignet. Al omne eſſe, & Aut vel Aud antiquum, ne balbutientibus quidem de plebe noſtra pueris ignotum: è quibus vocibus ſi nomen componas, quid aliud dices, quàm id quod in omni re antiquum eſt; quaſi diceretur, hanc auem apud omnes in omni re habendam antiquiſſimam? Iam ſi al-auden dicas, in plurium numero locutus intelligeris, nihilque aliud notaſſe, quàm omnes antiquos eſſe. Quoniam autem & auiculæ & legioni nomen idem tributum videmus, priùs id examinemus, quod faciliorem habet approbationem. Galli ergo in Romanam militiam Iulij Cæſaris delectu adſciti, Gallicum ſibi nomen ſumſerunt, non Romanū; infami hominum noſtratium huius temporis nota, qui quauis vel corruptiſſima lingua quàm ſua ipſorum, quam puriſſimam hactenus habemus, vocari malunt. Quale verò

Alaudæ nomen cur legioni à Cæſare ex Trāſalpinis conſcriptæ tributum.

nomen ſibi indiderunt? Nempe tam nobile & honorificum, vt vix nobilius aut honorificentius legioni dari poſſet. Quanti fuerint apud Romanos veterani qui neſcit, is in eorum hiſtoria ſe perparum vel nihil legiſſe fateatur. Cùm igitur hos in ſummo honore cùm apud ceteras nationes, tum apud Romanos eſſe Galli ſcirent, ſic legionem ſuam nuncuparūt, vt ſe omnes veteranos eſſe ipſo nomine iactarent. Quid enim aliud ſignificat Al-auden, quàm omnes veteranos eſſe, in pluriū numero voce pronunciata? Quod licèt ceteri fortaſſe Latini ſermonis ſcriptores ignorarint, à Cicerone tamen diligenter obſeruatum videmus, vt legionis nomen in hoc numero ponat. Sic dixit, Alaudas ab Antonio iudices lectos: & iterū, Antonium cum legione Alaudarum in vrbē pergere. Quid? quòd idem videtur ſatis perſpexiſſe hanc vocis ſignificationem, dum dixit: Huc accedunt Alaudæ ceteriq. veterani. Sunt ergo Al-auden in lingua noſtra qua hactenus vtimur, iidem qui Latinis ad verbum, Omnes veterani, dicerentur. Conradus Geſnerus dum Alaudas ab Alten ſiue Alden dici ſcribit, addens veteres Gallos lingua Germanica magna ex parte vſos eſſe; nec id de Germanis inferioribus capi volens, quos dicit Olden non Alden ſonare, tria vna in re peccat. Neq. enim Alandæ ab Alden, ſed ab Al-auden dicūtur: neq. Germani inferiores Olden ſolùm, ſed Alden etiam dicunt; tametſi hæ voces ad ſuperiores potius ſpectent. Propria enim ipſis pronunciatio Auden habet. Neq. verum eſt, Gallos olim Germanica lingua ſuperiore vſos eſſe, cùm clarum ſit Cimbrorum ſobolem fuiſſe, quorum ſermo hactenus apud Brabantos Campanos integerrimus exſtat: quem Gallos olim loqui ſolere, ſi non ex iis quæ in Gallicis originibus tradidi, at certè ex hoc Alaudarum nomine clare docetur: in quo ne vnus quidem apex eſſet immutatus, niſi Latini more ſuo ipſum terminaſſent. Porrò quò clariſſimo nomini, quo omnes ſe veteranos eſſe ſignificabant, ſymbolum reſponderet, eiuſdem rei habēs notationem, auiculam ſibi ſignum ſumſerunt, quæ non voce tantùm & nomenclatura conueniret, ſed omnium gentis ſuæ hominum confeſſione vetuſtiſſima etiam haberetur. De ſigno

igitur

igitur Alaudam non malè dicas; ſed ſi primum nomen ſpectes, Alaudas melius vocaris. Crediderim equidem, nec eſt etiam cur dubitem, Alaudas dum à Romanis nominis ſui cauſſam rogarentur, reſpondiſſe ab auicula ſibi nomen cõtigiſſe, atque inde Plinium ſic litteris prodidiſſe. Videmus itaque nunc, fabulam eam quam antiquiſſimi Græci Æſopo acceptam retulerunt, ad vnguem quadrare cum Cimbrica Galeritæ nomenclatura; atque inde coniecturam meam reddi certiorem, qua collegi huius fabulæ exordium ad Cimmerios pertinere. Verùm vt clariſſimum reddidi qua de cauſſa Alaudarum nomen legio ſibi vindicaſſet; ita non tam procliue fuerit nomenclaturæ rationem in auicula explicare. Quò tamẽ id quoq. dilucide expediri queat, maximum momentũ habebit, ſi alterũ galeritæ nomen apud Cimbros vſitatũ exponatur. Hodie hanc auiculam Leeuwerc vocamus, V conſonante pro F littera duriore ad cõpoſitionis mollitudinẽ aduocata. Integrè enim & extra compoſitionem Leefwerc diceretur: qua voce idem ſignificatur quod Romanus, vitæ opus, ad verbum verteret; ſiue malis Latinius, ipſum totius vitæ officium atque munus. Mirificum, me Hercules, & portentoſum nomen. Quid enim vel tãtum, vel tanti in hac tam puſilla auicula eſſe poteſt, vt in eo vitæ opus conſiſtere meritò dici poſſit? Ego ſanè quódnam hoc opus ſit ſiue munus quod totius vitæ ſummam iis complecti viſum eſt, qui hoc nomen exiguæ huic aliti dederunt, non ex libris vllis, ſed ex maiorum accepi traditione; qui mihi adhuc puero frequenter narrarunt, hanc auiculam quotidie ſepties in altum euolare, quò hymnos cantet ſuo creatori: vnde factum vt pòſt in adoleſcentia mirarer, dum viderem Pſalmiſtam ceciniſſe, *Septies in die dixi laudem tibi.* Ex hac re fortè quidam arripuerunt occaſionem, vt alaudam à laudando nominari docerent; cùm tamen nihil ſit putidius, quàm vocabulo Gallico Latinam adſcribere ſignificationis cauſſam; & ipſa adeò vocũ cauſſa tamquam ex ſummo tribunali ſententiam ferat, cuiatis ſermonis nomina ſtatuenda ſint. Quando itaque nullum aliud præcipuum alaudæ opus commemoratur, quàm quòd ſepties, id eſt, perfectiſſimè omnibus modis & ſemper Deum laudet atq. demulceat, in hanc cogimur deſcendere ſententiam, vt hoc ipſum, Deum nimirum aſſiduè adorare & laudare, dicamus ipſum ipſiſſimæ vitæ opus apud maiores noſtros iudicatum fuiſſe. Hoc poſito, cuius mox cauſſam aperiemus, non fuerit difficilis eius inuentio, ob quod alauda omnibus terrenis, atque ipſa etiam terra antiquior dicatur. Ante omnia enim alia Deus inuocandus eſt atque laudandus: & reuera diuina laus & adoratio ipſa terra vetuſtior inuenitur; quandoquidem à choris angelorum antè Deus ſit laudatus, quàm terra crearetur. Quamobrem ſi Galerita operis ſui, quod præcipuum in omni animantium genere habet, teſſeram præferat aptiſſimam, & id ſymbolis adſcribi ſoleat quod rebus conuenit ſignificatis, quid ni diuini auxilij inuocandi vetuſtatem galeritæ tribuendam cenſeamus? Viden' vt hæc auicula duo habeat apud Cimbros nomina, tam artificioſè facta, vt cùm eodem ambo tendant, alterum alterius habeat interpretationem? Quærant Græci in domeſticis ſuis theſauris, quærant Latini, ecquid in vernaculis ſibi huius auiculæ nominibus inueniant, quod vel eius vetuſtatẽ, vel cauſſam vetuſtatis exponat. Dicas ἐπιτυμϐιδίας à Theocrito vocatas; ſed id ad tumbi figurã quam in capite gerũt, & referri poteſt, & à multis refertur: & tametſi hinc antiquitatem colligas, nihil tamẽ eſt quod cauſſam explicet cur vetuſtas ei ſit tributa. Nobis Leefwerc nomen clariſſimam rationem indicat, qua galerita Alaudæ nomenclaturam apud Gallos fuerit ſortita: quo fit, vt non verear aſſeuerare, Æſopum à maioribus ſuis, ſiue Thraces illi, ſiue Phryges fuerint, fabulam hanc accepiſſe. Atat, valde ridiculum videbitur, ſi hoc loco dixero quod non ſemel in mentem venit. Quoniam Orpheus Cimbricam vocem eſſe noui, & eum notare, penes quem ius ſit ea moderandi ordinandique quæ auribus ſunt inſtillanda; &, vt ſimpliciter dicam, eum eſſe Orpheum qui modum præſcribit audiendorum, ceu aurium quidam cuſtos & patronus; adducor vt Æſopi quoque nomen ex eadem officina credam prodiiſſe; atque eo quemuis eiuſmodi virum notari, qui magnam adferre copiam poſſit fabularum, è diuerſitate brutorum aptè concinnéque ad vitam bene formandam confictarum. Et mirum eſt quàm inſignis & vrbana ambiguitas lateat in vocis compoſitione. Aeſ-hoop enim eum deſignat qui alimẽta accumulat & congregat: quæ notatio non malè in eum quadraret qui quàm diuerſiſſima animalia bruta vel ad ſuum vſum, vel ad mercatum congregaſſet. Atqui non aliud agere videtur qui diuerſiſſi-

Leeuwerc.

Alauda ſepties quotidie in altũ euolat, & hymnos Deo canit.

Vita opus à maiorib iudicatũ, Deũ aſſiduè laudare & adorare.

Alauda terrenis omnib, & ipſa etiam terra antiquior.

Orphei vocis ſignificatio.

Æſopi nominis etymon et notatio.

diuerſiſſima animantia in vnam multitudinem cogit, quorum alia aliis eſcam præbent. Tales venatores videri poſſunt, apud quos equi canibus, canes falconibus, & aliæ aues aliis famem explent. Si quis ergo eum qui diuerſa animantia in medium producit, vt ex iis apologos fingat, Æſopum vocet; numquid peccaſſe videbitur? An non potiùs ſalſus dicetur fuiſſe? Et hæc quidem prima ſe fronte offert ſignificatio. Verùm ſi ſapientum ductu alimenta conſideres, mox intelliges, optima quæque vitæ rectæ inſtituendæ præcepta verum eſſe pabulum animorum. Quamobrem cùm quibuſuis quotidie varia brutorum genera vel occurrant, vel commemorentur, vel alio modo in memoriam veniant; nulla via & ratione commodior & efficacior reperiri queat ad hominum animos vtilibus monitis formandos, quàm ſi ex diuerſa animalium indole & moribus fabellas comminiſcamur, quibus ſeriæ & graues contineantur ſententiæ. Nulla enim memoriæ ars, ſit illa licet vel à ſummis oratoribus tradita, vim reminiſcendi ſuppeditabit præſentiorem; nec vbi ſemel hæ perceptæ fuerint fabulæ, quicquam hærebit firmius pertinaciusque. Quocirca ſi id genus de brutis animantibus figmenta magnũ aceruum ſtruant veriſſimi pabuli animorum, quod ſolis ſapientiæ præceptis & inſtitutis continetur, an non bene ab alimentorum aceruo nomen feret qui quamplurimis eiuſmodi fabulis abundabit? Quiuis ergo liber quo apologi deſcribuntur, Æſopo inſcribi poteſt; non ſecus atque Orpheo omnia fabularum inuolucra, quibus Theologia velatur; & Hermæ generatim quicquid hominibus diuinam ſiue voluntatem ſiue legem interpretatur. Hinc vt ſunt quamplurima Orphica carmina, nulli certo auctori attributa; plurimi Hermæ Triſmegiſti libri, nullius mortalium nomen præferentes; ita omnium apologorum figmenta quotquot vnquam fuerunt vel pòſt erunt, Æſopo tribui poſſunt. Eſt & alia non minùs concinna nominis interpretatio, qua is Æſopus dicatur, qui turbæ hominum & vulgo pabulum ſubminiſtrat: quæ notio eadem vocis compoſitione declarata, oſtendit nullam meliorem, nullam ſalubriorem eſcam plebi offerri poſſe, quàm eam quæ apologis continetur. *Hoop.* *Aes.* Hoop, quo cumulum quemuis notamus, quamuis etiam hominum ſignificat multitudinem: & Aes non ſolùm nomen eſt pro pabulo, ſed verbum etiam, pro eſcam præbeo: quo fit, vt prudentiæ pabulum populo ſuppeditans, rectè queat Æſopus vocari. De adſpiratione in compoſitione pereunte, quò vocis partes aptiùs cohæreant, ſuperuacaneum ſit monere homines intelligentes; & iniquos, & imperitos, & obſtinatos nihili facit Hippoclides. Quòd ſi hoc nouum meum commentum non explodatur, nihil erit de fabulæ noſtræ antiquitate ex Æſopi ætate colligendum: ſin, vt veriſimile eſt, in priſca homines opinione manere velint, & ſtolidè & ineptè nomen Æſopi vel Phrygium vel Thracium de Græcorum ſermone interpretari; licebit quidem ad Crœſi vſque ætatem, qua Æſopus vixiſſe traditur, fabulæ vetuſtatem referre, ſed ſuperiùs adſcendere non licebit. At ego clarè demonſtrabo ſi Æſopus tum quiſpiam cum Crœſo & ſeptem ſapientibus vixit, ad eum hanc fabulam referri non poſſe vt primum inuentorem. Oſtendam enim ex antiquiſſima ænea tabula, hieroglyphicis figuris inſcripta, & in Bemborum domo, magna, vt meretur, religione cõſeruata, tantam eſſe huius ſymboli de Galeritæ natura ſumti vetuſtatem, quanta eſt inuentionis hieroglyphicorum; quæ immani ſæculorum interuallo Crœſi ætatem præuertit. Si quem igitur Æſopum fingere volent, cui hæc ſiue fabula ſiue ſymbola debeatur, eum longè illa ætate ſuperiorem faciant neceſſe eſt, niſi malint conuinci manifeſtæ vanitatis, idque ſigno euidentiſſimo: quod erroris periculum illi minimè adibunt, qui Æſopi nomen de Cimbrico ſermone deductum fatebuntur. Quiſque tamen quem volet ſibi ducem legat; qui me ſequentur, luculentam videbunt totius Ogeniæ antiquitatis conſenſionem: quam equidem in primariis veritatis argumentis ſemper & collocaui & collocabo. De vetuſtate hieroglyphicorum, ſi quemquam dubitare arbitrarer, & non antè copioſè de iis diſputaſſem, eſſet fortè cur hoc loco iterum mihi agendum ea de re exiſtimarem. Nunc nihil opus eſt rei omnibus notiſſimæ diutius immorari.

Alaudæ caput ſepties in Bembi tabula hieroglyphica.

Eſt igitur in ea quam dixi Ægyptiaca tabula benigno Mercurio ad Bembum delata Alaudæ caput; & id quidẽ non ſemel, ſed ſepties; ita vt quiſquis eius fuerit architectus, ad id alluſiſſe videatur, ſepties quotidie Deo laudes canere galeritas: atque diſſimulato hoc ſuo artificio, ſollertibus ingeniis & diuinorum ſagacibus indicarit, totam hiero-

glyphicæ

glyphicæ ſuæ tabulæ picturam non aliò tendere; quàm vt ſepties in ſingulos dies, id eſt, ſemper & aſſiduè Deo preces & hymnos fundere diſcamus. Prius tamen quàm integram capitis alaudæ expoſitionem aggrediamur, extra controuerſiam ponendum, ea capita quæ ſcipionibus in Ægyptiaca tabula ſupremam abſoluunt partem, alaudarum non aliarum auium capita eſſe. Fuerunt, vt Pighius mihi retulit, qui Ibidúm hæc capita eſſe dicerent; quos toto cælo aberrare ex eadem tabula diſcas: in cuius primo margine Ibidis figuram licet videre, quæ roſtrum longum & falcatum habet, caput nulla caſſide aut galero inſigne. Sed quid contra errorem pugnem cuius perſpicuum, qui modò apud naturæ ſcriptores cognorit, Ibidem non tam roſtri longitudine à ciconia differre, quàm eius curuatura, & cetera, excepto colore, ſimilem videri? Quòd ſi quis Phœnicis caput ſomniet hac figura denotari, is ex Lactantio diſcat, capiti eius coronam radiatam imponi, cui nulla cum hac huius tabulæ figura ſimilitudo. Eſt in hac eadem Ægyptiaca tabula aliud auis genus delineatum; ſemel in ſupremo ordine, in quo videtur à venatore quodam pedibus arreptum teneri: ſemel in limbo inferiore iacens; illic vno cirro, hîc duobus in capite notatum, ſed tam diuerſis ab eius capitis quod in ſcipionibus videtur galero ſiue cono; vt nihil ambigi queat, quin proſſus alterius auis ea ſit figura: & fortaſſe non aberret, qui Stymphalidis hanc dicat eſſe picturam; & eum qui pedibus apprehenſam tenet, Herculis eſſe figuram: quod ex cirris conijcio, quos Stymphalidi Plinius adſcripſit. Certè ſi hæc Stymphalis eſt, longe abſunt à vero qui Pauoncellum hoc nomine dignantur, cùm figura hæc longum collum & corpus multo grandius præ ſe ferat, nec alarum colorem eundem oſtendat. Teneamus ergo, caput quod ſcipionibus ſupernè impoſitum videmus, galeritæ caput eſſe, cui à galero nomen dederunt Latini: apud quos quamuis feminino genere plerumque efferatur, Varro tamen galeritum maſculina terminatione dixit. Propertius Lucomonem hoc epitheto honorauit, dum cecinit: *Galerita à galero nomẽ.*

Prima galeritus poſuit prætoria Lycmon.

Solet olim ſacerdotum pileus hanc formam habere, cui tutulo nomen erat, vt latiùs trademus: Et, tametſi aliunde non conſtaret quæ galeri quondam fuerit forma, ex hac tamen auiculæ nomenclatura deprehenderetur. Græci κόρυδον & κορυδαλλίδα & κορύδωνα à Græco galeæ nomine vocarunt: à quorum poſtremo paſtori nomen tributum apud poëtam. Antiquiſſimum igitur eſt alaudæ ſymbolum, & multis ante Crœſum & ſeptem Græciæ ſapientes ætatibus in vſum vocatum, ad hoc denotandum, nihil eſſe precibus & laudibus diuinis antiquius habendum: Quòd autem caput eius ad huius rei notationem potiſſimum adhibuerint, in cauſſa illud fuiſſe arbitror, quòd ad id quod in re quaque ſummum eſt & caput totius, id concinniſſimè capite notaretur: & deinde quòd in alaudæ capite ea cernerentur quæ imaginem eius gererent, quod altero Cimbrico galeritæ nomine denotatur. Conus enim, vt in Alef figura declaraui, verum veræ vitæ opus deſignat; quod eſt, mentem noſtram à multis ad ipſum Vnum referre. Sicut enim omnes lineæ à baſi ipſius coni ad vnum ſupremum punctum contendunt; ita omnium actionum humanarum ratio ad eum modum inſtituenda, vt perpetuò mens noſtra ad ipſum Vnum, ſummum omnium rerum apicem, rectà dirigatur. Quemadmodum in elementis pyramis ignis habet figuram, cuius eſt in apicem altiſſimè attolli; ita hominum animis attributa, hanc ſignificat actionum omnium metam, cuius ſuprema cuſpis Deum ipſum contingit; & ea de cauſſa à Cimmeriis Ort vocatur; quòd nimirum nos ipſi Oor/id eſt, primæ cauſſæ deuinciat, ipſo Tau vinculum denotante. Hæc enim vox vt ceteris cuſpidibus in communi loquendi conſuetudine tribuatur, huic tamen prima nominis ratio debetur. Latini vnde Oro dicatur, non facilè puto explicabunt: Et vt verum fatear, ne poſſent quidem. Ignorant enim quid Oor deſignet, nec ſciunt item quid ſibi velit qui Hoo dicit. Nobis Hoo exaltare notat, & Hoog altum: quo dato, Oor-hoo nihil aliud eſt, quàm cauſſam primam exalto, quod proprie eius eſt qui Deum orat. Niſi enim ſe humilem & ſummiſſum præſtet, & Deum ſolum exaltet, fruſtra preces concipiuntur. Quamuis autem hoc verbum hac tempeſtate nobis in vſu non ſit, vt plurima in deſuetudinem vel incuria hominum, vel delectu nimio abiuerunt; ipſa tamen vera ſignificationis ratio, quæ nulla apud Latinos inuenitur, declarat id à noſtro ſermone in Latinum veniſſe. Nec habent Latini cur Peto ſuam habeat notationem,

Coni ſignificatio hieroglyphica. *Ort.* *Oor.* *Oro verbi etymon.* *Hoo.* *Hoog.* *Peto, in.*

Bet. tationem, cuius cauſſa tota dependet à Bet voce noſtrati; de qua in pictura ipſius Bet mox plura. Ab Or præterea fit Orten ſiue Orden, à quo Latini Ordinem duxerunt, quaſi rectus litteram N haberet. Eſt autem Orden talis rerum collocatio, vt vniuerſæ ad Ort ſiue primam cuſpidem recto ductu finiantur: quo modo niſi locentur, ſunt ordinis expertes. Quamobrem ſi rectum vitæ ordinem ſeruare ſtudeamus, id vbique in omnibus rebus operam demus, vt ad formam coni earum multitudinem exſtruamus, paulatim à multis ad Vnum tendendo: quod qui fecerit, is veram agit vitam: quæ quia metam exprimit ſiue pyramidem, meritò huius figuræ ſymbolo denotatur. Iam quoniam ignis, cuius calore vita continetur, pyramidem ſibi præcipuam in motione ſua vindicauit, primariam vitæ noſtræ cauſſam non ſequemur, niſi ex omni quam late patet actionum congerie metam conſtituamus, & perpetuò Chriſtum auſcultemus occinentem, *Martha Martha ſollicita es, & turbaris circa plurima. Porrò vnum eſt neceſſarium.* Profectò ſi hanc viam ingrediamur, ad quam ſummus veræ vitæ dux inuitat, mox id nos conſecutos eſſe ſentiemus, vt nullis aduerſitatibus, nullis malorum procellis, nullis vel hominum vel cacodæmonum machinamentis à felicitate vel minimum dimoueri, nedum frangi aut perdi queamus. Hoc ita eſſe, ipſum Coni nomen ad rationem ſuam vocatum nos docebit: qua ſic audaciam & fortem animum pollicetur, vt inde nomen ſibi vindicarit: quod priùs mentali vitæ, quàm elementi ignei lationi accommodaſſe videtur architectus. Cogitemus ergo nos ad hunc conum non priùs peruenturos, quàm conos nos præſtare poſſimus; id eſt, aduerſus omne omnium aduerſorum agmen fortes & animoſos: de qua dote longè nobiliſſima conus nomen duxit. Latini ex eadem cauſſa Cuneum nominarunt: cuius vt etymologia, ita vis & vſus nos monet, vt quamuis vitæ duritiem, omnes nodos quantumuis contumaces & contemnamus audacter, & fortiter penetremus. Si enim vita vita non eſt, niſi Coni & cunei figuram ſequatur, quid ni eo contendimus, vt pari atque illa modo animoſi tum ſimus tum vocemur, & verè de nobis illud Horatianum dici poſſit,

Ordo quid, & vnde nomen acceperit.

Vita rectus ordo quis ſit.

Cuneus.

> *Si fractus illabatur orbis,*
> *Impauidos ferient ruinæ?*

Pyramis ergo ſiue conus igneam exprimens figuram, aptiſſimum eſt ſymbolum quo viuere denotemur; ſed in nullo alio ſermone quàm noſtro hæc vitæ ratio in ipſo vitæ nomine declaratur. Leef enim, quo viuo notatur, duas dixi habere ſignificandi cauſſas; alteram, quòd nihil aliud ſit Leef quàm membra leuo ſiue porto; alteram, quoniam eadem vox indicat in altum cælum id ſe leuare quod viuit, de natura Lambda & Vef ducta notatione. Quia verò nec vlli eorum quæ oculis cernuntur maior in altum tollendi vis eſt quàm igni, nec alia ei quàm conoides propria figura, fit vt & ignis, & ignis figura apud vetuſtiſſimos vitalis teſſeræ conſecuta ſint nobilitatem. Duabus ergo rationibus, licet eodem tendentibus, galerita Leeuwert ſiue Leeuwert dicitur; altera, quia conum vitæ ſignum in capite gerat; altera, quia altiſſimè ſeſe ad cælum attollat: quod vt ipſiſſimum veræ vitæ opus eſt; ita vox Leef ex hoc ipſo rationem habet ſuæ ſignificationis. Mirificus conſenſus eſt ſymbolorum per hieroglyphicas notas & vocabula noſtratia expreſſorum. In figura ipſius Alef declaraui, pyramidem non ignis tantùm, ſed optimæ vitæ notationem habere, & qui ad eam perueniri poſſit figura ſua demonſtrare. Hic iterum videmus, opus vitæ in altero Alaudæ nomine deſignari, nec intelligi oportere, niſi de illa vita quæ verè vita dicenda eſt; ea, inquam, quæ mentem in cælum & ad ipſum El attollit. Qua verò ratione ad excelſum illud acumen eleuetur alauda; partim cono capitis, partim ſuo in altum volatu, partim, & id quidem potiſſimùm, perfecta ſua docet adoratione, quam ſepties quotidie dicitur iterare. Et quia nihil non modò homini, ſed ne angelo quidem antiquius eſſe debet oratione, meritiſſimò hæc auicula perfectiſſimæ vitæ ſymbolum gerens prior dicitur fuiſſe quàm ipſa terra. Hæc enim quamuis corporeæ animantium vitæ & parens ſit & nutrix, eſt tamen ipſi vita cæleſtis, quæ ſola vera vita, longè anteponenda; atque idcirco habenda antiquior & magis honoranda. Quis modò non videt ex hac rerum & vocum conuenientia, ad cuius gentis inuentionem hæc ſpectent myſteria; & cuius ſermonis ſit, veram eorum intelligentiam aperire? Verùm quia in Alef de vita & pyramide ſatis multa dicta mihi videntur, ſufficiant hæc de vocum noſtratium & hieroglyphicorum concordia; quam & hîc & alibi diligenter

Ignis vitæ teſſera apud vetuſtos.

Alauda cur terra fingatur antiquior.

diligenter perpetuò obſeruare eum oportet, qui ad genuinam & germanam ſymbolorum originem volet adſpirare. Nunc igitur ad fabulam ab Ariſtophane proditam; illam quidem vt ridiculam, ſed nobis futuram vnam de iis quibus nulla ſeria ſint præferenda. Aiunt galeritam ante terram fuiſſe. Quo iure? Nempe eo, quòd vita cæleſtis ad conum exſtructa, omnia terrena, vt longè ſuperior & potentior, contemnat & aſpernetur; & tanto omnibus terrenis antiquior ſit habenda & honoratior, quanto mens corpore naturam ſortita eſt præſtantiorem. Sed hoc facile ad intelligendum, & modò ſatis explicatum: at illi quid facias, quòd dicunt patrem eius mortuum? Profectò vix auſim id quod ſentio verbis eloqui. Ille qui dixit, *Ego & pater vnum ſumus*, & id genus alia in eandem ſententiam, an non verus pater eſt cæleſtis vitæ, & eius quæ ſola omnem contemnit aduerſitatem? Non opinor quemquam id negare velle: & vt quiſquam tam impius ſit vt velit, non puto tamen auſurum, tantiſper ſaltem dum viuit inter Chriſtianos. Quando verò hic pater vitæ illius eſt quæ per alaudam deſignatur, pater item dicetur ipſius alaudæ, de ratione per allegorias loquendi: & frequens alioquin eſt, vt ſignis tribuere videamur quæ debentur ſignatis: quod in loquendo neceſſariò ſemper obſeruatur, cùm ſermo omnis verbis & nominibus conſtet, quæ Ariſtoteles ſymbola vocauit, reapſe Platoni conſentiens: cui tamen vt aduerſari videretur, obliqua docendi ratione cùm hîc tum alibi quæſiuit. Non eſt ergo alienum, eum galeritæ patrem vocari, qui reuera illius vitæ pater eſt, quem hæc auicula deſignat. Porrò quando hic mortuus eſt? Semel quidem in terra. Verùm quid hoc ad mortem eius qui antè mortuus dicitur quàm terra crearetur? Profectò in diuinis diuina quærenda intelligentia, & potiùs nos oportet noſtram ignorantiam confiteri, quàm quicquam dicere citra cauſſam confictum fuiſſe. Nos, ſalua ſacrorum reuerentia, cum eo cui altiſſima veritatis myſteria reuelata ſunt, piè dicemus, agnum occiſum ab initio prædeſtinatum, vt per ſolam Chriſti mortem omnibus ad veram vitam aditus pateret. Præuiderat Deus ante terram creatam, hominem à dracone ſeductum iri; ad quem liberandum è mortis æternæ vinculis immenſa ſua hinc bonitate, hinc iuſtitia filium ſuum morti deſtinauit. Vita igitur æterna ante terram creatam prædeſtinata, ſiue Alauda eius teſſeram habens, patrem ſuum, id eſt, eum per quem vita hæc erat naſcitura, in capite ſuo ſepeliuit. Quæ autem eſt vita primùm & propriè dicenda? Illa nimirum, quam Chriſtus ſe eſſe dixit, aiens, *Ego ſum via, veritas & vita*. Videor mihi cum alauda paullatim magis atque magis in cælum attolli; ſed videndum ne citra alas. Si galerita veræ vitæ teſſeram apud antiquiſſimos accepit, ſitque ea ipſe Chriſtus; adeò vt ex hoc ſolo vitam accipiant quotquot vitam habent; non video quid vetet, immo non video qui non cogamur dicere, alaudam Chriſti ſymbolum priſcis patribus fuiſſe. Sed qua ratione illud de patris ſepulcro ante terram facto ad caput ipſius vitæ accommodabimus? Multo ſanè faciliùs, quàm ſi ratiocinationis torrens nos huc non detuliſſet. Chriſtus qui Verbum eſt quod fuit in principio iam tum ante terram creatam, patrem vitæ, id eſt, ſe agnum in capite ſuo omnia præuidente & bona omnia prædeſtinante ſepeliuit ſiue abſcondit, tamquam in æterno omnium myſteriorum theſauro; atque ita ſepeliuit, vt draco humanæ ſalutis hoſtis numquam ſubodorari potuerit, quis hic eſſet futurus per quem regnum Dei & vita æterna innouaretur. Neſciebat quem tantum tantum decus maneret; ſciebat tamen aliquem futurum, atque idcirco paſſim omnes ſigillatim homines veneno ſuo inficere conatus eſt, ne quis inter illos exiſteret quem Deus tam incomparabili ſplendore illuſtraret. Verbum igitur vitæ fons, & hac conſideratione per Alaudam denotatum, patrem vitæ huius nouæ, id eſt, agnum in capite ſuo ſepeliuit; in illo, inquam, capite, quo omnia diuinitatis ſecreta continentur & abſconduntur: non antè in lucem & notitiam rerum creatarum prodituгa, quàm ab ipſomet reuelentur. Mirabilis ſepultura, ſed talis tamen, vt nunc mirũ eſſe deſinat, galeritam patris ſui ſepulcrum in capite ſuo antè conſtituiſſe quàm terra crearetur. Nunc tandem intelligi poteſt, quantum in hac fabella deliteſcat myſteriorum, & quàm verè omnium rerum antiquitas alaudæ fuerit attributa. Quid enim antiquius Verbo quo creata ſunt omnia & adſpectabilia & inſpectabilia? At cùm Verbum caro factum ſit, & morte ſua vitam nobis dederit æternam, cur non dicam galeritam non modò ante terram, ſed ante omnia etiam fuiſſe, ante ipſos etiam ordines Seraphicos, principes omnium eorum quæ creata ſunt? Nolo hoc loco latiùs

Alaudæ pater qua ratione mortuus dicatur.

Alauda Chriſti ſymbolum.

Alauda patrem cur in capite ſuo ſepeliiſſe fingatur.

in altiſſimo hoc arcanorum abyſſo diuagari; nec ſuaſerim intrare quemquam in obſcurum diuinorum labyrinthum, niſi Ariadnes filo ducatur, id eſt, clara Spiritus ſancti ſcripturæ ſacræ principis reuelatione. Nobis ſufficiat eminus capita eorum quaſi digito demonſtraſſe, quæ in hoc alaudæ ſepulcro deliteſcunt: & abundè ſatis ſit nos eò lucis adſcendiſſe, vt alaudam ipſius Chriſti teſſeram eſſe cerneremus, ac deinde vitæ noſtræ quam à Chriſto accepimus, habere notationem. Ceterùm qui conuenit veritati ſymbolicæ illud quod de oratione dixi? Optimè. Nam & ipſe Chriſtus orat patrem ſepties pro nobis quotidie, & nos ſi vitæ participes eſſe velimus, per ſolum Chriſtum orare debemus. Quis alius nos orare docet quàm Chriſtus? quis alius nos in cælum deducit? quis precator noſter apud patrem præter filium & agnum? Sequamur itaque hanc alaudam in orando, & diligenter præeuntem & modum præeundi cōſideremus. Ea eſt auiculæ natura, vt nihil magis obiter videatur agere, quàm pabulum in terra accipere; idque ſibi primarium ſemper opus putare, vt terra & terrenis omnibus relictis, quàm altiſſimè in cælum ſubuolet ad preces & laudes Deo canendas. Quid? quòd ne altiſſima quidem arborum cacumina digna putat, vt in iis ſedens Deum vel oret, vel hymnis extollat; propterea nimirum, quòd quantumuis eæ ſint excelſæ, vitæ tamen ſuæ pabulum è terra capiant, & radices ſic in ea habeant fixas, vt numquam ab ea ſe viuæ liberare poſſint. Quocirca alaudæ omnia terrena ſpernentes, vt cæleſtibus indigna, & ſe quamlongiſſimè poſſunt ab illis dimouentes, ſurſum contendunt, quo propius ad patrem accedāt, quem cantu ſuo demulcere moliuntur. Sic animi noſtri quicquid terreni eſt relinquant neceſſe eſt, ſi digni velint haberi qui ſeſe orationibus & laudibus diuinis dedant. Faceſſant omnes curæ, omnes libidines, omnes liuores, omnia odia, omnes ſimultates, omnis ſuperbia, omnis auaritia, omnis ambitio, omnis faſtus, omnia denique quæ nos ad terram detrahunt & terrenis affigunt, ſi tales euadere velimus, vt digni habeamur quorum preces à patre cæleſti exaudiantur. Sumantur galeritarum alæ; ſumantur, inquam, alæ illæ quas Socrates nos dixit perdidiſſe, tum cùm terrenarum rerum & caducarum cupiditate à cælo deſcenderemus. His vnà cum alaudis ſubuolemus, nullis nixi terrenorum adminiculis, aut potiùs retenti impedimentis; cogitemusque tanto nos minus à patre & vera vita abeſſe, quanto longiùs terrena omnia reliquerimus; atque adeò ne poſſe quidem nos Dei fores ita pulſare vt audiamur, niſi prorſus à terrenis omnibus recedamus. Sed dicas, Eſt'ne corpus alendum, ſúntne quærenda quibus

Panis ematur, olus, vini ſextarius, adde
Queis humana ſibi doleat natura negatis?

Alauda natura hominibus ſedulò imitanda.

Terrenis quouſq. operam dare liceat.

Sit ſanè hoc ita; ſed hæc ſi quærantur, tamquam aliud agas; & interim dum corpore laboras & diſcurris, animus vel apud ſuperos verſetur; vel ſi qua mora iniiciatur, ea mox reiecta, eò vnde auocatus erat, reuertatur. Nihil in hac vita eſt tam graue, tam acerbum, tam violentum, tam multis vel occupationibus, vel tormentis diſtractum, quod animum à ſuperis detrahere poſſit, modò nos nolimus. Nec alauda corpore caret, nec vento paſcitur, nec cælibem vitam agit, nec numquam ſobolem cogitur educare: at hæc tamen quicquid terrenum eſt, ita obiter agere cernitur, vt hoc vnum ſibi opus habere videatur, quo ſemper creatori ſuo ſuaues cantiunculas frequentet. Quid pueri in fornacem ardentem coniecti & flamis vndiq. cincti; an non hymnum Deo canebant? Quòd ſi ne ignis quidem omnium elementorum ſæuiſſimum nos queat impedire; quo minùs àlacri animo ſubuolemus, quid tandem erit quo retineri queamus? Nihil ſanè nihil erit, niſi teneri velimus, & nos vltrò terrenis vinculis illigemus, eorum fallacem, fucatam, & momento citiùs euaneſcentem non dico pulcritudinem, ſed pulcritudinis laruam aut potiùs vmbram pluris æſtimantes, quàm admirabilem cæleſtium & pulcritudinem & conſtantiam pulcritudinis ſempiternā. Natura, aut, vt veriùs loquar, Deus naturæ opifex oculos nobis dedit non ad alium vſum vel priorem vel potiorem, quàm vt iis cæleſtia intueremur; quem vt mox quiuis agnoſceret, ſic oculorum facultatem temperauit, vt citra lucem nihil apprehenderet. In tenebris ceteri ſenſus omnes munere ſuo funguntur, non ſecus ac meridiano Sole ſplendente. Tactus an non nimius noctu nedum temperatus? Quid deeſt guſtatui cæcorum, num minus ceteris ſaporum norunt diſcrimina? Iam quando ſuauior vocum modulatio omniumque ſonantium organorum harmonia, quàm concubia nocte? Philomela noſtratibus hac ipſa de cauſſa

Oculi ad quē vſum hominibus potiſſimùm dati.

In tenebris omnes ſenſus præter viſum munere ſuo æquè ac in luce funguntur.

Nachte

Nachtegael dicitur, quòd varia vocum ſuarum dulcedine noctem reddat iucũdiſſimam. *Nachtegael.* Nec odoratum nocturna caligo impedit, niſi fortè vt thalami ſui roſas odoretur ſponſa, facul is opus eſſe credas. Solus viſus abſente luce perinde habet atq. ſi nullus eſſet: qua re quod luculentius queat eſſe documentum eius vſum ad hoc primum & maximè homini datum eſſe, vt lucem & lucis originem ſpectet? Atqui vnde lux omnis niſi è cælo? & quamuis faces & cerei & alia flamarum genera nonnihil circa ſe luminis diffundant, totum tamen quantulumcumque illud eſt è cæleſtibus corporibus acceperunt, citra quorum influxum elementa hæc inferiora nec calorem nec lucem haberent. *Lux cæleſtis quantum ſuperet lumina terrena.* Verumtamen quamuis tam vecordes eſſemus, vt huius luminis corporum terrenorum fontem è cælo eſſe neſciremus, illuſtriſſimum tamen ex huius luminis cum corporum cæleſtium luce comparatione exiſteret argumentum, ad terrena omnia præ cæleſtibus contemnenda & pro nihilo æſtimanda. Fingamus nobis quàm maximum incendium, quale vel Troia dedit vel Gomorrha vel Roma cùm à Nerone incendiario ſpectaretur è turre Mæcenatis in colle Quirinali. Iam concedo vt harum trium vrbium flamas coniungas; quantulum rogo tota hæc pyra luminis diffundet? Num fortè ſi tanta Romæ & in ſuburbanis fax arderet, tu Velitris media nocte litteras citra alterius luminis adiumentum legere poſſes? Ne Albæ quidem aut Tuſculi, tametſi illinc & è monte deſuper & tanto propiùs ignem intuereris. Quantulum igitur momẽti hic ignis habet ad totam aliquam regionem colluſtrandam? Confer hunc non dico Soli, ſed Lunæ, & ne huic quidem plenæ, ſed corniculatæ; & cerne quàm immani diſcrimine maximum maximarum vrbium incendium ab exiguo & imperfecto Lunæ ſplendore ſuperetur. Hinc iam collige de terrenæ flamæ magnitudine cæleſtis corporis ingentem molem; quæ tanto maior, quanto latiùs lumen ipſius diffunditur. Quid iam dices de Sole, ſi de luminis portione corporum molem examinaris? Quid multis? vel vnicus Sol ſatis te docebit, ſi modò non otioſè conſideretur, quàm nihil ſint hæc omnia terrena, & quàm infinitis interuallis cæleſtia omnia his anteponenda. Videamus Solis ſplendorem, magnitudinem, celeritatem vix mente aſſequendam; adde reliqua ſidera, & eorum varias motiones, & conſtantem diuerſarum motionum conuentum: vide quid inde hæc inferiora elementa accipiant, quamque ſint in cæleſtium poteſtate, dum pro eo ac illa ducunt choreas, hîc omnia vel læta virent, florent, fetus edunt; vel contrà triſtia iacent, & turpi caluitio conſeneſcunt & emoriuntur. Huc igitur architectus naturæ totius ſpectauit, dum viſum citra lucem nihil poſſe vellet, vt ſciremus hunc ſenſum ad hoc nobis datum, vt illius originem inquireremus, cuius ſolius beneficio vſum eius nobis dari nouiſſemus. *Viſus citra lucem nihil poteſt.* Noſtratis linguæ faber oculi tale fecit nomen, vt ex eo mox hic vſus, quem natura nobis demonſtrat, fieret apertus. Oog enim oculus dicitur, quòd eius partes ſint, vt alta in noſtrum vſum conuertamus; & altis conſpectis Og dicamus; id eſt, vt optemus ex imo pectore ipſis altiſſimis adeſſe. Og optantis eſt, Hoog altum, Oog oculus. *Oog. Og. Hoog.* Sed hæc eius loci quo figuram eius litteræ quam Hebrẹi Ain hoc tẽpore efferũt, ad cauſſam ſuam vocabo. Hîc illud tantùm volumus, vt intelligatur qua via alas queamus nobis comparare, quibus cum alaudis ad cælum, terrenis omnibus procul relictis, euolemus. *Alæ quibus cum alaudis in cælum ſubuehimur.* Oculorum eſſe dixi cælum eiuſque pulcritudinem nobis offerre intuendam: ſed qua ratione? vt cælos pro diis colamus, aut Solem nobis Deorum ſupremum ſtatuamus, vt quoſdam legimus feciſſe? Minimè gentium. Verùm quò ex admiratione tantæ machinæ, tam ſplendidæ, tam ornatæ, tam denique omnibus modis admirandæ in eius cogitationem veniamus, qui eam conſtruxit, & cuius cauſſa cõſtruxerit, inueſtigemus. Primùm igitur ex ſumma pulcritudine hoc conſequemur, vt hæc terrena perinde atque alauda cõtemnamus: deinde vbi ratiocinando eò fuerimus deducti, vt illud tam pulcrum opus hominis cauſſa à creatore factum intelligamus, tum verò ingenti primùm ſtupore corripiemur, ingenio noſtro tantam bonitatem non capiente: at dum paullatim vires reſumemus, & accuratiùs tantum beneficium animo reuoluemus; tum tandem tanto amore accendemur, vt hic internus ignis alas producat, & indies magis atq. magis confirmet. *Cæleſtium corporum contemplatio quem fructũ adferat.* Hic itaq. alatus amor nos cum alaudis in cælum ſubuehet, nihil amplius memores terrenorũ, ſed totis iis inhiantes gaudiis quæ ex tã mirifico ſpectaculo oculis noſtris vltrò exhibito cõſecuturos nos ſperamus. Tum demum firma fide patrem orabimus, vt nos ad vitam illam admittat, quam galerita apud priſcos denotabat.

 Et hæc

Et hæc quidem de alis, quæ non multum à Socratis philoſophia principiò recedere videntur: at dum accuratius examinantur, ad ea deuenitur, ad quæ nec Socrates, nec Pythagoras, nec quiſquam naturæ ductu peruenire quiuit. Quis enim de morte patris vitæ cogitauit? quis ſi vel à Sibylla vel ab alio vate accepiſſet, vitæ datorem prius mori oportere, quàm nobis vitam communicaret, non exclamaſſet quauis Chimæra abſurdiora dici? Quæ igitur de morte patris ante terræ creationem fabula hæc continet, ea nullo modo ingenij ſui viribus vel philoſophi vel philoſophorum magiſtri conſequi potuiſſent: nihil vt mirum ſit, ſi nemo hactenus mortalium de eius explicatu cogitarit.

Sphinges quare ante templorum fores collocari conſueuerint.

Sphingis vocis etymon.

Collocari ſolent ſphinges pro templorum foribus, & in ipſa etiam Palladis galea, vt monerentur homines in iis quæ viderent, ſe mentem ſuam & omnem intelligentiam captiuam dare debere ipſis religionis arcanis; nec fas eſſe de iis iudicare, niſi mox leoninum diuinitatis robur & celerem vindictam exſpectare vellent. Hoc enim in priſca noſtra lingua Sphinx ſignificat: ſic dicta, quaſi Sie-phincs. Redigenda enim intelligentia erat in captiuitatem, dum ſacros ritus & cærimonias, quarum cauſſas ignorarent, homines videbant. Hoc itaque Sphinx ſignificabat, rametſi primaria eius notatio ad altera, atque adeò ad ſummam religionis Chriſtianæ pertineret: cuius conſideratio ſuo loco ſeruetur. Habuerit hæc Sphinx alibi ſuum locum, & eum quamuis bona ratione, nuſquam tamen habuiſſet iure potiore, quàm in veſtibulo fabulæ de alauda confictæ: in cuius hieroglyphica pictura non video quis dicere queat ſe captum non fuiſſe. Iis ſolis datum eſt, vt horum ſimiliumque intelligentiam conſequantur, qui Dei gratia in Chriſtianorum numerum ſunt cooptati, cui ſoli quicquid habemus bonorum acceptum ferre debemus. Huic etiam alas debemus, quas nec oculorum vis, nec mentis acumen poſt Adæ lapſum reddere potuiſſet. Neque enim omnes qui cælorum volumina intuentur, atque etiam diligenter numeros eorum & harmoniam ſcrutantur, ex eorum contemplatione eo quem diximus amore incenduntur, & idcirco alarum quidem tenue quoddam ſentiunt exordium, ſed imperfectum, & longè minus quàm vt iis pertingere poſſint ad cæleſtem veritatis lucem. Hoc enim eſt quod D. Paullus dixit, philoſophos ad Dei quidem notitiam ex operibus eius perueniſſe; verùm quem cognouerunt, non vt Deum honoraſſe. Fruſtra igitur illis oculi, fruſtra mens fuit, quando ad verum videndi ſcopum & vſum non adſpirarunt. Perdiderant alas eorum animi, ſed ignorabant qua id ſibi cauſſa accidiſſet. Admirationem terrenorum Socrates cauſſatur: at quis vt terrena admirarentur & amarent animos induxit? Hic hærent, quia nec ſcripturas ſacras, nec dilucidam maiorũ traditionem, germana Spiritus ſancti dona, acceperant; ſed ſolo corrupto & excæcato animi ſui iudicio temere ferebantur; & in eo tandem acquieſcebant, vt ipſum corpus nobis à Deo carceris loco datum putarent, eique ſemper conuicium facerent; ceu cum ipſo nulla homini poſſet contingere beatitudo. Quemadmodum autem vbi & qua occaſione alas perdidiſſent ignorabant; ita neſciebant quoque cuius adiumento poſſent renaſci. Habebant illi quidem fabulam de galeritæ patris morte & ſepulcro, ſed quid illa facerent citra Spiritus ſancti illuſtrationem? Nos Deo gratias agamus, non ſemel, ſed ſepties quotidie, id eſt, quàm poſſumus perfectiſſimè, de hoc lumine nobis prælato; quo illud cerneremus, quod extra Chriſtianorum fidem fruſtra quæreretur. Oremus itaque cum alauda quotidie ſepties, in cælum quàm altiſſimè conſcendentes, ne fruſtra nobis hæc ſint reuelata. Fruſtra autem reuelata eſſent, ſi galeritæ imitatione neglecta, opus noſtrum in terrenis poneremus. Sed dices: Multa quidem tu de alis, de adſcenſu, de galeritæ imitatione, ſed necdum video qui poſſum terra relicta in cælum conſcendere, quo ex altiore loco paternum auxilium inuocarem. Neque enim quicquam eiuſmodi in ſacris litteris inuenitur; quibus niſi tua conſentiant, vide ne nugari te iudicent omnes. Scio ſanè, nec quiſquam ignorat ſcriptum eſſe, neminem in cælum adſcendere, niſi eum qui de cælo deſcendit;

Qua via in cælum adſcendendum.

& eum quidem filium hominis eſſe qui eſt in cælis. Quomodo ergo nos adſcendemus? Ea ipſa nempe via & ratione, quam eodem loco expoſitam videmus. *Sicut Moſes*, inquit Chriſtus, *exaltauit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Hic audimus omnem noſtrum adſcenſum per fidem eam eſſe, qua credere debemus filium hominis, & eundem filium Dei in crucem eſſe ſublatum. Hæc igitur fides eſt quæ alas nobis dat, & vnà cum

Chriſto adſcendere facit ad vitam æternam. Opus ergo alaudæ, quæ alio nomine Vitæ opus vocatur, fides eſt in crucifixum. Iam Deum velle vt terrena relinquas & galeritam ſequaris, paullo pòſt in eodem euangelio docemur. Ea enim ratione mundum iudicari & condemnari Chriſtus dicit, quòd homines magis tenebras quàm lucẽ amarent. Diximus lucem è cælo deſcendere, tenebroſa eſſe terrena, niſi à cælo illuſtrentur. Quid igitur aliud eſt tenebras amare, quàm amare terrena? Sequamur ergo lucem è cælo venientem, & ad eam cum galerita, quoad captus mentis noſtræ feret, adſcendamus: & adſcendamus quidem alis fidei, quæ vitam operatur æternam, quam **Leeuwerc** nobis nomine ſuo deſignat. Iam & in orando te galeritam ſequi debere facilè cernes, ſi examines quæ ſibi loca veteres ad orandum delegerint. Nónne ſacrificaturus Abraham adſcendit in montem, idque aperto Dei iuſſu? Quid? an non & Moſi mandatum, vt immolaret Deo in monte Oreb? Quid dicam de monte ſancto toties in ſacris litteris repetito? Quid de monte, ad quem Chriſtus cùm adſcendiſſet vt oraret, tres apoſtoli tantum diuinæ maieſtatis ſpecimen viderunt, vt Petrus attonitus in eo manere vellet? Iam quid ſibi volunt excelſa? quæ licet ad idolomaniam fuerint tranſlata, argumentum tamen præbent, homines à maioribus ſuis accepiſſe, loca alta ſacrificiis & Dei laudibus maximè conuenire. Ceterùm dicet quis, num Deus qui nobis vbique coràm eſt, tanto propiùs abeſt, quanto altiùs adſcendemus? Eamus itaque quò facilius exaudiamur ad cryſtallina Alpium cacumina, & illic ſuper perenni glacie genua flectamus. Abſit, abſit vt cogitemus non æquè in planitie atque in Caucaſo Deum nobis adeſſe. Quid igitur excelſa, quid montes volunt? Ad cærimonias videlicet id referendum, quæ rebus externis nos commonefaciunt eorum quæ nobis in animo noſtro ſunt gerenda. Montes enim externi & terreni altitudinem mentis noſtræ adſcendendam eſſe demonſtrant, dum à Deo volumus exaudiri. Quando verò hunc mentis apicem conſcendimus? Hoc te docebit Chriſtus, vnica & vera victima in monte ſancto oblata. Tu, inquit, cùm oraueris, intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito, & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. Quis hîc mons in cubiculo clauſo poterit cogitari? Ille nimirum, in quem adſcendimus, dum omnibus curis terrenis excluſis diligenter oſtium claudimus, ne quid terrenum mentis cubiculum intret, quo de vertice ſuo detrahatur. Quis autem vertex? Eleuata cogitatio ad ipſum Vnum patrem vniuerſorum, ad quem pyramis vitæ noſtræ terminatur. Si in cubiculo mentis noſtræ conum ſiue pyramidem inuenimus cuius vertex ad Vnum pertingit, hanc conſcendamus, & in ſuprema eius parte cum Magdalena Vnum eligente conſiſtamus; hinc enim audiemur. Hoc dum faciemus, id quod alauda volatu ſuo monet fuerimus exſecuti: & ſicut illa oratura patrem, terrena fugit, totamque ſe mortalium oculis quoad poteſt ſubducit; ita & nos eadem fugiamus, mentis noſtræ foribus excludentibus omnia quæ impedire poſſent diuinorum meditationem, & nos ex apice pyramidis noſtræ detrahere in terreſtrem negotiorum turbam. O benignum orationis magiſtrum! O facilem montis adſcenſum! In ipſis intimis domus noſtræ penetralibus montem nobis monſtratum videmus; ad cuius verticem vt euadamus, non per ſalebras, non per ſaxa, non per anguſtias, non per præcipitia caliginem incutientia, non per niues aut perennem glaciem eſt anhelandum; ſed dumtaxat ad intimum domicilij noſtri conclaue eſt eundum: in quo dum erimus, facillimo gradu ad apicem mentis perueniemus. Quî, rogas? Eo ipſo modo quo Magdalena, ſedendo nimirum ad pedes Domini. At ſi ſedebat, quî conſcendiſſe dicetur? Id Chriſtus aperuit dum vnum dixit eſſe neceſſarium, ad quod Magdalena ſedens contendebat, non corpore, ſed mente. Ipſum igitur Vnum apex eſt montis ſiue vertex pyramidis, cuius effigiem alauda in capite geſtat. In hieroglyphicis Harpocratem ſedentem videmus; & eum quidem ſic ſedentem, vt pedibus inutilẽ dicant: quo quid aliud volunt, quàm eum minimè idoneum eſſe ad eos diſcurſus qui in negotiis terrenis peragũtur, ſed totũ vacare rebus diuinis? Huic vt in vertice nullus eſt conus; ita auris eſt ſincipiti impoſita, adeò longa & acuta, vt alaudæ conum vincat: qua denotatur, mentem ſurſùm totam eſſe erectam, & iam in faſtigio ſuo verſari. Videmus itaque, vt priſcæ illæ vetuſtiſſimorum patrum ſacræ notæ cum ipſa conſentiant veritate: &, vt fieri poſſit ne quis ſedendo ab adſcenſu impediatur; immò, vt neceſſarium ſit eum ſedere qui velit ad apicem mentis ſuæ peruenire. Alaudæ itaq. in altum

Fides, alaudæ ſeu vitæ opus.

Mõtes & excelſa loca maximè Dei laudibus & orationi conuenire.

Mons cuiuſmodi ſit in quo Deus orãdus.

Harpocrates quare ſedeat.

Harpocratis ſincipiti cur longa auris impoſita.

vt latus totus ad id referatur oportet, quod altero ſuo apud Cimbros nomine declarat. Cum enim per illud ſe vitæ opus facere polliceatur, ſitque hominis vita non in corpore, ſed in mente, quicquid eius ſymbolo continetur, id ad hanc, non ad illud pertinere intelligendum eſt. Quamobrem ſi bene rem ſupputemus, prius erit cum myſtico Harpocrate & cum Euangelica Magdalena ſedendum, quàm cum alauda euolare poſſimus: & quò quietiùs ſedeamus, ad ipſum domus noſtræ penetrale Chriſtus iubet ſecedere, ne quis importunus interpellator ex improuiſo tranquillitatem perturbet.

Orantes Deū, omni corporis actione, & mentis cura carere debere.

Otiari.

Remittenda igitur omnis corporis actio, quò mentis vigor intendatur; nec alias omnino ad ſublimia euehi poterimus, quàm prorſus otioſi in ſecretiſſimo ſeceſſu quieſcamus: & tum quod Scipionem aiunt dicere ſolere, licebit & nobis profiteri, Numquam nos minus otioſos eſſe, quàm cùm ſumus otioſiſſimi. Huius quietis quanta vis eſſet non ignorauerunt illi qui Græcis eam loquendi conſuetudinem inuexerunt, vt otiari eos dicerent qui ſapientiæ ſtudiis inuigilarent: à quibus ad nos ſcholarum nomenclatura peruenit.

Vacare philoſophiæ.

Latini perquàm eleganter eos philoſophiæ vacare dicunt, qui toti ſapientiæ ſtudio ſic teneantur, vt vacui ſint rerum ceterarum. At ſi vſquam omnes externæ curæ deponendæ, certè non alibi magis, quàm dum ad Deum orandum mentem noſtram eleuamus; niſi tam ſimus ab omni communi ſenſu alieni, vt eum qui omnia præſens videt, omnia audit, alloqui velimus, aliud interim agentes. Bene in ſacris accinebatur preces pro communi ſalute fuſuro: Hoc age. Quoad igitur eius fieri poteſt, cum galerita terram, id eſt, corpus noſtrum, & omnia ad corporis curam ſpectantia procul relinquamus.

Socratis ecſtaſis.

Aiunt Socratem ad viginti quatuor horarum ſpatium vno veſtigio immotum conſtitiſſe, neſcio quid contemplantem: quo tempore non cibi aut potus, nō alia corporis neceſſitate videtur potuiſſe excitari. Similia & maiora etiam cùm apud exteros, tum apud Chriſtianos legimus: è quibus hoc nobis ad exemplum trahere oportet, vt dum Deum accedimus, totum corpus omneſque eius curas exuamus; atque liberis ad cælum animis rapti, iam nunc immortalitatis rudimenta meditemur.

Raptus Calamenſis ſacerdotis.

Narrat D. Auguſtinus, Calamenſem quendam ſacerdotem ſic rapi ſolere, vt nec ſpiritum ducere videretur, nec ſectionem ſentiret, aut ignem admotum. Hunc vtinam inter orandum imitari poſſemus, quo corporis huius vinculis ſoluti, cum alauda in cælum præpetibus alis attolleremur. Latiſſime ſeſe hæc extenderet contemplatio, ſi pro eo ac mereretur eam perſequi aut virium eſſet noſtrarū, aut propoſiti præſentis: verùm ea abrupta, ad illam alaudæ conſiderationem reuertamur, quæ nobis concluſit vitæ opus, quod & ſymbolo & nomine eius denotatur, fidem eſſe in Chriſtum, qui ſeipſe vitam eſſe dixit; cui, iuſtum ex fide viuere, D. Paulus adiecit. Cùm igitur vitæ opus ſit, Chriſto vitæ datori fide inniti, videamus an & hoc hieroglyphico aliquo ſigno priſci patres denotarint. Sed quid quæro? quaſi non id mox vel a lippis videri, vel à cæcis tangi poſſit.

Alaudæ capita quid ſignificent in ſuprema ſcipionū parte.

Nónne diximus ſepties caput alaudæ in Ægyptiaca Bembi tabula depictum eſſe, nec tamen alibi inueniri quàm in ſuprema ſcipionum parte? Hoc verò quid aliud ſignare quiſquam ſibi perſuadebit, quàm caput ſcipionis noſtri, alaudæ caput eſſe debere? Sed quid eſt ſcipio? An non id quo greſſum noſtrum ſuſtinemus atque firmamus?

Baculus fidei teſſera.

Sicut autem baculo hominum corpora firmantur; ita D. Paullus Coloſſenſes hortatus eſt, vt fide fundati & ſtabiles eſſent; & eoſdem alloquens fide firmatos dixit. Idem ad Corinthios, *Vigilate*, inquit, *& ſtate in fide.* Et ad eoſdem epiſtola 2. *Per fidem enim ambulamus.* Et prius: *Nam fide ſtatis.* Ad Romanos dixit ramos Iudaicæ oliuæ fractos eſſe propter incredulitatem: & idcirco Romanos monet, quorum oleaſter ſucceſſit in locum oliuæ, vt dum ſtarent fide, nollent altum ſapere, ſed timerent. Eccleſiaſticus vaticinatus eſt, in ſæculum ſtaturam fidem: quod ſi ſic habet, hoc fidei ſcipione nos firmemus, qui vt perpetuò ſtabit, ita nobis quoque firmamentum præbebit æternum. Quomodo igitur ſcipionem eum vocabimus, cuius ſuprema pars in galeritæ caput deſinit? Galeritæ baculum? Bene quidem: ſed cùm hoc dicis, quid aliud dicis quàm baculum fidei? En quò venimus rerum! Fidei baculum, quo ſolo vita noſtra ſtare poteſt, inuenimus in hieroglyphicis ſignis. quem ſi de noſtro ſermone ab auicula, qua eſt inſignitus, nominaremus, Leeuwercs ſtaf diceremus, id eſt, firmum viuifici operis ſcipionem. Nunc opus vitæ eſt ipſa fides; nihil vt interſit vtrius nota baculum deſignes.

S. Chriſtophoro baculus cum nodis appingatur, & quid ſignificet.

Qui Chriſtophorum depinxerunt, diligentiſſimè obſeruarunt vt in periculoſiſſimo humanæ vitæ freto,

hinc

hinc Charybdi, hinc Scylla, hinc aliis monſtris præſens exitium intentantibus firmo baculo niteretur. At quo, quæſo, baculo? Quo alio, quàm baculo fidei? cui ſi toti incumbamus, nihil eſt tam horridum, tam efferum, tam multis mortis periculis obnoxium, quod non ſecuri peruadere poſſimus. Firma enim & inconcuſſa fides omnia firmat, & ſtabilia reddit; tametſi vel totus Oceanus quicquid habet vndarum, quicquid habet monſtrorum, immittat ad ruinam. Ceterùm quia fides ſine operibus mortua eſt, & nihil, niſi viuat per caritatem, roboris ſuppeditat; non otioſè id in Chriſtophori baculo conſiderandum, eum ſemper à pictoribus frondentem nobis proponi; quo demonſtretur, in ſola viua fide & charitatis operibus animata, totum ſcipionis Chriſtiani conſiſtere firmamentum. Iam quia primum & antiquiſſimum viuæ fidei opus eſt, Deum perpetuis precibus orare & laudibus efferre, in ſummo virentis ſcipionis apice alaudam pictam videmus; in iis præſertim tabulis quæ genuinam olent antiquitatem. Memini dum puer eſſem frequenter parentes, quibus cum templū frequentabam, interrogaſſe, quî fieret, vt auicula ea quæ frondibus baculi inſideret, non auolaſſet, dum S. Chriſtophorus arborem, qua baculi vice vtitur, euelleret. Mirum enim id mihi videri, propterea quòd dum ego ſtudioſè paſſerculos ſectarer, nullus vmquam tam quietus conſediſſet; verùm me ad arborem ſuper qua ſederent, propiùs accedente, confeſtim, quantum alis poſſint, aufugiſſent. Ad quam illi puerilem quæſtionem ſic reſpondere ſolent, auiculam eam non metuere, eo quòd creatorem ſuum humeris S. Chriſtophori inſidentem videret, cuius præſidio freta laudes Deo ſuo cantillaret. Iucundum mihi eſt hanc ſimplicitatem recordari, eo maximè quòd ab eiſdem meis parentibus non ſemel audiuerim, alaudam ſepties quotidie ſurſum euolare ad laudes Deo canendas. Conferenti enim mihi hæc noſtratia cum vetuſtis, admirabilis quædam ſeſe offert conſenſio ſæculorum: quæ quanti ſit æſtimanda, vt ſinceris animis & veræ ſapientiæ de priſcis auctoribus quærēdæ ſtudioſis liquere nihil ambigo; ita vt aliis perſuadeam minime laborabo. Hoc ſaltem venit in lucem, S. Chriſtophori baculum, & fidei baculū eſſe, & in eo cum ſcipionibus Ægyptiacis conuenire, quòd supernè etiā alauda ſit inſignitus.

S. Chriſtophor: baculus cur alauda inſignitus.

Chananæorum certe regio, cuiatem S. Chriſtophorum fuiſſe ſcribunt, proxima eſt Ægypto; ita vt nihil miri videri debeat, ſi Chriſtophori pictura hac parte cum hieroglyphico ſcipione conſentiat. D. Antonio cur Tau appingi videamus, ſuo loco, ſi recordabor, docebo: hîc illud non citra cauſſam ſuſpicor, primam Chriſtophori imaginem vel ab Ægyptio quopiam, vel ab eo qui hieroglyphicorum non fuerit imperitus, depictam fuiſſe; & idcirco attributam Chananæo, quòd primus Chriſtophorus, atque adeò ipſe Chriſtus, natus ſit in regione ea quæ olim fuit Chananæorum. Quid Abraham ex Chaldæis, fidei Chriſtianæ princeps electus, an non ad Chananæos commigrauit, vt illic Chriſtum ferret quem exſpectabat? Verùm hæc peculiarem ſibi librum poſtularent, ſi perinde atque merentur à nobis eſſent explicanda. Sufficiat pro tempore hoc de fidei baculo annotaſſe, quo Chriſtum ferentis firmitas continetur. Quemadmodum verò religionis antiquitatem in galeritæ nominibus, quibus apud alias nationes vocatur, nequicquam quæreres, & multo minùs vitæ opus in iis inuenires; ita fruſtra vel apud Latinos, vel apud Græcos, vel apud alios firmitatem inueſtigares in baculi nomenclaturis.

Baculi nominis apud Cimbros artificium.

Soli noſtrates ſunt qui ſcipionem ſic nominant, vt ex ipſo vocabulo mox cernas, eum nec ad feriendū, nec ad menſurandū, nec ad boues agēdos eſſe comparatum, ſed dumtaxat & præcipuè ad firmitatem. Mirari ſatis non poſſum nominum noſtratium & ſymbolorū conuenientiam: quam tantam eſſe video, vt dubitare nequeam, ad quam nationem & quem ſermonē hieroglyphica in Ægypto conſeruata oporteat referre. Aliis baculis alia nomina damus; at eū quem manibus tenemus ad nitendi vſum Staf vocamus: cuius nominis, licet monoſyllabi, ratio è duabus vocibus, quibus coaluit, petenda. Sta idem nobis eſt quod Sto: quod conuerſum accipit adſpirationem, vt contrariæ ſit notationis. Haſt enim vocali longa idem eſt quod accelero. Quæ vocum retrò legendarum ratio cùm linguæ noſtræ ſit præcipua atque peculiaris, efficitur vt & Latini & Græci verba, quibus idem quod nos in Sta intelligimus, ſignificant, noſtræ linguæ debeant, tantum abeſt vt noſtrates in eorum ſint ære. Altera compoſitionis pars eſt Hef, quod idem nobis notat quod leuo. Sta-hef ergo, & more noſtro quæſita dictionis breuitate, Staf, id notat, quod ſtantem leuat: qui vt proprius vſus eſt ſcipionis; ita vlterius quiddam videtur

Staf. *Sta.* *Haſt.* *Hef.*

LL 4 indicare,

indicare, quod ſit diuinius. Neque enim vt ſtes tantùm Staf pollicetur, ſed pollicetur præterea te ope ſua eleuatum iri. Sed quid hoc rei, vt fortaſſe ſaltes? Ita, ſi placet. Nam ad ſaltandum quoque iuuabit, ſed præſtantius eſt quod promittere videtur. Solet nomenclator noſter ſic plerumque facere vocabula, vt rationem eorum non tantùm ad primum & omnibus expoſitum rerum vſum comparet, ſed ad ſymbolum etiam ſpectet, ſi inſignis aliqua vtilitas inde conſecutura videatur. Cùm igitur cerneret animis noſtris id eſſe fidem, quod corporibus ſcipio præſtat; illud ſcipioni nomen dedit, vt corporis quidem fulcro non male conueniret; at rectiùs tamen exprimeret eius vim, cuius

Fides altiùs hominem eleuat quàm vmquam ſteterit.

ſcipio teſſeram habiturus eſſet. Fides enim non ſtare tantùm hominem facit erectum, ſed altiùs etiam leuat quàm vmquam ſteterit antea quàm cecidiſſet. Neque enim Adamus ante lapſum ſuum eo in ſtatu fuit, licet fuerit in iucundiſſimo & feliciſſimo, vt non per fidei baculum eleuetur ad longè ſublimiorem. Agnus enim non ſolùm nos à draconis veneno curauit, & priſtinæ reſtituit valetudini; ſed tanto fecit diuiniores, vt & filij Dei ſimus, & ſibi cohæredes, non in terreni paradiſi, ſed in regni cæleſtis poſſeſſione ſempiterna. Bene itaque fidei baculus Staf dicitur, eo quòd ſtatum noſtrum inſigniter eleuarit. Porrò quia architectum ſermonis noſtri in hac voce ad diuinum quiddam reſpexiſſe cernimus, vlteriùs conſideremus, an quod in aliis plurimis ſacroſanctis nominibus fecit, in hoc etiam obſeruarit, vt conuerſio non contrarium, vt in aliis, notaret; ſed id quod proprium & præcipuum eſſet eius quod prorſa voce ſignificaretur. Do-

St pro vna littera habetur.

cui in Hermathena, & alibi, ni fallor, monui, St pro vna littera frequentiſſimè haberi, atque idcirco in vocibus conuertendis integram manere, ordine compoſitionis non

Faſt.

mutato. Ex Staf itaque fiet Faſt; quo firmum atque immotum notari nemo noſtra-

V dum Cimbricam dictionem claudit, in F tranſit. *Vaſt.* *Vol.* *Lof.*

tium ignorat. Nec hîc repetam, V & F litterarum cognationem, quarum illa in hanc tranſit dum vocabulum claudit. Neque enim ex Vaſt fit Stau/ ſed Staf; & ex hoc in numero plurali Stauen. Sic ex Vol facimus Lof; & hinc rurſus Louen. Hinc dicimus E faſt vel vaſt gelof pro firma fide. An non hîc rurſus licet videre, ſymboli ratione hanc firmitatem ſcipioni magis conuenire, quàm ſi dumtaxat pro corporis ſtabilimento acciperetur? Neque enim vllus baculus tantum virium habet, vt corpus perpetuò firmare poſſit: at hoc fidei proprium eſſe ſcimus, vt ea hominis ſtatus ſic confirmetur, vt ea manente numquam queat vacillare. Neque enim D. Petrus ſuper aquis ambulans mergi

Fidei Cimbricæ nomenclaturæ artificium.

cœpiſſet, niſi hunc fidei abieciſſet ſcipionem· qua de cauſſa audiuit: *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Mirificus ille linguæ noſtræ faber, cuius diuinam mentis ſollertiam, aut potiùs vaticinandi vim à ſummo Prometheo conceſſam quanto magis contemplor, tanto magis obſtupeſco; tale fidei nobis dedit vocabulum, vt ſi ad prima elementa iuxta Hermathenæ noſtræ præcepta deducatur, ſignificet ſublimitatis æternæ eleuatio-

Loof.

nem; ſiue, quod idem eſt, eleuationem ad æternam ſublimitatem. Sic enim Loof inter-

Ge particula vocibus Cimbricis præpoſita, perfectionem indicat. *Geloof.*

pretabitur, qui litterarum rationem à nobis ſuo loco expoſitam ſequetur. Quò tamen maiorem perfectionem fidei ineſſe doceremus, in loquendo ferè particulam præponimus, qua perfectio hominibus noſtris indicatur, pro Loof Geloof dicentes. Atque hæc quidem Palladius noſter Mercurius in prorſa voce deprehendit. Pergam itaq. demonſtrare, quantum in hoc vocabulo Loof ſiue Geloof lateat arcanæ contemplationis: quæ quidem tanta eſt, tamque latè patet, vt verear ne vix minimam eius partem anguſtus ingenij mei captus aſſequi poſſit. Dixi quid Loof denotaret de primo elementorum, è quibus componitur, ſignificatu: nunc addamus & alteram cauſſam, quam faber eius videtur ſecutus. Quibus in vocibus vocales longæ ſunt, eæ poſteriores videntur iis in quibus eædem corripiuntur, ceteris litteris manentibus eiſdem; propterea quòd longum tempus duobus è breuibus videatur componi. Vt igitur pars toto prior; ita & bre-

Lof.

ue tempus prius longo. Quamobrem Loof poſterius erit quàm Lof/ quæ vox laudem

Laudis vocabuli apud Cimbros artificium.

ſignificat & æſtimationem: & ſi ad primogenias ſuas litteras examinetur, ſignabit altitudinis æternæ eleuationem. Voluit enim nominum architectus illud laudis facere vocabulum, quod nemo vſurpare poſſet, vt non mox ex eo intelligeret, quem laudibus

Laudibus efferenda quæ ſint.

euehere oporteret. Sublimitas igitur æterna, quæ Deus eſt, primum laudibus efferenda; cetera non alia ratione, quàm qua ad Deum accedunt, & modo aliquo referuntur: Vel, vt clariùs dicam, quatenus in ipſis aliquid eſt diuini; cùm vocis origo poſtulet, vt ſola diuina laudibus extollantur. Iam ſi vocabulum Lof à fine ad principium reuoces, intelli-

intelliges id ſolum laude dignum eſſe quod plenum eſt atque perfectum, quod Vol nostrates dicunt. Præterea hac ipſa voce denotatur, non id modò, laudem Dei præcipuam eſſe, & ſoli Deo non alij deberi; ſed hoc etiam, quòd is qui laudat, Deum ſibi lucrifaciat & conſequatur. Ex eiſdem enim litteris cognoſcas, hominem qui Deum laudat, hoc ipſo ſuo facto eleuari ad ſublimitatem ſempiternam, & omnibus bonis repleri. Neque enim Adamo ante lapſum alia via erat ad ſummum æternitatis culmen & bonorum omnium plenitudinem, quàm per laudem ſui creatoris; in qua quàm diu manſit, tamdiu terreſtris paradiſi manſit poſſeſſor; atque id quidem tam beata conditione, vt in illo horto non homo tantùm, ſed omnes animantes etiam ceteræ perpetua voluptate fruerentur. Verùm ſimulatque æternam Dei ſublimitatem extollere ceſſauit, pluris ſerpentis faciens verba quàm Dei præcepta, ab omni excidit voluptate, & omni altitudine, & omni plenitudine, in qua Deum laudando permanebat. Tantum autem aberat, vt tum Deum eueheret cùm ſerpenti crederet, vt Deum infra ſerpentem deprimeret, atque hunc ipſa illa ſua adſenſione Deo faceret ſuperiorem. Quòd ſi ergo rectè rem omnem ſupputemus; eò ratiocinatio nos deducet, vt intelligamus, ex ipſo Lof ipſum Loof pendere. Quem enim ſic extollimus vt ei æternam altitudinem tribuamus & omnium bonorum plenitudinem, quod indicatur voce Lof; ei non poſſumus non fidem habere. Nam ſi alij potius quàm illi credamus, iam alius nobis excelſior præſtantiórque indicetur neceſſe eſt. Quamobrem Lof & Loof ſic principiò connexa fuerunt, vt illud eſſe non poſſet, quin hoc neceſſariò conſequeretur: & ſi hoc abeſſet, illud antè deſiiſſe oporteret. Defecit ergo in Adamo laus diuina, Cimbrico nomine ſignificata, priuſquam draconi fidem haberet; atque inde conſecuta eſt omnis malorum lerna. Neque quiſquam verè Deum in noſtra lingua laudare dici poteſt, niſi eum ſummum atque ſupremum caput ſtatuat totius æternitatis, & vnà plenum bonorum fateatur: quod dum facit, neceſſariò dictis eius fidem habet, tamquam ſupremis atque ſempiternis, quibus nec meliora nec veriora quiſquam alius adferre poſſit. Huius indiuiduæ connexionis gnarus noſtri ſermonis artifex, duas voces fabricatus eſt, quibus hæc alterius rei ex altera conſecutio clarè demonſtraretur. Intellexit nimirum, niſi Deum ſuper omnia euehendum nobis iudicemus, atque adeò omnibus ceteris rebus anteponamus; quod priore mandatorum, quibus Lex & prophetarum dicta continentur, facere iubemur; non poſſe nos Deum ſincero corde laudare, nec fidem eius dictis habere. Iam quamuis Deus nullum præceptum homini dediſſet, debuiſſet tamen Adamus beneficiorum impulſu & coactu Deum omnibus rebus anteferre, & ſummum habere, & omnium bonorum plenum confiteri; eo quòd ab eo omnia promanaſſe vidiſſet. Vnde efficitur, fidem, quæ Loof dicitur, natura eſſe ipſo Lof/ ſiue vera laude, poſteriorem; cùm res per Lof denotata eſſe queat citra id quod per Loof deſignatur. Atque hæc quidem prima pars ſit conſiderationis, cur Loof pro fide à Lof deriuetur. Porrò aliud adhuc latet arcanum in vocis Lof vſurpatione. Præter enim notationem modò explicatam aliud deſignat. Louen enim & gelouen dicimus pro eo quod Latinis ſonat promittere. Cùm enim Adam ſerpentis fraude & à Lof & à Loof excidiſſet, nihil ei reliquum fuit, quàm vt condemnationem mortis, quam Deus ſententia ſua ſanxerat, ſubiret; nec quicquam ſpei erat, vt rurſus ad priora illa, veram ſcilicet laudem & veram fidem, rediret, quibus vita ipſius prior conſtabat. Deus ergo immenſa bonitate ſua commotus, promiſit fore, vt ex muliere is naſceretur, qui contereret caput ſerpentis, & omne tolleret venenum. Et quia hæc promiſſio initium fuit alterius vitæ, ſicut prior vita in laude diuina continebatur; diligenter obſeruauit ſermonis architectus, vt Louen non ſolùm pro laudare, ſed pro polliceri etiam poneretur: & quemadmodum illic Lof prius erat quàm Loof; ita hic rurſus promiſſio Dei præceſſit Adami fidem: atque ita vocalis in Louen pro promittere breuis eſt, quæ in Looven pro credere producenda eſt. Nec verò citra cauſſam promitto per Lof ſignificatur, quando poſt Adæ lapſum Dei promiſſio primùm nos releuauit ad ſublimitatem ſempiternam; ad quam vt perueniamus, fides noſtra ſequatur promiſſionem neceſſe eſt. Videte obſecro quibus curæ eſt humanæ ſalutis myſteria ſcrutari, quàm admirabili catena voces hæ rebus ipſis deuinciantur. Vt tamen in his aliquod diſcrimen teneretur, dum promitto denotatur, dicimus Gelof; & dum laudo dicere volumus, Lof citra præfixam particulam

Margin notes: Vol. — *Adamus defecit in laude diuina priuſquam ſerpenti fidem haberet.* — Louen. Gelouen. — *Adami fidem Dei promiſſio præceſſit.*

Geefferimus; vt nimirum hac loquendi ratione ſignetur, laudem diuinam promiſſione eſſe priorem; eo quòd vox compoſita ſimplicem ſequatur ordine naturæ. Præterea ſicut promiſſioni fides reſpondet,qua promiſſioni firmiter adhæremus, voluit ſermonis magiſter, vt ſicut Geloven compoſitè; ita etiam cõpoſite Gelooven diceremus. Quòd ſi curioſè omne artificium linguæ diſcutiendum eſſet, adderemus & illud, Gelooven à Geloven deriuari; eo quòd fides quæ per Geloof notatur, reuera deriuetur à ſolo promittente; ita vt optimo iure inde nomen ducat, vnde ducit exordium & perfectionem. Quamuis autem in aliud tempus multa ſunt differenda, ne longiùs à propoſita nobis alauda euagemur; hoc tamen citra indicium præterire nõ poſſum, arboris folium

Loof. Loof etiam dici: cuius cauſſam hanc eſſe credo. Mulier audito draconis conſilio, vidit lignum ſcientiæ boni & mali, eſſe pulcrum oculis & aſpectu delectabile, atque ita inducta eſt vt ſerpenti crederet. Docuerunt Indoſcythica mea quàm formoſa arbor ea eſſet de qua pomum perditionis humanæ decerptum eſſe ſacra ſcriptura teſtatur: quo loco tradidi primariam arboris pulcritudinem in foliorum magnitudine & denſitate conſiſtere, quibus vmbram præbet ad meridianum gratiſſimum. Quoniam ergo mulier arboris frondibus potius quàm Dei verbis credere viſa eſt, voluit nominum inuentor huius facti memoriam in vocabulo extare ſempiternam; vt quoties in ſermone noſtro frondem nominari audiremus, toties in mentem veniret, matrem noſtram foliis magis quàm Dei præcepto crediſiſſe; atque inde in nobis hactenus eam hærere procliuitatem, vt folia & inania rerum humanarũ vmbracula pluris faciamus, quàm verum fructum verbi diuini. Dum igitur mundi pompam & omnem eius fucatam pulcritudinem intuemur, confeſtim cogitemus cauendum nobis eſſe, ne parentis noſtræ peccatum imitemur, & foliis potius ducamur & vmbris quàm veritate & luce diuina. I nunc & crede foliis, quæ ſermo noſter inde nuncupat, quòd prima noſtra mater eorũ aſpectu fuerit decepta, & iis fidem habuerit quæ lumen auferrent; tantum abeſt vt monſtrarent iter ad veritatem. Mirum eſt quàm nomenclator noſter in his vocibus luſerit, ſi fas eſt luſum dicere ea quibus principium ſalutis noſtræ continetur. Nam quibus hæc fuerint ignota, iis neſcio quid omnis diſciplinarum orbis vtilitatis adferre poſſit. Latini, vt non rarò in aliis, ita & in hac voce Loof euerſione vocis vſi ſunt, adiecta præterea ſua terminatione. Et hæc quidem de Loof vocabulo prorſo: nunc eius conſideremus conuerſionem. Lof & Fol quam haberent cognationem diximus: eam nimirum, vt cui prima laus debetur, ei inſit etiam omnium plenitudo: & qui eum verè laudat qui ſolus laudandus eſt, is ſibi omnium bonorum conciliat plenitudinem: quam in angelis & beatis clariſſimè cernes; qui vt purè & verè laudant eum qui ſolus laudandus eſt; ita eo ipſo quòd laudant, omniũ bonorũ plenitudine fruuntur. Facit hæc ſanè conuerſio, vt omnẽ noſtram felicitatẽ in laude diuina videamus contineri, atq. adeò nihil laudandum eſſe reuera præter vnicum & ſupremum bonũ: quod dum ſupra omnia extollimus, eo ipſo replemur. Loof verò aliam habet in verſione notationẽ. Quadam enim tenus in oppoſitam, quadã tenus in ſuum finem tranſit. Neq. Loof enim habitus eſt perfectus omni ex

Fool. parte, neq. perpetuò duraturus. Fool itaq. idem eſt quod ſentio. Atqui ſentire & credere idem non poſſumus. Quod enim credimus, extra ſenſum ſit neceſſe eſt. Loof igitur &

Loouen. Voelen. Fool, ſiue Loouen & Voolen in rebus præſentibus, ſiue ad idem eodem tempore collata,

Fidei finis & vltimus ſcopus. inter ſe pugnant. Verùm ſi rem aliter conſideres, & ipſius fidei ſcopum & vltimum finem examines, inuenies nos eò credere, vt tandem ſentiamus. Credimus enim nos Deum viſuros in terra viuentium: quæ vana fides eſſet, niſi tandem ipſo ſenſu cõprobaretur. Verùm eo ipſo momento quo ſentiemus & Deũ videbimus, non amplius credere dicemur; ſed quod antea credebamus, præſens intueri. Vide, quæſo, mirabilẽ ipſius Loof conuerſionem, quæ ſic nos ducit ad contrarium, vt quod cõtrarium eſt, perfectio-

Senſus fidem perficit. nem eius vltimam contineat cui opponitur. Simul itaque docemur, ſenſum & fidem rei eiuſdem non eſſe, & tamen illam eorum eſſe connexionẽ, vt ſenſus fidem perficiat tamquam vltimus finis. Verùm lõgiùs abripimur. Ad propoſitũ noſtrũ ſufficiebat recta ipſius Loof ſiue Geloof expoſitio, quæ ad altam æternitatem nos à fide leuatum iri pollicetur. Congruentiſſimum igitur ſymbolum fuerit ſcipio; & quia eius vſus ſit leuare corpus; & quia nomen à leuando ducat, à quo loof quoque deriuatur. Cùm itaque alaudæ caput, quæ Leeuwerc/ id eſt, opus vitæ vocatur, ſcipioni imponitur; denotatur

cum

eum demum firmum fidei baculum eſſe qui vitæ operibus coronatur. Nec rurſus vitæ opus eſſe poteſt, quod fidei baculo non ſuſtineatur; quoniam nimirum ea ſola opera ad vitam conducant quæ fidei innituntur. Quamobrem non vulgaris aut leuis cauſſa eſt ob quam alaudæ caput ſcipionibus impoſitum videmus. Multus fuit & varius in ſacris ſcipionum vſus; ſed qualis qualis is fuerit, eò tamen ſemper ſpectabat, vt quicquam fulciret atque firmaret, pro eo ac **Staf** & **Faſt** denotare dixi. In ſacris autem Ægyptiorum non ſcipionis tantùm frequens erat vſus, ſed ipſius etiam Cimbricæ nomenclaturæ, è qua hieroglyphicæ ſignificationis facti ſumus certiores. Sacerdotes enim Ianigenarum ſermonē in arcanis ſuis omnibus vſurpabant, ne à plebeiis hominibus ſollemnia ſacrorum verba intelligerentur, niſi de ipſorum interpretatione. Sic dum ſacerdos nouus in mortui locum publicè deligebatur, ad populum præco dicebat, Πύρωμος ἐκ πυρώμου, quod eſt, vt Herodotus interpretatur, καλὸς κἀγαθὸς ἐκ καλοῦ κἀγαθοῦ: quæ locutio pura puta noſtras eſt, ſola præpoſitione, quæ interponitur, differens. Eodem modo in illa illuſtri Ioſepi inauguratione, qua totius Ægypti ab ipſo Rege poteſtatem accepit, primùm præco clamauit אַבְרֵךְ, quod nobis **Oberecht** diceretur. Quòd ſi tam ſis religioſus, vt ne Tau quidem addi permittas, habebis **Oberech/** quod idem prorſus deſignat ac ſi ſupremum rectorem dicas. Deinde Rex fauſtum felixque eſſe iubens tantum imperium, ſacris verbis addidit צָפְנַת פַּעְנֵחַ; vbi litteræ integræ ſunt conſeruatæ, ſed puncta à Maſſoritis imperitè adiecta. Nobis conſtat ſic legendum eſſe, vt dicatur **Staphnot/ Phogenoch/** id eſt, ſcipio neceſſitatis, paſce ſufficienter; ſiue, ſufficiens ſuppedita alimentum. Vt verò clarè cerneretur, nihil in hoc Regis facto citra ſacerdotum auctoritatem conſtitutū dictúmue fuiſſe, mox expreſſis verbis dicitur Ioſepo ſacerdotis filia nupſiſſe. Quàm verò nihil ad rem faciant quæ interpretes hîc ſomniarunt, nolo prolixè perſequi. Quod enim priore loco dicunt אַבְרֵךְ ſignificare, vt omnes coram eo genu flecterent, id neque Grammaticæ conſtructioni conſentaneum eſt, neque in rem præſentem quadrat. Quorſum enim præco clamet genu flectendum eſſe, dum ipſe Rex cum Ioſepo circumuehitur, quaſi id populus non vltrò facturus fuiſſet? ac deinde, quid ad Ioſepum, ſi Rege præteruehente genu flecteretur, cùm is honos Regi ſollemnis eſſet? Quid? licet hanc interpretationem admitteremus, nihil tamen dignum tanta pompa in genibus flexis haberemus, nec quicquam omnino explicatum, qua tandem Rex Ioſepum poteſtate donaret, & in quam dignitatem aſſumeretur: quod caput erat totius negotij & publicæ feſtiuitatis & inaugurationis. אברך igitur ſupremum iudicem & ſummum magiſtratum ſignificat: quam vocem Cæſar quoque in Commentariis ſuis expoſuit, dum Vergobretum interpretatur, vt nos in Gallicis declarauimus. Adde quòd ipſemet Moſes hanc vocem interpretatur, dum dicit eum hoc præconio præfectum fuiſſe toti terræ Ægyptiorum. In altero autem quid ad rem facit, dicere Ioſepum ſaluatorem mundi; cuius rei nullam apud Hebræos, nullam apud alios ſignificationem habemus, cùm nobis nihil magis perſpicuum ſit, quàm his litteris illud nobis denotari, quod modò ſum interpretatus? Certè in primis decebat, aut potiùs neceſſarium erat, vt populus de præconis voce intelligeret, quorſum tota pompa ſpectaret, ac quo magiſtratu Rex Ioſepum ornaret. Quoniam autem tota hæc in republica conſtituenda mutatio ac nouitas ex diuino Regis ſomnio procedebat, non dubium eſt, quin magnis cærimoniis & certis ritibus omnia fuerint diligenter à ſacerdotum collegio procurata, & nomen fauſtum è ſacro ſermone ſumptum, quo noua Ioſepi dignitas nuncuparetur. De Ianigenarum itaque lingua, à quibus totam ſuam Theologiam acceperant, vt vox **Bet** declarat, Ioſepum **Oberecht** indigitauerunt, quo ſupremus magiſtratus, ſiue ſummus iuſtitiæ præfectus denotatur. Porrò cùm iam ad hanc dignitatem eſſet euectus, Rex eum publicè hortatus eſt, idque verbis de ſacro itidem ſermone conceptis, vt bene officio ſuo fungeretur, ac ſemper cogitaret, ſe totius Ægyptiacæ neceſſitatis ſcipionem eſſe, & ab ipſo exſpectari ſufficiens totius regionis ad multos annos alimentum. Vt autem decet ſacra & regia verba breuia eſſe & ſententiarum plena, non pluribus quàm quinque ſyllabis totam admonitionem concluſit: quæ tamen talis fuit, vt totius dignitatis cauſſam comprehēderet ac explicaret. Nam **Stafnoot/ Phogenoch** ad verbum ſignificat, ſcipio neceſſitatis, ale ſufficienter. Clarum itaque nunc eſt, apud Ægyptios ſacerdotes non ſcipionis tantùm in ſacris ſymbolis

Sacerdotis noui apud Ægyptios inauguratio.

Ioſephi in Ægypto inauguratio.

Ioſephus quo magiſtratu in Ægypto fuerit functus. **Oberecht.**

bolis

bolis vſum fuiſſe, verùm & ipſum Cimbricum nomen apud eos ad Ioſepi vſq. ætatem manſiſſe: quod Moſes, vti vir omni Ægyptiorum diſciplina inſtructiſſimus, non contentus fuit per interpretationem tantùm referre, ſed ipſis litteris fideliſſimè expreſſit, quoad eius Hebraica ſcriptura permittebat. Nam loco F quo Hebræi & Græci carent, Phe poſuit: nec quicquam omnino melius facere potuiſſet. Iam cùm ſciamus quid alauda ſignificet, ſciamus item quid ſcipio, Cimbrico ſermone Staf nominatus, deſignet: liquet ſcipionem, cui alaudæ caput impoſitum eſt, tantundem ſignare ac ſi dicamus vitæ noſtræ fulcrum eſſe debere laudes diuinas: ac præterea eo ipſo vlteriùs indicari, fidem viuis operibus coronatam totius humanæ vitæ continere firmitatem. Quid? quòd & eo modo ſcipionem hunc exponere non incommodè nec inconcinnè poſſis, vt dicas totius firmitatis humanæ ſupremum apicem eſſe alaudæ caput, id eſt, laudes diuinas in vita ſempiterna? Nunc ergo tandem intelligimus, cur Alauda dicatur non auiculis modò ceteris, ſed ipſa etiam terra antiquior fuiſſe. Cui & illud ex Hieroglyphicis acceſſit, vt clarè cernamus, hoc ſymbolum nec apud Græcos primùm, nec apud Ægyptios natum eſſe; ſed originem ab ipſis Ianigenis habere. Hinc modò & illud perſpicuum, conum ſiue pyramidem vitæ quondam habuiſſe ſignificationem, vt ex vocabulo Leeſwert, quod eſt alterũ alaudæ nomen, clariſſimè conſtat. Non eſt igitur quòd amplius de figura Alef ſit hæſitandũ, quin ea debeat Alaudæ tymbum imitari. Quamobrem dum Alef audimus, de Leſwert cogitemus; & vtriuſque nominis monitu pyramidis ritu ad Vnum contendamus: qua in re vera vita continetur.

LIBER IX.

Bet.

POSTQVAM præceptor diſcipulum hortatus eſſet ad veram vitam, mox rectum iter ad eam ipſam ad quam incitauerat, oſtendit; iubens nimirum orare. Neque enim aliunde quàm ab oratione vita eſt exordienda. Vt igitur quid ſit orare intelligamus, verbum Bet, quo iubemur orare, examinemus. Conſonans B ſic Terentiano pronunciatur, vt labella comprimat, & eorum oras figat. Be igitur preſſum & fixum contactum ſignificat, quo ipſi Vni, quod per E denotatur, nos iungimus: cui ſiue Tau accedat, ſiue non, eadem manet ſignificatio. Hinc mox cernitur, orare nihil aliud eſſe, quàm ſe Vni apprimere & affigere; & idcirco omnem orationem ad ipſum Vnum pertinere. Vnus ergo Deus orandus. Iamblichus & Proclus orationem, cõuerſionem ad ipſum Vnum eſſe definiunt, quæ ipſum quod cum eo quod oratur, vnit. Hac omnia noſtra ſuper Deo dicũt fundari, & ab ipſo Deo huius medio nobis largam omnium bonorum fieri communicationem. Plurima ſanè & hi & alij philoſophi de oratione inſigni elegantia diſſeruerunt, ſed ea omnia duabus litteris ſermo noſter & expreſſit & circumſcripſit; dum orare ſic deſcribit, vt non aliud ſit quàm ipſi Vni ſe affigere, quàm fieri poteſt preſſiſſimè. Nihil enim eſt tam longè à ſupremis remotum, quod non citra omne medium ab Vno eſſe ſuum accipiat. quod dum ſe ad ipſum Vnum, vnde pendet ac ſuum eſſe accepit, refert, & ei ſe ſuprema ſui parte affigit, vt inde boni quippiam affricetur & emanet, dicitur orare. Hinc liquet verum illud eſſe Theodori dictum, Omnibus orandum, Vno ſolo primo excepto; propterea quòd primum non habeat ſuperius à quo pendeat, aut ad quod ſe tamquam boni fontem referat. Precum itaque hanc dicunt eſſe naturam, vt nos vniant cum eo quod oramus. Quid autem illud ſit cui preces effundere debemus, verbum noſtras apertiſſimè declarat; ipſum videlicet Vnum. Verùm quia omnis vnio ab Vno procedit, & precum natura dicatur vnio eſſe, perſpicuum, ipſas quoque preces ab Vno, tamquam à prima ſua cauſſa manare. Proclus cauſſas orationis efficientes dixit eſſe virtutes ſiue poteſta-

B litteræ pronunciatio & ſignificatio.

Orare quid.

Orandus quis ſit.

Orationis cauſſa.

poteſtates diuinas, quibus Dij homines ad ſe reuocant atque conuertunt; quod nos meliùs & ſignificantiùs ad ipſum Vnum accommodamus; quo cernatur, ipſum Vnum non ceterorum modò bonorum nobis cauſſam eſſe, ſed ipſas etiam nobis ſuggerere preces, & ad orandum prouocare. Mirifica profectò vocula eſt ipſum Be, qua hæc omnia denotantur. Ipſum enim B conſonans intra labra fixum maneret, vt Terentianus docet, niſi ab E foras protruderetur. Oramus igitur ipſum Vnum: & vt orare Vnum & poſſimus & velimus, ab ipſo Vno accipimus. Obſtupeſco ſanè, dum huius vocis artificium cum iis confero, quæ doctiſſimè à philoſophis de oratione diſputantur: quæ licet ſint prorſus admiranda, longè tamen ab hac vocula ſuperantur; quæ mox omnem deorum excludit multitudinem, & clarè demonſtrat & Vnum orandum eſſe, & ab Vno vt oremus nos habere; ac præterea in ipſa hac preſſa & fixa cum ipſo Vno coniunctione, finem quoque orationis contineri. Neque enim vni affixi eſſe poſſumus, vt non ſimul participes ſimus eorum quæ ab Vno fluunt bonorum. Atqui ad hoc omnis oratio tendit, vt ab Vno boni aliquid accipiamus. Atque hæc quidem de Be: quæ vox vt verbum, & iterũ vt nomen pro precibus vſurpatur: quod noſtratibus notius, quàm vt ſit exemplis docendum. Nunc ichnæam huius verſionem conſideremus. Hanc mox geminam videmus; alteram vt ex Be fiat Heb adſpiratum, quo temporis longi loco adſpiratio ſuccedat, vt in Lo & Hol. Hoc modo intelligimus omnes preces ad eum ſcopum ferri, vt per eas aliquid habeamus: quo fit vt is qui orat, fateri cogatur ſibi aliquid deeſſe quod cupit ab eo quod orat impetrare; cui rei vt per ſe claræ & euidenti, non eſt immorandum. Altera conuerſio eſt, qua ex Be fit Eb. quæ admirandam nobis offert ſignificationem, ad quam intelligendam altius eſt hominis origo & conditio examinanda, quàm à philoſophis aut vnquam factum ſit, aut fieri etiam poſſit. Cùm Deus principiò hominem in paradiſo conſtituiſſet, ſtatim incidit in draconis inuidiam & odium. Hinc eueſtigiò oppugnatur à vagis vndis tentationis dæmoniacæ. Quia igitur huic inuidiæ & odio obiiciendus erat vir, Adam dictus eſt, ceu Hat-dam diuiſis voculis nominaretur. Adſpirationem in compoſitione tolli, & Tau è medio crebrò eximi, ac non rarò in media littera latêre, vnum eſt de iis quæ linguæ noſtræ ſunt vſitatiſſima. Adam igitur ad verbum ſignificat aggerem inuidiæ & odio obiectum. Elegantiſſima autem eſt comparatio, qua cacodæmonis malitia mari & vndis confertur, eo quòd, quemadmodũ mari numquam eſt fidendum quantumuis tranquillo; ita nec diabolicæ inuidiæ, quam Aten vocamus. Semper enim aliquid monſtri alit; & dum maximè blanditur, horrendas meditatur procellas, haud ſecus ac in ſumma pelagi malitia ſæuiſſimæ tempeſtates timentur. Adde nunc monſtrorum varietatem, adde belluarum vaſtitatem, adde occultos ſcopulos, adde Syrtes, adde voragines, adde cetera pericula quibus mare infeſtatur, & hæc omnia cum cacodæmonis malitia ſiue cum Ate Homerica confer; non ouum ouo ſimilius, quàm hæc inter ſe videbis. Cùm igitur Adami nomen in mentem venit; cogitemus nos periculoſiſſimo pelago obiectos eſſe, ac veluti aggeres perpetuis Ates vndis pulſari, ac nihil propiùs eſſe, quàm vt rimis fatiſcentes, ab vndis ſuperemur atque euertamur. Quamobrem ſi in hoc periculo ſemper ſimus, nec aliunde quicquam metuendum; quid naturæ magis conſentaneum, quàm cupere liberari ab hoc tanto malo, à quo perpetuò oppugnamur? Si enim hinc ſummus metus & ſummum periculum; neceſſariò conſequitur, vt ab eo vehementiſſimè quoque deſideremus liberari. Rogamus ergo hoc primum & ante omnia, vt vndæ à nobis recedant: quod dum fit, ſecuri ſumus, nec vllus metus eſt, vt agger noſter rumpatur. Receſſus autem vndarum maris ſiue refluxus Eb vocatur. Ex Be igitur Eb fieri cupimus, & huc oratio omnis ſpectat, vt tentationum vndæ retrò à nobis diſcedant. Hoc Chriſtus clarè indicauit dicens: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem:* quaſi diceret eum primarium orationis ſcopum eſſe, vt liberemur à tentatione. Sic in oratione Dominica oramus, ne inducamur in tentationem; ſed liberemur à malo; quod noſtro more diceremus, oramus vt Ates, ſiue tentationum diabolicarum, vndæ refluant, & à nobis diſcedant. Monemur itaque in Be & Eb nobis, vti Adamis, id eſt, odij & inuidiæ vndis ritu aggerum obiectis, orandum ſemper eſſe, vt hoc procelloſum dæmoniacæ malitiæ pelagus refluat atque diſcedat; nec aggerem noſtrum ſola terra conſtantem, & idcirco infirmum, ampliùs pulſet ac vexet. Quanta eſt, bone Deus, nomen-

Orationis finis. Be.

H adſpiratio Cimbrica in locum temporis longi ſuccedit. Heb.

Eb.

Adami etymon.

Dæmonis malitia aptiſſimè mari & vndis comparatur.

Eb.

Orationis ſcopus primarius.

MM clatoris

clatoris noſtri & ſacrarum litterarum concordia! quàm perpetuus in ſummis religionis myſteriis concentus! Infinita de precibus diſſeri queant, ſed ſi omnia rectè diſcutiantur, ad harum duarum litterarum ſignificationem quicquid de oratione dici poteſt, referatur neceſſe eſt. Prorſa enim vox Be nos Vni alligat, atque ità ſumma donat felicitate. Eb iterum ſecuritatem ab omni malo præſtat: quæ integra non continget; niſi ab corpore liberati æterna perfruamur quiete, nullas ampliùs tentationum procellas mentes. Qui Be audit, non ſolùm intelligit orandum ſibi eſſe; ſed vnà intelligit quem orare debeat, ac præterea quid orare debeat: nimirum vt ipſi Vni preſſiſſime hæreat, nec ab eo ſeiungatur. Quid hoc aliud eſt, quàm primùm quærere regnum cælorũ; cùm nihil aliud ſit regnum cælorum, quàm ipſi Vni firmiter adhærere, nec vmquam ab eo ſeparari? Iam vlteriùs dum ex Be ad Eb ſe mens noſtra conuertit, an non mox cernit, non aliud ſibi orandum eſſe, quam vt æterna ſecuritas detur à malorum impetu & tentatione? qua re æterna quies continetur. Quicquid igitur ad orationem ſpectat, id totum breuiſſimo compendio Be & Eb comprehendit, & clarius exponit quàm longa oratione poſſet explicari. Quid? quòd ipſum etiam ſupremum orationis, & orationis exemplar nobis oſtendat, ſi rectè omnia expendas. Dum enim preſſa coniunctio cum Vno in Be denotatur, monemur vt ad illud cogitatio noſtra adſcendat, quod preſſiſſimè ipſi Vni eſt coniunctum. Quamobrem quia Vnum Pater eſt, nec Patri quicquam aut preſſiùs vnitur, aut fixiùs hæret quàm filius; ſtatim intelligimus, ſupremum precatorem filium eſſe: & quia hic proximus Patri adhæret, nos non poſſe Patrem niſi per hunc contingere, nec ei preſſè adhærere, niſi medio filij. Vt igitur ipſe litterarum ordo ipſum Be filio videtur conſecrare; ita & ipſa litterarum, è quibus Be componitur, natura & conſtructio filium deſignat arctiſſimè Patri adhærere, atque idcirco ſemper orare: quo fit, vt ſi nos Patrem accedere velimus, ad eum venire nequeamus niſi per filium; & conſequenti ratione nequeamus etiam Patrem orare niſi per filium, qui patri ſic proximus adſtat, vt primus imaginarius circulus ipſi centro. Quemadmodum itaque ad centrum venire nequeas, niſi per hunc proximum orbiculum centro vndique incumbentem; ita neque ad Patrem acceſſus patet, niſi per filium; qui circulus eſt è centro eductus. Quid? quòd nemo Patrem nouit niſi Filius; tantum abeſt vt quiſquam Patrem orare poſſit, niſi per Filium & notitiam habeat Patris & acceſſum. Quò verò cum Filio vniremur, atque ita in Filio Patrem orare poſſemus, Filius naturam noſtram aſſumpſit, & corpus ſuum nobis dedit comedendum; quò ſic ſibi vnitos ad Patrem deduceret. Chriſtus ergo verus noſter eſt mediator, cuius medio Patrem accedimus & oramus. Quemadmodum autem per hunc ſolum orare debemus; ita per hunc ſolum id verè conſequimur quod per Eb dixi denotari. Niſi enim huic vniamur, numquam malorum vndæ à nobis recedent; ſed contrà nos euertent, & vnà ſecum in abyſſum trahent, & totos deuorabunt. Quid igitur Be & Eb ſibi velint, ex his reor ſatis liquere. Eadem verò ſignificatio eſt ipſius Bet; niſi quòd Bet in B & Het ſoluatur, vt intelligatur arcta cum capite coniunctio. Idem autem eſt caput quod Vnum, atque ita eodem pertinet ſignificatio. Nec aliud ipſa denotat conuerſio. Bet enim Teb facit, quo ſignificatur & ad habendum aliquid orationem ſpectare, & finem eius vltimum eſſe, vt Te eb, id eſt ad vndarum receſſum, veniamus. Porrò in bet paullò etiam plus artificij continetur, quàm in Be; propterea quòd Bet etiam meliùs ſignificet, atque ita indicetur, oratione nobis aliquid quæri quod melius ſit eo quod habemus. Poteſt tamen & bet ſic exponi, vt arcta ſit cum Vno coniunctio; quo modo Tau ad be adiici intelligitur, vt vinciendi vim addat; & ita nihil aliud ſit Bet, quàm arcta atque compreſſa cuiuſpiam cum Vno copulatio. Vide, quæſo, quàm copioſa ſit & abundans rationibus ſtructura in hac tam exigua vocula, & quam artificioſè rem eam depingat pro qua vſurpatur: quod vt clariùs intelligas, ſuadeo vt Procli in Timæum eam commentariorum partem diligenter euoluas, quam orationis naturæ explicandæ dedicauit. Nunc reliquum eſt vt videamus, qua maximè aſpectabili figura ipſum orare, quod bet imperat, ob oculos poni queat. In primis genua eſſe flectenda iis qui corpus ad orandum componunt, de plurimis ſacræ ſcripturæ locis eſt apertum; & tam apertum, vt ſuperuacaneum videatur, in eo docendo vel vnum facere verbum. Notiſſimum eſt illud: *In nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum.* Nec minùs notum illud: *Viuo ego, dicit Dominus,*

Orãdus Deus Pater non niſi per Filium.

Bet quid ſignificet.

Bet litteræ figura.

Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu. Apud Michæam legimus: *Curuabo genu meum Deo excelſo.* Ex his aliiſque infinitis perſpicuum fit, eum cui omnia genu flectere debent, non alium eſſe, quàm eum quem orare per bet iubemur. Operæ pretium hîc fuerit conſiderare quid genua flexa deſignent. Poſſemus forſan ex aliis id nouiſſe; verùm quem potiùs interrogemus, quàm ipſum ſermonis noſtri architectum? qui cùm in ceteris vocibus fabricandis excellentiſſimum ſe nobis præſtiterit doctorem, non dubito quin in genu quoque nominando parem adhibuerit diligentiam, vt in hac corporis parte inſigne aliquod relinqueret documentum. Genu knie nobis dicitur: è qua voce Græci γόνυ, Latini Genu fecerunt. Eſt autem knie contractum ex kan-nie; quo ſignificatur, nihil poſſum, & nihil ſcio. Voluit igitur nomenclator, vt genua ſymbolum eſſent infirmitatis humanæ, quæ nihil per ſe vel poteſt vel ſcit facere, quo ſuam tueatur ſalutem. Vt verò cui confiteri debeamus nos nihil vel ſcire vel poſſe intelligeremus, ex knie fecit kniel verbum, quo ſignificatur genu flecto vel geniculor. Quòd ſi kniel exponas & in partes ſuas ſoluas, idem fuerit ac ſi dixeris kan-nie-el/ id eſt, nihil poſſum, nihil ſcio, ô altiſſime. Hæc illa vera eſt confeſſio quam Deus à nobis exigit; qua claris verbis teſtamur, nos nihil virium, nihil facultatis habere ad nos ipſos adiuuandos: quod dum facimus, fatemur nos infimos eſſe & Deum eſſe altiſſimum: illum omnia poſſe, vt in ſumma cælorum arce ſedentem; nos nihil prorſus vel ſcire vel poſſe, atque idcirco nos hac humilitate depreſſos, ad ipſum ſuſpirare, vt nos iuuare dignetur. Et hæc quidem recta via eſt, per quam ad ſublimitatem peruenitur optatam. Dixit enim is qui mentiri non poteſt: *Qui ſe humiliauerit, exaltabitur.* Sic & virgo Dei genitrix in ode ſua cecinit: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Ieſus filius Sirach, *Oratio*, inquit, *humiliantis ſe nubes penetrabit.* Ieſſæus item Lyricen: *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cælos gloria eius. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælis & in terra?* Idem alibi: *Cor contritum & humiliatum non deſpicies.* Infinita mihi ſint citanda teſtimonia, ſi omnia proferam quibus humilis ſpiritus commendatur. Quamobrē ſi Deum ex alto ad preces noſtras benignū reſpicere velimus, id faciamus quod ſermonis noſtri architectus in kniel nos commonefecit, & vnà cum ipſo dicamus: Nihil ſcimus, nihil poſſumus, ô altiſſime. Tu ergo da cognitionē neceſſariā, da facultatē neceſſariā, vt & ea cognoſcamus quæ nouiſſe oportet, & ea facere poſſimus quæ facere debemus. Videmus hîc ſummā totius orationis, videmus viam per quam oratio nubes penetrabit, & ea nobis apud altiſſimū impetrabit, quorum & cognitio & facultas nobis eſt neceſſaria. Quid autē eſt, quòd dicimus nos nihil nouiſſe? Profectò vt plurima nobis ſcire videamur, nihil tamen ſcimus; eo quòd res ipſas non nouerimus per ipſam primam cauſſam, à qua omnium rerum eſſentia & proprietas dependet. Prima enim cauſſa humano ingenio ſciri non poteſt; ſed à ſolo Filio, qui Patrem nouit, reuelatur. Iam non quouis modo cauſſam primam nouiſſe ſatis eſt; ſed neceſſe eſt, vt eam nouerimus per Ieſum Chriſtum Deum & hominem, de quo dictum eſt: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per eum factus eſt, & mundus eum non cognouit.* Hoc igitur illud eſt quod nos ignorare confitemur; & idcirco coram Deo nos humiliamus, vt certam notitiam & fidem Chriſti vnici ſeruatoris noſtri ab ipſo accipiamus. Et verò ad amuſſim conuenit oratio Alphabetica cum hac interpretatione verbi kniel; eo quòd prior eius pars petat altum librum, quo hæc ſcientia continetur, ad nos demitti; quo nimirum ex eo ipſum caput rerum omnium cognoſcamus. Poteſtas autem quam nos nullam habere dicimus, ea eſt de qua idem euangelium ſic habet: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri; his qui credunt in nomine eius: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Vides hîc primùm nobis lucem dari per quam Chriſtum videamus atque cognoſcamus; & ex hac notitia nobis fieri poteſtatem, vt filij Dei euadamus, & per conſequens Chriſti cohæredes. Cùm igitur genua flectimus, confeſtim in mentem ipſius verbi kniel & eius interpretationis veniat, quò in ſumma humilitate confiteamur, nos nihil eius ſcire, nihil eius poſſe, quod ad veram vitam eſt neceſſarium, & proinde orare Deum, vt vtrumque nobis ex alto ſuo throno largiatur, quò & ſciamus Chriſtum Dei filium, & per hoc ipſum poſſimus effici filij Dei & Chriſti cohæredes. O Chriſte vera lux mundi! O Spiritus ſancte omnium arcanorum

Genua flexa quid ſignificent.

Knie.

Genua humanæ infirmitatis ſymbolum.

Kniel.

Humili ſpiritu ad ſublimitatem peruenitur.

reuelator, quàm benigna aura & clara luce primo nomenclatori affulſiſti, dum hoc verbum knieł ſic conderet, vt hæc in eo myſteria & continerentur, & ab iis omnibus qui litterarum norunt naturam, clarè cernerentur!

Oratio quo corporis poſitu fieri debeat. Ex his modò liquet, orationem fieri debere genibus flexis; & ſic flexis, vt maximè flecti poſſunt: quod fit, dum femur & tibia ſic comprimuntur, vt nates calcaneis inſideant: qua forma ineptiſſimi ſumus ad omnem progreſſum; & idcirco bene ad hoc diſpoſiti, vt dicere verè queamus, nos nihil poſſe. Porrò quis brachiorum inter orandum ſitus eſſe debet? Id ex Moſe diſces: quo manus ad Deum leuante, Amalec cædebatur: & rurſus manus demittente, Iſraël vincebatur. Quamobrem Aaron & Hur manus Moſis fatigatas ſuſtentauerunt vtrimque vſque ad Solis occaſum; atque ita Deus Iſraëlitis victoriam annuebat. Rogemus hîc rurſus noſtrum nomenclatorem, ecquid de hoc orandi ritu annotarit? Ecquid annotarit verò? Nuſquam videtur vel diligentiùs vel apertiùs in ſymbolica ratione ſequenda fuiſſe verſatus.



El. Cùm enim El ipſius Vnius ſublimitatem ſignificet, de clariſſima litterarum natura & pronuntiatione; voluit vt eadem voce totus hominis cubitus ſignificaretur; quò nimirum moneret, primum huius membri vſum eſſe, vt ad ipſum El ſiue altiſſimum eleuetur. Sicut igitur in knieł altiſſimi nomen intexuit; ita cubitum ſimpliciter El vocauit; quoniā primarius eius vſus eſſet in eleuatione ad Deum inter orandum. Porrò vt videas quid cubitus tibi præſtet dum ad Deum eleuatur, ipſum El examina, & mox intelliges tuam quoque naturam cum cubito in altum tolli. Deinde quantum preces homini adferant perfectionis, ex eodem cubiti nomine diſces, cùm audies pro menſura vſurpari. Nam ſi hominem cubito metiaris, mox eum reddideris quadratum, id eſt, ſi Ariſtotelem in Ethicis præeuntem ſequamur, omnibus numeris perfectum & abſolutum. Quattuor enim cubiti totam humanæ ſtaturæ longitudinem

Vlna etymō. dimetiuntur; atque adeò hinc fit, vt El nobiliſſima ſit menſura. Latini ex El Vlnam fecerunt, tenui primæ vocis veſtigio retento. Videmus ergo orationem vlnis ad Deum eleuatis fieri debere, ac ea nos conſequi, vt non modò eleuemur, ſed perfecti etiam efficiamur & tetragoni citra omnem reprehenſionem, vt Simonides Ariſtoteli præcinuit. Aliquando tamen El pro toto brachio à ſcapulis ad extremam vſque manum figurata

Ellenbog. locutione, qua pars primaria & præſtantior pro toto ponitur, vſurpatur: quo modo Ellenbog pro brachij curuatura dicimus. Eſt igitur El pro brachio ad eandem regulam factum, qua Oor pro aure, & Oog pro oculo; ſumta nimirum ratione à principe ipſius membri vſu. Quamuis autem hæc architecti diligentia maximam mirabilitatem facere poſſit, multo tamen maius artificium in Hant/ qua voce manus denotatur, deliteſcit.

Hant. *Manus cuius rei teſſera ſit.* In Tau littera docebo, in Ægyptiaca Bembi tabula plurimarum imaginum manibus huius litteræ figuram teneri. Quia igitur nomenclator videbat, nullum eſſe manus officium vel excellentius, vel ſalutarius, vel diuinius, quàm hanc litteram apprehendere; ſic nomen fecit, vt eo ſignificetur idem ac ſi dicas Latinè, Altè ad T, vel exalta ad T.

T litteræ vis & ſignificatio. Nec verò eo contentus, eadē voce & illud dedit intelligēdum, Exalta ad ipſum Vnum: quod integre diceretur He ant e; vt videlicet in T vocalis e intelligatur, cuius acceſſione in Alphabeto vocali exprimitur. Hante igitur, ſiue apocoptôs Hant/ duo ſignificat, alterum

exalta

exalta ad T; alterum exalta ad ipſum Vnum. T autem conſonans, Platoni vinculi habens poteſtatem, dum ipſi E præponitur, apertè demonſtrat, ſe vinculum eſſe quo quippiam cum Vno copulatur: quod quale ſit ſi nouiſſe velis, figuram ipſius litteræ intuere, & mox crucem eſſe deprehendes, qua Vni mortales deuinciuntur. Iubet ergo nomenclator, vt manum ad hoc vinculum apprehendendum attollamus; quo ex eo tamquam ſacra ancora omnis ſalutis noſtræ ſpes dependeat, & eius medio ipſi Vni deuinciamur. Licet verò & Hant ſic ſoluere, vt ex Hau an T dicatur componi, quo notatur apprehende ac retine ipſum T. Miranda ſunt hæc, ne dicam ſtupéda; ſed tamen talia vt ad vnguem conueniant cum Hieroglyphicis Ægyptiorum ſignis: è quibus perſpicuũ fit, hæc non eſſe mei cerebri commenta, ſed vetuſtiſſimis olim Ianigenarum ſymbolis eſſe conſignata, & hactenus in ipſorum antiquitatibus conſeruata cerni. Vide mihi tot ſacrarum imaginum manus ipſum T apprehendere ac tenere, ac coniecturam inde fac, cuius rei teſſeram manus nomine is voluerit indicare, qui eam Hant vocauit: quæ vox eam ſui monſtrat, quam dixi, ſolutionem. Siue igitur dicas Hau an het e / & contractè Hante / ac deinde per apocopen Hant / ſiue Hau an T / idem ferè dixeris; propterea quòd T conſonans cum è vocali pronuntiata, exponat crucem vinculum eſſe quo Vni copulamur. Quamobrem ſicut vlnæ ad Dominum altiſſimum eleuandæ; ita & manus attollendæ ad ipſum T, & iis ipſum T ſibi tenendum, quo eius medio ipſi Vni colligemur. Manus itaque coniungimus; & coniunctas ſuprema parte ori applicamus, quo hac coniunctione coniunctio & copulatio, quam oratione quærimus, exteriùs deſignetur; & præterea rectæ & extenſæ manus ori applicatæ, crucem forment ſiue ipſius Tau figuram. Hac itaque ratione ipſum T exprimitur, à cuius apprehenſione manus nomen accepit: Et quia oratio ex ore prodit, & manus vnà cum ore tranſuerſo crucem delineat, fit vt intelligamus, orationem cum cruce intelligendam eſſe, ſi velimus eius ſentire efficacitatem. Niſi enim Chriſtus in cruce peccata noſtra luiſſet, nec nos Chriſto iungeremur, nec eius medio ad Patrem veniremus, atque ita ne orare quidem cum vllo fructu poſſemus. Stupendus profectò conſenſus eſt primarum vocum & hieroglyphicarum apud Ægyptios notarum; atque adeò hæc ex illis, & illæ ex his certiſſimam accipiunt interpretationem; & ſic mutua opera viam aperiunt ad ipſam priſcæ & perennis philoſophiæ veritatem. Ceterùm vt clariùs etiam cernas, quantam ſermonis architectus in omnibus nominibus eorum quæ ad animi ſalutem pertinent, curam geſſerit, conſidera Cimbricum digitorum nomen. Vinger enim idem ſignificat quod inuenire deſidero. Quid verò hoc ad digitorum naturam? Num fortaſſis in tenebris hunc digitorum vſum eſſe deſignauit, vt iis aliquid palpando inueniremus? Minimè gentium. Quid igitur? Nempe monere voluit, omnem inueniendi facultatem numeratione abſolui: ad numerandi verò artem digitos maximè eſſe comparatos. Numeros enim omnes digitis indicamus; quo fit, vt meritò nomen habeant ab inueniendi deſiderio. Eo namque omnis numerandi ratio ſpectat, vt quicquid in rebus abditum latet, ſupputando perueſtigemus; atque ita tota ſapientia arithmeticis rationibus continetur; quæ tota in eo verſatur, vt omnibus rectè ſupputatis & diſcretis ad ipſum Vnum aſcendamus. Et videtur alioqui naturæ inſtinctu factum, vt quoties quicquam attenta cogitatione quærimus ac inueſtigamus, digitos ori inſeramus, quaſi illi iuuent ad inuentionem. Sic cogitabundos homines vngues rodere videmus, ceu è digitis ea quæ mente quærunt, exſugere niterentur. Hinc vngues rodere in prouerbium abiit, pro attenta mente cogitare. Sic Perſius,

T quo manuum poſitu formatur.

Vinger.

Digiti ad numerandi artē maximè comparati, & inueniendi deſiderij ſunt ſymbolum.

Vngues rodere.

Nec pluteum cedit, nec demorſos ſapit vngues,

de carmine non accuratè nec inuento nec digeſto, nec bene omnino ſupputato. Eodem modo Horatius:

Sæpe caput ſcaberet, viuos & roderet vngues.

Vtamur ergo ad hanc rationem digitis, cùm aliis in rebus quærendis, tum maximè in vocibus primis examinandis; in quibus ſingulæ litteræ & earum poteſtates diligentiſſimè ſupputandæ, & accuratè quærendum in quas particulas voces diſtrahi poſſint, & quot modis & ſyllabæ & elementa omnia tum expreſſa, tum latentia queant numerari, tum prorſa, tum verſa ſerie conſiderata. Quòd ſi hac digitorum opera in Cimbrico manus nomine vtaris, & illa quæ dixi, & alia fortaſſis adhuc myſteria latere deprehendes; & ex iis ad veram orationé, & eam quæ ſola ad vitam vtilis perueníes, cognoſceſque

quis cùm manuum,tum cęterorum artuũ poſitus in orante eſſe debeat: quem vbi inueneris,antiquiſſimam litteræ Bet figuram videbis,quæ linea extrema orantem hominem terminante conſtat. Quid dico fortaſſe? cùm certò ſciam te inuenturum,quod vbi ſollicitis digitis ſupputaris, ſis ſtupore quodam maximo admirationis capiendus; ſi de mei quidem animi inclinatione licet iudicare? Quamuis enim ea quæ de knie/ de el/ de manu, de digitis expoſui, admirandum artificium oſtendant;longè tamẽ illuſtriora reddentur,ſi paullò accuratiùs ad digitos vocentur. Equidem confiteri cogor, me ſæpius in ſermonis noſtri myſteriis præuaricari, & non pauca omittere, quæ non ſine laude addere potuiſſem. Corrigam ergo hic meipſe,& totum orantis habitũ & membrorũ poſitum ab imis vſque pedũ digitis repetam,quando hi in ſumma humilitate,per corporis delineationẽ expreſſa,primi eſſe debẽt. Digitus igitur pedis Teen vocatur. quo mox monemur, ex imis vſque operum noſtrorũ principiis nos ad Vnum debere ſpectare;quod cum vocabulo te eximie congruit; propterea quòd,vt hìc ad Vnum ipſius digiti nomenclatura excitamur, ita illic edocti ſimus, orationem noſtram ad Vnum fieri debere. Poſt digitos plantam pedis videmus,& deinde calcaneum, mox pedem,hinc talos: quibus omnibus per nomina ſua explicatis, oratio continetur ad eũ qui omni ex parte vnicus eſt & ſimplex,tria diuerſa petens;quorum primum ad Patrem,ſecundum ad Filium, tertium ad Spiritum ſanctum refertur. Dicitur enim Plant heel voet enckel. Plant autẽ idem eſt noſtratibus quod planto,vel planta Latinis, qui hanc vocem à nobis retinuerunt. Plantare autem cùm paſſim à Prophetis Domino attribuatur,tum ipſe Chriſtus hæc apud Matthæum locutus eſt: *Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cæleſtis, eradicabitur.* Hiel autem ſine Heel idem eſt quod calcaneus, cùm corporis partibus tribuitur: At dum vt verbum vſurpatur, idem eſt ac ſi dicas, ſana & in integrum reſtitue: quod qui neſcit filio eſſe tribuendum,is nec Prophetarum principem legit,nec ſcit cui ſalus generis humani & tota ſanatio debeatur. Voet nunc pes dicitur: qua de voce Græci ſuum πούς, Latini pes habent,mutato digamma in π. Eadem vox,vt verbum in locutionẽ veniens, idem ſignificat quod nutri & ale;quod proprium eſt Spiritus ſancti,qui igneo ſuo calore id quod Pater plantauit,& filius ſanauit,fouet atque nutrit:quod notius eſt quàm ſit ſacris litteris comprobandum. Virgilio idem, neſcio vnde, ſuboleuit; nam dixit:

Principiò cælum ac terras, campóſque liquentes
Lucentemq. globum Lunæ, Titaniáque aſtra
Spiritus intus alit. Eſt igitur orationis huius breuiſſimæ ternarius alimento ſpirituali abſolutus. Adiicitur in fine ipſius nomen qui inuocatur, quem ſimplicem & vnicum vocat nomenclator, quod Enckel adamuſſim exprimit, dum in ſignificationis ſuæ latitudine vſurpatur. Atque hic quidem quinque partium diuerſi generis hieroglyphicus eſt explicatus. Succedit mox altera oratiuncula, totidem verbis quot prior conſtans, Scenckel braien: quibus vocibus dum pro partibus corporis ponuntur, tibia & ſura à talis vſque ad genu denotantur. Eædem voces ad orationẽ integram redactæ,iiſdem litteris & ſyllabis manentibus,idem ſonant quod Latini dicerẽt, Largire vt altum conſilium capiamus: vel ad verbum;Da ſublime conſilium. Rogat igitur partium corporis nomenclator; vt omnia conſilia noſtra omneſq. cogitationes procul à terrenis ad cæleſtia ferantur. Mox inde ratio adiicitur harum precũ vnà cum ſummæ humilitatis confeſſione. Cùm enim poſt ſuram & tibiam genu ſequatur,ipſius genu nomen ſic eſt compoſitum vt in partes ſuas ſolutum idem dicat quod Latinus verteret, Nihil poſſum, nihil ſcio: qua de re modò ſatis multa. Pars genu adiecta aut potiùs oppoſita Keſen vocatur;totum deinde femur Dein dicitur: cui coxendix ſuccedens, Hopen dicitur: huic latus impoſitum ad brachium vſque, Si nominatur. Ex horum nominum contextu & genu nomine,vt geminam habet ſignificationẽ, bis pronuntiato, & dein bis item in diuerſa notatione poſito, hæc conſurgit ſententia: Non poſſum nec alimentum capere, nec ſpiritum ducere, non poſſum vllam internam habere vitam aut motionem, niſi ſpes iſta ſit. Quòd ſi quiſquã tam ſit moroſus, aut potiùs ſtupidus, vt neſciat in hieroglyphicis idem ſymbolum bis poſſe, vel ter etiam, ſi res ita ferat, repeti, quò breui notarum complexu multa comprehendantur; ſimpliciter ſic legemus: Nec poſſum, nec ſcio vel capere nutrimentum, vel ducere ſpiritum, niſi hæc ſpes ſit. Vtroque certè modo, & hoc ſimpliciore, & illo ſymbolicis rationibus aptiore & orationis ſeries cõtinetur, & infirmitatis extremę

fit con-

Bet litteræ figura.

Corporis partium in orantis poſitu hieroglyphicus explicatus.
Teen.
Pedis partes.

Plant.
Planto vocis etymon.
Hiel.
Voet.
Pes & πούς vocũ etymon.

Enckel.

Scenckel.
Braien.

Keſen.
Deien.
Hopen.
Sy.

ſit confeſſio, magna humilitate expoſita & exaggerata, docens in ſola ſpe & fiducia totam orantis vitam collocari. Hæc igitur à digitis pedum ad brachia vſque partium corporis exterioris & in orante conſpicui ritu hieroglyphico leguntur. Eodem modo brachium vſque ad digitos explicandum: brachium enim nobis Arm dicitur: qua voce extra corporis partes pauper & miſerabilis denotatur. Sic diuinus ille citharœdus: *Inclina Domine aurem tuam & exaudi me, quoniam inops & pauper ſum ego.* Quid reliquæ partes ſignificent, ſatis copioſè oſtendi: quas ſi iungas & à brachio incipias, habes hanc ſaluberrimam admonitionem: Pauper & miſerabilis leua cubitum; affige ipſi Tau inueniendi deſiderium: quo iubetur, vt totum ſalutis ſuæ inueniendæ deſiderium aptum habeat atque ſuſpenſum ex ipſo Tau; qua voce huius litteræ propterea hîc libentiùs vtor, quòd congruum eſſe rationi putem, vt in hieroglyphicis legendis, hieroglyphicis nominibus vtamur. Capitis partes quia hanc non habent ſeriem & conſecutionem, ſigillatim ſuas habent interpretationes. Oor quidem, vt omnis auditio ad audiendam originem eique obediendum adhibeatur: Oog/ vt alta perpetuò contempletur: Naes/ vt perpetuò nouum ſuppeditet alimentum, ſpiritum videlicet aſſiduò attractum: Mont/ quo os ſignificatur, ad monendum nobis ſemper ſeruiat; atque ita nihil dicat, quod non habeat ſalutarem aliquam admonitionem: Tant/ dentis nomen geminum, progreſſus vinculum deſignat; quaſi dicas, Dentes ad hoc eſſe comparatos, ne verba prorumpant: vnde apud Homerum ἕρκος ὀδόντων habemus. Et in Euangelio: *Non quod intrat in os coinquinat animam, ſed quod inde egreditur.* Eſt enim An/ quo progreſſus linguæ denotatur, gemino Tau tamquam gemino funiculo alligatum atque ſeptum: atque ita de ceteris partibus cogitandum, quæ omnes vno capite, cuius plura ſunt nomina, de quibus pòſt, comprehenduntur. Vide modò non in ſaxis tantùm, obeliſcis, & pyramidibus, & id genus monumentis hieroglyphicam ſermonis noſtri peritis ſcriptionem eſſe, ſed eam etiam in poſitu membrorum hominis Deum orantis clariſſimè cerni & aptiſſimis vocibus exponi. Habemus igitur totam hominis orantis delineationem & membrorum anguſtam quandam inter ſe compreſſionem, clariſſimam humilitatis & demiſſi animi ſignificationem: in qua cernes, hominem prorſus in anguſtum contractum, haud ſecus atque erinacei ſe conglobare ſolent, dum ſe vndique volunt tueri. Nec vlla ſanè eſt melior cuſtodia, quàm ſua cuique oratio, ſumma cum humilitate ad Deum fuſa. Quamobrem ſi ſecuri eſſe velimus, ſemper nobis eſt orandum, id eſt, ſemper preſſiſſimè ipſi Vni hærendum; à quo ſolo poſſumus ab omni malorum defendi periculo. Pueri formidine correpti, arctiſſimè parentes, vel eum in quem primùm incidunt, apprehendunt; & quanto ei ſtrictiùs hærent, tanto ſe putant eſſe tutiores. Eandem nos in oratione hærendi conſuetudinem naturæ inſtinctu pueris demonſtratam ſequamur; & quo preſſiùs Vni nos coniunxerimus, eo nos putemus ſecuriores. Legimus in varia Æliani hiſtoria, paſſerculum ab accipitre vehementiùs impetitum in Xenocratis ſinum deuolaſſe, & in eo tuendi ſui cauſſa hæſiſſe. Videmus & canes idem facere, vt dum ſuis viribus diffidunt, ſe intra hominis pedes coniiciant, & ei ſe quàm poſſunt arctiſſimè iungant, quò præſens periculum euadant. Quoniam igitur hæc ipſius naturæ eſt inſtructio & inſtitutio, in ipſis etiam brutis vim ſuam clariſſimè demonſtrans, vt imbecilliora dum in periculo verſantur ad fortiora confugiant, turpiſſimus & pudendus hominis error eſſet, ac fœda degeneris animi nota, ſi in diſcrimine magno, vnde ſe ipſe liberare nequeat, conſtitutus, non eueſtigio ad eum properet à quo ſolo poteſt ſeruari. Atqui quàm diu Adami erimus, id eſt, odij & inuidiæ diabolicæ vndis obiecti, tamdiu in perpetuo periculo verſabimur, ne à proccelloſo tentationum abyſſo euertamur & deuoremur. Quamobrem in aſſiduo vitæ diſcrimine aſſidua opus eſt oratione, id eſt, perpetua adhæſione nos cum Vno arctiſſimè copulante. Hæc igitur illa oratio eſt, quam perpetuam nobis ſacra ſcriptura eſſe vult; eaque precum vocalium veriſſima eſt anima, citra quam illæ mortuæ ſunt & ad nihil efficaces. Nihil hîc opus eſt ſcholaſticis diſtinctionibus; propterea quòd nomenclator in fixa adhæſione, qua preſſiſſimè nos ipſi Vni coniungimus ad tentationum procellas euitandas, totam voluerit eſſe orationis naturam, nihil ſollicitus verbáne ſequerentur an non hanc mentis copulationem. Eo modo Anna quondam orauit, labris & lingua quieſcentibus; eo modo ſemper orare debemus, ne intremus in tentationem, cuius periculum perpetuò capitibus

Arm.
Oor.
Oog.
Naes.
Mont.
Tant.
An.
Oratiò ſua cuique optima tutio.
Paſſerculus ab accipitre impetitus, in Xenocratis ſinu deuolauit.
Oratiò an verba requirat.

noſtris impedit. Nemo excludit verba,ſed ea vt pauca ſint Chriſtus præcepit,cuius monitis nec verius quicquã eſſe poteſt, nec certius ad ſalutẽ: quod vnum mihi ſatis eſto ad omnes moroſorum hominũ impetus amoliendos. Si D. Paullo cõtẽtioſæ diſputationes non placuerũt,multo minùs mihi placere debent, qui non generatim de tota in vniuerſum tracto religione,ſed de primis dũtaxat rudimẽtis,pueris analphabetis in primo eruditionis limine à ſermonis noſtri opifice propoſitis ad ediſcendũ. Quàm igitur abſurdum eſſet,cum rudi hac infantia graues inire contentiones;tam ineptũ quoq. fuerit,me multis hîc vexare controuerſiis,quæ in Theologorũ cathedris & ſubſelliis validis frequenter lateribus agitãtur. Per me cuiq. liberũ eſto,vt ſuo more & arbitrio oret;ac de tota precũ efficacitate,pro eo ac viſum fuerit,ſentiat: interim hoc mihi conceſſum velim, vt quid verbũ noſtras,quo orare deſignamus,de natura litterarũ & ſtructuræ artificio ſignificet, veris & rotundis verbis ſimpliciter explanẽ. Sed dicet aliquis: Cùm tu in adhæſione orationis vim colloces,quod erit diſcrimen inter diuinã laudẽ & orationẽ? Qui enim Deum laudant,arctiſſimè ſe Deo iungunt,atque adeò illud faciunt quo nullũ opus eſt præſtantius. Dixi,orationem in adhæſione quidẽ verſari,ſed non quauis;ſed illa cuius finis eſſet Eb/id eſt,fluctuũ quibus pulſamur receſſus. Addidimus itẽ omnẽ orationẽ ad hoc tendere, vt aliquid ab eo quem oramus conſequamur, quod necdũ certum atq. ſecurũ habemus,quod in Beb denotatur. Nam ſi à tentationũ procellis in æterna tranquillitate ſecuri verſaremur,Deũ non oraremus,vt vndæ tentationũ diabolicarũ à nobis recedant;ſed eo metu iam toti liberati,Deũ de beneficiis acceptis laudaremus. Oratio igitur indigentis eſt & in periculo adhuc conſtituti, tota fundata in firma fide & ſpe, qua credimus & ſperamus,ei quẽ oramus & poteſtatem eſſe & voluntatẽ nos liberandi à periculis & malis quibus obſidemur. Alaudæ igitur caput fidei baculo additũ, quem Canopũ manibus tenere in Ægyptiaca tabula videmus,æquè ad orationem pertinet atq. ad laudẽ diuinã, atq. idcirco rectiſſimè fidei ſcipioni veluti fulcro & fundamento ſuo impoſitũ cernitur. Quid? quòd in hac vita malis adhuc obnoxia orare non poſſumus,niſi laus præcedat; eo quòd credere debeas,eum altiſſimũ eſſe & vnicũ,à quo tota tua ſalus depẽdet,quem vis orare,& te fateri nihil prorſus virium habere? Hoc autem quid aliud eſt,quàm laudare? Cimbrica certè vox Lof docet excelſam æternitatis eleuationẽ laudem eſſe. Atqui dum in orando fidẽ,id eſt,Loof habes,Lof præceſſerit neceſſe eſt,vti antè demonſtratũ. Quiſquis ergo orat,Deũ laudat & extollit;quod in knied clariſſimè videtur:quod verbũ extremam noſtram humilitatẽ cum ſuprema Dei ſublimitate confert, qua in re ſumma laus continetur. Iam non aliũ laudare nomenclator noſter iubet,quàm qui & ipſe plenus eſt, & nos plenos reddere poteſt. Hac igitur ſpe Deũ oramus,quòd fidamus,eũ nos plena donaturũ eſſe felicitate. Sed hęc in Lof & Fol dicta ſunt. Qui ergo iubet vt ſemper oremus, iubet etiam vt ſemper laudemus:& quãdiu in hac vita malis obnoxia verſamur,tota laus noſtra ad orationẽ refertur; ſi non apertè,at ſaltẽ per tacitam conſecutionẽ. Summatim igitur Cimbrica oratio in fide & ſpe fundata tum ceſſabit, dum fundamenta ipſius ceſſabunt: Laus verò ſemper permanebit,vti in ipſa caritate fundata,& plena omniũ bonorum in eo quem ſecura iam malorum ſupra omnia extollit. Quemadmodum enim Lof quàm Loof vetuſtius eſt; ita etiam Lof manebit dum Loof ceſſabit:& quia oratio fidei fulcro ſuſtinetur,ea quidem quam nomenclator noſter ſua voce deſignauit,neceſſariò fide ceſſante ceſſabit;& tum in puram laudem omnis adhæſio tranſibit, quia nullus amplius metus erit aut fructuum aut procellarum. Neque tum alaudæ caput fidei baculo ampliùs ſuſtinebitur, ſed ipſo ſuo cono cum ipſo Vno perpetuò hærebit, nec vlla vi inde poterit auelli. Atqui illud eſt quod ſemper poſt alias odas tẽrue quatẽrue voce in longum protracta repetat Di ew di ew di ew/id eſt, Æternitas æternitas æternitas; hac ſua Epinome demonſtrans, ad hoc omnes ſuas orationes & laudes referri, vt tandem cum ipſa æternitate coniungatur. Quòd ſi verbum noſtras, quo Cano denotatur, in partes ſuas ſolueris; mox inueneris, omnem cantum referri oportere ad eum à quo omnia dependent. Quid enim aliud eſt Singe quàm vehemens motus ad ipſum Hinge; id eſt, ad Deum è cuius poteſtate totam rerum vniuerſitatem ſuſpenſam eſſe non Chriſtiani tantùm, ſed Homerus etiam confitetur.

Oratio qua in adhæſione verſetur.

Orare non poſſumus niſi laus præcedat.

Alauda cantus epinome.

Singhe.

LIBER

LIBER X.

Gimel.

Gimel vocis compoſitio & interpretatio.

CVM IAM pædagogus Canopum ſuum ſiue bonæ ſpei diſcipulum ad vitam æternam incitaſſet, atque eius exordium orationem eſſe docuiſſet; conſentaneum erat rationi, vt puero necdum docto qui preces eſſent concipiendæ, & quid Deus eſſet orandus, ipſemet orationis formulam præſcriberet, ac Spiritum ſanctum ſuper diſcipulo ſuo inuocaret. Primùm igitur Spiritum ſanctum alloquitur in numero plurium, vt tertiam in Deo vno perſonam ſiue hypoſtaſin oſtenderet, ac in Spiritu ſancto ſimul Filium & Patrem ſeſe compellare demonſtraret. Numerum autem hunc aptiſſimè per pronomen expreſſit, cuius eſt proprium perſonarum oſtendere diſcrimen. Sic in ſacris litteris legimus: *Faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram*; & alia ad eandem perſonarum diſtinctionem referenda: quæ omnia referre nihil opus eſt, cùm ſint omnibus notiſſima. Porrò vt eſſentiæ oſtenderet vnitatem, adiecit epitheton numeri ſingularis. Mel enim idem eſt quod reuelo ſiue reuela. Mirifica igitur eſt conſtructio qua dici videtur, Vos reuela. Verùm Mel in compoſitione nominis loco ponitur, pro eo quod reuelat, vt cælum Hemel dicimus, eo quòd altus ſit reuelator: nec altus tantùm reuelator, ſed multo magis ipſius alti reuelator. Nec vocis artificium in hac ſola gemina notatione cernitur, ſed eadem etiam intelligimus, cælum ipſius nobis capitis facere reuelationem, ceu Het-mel diceretur. Quemadmodum ergo cælum altum alti capitis reuelatorem optimè interpreteris; ita Gimel rectiſſimè vertas, Vos reuelator. In diuinis tamen actus ipſe propria quadam ratione ſuum ſibi locum vindicat, vt apud Moſem: *Eſt miſit me.* Eodem modo non citra myſterium hoc loco dicere queas, Vos reuela, id eſt, Vos, cui præcipuè dicere debeo, Reuela. In diuinis enim ſententiæ potior eſt ratio quàm Grammaticæ conſtructionis. Dum enim Reuela dico, votum meum actu exprimo, & quid in præſentia fieri cupiam, in ipſa ſalutatione declaro. Reuelator eſſe poteſt quiſquam qui non reuelat in præſentia: quo fit, vt maior ſit ſententiæ efficacitas ſi Spiritum ſanctum ſic alloquar: Vos reuela; quàm ſi dicam; Vos reuelator. Mel reuelare deſignat de natura litterarum, eo quòd prima huius vocis littera talis ſit, vt de ea Terentianus cantet, *Mugit intus ore.* Et autem idem eſt, dum vt verbum vſurpatur, quod in altum tollo. Quamobrem is qui quod occultum eſt in ſublime tollit, facit vt quod antè deliteſcebat, omnium oculis exponatur. Hæc vox conuerſa contrarium denotat, vt ſuo pòſt loco declarabo.

Mel.

Hemel.

Et.

Spiritus ſancti proprium, reuelare.

Proprium autem Spiritus ſancti attributum eſſe ipſum reuelare, vnum eſt eorum quibus nihil eſt clarius. Hic locutus eſt per prophetas, hic in virginem Mariam deſcendit, & ſalutem mundi Ieſum Chriſtum ex vtero virginis reuelauit, hic Ioanni in vtero Chriſti præſentiam reuelauit, hic Simeoni præſentem Chriſtum oſtendit, hic in forma columbæ in Chriſtum deſcendēs adſpectabili ſigno, addita etiam clara Patris voce D. Ioanni Chriſtum demonſtrauit: hic eſt ille quem Chriſtus pollicitus eſt venturum poſt adſcenſum ſuum, & docturum omnia diſcipulos, & cum eis manſurum in æternum. Summatim, hic eſt omnium diuinorum reuelator; quem idcirco præceptor ſic ſalutat, vt vnà votum ſuum aperiat dicens: Vos reuela. In nomine trilittero, quo ſermonis noſtri architectus Deum nuncupauit, apertiſſima eſt cùm trium perſonarum diſtinctio, tum hæc Spiritus ſancti dignitas. Pater enim Got eſt: qua voce ſimpliciter Deum vocamus. Ab hoc ichnæa conuerſione Filius procedit. Tog enim eodem tempore pronunciatum ductorem & ductum ſignificat: Filius enim omnia è Patris abyſſis ducebat, & patris dono omnem habet & in cælis & in terris ducendi poteſtatem. vnde Meneruа ſiue Minerua nominatur. Et Tog quidem à Got ſimplici fit conuerſione, vt Filium à Patre ſolo gigni intelligas. Verùm Toog à Got dum procedit, vocalis duplex tempus adſumſit, cùm in Got & Tog vnum tempus eſſet: quo nimirum cerneretur de temporis analogia, Spiritum ſanctum à duabus perſonis procedere, à Patre videlicet & Filio; atque inde longa vocalis vtriuſque perſonæ æternitatem coniunxit, lit-

Trinitatis myſterium in Cimbrica Dei nomenclatura.

Got.

Tog.

Toog.

teris

teris prorſus eiſdem ſecundum eſſentiam ; vt nimirum vna eademque trium perſonarum eſſentia ſignificaretur. Hoc vocabuli artificium is rectè capiet qui motuũ & temporum analogias de peripatetici magiſtri regulis didicerit. Ex Got igitur geminato tempore, & per conſecutionẽ neceſſariam geminato interuallo in eadẽ potentia, Toog fieri videmus; litteris quidẽ manentibus eiſdem, ſed ſolo tempore mutato. Eſt autem Toog oſtenſio ſiue demonſtrator, ceu Te-oog, id eſt, ad oculum diceretur. Vt igitur in hoc trilittero nomine intelligimus Patrem omnia effundere, Filium omnia ducere; ita & illud clarè cernimus, Spiritũ ſanctũ à Patre & Filio procedentẽ omnia demonſtrare & mentis oculis ſubiicere. Sed de hoc nomine aliàs. Hic ſufficiat de ſermonis noſtri artificio docuiſſe, Spiritui ſancto oſtenſionẽ & reuelationẽ tribui debere, & idcirco rectiſſimè per Mel ſalutari. Nuſquã lingua noſtra à ſacra ſcriptura declinat; ſed ita ei ſemper inhæret, vt facilè cernas, vtramq. ab eodẽ fonte, & ab eodem doctore manaſſe; & eum hunc ipſum fuiſſe, cuius eſt ea omnia reuelare, quę & ad Dei faciunt cognitionẽ, & ad veram hominis ſalutem: quem hoc loco magiſter Alphabetarius Canopo ſuo propitiũ cupit affulgere. Porrò vt clariùs peruidere poſſimus, qua maximè figura hæc vocis Mel ſignificatio ob oculos poni poſſit, conſiderandum qua via & ratione Spiritus ſanctus reuelet. Equidem infinitos reuelationum modos eſſe non ignoro, at eos ad capita duo non incommodè referri poſſe cerno. Aut enim Spiritus ſanctus ex iis quæ Deus creauit, homines in Dei cognitionem deducit, vt apud D. Paullum docemur; aut ſingulari gratia naturæ creatæ ordinem & limites egreſſus, diuina hominibus diuina virgula oſtẽdit. Illo modo ſapientes docuit vnum Deum eſſe; & ſi cari ipſi velle eſſent, debere ductum eius quem in aſtris viderent, perpetuò ſequi, nec vmquam à rectæ rationis amuſſi aberrare. Omnis enim diuinus ordo cælorum motu deſcriptus eſt; in quo homines, vti in maximo ſpeculo, quid quaque in re ſequi debeant, queant intueri. Hinc in illis quæ Orpheo tribuuntur, Σὴ μὲν ἐν ἄστροις

Revelationes omnes ad duos modos poſſe referri.

Cælorũ motu omnis diuinus ordo deſcriptus eſt.

Τάξις ἀναλλάκτοισιν ἐφημοσυναῖσι θέουσα.


id eſt, *Certus tuus ordo*

Immutabilibus mandatis currit in aſtris.

Plato tradidit ex ordine cælorum ſtabili conuinci, Deum eſſe huius mundi gubernatorem; ſed hunc ſenſum tamquam procellis obrui, cùm rerum humanarum intuetur cõfuſionem. E cælorum motibus Pythagoras, Timæus, Plato, Ariſtoteles, & ceteri melioris notæ philoſophi ad vnius Dei cognitionem pertigerunt. Sic nos præeunte vate canimus, *Cæli enarrant gloriam Dei.* Ad hæc in oratione Dominica patrem noſtrum in cælis eſſe dicimus: quo præter cetera intelligimus, paternam eius maieſtatem in cælis maximè apparere; & mox oramus, vt eius voluntas ſic fiat in terra, vt fit in cælis: quo rurſus inter cetera, quæ plurima ſunt, intelligi datur, illud nobis optandum eſſe, vt quemadmodum cælorum aſtra ordinem ſuum ſemper videmus obſeruare citra omnem perturbationem; ſic in terris quoque homines vitam ſuam inſtituerent, vt numquam à Dei voluntate declinarent. Sed quid multis? Quin hîc quoque ſermonem noſtrum conſulimus? An non modò dixi, Hemel cælum vocari, eo quòd altus ſit alti capitis reuelator? quæ nominis ratio cum illo conuenit quod Ieſaias præcepit capite, ni fallor, quadrageſimo: *Leuate*, inquit, *in excelſum oculos veſtros, & videte quis creauit hoc.* Atqui reuelare non poteſt, niſi eius beneficio & gratia à quo omnis reuelationis ſcaturigo, ceu è primo fonte, manat. Quamobrem ſi verum fatebimur, dicemus non tam cælum reuelare, quàm Spiritum ſanctum per cælum tamquam per librum quendam nobis patris oſtendere poteſtatem & pulcerrimum ordinem in rebus gubernandis. Spiritus igitur ſimpliciter Toog & Mel; cælum verò Hemel vocatur, per participationem reuelationis. Verumenimuerò quia homo ab hac Dei voluntate omnia ordinante ac dirigente ſeſe diuelli dæmonis fraude permiſit, manca fuit hæc Dei facta reuelatio, nec hominem lapſum ad integram Dei potuit deducere cognitionem, tametſi nonnihil iuuaret. Quamobrem alia pòſt fuit opus voluntatis diuinæ reuelatione, poſteaquam priorem ſibi homo reddidit claudam ac pænè cæcam, & talem, vt ea ſe ad Deum reducere nequiret. Ea fuit quam Spiritus ſanctus prophetis inſpirauit, qua generis humani in integrum reſtituendi myſteria detegebantur; ſed ſic detegebantur, vt ſolis illis paterent, quos idem Spiritus ad ea intuenda admiſiſſet, qui totius huius ſpectaculi vnicus

Hemel.

ſemper



ſemper fuit & erit diſpenſator. Quando itaq. duo habemus reuelationum genera, congruum fuerit orationi, vt duo quoque diuerſa ſigna reperiantur, quibus earum diſcrimina denotentur. Prioris reuelationis non aliud ſymbolū quærendum, quàm ipſum cælum; quando nomenclator cælum ab hac reuelatione Hemel nūcupauit. Nefas enim ſit & ſtolidæ ſuperbiæ, quicquam aptius velle inuenire, quàm ab illo nobis eſt commonſtratum, quem Spiritus ſancti ductu omnia vocalia ſymbola condidiſſe velimus nolimus confiteamur neceſſe eſt; quādo clarè cernimus, ea omnem humani ingenij captum per infinita ſpatia ſuperare. Verùm quia reuelationis quæritur ſignum, neceſſe eſt cælum apertum ſit, non vndique concluſum. Attamen quò veritas per omnia ſibi conſentiat, nec aliud ſit in ſigno quàm in reipſa; ratio poſtulat vt cæli figura ſic aperta ſit, vt qua parte aperta eſt, à nobis ſit auerſa; quo intelligatur prius hoc reuelationis genus nihil facere ad ea homini demonſtranda, per quæ iter ad cælum rurſus pateret. Eſt enim homo naturam ſuam primá & omnem eius ordinem & ductum auerſatus, & idcirco non iniuria cælum ea parte clauſum eſt, qua ad hominem reſpicit. Quoniam itaq. ea quæ dextrorſum feruntur à nobis ad exteriora ſpectant, cæli figura ſic erit pingenda, vt ſiniſtrorſum claudatur, dextrorſum aperta cernatur. At quando fruſtra nobis hæc reuelatio proponitur, vtpote ex qua ad cælum non datur venire, alterum reuelationis genus accedat neceſſe eſt, vt ea ad integram Dei cognitionem & veram felicitatem nobis iter oſtendatur. Huius ſignum inuenire non æquè fortaſſe fuerit facile. Si tamen corruptam noſtram naturam conſideremus, ac tandem deprehendamus nos verè pecudes eſſe, & oues in medio luporū procul à paſtore vagabundas; mox cernemus cuius generis reuelatio nobis ſit neceſſaria. Confeſtim enim intelligemus, pecori maximè cōuenire vt paſtorem habeat, & ab eo ad tuta paſcua deducatur, & à faucibus luporum liberetur. Quod verò huius paſtoralis officij congruentius fuerit ſymbolum, quàm pedum ſiue baculus, quo paſtores oues ſuas gubernant, & ad pabula læta cōpellunt? Nihil profectò ouibus perditis & ſine paſtore vagantibus ſalutarius ſit, quàm ſi ipſis tuti pabuli contingat præmonſtratio. Quamobrem cùm omnis Spiritus ſancti reuelatio ad hoc ſpectet, vt omnes perditę oues vnum cognoſcant paſtorem, & eius ductum ſequantur; placuit hieroglyphicarum auctori notarum, vt pedum huius reuelationum generis ſymbolum haberetur. Cùm enim omnia vaticinia ad Chriſtum pertineant, & is ſe dicat verum paſtorem eſſe, atque Petro & ceteris Apoſtolis hoc tantum munus dederit, vt oues ſuas paſcerent; nec hoc paſcendi officium aliud ſibi vellet, quàm vt populum docerent, & ei myſteria ſalutis reuelarent; non potuit aptius & conuenientius huic reuelationi ſignum inueniri, quàm pedum paſtorale. Totam autem hanc reuelationem, qua populo Euangelium exponitur & doctrina traditur Chriſtiana, ad Spiritū ſanctum referri nemo eorum neſcit, qui ea modò cognorit quæ de Spiritu ſancto ipſe Chriſtus Apoſtolis ſuis promiſit, quæq. pòſt largiſſimè cum totius mundi admiratione præſtitit. Docuerunt Apoſtoli, docuerunt etiam ſucceſſores, docent hactenus veri paſtores, docebunt item qui deinde per Chriſtum ouile intrabunt; & hi omnes vnam vnius Spiritus docent reuelationem, quam nos Mel dicimus, & pedo deſignamus. Hinc pedum Epiſco-

Cælum reuelationis prioris teſſera.

Reuelationis alterius ſymbolum baculus paſtoralis.

Pedum paſtorale.

Epiſcoporum pedũ doctrina Spiritus ſancti ſignum hieroglyphicum. Epiſcoporum: quod licet Epiſcopis tantùm detur, omnibus tamen debetur paſtoribus; verùm inſigne penes eos manſit, qui multis paſtoribus & multis gregibus præſunt. Pedum igitur hieroglyphicum ſignum eſt doctrinæ Spiritus ſancti, qua is Chriſti greges perpetuò paſcit. Pabulum autem quo paſcit, eſt verbum Dei, quod nutrit & roborat, non in præſens modò, ſed in æternum. Videamus nunc quid pedum deſignet. Virgilius *Pedum quid ſit.* in Bucolicis hoc vocabulo vſus eſt:

At tu ſume pedum, quod me cùm ſæpe rogaret
Non tulit Antigenes, & erat tum dignus amari.

Hîc Seruius baculum incuruum pedum definit, quo pecudum pedes detinentur, haud dubiè à pedibus vocem deriuari arbitratus. Nos vetuſtam Cimmeriorum vocem agno- *Pedi etymon.* ſcimus, quam noſtro more Pe-toom diuiſis ſyllabis diceremus, quo pecudis frenum deſignatur, ſiue id quo pecudes veluti freno reguntur. Neque enim ad pecudes tantùm retinendos huius baculi vſus erat, ſed ad omnia ea præſtanda quæ ad gregem regendum *Pedi paſtoralis vſus.* pertineret, vt ipſa etymologia clariſſimè demonſtrat. Nam pedo vti baculo oues coërcebant & agebant; & ſi qua longius aberraret, eo loco fundæ vtebantur, gleba nimirum vel lapide ſuper parte incurua collocato, & longiſſimè euibrato. Adhæc paſtori ſcipionis loco erat, cui laſſus inniteretur, & ſi res ita ferret, eo veluti haſtili aut claua aduerſus lupos pugnabat. Eodem modo Euangelici paſtores Spiritus ſancti doctrina vtuntur, qua & oues ſuas regunt & paſcunt, & à lupis defendunt, & ipſi ſeſe fulciunt; & ſi opus ſit, oues etiam ſuas ligant, & dum placet rurſus ſoluunt: quæ omnia & his plura pedum vpilioni præſtabat, & idcirco rectè frenum pecudis vocabatur. Num quicquam doctrinæ Chriſtianæ conuenientius dici queat, quàm ipſam frenum eſſe pecudum; cùm hominum animi reuera pecudes ſint, ſolo verbo Dei gubernandæ ac regendæ? Mirum eſt, quàm aptè vocabuli ratio ſymbolo congruat, & quàm eleganter ſignificationem eius ob oculos ponat. Quò tamen clariùs oſtendatur, quanta ſit huius ſymboli antiquitas, & quàm Ogenius eius apud Ianigenas vſus; operæ pretium fuerit, ſi & alterum eiuſdem *Lituus.* incurui baculi nomen explicetur. Lituus frequens eſt in Latinorum ore vocabulum; verùm quæ nominis eius ſit origo, quæque prima eius notatio, nemini hactenus cognitum eſſe exiſtimo. Virgilius, diligentiſſimus antiquitatum indagator, libro Æneidos ſeptimo doctam eius fecit mentionem:

Ipſe Quirinali lituo, paruaq; ſedebat
Succinctus trabea, læuaq; ancile gerebat
Picus.

Vt autem veterum in hac voce cernas ignorantiam, Ciceronem audias: Quid, inquit, lituus iſte veſter, quod clariſſimum eſt inſigne augurum, vnde vobis eſt traditus? Nempe eo Romulus regiones direxit tum cùm vrbem condidit. Qui quidem Romuli lituus, id eſt, incuruum & leuiter à ſummo inflexum bacillum (quod ab eius litui quo canitur ſimilitudine nomen inuenit) cùm ſitus eſſet in curia Saliorum, quæ eſt in Palatio, eaque deflagraſſet, inuentus eſt integer. Hæc ille. quibus oſtendit, ſe opinari, nomen prius incuruæ tubæ ſiue cornui æneo quàm lituo augurum datum fuiſſe; quod falſiſſimum eſſe demonſtrabo. Iam antiquitatem eius à Romulo dumtaxat repetit, nec addit cur Romulus eo potius quàm alia virga regiones vrbis deſignaſſet. Poſſemus & alios ſuper hac re ſententiam rogare, ſed fruſtra; eoque ſatis fuerit, omiſſis plurimorum er- *Litui etymõ.* roribus, veram vocis originem aperire, & ex ea certum iudicium ferre. Lituus igitur *Let.* dictus à Let-hu, quo denotatur cuſtodia & tutela ab omni re noxia. Let enim nobis omnem noxam & omne obſtaculum deſignat: quod cùm in quotidiano ſermone perpetuò verſetur, non opus eſt exemplis docere. Quòd ſi mauis eandem ſeruare vocalem, *Lit.* rem mihi gratam feceris, & coëgeris rationem aſſignare clariorem. Lit vocali longa tormentum & dolorem notat, à quo Lit hu deriuatum id ſignificabit quod à dolore & tormento tuetur. Vtrum igitur accipias, mea non admodum refert: in priore E in I mutaretur, vt ex Menerua fit Minerua, & à Men Mino: at temporis eadem ratio conſtaret: in poſteriore vt vocalis eadem maneret, ita longum tempus in breue tranſiret. Bacillum itaque incuruum quod ab omni obſtaculo, tormento, dolore, atque animi *Litui antiquitas.* ægritudine, quæ maximè Lit vocatur, nos cuſtodit, lituus vocatur. Nunc igitur inueſtigemus vnde ad Romanos venerit, & tandem augurum proprium eſſe cœperit.

Virgi-

Virgilius longè doctius quàm Cicero hac de re locutus videtur. Cùm enim Pico Latinorum Regi lituum tribuat, & is mox à Saturno regnarit, longè altiorem litui ritum, quàm Romulus eſſet, agnouit. Cùm autem Quirinalem vocat, ſatis declarat, ſe de alio Quirino quàm de Romulo ſermonem habere; cum hic multis pòſt ſæculis ſcribatur fuiſſe. Quirinum à noſtra voce nomen inueniſſe alibi tradidi. Cùm enim Latini duplex W non admitterent, pro Werino Quirinum dixerunt. Eſt autem Werin is qui defendit: vnde Martis defenſoris cognomen non malè habetur. Huic verò quid aptius ſit, quàm baculus is qui ab omnibus malis tuetur? Nunc igitur clarum eſt, hoc bacillum Reges maximè decuiſſe, quorum eſt populum ab omni malorum genere cuſtodire. Verùm quales tandem ſunt illi Reges qui ab omni tormento tam corporis quàm animi homines poſſunt tueri? Tales haud dubiè, qualis ſcribitur Melchiſedec fuiſſe, idem nimirum Rex & ſacerdos. Talis & Anius celebratur, Rex Anius, Rex idem hominum Phœbique ſacerdos. Ceteri enim Reges qui populum non paſcunt verbo, non poſſunt homines ab omni tormentorum genere tueri, & idcirco nec lituum habere dicentur. Homerus vetuſtiſſimum Regum nomen ſuis Regibus nonnumquam tribuens, oſtendit quales primi fuerint Reges. Cùm enim populi paſtores eos vocat, quid aliud ſignificat, quàm populum oues eſſe, & Regem ipſorum paſtorem? Verùm quoniam verus hominum paſtus eſt doctrina diuinitus inſpirata & ex ore Dei procedens, Rex paſtor rectè dici non poterit, niſi populum hac doctrina gubernet ac paſcat. Nunc itaque eò venimus, vt rurſum intelligamus, pedum eiuſmodi Regum inſigne fuiſſe, ac populum eo regi debere. Verùm quia pedum ſymbolicôs intelligendum erat, Reges magno vpilionum pedo nihil opus habebant, ſed ſatis ipſis erat, ſi ſimulacrum quoddam eius manu tenerent, quo ipſorum officij cum vpilionum cura ſimilitudo cerneretur. Lituus ergo pedi fuit ſimulacrum, Reges & ſacerdotes monens, vt populum diuinis regerent inſtitutis, & eo ipſo cuius pedum apud antiquiſſimos ſymbolum habebat, paſcerent & gubernarent. Nec caret myſterio luculentiſſimo, quòd pro indicio pedi ſuperiorem potiùs partem, quàm inferiorem acceperint: quiſquis enim huius ritus fuerit inuentor, is clarè monuit, paſcendi poteſtatem & gregis humani alimentum non e terrenis nec ab infimis eſſe ſumendum, ſed ſupernis, vti ſuperior pedi pars ad ſimulacrum & inſigne ſumpta declarat: quam rationem miror à noſtris Pontificibus fuiſſe deſertam, quos fortaſſis magis delectauit, vt inferiorem & ſuperiorem pedi partem ad cæleſtia & terrena ſimul accommodarent. Ceterùm poſtquam rebus in peius labentibus, Regis & Sacerdotis partes ſunt diſtractæ, lituus penes ſacerdotes manſit: e quo luculento conuincitur argumento, cuius rei notam præ ſe ferret. Sacerdotum enim eſt hominibus Dei reuelare voluntatem, & idcirco lituum dicebant ad cæleſtem doctrinam pertinere. Verumenimuerò vt hæc natio apud exteros ſemper fuit quæſtus auidiſſima, callide doctrinam cæleſtem ad ſtolidam vaticinatricem artem tranſtulerunt, & miſeris & dementibus hominibus perſuaſerunt, ſeſe lituo ſuo poſſe res futuras è cælo & auium volatu diuinare. Hac itaque fraude lituus & doctrina cæleſtis ad augurium tranſiit, & vero animorum pabulo inſana ſucceſſit mendaciorum diſciplina. Sic ſacra omnia paullatim cacodæmonum inſidiæ & ſacrificorum auaritia ad idolomaniam detorſerunt, aſtutis quibuſdam ſophiſmatis homines per ſe alioqui vanos ineſcantes. A maioribus acceptum erat, lituo doctrinam ſignificari cæleſtem; eam ſacerdotes ad augurandi artem, quæ & ipſa cæleſtis videretur, tranſtulerunt, ne quid aliud quàm quod a priſcis accepiſſent, tradere viderentur, tametſi reapſe longiſſimè recederent, & ſub eiſdem verbis omnino contraria priſcorum traditioni docerent. Videmus itaque quis verus fuerit Litui vſus, quis deinde fœdiſſimus abuſus, & qua via à vera tutela tranſierit ad eam ſuperſtitionem, qua dementes homines credebant ex auium per cælum volatu ſe præcauere poſſe, ne in aduerſa prolaberentur. Hinc liquet cornu incuruum, quo in bellis vtebantur, ab huius ſimilitudine nomen duxiſſe; non contrà, vt Cicero putauit. In noctibus Atticis legimus, hunc baculum ea parte qua robuſtior eſt, incuruum eſſe: quod cum omnibus vetuſtis numiſmatis & ſaxis pugnat; atq. adeò cum ipſo Cicerone, qui parte ſuperiore incuruum eſſe dicit. Deceperat Aulum videlicet lituus tuba incurua, quæ qua parte craſſior eſt, incuruatur. In lituo propriè vocato res contrà habet, vt cuiuis licet in Romanis antiquitatibus videre. Laudandus hoc nomine Guilielmus Choulius, quòd in eorum

Quirini etymon.

Werin.

Lituus Reges maximè decet.

Reges cur lituo non pedo vſi fuerint.

Lituus apud ſotes Pontifices remanſit.

Lituus qua ratione tranſierit ad augures.

Lituus parte ſui tenuiore reflectitur.

gratiam qui hoc antiquitatis ſtudio delectantur, cùm alia ad vetuſtam religionem ſpectantia, tum multos quoque lituos congeſſit; quorum nullus eſt qui non parte ſui tenuiore reflectatur: quod niſi ita eſſet, pedum malè referret. Eadem igitur litui ſignificatio eſt quæ pedi, cùm ille huius teſſeram gerat. Noſtris Epiſcopis grauius pedum placuit, quod multo argento & auro ponderoſum & variis gemmis ornatum in tantam molem excreuit, vt non ab Epiſcopo, ſed ab alio gerulo præferatur; ſatis oſtendens, nos gratulari religioni noſtræ debere, vt quæ cura & diligentia paſtorum è lignea, facta ſit aurea & gemmea. Quo verò cernas, quantum ſudoris effundendum ſit, ſudarium è pedo aureo ſuſpenditur, certo indicio magnis laboribus verbum Dei doceri, & gregem Domini paſci. Sed ſatis de pedo & lituo; quorum illud pecudis frenum, hoc cuſtodiam ab omni malo deſignat; adeò vt vtrumque iuxtà quadret in Spiritus ſancti doctrinam & reuelationem. Reſtat nunc vt hæc ad figuram litteræ Gimel applicentur. Dixi cælum nobis de primo peccato occluſum fuiſſe, nec ampliùs in arbitrio noſtro eſſe, vt cælorum ordinem in actionibus totaque vita noſtra ſequamur: quippe in qua licet mens præſideat, carnem tamen habet ſemper aduerſariam. Hinc igitur prior reuelationis via inutilis quadam tenus nobis facta, aut ſaltem talis, vt eam ſequi noſtris viribus nequeamus. Quamobrem cæli figura nobis auerſa pingitur, vt cernamus nobis ad ipſum aditum non patere. At verò lituus ſiue pedum nobis obuium fertur, & cælum ex altera parte apertum oſtendit, docens nimirum contraria via, quam humana natura fert, ad ipſum veniendum eſſe; atque id non alio duce & præmonſtratore, quàm ipſo lituo; qui non ſolùm iter oſtendit, ſed veluti clauis certiſſima cælum nobis recludit. Numquid aliud eſt quod cælum clauſum hominibus reſerat, quàm reuelatio myſteriorum ſalutis per Spiritum ſanctum facta? Atqui hæc pedo & lituo denotatur; & in lituo forma quædam clauis videtur, vt hinc fortaſſe Romanus Pontifex D. Petri pedum non repetiuerit, quòd idem myſterium in clauibus contineri intellexerit. Quis vnquam mortalium tantum reconditæ eruditionis, tantum arcanorum Spiritus ſancti conſiliorum in hac vnius litteræ figura latêre credidiſſet? quis ad rectam eius intelligentiam tot vetuſtis monumentis opus eſſe exiſtimaſſet? Ne tamen Romani putent, ſe ſolos lituum à Iano accepiſſe in hac quam dixi ſignificatione, rurſus erit nobis Canopus in tabula Bembi ſecunda infimi ordinis figura conſideranda. Huic in manibus eſt ſcipio, & lituus ſcipionem demonſtrans. Videamus itaque primùm, quid lituus ſibi velit. Quid aliud, quàm quòd Canopo reuelet ac oſtendat ſcipionem? At quem ſcipionem? Nempe non vulgarem, ſed duabus notis inſignem. Tau enim præfert; & ex Tau index ſurſum tendit in alaudæ caput deſinens. Docet ergo lituus, hunc ſcipionem arripiendum eſſe, in quo Tau contineatur. Nam ex Tau caput alaudæ ſurgere, id eſt opus vitæ Vita enim mortalium in Tau erat perficienda, nimirum in ipſa cruce, quam hîc expreſſam vides. Lituus igitur & Tau demonſtrat, & ex eo docet, vitæ opus aſſurgere. Præterea reuelat lituus, ſi hunc ſcipionem Canopus arripiat ac firmis manibus teneat, vitam ipſi huius medio promitti, & eam quidem ipſi proximam eſſe. Pendet enim è ſcipione verſus Canopum figura vitæ habens ſignificationem, cui nota ipſius A, quam in Aleph oſtendi, non eſt adiecta; eo quòd vitam dumtaxat figura hoc loco demonſtret, quam lituus oſtendit è cruce, ſuper qua vitæ opus perficiendum erat, dependere, & ſolo eius medio contingere mortalibus poſſe. O mirificum lituum! O ſtupendam reuelationem! O ſcipionem diuinum! quando litui indicio nobis reuelatur, ſolo huius medio nos ad vitam peruenturos, cuius ſymbolum proximum Canopo præfertur, & obuium pendere monſtratur: Canopo noſtro cyaneo in dextra figura erat, qua ad vitam incitatur; & ob eam cauſſam virgam habet, qua ſonus ipſius A denotatur. Viden' modò quàm omnia concordent, quamque clara ſint quæ priùs obſcuriſſima videbantur? Hoc modo quæ in Cimmeriis tenebris latent, ſunt eruenda, ex ipſa nimirum vocum & rerum cognatione, quæ vera eſt priſcorum hominum Magia; quam degeneres poſteri non intelligentes, ad dementem cacodæmonum cultum & goëtiam detorſerunt. Nunc igitur figuram ipſius Gimel & eius duas partes explicatas habemus, quam Latini ferè integram conſeruarunt; tametſi quorundam ignorantia lituus negligentiùs pictus, vt in magna ſcribendi celeritate fieri conſueuit, dubium aliquando reliquit, C ne tertia Latinorum littera, an G ſeptima apud eoſdem notaretur. Hinc in aliquot vocibus C pro G in vſum venit, vt in Caius & Cnæus

Sudarium in pedo Epiſcoporum quid notet.

G litteræ figura.

Lituus in manu Canopi quid ſignificet.

Gimel littera figura integra apud Latinos.

Cnæus eſt annotatum. Fuerunt etiam qui lituum dumtaxat pro G pinxerunt, à quibus minuſculum Latinorum G habemus. Græcorum maius gamma lituum quadam tenus imitatur, ſolo eo excepto, quòd curuitas in ſuprema parte non ſit rotunda. Nec mirum, hanc figuram apud plurimas gentes fuiſſe corruptam, cùm non videam apud alios quàm Ægyptios Phrygum diſcipulos & Latinos litui in ſacris vſum remanſiſſe.

Litui in ſacris vſus apud Ægyptios & Latinos ſolos remanſit.

Non poſſum hoc loco committere, vt illud otioſè tranſeam quod de Lituo Romanorum memoriæ proditum habemus. Omnium hiſtoriæ ſcriptorum conſenſus tradit, cùm Galli Palatium incendio vaſtaſſent, & omnia ſic deflagraſſent, vt ceterorum nihil præter cineres reliquum eſſet, ſolum lituum integrum illæſumque inuentum fuiſſe.

Lituus ſolus ex incẽdio ſaluus.

Stupendum profectò miraculum; lituum, qui nihil niſi bacillum erat, apta nimirum ignibus materia, potiùs integrum ab incendio ſeruatum eſſe, quàm ancilia, quæ in eadem Saliorum curia cuſtodiebantur. Singulari prorſus fato Romam à Saturno conditam fuiſſe è plurimis didici veterum monumentis, inter quæ & hoc de lituo modò commemoratum non eſt in poſtremis collocandum. Miror equidem Virgilij diligentiam cùm in ceteris quamplurimis, in quibus alij cæcutierunt, tum in hoc quod Lituum multo ante Romulum apud Latinos in veneratione fuiſſe ſcribat. Adſcendit certè quàm potuit altiſſimè, & proximè ad Saturnum acceſſit, cùm Pici ſtemmati hoc daret inſigne. Quamobrem ego nihil verebor aſſerere, Lituum ab ipſo Saturno in Latio primùm conſecratum fuiſſe ipſi Quirino, id eſt, defenſori vnico: quæ vox cui propriè conueniat, nemini Chriſtianorum dubium eſſe poteſt. Quis enim alius ſingularis & vnicus generis humani defenſor dici poteſt, quàm is qui à dira diaboli & peccati ſeruitute nos liberauit?

Lituus à Saturno in Latio, Quirino conſecratus.

Quirinus quis.

Saturnus ergo, id eſt, Nochus totius orbis Rex & ſacerdos ſupremus lituum ſummo iure ſibi vindicabat, eo quòd ſacerdos eſſet, ac populum doctrina Spiritus ſancti paſceret. Ab hoc igitur lituus Chriſto, ſub Quirini nomine deliteſcenti, conſecratus eſt: quo nihil aliud ſignificabatur, quàm olim tempus fore, quo ſummum Chriſtianæ religionis ſacerdotium apud Romanos ſedem haberet. Hinc cùm Saliorum curia totumque palatium deflagraret, Lituus integer manſit: quo miraculo portendebatur, gloriam armorum, quæ æneis ancilibus denotabatur, & cetera apud Romanos vrbis ornamenta peritura; verùm religionem & doctrinam Chriſtianam nulla vnquam vi à Romanis auferendam eſſe.

Religionem Chriſtianam à Romanis nũquam auferendam.

Docui alibi verum vaticinium à Virgilio octauo Æneidos libro expoſitum eſſe; quo docet Herculi ob Cacum deuictũ occiſumque, diuinos honores Romæ inſtitutos, & inter ceteros, aram peculiari nomine Maximam ei fuiſſe conſecratam: quod poëta ſic cecinit:

Ex illo ſeruatus honos; lætique minores
Seruauere diem, primúſque Potitius auctor
Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri
Hanc aram luco ſtatuit, quæ Maxima ſemper
Dicetur nobis, & erit quæ Maxima ſemper.

Ara maxima.

Mirabili emphaſi vates hanc aram Maximam vocauit; & mirabiliore ſententia pronuntiauit hanc aram Romæ ſemper futuram: quod quid aliud eſt quàm maximum ſacerdotium eius religionis quæ Herculem Caci victorem colit, perpetuò fore penes Romanos? Multis modis Chriſtiani obligati ſunt Virgilio, aut potiùs ei qui Virgilio veritatis inſcio ea ſuggeſſit vaticinia, quibus clarè religionis noſtræ myſteria continerentur.

Virgilius religionis noſtræ myſteria continet.

Quid illis duabus Eclogis, quarum priore Chriſti geneſim; poſteriore mortem & reſurrectionem & apotheoſin celebrauit, magis ſtupendum? Acceperat illa quidem à Sibyllis, ſed hoc diuini fuit inſtinctus quòd illa verſibus ſuis celebrare vellet, quæ prorſus non intelligeret, nec ſciret quò pertinerent, aut ad quem tandem deberent referri. Spiritus ſanctus quibuſuis, cùm ita ipſi viſum eſt, vtitur inſtrumentis; & frequenter ignaris quid dicant diuina ſuggerit oracula: quod non ſemel Virgilio videmus contigiſſe. Lituum igitur Saturnus Romam portauit, & eius perpetuum ius ex voluntate diuina penes Romanos reliquit; quod nulla iniuria vel temporis vel incendij potuit abolere. Rogemus ergo Deum opt. max. vt Romani ſemper diligenter obſeruent quæ lituo dixi denotari, id eſt, vt verbo Dei & doctrina non ſua, ſed Spiritus ſancti, populum paſcant: quod ſi fecerint, dignos ſe lituo præbebunt, nec dicentur in ouile per aliud oſtium, quàm per Chriſtum veniſſe.

Diſcendi duæ viæ. Admiranda ſanè eſt huius tertiæ litteræ figura, vtpote qua duæ nobis diſcendi viæ proponuntur; altera qua ex ipſis creaturis venitur in cognitionem creatoris, altera quæ nobis oſtendit quid Spiritus ſanctus maioribus ad ipſum vſque primum hominem dictauerit. *Libri duo Raimondi de Sabunda.* Has duas Dei & ſuiipſius cognoſcendi rationes Raimondus de Sabunda duos libros nominauit, & priore quidem non minus quàm poſteriore veram theologiam contineri demonſtrauit; tametſi citra Spiritus ſancti illuſtrationẽ ex eo nequeat depromi; propterea quòd primo peccato homines ſint excæcati. Verùm bene ne hoc an malè ſtatuerit, alij viderint; nobis certè clarum eſt, nullo modo fieri poſſe, vt ſolius naturæ inſpectione quiſquam queat ad ſummam felicitatem peruenire. *E creaturis humanæ ſalutis arcanũ conſiliũ elici non poteſt.* E rerum creatarum quidem cognatione & diuerſitate ad vnum Deum mentem humanam ſubuolare poſſe D. Paullus teſtatur; verùm ex iis arcanum humanæ ſalutis conſilium elici poſſe pernegamus. Hoc enim è ſolo altero libro, quo maiorum doctrina diuinitùs inſpirata continetur, diſci poteſt. Liber naturæ latiſſimè quidem patet, ac quàm plurimos ad ſummi opificis notitiam deduxit; verùm poſterior infinito latiùs ſeſe extendit, non oracula tantùm & myſteria veræ religionis complexus; ſed illa etiam quæ in libro rerum creatarum leguntur. Lituus enim ad cælum conuerſus, præter alia omnia arcana quæ *Siderũ imagines & nomenclaturæ quid ſignificent.* demonſtrat, in ipſo etiã cælo imagines oſtendit hieroglyphicas, omnibus litteris ſculptis antiquiores; quibus primi parentes Chriſti aduerſus draconem victoriam denotarunt; & alia quamplurima eodem ſpectantia. Videmus enim Herculem claua ſua draconis caput impetentem: videmus Erigonen, & ad eius femora panem viuum ſub nomine ſpicæ deſignatum: videmus Adamum & Euam in vrſos commutatos, & ad Aquilonem vaſtis maximi draconis ſpiris implicatos: videmus Caſtorem & Pollucem ſeſe complexos, & alia quàm plurima ſacris & nominibus & figuris in cælo exarata, quæ Spiritus ſancti inſtinctu primus eorum nomenclator poſteris ſuis propoſuit perpetuò conſideranda. Neque enim de cæli natura hæc ſigna, vel imagines vel nomina ſua ſortita ſunt; ſed de ſola nomenclatoris voluntate ſupremi numinis ductum ſequentis. Et quemad- *Primæ linguæ artificiũ & neceſſitas.* modum has notas rerum ſacrarum in cælo & ſibi & poſteris finxit, ita totam primam linguam ſic condidit, vt eius arcano artificio tota religio Chriſtiana contineretur. Quod cùm à maioribus ſuis priſci accepiſſent, diligenter ſemper quæſiuerunt, quisnam ſermo primus fuiſſet. Præter itaque oracula vel per Sibyllas vel per alios vates de ſalute generis humani reddita, habemus & ipſam primam linguam, quæ illa dedit nomina, cùm aliis rebus, tum & ipſis ſtellis quibus vitæ myſteria ſignificarentur. Magnam ergo partem libri, quem lituus deſignat, homines hactenus legere nequiuerunt; eo quòd primæ linguæ cognitione non eſſent inſtructi. Quid? quòd ne litterarum quidem nomina intelligere potuerunt, nec figurarum quibus pingerentur, dare rationes. Hac item de cauſſa omnes veterum poëtarum fabulæ nugis & mendaciis applicatæ, nec quicquam in iis ſani à quoquam repertum. Quamobrem poſthac magna cura adhibenda, vt quæ in hac inſigni libri alterius parte ſcripta ſunt, ea in lucem proferantur, ad illuſtrandam religionis noſtræ antiquitatem, ad quam lituus viam nobis oſtendit. Quemadmodum enim paſtor oues ſuas pedo ſuo propellit ad paſcua, & cùm viſum eſt retinet; ita & nos lituo ad diuinum epulum agimur, nec vlteriùs nobis prodire fas eſt vel in cogitandis vel in nominandis diuinis rebus, quàm ei placuit qui primus lituum à Deo accepit, & poſteris omnibus ordine tradidit. Quò igitur ſciamus, quî de diuinis ſit cogitandum, ipſius ſermonem conſulamus; in quo ea nomina inueniemus quibus & Deus rectè laudari cantarique poſſit, & mens noſtra ad verum ſuum pabulum dirigi, ac certis terminis in eo contineri.

Dalet.

Alphabeti ordinis ratio. TRES modò litteras enumerauimus, quarum nominibus non figuræ tantùm ſunt indicatæ; ſed & adhortatio ad vitam, & via & ratio ad vitam perueniendi expoſita, vnà cum ſalutatione ad Spiritum ſanctum: quæ prima eſt orationis inſtitutæ pars. Videmus hîc eum à præceptore ordinem obſeruari in doctrina ſua rectè conſtituenda, quem in totius mundi fabrica & numerorum ordine animaduertimus teneri, vt nimirum exor-

dium

dium à Patre & Filio & Spiritu ſancto capiatur. Aleph enim præter alia officia quibus fungitur, Patris nobis indicat attributum; quem ſæpius in ſacris litteris dicere audiuimus, *Viuo ego.* Beth orationis habens ſignificationem, Filij proprium eſt, qui vnicus eſt inter genus humanum & patrem precator. Gimel, quo reuelatio denotatur, ad Spiritũ ſanctum præcipuo quodam iure docuimus referri. Abſoluta igitur perſonarum in vno Deo enumeratione, deſcenſus fit ad res creatas: in quibus vt quaternarius ſupremum locum tenet; ita quarta quoque littera primam rerum creatarum formam deſignat: quam rem quò clariùs queamus explicare, à vocis Dalet interpretatione exordiemur. Eſt hoc nomen diſyllabum, è verbo & articulo conſtans. Nobis enim familiare eſt vt Het articulũ ipſi verbo annectamus, vt cùm dicimus, Maecket bed/ id eſt, Sterne lectum; & ſimilia infinita. Articulus igitur licet de loquendi conſuetudine & conſtructionis ratione verbo hæreat, eius tamen terminatio ad caſum à verbo rectum referatur neceſſe eſt, ita vt hîc ad He Vau eius tranſeat demonſtratio. Reſtat igitur vt quid Dael ſignificet, oſtendatur. Huius vocis, vt plurimarum in noſtro ſermone aliarum, duplex vſus eſt; alter vt verbi, alter vt nominis. Vt verbum idem eſt Dael quod demitte vel deſcende: vt nomen, vallem ſignificat. Verbi ratio in eo conſiſtit quod gemina compoſitionis parte deſignatur. Dael enim fit ex Dei & al. Dei idem eſt quod motu interno ad omnem poſitionis differentiam, vt ſcholarum more loquar, quicquam ciere. Al fit ab al, quo ſignificatur omne; & idem denotat quod omnino vel omni modo & omnibus rebus, vt, Tis een al goet man/ id eſt, vir eſt omnino & omnibus rebus bonus. Dei-al igitur, & contractè per ſynalœphen Dael/ idem valebit quod omni modo quicquam ad omnem poſitionis differentiam promouere; &, vt propriè voce Dei vtimur, omnibus rebus proſperare. Hæc compoſitionis ratio in verbo priùs eſſet examinanda, eo quòd actus potentiam præcedat dignitate; verùm clarius in Valle, vt re nobis notiore, cernetur. Vallis enim omnia ſtirpium genera inſigni promouet incremento, magna humoris vi è montibus ſuſcepta, & frequenter etiam calidis per ſubterranea caua è venis montium vaporibus ſubmiſſis. Adhæc eas habet commoditates, vt qua parte Soli exponitur, radiis inſigniter feriatur & calefiat; & idcirco plantis calore gaudentibus ſit accommodata: & è diuerſo, qua parte Solem nõ admittit montium obiectu, ea ſtirpibus frigido loco naſci volentibus felicem præbeat libertatem: mediis iterum locis iis conueniat quæ medio gaudent temperamento. Et hæc quidem in genere de valle dicuntur: cuius ſi naturæ varietatem, fertilitatem, amœnitatem, & ceteras dotes perſequi velimus, integri rerum naturalium codices ſint exarandi. Cùm enim omnis fertilitas ſolius vallis ſit propria, tum alia valles ſupremæ, valles mediæ, valles infimæ producunt; quarum ſucceſſus & computatio à ſummis montium verticibus per varium locorum ſitum ad ipſum vſque mare pertinet. Cui compendio huius rei experimenta varia cernere luberet, ei vel Alpes, vel Pyrenæus ſaltus, vel Taurus, montium rex, eſſet adeundus: nobis ſufficit mentem ad id excitaſſe, vt quàm apto nomine nomenclator noſter Vallem nuncuparit, examinetur. Nunc ſignificationis rationem ipſi Dal verbo applicemus, videamusq. cui tandem deſcenſui conueniat, vt res omnibus modis promoueat atq. proſperet. Si totã diuinitatem montem Domini liceat appellare, & omnẽ rerum creatarũ vniuerſitatem Vallem dicamus, comparationẽ fecerimus mõtis infinitis ſchœnorũ myriadibus omnẽ ſublimitatẽ excedentis, cum ea valle quæ eſt omniũ maxima & latiſſimè patẽs; quamuis infinitis ſpatiis monte ſuo inferior ſit. Hîc ergo cõſideremus, quid valli omniũ maximæ ex mõte omniũ excelſiſſimo proueniat; & mox cernemus, quãto pluris ea ſint quæ hæc vallis de mõte ſuo ſuſcipit, quàm cetera omnia quæ ſingulæ valles ſuis montibus referũt accepta. In terra quãto montes ſunt excelſiores, tanto ſuprema parte magis algẽt, & niuibus & gelu perenni magis abundant. Indoſcythica mea docuerũt, Tauri nomine vſum & finem altiſſimorũ montium indicari; qui haud dubiè totus in eo eſt, vt altiſſimi illi terræ vertices idoneæ ſint perennium aquarũ ciſternæ; vtpote in quibus non conſeruentur modò aquæ; ſed, quod maius eſt, generentur etiam; frigore nimirum omnem halitum vicinum conſtringente, vel in aquas, vel in niues, vel in gelu. Dum igitur in planitie omnia Solis ardore torrentur & aduruntur, niues ſupernæ & perenne gelu tardo quodam ſudore deliqueſcũt, atque ita fluminibus aquas ſubminiſtrant copioſas. Sic Nilus ſicciſſimo tempore totam Ægyptum inundat. Omnis ergo beneficij ratio, quam

[Margin notes: *Dalet vocis interpretatio.* — *Dael.* — *Dei.* — *Al.* — *Vallium et med. & fertilitas.* — *Dal.* — *Mõtes perennium aquarũ ciſternæ.*]

valles terrenæ è montibus terrenis exſpectare poſſunt, in frigore & aquis inde prognatis conſiſtere videtur. Quamobrem excellentiſſimus ille mons fuerit, qui plurima humida & frigida materia abundarit; atque illi tenuerint principatum, quorum vertices cryſtallinis multorum miliarium molibus perpetuò rigere cernuntur: inter quos vnum è quo Mintius præcipitatur, non ſine horrore me quondam memini adſcendiſſe. Atque hæc quidem eſt ſuprema meta aquei elementi, atque idcirco ſuprema Oceani, e quo omnia flumina profluunt, pars. Quòd ſi deinde ſurſum pergamus, quanto magis aſcenderimus, tanto propiùs acceſſerimus ad caloris fontem, & tanto etiam fuerimus ſupremæ totius vniuerſitatis valli, quam mons Domini efficit, propinquiores. Vnde coniecturam facere licet, ſupra altiſſimum Oceani & frigoris verticem caloris regnum capere exordium; & tanto propiùs ad regium ipſius ſolium veniri, quanto acceſſerimus viciniùs ad ea quibus nihil, præter montem Domini, ſublimius inuenitur. Quocirca ſi ſimilitudinis propoſitæ rationem ſequamur, videbimus ſupremam totius rerum vniuerſitatis vallem non ſecus caloris fontes & flumina è monte ſuo ſuſcipere, ac terrenæ valles è montibus ſuis flumina & ſcaturigines aquarum: & quanto in rebus creatis ſuperiùs adſcendimus, tanto propiùs ad ignem caloris fontem accedere videmur; non illum quidem quem in his inferioribus omnibus exitium adferre cernimus, ſed illum cui vitę calor debetur. Ariſtoteles, licet in generabilibus & corruptibilibus non alium quàm elementarem ignem agnouerit, libro tamen ſecundo De generatione animalium longè veriùs & diuinius philoſophatus eſt; vbi cùm alium calorem quàm hunc noſtrum elementarem ſtatuat, aliam quoq. eius originem ſtatuat neceſſe eſt. Deduxit ille quidem ab ipſis vſque ſtellis huius principium, ſed cùm vlteriùs corpus aſpectabile non haberet, non eſt ſuperiùs progreſſus: nobis ſatis eſto moroſum hunc hominẽ & veteribus perpetuò recalcitrantem, tam altè caloris initia quæſiuiſſe, vt ad ipſas vſq. ſupremas peruenerit ſtellas. Qualis autẽ hic calor ſit, & quo diſcrimine ab eo qui ex igne hoc elementari proficiſcitur, ſeparetur, ex eodem Peripateticorũ magiſtro libenter audiemus. Omnis, inquit, animæ ſiue virtus ſiue potentia corpus aliud participare videtur, idq̀ue magis diuinũ quàm ea quæ elementa appellantur. Verùm prout nobilitate ignobilitatéue animæ inter ſe differunt, ita & natura eius corporis differt. Ineſt enim in ſemine omnium quod facit vt fecunda ſint ſemina, videlicet quod calor vocatur; idq̀ue non ignis, non talis facultas aliqua eſt; ſed ſpiritus qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, & natura quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondet elemento ſtellarum. Hac ille. cuius ductu non ad ſtellas tantùm caloris extulimus fontẽ, ſed vnà etiam intelleximus huius caloris viribus proprium eſſe, vt vitam non depopuletur; ſed cõtrà, vt eam propaget atque conſeruet. At eiuſdem auctoris ſententia ſtatutum eſt, vitam omnem ab anima dependere; quo fit, vt vitæ principium in anima aliqua ſit collocandum: & quemadmodum particularis vitæ in particulari anima; ita communis omnium vitæ initium in anima vniuerſali quæratur neceſſe eſt. Hinc ſequitur, vt anima totius vniuerſi nihil aliud ſit, quàm ignis, omnibus rebus & corporatis & non corporatis vitæ calorem ſubminiſtrans. Hoc illud eſt quod Pythagoras dixerat, quaternarium fontem eſſe æternæ naturæ, ſiue vitæ ſeſe per omnem rerum creatarum vniuerſitatem diffundentis, & omnia vel per ſeipſa, vel per eaſdem formas perennantis. Proclus in Platonis Parmenidem lib. 3. commentariorum, Chaldaica logia ſiue oracula ex neſcio quo Apolline depromptа citat; quæ docent omnium rerum genera per idearum varietatem diſtincta, vitæ ſuæ portionem ex ignis fonte haurire; vbi poſt alia hæc legimus è ſuperioribus dependentia:

Oceani pars ſuprema.

Caloris regni exordium.

Calor alius quidã & diuinior quàm elementaris.

Anima totius vniuerſi, ignis.

Quaternarius fons æterna naturæ.

Ἔννοιαι νοεραὶ πηγῆς πατρικῆς ἄπο, πουλὺ
Δρεπτόμεναι πυρὸς ἄνθος. Idem libro ſecundo de amore omnia vinciente:
ὃς ἐκ νόου ἔκθορε πρῶτος
Ἑσσάμενος πυρὶ πῦρ συνδέσμων ὄφρα κεράσῃ
Πηγαίους κρατῆρας ἑοῦ πυρὸς ἄνθος ἐπίσχων.

Ceterùm quid hîc opus eſt exterorum hominum teſtimoniis? Nónne ſic legimus in Daniele, *Adſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit; veſtimentum eius candidum quaſi nix; & capilli capitis eius quaſi lana munda: Thronus eius flamæ ignis, rotæ eius ignis accenſus; fluuius igneus rapidusq́; egrediebatur à facie eius?* Hæc propheta,

dictante

dictante Spiritu ſancto: cuius verba multo magis merentur vt oracula Chaldaica, à regione vbi edita ſunt, dicantur; quàm illa quæ Proclus à neſcio quibus philoſophis hinc inde è ſacris noſtris litteris ſuppilata videntur carmine condidiſſe, & Chaldaicorum titulo venditaſſe. Ceterùm quia Pythagoricus quaternarius ignem diſertè non exprimit, operæ pretium fuerit cauſſas adducere, quibus motus ego hunc numerum igni applicarim. In corporibus certè res eſt mathematica demonſtratione clara: primum enim omnium corporum geometricorum quatuor ſuperficiebus triangulis circumſcribitur & abſoluitur; & vt ea figura ad ignem pertinere intelligeretur, Pyramis eſt nuncupata. Atqui is eſt vetuſtiſſimus rerum inquirendarum mos, vt libenter ex rebus aſpectabilibus ad res quæ videri nequeunt, & ſimilitudines & nomina traducant magiſtri. Cùm igitur in corporibus omnibus vitæ principium igneum viderent, placuit vt vniuerſum totius mundi vitale ſemen ignis quoque vocaretur; & id quidem ſummo iure; quando recta via & ratio ad ſupremam rerum eſſentiam cognoſcendam ab exemplis aſpectabilibus ad primas vſque rerum ideas deducit. Ignis igitur hic ſupremus, à quo omnia pro ſua quæque portione vitam accipiunt, rectè poterit anima totius mundi vocari. Hanc diuinus Moſes primam rerum creatarum videtur poſuiſſe, dum in creationis ſerie primam lucem factam eſſe dicit. Siue enim lucem dicas, ſiue ignem, ſiue calorem, ſiue animam, eodem ſermo tendit; quandoquidem diuerſis his nominibus non aliud intelligimus, quàm id quod principio à Deo creatum, omnes res vita ſua donat. Pyramis igitur meritò & ab igne nomen ſortitur, & pro vitæ teſſera collocatur; quæ non ſolùm flamarum formam imitatur, ſed quatuor etiam triangulis planis continetur: quo demonſtrat, ſe primum fœtum eſſe diuinitatis, quam triangula iſogona figura deſignat. Nunc igitur cernimus, qua de cauſſa tetractys fons eſſe vitæ perennis dicatur. Nomenclator noſter quæ à philoſophis obſcuriùs ſunt indicata, clariſſimè in quaternarij nomine ob oculos poſuit. Eadem enim voce & quaternarium & ignem voluit denotari, quò nimirum declararet, ignem hunc proximo loco ſuccedere Trinitati, quæ tribus primorum numerorum nominibus per diuerſas ternas perſonarum proprietates explicatur: quod cùm ita ſit, & primùm vnitatis nomen Deo Patri conueniat, vti primo omnium rerum fundamento; & binarij nomen Filium ſub ea ratione ſignificet, qua ipſius Vnius facit dilatationem; & ternarij nomen Spiritum ſanctum doceat omnia permeare, ac deinde quaternarij vocabulum declaret, ignem primum eſſe rerum creatarum; facile fuerit indicare, à quo auctore hæc ſententia ad Philoſophos manarit: quæ tanto firmiùs eſt retinenda, quanto certiore magiſtro ſermonis noſtri architectus, quàm ceteri, vſus ſit. Deprehendimus modò, ex Trinitatis monte primum primi ignis fontem ad res omnes profluxiſſe, atque idcirco ſupremam totius vniuerſitatis vallem hunc ipſum quaternarium eſſe ſtatuendum; è qua valle ad reliquas res omnes creatas vita promanat. Nunc igitur videndum quid deſcendat è monte Trinitatis ad hanc vallem, quo & ipſa tota redditur vitalis, & cetera omnia vitæ habent communionem. Quid verò aliud à Trinitate deſcendat, quàm imago Trinitatis, cùm ſemper gignẽs genito ſuiipſius imprimat characterem? Quæ verò alia ſpectabilis Trinitatis ſpecies fingi poteſt, quàm planities tribus æqualibus & angulis & lineis concluſa? Hæc igitur eſt forma pyramidi ex omni parte impreſſa, faciens vt quatuor eiuſmodi triangulis tota formetur. Cùm ergo ab idea Trinitatis æterna exemplum hoc primùm omnium deſcendat, & eodem typo vitam ad omnia creata deferat, meritò triangulus æquilaterus character primus & ſupremus diuinitatis dicetur. Non fuit igitur primus Zenocrates Platonis amicus, qui diuina æquilatero triangulo comparauit: quod à Plutarcho eſt in libello de oraculorum defectu memoriæ proditum, ſed ab ipſis vſque primis linguæ noſtræ initiis hæc figura talis habita eſt, vt ea omnibus rebus creatis à Spiritu ſancto omnia permeante imprimi diceretur, tamquam primus diuinitatis character; cuius quaterno complexu omnis ſiue motionis ſiue vitæ principium contineretur. Quaternarius igitur illud ipſum eſt principium quod quatuor Trinitatis ſimulacris obſignatum, principium vitæ totius habet vniuerſitatis. Et quia ſermonis noſtri architectus non ignem modò & quaternarium conuenire, ſed horum vi omnia etiam ferri noſſet; voluit vt eadem etiam vox pro ferre vſurparetur. Habemus itaque ſupremam omnium vallem quaternarium eſſe; & eam ipſam figura trianguli æquilateri eſſe ſignatam, propterea quòd per hunc charac-

Quaternarius Pythagoricus qua ratione igni applicari poſſit.

Ignis anima totius mundi.

Pyramis vitæ teſſera.

Trinitatis myſterium in numeris.

Triangulus æquilaterus, diuinitatis character.


Pyramidis figuram omnibus rebus, tamquam diuinitatis characterem, imprimi.

vitæ.

rem à Trinitate deſcendat. Et rectè ſanè Dei creatio, Dei deſcenſus dicitur; eo quòd infinitis totius cæli magnitudinibus infra ſe deſcendat, dum primæ rei creatæ maieſtatis ſuæ imprimit ſigillum. Proclus in commentariis in Platonis Parmenidem odioſus pænè eſt, & frequenter ineptus in triplicis huius deſcenſus ratione explicanda; eo quòd eam non è veris fontibus hauſiſſet: illuc tamen peruenit, vt nihil à Deo deſcendere putaret, quod non ternarij in deſcendendo ſeruaret characterem. Ex his liquet, quanto artificio nomenclator Dal pro deſcendo compoſuerit: cùm enim verborum origines in iis quibus primùm conueniunt ſint examinandæ, neceſſe eſt, vt in Deo ipſo huius verbi etymologia ſpectetur & expendatur; quoniam Deus ante omnia alia deſcendit, & ſe ad vallem demiſit. Quid autem verius & ſignificantius de Deo deſcendente dici queat, quàm Di-al; cùm hoc ipſo ſuo deſcenſu illi ad quod deſcendit, omnem largiatur internam motionis facultatem; & ſic proſperet, vt in ipſo vitæ promotionem imaginis ſuæ ſigillo obſignet. Qui ergo Deum rogat per verbum Dal/ non exiguas preces concipit, ſed felicem & proſperam ſibi vitam precatur, omnibus rebus omnibúſque numeris abſolutam, vti per Al denotatur. Quòd autem Di idem ſit quod vitam do, ex eo clarum eſt, quòd interna motio ad omnem poſitionis differentiam procedens, non ab alio poſſit quàm ab anima proficiſci, vt commentator ſecundo lib. de Cælo Ariſtotelis, ſi rectè memini, tradit. Cernimus itaque quàm vox Dal cum quaternario & cum igne conueniat, quamq. bono iure littera Dalet quartum locũ in ſua ſibi natione vindicarit.

Al. Di.

Daleth litteræ figura.



Quamobrem de figura Daleth non erit ambigendum, quando omnis diuinus deſcenſus per trianguli æquilateri figuram procedit; ita vt clarum ſit, eos procul à vero receſſuros, qui nobis volent aliam pingere quàm ipſa diuinitas rebus creatis, dum ad eas deſcendit, impreſſit. Retinenda eſt igitur ea figura litteræ Dalet, quam Græcorum Delta maiuſculum repræſentat. Quamuis verò hæc rationibus ſatis ſint communita, non fuerit tamen nec inutile nec iniucundum, docere, figuram hanc Dalet apud priſcos etiam Ianigenas inter ſymbola hieroglyphica fuiſſe. In Canopo, qui ſecundam infimi ordinis in tabula Ægyptiaca conſtituit figuram, clariſſimum eius habemus monumentum: dependet enim à poſtica ceruicis parte triangulus euerſus, apertum ſignum euerſæ & corruptæ diuinæ in homine ſimilitudinis. Qua enim ratione peruerſam hominis propenſionem clariùs oſtendas, quàm ſi ſigillũ diuinæ maieſtatis ipſi impreſſum ſic pingas, vt quod ſupremum eſſe debebat, infimum teneat locum, & ediuerſo? Sic enim triangulus hic appendet, vt conus deorſum ſpectet: quo modo qui vitam inſtituit, non poteſt non perire. Verùm quo clariùs hæc nota hieroglyphica intelligatur, non fuerit paruum operæ pretium, ſi quæ de Aleph diximus, cum figura Dalet breuiter comparemus: egimus illic de Pyramide, vt eam vitæ notam habere doceremus; ad quod probandum ea quæ tum videbantur nobis idonea adduximus argumenta. Hic addendum eſt, quod ſit diſcrimen inter Aleph & Dalet figuram tenendum; quia Aleph generatim ad vitam hortatur, eam oportuit pingere figuram, quæ volentibus ad vitam proficiſci pateret: quapropter ea parte qua multitudini recipiendæ maximè apta videbatur, aperta eſt relicta. Præterea quia alius alio rectiùs ad Vnum tendit, & quæ multa

Aleph & Daleth in figura diſcrimen.

ipſi ſunt arctiùs colligit, & ad acutiorem dirigit conum; nulla certa regula ipſi figuræ Aleph data eſt, qua lineæ eius ſiue crura diſpeſcerentur: in Dalet longè alia ratio eſt: cùm enim deſcenſus ipſius diuinitatis hìc notetur, atque is ſemper ſit æquilaterus & æquangulus, non debuit eius imago vel hiulca eſſe, vel aliquam admittere inæqualitatem. Dal autem, id eſt, deſcenſus hic, de quo agimus, nihil aliud eſt, quàm vita omnibus totius vniuerſitatis rebus pro ſuo cuique modo communicata: quam ſi formarum datoris titulo inſignias, non video quid apud eos ſis peccaturus, qui dextra porrectum ſermonem non accipiunt ſiniſtra. D. Auguſtinus in expoſitione illius loci, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, agnoſcit vitalem quendam ſpiritum creatum, quo totus mundus aſpectabilis mouetur & continetur: quem ſi ſimpliciter toti mundo præfeciſſet, hoc ipſum quod nos quærimus, expreſſiſſet. Hæc noſtra autem, ſiue intelligentia ſiue anima mundi vocetur, omnibus vitam impertit trianguli forma; & quidem per omnia ſibi conformis: qui cùm perfectam & abſolutam rerum eſſentiam à diuinitate per ſimilitudinem quandam & modum exempli ad ideam primã formati deducat, vndiq. concluſus eſt, & ſuis terminis definitus; qualis figura Dalet apud Græcos videtur. Ceterùm cùm homo hanc imaginem quam Deus ipſi impreſſerat, corruperit; & vitiis terrenis mortem adferentibus aditum dederit; figura Aleph inferiore ſui parte aperta eſt: per quam homo de ſede mentis ſuæ lapſus eſt in cacodæmonis & æternæ mortis ſeruitutem. Hortatur enim præceptor, vt ad veram vitam è qua cecidit, reuertatur, & qua via & ratione reuerti queat, exponit. At cùm Spiritum ſanctum rogamus vt in nos deſcendat, & vitæ librum nobis aperiat, perfectam vitæ imaginem nobis vt imprimat & ſartum tectum reddat, quod culpa noſtra vitiauit, oramus. Quamobrem Dal ſiue Spiritus ſancti in nos deſcenſus, cuius omne donum perfectum eſt, triangulo æquilatero, qui omnium perfectiſſimus eſt, denotetur oportet; quo vita item perfecta ſignificatur. Quoniam verò hæc principiò homini talis data fuit, vt eius medio citra omne externum adiumentum ad æternam poſſet peruenire felicitatem; ſic in ſacris pingebatur, vt ſupremo trianguli apici rotundus globus æternitatis index imponeretur. Verùm quia hominis natura per primi hominis lapſum illud vitium fecit, vt quamuis in vita quidem maneret, ea tamen multis partibus ab antiqua degenerarit; & illud in primis perdiderit, vt ſua ſponte ad æternam vitam non amplius poſſet adſpirare; ſacrarum notarum architecti, triangulum æquicrurum cum globo ſupremo angulo impoſito ſic pinxerunt, vt totus euerſus & in præcipitium ruens cerneretur, qualem in poſtica Canopi parte veluti decidentem videmus. Ceterùm quo clariùs quod de globo dico intelligatur, non fuerit abs re hanc meam interpretationem aliis etiam indiciis & argumentis ex antiquitate ſumptis roborare. Pleriquе veterum ſcriptorum Ægyptios obeliſcos Soli dedicatos putauerunt, propterea quòd non ipſi modò ſua figura Solis radios imitarentur, ſed Solis etiam effigiem ſupremo ſuo apici impoſitam haberẽt: quos equidem aliqua quidem tenus excuſauero, ſi Solis effigiem non pro Sole quem aſpicimus, ſed pro Sole in quo Deus tabernaculum ſuum poſuiſſe dicitur, accipere dicantur. Verùm metuo ne non tam altè de priſcorum hominum religione cogitarint, eo quòd videam pleroſque in elementis mundi & Sole & aſtris, quorum lumen oculis corporis vſurpamus, conſtitiſſe: Nos ſecuri quid vel hi vel alij poſt ſolidam Ianigenarum doctrinam vel commenti ſint vel ſomniarint, illud in medium adferemus quod perenni congruit veritati. In primis igitur obeliſci, & pyramidis, & cuiuſuis alterius metæ eandem dicimus fuiſſe ſignificationem; iis ducti rationibus quas in Aleph annotaui. Cùm igitur pyramis à Uur-ram nomen acceperit, atque ea dictione ignis extenſio ſignetur, denotabatur pyramidis cùm nomine tum figura vita, eo modo quo ad Vnum ſeſe extendit atque porrigit: quod quid aliud eſt, quàm ſignificare, ſic vitam noſtram demum fore beatam, ſi rectà ad ipſum Vnum, haud ſecus atque ignis, contendat. Verùm quoniam Uur ſiue Uier quaternariũ etiam ſignificat, Uier-ram non tantùm ignis, ſed quaternarij etiã ſignificabit extẽſionem; & optimè illud quidem, eo quòd prima pyramis quatuor triangulis planis comprehendatur, & prima ſit pyramis, & prima corporatæ magnitudinis rectis lineis comprehenſæ extenſio; in qua quaterna trinitatis imago repræſentatur, omnia ſecum ad ipſum Vnum ſubuehens. Nam Uur-ram non ignis modò & quaternarij extenſionem ſignificat, ſed regulam etiam deſignat rerum omnium ferendarum. Omnia enim

Triangulo æquilatero quid denotetur.

Obeliſci Ægyptij cur Soli putentur dedicati.

Obeliſci, pyramidis, & aliarum metarum eandẽ eſſe ſignificationem.

Pyramidis notatio.

nia enim ſic ferri ad Vnum debent, vt vndique trinitatis ſigillo munita ſint, & in acumen porrecta. Hinc fit, vt hæc figura propriè & primò Ort nobis vocetur; eo quòd res omnes filio patris æterni vero opifici alliget atque connectat. Or enim filius eſt & omnium rerum creatarum principium: Tau verò vinciendi habet ſignificationem. Quoniam verò quaternarij vnitates ſic in pyramide diſponuntur, vt ſingulæ acuminis habeant rationem; fit vt Ort pro quarta cuiuſque rei parte dicatur. Pyramis enim prima ſingulas vnitates pro ſingulis ſui cuſpidibus habet. Vide quantum myſterij in plebeia loquendi conſuetudine deliteſcat, quamque doctus fuerit & mathematices & Theologiæ, qui primus nomen Ort pro cuſpide & quarta parte dixit. Iam quia omnium rerum creatarum vita quaternarij pyramide continetur, vndique Trinitatis & Vnius imagine obſignata, & quamdiu ea continetur, locum ſuum in rerum vniuerſitate obtinet, Ort etiam pro ſuo cuique loco ponitur. Deinde quia omnes res per Orten ſiue pyramides, diſponuntur; per quas vitam habent; factum eſt, vt Orten in ſingulari numero pro iuſta rerum quarumuis collocatione dicatur. Nos Orden dicimus, vnde Latinorum Ordo. Quaternarius ergo cuſpis eſt vndique triangulum repræſentans, qua nihil eſt validius ad penetranda omnia: & hæc vera eſt Seraphica flama, in qua prima elucet imago Trinitatis. Igneus amoris ardor, quo Deus ſe accendens creauit omnia, quaternarium primum illuſtrat, & in eo ſui ardoris imaginem relinquit. Quamuis autem Dei poteſtas ſit infinita, creationem tamen ſuam non eſt dimenſus ſua infinitate, ſed poteſtate illius quòd primum igneum ardorem è diuina bonitate & amore duxit. Quamobrem cùm ternarius Trinitatis typum gerat, & ſingulis ſuis partibus ſingulas perſonas explicet, voluit Deus vim ſuam quaternario accommodare, ad eum modum, vt ternarius ductus in quaternarium duodecim expleat, qui numerus totam totius mundi complectitur ideam. Hic enim vltra Trinitatem principium rerum omnium tum efficiens formam & materiam, tum ad ſe, tamquam finem omnium, referens tres hierarchias triadicas comprehendit; quarum ſupremus apex eſt, & quaternarius & ignis eodem vterq. nobis nomine ſignatus. Quaternarius ergo cauſſa ordinis eſt prima, reliqua omnia Deo haud aliter deuinciens, quàm primus annulus in catena ceteros omnes tenet, & ei è quo hæret, annectit. Sed hæc alterius loci. Ceterùm quamuis pyramidis nomen commune ſit omnibus pyramidibus è quacumque tandem materia conſtent, cuiuſcumque figuræ baſim; illud tamen earum genus quod ex vno lapide conficitur, & in acutiorem mucronem terminatur, obeliſci nomen apud veteres accepit; ceu paruum veru diceretur. Mirum profectò, ingentes id genus moles verutula fuiſſe nuncupata; quaſi non ſatis earum magnitudo deprimeretur, ſi verua voce non diminuente vocarentur. Quid alij in hominum operibus maximè mirentur ignoro; mihi certè inter omnia quæ vmquam oculis conſpexi, nihil admirabilius viſum eſt, quàm obeliſci; quorum vel ſola vectura animo dumtaxat æſtimata incutit ſtuporem; vt interim omittam erigendi laborem & tantæ molis in aëre ſuſpenſionem. Obeliſcis pyropos imponi ſolere in Alef tradidi, & addidi iis æternã lucem denotari, quam noſtri Theologi cæli empyrei nomine deſignant. Quanto verò magis auguſta eſt cæli empyrei & æternæ vitæ maieſtas, tanto pyrrhopæcilos, cui eius ſymbolum imponitur, indignior videtur nomenclatura diminuente. Marmoreæ potiùs turres vocari debuiſſent, quàm ad verutulorum trahi contemptum, quo in obeliſcorum vocabulo affici videntur. Qui nomina his lapidibus tot millium hominum labore confectis tribuerunt, eos nefas ſit cogitare aliunde quàm è ſacro ſermone nomen iis dare voluiſſe. Atqui ſacer ſermo Phrygius erat, idem nimirum cum ſermone Aſcaniorum ſiue Teutonicorum, quem prius quàm primum eſſe docuiſſem, Cimbricum ſoleo vocare. Quamobrem ſi ſcire velimus quæ apud ſacerdotes Ægyptios obeliſcorum fuerit nomenclatura, videamus quî obeliſcus in Phrygia lingua nuncupetur. Hic mox Speetken inuenimus pro exiguo veru ſiue obeliſco dici; quæ vox ingentibus his lapidibus aut rupibus potiùs excelſis data eſt à fine, quem Ariſtoteles in nominibus faciendis potiſſimùm obſeruari debere, commonefecit. Dicitur enim Speetken à Speet, quod idem eſt quod figo. Speet componitur è Spi, quod eſt exploro, & Heet, quod caput ſignificat. Admiranda compoſitio, ita me Mercurius amet. Adeóne quoties quiſquam aliquid figit vel acu vel acicula vel veru, de explorando capite cogitare debemus? Debemus profectò, ſi primi

[Margin notes:] Ort. — Or. — Orden. — *Ordo inis.* — *Quaternarij myſteria.* — *Duodenarius totius mundi ideam complectitur.* — *Obeliſci qui ſint.* — *Sermo ſacer Ægyptiorum quis.* — Speetken. — Speet. — Spi. Heet.

primi nomenclatoris monitionem ſequi velimus. Is enim ſciens, nullam figuram ad figendum aptam eſſe, niſi pyramidis modo in cuſpidem terminetur, & hac admoneri, omnes vitæ actiones ita inſtituendas, vt ad Vnum cacumen tendant, verbum figendi illud fecit, vt eo perpetuò moneremur, mentis noſtræ acumen ſemper debere ipſum caput vniuerſorum explorare; & id quidem ea ratione qua caput Heet vocatur ab imperando. Idem enim eſt Spi-Heet quod explora caput, & conſidera diligenter quid imperet. Sed quorſum hoc verbum accommodauit nomenclator ei qui figit quippiam. Modò dixi figenti illud habendum inſtrumentum, quo mox admonetur, omnia ad Vnum rectis lineis referri oportere, iuxta illud capitis axioma, *Vnum eſt neceſſarium*. Ceterùm quorſum Speetken diminuenti vocula turris id genus marmorea vocatur? Nempe vt *Obeliſcus cur* duo ſimul intelligantur; alterum quamuis maximæ & ſtupendæ ſublimitatis acus ſit *diminuenti voce appelletur.* qua pyropus figitur, eam tamen rei minutiſſimæ rationem habere, ſi cum acie mentis conferatur; quam vt in Deum caput omniū, ſiue in vitam æternam figamus, commonemur: alterum, vt vocula in duas partes ſolui poſſit, & hac via nobis denotari, Noſce quid Spect ſibi velit; quod dum facimus, intelligimus ſemper nobis explorandum eſſe tum ipſum caput, tum quid caput nos facere iuſſerit. Iam in ſoluenda voce Speetken illud etiam docemur, finem inueſtigandi capitis & mandatorum Dei, eſſe ipſam notitiam per quam Deo figimur & adhæremus. Ken enim idem eſt quod noſce, quo æterna *Ken.* vita continetur. Quamobrem ipſum Ken pyropo reſpondebit vi ſignificationis, propterea quòd vita æterna globo igneo ſiue cælo empyreo denotata nihil aliud ſit, quàm Dei notitia, quam per excellentiæ figuram in Ken intelligas oportet: quod ſi conuertas, Nek habebis, quod idem eſt quod appropinquo. Nulla enim re Deo reddimur propin- *Nek.* quiores, quàm Dei notitia; quam tum demum ſumus integram habituri, cùm Deum videbimus facie ad faciem, vt Apoſtoli verbis vtamur. Nō videretur ergo reprehendēdus qui diceret, Pyropi nomen à Vur-hop dici, quo ignis ſpes denotatur. At ignis vitæ in cælo empyreo agēdæ ſymbolū eſt, quæ nō aliud eſt quàm Deum intueri. Obeliſcus ergo pyropū figens ſignificabit, actiones omnes ſic ad Vnum referri debere, vt certā ſpem vitę æternæ habeamus. Quāuis itaq. prima fronte Speetken diminuens vox dūtaxat eſſe videatur; ſublimiorē tamen lōgè habet admonitionē, quę nos docet iis omnibus qui actiones ſuas ſic compoſuerint, vt acutū veru imitentur, & perpetuò caput explorēt, certiſſimam & fixam ſpem eſſe debere vitæ ſempiternæ conſequēdæ; quæ vt per Ken verbū, ita per pyropi ſymbolū denotatur. Cernimus nunc quàm nomina noſtra ſignis, quæ oculis vſurpamus, ad amuſſim reſpondeant, & quantū myſteriorū in eorum examine recludatur. Bene itaq. obeliſcos, non obelos, marmoreas id genus turres priſci vocauerūt; vt videlicet ſacrum earum nomen è ſermone Phrygio petitum exprimerent, tametſi Græcis non eadem arcana ſignificarentur. Panis enim pueris primùm dandus, qui Bet vocatur, *Bet.* de Phrygio ſermone cognoſcendus eſt; verum & primarium animorum alimentum explicaturo iis qui norunt intimam vocabulorum medullam enucleare. Cùm modò clarum reddiderim, quid globus ille flameus obeliſcis imponi conſuetus ſignificet, non erit difficile explicatu, quid idem deſignet in triangulo æquicruro qui deorſum à poſtica Canopi parte pendere cernitur. Nam ſi obeliſcis impoſitus vitæ ſpem deſignet; certe ſi *Obeliſcus* euertatur & deorſum ruat, quid aliud denotabit quàm omnē vitæ ſpem deiectam eſſe, *euerſus cuius rei ſit teſſera.* quæ primo diuinitatis charactere homini à Deo impreſſo ſuſtinebatur, quem triangulus æquilaterus deſignat. Actum enim eſt de prima illa ſpe ſimul ac Adam ſemel permiſit aggerem ſuum ab Ates inuidia ſuperari; & idcirco Canopus ante ſe videt alterius vitæ ſpem, quam lituus ipſi obiectus oſtendit in ſola cruce eſſe conſtitutam; è qua vitæ ſymbolum infernè apertum ita dependet, vt hinc introitum admittat, hinc etiam non impediat, quò minus excidere poſſis. Quamobrem ſemper ſcipione, cui alaudæ caput & crux impoſita, greſſus noſter firmandus eſt; ne dum ſtare nobis videmur, rurſus cadamus; & ſicut prior vita triangulo ſignificata amiſſa eſt, ita & hæc ſecunda amittatur, atque ita nulla ſpes ſalutis ſuperſit. Ceterùm tempus eſt, vt ab hoc diſcurſu reuertamur; in quo ſi pergeremus, latiùs per Ægyptias notas vagandum eſſet, quàm præſens locus ferret. Reuertamur itaque ad Dalet, in quo Dal reiecto articulo primo Trinitatis deſcenſui propriè cōuenire ſatis eſt oſtenſum. quæ extra ſe egredi, vt non ſimul deſcendat, nullo modo poteſt. Præterea clarū eſt, in huius vocis ratione ipſius diuini deſcenſus

effectum

effectum peruideri,& eum non alium agnoſci,quàm ignem, omnibus rebus creatis vitæ calorem ſubminiſtrantem; atque idcirco ſtupendo prorſus artificio factum eſſe,vt & Dalet quarta littera eſſet,& quaternarij nomen ignem denotaret; qui cum Dal ſic conuenit, vt ignis effectio per Dal denotetur , nec vlla voce denotari poſſit ſignificantiùs & pleniùs. Mirabili igitur modo in Dal Seraphicam vallem, tetractyn, Pythagoricam animam mundi,primam ignis vitalis ſcaturiginem,& primum Trinitatis exemplum rebus creatis omnibus impreſſum inuenimus contineri ; & inde deprehendimus , orationis Alphabeticæ architectum totius vniuerſi architecturam hoc loco ſecutũ fuiſſe. Inſigne profectò & illuſtre petitionis ſuæ fecit exordium , dum ipſum Gimel ſiue Spiritum Dei orauit,vt deſcenderet ; quando deſcenſus hic Dal dici non poteſt , niſi omnia vitali calore moueat, fecundet, augeat, proſperet; & id quidem omnibus quibus fieri poteſt rebus. Et quamuis maxima ſit hæc petitio , æquiſſima tamen & gratiſſima Deo videri debet,propterea quòd archetypum ipſius imitetur,quod auctori ſuo nullo modo poteſt diſplicere, ſed contrà ſemper iucundiſſimum eſſe ſpectaculum, iuxta illud *Viditq́, Deus cuncta quæ fecerat, & erãt valde bona.* Quamobrem non poteſt non gratiſſima eſſe Deo petitio illa , quæ ſtatim ab initio pulcerrimum totius creationis archetypum commemorat , & commemoratum ſic ob oculos ponat , vt nulla figura aptiùs exprimi queat. Quemadmodum enim Trinitas prima cauſſa eſt omnium rerum, ita triangulus prima figura eſt omnium figurarum rectis lineis comprehenſarum, in quam omnes aliæ figuræ ſoluuntur & terminantur; cùm ipſa in nullas alias vlteriùs ſoluatur, ſed in ſuam formam dumtaxat infinitis vicibus diuidi queat. Triangulus ergo æquilaterus tribus perſonis in vno Deo eſſentia vnitis conuenientiſſimus fuerit , & optimè delinearit ipſum deſcenſum opificis ad res creatas,quibus omnibus triangulum ſuæ diuinitatis impreſſit: per quem omnia deſcendunt,fiunt & conſeruantur,quæ voce Dal declarantur. Neſcio cuius monitu Hebræi reſciuerint, litteram Dalet maximè venerandam eſſe ; propterea quòd ea imperium Dei in quatuor mundi plagas denotetur. Nam ſi ad numerum referãt,idem ferè dicere videantur quod Pythagorici Tetractyn ſuam celebrantes. Nobis in ipſo litteræ nomine , ipſaque figura longè clarior eſt ratio venerationis , vti ex his quæ dixi cuiuis liquebit: Iudæi tamen יהוה אחד ſumma reuerentia proferentes, ad malorũm omnium amolitionem ſonum ipſius Dalet longa mora trahũt, magnam eius litteræ vim eſſe credentes. Verùm vt antiquitas huius figuræ magis cernatur,addamus & aliud luculentiſſimum teſtimonium, non ex Ægyptiacis notis, ſed ex ipſo cælo petitum. Docui antè Thot ſiue Mercurio primam deberi litterarum inuentionem,cuius beneficio & inſtinctu Adamus nomina rebus fecit. Hunc eundem Mercurium ſcribit Hyginus Deltoton in cælo collocaſſe ſuper ariete, quo is illuſtrior redderetur. Paullo antè dixi, cælo non ſolùm naturalem Dei cognitionem inſcriptã eſſe, ſed eam etiam quæ naturæ limites egreſſa ſoli Spiritui ſancto debetur vti vero magiſtro. Is ergo arietem Zodiaci circuli initiũ tenere voluit , quo intelligeremus totius vitæ mortaliũ initium eſſe in victima arietis immaculati , qui ſanguine ſuo peccata mundi tollit. Siue enim arietẽ, ſiue ouem, ſiue agnum dicas ; eodem ſymbolum ſpectat , & ad eandem hoſtiam immaculatam refertur.

Triangulus prima omniũ figurarum.

Dalet littera maximè veneranda.



Deltoton cur in cælo locarit Mercurius.

Aries cur Zodiaci initium occupet.

refertur. Quid? quòd omnia ſacrificia ad vnum Chriſti ſacrificium pertinere intelligere debemus, nec plus virium habuiſſe, quàm ex hac collatione accepiſſent. Iſychius Hieroſolymitanus presbyter, in quintum Leuitici caput ſcribens, clare docet, Arietem immaculatum Chriſti eſſe ſymbolum; nec quiſquam eſt omnino qui non ſit eiuſdem ſententiæ, ſi modò Chriſtianæ religionis myſteria vel à limine ſalutarit. Bene ergo Aries Zodiacum circulum exorditur; quem vt clariùs agnoſcas, Mercurius Deltotum ſuperiùs impoſuit; quo nihil aliud ſignificatum voluit, quàm Chriſtum, qui tamquam aries immaculatus eſſet immolandus, verum Deum eſſe, qui triangulo eiuſmodi denotatur. Diuinitas enim claris operibus in Chriſto oſtenſa, toti műdo aperuit, hunc eſſe arietem illum immaculatum, cuius ſanguine totus mundus luſtraretur. Hinc optimè priſcis fabulis iactatum eſt, Deltoton arieti ideo impoſitum à Mercurio fuiſſe, vt ipſum illuſtraret ac redderet clariorem: quod quid ſibi velit, ipſa Euangelia diſertis verbis oſtendunt. Quis non cernit quantus hîc myſteriorum oceanus aperiatur, & quãta lux iis quæ priùs à me dicta ſunt adferatur? Alibi fortaſſe latiùs de Ariete & Deltoto, quod Trinitatis imaginem gerit, agemus; hoc loco ſufficiat demonſtraſſe, adeò veterem eſſe ipſius Dalet figuram in ea, quam dixi, ſignificatione, vt in ipſo etiam cælo fulgere cernatur: & id quidem eo loco, vt inde colligas principij rationem & arieti & ipſi triangulo æquè conuenire, vti rectè conſideranti non poteſt non liquere. Et quemadmodum Dalet Seraphico ordini conuenit, primò videlicet omnium rerum creatarum; ita Aries per Deltoton, ceu inſigne quoddam certiſſimum, denotatur principium illius circuli tenere cuius ductu vita terrenis omnibus communicatur. Errant itaque inſigniter qui aliud mundi principium ſibi finxerunt, quod hîc corollarij loco ſit adiectum. Adde & illud quo Magiam latius cernas patere, Arietem ſignum igneum apud aſtrologos haberi, atque idcirco cum Dalet inſignem habere cognationem; quam nos cùm Vier pro quaternario & igne dicimus, denotamus. Aries certè in capite ſuo diuinitatem gerens, & igneo generis humani amore ſuccenſus, primas tenet omnium rerum creatarum, veriſſimum vitæ perennis, quæ Zodiaco deſignatur, exordium; quæ vt nobis cõtingat, ille nobis præſtet qui hoc ſymbolo denotatur.

Aries immaculatus Christi ſymbolũ.

He.

PRÆFATVS petitionis ſuæ exordium magiſter, nunc illud addit quod à Deo hoc tempore ad diſcipulum ſuum demitti cupit; ita vt tota petitionis primæ ſumma hæc ſit: Demitte altum volumen. Hîc igitur de figura He agendum. He altum eſſe, alibi docui: cuius ratio eſt Spiritus in altum ferens ipſi Vni præpoſitus, ceu diceretur, Alta euectio ad Vnum. Vox Anglis eſt hactenus quàm noſtratibus vſitatior. Noſtrates enim hoc tempore extra compoſitionem maximè Ho & Hooch pro eodem dicere maluerunt: & ſicut illo ſpiritus ad vnum tendens, ita his ſpiritus ad æternum tendens denotatur, quorum vtrumque eodem pertinet. Verùm non eadem ſemper in eodem honore vocabula apud omnes manent; in quorum defectu ad deriuata & compoſita, & ipſam obſoletæ vocis etymologiam eſt recurrendum, & aliquando aliæ gentes eiuſdem linguæ de vocis notatione interrogandæ. Cùm autem altitudinis varij ſint modi, & variæ ad diuerſas altitudines viæ, placuit vt ea ad hanc noſtram altitudinem deſignandam figura acciperetur, quæ notiſſima eſſet & omnibus domeſtica. Ea autem eſt pars ſcalæ. Fruſtra enim tota ſcala pingitur, vbi ex parte tota cognoſcitur. Habemus itaque pro He partem ſcalæ, perinde atque pro pedo partem pedi ſuperiorem. Ne tamen plebeia eſſet & nimis vulgaris ſcalæ pro He delineatio, ſic eſt à ſermonis noſtri opifice ſcala nominata, vt ſtatim prima fronte vox ipſa ſymbolicam ſignificationem oſtendat. Leer enim, ſi ad originem examinetur, vel ex Le eer fiet, quod eſt id quod humile eſt honoro, vel ex litteræ L poteſtate & eer: quo compoſitionis modo Leer excelſus honor dicetur. Cùm igitur vtraque interpretatio honoris habeat mentionem, & is in ſcalis domeſtico & trito omnibus inſtrumento nullus eſſe cernatur; cogitemus neceſſe eſt, nomenclatorem ad altiora in ſcalæ nomine reſpexiſſe: id verum eſſe ex eo mox perſpicietur, quòd eadem voce Leer ad longè diuerſam ſignificationem vſus ſit; nam Leer in alia notatione tria

He litteræ notatio. He.

Ho. Hooch.

He litteræ figura.

Leer.

ne tria ſignificat; diuerſa illa quidem, ſed quadam tamen naturæ lege coniuncta. Leer enim aliquando idem eſt quod diſco, aliquando idem quod doceo, aliàs idem quod doctrina ſiue diſciplina. Cùm igitur in his vocis ratio clarior ſit quàm in protrito & ſæpius conculcato inſtrumento; inepti ſimus, niſi cogitemus ſymbolica aliqua ratione nomen ad ſcalam veniſſe. Voluit enim prudentiſſimus ſermonis omniumque ſymbolorum architectus perpetuò nos moneri, dum ſcalam adſcenderemus in altum nos tendere, non tam hoc inſtrumento quàm diſciplina; quæ eodem nomine quo ſcala vocata, facillimè in memoriam de ſcalæ commemoratione viuque quotidiano poterat venire. Elegantiſſima ſanè hæc eſt doctrinæ ſcalæque comparatio, eo quòd per ſcalam facilis eſt ad ardua conſcenſus; ita per doctrinam quoque promptus ſit adſcenſus ad altos honores, qui in ſcalæ nomine deſignantur: & quemadmodum in ſcala paullatim per gradus in altum euadimus; ita quoque in doctrina per gradus adſcenſus fieri debet: & quantum graduum in doctrina adſcenderimus, tantundem promouerimus ad honores & dignitatem. Nunc vt moneret, aut potiùs vt præſcriberet quæ docenda diſcendaque eſſent, ſic vocem ad vtrumque ſignificandum fecit, vt honoris ratio in primis habenda eſſe demonſtretur, quaſi diceret, ea ſola docenda & diſcenda quæ ad veros conducunt & ſolidos honores: quæ qualia ſint, ex vocabulo Eer clariſſimè cernes; quod ſic factum eſt, vt ea ſola ad honorem ſpectare definiat, quæ ab Vno & legitimo manant, & hominem ad id quod ratio poſtulat paratum reddunt atque promptum; quorum poſterius ichnæa vocis Eer conuerſio demonſtrat. Vide, quæſo, quàm breui compendio omnes omnium ſcholarum leges comprehenderit; quibus nec video quid addi, nec video quid demi bona ratione poſſit. Laudantur de ſententiarum breuitate Spartani, & non immeritò laudantur, ſed nomenclator noſter tanto ſe illis præſtitit in hoc certaminis genere ſuperiorem, quanto æquius eſt eum ceteris præſtare mortalibus, qui nihil niſi diuino loquitur inſtinctu. Dum enim Leer conſidero, & eius natales ab Eer repeto, diſcoque ex ichnæa conuerſione animũ hominis honoribus præparari & promptũ ad officium ſuum reddi; neſciò quì ad tam illuſtris ſpectaculi, tam latè per omnia officiorum genera patentis inſpectionem contemplationemque pæne ſtupidus obmuteſcam, nec verba ſatis bona ſuppetant, quibus quàm mirabiliter afficiar exponam. Neque enim video quid primum admirer ipſe, vel quid primùm aliis admirandum proponam: hinc cerno humiles per doctrinam honorari; & vnà cerno in doctrina ſola excelſos eſſe honores: hinc animaduerto, eos ſolos honores dici poſſe qui à legitimo profluunt, & ab ipſo Vno deriuantur, nulla habita multitudinis ratione; atque idcirco nobis præcipi, hæc ſola diſcenda docendaque eſſe, quæ ex Vnius & legitimi fonte promanant, reiectis omnibus falſis, vanis, ſuperuacaneis & noxiis cùm omni ætati, tum maximè puerili. Iam cùm reuertor ex Eer per veſtigia retrò ad ipſum Ree, admirabili breuiſſimæ monitionis vtilitate percellor, atque mecum expendo quàm vehementer contra Deum & remp. illi peccent, qui adoleſcentum & iuuenum animos ad diſciplinas & omnem rectam officij rationem honoribus non excitant, ſi id quidem in ipſorum ſit poteſtate; in vniuerſum verò à nemine committi præter magnum ſcelus poſſe, vt cuiuſquam doctrinam debitis honoribus fraudet, quando ex ſpiritus nomenclatoris noſtri magiſtri ſententia ſic ſtatui video, vt excelſi honores doctrinæ præcipuo quodam iure debeantur. Quid dicam nunc ſi Leer in Reel conuertamus, & hoc vocabulum ex notatione voculæ Ree & poteſtate litteræ L interpretemur? An non hic ſtatim cernemus, ipſam doctrinam præparationem eſſe ſublimem & excellentem, aut potiùs apparatus omnis excellentiam? At cuius, & ad quid apparatum? Cuius alterius quàm eius qui docetur? & ad quid aliud hic præparabitur, quàm vt ad vltimum hominis finem conſequendum ſit promptiſſimus? Obruit ſane me huius vocis Leer admirabilitas; & quanto eam profundius intueor & examino, tanto ſeſe maior myſteriorum copia ſuggerit. Inter alia mecum repeto, doctrinam veram ſcalam eſſe, per quam genus humanum ad cæleſte regnum adſcendit: qua qui careat, nulla ſpe conſequendæ nitatur felicitatis. Venit interea in mentem illius ſcalæ per quam Iacob angelos vidit adſcendentes & deſcendentes, cuius ſuperior pars ad cælum pertinebat. Quid multis? Hoc apertè cernimus, non aliam homini ſcalam propoſitam eſſe, qua ad vllum ſublimitatis gradum adſcendat, atque hanc ipſam quam nobis nomenclator oſtendit, dum non alio nomine ſcalam quàm doctrinæ; nec alio nomine

Scala & doctrina conſenſus.

Honoris ratio in iis quæ docenda diſcendaq; ſunt præcipuè habenda.

Eer. Ree.

Leer. Reel.

Doctrina ſcala eſt qua in cælum aſcenditur.

mine doctrinam quàm ſcalæ vocabulo voluit nuncupari. Quamobrem dum He littera *He cuius rei*
per ſcalæ ſimulacrum pingitur, monetur Alphabetarius Canopus omnium eorum quæ *ſymbolum.*
modò diximus, ex Leer intelligi & poſſe & debere; & mutua ipſius He vocis & picturæ
ſymbolicæ concordia ſacroſanctam eſſe apud homines legem, ad altum neminem nec
poſſe nec debere peruenire, niſi per doctrinæ ſcalam ad ſublimitatem enitatur. Scalæ *Doctrinæ pri-*
autem huius primus gradus eſt, diſcrimen rerum, in quibus primum agnoſcimus lu- *mus gradus.*
cem ac tenebras. Hinc Scalæ nomen apud Latinos vſurpatum à Scal noſtro deriuatur, *Scalæ etymõ.*
quod præteritum imperfectum eſt ipſius Scel/quod ſignificat differo. Omnis enim co- *Scal. Scel.*
gnitio à differentia ſumit exordium. Hinc apud Hebræos סלם qua in voce Samech pro
Scin ponitur. Non igitur Leer tantùm, ſed Scala etiam ad doctrinam refertur de vera
vocis notatione; quæ rerum differentias, gradus ad cognitionem eſſe demonſtrat, per
quos nimirum ad ipſum Vnum peruenitur. Et quoniam hoc noſtro adſcenſu Vni con-
glutinari cupimus & firmiſſimè adhærere; voluit vocabulorum architectus, vt Clim *Clim.*
pro Scando poneretur, ceu quis diceret, Ke-lim quod eſt eius qui glutinum deſiderat.
Lim enim glutinum deſignat à Lei-me/quia quod tangit, vnà ſecum trahit. Dum itaque *Lim.*
Clim pro ſcando dicimus, cupimus vt ad altum trahamur, & ipſi alto conglutinemur.
Quod enim ſpiritus in He notat, id Ke in Clim exprimit; eo quòd nihil verè altum ſiue
He dici queat, quod non ad Vnum ſpiret; nec quiſquam verè ſcandat, niſi qui cupit con-
glutinari atque vniri cum illo cui ſemper dicere debemus, Ke lei-me/id eſt, deſidero vt
me tecum ducas: quod quid aliud eſt quàm illud, Trahe me poſt te? Rogemus ergo pa-
trem vt nos per filium ſuum trahat, dum ſcalam doctrinæ adſcendimus. Miranda ſa-
nè huius verbi Clim origo, qua ſimul & duci cupimus & conglutinari. Diſcant modò
Græci vnde Climax dicatur pro ſcala, quod certè hactenus nemo aſſecutus eſt. Hinc &
Clematis & Clymenon & periclymenon nomina ſua duxerunt, quòd nimirum adſcen- *Climacis*
dant. Nec aliunde κλῆμα deriuatur, vt vt in eo ineptiat Etymologici ſcriptor, quo no- *etymon.*
mine ſumma arboris flagella deſignantur, eo quòd iis arbor in altum aſcendat, Climax



certè Clim-mat exprimit, quo adſcẽdendi
commoditas deſignatur. Mirum quàm
omnia ſint conglutinata viſco illo, quo is
qui adſcendere ſe noſtrati lingua dicit,
ſummo bono coniungi deſiderat. Omnia
enim qualia qualia ſint, ſuo quæq. modo
& ſuis quæque gradibus ad ſummum bo-
num contendunt, vt ipſi adhæreſcant &
vniantur. Cùm igitur quatuor ſint rerum *Rerum crea-*
creatarum genera, alia intellectu, alia ſen- *tarum genera*
ſu, alia vita, alia eſſentia tantùm prædita, *quatuor.*
vt Areopagita tradidit; tota vniuerſitas
quatuor his gradibus ad Deum adſcendit,
vt quàm poteſt arctiſſimè conglutinetur.
Super hoc fundamento Raimundus ille,
quem de Sabunda vocant, ſcalam ſuam
ſtabiliuit; per quam ad ſummum religio-
nis apicem aſcẽdit. Nos hanc ſcalam vti-
lem illam quidem eſſe ſcimus, & æquè à
D. Paullo atque à D. Dionyſio laudatam;
verùm alteram quam Iacob vidit, pluris *Scala Iacob.*
facimus; vtpote firmiorem, certiorem &
altiorem, atque eam per quam angeli di-
uino iuſſu ad mortalis humanæ ſalutis
oracula detulerunt, & rurſus vna ſecum
ad patrem cæleſtem animos reducunt.
Hęc tandem ſcala illa eſt quæ meritò Leer
dici poteſt; eo quòd per eam mortales ad
ſummum honorum culmen adſcendant.

Hæc ad ipſum vſque patrem & antiquum dierum pertingit,cui per magnum angelum conciliati ſumus, cui vt amoris glutino vniamur,& nunc & ſemper oremus. Quamobrem doctrina Chriſtiana veteris & noui teſtamenti libris comprehenſa, primùm mereturvt Leer dicatur; & is qui per eam ſurſum enititur ad patrem vniuerſorum ,ad caput ſcalæ à Iacobo viſum , is propriè Climmen/ id eſt adſcendere , vt conglutinatio fiat, cenſebitur.

Vau.

Vau litteræ nomen apud Æoles & vetuſtos Romanos etiã vſitatum.

SEQVITVR Vau litteræ nomen, non apud Hebræos tantùm à Ianigenis relictum, ſed apud Æoles etiam & vetuſtos Romanos; tametſi hi in digamma ſolo & conſonante hanc agnouerint appellationem. Vox hæc vel ſola ſatis luculentam habet rationem, quæ neceſſaria collectione concludat, litterarum nomina nec Hebræa eſſe, nec Chaldæa, nec Syra ; cùm nihil omnino apud has nationes habeat ſignificationis. Scio tamen pluralem huius numerum bis in Exodi capite viceſimo ſexto inueniri , ſed tam vel nullam vel ambiguam apud Hebræos habere interpretationem , vt qui ſaniſſimam videntur dediſſe, clauos comminiſcantur ad litteræ Vau figuram formatos. Meliùs diuus Hieronymus & ceteri , qui ex ſacræ ſcripturæ contextu & veriſimili rerum coniectura columnarum capita verterunt ; licet cur ea ſic Moſes nuncuparit, nihil potuerint ex Hebræorum ſermone rationis adferre. Nobis hæc res clara eſt , quam mox de ſignificatione ipſius Vau omnibus oſtendam . Vau nobis vox eſt in vſu frequentiſſimo , ipſis ferè infantibus ſemper in ore conſueta verſari : quibus natura indidiſſe videtur , vt quicquid poſſunt id complicent & rurſus explicent, ceu in complicando & explicando primarium aliquod vitæ munus cerneretur. Eſt enim Vau quiuis cuiuſuis generis ſinus , ſiue is per angulum re quapiam in ſe redeunte fiat , ſiue per ſpirarum aut circulorum portiones, vel etiam per integrum circulum. Vox ſanè indicat rei quendam in ſe recurſum,ſed eum tamen non ſemper coëuntem,ſed frequenter hiulcum atque diductum. Videtur enim vocabulum in ſe recurrere, & eadem littera hinc principium ſibi facere, hinc finem ; quamuis primo loco conſonans , poſtremo loco reddatur vocalis . Eſt autem ſonus litteræ V eius naturæ, vt rotundum aperiat, & labra quæ in rotundo ſono perficiendo erant ferè coitura, ſinu quodam producto exteriùs recludat , atque idcirco V conſonans & V vocalis vel per A vel per O conglutinatæ, ſinum nobis ſignificant ; cuius in pronuntiando quandam oſtendunt informationem. Huc Terentianus vocandus, vt intelligatur dum dicit, Et ſola ſonum redderet ex ſua figura : quod à nemine hactenus vidi bene vel intellectum vel explicatum . Habet itaque Vau ſiue Vou (vtrumque enim dicimus) ſinum quendam tum in pronuntiatione, tum in figura: atque hinc nomenclatoris noſtri induſtria cernitur, qua pro ſinu hac voce ſuos vti iuſſit. Quid rogo naturæ conuenientius fieri potuit, quàm ſi vox pro ſinu fieret, in qua littera ſinus de ſua natura index bis contineretur , ſemel vt vocalis, ſemel vt conſonans; & ea ſic in ſe rediret , vt tamen circulum non abſolueret , ſed aliquid relinqueret hiulci, quod ſinuum eſt proprium? Plus hic artis video, quàm paucis docere poſſim ; & id ipſum ſic implicatum ſuis ſinubus, vt non cuiuſuis ſit explicare. Satis ſit nos ex Vau in Vau venire, ea quam dixi reditus ſeruata diuerſitate . Quia verò Vau circulum rotundum ipſius O recludit, & exteriùs porrigitur,& quod exteriùs ad eum modum procedit, longè lateque vagandi exitum præbet; placuit nomenclatori, vt hoc elemento in rebus late diducendis vel diſtrahendis vteretur: ita perpetuò fuit diligentiſſimus naturæ imitator. A Vau vel Vou/ Vaut vel Vout in vſu habemus pro quauis concameratione; ceu diceretur ſinus comprehenſio, quæ per Tau denotatur. Hinc Itali Volta Gotiſantes pro eadem re dicunt , V in L & contrà crebrò tranſeunte. Vnde liquet, non ſolùm pro angulari ſinu & compreſſo Vau in vſu vetuſtis fuiſſe , quod indocti quidam noſtrates fortaſſe ſuſpicarentur, ſed pro ſinu etiam circulari & ſpirali; & id quidem de vocis origine magis propriè ; eo quòd rotundi recluſio in hoc magis appareat. Vauwen igitur non ſolùm erit, quod vulgò dicunt, plicare; ſed illud etiam , & quidem magis, quod inuoluere dicunt Latini. Quid? an non Voluo à Vouwe acceptum eſt, V in L mutato,

Vau quid ſignificet. Plicandi procliuitas in infantibus. Vau.

V litteræ natura.

Vaut. Vout.

Vauwen. *Voluo verbi etymon. V apud Cimbros ſæpe tranſit in L.*

mutato, & duplici W in ſimplex? Eſt'ne quicquam euidentius? Nemo enim eſt qui neſciat apud noſtrates ſine notationis diſcrimine **Aut** & **Alt**, **Saut** & **Salt** & ſimilia ſimiliter duobus modis proferri ſolere. Hinc iam lux loco ex Bibliis ante citato infertur, & clarè cernitur, columnas quas Moſes fieri iuſſerat, Ionici generis fuiſſe; quarum capita in volutas vtrimque retorquentur. Nec id mirum, cùm in Ægypto, vbi Moſes inter ceteras diſciplinas Architectonicen quoque didiciſſe videtur, plurimos Iones fabros quæſtum ſequentes veriſimile ſit artem ſuam exercuiſſe; & idcirco Moſen eiuſmodi capita de ſacerdotum nomine, quorum fuerat diſcipulus, **Vauheden** ſiue **Vauhoten** nominaſſe, id eſt, capita in volutas retorta, & eam vocem ad Hebraiſmum accommodaſſe, in ווים, quò meliùs linguæ inflexioni conueniret, immutatam. Sed iam videamus quid Vau in oratione Alphabetica deſignet. Id obſcurum non eſt, ſi ſcias libros plicando & voluendo confici ſolere; & hinc duo mox librorum genera exſtitiſſe. **Veu** itaque librum ſignificat per excellentiæ figuram, qua vox præſtantiſſimo plicatilium rerum generi vindicatur. qua in re Romani priſcos ſuos maiores Ianigenas imitati, volùmen pro libro dixerunt in ſe voluto. Fuit & alia plicandorum librorum ratio, quæ tabulas imitabatur; quæ talis erat, vt libro aperto duæ ſtatim paginæ apparerent, nec tamen à tergo pagina ſcripta eſſet. Pauca enim erant opiſtographa: quod non alia ratio impediuiſſe mihi videtur, quàm chartæ ex papyro tenuitas; quæ non omnis tam vel craſſa vel firma erat, vt commode à tergo ſcribi poſſet. Voluminum certè in charta papyracea & prior & commodior vſus videtur fuiſſe: quæ mihi, ſaluo aliorum iudicio, & ſalua mihi, ſi ſaniora quiſquam è vetuſtis depromat monumentis, palinodia, ſic ſcribi ſolere videntur, vt lineæ iuxta chartæ latitudinem ducerentur, & inde volumina per verſus, non per paginas numerarentur. Codices volumina erant tam ſpiſſa, vt trunci arboris inſtar haberent; qui in libros, & hi rurſus in minora volumina nonnumquam diuidebantur. Id autem ad legendi commoditatem fiebat, vt parte aliqua perlecti volumen deponeretur; & id toties fieret, quot vnius codicis aut libri volumina eſſent. Hoc modo Cæſaris Anticatones grandi viri faſcino Iuuenalis comparauit, dum canit:

Moſes architectus.

Vau in oratione Alphabetica quid deſignet.

Librorum duo genera apud antiquos.

Codices priſcorum.

Iuuenalis locus explicatur.

——Sed omnes
Nouerunt Mauri atque Indi quæ pſaltria penem
Maiorem quàm ſint duo Cæſaris Anticatones.

Potuerunt tamen ipſa quoque volumina in ſelidas & paginas diſtingui, perinde atque longa aliqua planities in multa plethra diuiditur: quod ſi factum vmquam fuit, vt mihi hactenus non liquet, paginæ ſecundum longitudinem quoque ſcribi legique potuerunt. Ex voluminibus librorum habemus vmbilicos; de quibus nihil hactenus ſcriptum vidi quod placeret: quod non vidi, non reprehendo. Relictis igitur aliorum opinionibus, nos vmbilicum in ſolis voluminibus agnoſcimus; & eum eſſe dicimus tenue & exile vel lignum vel oſſiculum, vel teretem virgulam eburnam, cui extrema pars voluminis colla vel alia ratione annectebatur, vt ab ea inuolutio caperet exordium: quo fiebat, vt in libris euoluendis poſtremum finem clauderet. Huic vtrimque rotundum aliquid vmbilici forma exſtitiſſe credo, cui iniectis vtrimque filis, volumen poſſet colligari. Dicebatur autem vmbilicus, quòd totius codicis, & omnium librorum & voluminum eſſet meditullium, & principium omnium inuolucrorum, vti infantis vmbilicus omnium membranarum quibus continetur. Nunc itaque Martialis illud intelligemus, quod ſecundo libro poſuit epigramma:

Vmbilicus in voluminibus quid ſit.

Martialis locus explicatus.

Quid prodeſt mihi tam macer libellus,
Nullo craſſior vt ſit vmbilico.

Hinc illud clarum apud eundem:

Ohe iam ſatis eſt, ohe libelle,
Iam peruenimus vſque ad vmbilicum;
Tu procedere adhuc & ire quæris?

Quò igitur ire quærebat, ſi vmbilicus erat poſtremo voluminis fini annexus? Ad tergum videlicet, vt Oreſtem Iuuenalis imitaretur, de quo cecinit:

Scriptus & in tergo necdum finitus Oreſtes.

Clarum enim eſt, in voluminibus non antè ad tergum progrediendum fuiſſe, quàm ad vmbilicum veniretur: poſt quem ſi quid erat ſcribendum, ad Opiſtographon erat eundum,

dum, quod tamen non omnis charta admittebat. Ceterùm quia incommoda erat voluminum legendorum ratio, tandem libros complicarunt, ita vt ad ſingulas apertiones duæ mox paginæ, nec plures, viderētur; in quarum altera mercatores accepta, in altera expenſa ſcribebant; atque hac ratione totum ſuum codicem abſoluebant: quod hactenus obſeruari videmus. Hinc illud: Fortuna vtramque paginam facit, id eſt, quicquid accipimus, Fortunæ acceptum ferimus: quicquid perdimus, illi item ferimus expenſum: quod neſcio an hactenus ab omnibus bene fuerit intellectum. Vt autem in voluminibus facillimum eſt videre alteram dumtaxat partem litteris accipiendis plerumque ſolere deſtinari; ita non ſimiliter quiuis videbit, qui per duas ſemper paginas progrediendo vna dumtaxat pars libri ſcribatur, altera vacua & inani relicta. Hic animaduertas quî flabella muliercularum complicentur, & quî pueri ex vno papyri folio laternas faciant complicando: quod fit eo modo, vt ſinus alternatim recurrant, & tota interim charta in plurimas paginas diſtincta non ſecetur: ſed is qui ſcribit, primo ſinu recluſo, priùs in ſiniſtra, deinde in dextra pagina ſcribat; ac deinde papyro rurſum in angulum plicata, ad tertiam progrediatur, atque ita deinceps ſemper eandem anticam chartæ partem ſequens, ad vltimam vſque pergat paginam. Quòd ſi tunc cum Martialis libello vlteriùs pergere velit, vertendus liber, & aduerſa parte aperiendus, vbi tot paginas albas inueniet, quot antè litteris occupauit. Vidi librum maximum è charta pergamena factum, qui ad hunc modum erat complicatus, & priùs parte anteriore totus percurrendus, ac deinde hac clauſa altera parte aperiendus; qua paginæ opiſtographæ occurrebant. Nec dubito equidem eos libros quos ad tabularum modum Romani concinnabant, ſic plicatos fuiſſe; & in his ſingulas facies ſingulas paginas feciſſe: quod mihi Plinij locus, neſcio an à quoquam hactenus intellectus, perſuaſit. Hic docet papyrum iunci genus in paluſtribus Ægypti locis aut ſtagnantibus Nili aquis, quarum altitudo duo non excedat cubita, naſci; & triangulo ſcapo ad decem cubitorum altitudinem excreſcere. Habeo ego duos è papyro ſcipiones cum hac trianguli forma non malè congruentes. Ex hoc iunci genere in tenuiſſimas philuras ſciſſo charta ad hunc modum fit: Capitur ſcheda ſiue philura ſiue tænia ea longitudine quam papyri ſcapus dedit: extenditur ſuper tabula, madida turbidis Nili aquis, quæ glutini vim præſtant, atque hæc prima philura ſtamen eſt chartæ. Huic deinde alterius papyraceæ tæniæ ſegmenta imponuntur tranſuerſæ ad angulos rectos; & madidæ glutino ſuo, quod Nilus ſubminiſtrat, comprimuntur, ac mox Sole ſiccantur. Latitudo chartæ optimæ tredecim digitorum ceteris paulatim minor. Scripturam autem parte ea excipiebat, qua ſegmenta, quæ ſubteminis locum habent, ſunt agglutinata, & raro altera parte ſcribebatur. Inuenta eſt poſtea tamen quæ Macrocolla vocabatur, eo quòd poſtrema glutinatio in longum, non in latum porrigebatur. Stamine enim & ſubtemine coniunctis, tertia tænia glutino inducebatur, quo craſſitudo maior firmiórque eſſet. Harum latitudo ad pedem cubitumque proceſſit. Verùm hæc non diu probata eſt Ratio enim, inquit Plinius, deprehendit vitium, vnius ſchedæ reuulſione plures infeſtante paginas. Quid hîc dicat Plinius non facilè quiſquam perſpiciet, niſi eum, quem dixi, plicandi modum cognoſcat. In eo enim ſi ſuprema chartæ tabula recta in longitudinem porrigatur, multas paginas eædem papyri fibræ percurrent: quo fiet, vt ſi aliqua leuis tæniola deſquammetur, atque ea auellatur, multæ paginæ vitium hoc ſint ſenſuræ; & tot quidem, quot in vna papyri longitudine continentur. Ex hoc clarum eſt, ſcribi ſolere in ceteris chartis ea parte qua tranſuerſæ crates erant actæ; nec papyraceam chartam complicatam ſcindi ſolere, vti hodie fieri videmus. Deinde & illud perſpicitur, vitium illud quod in Macrocollis Plinius accuſat, opiſtographis quoque libris accidere potuiſſe, eo quòd poſtica librorum pars recta lamina in longum extenſa non minus conſtaret quàm Macrocolla parte vtraque exteriore. Monuit me quondam huius rei Morlionus, diligentiſſimus antiquitatum & hiſtoriæ naturalis, quoad vixit, explorator; verùm monuit tantùm, vt ſemper ferè excitare malebat, quàm docere, quod tamen hoc loco inſtar erat totius enarrationis. Videmus itaque non in ſolis voluminibus poſticam libri partem, cùm ad vmbilicum ventum eſſet, ſcribi; ſed id quoque in libris ad planitiem complicatis accidere quiuiſſe, ſi neceſſitas ita tuliſſet.

Fortuna quomodo vtramque paginam dicatur facere.

Libros cõplicandi peculiaris modus.

Papyrus cuiuſmodi fuerit, & ex ea quo modo charta fieri conſueuerit.

Macrocolla.

Plinij locus explicatus.

Charta è triis lineis & goſſypio.

Eſt ſanè quod nobis gratulemur, qui infinito meliorem chartam, quàm fuerit papyracea, è

cea, è tritis lineis & goſſypio paramus: quæ tam firma eſt, vt æquè à tergo atq. à fronte litteras poſſit ſuſtinere, & ſingulis foliis binas paginas continere; alteram anticam, alteram poſticam; adeò vt nihil ampliùs vetet, quo minùs ſtatim poſt primam paginam in opiſtographo eius ſcribamus. Quòd ſi Romani noſtrũ in plicando morem & ſcindendi folia in Macrocollis ſecuti fuiſſent, nihil habuiſſent ob quod ex vnius ſchedæ ſiue tæniolæ auulſione de multis paginis timere debuiſſent. Sed de his ſatis. Videmus modò libros ferè duorum generum fuiſſe; & hos quidem circa vnum gracilem vmbilicum inuolutos; illos verò ad eum quem dixi modum complicatos. Cùm igitur & voluo & plico vno 𝔙au noſtrati comprehendatur, non eſt mirum ſi 𝔙au pro libro ponatur: quod quamuis ita ſit, altiùs tamen architecti ſollertia examinanda. Dixi crebrò, rotundum, cuius O notationem habet, æternitatem denotare, & modò ex Terentiano & cuiuſuis bene pronunciantis docui experimento, Vau litteram ſono ſuo rotundum ipſius O ſonum recludere: quod cùm ita eſſe quiſque apud ſe poſſit experiri, neceſſariò ſequitur, Vau nobis & ante chartas, & ante volumina, & ante libros complicatos de pronunciatione ſua habuiſſe ſymboli vim; quo ſignificaretur ab ipſo nobis aperiri æternitatem, & ea reſerari quæ in illius rotundo orbe ab oculis mentis noſtræ occluſa reconditaque antea fuiſſent. Hoc illud eſt quò ſermonis artifex maximè reſpexit, dum Vau pro libro voluit vſurpari; tametſi illa quæ priùs dixi leuiora à ſecundarum numero cauſſarum nõ excluſerit. Non ſunt inferiora leuioraque rerum momenta contemnenda, ſed mens ad primam ſemper eſt ideam dirigenda, eoque cauſſa ipſius Vau ad ſupremum librorum exemplar accommodanda. Liber igitur quem à Spiritu ſancto demitti cupit præceptor ad ſuum Canopum, non eſt chartaceus, non eſt aliquis quem corporis oculis poſſimus intueri. Quis enim in excelſis cælis terrenam materiam compegiſſet? quis vel Nili limo vel polline frumenti illic chartam conglutinaſſet? Quis vel membranas animalibus, vel libros arboribus, vel aliam materiam alij rei ad litteras accipiendas abſtuliſſet? Nec verò hîc de diphthera fabuloſa Iouis pelle cogitandum. Alius profectò, alius liber eſt qui reuera Vau vocatur: & is quidem tanto ſublimior quàm vulgares codices, quantò à diuiniore & petitur & proficiſcitur auctore: & idcirco non citra maximam cauſſam epitheton accepit, quo altus per exochen nuncuparetur. Quis ergo hic liber eſt? Quis? Non alius nempe quàm is quem Spiritus ſanctus mentibus noſtris & inſcribit & offert legendum, quo ex eo vitæ ſempiternæ myſteria diſcamus. Agnoſciſne hîc Spiritus ſancti gratiam, qua nobis ea quæ ad æternam vitam ducunt, reuelat, Vau ſiue volumen vocari, & hoc ipſum eſſe volumen quod ante omnia à Spiritu ſancto ſit petendũ, citra quod omnia alia volumina fruſtra leguntur? *Primùm petite regnum cælorum*, magiſter noſter in Euangelio dixit. Atqui non aliud eſt regnum cælorum, quàm vita ſempiterna. Rogamus igitur iuxtà ac Chriſtus præcepit, dum ante omnia nobis petimus illud altum volumen demitti, quo ſolo æternitatis myſteria recluduntur. Quòd ſi de vetuſtis rerum ſacrarum notis diſcere velis, quibúſnam potiſſimùm de rebus ſublimis hic liber tractet; ſcipionem Canopi inſpice atque diligenter contemplare. In illo enim ea lituo deſignari videbis, quæ nullo modo intelligi poſſunt, niſi eorum certa notitia ex alto libro æternitatis arcana reſerante fuerit accepta. Nullum me volumen, nullus codex tam firmis rationibus ad veram religionẽ impellet, vt vel minimam fidem Chriſto habeam, & vel minimum ſpei in promiſſis eius collocem, vel ex his amore accendar; niſi antè in me iacta fuerint fundamenta ex alto illo volumine, quod nomine ſuo promittit, aperturum ſe nobis ipſam æternitatem. Vide quàm aptus orationis contextus, quo à Spiritu omnium reuelatore petitur, vt demittat ipſum altum volumen, quo arcana æternitatis conſilia ad hominum quidem ſalutem ſpectantia panduntur. Vt demittat 𝔇al dicimus; cuius ratio monet, vt nos omnibus rebus proſperet; deinde ipſum altum volumen quo reſeratur occultus ad vitam ſempiternam introitus, rogatur; vt per hoc ſcilicet mentale Vau nos inſinuemus æternitati. Omnia hic magnifica ſunt, omnia illuſtria, omnia heroica, omnia diuina: & quamuis diuerſa videantur ipſis vocibus denotari, omnia tamen ad vnum ſcopum collimant; & eum quidem ſupremum & ſempiternum. Sed quid multis? Summatim, omnia fidei myſteria hoc libro continentur, & ex eo ſunt petenda; atque idcirco petit præceptor, vt in diſcipuli mentem demittatur hoc ipſum Vau, ſinu ſuo recludens vitam perennem. Cernimus itaque quàm nomen


Rotundum æternitatis teſſera.

Vau cuius rei ſymbolum.

Liber quē ad ſuum Canopum Alphabetarius præceptor à Spiritu ſancto cupit demitti, qualis ſit.

litteræ Vau cum Canopi ſcipione ad vnguem conſentiat, & quàm iuſta eiuſdem ſpiritus amuſſi omnis priſca hæc ſymbolorum ratio dirigatur: de quibus quantumuis multa dixerimus, numquam tamen æquauerimus vel ſexcenteſimam maieſtatis eorum partem. Equidem video hac voce Vau pro eius generis libro nihil vllius humani ingenij ſollertia excogitari potuiſſe artificioſius. Porrò quam huic libro potiorem reperias figuram, quàm eam quæ ſimul & librum duabus paginis recluſum, & vna ſinum ad angulũ reductum demonſtrat: quæ apud Latinos in maiore V integra remanſit. Cedo nũc, an non egregie Vau cum ſignificatione, tum figura ſeſe noſtratem litteram eſſe declarat; cùm nec apud Hebræos, nec apud alios quicquam omnino deſignet, tãtum abeſt vt nomen ad aliquam figuram queant applicare? Iam altera ipſius Vau poteſtas apud alias gentes periit omnes, quæ in noſtris vocabulis frequens occurrit. Ea eſt quam duobus Vau pingimus ad hunc modum, W. de qua quia pòſt iterum agendum, hîc plura nõ addemus: hoc vno nunc contenti futuri, ſi monuerimus. Vau in plurali numero tres diuerſas ipſius, Vau poteſtates & pronunciationes continere; duas ceteris quoque gentibus notas; tertiam ſolis noſtratibus peculiarem. Vauwen enim in principio V habet conſonantem: quam Æoles & Latini priſci Vau dumtaxat nominarunt: in medio V habet vocalem, quæ cum A, vel O, dum Vouwen efferimus, coaleſcit: ſequitur deinde duplex Vau, quod nos aliquando duplex digamma nominamus, quo vetuſtis Grammaticis locutionem noſtram accommodemus. Et videtur alioqui priſca digamma figura è duplici noſtro w originem traxiſſe; maximè ſi in latus eleuetur, & ex V, quo etiam modo pingi ſolet, A fiat, quod magis arrectum F dat Latinorum: quam figuram Æoles, eo quòd duplex gamma alterum alteri impoſitum videretur, digamma nominarunt; veram interim originem prorſus ignorantes. Pronunciatio certè nihil habet cum gamma commune. Vnde probabile redditur, vetuſtiſſimam quoq. Æolum figuram aliunde quàm ipſi ſcirent principium habuiſſe; quod in duplici noſtro Vau ad hunc modum picto V, & deinde ſic erecto vt dextrorſum partes habeat patẽtes clarè videtur. E qua re & illud clarius redditur, antiquiſſimã ipſius Vau figuram eam fuiſſe quam duplex Vau alterum alteri impoſitum demonſtrat, in quo linea ſiniſtra oblique deorſum ducta ſimul minoris & maioris Vau ſiniſtrum latus abſoluit. Atque ad hunc quidem modum prima petitio ſit finita: in qua tamen id minimè negligendum, quòd tota ternario ſit incluſa, vt imaginem ſupremæ referat Trinitatis, cui nullo interiecto proxima ſucceſſit. Dalet igitur ad ſanctum Spiritum refertur; per quem quia Patrem & Filium deſcendere ſcimus, ſollemnis nobis & frequentiſſima cantio eſt, *Veni ſancte Spiritus.* He ad Patrem pertinere qui altiſſimus eſt, nemo dubitabit, qui modò ſciet & hunc antiquum dierum vocari, & in throno tamquam altiſſimum hunc præcipuè dici ſedere, vt in eo Apocalypſeos capite, quod mox aduocabo, videbis. Vau Filij proprium eſſe, qui in omnibus ſacris libris vtramque facit paginam, quique arcani & æterni conſilij ſolus librum potuit aperire, vt clariſſimè quintum Apocalypſeos caput exponit; in quo leoni de tribu Iuda & eidem agno (mirabile dictu) hic canitur hymnus: *Dignus es Domine accipere librum &*

Vau littera figura.



Vauwen.

Digamma priſca figura vnde originẽ traxerit.

aperire

aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram. Hìc modò clariſſimè videas, illud altum volumen vocari, quo myſteria ſalutis vel figuris & ſymbolis velata, vel claris & diſertis verbis expreſſa continentur: & illa quidem priorem faciunt paginam oracula arcana & veteris legis cærimonias complexam; hæc verò alteram paginam complent, quæ ipſius Chriſti iam inter homines agentis doctrinam exponit; quam deinde Apoſtoli & eorum ſucceſſores per totum orbem ſeminarunt. Quamobrem dum altum volumen demitti petimus, non aliud petimus, quàm veræ religionis ſacramenta nobis aperiri; quæ ſola Spiritus ſancti gratia reuelat. Et hac quidem conſideratione habita, volumē quod Chriſtus aperuit à libro naturæ, per Alti adiectionem diſtinguitur. Eſt autem in hac petitione ille perſonarum ordo ſeruatus qui in hac oratione qua dicimus, *Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio.* Conſidera, quæſo, quàm nullus apex ſit otioſus, quàm omnia fecunda ſint myſteriorum, & cùm obſcuriſſima humano ingenio tractentur, quàm omnia ſint tum perſpicua, tum ſacræ ſcripturæ conſentanea. Et hæc quidem poterant ſufficere ad huius litteræ explicatū. Verùm quia Hebræi hac figura pro gemino elemento vtuntur, non videbor mihi officio meo ſatisfeciſſe, niſi oſtendero in hoc noſtro Alphabeto rotundam litteram non deſiderari. Dixi modò perinde noſtratibus eſſe, ſiue **Vau** ſiue **Vou** audiant; nec aliam hac, aliam illa voce offerri notionem. Latini itaque priſci Vau dicebāt, non Vou; eo quòd rotundā litterā à Vau diſtinctam haberent, atq. idcirco nihil opus eſſet, vt vno vocabulo vtramq. litteram denotarent. Verumenimuerò licet communis hic ſit pronunciandæ huius vocis vſus, quem Latini vetuſti agnouerunt; in hoc tamen Alphabeto hieroglyphico Vou potius quàm Vau dici debuiſſet, quò nimirum duarum vocalium affinium poteſtas vna vocula explicaretur. Et certè vetuſti in Italia Cimmerij Vou dixerunt, vti liquet è Voluo Latinorum verbo, quod à **Vou** deriuatur ea quam dixi ratione. Iam & Getæ quo tempore in Italiam penetrarunt, **Vout** pronunciabant, vti clarum ſit è *Volta*, quorum vtrumque à **Vou** deſcendit, in cameræ ſiue fornicis ſignificatione. Quamobrem hoc loco communem conſuetudinem corrigamus, & pro **Vau** **Vou** pronuntiemus, vt vno nomine & rotunditatem clauſam, & rotunditatem apertam denotemus. Certè Antuerpiani æquè O atq. V comprehendemus, æquè volumen rotundum atque librum planum, cum **Vou** ſonabimus. Gemina ergo ſub hoc nomine figura pingenda eſſet, altera rotunda, altera aperta: & illa quidem volumini, hæc verò libro paginas duas oſtendenti reſponſura. Porrò quia **Vou** Filij attributum eſſe dixi, cuius eſt, arcanum Patris conſilium librumque quo illud continetur, aperire; hìc vlterius notes voculæ huius trilitteræ tale eſſe artificium, vt ſi in elementa ſua ſoluatur, Trinitatis myſterium ſit quodam modo repræſentatura. Vt enim infinita Patris poteſtas comprehendi non poteſt, niſi per æternum Filium oſtendatur; ſic V conſonans citra vocalem ſequentem audiri nequit. Hæc itaq. conſonans Patri reſpondebit in hac vocula, O Filium referet, V vocalis ſeſe ipſi vocali connectens, ſic vt in diphthongum coaleſcat, Spiritui ſancto reſpondebit; qui vt æternus amor eſt, eſſentiale Trinitatis glutinum; ita Filij æternam poteſtatem per O expreſſam aperit ac recludit, pro eo ac litteræ V natura poſtulat. Non malè igitur paullo antè dixi, plus in Vou myſteriorū latêre, quàm facile poſſit vel peruideri vel explicari. O verè altū volumē, quo totius Trinitatis arcana comprehenduntur! O inſignem voculā, quæ tanta arte à primo nomenclatore facta eſt, vt hæc nobis arcana depingat, & ſic depingat, vt in orbem redeat à Patre ad Filium & ad Spiritum ſanctum deducens; & rurſus idem deſignans, ſi retrorſum legatur! Quemadmodum igitur alti libri idea nobis per Spiritum ſanctum communicatur, Prophetas & Sibyllas ſalutis myſteria docentem; ita & aſpectabilis liber eſt quem Filius ex occulto ſinu Patris produxit. Is eſt cùm totius rerum naturæ opificium, tum pulcerrimum cælorum ſpectaculum, è quo diſcimus ipſum creatorem. Eleganter itaque pro alto volumine cæli rotunditas pingetur, dum nobis placebit rotundum vocis elementum dare ſpectandum. At ſi Vou apertum velimus oculis ſubiicere, librum cum duabus paginis recluſum oſtendemus. Admirabilis profectò vocula hæc eſt, quæ vna ſyllaba trilittera V conſonantē & V vocalem exprimit; & vnà oſtendit harum litterarum inter ſe cognationem, quæ facit, vt altera in alteram tranſeat in nominum conuerſione;

O & V quomodo poſſint eadem voce comprehendi.

Voluo, is, ere.

O volumine, plano verò libro V ſignificatur.

Trinitatis in Vou myſterium.

O cæli rotunditate, V libro aperto ſignificatur.

V vocalis & V conſonans natura ſocietas.

Vau. ſione; Van enim,quod remotum deſignat, ſi conuertas, ad contrariam notionem exprimendam Nau faciet, vbi quiuis cernit, ex V conſonante fieri vocalem, quæ cum A

Nau. diphthongum conſtituit. Et verò non alia cauſſa eſt, cur V conſonans & V vocalis pro vna littera capiantur, quàm quòd hæc inter eas ſit naturæ ſocietas, vt altera in alteram

V & W cognatio. mutetur. Duplex item Vau cum his hanc habet cognationem, vt in plurium numero & modo infinito ipſum V vocalem conſequatur, ceu appendix, naturæ lege ſeſe ingerens. Ex Vou enim, vt modò ſcripſi, fit Vouwen/ quæ vox aliquando vt verbum, aliquando vt nomen vſurpatur. Nec inter has modò litteras hæc eſt ſocietas & coniunctio, verum etiam inter Vau & F. Nam ex F digáma in Vau tranſitur, & contrà e Vau in F: vnde factum, vt vtrumque digamma nominetur. Ex Lef enim fit Leuen in modo infinito: ex Lof/ Louen; ex Hof/ Houen; & ita in ſimilibus; quod non ſolùm fit in modo infinito & numero plurium, ſed etiam in deriuatione. Nam à Lef fit Leeu, id eſt, à Viuo Leo; propter cordis præſtantiam. Sic Franci à *Neu* fecere *Neuf*: ex Ouo *Oef*. Sed hæc propriè ad Hermathenam ſpectant.

V & F natura coniunctio.

LIBER XI.

Xain.

FINITA modò prima Alphabeticæ orationis petitione, qua præceptor Spiritum ſanctum orauit, vt ad Canopum ſuum altum volumen demittat; mox additur quid primùm in alto volumine ſibi cupiat oſtendi. Neque enim ſatis fuiſſet, ſublime volumen, quod non poteſt non ſpiſſiſſimum eſſe, demiſſum habere; niſi in eo illud caput notaretur quod maximè ſcire refert. Alioquin enim in tam ſpiſſa rerum ſilua, quanta arcanorum Dei codice continetur, velut in maximo labyrintho erraremus, & incertis mæandris modò huc modò illuc duceremur; nec vmquam noſtro ipſorum ductu ad illam partem veniremus, quæ ſola facit ad humanam ſalutem. Quamobrem rogat præceptor, vt quàm citiſſimè infundat ipſum caput ſupremum, id eſt, veram & ſolidam ſupremi capitis cognitionem: quæ rurſus petitio tribus perficitur vocabulis, quo ternarij imagine decorata gratior ſit ei quem rogat ter maximo, atque ita facilius exaudiatur. Profectò exigua hæc Alphabetica oratio, quam prima fronte ieiunam putares, me attonitum reddit, hinc oratorio artificio, hinc diuinitatis arcanis; adeò vt nihil mirum ſit, ſi me vires in tam arduo negotio deficiant, ſi oculi in lucido & flameo ſpectaculo continuò hærentes caligent, & ſi lingua non ſecus ac in ebrio homine ac muſti pleno balbutiat. Sed quò magis nos ſentimus vacillare, tanto citiùs properemus, & tanto ſermonem faciamus ſuccinctiorem, quò priuſquam collapſis viribus laſſi & iacentes ilia dumtaxat ducamus, propoſito nobis munere

Xain vocis ſignificatio, etymon & artificium. defungamur. Ocyùs igitur ad litteram cuius nomen ſic iubet feſtinare, vt vix anhelantes animam trahamus. Xan enim ſiue Xaen, vt alij ſcribunt, idem eſt quod cum ſumma feſtinatione; quaſi dicas vel Vief-an vel Higs-an, & per aphæreſin Xan; quorum

Xan. illud tantam notat feſtinationem, vt ſingultum moueat: hoc ſic accelerat, vt æger anhelitus pectus fatiget. Maxima ergo feſtinatio indicatur dum Xan dicimus, quo non tam Spiritui ſancto, per ſe omnem vincenti celeritatis cogitationem, nedum celeritatem, aliqua feſtinatio præſcribitur; ſed vehemens noſtrum ſtudium oſtenditur, quo ad caput & ſummum bonorum vel anhelamus vel anhelare debemus. Monſtramus itaque hac voce, iam nos totos ad hoc anhelos ferri, vt quamprimùm ad Dei cognitio em adſpiremus: & quia nomenclator intellexit vehementer properanti cùm ad alia, tum maximè ad diuina, omnia impedimenta eſſe abiicienda, voculam hanc ſic

Nar. conſtruxit, vt verſa idem ſit quod cum nuditate. Sic dicimus, Hi loopt nar/ id eſt, cur-

Naet. rit nullis veſtibus indutus. Naet enim nudum, Nar nudè vel in nuditate aduerbij formula

mula dicitur, eodem modo quo Hits & Hiſs aduerbiorum formam ſequuntur. Nemo certè ad feſtinandum aptior, quàm qui nudus eſt; & idcirco qui curſus brauium conſequi volet, abiiciat omnia, & nudus nudum Chriſtum ſequatur. Quid hoc eſt bone Deus! Quò nos Ian tam citò abripuit? Vix carceres egreſſi, ad metam pertigimus: Hæc enim illa eſt nuditas, quam ſermonis noſtri concinnator feſtinanti ad ſummum caput neceſſarium eſſe ichnæa ipſius Ian conuerſione demonſtrat. De hac Chriſtus in Euangelio vitam æternam quærenti ſic dixit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me*. Certiſſimum igitur fuit compendium à primo ſermonis noſtri auctore demonſtratum, dum celeritatem cum nuditate indiſſolubili vinculo copulauit, & in eo ſic cum Chriſto conſenſit, vt facilè cernas vtrumque eiuſdem ſpiritus afflatu hanc ſententiam tuliſſe. Quid ego hîc de vocis artificio, quid de orationis & elegantia & acumine, quid de ſumma proprietate dicam, vbi video vocem ſic vſurpari, vt ad hunc ipſum ſermonem tota eius ratio non quadret modò, ſed ad eum ſolum facta videatur? Quæras ſi placet per totam ætatem, nihil inuenies nec apud Græcos, nec apud Latinos, nec apud Hebræos, quod aut breuiùs aut ſignificantiùs, aut maiore energia, aut aptius propoſito dici queat, aut quod tantam tanta breuitate vitæ doceat perfectionem. Videtur'ne hæc fortuita aut vulgaris, aut, quod quidam auſi ſunt comminiſci, commenticia è cerebro meo nata Alphabeticæ orationis ſtructura? Sunt'ne hæc vel verba hominis temerè garrientis, vel figmenta eius qui id ex verbis elicere conatur, quod in iis non continetur? Num meum inuentum eſt, vt ab anhelando Ian dicatur? vt ea vox deſiderio, quo ad ſummum bonorum ſtudia noſtra feſtinare debent, applicetur? Vt deinde optimum feſtinanti conſilium præſcribat? vt ad ſupremum caput & æternam vitam properanti nuditatem dicat eſſe neceſſariam? vt denique ad vnguem cum Chriſto, qui ipſa veritas eſt, conueniat, & eandem viam ad ſempiternam monſtret felicitatem? O fortunam & caſum minime cæcum, ſi hæc caſui ſunt & fortunæ adſcribenda! Ceterùm ego vereor ne qui id genus nugis & calumniis ſe mihi & veritati præbent infeſtos, totos ſe fortunæ arbitrio commiſerint, atque idcirco alienis etiam prouinciis regnum eius velint ornatum; quo tandem totus mundus caſu & opinionibus, vt quidam iactant, regatur. Sed valeant hi eiuſdemque notæ nugatores: nos ad nudam redeamus feſtinationem, qua ad ipſum omnium caput eſt anhelandum. Hîc mox exiſtet quiſquam qui dicat; Si nobis ad regnum cælorum feſtinantibus omnia ſunt relinquenda, erit'ne mendicandum pòſt, an tamen pereundum? Minimè gentium. Nudus eſt & omnia relinquit, qui animum ab eorum curis liberat; & is omnia ſua vendit & dat pauperibus, qui ſua pauperibus facit communia, & ſuis perinde atque alienis vtitur, nec eorum cura & priuata cuſtodia occupatur: Quî Chriſtus intellexerit conſilium ſuum, non diſputo: id interim pro regula mihi ſumo quod præceptum eſt, proximum nobis vt noſipſi amamus amandum eſſe; atque idcirco nihil eſſe neceſſe, vt omnia mea aliis largitus, ipſemet mendicem; ſed ſatis eſſe, ſi mea, pro eo ac neceſſitas & ratio dictat, & mihi & ceteris faciam communia. Æquè enim magna inopia atque magnæ diuitiæ feſtinanti eſt impedimento: & rectiſſime Salomon Deum rogauit, vt nec diuitias ſibi daret, nec paupertatem. Sed hic locus latior eſt quàm vt hîc ſit percurrendus. Nos eum nudum vocemus qui ab omnibus curis liber eſt, & nuda mente nudum Chriſtum ſequitur; contentus interim corpus victum habere & amictum. Sic Magdalena nuda fuit cùm tota Domini verbis eſſet intenta, licet interim rebus ad vitam neceſſariis copioſè fuerit inſtructa. Animi quæritur nuditas & libertas, quæ rerum corpori neceſſariarum inopia frequentiſſime perditur; tantum abeſt vt ea nobis aut ambienda ſit, aut vltrò accerſenda. Iubet igitur Ian vocabulum, vt anheli ad ſummum bonorum feramur: & quo expeditiùs feramur, iubet nos nudos curſum tenere; nudos, inquam, animo, non corpore; ne quid properantes demoretur. Et hæc quidem ſit ipſius Ian ad nos relati expoſitio. Verùm dum Spiritui ſancto Ian dicimus, cupimus, vt ipſe feſtinantibus nobis adſit, & benigna celeritatis ſuæ aura feſtinationem noſtram promoueat. Qui autem feſtinanti opitulari & ſuccurrere vult, is feſtinanter quoque properet oportet. Eſt Spiritus quidem ſanctus ſemper celerrimus, ſed non ſemper eius celeritas nobis ſecunda ſpirat; quo fit, vt eum oremus, vt nobis

Hits.
Hiſs.
Feſtinanti nuditas propè neceſſaria.

Nudus quis, & pauperibus qui ſua omnia dare cenſetur.

nobis anhelis & ſuſpirantibus quàm citiſſimè ſuccurrat, & ſummi capitis infundat cognitionem, quò ſtudia noſtra omnia adſpirare contendunt. Eo modo Ieſſæus Lyricen dixit: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina:* quam eius cantionem quotidie in orationibus frequenter iteramus. Cernimus itaque quam laudatiſſimis quibuſque ſacrarum precum formulis Alphabetica oratio concordet, quamque nullo pietatis argumento apud optimos quoſque vſitato carere cernatur. Videndum nunc quæ congrua huic litteræ ſit figura. Ea gemina eſſe poteſt; altera de vocis notatione; altera è litteris ſumta è quibus conflatur, propterea quòd Xan non ſit littera vna, ſed duplex; atque ita componi figura queat è duarum, è quibus coaluit, litterarum ſimulacris. Principiò igitur vis eius oſtendatur neceſſe eſt. Dico igitur poteſtate ipſam reſpondere Cap & Samech litteris coniunctis. Apud Hebræos mira eſt confuſio inter Xan, Samech, Scin, & Tſade; & in pronuntiando parua diſtinctio. Neque enim Xan ſemper pro C S vſurparunt, pro eo ac debuiſſent, ſi iuſtam voluiſſent habere litterarum diſtinctionem. Nos partim è vocum Hebraicæ linguæ & aliarum cognatione, partim ex etymologia radicum Hebraicarum deprehendimus, proprium & germanum Xau ſonum eſſe C & S complicatarum. עז Hebræis capram ſignificat; cuius loco Græci αἴξ dicunt: qua in voce clarè cernis Xain in ξ tranſiiſſe. נזק Chaldæis ſignificat nocere. Latini Noxam & Noxiam inde tenuerunt. זקן conſenuit eſt Hebræis, a quo Latini per metatheſim Senex fecerunt. זפת Hebræi picem vocant, quæ Pix Latinis dicitur. vbi præter metatheſim Tau in Hebræo ſuperfluum eſt. זמם & זם pro cogitare dicunt. Nos Axam in ſimili ſignificatione intelligimus. Etymologiæ radicum Hebræis ad nullas vlterius rationes reductarum plurimæ de noſtra lingua rectiſſime petuntur; ſed eas perſequi moleſtum eſſet ac faſtidij plenum, apud aures præſertim his rebus necdum aſſuefactas. Præter enim alias metatheſes & confuſiones hoc etiam Hebræis perpetuum eſt, vt primam radicis vocalem conſonanti primæ radicum poſtponant, quam nos animaduertimus non raro eſſe præponendam, ſummaque iniuria loco ſuo exturbatam fuiſſe. מזל dubiæ ſatis eſt ſignificationis; verùm pro ſidere & ſigno cæleſti poni certum eſt: cuius ratio in Luram apud nos clara eſt, vocabulo quo fauſtum & felix ſignificatur. Punctorum nullam habeo rationem, propterea quòd olim ab Hebræis non ſubſcriberentur; & docere poſſem, ex eorum additione voces frequenter turpiſſime ab origine ſua horum culpa degenerare. Sic vbi litteræ Hebrææ citra puncta Ion expreſſis litteris habent, Maſſoritarum pueri Iauan legunt, vocabulum à nemine Ionum agnoſcendo. Iidem pro Medi nos cogunt legere Madai, quaſi ipſi quàm Medi melius primi parentis Medorum recordarentur. Adde quòd vocum origines hac via obſcurant. Scimus enim vocem Ion ab ei won fieri, quo inſulæ habitator vocatur; & Medi idem notare quod auxilio proſperare & augeri: ſed quid Iauan & Madai ſibi velit nec intelligimus, nec intelligere intereſt, quando illis nominibus nullæ gentes vocantur. Ex his de ceteris facias coniecturam. Brachium Hebræis זרע vocatur: nobis Go-reet id denotat quod bonum eſt & promptum ad porrigendum & extendendum. Tempus זמן nuncupatur, quod è noſtro eſt Nem-ar/ id eſt, in pretio habe & magni æſtima: quod quàm tempori conueniat, tum tandem intelligimus optimè, cùm tantum effluxit vt parum reſtet. זל vilipendo dicunt à noſtro Laet vel Leet/ id eſt, vilipendit vel vituperat; à quo Lex, vt è Merct apud Latinos fit Merx. זבח ſignificat immolare, ſacrificare, à noſtrati dictione Hoogs bchach/ id eſt, altiſſimo placens. זהב aurum vocatur, à noſtro item fonte deriuatum Hoogs-haw/ id eſt, altiſſimum locum tenens. Verùm quid multis vtar exemplis, cùm pauca bonis & æquis; malignis & obſtinatis ſufficiant nulla? Xan itaque C & S, & G & S, & Ch & S complectitur; verùm primaria compoſitionis ratio eſt in C & S. Qua de cauſſa vetuſtiſſimi Græci in ſua littera quæ huic poteſtate reſpondet, Cappa & Sigma coniunxerunt, ad hunc modum ξ, vbi C ſuperiùs, vtpote quod priùs effertur; S inferiùs videtur. An hoc non clarum & luculentum eſt indicium eorum quæ de poteſtate & pronuntiatione huius litteræ dixi? Vnde apud Latinos decuſſis pro hac in vſum venerit, mihi non liquet, niſi quòd veterum vocum quibus litteræ vocantur, ignorantia varias videam inductas eſſe confuſiones, quarum nullæ prorſus inueniuntur cauſſæ. Græcorum maiuſcula figura magnum Sigma complectitur, cui Cappa olim

Xain litteræ figura duplex.

Xain litteræ poteſtas.


Hebræorum in littera Xain abuſus.

Luram.

Punctorū ſubſcriptione voces plurimas apud Hebræos corruptas.

Hebraicæ voces è Cimbricis factæ.

Xain litteræ apud Græcos figura.



olim imponebatur, quod poſt ignorantibus ſcribis quid eſſet, in rectam lineam degenerauit. Sic enim pingenda eſſet Σ, pro qua nunc hanc habemus, qua paſſim Græci vtuntur. Altera picturæ ratio ex vocis Xan notatione ſumi poteſt; quæ cùm anheli pectoris flatum deſignet, nec flatus aliter quàm fumus ex ore & naribus erũpens pingi poſſit, Xan rectiſſimè fumi è tenui principio & rectiore ad progreſſum latiorem & curuum tendentis, ac deinde in latum ſparſi effigiem habebit: ad quam Hebræorum figura non malè quadrat. Noſtra igitur nõ refert, eámne pingas quæ à poteſtate ſumta apud Græcos in vſu mãſit, an hanc poſteriorem, vehementioris anhelitus indicem. vtraq. enim æquè conuenit. Neque erat hæc littera duplex neceſſaria, nec peculiari nomine dignanda, niſi iuſta orationis ſtructura & precandi myſteria fuiſſent explicanda. Nec alia de cauſſa duæ ſequentes propriis & figuris & nominibus fuiſſent inſigniendæ, niſi ſic artificioſus precationis contextus poſtulaſſet. Nam & duplices & adſpiratæ plures fingi potuiſſent, cùm Pe ſuum Phe æquè ac Cap ſuum Chiet videatur flagitare. Sed de his ſatis.

Xain altera figura.

Chiet.

EXPLICATO litteræ nomine quo Spiritus ſanctus oratur vt feſtinet, conſequens eſt & neceſſarium adiicere ac definire, quid illud ſit quò eum tantopere precator cupit properare, quidque tanta animi propenſione Canopo ſuo deſideret. Chiet idem nobis eſt quod funde: quo in verbo imperandi modus per hoc adſpiratum Cap enuntiatur, ad iubendi celeritatem & vehementiam elato ſpiritu meliùs exprimendam, cùm alioqui præſens & præteritum indicantis modi per G ſcribantur & pronuncientur. Verùm hac in re tam exiguum eſt diſcrimen, vt videam Græcos χέω hinc retinuiſſe: quod verbum cum noſtro Chiet congruit. Verùm priuſquam vlteriùs progrediar ad fuſionis naturam explicandam, neceſſarium fuerit hoc loco docere genuinum ipſius litteræ Chiet ſonum; quem iam olim ab ipſa vſque D. Hieronymi ætate corruptum fuiſſe cernimus. Is enim in annotationibus ad Geneſim editis חם ſic effert, vt Ham audiatur; tametſi adſpirationis vim vehementiorem quàm in He deſideret. Nobis nihil dubij eſt quin hæc littera ipſi Chi Græcorum reſpondeat, & non aliter quàm illa ſit pronuntianda. Græci enim litteras ſuas à Phœnicibus acceperunt, atque idcirco qualis apud Græcos pronunciatio remanſit, talem olim apud Syros & Hebræos fuiſſe credamus. Laudo itaque hac parte vulgarem Bibliorum interpretationem, quæ Cham nobis, non Ham tranſtulit. Et certe niſi hoc modo hanc litteram proferamus, fruſtra in elementorum numero recenſebitur; cùm He eiuſdem ſit ſoni. Vanum enim eſt quod dicunt, duplicem hanc eſſe aſpirationem, cùm duplex aſpiratio in principio nullo proferri queat modo, licet totis lateribus & præcordiis ſpires. Eâdem ergo ratione Cham dicemus qua Lamech; tametſi Hebræi quidam iam olim ante D. Hieronymi ætatem germanum ſonum corruperint. Quid dico ante D. Hieronymi ætatem, cùm

Chiet quid ſignificet. Chiet.

Chiet litteræ genuinus ſonus & pronunciatio.

Chiet germanus ſonus iã olim corruptus.

videam mox ab ipſis linguæ Hebraicæ exordiis genuinam huius pronunciationem in plurimis vocibus corruptam fuiſſe? Frequenter enim Chiet pro He poſitum videmus, vti primæ nominum radices declarant. Quis negare queat מלח & ἅλμη ab eadem origine deriuari, vbi Chiet pro He poni Hal vetus noſtrum vocabulum oſtendit. חח item à noſtro Hac deſcendit, quo vncus ſiue fibula denotatur, qua mulieres in veſtitu ſuo deuinciendo vtuntur. Eodem modo חיל pro Her dicunt, vbi Res in Lambda tranſiit balbutientium labdaciſmo, qui in חור etiam admiſſus eſt, vocabulo à noſtrati Loch corrupto, pro cauerna & foramine. Quid multis? Antiqua prorſus eſt Hebraicæ linguæ corruptela, in ipſa ſtatim linguarum confuſione nata. Quemadmodum verò Chiet pro He vſurpant; ita contrà Cap cum adſpiratione efferunt. Samech enim per Cap ſcribunt, cuius voculæ ſonus citra omnem dubitationem Chiet poſtularet, ſi litterarum, pro eo ac fieri oporteret, diſcrimen obſeruare vellemus. Quis eſt noſtratium qui non clarè videat חך, quod D. Hieronymus fauces vertit, à Cac noſtro venire, atq. ita Chiet pro Cap in voculæ principio vſurpari? Nec aliter in חטא quod ſignificat peccare, Chiet pro Cap ſiue Quat poſitum videmus. Nos enim Cat vel Quat-do pro pecco ſiue malum facio, dicimus. In חיה pro viuere, genuinum ſonũ ſeruauit, eo quòd per aphæreſin verbum hoc fiat à noſtrati ichai, id eſt, ego ſpiro. Nam & חי dicunt, vbi Chai clarè auditur. Græci ἀίω ex eadem radice habent. חלה pro ægrotare è noſtro Qualen ſiue Quelen corruptum eſt; vbi Chiet pro Qu ponitur. At חלם euerſa vox à Mo-locht, id eſt, moleſtiam & fatigationem leuo; quod & ſomnus præſtat corpori, & is qui quouis onere leuat, germanum ſonum ſeruat, quem in Chiet etiam audimus: à quo χέω Græci ſeruarunt, pro fundo, de quo nunc agendum. Fundere autem tam vſitate diuinis tribuitur, vt inde Deus nomen Got inuenerit: & indicandi modus Giet ſic dicitur, quaſi Ge-iet diuiſis ſyllabis pronunties, quod eſt do aliquid. Qui igitur imperat, vt maius pondus imperio addat, Chiet dicit, ceu dicat Che-iet, id eſt, da aliquid. Quæ, bone Deus, hîc noſter orator verba ſibi quærit! quàm omnia accommodata ſunt ad petendum, nõ modò cum aliis iungũtur, ſed tum etiam cùm per ſe pronunciantur! Audiuimus paullo antè Dal; nunc alteram petitionem hoc verbo Chiet exponit, quod non minus quàm illud diuinæ beneficentiæ proprium eſt. Verùm vt Dal ad ignem; ita hoc ad aquam videmus pertinere: qua in re rurſus nec opinantibus nobis magnum reſeratur arcanum. Priore ternario formam & actum vitæ expreſſit; ſecundo materiam nobis dedit intelligẽdam; quo ſciremus non minus hanc quàm illam à Deo proficiſci & creari; nec putaremus Chaos Deo eſſe coæternum. Conſidera, quæſo, quanto omnia ordine nectantur. Senarius vnum vitæ ſtatum & perfectionem & pulcritudinem abſolutam exprimens, duobus conflatur ternariis. Horum prior ignem vitæ datorem & omnia interno motu cientem in Dal protulit; & eum quidem primo loco nominauit, vtpote primum Trinitatis ſimulacrum. Alter materiam indicauit ſecundò nominandam; & idcirco ſecundo quoque ſecundi ternarij loco eam in fundendi verbo expreſſit. Miranda profectò cura, & diligenti conſideratione digna. Cùm autem fuſio aquarum ſit, clarum eſt aquarũ ſymbolo materiam intelligi: qua in re & materiæ natura ſpectabili ſigno ob oculos ponitur; & ſimul oſtenditur, Spiritus etiam partes eſſe, vt materiam gubernet æquè atque formam. Moſes idem aliter dixit his verbis: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Aqua optimum eſt materiæ ſimulacrum, eo quòd nec per ſe terminetur, & à calore vitæ datore ſit quàm maximè remota, vtpote ſummo frigori obnoxia; & præterea ſubiecta ſit perpetuæ mutationi à rebus externis adferendæ, quibus rebus materiam egregiè oculis ſubiicit. Atq. illud eſt quod Homerus à maioribus accepit, Oceanum omnium exordium eſſe: nec aliter Thaletis aqua intelligenda: contra quam dum Peripateticus diſputat, nugas agit. Video hîc vaſtũ mihi pelagus aperiri ad naturalis ſcientiæ principia perſequẽda, ſed ea hoc tempore valere ſinam, ne vagam aquarũ, in quas inci di, naturam ſecutus, nimis longè à propoſito mihi negotio aberrem. Satis eſto indicaſſe, non totius modò philoſophię in Alphabeto ſemina cõtineri, ſed totius etiã vniuerſitatis ordinem & numeros addi, quibus cũcta diſponũtur, diſpenſantur & dirigũtur: quod ei liquebit qui primo prioris ternarij loco Dal, ſecundo ſecundi ternarij loco Chiet poſitum non obiter tantũ cernet; ſed diligenter etiã examinabit, Chiet quinto totius ſenarij loco enũtiari, ac deinde quinarij indolẽ expẽdet: quæ prolixè perſequi, nõ eſt propoſitæ nobis breuitatis.


Hebraicæ voces à Cimbricis factæ. Hac. Her. Loch. Cac. Cat. Ichai. Qualen. Quelen. Got. Giet. *Chiet vocis myſteria & artificium.* *Aqua materiæ teſſera.* *Oceanus omnium rerum exordium* *Thaletis aqua.*

Iam

Iam in Chiet ſiue funde largiſſima etiam indicatur copia, qua Deus dona ſua profundit. Sic Ieſaias, 32. cap. ſcribens, *Donec effundatur ſuper nos ſpiritus de excelſo*, fuſionem hanc indicauit; & Deuteronomij altero & triceſimo capite vertendum erat, *Stillet vt pluuia doctrina mea:* Fundere itaq. Deo rectè tribuitur. In principio totam hanc effudit vniuerſitatem, vnde nomen apud nos eſt ſortitus; deinde continuò & perpetuò numquam fundere ceſſauit per Spiritum ſanctum omnibus alimenta neceſſaria & ad conſeruationem & propagationem. Quid iam de iis dicam quæ ad genus humanum à ſeruitute liberandum per Spiritum effudit? Hìc enim iam inde à primis mundi incunabulis vatibus oracula infudit, quibus Chriſtus venturus nuntiaretur; atque adeò hic ipſe virgini ſeminalem vim infudit, qua Verbum carnem aſſumeret. Hic Apoſtolis igneum caritatis flumen effudit, nec hactenus fundere petentibus ceſſat. Sic D. Paullus, *Charitas*, inquit, *diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum.* Quid? an non qui Spiritum ſanctum accipit, efficitur venter effundens flumina aquæ viuentis? iuxta illud, *Qui credit in me, flumina ex ventre eius manant aquæ viuentis.* Quamobrem cum magiſtro noſtro Alphabetario confidenter, petamus, vt nobis ipſum caput infundat. *Fundere in ſacris litteris.*

Verumenimuerò ſi totum orationis artificium his paucis capitibus rerum ampliſſimè per omnia ſapientiæ & religionis latifundia patentis me ſatis rear indicaſſe, næ ego me inſigniter fallam. Nam quod palmarium hìc erat, hactenus omiſſum eſt. Cùm enim præceptor pro Canopo roget Spiritum ſanctum, bene illud quidem à nobis annotatum eſt, effuſionem diuinæ plenitudinis eſſe propriam, & maximè decere, vt ſpiritus largo cornu omnem omnium bonorum copiam profundentis fauorem & gratiam hoc verbo imploremus: verùm nihil hactenus dictum, an diſcipulus idoneus ſit & aptus ad ea quæ petuntur, eo modo quo petuntur, accipienda. Profectò vtrobique decorum obſeruandum; nec id modò videndum, quid is quem rogamus dare poſſit; ſed hoc etiam diligenter animaduertendum, quid ille pro quo rogamus bene recteque & accipere & ferre poſſit. Phaëthon in Poëtarũ fabulis, ad vitam vtilibus præceptis per allegorias inſtruendam confictis, ſibi Solis quadrigas regendas petiuit: qua in re magis quidnam is quem orabat dare, quàm quid ipſe capere poſſet, conſiderauit; & ob eam cauſſam ſuo ipſius voto & ſe perdidit, & ſorores in lacrymas colliqueſcere fecit, & totum mundum in præſens periculum conflagrationis adduxit. Plurima ſunt apud poëtas id genus vota, iis ipſis à quibus concepta ſunt, exitioſa: quæ quia & longiùs à veris priſcorum fabulis degenerarunt, & notiora ſunt in ſcholis, quàm hic commemorari debeant, nos hìc non morabuntur. Satis eſto conſtare, expendi etiam oportere, quid cui petatur, non modò quid à quo petatur. Videamus ergo num effuſioni capiendæ aptus ſit diſcipulus. *Phaëthontis fabula.*

Ain' verò? Aptus'ne ſit cui quippiam infundatur? Atqui nihil aliud quàm poculum eſt, ad hoc maximè comparatum, vt è maximo dolio repleatur. An non diximus Canopum hinc à ſpe diſcendi, hinc à poculo nomen accepiſſe, & præter caput nihil niſi poculum eſſe, quod nos Can nuncupamus? Quid igitur aptius ad id quod effunditur capiendum quàm poculum, ad hunc ipſum vſum ab opifice factum, vt quemuis capere poſſit liquorem? Cedo nunc an quicquam elegantius dici poſſit, an quicquam aptius & congruentius cogitari, quàm ſi Spiritus ſanctus infinitum omnium bonorum oceanum brachio ſuo velut aut vrnam aut vtrem tenens rogetur, vt Canopo nonnihil infundat; non tam puero, quàm poculo auidiſſimè omnem ſuſcepturo liquorem? Diſpeream dum hæc mecum cogito, ſi non principiò obſtupeſcam, ac deinde totus admirabili perfundar voluptate de tam ſuaui totius orationis huius Alphabeticæ harmonia atque concentu. Funde, funde ſancte Spiritus, non puer tantùm eſt tenellus pro quo rogatur, ſed totus poculum eſt, totus liquoribus infundendis inhiat, totus denique Canopus eſt; & hoc ipſo tantùm Canopus, quòd idoneus ſit ad quoſuis liquores & accipiendos & fideliter continendos. Viden' modò quid Chiet ſiue funde cum Canopo habeat cognationis, quàm opportunus duorum inter ſe ſit occurſus, quàm amica & concors natura, quàm aptum duorum coniugium? Reſtat vt videamus quæ maximè figura idonea ſit ad hanc aſſiduam Spiritus ſancti ex alto effuſionem denotandam. Nemo neſcit ab omni ſeculorum memoria clepſydrarum vſum fuiſſe cùm ad alia, tum maximè ad temporum dimenſionem notandam. His ſcimus olim apud Græcos actoribus & reis tempora ad dicendum fuiſſe diſtributa; ad eum modum, vt his ſeſquialterum eius da- *Can.* *Chiet litteræ figura.* *Clepſydrarũ vſus.*



retur quod illis conceſſum fuiſſet. Cùm igitur clepſydrarum fuſio & maximè eſſet in vulgus nota, & ſummam haberet aſſiduitatem eorum quæ ordinato fluxu rectà deorſum feruntur, placuit nomenclatori, vt Chiet per clepſydram notaretur. Neque hac in re illa tantùm reſpexit quæ modò diximus; ſed hoc etiam quod Spiritus ſanctus, haud ſecus ac clepſydra quædam, omnibus rebus vitæ aquas & munerum diuinorum gratiam metiatur atque diſpenſet: & quamuis ipſe Patri & Filio æqualis ſit, dignetur tamen ſe in anguſtiſſimum infimi ordinis homunculorum captum demittere, haud aliter atque aqua in clepſydra è lato ſe ſpatio in minimum foramen coarctat, & per illud in ſubiectum vas magna procliuitate deſcendit. Adde quòd Canopos monitos voluit, vt perpetuò attenti ad clepſydram eſſent, nec vllum tempus ſinerent effluere, cuius non fructum aliquem reliquũ haberent. Quòd ſi Apelli ligneas tantum tabulas corporum imaginibus ornanti tanta fuit temporis cura, vt tolerabile non putaret, ſi qua dies citra lineam tranſiiſſet; quid ei faciendum, qui non ligneam tabellam, ſed ſuum ipſius animum ſuſcepit depingendum; non corporum imaginibus è vario terræ pigmento concinnandis, & totis ad vile lucrum comparatis, ſed viuis virtutum ſimulacris, ad diuinas ideas expreſſis, & ad hoc deſtinatis, vt per ea vitam conſequamur ſempiternam? Iam tantum opus nobis molientibus, vt eo è mortalibus immortales efficiamur; diligenter breuiſſimo ætatis noſtræ tempori inſtandum, eo quòd continuò fluere cernatur, nec vllam omnino certam horam polliceri. Quòd ſi nobis, perinde atque reo vel actori, certa aliqua temporis menſura præfixa eſſet, poſſemus nos tempori accommodare. Verùm nunc neutrum nobis conceſſum eſt, nec certam aliquam finis horam præuidere, nec ſcire quàm mox Deus gratiam ſuam, & Venerem, quæ picturam animi noſtri æterno patri commendet atque probet, ſit daturus & firmaturus. Quamobrem nullum tempus elabi ſinendum, cuius ratio nobis non accurata conſtet, ne nobis ipſi in iis quæ ad vitam æternam ſpectant, defuiſſe iudicemur. Pulſemus itaque aſſiduè & continenter Spiritus ſancti fores, & ex alto pectore ſuſpiremus, vt feſtinet ad nos adiuuandos; ne antè tota vitæ noſtræ aqua effluat, quàm tabulam animi noſtri habeamus paratam.

Temporis quanta ſit habenda ratio.

Plurimi cùm Latini, tum Græci quàm diligens temporis calculus ſubducendus, claris
Tit. ſententiis tradiderunt; ſed nemo noſtrum aſſecutus eſt nomenclatorem, qui Tit quidem à perpetuo progreſſu, & alias eius partes aliis nominibus indigitauit, ſed minimam eius partem illo vocabulo nuncupare voluit, qua ſumma in quaque rerum forma per-
Vr. fectio & excellentia denotatur. Vr enim in quouis genere perfectiſſimum quodque atque præſtantiſſimum deſignat, vt multis locis declaraui. Hinc Saturnus, hinc Mercurius, hinc Soldurius, hinc Vralt/ Vrhan/ Vros, & alia ſuis locis explicata. Quamobrem qui viceſimam quartam diei partem hoc nomine dicendam ſibi exiſtimauit, plurimarum nos rerum vtilium, aut ſaltem alicuius rei maximæ videtur monere voluiſſe, dum in re tam exigua tamque citò elabenti, hac voce, tantæ præſtantiæ indice, vti ſuis imperaret. Non pauca hìc coniectare poſſem, ſed inter cetera hoc mihi proximè videtur ad nomenclatoris mentem accedere; ſi dicamus tempus quidem totum pretioſiſſimum homini habendum eſſe, verùm in eo minimam partem omnem plerumque abſoluere perfectionem.

perfectionem. Vna enim eſt ſola hora quæ hominem perficere poteſt & ſumma felicitate coronare, nempe ea qua mors nos occupat: Quales enim ea nos deprehenderit, tales Deo ſiſtet. Quocirca nobis ſic in tempore verſandum, vt omnem nobis horam ſupremam putemus; & eam ſic diuinis rebus & ad ſalutem pertinentibus impendamus, vt ea nos totos perficiat & abſoluat, & Vr à nobis boro iure dici mereatur. Non procul hæc nomenclatoris ſententia ab Euangelio recedit, quo tantundem accepiſſe traduntur qui ad vnam dumtaxat vltimam diei horam laborarunt, quantum illi qui totum diem operi impenderant, & multis ſudoribus exhauſti & laboribus fatigati. Credamus itaque nobis hanç horam ſemper adeſſe, quæ perfectionis coronidem vitæ noſtrę impoſitura ſit, & idcirco digna quę Vr nominetur. Græci & Latini ab Vr nomen ſuum acceperunt, ſed quia originis ſunt ignari, pulcerrimæ huius ſententiæ faciunt iacturam. Cùm igitur clepſydra horas dinumeret, noluit committere nomenclator, vt eius figura Alphabetum careret. Quamobrem Spiritus ſancti fuſionem clepſydra deſignat, propterea quòd & ceteroqui perpetuæ & aſſiduæ fuſioni conueniret, & ſimul confirmaret feſtinandum eſſe; eo quòd illud temporis momentum fluat, quod fortaſſe ſit vltimum, & idcirco omnia perfecturum; vt per Vr, ſiue horam, quam clepſydra notat, monemur. Elegantiſſimè igitur feſtinationi, quam peti audimus, clepſydra ſuccedit; vt cauſſam feſtinationis oſtendat, & puerum Canopum ſemper moneat, horam fluere, quæ tamen Vr vocetur, vocula ſummam indicante perfectionem; atque ideo oportere ſic operi inſtari, quaſi hæc finis eſſet ac ſuprema meta. Certè nulla hora eſt quæ non alicui ſuprema ſit, & hac ratione quæuis hora Vr nuncupari meretur, eo quòd finis omnia perficiat & abſoluat: quod nimirũ nominis origo pollicetur. Germana igitur ipſius Chet figura eſt Chi Græcorum, clepſydram nobis referens, tam ſuperna quam inferna parte latè patentem, quo fuſio Spiritus ſancti infinita deſignetur, nec vllis omnino finibus incluſa. Spiritus enim Domini qui ferebatur ſuper aquas dum mundus crearetur, quamuis & maximum & pulcerrimum opus effunderet atque animaret; illud tamen, quantum quantum eſt, vix vnius exiguæ guttæ rationem habet, ſi toti Spiritus ſancti Oceano comparetur. Docet enim ſcriptura ſacra, omnes gentes non aliud eſſe quàm ſtillam de ſitula, dum ad infinitam Dei poteſtatem conferũtur. Effuſio igitur Spiritus ſancti rectiſſimè clepſydra pingitur vtrimque aperta, & ad quandam velut infinitatem patente: in cuius medio totus mundus veluti guttula vna in minimo foramine continetur. Hoc ſi Origenes, vir ceteroqui doctiſſimus, confeſſus fuiſſet; multorum maximo ſe impietatis crimine, cuius à quibuſdã & inter alios à Theophilo Alexandrino accuſatur, liberaſſet. Quid enim inſanius dici poteſt, quàm Deum tanta feciſſe omnia, quantus eius eſt captus? quaſi ſcilicet vno ipſius opere tota vis & poteſtas eius fuiſſet exhauſta.

Mortis hora.

Clepſydra S. Spiritus fuſionis ſymbolum.

Chiet littera eiuſdem cum Chi Græco figura.

Origenes impieta[illegible] inſimulatus.

Thet.

HABVIMVS in ſecundo petitionis ternario prius feſtinationem, pòſt fuſionem: nunc tertio loco ipſum caput ſuccedit, integrum ternarium complens, ita vt totius hæc ſit ſententia: Feſtinanter funde ipſum caput. Digniſſimum profectò votum in quo anhelemus, & Spiritum ſanctum properare cupiamus. Orat enim præceptor, vt quamprimùm ante omnia è ſublimi volumine Spiritus ſanctus ipſius ſupremi capitis notitiã infundat, quippe quæ totam abſoluat hominis felicitatem. Qui de moribus & vitæ humanæ inſtitutis commentationes ſuas nobis reliquerunt, & inter alios Ariſtoteles in primis, diligenter ſibi ante omnia elaborandum putarunt, vt quòd homini ſummum eſſet bonorum, cognoſceretur; propterea quòd viderent eo ignorato, nullam certam aut vni alicui homini, aut familiæ, aut ciuitati doctrinam conſtitui poſſe; non magis ſanè quàm bene recteq. arcu vtendi ars citra ſcopum vel diſci poteſt, vel doceri. Quæſitum igitur eſt ab illis vario rationum diſcurſu & prolixis verborum digladiationibus, quánam in re ſummum bonorum collocari oporteret. Hinc cùm apud alios, tum apud Ciceronem magnas hac de re diſſentientium philoſophorum videas contentiones, è quibus omnibus nihil certi ſtatuere poſſis. Proximus omnium inter eos qui via & ratione diſſerunt, Ariſtoteles ad veritatem acceſſiſſe videtur: at ne is quidem

Summũ bo[illegible] philoſophis.

totam hominis felicitatem illis terminis circumſcripſit, vt vel eius ductu ad eam queamus peruenire, vel non multa reſtent non ſatis explicata. Miſſis igitur horum controuerſiis, Ogeniam Alphabeti noſtri doctrinam conſulamus. Hæc non multis nos diſputationum ambagibus demorata, duobus ſtatim verbis rem omnem definit, Spiritum ſanctum his rogans verbis: Giet thet / id eſt, funde ipſum caput. Hic duo confeſtim intelliguntur; prius in capitis cognitione ſummum bonorum verſari: alterum non eſſe in noſtro arbitrio, vt veram capitis notitiam habeamus; ſed eam nobis à Spiritu ſancto ſolo infundi diuinitùs poſſe, ac idcirco nos viribus noſtris non poſſe adſpirare ad felicitatem: è quo efficitur, fruſtra philoſophos ſe fatigaſſe, dum eam humanis viribus acquiri poſſe exiſtimarent. O breuem, ô copioſam, ô dilucidam, ô abſolutam doctrinam! Quis vmquam tam multa tam paucis verbis expreſſit? Dum ipſum primarium ſublimis libri caput nobis cupimus oſtendi, ecce ipſis illis verbis quibus id petimus eſt oſtenſum, & tota ipſius ſententia ſic explanata, vt nihil dubij relinquat. Summum enim excelſi voluminis caput eſt, quo docetur Spiritus ſanctus orandus eſſe, vt nobis ſtatim ante omnia ſupremi capitis cognitionem infundat: quæ quantum nobis bonorum ſit præſtitura, duo litterarum nomina, quæ proximè ſequuntur, explicabunt: quorum doctrinam præuertentes, diximus in hac cognitione ſummum bonorum contineri; & id non noſtris viribus, ſed ſola Spiritus ſancti gratia acquiri. Quando igitur hæc tam breuia ſunt, vt nihil tamen clarius; & tam clara, vt nihil dici breuius poſſit, nihil opus fuerit longo ipſorum explicatu, & ideo mox vocis expoſitionem addamus. Thet compoſitum ex articulo Het & Het / formula noſtrati communi Thet facit, quo ipſum caput notamus. Alibi crebrò monui, & hîc maximè monendum eſt, capiti apud nos varia nomina eſſe; non admodum illa quidem diſſimilia inter ſe, ſed tamen diuerſæ notationis & originis. Inter omnia Het & Hoot primum locum mereri videntur. Het ab He/ quod eſt altum, deriuatur: & vt verbum vſurpatur pro impero, conſuetudine loquendi ipſis infantibus nota; eo quòd altioris ſit imperare, maximè ſi altitudo fiat è Spiritu ad Vnum eleuante, vt He deſignat. Altitudo enim quæ ab alio eſt quàm à Spiritu ſancto, He dici non meretur. Vnde fit, vt nomenclatoris iudicio non alius dignus ſit vt imperet, quàm is qui Spiritus gratia ad Vnum altiùs eſt quàm ceteri mortales euectus. D. Paullus ſubditos alterius poteſtati docens, tradit omnem poteſtatem etiam tyrannicam diuinitùs dari, & idcirco obediendum eſſe; verùm id tantiſper, vt ex aliorum locorum collatione intelligitur, dum Deo non aduerſentur. Nomenclator noſter omnem altitudinem talem eſſe vult, vt à ſpiritu capiat exordium, & ab eo ad Vnum feratur: qua definitione nemo eorum comprehendetur, qui magiſtratum ad quæſtum, non ad Dei honorem, & amicam inter ſe hominum ſocietatem, dirigunt. Videant Principes, videant quotquot alto loco ſunt conſtituti, vt nomine hoc He digni ab eo cenſeantur, cuius nec oculos fallere, nec iudicium corrumpere aut emere poſſunt. Sed væ plurimis, ſi ex fructibus arbores ſint cognoſcendæ. Ab He Het verbum fit, ſolo Tau, cui copulandi vis eſt, adiecto, pro impero; ceu diceretur altitudinem & poteſtatem iis alligare, ad quos alti comparantur: quod nihil aliud eſt, quàm reapſe demonſtrare altitudinis poteſtatem. Hic ſtatim cernimus, nihil iubendum, quod non à ſpiritu proficiſcatur, & ad Vnum rectà tendat: qua re totum cuiuſuis & Regis & magiſtratus officium continetur, aut potiùs tamquam norma quadam, tetragonum ne ſit citra omnem reprehenſionem, iuxta Simonidem, an non, exploratur. Hinc igitur caput in homine Het appellatur; nec alio nomine hactenus vtuntur Britanni: quoniam videlicet eius partes ſint, ceteris membris omnibus imperare. Hinc mox perſpicuum redditur, illud totius rerum vniuerſitatis caput eſſe, quod non ſecus omnes mundi partes gubernat & imperio ſuo moderatur, atque caput hominis corporis ſui clauum tenet. Quamobrem cùm ipſum caput ſiue Thet dicimus citra appendicem, Deum ipſum intelligimus, ſub hac notione qua ipſe caput eſt & imperat, & nos vna cum ceteris rebus creatis omnibus totius mundani corporis partes ei ſubdimur. Quo fit, vt dum caput ipſum nobis infundi cupimus, nihil aliud cupiamus, quàm Dei notitiam, ſub ea conditione, vt eum tamquam imperatorē audiamus, & omnibus eius iuſſis obtemperemus: è quo efficitur, idem hîc peti quod in oratione Dominica ad hunc modum explicatur: *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra.* Alterum vocabulum quo caput nominatur Hoot/ ſignificat id quod ſic ad æternitatem

Thet vocabuli compoſitio & ſignificatum. Het. Het.

Capitis diuerſa nomina Cimbrica. He.

Imperium omne à Deo. Magiſtratus qualis eſſe debeat, & quatenus ei parendum.

Hoot.

tatem ſpirat, vt cum ea deuinciatur; quæ interpretatio de natura litterarum accepta eſt. At ſimpliciter Hoo idem notat quod altum, eo quòd illud propriè altum ſit quod ad æternitatem tendit, quæ menſura eſt Vnius. Hoot igitur & Het eodem tendunt, verùm Het imperium demonſtrat, cuius Hoot non habet expreſſam notionem. Hinc diſcrimen inter Thet & Thoot intelligitur; quæ eiuſdem quidem rei nomina ſunt; ſed eo differunt, quod Thoot caput ſit ſub altitudinis æternæ intelligentia apprehenſum; Thet idem caput ſub imperij notione veniens in mentem. Quamuis igitur orator noſter vtrumuis nomen ſibi iuxtà ſumere poſſet, hìc tamen Thet ſignificantius eſſe iudicauit. Cùm enim rogaret, confeſtim & feſtinanter ipſum caput Canopo ſuo infundi, quo mox ſummi capitis haberet cognitionem, conueniebat vt ſub ea notione quæ plurimum vtilitatis adferret, nominaretur. Ea autem de ſummo capite ſaluberrima homini cogitatio, quæ monet, nos Deo non aliter obedire debere, nec minore facilitate præceptis eius obtemperare, quàm lubenter corporis humani membra capitis ſui imperium ſequuntur. Hæc enim vera eſt philoſophia de moribus, quæ ſola ſatis virium habet ad Remp. bene conſtituendam & adminiſtrandam: & ob eam cauſſam orationi Dominicæ velut gubernaculum naui eſt adiecta. Mirum quanti ſit animum ſuum condocefacere, vt lubens & promptus quicquid Deus obiecerit, & agat & patiatur, & in omnibus cogitet eius corporis ſe membrum eſſe, cuius Deus caput ſit. Quando ergo nulla doctrina præſtantior eſt, quàm ea quæ bene viuendum eſſe demonſtrat, argumento ducto ab ipſius ſummi capitis voluntate; bene Canopo conſultum præceptor voluit, dum hanc primùm ipſi cupit inſtillari; ſatis ſciens eorum ſaporem diutiſſimè & pertinaciſſimè in poculis hærere, quibus primùm fuerint imbuta. Hanc Abraham habuit, dum iuſſus cariſſimum & vnicum filium immolare, eueſtigio citra omnem contradictionem obtemperauit; certò ſciens, ei à quo imperabatur, minimè eſſe repugnandum. Rogans itaque præceptor, vt Thet/ id eſt, ipſum caput cum imperij faſcibus mox ab initio Canopi vaſculo Spiritus ſanctus infundat, hoc orare videtur, vt & eum imbuat Dei cognitione,

Hoo.

Deo ſimiliter parendum vt corporis membra capiti obtemperant.

Abrahã obedientiæ exemplum.



& condocefaciat, non ſolùm quod Dei notitia ſummum bonorum ſit, ſed hoc etiam addat, vt in omnibus rebus Deo citra omnem repugnantiam ceu membrum capiti ſuo obſequatur. Cùm Gimel ſic pingeretur, vt lituus cælum demonſtraret, indicabatur tùm quidem ordinato aſtrorum curſu nos moneri, vt nos Deo haud aliter ac ſidera perpetuò obediremus; at illic vera cauſſa non exprimebatur, quæ in Thet tam clarè cernitur, vt nemo vocem ad originem ducere poſſit, quin neceſſariò in eam incurrat. Habemus nunc quod primariũ ſit alti voluminis caput, & quid eo ſit comprehenſum. Duobus enim verbis, funde caput, ſiue Chiet thet/ ſummum bonorum in ipſius capitis notione conſiſtere docetur; & vnà docetur, capitis cognitionem ſola ſolius Spiritus ſancti gratia haberi, longè aliter atque Philoſophi ſunt opinati. Præterea eo ipſo docetur, Deum nobis vt caput cognoſcendum; & illud quidem iuſtiſſimè omnibus totius vniuerſitatis membris imperans, & idcirco non aliam viam beatæ vitæ inueniri, quàm præceptorum Dei promptam obſeruantiam, per quam certò ad ſummam peruenitur felicitatem. Tempus nunc eſt vt huic voci Thet congruam aſſignemus figuram.

Thet littera figura. guram. Huius facilis eſt inueſtigatio. Quæ enim aptior dari queat, quàm ſi capitis effigies pingatur? Hanc Græci retinuerunt; linea nimirum depicta, quæ capitis ambitum circumſcriberet; & altera in medio addita, ad oculorum & ciliorum indicium. Nec ſanè plures notas vel capitis figura requirebat, vtpote ſatis nota; vel ſcribendi celeritas admiſſura videbatur. Linea autem caput circumſcribens ouatam complectitur figuram, quam caput anticum, vnà cum mento & mandibula inferiore, inſpicientibus oſtendit: quam tamen Græci in minuſculo ſuo Theta æquo faciunt longiorem. Verùm in ſignis hieroglyphicis accurata picturæ dimenſio non vſquequaque obſeruatur, ſatis eſt rudi informatione intelligi quid deſignetur. Quemadmodum ergo Thoot capite ſignificabant, ita & Thet eiuſdem capitis effigie in Alphabeto notarunt.

Ieud.

Post primam petitionem duobus ternariis explicatam, quibus ſenarius & vitæ totius perfectio cōtineretur, viſum eſt oratori noſtro huic tantæ perfectioni epiphonema quoddam adiicere, quo ceu amplificatione quadam latiùs exponeretur & illuſtriùs
Binarius dilatationi & amplificationi maxime conuenit. auguſta capitis maieſtas. Dilatationi autem & amplificationi binarius præ ceteris numeris maxime conuenit, eo quòd nomine ſuo Twe/ vnius polliceatur dilatationem. Cùm igitur ipſum caput & ipſum Vnum pro eodem Deo dicantur; rectè factum, vt id quo capitis expoſitio latior, amplior & illuſtrior redditur, binario contineretur. Subiunxit igitur orator noſter ipſi Thet Ieud Cap/ per appoſitionem loquendi formulam Grammaticis ſic vocatam; quo ſignificauit in capitis cognitione totius voluptatis ſummam
Ieud vocis ſignificatio. comprehendi. Ieud Cap enim idem eſt quod ſummum & altiſſimum voluptatis, lætitiæ & vigoris tectum. Prius ergo Ieud / mox inde Cap explanemus. Ieud vel Ieut dici-
Ieud. Ieut. mus, necnon Ieot ſiue Ieod; verùm noſtrates per Eu potiùs pronuntiant, quo denotant
Ieudich. gaudium & vigorem ætatis. A Ieud fit ieudich adiectiuum, & inde rurſus ſubſtantiuum
Ieucht. Ieot. ieucht pro ieud. Sunt etiam qui Ieot rotundiùs efferunt; vnde ioijt deriuatur, quo ſigni-
Ioijt. ficatur tempus cum voluptate actum. I inſinuandi penetrandique vim habere Her-
I littera vis. mathena docet; ac idcirco blandienti, & ei qui gratum ſe præſtare velit, conuenit. Iam & repentinæ lætitiæ ſignum habet, eo quòd hæc ſeſe grato blandoque modo inſinuet. Ex I & O fit Io vox lætantium; in qua vocalis rotunda perennitatis votum denotat,
Iou. ceu dicatur, lætitia hæc nobis ſit perpetua. Nos Iou dicimus, quod Latini in Iu verterunt, eo quòd hanc litteram veteres haud ſecus pronuntiare conſueuerint, ac ſi *ου* diphthongum Græcorum efferrent: à qua vocula fit Iubilo verbum, à Varrone non intelle-
Quirito verbi etymon. ctum; non magis ſanè quàm Quirito. Docui alibi Quirito à Criten, quod eſt plorare,
Criten. dici, ac ſic à Latinis vſurpari; nec quicquam habere vel cum Curibus vel Quiritibus
Iubilo vnde dictum. commune. Iubilo non magis ruſticorum eſt quàm vrbanorum. Iu-uelen eſt iu frequen-
Iuuelen. tare. Vel enim multum eſt & frequens; quo vt verbo etiam vtimur. Qui ergo Iu iu iu
Vel. ſæpius clamat, is iubilat. Iubilabant igitur propriè milites, Io io io, quod idem eſt, frequenter iterantes. Vide quanti referat primas nouiſſe origines ad vim verborum intel-
Ioi. ligendam. Ab Io nobis vox eſt Ioi; qua dum pro verbo vtimur, ſignificat ea afficere voluptate quæ in complexu Venereo ſentitur: verùm dum Ioi nomen eſt, ſignificat quicquid pretioſi ſiue mulieribus ſiue viris in deliciis eſt, vt ſunt annuli aurei, catenulæ, armillæ, gemmæ, margarita, & id genus cetera ad ſolam voluptatem relata. Alij dicunt Iuwel quaſi deliciarum elegantiam dicas; qua in dictione duplex Vau inſeritur, ea quam
Iupiter & Iouis vnde dicta. antè tradidi ratione. A Iou fit Iouis, & à Iu Iuuater/ & inde Iupiter, ceu voluptatis patrem voces. Iouis geminam poteſt habere interpretationem; alteram vt ſimpliciter dicatur iou-is/ id eſt, voluptas & lætitia eſt: quod nomen ſoli Deo conuenit, qui totus nihil aliud eſt quàm gaudium & voluptas: Vel iou-wis/ quo is dicitur qui gaudij & voluptatis certus eſt: quod rurſus Deo propriè conuenit, eo quòd per eum ſolum certum gaudium contingat; nec alius certus gaudij ſit, quàm ipſemet, vel is quem ſibi firmo & æterno amoris nexu copularit. Quòd ſi tetragrammaton Hebræorum à Iouis deriuatur, minimè fuerit Iehoua pronuntiandum, ſed Ioua: quæ vox quatuor litteris ſcribitur,

& hac

Iuuo, iuuēta, iuuentas & iuuenis, vnde nomenclaturam ſumpſerint.

& hac ratione ab Hebræis non intelligeretur, quod Rabbi Moſes Ægyptius aliàs à nobis citatus indicauit. Verùm de hoc vocabulo Iouis latius in Gallicis meis egi, è quibus quæ hîc deſiderantur, petere licebit. A Iu Latini Iuuo habent; quod proprie lætitia afficere ſignat, tametſi pro auxiliari frequentiùs vſurpetur. Hinc etiam Iuuenta & Iuuentus & Iuuenis. Syri ſemper Iud pronuntiant: & eodem modo Helias Iudæus Germanus, Hebræorum doctiſſimus Grammaticus. Verùm illi, cur ita potiùs proferant quàm aliter, nullam idoneam cauſam habent præter antiquitatis obſeruationem. Quòd ſi ſuum vocabulum Hebræi facere voluiſſent, יַד pro יוד & ſcripſiſſent & pronuntiaſſent: qua in re laudo eorum religionem. Quamuis enim de ſignificatione varia coniectent & comminiſcantur, nec quicquam inueniant præter huius vocis ad יַ alluſionem; noluerunt tamen vetuſtam mutare ſcripturam, licet alij aliud punctum in Vau ſonarent. Iud igitur ſiue Iod notæ nobis eſt & ſignificationis & originis, tametſi nos per diphthongum voculam Ieud vel Ieod efferamus: quod ſi conuertas, Deui vel Deoi habebis, tribus vocalibus in vnum ſonum coaleſcentibus; quod eſt facere mori, prorſæ vocis notationi ex diametro contrarium.

Deui. Deoi.

Campani Brabanti hoc modo pronuntiant, vt medium inter O & V ſonum audias, cui e ſit immixtum. Verùm in hac conuerſione vt prima fronte antitheſis quædam & repugnantia videtur; ita, ſi rectè rem totam expendas, cernes ſummam voluptatem citra mortificationem, vt ſic Deoi vertam, contingere non poſſe.

Mortis & gaudij cognatio.

Summæ corporis voluptati tale quid accidere illæ teſtantur voces, quas vt caſtis auribus nefas eſt audire; ita corporis voluptatem ſectantibus notiores eſſe dolemus, quàm ſanctas veræ & æternæ voluptatis meditationes. Quid? quod reuera mortiferum animo malum eſt corporis voluptas, atque ita mors non tam voluptati eſt oppoſita, quàm eam per veſtigia conſequens. Adde quòd & Phyſicæ rationes adducuntur, quibus ſummum & repentinum gaudium docetur ſæpius mortem adferre, propterea quòd vitales ſpiritus ſubitò & affatim diſſoluat. Huius rei ex hiſtoria quoque citantur exempla; inter quæ notiſſima dedit clades Cannenſis.

Gaudium repentinū mortem quandoque adfert.

Memini ipſe Romæ cuidam nobili matronæ ferè idem accidiſſe, de repentina filij quem mortuum putauerat præſentia. Et quia huius mortis cauſſa vitalis facultatis ſequitur diſſolutionem, ipſum vocabulum Deoi in vſu etiam eſt pro diſſolutione & colliquatione. Verùm in hac ſignificatione Doi ferè pronuntiamus, neglecto e; quod in priore item notatione plerique reiiciunt, Doi pro Deoi dicentes.

Doi.

Sic dum glacies & nix ſoluitur, dicimus, Het doit/ id eſt, fit diſſolutio ſiue colliquatio. Paullatim itaque eò venimus, vt hoc proprium gaudij eſſe dicamus, quòd cor & ſpiritus ſoluat; & ſi nimium ſit & ſubitum, hac ſua ſolutione rectum iter ad mortem aperiat. Magna igitur eſt non antitheſis modò, ſed etiam cognatio inter gaudium & mortem. Socrates dum pedem ſcaberet, agnouit dolorem & voluptatem corporis nexu quodam perpetuo colligari: & idem ſciuit ad ſummam animi voluptatem conſequendam opus eſſe corporis morte; atque idcirco philoſophari non aliud eſſe, quàm diſcere mori.

Dolor & voluptas nexu quodam colligantur.

Chriſtiani vlteriùs adſcendunt, & vera fide tenent, ſummum gaudium nemini mortalium contingere poſſe niſi per mortem; & eam quidem ipſius Chriſti: & rurſus per hanc ad voluptatem iter non patêre, niſi & nos cum Chriſto moriamur, amoris igne colliqueſcentes. Nam ipſe Chriſtus etiam amore ſponſæ ſuæ languit, & tandem mortem ſubiuit, vt eam ab æterna morte liberaret. Sed ſatis eſto hunc campum contemplationis aperuiſſe, & intellexiſſe variam voluptatis & mortis collationem; & in ea etiam quandam neceſſitudinem arctiſſimam inueniri: quam perſequi, breuitatis Alphabeticæ terminos excederet. Satis igitur hæc ſunto tum de vocis Ieud ſiue Ieod ſignificatione, tum de ipſius conuerſione; nec vulgari modo, nec vno examinanda. Nunc ad rem veniamus, videamúſque cur orator noſter hac ſua per Appoſitionem loquendi formula ſummo capiti annectat gaudium & voluptatem. Nempe quòd non alia de cauſſa capitis cognitionem Canopo ſuo infundi cupiat, quàm vt beatiſſimo eius ſpectaculo perfruatur. Cùm enim bonum voluntatis ſit obiectum, neceſſariò ſequitur, tum nos demum fore contentos, cùm voluntas in ſummi boni fruitione acquieſcit.

Summum gaudium quod, & qua ratione contingat.


Neque enim voluntas caput videre vult, vt intellectus tantùm eius inſpectione perficiatur, ſed vt ipſámet ex inſpectione ſummum bonum perſentiſcat & in eo acquieſcat. Cùm enim ipſa ſummi boni appetitio ſit in voluntate, non poſſumus contentam reddere voluntatem, niſi eo fruatur quod appetiuit.

Quemad-

Intellectus & voluntatis in ſummi boni fruitione coniunctio.

Quemadmodum igitur voluntas intellectum ſequitur in mouendo; ita in vltimo quoque fine ad quem tendunt, voluntas intellectu poſterior eſt, & ita finē conſtituit. Intellectus ipſum ſummum caput ſic apprehendit, vt in eius inſpectione cognoſcat ſummam conſiſtere ſui perfectionem: quem voluntas mox ſecuta, eo quòd nihil velit niſi cognitum, ad Dei inſpectionem rapitur tamquam ſummum bonorum. Poſtquam igitur intellectus eius nunc ſpectaculo fuerit potitus, volūtas mox præſenti bono ab intellectu ſub entis notione comprehenſo inhæret & acquieſcit, & in eius fruitione ſummo gaudio repletur. Ineptum verò ſit dicere, voluntatem ſummo bono frui & eo gaudere, vt intellectus contēpletur. Contrà enim res habet. Eo enim intelligere & videre cupimus, vt è ſpectaculo capiamus voluptatem. Quamobrem rectè proceſſit noſter orator, qui priorem fecit ipſius capitis inſpectionem, & ei deinde ſuccedere voluit gaudium & fruitionem. Neq. tamen ob id prorſus male dicit, qui in contemplatione ponit ſummū bonorū, eo quòd idem ſit intellectus & voluntatis obiectū; tametſi ſub diuerſa ratione; illius quidē, vt ens perfectiſſimū; huius verò, vt bonū ſupremū & pleniſſimū. Deinde nō poteſt voluntas ſummo bonorū acquieſcere & frui, niſi intellectus illud videat ſub ratione ſpectaculi, totum intellectus captū perficientis. Nec aliūde melius hac de re iudicetur, quàm ſi quis de ludis ſpectandis cogitet, quos videre ſit iucundiſſimum. In illis enim animaduertimus, ludos quidē videre nos eo vt oblectemur; at non oblectari, vt videamus: nequire tamen iucunditate ea perfrui niſi ſpectētur: atq. ea ratione ſpectaculum beatum dici poſſe, propterea quòd ei voluptas quæſita indiuidua comes hæreat. Huc illud ſpectat quod vates de Chriſto cecinit: *Notas feciſti mihi vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vſque in finem.* Cernis hìc ordinem & omnem vitæ beatæ rationem. Alibi idem de Chriſto: *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Quid non vidit noſter orator, quid non abſolutiſſimè tradidit? Priùs caput videndum poſuit, deinde per appoſitionem iucunditatem & gaudium adiecit, eo quòd nullo medio ipſam

Intellectus & voluntatis idem obiectū.



inſpectionem capitis ſumma voluptas neceſſariò ſequatur: & illud quidem non aliò inſpicere deſideremus, quàm vt inſpiciendo volūtas noſtra ſummo gaudio perfruatur. In eadem opinione illi fuerunt qui Deum ſupremum Iouem vocarunt, non quòd plures deos eſſe exiſtimarent, quamuis id dementia errabundæ crediderit poſteritatis; ſed quòd inter multa eiuſdē Dei nomina illud ſupremū videretur, quod ſupremam ſignificaret felicitatem. Quamuis enim Mercurius excellentiſſimam excellentiſſimæ rei denotaret cōtemplationem, Deo ſoli ſeipſum videnti attribuendā; non videbatur tamen hæc nomenclatura ſuprema & ſumma, eo quòd gaudium & voluptas finis potius extremi rationē habere, quàm ipſa contēplatio, iudicarentur. Verū ſufficiant hęc Alphabeto; in quo capita potius rerū indicāda, quàm omnia ſigillatim per minutias diſquirenda. Reſtat vt Ieud ſuam habeat figuram. Hanc mihi illi nobis depinxiſſe videntur qui amori ſubtiliſſimā dederūt ſagittam, omnia omnium pectora admirabili vi penetrantem atq. vulnerantem. Omnia enim creata occulto ipſius boni deſiderio feriuntur, & percuſſa vehementi ardore flagrant; nec antea conquieſcūt quàm ea, quoad capacia ſunt, potiātur.

Iupiter qua ratione ſupremus Deus appellatus.

Ieud litteræ figura.

Verùm

Verùm ſicut in corpore pulcritudinis inſpectio præcedit amoris iaculum; ita & in hominis mente euenit, in qua ſummi capitis pulcritudo antè animo comprehendatur oportet, quàm vel eius deſiderio feriamur, vel amore inflamemur. Quod enim de honeſto dictum eſt, id hîc multo magis locum ſuum habet; ſi nimirum facies eius oculis cerneretur, mirabilem ſui amorem excitaret. Eſt enim inſpectio cauſſa ob quam voluntas incitetur ac deſideret; quæ non antè conquieſcit, quàm eo cuius amoris radiis accenſa eſt, præſenti perfruatur. Cùm igitur hæc voluptas tota in amoris fruitione ſit conſtituta, quæ maxima eſt volũtatis perfectio, optime amoris iaculo deſignabitur, propterea quòd & eo primùm voluntas feriatur, ac eo ipſo tandem fixa in amore acquieſcat; ita vt ab eodem vulnus fiat, & medicina adferatur. Jeud igitur exigua quadam & tenui ſagitta, ſiue radio, ſiue etiam ſcintilla, quod idem eſt, deſignabimus, quo amoris vim in ſummo bonorum intelligamus. Latiſſimus hîc campus aperitur de amore diſputandi, ſed, vt crebrò dixi, hîc ſatis eſt capita rerum quibus ſapientia comprehenditur, oſtendiſſe. Hebræorum Iod ſcintillam videtur referre; aut fortaſſe è ſagittæ cuſpide ad hanc quam videmus formam degenerauit. Latinorum & Græcorum Iota parui radij ſiue exiguæ ſagittæ formam hactenus ſatis tuetur. Jeud igitur ſiue gaudium, quod omnium pectora velut telum quoddam ineuitabile ferit; non alia forma melius pingetur, quàm vel radio vel ſagitta omnia penetrante: qua vt me amor ille ſupremus, qui Spiritus ſanctus eſt, ſic feriat oro, vt in hac mortali vita perpetuò diuinæ pulcritudinis deſiderio langueam & contabeſcam; & poſt corpus depoſitum, illi populo adſcribar de quo Iſæ filius cecinit: *Beatus populus qui ſcit iubilationem.*

Amoris cauſſa.

Cap.

ORATOR noſter appoſitionis ſuæ formam ſic conſtituit, vt Caput ſiue Thet non voluptatem diceret, ſed voluptatis tectum; quod Jeud Cap vocauit. Expoſito igitur quid Iod ſit, conſequens eſt vt Cap examinemus. Cap vocabulum eſt nobis in vſu frequentiſſimo, quo id nobis denotatur, quod ſupremum rerum ſubtus comprehenſarum tectum eſt. Hinc ſupremam quoque veſtem ſignificat; non quamuis illam quidem, ſed eam præſertim quæ & caput, & totum corpus, & vnà ceteras veſtes tegat & comprehendat: qualis ruſticorum in Hiſpania ſuprema veſtis eſt, à qua noſtris Cappis Hiſpanicis origo. Hinc & monachorum cappæ olim tales erant, vt vna eademque toga caput tegeret, ac cetera omnia non membra modò, ſed & veſtimenta. Plerique nunc pænulam à cucullla capitis habent diuiſam, tanto tenus à vetuſto Cappæ vſu & modo recedentes. Credo Gallorum Bardocucullum non aliud quàm cappam fuiſſe; quam Latini ſic vocarint, quòd Bardi id genus cucullis, quæ non caput modò, ſed totum etiam reliquum corpus tegerent, vterentur. Decorum ſanè eorum amiculum, qui ſæpius veſtem mutare nollent; propterea quòd quæ vna ſibi veſte præſtari poſſe cernerent, ea fruſtra pluribus fieri exiſtimarent. Decebat enim fortium virorum præcones maſculus veſtitus, non ad mollitiem, non ad ornatum; ſed ad cæli iniurias arcendas dumtaxat aptus. Qui Pſeudoberoſos nobis & Pſeudomanethones dederunt, Bardũ neſcio quem Celtarum Regem fingunt; cùm nobis conſtet, hac voce eum denotari, qui res geſtas in lucem profert, vt in Gallicis annotauimus. Lucanus libro, ni fallor, primo ſic eorum fecit mentionem:

Cap vocis ſignificatio.

Cappa monachorum.

Bardocucullus.

Bardus dictus quis ſit.

> *Vos quoque qui fortes animas belloque peremtas*
> *Laudibus in longum vates demittitis æuum,*
> *Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.*

Crediderim itaque hoc hominum genus virtutibus laudandis deditum, veſtitu eo quo nullus ad neceſſarium vſum eſt accommodatior, vti ſolere; atque inde Bardocucullum à Romanis vocari cœpiſſe. At hoc cucullatum pænulæ genus proprie Cap nobis nuncupatur: quia & ſupremum ſit, & omnia tegat. Sic dicimus ſummum templorum & baſilicarum tectum cappam; atque adeò ipſum cælum frequentiſſime Cappam nominamus. Priſcis Cap in vſu fuiſſe pro comprehendo, è Latina voce Capio dictas. Angli hactenus Keep pro continere & comprehendere dicunt. Certè Pac verſa vox e Cap hactenus

Cap. Pac.

hactenus vſitatiſſima nobis eſt pro mercibus colligatis, quas Cap plurimas tegit & comprehendit. Quando igitur ſcimus Cap pro ſummo faſtigio omnia ſubiecta capiente & tegente nobis in vſu eſſe, facile fuerit intellectu quid iod cap deſignet. Quia enim ipſum caput non tantùm eſt vnius, aut duorum, aut plurimorum, aut etiam totius generis humani voluptas; ſed ingens faſtigium & tectum, ſub quo omnes omnium rerum creatarum voluptates continentur; neceſſarium ſibi orator noſter putauit, vt hanc auguſtam amplitudinem bonorum, quæ vno capite comprehenduntur, indicaret. Cùm enim Deus ſummum bonum ſit, non fuit eius iucunditas ſoli generi humano adſtringenda; ſed eo explicando vocabulo, quo deſignaretur, omnia omnium rerum creatarum bona ſub huius bono, & omnes omnium voluptates ſub huius voluptate, ceu ſub excelſiſſimo tecto, contineri, & naturam ſuam conſeruare. Aptiſſime autem ſummi tecti nomine vſus eſt ad voluptatis diuinæ excellentiam, qua omnia excedit gaudia rerum creatarum, denotandam; propterea quòd diuina voluptas non ſolùm ſingulas vel angelorum vel hominum voluptates, ſed omnes omnium ſimul cumulatas ſic excedat, vti ſummum faſtigium ea ſuperat, quæ in pauimento ab aëris iniuria cuſtodit. Nec hoc etiam fuerit contentus Alphabetarius magiſter, ſed vlteriùs adſcendet: ac quia cap ſimpliciter poſitum eſt, de præſtantiſſimo & altiſſimo cap ſe volet intelligi: quod inter aſpectabilia quidem & oculis expoſita cælum eſt ſtellarum. Moneri igitur nos hac locutionis formula cerno, Dei voluptatem ſe ad humanam voluptatem ſimili quodam modo habere, quo cælum ſe habet ad elementa; quæ ab illo quidem diriguntur, ſed diſpari admodum conditione. Neque calor in elementis à Sole productus eiuſdem eſt naturæ cuius calor ſolaris; ſed tanto omnibus modis inferior, quantum perpetuis & æternis caduca cedunt. Et quamuis hac ſimilitudine corporum ſpectabilium via nobis ſtruitur ad diuina intelligenda; tanto tamen diuina voluptas omni & angelica & humana præſtantior, quantum infinitum exiguo puncto maius eſt. Minus enim eſt collationis diuinæ & humanæ voluptatis, quàm totius cæli ad terræ centrum. Caput igitur cælum voluptatis intelligi voluit, dum ipſum iou cap eſſe dixit, & omnem omnium voluptatum cumulum tanto eſſe diuina voluptate inferiorem, quanto terræ aliquod punctum à ſupremo cælo exceditur. Optima ſanè hæc eſt & clariſſima docendi ratio, dum ex iis quæ oculis ſunt, obiecta ad diuinas adſcenditur ideas: in quibus tamen ratio tanto rurſus eſt præſtantior, quanto infinita finitis ſunt excellentiora & diuiniora. Docendi tamen ratio in iis quæ aliquo modo oculis ſunt ſubiecta, meritò ſubſiſtit, modò ad eorum peruenerit ſuprema. Cap ergo cæli faſtigium hìc intelligendum: è quo rurſus mens ad cælum beatorum attollenda; quod reuera iou cap & eſt, & vocari debet, id eſt ſupremum tectum omnis voluptatis. Quamobrem caput ipſum voluptatis cælum eſſe intelligimus, ſub quo infinitis ſpatiis altiore ſua cuique deſtinata ſunt gaudia; quæ caput ipſum tegit, conſeruat, & æterno fomite ſuſtentat. Cùm igitur hæc vera ſit ipſius Cap notio, vulgoque dicamus frequenter, Onder de cap des hemels/ id eſt, ſub cæli cappa: quod Itali à Gotis etiam retinuerũt; non video quid pro Cap melius pingi poſſit, quàm ſi ipſum cælum altera parte apertum, qua ad voluptatem ſit introitus, delineetur. Differet itaque huius

Cap in oratione Alphabetica quid ſignificet.

Cælum caput voluptatis.



Cap litteræ figura.

huius figura à Gimel ſolo lituo, quem hîc non habemus; adeò vt mirum non ſit ſi Cap pro Gimel crebriùs fuerit acceptum. Laudandi ergo hîc Latini, qui germanam figuram hactenus conſeruarunt. Conuenit verò hæc figura maximè, non propter ſignificationem tantùm ipſius Cap, ſed ob nomen etiam quo huius litteræ poteſtas denotatur. Cùm enim Ce ſic pronunciatum vt K, pro eo ac debet, vehemens deſiderium ſignifi- Ce. cet; quid magis congruum, quàm ſi illius pingatur effigies, ad quod omnia mortalium deſideria tendere oportet? Iam nihil congruentius rationi, quàm eas litteras quæ poteſtate ſunt affines, affinibus pingere figuris? Fauſtiſſima ergo coronide prior litterarum vndenarius terminatur, ipſo nempe ſummo omnium gaudiorum cælo; ad quod vt adſpirare poſſimus, Spiritum ſanctum ſemper inuocemus, ac cum noſtro precatore dicamus: Gimel Dal He Vau Zan Chiet Thet Ieud Cap. Breuiſſimo orationis compendio totius ſapientiæ ſummam collegit. Hanc poëtæ è Iouis cerebro natam fabulantur; quo fit, vt vehemens & efficax videatur affectus, quo ipſum caput è quo ſapientia naſcitur, nobis infundi rogamus. Et certè omnis doctrina ad hoc referatur oportet, quo patrem qui caput omnium eſt, imbibamus, vt eum primùm magna feſtinatione in alto volumine quæramus, quo vitam hauriamus & ſalutem, & ſumma perfundamur voluptate. Hauriamus ergo, iuxta Ieſaiæ vaticinium, aquas in gaudio de fontibus ſalutis.

LIBER XII.

Lamet.


ABSOLVIMVS modò priorem orationis partem, quæ nos per ſenarium ad ipſum Caput deduxit, & per appoſitionem locutionis quoddam ornamentum, eam addidit lucis acceſſionem, vt cerneremus caput ſupremum cælum eſſe omnis gaudij & voluptatis. Hactenus autem nulla aperta facta eſt mentio impedimenti quod obſtare poſſet, quo minus & capitis ipſius & gaudiorum, ei perpetuo nexu hærentium, eſſemus capaces; adeò vt hic ſenarius vnà cum ſua appendice conuenire etiam poſſit homini necdum lapſo. At alter ſenarius qui mox ſequitur, oſtendit imbecillitatem noſtram, & confitetur nos culpa noſtra in pecudes degeneraſſe, &, niſi Deus adiuuet, nos brutæ naturæ perpetuò adfigendos eſſe. In hoc igitur ſenario noua eſt Spiritus ſancti inuocatio; & qui antè Gimel vocabatur, nunc Lamet nuncupatur. Conueniebat nouis precibus nouum epitheton, quod videlicet iis quæ rogantur eſſet accommodatum. Eſt autem id prorſus ſtupendum, totum nimirum redemptionis humanæ arcanum comprehendens, & eius exordium Spiritui ſancto ad- *Lamet vocis* ſcribens, vti ei per quem omne ſuum donum Deus ad homines demittit. Exponamus *expoſitio.* igitur vocabulum Lamet. Hîc nobis quid Mal ſit & Lam vocali breui pronunciatum, aperiendum. Al omne notare in Hermathena tradidi; cui ſi Me præponas, quo Cum Al. ſignificatur, idem dixeris ac ſi dicas, cum omni: at ſi litteram vt in Alphabeto eius po- Me. teſtàs exprimitur, Em al habebis, id eſt omnia vocans feceris. Certè vtraque ratio vocis conuenit notationi. Mal enim idem eſt quod ſtultus & vagus, numquam in re qua- Mal. piam conſtans, ſed cum omni occaſione, cum omni re, cum omni perſona ſeſe huc illuc transferens, nihil prorſus ſtabile aut quietum habens, nec vmquam ſecum, ſed ſemper cum alio & alio temerè huc illuc circumactus. Vſurpatur autem vox vt verbum & nomen, vt plurimæ aliæ noſtrates. Huic opponitur Lam vox verſa: quæ illud ſignificat Lam. quod ſe mouere vel non poteſt vel vix poteſt, atque idcirco pro mutilo ferè vſurpatur. Verùm hîc animaduertendum, ipſam verſæ vocis notationem non ſolùm contrariam prima fronte videri, ſed ſi rectè diſcutiantur omnia, nobis ea indicari, ex Mal tandem ad Lam deueniri. Neque enim fieri poſſe, vt qui cum omnibus agitur & ra- Mal. pitur, vt non tandem aliqua ſui parte mutiletur. A Mal breui fit Mal vocali longa,

quod ſignificat molere, propter molæ agitationem continuam: & quia hæc omnia confringit & in minimas partes comminuit, Mal in hac quoque notatione venit in orationem, vt idem ſignificet quod in minimas particulas redigo vel omnino confringo.
Lam. Huic rurſus opponitur vox verſa Lam/ vocali item longa efferenda, quæ denotat defendere & tueri quicquam ne confringatur aut ad nihilum redigatur, aut omnino vllo modo lædatur. Ex hac voce apud Hebræos חָמַל corruptum eſt, per conuerſionem & litteram ſuperfluam adiectam, quod Parcere ferè vertunt; vnde מַחְמָל indulgentia & mollis tractatio. His itaque noſtratibus vocibus ſtupenda myſteria ſignantur, quæ mox explicabo, ſi priùs vnum addidero; à Lam vocabulo per vocalem breuem pronuntiato agnum etiam denotari, propter imbecillitatem & infirmum & mutilum omnium membrorum robur: quæ ratio non tam animalculo tenello conuenit, quàm illi cuius ſymbolum gerit; adeò vt nomenclator ad hoc multo magis, quàm ad pecudis naturam vocem accommodarit; quod & aliàs eum frequenter feciſſe non ſemel oſtendi. Nunc igitur ad rem. *Adami & Chaua in Paradiſo lapſus.* Adam & Chaua primi noſtri parentes libero ſuo arbitrio prædicti in Paradiſo ſunt conſtituti, vt Dei ductum & eius præceptum, quod omnino erat facillimum, ſequerentur, nec cum quoquam alio facerent, quàm cum ſuo creatore, à quo & vitam & poſſeſſionem beatiſſimi iucundiſſimique horti accepiſſent, & integram eius fruendi poteſtatem, vno ſolo fructu excepto, ſed & exiguo & non facilè reperiendo. Cùm igitur in hoc tam felici ſtatu eſſent, ecce draco inuidia accenſus, à qua nomen Ates duxit, inſidias aduerſus eos ſtruit, & aggreſſus mulierem, leui prorſus tentatione perfecit, vt *Stultitia & inconſtantia omnium malorum cauſſa.* illa ſtatim ſecum faceret, neglecto mandato creatoris; quæ mox virum ſecum trahens, fecit vt reuera vterque & Mal eſſet, & meritò poſſet vocari. Cum quo enim mulier non erat factura, ſi tam facili occaſione ſeſe draconi adiunxit? Viden' hic etymologiam ipſius Mal in primo parente expreſſam? Ex hoc igitur primo conſenſu, quo parentes noſtri cum dracone fecerunt, factum eſt, vt & ipſi & tota poſteritas Mal euaſerit, id eſt, ſtulta & inconſtans, & cum omni vento circumagenda, & quamuis mobilitatis arreptura occaſionem. Hinc congruentiſſimè nomenclator ſtatuit, vt Mal vocali longa id notaret quod perpetuo circumactu ac rotatu ab alterius voluntate impreſſo fieri cerneretur. *Molen.* Mal enim idem eſt quod molo Latinorum. Ab hoc Mal fit Molen/ pro eo inſtru*Mola etymo.*mento quo molitur, a in o tranſlato, quo facilior rotatus indicaretur: vnde Latini Molam & Molo retinuerunt. Hinc nunc liquet conſideranti, quòd vt ex Mal breui factum eſt Mal longum; ita ex mobili & ſtulta mulieris inconſtantia prima fructus vetiti in Paradiſo facta ſit comminutio, quæ & ipſa ob hanc ipſam cauſſam Mal vocata eſt, quòd *Mali nomenclatura ratio* ab ipſo Mal breui proceſſerit. Et quia hæc prima fructus intra dentes fractio primum fuit prandium, cuius venenum omnis poſteritas in carne ſua ſenſit, ſtatuit nomenclator, vt ad perpetuam huius comeſſationis memoriam omne conuiuium Mal vocaretur: quo ſemper poſteri recordarentur ſe ex Mal primorum parentum ad hanc miſeriam veniſſe, vt in ſudore vultus ſui pane ſuo veſcerentur. Hinc & Mal longum pro pomo voluit vſurpari, quod illud primum prandium dediſſet: vnde Malum apud Latinos & Græcos. Vt verò eadem vox ad ouem tranſiret, cuius Græci vſum retinuerunt, poſt diluuium factum; cùm carne veſcendi libertas conceſſa, deprehenderet ouem optimum dare & delicatiſſimum conuiuij apparatum. Ex Mal autem breui, Malum, pro prauo manſit apud Latinos, eo quòd Mal breui vocali pronuntiatum omnis mali dederit originem. Exſtat ad hanc vſque ætatem prouerbium, quo nihil vel ipſis pueris aut notius aut vſitatius: quo dum quemquam ſtultum & mobilem ſignificare volumus, dicimus Tis een molen/ id eſt, eſt mola; &, Hi heet bi de molen geweeſt / id eſt, acceſſit ad molam, Item, Hi is beſtouen vanden meel / id eſt, farinæ puluere conſperſus eſt: quibus omnibus & ſimilibus nihil aliud quàm ſtoliditatem & ſtultitiam denotamus, adagij & nominis origine à prima mulieris mobili inconſtantia petita. Conſidera hîc, rogo, quiſquis es, diligenter nominum & rerum conuenientiam, conſidera ſacræ ſcripturæ cum lingua noſtra concordiam, conſidera quanta cura, quanto artificio hæc malorum omnium exordia nomenclator vocibus depinxerit. Nulla profectò vel Protogenis, vel Apellis, vel melioris etiam pictoris tabula eandem rem tam clarè ante oculos ponere potuiſſet, quàm ipſis vocum ſymbolis eſt expreſſa, & certa conſecutione explicata. O quàm dolendum eſſet, ſi nobis hæc vocalis pictura, vti ceteris gentibus olim in linguarum confuſione,

ſuſione, periiſſet? Quamquam porrò pulcerrima hæc omnium humani generis malo-
rum expoſitio meritò eſt admirabilis, longè tamen admirabilior eſt & magis exoſculan-
da illa vocum tabula, qua vindiciæ quibus homo à grauiſſimo ſeruitutis iugo in liber-
tatem aſſertus eſt, ob oculos ponuntur. Dixi Mal breui ſtultam & inconſtantem mobi-
litatem notari, & hanc eſſe principium & originem malorum quibus humanum genus
affligitur. Quando itaque à contrariis morborum remedia ſunt petenda, Spiritus ſancti
gratia nomenclatori ſuggeſſit, vt vocabulo eo agnum vocaret, quod ipſi Mal contrariam *Iam.*
viam tenere cerneretur. Quemadmodum enim mulieris ſtultitia morbi dedit exor-
dium, ita princeps morbi medicina agnus erat futurus. O diuinam benignitatem! ô li-
beralem omnium datorem & reuelatorem Spiritum ſanctum! Quibus ego te mentis
ſuauiis excipiam? quibus te mentis vlnis amplectar? Quis ego ſum cui hæc diuina adyta
recludis? quis ego quem hac ambroſia paſcis, & hoc nectare inebrias? Sentio nunc, ſen-
tio me præ gaudio colliqueſcere, & ſuaui quadam morte corporis vincula diſſolui. Sed
reuertamur, & totam vocalem tabulam diligenter conſideremus, & emiſſitiis oculis
contemplemur. Ex Mal breui & breui parentum ſtultitia, Mal longum eſt ſecutum,
omnes hominis partes ita frangens & rumpens, vt non longa tantùm, ſed perpetua fra-
gilitas & virium corruptela humanum genus affligat. Semper enim nos Draco & cor-
rupta caro tentationibus molit, nec quicquam nobis integrum relinquit. Id mox ſentis
dum periculum facis. Compone te ad orandum, & experire, an tantillum temporis in-
tegri tibi queas ſuffurari, vt integram orationem Dominicam animo tuo percurras. Id
ſi feceris citra omnem carnis & dæmonis incurſionem, non parum feceris. Numquam
enim poſt primum illud breue Mal / longum Mal ceſſauit, quo ſemper molimur; &
molemur tantiſper, dum fractæ carnis & molitæ domicilio immorabimur. Neque
nunc addo labores, curas, ſollicitudines quibus ad victum & amictum & nobis & no-
ſtris comparandum diſtrahimur, & ſemper anxij velut in equuleo torquemur. Priùs
enim illud malum ſatis magnum eſt primæ ſtultitiæ monumentum, licet hoc poſterius
non accederet. Hic igitur præclarus ille fructus eſt, quem nobis parentum prima ſtul- *Agnus quid*
titia produxit. Nunc è diuerſo videamus quid Iam/ id eſt agnus nobis præſtet. Id ſcie- *humano ge-*
mus ſi à Iam breui Iam longum deriuabimus, eadem formula qua ex mal breui ad mal *neri præſite-*
longum ſumus progreſſi. Lam itaque longa vocali pronuntiatum verbum eſt, idem ſi- *rit.* Lam.
gnificans quod diligenter caueo, ne quid aut frangatur aut minima tenus parte læda- Lam.
tur: qua in re propriè ipſius agni partes agnoſcuntur; illius, inquam, quem ille demon-
ſtrauit qui dixit, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Atque hac ipſa de cauſſa
agnus Iam vocatus eſt, id eſt, mutilus & infirmus; quia nimirum talis erat hic agnus in
mundo apparitutus. Totus enim erat vulnerandus & atterendus propter peccata no-
ſtra, vti clarè Iſaias prædixerat, & res ipſa tandem comprobauit. Atque hac ipſa via ca-
uit, vt nobis integra ſanitas daretur, nec vlla parte læderemur. A Iam itaque breui Iam
longum proceſſit, id eſt longa defenſio & tutela, ne vel frangamur vel lædamur. Et hæc
quidem ſatis ſunto ad mirificam vocis Iam / quo defendo ſignificatur, originem oſten-
dendam. Nunc igitur examinemus dictionem compoſitam Iamet. Het caput notare, pau- Het.
lo antè ſatis oſtenſum. Lamet igitur ad verbum defenſionis & omnis tutelæ caput deſi- *Lamet quid*
gnat, ſi vt nomen vocem interpreteris: atque hac ratione Spiritui ſancto tribuitur, quòd *ſignificet.*
is eccleſiæ datus ſit, ceu totius cuſtodiæ & tutelæ caput & princeps. At eadem vox no-
bis orationem ad Spiritum ſanctum offert, qua eum rogemus, vt cuſtodiat caput no-
ſtrum; quia Iam het ſic capere queas, vt idem ſit ac ſi dicatur, Defende caput. Vna enim
hac voce compoſita nomenclator ſacrarum lectionum & notarũ peritis indicauit hanc
precandi formulam: O tu omnis tutelæ & defenſionis princeps, defende caput no- *Lamet quid*
ſtrum, & ſis nobis illud quod tranſpoſitis partibus huius vocis diceretur, het lam / & *in oratione*
compoſita voce helam ſiue hellam / id eſt, galea ſiue fida capitis tutela. Dicitur enim hellam *Alphabetica*
vel hellem pro galea: & hellem quidem à celando & occultando; hellam verò à tuendo *denotet.* Hellam.
& defendendo capite nomen duxit. Franci ex hac voce *heaulme* pro galea dicunt. Nec Hellen.
hîc monendum, in compoſitione Lambda præcedentem litteram in ſuum ſonum per- Heaulme.
trahere, non apud nos modò, ſed etiam apud Latinos, vt dum à Perliceo Pelliceo fieri
videmus. Sic enim ex het lam hellam/ & het lem hellem formatur. Eſt autẽ vtraq. vox in vſu
pro galea, & olim etiam fuit. Nam Itali ab hellem *celada* habent, phraſi dumtaxat reten- *Celada.*

ta, qua **hellem** ſunt interpretati: & Franci ab **hellam** *heaulme* retinuerunt. Sed hæc non admodum, vel ſic vel aliter habere, ad propoſitum noſtrum refert. Nobis enim **lamet** conſiderandum eſt; & eo, quo dixi, modo legendum; vt nimirum compoſito nomine Spiritum ſanctum inuocemus,& mox voce eadem moniti precemur defenſionis caput, Defende caput noſtrum. Quàm ſibi vbique ſimilis eſt orationis noſtræ artifex! quàm ſemper poſteriore diligentia priorem vel æquare vel anteuertere conatur! Semper ſeſe vrget, ſemper ſibi inſtat, quo latam nobis materiam ſuppeditet, in qua ingenij vires ad vtilitatem noſtram exerceamus. Quid elegantius, quàm duabus ſyllabis hanc ſententiam indicare, Defenſionis caput defende caput orantis; & quod diceris, in capite defendendo te eſſe demonſtra? Et licet hæc vox hanc geminam ſui intelligentiam non offerret, ipſa tamen vocis compoſitæ ſignificatio hanc nobis ſuppeditaret orationem: O tu defenſionis caput, quando gratum tibi eſt vt defenſionis caput voceris & reuera caput ſis, omnium capitum ideam & exemplar in te habens; oſtende quæſo hanc defenſionem tuam in capite noſtro, quod tui capitis exemplum eſt & imago, & idcirco in eiuſdem nominis admiſſum communionem. Æquum enim videtur, vt idea & exemplar imaginem ſui defendat & tueatur, quo in ſimilitudine ſpectabili ſublimis eius maieſtas & cognoſcatur & honoretur. Neque mirum eſt, Spiritum ſanctum defenſionis caput vocari; cùm ſolo ſancto omnis vera vita, atque adeò totus mundus contineatur & cuſtodiatur. Fertur enim hic ſuper aquas & omnia creata permeat,vt omnibus vitam conſeruet ac tueatur. Quamobrem meritò **Lamet** vocatur, id eſt, cuſtodiæ & defenſionis caput. His cognitis, reliquum eſt vt pictura inueniatur, qua ſignificatio ipſius **lamet** quàm optimè oculis ſubiiciatur. Cùm omnis hæc tutela, cuius Spiritus ſanctus caput vocatur, ad hominem ſpectet, quærenda eſt quæ primaria ſit hominis, quem videmus, defenſio. Hìc nemo infitias ibit, primæ partis & ſupremæ primariam eſſe defenſionem, & caput totius tutelæ humanæ. Quamobrem cùm caput nobiliſſima & diuiniſſima hominis pars ſit, ea defenſio qua caput defenditur principatum tenebit, & meritò defenſionis humanæ caput dicetur. Hinc neceſſariò efficitur, vt nulla pictura meliùs defenſionis caput exprimi poſſit, quàm ſi illud pingatur munimentum, quo hominis caput defenditur & ab omni noxa cuſtoditur. Cùm enim **lam** omnibus modis abſolutam tutelam denotet, tale erit capitis munimentum delineandum, quod caput quàm optimè cuſtodiat ab omni externo periculo. Primum igitur locum galea videtur ſibi in defenſionis armis vindicare: quam ſententiam militaris quoque confirmat diſciplina,& ipſa adeò demonſtrat natura,quæ manum,licet imbecilliorem,ſi alia deſunt munimenta, capitis periculis obiicit; quo quidam miſellus modò omnes ſuos digitos perdidit, manibus nimirum pro galea vſus. Verumenimuerò licet galea caput à gladio, claua & id genus lædentibus armis tueatur,aduerſus tamen diuinam iram nequit tueri, à qua tamen capiti magis eſt metuendum, quàm ab vllo alio telo. Diſpiciamus ergo quid diuinæ iræ opponi ſolet, ac qua via ab ea ſibi homo defenſionem queat parare & ſecuritatem. Id ſacræ litteræ nobis demonſtrabunt, quibus iram diuinam ſacrificiis placare iubemur: & vt intelligamus hac ratione nos capiti noſtro cauere,


Lamet litteræ figura.



Galea primũ locum habet in defenſionis armis.

præcepit

præcepit Dominus, vt Deum placaturus, manum capiti victimæ imponat; hac videlicet via peccata ſua in hoſtiæ caput transferens, & illud pro ſuo Deo immolans, atq. ita ſuum caput expians tutumque reddens. Verùm quia ſacrificij caput ſacerdos eſt, & is pro populi capitibus orat & ritè ſacra facit, nec aliter iram diuinam effugere poſſumus; certum eſt ſummum defenſionis caput illud eſſe, quo ipſe ſacerdos caput ſuum munit, vt iram diuinam & à ſe & à populo ſuo auertat. Aaron nomina filiorum Iſraël in humeris ſuis portabat, & laminam auream in tiara fronti imminentem, cui inſcriptum erat, Sanctum Deo, ſiue קֹדֶשׁ לַיהוָה, quam iubetur ſemper in fronte gerere, vt Deus propitius ipſi ſit. Videmus ergo in tiara maximum etiam apud Hebræos ſacerdoti munimentum aduerſus diuinam iram fuiſſe, & ſub eo omnes filios Iſraël in humeris ſacerdotis, velut ſub ſummo defenſionis capite, latuiſſe. Potuiſſem igitur huius Hebraicæ tiaræ formam litteræ Lamet accommodare; verùm quia in Ianigenarum & lingua & ritibus verſor, quærendum eſt, quo capitis tegmine ſacerdotes vſi ſint apud vetuſtiſſimos Ianigenas, multis antè ſæculis quàm Moſes legem ſuam aut conderet aut ferret. Gaudio profectò non mediocri perfundor, dum recolo mecum quāta Dei benignitate factū ſit, vt hactenus in Romanorū numiſmatis & ſaxis nō pauca habeamus veræ antiquiſſimorum religionis veſtigia, è quibus non contemnenda veritatis arcana erui poſſint, ſi quis ea ſanè examinare & ad cauſſas reuocare norit. In hoc genere Pontificum & Flaminum pileus eſt, cuius effigies cùm in aliis, tū in Cn. Domitij & Meſſallæ Coruini numis apud Hubertum Goltzium depictis clariſſimè cernitur. Eſt autem apud Guilielmum Choulium nummus argenteus Auguſti cum ancilibus duobus; in quorum medio hoc pilei genus elegantiſſimè pictum eſt cùm tæniolis quibus alligabatur ſub mento, & virga ſupernè erecta. Apud eundem eſt Cæſaris nummus cum pileo eiuſmodi & lituo. Goltzius Iulium habet cum inſcriptione, *Cæſar Augur Pont. Max.* cuius ceruici hic itidem pileus eſt appictus, nec aliunde Pontificis inſigne adiectū. Sunt itidem pulcerrima duo numiſmata Cæſaris cum inſcriptione Pontificis Maximi Cos. & Dict. cuius verſæ facies L. Muſidium longum habent, adiectis cornu copiæ gubernaculo orbe caduceo & pileo Pontificali, eandem cum ceteris habente formam. Eundem in Lepidi numiſmatis tribus diuerſis vna Goltzij pagina demonſtrat. Virgilius religioſiſſimus antiquitatis cultor, in Æneæ clypeo lanigeros apices cōmemorat, ex peculiari nota qua à ceteris pileis differebant, totum tegmen oſtendens, & eo Pontificalem deſcribens dignitatem. Seruius ad eum locum annotauit, Flamines in capite pileum habuiſſe, in quo breuis virga fuerit deſuper lanæ aliquid habens: quod cùm per æſtus ferre non poſſent, filo tantùm capita religare cœpiſſe, eo quòd nudis capitibus incedere nefas eſſet; vnde à filo Flamines, quaſi Filamines dictos fuiſſe: verùm feſtis diebus pileis depoſitis pilea eos accipere neceſſe habuiſſe, & fuiſſe qui dicerent hæc ad ſacerdotij eminentiam oſtendendam fuiſſe inuenta. Operæ pretium eſt hîc Feſtum audire de Tutulo ſcribentem; quem dicit ornamentum eſſe capitis Flaminicarum, vittam nimirum purpuream innexam crinibus & in altitudinem erectam, qua Flaminica à ceteris mulieribus decerneretur: viros item in ſacris tutulis vſos



Tiara aduerſus diuinam iram ſacerdoti munimentum.

Pontificum Romanorum tiara.

Tutulus, Flaminicus pileus.

vſos fuiſſe, qui inde Tutulati vocarentur. Varro item de lingua Latina libro ſexto ſcriptum reliquit: Tutulati dicti qui in ſacris in capite habere ſolent, vt metam. Id tutulus appellatur, ab eo quod matresfamiliâs crines conuolutos ad verticem capitis, quos habent vti velatos, dicunt tutulos; ſiue ab eo quòd tuendi cauſſa capilli fiebant; ſiue ab eo quod altiſſimum in vrbe quod eſt, ea res tutiſſima tutulus vocatur. Hîc Calepinus legit, altiſſimum in vrbe quod eſt arx, ea res tutiſſima tutulus vocatur. Ex his colligo coniectura quadam, neſcio quali, alij iudicanda, mihi certè valde probabili; Flaminicum pileum apud priſcos Ianigenas Tutulum fuiſſe vocatum: idque adeò inde maximè ſuſpicor, quòd cum non videam alio nomine fuiſſe nuncupatum; nec veriſimile videri, Flaminicæ ornamento quo caput peculiari modo velabat, proprium nomen fuiſſe; Flaminis verò pileo non fuiſſe, cùm contrà huius potiùs inſigne quàm illius nominis honorem mereretur. Iam quid ſibi vult, viros in ſacris metis capita velaſſe, & eas tutulorum nomine cognitas fuiſſe; Flaminum verò & Pontificum metas omni nomenclatura caruiſſe? Atqui pileum Pontificum veluti metam quandam fuiſſe, omnia vetuſta numiſmata teſtantur. Quid ni igitur æquè Flaminum metæ, atque metæ aliorum qui ſacris operabantur, Tutuli vocati fuiſſent? Video ſanè hîc Romanos magna veterum ſuorum rituum ignorantia & obliuione laboraſſe, & peſſimè eum conſuluiſſe poſteritati, qui Numæ libros exurendos eſſe perſuaſit. Quòd autem Varro velut in tenebris palpet, dum originem vocis Tutulus quærit, mirum non eſt, cùm vox ea vna ſit de priſcis Cimmeriis apud Latinos ab antiquo relictis. Videamus itaque vnde Tutuli nomen dicatur. Nemo eſt noſtratium qui non intelligat, capillos in faſtidium collectos Thuiten vocari. Dicitur autem Thuit, quaſi het he huit, quod idem eſt ac ſi dicas, id quod altum ſiue caput cuſtodit. Nec mirum eſt, aſpirationem neglectam eſſe, quam noſtrates quoque non raro in compoſitione reiiciunt, ne nimium ſpirare cogantur. Iam ex Thuit & Hul componitur Thuithul, & abiectis adſpirationibus Tuitul, quo ornamentū capillorum in altum ſuper capite ad cuſtodiam eius collectorum denotatur. Eſt enim Hul capitis tegmen, nunc in mulieribus ſolis vſurpatum vocabulū, quod ex hui-el componitur, quo excelſa tutela denotatur, vel cuſtodiæ tutelæque eminentia. Eſt Hul vt verbum quoque vſurpatum, pro eo quod eſt quemquam regionis cuiuſpiam vel opidi vel arcis dominio inaugurari, quaſi dicas eum ad cuſtodiam & tutelam attolli & ſublimari. Ex hac ita vulgata apud nos hactenus loquendi conſuetudine quiuis intelligit, ornamentum illud capitis quo iuriſdicundi & loci cuiuſpiam tuendi poteſtas cuipiam cōferri denotabatur, Hul fuiſſe nuncupatum. Quale autem illud fuerit, ex illis altiſſimis metis colligas quibus mulieres ante centū annos, & vlterius ante omnem memoriam vſas fuiſſe picturæ & tapeta demonſtrant; quibus & hactenus fortaſſe vterētur, niſi concionatores, animaduertentes hoc ornamento capitis mulieres maximè ſuperbire, in metas has acriter inuehi & ſtomachari cœpiſſent, & hæc dæmonum eſſe ſacella in capitibus extructa continuò è ſuggeſto clamitare. Credo autem eo magis pileos quibus principes dominio alicui initiari ſolent, eiuſmodi fuiſſe, propterea quòd dominio initiari res ſacra ſit, & in primis ſacris habenda; & idcirco ritu ſacro & cum ſacrificio ab omni æuo peracta. Quamobrem cùm in ſacris Tutulis antiquiſſimi Ianigenæ vſi ſint, Varrone & Feſto auctoribus, videamusque in linguæ noſtræ conſuetudine manſiſſe, vt idem Hul ſignificet quod Principem conſecro ſiue inauguror, non malam coniecturam mihi facere videor, dum principes quoque dico eiuſmodi pileum tum accepiſſe, cùm acciperent ſollemni ritu ius principatus. Nec diuerſæ formæ Perſarum regum Cidaris videtur fuiſſe, quam à ſacerdotibus quoque non iniuria ſumſiſſe videantur. Hodiernam Turcorum barbariem, qua Cyrbaſiis huius generis in metam ſublatis ſanguinarios cuiuſdam claſſis milites ornant, nihili facimus, vti nulla probabili ratione nixam. Videamus ergo huius tam vetuſti ritus cauſſam, atque ei nominis vetuſti originem conferamus, quo perſpicuum fiat, an altera in alteram quadret. Sacra ad primæ cauſſæ honorem pertinere, vt ab ea res hominum conſeruentur, dictio ſac-ter clarè demonſtrat; quam ſi Latinus in ſuam linguam verteret, ad verbum Cauſſæ honorem vocaret. Attentum autem eum eſſe debere qui ſacris operatur, licet eius maieſtas quem honoramus, non ſatis oſtenderet ac poſtularet, celeuma tamen illud quod accini ſolet, Hoc age, quemuis doceret. Nos in Alauda ſatis oſtendimus, in Deo & orando & laudando mentem

Tutuli etymon.

Thuiten.

Hul.

Cidaris Perſarum regum.

Cyrbaſii Turcorum.

Sacer, ſacra, ſacrum.

mentem noſtram, omnibus terrenis relictis, ſurſum ad ipſum Vnum rectà contendere debere, atque in eo antiquiſſimum & ſummum vitæ opus conſiſtere & abſolui; & huius quidem in leeuwerc eſſe documentum, quo nomine Alauda vocatur: il ius verò teſſeram eſſe metam in Alaudæ capite erectam. Cùm igitur in ſacris excellentiſſimus vitæ actus ſit, & is per pyramidem denotetur rectà ad ipſum ſupremum Vnum tendere; quid, rogo, eorum capitibus qui ſacris operantur, imponi melius poſſit, quàm pyramidis ſimulacrum? Pluribus hæc mihi eſſent explicanda, niſi in Alef, Alauda, & Bet cumulatè omnia annotaſſem quæ ad huius rei intelligentiam & priſcam obſeruationem ſpectare viderentur. Non eſt igitur hoc loco odioſè repetendum quid meta in Alaudæ capite deſignet, & quàm rectè in eam nomen leſwerc ſiue leeuwerc quadret. At hoc tantummodo concludendum, admirando conſenſu Tutulos cum Alaudarum tymbis conuenire, atque idcirco nihil aptius cogitari potuiſſe, quàm ſi pilea in metam tendentia in ſacris vſurpata fuiſſent ad ea omnia deſignanda quæ per pyramidem & alaudam, pyramide caput ſuum munientem, denotari tradidi. Cùm igitur hæc ignea mentis ad Vnum eleuatio præſtantiſſimum & ſupremum ſit munimentum, non ipſius modò capitis noſtri, ſed eorum etiam quæ natura ad capitis noſtri defenſionem parauit, quæ tuiten vocantur, pileus hic in metam erectus optimè tuit hul/ ſiue Tutulus more Latino vocabitur. Hul enim excellens eſt cuſtodia & tutela; & tuiten capitis ſunt capilli in vnum collecti ad capitis defenſionem. Duplex igitur in Tutulo capitis tutela continetur; altera nobis à natura data, & arte noſtra ad caput defendendum comparata, quæ tuit vocatur: altera excellentior, quam hul ſignificat, quæ ſimul & capitis tutelam defendit. Porrò cùm ea quæ perpetuæ memoriæ priſci conſecrabant, in primis vti ſacra haberi vellent, nec à quoquam magis quàm ipſa ſacra vel conuelli, vel alia quauis via rumpi lædiue; ſaxa ad formam metæ cædebant, vt iis, ceu ſacris quibuſdam terminis, ea quæ digna poſterorum notitia viſa fuiſſent, inſcriberentur.

Meta è ſaxis exciſa cur Tutuli nominata.

Atque hac de cauſſa huiuſmodi metæ ad inſcriptionem comparatæ, Tutuli quoque propter ſimilitudinem ſunt vocati. Latini huius rationis ignari in hac ſignificatione Titulos dixerunt, diphthongo ui in I ſimplex mutata, neglecta interim, quod frequens ipſis eſt, temporis menſura.

Tituli nomēclaturæ ratio.

Iam quia librorum frontibus & ſummis capitibus inſcriptio quoque neceſſaria videbatur, ad materiam & auctorem indicandum; placuit vt metæ quoque figura libris præponeretur, ad inſcriptionem complectendam, quæ de ſimilitudine Titulus etiam nominaretur. Nec dubium mihi eſt, quin ita olim ſcripti librorum tituli fuerint, vt vel conoide figura includerentur, vel metam referrent, litteris ab vna paullatim in plures abeuntibus, dum vltimus verſus baſim conſtitueret, quales ego in excuſis etiam vidi voluminibus; tametſi plerique metam euerſam ſiue trochum imitari conſueuerint, antiquitatis videlicet imperiti.

Librorum tituli qua figura olim fuerint, & eſſe debeant.

Hoc interim apud omnes ferè obſeruatur, vt figuram quampiam in titulis quærant; quaſi id natura dictaret: quam ſi ſequerentur, vlteriùs intelligerent, principio primam figuram perfectam conuenire, quæ in plano triangulus eſt, in corporibus pyramis. Quis enim non intelligit principio principes figuras aptiſſimas eſſe, ſi vllæ omnino figuræ principiorum propriæ debeant haberi?

Principiis quæ figuræ conueniant.

Præterea cùm nullus omnino codex vel legentium oculis, vel memoria poſterorum dignus ſit, qui non præcepta contineat aut documenta ad bene viuendum vtilia, an non decebat eam initiis librorum figuram præfigere, qua vita hominis rectè inſtituta ſignificaretur? Quod dum faciebant, ea ſeſe tradituros pollicebantur, quæ facerent ad vitam ad vnum ſupremum punctum, quod Deus eſt, dirigendam. Idem etiam de titulis ſaxeis putandum, eos nimirum non ſolùm in metæ formam erectos fuiſſe, quo ſacræ & non temerandæ haberentur, ſed ob illud etiam, vt cognoſceretur id quod in iis ſculptum eſſet, ad vitam bene rectéque formandam pertinere; qua in re cauſſa eſt conſecrationis. Quod dico, euidentiſſimum eſt in obeliſcis illis quibus ſacræ Ægyptiorum notæ inſcriptæ videntur, qualis vnus in Circo maximo Romæ ſepultus iacet admirandæ magnitudinis; & alter in circo ad D. Sebaſtianum cernitur, de caſu, vt videtur, confractus. Minores verò plures Romæ cernes: quos omnes Romani priſca ſua voce ſignificantiſſimè titulos nominarent, eo quòd ſacros titulos imitentur, & eiuſdem rei ſymbolum deſignent. Quo verò hæc faciliùs credantur, ab iis præſertim qui alto ſupercilio elati, ſe primas eruditionis tenere arbitrantur, nec quicquam ſe putant doceri poſſe; addam antiquiſſimum huius rei monu-

Obeliſci Romæ.

mentum à Græcis petitum, nec ab ipſis magis intellectum, quàm Tituli nomen intelligant Latini. Ariſtophanes antiquitatis doctiſſimus ſcurra, in ea Comœdia qua Socratem pecunia corruptus prodidit, ſibi ſub perſona Strepſiadæ ſenis pulcerrimos inuenit titulos, quos ſic enumerat:

Θρασὺς εὔγλωττος, τολμηρὸς ἴτης,
Βδελυρὸς, ψευδῶν συγκολλήτης,
Εὑρεσιεπὴς, περίτριμμα δικῶν.

Ariſtophanis prauum ingenium. Et hæc quidem nomina inſigniter in Ariſtophanem quadrant. Quòd verò nebulo κύρβις ceteris adiecit, id fecit ſanè eodem animo, quo totam ſapientiam propoſuit deridendam: quam vt euerteret, callidè cuniculos egit ad ipſa fundamenta labefactanda. Cùm *Cyrbes quæ, vnde dictæ, et quem vſum habuerint.* enim ſciret antiquiſſima ſapientiæ præcepta in metis principiò ſculpi ſolere, quas Cyrbes Atticorum antiquiſſimi vocarent, has primùm ſibi putauit euertendas. Inquiramus ergo è vetuſtis commentariis quæ fuerint Cyrbes, & cur ita vocatæ. Apollodorus tradit ſic dictos eſſe, ἀπὸ τῆς εἰς ὕψος ἀναβάσεως, id eſt, ab eo quòd in altum aſſurgerent; quia videlicet in coryphen, id eſt, in apicem tenderent; παρὰ τὸ κεκορυφῶσθαι Græci *Coryphes germana figura.* dicerent. Qualis autem coryphes eſſet germana figura, è Plutarcho diſcas; qui in vita Marcelli κορυφαίους πίλους eos vocat, quos Virgilius & Valerius apices; eos videlicet quos nos tutulos veterum docuimus fuiſſe. Hinc liquet Cyrbes metarum figuram habuiſſe, & earum quidem antiquiſſimas Pollux docet fuiſſe trigonas: quod diligenter annotandum. Ex eo enim perſpicuum fit, Cyrbes apud priſcos primi corporis ſiue primæ pyramidis, quæ trigona eſt, fuiſſe ſimulacra. Nunc vſum videamus. Ariſtoteles in Athenienſium rep. docet leges & publicorum ſacrificiorũ ritus iis inſcribi ſolere. Quod cùm ita eſſe Theopompus ex antiquitatis monumentis didiciſſet, credidit Cyrbes à Cyrbantibus nomen traxiſſe, propterea quòd ij primi fuiſſent auctores legum & ſacrorum rituum ad hunc modum ſcribendorum: quod in eo libro prodidit, quem de cultu diuino & pietate ſcripſit. Inde colligas certiſſimo argumento, Cyrbes ſacris litteris recipiendis & poſteritatis memoriæ mandandis apud priſcos in primis ſeruiiſſe. Cedo mihi nunc, quid aſtutius Ariſtophane, qui vt Socratem veteris ſapientiæ profeſſorem ridiculum faceret, antiquiſſimam ſacrorum & legum, quibus ſapientia cõtinetur, memoriam in contemptum adducit, vt nimirum primis euerſis principiis, ea quæ iis nituntur eadem collabantur ruina? Nunc itaque cernimus quanta religione apud priſcos ſit obſeruatum, vt in omnibus rebus docendis Magia & rerum cognatio integra conſtaret: & idcirco ab ipſis ea quæ in vita bene inſtituenda haberent principatum, principi quoque corpori inſcripta commiſſaque fuiſſe; idque maximè ea de cauſſa, quòd primum corpus quî vita rectè ſit inſtituenda, ſua figura clariſſimè monſtret. Verùm hæc ratio tam vetuſta apud Athenienſes fuerat, vt iam olim ante Ariſtotelis ætatem ab hominum ignorantia fuerit antiquata. Scribit enim Plutarchus, iam tum Solonis ætate Axes ſucceſſiſſe: quorum & ceteri meminerunt; ac deinde etiam tabulas dealbatas. Diligenter igitur antiquiſſima conſuetudo obſeruanda, quam Pollux apertiſſimè tradidit, Cyrbes *Axones.* aiens formam triangularium pyramidum habuiſſe. Quamuis enim nomen ad Axones, quos quadrangulos idem facit, & ad tabulas alterius poſtea formæ tranſiuerit, ex hoc tamen abuſu nobis non eſt ratio priſcæ veritatis deſerenda. Effecimus modò vt ex Græcis auctoribus conſtet, quis fuerit antiquiſſimus mos in ſaxis ad memoriam poſteritatis collocandis; & inde quod de Titulis dixi, certiſſimum eſſe doceatur. Optarem equidem vt ſcirent Iuriſperiti, quàm eleganter & conuenienter priſcæ loquantur antiquitati, dum Iuris volumina in legum Titulos partiuntur. Porrò quoniam priſcos auctores dubios videmus in Cyrbis etymologia reperienda, & Theopompus ad Curbantas potiùs confugerit quàm ad Grammaticos; rimemur & nos ecquid in noſtro ſermone ſit quod ad huius vocis faciat intelligentiam. Quod ſanè ſi fecero, id fecero quod Amazo*Cyrbis etymon.* nica mea faciendum eſſe demonſtrant, quibus trado Cimmerios primos fuiſſe Athenarum conditores: quo fit, vt mirum videri non debeat, ſi vetuſta aliqua Ianigenarum *Cur.* nomina apud eos exſtent. Cur/ ritum ſacrum deſignare, & Bant eius vſum per ichnæam *Bant.* conuerſionem docere, Hermathena mea tradit, & mox idem in Tau mihi repeten*Cyrbas quis.* dum eſt. Hinc Cur-want/ & Græco more Cyrbas, is qui veluti apparitor quidam eſt ſacrorum, vt alibi declaraui. Noſtri cærimoniarum magiſtros & cuſtodes vocarent. Ex

eodem

eodem fonte Curbis manauit; ita vt Theopompus non longè aberrarit. Eſt autem nobis Cur-wis, id eſt, cærimoniarum & ſacrorum rituum index & præmonſtrator: qua in voce duplex Digamma in Beta commigrauit, vt in Curbante & quamplurimis aliis à me frequenter annotatis: quod ſanè doctius eſt, quàm hanc litteram, quod in pluribus factum eſt, prorſus repelli, nulla alia in eius locum ſubſtituta. Potuítne quicquam dici conuenientius iis quæ de Cyrbi ſcripta ſunt, quàm id quod interpretatio de ſermone noſtro ſumta deſignat; in qua tamen nullius litteræ fit iactura aut mutatio, ea ſola excepta quam Græcus neceſſariò vel omittere cogitur, vel in eam mutare quæ proxima eſt poteſtate? Nec verò in aliam melius ea tranſit, quàm in Beta; cùm hæc littera apud Græcos loco digamma Latinorum vſurpetur. Quemadmodũ igitur Latini ex Cur-wis Curius feciſſent; ita optimè Græci pro eodem nomine Curbis dixerunt: &, ſi rectè ſonos litterarum expendas, paullo etiam melius quàm Latini.

Curij nomenclatura.

Pyramis igitur trigona omnium corporum princeps & vitæ beatæ teſſera ad hoc à priſcis Magis fuit electa, vt illa perenni memoria conſeruaret quæ in humana vita omnium tenent principatum. Videmus enim de vocis ratione eiuſmodi metas primùm ſacrorum indices fuiſſe, quibus totius felicis vitæ ſumma contineretur; atque inde ad leges etiam ciuiles & alia, poſteritati ad mores vitamq. bene formandam neceſſaria, tranſiiſſe. Ex hac itaq. Græcæ & Latinæ vetuſtatis collatione liquet, quæ prima fuerit forma Titulorũ. Noſtrates hactenus litterarum apices Tutul vocant; quod non indignum eſt annotatione, tum vt cernas germanam & primam vocis pronunciationem, & ex ea originem: tum vt ſcias quales olim fuerint apices litterarum.

Tutul.

Apices litterarum quales olim fuerint.

Certè dum apices vocamus, pileorum ſimilitudinem intelligimus, quos apices Virgilius dixit. Apud Lucam Euangeliſtam legimus, *Facilius eſt cælum & terram præterire, quàm de lege vnũ apicem cadere*; vbi Græcus textus κεραίαν habet: è qua voce cognoſcas apices corniculorũ figuram habuiſſe. Nam quòd κεραία antennam etiam ſignificat, id à cornibus etiam deductum eſt, quæ Virgilius nobis expreſſit: *Cornua velatarum obuertimus antennarum.* Non mirum itaque, apicem litterarum Tutul à noſtratibus vocari, cùm apex & tutulus idem ſit ſacerdotis ornamentum, eandemque habeat figuram. Quæramus modò an nulla apud Græcos antiquiores vox propria fuerit, qua apices, quos κορυφαῖα πῖλα Plutarchus appellat, denotarentur. Non diu diſcurrendũ. E nomine Cyrbis mox in Cyrbaſiam cogitatio incurrit.

Cyrbaſiæ forma & vſus.

Hanc erectam tiaram Heſychius Mileſius definit, addens ea ſolos Perſarũ reges vti ſolere. Galenus πῖλον ὀξὺ interpretatur, id eſt, pileum in acutũ tendens. Ariſtophanes in Gallo ludens, dicit eum cyrbaſiam in capite gerere, atque olim quidem Perſarum regem fuiſſe, ex hoc indicio conſtare. Tradit enim Clitarchus, omnibus Perſis licitum quidem fuiſſe, vt tiaris vterentur; verùm in frontem reflexis; qualem in Mithra & Aty videmus: recta enim tiara vti ſolis Regibus licuiſſe. Huius rei cauſſam nos clariſſimam videmus. Quoniam enim cyrbaſia vetuſtum erat Pontificum & ſacerdotum ornamentum, nefas putabatur, ſi alij capiti quàm conſecrato imponeretur. Hinc ad reges Perſarum vſum cyrbaſiæ veniſſe; vel quia Reges olim Pontifices quoque fuerint, vel quòd ſaltem eſſent haud ſecus atque ſacerdotes quidam conſecrati. Quando itaque inuenimus quid Cyrbis denotet, tentemus Cyrbaſiæ quoque reddere rationem.

Cyrbaſiæ nomenclaturæ ratio.

Baes.

βασιλεὺς vocis etymon.

Docui alibi, Baes eum notare qui nos alit: quo nomine vulgò patremfamilias vocamus; & per metaphoram quemuis cui magnam reuerentiam debere nos fatemur: vnde Græcorum βασιλεὺς dicetur is qui populum alit, ſiue qui populo tamquam paterfamiliâs præeſt: qua in re ſumma Regis laus eſt, vtinam ab omnibus & cognita, & bene gubernandis rebus explicata. Curbas igitur (neque enim apud nos refert diphthongúmne hîc, an longum Alpha ſcribatur & pronuncietur) is fuerit, qui cærimoniis alimentũ ſuppeditat, atq. iis velut pater quidam familiâs præſidet. Fateor equidẽ vocem hanc ipſi cærimoniarum magiſtro ſiue Pontifici non malè conuenire; verùm ſi etymologia rectè diſcutiatur, in pileum conoidem magis quadrabit; quod ſic declarari poteſt: Ritus omnes ſacri frigent & ieiuni ſunt, niſi mens noſtra in pyramidem ſe componens, ad ipſum Vnum contendat, atque inde pabulum cærimoniis ſumat. Mortuæ enim ſunt omnes cærimoniæ, niſi per metam hanc vitam accipiant, & continuò refocillentur & alantur. Quamobrem ſi ſigno tribui rectè poteſt quod per

ſignum

ſignum volumus indicare, quid ni dicamus Apicem ſiue Tutulum ſacris ritibus dare nutrimentum? Quod ſi ſic eſt, ſequitur primarium Pontificis inſigne cyrbaſiam fuiſſe, propterea quòd ea omnium cærimoniarum vitam pabulo ſuo ſuſtentaret. Tempus nunc eſt vt ad Romanos redeamus, & apud eos examinemus, quo plebeiorum hominum ſacris operantium Tutuli à Tutulis Flaminum & Pontificum differrent ac diſcernerentur. Turpe enim fuiſſet & à ſacris alienum, nullam ſacerdotum eminentiam in eo ornamento obſeruari potuiſſe, quò tota cærimoniarum vita contineretur. Atqui id ex Seruio clarum eſt, qui in pileo Flaminum paruam virgam lanæ nonnihil ſupernè habentem exſtitiſſe tradit: quam in omnibus numiſmatis clarè videmus. Nunc igitur quid hic Apex tutuli, qui propriè apex eſt, deſignet, inquiramus. Bone Deus, vt nihil ſunt omnia quæ hactenus diximus, ſi cum iis quæ modò proſpicio, cõferantur! Exorſi ſumus ſermonem noſtrum de Lamet inſtitutum à Mal & Lam: & nunc rurſus mirabili quodam myſterio ad Lam, id eſt, ad agnum cogimur redire. Quis, rogo, tam ſtupidus, vt lanam videns non cogitet de oue; aut quòd ouis certius & magis proprium indicium quàm pura lana? Lanæ in ſacris non exiguus apud Romanos vſus fuit. Ouidius in Faſtis eius ſic meminit:

Tutuli plebeiorũ ſacris operantium, & Flaminũ, quo differebant apud Romanos.

Lanæ in ſacris vſus apud Romanos.

> *Pontifices à Rege petunt & Flamine lanas,*
> *Quis veteri in lingua Februa nomen erat.*

Apollodorus Saturnum per annum laneo vinculo alligari ſcribit, & feſto ſibi die ſolui, atque inde prouerbium exſtitiſſe, *Deos laneos pedes habere*. Plutarchus tradit, in Lupercalibus capras mactari, ac duos nobiles adoleſcentes tum adduci ad immolantes; & horum alios cruentato gladio frontem eorum contingere; alios lana lacte madefacta ſanguinem detergere, ac ipſis adoleſcentibus dum hæc aguntur ridendum eſſe. In compitalibus qui Laribus celebrantur, laneæ effigies in compitis ſuſpendebantur, quarum & Feſtus meminit, addens Lares putari hominum animas eſſe, & in numerum deorum redactas. Larum mater Mania vocabatur, à mane, ſi Varroni ineptienti credimus. Nos tamen à Luna deducimus, quæ nobis Man vocatur, & ſymbolum gerit cærimoniarum. Laneæ igitur effigies pro ſoſpitate familiarum dabantur, vt iis videlicet figuris ſingulorum culpæ tantiſper expiarentur, dum vera tandẽ & viua lana omnes homines ſiue omnes animas ſoſpitaret. Virgilius ad priſcam quandam fabulam alludit, quam ad Nicandrum fabularum ſcriptorem referunt:

Mania Larũ mater vnde nomen acceperit.

Man.

> *Munere ſic niueo lanæ (ſi credere dignum eſt)*
> *Pan deus Arcadiæ captam te Luna fefellit*
> *In nemora alta vocans: nec tu aſpernata vocantem.*

Certè Pan ille magnus niueam lanam indutus, omnes cærimonias veteris legis ad ſe pertraxit, & omnes ſic ſibi accommodauit, vt amico fœdere & ſumma concordia vetus Lex, quæ Luna eſt, vitam à Pane ſuſciperet, ac lubenter vocanti obtemperaret. Huc illud ſpectat quòd caprarum ſanguis frontibus noſtris adſperſus, & fœtentes animæ maculas ſignificans, lana lacte conſperſa, id eſt, lana agni detergeretur. Eadem de cauſſa lana Februa dicta eſt, quòd agni lana nos pecudes calore ſuo & ardenti amoris igne fotura eſſet, & ad vitam reuocatura. Bene certè Mania ſiue Luna Larum mater dicitur, quia animos cærimoniis detinet & figuris, & idcirco omni vera vita vacuos. Lar enim vacuum ſignificat, & in terra locum illum qui numquam colitur aut ſeritur. Vetus enim lex inanis manſit & vacua, ſolis conſtans ſimulacris tantiſper dum agnus ille venit qui dixit ſe veniſſe, non vt veterem legem ſolueret, ſed vt eam compleret. Quòd ſi complenda fuit, antea inanis fuerit oportet. Rectè igitur Mania Larum mater fingitur, & rectè pro Laribus laneæ effigies offerebantur, indices videlicet aliquando fore, vt inanes illæ figuræ complerentur, & acciperent vitam qua tum carebant. Sed ſint ſanè hæc obſcuriora, & nimia ignorantiæ veteris caligine obuoluta: hoc ſaltem, quòd lanæ in ſummo apice ſacerdotalis galeæ ſollemni ritu perpetuò figerentur, nihil habet aut fabularum aut obſcuritatis. Cùm enim Tutulus ſummam tutelam, Cyrbaſia cærimoniarum vitam deſignet, & in huius inſignis ſupremo apice lana figatur, quid aliud cogitare poſſumus, quàm totam vitam ſacrorum rituum in eo conſiſtere, ſi ad lanam tamquam ſupremum faſtigium pertingant?

Lana cur Februa appellata.

Lar.

Larũ mater cur fingatur Mania, & cur eis laneæ effigies offerri conſueuerint.

Lanæ in ſummo ſacerdotalis Tutuli cuius rei ſymbolum habuerint.

Vidéſne

Videſne hic ſatis apertè, vt aperta dici poſſunt oracula & arcani conſilij ſacramenta,
agnū Dei denotari,& præterea denotari,hunc agnū non eſſe diuerſum ab ipſo ſupremo
Vno, ad quod meta & apex noſtram deducit cogitationem? Quamobrem ſi Deum
arripere velimus, arripiamus eum per pedes quibus in terram deſcendit, & quos per-
miſit lana ligari dum carnem indueret humanam. Lana itaque ſymbolum agni habe-
bat, ad quem, vt ſummum apicem & vltimum omnis perfectionis finem,omnes cæri-
moniæ, omnes ritus, omnia ſacrificia tendebant, & ab hoc vno omnibus vita dabatur
& ſolidum vitæ perennis alimentum. Hinc nomenclator lanæ illud nomen dedit
quod omnem omnium votorum ſummam complecteretur. Wol enim quo lana nobis *Wol.*
denotatur, à Wol verbo deriuatur, quod idem ſignificat quod Vellem: atque hinc non
dubito quin Latini vt à Wol verbo Vellem fecerunt; ita à Wol nomine, Vellus fecerint:
qua in voce ridiculi ſunt Grammatici, qui Vellus à vellendo dictum arbitrantur;digniſ- *Velleris ety-*
ſimi ipſi ob tam ſocordem opinionem & præpoſterum iudicium, vt non tonderentur, *mon.*
ſed vellerentur. Nec ſaniora de lana dicunt, quam à laniando deriuant; quaſi idem ſit
apud hos tam graues cenſores laniari atque tonderi. Permitto illis vt temporis rationē
in etymologia negligant, ſed illud permittere quis poſſet, tam abſurdas ab hominibus
eruditis & litteratis dici ſententias, vt nemo vmquam vpilio vel ſexcenteſimam de-
mentiæ partem effutiuerit. Equidem crediderim lanæ vocabulum è priſca etiam lin- *Lanæ nomē-*
gua manaſſe, & ad ſalutis myſterium æquè ac Wol referri. Nam ſi poteſtatem litteræ *clatura.*
pro El accipias, atque An addas, ſignifices Altiſſimi progreſſum; ceu diceres, Altiſſimi *El.*
progreſſus laneus eſt: quod ad laneos Dei pedes non malè alludit. Altiſſimus enim ad *An.*
lanam agni progreſſus eſt, qui eam ſibi induit; quod An etiam deſignat. Vtrumq. enim
in An intelligimus, & progredi & indui. Sic dicimus Lutter an, pro eo qui parum bene
veſtitus eſt. qua voce pro ſcommate ambiguo noſtrates vti memini in Hiſpanos tyro-
nes primùm in has regiones expoſitos; quod inde ſalem accipiebat, quòd Luteran Lu-
teri ſectatorem vocemus. Lan igitur ſignificabit altiſſimum ad lanam progredi, & ea
indui. Quòd ſi vocem vertas, eodem modo L littera pro El accipiatur, vt ſit Na-el,
id eſt propinquum altiſſimum. Siue igitur Wol dicas ſiue Lan, vtrouis modo ad agni
myſterium ſignificatio pertinebit. Cùm igitur in ſupremo apice Wol videmus,non poſ-
ſumus non optando dicere, aut ſaltem cogitare,verbum Wol, id eſt, Vellem, puta ad
lanam ſiue ad agnum adſpirare, & cum eo vitam pyramide ſignatam poſſidere. Ex his
lucem accipit apicis nomen, quo id ſignificatur quod ſingulariter & legitima de cauſſa *Apicis ety-*
ſit arripiendum, ceu dicas, Si quid arripiendum, id propriè, vnicè, & ſummo iure arri- *mon.*
piendum. Hap enim idem eſt quod arripio: Echt verò legitimum & ex ipſa natura ſin- *Hap.*
gularem iuris ſui rationem ducens. Ex Hap-echt igitur apex, vt ex Merct fit merx. Pri- *Echt.*
mùm igitur nomen apex huic virgæ, & ratione eius toti Cyrbaſiæ cui infigitur,cōuenit:
quo monemur nihil maius, nihil meliore iure, nihil maiore ratione arripiendum eſſe,
quàm hanc lanam paruæ virgæ ſupernè obuolutam. Hæc,inquam,in ſummo apicis eſt,
& idcirco ſingulariter, vnicè, præcipuè, & ſumma ratione arripienda. Diſpicienti mihi
ecquid & apud Athenienſes memoriæ exſtiterit aut veſtigiorum huius myſterij, ſtatim
occurrit εἰρεσιώνη, cuius Ariſtophanes in Pluto facit mentionem. Erat autem εἰρεσιώνη *Ereſione q.d.*
oliuæ ramus lanis implicitus,è quo panis & cotyla pendebat, quem ante fores figebant. *& cuius rei*
Eo omnium rerum affluentia promittebatur, beato copiæ cornu effundenda: quod *teſſera.*
cùm ad agnum ex oraculis vetuſtis pertineret, indocta poſteritatis ſimplicitas ad præ-
ſentis vitæ commoditates applicabat. Vnde puer florenti ætate accinere ſolet: Ereſio-
ne fert ficos & pingues panes, & mel in cotyla,& oleum ad demulcendum, & calicem
meracum ad inebriandum. Hic autem ramus quotannis nouus figebatur, vt perennis
eſſet felicis ſæculi,quod virga lana obuoluta deſignabat, memoria. Panis & cotyla de-
pendens ex Ereſione,quid aliud quàm vitæ cæleſtis alimentum denotabat,quod agnus
erat ſuppeditaturus? Etymologiarum ſcriptor Græcum lanæ nomen ἔριον nihilo feli-
cius ad originem vocare conatur, quàm vellus & lanam Latini; cuius verba, cùm ſint
prorſus à lanis aliena, non dignabor referre. Quid enim abſurdius quàm lanæ nomen
vel à vere, quaſi flos eſſet, vel à pereundo deriuare? Nobis clara nominis ratio eſt. *Ἔριον no-*
Nam Eer-ion idem eſt ac ſi dicas honoris fauor. Quid? An aliquid dici potuit quod *menclatura.*
magis in lanam agni quadraret? *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi*; ecce qui nos
patri

patri reconciliat; ecce qui nos regni cæleſtis facit cohæredes; ecce quî nos vt filios Deî ſempiterna gloria coronat. Cedo, eſt aliquis maior fauor honoris? Eſt aut fauor omnino vllus maior, aut honor ſublimior & illuſtrior? Quòd ſi non ſit, vt eſſe non poteſt, optimum nomen & fauſtiſſimum lanæ dedit, qui eam Eer–ion vocauit; ex qua voce noſtrati ἔριον Græci retinuerunt. Et hæc de lana ſint indicata; quæ vellem equidem, vt Wol ipſius nomen iubet, à quopiam pleniùs & eloquentius exponi; quod non dubito quin multi præſtituri ſint, vbi hos myſteriorum fontes de noſtra Mercuriali manu agnouerint. Pergamus modò & conſideremus cur hæc lana virgæ fuerit obuoluta. Virga ſceptri habet indicium, vti lituus pedi. Eſt autem in ſceptro paterna correctio, vti & in virga. Agnus enim hic Rex erat futurus, non in hoc quidem mundo, ſed in ea vita quæ per metam, ſuper qua virga ſtat, denotatur; id eſt, in vita regni cæleſtis. Multa è ſacris litteris de virga diſſerendi ſuppetunt argumenta, & variæ eius conſiderationes & vſus. Quis mirificam & portentoſam virgæ Moſaicæ ignorat poteſtatem? quis virgam Aaron in arca fœderis conſeruatam? Quis non crebrò virgam Domini audiuit, & eam nonnumquam ferream? Nimis prolixa fieret oratio, ſi quæ de virga dici poſſunt, conquirerem, & exponere molirer: ac ſi id facerem, me fortaſſe virgis flagellandum propinarem. His igitur ad Theologos, quorum propria ſunt, relegatis, nos virgæ nomen, quo noſtrates vtuntur, expendamus. Virgilius Gallos in Æneæ clypeo depingens ſic canit:

Virga & ſceptrum paternæ correctionis ſymbola.

Virga in ſacris litteris.

Galli per dumos aderant, arcémque tenebant
Defenſi tenebris & dono noctis opacæ;
Aurea cæſaries ollis atque aurea veſtis,
Virgatis lucent ſagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur. &c.

Adhæc Seruius ſcribens, virgata ſagula vocat quæ habebant in virgarum modum deductas vias: Addit deinde bene Virgilium alluſiſſe ad linguam Gallicam, per quam virga purpura dicitur; atque ita virgata dici quaſi purpurata. Qui hunc Seruij locum explanare potuerit, hactenus audiui neminem. Mihi, qui ſciam Gallicum ſermonem eundem fuiſſe cum noſtrati, quod Gallica noſtra demonſtrant, nihil ad explicandum facilius. Exoſculor interim Seruij diligentiam, hoc loco, neſcio quî ſolito curioſiorem. Virgam Gallico ſermone purpuram ait vocari. Roi enim vtrumque ſignificat, virgam & colorem purpureum. Roiverw namque rubrum colorem vocamus, quo purpureus color eſt comprehenſus, vti ſub genere forma. Laudato itaque Seruio, cuius teſtificatione linguæ noſtræ vetuſtas tanta cognoſcitur, quanta eſt Gallicæ linguæ, videamus quid mouerit nomenclatorem, vt virgam & rubrum eodem nomine vocaret. Num fortaſſe nullas virgas nouerat præter eas quas Betula daret? Nouerat certè: & ceteroquin in re tam leui tantæ ſuæ induſtriæ impenſam minimè feciſſet, vt conſtaret ſcilicet Betuleas virgas rubere. Altiùs ille ſemper ad apicem contendebat, nec in minutis hiſce figebat pedem. Sed quid nos de nomenclatoris ingenio diſputamus, cùm certò ſciamus id genus voces, quæ ad humanæ ſalutis vaticinia ſpectant, ſolo ſolius Spiritus-ſancti inſtinctu factas eſſe? Cùm ergo ſymbolica hæc virga in Pontificis conoide tiara conſtituta hominibus maximè conſideranda eſſet, illud virgæ nomen factum eſt quod huic virgæ maximè conueniret. Quamuis enim hæc exigua virgula ſceptrum regni cæleſtis ſignificaret, illud tamen habuit præcipuum & peculiare, quòd purpureum eſſet. Totum enim regnum agni & omnis eius poteſtas ſceptro deſignata, ſanguine ipſiuſmet agni erat imbuenda atque ſtabilienda. Omnes enim qui ſub ſceptro eius viuunt, per ſanguinem ipſius vitam acceperunt. Totum enim hoc nouum ſuum fœdus, & nouum teſtamentum ſanguine ſuo agnus ſanciuit. Ipſe enim met hæc ſui teſtamenti verba concepit & dictauit, Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Videmus ergo ſceptrum agni totum ſanguine perfuſum, atque hoc ipſo regnum eius conſtitutum atque fundatum. Quamobrem rectiſſimè quadrat in Chriſti regnum, vt virga, ſceptri index, eodem nomine vocetur, quo ſanguineus color, citra quem virga nullam haberet poteſtatem. Virga igitur apicem conſtituens, nobis Roi roi/ id eſt purpurea virga vocaretur; tametſi nos nonnihil in his vocibus adhibeamus diſtinctionis, in ſono potius quàm in ſcriptura animaduertendæ.

Virgata ſagula.

Seruij in Virgilium locus illuſtratus.

Roi.

Roiverw.

Virga in pontificis conoide quid ſignificarit.

Roi roi.

tendæ. Quid verò potiùs purpureo colore deſignandum, quàm illud ad quod omnis victimarum ſanguis in vetere teſtamento referebatur? Omnia enim ſacrificia ſanguinolenta ad agnum ſacrificandum, vt ſanguine ſuo ſibi ſceptri poteſtatem vindicaturum ſempiternam, referebantur; non ab Abrahami modò tempore, ſed ab ipſo vſque Adamo primo noſtro parente. Verùm licet hoc myſterium non inuenias in alia lingua ad hunc modum conſignatum, vt eodem nomine ſceptrum & purpura denotetur; clara tamen ſunt & luculenta de hac virga apud Hebræos oracula; & inter illa hoc Ieſaiæ: *Egredietur*, inquit, *virga de radice Ieſſæ, & flos de radice eius adſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis.* Hæc ille & plura. De eadem virga Hieremias: *In diebus illis & in tempore illo germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra, & hoc eſt nomen quod vocabunt eum; Dominus iuſtus noſter.* Sed fruſtra in re notiſſima colligerem teſtimonia; *& in ore duorum ſtabit omne verbum.* Sint igitur hæc duo inſtar omnium. Apud vetuſtos Romanos cùm Rex idem & ſummus adhuc Pontifex eſſet, nullus fuit alius qui ſacrificiorum Rex vocaretur: verùm exactis Regibus cùm animaduerſum eſſet quædam ſacrificia propria Regum eſſe, Regem ſacrorum crearunt, ſiue Regem ſacrificulum; cuius vxor Regina ſacrorum diceretur. Hoc vt moneam, hinc adeò mihi in mentem venit: Legimus Reginæ ſacrorum hoc peculiare fuiſſe, vt infulæ loco in ſacris virga mali granati vteretur. Hanc ſanè virgam purpuream qui nuncuparit, & noſtra lingua ſceirot, non video quid ſit peccaturus, aut dicturus quod non ipſa virga demóſtret. Nam ſi colorem ſpectes, rubra virga eſt: & ſi Dialectico more loquendum ſit, ruborem habet non ſuum modò quem videmus, ſed alterum etiam multo maiorem; quem non actu habet, ſed potentia, cuius effectus in fructu clare cernitur. A ſi nomen virgæ quæras, quì poteris magis propriè eam nuncupare, quam ſi Puniceam virgam dicas, ab arbore punica nomine ſumto, quo ipſa virgæ forma & tota eſſentia denotatur? Iam punicea virga, rubra virga intelligitur. Quis enim color puniceus ſit, Virgilius declarat canens:

Sacrificia ſanguinolēta quo ſpectarint.

Rex ſacrorū apud Romanos.

Regina ſacrorum, virga mali granati, infulæ loco, vtebatur.

Puniceus color quis.

Puniceis humilis quantum Saliunca roſetis,
Iudicio noſtro tantum tibi cedit Amyntas.

Qui Spadicem quem Virgilius in equis probat, eundem cum Phœniceo & Puniceo arbitrantur, à veritate longe diſcedunt; decepti videlicet hinc Græco palmæ nomine, hinc Plinij auctoritate, qui Phœniceum & purpureum diſtinxit colorem, florem viceſimo tertio viceſimi primi libri capite deſcribens. Quod ad arborem Phœnicem & eius ſpadicem attinet, ſtultum fuit ſinere ſe homonymia decipi; maximè cùm nuſquam legant ſpadicem colorem Phœniceum vocari: & profectò egregiè riſiſſet Virgilius, ſi Phœniceos equos ab ipſo demonſtrari tibi poſtulaſſes. Quid? an non Phœnicopterus auis nomine ſuo & rubris pennis ſatis oſtendit quis ſit color Phœniceus apud Græcos? Verùm cùm purpureum colorem à rubro differre dicimus, Phœnicei coloris nomen pro certa forma rubri coloris accipimus, qui nimirum in granatis interius ſpectatur. Plinius amethyſtinum & violaceum colorem propriè purpureum dici demonſtrat; licet & hoc nomen ad quemuis rubrum colorem diuagetur. Differunt igitur Purpureus & Phœniceus vti carbunculus ſiue rubinus vulgo vocatus & laudatiſſimus amethyſtus; ſiue vt roſa & viola. Qua de re liquet plurimùm eos aberrare qui Phœniceum colorem non ſolùm cum purpureo confundunt, ſed inde etiam rubrum colorem dici ſcribunt, quia purpura primùm in Phœnicia ſit inuenta. Phœnicia regio à Græcis nomen non accepit, ſed ab ea gente quæ prima eam habitauit, cuius lingua a deliciis nuncupatur. At cùm Phœniceum colorem dicimus, Græca voce vtimur, cuius origo à φονῶ petenda eſt: φοινίκεον ergo quaſi φονικὸν ἐὸν dicetur; id eſt, ad cædem pertinens. Erat enim ruber color in militia prœlij ſignum: quod in Cæſaris commentariis apertè cernas; tametſi ſtolidum ſit cuiuſpiam auctoritate in ea re niti, quam ipſa ratio & natura demonſtrat. Quis barbarum illum regem è Sogdiana & Bactris egreſſum, quem Tamberlanen vulgus appellat, docuit rubri coloris ſignificationem? Eadem nempe quæ Græcos cædis natura; quæ cùm ſanguinis rubri effuſione fiat, non alio colore melius quàm rubro poteſt denotari. Latini e φοινίκεον, Puniceum fecerunt pro eodem prorſus colore. Ac quemadmodum Phœniceus color à Phœnicia nomen non accepit; ita nec

Spadicem colorem à puniceo diſtingui.

Phœnicopterus auis.

Purpurei coloris & Phœnicei diſtinctio.

Phœnicei dū coloris [illegible]

Ruber color [illegible]

RR Punicum

Punicũ malum nõ à Pœnis nomẽ accepiſſe, ſed à colore.

Punicum malum à Pœnis, vti Latini Grammatici ſomniarunt. Immò vt Puniceus à Phœniceo; ita Punicus color à voce φοινικὸς nominatur. Neque enim φοινίκεος tantùm, ſed φοινικὸς etiam, & priùs quidem color hic vocabatur, vt in φοινικίδι quo vocabulo purpureus pannus dicitur, & in φοινικόπτερος apertum eſt. Sicut igitur apud priſcos Latinos cotonea mala, aurea à colore; ita mala granata, mala Punica à rubore dicebantur. Summotis his Grammaticorum ineptiis, per quas vt ſtolidiſſimè nominum ſibi rationes comminiſcuntur; ita veritatis ſtudioſis maxima obiiciunt impedimenta, ad virgam noſtram reuertamur. Eam ſiue noſtro ſermone Roi roi, ſiue Latino puniceam virgam dicas, idem dixeris. Quo fit, vt virga Punicea ex arbore punica decerpta, & infulæ loco à ſacrorum Regina vſurpata, magni myſterij ſignificationem habuiſſe videatur: quam licet clariſſime cernam, vix tamen auſim pronuntiare. Statutũ eſt in primo poſt lapſum hominis fœdere, draconis caput à ſemine mulieris conculcatum iri. Quòd ſi ſemen illud ſignare velis, non queas melius ſignare, quàm rubro ſemine illius pomi, quod à copioſis granis granati habet nomen. Nam hoc colore adiecto qui cædis habet notationem, cognoſcitur conculcandum ſerpentem à ſemine rubente; & id non alterius, ſed ſuo ipſius colore. Hæc autem ſeminis poteſtas per virgam denotabatur, id eſt, per ſceptrum, & talem virgam qualem & noſtra lingua & Latina depingit. Ceterùm in his ſymbolis nulla adhuc mulieris mentio. Acceſſit igitur ceteris ritibus & hic quem dico; vt nimirum mulier hanc virgam infulæ loco ferret, quo intelligeretur hanc virgam è muliere naſcituram. Quomodo verò naſcituram? Nempe eo modo quem infula & curuatura virgæ in arcus modum ſuper capite deſignat. Virga enim in arcus modum inflexa, caput veluti ſemicirculus ornabat, quo modo Diuos nunc pingi videmus, in quorum occipite lucis cuiuſdam ſplendorem circuli portio terminat. Hinc virgula Inarculum vocabatur, quia nimirum intenti arcus modo caput ambiret. Virga itaque infulæ locum habens, & ob id ſacra, ad arcus modum ſiue circuli caput alte deſuper circumdans, quid aliud ſignat quàm ſacram inumbrationem diuinæ poteſtatis? Agnoſciſne nunc illud angelicum, *Virtus altiſsimi obumbrabit tibi?* Et qua virtute, & per quam virgam ſiue ſceptrum deſignata? Nempe virga quæ maxime pollet ſeminis copia quam in pomo ſuo alere videtur. Quam verò obumbrat mulierem? Quam? ipſam Reginam ſacrorum, è qua Rex omnium ſacrorum erat naſciturus. Ceterum vt hæc ſatis ſunt perſpicua, iis præſertim quorum oculos peruicax contradicendi ſtudium non occludit; ita clariora fient, ſi addamus quid Infula deſignet, cuius loco Inarculum in Regina ſacrorum ponebatur. Quòd ſi Varronem hîc Latini ſermonis coryphæum interroges, Infulam ab intra dici contendet; eo quòd velamenta eſſent è lana intra hoſtiarum cornua poni conſueta. Reliqui omnes hîc conticeſcunt. Nec malo ſanè iure, cùm in voce tam apud Romanos frequentata nihil probabilis rationis inuenirent. Feſtus Infulas ſic deſcribit, vt flamenta lanea eſſe dicat; quibus ſacerdotes & hoſtiæ templaque velabantur: verùm quid cauſſæ ſit vt ita dicatur, nullus adiecit. Nobis ergo citra omnem dubitationẽ dicendum videtur, hanc quoq. vocem vnam eſſe de priſcis illis quas ferè integras Romani à Cimmeriis vetuſtis retinuerunt. Oportet ſane rem maximi momenti in ſacris fuiſſe, cùm ea omnia quæ Deo conſecrata eſſent, infulis ornarentur. Sed quid multis te morer? Ipſa veritas vltrò mihi obuiam fertur, nec ſinit ſeſe diutius celari. Dixi paullo priùs, omnia ſacrificia vana & inania fuiſſe, niſi ad vnum ſacrificium agni referrentur, atque ab eo acciperent ſupplementum. Omnium enim rituum, omnium cærimoniarum, omnium victimarum plenitudo ab vna hoſtia pendebat, quam lana dixi denotari. In primis igitur illud bene habet, quòd veterum confeſſione infulæ laneæ fuerint. Verùm quamdiu figura dumtaxat ac ſimulacra veræ hoſtiæ offerebantur, nulla erat ſacrificiorum plenitudo, ſed vmbratilis dumtaxat ac veluti ſcenica oſtentatio; quæ tota vana erat, niſi ad illud referretur ſacrificiũ quod pòſt ſecututũ theatrico ſuo apparatu denotabat. Quoniam igitur omnium ſacrorũ plenitudo pòſt ſecutura exſpectabatur, nomẽ inuentũ eſt à primis pontificibus quo id ſignificaretur. Hin idem eſt quod poſt. Allemani & pleriq. noſtrates cõparatiuo fere vtuntur Hinder pro Hin dicentes. Ratio nominis eſt in eo, quòd en & ent finis ſit. Quod enim ad finem propiùs adſpirat, id poſterius eſt in rebus exſequendis. Hin igitur id quod futurum eſt ſignificat, quod Hin fur/ id eſt, poſt hæc ad vlteriora pergendo, quidam compoſitè dicunt.

Virga punicea Reginæ ſacrorum quid ſymbolicè ſignificarit.

Inarculum Reginæ ſacrorum.

Infula quid, & vnde nomen acceperit.

Infula etymon.

Hin. Hinder. En. Ent.

cunt. Ful autem idem eſt quod impleo; vnde fol plenum: quod conuerſum loſ facit. Hin ful igitur, & reiecta compoſitionis leuioris cauſſa adſpiratione, In ful/ idem eſt quod pòſt ſecuturum complementum. Dic nunc, quæſo, quiſquis es tardior ad priſcæ linguæ veritatem agnoſcendum; dic, inquam, quid hîc à me longè quæſitum, quid immutatum, quid obſcurum? Rurſus ex altera parte rem ipſam intuere: Vide omnia ſacra inſula ornari; & qua, rogo, infula? Nonne lanea? Quid ergo vlteriùs hæremus, & non clarè & diſertè profitemur, hac lanea infula agnum denotari, cuius lanæ omnia ſacra tum erant completuræ, & iam ante mille quingentos & plus eo annos compleuerunt? Quid nunc dices de Inarculo puniceo? An non clarè cernimus, hac virga poteſtatem eam notari, & poteſtatis exſequendæ modum, quo infula ex lana agni omnium ſacrorum complementum abſolutura eſſet? Antiquiſſimum autem infulæ fuiſſe ſymbolum apud vetuſtiſſimos Ianigenas, non è Romanis tantùm, ſed ex Ægyptiis etiam conuincitur monumentis; in quibus hæc lanea flamenta, vt cum Feſto loquar, creberrima cernuntur. Quis Romæ Sphinges Ægyptias vidit, & infulas in iis non animaduertit? Nolo illud hîc annotare, in ful ſic componi, vt in ful proxima ſit alluſio ad wol ſiue wul (nam vtro-uis modo loquimur) & ſic in complemento alluſionem eſſe ad Lanam, per quam complementum erat futurum. Iam wol etiam ſic dici, vt quamuis votum ſignificet, ad ful tamen ſic accedat, vt ab eo poſſit natum videri. Mirandus hic eſt nomenclatoris luſus, quo non poſſum nõ vehementiſſimè delectari. Verùm alia aliorũ eſt voluptas. Occurrit hîc aliud dubium de infula, cur videlicet ſemper ſic fiat, vt vel funiculus vel faſcia videatur ad vinciendum comparata? Et quo magis vinculum credas, taurorum cornibus inijcitur, ceu caput alligatura. Non leuis hæc eſt aut contemnenda quæſtio. Legimus in ſacris litteris, Deum pactum & fœdus cum animalibus, & maximè cum homine iniiſſe, quo ſanciretur numquam terras iterum diluuio vaſtatum iri; & eius fœderis ſignum Iridem nos habere. Idem rurſus cum Abrahamo & eius poſteris fœdus percuſſit; cuius tam frequens & aſſidua in Moſe & prophetis mentio, vt ſuperuacaneum ſit vel vnum recitare exemplum. Quid? an non Moſis volumen, quo teſtamenti veteris pacta deſcribit, vocatur ab Hebræis ספר הברית, id eſt, liber fœderis, quia nimirum continet Dei promiſſa erga populum, & promiſſa populi erga Deum? Repetiuit autem Deus huius pacti mentionem cùm aliàs frequentiſſimè, tum Exodi cap. decimo nono, in quo hæc legimus verba: *Moſes autem adſcendit ad Deum, vocauítque eum Dominus de monte, & ait: Hæc dices domui Iacob & annuntiabis filiis Iſraël. Vos ipſi vidiſtis quæ fecerim Ægyptiis; quomodo portauerim vos ſuper alis aquilarum, & aſſumſerim mihi. Si ergo audieritis vocem meam & cuſtodieritis pactum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea eſt enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale & gens ſancta. Hæc ſunt verba quæ loqueris ad filios Iſraël. Venit Moſes, & conuocatis maioribus natu populi expoſuit omnes ſermones quos mandauerat Dominus. Reſponditq́ omnis populus ſimul: Cuncta quæ locutus eſt Dominus faciemus.* Hæc illo loco. Poſt Moſem Ioſue idem fœdus renouauit in Sichem ſub quercu, & lapideum titulum prægrandem poſuit ad eius memoriam perennandam. Quicquid autem calamitatum Iſraëlitico populo accidit, ad eam cauſſam perpetuò in ſcripturis refertur, quòd fœdifragi fuerint, nec ſteterint ſuo pacto. Sic Hieremias de ciuitate euerſa: *Et pertranſibunt gentes multæ per ciuitatem hanc, & dicet vnuſquiſque proximo ſuo: Quare fecit Dominus ſic ciuitati huic grandi? Et reſpondebunt: Eo quod reliquerint pactum Domini Dei ſui.* Verùm quia hoc fœdus cum Abrahamo primùm ictum legimus, cuius rupti crimen perpetuò Iudæis obijcitur, rogare meritò quis poſſit, An nullum ante Abrahamum Deus peculiare cum homine fœdus iunxerit. Nam illud poſt diluuium cum omnibus animalibus initum videmus vniuerſim. Iunxit certè multo antè fœdus inſigne cum ipſo Adamo in Paradiſo, cuius Oſeas ſic meminit: *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum.* Illud fœdus Draconis fraude ruptum, genus humanum perpetuo exilio à Paradiſo eiecit, & nos omnes peccato, miſeriis & morti reddidit obnoxios. Rupto igitur primo fœdere, Deus immenſa ſua bonitate & clementia vltrò ſe altero fœdere obligauit, quo promiſit fore vt ſemen mulieris caput Draconis conculcaret. Huic autem pacto non dubium eſt quin reciprocam hominis promiſſionem adiunxerit: quæ quamuis eodem loco non eſt expreſſa, mox tamen inde ſatis indicatur. Dominus enim Cain fratri ſuo iratum & inui-

Ful. Fol. Loſ.

Wul.

Infula cur faſcia ſiue funiculus ad vinciendũ comparatus videatur.

Fœdus Dei cum homine.

Fœdus Dei cũ Abraham.

Fœdus Dei cum Adamo in Paradiſo.

dentem ſic compellat: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris, recipies; ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? Sed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Hîc cernis pactum cum toto genere humano poſt lapſum Adæ à Deo initum fuiſſe, quo omnes æquè nationes obligatæ fuerunt. Ceterùm non eſt huius loci hoc fœdus vtrimque latè explicare. Satis ſit Deum hominì poſt primum peccatum voluntatis libertatem reliquiſſe, vt quamuis procliuis ad malum propenderet, poſſet tamen prauam cupiditatem recta ratione gubernare & continere; atque idcirco omnes mortales Deo eſſe obligatos vt rectam rationem in omnibus ſequantur, & eam ſequendo exſpectent illius promiſſi quod de mulieris ſemine acceperant, complementum.

Sacrificiorum prima origo, & quid in eis primùm ſpectandum.

Verùm quia corrupta hominis natura crebrò rationem in præcipitium tractura erat, & fœdus hoc in mentis noſtræ tabulis ſcriptum, quoad eius noſtras partes tangit, turpiſſime ruptura; Deus iam inde ab initio reſtaurationem quandam & innouationem fœderis hominibus demõſtrauit per pœnitentiam & ſacrificium. Sacrificium tamen prius inſtitutum eſt ipſi Adamo ad figuram illius ſacrificij quo primum fœdus in paradiſo ruptum erat rurſus inſtaurandum: & quia id generatim ad omnem peccatorum labem tollendam ſpectabat, figura eius ad quamuis etiam reconciliationem eſt applicata. In ſacrificio igitur omni, fœderis primi reſtauratio & in integrum reſtitutio primùm ſpectatur; ac deinde alterius fœderis inſtauratio vti annexa ſuccedit.

Fœderis definitio.

Cùm igitur omne fœdus vinculum ſit quo duo inter ſe certis promiſſis mutuis ligantur; & omnia ſacra ad fœderis integritatem vti ad finem tendant, optimè inſtitutum eſt, vt omnia ſacra vinculo coronentur, ceu vltimo votorum fine. Sed quia Spiritus ſancti inſtinctu reuelatum erat, vinculum non poſſe in integrum reſtitui, niſi per agnum; placuit vt laneum vinculum fieret, quo tamquam ſimulacro illa coniunctio & copula denotaretur, quam laniger agnus ſuo ſanguine inter Deum & hominem erat ſancturus & confirmaturus in æternum. Habemus itaque nunc qua de cauſſa infula ſic facta ſemper fuerit, vt apta eſſet ad vinciendum. Nobis, quæ de fœdere diximus, multo ſignificantiùs vernaculo ſermone exponuntur, qui fœdus bont vocat à ligando.

Bont.

Bont enim, ſi vt verbum accipiatur, idem eſt ac ſi dicas, ligabam, ſiue vinciebam: quo fit, vt infulæ vſus mox intelligatur ad fœderis ſpectare coniunctionem ac copulam. Ex his modò aliò deducimur. Cùm enim bont fœdus ſignificet, atque omnes humanæ culpæ violato fœderi imputentur, nec illud ſemel ſcelere noſtro conſpurcatum mundari poſſit niſi per ſacrificium; ſacrificium verò mundum requirat ſacerdotem; mundus verò ſacerdos nullus inter mortales inueniri poſſit, exſpectandus erat ſacerdos nouus de cælo. At interim dum ille exſpectatur, quædam veri ſacrificij figura & veri ſacerdotis ſimulacrum erat inueniendum, quorum inſpectione ad futurum illud homines excitarentur. Deligendus ergo ad ſacerdotium is, qui quàm puriſſimæ inter homines vitæ eſſet, ac quàm fieri poſſet proximè veri ſacerdotis imaginem quandam haberet. Et quia verus ſacerdos & verus ſacrorum Rex fœdus inter hominem & Deum ictum totum erat emundaturus ab omnibus maculis, quibus culpa noſtra eſſet conſpurcatum, nomen illud ſummo ſacerdoti factum eſt, quod hanc fœderis expurgandi rationem clarè contineret.

Pontificis nomenclaturæ ratio.

Quod verò illud eſt vocabulum? Nempe quod omnibus Latinè loquentibus ab omni memoria in ore fuit, nec à quoquam hactenus mortalium, cuius modò memoria exſtet, ad rectam rationem potuit vocari. Quis neſcit Pontificis nomen? quis neſcit quot viri eruditi in etymologia eius quærenda olim ſe fatigarint? Plerique omnes γεφυροποιὸν fecerunt, id eſt, pontis fabrum, & commentum frigidiſſimum ad Sublicium pontem applicarunt; ipſo ponte, licet ligneo, repugnante. Scæuola cernens nihil ſani in hac eſſe interpretatione, à poſſe & facere nomen deriuauit, quaſi Pontifex potens eſſet ad faciendum. Verùm hoc rurſus friuolum; & tale, vt nemini ferè probetur. Quid agerent? Voces è vetuſta lingua relictas ad notas ſibi origines redigere moliti, ridiculos ſe præbebant: & dum ineptas nugas confingebant, malè de maiorum ingenio merebantur; quaſi ſcilicet illi tam rudes fuiſſent, vt qua voce ſummus ſacerdos dici deberet, ignorauerint. Pontifex igitur vocabulum noſtras eſt, ad Latinam terminationem eodem modo quo Apex & id genus alia accommodatum. Neque vlla hîc litteræ mutatio accidit, præterquam quòd è media tenuis littera facta ſit, quod ipſa ſoni ſuauitas pæne facere coëgit. Quis enim non lubentiùs audiat Pontifex, quàm Bontifex? Nec rarum

eſt Ro-

eſt Romanis, vt è B noſtro P faciant. Sic è Bar faciunt Pario & Pareo, è Bet Peto, & alia ſuo loco explicanda. Ne miremur ergo è Bont/quo fœdus notatur, Pont factum eſſe. Integra compoſitio noſtras Bont-fegt eſt, quæ ſignificat fœdus mundat & expurgat.

B Cimbricum ſæpe in P trãſit apud Latinos.

Feg idem eſt quod mundo & purum reddo. vnde Gef conuerſum, nobis ſignificat eum qui omnino mundus eſt, dum vt nomen vſurpatur: Verùm dum verbum eſt, idem ſignificat quod dono; qua conuerſione ichnæa nomenclator indicauit, nullam nobis munditiem contingere poſſe, niſi donetur: & rurſus ſummum eorum quæ dari nobis petere debemus, eſſe vt mundemur. Quoties igitur dicimus Gef/ de illo cogitandum à quo omne donum procedit, & illum ſic rogare, Gef/ id eſt, dona; ac per conuerſionem vocem relegendo addere confeſtim, Feg/ id eſt, depurga. Quis tam hebes eſt, vt hæc non admiretur? Quis non videt tribus litteris totum ſalutis humanæ myſterium expreſſum? Docemur enim in poteſtate noſtra non eſſe vt mundemur, ſed id nobis è dono tantùm contingere: docemur item primum donum, quod à Deo petere debemus, eſſe vt expurgemur. Nunc igitur Bont-fegt idem fuerit ac ſi dicas, fœderis expurgator: vnde Pontifex. Dum enim Latini voces apud nos in Ct & Gt & Cht exeuntes ad ſuam linguam quadrare volunt, primum Tau mutant, ac deinde è duabus litteris duplicem formant. At hoc iam nimis frequenter inculco, dum nihil ſcrupuli relictum volo, quo quiſquam vel leuiter commoueri poſſet. Accipiant igitur nunc tandem Latini veram Pontificij nominis interpretationem. pro qua non aliud mihi reponi cupio, quàm vt ſummum Pontificem feruidis precibus vnà rogemus, vt in nobis fœderis toties violati & rupti maculas expurgare dignetur, pro eo atque Pontificis nomen pollicetur. Pontifex igitur fauſtiſſimum nomen eſt, quoniam & fœdus & eius purgationem complectitur, quibus rebus tota hominis ſalus continetur & abſoluitur. Quod cùm ita ſit, videmus Infulam rectiſſimè vinculi formam habuiſſe; & præterea è lana conſtitiſſe, quo videlicet ea & fœdus, & fœderis rupti redintegratio oſtenderetur.

Feg. *Gef.*

Infula cur lanea.

Primùm enim ad fœdus iungendum vtilis erat aut funiculus aut faſcia; deinde ad ruptum diuulſumque nihil rurſus vinculo magis neceſſarium. At quia ſolus agnus ruptum fœdus inter hominem & Deum potuit reſarcire, vt faſcia è lana conſtaret oportebat. Porrò ſicut faſcia ad deuinciendum comparata erat; ita virga lana ſuperne obuoluta, idonea erat ad vulnus & omne rupti fœderis tabum extergendum atque mundandum. Quis enim in exigua virga, cuius ſummo lana eſt obuoluta, non confeſtim agnoſcit peniculum medicorum, quo vulnera & quæuis ſordida vlcera mundantur & deterguntur?

Virga in ſuprema Pontificis conoide quare lana obuoluta.

Medici fortaſſe concerptis linteolis vel ſpongiolis vterentur: at rupti fœderis hulcus lanam poſtulat. Videmus ergo tandem virgam tutulo impoſitam, non potentiam modò & ſceptrum lana obuolutum mitiſſimi, molliſſimi, & pacifici regni ſymbolum nobis denotare, ſed medici etiam vulnerarij peniculum repræſentare; atque ita ſecundam in Pontificis nomine ſyllabam, quæ mundandi extergendique notationem habet, ob oculos ponere. Totum itaque Pontificis nomen infula & apice Cyrbaſiæ ſiue tutuli depingi videmus. Cùm igitur metam inter infulas inferiùs dependentes, vt iis fiat alligatio, & penicillum quo ſanies & ſordes hulcerum expurgantur, cernimus; quid, rogo, aliud cogitard poſſumus, quàm veram vitam & omnem vitæ ſalutem & felicitatem purgatione & alligatione contineri perficique? Quid alij hîc videant neſcio, mihi certe tam craſſæ lemæ necdum oculos obturarunt, vt non videam in hoc ſymbolo perfectam vitam hinc faſciis, hinc peniculo opus habere; & iis non quibuſuis & è quauis materia, ſed è lana mundiſſima, quam ſolus dare poteſt agnus immaculatus. Hæc lana illa eſt niuea, qua Pan verus reconciliator, quem Panis nomen deſignat, Lunam, id eſt, omnem figuratam & ſymbolicam ſacrificiorum & rituum ſcenam ad ſe pertraxit, & æterno ſibi fœdere ſociauit.

Pan qua lana Lunam ad ſe pertraxerit.

Tutulus ergo ſiue Cyrbaſia laneis infulis & peniculo lanis obuoluto inſignis, totum ſacrificij & Pontificis fructum complectitur & exponit; & idcirco totam humanæ vitæ ſalutem tuetur. Quamobrem veriſſimè & elegantiſſime D. Paullus galeam ſalutis Pontificis Tiaram vocauit; tametſi ſignificatione eius dumtaxat vſus ſit, dum nomen hoc expreſſit, nulla facta vel Cidaris vel Pontificis mentione.

Galea ſalutis.

Nunc igitur tandem feliciſſimo Mercurialis manus ductu cò peruenimus, vt ſummam hominis tutelam in Pontificio apice conſiſtere videamus; cui ſi Lamet nomen litteræ conferamus, ſtatim videbimus Lamet adamuſſim hunc apicem denotare. Cùm enim Lamet

caput ſit omnis defenſionis, primariam ſignificat defenſionem. Deinde quia lam à lam/ id eſt, ab agno ſe dicat defenſionis rationem trahere, quid aliud erit Lamet, quàm caput defenſionis agninæ? Vt igitur ſummam tutelam & principem omnium defenſionum ab agno nobis conceſſam ſpectabili aliquo exprimas ſimulacro, quid, rogo, aptius reperire queas, tametſi omnes Apelles conſulas, quàm ſi Tutulum cum infulis laneis & peniculo laneo pingas? Sic enim in lana agnum deſignabis, & in galea ſiue Cyrbaſia capitis defenſionem, quæ meritò princeps dicitur defenſionum. Optarem, vt omnes eadem hîc qua ego voluptate perfunderentur, de tam admirabili vocis Lamet & Pontificij pilei conſenſione. Sed hoc votum, vt cetera omnia, in eius eſt poteſtate, qui lanam, id eſt, wol/ votorum humani generis abſoluendorum cauſſa, ſibi pro ſymbolo ſumſit. Dum igitur wol dico, quod eſt Vellem, votum meum in eius colloco poteſtate, qui per wol/ id eſt, per lanam denotatur. Lanam autem omnia vota non explere ſolùm, ſed cumulatè etiam explere poſſe, duplex W deſignat. Cùm enim Vol plenum ſignificet, Wol bis plenum notabit; adeò vt Wol/ id eſt, lana, cumulatam habeat plenitudinis ſignificationem. Sed rurſus me abripi ſentio ad myſteriorum abyſſos; in quibus cùm nullus finis inueniretur, ipſe mihi finem faciam, & abrumpam potiùs orationem, quàm res abeat ad infinitatem. Quid enim eſt in toto veteris fœderis volumine, quid in omnibus noui & æterni fœderis, quod agnus ſanguine ſuo ſanxit, libris, quod non in Lamet & eius figura indicetur, & ſymbolicôs tum in nomine, tum in effigie reperiatur? Propoſueram equidem longè accuratiùs in his verſari, & multo plus temporis & operæ in iis ponere; verùm importunæ quædam moleſtiæ & neceſſitas inexpugnabilis curſum ſuauiſſimi ſtudij abrupit: & quæ maturare cogitaueram ac legitimo tempore parere, coëgit abortire. Statueram inter alia præſentis temporis ritum in Pontificum ornamentis cum vetuſtis conferre; verùm ineuitabilis importunitas quędam, non dico cuius, dulciſſimum otium turbauit, & me intra domum meam à muſeo coëgit exulare, & tempus, cuius alioqui magnis premor anguſtiis, conſumere; aut, vt veriùs dicam, perdere, in rebus à ſtomacho meo alieniſſimis, vt verear ne antè crepem quàm omnes deuorauero. Omiſſis igitur ceteris, quando ita cogor, hoc tantùm obiter addam, plurima adhuc veſtigia veteris Tutuli hac ætate cùm apud nos, tum apud alios exſtare. Nos pro Tutulo nunc Theut dicimus, quaſi Het he hut/ id eſt, illud quod altum ſiue caput tuetur: & quia id cornu ſimilitudinem habet, factum eſt vt cornu Theut vel Theuthoorn vocetur; & cornu inflare, Theuten. Sed vt olim flamines apices ſuos non lubenter ferebant; ita hodie videmus euenire. Doctores enim Louanij Tutuli ſimulacrum ex humeris potiùs ſuſpendunt, quàm verum Tutulum ſiue pyramidale pileum in capite portent: & id quod Tutuli loco ferunt, Theut ſiue Theot vocant, tametſi nullam aliquando habeat Tutuli effigiem. Vtuntur eodem ornamento & alij ſub eadem nomenclatura. Franci à ſimilitudine cornu hoc ipſum quod in collo ferunt Cornet vocant, licet nunc nihil habeat vel cum cornu vel cum cyrbaſia commune præter inane nomen. Canonici noſtrates qui primæ claſſis ſunt ſacerdotes, loco pilei cum infulis laneis è ſiniſtro cubito pelles ſuſpendunt, per pelles lanam denotantes; in quarum ſummo pileum eſt, quod dum capiti imponitur, non vnum cornu, ſed duo monſtrat; hac parte degenerans. Loco autem lanearum infularum pelles in dorſo pendent vltra cingulum, pro fimbriis pellium caudas habentes, quibus infularum fines denotantur. Hoc ornamento apud nos rarò in capite vtuntur, niſi inſignis aliqua ſit occaſio. Nuncupant id noſtrates Canonici Almuſiam: quam vocem quidam non intelligentes ad eleemoſynam detorſerunt, dicentes hunc ſaccum eſſe mendicitatis indicem. Verùm id falſum eſſe, pelles & fimbriarum ornatus, & ipſe denique vſus coarguit. Equidem vocabulum agnoſco & veneror: Almuts enim idem nobis eſt quod antiquum pileum: è quo intelligimus, olim primarios ſacerdotes pileis pellitis more Gotorum veterum & Germanorum huius temporis vſos fuiſſe, ſed maioribus, & in dorſo longam appendicem infularum loco demittentibus; quod caudæ fimbriarum clarè demonſtrant. Idem ornamentum alio nomine Beffam dicunt: quæ vox ab Italis Gotizantibus hactenus etiam eſt retenta. Ex hoc verò nomine apertiſſimè liquet, Almuſiam Canonicis fuiſſe id quod Theut/ Theot/ ſiue vetuſto nomine Tutulus doctoribus & aliis inferioris ordinis hominibus. Perquiramus igitur quid Bef ſignificet. Latini certè & Græci hanc vocem non agnoſcent.

[Margin notes: Wol. — Theut. Theuthoorn. Theuten. — *Almuſia Canonicorum.* — Almuts. — *Beffa.* — Bef.]

agnoſcent. Mihi pro mediocri vernaculæ noſtræ linguæ, quam mihi ſtudio meo peperi, intelligentia, nihil habet obſcuritatis. Docui in Bet, Be nobis orationem ſiue precationem notare; ſed propriè ſacram, & eam qua Deum rogamus, vt nos liberet à tentationibus. Hef ſiue ef idem eſſe quod eleuo, nemo ſaccigerulorum apud nos ignorat, humeris ſuis quid verbum hoc denotet ſæpius expertorum. *Hef.* Be—Hef igitur, & contracta voce Bef/ idem eſt ac ſi dicas preces eleuans. Sed quid, dices, huic ornamento cum precibus? Id ſcies, ſi primùm cogites in cuius locum pelles hæ Canonicorum noſtrorum, & Beſſæ ex Italorum humeris ſuſpenſæ ſucceſſerint. Cùm enim loco pileorum in metam elatorum habeantur, cauſſa nominis in conoide pileo, ſiue Curbaſia, ſiue Tutulo quærenda eſt. Tutulatos olim fuiſſe qui ſacris operarentur antè tradidi. Quis verò Tutuli ſcopus ſit, & quid nos moneat hæc meta capiti impoſita; Alauda noſtra, quæ & ipſa tutulata eſt, docebit. *Beſſe Canonicorum quid moneant, & in cuius locū ſucceſſerint.* Cùm enim pyramis nobis demonſtret, mentem ad ipſum Vnum eſſe eleuandam, cùm ſemper, tum maximè in oratione; non video, quod nomen huic pileo in pyramidem elato inuenire poſſis, quo meliùs clariúſque ſignificatio eius & verus vſus explicetur. Nihil enim aliud bef monet, quàm vt preces noſtras quàm poſſumus altiſſimè eleuemus à terra, vti Alaudam Beſſatam facere videmus. Itali, quia nec antiqua pilei forma, nec capitis eo tegendi in ſacris ratio, nec vſus omnino vllus eius retentus eſt in ornamento quod humeris fertur & hoc nomine vocatur, rati merum hoc eſſe vetuſti ritus ludibrium, nec aliud quàm apertam & omnibus claram deriſionem, cœperunt vocabulo Beſſæ pro ludibrio & deriſione vti. Et reuera ſi rem bene diſcutiamus, id genus ornamenta à priſcis accepta, nec vmquam à nobis ad finem ſuum & vſum relata, non aliud mihi eſſe videntur, quàm ludibria; & idcirco non malè nomen à falſis & ſimulatis Tutulis ad irriſionem ſignificandam tranſiiſſe. Nobis interim viſum eſt operæ pretium, huius nominis veram monſtrare rationem, vt intelligamus, omnia quæ de Cyrbaſia & Tutulo dicuntur ad hoc nos inuitare, vt mentem ad Deum eleuemus. Verùm vt omnia alia nomina pulcerrima ſint, & vtiliſſimas ad ſalutem chrias complexa, nullum tamen diuinius & myſteriorum plenius, quàm Lamet; quod nominis ad vnguem Pontificis Apicem exponit. Vtamur enim hac voce ad eum modum, quo plerique Latinorum, vt pars nimirum primaria pro toto ponatur.

Mem.

Mem vocis ſignificatio & artificiũ. Me. POST titulum ſecundum, quo in ſecunda orationis parte Spiritus ſanctus ſalutatur, congruæ titulo & ſalutationi preces ſequuntur; quarum initium eſt Mem, quod interpretamur, Adiuua eum. Primùm itaque interpretationis ratio reddatur. Me haud ſecus litteræ M poteſtatem exprimit atque Em: neque cur hoc potius quàm illud in Abecedario Latinorum ponatur alia ratio eſt, quàm quòd ita poſtulet precationis à præceptore bonis verbis conceptæ ſententia. Quæ enim à Grammaticis de mutis & ſemiuocalibus diſputantur, ſunt illa quidem à priſcis accepta, ſed ad nugas & ſomnia à veritate detorta. Latini Ef, Em, En, Es, Ix, pro litteris efferunt, Græci pro eiſdem Phi, Mi, Ni, Sigma & Xi pronuntiant. Verùm hac de re in Hermathena ſatis multa. Mem certè Me & Em coniunxit, vt vtrimque, & ante & poſt vocalem, audiri poſſit conſonantis poteſtas; quod ad orationis ſententiam *M litteræ vis.* accommodare, ſollertis profectò fuit & elegantis inuentionis. Me igitur idem eſt quod adiuuo, vel adiuua: cuius diuina prorſus eſt ratio. Cùm enim hæc conſonans os concludat, & ſonum quodam modo intus retineat, vt eam Terentianus intus in ore mugire dicat; conueniens littera erit iis denotandis quæ nobis non adeſſe tantùm volumus, ſed in nobis etiam permanere, & in nobis ipſis ſuam exercere poteſtatem; haud aliter ac littera hæc facere ſentitur. Quid igitur aliud eſt me, quàm concludo intus ipſum Vnum, vt ſuam poteſtatem in me exerceat? Atqui is qui domi ſuæ & intra pectoris penetralia Vnum concluſum habet, næ is habet auxilium omnium validiſſimum, & quo nullum maius, nullum certius, nullum præſentius, nullũ fidei conſtantioris queat *Trinitatis in Mem littera myſterium.* excogitari, nedum haberi Hoc demum robur & ſubſidium eſt triarium, tres nobis perſonas, quibus & creatio omnis & rerum conſeruatio debetur, vnitate & vna littera cõcludens. Porrò quia ipſũm E omnibus rebus non modò hominibus adeſt, vocula Me Me. loco præpoſitionis vſurpata eſt, præſentiæ habentis notationem, quam Latini per Cum interpretantur. Quoniam verò vocum rationes in primis & ſummis ideis maximè rationes ſignificationis ſuæ & tuentur & oſtendunt, videamus quomodo ipſum E, quod omnibus auxiliatur & intus adeſt, hac vocula Me vti poſſe, poſſit cogitari. Quòd ſi ipſum Vnum, quod Pater eſt, cogitare ſecum fingamus Me, id eſt Iuuo, ſtatim in mentem veniet quid pater primùm & ante omnia iuuet; ante omnia, inquam, creata, quibus infinitis ſæculorum myriadibus prior eſt. Nam quod ſemel pater verè de ſe ad ſe reſpiciens dicere poteſt, id ſemper & ab æterno dicere potuiſſe intelligatur neceſſe eſt.
Si. Quemadmodum ſe contemplatur, ita ſe quoque iuuat: & vt ex ipſius Si, quod tenui
Is. voce pronunciatum video ſignificat, mox exiſtit Is/ quo Eſt ſignificatur; ita ex ipſius Me quo ſeipſe iuuat in ſua eſſentia, non extra ſe quicquam auxilij emittens, ſtatim gi-
Em. gnitur Em/ quo nobis ſimpliciſſima vox denotatur. Sicut ergo ex Si/ id eſt video, Patri attributo gignitur Is/ ſiue Latino more Eſt: & ex Se/ id eſt, dicebat, gignitur Es/ quod idem eſt quod Is ſiue Eſt: Latinorum; ita ex Me ſiuè Iuuo gignitur Em ſiue ſimpliciſſima vox; & hæc quidem ſimplici & vnica ichnæa conuerſione, eodem tempore vtrobiq. ſeruato. Vidéſne hic vt ex Vno in ſe manente & ſe iuuante gignatur vox; & id quidem ante omnia genera creatorum, ſola ſolius Patris in ſe conuerſione? Quid verò hoc aliud eſt quàm illud, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum?* Sed nobis Em ſimplicem vocem deſignat, & eò in ſermone noſtro ſignificantior eſt locutio. Ex Me igitur fit Em, vt ex Got fit Tog: & ſicut hoc Filij eſt, illud Patris;
Em. ita Me Patris eſt, Em Filij. Hinc apud Teutones olim Em pro Sum fuit in vſu, vti hacte-
εἰμί. nus eſt apud Britannos, vetuſtiſſimam Cimmeriorum ſobolem. Vnde apud Græcos εἰμὶ remanſit pro Sum. Eius locutionis cauſſa de ſummo pendet myſterio creationis. Cùm enim Pater per Filium ſuum omnibus eſſe dederit, voluit nomenclator, vt ex Em, quo vox, per quam omnia ſunt quod ſunt, ſignificatur, verbum fieret pro Sum vſurpandum;

quo

quo ſemper dum quis Em pro Sum diceret, de Filio; qui Patris vox eſt ſiue Em, cogitaret; & ſic cogitaret, vt per eam vocē ſe intelligeret Eſſe ſuum habere. Em igitur à voce creatoris ad exemplum vocis ſiue imaginem vocis tranſiit, dum pro Sum in orationem veniebat. Contempleris, obſecro, qua methodo nomenclator nos ad Dei ducat cognitionem, quantoque hæc ſit diuinior, compendioſior & clarior, quàm obſcuræ in Parmenide Platonis ſuppoſitiones ſiue hypotheſes, & ex iis concluſiones plenæ tenebrarū: &, vt quod ſentio ingenuè fatear, plus habētes tricarum & apinarum, quàm ſolidæ eruditionis Ogygiæ, ad quam philoſophorum ingenia ſua ſponte pertingere nequiuerunt; in iis præſertim quæ ad Trinitatem pertinerent: de qua quicquid apud eos inuenitur, à priſcis Sethinis & Ogygia Nochi ſobole per manus ad poſteros peruenit; verbis illud quidem frequenter eiſdem, ſed intelligentia vel nulla vel obſcura, vt licet in illo videre, *Tria ſunt omnia*; quod Ariſtoteles à Pythagora acceptum, profana & prorſus mechanica interpretatione corrupit. Videmus itaque hîc ſimplicem primùm vocem ante omnia ſæcula à Deo gigni, & per eam non ſecus Patrem intelligi, atque hominis mens per ſe occulta per vocem declaratur. Per hanc igitur vocem omnia creauit. *Dixit*, inquit Moſes, *& facta ſunt*: quod per Se & Es item explicatur, vbi è Dicebat, gignitur Eſt. Creatio enim prima fuit Dei locutio extra tendens, per quam infinita eius poteſtas rebus creatis oſtenſa eſt, vti mentis cogitatio per vocem explicatur. Porrò & illud conſiderauit nomenclator, quòd Pater per Em ſeipſe demonſtret; & dum ſe demonſtrat, Filium oſtendat, & ſe per Filium. Hinc vt eius quoque homines moneret, voluit Em ſiue Hem pro eo poneretur, quod Ipſum vel Ipſi Latini dicerent; nimirum vt quoties ſic loquimur, de Filio cogitaremus; & ad eum modum de eo cogitaremus, vt omne auxilium quod Me ſignificat, per ipſum ad nos venire debere, nec aliter poſſe intelligeremus. Pater enim primum Ipſum iuuat, & Em gignit, & mediante Em ſe declarat, & auxilium ſuum per Em communicat. Præterea cùm Em vocem primam & ſimpliciſſimam ſignificet, monemur, vt prima quæq. vox noſtra ad ipſum tendat qui primus Em vocatur, id eſt, ad ipſum Filium. Sed quid ego hîc calamum demoror, vbi nullus exitus contemplationis inuenitur? Cogor tamen & illud addere, nomenclatorem hîc non ſubſtitiſſe. Neque enim fas ſibi putabat Patris & Filij meminiſſe, niſi Spiritus quoque ſancti mentio acceſſiſſet. Quemadmodum igitur è geminato tempore, geminum proceſſum ratione duarum perſonarum Patris & Filij in Spiritu ſancto intelligi voluit, dum ex Got breui Goog longum fecit; ita ex Me breui fecit Eem longū: quæ vox licet nunc in vſu apud noſtrates non ſit, olim tamen fuit, vt è deriuatione demonſtratur. Eemer omnibus notiſſimum eſt vocabulum, pro vaſe aquario, ſiue eo quo aqua funditur. Sicut igitur ex deriuatis ſimplicium ſignificata cognoſcuntur, vt in Becker vſitata omnibus voce, pro eo qui panem facit, intelligimus quòd Bec verbum ſit idem quod panem facio, & Bec nomen idem quod panis: & ſimiliter in aliis ſit collectio; ita optimè procedit concluſio, ſi eemer effuſorem ſignificat, eem fundo denotabit. Eſt apud nos flumen quod exiguo terrarum tractu maximum effundit oſtium, quod à copioſa aquarum effuſione Eems vocatur, ceu dicas copioſè effundendo terminari: à quo opidum adiacens Eemden vocatur. Græci ἐμῶ ab eem acceperunt, quo pro vomo vtuntur; eo quòd eem copioſam ſignificet effuſionem, & vomitus ferè non ſolùm ob redundantem copiam fiat, ſed affatim etiam ventriculi ſuperioris onus effundat. Sunt mihi de media plebe & fece hominum vetuſtarum vocum notationes ſæpe diſcendæ, à qua tamen earum origines nulla macula inquinantur; non ſanè magis quàm Solis radij ſpurcis lacunis recepti. Cùm igitur eemer vas notet quo aqua funditur affatim & abundanter; eem non aliud fuerit, quàm cumulatè effundere. Vulgò dicimus, Het regent oft met eemers geot/ id eſt, pluit non ſecus ac ſi aqua eemeris, ſiue vaſis ad effundendum factis, funderetur: qua in locutione clarè cernitur ſignificatio eius verbi à quo eemer deriuatur. Quamobrem vt à Me Em fit, eodem tempore manente; ita tempore geminato fit Eem, proprium Spiritus ſancti officium deſignans; cuius eſt, diuina dona largiſſimo cornu, ſiue potius eemeris, vt noſtrati voce vtar, effundere. Reuertamur nunc ad Me/ quo adiuuo dixi notari. Ex hac voce & Ei, quo proprium & ſingulare denotatur, fit ei-me/ & compoſitè per apocopen eim, pro eo quod eſt ſepio & poſſeſſionem propriam facio, quaſi dicas proprietatem & ſingularem poſſeſſionē quopiam munimenti auxilio iuuo

Vox ſimplex ante omnia ſæcula à Deo genita.

Hem.

Eem.

Eemer.

Becker.

Bec.

Eems fluuius.

Eemden opidum.

ἐμῶ verbi etymon.

Ei.

Eim.

Heim. iuuo atque concludo. Hinc Heim pro domo ſua cuique ſingulari vſurpatur, quòd ea ſit quaſi ei-me, id eſt; ſingulare & ſuum cuique proprium adiumentum. Adſpirationis

Mede. vel præſentiam vel abſentiam ſuſque deque fero. A me verbo fit mede/ pro quouis auxilio: quæ vox eſt in conceptis iuriſiurandi verbis quibus magiſtratus Antuerpianus iurat, ſe nullis donis, nullo fauore, nullo patrocinio, nullo denique adiumento vſum eſſe, vt ad munus publicum perueniret. Latini à noſtra phraſi elegans illud loquendi genus mutuati videntur, quo dicunt: Mecum facit, Tecum facit, cum illo facit; quando illo nihil aliud ſignificare videntur, quàm Me iuuat, Te iuuat, Illum iuuat. Verum ſatis ſuperque de voculæ Me notatione; quæ vt vulgaris eſt, ita non habet vulgarem originem atque rationem. Me-em igitur nihil aliud eſt, quàm iuua ipſum. Cur autem em ſiue hem ipſum ſignificet, modò dictum. Nec obſcurum eſt ex Me-em per Synalœpham fieri M'em. Licet tamen Meem diuiſis ſyllabis pronuntiare, vt Tſeri Hebræorum longum, quo Mem pronuntiant, in duo breuia tempora partiaris. Ex his liquet, præceptorem diſcipulo in ſecunda orationis parte principio auxilium generatim implorare, quaſi diceret: Nihil eorum quæ modò rogaui Canopus meus capere poterit, niſi tu ſupremũ omnis defenſionis caput eũ contra omnes aduerſitates adiuues. Eodẽ ferè modo in oratione Dominica, poſtquam preces eò venerunt vt dicant: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; quo ſumma vitæ felicitas continetur, mox additur: *Dimitte nobis debita noſtra*; propterea quòd ea, niſi tollantur, obſtent ne ſimus panis cæleſtis, quo vita æterna datur, capaces. Mirificus eſt vbique conſenſus Chriſti & Alphabetarij noſtri precatoris; qui licet maiorem in modum me capiat ac teneat, nolo tamen ad eum latiùs explicandum hoc loco venire, ne in pane quotidiano paradoxi aliquid è D. Hieronymo adferre cogar; qui tradit in Euangelio ſecundum Hebræos vocato pro *ἐπιούσιον*

Panis quotidianus. מחר ſcribi, quo craſtinum ſignificatur. Græcis *ἐπιούσιον* non eſt in vſu, & pro ſuperſubſtantiali quod D. Hieronymus vertit, *ὑπερούσιον* dicendum eſſet. At cùm *τῇ ἐπιούσῃ*, pro ſequenti die dicant Græci, videtur Euangeliſta ex hac dictione adiectiuum feciſſe quò craſtinum denotaret, vt Hebraicam vocem exprimeret, vt Caninius vir doctiſſimus annotauit. Quamobrem ſic videtur hæc orationis pars intelligenda, vt rogemus Deum vt panem ſuum viuum quem cras daturus ſit, id eſt, mox proximo tempore, det nobis hodie; id eſt, vt iam nunc nos ſola ambroſia & vultu ſuo, cuius inſpectio panis eſt, beatitudinem dans & ſuſtinens, paſcat: quod non aliud eſt, quàm vt nos mox in cælum transferat; & futuro gaudio perfrui ſinat. Orator ergo noſter, vt ad propoſitum reuertar, dixit: Adiuua ipſum vniuerſim omnibus in rebus; diuinum auxilium implorans,

Auxiliũ diuinum omnibus in rebus implorandũ. quo ſolo poſſumus ad vitam beatam peruenire, & tentationes & omne malorum genus, quod eò properantibus obſtat, repellere atque ſuperare. Plena eſt ſacra ſcriptura, nos citra Deum adiutorem nihil poſſe, & Dei ſolius eſſe homines adiuuare: nec vllæ preces in ſanctorum ore frequentiùs innatant, quàm, *Adiuua me Deus*. Et certè cui hic adiutor eſt, is neminem timere debet: ac cui adiutor non eſt, is nihil boni poteſt ſperare; atque ita pericula in quibus hominis vita verſatur intuenti, mox orandum: *Adiuua me Deus.* quod ſacer chorus Chriſtianorum animaduertens, rectiſſimè preces ſuas & laudes diuinas cum Ieſſæo vate incipit: *Domine in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina.*

M. litteræ figura. Quoniam igitur omne auxilium à Deo eſt, diuino proſſus artificio nomenclator vocabulum Me ad eum modum fabricatus eſt, vt Vnum in ſe concluderet; cui videlicet ſoli omnis eſſet adiuuandi poteſtas. Quamobrem huius pictura quoque talis eſt, vt ambabus manibus in pectus reflexis, oſtendat ſe Vnum intus habere, atque id retinere velle ad ſui defenſionem. Et quemadmodum in littera M prominentia totius quodammodo intus continetur; ita in Me deſignando brachia & cubiti vna cum manibus corpus concludunt, demonſtrando interim digitis, ſe cupere ſibi inuenire quod ſecum facere poſſit. Hæc figura vti à nobis picta eſt, non raro eſt in [illegible] Hieroglyphicis: & cæteroqui non opus eſt aliunde petita eius probatione, quàm ab ipſa littera; quæ non alia ratione quod per Me deſignatur, aut commodius aut ſignificantius demonſtrare poſſet. Videbar mihi hac via & ratione ipſius Me non malum inueniſſe [illegible] ſtatueram hoc, vti veriſſimo & naturæ ductum ſecuto, contentus eſſe; verùm [illegible] ad Spiritum ſanctum dirigitur, & ei vocabulum geminato tempore à Me [illegible] fuiſſe, coactus ſum amplius cogitare, & ſuſpicari, in hac littera

Mem

Mem vlteriùs adhuc proſpexiſſe Alphabetarium magiſtrum. Quoniam enim ſic huius litteræ nomen protulit, vt geminam vocem ex vna fecerit, & duas eiſdem litteris & eodem tempore conſtantes coniunxerit, proſam videlicet ac verſam; in mentem venit, non vnam ſimplicem rationem in vocis itidem ſimulacro latere. Vt enim copioſius ſemper eſt ſermonis noſtri nomenclator, non tam litteris, quarum eſt parciſſimus, quàm rationibus eorum quæ fabricatur vocabulorum; non potui non in animum inducere, & mihi ipſi perſuadere, geminam rationem occultari in eius litteræ figura, cuius nomen geminam, proſam & verſam nimirum, vocem complecteretur. Remandemus ergo & ruminemus id quod de eem dictũ eſt; fortaſſis enim in hoc vocabulo adhuc lateat myſterium, quod necdum ſit ex adytis productum in lucem. Dixi duplex tempus in eem/ proceſſum à duabus perſonis denotare; quarum prior vocabulo me/ poſterior vocabulo em ſignificaretur. Hic nunc video duarum perſonarum nomina coniuncta eſſe, vbi me-em apertè habemus. Ex eo in mentem venit duabus his vocibus tertiam indicari, quæ tertiæ perſonæ conueniret. Quamobrem diligentiùs inſpicienti occurrit, ex me & em eem fieri neceſſariò, ſi voces non diuiſas, ſed coniunctas eſſe velis. Nam vt ex me gignitur em per conuerſionem ſimplicem; ita ſi em rurſus conuertas in me/ geminam habebis conuerſionem, & idcirco geminum tempus in geminata vocali neceſſariò exiſtet; atque ea ratione Filium ad Patrem reflexeris, & ſignificaueris me-e, quod eſt Adiuuantis Vnum. Porrò ex hac Filij ad Patrem conuerſione amor procedit, per quem omnia bona rebus creatis communicantur & largiſſimè effunduntur. Verùm vt ex me-e vna vox fiat, perſonæ tertiæ index, tertia conuerſione vtaris, & in ea ex gemina vocali & gemino tempore vnam vocalem & vnum tempus longum facias; & ita eem exiſtet, procedens à Patre & Filio ſeſe quodam modo oſculatis, vt dum dicimus, *Pax & iuſtitia oſculatæ ſunt*, id eſt, Filius, qui pacificator eſt, & Pater iuſtitiam in Filio ſuo exercens, mutuo oſculo ſe complexi ſunt, è quo Spiritus ſanctus ad Eccleſiam Chriſti ſponſam deſcendit, vt eam perpetuo amoris vinculo contineret, ac perpetuis donis in eam quotidie effuſis, & aleret & ornaret. Eodem modo dum Filius ad Patrem reflectitur & eum oſculatur, ex Patre & Filio confeſtim Amor exſilit, veluti Spiritus ex vtriuſque ore procedens, æternum duarum perſonarum inter ſe glutinum. Per hunc ſpiritum omnium bonorum Patris & Filij fit communicatio, quia in oſculo & Spiritus ab vtriuſque ore coniunctione & conglutinatione prima cernitur communionis idea; & idcirco hic ſpiritus ferebatur ſuper aquas, vt nimirum iis Patris & Filij & ſuam ipſius, qui vnus cum illis eſt, perfectionem communicaret, atque vitam infunderet. Hic igitur eem videmus, dum aquas & effuſionis perfectionem audimus. Prior quidem effuſio eſt, vt & ipſe effundens, quæ deſignatur in Moſe per, ferebatur; quo lata extenſio denotatur, quæ mox aquas effudit & aquis vitam indidit. Neque enim aquæ ſiue materia ante erat quàm Spiritus ferretur; ſed priùs ſpiritus ferebatur, & extemplo aquæ ſunt effuſæ, & iis vita infuſa eadem latione. Eem itaque fundentis eſt vocabulum, hac qua dixi ratione à me & em per geminam conuerſionem & oſculationem & conglutinationem procedens. Sed mirum ni huius vocis tam plenæ arcanorum aliqua apud antiquiſſimos mortales exſtent veſtigia, cùm videamus ad ipſam vſque plebem hactenus apud nos ab ea vocabula deriuari. Habemus enim eems flumen, habemus eemer vas aquarium, habemus & nauis minoris genus quod eemer vocatur, ceu vas ſit ad aquas dumtaxat effundendas idoneum, dum holcadibus & maximis nauigiis comparatur. Iam ab eem pro fundo præteritum imperfectum Am fiet vocali longa; ſicut à Nem fit Nam/ & a nem fit nam. Vnde communi nominum à verbis deriuandorum formula Am apud nos pro vaſe magno ponitur, quadringentas libras continente: cuius vſus eſt, vt vini vel cereuiſiæ, quibus propriè deſtinatur, largam nobis copiam effundat. Videndum itaque apud priſcos ecquæ huius vocis reliquiæ reperiantur. Primùm igitur de India cogitemus, vbi ante diluuium Sethini habitarunt. Hic diſpicientibus quid'nam id ſit quod tam multa, tam ampla, tam copioſa flumina effundat, mox occurret mons maximus & altiſſimus longo tractu & infinita montium propagine Indiam à Scythia diſtinguens; ad quem neceſſariò iis erit veniendum qui fluminum ingentium & plurimorum origines volent videre. Cùm igitur nullus mons vel plura vel maiora flumina effundat, vel quæ latiùs omnia vndique inundent, vt iis liquet qui Indiæ deſcriptionem apud idoneos auctores cognorunt,

Trinitatis in Mem littera myſterium.

Pax & iuſtitia oſculatæ ſunt.

Eem antiquæ vocis veſtigia.

Eemer.

Am.

Imai montis ſitus.

gnorunt, veriſimile eſt, nomen ei illud obtigiſſe, quo hæc tam inſignis eius dos notaretur. Erat enim in more maiorum, vt quoad poſſent nomina rebus darent, non tantùm naturæ conuenientiſſima, ſed etiam bona, fauſta ac felicia. Quomodo igitur hunc montem vocarunt? Hac in re nihil eſt vel controuerſiæ vel dubij. Nam vno ore omnes & Græci & Latini Imaum nuncupant, & ab omni memoria nuncuparunt; quod clarius eſt, quàm vt ſint teſtimonia ſigillatim citanda. Quid ergo Imaus ſignificat? Hic Græci & Latini & Hebræi conticeſcent; & ſi quid dicerent, non eſſent audiendi, eo quòd Indoſcythica noſtra demonſtrarint, linguam illis in locis principiò viguiſſe eandẽ cum lingua Ianigenarum & Cimmeriorum, quam nos hactenus vernaculam habemus. Imaus ergo ab **Eem-aut** nomen accepit vocabulo noſtrati, quo venerabilis effundendi antiquitas denotatur. **Aut** enim nobis vetus ſignificat, & conſequenter id quod eſt venerandum. Sic **Au** pro Deo dicimus, ſiue antiquo dierum, vt Daniel Patrem vocauit: qua de re in Tau. Sic **Heraut** eum vocamus quem Homerus κήρυκα, Latini caduceatorem vocant. Hic enim communiter & amicis & hoſtibus venerandus eſt; quod nõ noſtrati tantùm voce ſignificatur, ſed apud omnes gentes ſemper fuit obſeruatum. Hinc Cato dixit, Caduceatori neminem nocere. **Imaut** ergo fuſor eſt, iuxtà antiquus, vt cum ipſa terra creatus ac venerandus, propter aquarum quas largitur, copiam. E autem in I frequenter tranſire infinitis poſſem exemplis docere. Sic è **Lelien** noſtrati Lilia Latini; ex **Eeret** Iris, & alia ſimiliter ex aliis fecerunt. Neque verò id in commigratione tantùm vocabulorum ex vna lingua in aliam fit, ſed in eadem etiam lingua noſtrati multa ſine diſcrimine per I & E efferimus; vt **ben** vel **bin**/**es** vel **is**, & alia. Ex **Eem aut** igitur Imaus Latina, & Imaos Græca terminatione factum vocabulum, montis Indiam & Scythiam diuidentis naturam pulcerrimè & fauſtiſſimè depingit. Ex hoc nobis montis nomine vetuſtæ Latinorum vocis origo declarabitur; hactenus, perinde atque pleræque omnes, ignorata. Imber quid ſignificet, cùm cuiuis Latinorum perſpicuum eſt, tum Appuleius optimè definiuit, aiens in lib. De mundo, imbrem agmen eſſe aquarum, largiùs ex concretis effuſum nubibus. Cernis hîc effuſionis largitatem, quam verbo **eem** dixi notari. Imber igitur nobis **eem-wer** diceretur. **Wer** aëris cõſtitutio eſt, & bonæ & malæ & mediæ cõmunis: quo fit, vt **eem-wer** ſit conſtitutio largæ aquarũ effuſionis. Græci ex **Ee** fecerunt Ω, & ex Imber Omberos, & ſyncoptós Ombros. Dum vetuſtæ noſtræ vocis veſtigia canina quadam ſagacitate ſectari laboro, en ex inopinato Græcorum ἰμονιᾶν ſe naribus obiecit, tetro ſuo odore longe lateq. aërem corrumpens. Hoc enim verbũ ſic interpretãtur, vt dicãt idem eſſe quod τὸ μυχεὰ χέζειν. quod ſi cum ἐμεῖν coniunxerint, dignã ſuibus, aut tyrannis potiùs parauerint cœnam. Relicto igitur illis quibus optamus hoc epulo, in quo liberalis eſt condimentorum effuſio, nos clauſis naribus ad alia properemus. Cùm nemo effundere poſſit quod nõ priùs hauſerit, Græci ἱμᾶν pro haurire poſuerunt. Verùm ſi rem examines, non tam in haurienda aqua ſcopũ ſuum collocabant, quàm in aqua ad neceſſarios vſus affundenda. ἱμᾶν igitur haurire dicitur, à fine ſuo qui conſiſtit in effuſione. Hinc ἱμαῖον carmen, quod aquam è puteis haurientes canebant; cuius meminit Callimachus:

Imai nominis etymon.

Aut.

Au.

Heraut.

E in I trãſitus frequens.

Imber.

Imbris etymon.

Wer.

ἱμᾶν.

ἱμαῖον quid, & vnde dictum.

ἀείδει καὶ πάτις ἀνὴρ ὑδατηγὸς ἱμαῖον.

Ιμονιὰ autẽ funis quo aqua attrahebatur. Vides'ne nunc me ex **eemer** voce noſtrati non vana ſomnia finxiſſe, & ἱμᾶν clarè teſtari quid ſit **eem**; atque adeò hinc intelligi, hoc verbum Spiritui ſancto propriè conuenire; eo quòd à Patre & Filio hauriat quod ipſe deinde largis imbribus effundat? Et in his quidem vocibus E in I verſum videmus. Ceterùm quia E longum non rarò etiam in A tranſit, animaduerti & hac via ab **eem** voces ad Græcos veniſſe, in quibus ipſius **eemer** clara veſtigia cernuntur. Αμάρα enim aquæductus eſt, & canalis per quem aqua copioſa funditur. Homerus canales quibus prata, arbuſta & horti irrigantur Amaras vocauit; Virgilius riuos dixit. Aperti enim copioſam aquam fundunt; quia ex altioribus locis deducuntur:

Ιμονιὰ.

ἀμάρα vocis origo.

Ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ὀχετηγὸς ἀπὸ κρήνης μελανύδρου
Αμ φυτὰ καὶ κήπους ὕδατος ῥόον ἡγεμονεύει,
Χερσὶ μάκελλαν ἔχων ἀμάρης ἐξ ἔχματα βάλλων,
Τοῦ μέν τε προρέοντος ὑπὸ ψηφῖδες ἅπασαι,
Οχλεῦνται, τὸ δέ τ' ὦκα κατειβόμενον κελαρύζει

Χώρῳ

Χώρῳ ἐνὶ ϖροαλεῖ, φθάνει δέ τε καὶ τὸν ἄγοντα.

Placuit hos Homeri verſus recitare, vt effuſionis vis in amaris cerneretur. Euſtathius nominis propriam ſignificationem & originem ignorans, de vocis ratione nihil ſani coniectat, & ipſam Homeri comparationem ferè cõtemnit, quòd Xanthum exundantem & omnia ſecum rapientem Amaræ contuliſſet. Nos in Amara effuſionis aquarum vim magnam agnoſcimus, & noſtrum rinner expreſſum videmus; & Homero gratias agimus de tam illuſtri Amaræ mentione. Eſt igitur Amara quiuis canalis aquæ fundendæ idoneus. vnde ἀμαρεύειν eſt aquas per canales deriuare. Hinc apud Theophraſtum pro ἀμαπαῖον ὕδωρ, ἀμαρεπαῖον legendum eſt, quod Gaza non bene ſcaturientem aquam vertit. Neque enim palmis ſingulis ſingulos fontes queas adhibere, è quibus aquæ ſcaturiant: verùm hoc vult, palmas magis gaudere aqua per canales deriuata quàm aqua pluuia; eo nimirum quòd ea quæ deriuatur, continuò fluat, aut ſaltem quoties aperitur, & radicibus humorem adfert iam Sole calefactum & paulatim imbibendum: pluuiæ verò affatim effundátur, & mox rurſus ceſſent, præſertim in Syria. Quòd verò de aquis per canales deriuatis agat, liquet ex eo, quòd dicat in Syria Aulonem eſſe ſiue vallem longiſſimam, quam ad rubrum vſque mare dicant pertinere, & in ea palmarum feliciſſimum eſſe prouentum: qua ex re intelligitur, deriuatis aquis & aſſiduis palmas gaudere, non imbribus affatim effuſis. Mirum enim eſt, & ſitienti ſolo gaudere, & ſemper tamen bibere velle. Sed hæ Amaræ diutius nobis non ſequendæ, niſi aquarij potores fieri velimus. Satius fuerit ad Am redire; vas quod vinum liberaliter effundit. Huius enim ductu meliores fuerimus poëtæ, & aptiores ad Orphicas fabulas intelligendas. Quid ago? Vix Amæ vinariæ ſenſi odorem, cùm ecce ſubitò obuiam ſeſe fert nympha omnium, vt mihi viſa eſt, formoſiſſima. Subſiſto attonitus. Illa hilari vultu & blandis verbis bono animo eſſe iùbet; ſe adeſſe vt mecum Imæon canat, meamque de reen ſententiam teſtificatione ſua & auctoritate confirmet. Hîc ego velut è ſomno experrectus, fas'ne eſt, inquam, ſcire quænam ſis, & quî voceris? Illa nihil morata, ſe nympham eam eſſe dixit quam poëtæ Amaltheam vocarunt. Tum ego oculis modò ad ſpectandũ intentis ſubitò conſpicio magnum cornu, verumque eſſe agnoſco quod aiebat. Quid ergo illa me docuerit, iam iam exponã. Nomen in primis ſuum ita interpretata eſt, vt nihil aliud ſignificet, quàm omni tempore fundentem, addens ex Am præterito imperfecto ipſius reen factum eſſe: & hanc quidem ſibi cum Ama, vaſe ad potum homini liberaliter effundendum comparato, eſſe cognationem. Totum autem nomen in tres partes ſolui, vt ſit Am-al-ti, id eſt, fundebam omni tempore. Nec mirũ videri debere, ſi Græci Ti vocalẽ longam per ει diphthongum ſcripſerint, & adſpirationem addiderint. Idem enim & in aliis eos feciſſe, & frequenter multo turpiùs voces corrupiſſe, conſtat. Agnoui igitur ego mox Ti pro tempore; quod adſcito Tau, Tit etiam vocatur; à Ti, quod eſt celeriter & feſtinanter eo, deriuari: quia nimirum tempus numquam ceſſet à celeri ſuo progreſſu. Agnoui præterea ab eodem noſtro verbo Ti Græcos θείω vel θέω feciſſe pro curro ſiue celeriter eo; atque idcirco nihil mirari nos debere, ſi ex Ti θει in Amaltheias nomine factum videamus. Video ſanè clariſſimam hanc eſſe interpretationem & cæleſti nympha digniſſimam. Interroganti porrò cur ita nominaretur, reſpondit perquam benignè, ſe nihil aliud eſſe quàm gratiam ſancti Spiritus omni tempore dona ſua vbertim effundentem. Dictam autem ſe Iouis nutricem, non quòd Iouem nutriiſſet; ſed quòd nutriendis hominibus & creatis omnibus à Ioue ſit præfecta. Se enim in magna Iouis domo, id eſt, in toto mundo has habere partes, vt omnibus rebus creatis vitæ ſuppeditet alimenta, & eas pro ſua quaſque portione vegetet atque ſuſtentet. Cornu autem ſibi pro ſymbolo & inſigni dari, propterea quòd omnia ſua alimenta eius ſint naturæ, vt omnium vitam ad cornuum formam accommodent, quæ è lato principio in cuſpidem terminantur. Eſſe enim cornua naturalia quædam metarũ ſimulacra, & idcirco nomen non à natura ſua, ſed de ſymboli ratione accepiſſe. Horen enim ex Ho-or-en componitur, quo altæ originis finis denotatur: quæ etymologia nihil ad cornuta animalia, quæ omnia terrenæ ſunt, non altæ originis. Nos ergo cornibus monemur, vt è capite noſtro cornua creſcant, id eſt, vt altam noſtrã originem ad ipſum Vnum ritu metarum finiamus. Miranda ſunt id genus vocabula, quæ in ſymbolis potiùs rationem ſuæ ſignificationis tuentur, quàm in ipſis rebus quibus tribuuntur. Scio phyſicos

Amara quid.

Theophraſti locus reſtitutus & explicatus.

Palmæ aquis deriuatis, non imbribus gaudent.

Amaltheæ nominis compoſitio.

Ti.

Tit.

θείω & θέω verborũ etymon.

Amalthea, quæ, & cur Iouis nutrix.

Cornu Amaltheæ quid ſignificet.

Horen.

ea quoque intelligi poſſe, verùm ratione non tam luculenta. Quamuis enim He-or-en/ & ſyncoptôs Horn ſic queas interpretari, vt cornu altæ originis finis dicatur; quia caput, quod alta origo propter ſenſuum ſedem meritò dici poſſit, in cornua finiatur; ea tamen ratio nec inſignem habet vllam conſiderationis vtilitatem, nec vſum cornuum exponit. Videamus igitur quo nos vocet cornuum nomine ſermonis noſtri architectus, dum altæ originis finem ipſo cornu deſignat. Spectat hæc inquiſitio propriè ad ipſius Lamet figuram, quam dixi ob ſimilitudinem à quibuſdam cornu vocari; & idcirco ex iis quæ de Tutulo & Cyrbaſia dicta ſunt, tota hæc etymologia peti debet. Mentis enim noſtræ, quæ alta nobis origo eſt, ſupremus ſcopus eſt, vt è corpore noſtro belluino ſurſum tendat ad ipſum Vnum, non ſecus atque meta & cornu demonſtrat: & tanto magis cornu, quòd in eo præter metæ formam alia adhuc admonitio deſignetur. Indicatur enim, nos non aliud quàm pecudes eſſe, dum in terrenis hiſce hæremus. Monemur itaque, vt mens noſtra, quæ alta origò eſt, è terrena & veterina emergat natura, & eam velut cornu perrumpat, & ſuperiùs ad Vnum adſcendat. Quod ſi fecerit, illud conſequetur, vt quemadmodum taurus vel elephas vel rhinoceros vel monoceros cornu ſeſe munit, & defendit aduerſus hoſtes ſuos; ita & ipſa contra omnes aduerſitates cornu ſuo ſeſe tueatur. Verùm hæc ex Apice petantur. In ſacris litteris cornu frequenter pro elata & ſuperba potentia vſurpatur; non illud quidem de nomine quod exponimus, ſed de cornuum in brutis frequenti vſu. Cùm enim brutorum arma ſint, atque iis furioſè pugnent, pulcerrima tranſlatio eſt, dum pro potentia rationis experte ponuntur. Alia rurſus ratione conſiderata, iuſtam iuſti hominis fortitudinem rectè ſignificant, quia videlicet is ſeſe defendit cono mentis ſuæ; quo nomine meta vocatur, ob id quòd fortiſſima ſit figurarum, vt in littera Alef declaro. Verùm hæc parum faciunt ad copiæ cornu, quo Amalthea dona ſua largitur. Conſideremus ergo cornu vt altæ originis finem ſignificat, & vlteriùs videamus, quarum rerum ſubſidio & copia ad eum peruenire poſſimus. Sic enim omnibus diſcuſſis & exploratis hominis facultatibus, tandem deprehendemus nihil nobis eſſe in omni domeſtico inſtrumento, nihil in omni rerum copia, nihil denique vel in corporis vel in animi bonis, quod nos ad finem illum perducere poſſit quem cornu demonſtrat, niſi nobis gratia Spiritus ſancti affulgeat, & dona ſua nobis fundat. Deinde animaduertamus, quæcumque à Deo deſcendunt, ab Vno ad plura diffundi; atque eo modo metam vel cornu conſtitui, cuius apex ipſe Deus ſit, & ipſum Vnum; reliquum verò pyramidis corpus omnes res creatas comprehendat, ab Vno recto numerorum ordine procedentes. Hæc enim regia & ſola via eſt, per quam omnia Spiritus ſancti dona funduntur: quæ cùm nulla alia forma melius exprimi poſſit, quàm recto cornu, quale eſt Rhinocerotis, & eorum quæ proximè accedunt ad hanc formam, bene ſymbolicas rationes ſupputauit quiſquis primus dixit, Spiritum ſanctum largo cornu munera ſua profundere. Quod enim vas inuenias, quod notius, promptius & communius apud primos mortales ruri intra greges & armenta degentes fuerit, quàm cornu? Vltrò enim citra impenſas, citra manus pretium, citra laborem, citra artificium ſuppeditabatur; & vas erat alioqui ad hauriendum, effundendum, potandumque valde idoneum; & tanti liquoris capax, vt vel ſitientiſſimo homini liberaliſſimè ſatisfacere poſſet. Principiò igitur nullum fuit poculum frequentius, nullum vas communius. Eo lac pueris, aqua & ſabazia maioribus dabatur. Nec alio vaſculo ad oleum fundendum vtebantur. Cornibus ſemina conſeruabant, certis cornibus minoribus ſemina iaciebant. Iam & agnis & vitulis à matre abreptis lac è cornibus ſugendum dabant. Summatim, cornu omnium vaſorum locum habebat. Tribus igitur maximè rationibus, vt alias omittamus, ceteris omnibus vaſis excellentius haberi debet, quòd & antiquiſſimum ſit omnium, & quòd ab optimo & maximo artifice factum ſit ad optimam & perfectiſſimam ideam; & præterea quòd forma ſua nos commonefaciat effuſionis donorum Spiritus ſancti; quæ ille ab Vno accepta, ad totam rerum diffundit vniuerſitatem: quibus ſic effuſis, eam accipimus vitam, quæ nos è belluino corpore ad Vnum, vnde dona venerunt, eadem via reducit. Totius enim ſymboli fundamentum in hoc ſolo iactum eſt, quòd totus diuinæ bonitatis oceanus ad hanc formam, quam cornu demonſtrat, ſit effuſus. Ex eo namque mox liquet, quæ'nam ei ſit tenenda via qui ad Deum velit peruenire. Qui fontem quærunt, aduerſa flumina ſequuntur: eodem modo qui ad Deum

Lamet figura.

Cornu cuius rei teſſera.

Cornu pro ſuperba potentia in ſacris litteris qua ratione accipiatur; & rurſus pro iuſti hominis fortitudine.

Spiritus S. gratia quàm ſit nobis neceſſaria.

Cornuũ vſus apud priſcos frequentiſſimus.

Cornu omnibus aliis vaſis excellentius.

velit peruenire, eandem viam ſequatur neceſſe eſt, qua mundus à Deo effluxit. Vt ergo dona à metæ culmine deſcendunt; ita nobis ad metæ culmen eſt adſcendendum. Sed hæc clara ex iis quæ antè dixi. Ex his modò quiuis perſpicere poſſit, qua de cauſſa cornu apud veteres in magna ſemper fuerit veneratione. Altare Moſis quatuor cornua in ſingulis angulis ſingula habebat, vt intelligeremus ſacrificium & altare totum eò ſpectare, vt tandem tetragona & perfecta vita ad quatuor mundi cardines à Spiritu ſancto diffunderetur. Fuerint ſanè aliæ quoque horum cornuum cauſſæ, at hæc vna ſaltem eſt non ex infimis, ad propoſitũ hoc meum maximè quadrans. Quòd ſi clariùs certiúſque nouiſſe velis, cornu ad donorum Spiritus ſancti effuſionem pertinere, in memoriam reuoca cornua vnguentorum in tabernaculis ſeruari conſueta. Vngebantur ſacerdotes, vngebantur Reges. Vnguentum defluxit in barbam Aaron & fimbrias veſtimenti eius. Vnctus eſt Saul, vncti ſunt ceteri Reges; & inter eos Dauid; quem vt Samuel vngeret Deus iubens dixit: *Imple cornu tuum oleo & veni, & mittam te ad Iſai Bethlehemiten. Prouidi enim in filiis eius mihi Regem.* Obtemperans Samuel, Dauidem ab ouibus, quas cuſtodiebat, vocatum vnxit oleo de cornu effuſo. Quid autem vnctio hæc, & oleum de cornu effuſum ſignificarit, docebit nos ille idem qui vt vnctio fieret Moyſi præcepit. Hic enim poſt alia ſic Moſem alloquitur: *Et aſſumpto*, inquit, *vnctionis oleo, vnges tabernaculum cum vaſis ſuis, vt ſanctificetur altare holocauſti & omnia vaſa eius. Labrum cum baſi ſua omnia vnctionis oleo conſecrabis, vt ſint ſancta ſanctorum. Applicabíſque Aaron & filios eius ad fores tabernaculi teſtimonij, & lotos aqua, indues ſanctis veſtibus, vt miniſtrent mihi; & vnctio eorum in ſacerdotium ſempiternum proficiat.* Quis hîc non cernit, oleo gratiam Spiritus ſancti denotari, quæ ſola ſanctum facere & conſecrare poteſt? Quod enim in lege promiſſionis per ſignum eſt indicatum, id in noua lege reipſa eſt completum. Hinc in Chriſtum baptizatum Spiritus ſanctus deſcendit, qui per oleum fuerat quondam deſignatus. Vnctio igitur Chriſtianorum tum perficitur, cùm accipitur Spiritus ſanctus & eius gratia: & oleo omnes ſacerdotes conſtituuntur, iuxta illud D. Petri: *Vos autem*, inquit, *genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis; vt virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.* Audiamus eundem Ioëlis vaticinium recitantem, & Chriſtianis omnibus applicantem. *Non enim*, inquit, *ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia; ſed hoc eſt quod dictum eſt per prophetam Ioël: Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus; effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem; & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt. Et quidem ſuper ſeruos meos & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo*, &c. Videmus modò quis ipſius cornu in ſacris fuerit vſus, & quid oleo ſignificaretur: è quibus luce clarius illud fit quod dixi, Cornu effuſionem gratiæ Spiritus ſancti denotaſſe; quæ finis eſt & perfectio altæ noſtræ originis. Sed longiùs trahor neceſſaria rerum conſecutione. Poſito igitur hoc aſſertionis meæ argumento, perſpicua erunt reliqua. Si enim Cornu generatim donorum Spiritus ſancti habebat ſignificationem, non mirum eſt, Baccho ſiue Nocho cornu tributum à veteribus fuiſſe. Annotarunt non pauci, & inter alios Ælianus in varia hiſtoria, fluminibus clariſſimis quibuſque cornua adſcribi ſolere; eamque ſuam obſeruationem multis exaggerant exemplis: ſed interim quæ cauſſa huius fuerit figmenti prorſus ignorare ſe oſtendunt, dum vel de mugitu, vel de cornuum & fluuiorum curuatura, vel de oſtiis neſcio quæ ſibi ſomnia comminiſcuntur: quæ qui volet, ex Strabone, ex Dionyſio, ex aliis cognoſcat; me certè piget ea recordari, nedum referre; tam ſunt vel per ſe inepta, vel adiunctis fabellis plus quàm anilibus abſurda. Alius de Hammonis concubina, alius de Acheloi cornu ab Hercule defracto; &, quod intolerabilius, idem aliàs aliter de eadem re nugatur. Id tamen ex omnibus colligas, fluuiorum cornua ad copiam & vbertatem maximè fuiſſe referenda. Nos ergo partim de ſacris litteris, partim de cornu ipſius & Amaltheæ etymologia, partim de forma & priſco ipſius apud Sethinos vſu pro certiſſimo tenemus, fluuiorum cornua non aliud apud priſcos illos religionis magiſtros denotaſſe, quàm benignam & largam ſpiritus per totam rerum naturam meantis effuſionem; qua inter cetera ſua dona, quibus homines beat, flumina etiam maxima è celſis & auiis ſaxorum molibus ad vitæ humanæ commoditates, haud ſecus ac Amaras quaſdam ad paradiſos irrigandos, deriuauit. Cornua itaque gratam

Cornuũ apud antiquos reuerentia & vſus in ſacris.

Vnctio in ſacris litteris.

Vnctio in veteri Teſtamento quid ſignificauerit.

Baccho à veteribus cornu tributum.

Cornua fluminibus adſcribi ſolere.

Cornua cuius rei teſſera.

dumtaxat beneficij accepti confeſſionem habebant, ac profuſam & incredibilem donorum Spiritus ſancti largitatem in memoriam vocabant. Quando igitur huc modò de nominum & rerum & ſacrorum rituum ſiue cognatione ſiue magia ventum eſt, non poteſt cuiquam amplius obſcurum eſſe, quid ſibi velit cornu copiæ ſiue Amaltheas tanto conſenſu ab omni antiquitate celebratum. Quid enim aliud ſignificaſſe dicemus, quàm affluentem omnium rerum copiam è cornu Spiritus ſancti profundi, cuius gratiam omni tempore, omnibus rebus præſentem & numquam à larga effuſione ceſſantem, Amaltheam de priſco ſermone veteres nominarunt? O beatos nos, quibus hæc Amalthea reuelauit! O beatiores, ſi nos oleum è cornu profluens ſacerdotes Chriſto conſecrarit! O beatiſſimos, ſi regale hoc ſacerdotium ſemel datum nobis fecerit ſempiternum? Verumenimuerò dicet quis: bene tu quidem fabulæ rationes explicas, ſi tibi concedamus, Amaltheam apud veteres nympham habitam fuiſſe: at ſunt non pauci qui capram hoc nomine intelligunt, cuius lacte Iupiter in Creta ſit nutritus. Meliora quæſo quiſquis es. Túne me omnium fabularum rationes reddere poſſe credis? Atqui pleræque ſunt ab antiquitate ita detortæ, vt nihil prorſus habeant cum vlla veritate cognationis. Non grauabor tamen & hac de re id in medium proferre, quod video rerum conſequentiam propemodum poſtulare. Flumina ex altiſſimis montium verticibus perpetuo gelu & niuibus horrentibus ad valles & campos velut Amaras ad hortorum irrigationem profundi, & iis agrorum fecunditatem potiſſimùm deberi, priſci illi fabularum textores conſpicati, finxerunt cornu Amaltheæ nymphæ capræ cornu fuiſſe. Qualis autem ea fuerit capra, cuius lacte Iupiter mortales nutrit, ex Capricorni ſigno intelliges. In eo enim prior corporis pars caprillam habens figuram, Capricornum deſignat, animal ſummis & algidiſſimis montium verticibus perpetuò gaudens. Nullum igitur ſymbolum aptiùs ad frigidiſſima illa cacumina perenni glacie & niue tecta denotanda inuenias, quàm ſi illud animal depinxeris quod ab illis numquam diſcedit. Adde nunc longiſſima cornua, & ea ferè recta in cælum altiſſimè ſublata: altiſſimè, inquam, tum ob natiuam longitudinem ſuam, tum ob locorum in quibus degunt ſublimitatem. His enim, vt altiſſimis omnium, altiſſimum Spiritus ſancti cornu non malè deſignaris. Et quia deinde eodem cornu ſummi montium vertices denotantur, & ex iis primi ſint & altiſſimi fluminum maximorum ortus; ſi non conſpicui, at ſaltem occulti, quibus profuſa Spiritus ſancti largitas ſignificatur; quid, quæſo, aptius vel dici poſſit vel cogitari, quàm ſi cornu, quo Amalthea maxima munerum diuinorum flumina ex alto in terras effundit, dicatur Ægocerotis eſſe? Nam de hac teſſera ſimul ipſius diuini cornu ſublimitas, ſimul profuſa eius copia intelligetur, dum videlicet nos ducet ad ſummas illas rigentis cryſtalli rupes, è quibus copioſiſſimæ aquæ magno & præcipiti impetu ad terras irrigandas effunduntur. Porrò dum paullatim nos fabula trahit, tandem eò adſcendimus, vt ipſos altiſſimos montium vertices nihil aliud quàm terræ cornua eſſe cernamus. Cùm igitur ex his flumina & riui; ex iſtis rurſus læta camporum fertilitas & largiſſima frugum omnium copia promânet; quis vetabit, quo minùs dicamus, omnium fructuum vbertatem è cornibus effundi; & illis quidem cornibus, quæ cornibus Ægocerotis rectiſſimè denotentur? Nunc igitur ſi rectè ſupputes omnium rerum ordinem, & quæ dixi ad diuinam maieſtatem transferas; an non mox vel inuito in mentem veniet, hæc omnia eius dona eſſe, qui ferebatur ſuper aquas dum mundus crearetur; & idcirco vel cornutam hanc montium altitudinem ipſius cornu eſſe quo terras fecundat, vel ſaltem effuſionis, qua dona ſua largitur, habere ſignificationem. Cæterùm non deſunt qui Copiæ cornu ab Acheloi capite refractum dicant, idque tandem ab Acheloo fuiſſe redemtum, dato cornu Amaltheæ. Mira eſt & obſcura ſanè hæc permutatio, nec liquet vnde Achelous Amaltheæ cornu acceperit, aut quid habeat omnino commune fluuius inter Acarnaniam & Ætoliam in mare ſeſe fundens, cum Cretæa Iouis nutrice. Cerno hîc non exiguum arcanorum campum, & in eo altam caliginem, quæ Deianiram Oenei filiam totam obfuſcat. Sub huius larua animam hominis deliteſcere ſuſpicor, de qua Achelous & Hercules certant, vter eam ſibi ſponſam ducat, & ad ſummos promoueat honores; quod Deianiræ nomen noſtratibus oſtendit. Docui in Hermathena, Acheloi nomen principem aquarum denotare; hîc addam, proprium ſpiritus ſancti epitheton eſſe, vti ex Moſis geneſi liquet. Ac enim aquam notat: vnde

Amalthea cornu cur capræ fuiſſe fingatur.

Capræ hieroglyphica ſignificatio.

Cornu Amaltheæ quare copiæ cornu.

Achelous copiæ cornu Amaltheæ cornu permutauit.

Acheloi & Herculis certamen pro Deianira quid ſibi velit.

tati: vnde Aker pro vaſe aquario, vt cemer ab cem deriuatur. Inter Acheloum igitur & Amaltheam non aliud erit diſcrimen, quàm inter Spiritum ſanctum & eius gratiam; qua de re mox fit perſpicuum, vnde fabula fuerit conficta. Verùm ſigillatim recenſere, quas ſibi partes Achelous, ſiue ſummus aquarum princeps, & quas Hercules maximi draconis victor, cuius imago claris ſtellis in cælo notatur, ſumſerit in Deianira ornanda, non eſt huius mei inſtituti. Sufficiat ingenioſis viam oſtendiſſe ad verum myſteriorum explicatum, & Græcis cauſſam, cur Achelous pro omni aqua ponatur; quam omnes æquè hactenus ignorarunt. Oeneus autem pater eſt cæleſtis qui Deianiram Spiritui ſancto deſponderat; verùm hæc culpa ſua ab hoc honore excidit. Hercules igitur eam ſibi copulauit. Oeneus perpetuò nouus dicitur, de quo cetera coniectes. Et hæc quidem poterant ſufficere de cornu Acheloi & Amaltheæ, niſi Meliſſus me fauo mellis inuitaſſet ad ſui mentionem. Aiunt hunc primum fuiſſe qui Ioui ſacrificarit. Nos primum ſcimus fuiſſe Adamum ante diluuium, quem deinde filij ſint ſecuti. Verùm quia illius ætatis hiſtoriam habemus valde conciſam, ſatius fuerit è ſecunda ætate de prima facere coniecturam, quàm dubiam reddere eius quod quæritur cauſſam. Breuiter igitur. Nochus primus poſt cataclyſmum Deo ſacra fecit, & odoratus eſt Deus odorem ſuauitatis. En tibi primum poſt inundationem epulum, quo Nochus Iouem excepit: quod quia ſuaue erat, dictus eſt Meliſſus, quòd videlicet mel Ioui præbuiſſet. Quia verò mellitus hic apparatus è bona ipſius voluntate procedebat, dictus eſt domi ſuæ filiam habuiſſe Meliſſam, mellitam videlicet animi ſui bonitatem, qua Deo conuiuium inſtruxerat. Deinde quoniam hac ſua ſuauitate ſiue Meliſſa ſtatim à Deo impetrauit eam gratiam per quam omnia vitæ neceſſaria affatim ſemper affunderentur; dictus eſt & alteram filiam habuiſſe quæ Amalthea ſit nuncupata. Cùm igitur & Meliſſam, id eſt, bonam voluntatem, & Amaltheam, id eſt, affluentem omnium rerum copiam ſemper domi haberet, atque per has ſuas filias Ioui frequentiſſimum & quotidianum epulum inſtrueret; finxerunt poſteri, Iouem adhuc infantem, id eſt, in ipſa ſecundæ ætatis infantia conſtitutum, à Meliſſi filiabus fuiſſe enutritum. Quod autem de Nocho ſcriptum habemus, idem licet de Adamo cogitare. Ex his igitur nunc ad Mem reuertamur: & quia Spiritum ſanctũ ſiue Amaltheam, id eſt, ipſius gratiam ad auxilium hoc nomine precator noſter vocauit, videamus quînam optimam huius vocis effigiem pingere poſſimus. Me ſanè, quia auxilium ſignificat, & cõiunctionis etiam vim habet, nõ poteſt inter pauciora quàm inter duo inueniri. Duæ igitur pingendæ figuræ; ſed ſic vt ſint coniunctæ, pro eo ac vocis Me poſtulat ſignificatio. Quæ igitur erit prior? Nempe eius gratiæ, per quam præceptor rogat, vt Lamet ſiue Spiritus ſanctus vitæ Canopi ſui auxilium ferat atque adſiſtat. Hinc gemina nobis offertur figura; prior ipſius Spiritus ſancti, vt adiuuet rogati, quem modò demonſtraui per apicem Pontificum denotari: altera eius quo gratiam & auxiliũ mortalibus effundit: quod ex iis quæ modò dixi, liquet cornu eſſe debere. Bene igitur cecidit, quòd non diſſimiles hæ ſint figuræ, ſed altera alteram queat repræſentare; ita vt dum vna pingitur, vtraque picta videri queat, nec alterius effigies magnopere deſideretur. Nam cyrbaſia cornu, & cornu cyrbaſiam imita-



Aker.

Oeneus quis, & quid ſignificet.

Meliſſus quis fuerit, et quomodo primus Ioui ſacra fecerit.

Meliſſa Meliſſi filia.

Amalthea Meliſſi filia.

Mem litteræ pictura.

imitatur & oſtendit. Quia tamen auxilium gratiæ potiùs habet rationem, & æquum eſt vt Lamed ſuam ſibi vindicet peculiarem figuram; Cornu potiùs Amaltheas auxilium effundentis pingemus. Deinde quia omnis oratio ad vitam Canopo impetrandam tendit, vt ipſum Alef declarat; nihil melius inueniemus aut aptius, quàm illud vitæ ſimulacrum, quod & è ſcipione quem Canopus in Bembi tabula tenet, dependet, & ab Ori in loti flore conſidentis ſiniſtra manu tenetur. Hinc liquet optimam ipſius Mem figuram eſſe, quæ Amaltheas cornu deorſum omnia effundens prius pingit, & ei connectit nudam metam infernè patentem. Talis eſt minor Græcorum figura, vt liquet attentius intuenti. Nec multum maiuſculus Græcorum & Latinorum character à minore diſcrepat Græcorum; nec tantum eſt diſcrimen, vt ſit animaduerſione maiore dignum. Minor priore ſui parte propter lineam leuiter dextrorſum incuruatam, inuerſum Amaltheas cornu clariſſimè ob oculos ponit: poſteriore parte vel tutulum refert, vel vitæ ſignum quod cum tutulo prorſus idem eſt. Coniunguntur autem hæc ad eum modum, vt cornu, Spiritus ſancti ſymbolum, ſiniſtrum ſit, vti honoratius, pro eo ac fieri decere prius oſtendi. Iam Spiritus ſancti gratia præuertit Canopi vitam, & idcirco prius cornu ſiue Amaltheas ſiue Acheloi pingimus quàm vitæ, cui auxilium petimus, ſimulacrum. Elegantiſſima igitur eſt ipſius Mem pictura ea quam Græci retinuerunt: cui proximus character eiuſdem litteræ maiuſculus apud Latinos. Eſt verò hæc figura tantò aptior, quòd non Amaltheas tantùm cornu & vitam deſignet, ſed quòd duas etiam vitas queat indicare; alteram quam Spiritus ſanctus ſingulari gratia infundit: alteram quam quiſque ſibi pro ſua portione principiò ſortitus eſt. Deinde eadem pictura duos montes coniunctos refert, in eorum medio vallem relinquens: qua ratione rurſus ad illa quæ de perpetua effuſione dixi, alluditur. Verùm cetera quantum quiſque volet habeant momenti: nos in cornu Amaltheas & Canopi vita coniunctis acquieſcemus; & Deum rogabimus, vt amabilis hæc communctio, duabus figuris connexis denotata, continuum nobis ſit adiumentum ad vitam æternam conſequendam. quod meum votum Oeneus, Hercules, & Achelous mihi ſecundent.

Nun.

SPIRITVS ſancti auxilio generatim ad omnia in omnibus vitæ partibus implorato, primaria quædam additur auxilij forma, quæ illum ferè finem orationis exponit, quem Deus oſtendit, dicens, *Orate, ne intretis in tentationem*. Totius autem periodi hæc eſt ſententia: Ne connectas altum & pecus. Huius prima particula negationis vim includit, quam nos ſimpliciter citra alterius vocis acceſſionem Ne pronuntiamus. At in conſtructione orationis, dum nos denotamus quippiam nolle, paragogen ſiue ſyllabicam quandam vocem addimus, quæ per ſe poſita, coniunctionis copulantis habet notationem. Dicimus ergo hoc loco Ne-en vel Ni-en, vt alij pronuntiant: vnde facilis fuit ad Nun tranſitus, in voce præſertim ignotæ ſignificationis. Interim non inelegans dictio eſt Ne-en, eo quòd proſam & verſam voculam videatur continere, tametſi ſignificationem nullam habeat hoc loco; ac præterea quòd conſonantis ſonum & ante vocalem, & poſt vocalem exponat. Ratio autem ſignificationis in Ne non tam videtur è poteſtate litteræ per nares tinnientis pendere, quàm è conuerſione ad contrarij notationem. In Hermathena docui, duabus his vocalibus A & E hoc præcipuum eſſe & proprium, vt litteram ſibi tinnientem adſciſcant, & id quidem ſumma ratione. Cùm enim A recti motus index ſit, & idcirco ad agendum hortetur; ſitque conuenientiſſimum naturæ, vt id quod hortatur & incitat, gratum ei quod incitatur accidat, ac ſeſe ſuauitate quadam ſoni inſinuet; optimè factũ eſſe iudicare debemus quòd ipſi A tinnitus acceſſerit, quo gratius ſit audienti. Secundæ verò vocali ob eam cauſſam tinnitus conuenit, vt fundamentum omnium in omnibus rebus audiendum ſeſe nõnihil altiore ſono efferat. Interim tamen hæc littera tinniens & ſonum per nares elidens, non eſt harum vocalium ſignificationi neceſſaria. Neque enim dum Ee vt articulo vtimur, eam addere conſueuimus, vt cuiuis ſermonis noſtri perito liquet. Nec item dum Ee pro vnione aut vinculo accipimus, eam admittimus. Dum enim legitimam coniugij copulam Ee dicimus, propter excellentiſſimam vnionem qua Deus ſibi ſponſam ſuam per æternum amorem deuinxit, nullo modo illam externi ſoni gratiam quærimus, ne vni ad ſeſe & alia vnienda quippiam deeſſe videatur. Sed hæc nos longiùs abſtraherent. Porrò præter eam quam dixi cauſſam, alia accedit ratio; & ea quidem primaria ob quam his duabus vocalibus tinniens littera nonnunquam addatur. Cùm enim ſummum linguæ noſtræ artificium non ſolùm è natura litterarum per ſe conſideratarum pendeat, ſed ex ordine etiam earum dum in vocibus coniunguntur; voluit nomenclator, vt his duabus vocalibus creberrimè vſurpandis littera adderetur, cuius beneficio ordo in ipſis qui in ſimplicibus & indiuiduis eſſe non poteſt, oriretur; & huius ratione aliæ voces ex ipſis deriuarentur per conuerſionem. Ex A enim per conuerſionem nihil gignitur, neque item ex E. At ſi litteram N addas, confeſtim ex An fiet Na, & ex Een fiet Nee. Hanc itaque potiſſimùm ob cauſſam ſermonis architectus litteram admiſit tinnientem; gratam illam quidem ceteroqui, ſed hac ratione non gratam modò, ſed pænè etiam neceſſariam ad rerum naturam & varietatem vocali pictura exprimendam. Conuerſio autem hæc ſermoni noſtro peculiaris ſic in vſum venit, vt ſignificatio proſæ vocis per verſam clarior euadat: quod aliquando fit per oppoſitionem contrariorum, quæ inter ſe collata maiorem accipiunt lucem: aliquando per proprietates quaſdam proſæ vocis, ſignificationem vel conſequentes neceſſariò, vel præcedentes, vel cõnexas, vel alioqui maximè facientes ad eius quod proſa voce denotabatur aut indolem aut vtilitatem. Vt igitur vocabulorum faber aliud in alia voce ſpectauit, & ſemper id elegit quod cognitu digniſſimum putaret, ita in Een & Nee prorſus ſe præſtitit admirandum. Cùm enim videret, vocula aliqua opus eſſe quæ negationem indicaret, & negationis nulla ſit eſſentia, nec poſſit negatio cognoſci niſi per affirmationem; rerum ſibi naturam propoſuit ſequendam. Quæſiuit igitur

Nun vocis ſignificatio.

Ne.

Neen.

A & E proprium, vt litterã tinnientem ſibi ſciscant.

Ee.

Cõuerſio vocum Cimbricæ linguæ peculiaris.

Neen vocis artificium & ſtructura.

quidnam eſſet ſummum in iis quæ de rebus affirmantur, vt eius videlicet oppoſitione deſignaret negationem. Paullatim itaque ab infimis ad ſuperiora progreſſus, ad ipſum Eſſe & eſſentiam venit: vbi cùm videret, & Eſſe & eſſentiam ab Vno manare, tamquã ſupremo principio, vocabulo Vnius conuerſo vſus eſt ad negationem denotandam; quoniam Vnum & nõ vnum oppoſitorum omnium ſuprema videretur. Quòd ſi hanc conuerſionis formulam plebeio more conſideres, nihil fortaſſe quod magnopere admirari debeamus, videbis: ſin cum ſapientiæ ſtudioſis & ipſum Vnum & ipſum nõ Vnum examines, tanta rerũ moles & varietas occurret, vt neſciam quis hominũ par eſſe queat iis vel eminus dumtaxat per viſa quædam imaginaria cognoſcendis. Equidem lubenter fateor, quãto Vnũ magis intueor, tanto me ignorantiã meam magis intueri; nec ingenij mei vires ſufficere, vt ſincerã aliquam eius mihi formem notionẽ. Deinde cùm ad Non Vnũ venio, & id rectè examino, ſentio quàm principia nihil intellexerim, dũ inter Vnũ & nõ Vnum neſcio quàm maximã mihi oppoſitionẽ ſomniabã. Deprehendo enim Vni nihil propinquius eſſe quàm non Vnum; nec magis ab eo diſtare, quàm binarius diſtet ab vnitate. Hîc igitur ſtatim velut attonitus perturbor, & tandẽ ſentio, me nihil aliud quàm non Vnum intelligere, nec vllo modo poſſe ad vnius adſpirare cognitionem. Rurſus dum id rurſus expendo, neſcio quibus tenebris inuoluor, & dubito an non Vnum omnino vel ſit vel intelligi poſſit citra Vnius cognitionem. Quid multis? Nullum exitum inuenio, & tandem in eo acquieſcere cogor, Vnum dumtaxat à nobis per negationem cognoſci poſſe; & idcirco nomenclatorem noſtrum admirabili artificio ex Een Nee feciſſe: & in ea verſione non ſolùm ad oppoſitionem ſpectaſſe, ſed hoc etiam monuiſſe, nos fruſtra veram cognitionem Vnius quærere, ſed eius non aliam haberi poſſe quàm negatiuam; quæ videlicet nobis oſtendat, non quid Vnum ſit, ſed quid Vnum non ſit. Sic enim ſe habet Vnum in tota rerum vniuerſitate, vt punctum in magnitudine: quod ipſum vt principium eſt omnis magnitudinis; ita nec linea eſt, nec lineæ pars; nec planities, nec eius pars; nec corporatura, nec eius pars: & ſimpliciter, cùm omnium dimenſionum ſit principium, ipſum nullam omnino habet dimenſionem, atque idcirco per ſolam cognoſcitur negationem. Eodem modo Vnum nihil eſt eorum omnium quæ vna dicuntur, & tamen principium eſt eorum omnium. Cùm enim vnum nullam admittat diuiſionem, nihil eſt eorum omnium quæ diuidi poſſunt; non magis ſanè quàm vnitas eſt vel binarius vel ternarius, vel vllus omnino numerus eorum qui ex ipſa oriuntur. Hanc autem cognoſcendi methodum, quam ſola nobis negatio monſtrat, non inuenies alia voce, quàm hac ipſa Vnius, denotatam. Quamobrem cùm Deus ſola hac via & ratione cognoſci queat, cognitio vnius propria eſt Dei cognitio. Ens autem tametſi altiſſimum videatur, non includit tamen hanc formam & notionem negationis omnium quæ numeris diſtingui diſcernique poſſunt. Rectiſſimè igitur nomenclator noſter ex Een Nee fecit, id eſt, ex Vno negationem, ſupremam videlicet viam ad Deum cognoſcendum; cùm nec Deus, nec Vnum cognoſci queant per affirmationem. Quanto igitur plura nouerimus quæ Vnum non eſt, tanto propius ad Vnius cognitionem veniemus: & eadem methodo quanto plura nouerimus quæ Deus non eſt, tanto maiorem Dei habebimus cognitionem, quoad eius adſpirare poteſt captus humanus. Quantum, bone Deus, gratiæ in ſermonis noſtri architectum effudiſti! quàm largo cornu Amalthea ingenium eius rigauit! Omnes hactenus Philoſophi de Vno diſputarunt & Ente, ſed necdum tantum lucis inuenerunt, quantum his duabus voculis Een & Nee continetur. Potuiſſet æquè ab Entis nomine ducere vocabulum negationis, niſi mens eius acutiùs rerum naturam & ordinem inſpexiſſet, deprehendiſſetque ſummum cognitionis humanæ gradum in Vno & non Vno conſiſtere; minimè verò in Ente & non Ente, vt quidam fortaſſis putarent. Verùm quia tota philoſophia his duabus vocibus includitur, nec vllus finis eſt eorum quæ de his diſputari poſſent, nobis ſatis erit ſermonis noſtri artificem laudaſſe, ac ei tantum cognitionis rerum omnium de voculis his duabus aſſeruiſſe, quantam humana poteſt capere natura. Oſtenſa modò veluti per tranſennam, & id quidem in obſcura Platonis ſpecu, ipſius vocis Ne notatione; conſequens eſt, vt videamus quãnam pictura meram negationem omnia tollentem exprimere poſſimus. Mihi certè ardua res videtur, id pingere quod nihil omnino ſit. Ferunt fuiſſe pictorem, qui cùm nihil præter velum pinxiſſet, & ad tabulam ſpectandam alium

Vnius cognitio difficillima.

Vnius cognitio, Dei cognitio eſt.

Dei quæ maxima cognitio.

Nun litteræ figura.

vocaſſet,

vocaſſet, dicitur rogatus fuiſſe, vt velo ablato picturam ſuam daret inſpiciendam. At hic præter velum nihil pinxerat; & illud quidem tanta arte, vt ceteros falleret, credentes ſub velo tabulam fuiſſe. Verùm quamuis poſt velum huius nihil fuerit, non potuit tamen hæc pictura dici pictura ipſius quod non eſt, fuiſſe, cùm velum clarè demonſtraret. Diceret aliquis, Gryllos & Chimæras & id genus monſtra loco ipſius quod non eſt, poſſe pingi. Id nequaquam ita eſt, cùm hæc dum pinguntur, eſſe fingantur; & ſpectantibus affirmantes, non negantes offerant notiones. Quid igitur reperiemus? Sis bono animo, Alphabetarius noſter magiſter nos hac quærendi moleſtia leuauit. Habent enim & Græci & Latini optimam negationis picturam; quæ non ſolùm ſignificat rem non eſſe, ſed nec fuiſſe, nec vmquam futuram: quam vt intelligamus, oportet ad ſummam affirmationem adſcendere, quam humana mens Deo, per analogiam ad hominem, tribuere poteſt. Neque enim aliter vel Deo vel Vni aliquid adſcribere poſſumus, quàm per voces analogicas à rebus humanis ſumtas. Verùm ne longis tibiis hîc canamus, & rem alioqui per ſe prolixæ cogitationis oratione noſtra reddamus prolixiorem, dicamus Deum ſiue Vnum purum actum eſſe, ſiue puram vitam, qua ſe ipſe contemplatur, & ſui contemplatione gaudet atque viuit. Nunc igitur ſi vlla vita vita eſt, hæc maximè vita eſt, & idcirco digniſſima quæ per vitæ picturam intelligatur, vtpote ea per quam omnia alia quæ viuunt, tamquam e primo fonte vitam ſuam hauriunt, ſpiritus omnia permeantis diffuſione communicatam. Nunc igitur vnam habemus picturæ partem, qua ipſius Vnius vita deſignatur, quæ ſuprema eſt Vnius analogica cognitio. Per negationem quidem propiùs attingimus ad Vnum, vt ab omnibus ſeiunctum; verùm analogica cognitio gratior nobis eſt, & ſenſibus & imaginationi familiarior, per quam res ſub ratione cuiuſdam motionis ſiue actus cognoſcimus. Hinc Deus ſæpius per ſeipſum iurans, vitam ſuam iurat, *Viuo ego*, dicens; eo quòd homines, quæ Dei ſunt ad ſuam naturam applicantes, ſuauiùs de rebus diuinis cogitent, & earũ ſeſe meditatione paſcant. Sed quid? dices: Num quia vitam Vnius pingis, ex eo negationem Vnius intelliges?

Veli artificioſiſſima pictura.



Minimè. Quid igitur? Audi. Dixi antè, quæ dextrorſum vergunt, ea exteriùs prodire, & à nobis diſcedere. Maximè autem à nobis remouentur & extra nos ſunt quæ numquam ad nos redeunt: vnde benè noſtrates, Antuerpiani præſertim, diem quartum elapſum Extercergiſteren vocant; quaſi omnino vſus eius nobis iam ſit ablatus. Quamobrem ſi notare velis quicquam ſic cum vita diſſidere & ei opponi, illud pingas quod nec parte ſui anteriore, nec parte ſui poſteriore vmquam ſit cum interiore vitæ principio coniungendum, ſed ſemper extra Vnius vitam manſurum. Hanc pingẽdi rationem non à Protogene, neque ab Apelle optimis ſubtiliſſimæ lineæ pictoribus petemus, ſed ab Euclide mutuabimur. Apud hunc enim Parallelæ lineæ ita definiuntur, vt in eodẽ plano numquam conueniant, tametſi vtrimq. ad infinita ſpatia producantur. Cùm igitur in vitæ figura duæ lineæ ad acutum angulum coëant; altera ſiniſtra & interior; altera dextra & exterior, pingatur linea tertia exteriorem vitæ lineam extremo in puncto contingens, quæ ſit interiori vitę lineę parallela: qua ſic collocata, mox cernis neceſſariam ſequi negationem; videlicet eas lineas tam eſſe diſiunctas, vt numquam ſint ſeſe contacturæ.

Extercergiſteren.

Parallelæ lineæ quæ.

ćturæ. Viden' nunc pićtam negationem ex eiſdem naturæ principiis, è quibus Geometrica doćtrina ſuas petit demonſtrationes? Nunc igitur tandem quiuis agnoſcet, quàm fuerit neceſſarium accuratè nouiſſe quid dextrum, quid ſiniſtrum; quid interius, quid exterius; quid ad nos tendens, quid à nobis remotum iuxta veterum ſententiam & naturæ legem diceretur. Hinc enim perſpicuum, interiorem lineam in vitæ figura dignitatis plus habere; & tanto propiùs ad vitam pertinere, quanto ſpiritus qui intimus, ipſo corpore externo magis viuere videtur. Quamobrem linea externa externam vitæ lineam exteriùs tangens, parallela fačta eſt interiori lineæ, denotatura nimirum omnis vitæ & omnis eſſe negationem. Ego certè hanc pićturam pluris facio, quàm quicquid vmquam tabularum Romani Græcis eripuerunt; & in ea tantùm dico artificij latêre, vt nullis codicibus, quamuis magnis, ſatis poſſet exponi. Quamobrem nos hac infinitate miſſa, ad alia pergamus litterarum ſimulacra; cauentes interim diligenter, ne infelicem hanc lineam, ſempiterno diuortio ab Vnius vita, & de neceſſaria rerum conſequentia, ab omni Eſſe diſcedentem, ſequamur.

Samecht.

SAMECH Hebræi, plurium quàm trium conſonantium impatientes, fine ſuo mutilarunt; quem Syri tamen hačtenus retinuerunt, ܣܡܟܬ cum Tau in fine dicentes. Nobis Samecht dicendum eſt, quo ſignificatur, Simul connećte. Sam enim dum verbum eſt, idem ſignificat quod in vnum congregare: quod per conuerſionem vocem Mas reddit, quo res multæ ſimul aceruatæ denotantur: vbi dignum annotatu, tempus in Sam longum eſſe, quod in Mas correptum auditur: qua in re inſignis admonitio deliteſcit. Docet enim nomenclator longo tempore opus eſſe ad congregandum: & vbi omnia congregaris, breui temporis momento totum aceruum poſſe diſſipari vel prodigalitate, vel furto, vel bello, vel incendio, vel aliis modis ſexcentis; atque idcirco animum non eſſe adiiciendum vehementiùs aut ad ſeruili opera coaceruandũ, vel ad aceruum nimio amore complećtendum. Eadem vocula Sam vt aduerbiũ vſurpatur pro ſimul. Hecht autem eſt firmiter connećtere. Ab Ee enim quo Vnum notatur, fit Eeich, & hinc Echt, quod eſt γνήσιον vnitum vel natura vel lege. vnde Hecht pro firmiter connećtere; ſpiritu ſtudium denotante, & laborẽ qui ad vniendum feratur. Samecht ergo magnam vim coniunćtionis & vnionis declarat, quam hîc magiſter deprecatur. Rogat enim, ne firmo vinculo ipſum Altum & ipſum pecus in Canopo ſuo Spiritus ſanćtus connećtat: quod eodem modo capiendum quo illud in oratione Dominica: *Ne nos inducas in tentationem*. Meretur certè corrupta hominis natura & ad malum ſemper procliuis, vt à Deo ipſi malo cui inhiat, æterno vinculo connećtatur: quod ſanè iuſtitia eius feciſſet, quemadmodum exemplo horrendo in Lucifero declarauit, niſi immenſa bonitas & clementia interceſſiſſet. Quamobrem, vt huius beneficij memores ſimus, eo modo hanc corporis & mentis copulã deprecamur, vt agnoſcamus Deum iuſto iudicio nos poſſe cum belluina natura colligare, propterea quòd ipſo relićto diaconi adhæſerimus, & nos ſponte terrenis omnibus malis reddiderimus ſubiećtos. Quid igitur Deo imputari poſſet, ſi nos ei quod præ ipſo amauimus perpetuo vinculo alligaret? Non citra myſterium igitur rogat præceptor, ne carnem & ſpiritum Canopi Spiritus Dei connećtat: qui non ſolùm Dei donis diſtribuendis præeſt, ſed malos etiam caſtigat, dum Deus iram ſuam & furorem contra impios exercet. Sed quæ hæc eſt connexio altæ & ſublimæ partis cum natura belluina? Ea nempe qua ſic carni adhæremus, vt eam ſequamur; & non aliud, quàm quod ipſa ſuadet, facere ſtudeamus. Vbi igitur ratio ſiue mens ſublimior pars hominis ita veterinæ carnis naturæ adſtrićta eſt, vt ei non repugnet; ſed veluti pedanea in ſententiam eius deſcendat, illic hæc eſt connexio: quam vt agnoſcas, D. Paullum audias: *Manifeſta autem*, inquit, *ſunt opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſećtæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia.* Quid autem Spiritus ſanćtus nobis præſtet, dum nos ab hoc vinculo eximit, idem eodem loco demonſtrat. *Fructus autem*, inquit,

Samecht vocis ſignificatio.

Sam.
Mas.

Hecht.
Eich.
Echt.

Animus à carnis deſideriis abſtrahendus.

Carnis opera.

ſpiritus

Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Hæc igitur præceptor diſcipulo ſuo petit, dum eum cupit à carnis vinculis liberari. Verùm confirmatæ connexionis certiſſimum eſt argumentum, ſi quis tam profligatæ ſit frugis, vt ſpiritus & carnis pugnam non ampliùs in ſe perſentiſcat, ſed quò libido trahit, citra omnem conſcientiæ morſum pronus feratur. Certè feruentiſſimis precibus Spiritus ſanctus rogandus; ne nos ſinat hoc vinculo veterinæ noſtræ naturæ alligari. Nam ſi in hac vita ad hunc modum vincti maneamus, certum eſt, nos in æternos inferni carceres præcipitandos, nec vmquam inde ſolutum iri; vt D. Paullus diſertis verbis iis prædicit, qui carni ſuæ adhærent. Nunc ad picturam. Nullius litteræ aut facilior, aut notior eſt figura. Quis enim ignorat, promptiſſimum ad ligandum vinciendumque inſtrumentum funiculum eſſe? Hunc igitur quouis modo delineaueris, Samecht ſatis clarè expreſſeris & oculis ſubieceris. Alij enim aliter funiculum pingunt: nec vnam Latini aut Græci habent figuram. Hebræi funiculum eo modo parant, vt alter finis oculum habere, & per hunc alter finis tranſmitti videatur: quo modo paratus, expeditus eſt ad conſtringendũ. Certè in nulla litteræ figura hieroglyphica ratio conſtantiùs eſt retenta. Verumenimuerò dum in eo quod cuiuis vel è media plebe obuium eſt acquieſcimus, vereor ne non ſatis reconditum ſollertiſſimi Alphabetarij magiſtri artificium aſſequamur; & ne nobis idem hîc eueniat, quod antea in Mem deprehendimus. Illud enim inter alia ſummæ artis eſt, ſic artem ſimplicitate quadam diſſimulare, vt ea vix à ſagaciſſimo quoque animaduertatur. Expendamus ergo iterum paullò accuratiùs, an hic nihil deliteſcat quod ſe prima fronte non prodat. Nemini dubium eſt, quin huius litteræ pronuntiatio ſerpentis ſibilos imitetur; atque idcirco ab Atticis quondam plurimis vocibus eiecta, quaſi homini hic ſonus indecorus eſſet. Scio ægrè laturos Sueuos & Allemanos, ſi quis eorum ſibilos, quos validis lateribus efflant, vel exſibilet, vel minus iudicet quàm ipſi arbitrantur habere ſuauitatis. Verùm quid aut illi aut alij de ſermonis lenitate & æquabili iucundi ſoni tenore ſentiant,



noſtra non refert, modò ſibilum ſibilum eſſe permittant. Pergamus modò, & ex ſibilo ad ſerpentem progreſſi, conſideremus an ſerpenti nihil ſit cum Samecht ſiue arcta copula cognationis. Et legimus apud idoneos auctores, & circa Neapolim in dorſo montis Phlegræi quà lacum reſpicit, didicimus, arctiſſimum omnium nexum eſſe, quo ſe ſerpentes in coitu complectũtur. Nunc quis eſt in noſtra religione, qui neſciat primum mentis & belluinæ noſtræ naturæ nexum à ſerpẽte fuiſſe colligatum, & idcirco non immeritò ſerpentinum nexum poſſe nuncupari? Quando igitur hîc non de alio quàm de hoc nexu fiat ſermo, an non aptiſſimum fuerit & congruentiſſimum ſymbolicis in pingendo ſculpendóue rationibus, ſi ſerpens pingatur, ipſius de qua loquimur colligationis auctor? Adde modò & illud, ſerpentem & funiculum ſimillimos eſſe, & plurimos ſic funiculos fieri, vt ſerpentis formam imitentur. In humano corpore tæniæ naſcuntur ad multorum cubitorum longitudinem, ſæuiſſimum homini malum, quæ mulieris tæniis, quibus capillos colligant, ſimillimæ videntur; quæ non iniuria ſerpentes quoque poſſent nominari. Sed miſſis his, & filici commendatis, qua malè pereant, de aliis ſerpẽtibus cogitemus;

Samecht littera figura.

Serpentium in coitu arctiſſimus nexus.

Tæniæ in humano corpore naſcuntur.

cogitemus; inter quos cùm natrices, tum alij tenui longitudine funiculos non malè referre cernuntur. Quid? quòd non in hoc modò minorum anguium genere & ſimilitudo & prona ad vinciendum natura ſpectatur, ſed in maioribus etiam quos India & Africa contra elephantos dicitur educare? Nam ſi draco vnus poſtica corporis ſui parte elephanti animalis omnium robuſtiſſimi alligare & immotos pedes poteſt continere, quam rogo vim maiorem ad vinciendum reperiemus? Profectò in his modò expoſitis ſatis cauſſæ videtur eſſe, vt pro Samecht ſerpens pingeretur, vtpote animal non ſolùm maxima ligandi vi prædirum, & funi ſimillimum; ſed primum etiam & ſolum cui mentis humanæ & veterinæ naturæ nexus acceptus ſit ferendus. Ceterùm licet hæc luculenta ratione nixa videantur, & ſerpens in hieroglyphicis & frequens ſit & variis modis vſurpatus, adiiciam tamen id quod de nodo Herculano mihi perſuaſi.

Serpentes Indiæ & Africa contra elephantos educare dicũtur.

Herculanus nodus.

De huius origine & nominis cauſſa plurimos conſului, cùm veteres, tum recentiores; ſed neminem vel audiui vel legi, qui quicquam de eo quod probabile ſaltem videretur, aut diceret aut ſcriberet. Eraſmus dum adagium explicat, re quam agebat deſerta, ad Gordium nodum confugit, vt cùm nihil haberet quod de alterius diceret origine, ignorãtiam ſuam huius mentione celaret. Plinius indicat Herculis nodum ſacrum habitum fuiſſe, & creditum conducere ad ſanitatem. Plutarchus ſponſæ cingulum Herculis nodo necti ſolere dicit, quem ſponſus deinde in thalamo diſſolueret. Athenæus Heracleotarum facit inſigne: verùm dum alius aliter eius meminit, nemo eſt qui cauſſam ob quam ſic vocetur, oſtẽdat. Nobis itaq. tentandum ecquid in hac antiquitate queamus inuenire veritatis; & nodũ quem nemo hactenus aut ſoluit aut diſcìdit, expedire.

Herculis infantis cũ anguibus duobus pugna quid ſibi velit.

Herculem vim maſculam mundi eſſe & verbi incarnati figuram, nõ ſemel alibi indicaui. Huic ſtatim à primis incunabulis cum duobus ſerpentibus prœlium fuit ineundum. Qui verò hi duo fuerunt ſerpentes quos verbum incarnatum ſtrangulauit? Qui alij quàm draco humani generis hoſtis, & mors corruptam noſtram naturam depaſcens, ſiue caro concupiſcens contra ſpiritum, veriſſima draconis & filia & ſuccuba. Cur enim naturam noſtram corruptam à dracone in nobis generatam ſerpentem non vocemus, ſi vera ſit ſerpentis ſoboles, & eodem veneno quo ipſe ſerpens, in nobis graſſetur, ac mortem afferat; & iidem omnino fructus ſint huius & illius non de D. Paulli modò, ſed de totius etiam ſacræ ſcripturæ teſtificatione? Vt enim è pomis arbor; ita è fetibus belluæ cenſeantur par eſt. Quid? an non D. Ioannes Iudæos vocauit genimina viperarũ, & ipſe Chriſtus diaboli filios? quod cùm ita ſit, geminos ſerpentes; alterum diabolum, alterum à diabolo in nobis genitum agnoſcamus neceſſe eſt. Nec vllus vmquam aut ſerpens maſculus femellam, aut femella maſculum tam arctè complectitur, quàm diabolus carnem & caro diabolũ: qua de re factum, vt hic cacodæmonis & corruptæ naturæ nexus duobus ſerpentibus arcto nodo & difficillimo ad diſſoluendum colligatis ſignificaretur; quem idcirco nodum Herculanum vocarunt, quòd non ab alio quàm ab Hercule diſſolui poſſet. Ad hunc alluſit Horatius, in Arte poëtica dicens:

Horatij locus explicatus, de nodo digno vindice.

Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus Inciderit.

quo loco me pudet eorum qui hactenus in hunc poëtam vel commentaria ſcripſerunt, vel annotationes. Quid enim oſcitantius, quàm hîc de vindice illo neſcio quid comminiſci, qui debitorem nexu obligatum, & iam iam à creditore ducendum, vel numerando vel pro eo ſpondendo liberabat? Atqui hæc tamen huius loci interpretatio doctiſſimo viro debetur. Præcipit Horatius, ne Deus in parteis vocetur, niſi difficultas incidat, quam non alius quàm Deus è machina expedire poſſit: quod generatim ille quidem explicare potuiſſet; ſed viſum eſt elegantius, ſi priuilegij, quod excipitur, exemplũ indicaſſet: quo fit, vt vindex hic non homo quiſquam, ſed Deus aliquis ſit intelligẽdus. Nam ſi ab homine nodus ſolui poſſet vel numerando vel ſpondendo; quid rogo hac Horatiana exceptione putidius aut abſurdius?

Hercules vindex quomodo dici poſsit.

Vindicis igitur vocabulo Hercules hic denotatur; qui cùm Alexicacos ſit, Latina voce optimè vindex vocabitur, eo quòd ab omnibus malis totum orbem vindicaſſe dicatur, occiſis vbique terrarum & tyrannis & ceteris monſtris; remotiſq. omnibus difficultatibus quibus humanæ vitæ commoditas impediretur. Quòd ſi hic Deus vindicis nomine dignus non eſt, haud video quis vindex dici aut debeat aut poſſit.

Alexicacus Herculis.


Alexicacon autem alij Auerruncum, alij malorum depulſorẽ, alij alio nomine vertant: mihi ſanè nec aptius, nec ſignificantius, nec Latinius quicquam occurrit,

occurrit, quàm ſi vindicem interpretemur. Dixit ergo Horatius, *Nec Deus interſit, niſi nodus aliquis incidat dignus Hercule*; cuius ex in orbe partes fuerunt, vt homines ab omnibus difficultatibus & malis liberaret atq. vindicaret. Vocatus ergo nodus Herculanus qui nulla humana vi, ſed ſolius Herculis viribus poteſt diſſolui. Inter omnes fabulas poëtarũ nulla vel antiquior eſt, vel latius ſe per omnes diffudit nationes, quàm ea quæ de Herculis laboribus conficta eſt: qua de re liquet, eam & ab Ogeniis illis patribus manaſſe, & maxima ſalutis humanæ myſteria texiſſe. Verùm non patiuntur hæ noſtræ elementorũ anguſtiæ, vt eam fuſius perſequamur; eoq. ſatis eſto, quis nodus Herculanus apud antiquiſſimos veræ religionis vates fuerit vocatus, indicaſſe. De hoc nodo Chriſtus in cruce triumphauit, & Spiritus ſanctus, quem Hermetis ſiue Mercurij nomine priſci *Mercurij caduceum.*
denotarunt, perpetuum huius victoriæ in caduceo ſuo geſſit trophæum: quod nomen accepit à malo deprimendo. Hoc videlicet Manes euocat orco, hoc pacem adfert & gaudium, hoc animos beatos ad cælum ſubuehit; & cetera præſtat quæ de caducei poteſtate à poëtis, licet vim eius non aſſecutis, prædicantur. Ceterùm illi egregiè fallũtur, qui in ſerpentibus ſacri aliquid eſſe crediderunt, cùm contrà hi præferãtur à Mercurio tamquam lætiſſimum nuncium; quo nimirum omnibus palàm faceret, duos coniuratos & indiſſolubili nodo cõnexos humani generis hoſtes ſuperatos eſſe, & ſub pedibus veri Herculis cõculcatos iacere. Cùm enim hoc maximum illud ſit & lætiſſimum nuncium & diuinum Euangelium, à quo Mercurius Dei nuncius inter mortales potiſſimùm vocatur; quidni eius monumentum ſemper omnibus oſtendat, vt internecino bello ſubiugatis hoſtibus duobus exitioſiſſimis finito, gaudeant & iubilẽt, & Io triumphe Io perpetuò canentes, Chriſtum Imperatorem ſuum ad cæleſte capitolium ſequantur. Bene igitur Caduceum à Ca-duic, id eſt, à malo deprimendo nomẽ habet, & vt pacis ſymbolũ *Caducei etymon, ſignificatio, & vires.*
celebratur, & duorum hoſtium arctiſſimo fœdere colligatorum trophæum præfert: qui quòd ſemper conſpirarent, capitibus ſeſe mutuò adſpicientibus pinguntur; & id quidẽ ea ratione, vt quamuis infernè virga teneantur, ſupernè tamen colla ab ea quàm poſſunt longiſſimè retrahant, & eam eminus ſibilis impetere videantur. Semper enim diabolus & caro contra virgam Dei conſpirant, id eſt, rectæ rationi & ſpiritui, omnia ad bonum dirigenti, communibus viribus & venenato & mortifero afflatu repugnant. Virga *Mercurij virga cuius rei ſymbolũ.*
enim quã Mercurius geſtat, eam nobis ſignificat de qua Dauid in quadrageſima quarta ode cecinit: *Virga directionis, virga regni tui.* Porrò quo primi nomenclatoris mens propiùs his in rebus inſpiciatur, videamus qui ſerpentẽ vocarit. Fortaſſis enim & huius illud fecerit nomen, è quo aliquid colligi queat quod mecum faciat, & hanc noſtram probabiliorem reddat aſſertionem. Duæ mox nomenclaturæ in ſermone nobis vernaculo occurrunt, duobus, vt videre videor, ſerpentibus ſic tributæ, vt altera domeſticum, altera externum hoſtem deſignet. Drac enim maiorem ſerpentem vocamus, cuius ma- Drac.



xima effigies in Septentrione duas vrſas vinculo ſuo cõnectere videtur. Hic geminam ſui nominis rationẽ habet; *Draconis etymon.*
alteram, vt ex Der-hac vox cõponatur, quo ſignificatur, ad nocendũ lædendumq́. vehementer pronum eſſe. Der Der.
enim idẽ eſt quod noceo, & Hac maio- Hac.
rem in modũ quippiam deſidero. Poteſtne quicquam ſignificantius draconis naturã exponere; de quo Chriſtus ipſe dixit, quòd homicida erat ab initio? Altera nominis ratio eſt De-her-hac, id eſt, cõmunis & publicus harpago. Trahit enim omnes ad ſe velut harpago quidam, & tractos firmiſſime tenet, ceu validiſſimo vnco ſuſpenſos. De De. Her. Hac.
articulus, Her publicum, Hac dum nomen eſt, harpagõnẽ ſignat. Duo enim eodẽ nomine denotantur; alterũ, draconem ſumma procliuitate ad nocendũ perpetuò ferri: alterum, ipſum publicũ omnium mortaliũ eſſe harpagônem, & ab ipſo tamquam ab vnco miſerrimos homines & trahi quò velit, & annexos teneri. Videor mihi, dum huius vocis ori-

ginem intueor, fœdiſſimo ſpectaculo intereſſe, quod Romani exhibere ſolẽt carnifices,
dum cõdemnatos ad ſcalas Gemonias vnco trahebant. Non poſſum, ita me Mercurius
amet, ſatis admirari nomenclatoris artificium, dum ſic res ipſis nominibus depictas vi-
deo, vt nullo ſermone, quãuis prolixo, eas oculis ſubiicere melius poſſis. Habemus modò
magni ſerpentis nomen, & in eo fœdiſſimam & truculentiſſimam arctè quippiam reti-
Slang. nendi rationem. Alterũ nomen eſt Slang, quo minores ſerpẽtes vocamus: cuius ſymbo-
lica ratio illud prorſus exprimit ſcelus, quod corrupta noſtra caro deſignat. Quid enim
aliud eſt Slang, quàm ſiel-hang? quo ſignificatur id quod animam ſuſpẽdit ac ſtrangulat.
Hang dief. Hang-dief nos eum vocamus qui fures ſuſpendit, & generatim pro carnifice vſurpamus,
eo quòd noſtratibus nullum ſupplicij genus infamius habeatur, quàm ſuſpendio vitam
finire. Serpens igitur noſter domeſticus ſiel-hang, id eſt, carnifex, animam mortifero nexu
ſtrangulans, nominatur: quamquam hoc æquè patri atq. ſoboli conuenit. Vide, quæſo,
duarum vocum conſenſum. Altera vncum publicũ ſignificat, quo homines ad ſuppli-
cium trahuntur: altera carnificem denotat, qui animam ferali nodo ſuſpendit ac ſtran-
gulat. Priſci Ianigenæ aliud adhuc vocabulũ vſurpabant, quod ab ipſis Latini hactenus
Anguis notatio. retinuerunt. Anguis idem eſt ac ſi Hang-wis dicas, id eſt, funis è corticibus vel viminibus
contextus ad ſuſpendendũ & ſtrangulandum. Adſpirationem compoſitio lenitatis gra-
Hang. Ang. tia reiecit: & alioqui Hang ab Ang deriuatur, & ſignificationis ſuæ rationem ducit. Quid
hac etymologia euidentius, in qua nihil immutatum, pręterquam quòd duplex digam-
ma, quo Latini carent, in ſimplex tranſiuerit? Vnde Hebræi נחש deriuarint, non admo-
dum noſtra refert: mihi certè vidẽtur Anchis pro Anguis principiò dixiſſe; ſed pòſt, dũ
vocales ab initio ſunt reiectæ, & perpetuo oſtraciſmo condemnatæ, vocem aliter pro-
Hebraicorũ vocum originatio vnde perturbata. nunciaſſe. Sed in Hebræis vocibus omnis originis vocum inquirẽdæ ratio communi illo
plebiſcito perturbata eſt, quo ſtatuitur, vt radices tribus dumtaxat conſonantibus pro-
nuntientur. Hac enim lege nunc hæ, nunc illæ conſonantes è medio ſublatæ, voces ita
relinquerũt mutilatas, vt natales vix agnoſci queant. At bene valere iuſſis Iudæis, ad rem
quam agimus, reuertamur. Quæſiuimus, quanam figura Samecht, id eſt, arctam conne-
xionem exprimere poſſimus; eam, inquam, connexionem qua draco mentem noſtram
carni & veterinæ noſtræ naturæ firmiſſimè copulauit. Inuenimus deinde nihil ad nexũ
aptius firmiusq. eſſe, quàm ſerpentem. Acceſſit mox & illud, hunc totum nexum, quo
carni ſumus deuincti, ſerpentino nodo colligari, atq. eum vocari Herculanum. Præterea
deprehenſum eſt, nomenclatorem noſtrum ſerpentem tribus diuerſis vocabulis notaſſe;
quorum ſingulis fœdiſſima hæc connexio fœdiſſima via & ratione fieri demonſtratur.



S litteræ figura.

Quamobrẽ ſi Samecht ex huius excellentiſſimi præmõſtratoris indiciis & monitis aſpectabili ſymbolo oculis ſubiicere volumus, nõ aliud quàm vel ſerpentem vnũ, vel duos pingere debemus: quod dũ faciemus, nõ hieroglyphicæ tantũ picturæ, ſed ipſius etiam ſoni quo littera profertur, videbimur habuiſſe rationẽ. Latinorũ S vel duos ſerpentes caudis connexos, vel vnũ poteſt referre. Maiuſculũ Græcorũ Sigma nodũ repræſentat Herculanũ: ceteræ eiuſdem litterę figuræ tametſi variæ ſint, omnes tamẽ ſerpentem referũt tortuoſum. Quamuis igitur quæ priùs de funiculo dixi, facillima viderentur & ſimpliciſſima, ſunt tamen magis vulgaria & plebeia, & longiſſimè remota ab illis arcanis quæ nobis cùm priſcorum fabulæ, tum ſermonis noſtri architectus conſideranda & diligenter expendenda proponit. Profectò non video quî nõ vel piſtillo obtuſiores dici debeamus, ſi nec de ſerpentũ natura, nec de Orphica theologia, nec de clariſſimis vocum quibus ſerpens nominatur, rationibus ad eam tandẽ notitiam veniamus, vt ſerpentis figuram cenſeamus aptiſſimam ad Samecht exprimendum.

Hain.

Hain.

VENIMVS modò ad litteram qua nulla eſt apud Hebræos magis dubiæ pronuntiationis. Plerique adſpirationem gutturalem eſſe dicunt. Nos, qui ſcimus ſingulis litteris ſuos eſſe peculiares ſonos, tametſi ab Hebræis & aliis pronuntiatio maiorem in modum ſit corrupta, dicimus hanc litteram gutturalem eſſe; illam quidem & reuera ex imo pectore proferendam, ſed minimè eam quam Hebræorum vulgus ſuſpicatur. Sonat enim G cum adſpiratione ex ipſo pulmone altiùs efflandum, quo noſtrates in fine maximè vtuntur; vt in Hoogh/ Oogh/ Doogh/ Boogh/ Wagh/ Hagh/ Lagh/ & ſimilibus. Nos tamen non ſemper adſpirationem addimus in ſcribendo, eo quòd ipſum G ita ferè proferatur, vt plerumque in ore plurimorum adſpiretur. Sic alij Gh, alij G ſimpliciter ſcribunt. Illud interim certum aurium eſt indicium, G in fine nobis ſemper ex præcordiis duci, atque idcirco G adſpiratum eſſe. Hinc Alphabetarius doctor huius litteræ nomen contra regulam & normam aliorum, quibus litteræ ceteræ vocantur, ſic conſtruxit, vt ſonus ipſius elementi, cuius nomen eſt, non in principio vocis, ſed in fine audiatur; quo videlicet nomen elementi naturam ſequeretur: qua re non animaduerſa, magna oborta eſt de litteræ huius poteſtate & pronuntiatione caligo. Certè hæc vna eſt illarum quæ ad orationem explendam in Alphabetum ſunt adſcitæ; ceteroqui minimè neceſſaria, cùm eius loco Gimel cum adſpiratione pingi poſſet. In Geneſi עֲמֹרָה hanc in principio litteram habet, & ab omnibus Gomorra effertur, nemine vnquam aliter pronuntiare molito. Eodem modo עָתְנִיאֵל Gothoniel proferunt. Nec quiſquam עזה aliter effert quàm Gazá. Santes Pagninus ſcribit, à pleriſque putari hanc litteram vocalem eſſe, quibus non aſſentitur; at ipſe interim pronuntiationem eius ſcripto tradi poſſe negat, quamquã in fine ali ſonare dicit. Sed quia apud Hebræorũ Grammaticos nihil certi eſt, nos altiùs è primis vocum originibus germanum eius ſonum eruamus. Primum itaque ipſius litteræ nomen conſideretur; quod Hebræi עַיִן ſcribunt, & ab aliis Hain, ab aliis Aïn pronuntiatur. Hîc prima confuſio orta eſt ex eo, quem paullo antè commemoraui, oſtraciſmo; quo nimirum vocales excluſæ ſunt à principe vocum ſede. Nos vocalem poſtliminij iure in locum ſuum reſtituentes, Ogen legimus, puncti, quod ſub Iota eſt, nulla ratione habita; atque hac via oculos non oculum deprehendimus notari. Videmus itaque de peruerſa ipſius litteræ pronuntiatione & vocalis à principio repulſa, Hebræorum nomen à voce noſtrati corruptum eſſe, & è plurali ſingulare factum: niſi fortè per metatheſim legas עַיִן In Og/ pro Een Og. Habent Hebræi aliud verbum quod excæcare ſignificat, עִוֵּר, quod ſi vertas, Kofog/ id eſt, ſpolio ſiue orbo oculo nobis dicitur; vbi apertè Gh adſpiratum auditur. Ex eodem fonte עָגַב pro, amore mulieris inſanire: Oggaf/ id eſt, oculum adiiciebat ſiue dabat; è quo amoris exordium & faſcinatio. Siluoſam frondium denſitatem עָבֹת vocant. Nos Hog wout dicimus, id eſt, altum nemus: quam etymologiam ſi locis illis applices quibus ſcriptura hac voce vtitur, non parum te ad eorum intelligentiam adiuueris. Apud eoſdem eſt מַעְגָּל pro tentorio: qua in voce Gimel ſuperfluum eſt. Eſt enim Mag-hal locus ſpatioſus, in quo ſimul cognati commorantur. Hinc Magalia. Mag enim cognatus, & Hal locus quo vel homines vel merces ab aëris iniuria ſeruantur. Solent enim veteres ſub amplis tectis vnà cum cognatis commorari, cauſſa nimirum communis defenſionis. Mirum eſt quàm Hebræi lubenter voces noſtras retrorſum & pronuntient & ſcribant. Sic עוד pro Tuig dicunt, id eſt teſtificari, Tau in mediam litteram, quod frequens eſt, commutato. Idem verbum ponunt pro prædari, à noſtro Tog/ quo militaris expeditio denotatur. Eodem modo retrò pronuntiant עָוֵל, quod interpretantur iniquè agere. Nobis eſt Log/ id eſt, mentiebatur & fraudabat. Oblitus modò eram à Mag aliud vocabulum deriuari. Dicunt enim מָעוֹן pro habitaculo firmiore & tutiore, quod nos Mag—won/ id eſt cognatorum habitationem dicimus; quæ idcirco firma eſt, quòd numquam præſidio ſuo ſit deſtituta. Hic Vau loco duplicis digamma poſitum eſt. Hæc etymologia non parum facit ad loca in quibus vox hæc eſt meliùs intelligenda. Rurſus aliud verbum occurrit præpoſtero ordine prolatum; & quo tribus tantùm conſonantibus abſoluatur, vna littera diminutum. עוף enim pro Phlog/ id eſt, volabat, dicunt. Nos in deriuato Phogel pro aue dicimus ad diſcrimen Phlogel/ quo ala denotatur. Maluimus tamen digamma pro P adſpirato vti, vt ſit

Haïn litteræ pronuntiatio.

G litteræ in fine dictionum Cimbricarum pronuntiatio.

Hain ſiue Aïn litteræ pronuntiatio corrupta.

Hebraicæ dictiones complures à Cimbricis per metatheſim, aut alio modo factæ.

Og.

Waut.

Magalia vnde nomen inuenerint.

Mag.

Hal.

Tuig.

Tog.

Log.

Vlog.

Voghel.

Vloghel.

Vlog & vogel & vlogel. Iam in עיר pro manè ſurgere & expergiſci, vnum Vau omiſerũt;
Vrog. quo addito & voce retrò lecta vrog habebis, vocem noſtratibus frequentem. עָבַר neſcio
prorſum ne, an verſum legere debeam, quo ſeruire ſignificatur. Nam Go-bod bonum
famulum ſignificat; & To-uog idem eſt quod accommodare & voluntati cuiuſpiam ob-
temperare. In עָב pro craſſo, nos docent multa nobis vocabula obſoleta eſſe quorum
Gof. olim frequens fuit vſus. Gof enim olim craſſum & impolitum notaſſe, Itali Gotiſantes
Goffo. ſatis oſtendunt, apud quos *Goffo* hactenus eſt in vſu. At עָבָה quo nubes notatur, alterius
eſt originis, ab hog-wai ſiue hog-bai deriuatum, quo altus humor ſiue altum balneum
denotatur: quo fit, vt mirum non ſit, vt pro imbre vſurpetur: in qua ſignificatione Pro-
uerbiorum capite decimo ſexto vſurpatur. עָנַג pro delectari & deliciari à poſtica parte
Genugt. apprehendendum, à Genugt deriuatum, quo deliciæ & iucunditas denotatur, quam ipſi
עָנַג dicunt: quod retrò lectum genog eſt. Præpoſterum etiam eſt ערב pro ſpondere &
Borg. vadem eſſe & ſub pignore accipere. Nobis enim in hac ſignificatione Borg dicitur. Nec
illud Hebræi ſciunt vnde עֶרֶב veſperam ſignet & Solis occaſum. Nos dicimus, Die Son
Berg. bergt heut/ id eſt, Sol ſe abſcōdit. Veſpera ergo Berg dicitur, quaſi occultatio. Ab hac voce
עֶרֶב ſua habent Iudæi deriuata, quæ nihil attinet recitare. Iam עָרַב etiam eſt protegere,
à berg quod eſt protego. Hinc illud decimi ſeptimi capitis apud Iob intelligas: *Libera
me & pone me iuxta te*; vbi vertendum erat, Et protege me. Eodem modo & illud in
Pſalmo centeſimo decimo octauo, *Suſcipe ſeruum tuum in bonum*, intelligendum eſt.
Alij verterunt, *Sponde pro ſeruo tuo.* Nos, protege, interpretamur. Eſt enim nobis diſcri-
Borgen. men inter borgen & bergen. Porrò עָרָב pro deſerto, eſt à noſtro berg pro monte & ſilua,
Bergen. eo quòd in his homines ſeſe abſcondant. Sic lupi deſerti, lupi in ſiluis & montibus in-
telligantur Sophoniæ tertiò, vbi lupi veſperæ tranſlatum eſt. Numerorum triceſimo
quinto, campeſtria Moab, montana & ſilueſtria Moab de noſtra lingua agnoſceremus;
aut illa ſaltem loca quæ idonea ſunt ad occultandum tegendumque, quales etiam ſunt
inuiæ arenæ. Et Pſalmo ſexageſimo ſeptimo, *Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum*;
nos intelligeremus per montana aut ſiluoſa. Hinc Arabia עֲרָב dicta, quia regio ſit aptiſ-
ſima ad occultandos homines, tum propter montes, tum propter ſolitudines inuias. In-
uenitur hæc littera pro Cap nonnumquam poſita, vt facilis eſt è media in tenuem, &
Sterc. contrà tranſitus. Hinc עָרִיץ fortem vocant & robuſtum, quem nos ſterc nuncupamus.
Stec. Eodē modo עֵץ pro ligno vſurpāt; nos ſtec dicimus pro exigua ligni parte. Apud eoſdē eſt
Gul. לוע pro abſorbere, & לוֹעָה pro gula: vbi clariſſimè cernis, noſtrum Gul exprimi; quod ſi-
Gulſich. gnificat intemperanter deuorare: vnde gulſich pro guloſo. Dicitur autem gul quaſi
gat vul, per conciſionem: id eſt, foramen impleo, quæ noſtra phraſis idem valet ac ſi di-
Gat. cas, totam corporis cauitatem impleo. Gat enim & pro gula & pro podice vſurpamus.
Logen. At verò cùm doctores Hebræi לוע pro loqui ponunt, ad noſtrum Logen / id eſt menda-
cium, & λόγον Græcorum alludunt. Verùm ne quis putet, Hebræos ſemper præpoſte-
ros eſſe, & cancros imitari, addam & recta aliquot exempla. עָבַר tranſire ſignat: nobis
Ga ouer. ga-ouer ſiue ga ober dicitur. עָבַר pro iraſci. Geber nos dicimus pro furere ſiue cla-
Geber. Gewon. more incondito ſæuire more vrſorum. עון habitationem ſignificat: nobis gewon. עיר pro
Ger. hoſte, à noſtro Ger, quo bellum apud maiores noſtros notabatur: vnde German &
Gerra. Gerra. In עוה pro peccare, littera de qua agimus pro C vel Q ponitur litteris cognatis,
Quado. à Cuado ſiue Quado, id eſt, malum facio. עז capra : nobis geit, Allemanis geis. עֵת tem-
Geit. Geis. pus: nobis geti pro tempore opportuno. עט euerſum eſt à teec ſiue teeken, id eſt, noto &
Geti. ſigno. qua voce ſtylus & calamus ſcribentis notatur. Hebræi hîc ſe fatigant in ratione
Teec. nominis quærenda. Nec deſunt qui à עָטָה deriuent, quod ſignificat cooperire. Nihil
Teecken. enim tam ineptum aut abſurdum cuius eos pudeat. Eſt autem עטה miſerè corruptum
Dec. à Dec noſtro, quod eſt cooperio. Latini, dum Tego dicunt, Hebraiſant. Dum עול, pro
lactare dicunt, Græcis vel ſuccinunt, vel ſunt coryphæi: quorum vtrum ſit mea non re-
fert; ſatis eſt videre; hanc noſtram litteram quam nemo hactenus bene nominauit, pro
Lac vnde dictum. G poni, Latini lac dicunt à Lec noſtrati, quod eſt lingere & lambendo ſorbere. עוג ſub
Lec. prunis, vt volunt, coquere ſignificat. Quicquid eius eſt, quiuis facilè perſpicit, verbum
Coec. à noſtrati Coeg ſiue Coec factum eſſe, quo libum ſignificatur. Nec aliunde origo eſt quàm
Coc. à Coc: à quo Germani ſuperiores Coch dicunt, adſpiratam pro tenui ponentes; quæ eiuſ-
dem ſoni ferè eſt cuius littera in quæſtionem vocata. In עוש pro ordinare ordinem lit-

terarum

teraru m ſeruarunt. Nos guſſen & giſſen dicimus,& Metter gis/id eſt,cumulatè. עש apud Guſſen.
Iob congregatio quædam ſtellarum eſſe dicitur. D. Hieronymus Arcturum vertit. No- Giſſen. Gis.
bis Gas plateam publicam ſignificat; & idcirco non diſpliceret ſi via lactea hoc nomine Gas.
intelligeretur, quandoquidem alia via nulla in cælo ſtellis conſignata eſt. עָטַף pro defi-
cio,eſt à noſtro Gat-aph deriuatum,quo idem denotatur. עֲטַלֵּף veſpertilio dicitur, quòd Gat-af.
in foraminibus occultis viuat, à noſtrati Gate-lef. עיט auem generatim interpretantur: Gate-lef.
cuius vocis nullam inueniunt originem. Mihi non leuis ſuſpicio eſt, à noſtro Gier cor- Gier.
ruptum eſſe, & ex hac Hebraica voce Græcos vlterius γύψ feciſſe: quo fit, vt vulturem γύψ.
hac voce intelligam; quæ ſignificatio optimè in ea loca quadrat in quibus huius vocis
vſus eſt. עלה pro adſcendo, à ge-hel vel ga-hel, eo in altum. Eodem verbo pro curare &
ſanare vtuntur: quæ notatio à noſtro verbo geheel venit, quod eſt ſano & curo: ita fre- Geheel.
quenter duorum aut trium noſtratium verborum ſignificationes in vno ſuo verbo con-
fundunt; vnde tanta apud eos ex homonymia obſcuritas. Significat etiam ſacrificare;
in qua ſignificatione verſum videtur è noſtro Heilig, id eſt, ſacrum facio. Iam עֲלִיָּה cubi- Heilig.
le eſt vel cœnaculum, à noſtro Heleg vel Helag, id eſt, ab alto diſcubitu. עלה item cogita- Helag.
tio occulta. Vnde Ezechielis vndecimo: *Et cogitationes cordis veſtri ego noui.* Hæc no-
tatio eſt à noſtro ge holen, id eſt, occultum; ab hel, quod eſt occulere. Ge, vt in multis aliis, Geholen.
ſuperuacaneum. Significat præterea עָלָה maculare, à gal noſtrati, quo macula & ſca- Hel.
bies notatur. עַלְיָה femur, primi Regum cap. nono Hebræi interpretantur: nobis ho-leg Gal.
id eſt altum crus. Leg enim crus eſt, Britannis hactenus in vſu. תְּעָלָה pro aquæductu po- Leg.
nunt, ordine præpoſtero à noſtro hel-got, quo altus canalis denotatur, quales plerique Hel-got.
ſunt aquæ ductus. עָלַם occultare, celare, abſcondere, ab Og-lem, quod eſt ab oculis ce- Oglem.
lare. Mel enim aperio, Lem occulto. Quòd ſi magis placet ge-lem, licet dicas protheſi Mel.
nobis familiari. עולם ſæculum, geholem. Vide quæſo quàm litteras ſuas confundant. In Lem.
eadem ſignificatione dicunt, nimirum pro lætari עלז עלס & עלץ; quaſi inter x, s & ſt
nullum eſſet diſcrimen. Origo horum in poſtremo verbo ſeſe prodit, quod clariſſimè
cernitur in noſtro geluſt fieri. Luſtig lætus & hilaris dicitur. Het geluſt mi, id eſt, mihi hoc Geluſt.
volupe eſt. עָלַע lambere, gelet & let nos dicimus. Quòd autē ge frequenter citra neceſſi- Luſtig.
tatem addant, id inde fit, quòd radices ſuas à præterito ferè deducant, in quo gelet nos Gelet. Let.
dicimus. עָמִית ſocius & proximus, gamit, id eſt, vnà vadens: vulgus barbarè, vade mecū,
vocat: vel gomit, id eſt, is quem bonum ſit vna habere ſecum: vel fortè à gemet, per ge
redundantem ſyllabam. Maet enim & Met Zelandico more ſocius eſt. In עֵשֶׂב pro her- Maet.
ba metatheſis eſt. Nos gewes ſiue gewas dicimus pro quauis creſcēti planta. עָשַׁר ditare, Gewas.
diuitias habere. Nos Go-ſcat pro bonorū collectione dicimus. עָתַר orauit, ſignificat; vnde Scat.
Latinorū Rogat per metatheſim; vbi G itidē clarè videtur: quod verbū videtur originē
habere ab Eertog, id eſt, honorē oſtendo: quòd princeps orationis pars ſit, cum quem Eertog.
rogas honorare. Poſſet alia ratione ad linguam noſtrā reduci, ſed hoc hîc non agimus;
ſatis ſit oſtendiſſe, quæ litteræ de qua quærimus, ſit pronunciatio. Nihil æquè Hebræo- *Hebræorum linguam quid maximè corruperit.*
rum linguam corrupit, atque illa ſuperſtitio, qua radices ſuas tribus vt plurimùm conſo-
nantibus includunt: quod aliquo tamen modo tolerari potuiſſet, ſi primarias vocū ſibi
ſumſiſſent: at nunc contrà res habet. Videas enim, vti modò dixi, apud eos Ge, cuius
voculæ præpoſitæ adiumento præterita perfecta formamus, frequenter contra omnem
rationem vocibus adiectum; quarum vt aliquot commemoraui, ita reſtant quampluri-
mæ, non in hac modò littera, ſed in cognatis etiā Gimel, Chet & Iod, quod pro Gimel
non rarò vſurpatur in hac linguæ corruptela. Sic עד, & aliquando עוד idem eſt quod in
æternū, à ge oid, ſiue ge-oot, id eſt, ad æternū, ſiue in æternū. Nobis hic non eſt ge neceſſa-
rium. Oid enim & oot dicimus pro perpetuo. Sic in עֵבֶר pro trans ſiue vltra, ge ſuperfluū Oid.
eſt, quamuis in עבר non ſit ſuperfluum. Ga ober enim tranſeo eſt, ſed ge ober nō dicimus, Oot.
niſi pro, vſque ad illa quæ vltrà ſunt; ad verbum, vſque vltrà. Ober ſolùm vltra & trans Ober.
notat. Nec opus pluribus exemplis, cùm hæc corruptela latiſſimè graſſetur. Quis non
rideat dum בַּעֲבוּר pro idcirco audit, quod nos warbi dicimus, vel warober. Ad alia. עָדַן Warbi.
pro deliciis abundare. Nos dicimus go doen, vt, Hi is in go doen, id eſt, res ipſius bene ha- Go doen.
bent; &, Hi heuet go doen, id eſt, vitam agit facilem, nulliſq. difficultatibus impeditam.
Sic hortum עדן ſiue Paradiſum nos dicere poſſemus, den hof van go-doen. עָדַר erigere ver-
tunt, alij ſuſtentare. Etymologia manifeſta. Go—dot enim idem eſt quod beneficium in

[Toog.] quempiam conferre. עָרָה, pro ornare præpoſterum eſt à Toog/ id eſt, ornauit ſe, ceu di-
cas, ad oculum ſe parauit; vt Si heeft haer opgetoogt/ id eſt, ipſa ſe egregie ornauit. עֲדִי &
[Tuig.] עֶדְוָה pro ornamento; nos Tuig dicimus & getuig. עָדָה pro tranſire, à noſtro Tog/ id eſt
[Getuig.] proficiſcebatur. Eodem verbo pro aufero vtuntur; & hac ratione eſt à noſtro Tog pro
[Tog.] [Tijg.] traho. Sic dicimus: Hi togt mi dat af/ id eſt, auferebat id à me. Hinc wt tog/ id eſt, exue-
[Derf.] bat. עָדַר pro priuare & deeſſe, Ge habet ſuperuacaneum, & digamma caret. Derf idem
eſt quod careo. עָדַף pro excedere eſt, à noſtro God-hop deriuatum, quod ſignificat bona
coaceruo. Sic Exodi decimo ſexto vſurpatur, vbi dicitur iis non maiorem aceruum fuiſ-
[Hag.] ſe qui plus collegiſſent. אע Chaldæis lignum ſignificat: nobis Hag dumetum ſignificat,
non vnum, ſed multa ligna complexum. בָּעַל pro dominari, & בַּעַל pro domino tranſla-
[Bog.] tum, à Bog-al/ id eſt, facio vt omnia ſeſe mihi incuruent & inclinent: ceu dicas; omnia
genua mihi curuantur, & omnes ſeſe coram me inclinant. Hinc non malè marito at-
[Vog.] tribuitur, cui ſe vxor ſummittit. Nec malè omnino dicas, ſi à Vog-al deriues; quod ſi-
gnificat omnia diſpono. Prior notatio Idolo magis conuenit quod בַּעַל dicebatur. בָּעַר pro
[Blaker.] ardere, à Blaker ſiue Vlacker/ quo ſignificatur flamæ vibratio & incendij maior vis: Hîc
[Vlacker.] y pro Cap ponitur, littera tenui. בָּעַר pro electione vel electo: quis dubitat quin idem ſit
[Begert.] cum Begert/ quo deſideratus notatur? בַּעַר autem pro ſtulto: nos Wager dicere poſſu-
mus, quo propriè temerarius ſignificatur, qui omnia fortunæ committit. Sic dicimus:
[Wager.] Ic ſalt wagen/ id eſt, Ego rem caſui committam, ſiue periclitabor. Wager igitur qui te-
[Wagt.] merè res omnes caſui committit. Wagt etiam ſignificat ſuccuſſare, & ſurſum deorſum
agitare. Hinc בָּעַת pro exagitare; vt primi Regum decimo ſexto dicitur: Exagitabat eum
[Ve.] ſpiritus. בְּעִיר iumentum vocant: nobis Ve-ger congregationem veterinorum animalium
[Ger.] ſignificat. Eodem modo Latini à Ger quod eſt congrego, Grex fecerunt, quaſi Ger-echt
[*Grex vnde nomenclaturam acceperit.*] verterent, quo ſignificatur ipſum illud quod propriè & præcipuè inter res omnes fas
ſit colligere: vel, quod eôdem tendit, Ge-recht/ id eſt, iuſta & recta congregatio; quia ni-
mirum fit citra ablationem, ſola procreatione numerum augente. Vide confuſionis lin-
guarum affinitatem. דָּמַע pro lacrymari, neſcio an à Dom-og/ an ab Og-mat/ an Og-mod
deriuare debeam. Illo primo denotatur, condemno oculum, vel obtundo oculum: al-
tero, oculum fatigo: tertio, oculum humecto. Conſtat interim ab Og pendere ratio-
[Dagt.] nem. יָדַע ſcire, noſſe, manifeſtare. Pro ſcire eſt à Dagt/ id eſt cogitabat: pro manifeſtare,
[Tog.] à Tog, id eſt oſtendo. דֵּעָה ſcientia, doctrina potiùs ſiue manifeſtatio, à Tog/ quod eſt
oſtendo Significat etiam יָדַע cognoſcere carnaliter, vt noſtri loquuntur; & in eo ſignifi-
[Dag.] catu eſt à Go-doi/ id eſt bono afficere & voluptate. יָעַד conſtituere tempus Dag. Hinc
principum conuentus hac voce indicatur, quòd non niſi ſtatuto priùs tempore con-
ueniant. Sic: Ecce Reges terræ congregati ſunt: hinc præpoſito Mem de Hebræorum
more מוֹעֵד pro tempore ſtatuto. Confer hoc etymon cum locis Bibliorum, & cernes
[Gait.] quàm rectè congruat. Ponitur etiam pro feſto. Verùm יעד pro deſpondeo, fit à Gait/
[Jag.] quod eſt coniugat & matrimonio iungit. En cauſſas homonymiæ. יָעָה amouere, à Jag/
[Gec.] id eſt, fugo. יָעַז impudentem vertunt Chaldæi וְחַף & procacem. Gec nobis idem eſt
[Gecs-mer.] quod derideo: vnde gec pro morione & ludione. Hinc Gecs mer/ narratio illuſorum &
[Gelt.] ludionum. Hinc יעז Gecs per metatheſim. יעל prodeſſe, à Gelt: ſic dicimus: Dat en gelt
niet/ id eſt, nihil valet; &: Het gelt/ id eſt, valet & vtile eſt. יען eo quòd, propterea: nobis
[Na.] Na/ & alij Nag/ id eſt, Poſteaquam, Quoniam. יצע ſternere interpretantur, cùm ſit po-
tiùs exſtruere & exaltare. Hinc יציע D. Hieronymus tranſtulit tabulatum. Græci στέγας
[Steg.] vocant. vnde *δίστεγα* & *τρίστεγα* à noſtro ſteg/ quod eſt exaltabat. Nos pro ſtegis ſtagien
[Stagien.] dicimus מָעַד deficere, vacillare. Mogde nobis defatigatio eſt, & Mog defatigatus. מֵעָה
[Mogde.] [Mog.] viſcera, venter: nobis Mag. מעט pro minuere & minus reddere, venit à Meuct/ vbi y pro
[Mag.] [Meuct.] כ ponitur. פעה clamare reddunt: nobis Pog ſignificat enitor. vnde Eſaiæ quadrageſimo
[Pog.] quarto: *Sicut parturiens clamabo*; fortaſſe vertendum: Sicut parturiens enitar & cona-
bor. פָּעַל ex eodem fonte manat, pro Hel pog/ altum aliquid molior; tametſi Hebræi ori-
ginis ignari, generatim pro operari vtantur. קְעָרָה quidam ſcutellam vertunt. D. Hiero-
nymus acetabulum. Ego aquarium vas fuiſſe credo, tum ad manus lauandas, tum ad
vinum miſcendum. Nam maius deſcribitur, quàm vt acetabuli vſum præbeat. Ap-
pendebat enim centum & triginta ſiclos argenti, id eſt, quinquaginta libras & quinque
[Aker.] vncias, quod pondus ſatis magno aquario vaſi ſufficit. Nos Aker dicimus. vnde hodier-
nis Gal-

nis Gallis *Ecgier*; qui linguam noſtram corrumpendo, propiùs ad Hebræos acceſſerunt. Græci tryblion verterunt,cuius pondus ſeptem vncias & dimidiatam explet; tanto quidem meliùs,quanto hæc menſura oxybapho ſiue acetabulo maior eſt:ſed nihil ad rem, cùm Hebraicum illud vas quinquaginta libras & quinque vncias appendens, longè maioris capacitatis fuiſſe fateri debeamus, niſi in maxima argenti maſſa exiguam cauitatem nobis comminiſcamur; veluti ſi quis in columna ſupernè hemiſphærion excauet, ad horas Solis obiectu demonſtrandas:quod Numerorum capiti ſeptimo,nec Exodi viceſimo quinto vllo modo poteſt conuenire. Hîc cernere licet, quanti ſit, vetuſta vocabula more noſtro pronuntiare. Hebræi nec vocalem in dictionis exordio ferunt, nec quæ ſit litteræ huius controuerſæ pronuntiatio nouerunt. רָעֵב eſurire, & רָעָב fames, à Begger/ id eſt, panem deſidero; quod proprium eſt eſurientis. Non mirum igitur, pueros ablactatos in Ægypto beg ſiue bec popoſciſſe; quando omnes Iudæi dum eſuriunt, ſe fateantur beg deſiderare. רָעָה paſcere, alere. Ge-voer/ id eſt, do vel dat pabulum. Vau eliſum, quo He vaniſſima apud Hebræos littera accederet: Cùm pro Regere ponitur, deſcendit à Reg/quod eſt Rego. A רָעָה pro confringere Græci habent ῥήγνυμι à breet/quod eſt rumpo, profligato Bet, quo ſuperuacaneum He locum inter tres conſonantes haberet. Mirum eſt quàm Græci Hebræorum corruptelam lubenter in quibuſdam æmulentur. רַעֲנָן virens reddunt. Groen nobis. Bella ſanè metatheſis. Vt autem hîc Nun vnum eſt ſuperfluum; ita neſcio qui Pe in locum Nun ſucceſſerit in רָעַף, quo irrorare & ſtillare ſignificatur; cùm clarum ſit, verbum hoc à noſtro Regen venire, quod eſt pluere. Credo beregen/ quod eſt compluo dicere voluiſſe, & loco Bet Pe pronuntiaſſe, quod non eſt rarum. Rurſus elegans litterarum, ſi Mercurio placet, tranſpoſitio, dum שְׂעִף pro Gepeis ponunt, id eſt, pro cogitatione; & שָׂעַר, quod eſt formidare pro Sorg. Lubenter etiam Hebræi ſibilant, & ea cauſſa in שִׁעֲשַׁע, quod eſt delectari & ſuauitate perfrui, Tau in Sigma verterunt, licet puncto ſuo dextro pronuntiationem corruperint. Verùm nos punctorum nullam rationem habemus. Sagt molle nobis ſignificat. vnde Sagtig. In תָּעַב quod abominari vertitur, Lamet abiectum, ne quatuor eſſent conſonantes. Nobis Vlott/ Allemanis Flucht pro exſecrat. Ceterùm iam ſatis & plus quàm ſatis de litteræ huius pronuntiatione: & diſperеam, niſi ſtomachus meus iam nauſeet ad hanc ſtribliginem corruptiſſimam. Miror interim tanto ſæculorum interuallo verum huius elementi ſonum apud omnes latuiſſe; & vix tria aut quatuor in totis Bibliis exſtare rectæ pronuntiationis exempla. Quòd ſi mihi eadem in lingua Hebræorum ad veras primæ linguæ radices reuocanda libertas daretur, quanta fuit in corrumpendo confundendóque licentia; non ſolùm voces in quibus hæc littera reperitur, ſed vniuerſim omnes reducere poſſem ad ſermonis noſtri puritatem. Equidem in hac corruptela examinanda maiorem hominum opinione capio voluptatem, dum clariſſimè cerno, eam non tempore & longa mala loquentium conſuetudine inuectam eſſe, vti factum in Italico, Gallico & Hiſpanico ſermone animaduertimus, ſed prorſus diuino miraculo. Vnde enim alioqui tot præpoſteræ pronuntiationes, quas nulla vmquam conſuetudo in illis peperit linguis quę ex gentium miſtione à priſco ſuo nitore declinarunt? Tempus nunc eſt, vt litteram, quam nemo hactenus poſt primos illos magiſtros germano ſuo ſono vocauit, germano nomini reſtituamus & vindicemus. Nuncupabimus ergo eam Hooghen: qua in voce, En/ quod poſterius auditur, coniunctio eſt; non magis ad litteræ aut naturam aut nomen faciens, quàm Het in Dalet. Additur enim ad orationis complementum, cui hæc vocula neceſſaria eſt. Hoogh altum nobis ſignat, à quo Oog pro oculus. Latini ab Ooglin/ id eſt, ab ocello, oculi nomen videntur habuiſſe. Hebræi, vti dixi, è plurali noſtro numero, Oogen fecerunt, ſed à plurimorum ſæculorum decurſu nemo vocem bene pronuntiauit. Nec maxima ratione caret, quòd ab Hoog ab alto nomenclator Oog deduxerit, & ſolo tenui ſpiritu voluerit fieri diſtinctionem, quæ nec ipſa quidem ſemper obſeruatur. Quemadmodum enim Oor/ id eſt, auris ab Origine nomen accepit, vt moneremur, nihil audiendum nobis eſſe, quod non ad originem primam referatur; ita oculus ab alto nominatur, quo ſemper memores ſimus, ad hoc oculos nobis datos eſſe, vt excelſa perpetuò contemplemur. Crebrò tradere memini He/ Hoo/ & Hoog eiuſdem eſſe notationis; hîc addendum, in Hoog vim quandam ſignificationis eſſe maiorem, quæ littera hac ex altis præcordiis expectoranda denotatur, ceu diceretur, excelſum ad

Beg.
Reg.
Brec.
Groen.
Reghen.
Gepeis.
Sorg.
Sagt.
Vlott.
Hain ſiue Ain litteræ germanum nomen.
Hoogh.
Oog.
Oculi etymō.
Oor.

quod ſuſpirare debemus, & ſpiritu ferri ex imis viſceribus emiſſo. Verùm quando hoog in hac oratione non quamuis notat ſublimitaté, ſed eam dumtaxat quam quiuis homo rationis compos in ſe deprehendit; quæ'nam hæc ſit, conſiderare oportet. Sicut nullus ſenſuum exteriorũ altiora percipit quàm viſus; ita in toto homine nihil eſt quod ſublimiùs adſcendat, quàm mens & vis intelligendi. Hæc igitur in nobis ſublimitatis nomine capienda, & vt oculus datus nobis eſt, vt altiſſimũ eorũ quæ videri poſſunt, intueamur; ita mens noſtra ſemper contendere debet ad ſupremũ eorum quæ intelligi poſſunt: & quicquid aliorũ intelligit, ad altiſſimum referre. Quemadmodum item oculi officium eſt altum ſpectare; ita mẽtis partes ſunt, vt excelſiſſimum eorum contempletur quæ in ipſius cadunt captum. Nec minus id in noſtrati mentis nomine expreſſum eſt, quàm alterũ illud vernacula oculi nomenclatura demonſtrat. Siel enim compoſitũ eſt ex Si & El; quorũ illud video ſignificat, hoc altiſſimum. Docemur itaque ipſo mentis noſtræ nomine, hãc noſtri partẽ altiſſimam eſſe, vtpote eam quæ altiſſimũ poteſt videre. Nam videre & nouiſſe altiſſimum nequiret, niſi cum altiſſimo haberet cognationẽ; eo quòd ex Platone didicerimus, inter cognata dumtaxat notitiam verſari. Cognationem hanc ſacra Moſis hiſtoria declarat, aiens hominem ad Dei ſimilitudinem factum eſſe; quod Ouidius eleganter expreſſit ad hunc modum:

Oculi & mẽtis ſimilitudo, & vtriuſque officium.

Siel.
Si.
El.
Mentis in homine præſtãtia.

Sanctius his animal, mentiſq́; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cetera poſſet.
Natus homo eſt, ſiue hunc diuino ſemine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo,
Siue recens tellus, ſeductaq́; nuper ab alto
Aethere, cognati retinebat ſemina cæli,
Quam ſatus Iapeto miſtam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.
Pronaq́; cùm ſpectent animalia cetera terras,
Os homini ſublime dedit, cælumq́; tueri
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

In his enim verſibus & oculorũ vſum, & altam mentem audimus, & vnà videmus, hominem ad effigiem Dei formatum eſſe: quæ vt mirifica in hoc vate videri queunt; ita longè maiorem facit admirabilitatem, quòd hæc omnia nomenclator noſter ſolis duabus voculis monoſyllabis & cõprehenderit breuiſſimè, & clariſſimè explicarit. Siel igitur ſiue mens illud altũ eſt, cuius hîc audimus mentionẽ, eo quòd hac ſola ipſum altiſſimum conſpicari queamus, vti nomen declarat. Nec verò quicquã altius eſt, quò homo peruenire poſſit, quàm hoc ipſum quod hoc nomine Siel deſignatur; ita vt eo ſimul & propriũ & ſupremũ mentis officium, & ſimul ſummũ bonorum clariſſimè explicetur. Nullis vmquam verbis aſſequi poſſem, quanta voluptate animus meus perfundatur, dũ de vocũ huius generis excellentia cogito. Quas ego gratias ſatis magnas, non dico agere, ſed habere queam huius ſermonis architecto, in quo vna vocula plus abditarũ rerum & ſolidæ veritatis, quàm ingentes philoſophorum codices recludit. Numquam non optarem vel Demoſthenis vel Ciceronis eloquentiam, vti pulcerrimũ hominis ornamentũ; verùm numquam tanto eius deſiderio tangor, quanto tum, cùm aliis ſignificare ſtudeo quis ſit animi mei ſenſus in eiuſmodi vocibus, qualis Siel eſt, diligenter conſiderandis. Diſpeream niſi me ferè pudeat illius admirationis, in qua Platonem & Ariſtotelẽ prius ſoleo habere quàm ad hanc vocum & rerum in qua nunc verſor, magiam admiſſus fuiſſem. Diſertè illi quidem & acutè de hominis officio, de ſumma felicitate, & iis omnibus quæ huc ſpectant rationes colligunt, & multos libros replent; verùm ſi hæc omnia in vnam veluti maſſam conflata, vni lanci; & alteri è regione ſolam voculam Siel imponas, & vtra res altera plus ponderis habeat examines, deprehendes, ni fallor, immani diſcrimine ab hac illam eleuari. Habent Latini nomen mentis; elegantiſſimam illam quidem vocem, ſed cuius vim nemo hactenus intellexit: tametſi nõ defuerint qui quo aliquid dixiſſe viderentur, mentem ab eminentia nomen accepiſſe contenderent. Sed miſſis nugis, nos veram nominis rationem, quam ſæpius indicauimus, repetamus, quo certius conſtet, quænam illa ſit hominis ſublimitas, quam orator noſter nollet belluinæ naturæ alligari. Men idem quòd duco eſt & dirigo. vnde Min amor, ſubtiliſſimũ

Mentis etymon.
Men.
Min.

omnium

omniũ eorum quo omnia ducũtur. Propriè enim dixit Maro: Illos ducit amor, vt in Iod dixi. Ab eodem **men** fit **mein** pro opinor, eo quòd vulgus hominũ à prima origine carnis *Mein.* impulſu degenerãtes, ſeſe ferè ſinant opinionibus duci. Ab eodẽ deriuatur **man** pro viro, *Man.* cuius proprium officiũ eſt, vt & ſe & cetera omnia ducat. Latinis Mino ab eodẽ remanſit. Iam & homo non aliunde nomẽ in vernaculo noſtro ſermone ſortitur. **Menſch** enim, *Menſch.* quo homo deſignatur, idẽ eſt ac ſi dicas, **men-ſich**/id eſt ducẽs ſeipſum. Solus enim homo *Liberum arbitrium.* inter omnia animalia ſuæ ſpontis eſt & liberi arbitrij, voluntate ad nihil coacta ſeipſum ducens; qua in re totius moralis Philoſophiæ fundamẽta conſiſtunt, vt non malè ab Ariſtotele docetur. Faceſſant igitur hinc illi impietatis magiſtri, qui dũ quippiam peccatur, *Fata non criminanda.* non homines peruerſos, ſed fata criminantur. Dum nomen **menſch** audimus, Adamũ nos audire putemus concionantẽ; immo ipſum Spiritum ſanctũ vt vocabuli, ita huius ſentẽtiæ laudemus auctorẽ. Vide, quæſo, quàm multorum inſaniẽtium hominum vna vocula obturentur ora; cuius doctrina tam eſt antiqua, quàm antiquũ eſt genus mortaliũ: de qua Plato verè dicere potuiſſet, hũc lucidiſſimũ ignem primùm à Deo ad homines veniſſe. Videmus itaque hominis officium propriũ eſſe & peculiare, vt ſeipſum ducat; è quo mox *Hominis proprĩu officium.* intelligitur, duo neceſſariò in homine reperiri; alterũ quod ducat, alterum quod ducatur. Quid igitur illud eſt quod ducit? Intelligentia nimirum; & idcirco hæc pars hominis ſuprema eſt & altiſſima, & propriè **menſch** vocata. Hinc factum, vt apud Latinos mens pro **menſch** elatum, eam hominis partem ſignificet, cuius officiũ eſt, vt hominẽ ducat ac dirigat. Dux igitur hominis mens eſſe debet; & niſi ſit, homo **menſch** dici nullo modo poteſt. *Mentis in homine officium.* Quid autẽ in homine tale eſt, vt veluti pecus duci debeat? Bruta enim animantia & iumenta propriè minantur, ſi communẽ loquendi conſuetudinẽ, pro eo ac debemus, ſequi velimus. Nempe ea pars, quæ haud ſecus ac pecudes rationis expers, eſt perturbationibus & cæca libidine temere rapienda, niſi agaſonẽ ſortiatur. Intelligendi igitur vis hanc rectæ rationis freno minare debet, ſi mentis & nomen & officiũ bene velit tueri. Quòd ſi non minet, ſed ſe vnà rapi ſinat, veluti Phaëthon quidã, ſimilẽ ſe reddit domino ſeruorũ imperiis ſubiecto: ac deinde niſi ſeſe ab hac iniuria vindicet, & in libertatẽ priſtinã aſſerat, perpetuis vinculis à ſeruis ſuis detinetur. Scimus igitur nũc quod ſit altũ illud in homine, quod in oratione noſtra **hoog** vocatur: & ſcimus non è coniecturis, non è fallacibus Philoſophorũ concluſiunculis, non è vulgi opinionibus; ſed ex ipſa Spiritus ſancti doctrina, quã primus homo nomine **menſch** conſignauit; quo æternæ poſterorũ memoriæ traderetur. Porrò ſi hoc *Hominis etymon.* nomen Homo, quo Latini vtuntur, ad originẽ voces, cernes item altũ quiddã & excelſum in hominis natura eſſe debere. **Homoet** enim, à quo vox Homo, altum & ex- *Ho-moet.* celſum animũ ſignificat; qui in illo eſſe non poteſt, qui ſe ſinit à iumento ſuo, quod minari debet, ſuperari, atque à rectæ rationis via vel rapi vel abduci. Reſtat nunc, vt cõgrua aliqua imagine hanc hominis ſublimitatẽ oculis intuendã proponamus. Hac *Hain litteræ figura.* in re niſi nomenclatoris veſtigiis hærẽtes, vocalia ipſius ſymbola imitemur, à recta hieroglyphicorum ratione longè aberrabimus. Cùm igitur is altũ ſuũ, ſiue hominis ſublimitatẽ in oculi nomine potiſſimùm voluerit apparere, & omniũ auribus offerri, non rectè fecerimus, niſi & oculũ ad picturæ partes vocemus. Verùm quia oculus



non

non ſemper eo fungitur officio à quo nomen habet, ſic erit delineandus, vt hoc ipſum agat, à quo ſermonis architectus eum voluit nuncupare. Pingendus ergo ad eũ modum, vt aſtra intueatur; & non intueatur tantùm, ſed intueri ſe oſtendat, vt menti materiã ſuppeditet, & exordium, è quo ad altiſſimum cognoſcendũ queat peruenire. Id fecerimus ſi oculus non ſolùm ſtellas ſpectet, ſed certa aliqua ratione metiatur; quo videlicet ex earũ interuallis ſæpius animaduerſis, certior fiat motuum, & eorum quæ ex ipſis colliguntur. Hac enim via Ariſtotelem & alios Philoſophos ad vnius Dei cognitionẽ videmus adſpiraſſe; & hac parte oculorũ ductum ſecutos, ad excelſiſſimum pertigiſſe. Antiquiſſimum autem eſt & ſimpliciſſimũ ad aſtrorum dimenſionem comparatũ inſtrumentum, quod longo baculo cõſtat, cui breuis alter tranſuerſus ſic aptatus eſt, vt ſurſum deorſum volui poſſit ad lineas è ſemicirculi partibus ſigillatim acceptas in longiore annotandas, è quibus ſtellarum interualla per gradus & graduum minutias deprehendũtur. Virgilius radium vocauit; vel quia ſtellarum radios per hunc oculis excipimus, vel quia eodem modo ſemicirculo, dum fieret, fuit incluſum, quo radij in rotarum orbibus continentur:

Radius apud Virgiliũ quid.

———cæliique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent. Et alibi:
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem.

Bene profectò orbem radio deſcribi dixit, eo quòd locorũ & latitudo & longitudo radio optimè deprehendantur: quod ſi non ex aliis, at ſaltem è nauium gubernatoribus diſcas, qui ad rectum curſum tenendum, frequenter radio vti coguntur: quod dum faciunt noſtrates, ſe dicunt ſagittam in cęlum mittere, eo quòd radius relatus ad portionem circuli quam metitur, ſic ſe habeat, vti ſagitta in arcu conſtituta. Maiores igitur noſtri arcus & chordæ habita ratione, radium ſignificantiſſimè Pil vocabant, id eſt, ſagittam: atque hinc Pilot dictus eſt primarius gubernãdi magiſter, eo quòd totũ ipſius officiũ radio & bolide fere abſolueretur. Bolidem enim nomine Loot/ quod plumbum ſignificat, intelligebãt. Itali, Hiſpani, Galli communiter hac voce vtuntur, ſed quæ vocis ſit vel origo vel propria ſignificatio, nemo eorũ explicabit; non magis ſanè quàm cur ventorũ nomina, quæ magnetis pyxidi inſcribũtur, eas habeant, quibus vtuntur naucleri, nomẽclaturas. Quando igitur radius antiquiſſimũ eſt & facillimum paratu inſtrumentũ ad aſtrorum interualla dimetiẽda, ſic oculũ pingemus, vt per hoc ipſum duas ſtellas intueatur, trãſuerſo bacillo rectos viſionis radios diſpeſcente, & duabus ſtellis vtrimq. radios ab oculo progreſſos terminantibus, atque ita infernè oculũ dextrum obliquum & limum, supernè duas ſtellas littera habebit, radiis ab oculo ad ſtellas productis. Non malè itaque Hebræorum figura ipſi Hoogen litteræ congruit. Apud Gręcos Gamma minus ita pingitur, non paruo argumento, olim apud Græcos hanc litteram Gamma adſpiratum fuiſſe: quo in principio non vſi fuiſſent antiqui, ne ſemel ex imis præcordiis ſpiritu educto, ſequentes litteras minùs aptè & commodè pronuntiare poſſent, ceu expectorando fatigati.

Pil. *Pilot.* *Loot.*

Pe *ſiue* Phe.

Pe litteræ vis & natura.

QVAMQVAM de huius litteræ Pe natura & indole non in aliis modò, & præſertim in Hermathena; ſed in his etiam Hieroglyphicis commentariis tractaui, locus tamen hic vt eadẽ repetantur, poſtulat. Sermonis noſtri opifex eius vſum iis notandis aſtrinxit, quæ terræ quàm maximè figerentur. Inde Plant/ quaſi Pe-lant/ eſt quippiam terræ committere vt creſcat. Sed in Hermathena ſatis eſt exemplorum, è quibus & pronuntiationis proprietas, & nomenclatoris ſententia perſpici poſſit. Pe igitur & Phe olim pro pecude vſurpatum inuenimus, vti Latinum vocabulũ Pecus declarat. Nos, quo diſcrimẽ aliquod eſſet inter ea quæ ſpirãt, & inter ea quæ non ſpirant, Pe pro radicibus maximè veſcis; Phe pro brutis animãtibus vſurpamus: & lenioris ſermonis gratia, non rarò digãma ſimplex, cognatã omnino litterã, loco Pe & Phe ſupponimus: quod & antiquos feciſſe argumẽto eſt, Veterinũ à noſtro Vetering/ quo ſignificatur alimentũ è pecude ſiue pecus, alendis hominibus deſtinatũ. Succedit etiam nonnumquam alterũ digamma, quod Quintilianus ferinam litteram eſſe dixit, quæq. in fera exordiũ tenet. Hinc Februa, cuius Beccefelana dederunt interpretationẽ. Hoc digamma, iuxta propriam ipſius ſoni naturam, nos ad deſpuendũ vti ſolemus, vt patet dum Fi pronuntiamus: vnde arbor illa cuius vetito fructu primi noſtri parentes pecudes euaſerunt, Feig nominatur, ſiue Feig boom; quo fructus

Plant. *Pe ſiue Phe vocis ſignificatio.* *Pe.* *Phe/ Ve.* *Veterinum.* *Vetering.* *F, ferina littera.* *Fi.* *Feig.*

Feig/

Feig/arbor generis nomine adiecto intelligatur. Contrariũ ipſi Pe eſt Ep/ipſi Fe Ef/ſiue cum adſpiratione Hep & Heph:in quibus adſpiratio accedens,vnius temporis locũ occupat:atque ita ex Pe & Fe longis,facit Hep & Heph correpta. Quoniam verò Deus ita hominẽ crearat,vt erectus cælũ intueretur, & ex eo libro diuinæ poteſtatis cognoſceret infinitatem admirabilem,atque eo ſpectaculo beatiſſimo perpetuò animũ ſuum paſceret; nihil æquè contrarium naturæ ipſius & Dei volũtati accidere potuiſſet,quàm ſi ſupernis neglectis atque contemptis,ſeſe terrenis affixiſſet & irradicaſſet. Atqui tamẽ hanc ſuam indolẽ homo minimè ſecutus,belluam eam audiuit,qua nulla terræ magis fixa eſſet, eo quòd e ſummo cælo ad ima tartara ſua ipſius culpa decidiſſet : atq. huius ſuaſu illius arboris fructũ comedit, qua nulla in orbe terrarũ inuenitur,quæ ſeſe magis per multiplices radices,non è caudice modò,ſed è ramis etiã demiſſas terræ infigat,vti Indoſcythica noſtra ad oculum declararunt. Hinc igitur illud conſecutũ,vt homo & ſerpentis & arboris naturam æmulatus,ſeſe non tantum terræ,veluti brutũ animal affixerit;ſed etiam in eam depreſſus altas egerit radices,& nomen ipſius Pe gemina commeruerit cauſſa,hinc vti pecus in terram pronum;hinc vti planta terræ irradicata. Ex hoc tam miſerabili,aut potiùs fœdo & exſecrãdo ipſius facto non potuit non in maximam & perpetuam incurrere Dei iram,vti totus mutatus in contrariam naturam,quàm ab ipſo Deo fuiſſet creatus:quod vt oſtenderetur omnibus Adami poſteris, vocabulum Phe pro illo cœpit vſurpari odio,quod ex ſcelere ſuo apud Deum commeriti ſunt. Phe enim,ſiue per digamma Ve/vel per alterũ digamma Fe/ magnam inimicitiam & odium contra aliquẽ conceptũ in vernaculo noſtro ſermone deſignat. Iam quò ſciretur quid ex hoc odio ſit effectũ,proceſſus duplex ex ipſo Phe/ id eſt, Pecudis nomine factus eſt; prior in odiũ & perpetuam iram à Deo propter ſcelus conceptã:alter in dolores. Nam ſi digamma V quod eſt in Ve pro odio, gemines; We exiſtet, quo grauis dolor denotatur: vnde We vt interiectio dira minantis,vſurpatur;à quo Latinis duplici digamma carẽtibus,Væ remanſit;Græcis οὐαὶ, neutris cauſſam ſignificationis ſciẽtibus. Quo verò ſciretur,quantus & quàm diuturnus hic dolor futurus eſſet, voluit primus ſermonis noſtri auctor Spiritus ſanctus, vt per ichnææ conuerſionis veſtigia ex We in Ew veniretur;qua voce ſignificatur æternum. Videmus itaque,quò ex pecudis natura, ab Adamo ſponte ſibi ſumta,ventum ſit malorum. Verumenimuerò diuina factum eſt benignitate, vt in homine pars diuinæ imaginis, ad quam fuerat creatus,conſeruaretur; atque ita geminam naturam haberet,alteram diuinam, de ſingulari ſummi opificis gratia; alteram de ſua culpa ferinam: quibus fieret, vt perpetuũ bellum inteſtinum in ipſo arderet. Deus tamen clementia ſua infinita homini conceſſit,vt pars diuina victoria ſemper potiretur, dummodo voluntas ei non deeſſet. Hinc igitur rationi rectæ, quæ diuinæ naturæ ſoboles eſt & imago,imperium datum eſt & gubernandi poteſtas,qua pars belluina coërceatur,ſi ipſemet homo ſuo iure vti velit. Et inde homo Menſch/vt paullò antè dixi,id eſt,ſeipſum ducens vocatur. Homines enim ex ſe nihil habent præter hoc quod dico,brutũ:& idcirco dum dicimus Ons/id eſt, noſtrum, per conuerſionem ichnæam intelligimus , nihil noſtrum eſſe quod non ſit Sno/ id eſt,prauum & malignũ. Homo igitur parte ſibi per diuinam clementiam relicta,contrà ac merebatur,ſe,id eſt,prauam naturam & ferinam gubernat; atque veluti pecus & iumentum minat,dum poteſtate ſibi conceſſa vtendi non deeſt voluntas. Quòd ſi pars hæc imperatrix ſeſe demittat, & brutum,quod ducere debet, ſequatur, & cum eo conſpiret ad ea amplectenda quæ praua eius ſuggerit libido;ſeſe mancipiũ facit,meritò belluæ vinculis alligandũ. Quamobrẽ præceptor Spiritũ ſanctum orat, ne ſinat Canopum ſuum in hanc decidere fœdiſſimam & abominandam ſeruitutẽ. Et optimè ſanè id Spiritum ſanctũ rogat,cuius vernaculũ nobis nomen,quod eſt Gheeſt/inde factum eſt,quòd Spiritus omnia in altũ euehat, vt ichnæa cõuerſio demonſtrat;cùm prorſa vox declaret, ipſum euehere ad illud,de quo ſolo dici poteſt ipſum Eſt. Poſtquàm modò ſatis oſtẽſum quid Pe in nobis ſit,& quantis malis & quàm diuturnis dederit exordiũ;quamque graui de cauſſa Alphabetarius orator Spiritum ſanctum oret,ne diſcipulũ ſuum belluæ huius, quam antea dixi domeſticũ eſſe ſerpentem,vinculis aſtringat;non video aliud ſupereſſe quo ſermonẽ in re per ſe latiùs patente quàm vt hîc ſit perſequenda longiùs extendam, niſi hoc vnum,vt declaretur,qua figura hoc pecus noſtrum ſit depingendũ. At in hac re minimũ eſt difficultatis,cùm duo ſtatim ſeſe offerant ſimulacra; alterũ quadrupedis, alterũ hominis,caput ſuum pronũ terrã verſus demittentis. Prius Græcorũ minuſculũ Pi; poſterius

Ep. Ef. Hep. Hef.

Hominis primi lapſus, & quæ illũ mala ſint conſecuta.

Ve.

We.

Ew.

Hominis partes duæ inteſtino odio diſſident.

Ratio, diuinæ naturæ ſoboles & imago, in homine imperium tenet.

Ons. Sno.

Gheeſt.

Pe litteræ figura.



poſterius Latinorum Pe oculis offert. Magnũ Pi Græcorum æquicrurũ, vt ſic Iſoſcheles interpretetur, quadrupedem bene referret, ſi linea ſuprema dextrũ verſus magis extenderetur & ad terram declinaret, quo collum & caput quadrupedis exprimere videretur. Alterum ipſorũ Pi non æquicrurũ, hominis effigiem refert, caput ad genua demittẽtis.

Verckẽ. Verùm nobis illud Pe magis placet quod porcum refert, qui nobis Verckẽ dicitur, id

Ken. eſt, longè remotus à notitia; quæ per Ken denotatur, voculam paruam illam quidem, ſed talem tamen, vt nobis clarè ſignificet, totum ſciendi deſideriũ homini à natura inſitum,

Ent. ad finem ſpectare debere; & idcirco ad Vnum, à quo finis Ent/ſiue En reiecta Tau, in ver-

Porci nomenclatura. naculo nobis ſermone nominatur. Quoniam verò Porcus (quod nomen à Verken ſiue Varken deriuatur) longiſſimè à notitia creatoris ſui diſcedit, & perpetuò in cœno volutatur, prouerbiũ apud nos exſtitit, quo homines erga Deum & eos à quibus beneficia ac-

Porci nomen quibus hominibus iure tribuatur. ceperunt, ingratos notamus, dicẽtes, Porcos eſſe qui glandes auidè deuorant, & arborem glandiferã nec ſuſpiciunt nec honorant; immo contrà pro beneficio maleficiũ reponũt, dum radices eius fodiendo denudant. Iam homines ventri deditos, & in vitiorum ſordibus ſemper iacentes, non noſtrates modò, ſed ceteræ etiam nationes porcos vocare conſueuerunt. Sicuti ergo ex eo Porcus apud nos nomen habet, quòd longiſſimè à notitia

Ack. remotus, quæ ſola nos Deo & ſummo bono coniungit; quod ichnæa voculæ Ken cõuerſio demonſtrat, ita eius figura optimè in Pe quadrabit, quando Pe id propriè ſignificat quod terræ maximè defixum eſt: quo in genere non radices tantùm, ſed pecudes etiam habentur. Hebræi בְּהֵמָה ex Pe fecerũt, pro quouis iumento; qua in voce ſi ad Pe-man alluſum dicamus, nihil abſurdi mihi dixiſſe videbimur; eo quòd quoties pecus cernimus, toties admonemur, nos in belluinam naturam culpa parẽtum noſtrorũ delapſos eſſe, & idcirco Dei hoſtes & vitæ beatæ exſules remanſiſſe. Non poſſum cõmittere quin addã, cacodæmonẽ ſiue draconem, cuius ſuaſu atq. impoſtura brutam naturam aſſumſimus,

Behemoth Hebraicæ vocis interpretatio & etymon. Behemoth vocari: qua de voce ſic doctores ſcribunt, vt formulam numeri pluralis in ea ſeruatam eſſe dicant. Nobis non diſplicebit eius ſententia, qui hoc nomine pecudum & inimicitiæ caput denotari aſſeret, quaſi noſtro ſermone Veenhot diceretur. Inter cetera quæ de Behemoth in Iob ſcribũtur, eſt & illud, quo Deus iubet, *Memento belli, nec vltrà addas loqui.* Hìc non ſat ſcio quid mandetur; id profectò video, interpretationem Veman ſiue Vehenan/vt ſuperiores Germani dicerẽt, indicari, quæ hoſtilitatis monitionẽ in Be-

Behema. hema declarat. Porrò cùm Behemoth dicitur rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ, an non caput eorum quos deus odit expreſſum videmus, & non aliud dici quàm Vehen-hot ſiue

Leuiathan. Veen-hot id eſt, pecudum & inimicitiæ caput? Idem dicitur Leuiathan, nobis eũ ſignifi-

Han. cans qui dux eſt & caput inuidiæ contra vitam conceptæ. Han enim vt gallũ gallinaceũ ſignificat, ex eo quòd ad opus ſuum ſtrennuè aggrediendũ homines incitet, ita transfertur ad eum qui princeps in quouis genere habetur. Leue-hat-han igitur ad verbũ denotat inuidię cõtra vitã principẽ & incitatorẽ. Draco enim vitã nobis in Paradiſo inuidit, & in nobis veræ vitæ odiũ plãtauit. Quoties ergo vel Leueathã vel Behemoth audiemus, memores ſimus belli iuxta Dei præceptũ, & belluinam noſtrã naturã vincere conemur. Hìc

Belial. idẽ de quo agimus hoſtis Belial dicitur vulgata Hebræis pronũtiatione, cũ Ve-li-gal nuncupãdus eſſet, id eſt belluini populi delicię, quãdo בְּלִיַּעַל ſic ꝓferri litteræ y ſonus poſtulat.

LIBER

Zade.

POST ſenarium ſecundum abſolutum, quo iter ad priorem in hac corrupta vita paratur, quia nimirum catharſin ſiue purgationem contineat; non illam quidem Pythagoricam, ſed Chriſtianam, ad ſecundum binarium venitur. Et quemadmodum ſecundus ſenarius vitam exponit catharticam, citra quam ad priorem ſenarium non patet aditus; ita ſecūdus binarius catharticus eſt, hominem purgans ad ambroſiam illam ſincero animo perfruendam, quam prior binarius exponit. Quòd autem hic binarius ſalutationi applicatur, id fit profectò artificioſiſſimè; quando poſt duas diuerſas ſalutationes, æquum fuit vt tertia & vltima nonnihil eſſet latior, amplior & explicatior. Amplificationem autem binarij propriam eſſe, ipſius vernaculum nomen nobis oſtendit. Adde quòd vt ſecundus ſenarius & ſecundus binarius ad priores viam ſtruunt; ita hæc poſtrema Spiritus ſancti nomenclatura ad illud iter parat quod prima deſignabat: & præterea ſecundam latiùs exponit atq. declarat. Neque enim reuelatio diuini vultus nobis contingere poteſt, niſi priùs ab omnibus malis ſimus liberati. Quid verò Lamet ſecundum nomen ſignificet, tertio nomine Qua-af declaratur; atque ita gemina ratione binarius hic congruus eſt tertiæ compellationi; ſemel, vt ſecundam latiùs exponens; iterum, vt viam aperiens & amplam reddens ad id quod prima compellatio denotabat. Accuratè igitur obſeruandum, eundem hîc ordinē ſeruari qui in oratione Dominica; cuius prior pars ad ſempiternum beatæ vitæ alimentum adſcendit, ac deinde catharticam vitam exponit, qua ad illa quæ priore ſignificantur, peruenitur. *Alphabeticæ orationis idē qui Dominicæ ordo.* Nunc igitur ad duarum vocum expoſitionem veniamus, quarum cōplexione tertiùm Spiritum ſanctum compellat; & id quidem non minus quàm antea fauſto ac felice omine; quia ipſa per ſe compellatio copioſæ precationis inſtar eſt. Nam ſi, quod modò rogatum eſt, ne ſublimior hominis pars belluinæ alligetur, non malè congruit illi quod in oratione Dominica dicimus, *Ne nos inducas in tentationem*; profectò hoc epitheton quo Spiritus ſanctus hîc honoratur, ad amuſſim reſpondet illi quod in eadem oratione Domini noſtri Ieſu Chriſti verbis concepta quotidie iteramus, *Sed libera nos à malo*. Quid enim aliud eſt malorum depulſor, ſtatum noſtrum in libertatem vindiciis ſuis aſſerens, quàm ſi diceremus, Libera nos ab omni genere malorum? Verùm quò dictio qua id exprimitur, intelligatur, quæ duarum litterarum nominibus conſtat, primùm vis huius litteræ quæ duplex eſt, examinanda. Hebræi confuſionis ſuæ Babylonicæ tenebris inuoluti, nihil certi hîc ſibi conſtituere poſſunt. Santes Pagninus eam Sadi vocat. Qui Bibliis Complutenſibus imprimendis præfuerunt, Sadich nominant. Alius Sadic in Germania ſcripſit. *Zade litteræ nomēclatura varia.* Abraham de Balmis qui prolixam Grammaticam Hebræo ſermone ſcripſit, Czade eam litteris Latinis exprimendam eſſe Danielem Bombergum Venetiis docuit. Sed valeant hi ceterique omnes Rabbini qui nulla certa via & ratione litterarum pronunciationem vel diſtinxerunt vel diſtinguere potuiſſent; quando videmus in ipſis etiam Hebræorum vocibus aliquando fieri confuſionem. Nos igitur quod in Hoogen fecimus, quod illi Hain efferunt, hîc quoque faciemus: ſed quia illic nobis ipſi nimia prolixitate ſtomachum mouimus, in hac littera paucis exemplis erimus contenti; de quibus tamen certò conſtare queat de vera huius litteræ poteſtate. Primùm igitur aliquot voces adferemus in quibus pro Samecht & Tau gemino ſuo ſono collocatur. *Zade litteræ vera poteſtas.* אָץ tam clara nobis & vſitata vox eſt, vt in ea nihil poſſit dubitationis relinqui. Hanc Hebræi vertunt feſtinare & inſtanter vrgere, & alio modo אוץ ſcribunt. *Hebraicæ voces permultæ à Cimbricis factæ.* Quod autem noſtratis hæc vox ſit originis, conuerſionis formula qua ad contrarij ſignificationem tranſit, declarat. Haſt enim feſtino eſt & accelero. Sta verò contrarium, à quo Latini Sto habent, & Græci ςάω & inde formata. *Haſt. Sta.* Nec mireris in ſta adſpirationem deeſſe quæ in haſt auditur. Id enim fit quo celeritas ſpiritu incitetur, quo in ſtando nihil opus eſt; nec alioquin omnes adſpirationem exprimunt. *Sto, ſtas, are. ςάω.* Eccleſiaſtici decimo, vbi le-

 gitur,

gitur, *Qui fodit foueam, incidet in eam*, vocabulum eſt נגץ non ferè alibi reperiendum,
Stagnum. ſed miſerè per metatheſim corruptum. Latini ſtagnum dixerũt, iter nobis ad originem
Stang. oſtendentes. Stang enim idem eſt quod aquas coërceo & includo, à ſta & ang, ceu di-
Ang. cas anguſtam iis dari ſtationem. חרוץ non ſatis claræ eſt apud Hebræos notationis.
D. Hieronymus fortem tranſtulit decimo, duodecimo & viceſimo primo capite Pro-
Sterch. uerbiorum. Nobis nihil apertius, quàm ſterch fortem notare; tametſi ſterc potiùs citra
ſpiritum dicamus. Admonere hic debeo, pro eodem עריץ apud eos dici, vt in Hoogen an-
notaui; vbi videas vocem verſam, & ע pro ח poſitum, & Iod pro Vau mirabili confuſio-
ne; nobis tamen vtili ad litterarum affinitatem & veram pronunciationem deprehen-
dendam. Quoniã verò robur & firmitas ciuitatis eſt in mœnibus & propugnaculis חרוץ
etiam pro muris opidorum vſurpatur. Sic Danielis nono, *Aedificabitur platea & muri.*
Sterct. Nos ſterct dicimus pro munimento & propugnaculo, & quouis loco firmo atq. munito.
Porrò quia auro nihil fortius, vel ad ſe ſeruandum vel ad alia defendenda, חרוץ pro auro
poſitum inuenitur, & id non vno, ſed pluribus locis. Apud Danielem, חרץ pro lumbis
poſitum dicunt, eo quòd nimirum in dorſo maximum corporis robur eſt. *Et compages*
renum eius ſoluebantur. Mihi magis arrideret ſi verteretur, *Et compages fortitudinis* ſiue
Starc. *roboris ſoluebantur.* Starc enim robur. Vnde Starchatterus nomen proprium apud
Starcharterus. Nortwegos. Neſcio qua catachreſi factum ſit, vt חרצן pro vinaceo ponant; cùm Cher-
Kerſteen. ſteen ſiue Kerſteen, quod idem eſt, ceraſi non vuæ os deſignet. צוק premere vertunt. Stim
Stim. nobis & ſtif eſt idem quod firmum reddo; & ſtif firmiter aduerbium: vnde Græcis στύφω.
Stif. נצב conſtituere, erigere, verificare interpretantur: nos veſte dicimus & veſt pro firmo &
Veſt. Veſte. confirmo. עץ lignum: nobis ſtoc baculus, & ſtec exiguum ligni fruſtum. צב tegmen vel
Stoc. plauſtrum coopertum: nobis ſtob ſiue ſtof quemuis locum ſignificat in quo tegimur &
Stec. Stob. calemus; vnde non malè ad coopertas lecticas tranſlatum. צהר pro feneſtra, Nun &
Stof. Vau abiecit, quo inanem litteram He reciperet: venſter enim dicimus, à quo feneſtra.
Venſter. *Feneſtra.* צואה ſordes: nos ſtof. צוק anguſtare & coarctare vertunt: nos ſtic pro ſuffoco dicimus. צור
Stof. Stic. oppugnare: nos ſturm dicimus. Eadem voce vtuntur pro anguſtiare & tribulare, vt eorũ
Sturm. interpretes loquũtur: nobis ſtoz eſt turbare & inquietare. Ponitur etiam pro forti, in qua
Stoz. ſignificatione vox verſa à חרוץ omiſſa littera Chiet. ציר pro nuntio ſiue legato; nos dici-
Stier. mus ſtier pro mitto: ſignificat & collum; nobis ſtrot pro iugulo. ציון pro titulo vel tumu-
Strot. lo; quæ vox nobis ſteen. צפה tegere, cooperire: noſtratibus ſtop eſt tegere & abſcondere.
Steen. Stop. צרה reſina eſt, vox verſa à noſtra herſt. Habent Hebræi vocem עצל, quæ quid ſignificet,
Herſt. certò aſſerere nequeunt. Eſt vſus eius Prouerbiorum vndecimo; vbi quia ſuperbiæ
videtur opponi, humilem verterunt. At Michææ capite ſexto ſollicitum reddunt, nec
Streng. pluribus locis inuenitur. Nos neglectis punctis, vti fieri debet, ſtreng agnoſcimus; quo
ſtrennuus & diligens denotatur: Latini vocem retinent vltima littera reiecta: Hebræi
Res extruſerunt. In Prouerbiis igitur monemur, ne nos ſic geramus, vt ſuperbia qua-
dam aliis ſuum auferamus, ſed vt ſtrennui ſimus in omnibus. Hoc enim ſapientis eſſe,
vt diligentia noſtra rem augeamus, non iniuria aliorum. Quòd ſi humilitatem hîc le-
gas, ſententia eneruatur, nec quicquam facit ad propoſitam de Iuſtitia quæſtionem.
Non malè igitur ſollicitum apud Michæam interpretantur. Eandem litteram pro Tau
Rots. & Samecht ponũt in צור pro rupe, quam nos Rots vocamus. verum hoc tam rarum eſt,
vt eius parua ratio aut nulla potiùs habenda ſit, cùm vna hirundo non faciat ver. Nec
nunc enumerare placet vocabula in quibus contra omnem rectam rationem pro ſim-
plici Samecht collocatur, quæ ſunt quamplurima; certiſſimum nobis præbentia argu-
mentum, non à Grammaticis tantùm litterarum factam eſſe cõfuſionem, ſed eam vnà
Zade pro Samecht ſimplici. cum ipſa lingua inoleuiſſe. Quis enim non videt, in צלח, quo proſperè agere denota-
tur, hanc litteram pro Samecht poſitam eſſe; quando nihil certius, quàm hoc verbum
Salich. à ſalich venire? צד & in plurali numero צדים à noſtro ſide pro latere deriuari, cuiuis per-
Side. ſpicuum; vbi rurſus pro ſimplici S locatur. Eſt cùm pro duplici Samecht ponitur. נצל
Zade pro Samecht duplici. enim idem eſt quod nobis loſſen, quo ſignificatur liberare, eripere; licet ſuſpicer Nun
Loſſen. ſuperfluum eſſe, & verbum fieri à tertia perſona loſt, id eſt, liberat. Eodem verbo vtun-
Stelen. tur pro ſpoliare & diripere, ſed in ea ſignificatione fit à noſtro ſtelen, quod eſt furari.
Quid multis? germanus & primus huius litteræ ſonus Samecht & Tau coniungit, vt
ſatis liquet ex iis quæ adduxi vocabulis; quibus multa addere potuiſſem, ſi vel opus vel

vſum

viſum nobis fuiſſet. Succurrit tamen in præſentia vocabulum quod Rabbinos & alios egregiè torſit. Quid enim מֶלְצַר apud Danielem eſſet, plurimi dubitarunt. Mihi illorũ placet ſententia qui architriclinum interpretátur. **Malſtier** enim ſiue **malſtur** eum ſignificat qui conuiuium gubernat, quaſi Græcè ſympoſiarchum diceres. Eſt & altera vox in Eſdra ששבצר, quam vti proprium nomen interpretantur. Mihi officij nomen videtur è priſca lingua Magorum retentum, perinde atque **Malſtier**. Eſt autem ששבצר nobis **Statsbeſtier**, id eſt, theſauri gubernator: quod Græco interpreti videtur ſuboleuiſſe, qui Saſabar Theſaurophylacem dixit. Multa enim officiorũ nomina è Perſia in Chaldæam venerunt; inter quæ & illud eſt in Eſther אחשדרפנים, quod Satrapas verterunt. Nobis **Hochs der bennen**, id eſt, ſupremi equitum peditumq́. ductores. **Ben** enim nobis & **bend** turmas & cohortes ſignificat. Item & alterũ æquè Hebræis & Chaldæis ignotũ אחשתרנים, quod veredarios celeres optimè verſum videmus. Nos enim **hochſt-ren** ſupremi veredarium vocaremus, id eſt, veredarium Regis. Quòd ſi dicas, **hochs-der-renning**, idem dixeris quod ſupremum curſorij officij. Neſciunt item ad quam radicem מֵלִיץ referre debeant, quo interpres denotatur: nobis **melt** idem ſignificat quod occulta aperit atque declarat; quod proprium interpretis officium eſt. Volentem me ad ea quæ inſtant progredi עָצַר verbũ, quo detinere ſignificatur detinuit, poſtulans, vt ſe quoque primæ linguæ applicarem. Id quia facile fuit, non potui negare. **Reis-ſtat** enim pro eo quod eſt iter differre vel tollere apertiſſimum nobis eſt: vbi Hooghen pro Cap poſitũ videmus. קֵץ finem & terminum ſignificat. Nos **ſtaken** dicimus dum ceſſare quippiam facimus: vnde **reis ſtac** eſt facere vt iter ceſſet; qua loquendi formula nihil nobis frequentius. Sed quando hæc vox nos eſt demorata, priuſquam litteræ huius examen relinquamus, vetus quædam Latinorum commemoranda conſuetudo Stlites & Stlotum pro litibus & loco dicebant, huius litteræ acceſſione in principio facta; qua quid ſibi quæſiuerint, non intelligo. Suauitas certè ſoni ſpectata non videtur. Quamuis autem harum vocum Quintilianus, non aliarum, faciat mentionem; in pluribus tamen eandem ipſis fuiſſe ſtribliginem coniecto. Quid? Succurrit & Græca vox in qua idem eſt Babyloniſmus. E **Mag** enim quo ventriculum notamus, fecerunt Stomachum; qua voce Latini quoque vtuntur, accerſito nimirum ad principium hoc duplici elemento. Quò verò magis mireris Latinos, alibi huius duplicis ſoni tam fuerunt impatientes, vt alteram conſonantium omiſerint; vti in Sileo, à **ſtil**, & Taceo à **ſtac-en** annotaui: in quorum altero Tau, in altero Sigma reiectum. Eodem modo è **ſtronc** noſtrati, quod eſt arboribus capita amputare, Truncꝯ fecerunt: vbi Hebræi duplicem quidem litteram retinuerunt, verùm bellam interim litterarum tranſpoſitionem excogitarunt. E **ſtronc** enim קצר fecerunt, quod eſt decurtare: qua in voce Nun repulſum, ne conſonantium ternarium impediret. Nunc itaque harum quas commemorauimus, vocum originibus edocti, citra omnem epochen, citra omnem ampliationem dicimus, proprium & germanum huius litteræ ſonum eſſe eum quem Samecht præcedens & Tau ſubſequens reddunt: & ſiquãdo aliter apud Hebræos vſurpetur, id tribuendum eſſe Babyloniſmo. Quid enim abſurdius, quàm duplicem hanc litteram pro Samecht, vel pro Xain, vel pro Scin collocare; à quibus in litterarum enumeratione omnino diſcreta eſt? Nomen ergo eius apud nos **ſtades** erit vel **ſtats**. in quo mirum non eſt, ab Hebræis, ſignificationis & ſtructuræ orationis ignaris, litteram poſtremam fuiſſe reiectam. Hoc iam concluſo & definito, clarum eſt quid **Stades qua af** ſibi velit. Nemini enim dubium, **ſtat** & **ſtade** apud nos pro ſtatu poni: vnde genitiuus **ſtats** & **ſtades**. Cõplectimur autem hoc nomine omnes vitæ noſtræ rationes, ſiue eæ ad corpus, ſiue ad animum, ſiue ad res externas fortunaſque ſpectent. Quamobrem dum Spiritum ſanctum dicimus totius rerum noſtrarum ſtatus mala auferre, omnia ſummatim complectimur præſidia, quibus quouis modo opus eſt ad ea amolienda, quæ vel domi, vel foris incommodi quippiam moleſtiæque adferre poſſint. Siue igitur Alexicacon, ſiue totius rerum noſtrarum omnium ſtatus vindicem, ſiue **ſtades qua-af** dicas, idem denotaris: & eo quidem magis mihi placet Horatius, quòd Alexicacon vindicem interpretetur; quando is propriè vindex eſt qui nos ab omni malorum ſeruitute liberat. Quàm igitur latè patet illa orationis Chriſti verbis conceptæ pars: *Libera nos à malo*, tam latè ſe hoc Spiritus ſancti attributum extendit. Nec te offendat quòd idem epitheton Patri & Filio tribui conſue-

Malſtier. *Statbeſtier.* *Ben.* *Bend.* *Ren.* *Melt.* *Staken.* *Reis.* *Stlites.* *Stlotum.* *Mag.* *Stomachus vnde nomenclaturam acceperit.* *Stil.* *Stac.* *Stronc.* *Trunco.* *Zade proprius ſonus.* *Zade vera nomenclatura.* *Stat.* *Stade.* *Status quid.* *Alexicacos.*

uerit. Neq. enim perſonæ in diuinis attributis diſtinguuntur, ſed habendi ea quæ habere dicuntur, modo. Liberat nos pater, vt à ſeipſo liberandi habens poteſtatem; liberat Filius, vti à Patre poteſtatem accipiens; liberat Spiritus ſanctus, vt procedens ab vtroque, & ab vtroque habens vindiciarum poteſtatem. Fit enim totius bonitatis diuinæ effuſio per Spiritum ſanctum, veriſſimum & ſolum Dei Amorem coëſſentialem, & Patri & Filio æqualem, cuius ab vtroque proceſſus rationem de voluntatis natura, quoad eius captus fert humanus, conſideramus, cùm filij geneſis intelligentiæ comparetur. Conuenientiſſimè autem orator noſter hoc epitheto vſus eſt in totius orationis concluſione; eo quòd antè docuiſſet, quo in ſtatu res humanæ eſſent, quamque miſerabili ſeruitute deprimendæ, niſi diuino auxilio contra vtrumque ſerpentem iuuarentur. Admirabile eſt vbique artificium; & tale profectò, vt fruſtra in pari breuitate id imitari ſtuderent quotquot vſquam gentium ſeſe in dicendi arte exercuerunt. Quamobrem nec nos hîc prolixiores erimus in iis quæ infinita forent perſequendis; ſatis habentes, eorum amplitudinem indicaſſe, & vocis dediſſe interpretationem. Ceterùm quod ad

Zade figura.



picturam attinet, hîc ſolliciti eſſe non debemus, cùm duplex hæc littera per duas ſimplices coniunctas voluerit pingi. Neque enim vna effigie parua, qualis litteras decet, totum rerum humanarum ſtatum exprimere fortè poſſis: quo fit, vt commodiſſimum promtiſſimumq. fuerit, vt duabus litterarum figuris coniunctis notaretur. Hebræi hoc loco laudādi, quòd non longè à vera pictura recedant. Nam ſi Samecht delinees, & Tau ipſius dorſo dextrorſum imponas, ipſorū figuram quadam tenus expreſſeris. Latini S & T coniungunt, lineis ſuperna parte deuinctis. Sed quid ago? O me craſſum & ſtupidum! Quàm ferè me diuina Alphabetarij magiſtri ſollertia fefellerat. Quid? Egóne in tanta picturæ ſimplicitate quæ duorum elementorum figuras duntaxat colligaret, quicquā vlterius arcani latêre ſuſpicarer? Atat, hoc illud eſt: Simplicitatis ſpecie facillimè decipimur. Verùm debuiſſem recolere ac ruminare, quæ natura eſſet hieroglyphicorum & ſacerdotalium teſſerarum; quippe qui earum in hoc Alphabetario explicatu interpretationem profeſſus eſſem. Sed quid prodeſt neglīgētiam ſupinam criminari? Satius ſit paria facere nouo ſtudio & diligentia. Dixi ſtatum rerum humanarum breui aliqua figura oculis fortaſſe ſubiici non poſſe, & idcirco commodiſſimum fuiſſe, vt hæc littera ab illis elementis è quibus conſtaret, imaginem ſibi mutuaretur. Nunc cano palinodiam, licet qui fortè dicet, nihil affirmet. Nulla figura in toto terrarum orbe vel à ſummo pictore inueniri excogitariq. poſſit, quo ſtatus rerum humanarum clariùs veriuſque depingatur, quàm ſi figuram ipſius Samecht, quæ ſerpentem repræſentat, ad ſiniſtram, & Tau ad dextram proponas intuendam. Quid enim aliud tortuoſus draco homini ad ſpectandum propoſitus ſignificat, quàm perpetuum bellum, tum domi intra ciuitatis humanæ viſcera, tum foris gerendum? Quod enim certius belli ſignum, quam hoſtis præſentis ſpectaculum? Hanc picturam Maro expreſſit ſic canens:

Primus ab aduerſa conclamat mole Caicus:
Quis globus, ô ciues, caligine voluitur atra?

Ferte

Ferte citi ferrum, date tela, ſcandite muros,
Hoſtis adeſt.

Draco igitur pictus certiſſimum eſt belli ſignum, tantiſper homini dum ſpirabit, citra omnes inducias ſuſtinendi. Hinc itaque clarè cernitur, ſtatum hominis eum eſſe, vt ſemper ei ſit cum præſenti hoſte manus conſerenda: quod Iob diſertis verbis docet, vitam hominis militiam eſſe dicens, tantiſper duraturam, dum terram calcabit. Porrò dum hoſtem præſentem videmus, non ſolum bellum nobis eſſe ſcimus; ſed illud etiam intelligimus, qua ratione optimi ducis officio fungi queamus. Bene enim Chabrias dixit, eum optimum eſſe Imperatorem, qui res hoſtium quammaximè cognitas haberet. Quid igitur melius ad ſana belli conſilia capienda, quàm hoſtem coram intueri? Nihil ſanè, ſi vnà omnes oppugnandi rationes poſſemus videre. At ſerpens tam callidus eſt, tam variis inſidiis vtitur, tam multos agit cuniculos, tam varia oppugnationum genera in horas ſingulas machinatur; vt dum eum vides, nihil aliud videas, quàm mille præſentia pericula occultis tibi fraudibus parari. Præterea dum ſerpentem cernis, non externum modò hoſtem agnoſcis, ſed domeſticam etiam belluam cernis, inter ipſa tua mœnia, immo intra ipſa viſcerum penetralia aſſiduo te impetu moleſtantem. Heu miſeram belli conditionem, quo non de aris & focis pugnatur, ſed in ipſis aris & focis hoſtis ſedet! Quid hîc remedij in domeſticis copiis? Si hoſtilem vim mœnibus & arce excludere nequiuerunt, qua vi in ipſis templis iam ſæuientem poterunt propulſare? Actum eſt, niſi auxilium exterius adſit, quod rebus intus periclitantibus præſenti auxilio ſuccurrat. Et hæc quidem arcis humanæ interior facies eſt, quam ſiniſtra figura deſignat. Conſideremus nunc quis rerum ſtatus foris ſit, & quid auxilij exterius ſit exſpectandum. Externa omnia dextra parte intelligi debere, non ſemel modò dictum. Conuertendi igitur oculi dextrorſum, & ſpeculandum quid inde ſpei ſubſidiique affulgeat. Quid igitur hîc videmus? Nempe Tau, quo ſolo Draco vinci deprimique poteſt: de quo, quia mox ampliùs agendum, non plura hoc loco dicemus, quàm ab hoc ſolo omnem contra ſerpentem victoriam pendere. Habemus modò totum rerum humanarum ſtatum & internum & externum, duabus dumtaxat expreſſum figuris; & ſic expreſſum, vt magis ad viuum exprimi non poſſit, tametſi quotquot vmquam fuerunt Apelles, ingenia & operas ſuas in vnum conferant. Quoniam autem in hac pictura ordo ille ſeruatus eſt, vt quæ interna nobis ſunt ſiniſtram; quæ externa, dextram occupent: nec hîc vllo modo peruerti vel debeat vel poſſit, ſi veritatis ratio habeatur; voluit ſermonis noſtri architectus, vt in vocabulorum conuerſione hæc duplex littera ſemper eundem partium ſuarum ordinem ſeruaret. Hinc ex Staf Faſt/ non Fats; ex Sta aſt/ non ats; & ſimilia è ſimilibus habemus ſic è prorſis verſa, vt duplex littera natiuum partium ſuarum ordinem cuſtodiat. Licet igitur & ex hac re perſpicere, litteram Stades, non Tſades, aut aliter nominandam eſſe. Et hæc quidem de Stades ſufficiant, littera ea, cuius figura totum rerum humanarum ſtatum oculis ſubiicit.

Status rerum humanarum teſſera.

St pro vna littera in vocum conuerſionibus habetur.

Quof.

HVIVS litteræ nomen non rectè ab Hebræis efferri, non magis miramur quàm voces ab iis corrũpi, qui quid ſignificent, aut cuius ſint originis, ignorant. Nos Qua-af vocamus, quo Alexicacos ſiue vindex ab omni malorum ſeruitute liberali manu aſſerens denotatur: qua de re ſatis in præcedenti littera diximus. Docuimus in Hermathena, hanc litteram non eſſe neceſſariam, quod & Latini Grammatici annotarunt. In vocalium elementorum cenſu locum non habet, in quo duplex digamma numeratur. Quoniam autem in hoc Alphabeto recenſetur, nec duplicis digamma hîc mentio fit, ſic nobis ratio litterarum ſubducenda, vt dicamus, apud gentes ceteras, duplex digamma reiecto, hanc ſuffectam fuiſſe; & idcirco Hebræis & Syris & ceteris à Cadmo traditam fuiſſe: verùm in priore Alphabeto, ab antiquo apud Nochum & Ianigenas conſeruato, loco Qua-af fuiſſe Wee-af; quo ſignificatur is qui à doloribus liberat; atque ita ad eandem orationis vtrobique tum ſententiam, tum ſtructuram fuiſſe. Siue enim Qua-af ſiue Wee-af dicas, res eôdem tendit; nec alius Wee-af eſt quàm Qua-af/ eo quòd nullum malum

Quof litteræ nomenclatura & interpretatio.

Quof in locũ duplicis Digamma ſuffectum.

ſit, quod non ſuos ſecum trahat dolores atque pœnas. Neque alienus ſum ab ea ſententia, fuiſſe aliquando tempus cùm Qua-af & Wee-af eadem figura pingerentur; & hinc fortaſſe accidiſſe, vt plurimæ voces quæ duplex digamma in ſermone noſtro habent, per Qua-af apud alias nationes efferri, vti in Werinus & Quirinus, Qui & wie, Quando & wan/ & aliis memini annotaſſe. Hebræis item voces ſunt in quibus id apertè contigiſſe cernas; atque adeò in eo ipſo verbo, quo accidit vel contingit apud nos denotatur. קרה enim pro hac notione dicunt, quod à noſtro Woit corruptum eſt, He in locum Tau ſubſtituto. Diſperеam, niſi deſpuam ſæpius ſuperuacaneas has litteras, quæ locum neceſſariarum occuparunt. Iidem קרב pro calefieri ponunt, verbum à noſtro Warm deriuatum. Eſt apud eos vox קרקע, cuius nullam rectam queant domi ſuæ rationem cominiſci. Semel pauimentum, ſemel fundum verterunt interpretes: Nobis ſolum & firmamentum pedum hac voce indicatur. Wag enim eſt ſurſum deorſum ferri & ſuccuſſari, war cuſtodire & defendere. Warwag igitur quod nos cuſtodit & tuetur in firmo ſtatu, ne ſurſum deorſum agamur. Nec magis norunt vnde קשט pro firma veritate ponatur: wis vocali breui nobis idem ſignificat quod certum & indubitatum. Hinc wishet ſubſtantiuum quaſi certitudinem parum Latinè diceres: quæ vox expreſſa eſt tribus illis in קשט conſonantibus. קנן nidificare vertunt interpretes: Nobis won idem eſt quod habito. קיר pro muro dicunt: Nos wer pro defenſione quauis vſurpamus. Hinc capite quarto Hieremiæ, vbi dicitur, Senſus cordis mei turbati ſunt, verti poſſet: Muri ſiue defenſio cordis mei turbata eſt; ceu diceret: Sum expugnatus, mœnia ſunt deiecta, iacet omnis defenſio. Iam קרקר interpretantur murum deſtruere: Nos wer keer dicimus pro euerto id quod defendit. קוה exſpecto: nobis wacht. In קדש item, quo conſecrare ſignificatur, clara eſt hæc permutatio: Nos enim wide pro eodem dicimus. Sed ſatis horum. Crebriùs enim duplex digamma vel omiſerunt, vel in Bet vel in Vau mutarunt. Quoniam tamen Qua-af & Wee-af idem ferè nobis denotant, & loco Qua-af in vocalium elementorum enumeratione eſt duplex digamma, probare me æquis iudicibus poſſe exiſtimo, eandem aliquando figuram vtriuſque litteræ fuiſſe. Videamus ergo quænam ea fuerit. Scio duplex digamma per duplicatá digamma effigiem & nunc pingi, & olim etiam frequenter pictum fuiſſe; verùm id extra hieroglyphicam diſciplinam, quæ non contenta tanta ſignificationis ſimplicitate & anguſtia, ea quærit quæ copioſam & amplam rerum offerant intelligentiam. Quamobrem ſi nomenclatoris induſtriam quàm proximè ſequi velimus, iuxtà ac debemus; inueſtigandum illud interea quæ oculis obiiciuntur pingique poſſunt, in quo excellentiſſima vis ſit a malis liberandi. Hîc ſi Philoſophos conſulemus, Sol erit accipiendus, cuius radiis vitæ beneficium, & omnium eorum quæ ad vitam ſunt neceſſaria, adſcribunt: cuius rei vel vnus Ariſtoteles ſatis magnam idoneamque dedit teſtificationem. Quid verò ſermonis noſtri opifex? Is non tantùm huic ſententiæ ſuam tribuit auctoritaté, ſed nomen etiam Soli dedit à ſanando, dum eum Son vocauit. Cùm igitur Sol inter omnia ea quæ videri poſſunt longè ſit excellentiſſimus ad omnia mala & omnes dolores mortalibus auferendos, facillimeque poſſit delineari, imaginem eius huic litteræ appingemus.



Hebraicæ voces à Cimbricis factæ. — Woit. — Warm. — Wag. — War. — Wis. — Wishet. — Won. — Wer. — Keer. — Wacht. — Widen.

Q & W eãdem aliquando figuram fuiſſe.

Solis, in malis auferendis præſtantia.

Son.

Quof littera figura.

Verùm

Verùm vt intelligatur, ab hominis ſtatu tolli mala doloréſque debere, hominis effigiem eam addemus, è qua ſumma infirmitas colligi poſſit. Iaceat igitur ſupinus, pedibus & brachiis porrectis, ceu mortuus ſit, nec vllas vires habens ad ſe mouendum. Sed in vtram partem, dextram'ne, an ſiniſtram pedes porrigendi? In vtram? In illam haud dubiè, ad quam cadauera pedes extendunt dum efferuntur ad ſepulturam. Audiamus ergo vocalem cadaueris quod effertur pictorem, & ab eo diſcamus picturam. Et ſit is Perſius, apud quem ſic legimus:

Hinc tuba, candelæ, tandemq́ beatulus alto
Compoſitus lecto, craſſiſque lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit.

Quòd ſi in portam extendit, foràs; ſi foràs, dextrorſum; quoniam externa dextra eſſe non ſemel modò demonſtraui. Dextrorſum igitur pedes extendantur, quo mortuus eſſe intelligatur. Huius capiti Solis orbis circumſcribatur, ad eum modum, vt illud ſenſim attollat: quo facto, mox eam litteræ formam videbimus, quam Latinorum maiuſculum Q hactenus præfert. Et hac via geminæ vocis Qua-af & Wee-af pictura nobis ſit abſoluta. Nec malè tum habebat Alphabetum, cùm Wee-af legebatur, nulla ipſius Qua-af habita mentione, cùm eadem ratio ſit & ſententiæ & conſtructionis in vtroque. Wee magis ad De alludit, & illius, vt dixi, ſequitur venenum; quo fit, vt Qua-af necdum recepto, elegantior etiam fuerit oratio. Magna enim ſignificationis vis eſt, & ſumma ſummi beneficij confeſſio, dum Wee-af dicitur, propterea quòd non dolor tantùm ſimplex hac voce denotetur; ſed is dolor qui ſit futurus ſempiternus, iuxta certiſſimum documentum ichnæa regreſſione ſignatum, quæ ex wee nos ad eew per veſtigia reducit. Multa & propè infinita de ſempiterno hoc dolore, & eius è draconis veneno conſequentia dici poſſent, ſed ea vel ſatis antè ſunt indicata, vel anguſtiis huius Alphabeticæ orationis excluſa. Satius fuerit picturam paullo meliùs conſiderare; & videre quid Sol, orbe ſuo hominis caput includens, præſtare poſſit. Hoc non ex alio faciliùs intelligemus, quàm ex ipſo ſermonis noſtri architecto, qui Solē mirabili prorſus vocabulo indigetauit, cuius Hermathena noſtra latiorem dedit interpretationem. Son vox eſt analogica ratione plura ſignificans. Primùm ſignificat pacem facere ſiue reconciliare: mox etiam oſculari. Deinde ſanare: ad hæc Solem: poſtremò filium: & hæc omnia ex vna eademque ratione, qua So-een vniendi habet ſignificationem. Mirum autem eſt, hæc omnia primùm ei conuenire, qui ſic inter filios princeps eſt, vt ante mundum etiam creatum Filius fuerit. Quid dico ante mundum creatum, cùm Filius ſit ab æterna ſeculorum infinitate? Hic enim ſolus eſt & verus reconciliator. Hic princeps in oſculando, dum in ipſo pax & iuſtitia ſeſe ſunt oſculatæ. Hic verus ſanitatis auctor, non corporum tantùm; ſed, quod infinito plus eſt, animorum. Hic eſt Sol; non ille quidem ſpectabilis, ſed Sol lumine ſuo illuſtrans vniuerſa, quoniam lux eſt æterna Patris æterni, omnibus rebus & corporatis, & non corporatis lumen affundens. Huius ſpectabilis imago Sol eſt cæleſtis, quem propter quandam luminis & ſanationis communionem corporatarum rerum finibus incluſam, Son etiam vocamus. Quamobrem ſi Filij lumen, quod eſt Spiritus ſanctus, ad homines ſanandos ſe diffundens depingere velis, optimè Solem pinxeris; & id quidem ea ratione, vt orbe ſuo hominis caput complectatur, atque illud ſenſim videatur ſubleuare. Quemadmodum autem in hac pictura homo ſupinus iacet, pedibus & brachiis porrectis, veluti mortui in capulis collocantur; ita in ſequenti littera caput eius videbimus altè erectum, & ad cælum in ſublime contendens. Hæc itaque ſi diligenter expendas, & cum figura conferas; ſenties, mihi crede, nihil poſſe pingi congruentius ſancti Spiritus inſtinctui, quo nomenclatori rerum omnium iuxta cuiuſque naturam & cognationem vocabula dictauit. Diſpeream niſi in ſolo hoc nomine Son plus lateat myſteriorum, quàm vllis linguis queat explicari; tantum abeſt vt auguſtam eius maieſtatem me ſperem vllis commentariorum codicibus, nedum his Alphabeticis annotationibus, aſſequi poſſe. Quocirca locis obiter indicatis, in quibus arcana deliteſcunt, ad litteram ſequentem tranſibo.

Wee.
Eew.
Son.
Sol cuius rei ſymbolum.

Res.

Alphabeticæ orationis epilogi artificiũ. EXPOSVI modò tertiam ſalutationem, qua noſter orator Spiritum ſanctum compellat, arcana ſecundi binarij ſignificatione ad id vſus. Reſtat vt ad precationis epilogum accedamus, qui ternario abſoluitur; vt quæ oratio à ternario diuinæ eſſentiæ exordium ſumſit, in eundem terminetur. Verùm quo tota precatio perfecta ſit & rotunda, & in ſe vndique ad centrum cordis animi & mentis, vt Chriſtus iuſſit nos Deum amare, contracta, & per hanc figuram euadat tutiſſima, nullis angulis vſquam exſtantibus quos hoſtis arripere poſſit; hic ſecundus ternarius ita eſt ordinatus, vt priorem ternarium per veſtigia retrò legat, & id habeat vltimum, quod in priore fuit primum. Nam vt linea quæpiam circulum definire dicatur, oportet vt ab aliquo puncto ductum ſuum exorſa, ad idem reuertatur. Hic igitur ternarius primo Spiritus ſancti, ſecundo Filij, tertio

Res litteræ nomẽclatura. loco Patris nobis offert attributum. Nunc igitur ad litteram. Eam Res Hebræi nominant, propter punctum ſubſcriptum. Ipſæ litteræ per ſe lectæ Ris habent: quam vocem ipſa orationis poſtulat ſtructura. Syri hodierno adhuc tempore ܪܝܫ Riſch dicunt. Nec mirum ab Hebræis hoc nomen puncti vitio corruptum eſſe, cùm ſola punctorum acceſſione ex Ion faciant Iauan. Sed quid ego hoc vnum commemoro, cùm omnes ipſo-

Ris. rum radices longiſſimè à primis vocum originibus per puncta adiecta diſcedant? Ris itaque idem nobis eſt quod aſſurgere facio, ſiue iacentẽ leuo. Dixi in pictura ipſius Qua-af hominem ſupinum iacere, pedibus exterius ſiue dextrorſum, vt in cadaueribus fit, ad efferendum porrectis. Huius caput radiis ſuis Sol ambiebat, quo vitam rurſus, quam ſua culpa perdiderat, infunderet. Nunc igitur vlteriùs venitur & oratur, vt Spiritus ſanctus caput hominis vitæ reſtitutum, & à mortis ſeruitute & carcere vindicatum

Scyn. erigat, & in altum attollat. Et hîc quidem caput orator vocat Scyn/ id eſt, tenue lumen, aut potiùs reuerberati fractíque luminis ſplendorem. Cupit autem vt obſcurum hoc lumen, quod à Sole in hac vita accipimus, erigatur ad ipſum antiquum dierum, vt

Res litteræ ſignificatio. mox exponemus. Ris igitur nihil aliud eſt, quàm erige: quo verbo & Spiritum ſanctum rogamus; & ei proprium adſcribimus attributum. Spiritus enim eſt omnia erigere &

Geeſt. in altum tollere: quod cuiuis de ſpiritus natura liquebit. Nobis ſpiritus hominis Geeſt vocatur, ceu dicas Ge-es-het/ id eſt, ad ipſius eſſe caput, ſiue eius, quod dat eſſe, caput. Spiritus enim noſter ad caput totius eſſe fertur, quod eſt ipſum bonum, quo feruntur omnia. Omnis enim Eſſe ſiue actus, ſiue vitæ caput eſt ipſum bonum; quia ex bono omnia procedunt, & ad bonum omnia referuntur. Bonum autem non mouet niſi cognoſcatur: quo fit, vt Filius, qui Patris mens eſt, præcedat in noſtro captu. Ex bono igitur per Filium cognito, elicitur Amor, qui Spiritus ſanctus eſt, à Bono & Boni Filio procedens. Spiritus igitur ſanctus propriè Geeſt dicetur, quia per hunc ad ipſius Eſſe caput ferimur, & nobis caput eſt eius quod nobis eſſe dat. Quid autem proximè nobis dat eſſe? Quid aliud, quàm anima, quam Geeſt vocamus, quæ à Spiritu ſancto tamquam à capite dependet; cùm is caput ſit non noſtræ modò, ſed vniuerſæ vitæ rerum omnium creatarum. Vocabuli igitur Geeſt origo ſoli Spiritui ſancto primùm con-

Steeg. uenit, ac deinde analogicôs ſpiritui noſtro. Quòd ſi hoc vocabulum vertas, Steeg habebis; quod tantundem valet ac ſi dicas, ſurſum tendebat. Proprium enim Spiritus eſt vt ipſe ſurſum tendat, & illa quibus ineſt, ſecum ſurſum attollat. Luſerunt noſtrates in

Geſt. hac voce, dum cereuiſiæ fecem Geſt per vocalem breuem nominarunt, quaſi parui temporis ſpiritum vocarent. Ex hac enim, cereuiſia & vitam accepit, qua velut muſtum efferueſcit; & facultatem eam vt homines pro tempore nouo ſpiritu ferat, & vltra ſolitum eorum animos attollat. Cùm igitur Spiritus ſanctus Geeſt propriè & primò vocetur; nemo negare poteſt, quin Ris vnum ſit ex eius attributis, quo erigendi hominis

Styg. munus ei fertur acceptum. Styg enim, à quo ſteeg præteritum imperfectum, & idcirco vox omnis temporis, ſignificatam nimirum rem perennans & ipſum Geeſt conuertens, idem eſt quod, ſurſum aliquid fero, vel, ſurſum enitor. Ris verò idem quod erigo & attollo, eodem modo quo ſtyg vſurpatum, vel vt actiuum vel vt neutrum verbum, iuxta Grammaticorum locutionem. Quid verò fit ex homine à vitiis & morte reſuſcitato, & iam erecto, & nouo ſpiritu vitam adepto, quàm priùs haberet, altiorem? Quid aliud, quàm nouum & altum ædificium? D. Paulus enim dicit nos Dei ædifica-

tionem

tionem eſſe, cuius fundamentum ſit Ieſus Chriſtus. Sed quorſum Spiritus ſanctus hoc noſtrum ædificium erigit, & in altum attollit? Reſpondebit idem gentium doctor, vt templum Dei ſimus, & Spiritus ſanctus habitet in nobis. Idem frequenter repetit, nos eſſe Dei ſiue Spiritus ſancti templum. Aliàs enim Spiritus ſancti, aliàs Dei templum dicit; vt clarè cognoſcas, Spiritum ſanctum Deum ab ipſo vocari. Cupit igitur præceptor, vt Canopus à belluæ vinculis, & à mortiferis malis liberatus, erigatur in templum Spiritus ſancti: & vt ipſe Spiritus in Canopo ſibi templum erigat, in quo colatur & adoretur. Templi nomen Latini ſuum eſſe fortaſſe credunt. Varro Poëticorum verborum etymologias ab hac voce auſpicatur, vt videlicet originum inquiſitionem in augurato tractaret. Triplex igitur templum diſtinguit; vnum à natura, quod cælum eſt; vt, *Templum triplex apud Varronem.*

Vnus erit quem tu tolles in cærula cæli
Templa:

Alterum in terra ab auſpiciis, vt in Peribœa,

Scrupea ſaxa Bacchi templa propè aggreditur:

Tertium ſub terra à ſimilitudine, vt in Andromacha,

Acheruſia templa alta Orci ſaluete infera.

Huius nominis originem à Tuor pro conſpicor petit; quia nimirum templum intueamur. At hîc nulla littera præter primam eadem eſt, nec verbum hoc ſic vel huc vel illuc poteſt inclinari, vt inde Templi vocabulum oriatur. Si hoc eſt rectas nominum dare rationes, neſcio quid ſit vel nugari, vel ſplendidis quempiam verbis præclara pollicitum nihil præſtare. Sed adiecit contemplari idem eſſe quod intueri. Bene quidem, ſed verbum hoc à nomine ducitur. Quia enim templa augures diligentiſſimè intuerentur, verbum factum eſt contemplor, pro accuratè inſpicio. Dicimus ergo, templi nomen à Ianigenis remanſiſſe, qui, perinde atque nos hactenus facimus, Tempel pro eo quod Latinis Templum ſonat, dicebant. Huius rationem quærere proprium huius loci eſt. Pecudis noſtræ paullo antè audiuimus mentionem, dum rogat doctor, ne ſublimior pars hominis ei deuinciatur. Hoc pecus Plautus animum vocauit, dum in Trinummo hanc dictat ſententiam: Si animus hominem perculit, actum eſt, ſi animo ſeruiuit, non ſibi. Si ipſe animum perculit: dum viuit victor victorum cluet. Nihil vmquam à Plauto verius dictum eſt. Si enim nos animo, id eſt, pecudi indomitæ ſeruimus, actum eſt de noſtra ſalute: at ſi nos animum percellamus ac domemus, ſplendidiſſimam victoriam obtinuiſſe dicemur. Victor enim victorum eſt & Imperator Imperatorum, qui hanc belluam ſibi ſubiecit. Nos animum Moet vocamus, eo quòd perpetuis nos afficiat moleſtiis, niſi freno cohibeatur. Hoc autem moleſtiarum remedium ichnæa conuerſio demonſtrat, quæ Toem nobis, id eſt, frenum offert, quo nimirum ferum iumentum domemus ac regamus. Illius enim naturæ eſt hæc fera, quam Animi nomine Latini nonnumquam vocant, vt vel domanda ſit freno, vel perpetuò nos vexet ac moleſtet. Horatius itaque poſt moleſtias quibus nos hoc pecus diuexat, enumeratas; voluptates videlicet, auaritiam, inuidiam, iram, alias; pulcerrimam ſententiam dixit: *Animus freno domãdus.* *Moet.* *Toem.*

——*Animum rege: qui niſi paret*
Imperat; hunc frenis, hunc tu compeſce catena.

An'ne hîc vides id expreſſum, quod nomenclator per vocabulum Moet nobis declarauit? Cùm ergo rogaret præceptor, ne pecori pars ſublimior alligaretur, hoc etiam intelligitur rogaſſe, vt pecus hoc domitum haberet, quia nimirum nihil medium eſt, propterea quòd vel imperet vel ſeruiat. Sic igitur orationem intelligamus oportet, vt ea petiiſſe precator putetur perpetuum Canopi in belluam ſuam imperium: quod dum potitur, & ab illius moleſtiis & feralibus malis liberatus eſt; idoneus iam fit, vt in templum Spiritus ſancti erigatur. Quid igitur ſit templum ex his quæ dixi, liquebit. Tempel enim tres complectitur voculas poteſtate, Tem—pe—hel; quas ſi componas, idem valebunt ac ſi dicas, Domiti pecoris exaltatio. Homo enim carnem ſuam freno domitam ad tantam excellentiam euehit, vt in templum Dei erigatur. Verum igitur & primum in terris Dei templum eſt, quod Spiritus ſanctus ex animo domito rationis freno ſibi erigit. Sic Apoſtolus membra noſtra Spiritus ſancti templum dixit. Dometur enim antea bellua ſiue caro neceſſe eſt, quàm Spiritus ſanctus in ea ſit habitaturus. Admiranda ſanè templi ſignificatio, & ad amuſſim ad ſacræ ſcripturæ veritatem quadrans; & interim *Templi etymon.* *Templa Dei hominum corpora.*

terim tam clara & extra omnem controuerſiam poſita, vt ne poſſis quidem, tametſi velis, vocem ab hac interpretatione alienare. Stupendo certè honore Deus corruptam hominis naturam afficit, dum eam ſibi templum facit. Vide, quæſo, quanto ſatius eſt & præſtabilius carni noſtrę, quæ bellua eſt, domari & lupatis obedire, quàm efferatam, quo libido rapit, ferri. Intelligimus ergo nunc, primum templum in homine ædificari atque erigi, & ad eius ſimilitudinem externum templum, quod vulgò ſic vocatur, templum dici. Fana enim & loca orationibus cultuíque diuino conſecrata, templa dicentur; eo quòd in iis domitæ pecudes, id eſt, animi hominum rationis rectæ freno gubernati in ſublime tollantur, ad ipſum nimirum altiſſimum, cui ſeſe precibus iungunt, euolantes. Quoniam autem templum non domitum modò animum poſtulat, ſed vt is etiam ſurſum ad excelſa tollatur; neque id corpore fieri aut poſſit aut debeat, ſed mente ſublimia cogitante, & eorum ſeſe ſpectaculo totam deuouente; priſci Latinorum maiores religione necdum corrupta verbum ſibi fecerunt, quo hæc attenta rerum ſublimium inſpectio ſignificaretur. Contemplari enim eum dicebant, qui vel in templo ſuo dumtaxat, vel in templo etiam externo attentus eſſet ad alta & excelſa mentis oculis conſpicanda; quaſi dicerent fruſtra templa adiri, niſi vnà cum templo mens noſtra tota ſublimibus intuendis vacaret. Verùm dum paullatim ſincerius Dei cultus & boni ſacrorum ritus à priſcis Ianigenis, & ab ipſo Nocho ſiue Saturno per manus & maiorum traditiones accepti corrumperentur, hinc ſacrificorum & ignorantia & auaritia, hinc cacodæmonis fraudulentis machinationibus, quibus homines deludebat; veræ contemplationi, quæ mentis oculis fiebat, ſucceſſit abominanda ſuperſtitio, qua in cælo templa ab auguribus deſignabantur: in quibus loco rerum diuinarum, fortuitus auium per aërem volatus notaretur, vt ex iis futurorum fieret coniectura. Bella ſcilicet hæc erat excelſarum rerum contemplatio, grauis ſcilicet, ac grauiſſimis viris digna religio; quæ animum leuibus leuiſſimarum auium pennis alligaret, ac ſurſum deorſum, quo picis vel coruis placuiſſet, raperet atque vexaret. Hæc ſemper regia via fuit ad Idolomaniam & omnes errores, res in religione bene inſtitutas & ad optimum finem deſtinatas ad quæſtum aliquem detorquere; & ex iis quærere, quod ſtolidi & peruerſi hominum animi maximè admirentur, & quod ad vitia ſua alenda & ſtultas cupiditates ſequendas aliquo modo conducere arbitrentur. Innatum nobis eſt ex primorum parentum peccato, vt omnes proni feramur ad futurorum cognitionem: quam inclinationem animorum diabolus peperit, dum illis perſuaſit, ſi vetitum pomum comediſſent, Deo ſimiles futuros. Hanc igitur inſanam cupiditatem cùm ſemper Draco promouere nititur, tum eorum vehementer auget auaritia, qui ex commentitia aliqua futura prædicendi arte quæſtum facere cõtendunt. Hinc ſacrifici, quibus templorum cura erat, parum ex vera contemplatione lucri ſperantes, religionem ſuam cauponari cœperunt, & hominibus perſuadere, aues loco rerum diuinarum eſſe contemplandas, & ſeſe poſſe ex earum volatu quid cuique futurum ſit vaticinari; neque fas eſſe quicquam omnino incipere aut moliri, niſi illis conſultis & interrogatis, an quod proponeretur iuxta Deorum fieret voluntatem. Lepidum ſanè commentum. Quid ni enim aues, quæ Diis inter volandum propinquiores eſſent, meliùs, propiùs & clariùs ea quæ Deus vellet intueri poſſent, & quæ vidiſſent hominibus nuntiare? Videmus hîc inſignem maximi lucri officinam, & quæſtuoſiſſimum mendaciorum mercatum in veri templi locum ſubſtitutum, è quo, tamquam è primo fonte, omnis auguriorum auſpiciorumque diſciplina defluxit, Romanis rerum Dominis, quicquid auibus viſum eſſet, imperatura. Templi itaque nomine monemur, vt animum noſtrum ſubiugemus ac regamus; quo in altum à ſpiritu erecti, templa Dei ſimus. Dum igitur Ris dicitur, hæc Spiritus ſancti ſubſtructio intelligatur, ad quam poſt domitam pecudem ordine peruentum eſt. Nunc inquirendum, quæ quàm optima figura ſit ipſi Ris oculis ſubiicienda. In primis perſpicuum eſt, erigendi atque in ſublime tollendi poteſtatem, & ipſam poteſtatis actionẽ ignea vi perfici, qua Spiritus ſanctus omnibus vitam infundit, omniaque ad Vnum euehit. Quamobrem non immeritò tautologiæ accuſer, ſi prolixus ſim in explicando demonſtrandoque, huic igneę poteſtati & actioni pyramidis figuram deberi.

Contemplari quid.

Auguriorum origo, & vanitas.

Idolomaniæ cauſa.

Futurorũ cognitionẽ omnes expetunt.

Res litteræ figura.

Pingenda igitur erit meta, ſiue ea Ægyptiarum pyramidum formam referat, ſiue propiùs obeliſcos æmuletur. Quoniam autem oſtendi, totam hanc Spiritus ſancti



erectionem ad principem hominis partem referri ac pertinere, non poteſt dubiũ eſſe, quin capitis effigies propria ſit nota ad hanc oculis repræſentandã. Cùm enim ſubtractio hæc quam Spiritus ſanctus in homine erigendo molitur, tota ad id tendat, quò caput belluinam hominis partẽ freno ſuo coërceat & imperio premat, atque ita homo fiat verum Dei templum, aptiſſimè caput pingetur, eo quòd nõ ſolùm ſedes ſit rationis & mentis propria, ſed etiam quòd ab imperio à ſermonis noſtri opifice Det nominetur. Accedit huic huius picturæ rationi & altera cauſſa. Quando enim ad hoc vt templũ Dei ſimus, opus eſt animo domito, neceſſariũ videbatur, vt & freni forma & pecudis domiti imago oſtenderetur: atqui hæc eadem meta quæ erectionis habet ſignificationem, nõn ſolum frenum exprimit, ſed pecudis etiam domitæ propriam oſtẽdit figuram. Frenũ enim quo homo animum regit, pyramidem ad vnguem imitatur; propterea quòd intra metæ terminos omnes cupiditates & impetus quibus iumentum efferueſcit, coërceat; & omnes quotquot ſunt ſic componat, vt ad Vnum quod Chriſtus dixit eſſe neceſſariũ, ferantur. Hinc liquet, frenũ capitis ſiue mentis nihil aliud eſſe quàm regulam conoidem, qua veluti lupatis animus domatur, & vt ſe ad Vnum erigat, cogitur. Hoc cùm clariſſimum ſit ex iis quæ à nobis frequenter antea dicta ſunt, obſcurum itidem eſſe non poteſt, quæ forma ſit ipſius ſiue animi ſiue pecudis rationis à Spiritu ſancto erectæ imperio ſubiugati & per omnia obtemperantis. Neque enim Stoicorum more cupiditates & animi affectiones ex homine tollimus; ſed eas, dum à Spiritu ſancto erecti ſumus, ſic componimus, vt in metæ formam ſurſum ad vnum apicẽ tendãt. Commodiſſima igitur nobis fuit, & ſignificationũ varietate plurima ſuggerens pyramidis figura; qua nimirũ ſimul & ſpiritus erectio, & freni forma, & animi domiti imago cernitur expreſſa; non illa quidẽ vulgari aut plebeia pingendi ratione, ſed tali, vt nemo mortaliũ quicquam poſſit ad viuũ magis imitari. Adde nũc his illud etiam corollarium & maximũ picturæ ornamentũ, quòd dum aptiſſimè ea quæ dixi oculis ſunt ſubiecta, illud vna opera effectum eſt, vt templi formam & ſubſtructionẽ habeamus, qua nullã quiſquã poſſit vel cogitando tantùm meliorẽ architectari. Cùm enim templũ eſſe de vocis ratione definiuerim, domitæ pecudis exaltationẽ; hæc nobis tabula omnia ſimul exprimit, tum ipſum caput Spiritus ſancti gratia erectum, & vnà ſecum erigens quæ imperio ſuo coërcet, tum frenum quo coërcet; tum pecudis formam quam coërcet, & ad Vnum ſeſe attollere compellit. Maiores noſtri huius rei conſcij, cùm ex tota fanorum amplitudine pyramidem facere difficillimum & operoſiſſimum; & tale etiam, vt vel fieri non poſſet, vel ſi factum fuiſſet, plurimis iniuriis, & maximè ventorum pateret, animaduertiſſent; prudenter illud excogitarunt, vt omnibus templis meta cum capitis forma vel ſupernè imponeretur, vel ad poſticam partem exſtrueretur, quò totam ſtructuram pyramidis & capitis ei impoſita forma terminaret, ceu ea propria eſſet & neceſſaria forma templorum. At dum rotundo globo, quo alibi aliud, hîc caput denotatur, crux imponitur; idem fit quod in hac Alphabetica oratione factum videmus, in qua ſupremus & vltimus apex eſt ipſum Tau, quo crucem ſignificari mox latiùs oſtendam. Quis hîc non miretur maximam hanc precationis noſtræ & ipſius templi, in quo precatio

Pyramis quarum rerum teſſera.

Templorum forma, & formæ ratio.

çatio fieri debet,ſimilitudinem atq. concordiam ? Nam ſicut oratio Alphabetica à vita capit exordium, & ad capitis erectionem paullatim adſcendit, atque deinde capiti erecto Tau imponit; ita vera templi forma ſubſtructionis ſuæ initium habet metam, veræ vitæ indicem; atque inde abſolutæ metæ caput imponit, quo prima hominis effigies, aut potiùs ſecunda, quam Spiritus re/uſcitâs & erigens largitur, exprimatur; iuxta illud,

Os homini ſublime dedit cælumq́; tueri ---

Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Ex his modò perſpicuum fit, quanta ſignificationis efficacitate in lingua noſtra illud Chriſti diceretur, *Domus mea domus orationis vocabitur*; cùm ipſum templi nomen, & vera templi f ɔrma, nominis vim exprimens, adamuſſim conueniat cum natura orationis: quod illi clarius videbunt, qui quæ de Alauda diximus, cum his conferent quæ de templo in metam erecto hoc loco docentur. Hic illud dumtaxat peculiare eſt, quòd meta hoc loco ad erigendum humanum caput pingatur, & globus qui imponitur hoc ipſum caput ſignificet. In obeliſcis Pyropi aliud notant, vti antea docui: & ſi pictura recta ratione in Ris procedere debeat, non tam globoſum corpus, quàm ouatum delineetur oportet, quo facies hominis exprimatur. Quamobrem maiuſculum Latinorum

R litteræ figura. R non rotundam partem ſuperiorem habebit, ſed ouatam. Græci ſuum Rho ita pingunt, vt obeliſcus verutum videatur, & reuera ſit obeliſcus, vti vocatur; cui magnũ caput deſuper imponunt ad dextram proſpiciens, ita vt veru ea parte caput ſuſtineat qua ſpinæ medulla deſcendit. Hebræi, neſcio cuius Genij beneficio & inſtinctu, in confuſione linguarum huius litteræ memoriam quandam videntur retinuiſſe: & quia figuram eius capite inſignitam fuiſſe recordabantur, à nomine eius caput ראש vocarunt; Chaldæi tamen conuenientius origini Rees per ſecundam Latinorum vocalem productam efferunt; propterea quòd ſermonis noſtri anologia in vocibus formandis poſtulet, vt nomina à præterito verborum imperfecto deriuentur, quo nimirum ideis quæ perpetuæ ſunt, reſpondeant. Dixi enim ſæpius, præterito imperfecto tria tempora, & idcirco omnia deſignari; eamq́ue ob cauſſam perennandis rebus conuenire, vt ab eo no-

Rees. mina ducantur. Rees enim præteritum imperfectum à Rys caput denotabit, quoniam perpetuum capitis officium ſit, vt & ſe, & totũ corpus ſurſum erigat. Quia autem caput in homine ſummum eſt & primarium, Rees etiam pro ſummo & primario apud Hebræos ponitur; & hinc Reeſith principium tum ceterarum rerum, tum Bibliorum. Nec Chaldæi, nec Hebræi vocis originem norunt, vti neque ceterarum quas è primo ſermone retinuerunt. Apud hos aliud quoque nomen inuenitur ab eadem noſtrati radice productum, ſed litteris per hyſteron proteron legendis, vt origo cognoſcatur. Fermentũ enim שאר vocant: quod vocabulum ſi vertas, Rees habebis, tametſi puncta alia addátur.

Geſt. Fermenti enim natura eſt vt panem attollat. Nobis Geſt eundem vſum præbet: qua vocula fecem cereuiſiæ nominari modò dixi. Vnde cernas, quanta ſit inter Geſt & Rees cognatio; & inde quàm Rijs & Geeſt inter ſe conſentiant. Videtur igitur in hac littera idem Hebræis accidiſſe quod in Hoogen. Vt enim ex illius litteræ figura oculi nomen;

Cereris etymō & vera pronunciatio. ita ex huius figura capitis nomen mutuatos eſſe opinor. Latini à vetuſtiſſimis Cimmeriis nomen Ceres acceperunt, in quo prima littera corrupta eſt, ob corruptam tertij apud Latinos elementi pronunciationem: quod ante E & I perinde efferunt ac ſi ſibilans littera eſſet. Seres enim erat dicendum, vt vox circularis efficeretur qualis eſt Anna, & aliæ nonnullæ. Significatur enim hac voce vis illa diuina quæ ſementem & ſegetem

Ser. præſidio ſuo tuetur. Ser enim olim pro ſero noſtrates dixere, à Sei-er, id eſt ſemino ter-

Sei. ram; vbi in Er Tau omiſſum eſt. Hinc Latinorum Sero, adiecta dumtaxat terminatio-

Er. *Sero, is.* ne. Hac ætate Tau addimus vel Dalet, litteras frequenter concludendæ vocis cauſſa addi conſuetas, ſert vel ſerd/ non ſer dicentes; verùm non pro quauis ſatione, ſed ea quæ omnium eſt excellentiſſima, per quam nimirum homo procreatur. Ser itaque generatim acceptum cõuertitur in Rees, quod ſignificat Surgebat. Propterea enim ſemen terræ committitur, vt rurſus exſurgat, & nõ exſurgat modò in mole maiore; ſed creſcat etiam

Cereris fabula explicata. & augeatur numero ac copia, quod eadem voce denotatur. Seres ergo, ſemini terræ cõmittendo & multiplicando præſidens, ſerpentibus vehitur; quibus & aquarum vis ſiue humecta terræ vligo & palingeneſia denotatur. His fax accedit vitalis caloris habens ſignificationem, quo ſemen alitur & in frugem ampliorem promouetur. Quærit verò

natam

natam ſuam; id eſt, ſemen terræ commiſſum caloris & humoris viribus rurſus ab inferis in lucem proferre nititur. Et quia hic labor in orbem redit numquam ceſſaturus, nomenclator ſic nomen compoſuit, vt perpetua hæc ſementis & meſſis viciſſitudo litterarum circulo in ſe redeunte notaretur. Verùm hæc naturalis eſt & pinguis, ne dicam ruſtica, fabulæ interpretatio; in qua ſi hæreas, parum promoueris ad arcana Cereris myſteria intelligenda. Longè altiùs Moſes aſcendit, dum mundi fabricam per Bereſit exorſus eſt, cuius vocis prima radix Res eſt, quod vocabulum è Sær prodit, quo actus ſeminandi notatur: qui non aliud eſt quàm ipſe Pater, qui mundum per Filium ſuum ex abditis infinitatis ſuæ abyſſis & tenebroſa caligine, nulli niſi Filio peruia, in lucem prodire fecit; quod vocula Res deſignat, Re & S complexa; quorum illud Ratio eſt, hoc Spiritus ſanctus. Porrò Seres longè adhuc profundiùs examinetur neceſſe eſt, ſiquis totam ſignificationis vim perſpicere velit. Nam ſi nomen in elementa ſoluas, ad Se & Es peruenies: quorum illud Patris eſt, hoc Filij ab æterno geniti; quæ duæ hypoſtaſes per illam hypoſtaſim inter ſe deuinciuntur, quæ per litteram vibrantem denotatur. Cùm enim R ad Lationem pertinere, & eam quidem vehementem, nemo non fateatur, cui potiùs hoc elementum fuerit tribuendum, quàm ipſi Spiritui ſancto; de quo dictum eſt: *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. Se igitur & Es per litteram Res coniunguntur, & circulare conſtituunt vocabulum, non alij propriè quàm ſempiternæ congruens Trinitati.

Bereſit vocis compoſitio.

Scin.

Scin Hebræi pro duabus litteris vſurpant; altera ſimplici Samecht, altera duplici, vt tantundem valeat ac Samecht & Cap coniuncta. Quòd pro ſimplici Samecht ponatur, omni rectæ rationi repugnat. Quid enim abſurdius, quàm litteram duplicem pro ſimplici collocare? Crebrò autem pro ea poni ipſa docet pronuntiatio, quam nobis Grammatici præcipiunt, dum Sebolet in ſiniſtro litteræ cornu videmus. Bella profectò ratio & inſigne plebiſcitum. Iubent vt id peccemus, ob quod olim Iephte Galadites quadraginta duo Ephraitarum millia occidione deleuit. Legimus enim ab eo omnes ad Iordanem cæſos eſſe, qui pro Scibolet Sibolet pronuntiarent. Atqui noſtri nunc Rabbini edictum proponũt, vt hanc litteram ſæpe ita efferamus, vti illi qui ob deprauatum eius ſonum à Galadita iugulati fuiſſe ſcribuntur. Profectò ſi non alia cædis cauſſa fuiſſet, quàm pronuntiatio ipſius Sebolet, Iſraëlitæ quàm Ephraitæ occidione fuiſſent digniores, eo quòd Sebolet ſiue pro ſpica ponatur, ſiue pro fluctu & vi aquarum, ab ea radice ſurgat, quæ Samecht habet non Scin. Dum enim pro ſpica ponitur, idem patitur quod infinita alia vocabula, in quibus rectus litterarum ordo turbatus eſt. שבלת enim venit è Weis-helt ſiue Weis-hel/ quod nobis ſignificat id quo triticum continetur. Hebræis familiaris eſt Sigmatiſmus æquè atque Sueuis. Hinc Weis pro noſtro Weit in hoc vocabulo videmus. Verùm dum pro fluctu & aquarum vi ponitur, à noſtro See-welt deriuatur, recto litterarum ordine ſeruato, quo vis aquæ denotatur. See enim non ſolùm mare magnum ſignificat, ſed quemuis lacum & aquam latiorem: quod ſi mihi non credis, conſule Bauariæ deſcriptionem, in qua quemuis lacum, licet paruum, See vocari videbis: quod item in tota Auſtria, Saliſburgenſi ditione, & generatim in toto illo Germaniæ tractu obſeruare licet. Quæuis ergo aquæ latioris vis & impetus See-welt nobis dicetur. Duplex autem digamma in Bet frequentiſſimè apud Hebræos tranſit. Hæc cùm nobis ſint clariſſima; vide, quæſo, vtri meliùs, Hebræine, an Ephraitæ Sebolet pronuntiarunt. At huic שבל vicina vox videtur; quæ tamen per duplicem litteram pro humero efferenda eſt. Nobis enim Scouwer eſt, vbi Res in Lamet per Labdaciſmum tranſiit. In hac voce variatum eſt ſententiis inter Hebræos, aliis humerum, aliis femur, aliis plantam pedis ea ſignificari arbitratis: quam litem vera vocis origo decîdit. Eodem modo in שָׁאָה pro vaſtare, duplex littera ſonanda, eo quòd nobis Scaēn dicatur, quod eſt damnum inferre. Dum verò eodem verbo vtuntur pro videre aut contemplari, radix quærenda in noſtro Scow/ quod ſignificat diligenter inſpicio; licet compoſita voce Aen-ſcow frequentiùs vtamur. Vt autem in his rectè duplex littera profertur; ita eadem malè collocatur in שָׁאט pro contemnere, deſpicere ſiue ſpernere: quod verbum perſpicuum eſt à noſtro Smat/ id eſt, contemnit & adſpernatur, formari, ſolius Mem

Scin litteræ poteſtas, & pronuntiatio deprauata.

Iephte omnes eos occidi iuſſit qui Sibolet pro Scibolet pronuntiarẽt.

Hebraicæ voces è Cimbricis factæ.

Weis. Weit. See. Scouwer. Scaēn. Scow. Smat.

 eliſione;


eliſione; quam litteram vel adimunt vel adſciſcunt Hebræi frequentiſſimè ſine cauſſa. Male item סָפַק pro bibere & abſorbere cum duplici pingitur, cùm clarum ſit, radicem eſſe noſtrum Soph, verbum Germanis in vſu nimis frequenti. Nec שָׁבַר pro frangere & conterere bene per duplicem pronunciatur. Nos enim Bijps dicimus pro in minimas partes confringo. At dum שְׁבָרִים pro fluctibus maris dicunt, vox à ſe-baren deriuatur, quo clariſſime fluctus maris denotantur, & idcirco duplex littera locum non habet. Rurſus dum שָׁבַר pro pario vtuntur, quis non agnoſcit bart, id eſt, parit? vbi Sigmatiſmus eſt, dum pro Tau Scin ponunt: tolerabilior futurus, ſi Samecht ſcripſiſſent. Peccant item dum שֵׁשׁ pro Seta dicunt, cùm nos ſit vel ſide dicamus, non ſept vel ſeps, quod eſt caco. Elegans profectò & delicata permutatio, dum pro Seta cacare ſe dicunt: nec melius שִׁשָּׁה pro Sex dicunt, cùm hîc omnino Samecht ſcribendũ eſſe, non noſtra modò lingua, ſed Latina etiam declaret. שׁוֹשָׁן lilium vocant: quod vocabulũ Suſon, non Scuſon dicendum, & idcirco per Samecht ſcribendũ. Originem ducit à Nos ſuet, ſiue Nas ſues, vt Sueui dicerent, quo naſi ſuauitas ſiue deliciæ ſignificantur. Nemini obſcurum eſſe poteſt שָׁזַף pro aſpexit idem eſſe cum noſtro ſagh, id eſt, videbat, & ideo Samecht fuiſſe pingendum. Sic שַׁדַּי ponitur pro Deo. Hebræi omnipotentem vertunt, conuenientius origini Saturnum interpretaturi. Nam Sat di ſignificat eum qui ſeminũ omnium vim & indit, & promouet, & auget. Hinc שָׂדֶה ager à ſeminando, quaſi Sat-di, id eſt, ſeminis incrementum. שׁוּק pro deſiderare dicunt Nos ſuc pro quæro & deſidero: vnde liquet, hîc itidem Samecht deſiderari, & Scin eiici debere. Cõtrà res habet in שָׂטָן quod aduerſari vertunt. Nobis ſcad thon idem eſt quod damnum adferre: quæ origo docet, hîc Scin eſſe debere citra punctum ſiniſtrum. Eadem ratione in שֹׁטֵר Scin eſſe debet. Idem enim eſt quod nobis ſcatter, id eſt, exactor, & is qui vectigalia imponit populo. In שֵׁן pro dente, & ſend, vt Sueui, vt nos tend, non debebat eſſe Scin, ſed Samecht. Item in שָׁזְפָה pro videbat, adſpiciebat, non erat locus ipſi Scin, ſed Samecht: eſt enim noſtrum ſagh, id eſt, videbat. Nec rectiùs שֶׂעֶף pro cogitatione cum Scin ſcribitur, cùm ſit noſtrum ghepeis per metatheſim. Laudandi tamen ſunt in שפט quo iudicare ſignificant, eo quòd Scin hîc rectè ponatur. Eſt enim noſtrum ſcept, quod eſt res conſtituere: vnde ſcepen pro iudice. Aliquando ſuperfluum eſt Scin, vt in שקד pro vigilare. Hoc enim à noſtro wact fit, duplici digamma in Qua-af mutato. שת pro ponere, quod nos ſet dicimus, purũ Samecht haberet, ſi ſcriptura vel originem, vel genuinum ſonum ſequeretur. In שָׂרַק pro pulcro vitis palmite Scin eſſe debet, ſed ſine puncto ſiniſtro. Eſt namque ſco rant vel ſcoon rant, vt Nun bis ſit eiectum, idem quod pulcer palmes. Sed quid ego exemplis immoror? Quid quod clarum eſt docere pergo? Nemo Hebræorum negat, hanc litteram geminũ ſonum habere; & modò pro Samecht modò pro peculiari ſibi ſono poni. Verùm hunc proprium non ſatis bene omnes expreſſerunt. Nos è primis originibus deprehendimus duplicem litteram eſſe, ac tantundem quantum Samecht & Cap valere. Nomen verò litteræ Scin pronunciamus, vocali nimirum producta quo ſplendor nobis denotatur, & metaphoricôs probabilitas quæ rebus elucet; id quidem dum nomen eſt. Hebræi שָׁנִי ab hac noſtra voce acceperunt, dũ ea pro cocco vtuntur. Aquila enim διάφανον, Symmachus διαφανὸν reddidit, teſte D. Hieronymo in epiſtola ad Fabiolam de veſte ſacerdotali, propterea videlicet quòd coccineus color ſplẽdeat. At dum eandem voculã pro dente vſurpant, litterã Scin pro Samecht malè ponũt; eo quòd nobis ſent dicantur, ſiue tenden. At vt verbum, idem notat quod ſplendet, & quod eſſe videtur. Sic dicimus, het ſcynt te ſijn, id eſt, apparet rem ita habere. Rogat ergo præceptor, vt Spiritus ſanctus ſplendorem præſentis vitę, & ipſam noſtram imaginationem erigat ad ipſum antiquum, vt videlicet eum intueri queamus; nõ eo modo quo res nobis in hoc mundo videntur, ſed quo pòſt ſunt videndæ. In Qua-af Sol ſplendore ſuo caput noſtrum ambiebat & illuſtrabat, & nobis ſplendoris ſui portionem quandam communicabat. Hîc igitur petimus, vt hoc præſentis vitæ lumen quod obſcurum adhuc eſt & imperfectum, erigatur ad illam antiquam lucem in qua Deum videbimus; non in ænigmate & lumine quodã caliginoſo, ſed facie ad faciem, vt Apoſtolus tradit. Quamuis enim in hoc mortali corpore lumen quoddam à Spiritu ſancto accipimus, quo diuina contemplemur; hoc tamen longè inferius eſt illa luce cæleſti. Nam *neque auris audiuit, nec oculus vidit, nec in mentem hominis vmquam venerunt, quæ Deus nobis in futura vita præparauit.* Quamobrem orandũ eſt, vt hoc

[Margin: Soph. Bijps. Se-baren. Bart. Sit. Side. Sept. Sagh. Sat. Di. Sus. Scatter. Tend. Sagh. Ghepeis. Scept. Scepen. Wact. Set. Rant. *Scin littera vera ac genuina poteſtas, pronunciatio, nomẽclatura & ſignificatio.* Scijn.]

vt hoc noſtrum vmbroſum lumen ad ipſum patrem vniuerſorũ à Spiritu ſancto eleuetur, quò in ſempiterna luce, omnem Solis ſplendorem vincente, ſemper & cõtinuò Dei faciem contemplemur: qua in re ſumma eſt & omnium votorum & omnis precationis. Moſi roganti, vt Deum videret, reſponſum eſt: *Non videbit me homo, & viuet.* & mox: *Poſteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.* Quod hîc dicitur, Dei poſteriora dumtaxat in hac vita cerni, id Scyn videtur denotare. Eſt enim Scyn ſic formatum, vt in Sce-hin ſoluatur, quod ſignificat, id quod poſterius eſt diſtinguo. Dum igitur Scyn rogamus ſurſum ad antiquum dierum tolli, rogamus vt hęc per poſteriora Dei cognitio mutetur in claram & directam diuini vultus inſpectionem. Præter verò hanc notationem, Scyn item pro imagine dicimus, eo quòd imago id cuius imago eſt eſſe videatur. Hinc magna vis eſt in hac orationis clauſula, propterea quòd Spiritus ſanctus rogetur, vt imaginẽ ad antiquum eleuet: quod quid aliud eſt, quàm vt hominẽ, Dei imaginẽ, ad eũ attollat, ad cuius ſimilitudinẽ ab antiquo creatus eſt? Æquiſſima enim hæc videtur oratio, qua rogatur vt ſpiritus eum ad Deum euehat, cuius tanta eſt cum Deo ſimilitudo. Neq. enim fieri poteſt, vt quiſquam illud non amet quod ſibi ſimile eſſe intelligit; maximè verò ſi ſciat id ad ſui imaginem factũ eſſe. Videmus quanto amore parentes filios proſequantur, eo quòd in illis quandam ſui ſimilitudinẽ eſſe credant. Quanto igitur maiore Spiritus ſanctus amore Dei ſimilitudinẽ amplectetur, cùm ipſe omnis amoris fons ſit & origo; & tanto imaginẽ propiùs agnoſcat, quanto omnia penitiùs intuetur. Quid? quòd Deus ipſo ſpiritu imaginem depinxit, adeò vt ingẽs in hac voce pondus ſit ad beneuolentiam cõciliandam? Huic precationis artificio aliud myſterium ex eodem vocabulo Scyn accedit. Quemadmodũ enim Syn Spiritus ſancti attributũ eſt; ita Scyn Filio propriè conuenit; qui, iuxta D. Paullum, imago Patris eſt & ſplendor gloriæ eius. Qua enim voce vel imaginẽ vel ſplendorẽ melius exprimas, quàm ſi Scyn dicas, quod ſimul vtrumq. complectitur; quorũ alterum ad Corinthios, alterum ad Romanos Apoſtolus expreſſit? Nemini igitur dubium erit, quin huius litteræ nomenclatura clariſſimè

Scyn vocis compoſitio.

Simile ſibi quodque ſuæ naturæ amore proſequitur.



filius deſignetur, quando Scyn & ſplendorẽ & imaginem apertiſſimè cuiuis noſtratium declaret. Poſtquam de huius litteræ pronũciatione, de nominis ſignificatione, de ordine, in ſecundo ternario, qui vltimam orationis Alphabeticæ clauſulam abſoluit, dictum eſt; non illud quidẽ quantũ rei amplitudo poſtularet, ſed quantũ ſatis eſt ad capita iis indicanda qui hæc latiùs volent explicare, conſequitur vt de pictura quæramus, qua nimirũ quàm conuenientiſſimè ipſius Scin notatio oculis ſubiiciatur. Hîc in primis illud monendũ, licet Scyn ipſius Filij in Trinitate ſit attributũ, nobis tamẽ eam eſſe effigiem pingendam quæ apta ſit ſententiæ Alphabeticæ, & ad id quod dicitur in epilogo, & quod in prioribus dictum eſt, collatæ. Inuenienda igitur figura aliqua qua tenue lumen, & tale, quale hominis eſt in hac vita mortalis corporis vmbra tenebroſa, quàm optimè exprimatur. Et quia hæc vita vitam futuram tẽpore præcedit, neceſſariũ fuerit, ſi diuinis litteris conſentanea dicere velimus, vt hæc vita nox, futura dies vocetur; quãdo ſcimus in temporũ cõputatione, & ſacris litteris, & Cimbricæ antiquitati noctẽ quàm diem numerari priorẽ. Quoniam itaq. huius vitæ lumẽ nocturnũ eſt, oportebit vt pictura nocturnũ quoq. lumẽ repræſentet quale

Scin litteræ figura.

reuera eſt quicquid luminis in hoc corpore habemus; neque aberret quiſquam, qui nos dicat quodammodo in obſcura Platonis ſpecu deſidere. Quę cùm ita ſint, quid reliquũ eſt, quàm vt loco Scyn lychnum nocturnum apud omnes veteres lumen exprimamus; & illum quidem non polymyxum, ſed vna flamula ſplendentem, quæ è medio ſurſum feratur, haud ſecus atque lumen mentis noſtræ è meditullio noſtri ad ſuperna contẽdit.

Lychnos in ſepulcris veteres quare collocarint.

Lychnos veteres Ianigenæ in ſepulcris collocare conſueuerũt, vt indicarent corpus veluti nocturno ſomno oppreſſum dormire, & certam ſpem vitæ ſupereſſe quæ flama denotabatur. Neq. enim aliud flama, quàm pyramides & obeliſci, & cypariſſi ſiue cupreſſi in ſepulcris & buſtis denotabat; & tanto quidem efficaciùs denotabat, quanto ſignatum quàm ſignum propiùs ad rem accedit. Metæ enim non alia ratione vitæ indices erant, quàm quòd flamæ formam imitarentur, quæ vitæ ſignum manifeſtum gerebat. Tranſiit hæc lychnorum in ſepulcris collocandorum conſuetudo ad Romanos Ianigenarũ poſteros; verum, vt ceteri ferè ritus, ad ſuperſtitionem magis quàm ad priſcam religionem ab ipſis relata.

Lychni in ſepulcris Romanorum.

Hinc illud eſt, vt infiniti lychni hactenus in ſepulcris Romanorum reperiantur: neque verò in ſepulcris tantùm lychnorum fuit vſus, ſed etiam in funebri pompa, vt cernere licet apud Perſium, qui funus ſuum ſic exorditur:

Hinc tuba, candelæ; tandemq́. beatulus alto
Compoſitus lecto.——— & cetera quæ paullo antè recitaui. Eadem videlicet vtrobiq. luminis ſignificatio, & in cadauere efferendo, & in ſepulcris. Quòd autẽ lychni flama vitam ſignificet, non è ratione modò à nobis adducta cuiuis liquere poteſt, ſed è Plutarcho etiam accipiet auctoritatẽ. Is enim in quæſtionibus Romanis dicit, lychnum

Lychnum extinguere apud Romanos piaculum.

reſpondere corpori animum continenti, qui lumen eſt. Hinc piaculũ erat apud Romanos, lychni lumen exſtinguere; at illud ſinendum erat tantiſper ardere, dum natura ferret: qua in re cauſſam quærens Plutarchus, inter alias cõiecturas & has habet: An id Romani obſeruarint, vt lychnum tamquam cognatum & germanum ignis perennis & inexſtinguibilis venerarentur; an verò, vt docerent animal occidendũ non eſſe, quia lychnus animali ſimilis eſſet? Nos è Plutarcho rituum Romanorũ cauſſas non quærimus: id ſatis eſt teſtificatione eius conſtare, lychnũ ſimilẽ eſſe corpori animũ continenti, & flamam quidem animum eſſe, cui vita debetur.

Lychnus auguris numquam concludi potuit.

In vetuſtiſſimis erat Romanorum cęrimoniis, ne lychnus auguris vmquam concluderetur, ſed ſemper apertus maneret. Hoc cur fuerit inſtitutum à veræ religionis magiſtris, ſciri non poterit, niſi vltra communem augariorũ ſuperſtitionem adſcendas, & quis reuera augur dictus fuerit apud Ianigenas, intelligas.

Augur vocis etymon & compoſitio. Oog. Aug.

Nos inter Augur & Oogur non aliud diſcrimen eſſe ſcimus, quam inter Aulam & Ollam. Germani ſuperiores pro Oog/ quo nobis ſine diſcrimine vel acutè videre, vel oculus dicitur, Aug ſcribunt. Quamobrem citra longas ambages clarũ eſt, Augur vocem eſſe compoſitam ex Aug & Or; & hac excellentiã perfectionis, illa acumen videndi notari; ita vt is Augur ſit dicẽdus, qui ceteris ad acutè omnia videnda præſtantior eſt.

Augur quis dicendus. Epiſcopus Athenienſibus quis fuerit.

In ciuilibus magiſtratibus Epiſcopum Athenienſes eum vocabant, qui ad id deligebatur, vt ciuitates Athenienſibus ſubditas viſitaret, ac diligenter in iis, num rectè omnia gererẽtur, peruideret. Hunc noſtrati lingua Augurem dicere potuiſſent. Romani Augurũ officium ſacris alligarunt, & eos principiò hoc nomine dignati videntur, qui acutiſſimè omniũ ſacrorum cauſſas viderent; & diligenter animaduerterẽt, ne quid in iis peccaretur. Atque hinc lituus illis datus, quo paſcendi gregis munus indicatur. Verùm fœda ſuperſtitio corrupit omnia, & officia & ſacra nomina in diabolicam tranſtulit officinam. Quæſtui enim ſacra poſthabentes augures, fraudulentã & dæmoniacam artẽ excogitarunt, cuius lucrum & inſignis mercatus tam latè ſeſe mox extendit, vt totũ ferè orbem fuerit amplexus.

Augurũ verum & proprium officiũ.

Verùm igitur & priſcũ augurum officiũ fuit, populũ paſcere, & lituo ad id vti: in quo rotunda illa ſuperioris partis reflexio non pedi tantum curuaturam, ſed oculũ etiam videtur denotaſſe; cuius præſtantiore vſu ipſi ceteris omnibus anteirent, in diuinis nimirum & contemplandis & docendis. Vt igitur nomen Pontificis fœderum violatorũ promittit expiationem; ita Augurium ſcientiam & doctrinam pollicetur; adeò vt non aliud augures ſint, quàm rerũ diuinarũ doctores & Epiſcopi; & vno verbo, boni paſtores. Horũ quod fuerit officiũ, non ex alterius ore verius diſcas, quàm ex eius qui omniũ paſtorum dux eſt & Imperator. Hic eſt Chriſtus, qui vt ante Abrahã; ita etiã ante omnes fuit augures: ac, ſi verum fateri velimus, ſummus & ſupremus augur; vtpote qui ſolus Patris arcana

cana intuetur,& numquam aberrante aut caligante oculorum acie obſeruat. Is igitur inter alia Apoſtolos ſuos, auguratus ſui munus exponens, ſic eſt allocutus: *Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrũ, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.* Idem docet quæ ſit lucerna corporis noſtri, aiens: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totũ corpus tuum lucidũ erit: ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen quod in te eſt tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?* In his ſummi auguris verbis clariſſimè videmus, quid oculi nomine in ſacris ſymbolis ſit intelligendum, quid item lucerna deſignet; & id tandem colligitur, & oculi & lucernæ nomine mentẽ noſtrã denotari, quæ verum hominis lumen eſt. Augur itaque non à corporati oculi perfectione, ſed à mentis præſtantia nomẽ habere intelligatur oportet; cuius lucerna non alia erit, quàm mens ipſa, totum hominẽ illuſtrans. Quiſquis ergo primus fuit illius ſiue ritus ſiue legis magiſter, ne Auguris lucerna vmquam abſconderetur aut tegeretur, is eodem quo Chriſtus ſpiritu videtur ductus fuiſſe. Quid enim aliud eſt lucernã tegi, quàm eam abſcondi & ſub modio poni? Voluit ergo primus Augurum & præceptor & conditor, vt Augur lux mũdi eſſet; atq. ea ſic ſemper aperta & clara eſſet, vt hominibus in primis bona auguris opera oſtenderet, ac deinde doctrinæ ſalutaris lumẽ omnibus, citra omne caliginis obſtaculum, affunderet. Videmus nunc quantũ in exigua & cõtemta ferè lege rituali latuerit myſteriorũ; quibus non officiũ modò boni doctoris atque paſtoris totũ continetur, ſed nomen etiã auguris explicatur; vt ipſe Chriſtus ad hoc nomen in Euangelio reſpexiſſe videatur; quod apertiſſimè fecit in pacificis, & pauperibus ſpiritu, & mitibus, vt antè declaraui. Quid enim aliud videtur feciſſe, dum oculũ lucernã eſſe dixit, & hanc rurſus mentem ipſam eſſe declarauit, quàm vt intelligeremus, quis Auguris oculus ſit, à quo nomen accepit, & quæ ſint auguris partes? Non eſt igitur nunc vlteriùs aut prolixiùs oſtendendũ, lychno ſiue lucerna hominis mentem denotari, quando id modò ex ipſius Chriſti teſtificatione conſtat. Eodẽ pertinet & illa de Virginibus parabola cum accenſis lychnis, quarũ quinque fatuæ oleum ſecũ non tulerunt; quinque prudentes acceperunt, ad ſupplementum nimirũ ſi priùs defeciſſet. Hîc enim lampades ardentes mentẽ ſignificant, præſenti pabulo lumen ſibi ſuum tuentem: at exſtinctæ lampades oſtendunt pabulum defeciſſe. Quod verò animorum pabulum intelligimus? Quod aliud, quàm ipſe Chriſtus intellexit dum dixit, *Non ex ſolo pane viuit homo, ſed de omni verbo quod procedit ex ore Dei?* Sunt enim inter Chriſtianos animæ fatuæ & prudentes; ab idolomaniæ fornicatione vtræque illæ quidem liberæ, & idcirco virgines; ſed fatuæ verbum Dei audiunt & accipiunt, & aliquantiſper eo aluntur; verùm quia verbum in ipſis radices non agit, non magis quàm in exili ſolo ſaxis iniecto, lumen ipſarum citò deſtituitur alimento. Oleum itaque ſolidum luminis pabulum, eſt verbum; copia eius & ſupplementum, eſt aſſidua verbi meditatio, & operum bonorum exercitatio, quam prudentes virgines per totam vitam continuarunt, donec ſponſus & ſponſa venirent; qua fatuæ eo tempore quo maximè erat neceſſaria, deſtitutæ, excluſæ dicuntur à nuptiis. Non eſt igitur ampliùs dubitandum, quin hominis lumen, quod Scyn vocatur, mens hominis ſit; verbo Dei tamquam oleo nutrita, atque ſurſum elata per aſſiduam meditationem & operationem, quam perpetua flamæ vibratio deſignat. Nec item dubitari poteſt, quin huiuſmodi hominis lux optimè denotetur per lucernam, in cuius medio ellychnium, velut in totius nutrimenti ſui corde, flamam ſurſum effert; qualibus penſilibus è vitro factis perpetui luminis in templo cuſtodes hactenus vtuntur, in quibus ferreum filum vel lamina ellychnium continet, cuius imago in figura Scyn videtur. Eſt autem vitrea lucerna, in medio ellychnium habens, huic teſſeræ tanto accommodatior, quanto minus vmbræ facit, & lumen ſuum in omnem partem clariùs diffundit. Nos quò vetuſtam lucernarum penſilium tum conſuetudinem tum formam ob oculos poneremus, Sigillum Heraclij Imperatoris appingi curauimus; è quo & illud Virgilianum nonnihil lucis accipiet:

——*dependent lychni laquearibus aureis*
Accenſi.——

Certè Augurum lampades tales eſſe decuiſſet, quò lumen ſuum minùs tegerent &

Lucerna & oculi nominibus quid in ſacris litteris intelligatur.

Lampades ardentes quæ intelligantur in Euangelio.

Oleum quod in Euangelio intelligatur.

Lucernæ penſiles.





vmbra ſua offuſcarent. Aptiſſimā igitur ipſi Scyn figuram inuenimus, ipſa illa præmonſtrante luce, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* atque hoc nomine Hebræis gratias habemus, quòd hanc lychni effigiem non malè conſeruarint, dum ſuū Scyn pingunt; tametſi quid pingant, prorſus ignorent. Lychni autem vocabulū pro lucerna noſtratis eſt originis, cùm lychnus nō aliud ſonet, quàm Lucht-nut / ſiue Lucht-not / quod ſignificat id quod vel vtile, vel neceſſarium eſt ad lumen conſeruandum.

Lychni etymon.

Campani noſtri Brabanti Lucht-uat dicunt, id eſt, luminis vas, ſiue vas ad lumen faciendum: a qua voce an Hebræi ſuum habeant לפר nec ne, parum refert; & difficile ſit iudicatu, propter ſuperſtitioſum conſonantium in vocabulis ternarium, qui verarum originum magnam inuexit obſcuritatem, dum neceſſarias litteras ſuccidit, & frequenter loco earum ſuperuacaneas accerſit, in quibus Alef, He, Nun, Mem, aliæ frequens nobis in radicibus examinandis negotium exhibent. Nobis Vur ignem ſignificat; & item ignem facere. Alia dialecto Vier dicitur. pro eadem re Hebræi ex Vur אור fecerunt, reiecto priore Vau, & loco eius Alef ſubſtituto, prorſus ſuperuacaneo. Rurſus reiecto Aleph, & loco eius Nun ſubſtituto, ex Vur נור fecerunt, quo lucerna denotatur: & quo minus veræ originis reſtet, ipſum etiam Vau eximunt, & pro נור dicunt נר: & rurſus quaſi vocem à Vier accepiſſent, ניר etiam efferunt pro eodem. Chaldæi נור, vel נוּרָא pro igne dicunt. Et quo nihil conſtans eſſet, נִיר etiam pro nouali poſuerunt: in qua ſignificatione à Ni-er, id eſt, noua aratio deriuatur.

Luchtuat.

Vur.

Vier.

LIBER

LIBER XVI.

Tau.

QVIS non miretur, ipſius Tau tot apud priſcos exſtare monumenta, cùm nemo omnino inter eos quicquam ſcriptis prodiderit, quod facere videatur ad myſteria eius intelligẽda? Scripſit Pierius Hieroglyphica, ſed de Tau ſigno, in ſacris Ægyptiorum litteris frequẽtiſſimo, ne minimam quidem fecit mentionem. Hebræi תוה pro ſignare, & Tau pro ſigno vſurparũt; melius illi quidem & maiore ratione quàm quiſquam eorum ſit arbitratus: verùm nihil ab iis litteris traditum, cur vel vltima littera nomen hoc adepta fuiſſet, vel cur omnino pro quouis ſigno poneretur. Nono Ezechielis capite legitur: *Et dixit Dominus ad eum: Tranſi per mediam ciuitatem in medio Ieruſalem, & ſigna Tau ſuper frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius.* Et mox inde: *Omnem autem ſuper quem videritis Tau, ne occidatis.* Ad hunc locũ Hieronymus hæc notauit: Pro ſigno, inquit, quod Septuaginta, Aquila, & Symmachus tranſtulerunt, Theodotio ipſum verbũ Hebraicum poſuit Tau, quæ extrema eſt apud Hebræos viginti & duarum litterarũ; vt perfectam in viris gementibus & dolentibus ſcientiam demonſtraret: ſiue, vt Hebræi autumant, quia Lex apud eos appellatur תורה, quæ hac in principio nominis ſui littera ſcribitur: illi hoc accepere ſignaculum, qui Legis præcepta compleuerant. Et, vt ad noſtra veniamus, in antiquis Hebæorum litteris quibus vſque hodiẽ vtuntur Samaritani, extrema Tau littera crucis habet ſimilitudinẽ, quæ in Chriſtianorũ frõtibus pingitur, & frequẽti manus inſcriptione ſignatur. Hæc D. Hieronymus. Verùm vt propiùs antiquitatis penetralia luſtremus, videamus ecquis alius ad Tau intelligendũ iter prẽmõſtret: ac primũ quidẽ Auſonium cerno, alterius illuſtrioris vatis ductũ nobis occinentẽ ad hunc modũ:

Tau pro ſigno apud Hebræos vſurpatum.

Tau, crucis figura à Samaritanis pingitur.

Dic quid ſignificent catalecta Maronis; in his Al
Celtarum poſuit, ſequitur non lucidius Tau.

Virgilij verſus quorum hîc mentio de Al, non exſtant; at quos difficiles reddidit Tau Gallici mentione, ſic legimus:

Corinthiorum amator iſte verborum,
Iſte, iſte Rhetor; namque quatenus totus
Thucydides Tyrannus Atticæ febris
Tau Gallicum ſpinæ ipſe malè illiſit,
Iſta omnia iſta verba miſcuit fratri.

Tau Gallicũ apud Virgilium.

In his licet Auſonius obſcuritatem accuſet, nobis tamen luculenta ſunt indicia, manifeſtò omnem demonſtratura veritatẽ, tum ex Gallica lingua, tum ex Luciani oratione, qua Sigma huic noſtro Tau grauem dicam impingit; & poſt alia crimina & conuicia ſic accuſationem abſoluit, vt Tau dicat non ſono modò ſuo iniurium hominibus eſſe, verumetiam mortaliũ genus grauiſſimis lædere tormentis; atq. idcirco homines frequẽter lamentari, & Cadmum exſecrare, quòd Tau in elementorũ numerũ cooptaſſet. Aiunt enim Tyrannos huius corporis lineamenta ſecutos & formam eius imitatos, ligna tali figura fabricari, vt iis homines affigãt, & crucifixos in ſublime tollant; atq inde factũ eſſe, vt ab hoc mala & triſtis machina & peſſimum inſtrumentum nomenclaturam ſortiatur. Quamobrem ſic concludit ſententiam ſuam, ſibi videri ipſum Tau ad illud ſupplicium condemnandũ, quod in ipſius figura ſubitur; quoniam & ipſum fecerit de hac ſua forma crucem; & homines crucẽ inde Tau vocarent; atq. ita æquiſſimum eſſe, vt ipſum inuento ſuo peſſimũ peſſimo ſcelerũ ſuorum luat pœnas: haud ſecus atq. olim Perillus & Phalaris tauri ſui ignes iuſtiſſimè pertulerunt. Atq hæc quidem eſt ſententia tenus ipſius Sigma contra Tau accuſationis concluſio; quam ex ipſo licet Luciano petat, qui nobis minus fidet. Ego certè ex iniquiſſimo Chriſtiani nominis hoſte & cane impudentiſſimo, cõtra Chriſtũ inani latratu ſæuiente, hoc mihi lucri feci, vt nec de crucis poſthac figura, nec de ipſo Tau in Chriſtianorum frontibus de antiqui oraculi memoria, quod Verbũ incarnatũ impleuit, ſignari conſueto, amplius dubitare quiſpiam poſſit. Verùm cur Virgilius crucem Gallicũ potius Tau, quàm vel Græcũ vel Hebraicũ vocauit? Sæ-

Sigma aduerſus Tau accuſatio apud Lucianum.

penumerò de hoc poëta dubitandi occaſio oblata eſt, an non fuerit Gallici ſermonis peritus, cùm Gallus fuerit natione. Vtut tamē id habet, hoc ſaltem pro certo mihi ſemper putaui tenendum, maiorem in Marone quàm in vllo alio Latino ſcriptore cognitionem fuiſſe rerum vetuſtiſſimarū: nec id ſanè mirandū, cùm non ſolùm ea perquiſiuerit quæ vel Græci vel Latini auctores de ſapientiæ & antiquitatis ſtudiis memoriæ prodiderūt; ſed ad illa etiam ſacraria penetrarit, ad quæ non quibuſuis, ſed iis dumtaxat qui ſollemni ad id ritu electi eſſent, licuit adire. Nec ſatis ipſi fuit ad hæc adyta irrepſiſſe, ſed quæ furtim ex Sibyllæ foliis ſuppilauit, ea palàm carmine ſuo in vulgus prodidit, vt cùm ego alibi, tum Euſebius in Conſtantini vita ſatis declarauit. Sic igitur exiſtimo, Maroni alicunde ſuboleuiſſe, vel etiam à quopiam Druida indicatū fuiſſe, apud Gallos prius quàm apud Græcos eas litterarum figuras, eaque figurarum nomina, in quibus Tau eſt, fuiſſe in vſu; atq. idcirco crucem Tau Gallicum vocaſſe; tametſi & ſupplicij genus idem, & eádem elementi tum nomenclatura, tum figura eodem tempore Græcis fuerit nota, & in Alphabeto ipſis pueris à teneris vnguiculis iam olim ſemper ab omni vel Græcorum vel Latinorū memoria inculcari conſueta. Crediderim item Auſonium non tam dubitaſſe, quid Tau Gallicū eſſet, quàm cur Gallicum à poëta fuiſſet nuncupatum. Meritò itaq. videatur dixiſſe, parum lucis Virgiliū in Tau Gallico ad poſteros tranſmiſiſſe, licet res quam ſic vocaſſet, plurimis maiorem ſui, quàm bono ipſorū fieri poſſet, daret cognitionē. Poſſumus itaq. dicere, Tau Gallicū à Virgilio Gallo vocatū, vt priſcam litterarū inuentionem veteribus Gallis, qui cum Iano auo ſuo in Iapygiam primi mortalium appulerunt, vindicaret. Verùm quamuis hæc coniectura non leui ratione niti videatur, & reuera cum priſca cōſentiat hiſtoria, quam nos è Boccho, Plinio, aliis in lucem eruimus; maius tamen myſteriū ſub hoc cognomine latêre cerno. Neq. verò ſolum Tau Gallicū iuxta illam ſententiam, ſed quæuis aliæ litteræ Gallicæ poterant vocari. Quid enim vetat, quò minus Aleph quoq. & Beth Gallicū nominetur, quando & hæc elementa & figura & nomine tenus Gallicæ ſunt inuentionis? Aperiam itaq. rationē, qua ſolum Tau Gallicum vocari mereatur; tametſi ceteræ quoque litteræ à Gallis ad ceteros mortales tranſiuerint. Gallos dici populos placētes, in Gallicis latè fuſeq. demōſtraui. Atqui nihil eſt aliud quod omnes mortales Deo reddit placentes, quàm vnicū Tau: quo fit, vt Gallicum ſuo iure dicatur, nec vllū aliud ſignū in cognominis admittat communionē. Admirandus fuit Virgilius ſacrorū perſcrutator, & idcirco plurima in lucē protulit ex ipſis adytis oraculorū; inter quæ & hoc vel primariū habebo: & id quidem eo magis, quòd è Gallicæ religionis arcanis videatur profectū. Inſigne profectò ipſius Tau præconiū poëta indicauit, & dignū quod omnium ore celebretur. Nos interim ſedulò annitamur, vt crucis præſidio gratus Deo populus ſimus. Sed quoniā hæc clariora ex iis quæ mox addentur, fient, ad hieroglyphicū ipſius Tau properemus explicatū. Tantā profectò dignitatem maieſtatemq. hîc cerno, vt imbecilles obtuſæ mentis meæ oculos immenſa ſua luce perſtringat, & neſcio quomodo tenebris inuoluat; adeò, vt haud ſciam vnde mihi tam auguſti ſpectaculi narratio ſit exordiēda. Tau id Cimbris notat (vt obiter quæ alibi docui in memoriā reuocem) quod ad tenendū quippiam eſt accōmodatum, ceu Tehau, quod eſt ad retinendū, diceretur. Hinc vt nobis pro fune vſurpatur, ita priſcis pro cruce fuit in vſu, eo quòd inſtrumentū eſſet, cui firmiſſimo nexu cōdemnati affigebantur, tantiſper retinendi, dū ſupremū ſpiritū efflarent. Quòd ſi vocē ordine verſo legas, Vat habebis, quod idē eſt quod apprehende: quo monemur, vt crucē apprehendamus velut ſacram quandā ancoram, qua aduerſus omnes tempeſtates atq. procellas ſeruemur. Hoc præceptū in ſacris Ægyptiorum figuris cuiuis licet intueri; in quibus cernitur, diligenter ipſum Tau apprehendi atque retineri, velut amuletum quoddam omnium malorum. Neque verò in ænea tantùm hieroglyphicorū tabula incomparabili ſacroſanctæ antiquitatis monumento Tau cum anſa, qua teneatur, cernitur; ſed in plurimis etiam aliis vetuſtiſſimis Ægyptiorum lapidibus, Romam olim tranſportatis, inuenitur. Et ne longo labore antiquitatum ſtudioſos fatigem, ad Capitolium rectum iter tenere iubeo, in quo mox obuiam habebunt Sphingem vittatam è duriſſimo baſalte molliſſimè expreſſam, cuius ſedes ex eodem marmore efficta, in limbo litteras ſacras Ægyptias complectitur, inter quas confeſtim ab initio Tau cum anſa exſculptū ſpectatur: quod deinde ſæpius clariſſimis lineis repetitum eſt. In obeliſco item qui eſt ad portam Collinam,

Virgilius vetuſtatis & arcanorum ſacrorum peritiſſimus.

Tau cur à Virgilio Gallicum cognominatum.

Tau homines placentes Deo reddit.

Tau vocis ſignificatio.

Tau.
Vat.

Tau in vetuſtis monumētis frequētia.

excíſam manum videas, quæ Tau funiculo ſiue anſa comprehenſum tenet: & quò clarè perſpicias, anſam ad partes Tau non pertinere, animaduertas in eadem ſaxea mole Tau etiam citra anſam effictum. Liquet itaque, quàm priſcæ hæ ſcalpturæ in Ogenis antiquiſſimorum monumentis deprehẽſæ adamuſſim linguæ Cimmeriorum reſpondeant. Ichnea vox eſt Tau, cõuerſione clarè demonſtrans, omnibus hanc figurã eſſe apprehendendam, vti apprehenſa videtur in vetuſtiſſimis Ægyptiorũ monumentis. Sed quid? nũ crux ſeruorũ ſupplicium & funeſtũ corporis vinculum tanti faciendum, vt illius imaginem manibus gerere debeamus? Certe ſi de vulgari Gallorum Tau agatur, nihil minus optandũ, quàm infamem hanc & abominandam notam præferre. Furciferos quis non legit apud Latinos? Quis non nouit deſpuendũ hoc nomen? quis neſcit nullum mortis genus apud Romanos olim aut crudelius aut turpius fuiſſe, quàm cruci affigi? Quid ergo ſibi voluit nomenclator, cùm vocem Tau ſic compoſuit, vt verſa moneremur, ipſum Tau eſſe apprehendendũ? Singulare nempe quiddam fuit quod deſignauit, & minimè ad quamuis crucem referendũ. Quid furum, latronũ, aliorumq. ſceleſtiſſimorum tormenta ad ſacras faciunt ſcalpturas, quid cõmune habent cum arcanis ſacrorũ myſteriis? Nihil ſanè: & quia res ita eſt, neceſſariò cogitandũ, aliud quiddã in hac imagine latêre, cuius gratia & ipſum Tau hanc acceperit nomenclaturam, & hos in ſacris litteris honores: quod vt magis perſpiciatur, priùs explicandũ, quid crux ſignificet, & vnde nomen ſumſerit; quo expoſito, confeſtim ſe cauſa prodet totius venerationis ipſi Tau attributæ.

Crucis apud Romanos ignominia.

Tau vnde hanc nomenclaturam acceperit.

Cur ritum ſacrũ notare alibi docui, à verbo Ceur, quod eſt deligere; propterea quòd maximus delectus habendus ſit in omni diuino cultu peragendo. Eſt autẽ vox hæc magno deſiderio ipſum perfectũ implorantis propria, vt in Hermathena oſtendi. Cùm ergo in omni electione mens noſtra ingenti impulſu ad id quod perfectiſſimũ eſt, tum verò maximè in ritibus & cærimoniis ferri debet. A Ceur, quod alij Coer pronunciant, citra notationis diſcrimen, cærimoniarũ nomen deriuatur; velut ſi quis Coer-man diceret; quod nihil aliud eſt quàm, moneo vt ipſi ſummo & perfectiſſimo arctiſſimè hæreas. Cur itaq. longè aliud nobis quàm Latinis denotat. à quo vocabulo Curam illi quidẽ acceperunt, ſed ſignificatu multo latiùs patẽte; ad omnẽ videlicet ſollicitudinem. A Cur Curetes dicti, capita nimirũ & principes cærimoniarũ, quos hactenus noſtrates Aduatici Cureiten vocant: à qua item voce Cimmeria Curati, populi paſtores dicuntur; minimè quòd, vt prima fronte videtur, ſint bene curati. Verùm ne fruſtra hic repetam quod in Hermathena explicatũ, ſatis ſit hæc in mẽtem reuocaſſe. Iam ſi Cur per litterarũ veſtigia retrò legas, inuenies Ruc; quo ſignificatur, vehementer & valido impetu traho; quod propriũ eſt rituum ſacrorũ munus. Quæcumq. enim in ſacris fiunt, eò tendunt, vt animos noſtros pertrahant ad ipſum diuinũ auxilium totis viribus implorandum. Fruſtra canitur, fruſtra candida veſtimenta induuntur, fruſtra aqua ſpargitur, fruſtra cruces ſignantur, fruſtra genua flectuntur, brachia fruſtra in altum leuãtur, niſi mens noſtra horũ monitu tota ad Deum rapiatur. Vide quò nos vocet vocula Cur, quamque egregiè exponat omnem proprium cærimoniarũ vſum, qui totus in eo eſt, vt valido ductu rerũ externarum ad ſupremam perfectionem pertrahamur. Quemadmodũ autem ex Car & Rac, Carc compoſitum, Amazonica noſtra demonſtrant; ita ex Cur & Ruc prorſa & verſa vocibus, admirabile componitur nomen per cõciſionem, quod Cruc effertur; tamquam Cur ruc diceretur, pro eo quod cærimonias & ſacros ritus omnes, vt etymologia dictat, ad ſe trahit. Cruc nobis in frequentiſſimo vſu eſt, pro ſcipione eo qui ſuperna ſui parte tranſuerſario ligno terminatur; quod axillis ſubiectum, homines vel claudos, vel pedibus imbecilles ſuſtentat, ne collabantur. Verùm quid huic ſcipioni cum ritibus ſacris, vt hos ad ſe trahere meritò dicatur? quaſi verò ægroti caducique hominis baculus primas teneat cærimoniarũ. Sunt hæc prorſus abſurda, non dictu modò, ſed etiam cogitatu; cùm ea quæ manca ſunt & mutila, à diuinorũ perfectione longiſſimè ſint remota.

Cur. Ceur.

Cærimoniæ etymon.

Cura, Curetes, Curati, vnde nomenclaturam habeant.

Cureiten. Cur. Ruc.

Cærimoniarum propriꝰ vſus.


Crucis etymon. Cruc.

Vt enim externa ſacra prætereamus, in quibus ne verbum quidem mali ominis ferebatur, tantum abeſt vt ad claudorum columen cuncta fuerint relata, videamus quid Moſaicæ habuerint cærimoniæ, in quibus hæc leguntur: *Locutusq́ eſt Dominus ad Moſen, dicens: Loquere ad Aaron, Homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius; ſi cæcus fuerit, ſi claudus; ſi vel paruo vel grandi, vel torto naſo; ſi fracto pede, ſi manu; ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo;*

Sacrificiorum miniſtri quã debuerint eſſe integri & omnibus numeris perfecti.

in oculo; ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, vel hernioſus: Omnis qui habuerit maculam de ſemine Aaron ſacerdotis, non accedet offerre hoſtias Domino, nec panes Deo ſuo. Hæc & id genus complura in ſacrorum rituum delineatione inuenimus, è quibus quid efficiatur, quis non cernit? Qua ergo ratione dici poteſt, omnes ſacros ritus ad Crux tamquam ad ſummum faſtigium trahi, ſi claudos Deus à ſacrificio ſuo prorſus excludat, ne dum ſcipionem claudicantium pro ſcopo voluerit cærimoniarum collocari? Quid ergo? non credemus nomenclatori? non credemus ſacris Ægyptiorum litteris? dicemus vanas eſſe hieroglyphicas notas? Abſit omen. Propiùs igitur inſpiciamus figuram ipſius Tau, quò intelligatur non aliter olim apud primos litterarum pictores hoc elementū ſcribi ſolere. D. Hieronymum hîc cogimur laudare; cuius verba modò citata apertè teſtificantur, Tau in vetuſtis litteris quibus Samaritani tū temporis adhuc vtebātur, crucis figurā habere: cuius teſtimonij grauitate ſumpta, vlterius de crucis figura quærendū.

Crucis figura.



Hanc facit antenna è malo ad angulos rectos ſuſpēſa; facit & auiū volatus alas extendentiū; natatus itē hominis, cuius brachia trāſuerſariū crucis ſignū imitantur, ſi eidem auctori credimus. Eſt apud Suidam, crucem eſſe ligna ad rectos angulos deuincta atq. cōnexa: quo loco memoriæ proditum, dum Theodoſij principatu tēpla gentiliū euerterentur, in Serapidis fano hieroglyphicas litteras inuentas fuiſſe, in quibus crucis figura cerneretur; quā hieroglyphicorū periti dicerent futuræ vitæ habere notationem: quæ ipſorum opinio à primis hieroglyphicorum magiſtris ad poſteros deriuata, perſpicuum reddit oraculū apud eos fuiſſe, tempus tandem fore, quo per hanc figuram vita mortalibus daretur. Nobis de vocis ſignificatu clarum eſt, omnes cærimonias ad crucem trahi, & in ea ſummum myſteriorum contineri. Bene tamen cecidit, id Theodoſij principatu annotatum proditumq. litteris fuiſſe, quo ex eo clariùs euadat, nos non primos eſſe eorum qui apud Ægyptios crucis ſignū inter hieroglyphica reperierunt, tametſi primus nominis Latini inuenerim rationem; quæ figuram crucis hanc, quam D. Hieronymus ceteriq. deſcribunt, omnino confirmat. Nos enim pro ſcipione cū ligno tranſuerſario alas ſuſtinēte Crux dicimus, à quo crux-ops, & per cōciſionē Crups, id notat quod fulcri eiuſmodi imaginē præfert: vnde Latinis quoq. Crux dicitur, natalibus & nominis ratione prorſus ignota. Differt itaque Crups à Crux, q. in Crux pro ſcipione axillas fulciente ſupernè nullus exſtet index, in cruce verò ſuperiùs id exeat quod rectos angulos æquè ſuperiùs faciat atque baculus cum tranſuerſario ex parte inferiore. Rectiſſimè ſanè nobis Crups dicitur, eo quòd hæc figura ſit verè cruxops, id eſt, demonſtrans ſuſtentaculum & fulcimentum collapſi generis humani: qua de re perſpicuum fit, hanc vocem Crux ſic à nomenclatore factam, vt primùm ſummo ſuſtentaculo conueniret; quo humanum genus ſe totum debet ſuſpendere atque ſuſtinere, eoque meritò hoc fulcrum ab omnibus ritibus ad ſe pertrahendis nuncupatur; cùm nullum fuerit apud antiquos legitimum ſacrificium, quod non ad victimam in cruce immolandam referretur, & ex ea quicquid virium haberet, nanciſceretur.

Crucis figura hieroglyphica in Serapidis templo euerſo reperta.

Crux vocis compoſitio. Cruxops. Crups.

Crux & Crups quo diſtinguantur.

Cùm

Cùm ergo **Tau** & **Cruc** eandem ſignent figuram, fueritq. ea integra apud Samaritanos conſeruata, cernamusque in Ægyptiis figuris eandem prorſus notam manibus apprehenſam atque detentam; quid eſt cur amplius ſit hæſitandum, & **Tau** & **Cruc**, vnde Crux, noſtratia eſſe vocabula, & eam notare figuram, licet diuerſa ratione, qua Græcorum & Latinorum Tau hactenus pingi videmus; quæ ad vnguem quadrat cum eo fulcro quo claudicantes & infirmi ſeſe ſuſtentant? Apprehendamus ergo pro eo ac nomen monet, & hieroglyphicæ figuræ demonſtrant, ipſum Tau; non illud quidem quo corpus hoc fulciamus, ſed quo mentem à caſu leuemus, & nos tandem totos corpore & animo cælo inferamus. Amplectamur ipſum firmo funiculo, quò ex eo ſalus noſtra perinde atque è ſacra ancora tota pendeat: Faciamus, inquam, vt quod dicitur, verum nobis ſit Tau, id eſt quod nos ſeruet: at ſeruare non poteſt, niſi apprehendatur, & firma mentis manu retineatur, haud ſecus atque hieroglyphicæ imagines nobis demonſtrant; in hoc prorſus cum voce Cimmeria conſentientes, quæ verſa veſtigiis ſuis eodem deducit. Caſtoris & Pollucis fabulam, ad D. Ioannem Baptiſtam & Chriſtum referri, alibi indicatum: hîc addendum, apud Lacedæmonios ſimulacra eorum δόκανα fuiſſe, teſte Plutarcho in libello περὶ φιλαδελφίας, quæ fuerint duo ligna parallela, duobus aliis lignis parallelis ad angulos rectos annexa: qua figura quatuor cruces coniunctas videmus, ita vt interna parte quatuor anguli ſint: exteriùs duodecim in omnem mundi partem porrigantur. quæ ſi ad numeros Cimbricos examinentur, quaternarius ignem primùm denotans, primamque pyramidem conſtituens, vitam intra Tau ſiue cruces collocatam deſignat, & vnà ex ignis natura ad ardentiſſimi & flamantis amoris cogitationem deducit, quo Chriſtus verus Pollux fratrem ſuum Caſtorem & omnes homines fratres itidem ſuos ſic amauit, vt vitam ſuam ipſis impenderit: quæ tamen crucibus vndique ſepta nemini prodeſt, niſi per crucem aliquam ad eam peruenerit. Iam duodecim externi anguli geminam vitam nobis per crucem dari declarant. Vltra enim illam vitam quam Adamo in paradiſo Deus dedit, perfectior quædam vita homini per Chriſti ardentiſſimum amorem comparatur. Sed hæc vt ad numeros Cimbricos & prima eorum nomina relata, ſatis ſunt manifeſta, ita neſcio an ab iis qui in illis non ſunt exercitati, intelligi poſſint. Miror interim cuius indicio Plutarchus ad amorem fraternum hæc ligna ita collocata pertinere intellexerit: certè maximus amor & omnium flamantiſſimus, & qui ſolus fratribus vitam dat ſempiternam, hoc ſymbolo denotatur; ſimul inſtrumento etiam expreſſo, per quod amoris ignis vitam operatur. Duodenarius Herculi ab omni antiquitate ſacer habitus, geminæ noſtrates vitæ, dum **Twaleuen** vocatur, commonefacit, quam ſolus Hercules omnium monſtrorum domitor per crucis clauam mortalibus conceſſit. Quaternarius autem tam clarè nobis ignem pyramide ſua deſignat, vt eodem nomine ignis & quaternarius apud Cimbros nuncupetur, admirabili profectò numeri ſymboli naturæ, & eorum quæ naturæ fines egrediuntur, cõſenſione. Quatuor itaque internis angulis numerus ille indicatur; qui ſi corporatus intelligatur, vt in hominum carne conſtantium ſalute intelligẽdus eſt, primam nobis pyramidem oſtendit, verum veræ vitæ ſymbolum; vt ex iis liquere poteſt quæ de metarum ſignificatione à nobis tradita ſunt. Quid? quòd eadem prima pyramis eum nobis offert agnum, qui ceu conus omnis poteſtatis ſupremæ primæque triadis fundamento innixus, viam nobis ad cæleſtem vitam ſtruxit; quique adeò ipſiſſima vita eſt, ſpiritu ſuo vitam omnibus ſuis præbens? Iam ſi quatuor pyramidis primæ ſuperficies in plano ſic extendas, vt ſe omnes in cono tangant, & è cono cathetis lineis ad rectos angulos demiſſis plana ſeces, quatuor Tau videbis vni puncto inſiſtentia, & quatuor catheti ad rectos angulos coëuntes crucẽ conſtituent, ex omni parte Tau oculis offerentem. Rurſus ſi ternarius prima figura omnium figurarum, ipſam triadem oculis quodam modo ſubiiciens, corpus fiat, pyramis exiſtit: in quo quis tam hebetem habet mentis aciem, vt non quandam verbi ter maximi incarnati ſimilitudinem agnoſcat? Noſtræ linguæ architectus horum numerorum ternarij & quaternarij naturam & cognationem ad ſymbolicam accommodans rationem, ſic duo vocabula conſtruxit, vt in iis litteræ hos nobis numeros proponerent conſiderandos. Dei enim nomen, quod eſt **Got**, trilitterum fecit: Verbum autem quod corpus aſſumpſit, **Woꝛt** nominauit, quatuor litteris primum corpus imitatus. Sed de maximis horum nominũ myſteriis vt non pauca à nobis alibi perſcripta ſunt; ita nullus

Caſtoris & Pollucis fabula, & eorũ ſimulacra apud Lacedæmonios δόκανα explicantur.

Duodenarius Herculi ſacer.

Quaternarius ignis ſymbolum.

Got.

Woꝛt.

ingenij,

ingenij, quamuis magni, captus ſatis multa, ſatis ardua, ſatis diuina cogitare poſſit. Quoniam verò ternarius, dum diſtinguendæ in diuinis hypoſtaſeon diuerſitati numeri applicantur, Spiritus ſancti teſſeram gerit, ſtupendus quidam arcanorum abyſſus aperitur, dum hac ratione ternarius quaternario comparatur. Quemadmodum enim (ſi diuinis myſteriis humanas cogitationes applicare fas eſt) è ternario ſuperficiem metiente, exiſtit meta quaternario deſignata, quæ omnium corporum primas tenet; ita de Spiritu ſancto natus eſt agnus, multo magis inter omnia corpora & cæleſtia & terreſtria primogenio ſibi iure vindicans principatum. Quòd ſi deinde ternarium in quaternarium ducas, duodenarius exiſtit, numerus verè Herculanus; vtpote totam rerum vniuerſitatem, quam duodenarius itidem deſignat, ab omnibus monſtris & ab omni vitio purgans: atque hac ratione mundo, qui totus vitium fecerat, geminæ vitæ auctor; illius nimirum, quam primum peccatum inquinauerat; & huius, quam agnus non purgauit tantùm, ſed multò etiam quàm ante peccatum primum fuiſſet, reddidit perfectiorem ac diuiniorem. Duodenarius ergo è ternario in quaternarium ducto exiſtens, duplicis vitæ generationem repræſentat, & totam totius vniuerſitatis abſoluit perfectionem atque integritatem; nomen apud noſtrates inde ſortitus. Huius rei cùm Pythagorici tenuem fortaſſis aliquam famam vel in Ægypto à ſacerdotibus Phrygij ſermonis peritis, vel ab Abari hyperboreo accepiſſent, mirum in modum ſeſe in numeris exercuerunt: & cùm vitæ generationem iis contineri audiiſſent, animam è numeris crearunt; quòd ab ea videlicet omnem vitam procedere exiſtimarent; nihil interim minùs cogitantes, quàm de iis quæ ad veram vitam pertinerent, quo omnia duodecim numerorum arcana, duodecim diuerſis Cimmeriæ linguæ nominibus denotata referre oportuiſſet. Omnem ergo operam ſuam & omne oleum perdiderunt, dum humani ingenij, non Spiritus ſancti, ductu in numeris ea quærebant, quæ ad totius vniuerſitatis tum generationem, tum regenerationem ſpectant. Atque hæc quidem de Docanorum apud Spartanos ſimulacro, quo fraternus Caſtoris & Pollucis amor, teſte Plutarcho, denotabatur; tametſi nec hic auctor, nec quiſquam poſt Cimmerios illos antiquiſſimos intellexerit, qui Dioſcori ſint; quis ille eſſet amor, quo mortuo fratri vita data; quid ſibi Docana vellent, cur è quatuor angulis duodecim exteriùs producerentur. Totam vetuſtiſſimorum ſapientiam numeris duodecim & eorum inter ſe collatione comprehendi, tam vellem doctiſſimos quoſque ſcire, quàm clara eius in Teutonicis numerorum nominibus indicia cernuntur. Verùm qui ſic de numeris egerunt, quaſi in cauſſarum efficientium aut formantium rationes continerentur, longiſſimè à veterum ſententia aberrarunt. Nec equidem tam malè vel de Pythagora, vel de Empedocle, vel de Platone ſentiendum mihi reor, quàm Ariſtoteles eos ſiniſtrè interpretatur, ſophiſticis quibuſdam elenchis nuda ipſorum verba, non ſenſa inſectatus; quo nempe maiorum ſcriptis inuidè apud imperitos eleuatis, ſua ſolius in manibus hominum verſarentur. Neque enim numeros rerum cauſſas priſci putauerunt, ſed notas cauſſarum, & eorum quæ ab illis efficiuntur ordinem naturæ ratione præditæ indicantes. Quamobrem diligentiſſimè in his notis homini verſandum, quarum principia menti ab ipſo opifice inditæ ſunt ad omnem rerum inter ſe ordinem ac cognationem diſtinguendam: quas primi parentes noſtri acutiſſimè intuentes, nomina illa fecerunt, quorum monitu eorum ſignificatio accuratè contemplantibus aperiretur. Niſi ergo deuij à naturæ ductu ferri velimus, totam mentis aciem ad numeros intuendos conuertamus, & in iis illa maximè conſideremus, quæ ſola ſunt homini ad ſalutem neceſſaria; quando impium eſt cogitare, hæc non primùm à Deo menti per hæc innata ſigna, aliqua ſaltem tenus, fuiſſe indicata. Sed de his ſuo loco latiùs: in quo rurſus fortaſſe de Docanis erit agendum. Quî verò hæc figura à ſolis Cimmeriis intelligenda ad Spartanos venerit, admiratione dignum videtur; ſed ea tolletur, ſi ex Amazonicis meis cognoſcatur, ipſum Spartanorum nomen, quod Phiditia interpretantur, à Cimbris ipſi genti poſitum principiò fuiſſe. Nunc itaque vidimus, quo ſimulacrum illud è quatuor trabibus contextum, & multa ſimul Tau è quatuor angulis prodeuntia ante oculos ponens, oporteat referre; & quàm inſignia myſteria rudis hæc, qualis prima fronte videri non iniuria queat, figura deſignet. Haud facilè verbis conſequar, quàm Plutarchi diligentiam & mirer & exoſculer & deamem, cùm de ceteris omnibus antiquitatis monumentis vndique magno ſtudio conquiſitis,

Ternarius Spiritus S. teſſera.

Duodenarius rerum totius vniuerſitatis ſymbolum.

Pythagorici quare ſe in numeris exercuerint.

Ariſtoteles ſiniſtrè veteres philoſophos interpretatus.

Numeros non eſſe rerũ cauſſas, ſed cauſſarum notas indicare.

quiſitis, tum de priſco hoc Philadelphias ſimulacro ad poſteros opportuna cõmemoratione tranſmiſſo. Diuino certè afflatu factum mihi videtur, vt, licet quæ ſacra tractaret ignoraret, amorem fraternum tamen ab ipſa ſumma fraterni amoris idea exordiretur. Supremum enim amoris exemplar eſt, omnem hominis captum infinito ſpatio excedens, quo Verbum carnem aſſumſit, vt frater hominis factus, fratrem ſuum ab æterna morte ſua liberaret: morte, inquam, ſua, non aliqua aut illuſtri aut facili, ſed ea qua nulla vel durior eſſet vel infamior. Quod enim ipſo Tau ignominioſius ſupplicium, ſi non alij eo quàm ſerui conſueuerint necari? Verumenimuerò videor mihi iam mox auditurus, nimis hæc, quæ de Docanis dixi, ſubtiliter eſſe collecta; nec veriſimile eſſe, primos huius ſymboli auctores è quatuor angulis primum corpus intelligi voluiſſe: & ſi id voluiſſent, magnæ eos accuſandos eſſe obſcuritatis. Equidem minimè nego, maxima caligine priſca humanæ ſalutis myſteria tecta fuiſſe; & ea profectò tanta, vt ipſam etiam ſerpentis perſpicaciſſimi effugerint calliditatem, tametſi ſciret caput ſuum ab homine tandem conculcatum iri atque protritum. Quò tamen clariora iis quæ modò expoſuimus, addamus indicia veritatis, breuiter trabalium ſignorum caliginem luculenta vocum earum expoſitione, quibus illi nuncupantur quorum hæc ſimulacra dicuntur, diſcutere nitemur. Caſtoris nomen D. Ioanni Baptiſtæ, cuius aduentus ante multa ſæcula promiſſus fuerat, conuenire, me alibi declaraſſe modò dixi. Idem vt hîc repetam ad lucem obſcuris inferendam, fuerit neceſſe. Ca & Ac contraria eſſe, & illo malum, hoc bonum notari, Hermathena mea de natura litterarum, & conuerſionis Cimmeriis in vocibus vſitatæ analogia demonſtrauit. Stoꝛ & Roeſt eodem modo Teutonicus ſermo per contraria interpretatur: & per priorem quidem vocem idem ſignificat quod Latinus per turbo, & turbor, & in agendi & in patiendi notatione verbum vſurpatur: per poſteriorem verò vocem quieſco & quieti trado deſignat. Nec alia ratione in vſum veniunt, quando vt nomina vſurpantur; vt dum dicimus, De hennen gaen te roeſt/ id eſt, gallinæ ſe conferunt ad quietem. Sed pro Roeſt nunc ferè dicimus Ruſt: quod conuerſum facit Stur. Verùm quamuis Ruſt pro quietis notione vſurpetur, Stur tamen pro guberno dumtaxat vſurpatur; eo nimirum quæſito artificio, vt per conuerſionem intelligeretur, omnem gubernandi rationem ad quietem ceu finem ſibi propoſitum referri. Stur ergo in hac notatione relinquentes, Stoꝛ vocali longa pronuntiamus pro turbo. vnde Ca ſtoꝛ idem eſt quod ipſum malum turbo & è ſede ſua depello. Sic enim vulgo pueri dicunt, De vogelen ſtoꝛen/ pro eo quod Latini dicerent, aues è nidis depellere. Videamus itaque nunc, quàm aptè nomen hoc Caſtoꝛ D. Ioanni Baptiſtæ conueniat, quamque inſigniter partes eius & officium, ad quod diuinitus erat deſtinatus, ante oculos ponat: quod quale fuerit, D. Matthæus Euangeliſta explicat his verbis: *In diebus illis venit Ioannes Baptiſta, prædicans in deſerto Iudææ & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Hic eſt enim qui dictus eſt per Iſaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deſerto; parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.* Hæc ille. è quibus perſpicuum eſt, eum in mundum legatum fuiſſe, vt viam Domino pararet. Qui vias parant, ea omnia tollunt, quæ aditum prohibere poſſunt. Qui ergo Deo viam parare velit, ei neceſſe eſt vt mala omnia, & malorum omnium auctorem diabolum ex animo ſuo depellat. Pellitur autem pœnitentia, qua malum ſemel in mentis ſedem admiſſum odio proſequimur, & exſulio perpetuo condemnamus, quo Deus hoſpitio apud nos excipi dignetur. Cùm enim nemo queat duobus dominis inter ſe hoſtili odio diſſidentibus ſeruire, non poteſt Deo aditus ad nos nec via parata eſſe, niſi draco cum tota ſua ſupellectile & ſarcinis antea exturbetur. Odio igitur mala omnia & omnium malorum patrem perſequamur neceſſe eſt, ſi viam velimus bonorum auctori paratam. Odiſſe autem mala, quibus ſemel fores aperueris & pectoris penetralia reſeraris, & iis renuntiare, nullum hoſpitij locum apud te illis poſthac fore, nihil aliud eſt, quàm pœnitere; & hoc ipſum eſt viam parare. Hinc liquet, nomine Caſtoꝛ ipſius Pœnitentiæ naturam explicari, ad quam prædicandam tota Ioannis Baptiſtæ legatio ſpectabat. Sed non fuerit abs re, ſi monſtremus quàm conueniens Pœnitentiæ vocabulum noſtrates, de quorum ſermone Caſtoris nomen interpretamur, vſurpent. Raw enim nobis pœnitentia eſt: cuius vocis multæ ſunt rationes, diuerſitatem ſuam è varia analyſeos via ſortitæ. Re idem nobis eſt quod paratum. Aw antiquum & venerandum: quod fit, vt Re-aw

Caſtor vocis etymon. — *Ca.* — *Ac.* — *Stoꝛ.* — *Roeſt.* — *Ruſt.* — *Stur.* — *Stoꝛ.* — *Caſtoris nomen D. Ioanni Baptiſtæ optimè conuenire.* — *D. Ioannes Baptiſta cur in mundũ venerit.* — *Pœnitentiæ natura, munus, & effecta.* — *Raw.* — *Re.* — *Aw.*

idem ſit quod venerandus quidam & antiquus præparandi modus. Modus autem omnium antiquiſſimus & maximè venerandus is eſt, quem omnes, qui ſe patri ſuo conciliare volunt, ſequantur neceſſe eſt; vt videlicet ſe malum ante commiſiſſe doleant, & eius doloris patri ſuo certam dent ſignificationem: quæ recta eſt via ad reconciliationem. Quid igitur aliud dicit vocabulum **Raw**/ quàm pœnitentiam eſſe venerabiliſſimam & antiquiſſimam præparationem? Atqui nulla præſtantior præparatio cogitari poteſt, quàm ea qua humanus animus ad Dominum hoſpitio excipiendum præparatur. Quamobrem idem D. Ioannes in deſerto clamat, quod ſermonis noſtri architectus per vocem **Raw** denotauit. Idem intelligas per aliam quoque vocabuli ſolutionem, qua, ceu ex **Re** & **Haw** compoſitum ſit, exponitur pro eo quod Latinus diceret, Paratum ſerua: quod proprium munus eſt pœnitentiæ, quæ cacodæmone & omnibus eius ſarcinis reiectis & expulſis, hoſpitium Domino paratum ſeruat. Porrò ex eadem vocula intelligas, per pœnitentiam iter nobis eſſe ad ipſum antiquiſſimum, quem Daniel antiquum dierum vocauit. R enim littera fluxum & vehementem motum magna linguæ vibratæ celeritate imitatur: cui ſi **Aw**/ quod antiquum ſignificat, iungas, mox intelliges **Raw** celerem motum eſſe ad ipſum antiquum dierum, patrem nempe noſtrum, ad quem per pœnitentiam maximo niſu contendere debemus. Et hæc quidem & alia, quæ breuitatis cauſſa omitto, vocula **Raw** recto litterarum ordine deſignat: verſa verò nobis

War. demonſtrat, cui ſit hoſpitium præparandum. Cùm enim **War** idem ſit quod Verum, per ichnæam intelligendarum vocum viam deprehendimus, nos paratos eſſe per pœnitentiam ad Verum ipſum ſuſcipiendum: quo ſimul & Chriſtus: & cæleſte eius regnum continetur. Quemadmodum itaque D. Ioannes dixit. *Parate vias Domini, quia appropinquat regnum cælorum*; ita in noſtrati nomenclatura intelligimus, pœnitentiæ Chriſtum & eius regnum tam propinquum eſſe, vt ſolis veſtigiis trium litterarum retrò obſeruatis, ad ipſum monſtretur ingreſſus. Quòd ſi iam vlteriùs quæras, quid ipſum verum tibi ſit præſtiturum, rationem nominis inueſtiges; quæ inuenta, demonſtrabit

Veri præcipuũ donum. ipſius Veri proprium eſſe ac præcipuum donum, vt eum quem ſua præſentia fuerit dignatum, ab omni malorum genere ſecurum tutumque ſeruet: quod **War**/ dum vti verbum vſurpatur, deſignat. Habemus itaque in noſtrati Pœnitentiæ nomine, pœnitentiam eſſe excellentiſſimam præparationem; quam nemo poteſt ab ea præparatione ſeparare, quam diuus Ioannes in deſerto prædicauit: Habemus, hac præparatione ad antiquum dierum acceſſum patere: qua in re vltimus totius paraſceues finis continetur. Mox inde ſi vocem retrò legamus, videbimus quàm propinqui ſimus Veritati, quæ regnum cælorum ſola moderatur ac gubernat: tandem ex eadem verſa vocula ad originem ducta cernemus, omnem cuſtodiam noſtri à Veritate proficiſci: quæ omnia quàm cum Caſtoris nomine quadrent, quod omnis mali ſignificat depulſorem, quis eſt tam hebes vt non intelligat? Nunc igitur ad Pollucem tranſeat oratio. Frequens

V Cimmeriũ Latini & Græci in P frequenter conuertunt. Pollucis etymon. eſt Græcis & Latinis, vt V digamma in Cimmeriis vocibus repertum in P commutent: qua via è **Voet**/ illi ϖόδα, hi pedem fecerunt: è **Vroom** illi probum, Herodotus πύρωμον: è **Viſch** Latini piſcem: è **Vinnen** pinnas in piſce dixerunt. Quod noſtris **Vater** eſt, Græcis ϖατὴρ, Latinis pater. Eodem modo ex **Vol-lucs**/ Pollux nomen accepit; quod Romani fidelius quàm Græci conſeruarunt. Et eſt alioqui V conſonans leui diſcrimine à P adſpirato ſeiuncta: ita vt ſi quis noſtratibus ſcriberet **Phol-lucs** / non aliud notare di-

Pollucis nomẽ Chriſto optimè conuenire. ceretur, quàm ſi **Vol-lucs** pinxiſſet. Eſt autem **Vol-lucs** non aliud apud Cimmerios, quàm apud Latinos plenum felicitatis, diuinitùs homini citra meritum aut prudentiam ſuam oblatæ. Quis verò eſt inter omnes eos qui ſunt è mortalibus feminis in lucem editi, cui potiùs hæc conueniat nomenclatura, quàm ipſi Chriſto; qui ſolus & ipſe plenus eſt gratiæ & veritatis, & ſolus omnes homines plenos reddit integræ felicitatis, iuxta illud: *De plenitudine eius accepimus omnes?*

Luc. Eſt quiſquam mortalium qui aptius nomen Chriſto queat comminiſci? Cùm enim **Luc** illa felicitas vocetur, quæ diuinitùs hominibus affluit, omniſque homini felicitas per ſolum Chriſtum à Patre pleno copiæ cornu affundatur, profectò nihil veritati congruentius, nihil ad hominum vota, plenum ſibi gaudium optantium, exprimenda ſignificantius, quàm ſi eum à quo hoc nobis dari cupimus, à proſperitatis felicitatiſque plenitudine nominemus. Nec magni refert, plenum'ne Pollucem felicitatis, an felicitatem

tatem omnia plena reddentem, an plenam felicitatem interpretemur; quando omnia hæc & ex eodem nomine intelligi poſſunt, & æquè Chriſto conuenire cernuntur, qui non modò plenus eſt omnis felicitatis, ſed ipſa etiam plena felicitas, omnia plenitudine ſua complens. Quoniam modò perſpicuum eſt, nihil ſacris litteris magis conſonare, quàm eum qui viam Domino præparauit, Caſtorem; & eum qui felicitatem omnem abſoluit & explet, Pollucem indigetari; non poſſum committere, vt non & fabulam Caſtorum leuiter attingam; quam licet alij aliter tradiderint, doctiſſimi tamen quique poëtarum in eo concordarunt, quòd alter mortalis de mortali patre genitus, alter immortalis ſit ex ipſo Ioue natus; & quòd hic illi immortalitatem communicarit. Fuerunt qui Geminorum ſidus his nominibus deſignari putarent; cui tamen illa ortus & occaſus viciſſitudo, quam plerique ſomniarunt, nullo modo quadrat. Homerus ἑτερημέρους eos vocans Virgilio præiuit canenti:

Caſtorum fabula explicata.

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itq; reditque viam toties.

Verùm hoc commentum nulla ratione vel cum Geminis, vel vlla omnino Theologia conuenit; originem tamen inde accepit, quòd ab antiquiſſimis Orphicis accepiſſent, Pollucem Caſtori mortuo vitam reddidiſſe; & vt vitam redderet fratri, ipſum mortem oppetiuiſſe, ac ambos deinde à morte liberatos ad cælum ſubuolaſſe. Caſtor enim priùs ab Herode occidi iuſſus, ad inferorum limbum deſcendit, quem Chriſtus crucifixus & ad inferos poſt mortem deſcendens, in cælum tranſtulit, ac ſempiterno immortalis vitæ gaudio beauit. Dioſcori dicti ſunt, quòd Iouis filij eſſent, alter gratia, alter natura, & eodem modo gemelli vocati. Alter enim natura Zachariæ filius, Chriſti per Dei gratiam frater adoptiuus: quo fit, vt non ſine graui cauſſa Ioannes, id eſt, Iouis gratia vocaretur. Quòd autem dicantur homines è maris ventorumque procellis liberare, id mirum non videbitur ei qui intelligat hunc mundum non aliud eſſe, quàm vaſtum pelagus perpetuis tempeſtatibus exagitatum; in quo Caſtoris & Pollucis præſidio tuti erimus, ſi illius monitu atque demonſtratione intelligamus, atque viua fide credamus, hunc eſſe agnum Dei qui tollit peccata mundi. Quamobrem rectiſſimè Soteres ſiue Seruatores ſunt indigetati, eo quòd hominum genus ab omni malorum impetu ſeruent; alter quidem ad pœnitentiam hortando; alter omnem labem, omnem vitiorum fœditatem per ſanguinem ſuum eluendo. Hinc ille cecinit, quiſquis fuit, qui ſe Orpheum dixit:

Dioſcori cur dicantur Caſtor & Pollux.

Soteres vnde dicti Caſtor & Pollux.

Καὶ μεγάλους σωτῆρας ὁμοῦ Διὸς ἄφθιτα τέκνα.

Neque porrò citra magnam rationem factum, vt Pollux ſolum Caſtorem dicatur à morte liberaſſe ac vitæ reſtituiſſe, propterea quòd neminem omnino vitæ munere Chriſtus dignetur, niſi is ſe Caſtorem præbuerit, id eſt, niſi claro iudicij actu in conſcientiæ ſuæ foro malum maliq́ue patrem exſulij condemnet, atque ex hoſpitio ſuo exturbet: quod verum eſt pœnitentiæ munus, vt à D. Ioanne prædicatum, ita nomine Caſtoris expreſſum. Adde quòd pileatos in antiquis monumentis plerumque videamus: cuius rei cauſſam, licet alij eam è fabuloſo Ledæ ouo ſorbere malint, hanc fuiſſe videmus, quòd pileus olim libertatis ſignum haberetur. Quando enim in hominum libertate aſſerenda hi tenent primas, meritò libertatis & principis vindictæ ſigno ſunt adornati. Solent & ſtellæ ſiue flammæ ſuperiùs affingi, quibus notabatur, vindictam eam qua homines in libertatem aſſerebant, non ad hanc communem & ciuilem vitam, ſed ad cæleſtem & perennem pertinere. Nec caret item ſuo myſterio, quòd Caſtor equorum domitor, Pollux pugil dicatur. Quid enim indomito pullo ſimilius, quàm animus humanus per omnes perturbationum ac cupiditatum variarum campos effrenato impetu ruens? Rurſus quid hunc promptiùs & efficaciùs domat, quàm malorum depulſor, clamans, *Pœnitentiam agite, & viam Domino parate?* Pœnitentia enim efficit, vt Deus animis noſtris, ceu equis quibuſdam freno obedientibus, vti dignetur; quos alioqui non eſſet adſcenſurus. Sed de his latiùs in Veneticis: quibus ſi illa quæ in Cronijs à me dicta ſunt addantur, ingens lux arcanæ Caſtoris & Pollucis notationi adferetur; & ſimul clariſſimum euadet, ea quæ de Docanis à me dicta ſunt & ad Tau applicata, prorſus conſonare veritati Chriſtianæ. Verumenimuerò non deerit fortaſſe qui dicat, indignum me commentum Ogygia Ægyptiorum antiquitate protrudere, dum

Caſtor & Pollux cur pileati in antiquis monumentis pingantur.

Caſtor eques, Pollux pugil quare fingantur.

Græcorum vel Deos vel heroës heri aut nudiuſtertius è Regis cuiuſpiam filiis poſt mortem cælitum numero ab adulatoribus mendiciſque poëtis adſcriptos, ipſius Tau, inſigni omnium vetuſtiſſimi, inſigniis accommodarim. Huic, quiſquis erit, breuiter reſpondebo, me Ogygia Ogygiis contuliſſe, atque nihilo vetuſtius eſſe Tau, quàm ea quæ de Caſtoribus ſunt relata. Quamuis enim mendax Græcia, & ſemper ab exteris antiquitatis ſuæ petens ornamenta, Caſtores apud ſe natos dicat; atque inde videri queat fabula hæc recens, ſi cum antiquitate Hieroglyphicorum conferatur; docebo tamen

Caſtorũ memoria apud Phœnices clara, iam olim ante Troiam euerſam.

non apud Iones tantùm, ſed apud Phœnices etiam claram ſacroſanctamque Caſtorum memoriam exſtitiſſe; & id quidem eius auctoris teſtificatione, qui omnibus ad vnum Græcis ſcriptoribus tanto eſt antiquior, vt ipſis illis Heroicis, quæ vocant, temporibus floruiſſe dicatur, non paullò ante quàm Troia à Græcis euerteretur. Is eſt Sanchunia-

Sanchuniathon Phœnix, hiſtoricus.

Dioſcuri filij Sedec.

thon Phœnix, qui Philonis Biblij beneficio Græcè loquens, qui eius hiſtoriam è Phœnicum ſermone tranſtulit, dicit Dioſcuros filios eſſe ipſius Sedec: cuius nomen ſi Latinis interpreteris, iuſtum denotabit. Hebræis צדיק vocatur. Viden' modò quiſquis es, qui Dioſcuros Græcorum dumtaxat fabulis celebratos exiſtimas, antiquiſſimam eſſe apud Phœnices etiam horum religionem; & illam ipſorum geneſin exſtare, de qua confeſtim quiuis intelligat, ea quæ de ipſis & ipſorum Docanis dixi, ne ad latum quidem vnguem à veritate receſſiſſe. Deus enim Pater, vt iuſtus & ipſiſſima iuſtitia, volens primorum hominum & omnium ex iis natorum ſcelus expiare, ſuum ipſius filium in hunc mundum miſit, vt homo factus, pœnas lueret humanæ peruerſitatis: & vt agnoſceretur, angelum miſit, qui populo ipſum coram indicaret. Quamobrem non iniuria

Dioſcuri Cabiri dicti.

Phœnices ipſius Iuſti filios, Dioſcuros dixerunt; quia nempe ipſius Dei iuſtitiam exercentis filij eſſent; alter per gratiam adoptiuus, alter etiam ex ipſa natura. Verùm quo apertiùs cernas, omnia inter ſe conuenire; adde & illud, eoſdem Cabiros etiam à Byblio ex auctoritate Sanchuniathonis vocari: qua voce, à Græcis numquam intellecta, illi nominantur, qui malorum ſunt depulſores, quique homines à malis omnibus &

Cabirorum etymon.

eorum patre cacodæmone tuentur. Nam Ca-weren idem eſt, quod defendere à malo, ſiue malum amoliri & arcere; quod noſtratibus notius quàm vt opus ſit maiore explicatu. Litteram autem W nobis peculiarem, Græci in Beta verterunt, quo vocabulum ad ſuam incudem formarent: cuius tamen loco ἀλεξικάκους dicere potuiſſent. Eoſ-

Dioſcuri Corybantes dicti.

Corybantum etymon.

Want.

Trou-wanten.

dem alio nomine, de Cimmeria item lingua petito, Corybantes vocarunt: cuius vocis ea primùm offertur notatio, vt electos ad cuſtodiendum tuendumque apparitores intelligamus, quaſi Cor-hu-wanten audiremus. Want enim idem eſt, ac ſi dicas quemquam à manibus eſſe, non eum quidem adſcribendum, vt conſuetudo tenet Latinorum, ſed ad tuendum: vnde Trou-wanten fidi ſatellites vulgò nominantur; cuius ſignificationis ratio ex Wi-hant cognitu facilis eſt. Dic modò quos magis fidos ſatellites & apparitores inuenturi ſimus, quàm illos, quorum alter manu nobis ſalutis omnis auctorem demonſtrat; alter demonſtratus crucis ſuæ claua nos defendit, & ab omnibus aduerſis tuetur.

Verwant.

Allemani Verwant pro cognato vtuntur, eo quòd cognatorum manibus latè ſe porrigentibus noſtra defendere ſoleamus; & quot cognatos habemus, tot nobis manuum paria habere videamur. Elegans ſanè eſt ipſius Want notatio, eo quòd Wi-hant vtrumque nobis indicet, & manus nos longè latéque eius beneficio quem ſic vocamus habere extenſas; & præterea aliorum manus nos procul abercere. Iam quia W & B eam habent cognationem, vt alterum alterius loco quandoque ponatur, ſuggeritur & illa no-

Bihant.

Bant.

Want.

minis ratio, qua in Bihant diſſolui poſſit, ad id notandum, quod manui auxiliatur. Fieret inde quidem Bant; verùm quia hæc vox vinculum denotat, & omne id quod ad ligandum in vſum venit, diſcriminis cauſſa pro Beta duplex digamma vſurpatum, non iniuria dicere queamus. Cernitur verò etymologia clarius in Want dum pro chirotheca venit in orationem, cuius vſus eſt tum vt manui ſit adiumento, tum vt ea quæ manum offendere poſſunt, procul arceat. Eadem aut ſimili ratione Want pro pariete ponitur, propterea quòd & hîc nobis ſit manus & apparitoris loco in propulſandis externis iniuriis. Corybantes igitur dicentur, qui ſunt ſatellites ad cuſtodiendum delecti, quales vt ſint & alij complures, tum illi præcipuo quodam ſuo iure & inſigni prærogatiua ſic vocabuntur, qui à patre Sedec, ſiue iuſtitia æterna, electi ſunt ad totum humanum ge-

Corybantum etymon aliud.

nus ab omni hoſtili impetu defendendum. Quòd ſi quis Cor pro Cur ſiue Ceur interpretetur,

tetur, vt cærimoniæ hac voce intelligantur, Corybantes illi vocarentur, qui cærimoniis & ritibus ſacris tamquam defenſores aſſiſterent: quæ notatio vt Idæis Corybantibus non malè conuenit; ita meliùs illis tribuetur, qui omnem cærimoniarum vſum abſoluerunt. Certè nulli ſacri ritus vel veritatem vel vſum ſuum tueri poſſunt, niſi ad ea tendant quæ à D. Ioanne & Chriſto ſeruatore noſtro geſta ſunt. Ceterùm vt hæc ſic expoſita cuiuis perſpicuam habent veritatem, ita illud quod de Samothracibus à Philone adiectum eſt, non æquè facile fuerit expeditu. Ait enim hos itidem eoſdem eſſe cum Diis Samothracibus. Nitemur tamen & hoc explicare, vt plurimarum antiquitatum conſenſione noſtra ſtabiliantur, tum vt quæ ratio ſit nominis Thracum, intelligatur.

Caſtor et Pollux dij Samothraces.

Tracht idem nobis eſt quod ſubtiliter excogito: & dum nominis loco ponitur, ſubtile & callidum inuentum denotat. Allemani Betracht dicunt pro eodem, facta ſyllabica adiectione ad ſignificationis augmentum. Quemadmodum verò è Recht fit Rex, & à Lecht Lex, à Merct Merx; ita è Tracht fit Thrax, mutato videlicet Tau in Sigma, quo littera fiat duplicata. Quiſquis igitur is fuit qui primus hoc nomen poſteris ſuis dedit, hoc optaſſe cernitur, vt ingenij ſubtilitate ceteris mortalibus anteſtarent; & id vnà monuiſſe, vt rebus in omnibus magno cogitationum acumine quid verum, quid falſum, quid fugiendũ, quid ſequendum, expenderent. Id autem diligenter priſcos olim Thraces feciſſe, Orphica theologia, & ea quæ de Strymone, vnius Muſarum mariti, memoriæ prodita ſunt, ſatis demonſtrant. Thraces autem olim noſtra lingua vſos eſſe, quæ hactenus in Taurica Cherroneſo apud vetuſtos Cimmerios ſeruatur, in iis quæ de Getis ſcripſi, oſtendi: quo fit, vt eorum nomenclatura ad ſermonem noſtrum referenda ſit, & ex eo ad originem vocanda. Porrò Sami nomen ſi ad eundem dicatur pertinere, à congregando deducetur; quia Sam idem ſit quod in vnum redigo, ſiue multa ſimul connecto. Hinc inſula à conuenis habitata è diuerſis gentibus in vnum collectis, rectè Samos vocabitur; ita vt minimè mirari debeamus, ſi pluribus inſulis eadem data ſit nomenclatura. Hinc videas, quàm Iunoni connubiorum Deæ conueniat, vt in Samo colatur; eò quòd hominibus copulandis dicatur præſidere. Samothracia igitur vel Samos Thracia dicetur, quia Thraciæ ſit obiecta: vel Samothracia à Samothracibus Diis. Qui verò ſint Dij Samothraces, vt ab omnibus ferè video quæſitum; ita neminem legi qui quicquam verius quàm Philo Berytius prodat, tametſi Varro refragetur, neſcio quæ Samothracum citans initia. Caſtor itaque & Pollux reuera ſunt Samothraces, nec vllis vmquam ab orbe meliùs ea potuit nomenclatura applicari. Per hos enim Deus admirabili conſilio, quo nullum vmquam fuit ſubtilius excogitatum, diuerſas gentes in vnum corpus congregauit, & ex omnibus vnam ſibi conſtituit ciuitatem. Callidiſſimum Draconem fuiſſe ſacris litteris proditum habemus; cuius impoſtura homines primi decepti, à Deo ſunt diſtracti: at illo longè ſollertius conſilium Pater æternus excogitauit, quo coniugium diſſolutum rurſus eſt redintegratum, & homines in meliorem ſtatum, quàm ante diuortium fuiſſent, reſtituti. Quoniam igitur ad maximum hoc & occultiſſimum conſilium exſequendum D. Ioannes & Chriſtus à Patre cæleſti ſunt deſtinati; ille vt index, hic vt perfector; rectiſſimè Samothraces nuncupantur, eo quòd inuentione ſubtiliſſimè excogitata, homines in vnum corpus redactos, Deo rurſus copularunt, nullo ampliùs diuortio diſtrahendos. Samothracum myſteria atque initia occultiſſima fuiſſe, à multis annotatum; ſed nulli vmquam in mentem veniſſe credo, tantum in illis latuiſſe arcanorum, vt ipſum etiam callidiſſimum ſerpentem fallerent, & inſidiarum contra ipſum ſtructarum tantiſper inſcium tenerent, dum ipſe ſeſe in laqueum induxiſſet. Caſtor ergo & Pollux nõ Dioſcouri modò ſunt, ſed veri etiam ſunt Cabiri, veri Corybantes, veri Samothraces; tot denique nominibus aliis honorandi, quot illi qui & veri ſunt depulſores omnium malorum, & omnium mortalium, diuerſis erroribus per totum orbem vagabundorum, vnam conſtituere ciuitatem. Quamobrem nihil abſurdi feci, immo nihil feci quod non ipſa veritas facere coëgit, dum Docana ad Tau dixi pertinere, & eorum apud Spartanos venerationem ab eiſdem quondam initiis primùm cœpiſſe, à quibus Tau ad Ægyptios venit. Hinc non exigua mihi ſuſpicãdi ratio, ipſum etiã nomen Docana non minus Cimmeriũ eſſe, quàm nomen Spartæ, tametſi à δοκὸς, quo trabs notatur, deriuatũ eſſe videri poſſit: quam opinionẽ ij ſequantur licet, quibus hæc formandarũ vocũ analogia placebit. Si trabes tantùm nomine hoc deſignari

Thracum etymon.

Tracht.

Betracht.

Thracum ingenij ſubtilitas.

Sami nominis ratio.

Sam.

Sami nomen quare inſulis compluribus tributum.

Samothracia vnde nomen acceperit.

Samothracum initia & myſteria occultiſſima.

Docana nomen eſſe Cimmerium.

gnari volebant, cur non δοκοὺς potiùs vocabulo ab omnibus intelligendo nuncupabant? Qui Græcis etymologias ſcripſit, ſepulcra interpretatur, ambiguus hærens, à δοκὸς ne, an à δέχεσθαι vocis ratio ſit petenda. Suidas quia Tyndaridarum ſepulcra hoc nomine ſignari exiſtimat; non dubitat, quin à δέχεσθαι vox ſit accepta. Hoc interim cerno, nuſquam alibi gentiũ in tota Græcia huius vocabuli pro re quapiá vſum fuiſſe, quàm apud Lacedæmonios; & apud hos non pro vlla alia re, quàm pro Caſtoris & Pollucis monumento. Hinc fit, vt ſic exiſtimem, vocem Cimbricá fuiſſe à primis rituum magiſtris ad poſteros tranſmiſſam, ad ſolum illud Caſtoris & Pollucis ſignum denotandũ. Exoſculor profectò cùm alibi ſemper, tum hoc maximè loco Plutarchi diligentiam, viri omnibus ceteris de antiquitatũ cognitione longè præferendi; cuius auctoritate fretus, Grammaticorum iudicium hîc contemno. Rimanti itaque mihi linguæ noſtræ penetralia, ſtatim in ipſo veſtibulo ea nominis ratio ſeſe obuiam tulit, cum qua fraternus amor ille quem à Chæroneo acceptum explicaui, ad vnguem quadraret: & ea quidem talis, vt geminam eiſdem litteris, per ſolius temporis in prima ſyllaba mutationẽ, intelligentiam oſtendat. Quid, rogo, magis eius votis conuenit, qui æternam futuri ſæculi vitam, quæ per Tau denotatur, apud Hieroglyphicos exſpectat, quàm Deum perpetuò feruidis precibus orare, vt eam quamcitiſſimè largiatur? Nónne quotidie, immò ſemper orare iubemur Deum Patrem noſtrum cæleſtem, vt regnum nobis ſuum ſinat aduenire? Quid ſi nunc doceam, hoc ipſum per Docana denotari? Doc idem nobis eſt quod citò do vel da; quod in hac notatione breui tempore pronunciatur, quo feſtinatio indicetur. Ana perpetuum nobis notari, alibi crebrò expoſui. Videmus ergo nomen hoc vel ipſis trabibus per cruces deuinctis tribui poſſe, vt ipſum ſignum dicere intelligatur, do æternitatem: vel ipſi inſpicienti accommodari, vt videlicet dicat, Da citò perpetuam vitam. Confer modò id quod de ſymbolo Tau in Serapidis templo inuento, & ad vitam futuram à ſacrarum peritis notarum relato antea commemoraui, cum hac huius vocis Doc-ana notatione; & examina, an non vox Docana ipſius Tau exprimat notationem. & eſt hæc quidem integri vocabuli vt triſyllabum ſit, & vocali prima breui pronunciatum, ſignificatio: at ſi primam producas, alterius rei notio offeretur; diuerſa illa quidem à priore, verùm ſic coniuncta, vt & eam ſequatur, & ipſum modum exprimat, ad quem munere eo quod oramus, ſit vtendum. Duc vocali longa, eſt idem nobis, quod ſub alicuius rei tegmine ſummiſsè lateo ad iniuriam & vim declinandam: vnde doc præteritum imperfectum cum ana compoſitum faciet vocabulum, quo æternum latibulum & tegumentum contra omnia malorum tela comparatum denotatur. Nos pullos ſub matris alis tegi dicere volentes, hoc verbo duken vtimur: & dum ſignificamus quempiam ſe debere tutelæ maioris alicuius ſubmittere cum omni humilitate, idem verbum vſurpamus. Quiſquis ergò Docana hoc accentu pronunciabit, is ſic intelligendus, vt dixiſſe videatur, nobis magna animi ſummiſſione perpetuò ſub cruce latitandum eſſe: quod quàm Euangelio conſentiat, recteque cum omnibus ſacris litteris quadret, neminẽ Chriſtianorum puto latêre. Nobis enim crux perpetuum ſcutum eſſe debet aduerſus omnem cacodæmonis impetum; ſub quo tam ſubmiſsè nos debemus occultare, vt nihil ab imbelli puerorum innocentia differamus, ſi protegi quidem ab ea velimus; quando ſuperbos & ſuis viribus vel minimũ fidentes Deus ab alis crucis ſuæ repellit; nec quemquam ſecuriſſimo hoc tegmine dignatur, qui non totum ſeſe deuouerit humilitati; virtuti illi quidem nulli Philoſophorum cognitæ, immò apud eos in vitiis habitæ, verùm tali, vt per eam ſolam vnicum iter ad crucis tutelam patere cùm Prophetæ, tum Chriſtus ipſe & exemplo & præceptis frequenter repetitis oſtendit. Rectè igitur Docana ſic ſunt vocata, vt nõ ſuam modò in breui tempore habeant ſignificationem; ſed mutato etiam accentu illam nobis ſuggerant viam, qua ad æternitatis donum peruenitur. Quòd ſi litteram mediam è tenui in mentem vocemus, Dogana virtus erit æterna, ea videlicet quæ in cruce perpetrata, omnibus vitam meruit ſempiternam; eo quòd Dog idem ſit quod virtute præditum eſſe. Vide vt alia recta pronunciatione deſignentur, alia cognatione quadam ex eiſdem elementis moueantur, & vt omnia tamen eodem tendant. Iam & illud monemur, vt optemus Doch-an, id eſt, vtinam tandem adſis; ceu is qui inſpicit & vitam æternam ſymbolo notari intelligit, dicat: Rogo vt tandem properes & adſis; quo quid aliud dicitur, quàm, *Adueniat regnũ tuum*,

Docana vocis etymon. Doc. Ana.

Duc.

Doc.

Crux perpetuum ſcutum aduerſus cacodæmonis impetum.

Humilitas virtus philoſophis incognita.

Dog.

fraterno

fraterno tuo amore nobis comparatum. Plura ſunt quæ vel accentuum mutatione, vel litterarum cognatione nobis indicantur, quæ enumerare nihil attinet, cùm hæc ſufficiant ad aperiendum, vocem ipſam non minus ad Cimmerios, quàm ſimulacrum pertinere. Et hæc quidem plura fortaſſe quàm ſatis de Docanis, fraterni amoris inter Caſtorem & Pollucem ſymbolo, duodecim angulos exteriores è quatuor internis egreſſos delineante; qua figura totius mundi duodenario deſignati ſalus & gemina vita, à pyramide quatuor angulis abſoluta, & principe omnium corporum proficiſci denotatur. Quòd ſi pro rei amplitudine & maieſtate per omnia nobis Docanorum myſteria diſcurrendum eſſet, atque in ſingulis cum ſacris litteris ſymphonia annotanda, maxima commentaria colligere oporteret. Duodenario autem totius mundi plenitudinem deſignari & geminam vitam; alteram priorem à patre datam; alteram poſteriorem, quam à Filio corporato mundus accepit, & aliàs indicaui, & ſuo loco latiùs explicabo. Magnas gratias habeo Cimmerij ſermonis auctori, cùm ob alia infinita diuinitatis arcana nobis communicata, tum ob duodenarij apud nos nomen, ſic expreſſum, vt duplicem hanc vitam clariſſima compoſitione deſignet: quam vt ſemper maiorem in modum veneratus ſum; ita longè vehementiore me captum ſenſi admiratione, dum eam cum Docanis conferrem, viderémq. numeri nomen adamuſſim cum eorum quadrare notatione, quam inſigniter auxit illud teſtimonium: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quid enim conuenientius, quàm duodenario mundum denotari, cùm numerus ſit pleniſſimus, quinque partes complexus; quæ ſic eum reddunt exſuperantem, vt quaternario ſeipſe excedat, quem Docana in medio complectuntur. Quis eſt autem hic quaternarius? Id indicat Cimbricum nomen quo quaternarius & ignis notatur. Acceſſit enim mundo vltra omnem ſuam menſuram Pollux, qui eſt corpus igneum, infinito ardens amore; quod in meditullio Docanorum incluſum, duodecim angulos excludit, & toti mundo depurgato geminam confert vitam. Ventum nunc eſt paullatim eò, vt totius mundanæ machinæ figuram in Docanis expreſſam fuiſſe intelligamus: & quemadmodum hæc duodecim angulis rectis deſignatur; ita in Herculis fabula duodecim eius laboribus, quibus totum orbem ab omni monſtrorum genere liberauit, inſignitur.

Duodenarij numeri ſignificata & myſteria.

His connexam cerno alterius cuiuſdam ſimulacri interpretationem, è quo Ægyptiorũ idolomania ex omnibus ſacris vel ſymbolis vel nominibus falſos ſibi deos fingentium, magnum illum Serapin ſomniauit; quem inſanus Porphyrius Plutonem eſſe commentus eſt. Noſtra non refert quid delira hominum deos de ſomniis ſuis fabricantium ingenia de priſcis id genus vocabulis vel confinxerint, vel ſeſe de cuiuſpiam vetuſtioris auditione accepiſſe dicant; quando nihil mihi certius eſt, quàm eos omnes qui hiſce in rebus verſati ſunt, nihil prorſus eius linguæ nouiſſe, è qua priſca hæc nomina manarunt. Ritus tamen antiquos diligenter obſeruo, vt eorum nimirum ductu ad prima exordia ſuperſtitionis adſcendam: quod cùm aliàs ſemper, tum in hoc celeberrimo Serapidis idolo faciendum mihi putaui. Crebrò repetere cogor, cacodæmonum fraude & mendacium antiſtitum auaritia factum olim fuiſſe, vt nomina vel diuinis oraculis pandendis deſtinata, vel ſanam aliquam de rebus ſacris ſententiam complexa, ad immundos ſpiritus detorquerentur; atque ita peſſimus dæmon boni nominis prætextu miſeris mortalium mentibus ſe velut Deum quendam inſinuaret. Hinc e ſymbolis ſacris dij facti, hinc exſtitit Harpocrates ſilentij cuſtos, hinc Canopus ſpes omnis eruditionis, hinc denique omnes tum Ægyptiorum, tum dij gentium ceterarum. Annotaui modò è Suidæ commentariis, in Serapidis templo ſigna inuenta fuiſſe, crucis figuram exprimentia: qua de re quid Rufinus memoriæ prodiderit, recitare non grauabor. Is enim magnificentiſſimum eius in Ægypto templum ita deſcribit, vt centum gradibus ad illud vndique aditus patêre dicat; monte nimirum altis fornicibus exſtructo, ad pauimentum & reliquam ſubſtructionem ſuſtinendam; in quibus diuerſorum vſuum cellæ per diuerſos mæandros adeundæ occulebantur. Iam ſuperiora ſpatioſæ exedræ & paſtophoria & domus in excelſum porrectæ occupabant, in quibus vel æditui vel ἁγνεύοντες, id eſt, caſtitatẽ ſeruantes, habitabant. Porticus deinde totum ambitum interiorem quadratis ordinibus diſtinctæ decorabant. Medio ſpatio ædes erat pretioſis columnis in altum educta, quam ingens Serapidis ſimulacrum ita occupabat, vt dextra alterum, alterum parietem ſiniſtra ferè contingeret: quod ex omni genere metallorum

Idolomaniæ origo.

Serapidis in Ægypto templum & ſimulacrum.

lignorumque in vaſtam corporis molem conflatum fuiſſe ferebatur. Huius capiti modius impoſitus erat. Quid verò vel toto ſimulacro, vel modio denotaretur, non ſatis inter Ægyptios conſtabat, vt facile inde coniectemus aliunde & nomen & ſymbolum olim inuectum fuiſſe. Et hæc quidem de templo & idolo: quibus inter alia Rufinus adiecit hæc verba: Sed & illud apud Alexandriam geſtum eſt, quòd etiam thoraces Serapis, qui per ſingulas quaſque domos in parietibus, in ingreſſibus, in poſtibus etiam ac feneſtris erant, ita abſciſſi ſunt omnes & abraſi, vt ne veſtigium quidem vſquam vel nominis appellatio, aut ipſius, aut cuiuſlibet alterius Dæmonis remaneret; ſed pro his crucis Dominicæ ſignum vnuſquiſque in poſtibus, in ingreſſibus, in feneſtris, in parietibus, columniſque depingeret. Quod cùm factum eſſe hi qui ſuperfuerant ex paganis viderent, in recordationem rei magnæ ex traditione ſibimet antiquitùs commendata venisſe perhibentur? Signum hoc noſtrum Dominicæ crucis inter illas quas dicunt ἱερατικὰς, id eſt, ſacerdotales litteras habere Ægyptij dicuntur, velut vnum ex ceteris litterarum, quæ apud illos ſunt, elementis. Cuius litteræ ſeu vocabuli hanc eſſe aſſerunt interpretationem, Vita ventura. Dicebant ergo hi qui tunc admiratione rerum geſtarum conuertebantur ad fidem, ita ſibi ab antiquis traditum, quòd hæc quæ nunc coluntur tamdiu ſtarent, quamdiu viderent ſignum iſtud veniſſe in quo eſſet vita. Vnde accidit, vt magis hi qui erant ex ſacerdotibus vel miniſtris templorū, ad fidem conuerterentur, quàm illi quos errorum præſtigiæ, deceptionum machinæ delectabant. Hæc Rufinus: quæ adieci, quo quiuis cerneret, antiquitus Tau in Ægyptiorum notis fuiſſe pro vitæ venturæ teſſera: quo dato, nō iniuria quærat aliquis, quid rei cacodæmoni fuerit cum Tau, & quæ communio diabolo cum ſigno crucis, quo fugari, non allici ſentur. Hic apertè cernas, Serapidis ſimulacrum priſcis ad aliud ſpectaſſe, quàm ad idolomaniam. Hieroglyphica Bembi tabula quot dat nobis ſacras effigies ipſum Tau funiculo tenentes, quas ſi cacodæmonum formas eſſe dicas, explica nobis, quis vnquam fuerit inter has peſtes cui crux ita placuerit vt eam ſibi eripi nollet? Vt inter ſe ſymbola concordent, neceſſe eſt ſic has imagines interpretari, vt ea referantur ſignificata quibus crux vitæ venturæ nota ſit amica. Hinc nos elicimus, id genus figuras oraculorum occultaſſe denotationem; quam maligni ſpiritus contra ſe comparatam cernentes, inſigni fraude in rem ſuam verterunt; & miſeris mortalibus eum errorem inſtillarunt, vt è picturis ſacris falſos ſibi Deos comminiſcerentur. Quamuis ergo Serapidis tum nomen tum ſimulacrum ad cacodæmonis cultum hac via ſit prolapſum, priùs tamen apud priſcos ad longè diuerſam notationem referebatur. Quoniam ergo Tau frequentiſſimum eſt in notis hieroglyphicis, ſitque modò expoſitum, vitæ venturæ habuiſſe notationem; ſtupidi prorſus ſimus, ſi cogitemus ſacras has picturas principiò ad cacodæmones mortis auctores colendos inuentas fuiſſe. Quin contrà omnino rem habere cernimus, totum nempe hoc picturæ genus ad veram vitam pertinere, ſi ad priſcas ſuas origines referatur & examinetur. Videamus itaque quid Serapis, in cuius templo Suidas cruces inuentas ſcribit, ante idolomaniam denotarit. Malchus ille Tyrius, acerrimus Chriſtianæ religionis hoſtis, quem Græci Porphyrium nominarunt, plurimum ad eam rem diligentiæ contulit, vt quæ veterum Ægyptiorum opinio de Diis fuiſſet, exploratum haberet. Is in libris reſponſorum ſcriptum reliquit, ſe certò comperiſſe, Serapin eum Deum vocatum fuiſſe, qui malignis dæmonibus imperaret, atque eorum inſanam vim, qua miſeros mortales impeterent, coërceret. Hac de cauſſa ſymbolum ab ipſo hominibus commonſtratum, quo malignæ furiæ expellerentur. Quòd ſi hæc ita habent, eaque à priſcis accepta opinio; quem, rogo, alium inueniemus cuius hæ præcipuæ ſint partes, quàm ipſum Dei Filium incarnatum? Percunctemur prophetas, conſulamus omnia diuina oracula, & expendamus in illis, cui omnis poteſtas data ſit in cælis & in terra, & apud inferos; certè non alium quàm Chriſtum reperiemus. Audiamus Danielem hac de re loquentem: *Adſpiciebam*, inquit, *ego in viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli quaſi Filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit; & in conſpectu eius obtulerunt eum, & dedit ei poteſtatem & honorem & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſeruient. Poteſtas eius poteſtas æterna; & regnum eius quod non corrumpetur.* Hæc ille, & plura. Iam quis neſcit Draconem cum toto ſuo exercitu pedibus Agni ſubiectum eſſe, & ab eo ſolo victum? Si quis ergo hoc honore dignus

Crucis Dominicæ ſignū inter ſacras Ægyptiorum litteras, & eius interpretatio.

Serapidis ſimulacrum priſcis ad aliud ſpectabat quàm ad idolomaniam.

Porphyrius, dictus Malchus.

Serapis quis Deus priſcis fuerit.

dignus quem Serapidi priſci tribuerant, certè non alius dignus quàm is cui antiquus dierum eam dedit poteſtatem, vt totum mundum à Draconis tyrannide liberaret. De hoc Sibylla:

Te duce ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſoluent formidine terras.
Et mox:
Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni
Occidet.

Veriores itaque Porphyrius quàm ipſemet ſcire poſſet, duces ſecutus eſt, dum de priſcorum ſententia Serapidi eam dedit poteſtatem, qua dæmoniaca rabies, in humanum genus ſine intermiſſione ſæuiens, coërceretur. At quod'nam ſymbolum illud eſt auerruncum, quod hominibus ab ipſo commonſtratum eſſe dicit? Quod? Ipſum nempe Tau; quod vt manu ſua tenere in ænea illa Bembi tabula Regina omnium antiquitatum clariſſimè videtur; ita in eius templo inuentum eſſe, tum cùm ſtatua deiiceretur, veterum ſcriptorum teſtificatione confirmaui. Nunc igitur cernimus, quid vero Serapidi cum Tau, & quàm inſigni impietate & nefando ſacrilegio ſacrum Serapidis ſignum ad neſcio quem dæmonem ſit tranſlatum. Sumſit perfidus ſerpens eius ſibi inſignia à quo erat conculcandus atque proterendus; vt hos ſaltem quoad poſſet furtiuos & impios præriperet honores.

Dæmonis fraus & aſtutia.

Sic miſeri mortales ab hoſte ſuo decepti, qui ſemper aſtu & dolo graſſari conſuetus inter alias fraudulenti conſilij machinas & hanc ſibi impoſturæ arripuit occaſionem, vt Serapidis, cuius erat, dæmones omnes depellere ac coërcere, ſigna præferret; atque in hac ſua inſidioſi belli officina tam callidè verſatus eſt, vt Deus omnia myſtica humanæ ſalutis ſymbola iam ab hoſte occupata & fœdo ſacrilegio polluta exſecrarit, & vltricibus flamis deuouerit; vtpote iam non ampliùs ad honorem ſuum, ſed ad aduerſarij vſum in hominibus decipiendis relata. Plurimas Maternus, vir in primis & doctus & pius, id genus cacodæmonis fraudes eleganti libello indicauit; infinito plures in medium prolaturus, ſi linguæ noſtræ ductu altiùs in mendaciorum patris officinam penetrare potuiſſet: quod quamuis facere nequiuit, illam tamen apud Chriſtianos veritatis inquirendæ aperuit viam, vt quiuis clarè cerneret, maximam idolomaniæ partem à pietatis ſupellectile furtim ſublata acceptam auctamque ſemper fuiſſe.

Maternus, ſcriptor libelli de Cacodæmonis fraudibus.

Huius igitur iudicium teſtificationemque ſecuti, ſic in idololatriæ domo diſcutienda verſabimur, vt ſemper omnes notas diligenter examinemus; quo hinc propria mendaciorum inſtrumenta, hinc furtiua cognoſcas: & in his quidem de priſcis ingenuæ indolis ſignis procedamus ad vetuſtum vindiciarum ius, quo ea quæ quondam Dei fuerunt, liberali manu in antiquum decus aſſeramus. Videamus iam nunc, an nomen quoque cum his quæ à Porphyrio prodita ſunt, concordet: Complures quid eo notaretur quæſiuerunt; ſed in hoc perinde atque in aliis Cimmeriis vocabulis egregiè ſunt hallucinati. Nobis non difficile eſt videre quis Serapis ſit vocandus, ſi litterarum ſequamur cognationem.

Serapis etymon.

𝔖𝔢𝔯 vocali longa omne id notat quod dolore cruciat; & hinc pro ſcabie frequenter vſurpatur. 𝔄𝔣-𝔴𝔦𝔰 idem eſt quod abſtergo: & ſi 𝔄𝔣-𝔴𝔦𝔢𝔰 per diphthongum pronūties, idem dixeris quod Latinus efferret, Abluebam.

𝔖𝔢𝔯. 𝔄𝔣-𝔴𝔦𝔰.

Hinc mox cernas duplex W, quod Græci cęterique carent, exemtum; & F quod ſono ipſi Phi reſpondet, in P litteram tenuem tranſiiſſe: vnde ex 𝔖𝔢𝔯-𝔞𝔣-𝔴𝔦𝔰 Serapis factum, nomen eius proprium, qui dolores noſtros & ſcabiem abſtergit. Animaduertis'ne hîc duo indicari, & ablutionem, & abſterſionem; exiguo vnius litteræ diſcrimine: & rurſus non dolores modò in cogitationem vocari, ſed ſcabiem etiam, qua totum corpus fœdatur? Quòd ſi quis nolit 𝔖𝔢𝔯 ſyllabam longam eſſe, quia apud Græcos breuis efferatur, is ſciat non ſemper in exteris vocibus accentum ſeruatum fuiſſe: & alioqui, ſi placeat, 𝔖𝔢𝔯 ſic interpretabor, vt ſemen deſignet: vnde apud Latinos Sero, & apud nos verbum, venerei congreſſus habens notationem: qua via cùm Serapis is erit qui ſemen ſuum abluit atque mundat, tum indicabitur, eundem omnino eſſe & eum qui genus humanum ſeuit, & eum qui abluit eius ſordes.

𝔖𝔢𝔯.

Intelligis'ne hîc tribus ſyllabis exponi quod D. Ioannes in principio Euangelij ſui expreſſit, vbi apertè dicit: Verbum, quo cælū & terra creata ſunt, carnē aſſumſiſſe, & in mundū ad hominū peccata abluēda veniſſe? Sed hæc cuiuis obuia. Nūc igitur quia in vocabulis Cimbricis alia recta via explicātur, alia ſoni quadam cognatione

monentur,

monetur, geminã in tota Serapidis nomẽclatura habebimus ſignificationẽ; alterã dũ prima ſyllaba breui accẽtu, alteram dũ longo proferetur; & vtramq. vni ſoli Chriſto conuenientem. Ex hac modò nominis ſolutione perſpicuũ fit, qua de cauſſa priſci illi ſacrorũ rituum magiſtri Serapidis ſimulacrũ ex omni genere materiæ cõgeſſerint ac coagmentarint; quod Rufinus & alij memoriæ prodiderunt. Conueniebat enim omnium rerum ſatori, vt eo ſimulacro fingeretur, in quo omnium ſeminalium rationum ſiue idearum veſtigia cernerentur: & rurſus par erat, vt is qui toti rerum vniuerſitati nitorem ſuum & decus eſſet reſtiturus, eam haberet effigiem, qua ab eo omnes totius mundi res purgatum iri commoneremur. Viden' iam, vt omnia inter ſe concinna quadam harmonia quadrent, & ad eiuſdem myſterij referantur ſignificationem? Totum mundum in Docanis, Caſtoris & Pollucis agnouimus duodenario expreſſum: hîc eundem materiæ diuerſitate indicatum habemus. Vnum reliquum habemus in Serapide antiquitatis monumentum; modium videlicet capitis vertici impoſitum, cuius & Rufinus & Maternus fecit mentionem. Quibuſdam hinc occaſio data, vt Serapidem Ioſepum exiſtumarint, eo quòd is Ægyptiis frumenta per modios ſit dimenſus, atque prudentia ſua in extrema annonæ anguſtia famelicis hominibus dederit alimenta. Sed hoc commentum longè recedit à vetere hieroglyphicorum conſuetudine; quorum, vt nihil ad hiſtoriam rerum à quopiam geſtarum pertinet, ita totam diſciplinam ad ſacra ſpectare ipſum nomen profitetur. Vellem profectò quiſquam ſcriptis tradidiſſet, quo nomine hoc capitis ornamentum apud ſacerdotes olim fuerit nuncupatum. Nam qui modium vocant, ſimilitudinem potius quandam menſuræ, quàm cuiuſquam veterum auctoritatem ſecuti videntur. Ærea Bembi tabula vaſculum hoc quale quale eſt, & quocumque tandem nomine vocandum, ſic depingit, vt modiolus eſſe videatur anſatus, quo nimirum ex maiore aliquo vaſe vel frumenta vel liquores hauriantur: quod ſi noſtrati ſermone ab vſu ſit nominandum, Schepper dicetur. Verùm eadem tabula in alia effigie anſam omiſit; qua ratione non Schepper nobis, ſed Matken vocaretur. Agnoſco ſanè in vtroque nomine inſigne notationis arcanum: & illo quidem video exprimi creatorem; hoc verò totius iuſtitiæ fundamentum. Schepper enim ambiguæ ſignificationis eſt ad creatorem & ad capedinem qua de maiore vaſe haurimus; ita vt ſi notam hieroglyphicam creatoris quæras, nullam queas, quàm hæc ſit, commodiorem inuenire. Cùm igitur hanc capedinem Serapidis capiti imponebant, denotabant ſe eius dare effigiem, qui & homo eſſet, & omnium creator; quo quid poteſt verius de Chriſto dici? Cur autem creatorem Schepper vocemus, alibi me puto tradidiſſe: hîc obiter repetam, ſchep idem eſſe quod ex maiore vaſe depromo: vnde is qui id facit, ſchepper nuncupatur. Deus ergo ex infinitis Patris ſui abyſſis totam machinam mundanam certa quadam menſura depromens, Schepper à noſtratibus indigetatur: qua voce nihil poteſt ſignificantius excogitari ad creationis modum ob oculos ponendum, de rebus in quotidiana conſuetudine notiſſimis. Numa ſuas habuit capedunculas, quibus thus ex acerra depromebatur; quarum formas in vetuſtis cùm marmoribus, tum numiſmatis frequenter vidiſſe memini, minores illas quidem quàm vt capitis amplitudinem æquarent, ſed alioqui non prorſus Ægyptio Serapidis ornamento diſſimiles. Nunc ad modium eum cui vt anſa deeſt; ita hoſtorium poteſt adhiberi. Minimum hoc menſuræ genus Matken hypocoriſticôs nominamus, quaſi menſurulam Latinus vocaret. Huius igitur inſpecta ſimilitudine, & nomine in memoriam vocato, ſtatim in mentem venit vt menſuram cognoſcamus, eo quòd vox diminuens Mat contineat, & præterea ken addat, quod idem eſt, dum vt verbum vſurpatur, quod noſco vel noſce. Iam Mat conuerſum, Tam profert, quo decorum in genere denotatur. Monemur ergo vt menſuram eam cognoſcamus, qua ſua Deo & generi humano iuſtitia conſtat; quæ non alia eſt quàm meritum Chriſti, per quod ſolum & iuſtum & decorum mortalibus cõtingit. Quid hîc primùm miremur, breuitatémne in ſignificando, an copiam myſteriorum tam exigua nota indicatorum, an conuenientiam vocabulorum, cum iis quæ de figura intelligenda offeruntur? Fruſtra hieroglyphicorum interpretatio quæritur, vbi nomina ſignorum ignorantur; eo quòd ſemper notæ cum vocabulis ſint conferendæ ad veram intelligentiam eliciendam. Nunc itaque quis verus ſit Serapis, & quæ ſint eius ſymbola, & quomodo capienda, & quem Tau inter ea habuerit locum, breuiter indicaui:

Serapidis ſimulacrũ cur ex omni materiæ genere congeſtum.

Modius in Serapidis ſimulacro quid notarit.

Schepper.

Matken.

Schep.

Numæ capedunculæ.

Mat. ken.

Tam.

dicaui: è quibus coniecturam facere licet de tota reliqua hieroglyphicorum diſciplina, quam de vera veræ religionis ſignificatione ad horrendam idolomaniam & inſanas ſtultiſſimarum ſuperſtitionum nugas detortam videmus. Quemadmodum verò Serapis noſtras eſt vocabulum à priſcis Cimmeriorum pueris apud Ægyptios relictum; ita & cetera nomina in ſacris vſitata. Apis enim idem eſt quod Af-wis / id eſt, is qui abluit & deterget: quo nomine bos vocabatur, magnæ victimæ typus, cuius ſanguine mundi peccatum eſſet abluendum. Quod ita eſſe faciliùs credes, ſi ſcias Pontifices maximos Romæ ita creari ſolere, vt bouis mactati ſanguine conſpergerentur; quo intelligeretur, omnia cærimoniarum genera ad magnam victimam referri debere, cuius ſolius ſanguine tum ceteri omnes, tum Pontifices etiam maximi eſſent expiandi. In Api Ægyptij Lunæ ſignum quærebant, propterea quòd quemadmodum Luna de ſuo lumen non habet, ſed à Sole mutuatur; ita & ſacrificia, quamuis magna, nullam adferunt ex ſe ſalutem; ſed quicquid habent ſancti, id ab vna victima accipiunt in cruce immolata. Quamobrem Ægyptij antiſtites in arcanis ſuis habebant, tantiſper cærimonias duraturas, dum illa vita veniſſet, cuius Tau ſignum gerebat: quod alia ratione, & illa quidem prophetica, dicere potuiſſent, tantiſper ritus vmbratiles manſuros, dum tranſiiſſet Luna: qua de re plura in Gallicis annotaui. Habebat Apis in pectore Tau quoddam exiguum è tænia ſuſpenſum; quod Cælius quoque Rhodoginus è neſcio quo ſcriptore, in antiquas ſuas retulit lectiones. Varia ſunt & pæne infinita de Api & Serapi veterum commentariis prodita, ſed ex iis nihil certius colligas, quàm de tanta opinionum diuerſitate liquidò conſtare, nihil ſani in vulgus cognitum fuiſſe; & eorum maximè ſequendam ſententiam, qui Serapin, Apin, Iſidem, Oſiridem, Anubin eundem faciunt Deum, aliis & aliis modis conſideratum. Qui quid ſigillatim quiſq. dixerit, ſcire volet, is ſibi Deorum hiſtoriam à Lilio collectam in manus ſumat; è qua tamen tota nihil ferè eorum intelliget, quæ nos è tenebris protraximus; non alterius magis quàm ipſius Tau adiumento, quod tum priſca ſua figura, tum vera nominis ratione luculentiſſimum facit iudicium, omnes ſacras Ægyptiorum figuras ad hoc vnum excogitatas fuiſſe atque depictas, vt tandem agnoſceretur, omnes veterum ſacrificiorum ritus ad Chriſtianam ſpectaſſe religionem. Addamus nunc ſuccinctè quis fuerit Oſiris: qua in re nihil opus eſt longa inquiſitione, cùm confeſtim vox nobis indicet, cui verè tribuenda ſit. Nos enim pro Domino noſtro dicimus Ons heer. Hinc Oſir, mutato E longo in I longum; quod in Lilio quoque & multis aliis vocabulis eueniſſe cernimus, vt in Francorum inſignibus annotaui. Oſiris ergo, dum ſic redditur, vt vltima etiam terminatio de Cimmeria lingua manaſſe dicatur, idem ad verbum denotabit quod Latinus verteret, *Noſter Dominus eſt*. Eadem via Iſis idem ſignificat quod, Eſt Eſt, apud Latinos: quo geminato, Eſt ſapientia, per quam Pater mundum creauit, indicatur, binario æternam Filij genituram exprimente: quod myſterium in numeris Cimbricis explicatum. Vt igitur Filius aliàs Verbum, aliàs Sapientia, aliàs aliis nominibus nuncupatur; ita ab Ægyptiis ſacerdotibus ſignificantiſſimè vocatur, Eſt Eſt. Hinc mox magna ſignificationis efficacitas in eo deprehenditur, quòd Deus Moſen in Ægyptum legaturus iuſſit vt diceret: *Eſt miſit me*; ceu id Pharao & ſacerdotes mox eſſent intellecturi; vtpote qui ſcirent, Deum in arcana lingua illud nomen habere, quo Eſt deſignatur. Quòd autem Oſiridis membra à Typhone diſcerpta diſiectaque veteres finxerint, illud non aliud denotat, quàm miſeros mortales, qui Dei membra tantiſper fuerunt dum ſe diuortio turpi non ſeparaſſent, variis erroribus fuiſſe diſiectos. Quæſiuit autem Iſis ſiue Sapientia diuina, vt membra rurſus in vnum corpus coirent, quod per maſculam Chriſti virtutem & leoninum robur tandem conſecuta eſt. Typhon autem draco eſt, ceu De-hup-hon diceretur, id eſt, is qui fraude ſua fecit, vt nos attollere, & ad ſupera adſcendere nequeamus. Quòd ſi mauis à Tup-hon vocem venire, eandem propè habebis expreſſam notionem. Tup enim & Put ad contrariorum ſignificationem conuertuntur; & Tup quidem ſupremum apicem notat: Put verò id quod contrà in profundum eſt depreſſum. Tup-hon ergo is erit, qui nos ab apice, ad quem adſcendere debuiſſemus, defraudat, & in puteum præcipitat omnium miſeriarum. Quid hîc opus eſt longis logis & variis errorum ambagibus, per quas Plutarchus & ceteri in Typhonis natura perſcrutanda feruntur; cùm luce clarius ſit, hæc quæ de Oſiride, Iſide & Typhone dico,

Apis nominis etymon.

Luna in Api cur quæri ſolita.

Apis in pectore Tau habebat.

Oſiris quis & vnde dictus.

Iſidis etymon.

Oſiris cur à Typhone diſcerptus fingatur.

Typhon quis, & vnde nomẽ acceperit.

Tup.

Put.

non

non cum vocibus tantùm, ſed cum ſacris etiam litteris adamuſſim conuenire; nec frequentia crucis ſigna in Hieroglyphica tabula imaginum manibus ſtudioſè comprehenſa permittant, vt alio quàm ad Chriſtum Ægyptiæ figuræ pertinere dicantur? Anubis porrò exitioſiſſimus dæmon à Porphyrio per craſſam ignorantiam vocatus, nomine ſuo

Canis præſtantia.

nobis oſtendit, ſe Spiritus ſancti geſſiſſe typum. Quid, quæſo, odore ſubtilius, quid cane ſagacius? Rurſus, quid cane homini fidelius? Quod animal ignorantiam magis exhorret? Num'ne aliud animal eſt ad hominem fida ſua cuſtodia tuendum magis idoneum? Interroga Socratem, ecquid magis vel regium vel philoſophum quàm canis agnoſcat. Quid ego hîc Mænam commemorem? quid Vlyſſis canem ex Homero repetam? quid cetera exempla ſigillatim enumerem; cùm nemo ſit ſenſus tam obtuſi, vt

Anubis Oſiridis & Iſidis cuſtos.

non immenſam canis ſagacitatem ſubodoretur? Fingunt Anubin Oſiridis & Iſidis cuſtodem fuiſſe; alij toti rerum vniuerſitati cuſtodiendæ ab illis ipſis præfectum. Nos de ſymbolorum natura, & iis quæ de Anubi prodita habemus, nihil dubitamus, quin

Anubis Spiritus S. ſymbolum.

Anubis Spiritus ſancti hieroglyphicum fuerit ſignum, qui totam mundi machinam, & quicquid in ea continetur, in eſſentia & natura ſua cuſtodit. Hinc illud: *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. Sunt qui animam mundi apud Platonem eo modo intelligant, vt vis ſit ſpiritus, totam rerum vniuerſitatem in agitatione ſua perpetua continens, atque ſuas cuique partes cuſtodiens. Huc Virgilius reſpiciens ſic facit Anchiſen canentem:

Principiò cælum & terras campoſq́; liquentes,
Lucentemq́; globum Lunæ, Titaniaq́; aſtra
Spiritus intus alit; totamq́; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Non malè igitur illi qui vel Oromaſde, vel neſcio quo alio duce ſcribunt, cælo & terræ & aſtris fabricatis, Anubin præfectum fuiſſe cuſtodem; atque idcirco optimè diuinam eius vim canis figura denotari; eo quòd nec ad ſentiendum ſagacius, nec ad tuendum fidelius, nec ad propellendas iniurias animoſius aliud animal inueniretur. Videat ergo Malchus magnus ille, vt videri vult, myſtagogus, quæ'nam pernicies, quæ peſtis è canis figura coniectari debeat. Nobis perſpicuum eſt, nec priſcorum hominum auctoritatem, nec eximiam in cuſtodiendis hominibus animalis indolem, nec ſacras Ægyptiorum figuras ad cacodæmonis alicuius ſignificationem nos vocare; ſed contrà monere, vt cuſtodiam tutelamque noſtri ei committamus, qui hac teſſera voluit denota-

Anubis etymon.

ri. Exponatur ergo vocabulum, quo cernamus num & hoc eiuſdem rei habeat notationem. An-hu-wis idem nobis eſt ac ſi Latinè dicas, Ad cuſtodiam ſum præmonſtrator. Nec mirum, è duplicato digamma Beta factum fuiſſe, cùm illo Græci ceteræque gentes, præter Cimbros, carerent. Admirabilis huius nominis eſt compoſitio, quæ nimirum ſic tres ſyllabas complectatur, vt & omnes ad vnum Spiritum ſanctum poſſint referri; & præterea ſic numerari, vt ſingulæ ſingularum hypoſtaſeon oſtendant proprietates; & vltima quidem propriè ad Spiritum ſanctum dicatur pertinere, vtpote cuius ſit, præmonſtrare omnia quæ nobis ſunt ad ſalutem neceſſaria: qua in re vera eſt cuſtodia; & ea quidem tam propinqua, vt in arce noſtra excubias agat, ſi nos quidem ipſi præſidium eius non eiiciamus. Hunc ſpiritum Deus perpetuum & vniuerſæ eccleſiæ, & ſin-

Wis.

gulorum hominum voluit eſſe cuſtodem. Quia verò Wis vocali longa, non præmonſtro tantùm denotat, ſed pro ſapiente etiam ponitur, fit vt Anubis ſic accipere queat interpretationem, vt ſit, ſapiens ad cuſtodiendum in vnione. Sic enim dicimus, De ſcapen an hum / pro eo quod eſt oues ita cuſtodire ne diſpergantur. Eſt profectò erga homines ea præcipua Spiritui ſancto virtus, vt eos in vnione cuſtodiat, & in vno corpore cæleſtis gregis contineat: cuius vnionis conſeruandæ ſapientia Anubis nomine deſignatur, ſi poſtremam ſyllabam pro ſapiente capiamus, vt paſſim apud nos vſurpatur. Iam vt ſacrorum nominum rationes copioſæ ſunt, licebit & aliud eâ-

Wis.

dem voce intelligere. Nam ſi wis breui accentu efferatur, eum denotabit qui cuſtodiæ, qua in vnum colligimur, certus eſt: quod æquè commodè Spiritui ſancto applicatur, in quo ſolo certa eſt cuſtodia, neminem vnquam quem ſuſceperit tuendū, fruſtratura. Sed quod crebrò aliàs monui, id hîc rurſus monendum, ſic plurimas rerum diuinarum nomenclaturas contexi, vt alia & alia iis vel denotentur, vel vicinia quadam ſyl-

labarum

Anubis aliud etymon.

labarum moneantur. Anubis enim licet nihil eorum quæ modò expoſui, ſignificaret, cuiuis tamen ſermonis noſtri non imperito clarum eſt quid deſignet Ain-hu-wis, quo quiuis intelligit, vnam ſolam eſſe cuſtodiam quæ certa ſit; quaſi diceretur: Hæc vna ſola cuſtodia numquam fallet, quæ ſymbolo hoc denotatur. Vidéſne quàm nullo modo ſic deuij in etymologia aſſignanda ferri queamus, vt à tutela fidaque cuſtodia in Anubis nomine aberremus? Nec mirum, ſi in An vel een vel ain vel ein intelligamus, cùm omnia hæc pro dialectorum varietate Vnius habeant notationem. Sed hoc minutius. Quamuis ergo quæ prius dicta ſunt in Anubis nomine non incommodè intelligi cernamus, poſtrema tamen hæc expoſitio mihi in primis arridet, vtpote quæ pulcerrimam conuenientiſſimamque ſymbolo complectatur ſententiam, qua videlicet omnes commonefiant, in Spiritu ſancto vnicam eſſe ſalutis tutelam; à qua ſi excidamus, fruſtrà eam alibi ſimus quæſituri. Quamobrem ſi Oſiridem & Iſidem nobis adeſſe velimus, neceſſe eſt vt hos in animis noſtris Anubis cuſtodiat. Conferantur modò hæc noſtra cum illis quæ vel à Plutarcho vel ab aliis variis ſomniis ſunt inuoluta, & ad nullum ſanum exitum deducta; & mox cernetur, ſimplicem eſſe & per omnia ſibi concordem ſermonem veritatis. Nihil tamen eſt quod clarius habeat indicium & luculentius argumentum, hæc ad Chriſtianam religionem pertinere, quàm ſimulacra illa, Tau manibus tenentia; quæ de hieroglyphica Bembi tabula bona fide Æneas Vicus, me ſæpius præſente, depinxit. Vt enim alia à doctis viris ſic oratione ornari queant, vt aliquam ſaltem probabilium rationem habere videantur; illud tamen Tau toties repetitum, & tot diuerſorum manibus apprehenſum nullo modo poteſt vel hiſtoriæ, vel naturæ, vel ſapientiæ primæ applicari. Quamobrem magnum de Tau apud hos illuſtres philoſophiæ magiſtros ſilentium; adeò vt ne ipſe quidem Porphyrius voluerit explicare, quodnam eſſet illud ſymbolum quod Serapis hominibus ad cacodæmones repellēdos oſtendiſſet; veritus, ni fallor, ſi confeſſus id fuiſſet, ne compelleretur & illud confiteri, totam hanc ænigmaticā hieroglyphicorū diſciplinam ad Chriſtianam vitam pertinere, cuius nimirum crux eſſet inſigne. Noſtrates è media plebe homines Tau peculiari nomine crucem ſancti Antonij nuncupant, eo quòd D. Antonius ſemper ita pingatur, vt non Tau modò manu gerat, perinde atque hieroglyphica ſimulacra; ſed eo pænulam etiam habeat inſignitam: quod equidem non dubito quin id factum ſit, quòd D. Antonius Ægyptius eſſet, ac ea quæ de Tau ferebantur apud falſorum numinum ſacerdotes, audiſſet; eoque hoc ſigno prælato doceret, vitam illam quam venturam exſpectauerant, iam adeſſe; & ea, ſi modò vellent, perfrui licere.

Tau D. Antonij Crux à vulgo appellatur.

D. Antonius cur Tau habuerit & in manu & in pænula.

Miror profectò hanc in hoc diuo pingendo conſtantiam hactenus ab antiquo apud nos manere: nec quemquam repertum qui cauſſam crucis ad eum modum formatæ explicaret. Ceteris enim ſanctis cruces dantur cum indicibus ſuperiùs exſtantibus, ita vt quatuor recti anguli crucis figura exprimantur: ſoli D. Antonio ipſum Tau vera crucis figura appingitur, cui nullus ſuperiùs index, quem Pilatus affixerat, adhæret. Nuſquam mihi pictores æquè atque in hoc ſigno pingendo grati fuerunt; & eò quidem gratiores, quòd cur hanc figuram D. Antonio facerent peculiarem, prorſus ignorarent: quo nomine fides eorum magis exoſculanda. Quamuis enim non alio vllo indicio quæ vera crucis antiquæ fuerit forma ſciremus, attamen de hac diligentia imitationis videremus, & crucem apud antiquiſſimos Tau fuiſſe, & hoc ipſum ſignum illud eſſe quod Ægyptij ſacerdotes venturæ vitæ notationem habere aſſerebant. D. autem Antonium honeſto loco in Ægypto natum fuiſſe, & maximam vitæ partem in Thebaide egiſſe, D. Athanaſius te docebit, qui admirabilem ſanctiſſimi hominis vitam deſcripſit; inter cetera hoc etiam commemorans, cum crucis ſigno diaboli impetus fruſtrari ſolere.

Diui Antonij natales & patria.

Verumenimuerò dicet hic aliquis, Quæ de Tau tradis ita ſunto. Quid inde? Num idcirco tu falſorum deorum, aut potiùs cacodæmonum nomina Deo accommodabis, & Oſiridem & Iſidem & Anubin Chriſtianis obtrudes? Licet crebrò reſponderim huic obiectioni; rurſus tamen idem repetere cogor, & palàm clamare, me & antè ſemper, & nunc iterum negare, cacodæmonum hæc principiò nomina fuiſſe, ſed ab illis ſacrilega impoſtura ad cultum ſuum detorta. Cùm enim ipſi diuinos ſibi honores poſtularent, nec eos veris nominibus poſſent adipiſci, proximum fuit, vt cuius honoribus inſidias tendebant, eius ſibi

Idolomania principium.

titulos ſumerent & affingerent; quo illis honeſtati, aras omnes & ſacrificia Deo ſoli debita occuparent. Sic cacodæmon Delphicus non Apollinem tantùm ſe voluit nominari; ſed ſic etiam ab iis qui templum intrabant voluit ſalutari, vt ei tamquá vero Deo Ei, id eſt, Es dicerent: quod vt ab omnibus audiret, templi foribus inſcribi curauit. Si

Dæmon vocabula ignota ſignificationis facilè potuit ſibi vſurpare.

tam impudens fuit mendaciſſimus hic dæmon, vt verbum omnibus notæ & apertæ ſignificationis ſibi ſumeret, quanto facilius nomina ignotæ notationis potuit vſurpare? Sed ſatius fuerit ipſum furem audire, plagium ſuum confitentem. Difficile fortaſſis id exiſtimetur in tanta veteratoris calliditate: faciam tamen vt manifeſtò teneatur ipſa cacodæmonum confeſſione. Panis nomen vnum de veris Dei nominibus eſſe, demonſtrabo, tametſi impio ſacrilegio iam olim fuerit eius poſſeſſio à dæmonibus arrepta; & tanto pluribus ludibriis inquinata, quanto id quod nomine ſignificabatur magis erat dæmonibus diſpliciturum, tum cùm eſſet ab eo cui nomen reuera conueniebat, abſolutum. Referam itaque hiſtoriam commemoratu digniſſimam, qua non hoc tantùm quod dico demonſtrabitur, ſed vna etiam aperietur, quàm ſollicitè Deus gentes omnes monuerit, Chriſtum veniſſe, non ſolùm naturæ portentis ad id vſus, ſed ipſis etiam ſpiritibus malignis nunciis & præconibus. Plutarchus nihil minus cogitás, quàm ſe religionem Chriſtianam, à qua non minus quàm Ammonius, Plotinus, Porphyrius, & ceteri eiuſdem farinæ philoſophi fuit alienus, teſtimonio ſuo iuuare; hæc ſententia tenus in iis quæ de Oraculorum diſputat defectu, prodidit, in quibus tranſcribendis Latinis Xy-

Plutarchi locus de Pane magno Deo mortuo.

landri verbis vtemur. De morte autem, inquit, Geniorum narrationem audiui, viri nequaquam fatui aut vani, Æmiliani rhetoris, quem & veſtrûm nonnulli audiuerunt; pater fuit Epitherſes, ciuis meus & Grammaticæ doctor. Is aiebat ſe aliquando in Italiam nauigare intendiſſe, & conſcendiſſe nauim quæ & mercibus & multis vectoribus eſſet onuſta. Sub veſperam verò, cùm iuxta Echinadas eſſent, ventum poſuiſſe, nauimque incerto curſu prope Paxas delatam. Vigilaſſe tum vectorum pleroſque, multos etiamnunum à cœna potaſſe. Tum ſubitò ab inſula Paxis auditam fuiſſe vocem, quæ Thamum quendam nominatim cieret, non ſine admiratione hominum. Erat autem Thamus iſte Ægyptius gubernator, paucis vnà vehentium de nomine notus. Hunc bis

Pan magnus mortuus.

vocatum ſiluiſſe, tertio vocanti ſe dediſſe, eumque contenta voce dixiſſe: Vbi ad Palodes veneris, annuncia magnum Panem eſſe mortuum. Perterritos aiebat Epitherſes, hoc audito, vniuerſos; ac inter ſe diſputaſſe, præſtarétne exſequi hoc mandatum, an verò omittere, neque quicquam curioſè agere. Thamum autem ſtatuiſſe, ſi ventus ſpiraret, tacitum ſe præteruecturum: ſin malitia ad eum locum peruectis exiſteret, expoſiturum quod audiuiſſet. Poſtquam ad Palodes peruentum fuit, cùm neque ventus eſſet, neque fluctibus mare exagitaretur, Thamum è puppi verſus terram proſpexiſſe, & quod inaudiuerat dixiſſe: Mortuus eſt magnus Pan. Vix dum conticuiſſe illum, & gemitum magnum exauditum fuiſſe, non vnius, ſed multorum admiratione mixtum. Quod autem fieri ſolet cùm euenit aliquid multis teſtibus præſentibus, ſtatim rei famam Romæ fuiſſe diditam, Thamumque à Ti. Cæſare fuiſſe accerſitum, ac Cæſarem ita certò crediſſe, vt de Pane illo diligenter inquiſiuerit. Doctos verò, quos ille multos ſecum habebat, conieciſſe eum eſſe qui Mercurio & Penelope fuiſſet natus. Hæc Plutarchus. quæ vtinam quàm diligenter expoſuit & teſtibus confirmauit, tam bene in rem ſuam vertiſſet, ac tandem quis magnus Pan eſſet, ſe ipſum diu multumquá ſui temporis homines rogando reddidiſſet certiorem. Nequeo profectò ſatis demirari il-

Pan magnus quis iure dicendus.

lorum craſſam & ſupinam ignorantiam, qui apud Ti. Cæſarem magnum Panem Mercurij & Penelopes filium iudicarunt; eo quòd hic, ſi vllus vmquam fuiſſet, omnium minimus meritò haberetur, & longè illi Pani poſtponendus, cuius Euander, Herculi æqualis, ſacra ex Arcadia in Italiam dicitur tranſtuliſſe. Quid? an ignorarunt, quanto ille & maior & antiquior eſſet, qui Titanes Panico terrore perculſos deuicit? Numquam apud Herodotum legerant, Panem vetuſtiſſimum inter primos Deos apud Ægyptios habitum fuiſſe? Supinam profectò agnoſco negligentiam, dum magnus Pan ad Penelopes partum refertur. Videndum ergo quis Pan Tiberio imperante mortuus ſit, ad cuius nuncium dæmones & admiratione fuerint perculſi, & magno gemitu littora complerint. Expoſtulat diabolus cum Chriſto, quòd ante tempus poſſeſſione ſua

vetuſta

vetuſta expelleretur: & cùm iam ſe ſibi laqueum in morte Chriſti præparanda nexuiſſe deprehendiſſet, ſera pœnitencia ductus, Pilati vxori ſuggeſſit, vt maritum à condemnatione ſanguinis iuſti prohiberet. Verùm fruſtra. Cùm igitur iam mortuus eſſet Chriſtus, cuius ſolius morte cacodæmonum imperium eſt euerſum, meritò gemuerunt & eiularunt quotquot vſquam diaboli fuerunt. Chriſtus igitur magnus Pan eſt; tantum abeſt, vt de dæmone quopiam maligno mors hæc ad Palodes nunciata ſit intelligenda. Neque enim Dæmones vlli tum tandem mortui ſunt, nec pòſt etiam in mortem inciderunt, ſed ſtatim ab initio cum ſuperbia & inuidia æterna morte ſunt condemnati. Conſideremus ergo quis Pan dicatur fuiſſe. Inter omnes conuenit Deum eſſe paſtorum. Quis verò alius Deus paſtorum, quàm Chriſtus? Iam & illud quòd totius mundi imaginem geſſiſſe ſcribatur, ſoli itidem Chriſto conuenit, qui ſolus verus Deus erat & homo; ſolus opifex vniuerſorum, & in iis factus homo corruptioni obnoxius, totum mundum Deo Patri conciliauit, & humanum genus à morte liberauit; λυτήελος ob id nuncupatus. Romani Lupercum nominarunt, eo quòd lupos à gregibus arceret: quod quàm in Chriſtũ quadret, quorſum multis explicẽ? Nec alia cauſſa Lycæus apud Arcades; tametſi id perperam ad montem pleriq. retulerint, cùm religio monti, non mons Deo fecerit nomen. Sic & Nomios, à lege quam tulit æternã, & Lampeus, à ſplendore mortaliũ tenebris illato, vocatus eſt; non à neſcio quibus montibus, vt Græci crediderunt, cùm hi potius ab ipſo nominandi fuiſſent. Quòd autem ἄγριος dicatur, non mirum, cùm inter agreſtes maximè ſit verſatus, & inter aſinum & bouem in vitam editus, pro mollibus cunis præſepe nactus. Quoniam porrò cum piſcatoribus ferè verſaretur, ἁλιπλαγίτης vocatus eſt: quæ nomenclatura quàm aptè in Chriſtũ cadat, quis non videt? Quis præterea magis βιαρκεὺς dicendus, quam Chriſtus; in quo ſolo totius vitæ eſt plenitudo; qui paucis panibus & piſciculis multa hominum millia ſaturauit, qui vinum ex aqua fecit, cuique ſemper plus ſupereſt quàm mundus totus capere poſſit? Qui de parentibus huius vetuſtiſſimam ſequuntur ſententiam, aiunt eum è cælo & terra genitum; & meritò quidem, eo quòd pater eius ſit cæleſtis, mater terreſtris. Quæ de Panis ortu fabulantur alij, delira ſunt anilium nugarum ſomnia, & nihil ad verum Panem, qui Tiberio imperante mortuus eſt, ſpectantia. Dictus autem eſt Pan, non Græco nomine, ſed Cimmerio, à Paien/ quod eſt contentum reddere & ſatisfacere: à quo Pai-han/ & contractè Pan / id eſt, ſtrennuus ſatisfactor; ceu in hoc ſatisfactionis certamine gallus quidam gallinaceus, quo nihil eſt ad regnum ſuum defendendum animoſius; adeò vt vitam potiùs amittat, quàm de imperio cedat. Hæc igitur vox Pan vel nemini, vel Chriſto maximè tribuenda; qui, quò Patri ſuo cæleſti pro mortalium genere ſatisfaceret, ſanguinẽ ſuum & vitam effudit. Longum ſit omnia examinare: quorũ quæ mẽdacibus cacodæmonis figmẽtis corrupta non ſunt vel inquinata, per ſe ſatis clara ſunt, his modò iactis fundamentis. Vnum reliquum eſt inueſtigare, qua nimirum de re Syrictes dictus ſit, & ſeptem fiſtularum compactor. Id breuiter expediam. Septenarius Sapientiæ diuinæ ſacer eſt ſiue Mineruæ: qua de re vel ea quæ alibi docui legito, vel conſulito Philonem. Sapientiam autem fiſtulæ ſonanti accommodare nihil aliud eſt, quam Sapientiam efficere, vt omnia in toto mundo concinant, ceſſante omni vocum in regno cæleſti, quam inuidus Draco excitarat, diſcordia. Diuinæ igitur ſapientiæ Muſica toti mundo, iam multis numeris diſſono, per Verbum Patris incarnatum reſtituta, ſeptemplice Panis fiſtula denotatur: quam vt hic primus inuenit & abſoluit; ita ſuis paſtoribus perpetuò docendam reliquit; cuius auditione omnes cacodæmones veluti Panico terrore perculſi obſtupeſcunt. Quia igitur hæc Syrinx in morte Chriſti prorſus fuit abſoluta, ad eum modum inſonuit non hominum ſolùm auribus, ſed ipſis etiam elementis, & toti cælo, vt omnia veluti attonita, conſueta ſua munia defererent, Sol lumen ſuũ, nullo Lunæ aut alterius corporis obiectu, omnibus terris ſubduceret, ipſa terra multis locis dehiſceret, & imos manes aperiret, ipſe etiam barbatus miles & hircoſus centurio clamaret, Deum mortuum eſſe: Cacodæmones præterea magno ſuo dolore idem teſtarentur; & ita vi veritatis cogente, non ſociis modò ſpiritibus, ſed hominibus etiam nuntiarent, Magnum Pana obiiſſe. Totum igitur mundum hæc fiſtula acuto ſuo ſono, tum demum omnibus obſtrepens ſtupefe-

Magnus Pan Chriſtus.
Pan Deus Paſtorum, & eius varia nomina.
λυτήελος.
Lupercus.
Lycæus.
Nemios.
Lampeus.
ἄγριος.
ἁλιπλαγίτης.
Βιαρκεὺς.
Panis parentes. Cælũ & Terra.
Pan vocis etymon.
Paien.
Syrictes.
Pan cur ſeptẽ fiſtularũ compactor fingatur.
Septenarius Mineruæ ſacer.
Fiſtula Panis, cuius rei ſymbolum.
Chriſti mortem quæ miracula ſubſecuta.

cit, & Panico terrore concuſſit: mox inde harmoniam ſuam omnibus cōmunicatura, qui modò aures haberent ad audiendum. O admirandam Dei benignitatem, cùm erga omnes, tum erga gentes! quibus vt vim ſuam & ſummum imperium oſtenderet, per Dæmones ipſos à ſe iam per agnum deuictos nuntiauit, magni draconis caput à magno Pane mortuo eſſe contritum. Et è quo tandem loco nuntiauit? Nempe vnde fama non ad Imperatorem tantùm, ſed ad omnes gentes mox eſſet peruentura; non illa quidem tum demum intellecta, verùm teſtificationem ab ipſis hoſtibus Chriſtiani nominis confirmatam perpetuò inter doctos conſeruatura. Quàm omnibus votis optandum, ne apud quempiam mortalium hoc teſtimonio Chriſtiana religio ſit ſuadenda, tam ego contrà vereor, ne paullatim plures exiſtant, apud quos id genus argumenta pluris ſint, quàm ſcriptura diuinitùs inſpirata. Sed eſto, non opus erit: num inde efficitur, vt malum ſit mirabilia & ſtupenda Dei opera conſiderare, quibus humani generis ſaluti variis modò ſuccurrere molitus eſt? Vel ingratiſſimus ſit oportet, vel iniquiſſimus beneficiorum æſtimator, cui hoc ſingulare & numquam aliàs auditum miraculum indignum videatur vel diligenti examine, vel copioſa & frequenti commemoratione. Vt autem ad id veniam cuius gratia hiſtoriam hanc expoſui, vide ipſum hîc cacodæmonem fateri, Panis nomen non ſibi, ſed Chriſto conuenire; tametſi eo miſeros mortales multis ad illud vſque tempus ſæculis variè luſiſſet. Ait igitur magnum Pana, id eſt, magnum pacificatorem mortuum eſſe; id eſt, ea ratione qua & mortalis erat, & ad ſatisfaciendum pro hominum peccatis de muliere natus. Ratio igitur nominis Cimmeria eſt, non Græca, nec à Græcis intellecta; vti & res ipſa & cognomina declarant, & multo magis falſi Panes. Quia enim Panis nomine ſatisfaciendi placandique notio quædam deſignatur, ſpurciſſimæ belluæ, quo plus ignominiæ ſacris inferrent, ſe Panes & Ægipanes eſſe perſuaſerunt; quòd videlicet arrectis membris muliebri prurigini ſatisfacerent: quo ſuo commento vt impietatem ſceleris auxerunt; ita nobis hoc attulerunt emolumenti, vt luculentam nominis rationem in ſermone noſtro inueniremus. Nunc itaque perſpicuum eſt non illud modò, quis verus & magnus Pan ſit, ſed & hoc, cur Pan Inuus & Incubus & Ephialtes, & neſcio quæ alia ſit vocatus: qua in re manifeſta cacodæmonum fraus deprehenditur, qua veræ pacificationi turpiſſimam libidinis ſatisfactionem ſuppoſuerunt, ſeſe gallos & ſtrennuos ad inſatiabilem feminarum cupiditatem explendam ſacri nominis prætextu profeſſi. Quemadmodum itaque hoc nomine turpiſſimè abuſi ſunt & humani generis & totius religionis hoſtes; ita de ceteris quoque cogitandum: & ſicuti hîc quid à Dæmonum mendaciis, quid à priſcis pietatis magiſtris & ſalutis vatibus profectum ſit, facilè dignoſcitur; ita in aliis etiam promptum fuerit iudicare, quid Dei ſit, quid à malignis ſpiritibus poſtea corruptum & inquinatum, & ad mendacia detortum: quo tamen in foro parum felix erit illius induſtria & ſollertia, qui veræ nominum interpretationis ſit ignarus.

Pan Inuus, Incubus & Ephialtes cognominatus.

Cùm ergo nunc de ſymbolo Tau inter hieroglyphica frequentiſſimo docuerim, priſcam Ægyptiorum religionem, quæ pòſt in idolomaniam tranſiuit, ad vera Chriſtianæ fidei oracula totam ſpectaſſe, videor mihi ſatis magnum & validum argumentum oſtendiſſe, quo vera & perennis ſapientia diuinitùs hominibus data demonſtretur, nec aliunde quàm è noſtra religione pendere, nec ad alium ſcopum quàm ad Chriſti crucem ſpectare: quod ſola vocis Crux ratio examinata ſic ante oculos ponit, nihil vt clarius eſſe poſſit. Quoniam verò ex Ægypto aduerſo flumine in Æthiopiam iter patet, & magna olim inter illas regiones commercia fuerunt; non dubito quin in religione quoque vetuſtiſſima, magna in multis fuerit concordia. Nuſquam certè gentium maior eſt crucis ſimulacrorum vel in manibus vel in collo ferendorum vſus, quàm apud Abyſſinos: quod licet de communi omnium Chriſtianorum conſuetudine manaſſe dici poſſit, facit tamē Ægypti vicinia, vt aliter ſuſpicer, & credam hanc tam aſſiduam & perennem conſuetudinem ad eandem originem pertinere, ad quam oſtendi D. Antonij crucem referri debere. Adde quòd crucem eo nomine ab illis vocari intelligam, quod ſi ad priſcam Cimmeriorum linguam examinetur, mirum in modum quadrat cum ipſius Tau myſteriis. מַשְׂכַּל enim crucem vocant: quod vocabulum licet à verbo שכל Hebræi deducerent, nos tamen ſuſpicamur vocem Ogygiam eſſe, ac perinde ac Tau

Crucis ſimulacrorum ferendorum in collo & manibus vſus apud Abyſſinos frequentiſſimus.

Crucis nomen apud Abyſſinos.

& Crux

& Crux Cimbricam ſibi interpretationem poſtulare. Quod ſi ita eſſe nobis detur, **Ma ſtic al** dicemus apud priſcos crucē vocari ſolere; propterea quòd mēſura eſſet, per quam omnia recto ſuo ordine diſponerentur, ceu **Mat-ſtic-al** diuiſis ſyllabis diceretur: atque rationem hanc ſequendo, littera Scin cum puncto dextro legenda eſſet. Verùm quoniam huius rei nihil ampliùs exploratum, quàm id quod ab eo memoriæ proditum eſt, qui Lexicon Hebræolatinum in Biblia Complutenſia ſcripſit; & is à שֵׂכֶל ſic deducat, vt eo ſapientiam, quæ in ſola crucis cognitione eſt, denotari oſtendat; atque eius aſſertioni illud addi poſſit, non ſapientiam modò, ſed proſperitatem quoque hac voce denotari, ſi à שכל deriuetur; quæ tota homini de cruce pendet: nolo hîc nimium ſuſpicioni meæ fauere; contentus aliis ampliùs cogitandi dediſſe occaſionem. Neque porrò addere volo, apud Chinas etiam crucem inter ſacra ſigna haberi; ſed qua de cauſſa, ab iis ignorari. Nam vt ad Abyſſinos per eunuchum Reginæ Candaces Euangelium venit, ita apud Chinas quoque & vicinas Orientis vltimi gentes vel per D. Thomam, vel per alios prædicatum fuiſſe nihil dubito: & quo minus dubitem, non pauca ſunt quæ me impellunt. Quamobrem ne nouis hiſce, vel ſaltem talibus, vt poſt Chriſtum natum videantur exſtitiſſe, antiquiſſima Ægyptiorum monumenta iniquè comparem, ſatius fuerit ea quæ ambiguæ ſunt vetuſtatis, huc non aduocare. Quid enim opus eſt iis quæ luce ipſa clariora mihi videor reddidiſſe, per dubia & controuerſa argumenta caliginem aliquam adferre? Præſtiterit ſanè totam diſputationem ad breuem redigere ſummam, vt vno obtutu ſimplex & nuda veritatis facies tota cernatur. Dico igitur figuram Tau & figuram crucis antiquam, quam in D. Antonij & manu & pænula cernimus, eandem prorſus eſſe; atque id Ezechielis teſtimonio vnà cum D. Hienymi explicatu non obſcurè indicari: Quinetiam hieroglyphicis Ægyptiorum notis tam apertè doceri, vt ſi quis vlteriùs diſſentiat, cum eo non magis velim altercari, quàm cum eo qui effronte impudentia iis quæ oculis omnium cernuntur, velit aduerſari. Accedere deinde ipſius Crucis etymologiam; quæ, tametſi nihil eſſet ceterorum, luculenta tamen veritate demonſtraret, quæ ipſius Tau fuerit figura. Si enim crux Tau Gallicum eſt Virgilio, ſi crux ad formam litteræ Tau Græcorum facta ſit de Luciani teſtificatione; qui alterutrius figuram norit, vtriuſque norit. At littera Tau Græcorum notiſſima eſt, notiſſima etiam forma ſcipionis cum ligno tranſuerſo, quem vel claudicantes, vel ceteroqui non ſatis firmi axillis ſubiiciunt. Quid igitur reliquum eſt dubitationis, quin dicamus antiquiſſimam Tau figuram eam ipſam eſſe, quam Græci & Latini ſeruarunt. Cùm igitur D. Hieronymus dicat, ſua etiamnum ætate Samaritanorum Tau crucis figuram habuiſſe, & Samaritanorum characteres olim etiam Hebræorum fuiſſe; neceſſaria collectione concluditur, litteras Samaritanorum à Poſtello nobis depictas, ſi non in aliis figuris, at ſaltem in Tau non eſſe genuinas, cùm neque Tau Græcorum, neque crucem repræſentet.

Crux inter ſacra ſigna apud Chinas.

Tau litteræ figura.

Samaritanorum characteres à Poſtello depictos non eſſe genuinos.

Cùm itaque nunc ſatis multa, quantum quidem propoſita nobis fert diſputatio, de figura Tau, de eius antiquitate & myſteriis dixiſſe videmur; reliquum eſt, vt Tau vocē ad orationis Alphabeto expreſſæ ſententiam accommodemus: quod niſi faceremus, extrema clauſula ad ſermonis integritatem neceſſaria deſideraretur. Vt in ſingulis vocibus plures ſeſe frequenter offerunt ſignificandi rationes, quas intuitus nomenclator, earum vel hanc vel illam fecit compoſitionem; ita in tota etiam hac Alphabeti oratione plures totius ſyntaxeos cauſſas ſecutus videtur. In primis itaque vltimam litteram Tau fecit, eo quòd Tau vltimus finis eſſet omnis omnium humanorum ſcelerum expiationis. Quemadmodum igitur operum omnium finis vltimum eſt eorum quæ fiunt; ita & Tau vltimum fuit in oratione. Nulla enim orationis, nulla ſacrificiorum vis tanta vmquam fuit, vt niſi ad crucem Chriſti tamquam ad finem extremum referretur atque eo perficeretur, quicquam faceret ad ſalutem. Atque hæc ratio vel per ſe vel ex iis quæ dicta modò ſunt, ſatis eſt aperta. Sententiam verò ſic abſoluit, vt in duas vox partes diuidi intelligatur; in **Te** & **Au**: è quibus eliſa prioris partis vocali, Tau fit: quo ſignificatur, ad antiquum. Rogat enim præceptor, vt obſcurum Canopi lumen Spiritus ſanctus ad antiquū erigat. Et eſt ſane hæc primaria ipſius Tau etymologia, qua crux ita nominatur, quia ſolo eius medio peruenitur ad antiquum Patrem vniuerſorum.

Tau littera cur alphabetū finiat.

Tau vocis cōpoſitio & ſignificatio.

ZZ 3 Huc

Antiquus dierum. Huc etenim ceteræ rationes referuntur, & in hoc Antiquo acquieſcunt, tamquam in ſummo bonorum. Hic eſt ille antiquus dierum, ſummus apex totius rerum vniuerſitatis, cui primùm & ante omnia conuenit vt Au vocetur, eo quòd & prior ſit omnibus rebus creatis, & ab æterno Filium genuerit: à quorum vtroque Spiritus ſanctus progreſſus, antiquam compleuit Trinitatem. *Vau.* Dicitur itaque Au/ vel ab Vau/ quòd omnia ſolus teneat atque conſeruet; vel ab A & V, quibus principium progreſſus in latitudinem & amplitudinem denotatur, vt natura declarat litterarum. A Patre enim, velut à ſummo apice, progreſſus incipit; perinde atque in rebus ſenſui ſubiectis, à puncto in lineam, & hinc in ſuperficiem progredimur: aut potiùs vt è puncto ſupremo pyramis deſcendit; ita à Patre deſcendunt omnia. In circulo item æternitatis Pater habet rationem centri; è quo linea extrema circulum comprehendens educitur, & tot imaginariæ diametri, quot puncta in circulo longiſſimè appoſita queunt cogitari; atque hoc modo linea in ſe recurrens è centro primùm educta, quandam Filij habet ſimilitudinem: & diametri centrum & circumferentiam vbique coniungentes, & totum circulum ab extremo ad extremum penetrantes, pulcerrimè Spiritui ſancto comparantur. Vt ergo in circulo centrum eſt ipſum Au/ à quo progreſſus in latitudinem incipit; ita Pater Au eſt, in tota æternitate tribus perſonis comprehenſa; à quibus res creatæ ita proceſſerunt, vti circulum vidimus abſolutum; in quo è linea circulum finiente ipſum centrum cognoſcitur, non aliter atque Pater per Filium, in quo primùm ſe dilatauit, & omnia ad quæ ſeſe dilatauit, Spiritui ſancto deuinxit. *Rotunditas mundi primũ diuinitatis ſpeculum.* Rotunditas igitur totius mundi primum ſpeculum eſt diuinitatis; quæ tamen tanto ipſo mundo ſuperior eſt & latior, quanto finitum infinito minus eſt & anguſtius. Et nos quidem dum hæc animo concipimus, paruum quendam mundum nos ipſos conſtituimus, poteſtate tamen & tantarum rerum captu ex eadem origine deriuato. Hinc igitur ſermonis noſtri architectus omnia antiqua & veneranda Au vocauit, eo quòd quadam tenus pro ſua quæque portione ad ipſum primum Au referenda videantur. Magna itaque ſenioribus reuerentia exhibenda; ſi non alia de cauſſa, at ſaltem hac quòd admiſſi ſint in tam venerabilis nominis communionem. Ex hac ratione Aurora, Aura, Aurum, Lerauw/ Alauda, & ſimilia ſua nomina duxerunt; quorum alia aliis locis declaraui. *Auwe.* Pro Au Auwe frequenter dicimus per E paragogicum; cuius vſus eſt nobis familiariſſimus. *E paragogicũ Cimbris frequens.* Quia verò duplex noſtrum digamma nonnumquam apud Hebræos & Latinos in Q commigrat, pro vetere & antiquo עתק dictum eſt, quaſi Goot-auwe diceretur. Nos vulgò pro eodem efferimus Got-auwers. Hoc obiter additum volui ea occaſione, quòd Antiquus dierum עתק vocetur. Verùm eſt & alia apud Hebræos vox, ex Au noſtro relicta. אב enim quid aliud eſt, quàm Au, digamma in Bet permutato? quod non Hebræi tantùm, ſed Allemani etiam crebrò faciunt: pro Ouer Ober & ſimilia pro ſimilibus efferẽtes. Pater igitur ab antiquitate nomen ſortitus eſt, ſi vox ad primam linguam examinetur. Videmus itaque Alphabetarium noſtrũ doctorem à Patre progreſſum in Patre preces ſuas terminaſſe, atque ita integrum orbem abſoluiſſe; quem nos ſecuti ſemper oremus, vt Spiritus ſanctus nos per Filium erigat ad illum qui ſolus propriè Goot auwe & ab dici poteſt.


FINIS.

Diſplicebit fortaſsis nonnullis in Hieroglyphicis Goropius, quòd falſorum deorum fabulas ad Deum, & Chriſtianam religionem referat. Sed cùm hæc probabiliter faciat, & abſque religionis noſtræ diſpendio, vt ex operis deductione conſtat, meo iudicio hoc opus, cum reliquis quæ approbaui, edi poteſt. XI. *Kalend. Sept.* LXXIIII.

Molanus librorum viſitator.

VERTVMNVS

IOANNIS GOROPII BECANI.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini
Architypographi Regij.
cIↃ. IↃ. LXXX.

FAMILIÆ FLEMINGORVM
INSIGNIA.



NOBILITATE

ET ERVDITIONE ORNATISSIMO VIRO ARNOLDO FLEMINGO WINEGHEMI DOMINO,

Chriſtophorus Plantinus S. D.

CVM MIHI VERTVMNVS inter cetera opera à doctiſſ. viro Ioanne Goropio Becano conſcriptus, iam pridem vt meis typis excuderetur, traditus eſſet: facilè ex eo collegi auctorem id vnicè ſtuduiſſe, vt hoc opus tamquam certum ſui erga fratrem tuum Ioannem Flemingum, & te amoris beneuolentiæque ſingularis monumentum poſteris relinqueret: non autem ſolùm vt ipſius fratris tui doctrina, ingeniique rara virtus ac familiaris conſuetudo cum vtroque veſtrûm habita innoteſceret, verùm etiam vt quàm amplis, inſignibus ac opulentis agrorum poſſeſſionibus & latifundiis ſit celebris veſtra familia (idque paucis ab vrbe Antvverpia lapidibus , in pago Wineghem, cuius quidem vos Domini eſtis) non obſcurè ſignificaretur: quippe cùm nullum eo amœniorem, nullum magis magnificum ac heroicum locum vicinas Antvverpiæ ditiones habere exiſtimem: ita vt mirum videri minimè debeat, ſi Goropius ſuum Vertumnum à tam raro ac beato veſtri prætorij pomario auſpicari voluit: certè omnium iudicio id meritò feciſſe putatur. Quæ res me mouit, vt onus huius libri imprimendi eo lubentius ſuſceperim , quo doctorum virorum memoria & fama ex otio litterato comparata,

deinceps paſſim toto orbe celebràretur. Neque verò, hoc exemplo prouocatus, committes, vt diutius penes te quaſi neglecta lateant reliqua tui fratris ſcripta, Elegiæ, & Epigrammata, luciſque vſura fruſtrentur: ſed vt ſingula potius in ordinem redigantur, & typographo cuipiam immortalitati conſecranda commendentur, maximoperè cuperem. nihil enim tuæ familiæ præclarius euenire poterit, quàm vt fratris tui virtus, ingeniíque præſtantia, atque eruditio apud poſteros clara æternáque permaneat. Vale.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM IN VERTVMNVM.

A

AMotum ad vlteriora ſignat. 38
ἄκυλος. 81
Aegeria. 182
Aes. 61,64
Aeſtas vnde dicta. 60
Aeſtatis nomine ver comprehendit Virgilius. 60
Aeſtates pro annis poſuerunt veteres, idq́ multis rationibus. 61
Aeſtuo, as, are. 60
Aeſtus vnde dictus, & quid propriè ſignificet. 59
Αἴκυλος. 81
Al. 53, 98, 103
Albula fl. 53
Allegoriæ, & Ianigenarum fabulæ vetuſtiſſimæ, diligenter ſunt examinandæ, & ad veritatem referendæ. 100
Amor Dei in animis lethali vulnere ſauciis id præſtat quod thus in corporis vlceribus vulneribúſque. 34
Amota. 101
Amphippi. 109
Angeli, Dei miniſtri, præfecti ſunt ſingulis regnis, ciuitatibus, &c. 88
Annius Propertij & Tibulli interpres reprehenditur. 38, 42, 44, 47, 48, 50, 57, & ſeq.
Annus in duas partes diuiſus à priſcis. 61
Apſel. 75
Apollo. 107
Ar. 82
Arbor vitæ. 80
Arbutus. 82
Artemiſia quare vocata ſit herba ſancti Ioannis: & eius variæ facultates. 47
As ſiue Aes. 38
Atalanta. 69
Atys. 107
Au. 25
Audom. 57
Auellanæ nuces. 101
Auentinus mons. 111
Auium captura. 108
Aurancia mala. 79
Aurea mala. 67, & ſeq.
Aurelius. 30
Aurigarum factiones. 108
Auris. 44
Aurem vellere. 45
Auriculam apprehēdere. 45
Auſon. 25
Auſonia. 25,93
Autom. 57
Automnus æſtatis pars. 61
Automnus hominis ſenio optimè comparatur. 57
Automnus vnde dictus. 57

B.

Bacchus. 107,108
Baculus paſtorum, pedū. 109
Baer. 59
Baiæ. 31
Baien. 31
Balanus. 82
Balg. 99
Baſilicæ nuces. 101,102
Battarus fagus. 84
Baum. 81
Baw. 81
Bee. 90
Been. 80
Behal. 110
Beien. 111
Bel. 99
Belg. 99
Belgæ Gallorum populi vnde dicti. 99
Bellona vnde dicta. 99
Bellum. 99
Ber. 59
Betalen. 46
Boet. 108
Bi-boet. 47
Bombyx alata. 106
Bombycinæ veſtes. 105, & ſequent.
Bont. 99
Boom. 81
Boom-gart. 81
Bou. 49
Brabyla pruna. 62,63
Bzuu. 54
Buet. 82
Bullio. 46

C.

Ca. 94
Cacus. 94
Cælius mons. 112
Cai. 31
Caia. 28,29
Caieta. 31
Caius. 28,29
Capo. 31
Car. 102,107
Carmani. 112
Carmenta. 95
Carn. 102
Caryon nux regia 102, & ſequent.
Caſtana, ſiue Caſtaneæ nuces. 101, & ſeq.
Cedrelate. 78
Cedrion. 77
Cedrum. 78
Cedrus. 77
Ceraſum, Ceraſi fructus. 63
Ceraſus arbor. 63
Ceraſus ſignū Veris, primum arboreum fœtū poſt hyemē mortalibus oſtēdit. 64

Ceraſorum epitheton. 64
Cerea & Cereola pruna. 63
Ceres dea. 105
Chamus ſiue Chameſes, nefarius filius Nochi, idolomaniæ auctor. 37. *Iupiter Hammõ vocari voluit.* 37
χέω. 78
Chiet. 78
Chitran ſiue Chetran. 78
Chriſtiana religio ad Italos exteros tranſlata, & primaria eius ſedes in Italia collocata. 93
Chriſtus Dius fidius & Sabus. 99
Chrymela. 69
Chryſomela. 69
Cibus & potus quibus rationibus ſumi debeant. 85
Cimber, Iapeti filius. 25
Cimbri. 25
Cimbri coacti habitare cum exteris, non agros tantùm amiſerunt, ſed etiam linguam ſuam antiquiſſimam corruperunt, &c. 89, 90, 91
Cimbricæ linguæ admiranda proprietas in vocibus ichnæis. 27
Cimbricarum vocum radices primæ vna dumtaxat ſyllaba conſtant. 27
Cimmer. 25
Cimmerij in Italia à Comero collocantur primùm. 31
Circe. ibid.
Circæi. ibid.
Citrium malum. 66, & *ſeq.* 77, & *ſequent.*
Citron vnde dicatur. 78
Coæ veſtes. 105, & *ſeq.*
Coccomala. 66
Coccygis malum. 62
Coccymalum. 62, & *ſeq.* 66, & *ſeq.* 71
Codymalum. 71, 75
Coel. 112
Coi. 94
Com. 82
Comarus. ibid.
Comari ſiue Arbuti fructus. 81, 82
Combet. 25
Comer filius maximus natu Iapeti. 25. *in Italiam venit.* 31
Comerij. 25, 27
Corbis. 107
Corf. ibid.
Corona vnde dicta. ibid.
Corona pomoſa Vortũni. 65
Corporis refectio. 85, & *ſeq.*
Corylus. 101
Cotoneum malum vnde dictum. 73, & *ſeq.* 75
Cotoneum, Cydonium, Struthion, idem malum. 75
Cotoneorum triplex diſcrimen. 70, & *ſeq.* 75, & *ſequent.*
Cotoneæ telæ. 105
Cou. 87
Cuculi mala. 62
Cumæ. 31
Cumber. 25
Cur. 96
Cur-ruiters. ibid.
Curruſt. ibid.
Curus. ibid.
Curtius lacus. 54
Cut/Cutte. 71, 73
Cydonium *malum ſiue Cotoneum.* 75
Cydonium malum vnde dictum. 71, 72, & *ſequent.* 75, & *ſequent.*
Cydonium malum coniugij ſymbolum, à ficu Indica maximè differt. 76
Cydonia mala aureo colore inſignia, aurea, & Heſperidum mala ſunt. 68, 69, & *ſequent.*
C*ydonia mala Veneri ſacra.* 68, & *ſeq.* 70, & *ſeq.* 73, & *ſeq.* 76, & *ſeq.*
C*ydoniorum malorum lanugo tenera quid ſignificet.* 77

D.

Damaſcena pruna. 63
De *articulus.* 32
Delli crateres. 46
Deſultores. 108
Deus ne pretioſiſſimi quidem fani, nedũ vulgaris templi, cupit honores. 43
Deus omnia fit omnibus. 43
Deus vnus & ſolus ciuitatum & regnorum cuſtos atque protector hoſtes profligans &c. 98, & *ſeq.*
Dei nullum nomen eſt proprium, ſed ei homines nomina fingunt. 89
Dij varij apud inſanos homines vnde orti. 107
Dien ſiue Dijen. 40, 74
Dius. 97
Dius Fidius. ibid.
Dius Fidius, Chriſtus. 99
Dius Fidius, Sabus. ibid.
Dius Fidius Quirini ſiue Enyalij filius. 97, 99
Donum Dei, corporis & animi integritas. 85, & *ſequent.* 86, & *ſequent.*
Donum omne perfectum à Deo perfecto proficiſcitur. 86
Druides vnde dicti. 84
Dryades quercuum numina. 88
δρῦς. 87
Duodecimi numeri apud Cimbros ſymbolica ſignificatio. 113
Duodenarius numerus addictus Romano imperio. 51

E.

Ee. 71, 114
Eer. 81
Eeckel. 81
Eel. ibid.
Eeldom. 57
Een. 89, 98
Eer. 75, 78
Egeria Nympha. 113
Eir. 81
En. 98, 104
Eut. 111
Enyalius Deus. 97, 98, & *ſequent.*
Enyo Dea. 97, 98, & *ſeq.*
Epheſia Artemiſia. 47
Epiſcopus. 36
Euander Chriſtum & Nochum deſignat. 94
Euander vnde dictus. 93, 94

Faem.

F.

Faem. 104
Fagus Latinorum, Phagus Græcorum non eſt. 83, & ſeq.
Fagus Latinorum, perinde atque Phagus Græcorum Ioui conſecrata. 83
Fagutalis Iupiter. 84
Fama vnde dicta, & quid ſignificet. 104
Famæ deſcriptio. ibid.
Fatum vnde dictum. 44
Faunus vnde dictus. 108
Faunus aucupio præſidet. ibid.
Faunus Latini pater. ibid.
Feg. 85, & ſeq.
Feger. 85
Fel. 75
Fen. 107
Fer. 50
Ficus vnde dicatur. 76
Ficus Indica, vetitum fuit pomum, quod primi noſtri parentes comederunt. 76
Ficus Romula & Rumina. 54, 56
Ficus teſſera abundantiæ lactis, &c. 56
Fidius. 97, 99
Fiſcennina carmina. 101, 103
Flaſconus mons. 48
Flumina quid præſtent. 52
Fœnum vnde dictum. 107
Form. 76, 108
Forma. 76
Formaet. 76, 108
Fortuna vnde dicta. 44
From. 50
Fumus præcipuum ſymbolum in ſacris. 33
Fur. 108
Fijg. 76
Fy-ghy. ibid.

G.

Ga. 27
Gai. 27, & ſeq. 81
Gaiken. 29
Gait. 27
Gaius. 27, 28
Galatæ. 27, 29
Galli vnde dicti. 27, 29
Galli in Phrygiam miſſi coloni à Cimmerijs, tranſmigrarunt in varias ſedes. 30
Gallorum mores. 29
Gaudeo, es, ere. 27
Gef. 85. & ſeq.
Gehul. 49
Gemael/Gemahel. 76
Ger. 114
Gertroudis. 47, & ſeq.
Ghelat. 29
Giet. 78
Glans, glandis. 81
Glandes inter poma cenſentur. 82
Gomer. 25
Got. 107
Græca lingua à Lydis in Italiam non eſt inuecta. 38
Gramen vnde dictum. 107
Gras. ibid.

H.

Haeſt. 60
Hammon. 37
Hans. Hanſus. 48
Hap. 75
Har. 107
Hau. 111
Haut. 80
Hebenum. ibid.
Heim. 57
Hem. 105
Her. 56
Heracleoticæ nuces. 161
Hercules Chriſtus, Cacum, id eſt, cacodæmonem vicit claua, id eſt, cruce, &c. 93, 94
Herculis ara. 93, 95
Hermæ. 56
Heſperia. 25
Heſperidum mala. 66, & ſeq. 69, & ſeq.
Het. i. caput. 31
Het articulus Cimbricus. 40
Hetruria vnde dicta. ibid.
Hetruſci. ibid.
Hippomanes. 69
Hoe. 107
Hoien. ibid.
Hoet. 31
Hoon. 78
Hoor. 105
Hot. 98
Hu. 98, 103
Huet. 56
Hui. 32, 36, 57, 79
Hul. 110
Hult. 50
Humilitas primus gradus ad felicitatem. 34
Hut. 102
Hy. 98
Hyems vnde dicta. 57
Hyemis natura & proprietas. 57, 60
Hymen vnde dicatur. 103

I.

Ia. 27
Iag. 28, 107
Ianus. 27, 36
Ianus Lydus dictus. 40
Ianus Thuſcæ gentis auctor, meritò primus potuit vocari Thuſcus. 36
Iani nomen ad diuum Ioannem tranſlatũ. 47, & ſeq.
Iani Flemingi Epigrammata. 3
Ianiculum. 32, 36
Ianigenarum regio & lingua. 89, 91
Iap. 22, 75
Iapetus ſiue Iaphet Nochi filius, pater Comeri, 25 ad Heſperiæ laciniam appellit, 31. Thuſcam gentem condit. 32
Iaphet ſiue Iapetus vnde dictus. ibid.
Iapygia. 31
Ichnææ voces. 27
Ilex vnde dicatur. 81
Ilicis glans. ibid.
Ilicis varia genera. ibid.
Ioannes, Ianus. 47
Ioannes Baptiſta quare dicatur itineribus patrocinari. ibid.
Iouis glans. 101, & ſeq.
Italia. 90, & ſeq.

Italia omnium exterarum linguarum caput &c. 92, 93 *& ſeq.*
Italia, Saturnia dicta. 39
Iuga Iuno, Iuga Venus. 73
Iugarius vicus. 73
Iuglans. 81, 101 *& ſeq.*
Iuno vnde dicta. 98
Iupiter Hammon. 37

K.

Keer. 64
Kennen. 101
Kit. 78
Kutte. 71

L.

Laem. 75
Landt. 81, 110
Lapathum. 63
Laſt. 103
Lat. 29
Latium. 37
Leb. 99
Lef. 75
Leg. 81
Legom lignum. 81
Libanum thus. 35
Lit. 46
Lie. 40
Lignum, ligni. 81
Lim. 78
Limon vnde dicatur. 78
Lon. 49
Longhula. 49
Loon. 49
Luc. 112
Lucumon. 109, 112 *& ſeq.*
Lucumones duodecim apud Thuſcos. 113
Lui. 50
Lupa. 50
Lycmon. 109, 112
Lydi. 37, 39 *& ſeq.*
Lydus Ianus. 40

M.

Mael. *i. molo.* 75
Mael. *i. conuiuium.* 75
Maen. *i. luna.* 112
Maen. *i. moneo.* 56, 105, 112
Malum vnde dictum. 75
Malum primo arboris fructum, poſtea omne animal quadrupes, quo homines veſcerentur, ſignificauit. 76
Malum quoduis pomum dici poteſt: ſed dum ſolum ponitur, pro Cydonio maxime accipitur. 76
Mala, ſiue Poma primæ fuerunt hominum dapes. 75
Malorum ſiue Pomorũ varia genera. 65, 66
Mamurius cælator. 114
Man. *i. vir.* 103
Man *ſiue* Maen. *i. moneo.* 45
Maronia. 101
Mattiana poma. 65
Medicum malum. 66, 77 *& ſeq.*
Medius Fidius. 97
Mein. 104
Mein-eet. 104
Melanyon. 69
Melinum oleum. 76
Men. 104
Mendax vnde dicatur. 104
Mẽſæ pretioſiſſimæ apud Romanos è radice Thuiæ arboris. 79
Merc. 38
Mercurius. 38
Meſpilum. 82
Mi/ *ſiue* Mij. 82, 104
Mien. 104
Mien-dacht. 104
Mien-eet. 104
μηλοβολεῖν. 72
μῆλον. *i. malum ſiue pomum* 76
μῆλον. *i. ouis.* 76
Mis. 82
Miſ-pel. 82
Miſen. 31
Miſſenum promontorium. 31
Mitra. 107
Moer. 64, 111
Mola, æ. 75
Molo, is, ere. 75
Mon. 45, 112
Moneo, es, ere. 45, 105
Moor *ſiue* Moer. 64
Mor. 50, 64, 111
Morbus. 50
μορφή. 108
Mors. 50
Mort. 50
Morter. 50
Morus arbor vnde dicta. 64
Mori arboris natura & proprietas. 64
Mori fructus natura & proprietas. 64
Morw. 50
Muit. 107
Murcea Dea. 111
Murceus mons. 111
Murcidus. 111
Mythra. 107

N.

Naem. 105
Neapolis noua vrbs Græcorum. 31
Neceſſitas omnia demonſtrat & docet. 103
Net. 79
Nerantzion malum. 79
Nochus Hercules dictus. 36
Nochus Saturnus dictus, Chameſem è Thuſcorum limitibus eiicit. 37, 39
Nochus Sabinus. 96
Nomen vnde dicatur. 105
Noot. 38, 103
Not. *i. nux.* 82, 103
Not. *i. neceſſitas.* 38
Numa Sabinus, poſt Romulum ad regnum accerſitus &c. 113
Numæ libri, à Romanis, hoſtibus veræ religionis, exuſti. 89
Nuſ. 103
Nut. *i. nux.* 103
Nut. *i. vtilis.* 103, 108
Nux Iouis glans, ſiue Iuglans. 81
Nux nuptiarum ſymbolum 101, *& ſequent.*
Nux vnde dicta. 102
Nucis pineæ ſymbolum. 103
Nucis vires & facultates. 102
Nucum varia genera. 101

O Oeno-

O.

Oenotria. 93
Oenotrij. ibid.
Olympus templum Dei. 43
Om. 50,81
Om—wer. 30
Ὄμβρος. 25
On-wer. ibid.
Onychina pruna. 63
Oz. 44
Our. 87
Oxymala. 66

P.

Pai. 46,50,75
Palatium. 110
Palici dij. 45, & ſequent.
Pallanteum. 110
Pallas. ibid.
Paludes & ſtagna inter Palatinum collem, & rupem Tarpeiam. 53
Panem noſtrum craſtinū da nobis hodie &c. 85
Paſſer Veneris iugalis ſymbolum. 74
Paſſer vnde dictus. 74,75
Pedum, baculus paſtorum. 109
Pel. 82
Pelaſgi. 39
Perſicum malum. 66, & ſeq.
Pertica, haſtæ ſimilis, qua militibus agri diuidebantur. 84
Phagus. 83, & ſeq. 85, & ſequent. 86, & ſequent.
Pheg. 85
φηγός. 85, & ſeq. 86, & ſeq.
φήγω. 85,86, & ſequent.
Phœbus. 107,108
Phœbus armentorum paſtor. 108
Phœbo cithara & plectra quare dentur. ibid.
φώρ. ibid.
Pica. i. haſta. ibid.
Picus Fauni pater. ibid.
Pijcke. ibid.
Pinarij. 95
Pomum & Pomus vnde dicantur. 81
Poma Veneri donum gratiſſimum. 70
Pomorum & pyrorum varia genera. 65,66, & ſeq.
Pomoſa corona Vortūni. 65
Pontica nuces. 101
Potitij. 95
Propertius vnde dictus. 30
Propertij carmen de Vertumno reſtitutum & explicatum. 30,41,42, & ſeq. vſquè ad finem libri.
Proteus. 44
Pruimen. 62
Prunum vnde dictum. 62, & ſequent.
Prunorum varia genera. 62, & ſequent.
Pulla aqua. 54
Pur. 62
Puteoli. 31
πυρομός. 50

Q.

Quando. 87
Que-appel. 71
Quee-ir. Queir. 72
Queer. 96
Quercetorum vmbra ſaluberrima. 112
Quercus cæleſtis alimenti teſſera. 87
Quercus vnde dicta. ibid.
Quercuum numina Dryades. 88
Quercuum præcipua vtilitas. 87
Querquetulanus mons. 112
Quirinus vnde dictus. 88, 89,97
Quirinus Vortomnus dicitur. 89
Quirinus Enyalius. 97, & ſequent.
Quirini ſiue Enyalij filius Dius fidius. 97,99
Quirini nomenclatura vni vero Deo data &c. 89
Quirini diuinum nomen ad idolomaniam accommodatum fraude & impoſtura Draconis. ibid.
Quiris haſta. 96,97
Quis vel Qui. 87

R.

Ra. 50
Rae. 102
Rant. 79
Rees. 105
Regiæ nuces. 101,102
Rijcdom. 57
Rijt. 96
Robur arbor. 87
Robur. i. valida firmitas. ib.
Rof. 108
Rom. 50,64,110,111
Roma. 37,50
Rommel. ibid.
Rommeler. ibid.
Romula ficus. 54,56
Romulus. 50,54,109
Ron. 107
Roof. 108
Room. 37,50,54
Roſæ circumferri vênum ſolent. 109
Rou. 87
Rou-our. ibid.
ῥωμή. 50
Ru. 38
Rudis, is, e. ibid.
Ruim. 63,105
Ruimen. 62
Ruma. 50
Rumex rumicis vnde dicatur. 63
Rumina ficus. 54
Rumor vnde dicatur. 105
Ruſt. 96

S.

S pro Des/ articul. genitiui caſus. 74
Sabina arbor. 33
Sabina herba. 96
Sabini. 30,96,155
Sabinus vnde dictus. 96,99
Sabinus Vitiſator Nochus. 96,99
Sabus. 96,98,99
Sac. 99
Sacrificandum ſoli Deo. 33
Sacrificium omne quò ſpectet. 32
Sacrificiorum externus cultus. 33
Sae. 61
Sam. 62
Sardiniana glandes. 102
Saron, σάρων. 87
Sarpedon vnde dictus. 84

Sarpe-

Sarpedon, pertica læſus, ſub fago Iouis collocatur à ſociis, &c. 84
Sat. 38, 61
Satis. 61
Satur. 61
Saturnia. 37, 93
Saturnia dicta Italia. 39
Saturnia Romæ nomenclaturam accepit diuino inſtinctu. 50
Saturnus vnde dictus. 38
Saturnus Nochus. 37, 39
Saturnus Pici pater. 108
Scirpiculum ſiue Scirpiculus. 109
σκοπέω. 36
Scopus. 36
Scou. 36
Seer. 105
Seerd. 105
Seerden. 105
Seeren. 105
Seres populi. 105, 106
Seres vermis. 105, *& ſeq.*
Seres vermis palingeneſiæ ſymbolum. 106
Sericæ veſtes. 105, *& ſeq.*
Serici vermes varij. 105
Seſtiana ſiue Sextiana poma. 65
Sex. Propertius. 30
Siluanus idem qui Faunus. 108
Simulacra Romanis multo tempore incognita, Romam primùm à Tarquinio Priſco allata. 55
Simulacris Dei & eius miniſtrorum quare veteres Romani abſtinuerint. 55, *& ſeq.*
Simulacris & imaginibus quomodo vti liceat. 55, *& ſequent.*
Sin. 48
Solis varia nomina. 107
Solſtitium. 61
Som. 62
Somer. 62
Son. 25
Sorbum vnde dictum. 104
Sour. 104
Statuarum ſimplicitas prorſus ſymbolica, & vtiliſſima, in maximum Idolorum Oceanum verſa. 56
Ston. 60
ςρουθὸς. 74
ςρουθίον. 74
ςρουθεῖον. 74
Struthium, herba Lanaria, ſiue Herba fullonum dicitur duplici ratione. 74
Struthium obſcena pars virilis. 74
Struthia mala. 74
Summa. 62
Superſtitiones antiquæ ad Chriſtianum ritum accommodatæ. 47
σῦκος. 76
Symbola quædã olim à veteribus Romanis collocata; Simulacra autem nullius erecta. 55

T.

Tal. 90
Talen. 46
Tar *ſiue* Dar. 111
Tarpeia rupes. 111
Tas/Te-as. 38
Tas. 61
Te. 71
Tempus omnia domat. 52
Ter. 58
Ternarius numerus amoris vinculo conuenit. 68
Terræ ſymbolum. 1
Thalia Palicorum deorũ mater. 46. *Vnde dicta.* 46
Thalaſsij acclamatio in nuptiis quid deſignet, & vnde dicatur. 103
The *ſiue* De *articulus.* 79
The *ſiue* Te. *i. ad.* 103
Theodori Gazæ error in fagi nomine pro Phago. 83
Theutones. 25
Thran. 78
Thuia arbor. 33, 78, 79, *& ſequent.*
Thuium ſiue Thuia arbor, Cedrino generi annumeratur. 80
Thuium ſiue Thuia arbor, arbor vitæ dicitur. 80
Thus thuris vnde dictum. 33, 36
Thus caritatis & amoris ſymbolum. 34
Thus diuinitatis ſymbolum. 33
Thus integrum, non confractum, igni iniiciendum, & Deo offerendum. 34
Thus ſacrificiis diuino conſilio adhibitum. 35
Thuris natura & dotes. 33
Thuſcus vnde dictus. 32, 36
Thuſcus Herculis filius. 36
Thuſcus vicus. 109, *& ſeq.*
Thuſcæ gentis conditor Iapegus. 32
Thuſci, Tyrrheni. 39
θυίκη. 33
Thymiama. 33
θυμιάω. 33
Thymus. 33
θύος. 33
θυοσκόος. 36
Ti/Tij/Tijd. 52
Tiberinus fl. 52
Tiberis fl. 52
Tiberis reſtagnatio. 53
Tibulli carmen de Vortumno. 41
Toon. 38, 103
Torminalia ſorba. 104
Trou. *i. connubio iungo.* 74
Trou/*Tru. i. verus.* 40
Tucor. 32
Twelf. 113
Tyrrhenus Lydi propago non malè vocatur. 40
Tyrrheni Lydi non fuerunt. 37, 38
Tyrrheni quare vocati Thuſci. 39
Tyrrheni vnde dicti. 39, 40

V.

Vadimon deus quis ſit, & vnde dictus. 44, *& ſeq.*
Vadimonis lacus. 45, *& ſeq.*
Vadimonium. 45
Vador. 44
Vas, vadis. 45
Vaſt. 45
Vat. 44

Veg. 85.& ſeq.
Veger. 85
Velabrum. 54
Veneris poma cana. 71
Ventus. 58
Ver, veris, vnde dictum. 59
Ver æſtatis pars. 61
Ver, Weer / *vocatur prima anni pars, variis rationibus.* 59
Verto duplicẽ habet notationem. 41
Vertumnus. Vide Vortumnus.
Vetulonia. 49
Vinalia Octobri menſe agere ſolent Romani. 57
Vinum. 107
Virgilius Sarpedoni comparatus. 84
Vitalia. 90
Viterbum. 49
Vitula. 91
Vitulatio. ibid.
Vitulor. ibid.
Vitulus. ibid.
Vmbri. 25,29
Vnedo. 82
Voi. 108
Vol. 48
Vol-turus. 96
Volſinium vnde dictum. 48
Volſinium locus ſaluberrimus & amœniſsimus in Hetruria, Muſis maximè conueniens, & prima diſciplinarum ſedes. ibid.
Volturna. 49
Vor. 41
Vorder. ibid.
Vort. ibid.
Vortdom. ibid.
Vorto. ibid.
Vortom. 57
Vortumnus vnde dictus. 31 41, & ſeq.
Vortomnus Thuſcus. 41
Vortumni feriæ, Octobri menſe agi ſolent, &c. 57
Vortumni ſignum quãdo & à quo ſit tranſlatũ ex Hetruria Romam. 49
Vortumni ſtatua omnes Dei perſonas, omnes poteſtates, &c. indicat. 89
Vortumni ſtatua ſymbolum fuit, non ſimulacrum, &c. 55
Vortumni templum eſt æternus Olympus. 42
Vortumni variæ formæ. 43
Vr. 38
Vuil. 54
Vul. 53

W.

W aliquando in B, aliquando in Qu, &c. mutatur. 87,89. *pro V longo ſiue magno ponitur.* 90,91
Wacht. 87
Waer. 59
Wai. 105
Walburgis. 47
Walen. 91
Wallen. 46
Walt. 82
Wan. 87
Waut. 108
Ween. 87
Weening. ibid.
Weer. 59,87,89,96
Wein. 58
Wellen. 46
Wer. 59,87
Weren. 52,89
Weſen. 101
Wete. 49
Widen. 87
Wie. ibid.
Wijn. 104,107
Win. 58
Wininghemum. 24
Wint. 58
Winter. 58,60
Wis. 87
Wiſhet. ibid.
Wit *ſiue* wt. 90,91
Witalen. 91
Witalia. 89
Witer. 49
Wort. 40

X.

Xanthus Lydus hiſtoricus. 38

Z.

Zelotypiæ ſacrificium, & eius cærimoniarum ratio. 35

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Priuilegio ſancitum eſt, nequis *Opera omnia Goropij Becani partim antehac impreſſa, ſed ab ipſo emendata, partim verò non impreſſa*, integra, vel eorum partem aliquam, citra Christophori Plantini voluntatem, à die cuiuſq. editionis abſolutæ intra decem annos, imprimat, aut alibi impreſſa importet venaliáue habeat, ſub pœna confiſcationis librorum: vt latiùs patet in literis datis Bruxellis pænultima Nouembris. M. D. LXXIIII.

Signat.

I. de Witte.

VERTVMNVS.

Interlocutores:

FALKENBVRGVS, GOROPIVS, ET FLAMINGVS.

FALKENBVRGVS.

REBAR equidem me primum ſuaui lætiſſimæ huius auroræ luce perfruiturũ, ita matutinum me eripui portis: verùm hæc opinio me fefellit; atque vtinam ſola hoc die fallat. Video enim alium ſuburbanæ auræ primitias ante me decerpſiſſe; & ni prorſus cæcutio, Goropius eſt, deambulationis tam impensè ſtudioſus, vt cum ipſo Herodico certare poſſit. Quin igitur hominem inclamo? Goropi, Goropi, εὐημέρει. GOROP. Quid hoc monſtri? adeóne ſubitò citra talaria & Abaris ſagittam raptus ſum in Græciam? Quis vocat? bene res habet: bonis auibus vrbem exiui: Falkenburgum cerno; qui ſi comitem ſe mihi præbebit, vt ſolet, quàm humaniſſimè, diem hunc mihi lepidiſſimis ſuis colloquiis & eruditis ſalibus quibus ſemper abundat, beauerit. Deſino nunc mirari Græcam ſalutationem: cùm enim nemo plures auctores Græcos deuorauerit, nihil miri, ſi Græca eructet. Reſpondeat igitur Græco vati Græcus vates:

ἀλλὰ θεοὶ σοι δοῖεν ὅσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς.

Quid hoc eſt, Falkenburge, támne mane me inuitas ad Græcandum? FAL. Inuito ſane, ſed prius tamen ad ambulandum: nec me comitem aſpernaberis, niſi & aliũ fortè hominem hodie indueris, & Homerici illius ſis oblitus:

σύν τε δί' ἐρχομένοιο θεοὶ διδόασιν ἀμείνω.

Sciſne non tantùm de Ariſtotelis placitis, quibus lubenter ſoles immorari, ſed de Iouis etiam ſententia, humanæ naturæ ſolitudinem aduerſari? Quid quod Socrates tuus adeò fuerit ſolitudinis inimicus, vt vix vmquam Athenas exiuerit; ne ſolus eſſet. Vt igitur ſpero gratum meum aduentum tibi eſſe: ita demiror, qui ſolus exiueris ambulatum. GOROP. Alij nullo negotio de communi prouerbio apud vernaculos noſtros omniũ ore detrito reſpondiſſem, præſtare multo ſolum quempiam eſſe, quàm male comitatũ; ſed tu, cui minimè plebeiam hanc vocem obiici conuenit, ſic habeto, me numquam minus ſolum eſſe, quàm cùm ab omni hominum præſentia quàm longiſſimè abſum: neque verò putes libris etiam opus eſſe, vt in eremo dulci veterum allocutione fruar, quam quidem fateor & iucundiſſimam eſſe, & longè communibus hominum ſermonibus vtiliorem: ſed ipſa nobis natura vbique ſuppeditat, quo otium omne, omniſq. ſolitudo procul excludatur. Vidéſne vt vtraque foſſarum quibus via hæc includitur, ripa vario herbarũ virore nobis arrideat, & ad colloquium inuitet? Habéntne hic oculi amœniſſimum ſpectaculum? habétne lingua in quo ſe exerceat, vt diuerſas è diuerſis ſaporibus facultates colligat? habéntne nares varios odores, vt & ex illis de natura iudicium petatur? Hæc igitur tanta varietas quantum, rogo, materiæ adferet ad interna mentis colloquia diu multumque alenda, præſertim mihi, qui in medicina tum diſcenda tum facienda totam ferè conſumpſi ætatem. Dum cerno ex eodem cœno & ranunculas feruentiſſimas, & nymphæam frigidiſſimam oriri, & continuum capere nutrimentum; vix poſſum ſatis mirari hanc tantam eiuſdem terræ diuerſitatem; vt & vrenti flammæ, & congelanti frigori, alimentum largè fundat. Hinc mox in veterum laudes rapior; qui terræ ſymbolum ſic fecerũt, vt quàm plurimis mammis eſſet inſigne, *Terra ſymbolum.* nihil aliud eo indicantes, quàm admirabilem hanc lactis tum copiam tum varietatem,

quo omnia quæ de aluo ſua protulit, proportione cuiuſq. nutriat. Quantus, bone Deus, hic campus eſt ad excurrendum; quem qui animo luſtrabit, numquam cum ſolitudine expoſtulare poterit, deeſſe ſibi quod diſcat: contrà potius id cóqueratur, tantam offerri rerum varietatem, vt ad eam mente complectendam nulla ſatis longa ætas eſſe poſſit. Iam vt infinitam hanc terræ poteſtatem omittas, in qua numquam deeſt de quo amplius ſit cogitandum: ánnon & ipſe aër auium cantu ad diuinas laudes nos rapit, & innumeras ſuppeditat contemplandi occaſiones? Quid cælum, quid Sol obliquo ſuo curſu? an non ſatis habet latitudinis ad quantumuis magna diſcurſus ſpatia, in quo mens quantumuis ſe exerceat, numquam tamē ad optatam cognitionis metam poterit peruenire, ſemper ſeſe vlterius aliquo offerente, quod penitiùs intelligere deſideret? Quid multis? ſat bene comitatus eſt qui ſibi non deeſt: cùm in ſe perpetuò habeat quicum non ad vnum modò diem, ſed perpetuò loquatur; & id quidem non de rumuſculis, & rebus friuolis; ſed de iis quorum monitu & ſe & Deum nouiſſe poſſit. Quamuis igitur nihilominus quàm Socrates ſemper aliquid diſcere aueamus; non tamen æquè atq. ille rus & ſiluas fugimus, quandoquidem in iis vt comites & libri deſint, non deſunt tamen infiniti magiſtri. FALK. Tu fortaſſe Napæas, Faunos, & id genus ruſtica numina audire conſueſti. GOROP. Non nego & hos quidem frequenter occurrere, dum per totum vniuerſitatis amphitheatrum citatis alis volamus: verùm licet hæc nomina è ciuitate tua poëtica ad nos non veniſſent; plantas tamen & arbores haberemus, quarum alloquiis ſolitudo omnis in ipſa ſolitudine excluderetur. FALK. Sentio profectò te non minus quàm Satyros auritum eſſe, vt qui & arbores ipſas ſuſurrantes intelligas, & perinde atque Apollonius Tyaneus, audias te ſalutantes. Sed aliàs, quoties voles, harum cóſuetudine frueris: hoc die ego tibi, niſi quid vetet, ſolitudinem adimam. Dic itaque quò cogitaris. GOROP. Ad Hygiæ fanum, vt ei exercitatione hac pro thure & mola litem. FALK. Teneo quid dicas, & nihil aliud tibi negotij eſſe, indignè fortè ferrent Spartani, qui ſuis ambulatione interdixiſſe narrantur. mihi certè id ex animi ſententia cecidit, te non alium tibi itineris finem, quàm bonæ valetudinis confirmationem propoſuiſſe. Quantum enim intelligere poſſum, tua nihil referet, quorſum eas; modò Æſculapij tibi filiam concilies ambulando. Quod igitur tibi frequentiſſimè dedi, vt complura millia paſſuum tecum otioſus conficerem; id ego hodie viciſſim abs te mihi dari velim. GOROP. Lubentiſſimè profectò, & id quidem, vt dicis, ex debito; ſed dic quorſum me ſis ducturus. FALK. Ad Arnoldi Flemingi Wininghemicum prætorium. GOROP. Nihil ſanè accidere potuit optatius. ſed quid te illuc inuitat? FALK. Ipſe Flemingus, nec is ſolus, ſed ipſi etiam Iani Flemingi fratris piæ memoriæ manes eôdem impellunt. GOROP. Huius ſuauiſſimi mei patroni non poſſum citra acerbiſſimum dolorem meminiſſe, qui eo me grauiùs affligit, quòd mors tam repentina fuerit, vt omnem operam meam præuerterit. Crediderim equidē Parcas metuiſſe, ne rurſus, vt bis antea in Hiſpania, ab Orci faucibus amicum reuocarem. FALK. Nec minus ego quoque ægritudinis perſentio. Nam quamuis non ita vetus inter me & eum notitia eſſet; tanto tamen arctius amicitiæ vinculum fuit, quanto calidius ego Muſarum myſtas amplector; in quorum numero quis fuerit Ianus Flemingus, te fruſtra docerem, vt qui ei non hîc modò, ſed in Pintiana etiam villa ante multos annos fueris familiaris. GOROP. Ita eſt. FALK. Equidem ſuauius, elegantius, acutius, ſalſius ingenium non puto me vſpiam gentium nouiſſe; quod ſi totum Muſis dedicaſſet, facilè cum ſummis laudatiſſimi ſæculi vatibus certare potuiſſet: verùm, vt mos eſt noſtratibus, à Camœnis ad Mercurium collybiſticum defecit: in eo recens Iaſparis Sceti ſoceri ſui exemplum ſecutus, qui cùm inter poëtas palmam facilè ferre poſſet, maluit in foro & reip. luce maximus haberi, quàm in ſacris Heliconis iugis hedera coronari.
FALK. Non malè tamen Goropi ita comparatum eſt, vt diuiniſſima quædam ingenia ab hac ſtudiorum amœnitate ſeſe ad remp. conferant; quo ij qui in tenui re Muſas colunt, ſuos habeant patronos & Mæcenates, citra quorum ſubſidia difficile eſt otium litterarum tueri. Ceterùm, quia te non minus bene quàm me ipſum erga communis amici manes affectum video: dicam qua gratia ad fratrem eius hoc diluculo properare cœperim. Non potui committere, quin optimo cùm vati tum ſtudioſorum omnium patrono epitaphium canerem, quod modò pro virili quidem parte mea abſolutum ad

fratrem

fratrem fero: &,ſi lubet, vt eius lectione itineris tædium fallamus; & aures mihi ad iudicium tuum commoda, quo ſi quid te offendat, mihi prius fias Ariſtarchus, quàm ab aliis carmen hoc legatur. GOROP. Non exſpectaueram tantùm mihi hodie felicitatis oblatum iri, vt non comitem modò & congerronem lepidiſſimum nanciſcerer, ſed carmine etiam inter eundum demulcerer. Quod autem me cenſoriam virgulam arripere vis, id tu quidem facis de ſolita tua modeſtia, ne dicam Socratica quadam ironia. Equidem cùm non ignorem quid Matiyæ olim dicatur accidiſſe, diligenter cauebo, ne quem poëtam temerario iudicio irritem. Sed age ſis, incipe modò recitare: ſi quid erit quod non aſſequar, eius ego rationem potius & interpretationem rogabo, quàm vt otioſis tantùm auribus, mente interim aliò peregrinante, videar audiuiſſe. FALK. Legam itaque: ſed ſubuereor, ne luctuoſum argumentum & Dorica lingua te offendat. Quamobrem velut ad Hecates te cœnam inuitaſſem, quæ delicatis palatis minimè grata eſt; ita promulſide ſtomachum tuum exacuam, quo quantumuis dura ad concoquendum, & arripere auidè, & probè conficere poſſit. GOROP. Attuliſti ne vnà tecum oxyporum aliquod, aut colymbadis, aut garum Sociorum, an fortaſſe ſcorodalmen aliquam ex Ariſtophanis culina, qua mihi languentem ſtomachum famelicum reddas? FALK. Nimis craſsè & medicè verba mea capis; quaſi ego Apicianam emblemmatum officinam circumferrem. Suauiore longè intinctu non linguam, ſed aures irritabo. Habeo in ſinu non pauca Iani Flemingi carmina, quæ ad fratrem, à quo legenda accepi, reporto, tam delicata, tam ſalſa, tot vrbanis leporibus condita, nihil vt magis elegans, nihil vt magis auditu iucundū eſſe queat. Ex his aliquot epigrammata tibi dabo delibanda, quibus diſpeream niſi te reddam flagrantiſſimum ad cetera audienda: quorū tum loco epitaphium meum ſubiiciam; quo feruentibus adhuc auribus citra moleſtiam deuoretur. GOROP. Quamquam nihil opus erat incitamentis ad carmen tuum audiendum: quia tamen ingenium Flemingi amœniſſimum & gratiarum plenum ſciō fuiſſe, nihil poteſt gratius accidere, quàm ſi des aliquot eius epigrammata deguſtanda.

CAROLI V. IMP. SEMPER AVGVSTI,

EPITAPHIVM VALLIS-OLETI:

Per Ioannem Flemingum, Dominum in Wineghem.

CAROLE dum mæſti perſoluunt debita iuſta
Nata Nepóſque tibi, & ſollemni more parentant
Funebrem ad pompam: fatalia numina Parcæ
Conueniunt, Diuûmque alij, tum fortè Sorores
Fatali commota vrna: præconia famæ
Clara tuæ, partumque tibi per funera cælum
Dum memorant, mæſtis numeris ſunt taliter orſæ:
Nos tibi Regales ortus, Regalia ſceptra,
Et dedimus puero tibi florentiſſima regna,
Romanum iuueni Imperium, mox orbis habenas
Tradidimus, ſuperis ſimul & plaudentibus aſtris:
Quæ tibi naſcenti vel feliciſſima cælo
Fulſerunt. Sic ipſe tuo Iouis ales in ortu
Conſtitit, atque tibi geminæ micuêre coronæ.
Hæc oriens, medio ſtetit altera vertice cæli,
Vtraque Cæſareos quondam ornatura triumphos.
Inde nouo pater armipotens lætatus alumno,
Auſpiciis tentata tuis bene prœlia vertit.

Sic mox Heſperiæ magna cum laude tumultus
Componens, pacem populis & iura dediſti.
Sic inſperato victi certamine Galli,
Flumina Ticini fuſo tinxêre cruore:
Et triſtis captum defleuit Gallia Regem.
Sic aliâs inuicta ſuo cum Præſule Roma
Capta fuit, dominæque orbis dominatus es vrbi.
Armaque Threïcium fugientem auguſta tyrannum
Danubius pater aſpexit, fluiduſque Tibiſcus.
Sic etiam Libycis tua proſpera prœlia buſtis
Africa teſtatur. Ceſſit tibi victa Tunete:
Ceſſit & incenſa prædonum claſſe Goleta.
Belgica deinde nouos agitat dum forte tumultus
Terra parens, non hoſtiles tranſire per agros
Es veritus, fide Gallorum diſcrimine magno
Confiſus: tibi tanta fuit ſedare cupido
Flandrorum motus, patriæque parare quietem.
Ecce ſed occulto conſpirans Geldria bello
Gallorum cum Rege: tibi fuit altera cauſſa
Vincendi: peruulgato ſic vnius vrbis
Excidio. Sine cæde virûm, ſine ſanguine fuſo
Progreſſus, gentem indomitam, genus acre Sycambros
Viciſti. Gallóque nouæ noua fœdera pacis
Concedens, incerta paras fortiſſimus arma
Cæſare digna, quibus diſcors Germania tandem
Victa, tuas Aquilas & ſceptra potentia ſupplex
Agnouit: Cunctique tibi ceſſere rebelles.
Quin etiam auſpiciis alio noua Regna ſub axe
Parta tuis. Obeunt, quos eſt mirata vetuſtas,
Antipodes tua iuſſa. Nouus tibi ſeruit & Orbis.
Hæc bello. Nunc quanta fuit prudentia pace,
Dum populos regis imperio ac moderamine miti.
Iuſtitiamque colens, Diuûm ſtudioſus honoris:
Relligio tibi præcipuè fuit vnica curæ.
Ah quanto collapſa tibi ſtetit illa labore,
Diſcordes dum per diſcordia dogmata gentes
Compoſuiſſe ſtudes. Niſi ſors conatibus impar
Turbaſſet medios, prô, vota per irrita curſus.
Illa fuit perſæpe tuis contraria cœptis,
Et terra pelagóque graui deſæuiit ira.
Sic infelici tentata eſt Africa bello
Aduerſante Deo pelagi, qui viderat ante
Signa tua Herculeas vltra prolata columnas.
Ne've tuis totum titulis accederet æquor,
Sæuiit in claſſem. Sic & Germania bellax
Indignata iugum, ſumptis ſe vindicat armis.

Tu ta-

Tu tamen hæc variæ ſemper ludibria ſortis
Ingenti viciſti animo. Victoria tandem
De te ipſo poſtrema fuit, dum cuncta reſignans
Magnanimo viuus nato tua Regna Philippo,
Otia decrepitæ quæris tranquilla ſenectæ,
Priuatæque ſtudes vitæ, ſolique quieti
Noluimus: ruptóque tuæ mox ſtamine vitæ,
Iuſſimus accedas tandem noua gloria cælo.
Hîc Mauors tibi fortè locum, qua portitor Helles,
Aut vbi ſigniferum ſtellis ardentibus ornat,
Scorpius elegit: legit tibi proxima ſigna
Alma Venus, qua Libra micat radiantibus aſtris.
Contra Aſtræa ſuo voluit defigere ſedem
Auſtriaco, qua parte poli ſua ſidera fulgent
Virginis Erigones tardo coniuncta Booti.
At pia Relligio Diuûm præfecerat aræ
Fulgenti latè cælo, ſed noluit ipſe
Iuppiter, anguſta qui cæli parte locatum
Præfecit te nempe ſuis ſancto ordine ſtellis,
Quas pius ille ſenex arcu fixáſque ſagittis
Et manibus, cubitóque, & toto corpore Chiron
Suſtinet, & claro radians diffundit Olympo:
Vnde tuos foueas ſemper procliuis Iberos:
Vnde tui ſemper Capricorni proxima ſpectes
Quæ fulſère tuis orientia ſidera cunis.
Ille fores ſeruans cæleſtis Ianitor aulæ,
Te, ſi quando lubet Diuûm ſuccedere tectis,
Inducet cælo: nam ſic mandauerat olim
Iuppiter, & Superi pleno aſſensère ſenatu.
Hic pietatis honos: hæc vitæ fortiter actæ
Præmia: quæ nec mors, non vlla iniuria lædet
Temporis. Hæc ternæ pariter cecinêre Sorores.
Singuláque æratis mox inſculpsêre tabellis.

EPITAPHIVM MARIÆ
REGINAE HVNGARIAE.

FVNEBRES has exequias, funebria iuſta,
  Et de more pias ſoluimus inferias,
Manibus ô Regina tuis: ô femina princeps,
  Noſtra cui nullam ſæcla tulere parem!
Crudeles diui, cur tanta licentia morti eſt?
  Siccine erat ſubito præcipitanda malo?
An quia mors magnum confecit Cæſara, prædam
  Hanc dignam titulis credidit eſſe ſuis?
Atropos, vt famæ, & virtutibus inuida, vitæ,
  Stamina præcipiti rumperet vſa manu?

Illa tamen, veluti ſi quis de littore ſoluens
  Nauiget, & placidum per mare tutus eat;
Leniter exceſſit: vitæ ſecura beatæ,
  Aſpectu æterni ſic fruitura Dei.
Natalem Belgis, fatum donauit Iberis:
  Vtraque ſic tellus quod veneretur habet.
Illius ingenium, virtus, animuſque virilis
  Claruit Eois Occiduíſque plagis.
Atque ea florebunt, famaque ſuperſtite viuent:
  Inuida Mors ceſſa, hic nil tibi iuris erit.

IO. FLEMINGVS IVNIOR ARNOLDO FLEMINGO FRATRI CHARISSIMO S. D. P.

ACCIPE perpetuas à charo fratre ſalutes
  Frater, & hæc vitæ nuntia ſcripta meæ.
Hactenus ad Tamiſim Londina viuimus vrbe,
  Anglica non aliam qua tenet ora parem:
Pulchra ſitu, populoſa viris, magniſque ſuperba
  Cenſibus, & cultu eſt ſuſpicienda ſuo.
Multa quidem exhibuit viſu digniſſima, ſed quæ
  Omnia ſit longus commemorare labor.
Non procul hinc qua terra plagas videt iſta cadentes,
  Vna ſed è multis Regia celſa iacet,
Quæ modò præſentem hoſpitio clariſſima Regem
  Excipit, atque ſui Principis ora videt.
Hunc ego, laus ſuperis, vidi, ſed ſæpe videndo
  Non oculos potui, non ſatiare animum.
Ille decem, vt memorant, coniunxit quatuor annos,
  Et peragit vitæ tertia luſtra ſuæ.
Tanta ſed eſt puero placidi reuerentia vultus,
  Quanta vel annoſo vix queat eſſe ſeni.
Os nitidum, placidaſque genas, frontémque ſerenam,
  Luminaque humani plena fauoris habet.
Corporis eſt habitus, quem ſi depingat Apelles,
  Non aliqua pingi pulchrior arte queat.
Adde quòd ingenuis animum feliciter ornat
  Artibus, vt ſtudiis vix ferat ille parem.
Hinc affabilitas, hinc illum Regia virtus,
  Mirandum cunctis gentibus eſſe volunt.
Certè ego ſi nihil hac aliud regione viderem,
  Non potero exactæ pœnituiſſe viæ.
Hactenus hæc. nunc propoſiti ſententia noſtri
  Quæ ſit, inexpleta noſcere mente voles.
Proxima cùm referet roſeos aurora iugales,
  Protinus inceptum perficiemus iter:

Et quà ſe latis pandit Cornubia campis,
Ibimus occiduæ ſub regione plagæ.
Atque ibi, nil præter ventos expecto ſecundos,
Flabraque ad Hiſpanum quæ citò littus eant.
Tu modò, vt abſentem, tueantur numina fratrem,
Sis memor attento ſæpe rogare animo:
Vtque habeant ſemper faciles mea carbaſa ventos,
Et reliquum tuta naue per æquor eam.

Vale, xij. Decembris 1551. *Londini.*

EIVSDEM IN ABITVM NEÆRÆ ELEGIA PRIMA.

Ergo dies venit, qua diſiungemur amantes,
Flebilis, & lachrymis ſæpe notanda meis;
Qua procul hinc ſine me, ſic ſors tulit improba, debes
Ire peregrinas, chara Neæra, vias?
Et me rellictum lachrymis, ſæuóque dolori
Ah comitem lateri non licet ire tuo?
Febris enim miſerum inſolitis ardoribus vrgens,
Detinet ingrato languida membra toro:
Et ſtomachus nullam languens admittit orexim,
Qui ſolo appoſitas horret odore dapes.
Vna ſitis nullis vnquam mihi deficit horis,
Quam ſimul exhauſti non leuet vnda Tagi.
Sic mihi natiuos macies inuecta colores
Abſtulit, & toto pallor in ore ſedet:
Inſtabiléſque gradus prono firmare bacillo
Ante diem iuuenis cogor, & eſſe ſenex.
Forſitan hæc poteram patientiùs omnia ferre,
Vnaque multorum noſtra querela foret.
Et ſpes venturæ quondam concepta ſalutis
Non erat afflicto parua medela animo.
Verùm abitus, mea vita, tuos, triſtéſque receſſus,
Quis niſi cum magno ferre dolore queat?
Nil grauius propter Briſeida ſenſit Achilles,
Mouit vt iratum rapta puella ducem.
Illius ereptos dum ſuſpirabat amores,
Nempe fuit tantò digna querela viro.
Nec minor eſt nobis iuſti data cauſſa doloris,
Quem grauis in triſti pectore verſat amor.
Chara Neæra, Neæra, mihi me charior ipſo,
Dum mæſtam hinc ſine me te procul ire queror.
Teque graui deſiderio votiſque requirens,
Ah quoties falſis ludor imaginibus.

Occurrunt mihi blanditiæ, & conſueta voluptas,
Gaudiáque alternis ſæpe iterata iocis.
Et quæcumque mihi tecum iucunda fuerunt,
Nunc grauis afflicti ſunt dolor vſque animi.
Sic mihi nulla dies, non nox fert vlla quietem,
Et viuo vitæ neſcius ipſe meæ.
Et, niſi ſpes reditus, quam tu mihi blanda dediſti,
Vulnera ceu medica noſtra foueret ope,
Certè ego, cùm nequeam tanto ſupereſſe dolori,
Optarem fuſi fila reciſa mei.
Nam quem vita ſuo defatigata dolore,
Anxia continuis aut iuuet vlla malis.
Ergo tibi ſi cura mei eſt, cura vſque reuerti
Ocyus, aut duro fractus amore cadam.
Et grauis aduerſi fuerit mors finis amoris,
Quòd ſi poſt nullus funera reſtat amor.
At tu ſi quando te fortunata reducant
Fata, memor noſtri viue, Neæra, precor;
Et diffunde meo gemitus, lacrymasque ſepulchro:
Illa decent cineres vnica dona meos.

Conqueritur de amore, quod ſe ſolùm ſuis armis impetat, & digreditur ad Neæram, vt ſe amare velit orans.

ELEGIA SECVNDA.

ERGO ego non potui prima vitare iuuenta
Tela pharetrati pernicioſa Dei?
Sæue puer, quid me inſultum tam fortiter vrges?
Et rude tam magno corripis igne iecur?
Parce precor victo iuueni tua ſigna ſequenti,
Qui noua militiæ iam capit arma tuæ.
Parce, nec infeſtis miſerum proſterne ſagittis,
Hoſtibus hæc tua ſunt arma mouenda tuis.
Vre, ſed immodica noli conſumere flamma;
Vre, patent flammis pectora noſtra tuis.
Sentiat & ſimiles formoſa Neæra ſagittas:
Ah nimium formæ fiſa puella ſuæ.
Sentiat illa tui ſit quanta potentia nerui,
Sentiat hæc quanto numine regnet amor.
Atque, faces experta tuas, patiatur amari,
Diſcat & obſequio mollior eſſe meo.
Tunc ego vota tuis ſoluens ſollemnia templis,
Munera cum grato thuris odore feram.
Atque tibi de more nouos ſacrabimus hymnos,
Et quæ ſint laudis carmina plena tuæ.

Tuque Neæra mei iuſtiſſima cauſſa caloris,
   Vt tua fac flammas temperet aura meas.
Perge nec ingrato iuuenem deludere faſtu,
   Ne penitus duro fractus amore cadam.
Sufficiant lacrymæ, gemitus, ſuſpiria, queſtus,
   Et deſiderij ſpéſque metúſque mei.
Sufficiat dolor, afflictum qui luce fatigat,
   Nec minus obſcura me quoque nocte premit.
Sic ingrata Ceres, ingratáque munera Bacchi,
   Et me, ſi qua venit, non iuuat vlla quies.
Morſque in amore meo eſt, niſi tu chariſſima rerum
   Auxilium feſſo qualibet arte feras.
Et mea quæ medicas non ſunt curanda per artes
   Vulnera, facta tuo ſana fauore, leues.
Sic fueris mihi cauſſa mali, mihi cauſſa ſalutis,
   Non ſecus ac quondam Pelias haſta fuit.
Seruatuſque tuo dicam tibi munere grates,
   Noſtraque erit laudis prodiga Muſa tuæ.
Illa tuum longo cantabit carmine nomen,
   Et dicet formæ ſingula dona tuæ.
Quantaque tam raro ſit virtus iuncta decori,
   Quæ tibi certè animos non ſinat eſſe feros.
Sin ſecus: atque hinc durus Amor, dura inde Neæra
   Pergitis in noſtrum duriter exitium.
Ipſe lubens moriar: nec erunt mea funera laudi
   Siue Cupido tibi, ſiue Neæra tibi.
Vtque ea venturis moueant ſuſpiria ſeclis,
   Tale mihi in tumuli marmore carmen erit:
Hic iacet aduerſo iuuenis proſtratus Amore:
   Cauſſa necis miſero dura Neæra fuit.

EIVSDEM IN POSTERIOREM CLADEM VRBIS ROMAE,

ex Italico verſum.

EN dominæ colles vrbis, ſacræque ruinæ,
   Quæ veteris Romæ nunc niſi nomen habent.
Aſt vbi tantorum miſeranda ſorte virorum
   Relliquiæ? letho corpora fuſa iacent.
En pompæ celebres, arcus, ſacra arte coloſſi,
   En, ſed marmoribus nuda theatra ſuis.
Cernite vt in modicos cineres ſint omnia verſa,
   Vilis & externo fabula ſint populo.
Sic licet aduerſum monumenta celebria tempus
   Bella gerant, aliquo tempore victa cadunt.
Nec modò res ipſæ taciturnis paſſibus æui,
   Ipſa ſed & rerum nomina trita iacent.

Ergo

Ergo ego triſtitiaſque meas, interque dolores
Contentus dura ſorte libenter ero.
Nam ſi cuncta ſuo conſumunt tempora curſu,
Et finem noſtris illa dabunt lachrymis.

EIVSDEM IN CARTAM COSMOGRAPHICAM IO. GVICCIARDINI MERCATORIS FLORENTINI, *ab eodem in carcere Antuerpiano factam.*

NASO Tomitano dum viueret exul in orbe
Inter inhumanos, indomitóſque Getas,
Leniit exilij mæſtum per tædia carmen,
Cumque auctore ſuo mæſta poeſis erat.
Sic Guicciardinus dum triſti in carcere vitam
Degit, & hic longo tempore mæſtus agit,
Repperit hæc duræ ſolatia dulcia ſortis,
Lenimenque ſuis, auxiliumque malis:
Scilicet in magno magnum Iouis alite mundum
Pingere præclaræ quod foret artis opus.
Vt licet in parua poſſet ſpatiarier æde,
Parte tamen mundi qualibet ille foret:
Et nunc Eoos, & nunc ſpectaret Iberos,
Nunc loca ſub geminis conſpicienda polis.
Nunc varios montes, diuerſáque flumina terræ,
Æquora nunc tumidis aucta videret aquis.
Denique ſic ſortemque ſuam, & faſtidia vicit
Carceris, atque animi tædia longa ſui.
Ne tamen auctoris labor hic priuata voluptas,
Publica multorum ſed foret vtilitas:
Edidit, atque orbem ſpectandum præbuit orbi,
Sic vt non alia clarius arte queat.
Ergo ſui quicumque vides monumenta laboris,
Iure illi grates candide lector agas.

EIVSDEM IN ELEGIAM MOLSÆ ANTE OBITVM.

AVDIERANT Parcæ hos elegos & flebile carmen
Molſa, quod interitum concinit ante ſuum.
Indoluere deæ, fatiſque iubentibus illi
Fila, ſed inuita præſecuere manu.
Tum pater arcitenens, Molſæ præcocia queſtus
Funera, fatidicos hos dedit ore ſonos:
Molſa breuis tibi vita fuit, ſed carmina viuent
Hæc tua, quæ nullo funere victa cadent.
Et quæ fata tuæ dempſerunt tempora vitæ,
Aucta dabo famæ proſperiora tuæ.

Inter

Inter & Aonios cantabere Molſa poëtas,
Donec ego Latij carminis auctor ero.
Et mea iampridem viuo tibi debita laurus,
Buſta ſuper ſparſis ſtet tua celſa comis:
Vnde petant paſſim venturi præmia vates,
Et tua cum iuſto fata dolore legant.
Terque tuos ſacro venerari carmine manes,
Terra, rogent, cineres non grauet vlla tuos.

EPISTOLA AMATORIA EIVSDEM FLEMINGI.

ANDROMACHE noſtri motrix iucunda caloris,
Vna quies vitæ præſidiumque meæ,
Hæc tibi perpetuam perfert ab amante ſalutem
Littera, languenti vix perarata manu;
Hîc vbi vicinas Prouincia conſpicit Alpes
Gallica, & eſt Ligurum iuncta Nicæa mari.
Terra procul Belgis, vbi te, mea vita, relinquens,
Sum paſſus longæ tædia multa viæ.
Me calor ætherius Nemeæique ira leonis
Torruit, æſtiuum Sole tenente Canem.
Mî montes, mihi ſaxa ſuis in montibus altis
Obuia, feſtinas impediere vias.
Me mare vicinum multis infame piratis
Sollicitum, meritò terruit vſque metu.
Omnia felici ſuperaui fortiter auſu,
Et mihi nunc eadem eſt, quæ fuit antè, ſalus.
Dij faciant ſimili viuas contenta ſalute,
Et precor vt tibi ſit maxima cura mei.
Eſt tibi, nec dubito, ſed & abſens multa vereri:
Forſitan & vanos cogor habere metus.
Da veniam nimium temere peccaſſe fatenti,
Si te non facto crimine lædit amans.
Quod ſupereſt, ego te ſolito complector amore,
Imperiumque mei pectoris vna tenes.
Et memor vſque tui viuens noctéſque diéſque
Torreor, accenſo dum iecur igne calet.
Et quamquam meus ignis abeſt, tamen vrimur igni,
Dum procul abſentem me tuus vrget amor.
Ille graues agitat confuſa in mente dolores,
Durus & aſſiduis me premit vſque malis.
Teſtor ego deprompta imo ſuſpiria corde,
Atque eadem lachrimis humida facta meis.
Qualia Threïcius vates, in rupibus Hæmi
Edidit, amiſſa flebilis Eurydice.

Audiit hæc latis fundata Lutetia campis,
Quaque repartitis Sequana fertur aquis.
Et Ligeris potuit noſtras audiſſe querelas,
Gallica qua ſparſis perluit arua vadis.
Et manſuetus Arar, curſu fortaſſe retento
Conſtitit ad queſtus, indoluitque, meos.
Ipſe pater Rhodanus noſtris eſt fletibus auctus,
Et ſolito rapidis fortior iuit aquis.
Concuſſique meis rigidas ſingultibus Alpes,
Ipſaque conſpicuis horrida ſaxa iugis.
Dij nemorum, reſonansque imis in vallibus Echo,
Sæpius ad gemitus ingemuere meos.
Méque dolor potuit ſaxo mutare vel orno,
Seu flentem in liquidam vertere fontis aquam.
Certa niſi noſtros minuiſſem gaudia luctus,
Per lachrimas memorem dum licet eſſe tui.
Sic mihi ſunt riſus, ſunt vno tempore fletus,
Certantque alternis gaudia cum lachrimis.
Vt conſtare ſibi dicas contraria ſecum,
Vſque adeò forti numine regnat amor.
Flamma abit in lachrimas, lachrimæ ſiccantur ab igne:
Sic lachrimæ flammam, flamma iuuat lachrimas.
Cur ita? nata mari Venus eſt, ſed natus in Ætna
Eſt amor; hic flammas, illa facit lachrimas.
Horum ego dum vitæ conceſſo munere fungar,
Numina ſollemni relligione colam.
Dumque illis meritis ſtatuemus honoribus aras,
Fumabunt ſacris thura Sabæa focis.
Et circum, ſi parua iuuant quoque munera diuos,
Certè ego quæ potero qualiacumque feram.
Atque ea cantatis deuotè ornabimus hymnis,
Quos legat atque auidè ſæpe recantet amans.
His nomen, laudéſque tuas, miſcere iuuabit
Andromache, & formæ munera rara tuæ.
Virtuti coniuncta ſimul, quæ maxima fulgens
Eſt tua cum magnis aſſocianda deis.
Tempus erit, ſi non nobis contraria fata
Impediant animi vota preceſque mei;
Cùm tu, dij faciant, noſtri miſerata caloris
Præbebis vitæ tempora læta meæ:
Damnabiſque moras, dilataque gaudia lecti,
Penſabis longis blandula deliciis.
Tunc mecum mea Muſa tibi deſeruiet vni,
Inque tuo promptum nomine carmen erit,
Quod ſonet Andromachen, quod ſic te laudibus ornet,
Vt magis ipſa tibi iure placere queas.

Cur ita crediderim tibi proxima ſomnia teſtor,
Si modò noſtra aliquod ſomnia numen habent.
Languebam, & triſtes agitabam pectore curas,
Ipſeque erat noſtri cauſa doloris amor.
Cum Cytherea meas non auerſata querelas,
Aſtitit & blanda cum genitrice puer.
Atque ait, ô iuuenis ſolito iam parce dolori,
Si licet, ipſa mea reſtitueris ope.
Namque niſi pugnent fatis contraria fata,
Nec mea ſint alio Numina victa Deo;
Ipſa ſui pridem quæ te deuicit amore,
Andromache thalamis cedet amica tuis:
Feliceſque ambos Amor & Concordia dulcis
Coniugij ad ſummum nutriet vſque diem.
Si tamen ambitio, ſeu mens auerſa parentum,
Ah deſiderio pugnet iniqua tuo;
Auerſuſque Deum genitor Iunone ſiniſtra,
Opponat votis numina dura tuis:
Andromacheſque tuæ, ne quod modò ſperat & optat,
Audiat in thalamos ſponſa venire tuos.
Certè ego quæ noſtri reputetis dona fauoris,
Concordes foueam ſemper amore animos:
Quem non vlla dies, non vlla occaſio rerum
Eruet ex huius pectore ſiue tuo.
Hæc præſens Cytherea, ſuæ ſed & ipſe parenti
Annuit, & meritis dicta probauit amor.
Somnus abit, cumque ipſa Deûm mox numina ſomno,
Aëris in liquidas rapta abiere vias.
Senſi ego quod mentem iam confirmauerat ægram
Coniugij Andromache ſpes mihi facta tui.
Illa tamen ſecum nondum ſecura laborat,
Maiorumque timet quò ferat ambitio.
Ah pereat ſi iampridem ſperata duorum
Optati impediat fœdera coniugij.
Et dulces natos, & quæ Venus aurea ſpondet,
Pignora legitimi turbet iniqua thori.
Dij precor vt tantos liceat vitaſſe dolores,
Nec videant noſtri tam mala fata dies.
Néue, quod heu vereor, fati imperioſa poteſtas,
Alterius ſocium me velit eſſe thori.
Præcipitem rapiat (nolim, ſed dicere cogor)
In non quæſiti fœdera coniugij.
Si tamen hic viſum ſuperis & ſorte maligna,
Debetur tantis anxia vita malis.
Heu mihi quàm multos patiar ſine teſte dolores,
Quantaque in afflicto triſtia corde feram.

Adde quòd occultos graue diſſimulare dolores,
Sitque pati pœnam quàm tacuiſſe minus.
Sola, nec illa tamen, mors interrumpet amores
Triſtis, & humanis inuidioſa bonis.
Nam tua præcipites ſi rumpunt ſtamina Parcæ,
Funeribusque velint me ſupereſſe tuis;
Amittam quod amo; ſed mors non tollet amorem:
Mortua namque eadem cura futura mihi es.
Oſſa tua & cineres venerabor ſæpe ſepultos,
Et tua pro magno numine buſta colam;
Dona ferens, lacrymas, gemitus, ſuſpiria, queſtus,
Quæ dabit ingenti victus amore dolor:
Andromachesque meo, ſeu viuæ ſiue ſepultæ,
Nomina nulla dies auferet ex animo.
Sin verò me fata trahunt inopina priorem,
Et fuerint vitæ ſtamina rupta meæ:
Non tamen extinctum ſolito fruſtrabis amore,
Nec tua cum noſtro funere flamma cadet:
Sed ſolata meos pietas tua maxima manes,
Perſoluet tumulo dona ſuprema meo.
Non violas, non ipſe roſas, triſtéſue cupreſſus
Cedo, nec accenſis arida thura focis:
Andromache, gemitus dabis & lacrymantia verba,
Quæ moneant cineres ter repetita meos.
Quæ procul Elyſiis in vallibus audiat vmbra,
Et fuerint reliquis manibus inuidiæ.
Dij tamen auſpiciis mutent melioribus omen,
Et precor à noſtro mors ſit amore procul.
Interea dum me ſpes & timor vrget amantem,
Fluctuat & dubio noſtra carina mari:
Et peregrè à chara rapior diſtractus amica,
Anxius innumeris ſollicitudinibus:
Andromache mea vita, & vitæ ſola voluptas;
Si qua tamen ſine te vita placere poteſt,
Viue memor noſtri, ſeu me ſors læta reducat,
Seu peregrè cogat viuere, ſiue mori.

IOANNES FLEMINGVS SVAE CHARISSIMAE ANDROMACHAE.

Andromache, chara Andromache, mea maxima cura
Andromache, ô flammæ nobilis aura meæ,
Viue mei ſemper memor, & mihi mutuus ardor
Ille tui, ſummum non cadet ante diem.
Communi ſic mixta fluet dulcedine vita,
Solaque mors, noſtri finis amoris erit.

VROR, & occulto te propter torreor æſtu,
Tuque pari mecum non minus igne cales.
Noſtra tamen ſecreta manet, nec flamma notatur
Mutua, dum noſter diſſimulatur amor.

HEV quantus dolor & turbatis anxia cura
Mentibus eſt tacitas occuluiſſe faces.
Mors optanda magis, quòd ſi ſua funera paſſis,
Nullus ab occulto reſtat amore dolor.

Mors & amor duo tela gerunt; ſic ſaucius arcu
Aligeri gelidæ ſentiit arma necis.
Infelix ah vita hominum, ſi vita vocanda eſt,
Quam mors, quam triſti funere lædit amor.

ANDROMACHAE conſueta meis feruoribus aura,
Qui pridem noſtrum corripuere iecur.
Viue precor, noſtrique memor ſis ſemper amoris,
Mutuus vt ſummum duret aduſque diem.
Gratus vt accenſos ignis qui torret amantes,
Ille etiam noſtros luceat ante rogos.

ARDEO, ſi video, mors eſt non poſſe videre,
Sic miſerum ex omni parte fatigat amor.
Tu verò, ſi quid malim, chariſſima quæras,
Flamma mihi, ſed non mors in amore placet.

Ipſa voluptati eſt quæ ſpes non fallit amorem:
Qua fruſtratus amor, magnus amaror erit.

IN IOANNIS FLEMINGI DOM. IN WINEGHEM, SYMBOLVM, QVOD ERAT, MORS ET AMOR,

Ioannis Latomi carmen.

MORS & AMOR, dirum miſeris mortalibus omen,
In quos pro libito ſæuit vterque ſuo:
Scilicet vt veteres à morſu nomen vtrique,
(MOR in vtroque tenes) impoſuiſſe putem.
Quid, niſi nos mordet, quos tam malè tractat, vterque,
Afficit & tantis commoda noſtra malis?
Mors ſemel, iſte diu: nec flectitur iſte, vel illa:
Illa vorat totum, viſcera mordet amor.
Mille genus morbis pro dentibus vtitur illa,
Vulturis hic roſtrum ſpem gerit atque metum.
Blandus hic, illa ferox: tamen optat vterque timeri,
Cum iaculis falcem mors quatit, iſte facem.

Neutri ſunt oculi, tamen inſidiatur vterque:
  Et facit hæc nudus, mors anus, iſte puer.
Scire velim, noſtrum quid mouerit ergo FLEMINGVM,
  Symbolon è noſtris fecerit vnde malis?
Dic Erato. Summus vates fuit ille, ſciebat
  Hos necis & vitæ ius penes eſſe ſuæ.
Demeruiſſe quidem ſe iam ſperauerat ambos,
  Hoc habito tituli prorſus honore noui:
Et certè dignus fuerat, cui victus vterque
  Parceret, & vacuos vellet abire dies.
At nimis, heu, durum toties expertus Amorem,
  Promiſſis facilem, perfidiáque leuem;
Occidit inſidiis vtriuſque, & nocte petitus,
  Coniugis in tepido dum fouet oſſa ſinu.
Illa fouet gelidum, mirata quid vſque taceret:
  Heu dolor, exanimem ſentit habétque virum.
Sic rapuit noſtrum malè teſſera culta FLEMINGVM,
  Ominis infauſti teſſera, MORS & AMOR.

ALIVD EIVSDEM.

MORS & AMOR tumulo ſimul hîc conduntur in vno,
  Scilicet hoc tegitur mortuus orbis amor.

GERARTI FALKENBVRGI IN OBITVM IOANNIS FLEMINGI CARMEN.

Ἰωάννου φλημίγγου ἐπιτάφιος.

Αἰάζω φλήμιγγον, ἐπαιάζουσι δὲ μοῖσαι,
  ὤλετο φλήμιγγος, μοῖσαι δὲ τὸν ἄνδρα ποθεῦντι,
  τὸν φίλον Ἀπόλλωνι, καὶ οὐ χαρίτεσσιν ἀπεχθῆ.
αἰάζω φλήμιγγον, ἐπαιάζουσι δὲ μοῖσαι.
  νὺξ τέλεθεν, πάντες δ᾽ ὕπνῳ γλυκὺ δῶρον ἕλοντο
  ἐν μεγάρῳ δμῶες, καὶ τέκτονας οὐκ ἔτ᾽ ἐπ᾽ ἔργον
  ἐξήγειρε φίλος πόνος, ὡς θάνατος παναναιδὴς
  ἦλθε ποτὶ κλίνην εὐώδεα, τᾷ ἐνὶ κεῖτο
  φλήμιγγος πανάπολμος ἅμ᾽ αἰδοίᾳ παρακοίτι,
  καί οἱ ἐφῆκε βέλεμνον, ἐδύ τ᾽ ἐξείλετο ζώαν.
αἰάζω φλήμιγγον, ἐπαιάζουσι δὲ μοῖσαι.
  καὶ πόσιν ἁ ἄλοχος ποτιδερκομένα νέκυν ὄντα,
  ἔννεπ᾽, ἐμοῖς φαέεσσιν ἴσον πεφιλαμένε θυμῷ
  ἆνερ, ἀπ᾽ αἰῶνος σὺν τοι φεύγοντι φύγοιμι.

σεῦ

σεῦ ἄτερ οὐ δύναμαι ζώειν, ἔτ' οἴχομαι, αἶ αἶ.
ὤμοι, ὅτ' οὐ δύναμαι καὶ τᾷ ψυχᾷ σ' ἐρύσασθαι·
αἲ ὅτι δεσμὰ μόρω θνατῶς οὐκ ἔστιν ἀλύξαι.
αἰάζω Φλήμιγγον, ἐπαιάζουσι δὲ μοῖσαι.
ἔντι εὐκτιμένα, οὐχ ἕρμαο τηλόθι ναῶ,
οὔνομα Βιννέγεμον κώμα πολυλήϊος, ἔνθα
πίονι δαμάτηρ μέτρῳ πίμπλησι καλιὰς
εἰς ἔτος ἐξ ἔτεος, καὶ ἁμαδρυάδες ποτὶ λόχμᾳ
πολλάκι Φλημίγγω ζῶντος στάσαντο χορείαν,
ᾆδε τ' ἀμοιβομένα ποτε ποικιλόγαρυς ἀηδὼν
τήνῳ θυμὸν ἰαινομένῳ φόρμιγγι λιγείᾳ.
νῦν καὶ ἁμαδρυάδες νύμφαι λίπον ἥλικα δρυμὸν,
καὶ ὄρνιχας ἔχει κρυερὸς γόος ὑψόθι δένδρων,
Φλήμιγγος τέθνακεν ἐν ἀλλήλοισι λέγοντας.
ὄζον ἅπαντα θέρευς, κᾶπος κρίνα λευκ' ἀτίταλλε,
κ' ἐν μέσσῳ χειμῶνι καλοῖσι τέθηλε ῥόδοισιν,
καὶ μελανθέεσιν ἴοις, οἳ ἐν στεφάνοισι λέγονται·
νῦν καὶ κᾶπος ὄλωλε, καὶ ἄνθεα πάντ' ἐμαράνθη,
νῦν καὶ οἶκος ἄοικος, ἐπεὶ Φλήμιγγος ἀπέσβη.
αἰάζω Φλήμιγγον, ἐπαιάζουσι δὲ μοῖσαι.
πᾶσα πόλις γοάει, ὅτ' ἄριστον ὄλεσσε πολίτην,
ταῖς πάσαις ἀρεταῖσι κεκασμένον, ἠδὲ καὶ ὄλβῳ.
οὐ γὰρ ῥάπτε δόλους, ἀπατήλια ψεύδεα βάζων,
ἀλλὰ λόγος τήνω κρατερῶ ἀντάξιος ὅρκω.
καὶ οὐκ ἀχρεῖος τήνω πέλε χρυσὸς ἐν οἴκῳ,
ἰνδογλυφῶν ὡς μυρμάκων· οὐ μὰν ἀνένευεν
οἷα πρέπει αἰτεῖν αἰτευμένος εὖ κατὰ μοῖραν,
παισὶ πλεῖστα διδοὺς, καὶ πολλ' ἀγαθοῖσιν ἑταίροις.
οὐδὲ κακὸς πέλε ξεινοδόκος· μέτρον γὰρ φυλάξας
τὸν παρεόντα φίλησε, θέλοντα τ' ἔασσε νέεσθαι.
αἰάζω Φλήμιγγον, ἐπαιάζουσι δὲ μοῖσαι.
μουσοπόλοι πεινῶσιν, ἐπεὶ Φλήμιγγος ἀπῆνθεν,
μουσοπόλοισι πατὴρ τελέθων, καὶ πότνια μάτηρ.
οὐδεὶς γὰρ τήνω ποτὶ οἶκον ἵκανεν ἀοιδὸς
σὺν μοίσαισι, φέρων τι μελύδριον ἁδὺ λάλημα,
ἢ βίβλον νεότευκτον, ὃς ἀληθίαν ὁδὸν ἦνθε·
πάντας ἐδέξατο δαιτὶ, καὶ αἱμυλίοισι λόγοισι,
καὶ πάλιν οὐκ ὀλίγα σὺν δωτίνᾳ ἀπέπεμψε.

ἠνὶ γεωπονίαν πολλοὶ μεθέποντι μελικταί,
θᾶσσαι ναυτιλίαν πολύμοχθον ἐπεντύνοντι,
οὐκ ἔτι τὰς ἱερὰς βίβλως μετὰ χερσὶν ἔχοντες,
νῦν δὲ τὸ πηδάλιον κάλαμος, καὶ βίβλος ἐχέτλα,
μὴ λιμῷ μελέεσσι σὺν ἀδυλόγοισιν ὄλωνται·
ὡς ἅμα Φλημίγγῳ βελγῶν συναπώλετο μοῖσα.
αἰάζω Φλήμιγγον, ἐπαιάζουσι δὲ μοῖσαι.
αἲ αἲ μοῖρα κακὰ, πᾶ τὺ φρένας ἐκπεπότασαι;
σοῦ κλωστὴρ ἤμειψε φυὴν, ἣν ἐκ διὸς εἶχε.
πρὶν μὲν δυσσεβέες ζώεσκον ἐπὶ χθονὶ δηρὸν
νόσφι πόνω, τὴν εἰράνην ἀτίνακτον ἔχοντες,
καὶ τοῖς δυσσεβέεσσι μινυνθάδιος πέλεν αἰών.
νῦν τάδε ἔναλλα γένοντο· βροτῶν πανάριστον ἔπεφνες
Φλήμιγγον, στυγερῷ πρὶν γήραος οὐδὸν ἐπενθεῖν·
καὶ τοὶ δαμοβόροι, τοὶ χειροδίκαι βασιλῆες,
καὶ ἐσθητομανεῖς ὀρχησταὶ ἀλέματοί τε,
καὶ ψεῦσται ζώοντι πολὺν χρόνον ἔκτοθεν ἄλγευς.
αἰάζω Φλήμιγγον, ἐπαιάζουσι δὲ μοῖσαι.
ἀλλά με δακρυχέοντα παρήγορος ἐλπὶς ἐγείρει,
ὅττι κασίγνατος, φύσις εἰ ἀπαννήνατο τέκνα
Φλημίγγω, τίων μοίσας ἔργῳ τε λόγῳ τε
κλαρονόμος κτεάτων καὶ πίστιος ἄμμι λέλειπται.
τῆνον ἰδὼν δοκέω αὐτὸν Φλήμιγγον ἰδέσθαι·
ζώει ἔτι χὤτος Φλημίγγω πενθερὸς ἐσθλὸς
ἐκ χαρίτων ἔρνος πεπλασμένον, εἰς ἄκρον ἀδύς,
χὤτος ὁ μὲν μοίσαις φίλος ἔξοχ' ἐωβανίδεσσι,
χὤτος ἀοιδὸς ἄριστος ἀοιδοπόλοις μέγ' ὀφέλλων.

Idem Latinè redditum.

IOAN. FLEMINGI EPITAPHIVM.

Defleo Flemingum, Muſis lacrymantibus heu, heu.
Fleminguſ cecidit, quem Muſæ ſæpe requirunt,
Quem Charites viuum, quem comtus amauit Apollo.
Defleo Flemingum, Muſis lacrymantibus heu, heu.
Nox erat, & dulcis carpebant munera ſomni
Stertentes famuli, nec erat faber vllus in vrbe
Excitus ſtratis, omni cùm caſſa pudore
Venit odoratum pulſans mors atra cubile,
In quo Flemingus coniuxque iacebat honeſta,
Et iaculo emiſſo vitalia ſtamina rupit.

Defleo

Defleo Flemingum, Muſis lacrymantibus heu, heu.
Vxor at vt ſubita ſublatum morte maritum
Vidit, ait, Coniux oculis mihi carior, vnà
Ocyus aufugiam nunc te fugiente ſub vmbras;
Nec volo, nec cupio ſine te ſupereſſe marito;
Hei mihi quòd memet redimi moriente nequires;
Hei mihi nemo poteſt crudelia vertere fata.
Defleo Flemingum, Muſis lacrymantibus heu, heu.
Eſt locus egregia Flemingi nobilis arce
Nomine Vinnegemum, celeberrimus vbere glebæ,
Mercurij procul haud fano, quà cuncta quotannis
Alma Ceres largis granaria frugibus implet.
Sæpe ibi Hamadryades vicini in limite ſaltus
Flemingo faciles viuo duxere choreas;
Sæpe illi accinuit cithara philomela canenti,
Placauitque animi vario modulamine curas.
Nunc & Hamadryades ſiluæ loca opaca relinquunt,
Et querulæ gemitu volucres torquentur acerbo,
Flemingumque dolent inopina morte peremtum.
Ver erat æternum, flores, violæque, roſæque,
Lilia nec mediæ deerant ibi tempore brumæ;
Nunc & honos horti florumque emarcuit omnis,
Nunc perit arx, dominus quòd ſæuis occubat vmbris.
Defleo Flemingum, Muſis lacrymantibus heu, heu.
Vrbs dolet amiſſum, quo non præſtantior alter,
Inſignem virtute virum, & prædiuite cenſu.
Integer vnus erat vitæ, ſine fraude doliſque;
Veridicus ſermo illius, ceu iure fuiſſet
Iurando firmatus, erat. Nec in ædibus auri
Indica ceu formica, ſuos condebat aceruos.
Haud quicquam, certa fuerat ſi lege rogatus,
Ipſe negare ſolet (neque cuncta petuntur honeſtè)
Multa aliis, ſed plura dabat ſibi ſanguine iunctis.
Præſentes hilari vultu tractabat amicos,
Attamen vt cuiuis, cùm vellet, abire liceret.
Defleo Flemingum, Muſis lacrymantibus heu, heu.
Eſuriunt vates, quorum patronus & altor,
Dum vixit, Flemingus erat, materque paterque.
Nullus ad illius veniebat limina vates
Carmina vel cantans turba comitante ſororum,
Vel quid habens libri, quem numquam viderat antè,
Qui ſemel infecta re diſcedebat: at omnes
Et menſa & verbis mulcere ſtudebat amicis,
Nec dimittebat magno ſine munere quemquam.
En factum agricolam, qui floruit antè poëta,
Ecce alius ponto nunc nauita viuit & aura,

In manibus nunc neuter habet ſua gaudia libros,
Alter habet clauum calamum, librum alter aratrum,
Ni cum ſuauiloquis malit periiſſe Camenis.
Sic cum Flemingo Belgarum Muſa ſepulta eſt.
Defleo Flemingum, Muſis lacrymantibus heu, heu.
Hei mihi parca ferox, quæ te dementia cepit?
Mutarunt manuum naturam fila tuarum.
Namque piis Iouis imperio vita eſſe ſolebat
Longior & melior, peior breuiórque profanis.
Hæc verſa eſt ſeries. Nulli pietate ſecundus
Haud potuit limen Flemingus adire ſenectæ:
Sed ſine iure duces, populi qui ſanguine gaudent,
Et ſaltatores ſpecioſa veſte ſuperbi,
Mendacéſque diu ſine ſollicitudine viuunt.
Defleo Flemingum, Muſis lacrymantibus heu, heu.
Sed bona lugentem me ſpes ſuſtentat alitque.
Nam cùm Flemingo prolem natura negarit,
Huic animo & virtute pari ſuccedere fratrem
Heredem video, cui ſunt quoque carmina curæ;
Quem quando intueor, Flemingi occurrit imago.
Et ſupereſt Schetus, Flemingi qui ſocer, illud
Dulce decus Charitum, qui nobilis Heſſide Muſa,
Schetus, Eobani qui portus & aura Camenis.
Schetus amat vates vatum doctiſſimus omnes.

ALIVD EIVSDEM.

VNDE tot Aoniis è vallibus audio queſtus?
Quid Charitum lacrymis ora rigata nitent?
Fata repentinæ rapuerunt inuida mortis
Pierij columen præſidiumque chori.
Quis fuerit dubitas? Flemingi eſt nobile nomen,
Qui carus Phœbo Mercurióque fuit.
Diuitiis clarus, ſed clarior arte fruendi,
Vatum Mæcenas, ipſe poëta bonus.
Eximiè coluit recti ſibi conſcius omnes
Officiis homines, & pietate Deum.
Ergo quid hunc mæſti tantum lugetis amici,
Cui nunc in cælo eſt certa parata quies?

EIVSDEM FLEMINGI EPITAPHIVM, AVCTORE IO. LATOMO.

HOC quis ſub tumulo cubet, viator,
Huc illuc oculos agens, requiris
Qui te rem doceat. docebo. Quis tu?
Qui tecum loquor, vmbra. Quæ? Poëtæ.
Vbi? Poſt tabulam. Quid ergo dicis?

Hoc

Hoc quod tu loqueris. Quod illud? Ipſum
Quod neſcis. maneas inepte, necdum
Scis quod neſcieras. FLEMINGVS ille,
Omnes quem poterant amare praui,
Omnes debuerant amare ſani,
Hîc iacet. nihil addo. Nec neceſſe,
Nouit cetera mundus vniuerſus.

NATHAN CHYTRÆI CARMEN.

INCLYTE Mæcenas, Charitum cultiſſime donis,
Quem colit vt fidum Muſica turba patrem:
Forſitan vnde tuas & cur mittantur ad ædes
Ignota dubitas carmina ſcripta manu?
Illa peregrinis veniens Chytræus ab oris
Mittit, vt inde tibi notior eſſe queat.
Scilicet es facie non illi notus & ore,
Notus at eloquio iudicióque tuo.
Tantus enim ſplendor laudum eſt vir magne tuarum,
Tanta eſt ingenij gratia viſque tui,
Longinquis vt te multi mirentur in oris,
Et iungant ſpatio ſe propiore tibi.
In quorum numero non me poſtrema tenere,
Teſtis erit Muſis iunctus Apollo ſuis.
Te præſens reuerenter amo, te longius abſens
Suſpicio, tantum deuenerórque virum.
Et cùm certa tui mihi ſint data ſigna fauoris,
Carmina noſtra tibi dum placuiſſe refers:
Gratulor ipſe mihi, te laudatore triumphans,
Laudatos inter qui loca prima tenes.
Dedecus eſſe puto, ſi quem plebs inſcia laudet,
Gloria ſed tanto vera placere viro eſt.
Nec tamen vſque adeò metas excedo pudoris,
Non adeò nobis carmina noſtra placent.
Biſſex Faſtorum libros abſoluimus annis
Quatuor, & pars eſt, vt puto, viſa tibi.
Imperfecta tamen ſunt cuncta, indignáque doctis
Auribus, aut tali qualis es ipſe viro.
Sed ſi certa meis conceſſerit otia Muſis,
Qui ſedet ætheria rector in arce Deus:
Forſitan illa magis quæ iam placuere placebunt,
Cùm fuerint lima cuncta polita graui.
Magne vir & Clariæ nitidiſſima ſtella cohortis,
Mæcenas doctis præſidiumque viris,
Si vacat exiguum tenui dare tempus amico,
Commenda egregiis méque libróſque viris.

Pollicituſque meo velut es prius ipſe ſodali,
Patronus ſtudiis eſto patérque meis.
Vt tenui mea ſubſidio releuata crumena,
Gallorum doctas poſſit adire ſcholas.
Fallor an ipſe Deus, per te mea cœpta iuuare,
Et vult propoſitam continuare viam.
Muſarum imbellis chorus eſt, vt pingitur, & qui
Poſſideat certas non ita ſemper opes.
Hinc tutore illis opus eſt, certiſque patronis,
Excitat in certis quos Deus ipſe locis.
Quos Deus ipſe opibus cæleſti munere donat,
Vt ſtudia & Muſas cœptáque pulchra iuuent.
Quoq́ue iuuant plures, hoc illis plura rependit;
Fœnora id, à ſummo ferre, ſoluta, Deo eſt.
Hic quæ pauperibus vel Muſis dantur egenis,
Illa ſibi rurſum perſoluenda putat.
Nec rarò ſortem creſcentia fœnora vincunt,
Durat & in ſeros res ita parta dies.
Sed cùm nota mihi tua ſit vir magne voluntas,
Pluribus hic verbis non opus eſſe reor.
Viue valéque diu cara cum coniuge ſaluus,
Reſponſumq́ue mihi, ſi placet, ede breui.

AD FLAMINGVM.

Siquis appellet monitor poëtam,
Quo ſuum nomen trahat è tabellis
Crediti, verſus dabit in ſolutum
Promptius auro.
Attamen fretus gemini fauore
Numinis, Ditis puta Apolliniſque;
Pro meis Vates cupio reponat
Verſibus aurum.
Suadet hoc Phœbus toties ad Idus
Vectus, vt lunæ ſuperent renatæ
Quas Aquiſgrani merui coronas
Patre medendo.
Nec feret Plutus malè, ſi coæquent
Aurei menſes toties reuectos;
Vt ſit ad Iani fora terna triplex
Fœnus in annum,
Quod moram penſet diuturniorem,
Quodq́ue non merces, ſed honor ſit artis,
Artis illius cui præſidêre
Gaudet Apollo.

Mille vix ſeclis ſimili catena
Plutus & Phœbus coiere vincti:
Fata Flemingi ſociant vt ambos
Fœdere diuos.
Quiſquis ex aſtris bona mentis atque
Corporis, nec non quod ab Antiate
Poſcitur diua, vel ab Herculano
Numine duxit;
Ille ni dextrum genium ſecutus
Promouet Muſas ope liberali;
Siſypho fiet Danaique proli
Seruus in Orco.
Proprium non eſt, quod habes; opum te
Diſtributorem ſuperi locarunt:
Vt ſit accepti ratióque penſi
Iuſta ferenda.
Hinc vt ad noſtram rogo cantionem
Leſbiam ducas facilis choream;
Vatis vt vates videare plectro
Ritè moueri.

Tuus I. *G. B. ex tempore.*

CL.mo VIRO ET HVMANISS. GENEROSISS.QVE IOANNI FLEMINGO, DOMINO SVO ET PATRONO.

Acroſtichis.

I GNIS vt abſcondi nequit, in tenebriſque teneri
O ccultus, latè ſplendor quin emicet inde,
A tque iubar partes de ſe diffundat in omnes:
N ec doctrina latere poteſt, generoſáque virtus,
N on candor niueus, nec rara modeſtia, queîs tu
E xcellis reliquos, fugientia Phœbus vt aſtra.
S int, quibus extollant animos, natalium origo,
F ortunæque faces, vel opum numeroſus aceruus,
(L ubrica ſors quæ cuncta tibi tamen addidit vni)
E ffer munitum bene Pallados ægide pectus,
M uſarumque opibus farctum: deprome beatos
I ngenij fœtus, vena locuplete reponens:
N aturamque ducem colito. ſic viuida tollet
G loria te genio ſemper comitata perenni:
V irtuteſque tuas, doctrinæque ardua dona
S æclis narrabit, vel me auſpice vate, futuris.

Tui nominis ſtudioſiſs. deuotiſs.q.
H. I. Med. & Hiſtor.

FLE-

FLEMING. Videte quanta ſit pomarij noſtri benignitas, quanta malorum pyrorumque diuerſitas, quàm fecundus hic nobis ſit autumnus, quàm benignè fauerit Pomona: vellem Goropius nomina ſingulorum vnà cum facultatibus explicaret, quo & valetudinis ratio in eorum eſu haberetur, & poſthac Latinè de iis diſſerere poſſemus. GOROP. Scilicet ego vel medicum me inter homines optimè valentes præſtabo, vel poëtas docebo, quínam Latinè ſit de omni pomorum genere loquendum; quorũ tanta eſt varietas ex inſitionibus infinitis nata, vt ſi vel ipſe Plinius redeat, vix pauca aliqua ſit agniturus. FALK. Apud alios, cùm voles, de facultatibus diſputabis, & delicatiſſimũ quodque pomum inſaluberrimum dices; vt aliis deterritis, eo ſolus veſcaris: hoc tempore quoniam & ipſa poma, & ipſe hoſpes in hunc ſermonẽ nos trahere videtur; maiorem in modum ea audire cupio quæ vel nudiuſtertius vel nudiuſquartus te dicebas de Vertumno Pomonæ marito in Hermathena tua annotaſſe: quibus non me modò, ſed Flemingum etiam plurimum tibi obligabis: præſertim ſi Propertij Elegiam Vertumno dedicatam vna opera illuſtraueris. GOROP. Quin tu Falkenburge potius nobis de Aganippe tua depromis, quæ pyra ſuper pyris in Alcinoi hortis creuerint, & quæ poma fuerint de quibus Poëta cecinit,

Aurea mala decem miſi, cras altera mittam. Et rurſum:
Malo me Galatea petit laſciua puella.

Tum etiam quod pomum fuerit quod Paris Veneri adiudicauit. FALK. Immò hoc ipſum etiam abs te diſcere auemus, vt pro Flemingo etiam reſpondeam; cùm id longè tibi, quàm mihi, ſit facilius: vel quia poëſim cum philoſophiæ ſtudiis ſemper coniunxeris, vel quia Morlionum habueris magiſtrum, ſingularem tum naturæ ſecretorum, tum antiquitatis remotioris theſaurum. GOROP. Vtinam Morlionus arcana illa quorum erat omnium peritiſſimus, mihi tam candidè reuelaſſet, quàm vehementer ad eorum cognitionẽ inflammauit; ſed vt erat ingenio Silenico, prius fuiſſet validis vinculis conſtringendus, quàm quicquam myſteriorum aperiret: quod opus ſanè longè maiores vires poſtulaſſet, quàm vt ego vel tentare auderem. Ceterùm quam ille viam in ſacris antiquitatis ſymbolis enucleandis ſit ingreſſus, licet non omninò ſciam; tantum tamen ex diuturno conuictu ſubodoratus ſum, vt intelligerem, non eandem me tenere: atque idcirco in Vortumni fabula, de qua tribus retrò diebus tibi ſum locutus, non Morlioni, ſed Hermathenæ meæ ſequor ductum: illi tamen libenter laturus acceptum, quod me ad hæc ſtudia æmulatione quadam Heſiodica excitarit. Quando igitur vobis ita viſum eſt, vt Propertij carmen exponam: agite, poſtquam exempta fames & amor compreſſus edendi, hinc diſcedamus ad ipſum pomarium, vt ipſa Pomona de marito ſuo locuturo veritatem inſpiret. FLEMING. Bene mones Goropi. Abeamus itaque ad Xyſtum illam quam totam videtis pampinis & vuis vmbroſam; vt non Pomonam tantùm, ſed Bacchum etiam habeamus benignum, citra cuius opem nulla carmina vel feliciter fiunt, vel feliciter explicantur. GOROP. Tantum profectò hîc vitium cerno, vt locus ditionis tuæ nomini optimè reſpondeat. Quid enim aliud eſt Wininghemum, quàm domicilium eius qui vini eſt amator. Verùm quia & hodie ſatis ambulaui, & modò pranſis exercitatio minimè eſt vtilis; ſedeamus in lætiſſima hac vmbra, & quidem longè commodius & propoſito noſtro aptius, quàm ſub illa Academicis celeberrima platano; eo quòd & Bacchi munera capitibus noſtris impendentia ipſum deum nobis conciliabunt, cuius numen poëtis dicis præſidere; & ſi diutius loquendo fauces reddantur ſicciores, in promptu erit vuarum copia, quarum nectare liceat aridum guttur irrigare. Iube igitur, Fleminge, vt puer quiſpiam Propertium è bibliotheca tua adferat nobis; vt ſi memoria nos fallat, liber ſuccurrat.

FLEMING. Ocyus puer Tibullum, Catullum, Propertium apporta vnà cum Mureti annotationibus, & vnà adfer Annij Viterbienſis commentaria; vt videamus quî Goropius & Annius in Propertio exponendo ſint conſenſuri. GOROP. Rectè dicis Fleminge, eundem ego ſcriptorem popoſciſſem, ſi putaſſem eius tibi nugas tanti eſſe, vt inter libros tuos haberes: verùm nullus ferè tam malus eſt auctor, vt nullam adferat vtilitatem. Si non aliud adferat adiumentum, hoc ſaltem præſtabit, vt quam in Propertio lectionem ſit ſecutus, cognoſcamus. FLEMING. Quantum Annio ſit tribuendum, de Cronijs tuis didici, non citra maximam admirationem, quînam factum ſit, vt

tan

tam fallax ſcriptor tam multos habuerit lectores; qua in re perſpexi quàm ſupina negligentia, quamque exiguo iudicio quidam aliorum ſcripta & legant & ſequantur. Sed en tibi libros. GOROP. Volucres mihi pueros videris habere, ita velociter hîc recurrit. Exordiamur ergo, verùm citra illa prolegomena, quis & cuias fuerit Propertius, quibus parentibus natus, quo tempore ſcripſerit, quem locum inter poëtas mereatur, an hic eius germanus ſit fetus, & id genus reliqua, quæ vt totum aliquem auctorem exponentibus conueniunt, ita minimè eum decent qui vnum dumtaxat carmen paucis verſibus contentum interpretatur. FALK. Nollem tamen te celare, quid de patriæ eius *Propertij patria Vmbria.* & nominis antiquitate arbitreris, quandoquidē ipſe Vmbrum ſe fateatur; & Plinius & Marcus Antonius hanc gentem omniū antiquiſſimā dicant, & his antiquior & grauior auctor Bocchus ſcribat veterū Gallorū propaginem eſſe; cùm tu non ſemel mihi dixeris, &, ni fallor, etiam ſcripſeris, Cimmerios eſſe in Italia vetuſtiſſimos colonos. GOROP. *Cimmerij ſiue Cimbri.* Quò, bone vir, me auocas? Si hac via & ratione de ſingulis mihi differendū eſſet, quæ huius poëtæ occaſione in dubiū vocari poſſent, quo tandē fine concluderē orationem?

FALK. Non eſt abs re quod te rogo, nec citra maximam cauſſam hanc moueo quæſtionem; propterea quòd in hoc Propertij carmine inſignia ſunt Romanæ antiquitatis monumenta; & in iis explicandis non dubito quin ſis Cimmeriorum linguam ad nominum origines prolaturus; quoniam eam primam in Italia fuiſſe, ſi rectè memini, mihi ſæpius aſſeueraris: quod neſcio an queat iis conſentire quæ de Vmbris feruntur, niſi eoſdem Vmbros & Cimbros eſſe dicas. GOROP. Non malè colligis, Falkenburge. Iidem ſanè homines diuerſis his nominibus ſignificātur. Cimmerij quidem à Comero ſiue Cimmero Iapeti filio maximo natu, à quo & Cimbri, vt in Croniis à me eſt annotatum. Hinc Græci totam Italiam, vel Heſperiam, quòd ipſis ad Heſperum iaceret; vel *Heſperia.* Auſoniam, quòd à Cimmero teneretur, vocarunt: eo quòd hic Au-ſon, id eſt Cimme- *Auſonia. Auſon. Au. Son.* riorū lingua, filius ſenior, ſiue maximus natu inter Iapeti liberos fuiſſet: vt enim prorſus ridiculum eſt, Baiis à Baio Vlyſſis ſocio nomen mutuari, cùm hac Cimbrica voce & olim & nunc etiam balnea, quibus hic locus maximè ſcatet, vocentur; ita non minoris vanitatis fuit, Auſonem neſcio quem Vlyſſis ex Calypſo filium comminiſci, quo gentis nomen referretur: quia nemo queat negare, hoc nomine Cimmerum merito dici, quia Iani filiorum maximus natu fuiſſet. Auſon ergo Cimber fuit ipſi Iapeto, haud ſecus ac Cimmero Aſcanius, qui & ipſe eadem de cauſſa D'autſſen ſiue Th'autſſen, præpoſito articulo, eſt vocatus; qua ex voce Theutonum nomen eſt corruptum. Qua verò de *Theutones.* cauſſa iidem à poſteris Vmbri ſint vocati, Plinius expoſuit, nomen à Græca voce ὄμβρος *Vmbri.* deriuans, quòd nimirum à pluuiis cataclyſmi ſeruati fuiſſent. Verùm gentis antiquitas vix admittit, vt peregrinum nomen quæratur, eo minus quòd Halicarnaſſæus teſtetur à Græcis hanc regionem Auſoniam & Heſperiam dictam fuiſſe: deinde etiam hoc doceat, Vmbros ante Pelaſgorum in Italiam aduentum & nobiles fuiſſe, & multas vrbes habitaſſe; tantum abeſt, vt nomen ipſorum vel Pelaſgis vel aliis Græcis debeatur. Quòd ſi velimus, à diluuio ſibi nomen Vmbros dediſſe, quo eius perpetua apud poſteros memoria homines à giganteis vitiis deterreret: originem non à Græcis petemus, ſed ab ipſis Cimbris, apud quos On-weer ſignificat tempeſtates & procelloſas pluuias; à qua voce Græci quoque ſuum ὄμβρος traxerunt, quamuis eo pro pluuiis dumtaxat vtantur. Amplius cogita de Ombros & Imber, an fortè ab een, vnde emer. Duplex autē digāma Cimbrorū proprium, aliàs omittitur, aliàs in litteras tranſit vicinas, & frequenter quidē in Beta, vt hoc loco in ὄμβρος & Vmber, in quibus ν in μ mutatū videmus, & apud Latinos quintā vocalē pro quarta locari. Si quis maiorē huius mutationis cauſſam quæret, in promptu erit dicere, Vmbros pro Cumbris eſſe dictos, ad Comerum nomenclatura alludente, in qua Cappa fuerit ademptum, ne idem nomen cum latronibus nobiliſſima gens habere videretur. Cùm enim peruicſa conſuetudo pro Gomeris Cumbros diceret, atq. Cumber apud ipſos is vocaretur qui moleſtiam & damnum adfert, quod Feſtus *Cumber ſiue Comber.* quoque teſtatur; nomen ſic commutarunt, vt & ab hac infamia declinaret, & præterea ad diluuij memoriam alluderet, non ſolùm de Græcorum lingua, ſed de ſua etiam ipſorum origine petita. Gomer igitur, quo bonæ famæ homo notatur, corruptè Comer & *Gomer.* Comber dictus eſt, quo e vocum alluſione conuicium genti impingeretur, quæ ceteroquin & antiquiſſima eſſet, & primæ nobilitatis, & ab ipſa bona fama in lingua ſua ferens appellationem; tametſi apud Hebræos perfectum notet, quod non longè à bona

fama eſt remotum. Nunc itaque obiter dictum ſit, Cimmerios, cum quibus Cimbri iidem ſunt, alio nomine Auſones, alio Vmbros fuiſſe nuncupatos; apud quos vetuſtiſſimam linguam, qua hactenus Cimbri vtuntur, viguiſſe, non video quî negari poſſit. Quòd autem Vmbri genus ab antiquis Gallis duxiſſe dicantur, id verum quidem, ſed non ita, quaſi è Gallia trans Alpeis ſita in Italiam peruenerint; ſed quòd veterum Gallorum qui cum Iano appulerunt, fuerint coloni, vt in Gallicis trado.

FALKEN. Optarem, vt quæ de Gallorum & Romanorum Ogygia antiquitate in aduerſariis habes, toti Reipub. communicares: ceterum poſteaquam id vel negotia tua, vel temporis iniquitas, vel frigida erga litteratos principum corda videntur impedire; ſaltem hoc nobis ex iis modò deprome, qua cauſſa Vmbrorum parentes Galli ſint vocati, & an hoc nomē in Europa prius, an in Phrygia fuerit inuentum; cùm in Aſia etiam Cybeles ſacerdotes Galli fuerint vocati; à quibus & fluuio Gallo nomen datum videtur. GOROP. Video quid agas: vis me à Propertio ad Vmbros, ab Vmbris ad Gallos, & ab his ad Cimmerias tenebras abire. Minus certè is peccet, qui Troianum bellum à Ledæis ouis exordiatur. FALKEN. Fateor equidem hæc paullo eſſe remotiora ab eo quod nunc tibi agendum propoſuimus: ſed quandoquidem Vmbros longè clarius quàm quiſquam antehac cogitarit, depinxiſti; vehementer te oro, ne graueris hunc ſcrupulum mihi amouere, quem ipſe veterum Gallorum mentione inieciſti. Quos enim mihi Gallos ſomniare poſſum ipſis Vmbris in Italia vetuſtiſſimis vetuſtiores, niſi extra Italiam eos quæram? Et neſcio quid mens mihi præſagit de hoc nomine abs te dictum iri, quod perinde ceteros lateat atque illud quod modò ex Mercurio tuo & Pallade docuiſti. GOROP. Plus profectò ſarcinæ imponis, quàm ipſemet exiſtimes; ita vt nihil miri ſit, ſi tardius iter inſtitutum abſoluero: & vereor ne hæc dies ſat longa ſit futura carmini huic Propertiano explicando, ſi recto ſermonis noſtri curſui eiuſmodi remoras crebrius obiicias. Ceterùm quoniam non Tyrannorum modò preces, ad amicorum etiam, aſſentiendi neceſſitatem adferunt; non repugnabo voluntati tuæ, maximè ſi Flemingo hæc mora non diſplicebit. FLEMING. Nihil mihi prolixum erit, quod quidem ad ignotas eiuſmodi gentium origines nouæ & hactenus non viſæ lucis adferet: nec habemus modò neceſſe, ſic vni adhærere propoſito, vt non liceat ab eo quopiam euagari, maximè ſi quid inuitet ad ea cognoſcenda, quæ vel ad clariorem Propertiani carminis faciunt intelligentiam, vel ad auctoris patriam & Romanam antiquitatem, cuius hic inſignem partem celebrat, illuſtrandam pertinebunt. GOROP. Sunt ſanè hæc quæ de Vmbrorum & Gallorum antiquitate quæruntur, non prorſus aliena à Propertij interpretatione: immò ſi verum fateri volo, non poſſem eorum quæ dicturus ſum, fidem vobis adſtruere, niſi antiquiſſimæ gentis tum origo tum lingua cognoſceretur; vt in ſermonis progreſſu, niſi me impediatis, liquebit. At qui Galli fuerint, ſciri non poteſt, niſi nomenclaturæ nobis ratio conſtet, quam Diodorus Siculus retulit ad Galatam, quæ Herculis ſemine ſuſcepto, Galatem pepererit & gentis & nominis auctorem: alij ἀπὸ τοῦ γάλακτος, id eſt, à lacte vocem deriuant; atq. hinc Virgilium ceciniſſe aiunt: *tum lactea colla Auro innectūtur*. alij propiores vero à גַּלִּי id eſt à fluctibus deducunt; eo quòd fluctibus ſuperſtites fuerint. quorū opiniones nihili eſſe arbitramur; quia prima fabuloſa ſit, nec cur Galata ita dicta ſit, oſtēdit: duæ reliquæ vna ſpongia deleantur; quòd videlicet & nomē ab externa gente Gallis mutuētur, & eas addant rationes, quibus nihil à ceteris hominibus Galli diſtinguantur. Ioſepus Comerios, quos Cimmerios & Cimbros eſſe dixi, à Græcis, non ab Hebræis, Galatas vocari ſcribit: quo clarè demonſtrauit, vanos eos eſſe, qui nomē Hebrææ origini adſcribūt. In Atuaticis abſurditatē corū notaui, qui propria nationū vocabula ad peregrinas rationes ablegāt; à qua vos longè abeſſe ſcio. Quo tamē & Gallorū nomē, & Vortumni, & non pauca alia ad ſuos fontes deducam; neceſſariò mihi quædam principia ex Hermathena mea promentur, quæ qui mihi non concedet, cum eo fruſtra ſim de primis vocū natalibus diſputaturus. Poſtulo itaque in primis hoc mihi dari; vocabulum duabus aut pluribus linguis commune, primogenio iure ad illam eſſe referendum, in qua ratio eius optima inuenitur. FALKEN. Nemo ſanè hoc tibi negabit, niſi omnem etymologiam tollat. GOROP. Deinde ſi qua lingua propriam quandam & peculiarem in vocibus formandis rationem habeat, & nomen aliquod ipſi cum aliis commune ad hanc fabricatum eſſe cernatur; tum eſſe pronuntiandum, nomen hoc ab ea ad aliam tranſiiſſe. FLEMING. Ne hoc quidem

quidem vel ego, vel Falkenburgus, vel alius etiam quiſquam in dubium vocabit.

Cimbrica lingua admirāda proprietas in vocibus iclinais.

GOROP. Scitote igitur admirandam quandam linguæ noſtræ eſſe proprietatem in eo conſtitutam, quòd primus eius architectus quaſdam voces ea arte fecerit, vt conuerſæ & retro pronuntiatæ aliquid notent, quod magnum momentum adferat ad id cognoſcendum, quod recto ſiue prorſo litterarum ordine ſignificabatur: qua in re tali vſus eſt iudicio, vt aliquando verſa vox prorſæ ſit contraria, tum nimirum cùm contrarij collatione quicquam clarius elucelcit: aliquando non ſit verſa vox prorſæ contraria, ſed ſic connexa, vt eius notatio plus ponderis habeat, quàm comparatio contrariorum. Non addam nunc illud, quod ſolius noſtræ linguæ proprium eſt, omnes primas vocum radices vna dumtaxat ſyllaba conſtare: eo quòd faber eius, ipſam rerum naturam quàm poſſet proximè ſequendo, fruſtra pluribus fieri putarit, quod æquè commode paucioribus poſſet abſolui: & præterea nihil crediderit vel tempore pretioſius, vel moleſtius orationis prolixitate, apud homines præſertim volucri ingenij celeritate pollentes. Quod ſi hoc & ipſi naturæ, & præſtantiſſimis animis eſt conuenientiſſimum; quî negari poterit, perfectionem hanc non ſolùm maximam eſſe, verùm talem etiam, vt de ea colligi poſſit, eam linguam, quæ hanc habeat, ad diuiniorem architectum eſſe referendam; & conſequenter eam ceteris, quas hac laude vincit, eſſe vt natura, ita tempore quoque priorem: quandoquidem omnium cum poëtarum tum Philoſophorum confeſſione conſtet, tanto vnamquamque rem ortus habere vetuſtiores, quanto propius naturæ principiis conſentit.

Cimbricarū vocum radices primæ omnes vna dumtaxat ſyllaba conſtant.

NVNC itaque videndum an Galatarum & Gallorum nomen poſſit ad Cimmeriam rationem vocari, poſteaquam Ioſepi teſtificatione clarum ſit, Galatas Cimmerios eſſe; minimè verò omnes eos qui fluctibus ſuperſtites fuiſſent. Æquum enim eſt Cimmeriæ genti Cimbricam aſſignare nomenclaturam; quod ſi fiat, minus abſurdum videbitur, quòd Vmbros quoq. ad eandem originem & genus & nomen referre dixi. Quamuis autem Galli & Galatæ nomine nonnihil differant; ſignificationis tamen vi nullam gentis inducunt diuerſitatem. Galli enim alacres, & placidi, & grati omnibus populi à Cimbris vocantur. *Galli.* Galatæ verò ij, qui vultum omnemq́ue geſtum alacrem habent, & omnibus gratum. *Galatæ.* Quia verò vtraque dictio compoſita eſt, & prior compoſitionis pars vtrique communis, eam antè aperiemus, quàm ad poſteriores partes accedamus. Gai monoſyllabicôs, vt duæ vocales in diphthongum coëant, id nobis ſignificat, quòd ſic placet, vt id nobiſcum eſſe cupiamus: *Gai.* à qua voce Latini Gaius retinuerunt, terminatione ſermoni ſuo propria adiecta: *Gaius.* Franci hactenus Gai pro alacri & hilari dicunt, eo quòd genti huic alacritas & hilaritas gratiſſimæ ſint. Nos Gait dicimus, pro eo quòd Latinus diceret, Ita placet, vt id mihi contingere velim; vel id mihi contingere gratum eſſet: *Gait.* Vnde Latini Gaudeo fecerunt. Gai itaque noſtras eſſe ſiue Cimbricum, tum ex etymologia, tum ex analogia ſermoni noſtro peculiari demonſtrabo. *Gaudeo, unde.* Ga idem nobis eſt quod eo, ex natura litteræ G, qua docui in Hermathena perfectionem denotari; & A vocalis, quæ ſignificat, dum ſola profertur, motum ad locum. *Ga.* Ipſius igitur mobilis ad locum, vt tale eſt, cùm nulla alia ſit perfectio, quàm ipſe motus ad locum; meritò Ga nobis erit id quod Latinus diceret, ad locum moueor, ſiue eo: in qua verbi fabrica videre eſt, quàm rectè motus apud Ariſtotelem definitio ſit ipſis elementorum pigmentis expreſſa. Quia tamen G & I conſonans magnam habent ſoni vicinitatē; multi G in I mutarunt, vt factum eſt in Ja particula ſermonis affirmante; quaſi diceretur, progredere in loquendo; *Ja.* quod eius eſt, qui dictis aſſentitur: item in Ianus, qui ab eundo, Cicerone teſte, dictus eſt, vt in Beccеſelanis annotaui. *Ianus vnde dictus.* Non mirum igitur ἴημι apud Græcos dici, quod Grammaticè docet à ἰάω fieri, in quo Iota pro Gamma poſitum videmus; quod ita eſſe, etymologici Græci ſcriptor facilè admittet, qui Gigantem à γῶ, quod χωρῶ interpretatur, dici poſſe ſcripſit. A Ga fit Gai / qua diphthongo magna *Gai.* eundi ad aliquid cauſſa explicatur; cùm id Gai nominetur, quod dignum iudicatur vt ſit adeundum. Omnium enim animi ad ea quæ placent, recta contendunt, idq́ue tam volucri & ſubtili velocitate, vt eius notio nullo alio elemento, quàm exiliſſimo Iota melius exprimi poſſit. Cùm ergo Gai & Gaius Latinis & nobis commune ſit; nobis eius origo tantiſper debebitur, dum meliorem ipſi, quàm nos, ſignificationis cauſſam adducent, vt ad primum noſtrum conſequitur poſtulatum. Deinde eſt & altera nota

 clariſſima,

clariſſima, quæ ex ſecundo axiomate meo ſumpta, hoc vocabulū noſtras eſſe conuincit. Sic enim factū eſt, vt verſum, cōtrarium eius ſignificet quod prorſum denotabat: quoniam Gai illud ſit quod nobis adeſſe velimus; Jag verò idem ſit quod expello, vel hoſtiliter perſequor. Quamobrem ſic vobis ſtatuendum, vt vel quæ antè mihi dediſtis, ea nunc negetis; vel concedatis vocem Gai à nobis ad Latinos, non ab his ad nos veniſſe.

Jag.

Caius. FALKEN. Scio equidem Caius per tertiam Latinorum litteram ſcriptum prænomen Romanis eſſe, & à Grammaticis annotatum, tertiam hîc litteram per ſeptimam Latinorum pronunciari: iam & illud, à gaudio hoc nomen deriuari, ita vt qui cum gaudio editus ſit, hoc prænomine dignus cenſeatur. GOROP. Mea nihil refert, malè ne an bene Latini ſua ſcribant: id refert quo ſono vocabulum, de quo quæritur, efferant: nec magni id facio quòd Caium à gaudio deriuent; cùm ne huius quidem rationem vllam de Latino ſermone adferre poſſint; & gaudium potius à Gaio, quàm hoc ab illo fluxiſſe videatur. Noſtros certè à Romanis hanc vocem minimè accepiſſe, ſi non ex illis quæ dixi liqueret; at ſaltem hinc colligeretur, quòd antè communis vocis huius vſus apud Romanos perierit, quàm in Galliam armis ſuis penetrarunt. Iam inde enim ab antiquiſſima Latinorum memoria quæ quidem litteris prodita ſit, nemo Caij nomen vſurpauit, præterquam in prænomine, & nuptialibus ſacris: cùm interim apud nos ab omni æuo vernacula loquendi conſuetudine, Gai/gait/ gaien/ gaing/ & multa ab eadem radice exorta fuiſſe videamus. FALKEN. Non habeo quo contrà nitar: ſed vt verba illa in priſco nuptiarum ritu poſita quorum modò meminiſti, enuclees, eo magis rogo, quo minus clare ſolideque à iuris antiquitatumque profeſſoribus exponuntur.

GOROP. Obrues tandem me rogando: quoquidem grauis non eſſes, ſi tantundem mihi pro huius vocis vindiciis ſolueres, quantum Alciati & Socini pro tricoſa ſcrutariæ alicuius litis conſultatione ſolent poſtulare. Verùm vt nihil aliud perſoluas, ſatis magnæ mercedis loco ducam, ſi fatearis, iuris tui ſacerdotes hac parte rituum vetuſtorum imperitiores videri, quàm eum qui per totam ætatem arterias & matulas habuit magiſtras.

Quintilianus primo Oratoriarum inſtitutionum libro ſic habet, niſi memoria me fallat: Quid quæ ſcribuntur aliter quàm enunciantur? Nam & Caius C littera notatur, quæ inuerſa mulierem declarat: quia tam Caias eſſe vocitatas, quàm Caios, etiam ex nuptialibus ſacris apparet. Sed quoniam quibus in verbis id apparuerit, non adiecit; Plutarchum Latinarum Græcarumque opum principem conſulamus, qui ſe Romanis egregium præſtitit myſtagogum. Hic quærit, quæ cauſſa fuerit, vt ij qui ſponſam introducebant, dicere iuberent, ὅπου σὺ γάϊος, ἐγὼ γαΐα, id eſt, vbi tu Caius, ego Caia: quo loco Gaius rectè ſcripſit per Gamma: & de cauſſa antiquiſſimi huius ritus ita coniecturam fecit, vt Caium & Caiam communiter pro quouis coniugum pari poni credat, non aliter atque apud Iuriſconſultos Caius, Seius, Lucius & Titius exempli cauſſa pro quolibet dicuntur, ita vt ſignificetur par vtriuſque ius in domo futurum; quam ſententiam plerique omnes ſequuntur. Addit tamen & aliam huius ritus occaſionem fortaſſis fuiſſe à Caia Cæcilia ſumptam, quæ cùm optimæ fuerit & laudatiſſimæ vitæ vxor, boni ominis cauſſa à ſponſa potuerit nominari, tamquam ſe quoque talem fore polliceretur. Sed ſit ſanè, vt & Caia Cæcilia talis fuerit, & eius nomen fauſtum omen habuerit: quid inde? an ex hoc nunc liquet vocis huius originatio? Quæro vlterius vnde Cæcilia Caia ſit vocata: & an prius hæc verborum ſollemnitas non conſueuerit concipi; quàm illa ſe probam matremfamilias præſtitiſſet. Equidem ſicut vocabulum hoc Cimbricum eſſe docui; ita ritum quoque à Cimbris ad Romanos veniſſe contendo, quo fuerit obſeruatum, vt ſponſa ſponſo diceret, Si tu Caium te mihi præſtiteris, ego quoque me Caiam præbebo: quo nihil aliud ſtipulabatur, quàm ſe omnibus modis vbique laboraturam, vt marito placeret & gratificaretur; ea tamen conditione, vt ſponſus naturæ principatum ſecutus in hoc gratiarum certamine præiret. Sicut enim viri eſt puellæ amorem ambire, & prius omni officij genere, vt placeat, anniti: ita in connubio eiuſdem eſt perpetuò ſe placidum, hilarem & iucūdum vxori præbere; & exemplo ſuo demonſtrare, qualem ſociam & velit & mereatur. Quid quòd hactenus in ſponſalibus eiuſdem ſententiæ verba proferantur, dum ſacerdos & ſponſum & ſponſam rogat, an placeat ipſis connubio iungi. Iam ſi ſimpliciter mea Caia à noſtrati dicatur; vxor intelligi-

Caia.

intelligitur, aut ſaltem ea quæ vxoris loco habetur: & ſimiliter ſi qua Caium ſuum appellet; maritum, aut certè qui mariti officium præſtet, intelligit. Nec id in hominibus dumtaxat vſus tenet, ſed in brutis etiam animantibus, in quibus Gai vel femellam vel maſculũ vocamus, quod in auibus ferè hypocoriſticôs facimus, vt voce diminuente pro gai gaiſken dicamus. Hæc ſi Cicero nouiſſet, non tam temerè in eos fuiſſet inuectus qui omnes vxores quæ coëmptiones feciſſent, Caias vocabant: illud potius reprehendiſſet, eas ſolas quæ coëmptiones feciſſent, hoc nomine apud Iuriſperitos fuiſſe nuncupatas; eo quòd cuiuſuis condicionis vxores Caiæ dici mereantur: tametſi id non negauerim, per excellẽtiæ figuram eas præcipuè tales dici poſſe quæ coëmptionem fecerint, quòd maritum habeant arctius deuinctum. Verùm hæc latius in Gallicis; quæ iam diu in hominum manibus verſata fuiſſent, niſi vetus illud Anaxagoræ ad Periclem dictum veriſſimum eſſe hoc tempore experirer, & maximè in illis qui omnia ſtudiorum præſidia latiſſimis ſuis fimbriis, veluti plagis quibuſdam, occuparunt. FLEMING. Quodnam illud eſt Anaxagoræ dictum? GOROP. Dicat Falkenburgius, apud quem ſcio recentem eius eſſe memoriam: nec mihi decorum ſit apud te illud exponere, quem de minima opera fratri tuo præſtita tam ſenſerim liberalem, quales ſi principes & ceteri opulenti Pluti eſſent, nullus querimoniæ locus relinqueretur. FALKENB. Scio modò quò ſpectes; ad illud ſcilicet: Qui lucerna cuiuſpiam vti velit, eum debere oleum affundere, ne flama vel contabeſcat vel extinguatur. GOROP. Hoc ipſum indicabam. Sed pergam. Satis modò pro tempore & præſenti occaſione docui quid Gai notet, nec id ſine appendice: reliquum eſt vt ad Gallorum nomen applicetur. *Gaiſken.*

Gomer cùm colonos alios aliis fauſtis nominibus nuncuparet, quoſdam ſuorũ Gai-lie nominauit; hoc nimirum Deum orans, vt tales eos redderet atque conſeruaret quales dicerentur; & vnà perpetuam admonitionem in hoc nomine relinquens, vt quocumq. locorum venirent, ſemper & ſibi inter ſe, & aliis ſeſe gratioſos, alacres, & hilares præberent; ſummatim tales eſſe ſtuderent, vt nomine ſuo digni apud omnes haberẽtur. Non dubito, quin diuino inſtinctu hanc dederit appellationem; qua non ſolùm ſuos videtur ad hanc morum comitatem & iucundos congreſſus adhortatus; ſed hoc etiam prædixiſſe, Gallos olim eam ſibi regionem occupaturos, cuius cælum & totius terræ conſtitutio talis eſſet, vt lætam hanc & amabilem morum ſuauitatem & excitare & alere poſſet. Videte, quæſo, & ab omni hiſtoriarum antiquitate repetite, quid de moribus Gallorum ex idoneis auctoribus colligatur; an non id, eos ſemper alacres, hilares, comes, benignos, hoſpitales præ ceteris omnibus nationibus fuiſſe? quales etiamnum eſſe vel ipſorum hoſtes coguntur fateri. Quòd autẽ leues eos & inſtabiles quidam eſſe dicant, id inde videtur prouenire, quòd morum facilitas, & hilaris conuictus, & prompta cum quouis conſociatio ſæpe malignorum hominum fraudibus & impoſturis ſeſe obiiciat & exponat. Quanto enim quiſque amabilior, facilior, promptior, candidior; tanto magis eſt obnoxius fallacibus inſidiis hominum fraudulentorum. Hinc neceſſariò conſequitur, vt ſimulac dolos, technas, & perfidiam viri boni ſenſerint; ſubitò iraſci cogantur iis quibus, tamquam ſui ſimilibus, benignos ſeſe & apertos ſingulari quadã gratificandi procliuitate præbuerunt. Vnde fit vt candidi & aperti viri inconſtantiæ accuſantur, quia non pergunt eos amare, quos improbos & verſipelles eſſe, & aliud in ore, aliud in mente habere, ſuo periculo iam ſemel deprehenderunt. Nunc itaq. qui Galli ſint, & cur ita dicti, ſcitis: addam quid Galatæ nomine ſignetur. Lat, & compoſitè gelat idem eſt quod vultus, & totius corporis geſtus: vnde gai-lat cũ denotabit qui toto corporis geſtu gratioſum ſeſe præſtat. FAL. Ita te Gratiæ omnes Gallis cõcilient, vt nulla tabula melius, quàm his nominibus, Gallorum ingenia, mores & vſitata totius vitę ratio depingi poſſent. Hoc demum eſt veras vocabulorum rationes aſſignare: quas eò magis admiror, quòd & minimè contortæ ſint, & ſic tamen rerum naturas explicent, vt ex ipſarum intimis finibus nata, non ex hominum arbitratu profecta videantur. *Galli vnde dicti.* *Gallorum mores.* *Galatæ vnde dicti.* *Lat.* *Gelat.*

GOROP. Videſne igitur qui ſint Galli illi qui Vmbros procrearunt?

FALKEN. Video ſanè: ſed rurſus dubito, quare Vmbri ex Cumbris facti ſint, & non potius retinuerint vel gentile nomen, vel fauſtiſſimam illam Gallorum appellationem. GOROP. Non omnium legum ratio apud veſtros iuris interpretes reddi ſolet. Si enim de malis moribus, aut incommodis cauendis, ob quæ bonæ leges latæ olim *Vmbri.*

fuerunt, hiſtoriæ nos celant: quæ poterit certa earum ratio explicari? Eodem modo variæ ſunt nominum commutandorum occaſiones; quas ſi vetuſtas & longa obliuio ex omnibus memoriæ tabulis ſuſtulit, quid certi, quæſo, poteſt pronuntiari? In hoc igitur genere quæſtionum, in quibus nos certa hiſtoriæ fides deficit, probabiles coniecturas ſequamur: & quia nunc docui, Gallos Cimmerios fuiſſe, & Vmbros item Cimmerios; ſic exiſtimemus, diuerſis Cimmeriorum coloniis diuerſa fuiſſe nomina danda, diſtinctionis cauſſa, in quibus ponendis non caſu aut ſorte vſi ſunt ſapientiſſimi illi noſtri maiores, ſed conſilio prorſus diuino & ſæpe etiam fatidico; vti modò in Gallorum nomine factum fuiſſe demonſtraui. *Galli in Phrygiã miſſi coloni à Cimmeriis tranſmigrarunt in varias ſedes.* Primùm igitur Cimmerij eos in Phrygiam colonos emiſerunt, quos Gallos vocarunt; quorum magna pars in Italiam tranſmigrans, nomen retinuit. At poſtquam & hi numero aucti gentem ſuam diuiderent; illos quidem, quos ad nouas ſedes ſecundum mare Adriaticum, ac deinde vltra Padum emiſerant, vetus Gallorum nomen voluerunt ſeruare; propterea quòd præuiderent, eas ab his regiones occupandas, quibus hoc nomen maximè conueniret. Alteram verò partem, quæ in Apennini latebris ſedes ſuas vetuſtas adhuc tenebat, eo nomine à ceteris diſtinxerunt, quo & vetuſtiores, ceu eorum qui emiſſi erant, patres ſignificarentur, & ſimul memoria diluuij retineretur; qua poſteri perpetuò monerentur, quanta ſæuitia Deus furorem ſuum in eos effundat, qui à vitiorum & ſcelerum ſordibus nullis minis auocari poſſunt. Et optimè quidem hoc nomen à procellis & horrida tempeſtate ſumptum in meditullio Italiæ retentum fuit, vt æquè ad omnes cataclyſmi recordatio manaret. Accedebat deinde & illa ratio, quòd eodem nomine exigua ſoni in vna vocali diuerſitate ipſa regionis indoles, quam Vmbri à ceteris Gallis relicti tenebant, exprimeretur. *Om-wer.* Nam Om-wer/ ſi ε vt ἦτα Græcorum vetuſto more pronuntiatum ſonat, efferatur; idem eſt quod Latinus diceret, vndique in circuitu defendens. Talis enim Vmbria eſt, vt vndique Apennino ſatis ab hoſtium impetu defenſa videatur. Sed iam ſatis de Vmbris, & pluſquam ſatis; quocirca ne quid amplius interpelles. Atat non malè vertit hæc tua de Vmbris & Gallis curioſa percontatio. Quæ enim ex Hermathena mea ad Gallorum nominis interpretationem ſumpſi; ea non ſemel vſui erunt in Propertij carmine enucleando: & verò etiam illud non parum in rem meam faciet; quod oſtenſum ſit, Vmbros Gallos eſſe, & hos eſſe Cimmeriis parentibus ortos, quoniam ex eo liqueat, Vmbros Cimbrica lingua olim vſos eſſe. *Sabini.* Deinde quia Zenodotus Trœzenius Sabinos Vmbros eſſe ſcripſit; conſequitur & illud, Sabinos quoque ſermonis ſui originem à Cimbris duxiſſe, quod non de locorum modò vicinitate probabile videtur, ſed de multis etiam priſcis Sabinorum vocabulis; atque adeò de ipſo gentis nomine ſuo loco docebo. Nunc igitur ad noſtrum Vmbrum, quem in manibus habemus, quem Muretus Sex. Propertium vocauit, ceteri Sex. Aurelium Propertium, qua in appellatione prænomen notum eſt ab ordine naſcendi, vti & Quinctus, fortaſſe factum. *Sex. Propertius. Aurelius.* Aurelius, nomen gentile, quamuis ab aura videatur deduci, mea tamẽ ſententiâ Vmbrum eſt, ſiue Cimbricum, eum ſignificans, qui ab ipſis ſuis maioribus nobilitatem ducit, quaſi Aumer-eel dicatur, à quo duplex digamma abiectum, Aurel facit. Ab Aurelo igitur quopiam vel Sabino vel Vmbro Aurelij deſcenderunt, perinde atq. à Tullo Tullij: vt enim gens omnis ab vno aliquo propagatur, ita omnia gentilia nomina deriuatorum formam ſequuntur. *Propertius vnde dictus.* Propertij autem vox elegantiſſimum ſignificat, ſi de Vmbra lingua interpreteris, in qua Properſte elegantiſſimum dicitur; à quo Propertius fieret, ſed lenioris ſoni cauſſa ſibilus eſt eiectus. Quòd ſi hæc abſurda videntur; abſurdum item videatur, magnam partem Romanorum à Sabinis originem duxiſſe; & non rarò vocum ſuarum rationes Latinos ad Sabinos referre. Deinde liberum vobis eſt, meliores his vocibus, ſi poſſitis, origines aſſignare. FALKEN. Quid alij ſint inuenturi, haud ſcio: ego certè ne quærere quidem velim meliores. Miror interim Propertio cognomen hoc contigiſſe, quod elegantiſſimo ipſius carmini quàm optimè conueniret.

Propertij Vertumnus. GOROP. Inſcriptionem carminis fabulam Vertumni habemus, in qua id conſiderandum, fabulas Silenis Alcibiadis ſimiles eſſe, quia ſub falſa narratione, & frequenter abſurda, maxima myſteria deliteſcunt. Ego tamen pro fabula potius ſignum poſuiſſem, ſi arbitratu meo carmen inſcribendum fuiſſet; quia nimirum ipſum Vertumni ſignum Propertius loqui fecerit. Audiamus igitur ſtatuam loquentem:

Quid

Quid mirare meas tot in vno corpore formas?
Accipe Vertumni ſigna paterna Dei.
Thuſcus ego, Thuſcis orior; nec pœnitet inter
Prælia Volſinios deſeruiſſe focos.

Hic primùm cenſeo de nomine Vertumni differendum; propterea quòd & totum carmen de Vertumno agat, & illud ferè tantum quærat, quare hic deus vertumnus nominetur. Propertius valde conuenienter argumento quod tractat, in varias ſeſe formas vertit, aliam & aliam nominis cauſſam quærens; in ea tamen tandem acquieſcens, de qua Vertumnus dicatur, quòd ſeſe in omnes formas vertat. Si igitur vera nomenclaturæ ratio à nobis aperiatur; ſtatim omnia quæ de Vertumno quæri poſſunt, è Cimmeriis tenebris in clariſſimam lucem eruentur. Primùm igitur hoc mihi ex Aurelio noſtro ſumam, Vortumnum Thuſcum eſſe, & nomen de patria ſua lingua accepiſſe. Vel igitur vetus Hetruſcorum ſermo idem fuit cum Romano, vel diuerſus: ſi idem, fruſtra Propertius Dei patriam indicauit, vt ab eius vernaculo ſermone nomenclaturam interpretaretur: ſi diuerſus, quare Deum dictum eſſe dicit à vertendo, dictione Latina, non Hetruſca. Quo hac in controuerſia ad ipſam veritatem aſpirare poſſimus; neceſſarium iudico, vt quis fuerit antiquiſſimus Thuſcorum ſermo, intelligatur. Summatim igitur ex Romanis meis originibus ea repetam quæ ad hunc locum facere videntur. *Vertumnus vnde dictus.*

Iaphet ſiue Iapetus cùm ex Aſia in Græciam, & poſtremò ex Peloponeſo in Italiam nauigaret, primùm ad eam Heſperiæ laciniam appulit, quæ ſinu Tarentino à Brutiis dirempta eſt, eamque à nomine ſuo Iapygiam vocauit, quaſi diceret, Japetshuegt/ vel ſyncoptôs Japshuegt / & exempta adſpiratione, quo lenius compoſitio coëat, Japſugt/ id eſt, Iapeti gaudium, vnde pòſt Iapygia fuerit nominata. Spiritus enim Dei, qui & nauem, & mentem pij viri dirigebat, animo ſuggerebat, in hac regione ad eam felicitatem & amplitudinem imperij poſteritatem ſuam peruenturam, quam Nochus pater diuinitùs prædixerat. Non malo igitur iure Japſugt eam promiſſæ ſibi terræ partem nuncupauit, in quam primùm exiuit. Comer itaque ipſius maximus natu filius cum ſuis vlteriùs regionis modò inuentæ littora circum nauigauit, & non ante ſedem ſuis fixit, quàm Cumas veniret, quod oppidum gemina ratione ita nominauit: priore, quòd illic primum in terram veniſſet, quod Cimbricè Cum-an ſiue Com-an dicitur. Altera, quòd eadem voce Com-an progreſſus ad perfectionem notetur, quo ſignificatu bonum poſteritatis ſuæ incrementum ominabatur. Et quia in eo errauerat, quòd non potius in Sinum Baianum prius appuliſſet; deterritus fortaſſis fumis, & flamis, & tetro ſulphuris odore; & eminus fortè coniectans magnum aliquem & reductum & vndique clauſum ſinum eſſe, quicquid maris hinc vltra Prochyten & Iſchiam, hinc intra littus Italicum cerneretur: promontorium illud quod circumiuit, Miſſenum vocauit, à Miſſen/ quod eſt aberrare, & rem commodiorem prætetire. Hìc igitur primum Cimmerios ſuos collocauit, quorum memoria ad ipſum vſque Homerum peruenit, qui Vlyſſem ſuum per horum ſpecus ad inferos demittit. Ab his igitur Baiæ loca illa dicta ſunt, quæ thermis abundabant, vti hactenus lingua noſtra Baien quæuis balnea vocantur. Ab his item Puteoli nomen ſeruarunt; eo quòd locus ille nihil aliud haberet, quàm puteos & antra, id eſt, Put-en holen/ vnde Puteoli. Neapolis autem non eſt in veteribus Cimmeriorum vrbibus, ſed noua Græcorum, quod & nomine præfertur. Ab his locis Cimmerij paullatim ſecundum littora ad Tiberim vſque progreſſi ſunt, medio quaſi itinere Caieta condita; qua voce nihil aliud ſignificatur, quàm lætum, & amœnum, atque gratum caput, à Cai & Het ſiue hoet; quorum illud quid ſignet modò dictum; hoc caput notat: quo nomine Cimbri non caput tantùm, ſed promontoria etiam appellant: quorum phraſim Itali & Hiſpani a Gotis & Francis acceptam hactenus ſeruant, promontorium *Capo* vocantes. Quàm aptè hanc dederint nomenclaturam, ille ignorare non poteſt, qui vel ſemel Caietam viderit. Eidem genti & nomen & originem Circæi debent, quorum oppidum & promontorium ceu inſula quædam altiſſima, & vario herbarum genere fecunda, & à continenti paludibus ſeparata, Cirſee/ id eſt, maris ornamentum eſt nuncupatum: à quo ob etymologiæ ignorantiam & S & C affinitatem in Latinorum pronuntiationem Circe poſtea dici cœpit. Sed iam ſatis de Cimbri primo in Italiam aduentu: reuertamur ad Iapetum. Hic ſecundum maris Adriatici littora paullatim ad

Iapetus Nochi filius, pater Comeri, ad Heſperiæ laciniam appellit.
Iapygia.
Comer Iapeti filius maximus natu in Italiam venit.
Cumæ.
Miſſenum promontoriũ.
Miſſen.
Cimmerij in Italia à Comero collocantur primùm.
Baiæ.
Baien.
Puteoli.
Neapolis noua vrbs Græcorum.
Caieta.
Cai.
Het.
Hoet.
Capo.
Circæi.
Circe.

Padi vſque oſtia progreſſus, & in medio habitatoribus aliquot relictis, à fluminis oſtiis ſurſum ad mediterranea reflectens, ac inde Apenninum ſuperás, validiſſimam gentem

Iapetus Thuſcam gentem condidit.

condidit, quam felici fauſtoq. nomine Thuſcam nuncupauit. Ceterùm quo fine verſus Cimmeriorũ colonos regionem terminarit, Ianiculum Tiberi impoſitũ ſatis oſtendit: in quo idcirco ſibi ſedem poſuit, vt hinc Thuſcos ſuos, hinc Cimmerios & intueretur, & quibus opus eſſet conſiliis iuuaret, vel hac ſola cauſſa, quamuis aliæ nullæ eſſent, meritò bifrons habendus. Nec eſt vllo modo veriſimile aliam Iapeti, aliam filij linguam

Ianus vnde dictus.
Iaphet vnde dictus.
Jap.

fuiſſe, quod & ipſo Iani nomine declaratur, quod à Gan Cimbrico, quod eſt ire, factum eſſe conſtat, vt Ciceronis teſtimonio in Croniis meis demonſtraui. Quid quòd & ipſa vox Iaphet à latitudine generationis ſit accepta, cùm Jap-het nihil aliud ſit quàm caput, id eſt, princeps, de noſtra loquendi cõſuetudine, ipſius generationis: quia Jap idem ſit quod βινῶ Græcorum, compoſitum à Ga-op/ id eſt, aſcendo, conciſè Gap: è quo fit Jap, eodem quo Ianus ex Ganus. Habetis etymon de Cimbrico ſermone: accipite nũc analogiam eidem linguæ peculiarem, ne quid omnino dubij relinquatur. Quid præſtẽt viri feminis, quas adſcendunt, ipſas, ſi neſcitis, interrogate: quid ſibi præſtent, ipſi ſen-

Pai.
Pais.
Pax.
Paco.

tiunt. De forma itaque ichnæarum vocum Jap conuerſum fit Pai, quo quis noſtrorum hominum neſcit idem notari quod Latini dicunt contentum reddo, ſiue ſatisfacio: à quo Pais noſtrum, & Pax & Paco Latinorum. Quia igitur qui mulierem adſcendit, & ſe & eam pacat; vox Jap ita facta eſt, vt conuerſa id ſignificet quod huic adſcenſus generi naturæ vinculo ita eſt connexum, vt non queat ſeiungi?

Thuſci vnde dicti.

NVNC itaque quia Iani & Cimmeri lingua eadem fuit; Thuſcorũ nomen ex ea interpretemur: ſed antè videamus, quæ aliorum de hac gentis nomẽclatura fuerit opinio. Plinius à ſacrificiis dictos dicit. Grammaticis nonnullis placuit, à Tuſculo Herculis filio gentem eſſe nominatam; quod ſic mordicus retinuerunt, vt vocem ſine adſpiratione proferrent, ne hac parte cum θύω conueniret. Omnium certè veterum ſcriptorum teſtimonio clarum eſt, ſacrificorum diſciplinam iam inde à primo gentis exordio apud Etruſcos maximè viguiſſe, & à Romanis non raró inde aruſpices atque vates fuiſſe euocatos; nec defuiſſe robuſtum in Veientum obſidione iuuenem, qui ſenem quendam Etruſcum vi Romam rapuerit, quo lacus Albani emiſſionem è diſciplina ſua reuelaret. An non T. Liuius ſe auctores habere iactat, quorum fide doceri poſſit, pueros Romanos priſcis temporibus perinde Etruſcis litteris, atq. ſua ætate Græcis, erudiri ſolere? Fatendum igitur, antiquiſſimam diſciplinam cùm ceterarum artium tum rerum diuinarum apud Etruſcos fuiſſe, & idcirco non malè illos coniectaſſe qui eos à ſacrificando Thuſcos, quaſi θυοσκόους dictos exiſtimant. Verùm cùm Thuſcorum lingua & à Græca & à Latina, Tito Liuio & ceteris ita tradentibus, diuerſa eſſet; abſurdum fuerit genti domi ſuæ ſapientiſſimæ à Græcis nomenclaturam mutuari. Ianus populum quem his locis primus collocarat, cùm cuperet quamdiutiſſimè & perpetuò, ſi fieri poſſet, conſeruari; nomen illud impoſuit, cuius monitu ſemper in mentem veniret, vnicè ad cuſtodiam corporis & animi vnumquemque attentum eſſe debere. At fruſtra vigilamus & excubias agimus, niſi Deus nos cuſtodiat & tueatur. Quamobrem prima, & præcipua, & vnica cuſtodia eſt, quæ quidem in nobis ſita eſt, Deo ſupplices ſacrificare, vel piis ora-

Sacrificium omne quò ſpectet.
D'hui.

tionibus, vel muneribus ipſi gratis, vel vtriſque. Quoniam itaque omne ſacrificium eò ſpectat, vt nos noſtraque omnia Deus cuſtodiat & conſeruet: rectè ab hoc fine ſacrificium eſt vocatum. D'hui enim cuſtodiam tutelamque ſignat, vox è generico ſignificatu ad propriam ſacrificij notationem idcirco vſurpata, vt eius interpretatione moneremur, ipſam omnium rerum cuſtodiam eo contineri. Et quemadmodum Græci dum

De articulus.
θύω.
Tueor.

τ' ἀγαθὸν dicunt, ſummum bonum intelligunt; ita noſtrates, dum articulum De ipſi Hui, qua cuſtodia notatur, per ſynalœpham præponunt, ſummam cuſtodiam, quæ ſacro Dei cultu continetur, intelligi volunt. Hinc Græci θύω fecerunt, quo ſacrificare ſignificatur; à qua notatione ad alia quædam vox eſt tranſlata. Latini Tueor verbum ex eodem fonte deriuarunt, ſed generatim ad cuiuſuis cuſtodiæ defenſioniſque notionem ab iis accommodatum. Quòd ſi hanc rationem vobis non probo, velim meliorem Falkenburgius e Græcis ſuis, quos perpetuos habet congerrones, adferret.

FALK. Græci hîc nihil habent quod dicant. quòd ſi Socrates fortè interrogatus fuiſſet, dixiſſet, à Barbaris vt ſacrificiorum ritum, ita & hoc verbum acceptum.

GOROP.

GOROP. Id ſi fateretur, mecum faceret: ſed quia nihil aliud habes, ſententiam
hanc meam eò firmius tenebo, quòd ſic apta ſit ex ipſa veritate & vltimo ſacrificiorum
fine, nulla vt queat vel vox vel vocis cauſſa inueniri, quæ ſignificantius idem exprimere
poſſit. Præter illud enim, quòd ea ſtatim nobis indicetur, omnem corporis & animi
tutelam & conſeruationem, & malorũ depulſionem à Deo pendere, & inde nobis eſſe
impetrandam: tum hoc etiam ex ipſa vi vocabuli eluceſcit, ſoli Deo ſacrificandum eſſe; *Sacrificandũ*
quia ſolus Deus, & non alia vlla poteſtas cuſtodire nos poſſit, vt ipſe per prophetas ſuos *ſoli Deo.*
non ſemel, ſed creberrimè inculcat. Quocirca ſimulatq. hoc ſacrificij nomen intelligi-
tur, omnis idolomania eueſtigiò conuellitur, & radicitùs exſtirpatur: eo quòd apertè
moneri nos ſentiamus, illi ſoli ſacra facienda, & diuinos exhibendos honores, qui ſolus
nos ab omni malo poteſt tueri. Cùm igitur Offui per cuſtodiæ tutelæque excellentiam
ſupremam ſoli Deo queat adſcribi; inſaniat oportet qui ſacrum hoc nomine priſcis no-
ſtris maioribus ſignificatum, alij vlli vel in cælis, vel in terris, quàm ipſi illi qui ſolus
ſeruator eſt omnium, facere auſit.

AB hac itaque vocula quædam etiam alia ad ſacrificiũ propriè ſpectantia nomencla- *Thus, thuris*
turam mutuantur; qualia ſunt Thus apud Latinos, θύος apud Græcos pro ſacrificio, vel, *vnde dictum.* *θύος.*
vt Hippocrates vſus eſt, pro ſuffumigio; θυμιάω item, & Thymiama, & Thuia arbor, & *θυμιάω.*
θυίσκη pro thuribulo, & Thymus pro herba. Præcipuum enim ſymbolũ in ſacris fumo *Thymiama.*
ſuberat. Nam niſi oratio noſtra & tota mentis noſtræ ara fumet, nihil agimus. Vt enim *Thuia arbor.* *θυίσκη.*
fumus à ſolo igne & ardore generatur: ita neceſſe eſt, omnem orationem, omnem cul- *Thymus.*
tum diuinũ, omnes cærimonias, omnes hymnos, omnes victimas ab ipſo interno diuini *Fumus præci-* *puum ſymbo-*
amoris igne proficiſci: & quemadmodũ fumus numquam ſua ſponte ad inferiora, ſed *lum in ſacris.*
ſemper ad cælum fertur; ita nec vlla noſtra vota, nec vllas preces, nec vlla ſacrificia aliò
debere tendere, quàm ad patriam cæleſtem, in qua ſola vera eſt cuſtodia, & conſeruatio
perpetua felicitatis humanę. Quis tam ſtipes vel truncus eſt, vt Deum putet externo fu-
mo delectari? Ipſe ſcilicet omnium odorum creator inhiat his noſtris craſſis ſuffumigiis?
Abſit hæc veſania à mentibus noſtris. Deus hæc externa cultui ſuo adhiberi voluit, vti
ſymbola & teſſeras eorum quibus hominum animi Deo grati & accepti fiunt, quæ ſi
deſint, vana eſt & inanis omnis cærimoniarũ & rituum apparatus, & Deo etiam odio-
ſus; cui in primis diſplicet fallax pietatis larua, qua ſe ſanctitatis ſimulatores hominum *Sacrificiorũ*
oculis ſolent venditare. Eiuſmodi apud Eſaiam homines increpat, dicens: *Quò mihi* *externus*
multitudinem victimarum veſtrarum? plenus ſum holocauſto arietum, & adipe pinguium; *cultus.*
& ſanguinem vitulorum & hircorum nolui. Et mox: *Incenſum abominatio eſt.* Et ite-
rum: *Calendas veſtras & ſollemnitates veſtras odiuit anima mea, facti eſtis mihi in ſatie-*
tatem. Idem 49. pſalmo apertiſſimè expreſſit, ſibi nimirum minimè grata eſſe
externa id genus ſacrificia, vtpote quibus nihil ipſi omnium rerum Domino opus eſſe
poſſit. Eòdem ſpectant cùm alia infinita prophetarum verba, tum illa quibus ieiunium
& afflictiones corporis, citra abſtinentiam ab auaritia & ceteris vitiis, Eſaiæ capite 58. vt
moleſta & odioſa Deo opera reiiciuntur. Cùm igitur aliis locis hæc grata Deo eſſe di-
cuntur, vt cùm dicitur, *Odoratus eſt Deus odorem ſuauitatis*; tum ſic eſt cogitandum, ex-
terna ita commendari, vt laus omnis ad ipſa ſignificata transferatur. Thymiama igitur
ſiue Thyos à θύω dicuntur, quia ſigna ſunt eius affectionis animi quæ ex caritatis flamis
elata hominem à terrenis curis ad cælum rapit, citra quam omnis oratio, omnes victi-
mæ, omnia ſacra inania ſunt omnis vtilitatis. Hinc & Thuia arbor odorifera nomen
accepit, quòd ea quoque in ſacris ad ſuffumigium edendum cremaretur, cuius loco
apud priſcos Romanos Sabina ponebatur. *Sabina ar-*

SED ceteris cunctis aromatibus thus prælatum videmus; quòd ſymbolũ diuinitatis *bor.*
eſſe illi tradiderũt qui tria diuerſa Magorũ dona Chriſto ſeruatori noſtro oblata inter- *Thus ſymbo-* *lum diuini-*
pretantur. Aurum enim vt regi, myrrham vt homini mortali, thus vt vero Deo dicũtur *tatis.*
dediſſe. FLEMING. Quæ igitur ſignificationis vis in thure inuenitur, vt hoc magis
Deo, quàm cetera illa, videatur offerendũ? GOROP. Id clarè perſpici nequit, niſi thu-
ris naturam expendamus. Eius in primis hæc dos eſt, vt facillimè flamam concipiat, & *Thuris natu-*
ſuauiſſimum odorem longè latiſſimeque diffundat. Deinde nihil eo præſtantius ad dif- *ra & dotes.*
ficillima quæque vulnera, etiam cerebri membranarum conſolidanda: vlcera omnia,
quamuis maligna & medicis obſtinatè reſiſtentia, perſanat. Oculorũ caliginem egregie
diſcutit,

diſcutit, & alia quamplurima remedia præſtat, quæ ſuperuacaneum ſit hîc enumerare. Videamus itaque quid eiuſmodi vim habeat, vt quod thus facit in corporis vlceribus vulneribusque, id ab ipſo fiat in animis lethali vulnere ſauciis. Quid, inquam, eſt in animis noſtris quod & hoc, & cetera quæ thuris ope in corpore fiunt, præſtare poſſit? Vel D. Paullus, quid dico D. Paullus, vel ipſa me Veritas fallit, vel nihil eſt aliud, cui hæ vires tribui queant, quàm Dei amor, qui diuina benignitate animis noſtris infuſus, lethale vulnus à dracone inflictum conſolidat, nos cum eo colligans & vniens, qui ſolus omnes animi ægritudines curare poteſt. Morbus enim mortalis quem nobis peſtilens ſerpentis morſus inflixit, eam ſoluit continuitatem & vnionem quæ inter caput erat & membra; quo fit vt niſi rurſus capiti noſtro vniamur, ſalui eſſe nequeamus. Vniri non poſſumus niſi amoris glutino: quod ad nos tum demum diſtillat ex arbore miſericordiæ, & bonitatis diuinæ, cùm nos miſeriam, paupertatem, vulnera & fœda vlcera nobis à dracone inflicta diligenter expendimus, & deinde mentis apicem ad infinitam Dei clementiam & infinitos bonitatis theſauros attollimus. Ex hac enim collatione humilitas naſcitur, primus gradus ad felicitatem. Nam ſola animi deiectio deſperationē, & ruinam, & præcipitium adducit, niſi naturam eorum quę ad aliquid dicuntur, ſecuti, humiles nos præbeamus, reſpectu immenſæ bonitatis diuinæ, & eius infinitæ miſericordiæ. Nam ſi mens noſtra ab egeſtate ſua intueatur, quàm poteſt humillimè & abiectiſſimè, ad diuitias eius qui ſummè bonus eſt, & ſolus optimus vocandus; non poterit fieri, vt is qui ſummè bonus, non communicet aliquam bonitatis ſuæ ſcintillam, qua animus noſter accenſus ſtatim ſurſum feratur, & rurſus ei vniatur à quo fœdo vulnere & mortali fuit diſtractus. Huc tota Diotimæ fabula referenda, quæ ex Penias & Pori coniunctione Amorem producit, meritò Diotimæ à Platone attributa, quòd non alius ſit Iouis honor maior, quàm animum hominis & ſuam agnoſcere inopiam fœditatemque, & ei comparare diuinæ bonitatis infinitatem. Hac igitur via ad illud peruenitur quo natura humana lethali vulnere à capite & ſponſo ſuo diuulſa, rurſus ei vnitur, & ipſa vnione particeps fit iuſtitiæ illius qua nos filius Dei in cruce ab æterna morte liberauit. Hæc igitur eſt illa caritas, & ab ipſa veritate, & à D. Paullo, & ceteris tum Prophetis tum Apoſtolis prædicata; citra quam omnia ſtudia hominum, omnia ſacrificia, omnes preces, omnia ieiunia minus ſunt quàm inanis ſiſtrorum tinnitus. Quia igitur hæc caritas ſolutam vnionem conglutinat & cōſolidat; non malè Thuris ſymbolo fuit notata. Quemadmodum enim thus non ſolùm vulnera glutinat tum interna tum externa, ſed maligna etiam vlcera curat; ita & caritas omnes animi ſordes deterget. Quid porrò eſt quod oculos mentis magis purget ab omnibus Saturniis lemis, quàm amor quo puriſſimæ diuinæ bonitatis luci adhæremus? Hoc igitur nobis thus offerendum, vt omnium horum moneamur: & quemadmodum ipſum facillimè accenditur, & ſuauiſſimū odorem ſpirat; ita & nos amoris diuini flamas promptiſſimè ſuſcipiamus, & iis ad cæleſtem patriam euehamur, vt Deus mentis noſtræ ſentiat odorem, & ſuum in nobis ignem agnoſcat. Vt igitur ſemel concludam, Thus caritatis amoriſque teſſeram priſci ſacrorum antiſtites eſſe voluerunt. Hinc mox perſpicuum fit, quare thus integrum ſit igni iniiciendum: quod in Leuitico non ſemel monetur. Deus enim qui ſe zelotem eſſe dixit, non vult amorem diſtractum, ſed integrum, iuxta Chriſti præceptum; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua:* in quo totum ter repetitum ingentem & admirandam oſtendit Dei zelotypiam, qua nullo modo quicquam ferri poteſt amoris ſibi debiti particeps. Totum itaque thus, non confractum, offeramus; ne is cui id offerimus, dum eius quod integrum debetur, particulam aliquam ſibi deeſſe videt, nos non amoris igne foueat, ſed æternis ignibus cruciandos tradat.

Amor Dei in animis lethali vulnere ſauciis id præſtat quod thus in corporis vlceribus vulneribúſq.

Humilitas primus gradus ad felicitatem.

Thus caritatis & amoris teſſera.

Thus integrum, non confractum, igni iniiciendum, & Deo offerendum.

Ego tamen nec dum id quod præcipuum in thure myſterium continet, expreſſi: quod ſi audiatis, erit quod in primo huius ſymboli inuentore maiorem in modum admiremini. Quemadmodum enim thus ab integræ valetudinis hominibus largius ſumptum ebrietatem quandam & furorem inducit: ita amoris proprium eſt, hominum animos nullo morbo corruptos diuino quodam furore accendere, atque ad eum modum reddere temulentos, quo Apoſtoli flamis Spiritus ſancti incenſi apud populum publicè bacchabantur. Habent poëtæ ſuum furorem quo inflammantur, de quo dictum:

Eſt Deus

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo.

Sed nihil ad hunc ignem, quo tum Apoſtoli, tum Prophetæ, & Sibyllæ, & alij innumeri olim correpti fuiſſe narrantur; quem thus, non flama tantùm, qua facillimè exardeſcit, ſed occulta quadam facultate & ſpiritu intus deliteſcente repræſentat. Tanta autem eſt huius diuini furoris vis & efficacitas, vt ij in quibus excitatur & efferueſcit, omnia quæ in hoc mundo occurrere poſſunt, ſiue proſpera ſint ſiue aduerſa, pro nihilo ducant, nec pluris faciant inſtantis minas Tyranni, quàm vanas pægmatum laruas. Thus itaque Deo ſoli offeramus, thus integrum, thus candidiſſimum, in quo nulla macula terrena, nulla labes amoris corporei, nulla inflamationis tarditas reperiatur: atque hac amoris teſſera nos illi deuinciamus, cuius ſolius attractu perduci poſſumus ad felicitatem & cuſtodiam animorum ſempiternam. Quanto bona Hecate doctiùs & meliùs Virgilius incantationem ſuam inſtituit, quàm fortaſſis vel ipſe cogitarit, vel ſaltem illi qui verſus ipſius interpretantur!

Effer aquam, & molli cinge hac altária vittá,
Verbenáſque adole pingues, & maſcula thura.

Neque enim ligandi vim in cinctu, & vittis, & verbenis, quas in Beccefelanis explicaui, tantùm expreſſit, ſed in thure etiam occultauit: quod ſi Græco nomine dixiſſet, ſtatim Cimbris amoris vinculum indicaſſet. Thus itaque ſacrificiis diuino prorſus conſilio ad- *Thus ſacrificiis diuino conſilio adhibitum.*
hibitum; quo notaretur, nihil noſtras preces, nihil vota, nihil victimas prodeſſe, niſi amor nos Deo colliget atque connectat; tum etiam furore quodam accendat, vt omnia cetera præ hoc vno, cui iungi cupimus, nihili faciamus. Hoc enim demum verum eſt ſacrificiũ, in quo hæc Thuris ſignificatio veritatẽ ſuam tuetur; quandoquidẽ Deus neq. lachrimam arboris, neq. eius fumũ, neq. externi odoris ſuauitatem quærit; ſed illud ſolũ, quod thuris ſymbolo primi ſacrorũ antiſtites indicauerũt. Hinc Hieremias Hebręos verba Domini non audientes, & proiicientes legem eius, ſic in perſona Dei increpat: *Vt quid mihi thus de Saba affertis?* quaſi diceret: non hoc thus è Sabæorũ ſiluis allatũ volo, ſed animum amore illo flagrantem, quo lex & Prophetarum præcepta complentur. Ex hac ergo antiquiſſima Theologia, thuris acerra, & thuribulum ad Romana ſacra venit, tot ante Numam ſeculis, quot vocum harum Libanus & Thus vſus præceſſit. Quamobrem miror Arnobium aſſeruiſſe, Thuris vſum Heroicis tẽporibus in ſacris non fuiſſe; idque eo magis miror, quòd Leuiticus multo ante Heroës Græcorum ſcriptus ſit, in quo clariſſimum hoc de Thure adolendo præceptum extare, non potuit neſcire.

Ex hoc teſſeræ huius explicatu cærimoniarum ratio, quas in zelotypiæ ſacrificio *Zelotypiæ ſacrificium, & eius cærimoniarũ ratio.*
Deus ſeruari iuſſit, clara reddetur. *Si,* inquit Dominus, *ſpiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem ſuam, quæ vel polluta eſt, vel falſa ſuſpicione appetitur; adducet eam ad ſacerdotem, & offeret oblationem pro illa, decimam partem farinæ hordeaceæ; non fundet ſuper eam oleum, nec imponet thus, quia ſacrificium zelotypiæ eſt, & oblatio inueſtigans adulterium.* Cernitis ne in his Domini verbis vetari, ne thus zelotypus ſacrificet? Æquum certè eſt, amoris teſſeram ab eo ſacrificio excludi, à quo omnis amoris excluſa eſt cogitatio. Nec oleum quidem miſericordiæ & clementiæ ſymbolum Deus ab eo offerri voluit, qui ad adulterij vindictam conſequendam ſacra fieri vellet. FLEMING. Numquam profectò quicquam audiui concinniùs explicatum. Non poſſum itaque vllo modo committere, vt hanc tuam de thuris ſymbolo opinionem non vehementer laudem. GOROP. Vt tamen te magis adhuc confirmem, aliud ex eadem Hermathena noſtra depromam, de quo tam clarè veritas eluceſcet, vt vel à cæco manibus tangi poſſit. Tota Aſia & Græcia communi olim conſenſu Thus Libanum nominauerunt; *Libanũ thus.*
quam vocem Hebræi à לָבָן quod eſt album, eſſe deriuant; eo quòd lucidiſſimum & candidiſſimum thus in ſacris maximè commendetur. Verùm quia vox Libanum communis eſt omni thuri, non verò maſculo thuri, quod ſolùm candidum eſt, peculiaris; nec albedo ad odorem & cetera quæ in thure quæruntur, magnam vim habeat; tum etiam quòd plurimis in rebus, & ferè infinitis, longè maior albedo, quàm in maſculo thure cernatur: non video quî tam ſupinus fuerit vocis architectus, vt ab albi notatione nos voluerit in thuris potius, quàm gypſi, vel cretæ, vel calcis, vel liliorum venire cogitationem. Sit ſanè ſatisfactum Hebræis hoc tam imperito res per voces diſtinguendi modo. nos eorum pace illud quæramus, quod plus vtilitatis adferat, ſi ſit inuentum. Nec quæren-

quærendum diu. Ecce vltrò ſeſe offert. Dixi thus amoris in ſacrificio typum eſſe, & amoris eam eſſe vim, vt nos Deo alliget atque deuinciat. Videte igitur quid ſit liebbant. an non amoris vinculum? Quid, rogo, apertius? quid diuinis rebus conuenientius? Ipſa ſtatim vox exprimit, amorem thure in ſacrificiis notari; deinde illud addit, quo amor vinculum eſſe inter nos & Deum intelligatur. Conferte nunc etymologiam de Cimbrico ſermone ſumptam, cum ea quam Hebræus adduxit: examinate vtra plus habeat ſolidæ reconditæque ſacrorum diſciplinæ. FALKENB. Tu me nunc eò adduxiſti, vt dum de amoris ſymbolo loqueris, me in mirificum quendam Hermathenæ tuæ amorem rapueris, ex qua video quaſi è Sibylla quadam omnium myſteriorum emanare veritatem. GOROP. Vide quid agas, de zelotypia cogita; mihi meos ſinito amores, tu vel Diotimam vel Aſpaſiam Socratis magiſtras amplectaris & exoſculeris. Hebræos tamen in hanc opinionem veniſſe video, vt Libanon ab albedine dici putarent, quia Libanus mons niue perpetua, veluti Alpes, candidus inde duxerit nomenclaturam; quæ ratio vt aperta eſt in monte, ita claudicat in arboris lacrima.

Thus, thuris vnde dictum. Sed redeo ad Thus, quod idcirco ſic dictum aio, quòd primam & ſupremam cuſtodiam notet, quæ de omni ſacrificiorum varietate ſperari poſſit, totam nimirum in amore diuino conſtitutam. *Thuſcus vnde dictus.* Reliquum eſt, vt nunc, quid Thuſcus ſit, explicetur. Poteram dicere, vt plerique omnes, Thuſcos adiectione dumtaxat ſyllabica auctos, eos dici, qui ſacrificiis & cuſtodiæ ſui ſuorumque ſunt intenti. Verùm malim ita vocem exponere, *Scow.* vt ſit compoſita ex D'hui ſiue Thui/ & Scow; quo poſteriore ſignificatur accuratè inſpicio & conſidero: ita vt Thuiſcow nihil aliud ſit, quàm is qui accuratè conſiderat & attentè inſpicit, tum quî ſit ſacrificandum, tum quî publica & priuata ſint cuſtodienda. Duplex autem digamma, quo Latini carent, abiectum eſt, & vſitata Romanis vocabulorum terminatio facta, ſibilo in locum eius ſubſtituto. Ianus igitur gentem à ſe legibus & moribus formandam ſic nuncupauit, vt geminam ſimul moneret cuſtodiam ad durationem & perennitatem eſſe neceſſariam: Priorem in cultu diuino conſtitutam, quæ quia primas tenet, generis nomine digna eſt viſa hominibus priſcis: Alteram in diligentia, & prudenti omnium domi foriſque procuratione. Qui enim Remp. ſaluam eſſe vult, ei in primis curandum, vt orationes & ſacrificia ritè fiant: quod Apollo, quamuis cetera pleraque mendax, veriſſimè Athenienſibus reſpondit, cauſſam nimirum, cur Lacedæmonij meliores rerum ſucceſſus haberent, quàm Athenienſes, cùm hi multò magnificentiores hoſtias, quàm illi immolarent, eam eſſe, quòd melius orarent. Videndum itaque ante omnia ei qui Senatus populique rem diu incolumem & integram ſeruare cupiet, vt non ſolum ſacrificet atque oret; ſed etiam magna diligentia circumſpectaque diſquiſitione curet, vt nequid hac parte peccetur; quod fieret, ſi honor Deo ſingulariter exhibendus, creaturæ alicui communicaretur. Non ſatis itaque eſſe θύοντας, *θυοσκόος. Scopus. σκοπέω. Epiſcopus.* ſed accedat oportet vt ſint θυοσκόοι, ſi permittatis hanc vocem ab eadem origine, à qua nomen Thuſcorum, manaſſe. Ab eodem Scow fit ſcopus, & σκοπέω, & quæ inde vel componuntur, vel deriuantur: in quorum numero eſt Epiſcopus, quo diligens inſpector notatur; qua voce Athenienſes pro eo vtebantur, qui auctoritate publica prouincias & ciuitates circumibat, quo videret, an rectè à magiſtratu gubernarentur. Noſtra religio ad ſacra dumtaxat hanc vocem retulit; ad quam loquendi conſuetudinem idem *Thuſcus Herculis filius.* fere erit Epiſcopus, qui Thuſcus. Quamobrem mirum non eſt, fuiſſe qui Thuſcum Herculis filium dicerent; cùm reuera Ianus meritò potuerit, vt gentis auctor, ita pri- *Ianus Thuſcæ gentis auctor, meritò potuit primus vocari Thuſcus.* mus quoque vocari Thuſcus; eo quòd Epiſcopi munere non ſolum gemina facie, ſed aliquando etiam quadruplici fungeretur. Si quis vmquam poſt Nochum (nam æquum eſt ſummum decus huic manere) verè potuerit vel Thuſcus vel Epiſcopus vocari; is certè aut Ianus fuit, aut nemo mortalium; qui hac de cauſſa non ſolum nunc bifrons, *Ianus vnde dictus.* nunc quadrifrons & dicebatur & pingebatur, ſed Iani etiã nomen accepit, ab eo, quòd perpetuò ad ſuos viſitandos in itinere eſſet. *Nochus Hercules dictus.* Thuſcus ergo, Thuſcæ gentis conditor, Herculis, quo nomine Nochum vocatum fuiſſe, aliàs docui, filius reuera fuit; quamquam qui hoc tradiderunt, ad hanc intelligentiam non adſpirarunt. Ianus itaque con- *Ianiculum.* dita nunc Thuſcia, Ianiculum collem Tiberi imminentem de nomine ſuo vocauit; in quo, vt modò indicaui, eo lubentius domicilium habuit, vt & Cimmeriis & Thuſcis æquè poſſet adeſſe; & ſi qua controuerſia de limitibus exoriretur (vti frequenter fieri

ter fieri ſolet inter finitimos) eam ipſe præſens auctoritate ſua componeret atque ſedaret.

Verumenimuerò cum hoc modo & Thuſcos & Cimmerios paterna cura in pietate & probis moribus conſeruaret, atque eius rei fama iam apud fratrem Chamum ſiue Chameſem, vt Protarchus Trallianus eum vocat, percrebuiſſet; non potuit improbus, & fraternæ felicitatis inuidus animus ſe continere, quin ad fratrem nauigaret, ſimulatione fortaſſe benignæ amabiliſque viſitationis vſus; ſed aliud longe ſub præcordiis verſans. Hic à Iano (vt ſimplex, candidus & bonus vir facile decipitur) magna humanitate ſuſceptus, ad partẽ regni eſt admiſſus. Ceterùm diu celari non potuit improbum pectus, quod totum non præpoſtera modò libidine æſtuabat, ſed fanatico etiam idolorum cultu furebat. Cœpit enim paullatim inter Cimmerios maximè, in quorum limite conſidebat, inſaniam ſuam ſeminare; & quæ eſt hominum ad vitia procliuitas, maximam Heſperiæ partem corrupiſſet; niſi Saturnus, ſiue Nochus, huius rei certior factus, mox labentibus rebus ſuccurriſſet. Hic igitur ex Aſia in Cretam, inde in Auſoniam deuectus, Tiberim intrauit & Chameſem nefarium ſuum filium è Cimmeriorum & Thuſcorum limitibus eiecit; qui in Africam reuectus, & nihil amplius patris auctoritatem metuens, quia ob decrepitam ætatem non videretur Africam vlteriùs viſurus, nefandam docuit idolomaniam, & ſe non minimum deorum in ſtolido ficticij ſui cæli ſomnio conſtituit, ſed Iouem ſe Hammonem voluit vocari, de ſua ipſius nomenclatura cognomen mutuatus, quod alij Ham, profunda adſpiratione, alij Cham ſolent pronuntiare: qua de re Hieronymus in annotationibus ad Geneſim conſulatur. Saturnus autem iam grandior æuo, quàm vt diutius ferre poſſet perpetuos terra mariq. diſcurſus, quibus ad eam vſque ætatem ad ſuos in vera religione continendos vſus fuerat; ſedem ſibi & vltimam domum è regione Ianiculi, in quo filius habitabat, conſtituit; quæ pòſt Saturnia de nomine ipſius eſt nuncupata. Tota autem regio, vt alias oſtendi, Latium, quaſi laetſhum/ id eſt poſtremum domicilium, nominata eſt: qua in orbis parte ea de cauſſa vitam finire voluiſſe videtur; & quia optimum, & maximis Dei promiſſis præ ceteris inſignem filium haberet vicinum; & quòd ſpiritu diuino plenus iam tum præſentiebat hoc loco ſummum in terris imperium futurum, cui ob id nomen Room videtur dediſſe, potentiam per vniuerſum orbem iactandam manifeſtans; vt mox aperiemus. Hammon autem ſecurus iam omnis generis ſcelerum machinator, mendacia infinita ſeuit; & vt viuum patrem numquam non ignominia affecerat; ita de mortuo multas fabulas confinxit, & inter alia, cùm ipſe non rarò à patre fugatus fuiſſet, iuſſit poſteritatis memoriæ tradi, ſe patrem ſuum regno pepuliſſe; quicquid denique ſacrorum nominum eſſet, id ſibi ſuiſque ſcortis & cynædis iuſſit applicari. Sed his obiter indicatis, ad Ianum reuertor; qui in Thuſcia optimam Reip. formam ſanxit, & totam ſic pietate, religione, ſcientiis, artibus & moribus inſtruxit, vt Romani vix quicquam pòſt in ciuitate ſua habuerint laude dignum, quod non inde ſe ſumpſiſſe fateantur.

Chamus ſiue Chameſes nefarius filius Nochi idolomaniæ auctor.

Nochus, Saturnus dictus. Chameſem è Toſcorum limitibus eiecit

Chamus Iupiter Hammon vocari voluit.

Hammon.

Saturnia.

Latium.

Room. Roma.

PORRÒ quia in hunc antiquitatis campum Vortumnus nos traxit, Thuſcum ſe eſſe dicens; non puto me pluſquam Ogygiam huius Dei vetuſtatem vobis probare poſſe, niſi prius de iis paucula dicam, quæ Græcorum & Latinorum quorundam fabulis de hac regione circumferuntur. Herodotus enim, & eum ſecuti plerique alij ſcriptores, Tyrrhenos Lydos faciunt, à Tyrrheno Atyos filio, ob ingentem famem, è patria in hanc Heſperiæ partem deductos. His Virgilius ceterique poëtæ tanto lubentius aſſenſerunt, quòd hac occaſione magnus carminibus ipſorum acceſſerit ornatus: Verùm horum omnium opinioni ipſa Tyrrheniæ cùm antiquitas, tum mores, & vitæ inſtituta ex diametro repugnant; quæ apud Lydos tam abſurda fuerunt, vt filias ſuas proſtitui paterentur: quod tantum abeſt vt decorum apud Tyrrhenos haberetur, vt Spurina formoſiſſimus iuuenis faciem cicatricibus defœdarit, ne qua honeſta filia pulchritudinis huius illicibus capta in ſuſpicionem veniret ſe ipſi ſubdidiſſe: quod minimè feciſſet, ſi Lydorum mores ad Tyrrhenos hæreditario iure veniſſent. Sed quid hic laborem, aut argumenta quæram ſuperuacanea; cùm nihil abſurdius cogitari poſſit, Tyrrhenorum Remp. cetera laudatiſſimam apud omnes fuiſſe, & in eo principio turpiter ceſpitaſſe, in quo omnis honeſtatis per ſobolem propagandæ ſeminarium continetur.

Tyrrheni. Lydi.

Xanthus Lydus hiſtoricus.

Addam tamen teſtimonium omnium grauiſſimum & locupletiſſimum, contra quod ne à litigioſiſſimo quidem calumniatore vlla poſſit exceptio inueniri, Xanthi nimirum Lydi, viri, ſi Dionyſio Halicarnaſſeo diligentiſſimo veritatis inquiſitori fides habenda, antiquitatum peritia omnium ferè principis: Hic cùm in ceteris eam meruerit apud eruditiſſimos laudem; quid iudicandus eſt præſtitiſſe in patria ſua hiſtoria? Quid igitur, an hic tantus vir, tamque accuratus omnis veteris memoriæ inueſtigator, hoc tam inſigne patriæ decus tacitus tranſiiſſet? num coloniam Tyrrheno duce in Heſperiam ductam, ceu rem nullius aut gloriæ aut æſtimationis ſiluiſſet? Atqui hic tamen Atyos meminit, & duorum ipſius filiorum Torybi & Lydi; quorum vtrumque commemorat in Aſia manſiſſe, & vtrumq. de nomine ſuo gentem, hunc quidem Lydos, illum Torybos condidiſſe. De Tyrrheno vero, aut Mæonum aliqua in Italiam colonia, nulla vſquam mentio, ne verbo quidem aut litteræ vllius apice tenus, facta. Hunc igitur velut Herculanum teſtem omnibus iis oppono vel poëtis vel hiſtoricis, qui huiuſmodi fabularum monſtra poſteris prodiderunt. Abeat igitur Annius, quò dignus eſt; abeat, inquam, ne quid atrocius dicam, ad ſcombros & thynnos, qui tam multa nugarum plauſtra nobis cum de Mæonibus, tum de tota Hetruſcorum gente obtruſit. In Mæonibus tamen, quia erroris ſui clariſſimos habuit duces, & in his Herodotum, Virgilium, Horatium, vt ceteros prætercam; dignus eſt excuſatione: verùm in illis quæ de Thalmudiſta ſuo emulget, diſpeream, ſiquid vmquam viderim frigidius, in quibus magna cura pueriſ ſomnia confingit. Conſtet nunc, vti teſtatiſſimum, Tyrrhenos Lydos non fuiſſe; conſtet item, quod inde efficitur, Græcam linguam à Lydis in Italiam non eſſe inuectam: atque idcirco fruſtra laborare, qui veterum Thuſcarum vocum origines hoc prætextu ad Græcos aut Mæones ſolent referre. Hinc fit, vt ne Thuſci quidem nomen à Græcis ſumptum ſit, non magis ſanè quàm Iani aut Saturni.

Tyrrheni Lydi non fuerunt.
Græca lingua à Lydis in Italiam non eſt inuecta.
Thuſcarum veterum vocum origines ad Græcos aut Mæones non ſunt referẽdæ.

Verùm quia in hunc locum, dum errores perſequimur, abrepti ſumus; agite, & hoc audite, quod non parum ponderis iis addet quæ de Cimbricæ linguæ in Italia primatu à me dicta ſunt. Halicarnaſſeus, ad ſuperſtitionem vſque Romanæ antiquitatis accuratiſſimus expiſcator, fatetur Italiam ante Pelaſgorum incurſiones, quas facit antiquiſſimas, genus ipſum ad Neptunum relegans, Saturniam à Saturno nimirum fuiſſe nominatam. Qua verò de lingua Saturnus hoc nomen acceperit, facile vobis eſſet explicare, ſi idem in prima Saturni & Satoris ſyllaba tempus inueniretur. Nos, vti Iani nomen apertiſſimè ad noſtram linguam pertinet, vel Cicerone id conuincente, tametſi quid agat neſciat; ita Saturni quoque nomen ex eadem petitum eſſe aſſeueramus: quod ſi ita ſit, quid ni effectum nobis credemus, vetuſtiſſimam in Italia linguam noſtram fuiſſe? Sat vocali longa ſemen nobis ſignificat: cuius conuerſio id indicat ad quod ſemina ab ipſa natura ſunt comparata. As enim vocali item longa, eſcam ſignificat; vox prima ab A/ quo motus ad vlteriora ſignatur, vt in Hermathena doceo; & ſibilo, quo id quod ſignatur, docetur ad longum ad vlteriora motum pertinere. Quod igitur ſemen ab As ipſius mundi ſiue perennitatis ſpectet, conuerſa ipſius Sat vox, quæ eſt Tas/ quaſi Te as/ id eſt, ad eſcam, indicabit. Sicut enim nobis eſca durationem ætatis noſtræ continet: ita generatim ſemina totius huius mundi durationem perennant. Iam Vr/ quæ altera in Saturnus ſyllaba eſt, perfectionem & abſolutum quiddam notat: cui contrarium conuerſa vox Ru notat, vnde Rude Latinorum. Satur igitur perfectum & abſolutum ſemen notat. quæ vox integra videretur, & eſſe poſſet integra etymologia, ſi Latini perinde Saturius, atque Mercurius dicerent. Mercurius enim ex eadem noſtra lingua abſolutus & perfectus conſiderator vocatur: cùm Mert nihil aliud ſit, quàm conſidero. FALKEN. Obſtupeſcerem, niſi hæc ſæpius mihi dixiſſes, & multis exemplis & rationibus confirmaſſes, Vr perfectum & abſolutum notare. GOROP. Ad hanc voculam explicandam omnia argumenta, quæ in Hermathena ſunt, adduxiſſem; niſi & apud vos, qui hæc à me crebrò audiuiſtis, verba facerem; & omnem, quoad eius fieri poteſt, vitarem prolixitatem. Videtur autem Saturnus haud ſecus poſtremam ſyllabam acceſſiuiſſe, atque Faunus, cuius expoſitionem ſuo loco reſeruo. Sit igitur Saturnus dictus quaſi Sat-ur-not, id eſt, neceſſarius ad ſemen perfectum & abſolutum. Not enim vocali longa ſiue Noot neceſſitatem notat: & quia neceſſitas nos ad omnia diſcenda cogit, vt de Plittaco cecinit Perſius; verſa vox, quæ eſt Toon/ ſignificat oſtendo, demonſtro; do-

Saturnus vnde dictus.
Sat ſiue Saet.
As ſiue Aes.
A motum ad vlteriora ſignat.
Tas.
Vr.
Ru.
Rudis, is, e.
Mercurius vnde dictus.
Mert.
Not ſiue Noot.
Toon.

ſtro, doceo. Hinc igitur Saturnus terminatione ad Latinam formam accommodata, is dicitur, qui neceſſarius fuit humano ſemini perficiendo: Vel ſi poſtrema ſyllaba negligatur, perfectus ſeminator; quod vocabulum primum quidem Deo, deinde poteſtatibus mundi ſeminario præfectis, deinde Adamo inter homines, poſtremum Nocho, quibus Deus hanc ſingularem ſeminis humani propagandi gratiam conceſſit, tribui debet. Plerumque tamen Nocho dari ſolet; partim quòd eius, vti propinquioris, quàm Adamus ſit, recentior ſit memoria: partim quòd diluuij memoria horrendam peccatorum pœnam in Nocho ob oculos ponat. Saturnus itaque, qui naue in Italiam vectus eſt, Nochus fuit, Iapeti ſiue Iani pater, aduentu ſuo promiſſiones Iano factas de latitudine generis & imperij ſigillans, quas Chameſes vt vſurparet, atque fratri eriperet, in Italiam fortaſſe venerat, putans ſe homines vitiorum blandimentis ad ſuas partes pertrahère poſſe, atque ita ſummi imperij ſedem occupare; quaſi loco, non Iano, Deus hanc dediſſet prærogatiuam. Quocirca meritò fuit à Saturno patre compulſus ad regionem ſibi deſignatam redire. Videtisne itaque quantum Saturni nomen ad noſtram linguam relatum vtilitatis adferat antiquitati Romanæ? Italia ergo de lingua noſtra Saturnia vocata eſt, & id quidem primo tempore, vt inde, quis primus in ea ſermo fuerit, fiat clariſſimum. Poſthac itaque nullas amplius veritus obiectiones, conſtanter priſcas voces ad noſtri ſermonis origines reuocabo, procul ad coruos amandato Samuele, Thalmudiſta, Anniano, cum tota illa mendacium auctorum enneade, quam in Croniis debellaui.

Nochus quare plerumque Saturnus dicatur.

Saturnia dicta Italia.

Quamobrem interrogandi linguæ noſtræ penates, qua de cauſſa Thuſci Tyrrheni vocati fuerint, & id maximè apud Græcos, & exteras nationes. Antiquiſſimum Tyrrhenis maris imperium fuiſſe, ex eo liquet, quòd Pelaſgos, quos antiquiſſimos eorum faciunt qui Italiam è Græcia impetiuerunt, omnem nauticam diſciplinam à Tyrrhenis didiciſſe, Dionyſius Halicarnaſſæus de vetuſtiſſimis auctoribus tradat. Quocirca fateri neceſſe eſt, ante Pelaſgorum aduentum Tyrrhenos re nauali plurimum valuiſſe, atque longè lateque omnia maria percurrere ſolere; idque eo maximè, quòd Pelaſgi dicantur de commerciis Tyrrhenorum nauigationis peritiam ſibi comparaſſe: quod fieri non potuit, niſi Tyrrheni prius Pelaſgorum oras frequentaſſent. Non mirum itaque, ſi Thuſci apud Græcos ſe iactarent eos eſſe, qui omnia littora, omnes ſinus, omnes oras, omnes inſulas adirent, & ſummatim omnia percurrerent; quod vna voce Turrhennen/ ſiue, vt nunc loquimur, Dur rhennen/ mutata tenui in mediam, diceremus. Turrhen enim ſiue Durrhen ſiue Dorrhen idem eſſe quod celerrimè percurro, an quemquam eſſe putatis qui non intelligat? Turrhenni ergo ſe apud Græcos & exteros ceteros nominabant, quo ſibi imperium maris, & poteſtatem ad quaſuis oras penetrandi arrogarent; & hac ſua appellatione efficerent, vt dum aliæ nationes ita ipſos nominarent, hanc ipſis concedere & confirmare poteſtatem viderentur. Deinde hac ipſa ſua nomenclatura ſic primum gentis auctorem referebant, vt cùm ille ab eundo Ianus vocaretur; ipſi ſe à celerrimo percurſu nominarent, quaſi dicerent, tantum abeſſe vt patris veſtigiis non inſiſterent, vt etiam ſe velle præuertere nomine ſuo profiterentur. Neque dubium eſt, quin Iaphet, cui Aſia minor, & Græcia, & ceteræ Europæ partes, vt colonis frequentandæ erant, ita legibus & diſciplinis inſtruendæ, & à vitiis, ſiqua irrepſiſſent, repurgandæ; plurima nauigatione vſus ſit, quo itinera ſua minore temporis diſpendio conficeret, atque Epiſcopatus munere fungi expeditius celeriuſque poſſet. Qua de re nihil mirandum, ſi Tyrrhenni tum in re nauali plurimum excelluerint, tum de maxima percurrendi celeritate ſibi nomen ſumpſerint: quod eo gratius fuit, quòd eo patris & ſtudium & cognomen non ſolùm referre, ſed etiam ſuperare viderentur. Atque hæc quidem de Tyrrhennica appellatione, quæ nihil ad Mæones nec ad Lydos ſpectat.

Tyrrheni quare vocati Thuſci.

Pelaſgi.

Tyrrheni vnde dicti.

Verumenimuerò, quia tam antiqua eſt hæc de Lydis opinio; videtur non citra cauſſam irrepſiſſe. Experiamur igitur, an eam etiam queamus perueſtigare. Vnde Aſiatici Lydi nomen acceperint, nunc non quæro. Xanthus à Lydo Atyos filio datum ſcripſit: At hoc quæro, qui factum ſit, vt Tyrrheni Lydij putarentur; ſi verum ſit, numquam quemquam Tyrrhenum Atyos filium fuiſſe, nedum coloniam ad Thuſcorum duxiſſe fines Iaphet. Quid Gomaris ſignificet, paullo antè clarum feci: ad cuius vocis ſignificatum

Lydi vnde dicti.

Lie. catum id ſequitur quod Cimbris Liedi deſignat; cùm eo vocabulo idẽ notetur, ac ſi La-
Di ſiue Dy. tinus diceret, populos augeo, promoueo, & ad frugẽ perduco. Lie enim populi; Di vocali longa, augeo, promoueo, & ad frugẽ duco. Quia verò Latini diphthõgo ie carẽt, pro ea hoc loco duplex Iota ſiue ypſilon ſubſtituerũt; pro qua tamen in libero Saturni cognomine à populis gignendis dato, I longum dumtaxat poſuerunt. Qua de etymologia perſpicuum fit, idem ferè in Iano quod in Tyrrhenno accidiſſe; vt quemadmodum hic patris nomen non ſolùm eſt imitatus, ſed etiam præuertit: ita & Ianus Lydus ſit cognominatus, non à gignendis tantùm populis, ſed etiam augendis & promouendis; qua in re amplius quiddam eſt, quàm in nuda populorum generatione. Quamobrem Ianus Lydus dictus eſt ab eius promiſſionis dono quam Nochi ore Deus ipſi fecerat; ſic nimirum auctum & promotum iri ipſius poſteritatem, vt non ſolùm Semi ſedes occuparet, ſed Chami etiam progenies ei ſeruire cogeretur. Tyrrhenus ergo non malè Lydi propago vocabitur; eo quòd Ianus Lydus ſit, ex ipſa ſacroſancta Iouis promiſſione, quam Nochus fauſtis & felicibus verbis apud diuinum Moſem legitur concepiſſe. Quamobrem verum eſt illud quidem, Tyrrhenos Lydios eſſe, id eſt, a Lydo genus ducentes: ſed falſum, ab Atyos filio vel ductos in Thuſciam, vel accepiſſe nomenclaturã. Atque hinc illud eſt errorum ſeminarium, quos & auide Herodotus eiuſque ſectatores arripuerunt; & poëtæ in præcipuis operum ſuorum floſculis collocarunt. Videte quàm hæc omnia & moribus gentis & ſacris litteris conſentiant, quamque ſignificanter de Cimbrico ſermone explicentur, nullo vocibus adhibito tormento. FLEMING. Quis hæc vmquam mortalium cogitaſſet? quis vmquam tam clara veteris memoriæ monumenta, quis tam conſentanea Moſis hiſtoriæ in lucem protuliſſet; niſi tu hæc de Hermathena tua nobis depromſiſſes? Macte igitur tam cæleſti dono perge ad reliqua; & ea benignitate qua cetera aperuiſti, illud etiam nobis explica, quamobrem Thuſci non modò Thyrreni, ſed etiam Etruſci fuerint vocati.

Ianus Lydus dictus.

Tyrrhenus Lydi propago non malè vocatur.

GOROP. Sentio quid agas, laudis me ſtimulo pupugiſti, quo plus mihi ſinerem oneris imponi. Etruriam & Etruſcos vnde dixerint Ianigenæ, quiuis facilè intelliget, ſi apud veteres ſcriptores legerit, cùm omnes diſciplinas & artes, tum religionem in primis apud Thuſcos olim maximè viguiſſe: quod tametſi nemo litteris prodidiſſet, tamẽ ex eo ferè neceſſaria efficitur concluſione, quòd Ianum gentis ſuæ non conditorẽ modò & legumlatorem, ſed nomophylacem etiam habuerunt, & pædagogum, quippe qui ſedem ſuam in Thuſcorum limite collocarit. Inter cetera igitur nomina voluit & illud eſſe quo perpetuò monerentur, vt vbique mentis aciem ad ipſum verum dirigerent. qua quæ poteſt eſſe adhortatio maior, quod maius incitamentum ad omnes ſcientias auidè hauriendas, citra quas ipſius veri cognitio non poteſt haberi. Difficile mihi ſit verbis aſſequi, quantum ponderis hæc habeat admonitio, quam Etruſci nomine tam apertè video notari, vt notari clarius non poſſit. Quis Chriſtianorum neſcit, immò quis omnino Philoſophorum neſcit, in ipſius veri contemplatione totam contineri & abſolutam felicitatem? Sicut Thuſcow ſignificat, ad ſacrificia & cuſtodiam attentus ſis: ita Het-truſcow nihil aliud eſt, quàm ad ipſum verum ſis attentus. Scow quid ſit, antè dictum. Het vocali breui articulus eſt, cuius notationem, ipſum, Latinorum vox, exprimit. Tru idem eſt quod verum: quod Britanni de vetuſta ſua lingua hactenus ſeruant. Nos Trow dicimus conuenienter primæ vocis origini, quam ichnæa oſtendit conuerſio: Woort enim idem eſt quod verbum, primum primo verbo dandum, cum quo ipſum verum prorſus eſt idem. Sed hæc ſublimiora ſunt, quam iis hic ſit immorandum. Hetruſcus ergo vno T adempto, lenioris ſoni gratia, is dicetur qui ipſius veri diligens contemplator eſt: qua voce Thuſcos ad perpetuam veritatis inquiſitionem is qui nomen dedit, incitauit; quem non alium, quam ipſum Ianum fuiſſe, credo; propterea quòd tantum habeat hæc adhortatio diuinitatis, vt hoc auctore minimè ſit indigna. Iam Hetruria dicitur quaſi Het tru-ryc, id eſt, ipſius veri regnum: vnde adempto C, Hetruria apud Latinos vocatur. FALKENB. Tu res hactenus inauditas ita demonſtras ad veritatem quadrare, vt mihi videaris in veritatis regno educatus. facilius modò Tito Liuio credo, Romanos pueros ad litterarum cultum capiendũ olim ſolere in Hetruriam mitti. Sed ſi permittis, ad Vertumnum te reuocabo, ne forte, dum latius in Hetruſcorum origines adſcendis, in Ciminiam ſiluam aberres, e qua difficiles olim exitus fuiſſe, hiſtorici tradũt.

Hetruſci vnde dicti.

Het. Tru. Trow. Woort.

Hetruria vnde dicta.

GOROP.

GOROP. Non malè mones: vix enim me teneo,quin omnes Thuſciæ antiquitates vobis exponá,ita admirabili quodá,dum in eas incido,rapior ardore. Vortumnus Thuſcum ſe dicit,quòd eius ſimulacrum primùm in Thuſcia poſitũ fuerit,& id quidẽ apud Volſinios,quos ſe ait deſeruiſſe. Neſcio quid hic primùm ſit exponendũ,nomen ne Vortumni, an Volſiniorum; an illud, quod Vortumni ſigna Propertius appellarit paterna. Certè tota carminis materia in eo verſatur, vt vnde Vertũnus dicatur,explicetur: quòd magnam ob eam cauſſam affert difficultatem,quòd ipſe Vortumnus fateatur,ſe nomen ſuum de patria lingua habere,& tamen addat,ſe non Romanum origine,ſed Thuſcum eſſe. Primùm ergo cõſideremus, quid Vortumnus ſit in eo ſermone quo Ianigenæ olim in Hetruria vtebantur: quo cognito,omnium eorum quæ de Vortumno in dubiũ vocari poſſunt,ipſa luce meridiana fient clariora. Putauit Propertius, Vertumnum per ſecũdam in principio vocalem ſcribendũ;& idcirco nomen à Latinorũ verto deriuandum. Quòd ſi adſtruere voluiſſet,prius demõſtraſſet,verto in Thuſcorũ lingua idẽ quod apud Latinos ſignificare;quod quia nec fecit,nec facere potuiſſet; paruam conſtantiæ curam videtur habuiſſe. Nos ſic exiſtimamus, apud priſcos Latinos aliud vorto, aliud verto, fuiſſe;quamuis poſteriora ſecula originũ verarum ignara, inter has voces nullũ agnouerint diſcrimen. Animaduertendũ itaque, quo ipſa ſe veritas prodat, geminam eſſe apud Latinos ipſius verto notationem; alteram,qua vertere quippiam dicimur,cùm priorem eius conſtitutionem mutamus,vel ipſum contra ponimus,quàm prius erat collocatum. Alterá verò,de qua dicimus,Deus bene vertat quod agis: quæ locutio non vult,vt Deus rem quæ fit,contra quam inſtituta eſt,collocet aut conuertat,ſed vt id quod fit,promoueat,proſperet atque bene fortunet. Donatus in Terentij Adelphos ſcribens ſignificationem hanc non malè quidem animaduertit, ſed ineptè omnino ad prius ſignificatum accommodauit,dum dicit,Vertumnum Deum eſſe,qui rebus ad opinata reuertentibus præſit. Neque enim res quæ bene ſuccedunt, quod dicunt bene vertere,ad opinata reuertuntur;ſed ad id quod animo deſtinatur,procedũt. Videmus itaque,non à reuertendo,aut conuertendo Vertumnum dici; nec res quidẽ tum bene vertere, cùm reuertuntur aut conuertũtur,ſed cùm ſecundũ curſum propoſitũ bene promouentur,citra omnẽ conuerſionem , quæ bono ſucceſſui non opitularetur ,ſed apertũ adferret impedimentũ. Quamobrem ſtatuimus,Verto quidẽ ad conuerſionẽ pertinere; ſed Vorto dicendum eſſe,cùm proſperum rerum ſucceſſum volumus indicare:& hoc quidem verbũ in Cimbrico ſermone,quem primum in Italia fuiſſe dixi,claros habere natales. Vor enim apud nos ante ſignificat;à quo Vort idem eſt quod ad anteriora,ſiue vlterius. Hinc verbũ Vort idem ſignificat quod promoueo vlteriùs;cum quo idem eſt Vorder deriuatum à comparatiuo. Harum vocum vtralibet vtimur, dum cuipiam operis quippiam agenti, felicem ſucceſſum precamur,quod neminẽ noſtratiũ poteſt latere. A vort ergo Latini priſci vorto fecerunt,verbum longè diuerſum & origine & ſignificatione à verto. A Vort fit Vortdom/ veluti à Ryc Rycdom/ à Wijs Wijſdom/& cetera id genus multa. Vort dom nihil aliud eſt, quàm proſper ſucceſſus; à qua voce Cimbrica hic noſter Deus vocatus eſt Vortomnus,eiecta littera media;quòd duplicatio ſuperflua videretur & moleſta. Quamobrem Vortomnus is deus erit, qui proſperos dat agentibus ſucceſſus: quo ſtatuto,nihil eſt vlterius quod non perſpicuè queat exponi, & ad veram antiquiſſimorũ religionem accommodari. Simulatque enim cogitabimus, quis deus ſit qui omnium hominum res promouere & proſperare poteſt: nihil dubij relinquetur, quis ſit Vortumnus, & quod ei conuenientiſſimum vel ſignum vel templum.

Vortumnus Thuſcus. *Vertumnus vnde dicatur.* *Verto, duplicẽ habet notationem.* *Vorto.* Vor. Vort. Vorder. Vortdom.

Nemo qui modò ſanæ mentis eſt,& nulla idolomaniæ contagione infectus, dubitare poteſt,vnũ ſolùm Deum eſſe, qui omnibus nõ humanis modò, ſed cæleſtibus etiam rebus promouendis præſit,qui idem ſit creator & pater omnium. Quamobrẽ ſigna Vortomni, ſigna paterna à pontificij iuris peritis dicta ſunt; quia ſigna eſſent ipſius patris in omnibus rebus à ſe creatis omnẽ ſucceſſum moderantis. Quamobrẽ bene à Propertio dictum eſt:

Aſpice Vortomni ſigna paterna Dei.

Iam quod Vortomnus nihil aliud ſignificet,quàm Deum omnia in omnibus proſperantem;Tibullus inſigni epitheto declarauit,felicem eũ appellans;eo nimirũ,quod omnis & mortalium & immortaliũ felicitatis diſpenſator eſſet atque largitor. Et ne dubitaremus,quẽ hũc Deum eſſe crederet,de priſco ritu adiecit templũ,non hominũ manibus

Tibulli carmen de Vortumno.

aut factum aut dedicatum; ſed illud, quod ipſe ſibi molitus eſt antequam hominem feciſſet, lucidiſſimum videlicet, ac maximũ, quod aliàs cælum, aliàs Olympũ vocamus.

Talis in æterno felix Vortomnus olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.

Hos verſus alij aliter legerunt; quibuſdam pro æterno, ſubſtituentibus extremo, quibuſdam ætherio; quorum vtrumque frigidum, & à vetuſta lectione longè recedens. Annius nugaciſſimis quibuſque nugacior, quo haberet quod ad hunc ſcrupulũ eximendum facere videretur, nouum quendam & omnibus inauditum Olympum commentus eſt de Hetruſcorum, ſi Dio fidio placet, diſciplina; & quo ſentẽtiæ ſuæ teſtẽ haberet, Xenophontem neſcio quem de Æquiuocis in mendaciorũ theatrum induxit, cuius auctoritate conſtaret, Olympũ inter alia dici foſſam, quæ vrbi condendæ circũducitur. Nec contentus ficticij auctoris larua, Plutarchum etiam aduocauit, quem ait de Romuli vita ſcribentem aſſerere, hoc foſſæ genus Olympũ nominari. De Xenophonte quid ſentiam, Cronia mea demonſtrant: quid Plutarchus dixerit, ex ipſius verbis intelligetis; quorum eo facilius memini, quòd tam abſurdè fuerint ab Annio ad ſua ſomnia venditanda detorta: ſunt autem hæc: *καλοῦσι δὲ βόθρον τοῦτον, ᾧ καὶ τὸν ὄλυμπον, ὀνόματι μοῦνδον.* Quid his clarius? Vocant, inquit, foſſam hanc Mundum, nomine eo quo & Olympum. Quis hic tam vecors eſt, vt à Plutarcho dici putet, foſſam Olympum nominari; cùm apertè dicat, Mundum vocari, & eandem vocem ipſis in vſu eſſe, pro eo quod Græci Olympum nominant. Si Annium necdum ſuis coloribus à me depictum vidiſtis: ex hoc loco, tamquam ex vngula leonem æſtimate. Verùm quia non videbat quare Olympus pro foſſa dici poſſet æternus; aliam ſibi finxit de ſuo cerebro lectionem, malens elegantiſſimos poëtæ verſus corrumpere, quàm ſuas ineptas gerras teſtimonij prætextu carere. Pro æterno itaque legit extremo; quoniam hæc foſſa extremum vrbis eſſet. Quamobrem Annianis chartis pro ſpongiis vti licebit ad eos vſus quos noſtis; & Tibullum à fœdo mendo liberare; cuius hæc germana & lectio eſt & ſententia, Vortomnum in æterno cælo ſe eſſe, vti ceteros deos Romani in templis dedicarunt. Signum enim eius in vico Iugario à Iunonis Iugæ nomine nuncupato, ſub ipſo cælo ſiue æterno Olympo fuerat collocatum; vt eo indicaretur, ipſo illo Deo, à quo omnis felicitas & ſecunda fortuna procedit, non aliud fanũ, quàm ipſum cælũ dignum eſſe. Iam quẽ omniũ actiones intueri & promouere ad felicem exitum volebant, eum parietibus includi, rebus mortaliũ minimè putabant conuenire. Quid quòd non humanis modò actionibus ſecundandis, ſed ipſis etiã cælorũ orbibus perenni volutione promouẽdis præſidere credebatur: ita vt in eo maximè colẽdus videretur templo, in quo maxima ipſius vis & poteſtas cerneretur. Hinc Propertius eodem reſpiciens, ſic eum facit loquentem:

Vortumni tẽplum eſt æternus Olympus

Hæc me turba iuuat, nec templo lætor eburno.

Quem verſum ſic Annius exponit, quaſi in Hetruria templum ipſi eburnum fuiſſet, quo apud Romanos lubenter careret. Sed hoc item, vt alia pleraque omnia, imperitè. Dicit enim Deus, tantum abeſſe, vt vllo omnino templo, vt ne pretioſiſſimo quidem atque adeò elephantino lætetur; ſed nihil malit, quàm in media hominum turba ſtare, quo nimirum ab omnibus æquè videatur, atque ex æquo omnium rebus proſperum ſucceſſum adſpiret. Nam qui legunt, *Nec me turba iuuat*, non vident, ſe egregiè falli, propterea quòd nec probabile ſit, priſcos ſacrorum rituum antiſtites tam rerum ſuarum fuiſſe imperitos, vt Deum, qui à turba abhorreret, in vico conſecrarent frequentiſſimo: niſi fortaſſe non propitium, ſed aduerſarium eum vellent. Contrà profectò rem habere ipſe indicat, dum dicit:

Romanum ſatis eſt poſſe videre forum.

Et iterum, dum optat: *Romana per æuum*
Tranſeat ante meos turba togata pedes.

Legendum igitur:

Hæc me turba iuuat, nec templo lætor eburno.

Nec porrò credendum, aliter apud Hetruſcos, aliter apud Romanos ſignũ eius poſitum fuiſſe: cùm potius honor augendus, non diminuendus fuiſſet, ſi beneuolũ quidẽ ipſius numen Romani habere vellent. Quæ enim illa vel peruerſitas, vel in Vortomnũ iniquitas fuiſſet, Deum ex eburno templo allatum, nullo templi honore dignari? Sic ergo exiſti-

exiſtimandum, doctiſſimè & ritui priſco conuenientiſſimè à Tibullo dictum eſſe:

Talis in æterno felix Vortomnus Olympo.

Nec minus eleganter à Propertio:

Nec templo lætor eburno.

Quo voluit indicatum, Deum ne pretioſiſſimi quidem fani, nedum vulgaris alicuius templi, cupere honores. Priſca profectò hæc ſigni huius dedicatio egregiè quadrat cum noſtra religione, quã in Iano fuiſſe, qui neget, is etiam eam à Nocho tollat. Quid enim fidei noſtræ aptius, quàm Deum nutu ſuo omnium rerum progreſſus moderantem, & ad optatos fines deducentem, nullis muris incluſum habere; ſed ſub aperto cælo ſignum eius collocare: quòd nimirum indicarent illud ipſum maximè templum decere, quod ipſe ſibi fabricaſſet; iuxta illud Eſaiæ: *Qui extendit velut nihilum cælos, & expandit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum.* Quamuis enim omnem tum corporis tum mentis capacitatem Deus longè latéque excedat; ſi tamen templum aliquod ſuum propriè habere dicetur, quod oculis quidem corporis cerni queat; illud certè ſuum habebit, quod Olympum Græci ab integra totius lucis viſibilis comprehenſione nuncuparunt. Apollo, cetera mendax, illud verè dixit, Deum in igne habitare inacceſſo; quod de immenſo diuini ſplendoris abyſſo, ad quem ne angelicæ quidem mentes pertingunt, intelligendum. At ſi quid ſit oculis humanis obiectum, in quo Dei magnificentia & maieſtas cerni poſſit; certè id ipſum cælum erit dicendum. *Cælum*, inquit Dominus per os Eſaiæ, *ſedes mea, & terra ſcabellum pedum meorum. Quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus requietis meæ?* Videte itaque, quàm omnia apta ſint & concinna ipſi religioni quæ de Vortumno canuntur.

Deus ne pretioſiſſimi quidem fani, nedum vulgaris templi, cupit honores.

Olympus templum Dei.

Et ſunt quidem prorſus iſta diuina, quæ de templo eius modò dixi, ſed nec minus cum veritate quadrant, quæ de variis huius Dei formis accepimus. Sic enim ſtatua eius facta erat, vt ad quemuis cuiuſuis hominis ornatum ſuſcipiendũ idonea eſſet: quo non aliud denotatum putetis, quàm Deum, qui quorumuis hominum laboribus promouendis præeſt, nullum habere diſcrimen perſonarum; ſed æquè omniũ partes tueri, & quorumuis perſonam accipere; quo ſe monſtret omnibus æquè velle opitulari; denique ſe omnia fieri omnibus, quo omnium ſtudia proſperet ac ſecundet. Idem enim Deus agricolæ agricola eſt, ſutori ſutor, meſſori meſſor, magiſtratui magiſtratus, ſeruo ſeruus, dum in ſingulis ſingula officia adminiſtrat, & felici promouet ſucceſſu. Statua itaque Vortomni ſic erat expreſſa, vt idonea ad quemuis cuiuſuis habitum ſuſcipiendum videretur; non aliter atque Deus promptus eſt ad cuiuſuis & preces audiendas, & labores proſperandos. Ex his bene conſideratis non puto obſcurum fore, quæ'nam cauſſa ſit, cur Vortomnus quamuis formam decenter accipiat; cùm pro votorum diuerſitate aliud & aliud officiũ hominibus præſtet, atq. tot homines induat, quot adiuuat, & lætis ſucceſſibus ad optatum finem perducit. Deus profectò omnia in omnibus operatur, nec quicquam operis perficitur, quod non ipſi ſoli debeatur. Quòd viuimus, quòd ſpiramus, quòd ſentimus, quòd intelligimus, quòd ambulamus, quòd manus, quòd cetera membra mouemus, quòd loquimur, quòd aramus, quòd ſerimus, quòd metimus, quòd flores decerpimus, quòd deniq. quæuis munia obimus; id totũ ipſius eſt: ita vt meritò tot perſonas gerat, quot ſunt operationum actionumque varietates. Monebantur ergo homines hoc Vortomni ſigno, nihil omnino aggrediendũ eſſe, ad quod non ante omnia Dei auxiliũ inuocaretur, quo fauſtũ felixque quod fieret, eſſe vellet. Quamobrẽ eo vrbis loco poſitum erat, in quo maxima hominũ turba verſaretur; vt nimirũ veluti benignus quidam pater omnibus filiis de cæleſti ſuo templo affulgeret, atque proſperos ſucceſſus adſpiraret. Quid aliud, quæſo, indicabatur, dũ felicitatis præſes in æterno Olympo, non in fano aliquo hominũ manibus exſtructo, cernebatur; quàm quod nos in oratione Dominica omnẽ Theologiæ medullã complexa dicimus, *Pater noſter, qui es in cælis.* Quocirca conuenientiſſimè priſcæ religioni Propertius celebrat ſigna paterna, & Tibullus felicẽ Vertomnũ in ęterno Olympo; quorũ hic epitheto ſuo clariſſimè expreſſit, à Vortomno omnem procedere felicitatẽ: cui cùm cęlum dedit templũ, quid aliud fecit quàm ſi dixiſſet, Vortomnum patrem noſtrum eſſe, qui in cælis habitans, omnium mortaliũ opera promouet atque fortunat. Opinor equidem hæc eum hauſiſſe de arcana ritualiũ librorum diſciplina; & longè meliorẽ verioremque ſententiam protuliſſe, quàm ipſemet cogitarit.

Vortumni varia forma.

Deus omnia fit omnibus.

Neque enim de Romana lingua intelligere poterat, Vortomni nomine non aliud quàm proſperitatem notari: quod ſi intellexiſſet, numquam eam vocis rationem explicaſſet, vt hunc deum ita vocatum diceret, quòd ſe in omnes formas verteret atque mutaret. Longè aliter ceciniſſet, ſanctiuſque etymon demonſtraſſet, ſi proſperam fortunam hac nomenclatura ſignificari ſciuiſſet.

FLEMING. Facis tu ſane, Goropi, vt de Fortunæ nomine, cuius proſperitatem Vortomno includis, Vortomni & Fortunæ eoſdem credam eſſe natales. GOROP. Non male id credis. Exiguum enim inter V & F diſcrimen eſt, nec aliud eſt fortuna, quàm dea, ſiue diuina voluntas, proſperitatis fauorem rebus mortalium adſpirans. Alij enim Voꝛt/ alij Foꝛt/ dicunt pro eodem. Hinc Foꝛt-iun/ id eſt, proſper fauor, ſiue fauor proſperitatis: e qua voce compoſita, Latini Fortunæ nomen, exempta I conſonante retinuerunt. FALKENB. Tu tandem omnia Latina vocabula ad Cimbricas radices reduces, ſi hanc viam ingredi pergas. GOROP. Quid ni id faciam, cùm de vera hiſtoria conſtet, Ianum & Cimmerum Italiam primos poſſediſſe: quo fit, vt minimè ſit abſurdum, quàm plurimas voces ex illorum ſermone apud Italos manſiſſe. Elegantiſſimum itaque nomen eſt Fortuna, includens non cauſſam per accidens, ſed fauorem proſperitatis, quo mox incitamur ad cogitandum, cuiuſnam hic fauor ſit, qui res noſtras, præter conſilium noſtrum, ſecundet; atque ad felicem exitum, citra operam noſtram, perducat. Quod dum facimus, tandem eò recto tramite deuenimus, vt primam cauſſam nobis nihil tale cogitantibus fauiſſe intelligamus; & non aliud Fortunam exiſtimemus, quàm Dei voluntatem, res noſtras, præter opinionem noſtram, felici ſucceſſu promouentem. Quamobrem magnopere peccant, qui Fortunæ cæcitatem imputant, quoniam nihil diſcriminis ſit inter fortunam & Dei prouidentiam, niſi quòd hoc nomen ad omnia & mundana & ſupermundana ſpectet; illud dumtaxat referatur ad fauorem, quem Deus hominibus præter exſpectationem ipſorum adſpirat. Cùm autem Fors dicitur, promotio quidem ſignificatur, ſed fauoris mentio nulla fit. Hinc eluceſcit, Vortomnum & Fortunam ab eadem origine deduci; ſed eo dumtaxat differre, quòd Vortomni nomen pro Deo ea ratione ponatur, qua res noſtras, quas conſulto aggredimur, promouet: Fortuna verò Dei fauor ſit, ex inopinato rebus noſtris adferens proſperitatem. Quòd ſi Dei poteſtatem ſic conſideremus, vt res omnes catena quadam à nulla vi rumpenda alligatas tenet; Fatum vocatur: quæ vox, non minus quàm Vortomnus & Fortuna, de Cimbrico fonte manat; contrà omnino atque illi arbitrantur, qui eam à Foꝛ deriuant. Vat enim idem eſt quod comprehendo; à quo Vatdom/ ſicut à Voꝛt Voꝛtdom/ pro comprehenſione, qua Deus omnia potenti ſua manu ſuſpenſa tenet. FALKENB. Agnoſco catenam Homericam in hac Cimbrica interpretatione; quam infinito lubentius amplector, quàm eorum commentum qui à For Fatum deducunt.

Fortuna vnde dicta.

Fatum vnde dictum.

GOROP. Sed hæc obiter. nunc ad Vortomnum reuertamur. Annius Propertio credens, Vortomnum, à vertendo ſe in varias formas dictum eſſe, ex hirco ſuo Thalmudiſta neſcio quas nugas emulget, Vortomnum aiens Aramæis Vadimona dici; eo quòd vado apud eos idem ſit quod Latinis verto. Non quæram hic quos Aramæos dicat: ego certè nec à Syris, qui ab Aram Aramæi dicuntur; nec à Scythis, qui & ipſi Aramæi, ſed alia ratione, vocantur, vado dici credo pro verto: hoc ſcio, quod Annius hoc loco בָּרָא id eſt mentitus ſit, & ſi Hebræum vocabulum vadimon eſſe velit, quod nihil aliud ſit futurum ‏בַּדְמוֹן‏ quàm mendacij ſimulacrum, quod hic nobis Annius erexit. Videte obſecro egregium Thalmudiſtam, qui ex mendacij ſigno Vortomni ſignũ fecit. Non contentus tamen ipſi mendacio ſtatuam dedicaſſe, adiecit, Proto idem Ægyptiis notare, quod Latini verto dicunt: atque hinc Proteum eundem eſſe cum Vortomno & Vadimone. Hoc demũ eſt vocũ rationes inuenire; hoc ſcitè artificioſéque mendacia contexere. Proteum τὴν πρώτην ὕλην, ſiue primam materiam eſſe, atque de eius potentia Idotheam educi, in Niloſcopio tradidi; quò vos, ſi id clariùs diſcere velitis, amando. At quid Vadimon ſignificet in prima Hetruſcorum lingua, hic explicare conabor. Vat idem eſſe quod comprehendo vel apprehendo, vobis notũ. Hinc Vat-oꝛ apprehẽdo auriculã: Or enim auris, vt ſcitis, à quo Latinorum Auris. Ex Vat-oꝛ Latini fecerunt Vador, mutata tenui in mediam; quod verbum vt notæ eſt ſignificationis, ita hactenus fuit originis ignotæ.

Proteus.

Vadimon deus quis ſit, & vnde dictus.

Vat.

Or

Auris.

Vador.

Seruius

Seruius auctor eſt, auriculam memoriæ, vt frontem Genio, digitos Mineruæ, genua miſericordiæ, cõſecratam eſſe. Quamobrem qui in ius quempiam vocabat, auriculam eius apprehendebat, ne obliuiſceretur: & vnà etiam præſentium quempiam anteſtabatur; cui item auriculam apprehendebat, vt memor eſſet alteri diem dictum eſſe, quo ſe apud iudicem ſiſtere deberet. huc alluſit Virgilius, *Auriculam apprehēdere. Aurem vellere.*

Cùm canerem reges & prœlia, Cynthius aurem
Vellit, & admonuit: paſtorem Tityre pingues
Paſcere oportet oues.

Horatius ipſum hunc in ius vocandi ritum ad verbum expreſſit:

Quò tu turpiſſime, magna
Exclamat voce, & licet anteſtari. ego verò
Oppono auriculam. rapit in ius.

A Vat fit Vaſt pro firmiter comprehenſo: hinc Vas is Latinis dicitur qui pro alio tenetur: quam vocem malè deriuant à vado, cum cuius & ſignificatu ex diametro pugnat, nec tempore conſentit, quod in illo breue, in hoc longum. Iam Vadimon is eſt qui auricula apprehenſa quempiam monet, vt ſe apud iudicem ſiſtat; à Vat, & Man, è quo Moneo Latini fecerunt, tempus quod in Man longum eſt, malè corripientes. Vadimonium igitur eſt ſatisfactio eius qui per auriculæ apprehenſionẽ monitus erat, vt ſe iudicio ſiſteret. in qua voce, o longum ex vocali longa a manſit. Nec mirũ, ex man mon factum eſſe, cùm Allemanni quoq. pro man mon dicant, dum Lunam ſignificare volunt. Quis itaq; Deus apud Hetruſcos Vadimon fuerit, ex hac interpretatione coniectare licet: is haud dubiè qui vadimoniis præſidebat. Sacroſancta enim vadimonia eſſe voluerunt primi Reipublicæ conditores; propterea quòd ad pacem conſeruandam nihil æquè neceſſariũ ſit, atq. eum qui in ius vocatur, obedire; ne quotidianæ rixæ & pugnæ oriantur, & præterea ius ipſum, quod ſanctiſſimũ eſt humanæ ſocietatis vinculum, contemnatur. Hinc grauiſſimam oportuit eſſe cauſſam ob quam vadimonium deſereretur. Quis verò alius & vadimonij non præſtiti & iudiciorum contemptus vindex erit quærendus, quàm ipſe ignis infernus, in quo omnia ſcelera, & præſertim ea quæ in remp. committuntur, ſunt punienda. In hunc Herus Armenius tyrannos & tyrannis ſimiles coniici vidit, vti Plato in Republica ſua exponit; hac ſua appendice indicans, nullam humanam ſocietatem ſatis tutam eſſe, niſi tormentorum in futuro ſæculo metus eam cõſeruet. Vadimon ergo deus erit, nefarios & ſceleſtos homines ſubterraneo igne torquens. Quamobrẽ maximè circa lacus vel bullientes vel ſulfur ſpirantes colebatur; quòd horum monitu, ignis inferni in mentem veniret. Hinc lacui cuidam paruo in agro Amerino ſulfur exhalanti datum nomen Vadimonis, in quo inſulas natare, & Plinius commemorat, & eius nepos in epiſtola quadam copioſe eleganterque depingit. Titus Liuius tradit ad Vadimonis lacum Hetruſcos exercitum in extremo periculo legiſſe: ex quo loco colligi poſſe videtur, non eum ſolum lacum Vadimonis fuiſſe nuncupatum qui à Plinus deſcribitur; ſed illum etiam qui apud Viterbium ſulfureis aquis bullit, ad quem propiùs ea videtur ſpectare quæ de prœlio illo narrantur quod ad Longulam eſt commiſſum. Ad has igitur bullientes aquas ſacrata, vt Liuius inquit, lege exercitus ita eſt coactus, vt vir virum legerit, & ita alius alij ſe addixerit, vt niſi egregium ſe virum in prœlio præſtitiſſet, caput ſuum infernis ignibus deuoueret. atque hoc illud eſt quòd copias ſacrata lege coactas eſſe dixit; in quibus nimirũ omnes ea condicione & eo ſacramento coiiſſent, vt niſi ſeſe in prœlio ſiſterent, atque patriam defenderent, infernis ſe tormentis conſecrarent.

Vaſt. Vas, vadis. Man ſiue Maen. Moneo, es, ere. Vadimoniũ. Mon. Vadimonis lacus.

Verùm quò commentum hoc meum probabilius reddam, quædam in mediũ adducam de diis Palicis, vetuſtiſſimis illis quidem, ſed non minus quàm ipſe Vadimon hactenus ignotis. Virgilius Palici meminit libro Æneidos nono: *Palici dij.*

Quem miſerat Arcens
Eductum Martis luco Simæthia circum
Flumina, pinguis vbi & placabilis ara Palici.

Macrobius de Palicis diis Virgiliani verſus occaſione diligentiſſimè veterum ſententias collegit; ſed eorum omnium verba deſiderantur. Diodorus Siculus libro Bibliothecæ vndecimo de Palice vrbe à Ducetio cõdita tractans, templũ Palicorũ deorum antiquiſſimum fuiſſe ſcribit, & in eo crateras, ſiue exiguos & anguſtos lacus perpetua feruentiũ

aquarum

aquarum ſcaturigine, non ſecus atque lebetes ſuper igne magno fremitu in ſublime ebullientes; &, quod mirabile admodum eſt, nec effluentes vmquam, nec deficientes; odorem autem ſpirare ſulfureum, & eum quidem vehementem: ad hos iuramẽta fieri tanta religione, tanto metu, vt vix quiſquam vmquam deprehenſus ſit non ſtetiſſe iis

Thalia Palicorum deorũ mater.

quæ hîc iuraſſet. Macrobius fabulam adiecit, Thaliam, neſcio quam, ad Simæthum in Sicilia fluuium à Ioue compreſſam fuiſſe, atque eam metu Iunonis optaſſe, vt ſibi terra dehiſceret; quod & factum fuiſſe, & pòſt, cùm tempus partus adeſſet, infantes è terra prodiiſſe; qua de cauſſa, quòd in lucem rediiſſent, ἀπὸ τοῦ πάλιν ἱκέσθαι dictos eſſe Palicos. Horum tam celebrem apud Græcos famã fuiſſe, vt Æſchylus, vt Callias, vt Polemon, vt Anaxagoras eorum fecerit mentionem. Quòd ſi quis peieraſſet per hæc numina; vel vitam, vt Macrobius ait, vel oculos, vt Diodorus ſcribit, amittebat; atque idcirco crateres implacabiles vocabantur. Quamobrem neſcio an apud Virgilium legendum ſit: *Pinguis vbi implacabilis ara Palici.* Quamquam & exemplaria omnia aliter habent; & Seruius aliter exponit, placabilem Palicum dictum aiens, quia cùm primùm humanas hoſtias ſibi poſtularet, pòſt aliis quibuſdam ſacris fuerit contentus. Ego, ſi *placabilis* legendum ſit, id voluiſſe Virgilium credo; facillimum Palicum eſſe ad mitigandum; quòd non aliud poſcat, quàm veritatem atque fidem, quam non difficile ſit ſeruare.

Delli crateres.

Macrobius crateras hos Dellos ab incolis vocari ſcribit: de qua voce mox id collegi, vetuſtiſſimum hunc ritum apud Siculos fuiſſe, atque adeò ab ipſis Ianigenis inductum.

Wellen. Wallen.

Wellen apud nos, ſiue wallen, ebullitiones appellantur; vnde articulo præfixo, De wellen, & exempta littera qua Græci & Latini carent, De ellen, & D'ellen, è qua voce Dellos fecerunt, ignorantes ſeſe non aliud dicere, licet vocabulo corrupto, quàm bullitiones.

Bullio.

Latini ab eadem voce Wallen Bullio fecerunt, mutato duplici Gamma in Beta. Qua verò de cauſſa Palici dicti ſint dij his bullientibus crateribus præſidentes, ex eadem lingua è qua Delli venerunt, petendum.

Pai. Lie.

Pai idem eſt quod ſatisfacio & ſoluo: Lie æquum notat: hinc Pai-lie æquum perſoluens. Sunt itaque Palici dij æquitatis cuſtodes, periuros ea pœna afficientes quas eos luere æquum eſt. Ex eadem profectò ratione, & eadem priſcorum hominum fide, & hæc, & Vadimonis religio originem duxit; ex eo nempe, quòd omnia periuria, omnia ſcelera, quantumuis occulta, ſubterraneis ignibus punienda crederent; atque idcirco ad ſulfuratas aquas iurabant, non aliter verba concipientes, quàm ſi dicerent, Si fefellero, Deus me flamis puniat infernis, & ſceleri meo iuſta tormenta ſoluat. An non videtis, quàm rectè dij Palici vocentur, qui par pari reddunt; ſi de Cimbrica lingua vocabulum interpretemur? Fabulæ autem Græcorum ſua etiam aſſeri poteſt tum ratio, tum vetuſtas; ſi dicamus, Thaliam è Ioue concepiſſe Pali-

Thalia vnde dicta. Talen. Betalen.

cos; id eſt, Deum ex penu ſuo, è quo omnibus pro meritis paria facit, Palicos protuliſſe, miniſtros nimirum ad iuſta præmia perſoluẽda. Talen enim & Betalen perſoluere ſignificare, non eſt quod vos doceam: à qua voce Talia fortaſſe nominata mater omnis iuſtæ ſolutionis, quam ſub terra maximè ius ſuum exercere Platonicus tyrannorũ carcer docet, qui iniquorum hominum ſceleribus iuſtas pœnas æternis ignibus infligit.

PALICVS igitur & Vadimon non longè diſſident; eo quòd ille nomine ſuo profitetur, ſe talionem redditurum; hic moneat, ea ſeruanda quę iuris ſunt, & ciuilis ſocietatis: & quemadmodum qui memorem quemquam eſſe volebãt, auriculam vellere conſueuerunt; ita Deus etiam Vadimon poteſt vocari, quia nos monet, ſe nos comprehẽſurum & collocaturum in flamis æternis, quorum memoriam feruentis & ſulfuratæ aquæ ſuggerunt, hac ipſa de cauſſa Vadimoni conſecratæ. Quiſquis ergo Vadimonis lacum iuramentis dedicauit; hoc ipſo monuit, nos tartareis ignibus corripiendos eſſe, ſi fidem frangamus. O bone & iuſte Vadimon, qui apprehenſionis æternæ nos mones! O Palici iuſtiſſimi, qui par pari ſoluitis! quàm optandum eſſet, vos ſemper omnium auriculas vellere, & admonere, implacabilem Dei iram omnibus ſceleribus, quantumuis occultis, igneos tortores & vltrices flamas adhibiturum; nec illas quidem temporeas, ſed ſempiternas. Vtinam impij homines & athei, quorum numerus, prô dolor, indies magis atq. magis increſcit, hæc expenderent, viderentque, quàm vetuſtiſſima Italiæ religio cum Chriſtiana veritate quadret. Nónne in Vortumno inuenimus, patrem noſtrum in cælis habitantem? Nónne eundem animaduertimus nullum habere perſonarum diſcrimen, ſed ex æquo omnium & ſingulorum perſonas ſumere, quo ex æquo

omnium

omnium labores & ſtudia promoueat atque fortunet? Nónne rurſum deprehendimus eandem eſſe de pœnis apud inferos & veterum illorum patrum, & Chriſtianorum ſententiam? Verùm iam ſatis de Vadimone, cuius longè aliam conſiderationem, quàm Vortumni eſſe, nunc vobis puto liquere.

Nec verum magis eſt, Vortumnum eundem eſſe cum Iano, quod Annius futilibus quibuſdam concluſiunculis collegit, quàm cum Vadimone & Proteo. Cùm enim clarum ſit, Ianum à Gan, id eſt, ab eundo dictū eſſe; longè anguſtius & arctius vis eius concluſa eſt, vtpote ea quæ non longius ſeſe porrigat, quàm euntibus conueniat. Poteſtas enim illa diuina quæ iter facientibus præſidio eſt, primùm hac nomenclatura denotatur à qua ad Iapetum tranſiuit, propter inſignem itinerum tum frequentiam tum felicitatem. Quamobrem vt hactenus quoduis opus facienti dicimus, God voꝛt u/ vel, quod idem eſt & vſitatius, God voꝛter u/ pro eo quod Latinus diceret, Deus te promoueat vel proſperet: ita quopiam eunti ad hunc modum bene precamur: Sinct Jans geley ende ſinct Gertrous minn zy met u/ id eſt, Sancti Iani ductus & ſanctæ Gertroudis amor ſit tecum. Sed noſtrates vetuſtæ huius conſuetudinis originem ignorantes, Iani nomen ad diuum Ioannem tranſtulerunt, & Gertroudis ad diuam Gertroudem; haud ſecus atque factum monſtraui in Aduaticis, Walburgim, qua Pallas apud veteres notabatur, ad virginis cuiuſdam Chriſtianæ in diuorum numerum relatæ nomen tranſiiſſe.

Iani nomen ad diuum Ioannem tranſlatum. Gertroudis. VValburgis.

Fuit hoc Chriſtianis doctoribus ſollemne, vt antiquas ſuperſtitiones quas hominum animis penitùs euellere non poſſent, eas ad Chriſtianum ritum accommodarent; quod & hic contigiſſe, animaduerto. Video enim olim dici ſolere, Sanct Jans geley/ pro Iani deductione; cui addebant amorem Gertroudis, quæ dea erat fidam cuſtodiam iis præbens qui quærendæ alicuius rei gratia quopiam proficiſcebantur. Neque enim apud Chriſtianos hæc vox nata eſt; ſed de Chriſtianorum maioribus ad Chriſtianos venit. Verùm quia ante religionem hanc ſuſceptam id genus voces diuinis poteſtatibus primùm datæ ad fœdam idolomaniam degenerarant; Chriſtiani antiſtites eas ad ritus ſuos traduxerunt. Quia igitur Ioannis & Iani nomenclaturæ non multum differrent, præſertim ſi more Hebræorum Iehan pronuncietur; honores Iani ad diuum Ioannem deriuarunt. Hinc antiquitatum imperiti fruſtra quærent, quî factum ſit, vt diuus Ioannes Baptiſta itineribus patrocinetur; cùm vir ille minimè conſueuerit in vita ſua peregrinari, ſed perpetuò manſerit in quadam ſolitudinis ad Iordanem parte, ad quam omnes diſcendi cauſſa confluebant. Non à Ioanne profectò, ſed à Iano, conſuetudinis huius ratio profluxit, quem ſcimus à vetuſtiſſimis euntium patrocinio præfectum fuiſſe. Eadem de cauſſa Artemiſia vocata eſt apud vernaculos noſtros herba ſancti Ioannis; quia videlicet eodem nomine Ianum & Ioannem nominare conſueuerunt. Hanc ferunt habere occultam facultatem, vt ſi quis eam ſecum ferat, is nullo eundi labore ſit defatigandus: atque hac de cauſſa Cimbri eam Biuoet nominarunt, quaſi dicerent, hanc ſingularem vim à Deo obtinuiſſe, vt pedibus euntium ſit adiumento; quod ipſo nomine Bi-uoet præfertur, ad verbum ſignificante id quod pedibus adeſt & opitulatur.

Superſtitiones antiquæ ad Chriſtianum ritum accõmodatæ.

Ioannes Baptiſta quare dicatur itineribus patrocinari.

Artemiſia quare vocata ſit herba ſancti Ioannis: et eius variæ facultates. Biuoet.

Eſt quidem huius herbæ mira quædam & nobilis vis ad partus, & omnia ea quæ partui plerumque ſolent obſtare, profliganda: atque idcirco ab Artemide ſortita eſt nomẽclaturam; quoniam ei hæc à Deo poteſtas ſit tributa, vt parturientibus & ſuppetias ferat, & omni modo præſit: qua de cauſſa Epheſia quoque dicta, quòd in ea vrbe templum Dianæ omnium celeberrimum viſeretur. Verùm aliam habet facultatẽ ſingularem, qua hominū ex itinere laſſorum pedes ſic recreat, vt nihil in rerum natura reperiatur quod ei ſit conferendum; à qua & nomen noſtrates dederunt, & eam Iano itinerum ac peregrinationū patrono dedicarunt. Ego ſanè non ſemel, nec in vno id ſum expertus, eo maximè incitatus, quòd & nomen noſtras, eas indicaret vires, & præterea Iano à priſcis auorum maioribus fuiſſet conſecrata. Quiſquis pedes defatigatos habet, huius decocto eos foueat & lauet, atque tam præſentem eius vim cognoſcet, vt poſtridie non plus ſit ſenſurus laſſitudinis, quàm ſi nullum iter confeciſſet. Iano itaque à Ianigenis multo antè fuit conſecrata, quàm diuus Ioannes in Iudæa vel Chriſtum adeſſe prædicaret, vel ex Eliſabetha naſceretur: ſed quia ex Iano indocta & ſuperſtitioſa poſteritas idolum ſibi finxit, quod veſana mente adoraret; Chriſtiani cacodæmonis honores ad Ioannem tranſtulerunt, Artemiſiam diui Ioannis herbam nominantes.

Epheſia artemiſia.

Hinc

Hinc conſuetudo inualuit, vt ad huius diui natalem omnes ſeſe artemiſia cingerent, necdum omnino veteri abolita ſuperſtitione, qua credebatur, hanc herbam cærimoniis quibuſdam & carminibus Iano conſecratam, eam nanciſci facultatem, vt homines toto anno à Lemuribus & dæmonio meridiano itinera obſidentibus redderet ſecuros. Hinc & illud factum opinor, vt nuſquam gentium Iani nomen, quàm apud Cimbros, ſit frequentius; qui omnes quibus Ioannis nomen in ſacro fonte datum eſt, Ianos vocant; quos Allemanni Hanſos dicunt, ad Iehan vocis Hebraicæ poſteriorem ſyllabam propius alludentes. Quòd verò Gertroudis amorem, dum ad iter accincto bene precamur, adiicimus; id inde eſt, quòd non ſolùm fauſtum ei iter optemus, ſed ipſam fidem etiam oremus; vt citra fraudem, citra rixam, citra pugnam, id quod deſiderat, adipiſci poſſit: atque adeò ſanctè hunc morem apud patres noſtros obſeruatum memini, vt diſcedentibus ſemper poculum præbiberetur, quod à Iani deductione & Gertroudis amore nomen haberet; nec fas eſſet abituro antè iter ingredi, quàm æquali hauſtu eiſdem numinibus ſacrificaſſet. Ex hoc ritu ſatis perſpicuum eſſe puto, aliud Vortumni, aliud Iani nomine indicatum fuiſſe: & hoc quidem nihil aliud ſignificare, quàm diuinam poteſtatem iter facientibus opitulantem; illud verò Deum omnium opera promouentem.

Hans.

Nunc igitur ad illud quòd ſe Thuſcum eſſe dicit, & focos Volſinios deſeruiſſe. Ianus ita totam Hetruriam videtur diſtribuiſſe, vt aliud in aliis ciuitatibus fieret atque exerceretur: & apud Volſinios quidem hàs præcipuè Reipub. partes conſtituiſſe, vt pueri & adoleſcentes apud eos omnibus iis formarentur, quæ ad communem ſalutem pertinerent. Quamobrem eum locum delegit, qui & ſaluberrimus eſſet & amœniſſimus, & ad omne exercitationis genus maximis naturæ dotibus accommodatus; tum etiam magna omnium rerum copia, præ ceteris Hetruriæ partibus, inſignis. Certè ſiquis Volſenæ, vt nunc caſtellum in Volſinij ruinis ædificatum vocatur, conſideret; non poterit non fateri, hunc locum vel ipſo Helicone & Parnaſſo Muſis eſſe conuenientiorem; nec deeſſe quicquam, quod ad ſtudioſorum commoditates facere poſſit. Vinum eſt præſtantiſſimum & copioſum ad hunc lacum, cui incumbit, ad quem hac ætate mons Flaſconus ſuauiſſimo Bacchi liquore celeberrimus eſt non apud Italos tantùm, ſed apud remotiſſimos etiam Germanos. Nec deeſt olea, tam hoc agro gaudens, vt Plinij teſtificatione, poſt primum plantationis annum fructum producat. Non video ſanè vbi Pomonæ maritus, vbi poëtarum chorus Baccho ſacer, vbi Minerua oleæ inuentrix lubentius aut velit aut poſſit habitare. Iam accedit & illud, quòd à mari ſatis longè abeſt, quod omnium morum corruptelam per mercatores dedecorum pretioſos emptores ſolet importare: & quamuis hac mala contagione careat, habet tamen eam commoditatem, vt non ſecus atque in mari, iuuentutem liceat nauali inſtruere diſciplina. Eſt præterea ſilua non exigua, Iunonis olim lucus, iucundiſſimum æſtatis hoſpitium, ad quod non dedignentur ipſæ Nymphæ cum Satyris venire, præſertim ſi vitis vicinæ liquor non deſit, quo crediderim vel ipſum Silenum poſſe vinci, vt omnium rerum originem & ſemina ſuauiſſimis verſibus exponat. His de cauſſis Ianus videtur hunc locum delegiſſe ſtudiorum vniuerſitati, & nomine fauſto Volſinium nuncupaſſe: quod vocabulum compoſitum eſt ex Vol/ quo plenum, & Sin/ quo ſenſus, ingenium, & intelligendi facultas denotatur; ita vt Vol-ſinnen nobis idem valeat, quod Latinus diceret, plenum ſenſibus, ingeniis, & intelligentia. Apta & congrua prorſus nomenclatura ei ciuitati in qua totus omnium ſcientiarum orbis abſolueretur: Et eo etiam liberalium diſciplinarum ſcholis conuenientior; quòd Sinnen etiam pro iis vſurpemus, qui ingenio, & ſollertia, & omni cogitandi, inueniendi, iudicandique facultate plurimum pollent: qualium illic magnam copiam eſſe oportet, vbi Muſis & Apollini perpetuo eſt operandum. Monebatur itaque ciuitas ipſo ſuo nomine, vt quàm plurimos ingenio & eruditione præſtantes viros magna cura conquireret; quo pueri ſtatim à teneris vnguiculis ea diſcerent, quæ nec dediſcenda poſtea eſſent, & firmum iacerent optimæ Reipub. fundamentum, in recta huius ætatis informatione maximè conſtitutū. Annius ab Hebræis vocabuli natales mutuatur, quaſi Vol, à בָּלָה, quod idem eſt quod conſenuit ſiue inueteratum eſt, deduceretur: atque hinc neſcio quas aniles nugas ſibi fingit, quibus ad ceteras eius inſanias relegatis, noſtra perſequamur. Ex Volſin itaque Volſinium nuncupa-

Volſinium locus ſaluberrimus & amœniſſimus in Hetruria, Muſis maximè conueniēs, & prima diſciplinarum ſedes.

Fla, conus mons.

Volſinium unde dictum.

Vol.

Sin.

nuncupatum, in Hetruria prima fuit diſciplinarum ſedes, è qua doctiſſimus quiſque ad Reip. gubernacula accerſebatur. Quoniã ergo pueri omniũ eorum quæ ad communẽ & priuatam hominum ſalutem ſpectant, hic rudimenta capiebant, & primos ad maiora progreſſus exordiebantur, voluit Ianus Vortumni ſignum in media vrbe collocare, quo omnes hortaretur & commonefaceret, Deum eſſe in omnium ſtudiorum laborumque initiis pia mente orandum, vt quod aggrederentur, felici ſucceſſu proſperaret.

IDEM aliam vrbem conſtituit, ſummam totius Thuſcorum regionis curiam, cui quia quoties magiſtratus, non fauoris ſuffragiis, ſed iuxta cuiuſque eruditionem conſtitui vellet, vt nimirum is honoratiſſimus eſſet qui plurimùm ſcientia valeret, Vetuloniæ *Vetulonia.* Wete. nomen dedit, voce deducta à Wete-loon, qua compoſita dictione, ſcientiæ præmium no- Loon. bis ſignatur. de hac Silius libro octauo:

Mæoniæq́ decus quondam Vetulonia gentis:
Biſſenos hæc prima dedit præcedere faſces;
Et iunxit totidem tacito terrore ſecures.
Hæc altas eboris decorauit honore curules,
Et princeps Tyrio veſtem prætexuit oſtro;
Hæc eadem pugnas accendere protulit are.

Quo loco hæc vrbs olim fuerit, non video conſtare inter ſcriptores: pleriſq. tamen pla- *Viterbum.* cet, Viterbum è Longholâ Vetulonia, & Tyrrhena Volturna à Deſiderio factum eſſe: qua de re cui ægroti veteris ſomnia legere lubet, Annium conſulat, qui mirè ſe torquet, qua de cauſſa Deſiderius vrbẽ Viterbum nominarit. Nobis id clariſſimũ eſt: cùm Witer-bou non aliud ſignificet, quàm ampliorẽ ſtructurã; quam fecit, dum tria opidula Witer. vetuſta vno muro cinxit, mediis inter illa ſpatiis etiam comprehẽſis, ita vt nihil opus ſit Bou. Cabaliſticis Annij nugis, qui vt varias de Viterbi nomine opiniones adduxit, ita nõ minus ſe torſit in F. A. V. L. quas notas in numis Viterbiẽſibus cudere Deſiderius permiſit: ſed ne in his quidẽ quiſquã inuenit, quòd vlla ex parte ad vetũ accedat, nedũ contingat. Nos neceſſe non habemus, vt quæ recẽtiora ſunt Ogygiis illis tẽporibus, examinemus: ſatis eſt Vetuloniæ antiquũ nomen ad originẽ eam vocaſſe, de qua patefit, magiſtratus apud Hetruſcos ſcientiæ, non nobilitatis aut diuitiarum præmia fuiſſe. Suſpicor interim *Longhula.* Longhulam principiò vicum dumtaxat Vetuloniæ ſuburbanũ fuiſſe, in quo ei qui magiſtratum erat initurus, inſignia darentur, quibus ornatus Vetuloniam intraret: Loon Loon. enim præmium; gehul, & ſyncoptôs g'hul, inaugurationem ſignificat, qua quis ſollemni Gehul. ritu publicam aliquam accipit poteſtatem. Quo fit, vt minimè illi aberrarint, qui Longhulam Hetruſcorum cum adſpiratione in ſecunda ſyllaba ſcribendam eſſe iudicauerunt; tametſi cauſſam, cur ita faciendum eſſet, ignorarent. Volturnam dictam opinor *Volturna.* conciſè à Voltorrena, quòd plena turribus eſſet, ad armamenta & bellicas machinas, tum etiam ad vrbis principis conſeruandam ſecuritatem. Vetulonia igitur nomine ſuo nobis indicat, verum id eſſe, quod cùm alij, tum Diodorus ſcribit, maxima non ceterarum modò, ſed militaris etiam diſciplinæ apud Tyrrhenos præmia fuiſſe conſtituta, in quorum monumentis id præcipuè notandum, & omnibus principibus & ciuitatibus pro illuſtriſſimo exemplo habendum, maximos & ſplendidiſſimos honores non diuitiis, non generis nobilitati, non fauori; ſed ſoli ſcientiæ & peritiæ reipublicæ domi foriſque bene adminiſtrandæ deberi. O vtinam totus Chriſtianus orbis Vetuloniæ nomen mereretur: non haberemus has quibus opprimimur, calamitates, & totarum regionum euerſiones. Sed valeant lamenta nihil profutura. Quandoquidem igitur & aliarum artium, & huius ciuilis ſcientiæ, qua homines apti fiunt ad pacis & belli clauum bene tenendum, apud Volſinios fundamenta iacerentur; rectiſſimè piiſſimeq. factum eſt, vt apud eos maximè Vortomnus inuocaretur; quò puerorum ſtudia ſic promoueret, vt inde quàm plurimi ſummis honoribus digni exiſterent.

Quando autem ſignum hoc Romam, & à quo tranſlatum ſit, non admodum liquere *Vortumni ſignum quando & à quo tranſlatũ ſit ex Hetruria Romam.* cerno. Propertius Annio ſic videtur intelligendus, vt à Lucumone, ſuppetias Romulo ferente, voluerit allatum fuiſſe; propterea quòd dicat, Vortomnum inter prœlia non pœnitere Volſinnij deſerti: quæ tamen verba ſic capi poſſunt, vt dicat, ſe non pœnitere inter prœlia quòd Romam cõmigrarit; eo quòd Romanorum virtus in prœliis maximè

eluxerit, & ſummam oſtenderit vrbis proſperitatem. Per me tamen licet, vt ad prœlium contra Sabinos in foro commiſſum dumtaxat referatur, quod Vortomnus ſe dicit vidiſſe: quod Annius ad ſignum militare Lucumonis refert, quaſi tum in foro non ſteterit Vortomni ſignum, ſed tantùm in pilo fuerit portatum: quod tamen non ſatis aptè cum perſona ſtatuæ, cui verba ſua Propertius tribuit, congruere videtur. Vtcumque res habeat, quiſquis primùm Romam Vortomnum ex Hetruria tranſtulit, is vnà videtur imperij maieſtatem tranſtuliſſe, & eam Romæ firmaſſe. Quamobrem minimè abſurdum ſit cogitatu, vel à Iano, vel à Saturno ipſo illo tempore tranſlatum fuiſſe, cùm inſtinctu diuino Saturnia acciperet ſuperbam Romæ nomenclaturam, qua potentia illa vrbi portendebatur; de qua ſe præ ceteris omnibus quæ vmquam forent vel fuiſſent, iactare poſſet. Room enim idem eſt quod iacto potentiam in quauis re perficienda; deriuatum à Rom vocali breui, quo is ſignificatur cui magna eſt facultas ad quiduis promptè peragendum: quæ vox compoſita eſt à Ra, quod eſt citò & promptè, & Om, id eſt, circum; quaſi diceretur, is qui promptè ſe circumagit: qua re, cùm ad alia, tum ad militaria facinora maximè opus eſſe, quiuis intelligit. Hinc Ra om, & eliſa priori vocali Rom, promptus robuſtusque dicetur: cui verſa vox contrarium ſignat de peculiari linguæ noſtræ formatura. Mor enim ad omnem pertinet imbecillitatem: vnde Morw à Mor & houw illud dicitur quod imbecille eſt ad tactum, quod Latini molle dicunt. Hinc item Mort pro violenta occiſione, qua robur omne tollitur: ab eadem origine Morter, quod in minimas partes eſt confractum: Latini Morbum & Mortem ab eadem radice duxerunt. A Rom fit Rommel, pro eo quod eſt robuſtè & celeriter ſurſum & deorſum vltro citroque ſeſe mouere: à quo Rommel & Rommelcer, pro iis qui viribus his præditi ſunt. Ab eodem Rom & fer, quo pulchrum notatur, fit Fer rom, & exempta per ſyncopen ſyllaba, From, pro eo qui Græcis dicitur καλὸς κ' ἀγαθὸς. Herodotus pro From φύεχμος dixit, propterea quòd digamma careret, & ypſilon interiecit, quod Græcis frequens eſt. Ex iis igitur quæ mihi dediſti principiis, perſpicuè efficitur, Room noſtras eſſe vocabulum, & à noſtra lingua ad alias tranſiiſſe; quoniam in ea & prima radix, & vocis fabrica ipſi peculiaris inuenitur. Græci ῥωμὴ pro potentia ſimpliciter poſuerunt: nobis, dum vocalis longa eſt, non potentiam, ſed iactantiam virium deſignat: ita vt Roma de Ianigenarum lingua nihil aliud ſignificet, quàm vrbem hanc talem fore, vt ſe de potentia ſua præ cæteris omnibus iactare poſſit. Verùm Room aliud præterea notat, illam nimirum lactis vaccini partem quæ pinguiſſima eſt, butyri & caſei naturam continens. Hinc fortaſſe fabula, Romam à Romulo conditam, & Romulum educatum fuiſſe non matris ſuæ lacte, ſed robuſtiſſimo lactis vaccini alimento, quod Lupa, id eſt, publica meretrix ipſi dabat, non de ſuis mamillis, ſed de vaccinis vberibus mulctum. Quia enim ex aſſiduo lactis bubali vſu, è quo nec caſeus, nec butyrum ſit extractum, corpora fiunt robuſtiſſima; non malè à Rom, Room pro lacte eſt vſurpatum. A Room pro lacte Ruma Latinis venit in vſum, pro mamma. Lupa porrò meretrix eſt, non à fera quadrupede ita nominata, quod quidam putauerunt; ſed à Lui, quo populus ſignificatur, & pai, quod eſt contentum reddo. Luipai igitur, vnde Latini Lupa fecerunt, ea dicetur quæ non vnius, ſed totius populi libidini ſatisfacit. Quicquid igitur de Roma & Romulo ſcribitur, id totum ad fabulas & allegoriam referendum exiſtimo; cùm Romæ nomen non à Romulo aliquo proceſſerit, ſed apertè Cimbricam habeat originem, perinde atque Baiæ, Gaieta, Circe, & quamplurima alia vocabula vetuſta. Sollemnis hic eſt ignorantiæ prætextus, de vrbis nomine conditorem comminiſci; quod nemo melius nugiuendo Annio præſtitit. Cùm primum regem ignorarunt, Romulum ſibi finxerunt. & ſanè omnes Romanorum reges Romuli poterant vocari, ob eam cauſſam, quòd Roomhult, vnde Romulus, eum ſignificet qui Romanæ vrbis cuſtodiæ eſt inauguratus. Neque enim Romum primum regem eſſe voluerunt; eo quòd hoc nomen nihil præter potentiæ iactantiam notaret: Romuli verò appellatio illud adderet, vt legitimo ritu ad ſummam potentiam euectus videretur. Sed de his aliàs fortaſſe latius: nunc non alio hæc de Romæ nomine attuli, quàm vt veriſimile fieret, eodem tempore Vortomni ſignum tranſlatum eſſe, quo Saturnia Romanum nomen accepit.

Saturnia Roma nomẽ laturam accepit diuino inſtinctu.
Roma vnde dicta. Room. Rom. Ra. Om.
Mor. Morw. Mort. Morter. *Morbus. Mors.* Rommel. Rommelcer. Fer. From. φύεχμος.
ῥωμὴ.
Room.
Ruma. Lupa. Lui. Pai.
Romulus. Room. Hult.

PERGAM

PERGAM modò, & ceteros recitabo verſus: quos eo breuius percurram, quòd ex iis quæ modò dixi, ſatis eluxerit, tum quis ſit Vortomnus, tum in quo Propertius errarit. Quid quòd & hi verſus clari ſunt, & modò expoſiti, & ſuæ reſtituti integritati,

Hæc me turba iuuat, nec templo lætor eburno:
Romanum ſatis eſt poſſe videre forum.

Videbat enim forum Romanum è vico Iugario, è quo omnem felicitatem vrbi adſpirabat.

Hac quondam Tiberinus iter faciebat; & aiunt,
Remorum auditos per vada pulſa ſonos.
At poſtquam ille ſuis tantum conceſſit alumnis,
Vertomnus verſo dicor ab amne deus.

Inter duas cauſſas quæ vulgò ferebantur de Vortomni nomenclatura, hæc prior eſt in eo poſita, quòd dicerent, deum à conuerſo flumine dici, cùm Tiberinus duorum infantium Remi & Romuli miſertus vndas ſuas retraheret atque retrò verteret, ne Mauortium ſemen ſummergeretur. Fabula de expoſitis infantibus, lippis & tonſoribus nota. Tiberini potius nomen examinemus, de quo alij aliud prodiderunt. T. Liuius Albulam Tiberini nomen accepiſſe dicit à Tiberino rege, Capeti apud Albanos ſucceſſore, qui in hoc flumine fuerit ſubmerſus: quod Seruio non placet. Virgilius regem quidem Tibrim facit; ſed vbi regnarit, non addit:

Tum manus Auſonia, & gentes venere Sicanæ;
Sæpius & nomen poſuit Saturnia tellus.
Tum reges, aſperq; immani corpore Tibris,
A quo poſt Itali fluuium cognomine Tibrim
Diximus, amiſit verum vetus Albula nomen.

Sunt qui hunc Tibrim Thuſciæ regem fuiſſe dicant. Seruius totus eſt in foſſa quadam Syracuſana, quæ à captiuis Athenienſibus & Afris facta, Tibris dicta ſit, quaſi ὕβρις, quia per contumeliam hoſtium eſſet excauata ad vrbem muniendam: ad quod figmentum nimio plus ſibi placens, mihi nimis valdè frigens, Theocritum aduocat; quem equidem Thymbridos in primo Idyllio mentionem feciſſe ſcio, Tibridos non recordor. Fuiſſent verò Sicanæ gentes tam ab omni ratione alieni, vt flumen amœniſſimum & profundiſſimum, vel foſſæ intra Syracuſana mœnia à ſeruis factæ compararent, vel per contumeliam putarent nominandum? cùm ex omni hiſtoriarum memoria diſcamus, omnes vias à nouis colonis iniri ſolere, quibus loci numina propitia ſibi fore putarent. Nobis tam abſurdis & à communi ſenſu abhorrentibus coniecturis nihil opus eſt; quippe quibus priſca lingua & perpetua rerum conſonantia ipſam oſtendat veritatem. Ammianus Marcellinus, de recondita ritualium librorum, vt videtur, diſciplina, Romam, ſi memoria non fallat, non ſemel appellat vrbem æternam: quod etſi nec ab hoc, nec ab alio auctore fide digno dictum eſſet; ſatis tamen ex ipſis publicis Ianis conſtitiſſet, in quibus per quatuor anni partes æternitas ſemper exprimebatur. Iam quid ſibi Anna Perenna volebat, quid perpetuus Veſtæ ignis, quid duodecim vultures Romulo adſcripti: An hi aliud ſignificant, quàm certa futurorum prouidentia, cuius vultur ſymbolum gerit, legitimo & ritè inaugurato Romano imperio duodenarium addici, quo apud Cimbros abſoluta æternitatis & totius machinæ mundanæ computatio continetur? Soli enim Cimmerij ad duodenarium vſque in numerando progrediuntur, nullius antè numeri nomine repetito: cuius rei cauſſam, ſi Deus adſpiret, aliàs aperiemus. Optimè itaque & doctiſſimè ex abditis ſacrorum codicum arcanis eſt illud in oratione quadam Scipioni à Liuio attributum: Si ego, inquit, morerer; mecum exſpiratura Reſpublica, mecum caſurum imperium Pop. Romani erat? Ne iſtuc Iupiter Opt. Max. ſcierit; vrbem auſpicato diis auctoribus in æternum conditam, fragili huic & mortali corpori æqualem eſſe. Huc item ſpectat illud quod in hoc carmine Propertiano habemus, votum, quo Vortomnus optat:

Duodenarius numerus addictus Romano imperio.

Sed faciat diuûm ſator, vt Romana per æuum
Tranſeat ante meos turba togata pedes.

Clarius id ipſe Iupiter Veneri apud Maronem promittit.

Inde Lupæ fuluo nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem, & Mauortia condet
Mœnia, Romanoſque ſuo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium ſine fine dedi.

Hæc de Pontificum ſcriniis ſuppilata eſſe, quis non ſuſpicetur?

Tempus omnia domat.

AB eodem ergo, & Saturniæ arcis, & Albulæ fluuij nomen permutatum arbitramur; & illius quidem cauſſam oſtendimus, huius iam in manibus tenemus. Tempus omnia domare, nemo eſt qui neſciat: atque hac de nota Græco cuidam χρόνοςπανδαμάτωρ dictus eſt. quam eandem eius violentiam pulcerrimè Ouidius expreſſit:

Tempus edax rerum, túque inuidioſa vetuſtas
Omnia deſtruitis, vitiatáque dentibus æui
Paullatim lenta conſumitis omnia morte.

Flumina quid præſtent.

Quamobrem qui vrbem æternam eſſe omnibus votis expetebant, illud nomen flumini poſuerunt, quo & deum flumini præſidentem orarent, vt fluminis beneficio aduerſus carioſam vetuſtatem Romam defenderet; & vnà ominarentur id quod oraſſent, ſeſe conſecuturos. Nihil profectò eſt quod opida vel diutius conſeruet, vel diruta facilius reparet, quàm magni fluminis & profundi commoda nauigatio; quæ non ſolùm à ſuperioribus locis magnas adfert vitæ commoditates, ſed illa etiam per mare ſuppeditat, quæ vſpiam omnino terrarum queunt inueniri. Quis neſcit, quantum Londinum Tameſi acceptum ferre debeat, cuius beneficio per tot ſæcula regni totius habuit principatum? Sexcenties Antwerpiæ nomen periiſſet, nec ſciretur nunc, vbi Cimbri Galliam inuaſuri impedimenta depoſuerint, niſi Scaldis aduerſus validos mordacis æui dentes perpetuò vrbem defendiſſet. Quid opus multis in re perſpicua? Flumina quamuis non omnia præſtare poſſint quæ ad æternitatem requiruntur; tantum tamen ad eam faciunt, vt vix quicquam inuenias quod par habeat momentum. Cùm igitur vrbi ſeſe perpetuò de potentia ſua apud exteros iactaturæ æternitatem precarentur conditores; ad eam impetrandam cùm alia quamplurima prudenter pieque cogitarunt, tum eam quoque flumini dederunt nomenclaturam qua genius eius & moneretur & oraretur, vt ciuitatem contra temporis iniuriam conſeruaret. Quid enim aliud eſt Ty-wer, quàm is qui contra tempus rem quampiam defendit? Ex Tywer Latini Tiber fecerunt, ac deinde Tibris. Ex Tywerem, quod eſt contra tempus defendere, factus eſt Tiberinus. Auditiſne hîc nihil eſſe coactum, nihil longè petitum, nihil quod non mox à quouis intelligatur? Rurſus num quicquam poteſt aptius flumini tribui, num quicquam magnorum altorumque fluminum naturæ congruentius optari, quàm vt vrbem adiacentem importandi exportandique commoditate tueatur aduerſus longi temporis omnia conſumentis edacitatem? Iam vt amnium perennis ad nauigandum vſus opidis conciliat perennitatem: ita viciſſim celebres & florentes vrbes ampliſſimum nomen fluminibus ſuis pariunt, pro beneficio accepto maximam nobilitatem reponentes. Videte, quæſo, quàm latè pateat hæc nominis ratio; quamque vel Iano filio vel Saturno patre digna videatur. Videte ex aduerſo, nihil abſurdius, nihil à ſana mente remotius, quàm cogitare, vetuſtiſſimos illos aurei ſæculi homines fluuiis ad maximos mortalium vſus à Deo Opt. Max. factis & comparatis, nomina infauſta & mali ominis aut ad contumeliam, aut ad abſorpti cuiuſpiam exprobrationem dediſſe: quorum illud fatendum eſſet, ſi Seruio; hoc, ſi vel Liuio vel Virgilio crederemus: cùm certò ſciamus, ne ferreæ quidem ætatis hominibus eiuſmodi nomenclaturas placuiſſe. Si miles, ſi dux mali nominis diſplicebat Romanis: quæ tandem impudentia eſt, ſanctiſſimis ipſorum maioribus hanc ſiue inſipientiæ & vecordiæ, ſiue impietatis inurere notam, vt dicantur amni ſuo, quem patrem vocant, nomen feciſſe tam abominandum? Abſit hæc tanta contra maiores iniquitas: quos certò mihi perſuadeo non citra magnas rationes prius nomen immutaſſe, nec vmquam immutaturos fuiſſe, niſi auſpicatius & felicius indere voluiſſent.

Tibris fl.
Tiberinus fl.
Ti/Ty/Tyo-weren.

PRIOR

PRIOR appellatiò de fluminis natura proceſſit, quæ talis eſt, vt non antè contentus diuitiis ſuis ſit, nec antè in mare eas deponere velit, quàm multis fluminibus receptis, plurimis torrentibus ad immenſum auctus & ipſe plenus intumeſcat, & omnes planos montium colliumque, quibus coërcetur, ſinus impleat, & inundet. Al-vul enim nihil aliud ſignificat, quàm omnia repleo: è quo Digamma in Beta tranſiens, vt ſolet frequentiſſimè, cùm olim, tum hodie apud Hiſpanos Albulam fecit. Quàm verò alueum ſuum repleat, Plinius docet, certo argumento colligens, aquarum altitudine nihil cedere Nilo, fluuiorum maximo; quas non mirum eſt eum habere, cùm infra Aretinum Glanim duo & quadraginta flumina abſorbeat, præter fontes & torrentes, quos infinitos cliui & rupium anfractus quibus continetur, effundunt. Verùm primi illi fluminis accolæ, vt in flumine iuſtam altitudinem & plenum alueum nauigationi percommodum videbant, ita ingentes illas inundationes, & omnes valles & campos vicinos tumido vndarum æquore complentes, non admodum ſibi vtiles fore ſentiebant: eoque hac quaſi oblitterata naturæ notatione nomen illud indiderunt, quo ſolo omnis votorum ſnmma contineretur, vrbis nimirum contra ipſius temporis iniurias defenſio ſempiterna. Primùm ergo Tiber, inde Tiberis, pòſt Tibris ſyncoptôs fluuius dictus eſt, & ab infinito ſignificandi modo Tywerem Tyberinus euaſit. Quantam verò aliquando plenitudinem aquarum omnibus vicinis campis adferat, Romani huius ætatis norunt, quorum vrbem quæ in campo Martio & Vaticano maxima ſui parte hoc tempore ſita eſt, totam aliquando inundat & replet: tametſi duplo nunc altior ſit ea planities, quàm olim fuiſſe videatur. Vidi ipſe in foro Romano pauimenta marmorea erui, de quibus coniecturam feci, quantum ex ædificiorum ruinis altitudinis ſolo accreuerit. In campo item Martio, præter ceteras ſtructuras, ipſum Pantheum, & columna Hadriani, & obeliſcorum baſes, qui ante Auguſti mauſoleum olim ſtabant, nunc iacent; clariſſimè demonſtrant, quanto altior ab illa ætate terra euaſerit. Ad hæc enim ſuperbiſſima opera olim erat adſcendendum, nunc ad eorum pauimenta multis gradibus eſt deſcendendum: quæ res coniectandũ relinquit, quanta altitudine apud priſcos illos & primos vrbis conditores ſoleat flumen attolli, ſi nunc etiam in ſolo tot gradibus ſublimiore altiſſimam aliquando aquarum molem diffundat, ita vt pelagus, non fluuius, eſſe videatur. Quamobrem vetus Albulæ nomen bene illud quidem indolem moresque fluuij exprimebat; ſed eo minus placuit, quòd ominoſum & inauſpicatum videretur, damni magis quàm vtilitatis habens notationem. Nec exiſtimandum, à colore nomen datum fuiſſe: tum quia tanto tamque alto flumini, tantumque aliquando pelagus attollenti, diminuens vocabulum minimè congruebat: tum quòd flauus, non albus, cernatur, vt in re oculis ſubiecta Horatij teſtimonium omittam. Retuli nunc igitur Tiberino patri has pro aquis ſuis, quas per triennium bibi, gratias; vt poſthac poſtliminij iure ad veras nominum ſuorum rationes poſſit redire, & ſe à calumniatorum iniuriis vindicare.

Albula fl. Al. Vul.

Tiberis reſtagnatio.

FALKEN. Egregiè. Quin tu potius gratias agis multo maximas Veſuuio, cuius beneficio ſæpius Græco caluiſti. GOROP. Hoc tu vtriuſque noſtrum nomine facies, cùm æquè, aut magis etiam, optimi liquoris parenti ſis obligatus. Sed éſtne aliud quod in hac mea Tiberis etymologia diſpliceat?

FALKEN. Id vnum hîc reprehendo, quòd tam diu hanc priſcæ Cimbrorum ſiue Ianigenarum theologiæ medullam, quæ has tibi origines ſuppeditat, nobis inuideas.

GOROP. Id curat ſcilicet aut Hippoclides aut Falkenburgus, quàm mox ego, quibus domi meæ mecum fruor, ea in publicum proiiciam omnium pedibus proterenda. Sed hæc erunt, vt Deus volet. Nunc ad hiſtoriam quam Propertius hîc indicauit, quam vos melius, quàm ego, recitaretis.

TOTVM illud ſpatium quod inter Palatinum collem & rupem Tarpeiam iacet, olim paludibus & ſtagnis fœdum erat, Tiberis reſtagnatione perpetuam illuuiem inuehente. At poſtquam Romo & Romulo hîc expoſitis, Tiberis receſſu ſuo benignè locum daret, ne ſemen ſcilicet diuinum periret, atque Lupa, quos aleret, infantes haberet; cœpit locus paullatim deſiccari: cui hominum quoq. curam crediderim acceſſiſſe, qua factum ſit, vt vna lata foſſa per medium ducta plurimum vtrimque vliginis ſit exhauſtum. Quod autem hinc habitabilis terræ eſt paratum, id Thuſcis ceſſiſſe; propterea

Paludes & ſtagna inter Palatinum collem & rupem Tarpeiam.

 fortaſſis,

fortaſſis, quòd hic locus propter foſſam quæ in Tiberim ducebat, iis maximè idoneus videretur qui nauali rei & mercatui operam darent; quales Tyrrhenos fuiſſe, paullo antè demonſtraui. Nam totum illud ſtagnum à Curtio lacu inter Tarpeiam rupem, & Pallanteum, & Auentinum, ad flumen vſque pertinens, non parum vtilitatis vrbi præbebat; tum quòd nauigari poſſet, tum quòd omnes pluuias, omnia excrementa, omnes ſordes, omne lutum vndique ſuſceptum in Tiberim exoneraret. Ouidius de lacu Curtio quædam ad hanc rem facientia cecinit, quæ abs te, Falkenburge, velim recitari; eo quòd recentiorem habeas poëtarum quibus cum quotidie loqueris, memoriam quàm ego, quem iam ad triginta propè annos ab ipſorum regione exulare Æſculapius coëgit, ne pili quidem faciens, hanc rationem patri ſuo ſemper gratiſſimam fuiſſe.

Curtius lacus.

FALKENB. Mihi profectò numquam ſic videris medicinam feciſſe, vt non aliquando ad florida horum prata excurreris. Quamobrem mallem hac mei interpellatione ſermonem tuum non abrupiſſes, quem tantopere cupio continentem eſſe, vt vix quicquam auſim interrogare. Ne tamen & ipſe nunc in mora ſim, verſus quos memoria teneo, habete:

Hoc vbi nunc fora ſunt, vdæ tenuere paludes:
Amne redundanti foſſa madebat aqua.
Curtius ille lacus, ſiccas qui ſuſtinet aras,
Nunc ſolida eſt tellus: ſed lacus antè fuit.
Qua Velabra ſolent in circum ducere pompam,
Nil præter ſalices craſſaq; canna fuit.
Sæpe ſuburbanas rediens conuiua per vndas
Cantat, & ad nautas ebria verba iacit.
Nondum conueniens diuerſis iſte figuris
Nomen ab auerſo ceperat amne deus.

GOROP. Satis eſt verſuum. Nam hoc vnum volebam oſtendi, paludes hic olim fuiſſe, & in medio earum corriuationem aquarũ, quæ Velabrum dicebatur, quaſi Vuilebrun, id eſt, fœda aqua, qualis eſſe ſolet tum in paludibus, tum maximè iis locis ad quæ vndique fœda illuuies defluebat. Hac de re Tarquinius cloacam, teſte Plinio, hoc ipſo loco tantam fecit, vt vehis fœni ea capi poſſet, in quam ceteras cloacas deriuabat. Bene igitur Tibullus pullam aquam dixit, propter lutum & ſordes omnis generis admiſtas:

Velabrum. Vuil. Brun.

Pulla aqua.

At qua Velabri regio patet, ire ſolebat
Exiguus pulla per vada linter aqua.

Non eſt igitur Velabrum à velatura, vt Varro voluit, dictum; cùm remis potius in eo, quàm velis locus eſſet, vt ipſe quoque Propertius annotauit. Neque ab aliis putetis Velabrum nomen accepiſſe, quàm ab iis à quibus vel Tiber, vel Albula, vel ipſa Roma ſumpſit appellationem. in quo nihil mirandum, diphthongum ui in e longum eſſe mutatam; propterea quòd ea, vt & aliis quibuſdã, Latini carerent. Ea igitur parte Velabri qua ficus erat Ruminalis, aqua refluens ſiccum locum infantibus reliquit. de qua Ouidius:

Arbor erat, remanent veſtigia: quæque vocatur
Rumina nunc ficus, Romula ficus erat.

FALKEN. Satis perſpicio, quid Propertius dicat; nec ad eam rem opus eſt interpretatione tua. Illud mallem nobis ex officina tua Cimbrica depromi, quid Ouidius velit cum ſua illa ficu Romula, quam ſic antè vocatam fuiſſe, quàm Romulus illic iaceret, videtur indicare. Et ſunt qui, neſcio an ex Varronis auctoritate, dicant, ficum hanc Ruminam conſitam à paſtoribus fuiſſe, vt ad eam Ruminæ deæ ſacrificarent, quo lactis vbertatem augeret. GOROP. Si perſpexiſſes, ipſemet cauſſam explicaſſes ob quam ficum hanc paſtores Romulam appellarint. Modò expoſui, & vos mihi negare non poteſtis, Room lac integrum, & totas nutriendi vires retinens, vocari. Ab hac igitur ſignificatione Romul ficus hæc dicta, ob eam cauſſam, quòd eſſet electa ad lactis cuſtodiam & tutelam; non aliter atque Romulus, dum ab vrbe Roma nomen ducitur, is eſt qui ſollemni ritu electus eſt cuſtos, & protector Romanæ ciuitatis. FALKENB. Quid ficui cum vaccis? egregiam verò lactis tutelam & prorſus ficulneam.

Romula ficus. Rumina ficus.

Room.

Romulus.

GOROP.

GOROP. Priſci illi viri ſtatuis non ferè vtebantur, ipſo etiam Varrone teſtificato, Romanos plus annos centum & ſeptuaginta, Deos ſine ſimulacro coluiſſe. Quòd ſi verum eſt, quod de Iano & Nocho, ſiue Saturno ſuſpicandum; illud nempe, nihil ipſis æquè ac purum Dei cultum citra ſimulacra placuiſſe, atque hæc præcepta poſteris tradidiſſe, ne Deum vellent aut eius miniſtros ſtatuis imitari; ne videlicet ab ipſo numine, quod non viderent, ad id cultus tranſiret, quod oculis obiectum eſſet: qua in re quàm lubricus ſit mortalium lapſus, qui necdum intelligit, eum fruſtra quis ſuſcipiat docendum. Dionyſius Halicarnaſſeus & Plutarchus Numam templa quidem tradunt erexiſſe, ſed nulla ſimulacra in iis collocaſſe: Simulacra verò à Tarquinio Priſco de Græcanica vanitate fuiſſe Romam primùm allata. FLEMING. Quorſum hæc dicas, necdum video: hoc interim clarè cerno, te tibi ipſi aduerſari, ſi hæc quidem, quæ modò ex his auctoribus adduxiſti, vera credas. Quid enim abſurdius, quàm docere, Vortomni ſtatuam tempore Romuli in Vrbe collocatam fuiſſe, vel etiam antea multo ſtetiſſe: & modò eos laudare, qui negent Romæ vlla ante Tarquinium fuiſſe ſimulacra? Quòd ſi has mihi tibias conſonas oſtendes, næ tu te egregium præſtiteris muſicum.

Simulacra Romanis multo tempore incognita, Romam primùm à Tarquinio Priſco allata.

GOROP. Satius, ita me Vortomnus amet, fuiſſet, nullam Romulæ ficus facere mentionem; quàm in hanc incidere difficultatem. Verùm quandoquidem vox ſemel emiſſa reuocari non poteſt: agite, exquiramus aliquid: non quo ego à contradictione liberer; ſed quo graues hi ſcriptores oſtendantur à Propertio & Ouidio diligentiſſimis Romanæ antiquitatis inquiſitoribus non diſſenſiſſe. Arduum profectò negotium eſt: vix video, qua parte aggrediendum. Conabor tamen: conatum Vortumnus promoueat. Aio verum eſſe, ante Græcam Tarquinij leuitatem nulla Romæ Deorum ſimulacra fuiſſe. Sed nego, nulla fuiſſe ſymbola ſiue ſtatuas ſymbolicas, quibus ſanæ ſententiæ notarentur. Vortomni ſtatuam non ſemel ſymbolum vocaui: at ſimulacrum eſſe, id eſt, effigiem vel ſimilitudinem alicuius referre, id verò numquam vel dixi vel dicam. Diuerſa hominum vota diuerſis formis indicabat, non ipſum Deum, ad quem vota tendebant: interim tamen hoc monens, Deum nec marem nec feminam eſſe, nec huic vel illi ſimilem; ſed omnibus adeſſe, ad ea promouenda ſtudia, quibus quiſque auxilium eius aduocaret. Præterea quemadmodum priſci homines ſymbolis eorum quæ agenda eſſe monebant; ita deinde & licuit & receptum fuit, ſimulacris & imaginibus, non minus quàm litterarum notis, res geſtas repræſentare; non quidem, vt cuiuſquam in iis fieret adoratio, aut cuiquam picturæ aut ſculpturæ diuinus cultus exhiberetur: ſed quo memoria rerum præteritarum oculorum adiumento refricaretur. Vt enim verba & ſermones per aures ea nobis ſignificant quæ in alterius mente verſantur; ita pictura, ſiue litterarum ea ſit, ſiue ſimulacrorum, per oculos ſuggerit quæ voces aurium medio menti imprimunt. Nihil itaque illicitum aut nefarium eſt aut in ſimulacris, aut imaginibus pictis; modò non ad alium vſum accommodentur, quam ipſæ litteræ & voces, quæ non minùs ſignorum habent naturam, atque illa de quibus diſputamus. Qua igitur de cauſſa ſimulacris & Dei & miniſtrorum eius veteres illi abſtinuerunt? Plurimæ ſanè rationes adferri poſſent: quarum apud Plutarchum ea eſt vna, quòd nefas putarent, præſtantiora deterioribus aſſimilare: altera, quòd Deum non aliter quàm mente attingi poſſe exiſtimarent. Nos eam primariam & præcipuam dicimus, quòd intelligerent, quàm corporeæ ſint hominum cogitationes, quàm omnis noſtra corrupta natura à Deo ad creaturas ſit procliuis, quàm Dæmon perpetuò id agat, vt inſidiis & fraudibus ſuis ad idolorum cultum infirmos animos trahat, & à quouis potius auxilium petere ſuadeat, quàm à creatore. Quia igitur hunc periculoſiſſimum & prorſus hominum animis lethalem abuſum omnibus modis vitandum putabant; malebant ſimulacra nulla eſſe, quàm illorum occaſione quemquam à vero Dei cultu aberrare. Verumenimuerò quia ex altera parte cernebant, homines tam tardos eſſe ad mentem è corporeis tenebris ad cæleſtem lucem erigendam, neque vbique & ſemper doctores adeſſe poſſe, qui ad diuina incitarent: ad eam ventum eſt ſententiam, vt ſimulacra quidem nullius erigerent, ſed ſymbola quædam collocarent, quorum adſpectu homines monerentur, oculos ſemper ſurſum attollendos eſſe ad Deum omnium creatorem & ſeruatorem: quorum in numero Vortomni ſignum vetuſtiſſimum in Italia fuiſſe credo. Græci vetuſtiſſimi à Cimbris primis Athenarum & Spartæ con-

Vortumni ſtatua ſymbolum fuit, non ſimulacrum.

Simulacris et imaginibus quomodo vti liceat.

Simulacris Dei & eius miniſtrorum, quare veteres Romani abſtinuerint.

Symbola quædam olim a veteribus Romanis collocata. Simulacra autem nullius erecta.

Hermæ.

ditoribus Hermas retinuerunt, quos ad eum modum formabant, vt quadratæ pilæ caput imponeretur, quo nimirum omnes monerentur, omnem rerum humanarum firmitatem, quam quadrangula figura notat, à capite pendere. Quis enim, cùm caput videret, non cogitaret, quod'nam illud caput eſſet, cuius, qui ſtatuam poſuiſſent, in mentem venire vellent. Pòſt cùm litterarum vſus latiùs propagatus eſſet, ſententiæ quædam breues his Hermis inſcribebantur, vt eas homines ab ipſo capite proficiſci exiſtimarent. Hinc factum, vt quæ ſic vera eſſent, vt ab ipſo omnium capite profecta viderentur, ea Hermæ Triſmegiſto inſcriberentur; cui hac via multa millia librorum fuerunt attributa: cùm tamen nemo vmquam vixerit, cuius hos libros proprios eſſe vellent: id vnum hoc titulo notabatur, quæ libris illis continerentur, ea prorſus eſſe diuina, & ipſo omnium capite digna. Her-man enim nihil nobis aliud ſignificat, quàm publicum monitorem. At cuius hæ ſtatuæ monebant? Nempe ipſius capitis. Qua de cauſſa Hermes Thuet vocatus eſt, id eſt, caput, quod Græci diphthongo hac carentes, Theut dixerunt. Sed de his aliàs, ſi Hermes ipſe volet, magis ſeriò. Ceterùm vt omnia in peius ruunt, nec quicquam tam bene eſt à maioribus inſtitutum, quod non poſteritas corrumpat; ex hac ſtatuarum ſimplicitate prorſus ſymbolica, & vtiliſſima, in maximum idolorum Oceanum miſeri mortales ceciderunt, tam graui & exitioſa ruina; vt totum ferè orbem ſecum in præcipitium traxerit; & hactenus, tametſi Chriſtus nos liberarit, non paucos teneat in alta caligine depreſſos. Nunc itaque liquere puto, quæ ſimulacra priſci illi reiicienda, quas item ſtatuas admittendas iudicarunt: atque hinc concordia exiſtit inter poëtas de Vortomno agentes, & inter illos, qui omnes ſimilitudines Dei & Deorum reiecerunt. Reuertor ad ficum Romulam; à qua me diuertiſtis. FALKEN. Nimio citius quàm vellem, ita me, quæ de Hermis ex te nunc primùm audiui, delectarunt. Bone Deus, quàm infinita hactenus in altis tenebris ſepulta iacent, de quibus tamen integra volumina ſunt conſcripta! GOROP. Id paullatim magis ſenties. Quoniam modò aperui, diligenter cautum fuiſſe à priſcis ſacrorum præfectis, ne rudes animi ſimulacris adhærerent; opus tamen eſſet aliquo incitamento, cuius auxilio ad Deum adſcenderent: ſymbola ſunt excogitata, & in iis etiam plantæ & arbores, in quas diuinitatis aliqua opinio non videbatur caſura. Ficum itaque hanc conſtitutam accepimus, ad quam paſtores Ruminæ ſacra facerent, ad lactis copiam impetrandam; id eſt, diuinam poteſtatem rebus ſuis adeſſe vellent, vt lactis abundantiam conſequerentur. Quid enim non poſſit Deus in animalibus ad lac generandum factis præſtare; qui arbori etiam tantum lactis infudiſſet, vt quauis parte emanaret? Ficus igitur teſſera erat, de qua cogitarent, de infinita Dei bonitate non cetera modò, ſed ipſum etiam lac proficiſci; atque idcirco ab eo eſſe ipſius abundantiam petendam, quam hominibus negaturus non eſſet orantibus, ſi arbori quidem tantum lactis conceſſiſſet nec roganti, nec ſentienti, nec beneficium intelligenti. Fici item lacte, animalium lac coagulatur: qua ratione & illa hominum vota ſignat, quibus petitur, vt lac plurimum caſei & butyri contineat; quæ duo in lacte multo magis expetuntur, quàm eius citra hæc copia quamuis profuſa. Adiicere poſſem & alia, ſed vitanda prolixitas, quam vtut vito, ipſa rerum & copia & diuerſitas trahere ſecum videtur. Romula igitur hæc primùm dicebatur: quia eius diuinæ poteſtatis teſſeram habebat, quæ lacti tum augendo tum conſeruando reuera præeſſet. Vt igitur à Roma ciuitate Romulus; ita à Rooma pro lacte, Romula ficus nomen accepit, ſed vtrumque in Cimbrico ſermone: cuius quia Itali, qui externa ſua lingua priorem loquendi ſinceritatem corruperunt, ignari eſſent; fabulas de Romulo & Romula ficu conſuerunt, incertis tamen auctoribus, an hæc ab illo, an illa ab hoc nomenclaturam haberet. Auctorum certè ingens diſſenſio in Romulo & Roma nihil certius demonſtrat, quàm nihil certi de vrbis vel origine, vel auctore, vel nomine, nec à Græcis, nec à Latinis haberi.

Her. Man. — Thuet. — Statuarum ſimplicitas prorſus ſymbolica, & vtiliſſima in maximum idolorum oceanum verſa. — Ficus teſſera abundantia lactis &c.

RELICTA igitur hac coniectura, qua putatum eſt, Vortomnum à conuerſo Tiberi dictum eſſe; ad alteram tranſeamus, quam ſic Propertius exponit:

Seu quia vertentis fructum percepimus anni,
Vortumni rurſus credidit eſſe ſacrum.

In horum altero, creditur, pro, credidit, legendum exiſtimo, lapſu non admodũ difficili, vt ſit:

vt ſit: *Vortomni rurſus creditur eſſe ſacrum.* ea nimirum ſententia: Creditur Vortomni rurſus ſacrum adeſſe, quia vertentis anni fructum percepimus. Sunt enim hæ duæ priores de Vortumni nomine opiniones non ad aliquam certam perſonam referendæ, ſed ad vulgarem quandam perſuaſionem, quam mox famam vocabit, additurus, eam mendacem eſſe, & neutram harum opinionum recipiendam: Annius hic aliud egit; & dum ſomnia ſua ſpeculatur, parum animaduertit quid vel Vortomnus, vel Propertius cantet: qua in re tam eſt ineptus, vt tres rationes à Propertio adductas ſigillatim veras eſſe dicat, non agnoſcens, duas priores eſſe reiectas. Creditum itaque à quibuſdam fuiſſe, Vortomnus dicit, nomen inde datum ſibi eſſe, quia anni vertentis fructum iam tum homines perceperint; atque idcirco ſacrum rurſus ipſi celebrêt, quo gratis cultoribus ſequentem annum iterum bene vortat ſiue proſperet. Agebantur hæ feriæ Octobri menſe, quinto Varronis de lingua Latina libro ſic docente: quod quidem rationi maximè congruebat, vt quo tempore vindemia vltima fructuum meſſis iam eſſet peracta, Deo gratiæ agerentur, quòd omnem agricolarum laborem, omnem ſatum, omnem arborum vinearumque cultum, ſic felici ſuo afflatu promouiſſet, vt modò totius anni fructum in horreis & apothecis homines haberent. Quòd ſi igitur annum vertentem, qui eſt integra ſolis à puncto quopiam Zodiaci ad idem reuolutio, vt viceſimo ſecundo tradit Ammianus Marcellinus, metiri velimus ex agrorum cultu; nec aliunde annum incipiemus, quàm à noua ſemente, nec alio fine terminabimus, quàm ipſis Vinalibus, quæ etiam Octobri menſe iam vino deguſtato agi ſolere idem Varro tradit. *Vertumni feria Octobri menſe agi ſolebant.* *Vinalia, Octobri menſe agere ſolent Romani.*

Poſſit ex his Vortomni feriis quiſquam ſuſpicari, Automnum & Vortomnum non Dei, ſed eiuſdem partis anni habere ſignificationem: quod tamen nequaquam ita eſſe, ex Cimbrica lingua perſpicuum fiet: e qua non ſolùm hæc diuerſitas eluceſcet; verũ & omnes anni partes è ſuis nominibus & nominum rationibus fient illuſtriores; quas, excepta hieme, omnes hic Propertius fructibus ſuis vel deſcripſit, vel indicauit; Automnum pomis, Ver ceraſis, Æſtatem moris & ceteris muneribus ſuis ornans. Feſtus ſcribit, quoſdam putaſſe, Autumnum ab augẽdo dictum eſſe; quòd tunc homines agrorum fructibus coactis maximas opes haberent. Nos contrà dicimus, Automnum anni ſenium eſſe; quoniam eo tempore & fructus & folia ex arboribus cadant, aut in eis, niſi decerpantur, contabeſcant: tum etiam quia calor omnis, veluti in ſenio, exſtinguatur, & canæ pruinę & niues terram, veluti decrepitũ quoddam ſilicerniũ, mox indę ſint coopertura. Automnus igitur optimè hominis ſenio comparatur, in quo naturalis vigor omnis elangueſcit iam iam frigore totus ſuperandus & exſtinguendus. **Autom** enim ſiue **Audom** ſenium ſignificat, nulla omnino litterarum immutatione, eodem modo quo **Vortom** proſperitatem, **Eeldom** nobilitatem, **Rycdom** diuitias, quæ deriuantur ab **Aut/ Vort/ Eel/ Ryc/** formula nobis vſitatiſſima. Nec mirum, hanc anni partem vetus Cimbrorũ nomen retinuiſſe; cùm ceteræ quoque ex eadem lingua habeant appellationes. Hiems enim fit ab **Huiem**/ quod extra compoſitionem eſt, **Hui heim**/ id eſt, cuſtodi domum, ſiue ſerua te domi. Friuolum enim eſt, Romanos hanc vocem à Græcis mutuari; cùm nec apud Græcos quicquam ſignificet, nec ab ὕω, id eſt, pluo, hæc anni pars dici debeat: niſi tam ſimus rei ruſticæ, & medicinæ, & omnis denique naturalis philoſophiæ imperiti, vt pluuias in hieme optemus. Eſt'ne quiſquam, qui ignoret, ex halitu calore ſolis ex humidis corporibus eleuato, pluuias in aëre concreſcere? Quod ſi negari non poteſt; qui cõuenit, vt cùm Sol minimum virium habeat, & terra frigore ſummo concluſa ad petræ modum indurvit, tum pluuiæ potiſſimùm fieri dicantur? Calore profectò opus eſt ad imbrium generationem, & eo quidem tanto, vt & terram aperiat, & halitus, ſiue, vt ſcholæ loquuntur, vapores ex eius humore in aërem tollat; nec tamen eam vim habeat, vt quem humorem extraxit, eum penitus abſumat. Inſaniuit ſcilicet Virgilius cùm diceret, *Automnus hominis ſenio optimè comparatur.* *Automnus vnde dictus.* *Autom ſiue Audom.* *Vortom.* *Eeldom.* *Rycdom.* *Hiems vnde dicta.* *Hui.* *Heim.*

Hiemes orate ſerenas
Agricolæ; hiberno lætiſſima puluere farra,
Lætus ager.

Hiemis proprium eſt, terram claudere, quò ſemina calore intus in ſe coacto, & idcirco roborato, foueantur, & vim genitalem auctiorem adipiſcantur: quam ad rem Boreæ adiumentum natura adhibuit, cuius in conſtringendo quanta vis ſit, ſi quis ignoret, *Hiemis natura & proprietas.*

is mihi

is mihi vel cum Sardanapalo ſemper in gynæcio latuiſſe videtur; vel totam ætatem in vaporariis Germanicis tranſegiſſe. Sed audiamus iterum Virgilium:

Nec tibi tam prudens quiſquam perſuadeat auctor,
Tellurem Borea rigidam ſpirante mouere.
Rura gelu tum claudit hiems, nec ſemine iacto
Concretam patitur radicem affigere terræ.
Optima vinetis ſatio eſt, cùm vere rubenti
Candida venit auis longis inuiſa colubris:
Prima vel Autumni ſub frigora, cùm rapidus Sol
Nondum hiemem contingit equis; iam præterit æſtas:
Ver adeò frondi nemorum, Ver vtile ſiluis:
Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.
Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus.

Doctiſſimus poëta elegantiſſimè nobis depinxit, ad quam partem anni pluuiæ ſpectent; & rurſus quæ'nam ſit hiemis natura, quam illi mihi Grammatici ignoraſſe videntur, qui hiemis nomen à pluuiis deduxerunt; niſi forte primus nominū architectus huius tam ſupini erroris ſit accuſandus. Tolerabilius fuiſſet vel à ventis, in quibus principatum Boreas tenet, vel à nimbis, vel à gelu dare nomenclaturam; ſi ab incommodis anni hæc pars fuiſſet nuncupanda. At in iis quia nec bonum omen, nec id quod optandum, cernebatur; prudentiſſimè illud excogitatum eſt nomen, quod vt tempeſtati hibernæ nihil exprobraret, ita hominibus conſilium daret ſaniſſimum. Heſiodus antiquis proximus, ſi vera de aureo tripode cantat, vim huius vocis, licet eam ignoraret, optimè expreſſit:

πὰρδ' ἴθι χάλκειον θῶκον. καὶ ἐπ' ἀλέα λέσχην
ὥρῃ χειμερίῃ, ὁπότε κρύος ἀνέρας ἔργον
ἰσχάνει.

Hæc quid aliud volunt, quàm ſi diceremus: hieme, cùm vehemens frigus homines conſtringit, accede ad focum, & eam domus partem quæ calore ſuo homines detinet in colloquiis & ſuaui confabulatione. Virgilius velut apicula omnes veterum poëtarum floſculos delibans, hoc etiam ſuum fecit, ſed ſic, vt multo comptius copioſiuſque reddiderit:

Hiems, inquit, *ignaua colono.*
Frigoribus parto agricolæ plerumq. fruuntur,
Mutuáque inter ſe læti conuiuia curant:
Inuitat genialis hiems, curáſque reſoluit.

Noſtrates hoc tempore illud nomen pro hac anni parte in vſu habent, quo ipſum il-
Winter. lud quod Virgilius cantat, expreſſum eſt. Winter enim nihil aliud eſt, quàm lucrum
Win. Ter. abſumo: cùm Win lucrum, Ter abſumo ſignet: quod tamen vocabulum tanto artificio factum eſt, vt ſi citra compoſitionem intelligatur deriuatum à Wint/ quod ventum ſi-
Wint. Wein. *Ventus.* gnat, nihil aliud ſit, quàm ventum faciens. Wint à Wein/ id eſt, verto & voluo; eo quòd omnia vertat: à quo Latini venti nomen ſeruarunt. Sed auctor nominis ad priorem rationem magis reſpexit, hac interim non neglecta. An'ne eandem omnino exprimit ſententiam vox Hu-ein/ admonens, eo tempore omnem noſtri cuſtodiam in domo conſiſtere; atque idcirco ea æſtate eſſe comparanda, quæ ad ſedentariam eiuſmodi vitam ſunt neceſſaria; ne domum exire, & Boream ferre cogamur? Videant modò Latini, vtrum malint videri à Græcis hanc vocem mutuati eſſe, maxima cum rerum imperitia, & contra omnium mortalium vota: an verò potius ducant & præſtantius, ſi doceantur, hoc vnum adhuc eſſe ex illis vocabulis quæ incorrupta ferè ab ipſis Ianigenis ad hanc vſque durarunt ætatem. Magni ſit numiſma, quod eleganter vel imperatoris cuiuſpiam baſilicam, vel aliud quippiam eius temporis expreſſum habet: at quanto pluris illud fieri debet monumentum, in quo clarè cernitur, quàm longa & continuata ſerie Romani ab ipſo Iano & Cimmerio deſcendant, in quibus maioribus imperij ſui acceperunt promiſſionem. Nec porrò hæc vox primos Romæ conditores tantùm nobis pro-

bis proponit inſpiciendos; ſed eorum etiam demonſtrat prudentiam in nominibus fabricandis.

Verùm video me mox rogandum, num & ceteræ anni partes vetuſta ſua nomina conſeruarint. Conſeruarunt ſanè. & Ver quidem omnino noſtras eſt; quod Varro vel à vertendo, vel à viroꝛe deduxiſſet, niſi Iones vidiſſet obſtare, apud quos ait *βὴρ* pro eodem dici. Nobis Weer ſignificat aëris temperiem, à Waer/ quod eſt cuſtodio & tueor: quia aëris temperies mortalium vitam tuetur atque cuſtodit. Iam aries etiam Weer nominatur, à Wer quod eſt defendo: quoniam is ſe capite ſuo egregiè defendat. Alludit præterea per cognationem litterarum W & B ad Ber ſiue Baer/ quod gigno & pario denotat: quo fit, vt veris etiam illa dos exprimatur, qua ceteris anni partibus longiſſimè præſtat. Quoniam verò ſemper optamus, vt grata aëris temperies reuertatur; nec vmquam nos ſic ſatiat, vt non iterum eam nobis adeſſe velimus: factum eſt, vt Weer pro iterum ſiue rurſum in vſum venerit. Tribus igitur rationibus primus linguæ noſtræ fabricator primam anni partem Weer vocauit. Vna, quia tum aër temperatiſſimus eſt: quod niſi ſenſibus ſatis crederetur, Galeni auctoritate docuiſſem. Maronis tamen Muſam lubentiùs auſculto, qui ſummam hanc aëris temperiem ſumma ſuauitate eſt imitatus:

Ver, veris, vnde dictum.
Weer.
Waer.
Wer.
Ber.
Baer.
Ver / Weer/ vocata prima anni pars, varijs rationibus.

Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumúe habuiſſe tenorem
Crediderim: Ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hibernis parcebant flatibus Euri.
Cùm primum lucem pecudes hauſere, virumq́;
Ferrea progenies duris caput extulit aruis,
Immiſſæq́; feræ ſiluis, & ſidera cælo:
Nec res hunc teneræ poſſent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusq́; caloremq́;
Inter, & exciperet cæli indulgentia terras.

O admirabilem doctiſſimi poëtæ, & primi linguæ noſtræ fabricatoris conſenſum! Quamuis enim veris originationem apud Latinos non haberet: ſic tamen eam expreſſit, vt clarius non poſſet, dum dixit ad primos & teneros rerum exortus hac cæli indulgentia opus eſſe, quo res caloris & frigoris mediocritate conſeruarentur. Weer itaque à Waer/ id eſt, cuſtodio & conſeruo deductum eſſe, ſi quis Maronem docuiſſet; an non putamus eum in maiorem ſui admirationem venturum fuiſſe, agniturumque aliquid diuini in poëtis eſſe, cuius inſtinctu meliora, quàm ipſimet exiſtiment, carmina frequenter effundunt. Atque hæc ſit prima ratio à temperamenti præſtantia deſumpta, ob quam prima pars anni Weer vocetur. Altera accipitur ab eo ſignificatu, quo Weer arietem notat. Solis enim in Arietem ingreſſus Veris facit principium: quod notius eſt apud Aſtronomiæ peritos, quàm vt opus ſit longiore explicatu. Tertia cauſſa deliteſcit in vicinia W & B. Cùm enim Iones Beer dicunt, in mentem nobis vocant Ber ſiue Baer/ quod eſt produco, pario, gigno. Ver enim plurimum parit & gignit inter omnes anni partes, adeò vt hæc ratio vel prima haberi meritò poſſit, tametſi in deriuatione littera prima in cognatam tranſeat. Quarta cauſſa his accedit: Quia enim rurſus, quod Weer etiam dicimus, Sol nobis nouum annum reducit, & iterum calorem ſuum viuificum tam propinquum nobis reddit, vt frigora caloribus paullatim cedant, & ipſi terræ gramina, arboribus comæ, hominibus vigor & alacritas redeat: non malè hoc tempus Weer eſt nominatum: propterea quòd omnia ea iterum repræſentet, quæ ſemper cupimus iterum adeſſe. Iones duplex digamma in Beta mutarunt, Latini ſimplex digamma retinuerunt; quoniam & hi & illi duplici hac littera carerent. FALKEN. Hoc demum eſt eximium & inſigne vocum fabricandarum artificium, quod non vnam tantùm, ſed multas rationes ob quas rebus nomina conueniant, comprehendit; hoc, inquam, eſt origines & inuenire & explicare.

Perge igitur, quæſo, ad eam, quæ ſola reſtat, partem, vt Autumno totius anni interpretationem debeamus. GOROP. In hac vereor vt vobis probare poſſim id quod ſentio. Æſtas enim citra omnem controuerſiæ vllius ſuſpicionem ab æſtu dici videtur, quamuis Varro dubitet, an ab *αἴθεσθαι* deriuetur. Sed hic ego primùm interrogabo, vnde

Æſtus vnde dictus & quid propriè ſignificet.

æſtus

æſtus dicatur: quod ſi ab αἴθειν deducant, rurſus quæram, quinam hæc vox æſtui marino conueniat, in quo nullus calor aut ardor dominatur. Ego ſanè longè aliud æſtus
Haeſt. nomine ſignificari puto, ratione de Cimbrico ſermone ducta; in quo Haeſt per diphthongum pronuntiatum, immodicam feſtinationem notat. Siue igitur ad aquam, ſiue ad ignem referatur, æſtus ingentem celeritatem qua vnda vndam, & flamma flammam, & feruens vapor vaporem trudit & impellit citra vllam ceſſationem, notabit:
Stou. ita vt æſtus dictus videatur ab Haeſtſtou/ id eſt, celeriter impello, per geminatarum litterarum ad ſimplices reductionem. Propriè igitur æſtus cùm ad calorem refertur, dicetur ingens ille feruor vibrationem quandam fracti luminis circa terræ ſuperficiem in campis oſtendens, in qua maxima cernitur vis celeritatis; à qua ad calorem etiam alium eſt tranſlatum, extra tamen germanam notationem. Mare item æſtus ſuos habere dicitur eadem ratione, quia perpetuò agitatur, vnda vndam protrudente. Hinc
Æſtuo, as, are. æſtuo, quod eſt agitari, & inquietum eſſe; quod non ad flammas tantùm, & feruidos vapores, & maris perpetuum fluxum & refluxum; ſed ad ventos etiam, & hominum animos applicatur, qui æſtuare dicuntur, dum nulla in cogitatione aut propoſito quieſcunt. Sic Syrtes Horatius vocauit æſtuoſas, quòd celerrimis aquarum vorticibus agitentur. Hanc ſignificationem Cicero ſcitè admodum expreſſit in quarta Verrinarum: Itaque æſtuabat, inquit, dubitatione, verſabat ſe in vtramque partem, non ſolùm mente, verùm etiam corpore. Nec minùs proprium verbi vſum Horatius oſtendit, dum feſtinas hominum mutationes deſcribens ſic concludit:

Quid mea cum pugnat ſententia ſecum,
Quod petiit ſpernit, repetit quod nuper omiſit,
AEſtuat, & vitæ diſconuenit ordine toto:
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Numquam igitur Grammaticis credam, æſtum ab αἴθειν dici, nec propriè calorem ſignificare, ſed vehementem agitationem ſiue ea in aquis ſit, ſiue in ventis, ſiue in vaporibus, quos canicularibus maximè diebus celerrima quadam vibratione micare videmus. Quod ſi ita eſt, nulla ratio permittet, vt æſtas ab æſtu dicatur, niſi id ei proprium faciamus, quod eſt commune plurimorum; & anni partem maximè conſtantem ab agitatione nominemus. Videamus itaque quid Æſtatis nomine veteres notarunt. Seruius apud antiquiſſimos in duas partes annum diuiſum fuiſſe ſcribit, hiemem & æſtatem, idque Virgilij docet auctoritate ſic canentis:

Nunc veneranda Pales, magno nunc ore ſonandum,
Incipiens ſtabulis edico in mollibus herbam
Carpere oues, dum mox frondoſa reducitur æſtas.

Hic certè hiemem tantiſper produxit, dum æſtas inciperet; quaſi ver æſtatis pars eſſet. Idem alibi quoque ver æſtatis nomine comprehendit in hoc verſu:

At verò Zephyris cum læta vocantibus æſtas.

Æſtatis nomine ver cōprehēdit Virgilius. In quo quis non videt, de primo vere, ſub æſtatis nomine locutum eſſe: quod tamen admodum alienum à vocis proprietate iudicandum eſſet, ſi ab æſtu caloris æſtas diceretur. Rogabo igitur meam Hermathenam, ecquid habeat quod ſimul & veram vocis originem oſtendat, & poëtam antiquitatis ſtudioſiſſimum nihil contrà dixiſſe, atq. illa poſtularet. Dixi modò hiemis nomen homines admonere, nõ ſolùm, vt domi maneant, ad frigora & ceteras aëris iniurias vitandas; ſed hoc etiam, vt curent ea omnia ad manũ habere, per quæ liceat hanc domeſticam cochleæ vitam perferre. Idem quoq. alterum nomen Winter, quo nunc vtimur, indicat; quoniam fruſtra quis eum hortetur qui nihil repoſuit ad futuram neceſſitatẽ, vt ea quæ lucratus fuerit, abſumat. Quamobrem ſi in hieme ad ignem deſidendum, & conuiuia ſub tecto celebranda: neceſſe eſt partem anni eſſe, per quam copiam omnium eorum nobis comparemus, quæ ad eiuſmodi geniales dies, & lætas compotationes, & luculentos focos requiruntur. Hanc nemo neſcit æſtatem eſſe, qua ſemper hominem impigrum eſſe oportet, atque ἄοκνον, vt Heſiodus ait; quo domum hieme omnibus neceſſariis habeat inſtructam,

velut ingentem formicæ farris aceruum,
Cùm populant, hiemis memores, tectóq. reponunt.

Æſtas vnde dicta. Hæc igitur anni pars quæ victui conquirendo reponendoque ad hibernos vſus eſt apta vocatur

vocatur æſtas: quod vocabulum ſi in duo diuidas, vt ſit Aes Tas, idem dixeris vernaculo noſtro ſermone, quod Latinus ſuo diceret, alimentum & pabulum coaceruatum. Aes enim nobis non hominum modò, ſed omnium animantium, immò non animantium tantùm omnium, ſed omnium eorum quæ nutriũtur, pabulum eſt & alimentum; adeò vt ignis etiam materiam & fomitem comprehendat. Quamobrem qui dicit, Aes Tas, coaceruationem omnis generis alimentorum deſignat, hoc ipſo & ignis pabulum, quo in hieme maximè opus eſt, complectens. Quis mortalium aptiùs queat vnica ſyllaba exprimere omnia ea quibus ad deſidem & otioſam hiemis vitam opus eſt? cui cùm altera ſyllaba Tas accedit, oſtenditur non ſatis eſſe, paucula quædam ſeruari & condi; ſed integros aceruos alimentorum eſſe congerendos. Tas enim non quemuis aceruũ ſignificat, ſed eum qui totam domum ſeruare ac ſaturare poſſit: quod de formula Ichnæarũ dictionum ſtatim ſe prodit. Sat enim nomen conuerſum per veſtigia deducit ad eam menſuram, quam Tas ſiue aceruus ad vſum hiemis congerẽdus requirit. Ex quo & illud perſpicuum, Latinorum Sat, & Satis, & Satur à noſtra lingua Latinis remanſiſſe: quandoquidem character noſtris peculiaris eos huius debiti reddat manifeſtos. Aes item ſi conuertas, mox docebit qua via omne pabuli genus ſit acquirendum. Sae enim idẽ eſt quod ſero. Quocirca qui volet alimentum, neceſſe habebit vt ſerat; quod conuerſio clariſſimè demonſtrat. Quid hic adhuc artis deſideratur? Quis vmquam Latinorũ tantum in æſtatis nomine myſteriorũ quæſiuiſſet? An non duabus ſyllabis omnia complexus eſt architectus, quæ plurimis præceptis & philoſophi & poëtæ tradiderunt; atque id tanto vocum formandarum artificio, vt in ſumma breuitate ſyllabarũ maius id ſit & longè excellentius, quàm vt vlla alterius linguæ vox cum iis queat comparari? Nunc igitur videmus, quàm conuenienter etymologiæ Virgilius Æſtatis nomen ipſi etiam Veri cõmunicarit; ea in re veterrimorum conſuetudinem ſecutus, cuius iam olim Latinis nulla ratio, nulla cauſſa, & ne cauſſæ quidem coniectura vlla conſtabat. Quantum enim temporis eſt, quo hiemis neceſſitatibus poteſt prouideri; tantum intelligimus æſtatis nomine comprehendi. Quocirca Ver, quo fœnum, quo butyrum & caſeus, quo flores varij & varij aſparagi condiendi reponuntur; primam æſtatis partem facere dicetur. Neque verò Automnus poteſt ab huius vocabuli latitudine excludi; qui, ſi qua pars alia, egregie meretur hanc æſtatis nomenclaturam; cùm in eo non alij modò fructus, ſed ipſe etiam ſuauiſſimus vuarum liquor condatur. Errat itaque Seruius, dum in bipartita illa anni diuiſione Automnum hieme comprehendi tradit: neque bene explicat locum illum,

Humida ſolſtitia, ac hiemes orate ſerenas.

in quo poëtam prælicenter putat ſolſtitia pro ſolſtitio vſurpaſſe. Ego nihil ambigo, Virgilium Solſtitij nomine Solis apud nos in Cancro ſtationem intellexiſſe; quòd alterum Solſtitium abſentia potius Solis, quàm Statio nobis ſit vocanda: atque hac ratione iuſſiſſe, vt agricolæ pluuias circa æſtiua omnium annorum ſolſtitia orarent; quo cum alia ſuaui imbre ſuccreſcerent, tum frumenta etiam maiorem molem ante meſſem adipiſcerentur. Non male Seruius illud quidem animaduerterat, annum à priſcis in duas partes diuiſum fuiſſe: ſed partitionem ipſam perperam per æquinoctiorum circulum abſoluit, ſex menſes hiemi, ſex itidem æſtati aſſignans; cùm Virgilius Automnum etiam æſtatis nomine primo Georgicorum apertiſſimè ad hunc modum comprehendat:

Quid tempeſtates Autumni & ſidera dicam,
Atque vbi iam breuiórque dies, & mollior æſtas,
Quæ vigilanda viris, vel cùm ruit imbriferum Ver?

Hinc & illud eluceſcet, cur vetuſtiſſimi homines ante Olympiadum computationem, æſtates pro annis poſuerunt; quod Seruius in illud Virgilij annotauit:

Nam te iam ſeptima portat
Omnibus errantem & terris & fluctibus æſtas.

Nam gemina ſtatim ex iis quæ de æſtatis origine dixi, cauſſa emergit: altera, quòd æſtas maiorem partem anni complectatur: altera, quòd eam anni partem, qua domi otioſis erat deſidendum, indignam iudicarent quæ anno annumeraretur: quoniam id temporis, quod vltra ſenium reliquum eſſet, ſilicernium potius capulare, quam pars anni videretur; quippe in qua nihil vitæ terræ ſupereſſet, Sole vitæ datore per circulum

Ff obliquum

Marginal notes: *Aes. Tas. Sat. Sat. Satis. Satur. Sae. Ver æſtatis pars. Automnus æſtatis pars. Solſtitium. Annus in duas partes diuiſus à priſcis. Æſtates pro annis poſuerunt veteres, idq; multis rationibus.*

obliquum longiſſimè remoto. Quid quòd & tertia dari ratio poteſt ex vrbanorum hominum & mercatorum vita deſumpta; quos ſi interrogemus, quam partem anni victui & opibus quærendis dedicandam exiſtiment: reſpondebunt, ni fallor, non hanc aut illam partem; ſed integrum annum: cui quidem hominum generi totus annus æſtas poteſt nominari; quandoquidem nullum tempus vacuum eſſe ſinant ad ea coaceruanda, quæ non niſi victus cauſſa rectè quæruntur. Et certè pauperes & ærumnoſi agricolæ, quales plerique omnes ſunt Campani Brabanti, nullam ſic anni partem otioſam habent, vt eam poſſint integram genio ſuo conſecrare. Quamuis enim terra clauſa ſit; tantum tamen ſub tecto habent negotij, vt nullus deſidiæ locus relinquatur. Quid igitur miri, æſtates pro annis olim computatas fuiſſe; ſi tot, cur id fieret, rationes de vocis interpretatione eliciantur. Nomen quo nunc noſtrates pro æſtate

Somer. Som. Sam. vtuntur, eandem prorſus exprimit ſententiam. Somer enim dicitur à Som/ quod nobis eſt multa in vnum colligo; à Sam/ quod eſt coniungo: propterea quòd is qui multa in vnum aceruum colligit, ſemper aliquid coniungat. Sam facit mas/ de quo in Gotodanicis ſcripſi. Som conuerſum Mos facit, id ſignans, quod vel ſparſum iacet, vel indignum eſt vt in ſummam veniat. Ex hac peculiari nobis vocum formatione liquet, à

Summa. Som ad Latinos Summam veniſſe, non è contrario. Somer itaque coaceruatorem ſignificat, qualem vnicuique æſtatem eſſe debere, ſi pluribus doceam, ineptiſſima vos enecem prolixitate. Id interim admiratione dignum, tam egregiè antiquum æſtatis nomen, & hoc hodiernum, inter ſe conuenire; nec minus vetus nomen hiemis, & hoc quo nunc vtimur, ad vetuſtiſſimorum poëtarum ſententias quadrare.

Nunc igitur ad Vortomni verba, qui vulgò credebatur omnibus vertentis anni fructibus præſidere, atque idcirco, cùm vertens annus rurſus ceraſa attuliſſet, eorum primitias Vortomno offerri: & item primas ſpicas, adhuc humente & quaſi lactente ſemine prægnātes: nec aliter vuas, ſimulac nigreſcere iam cœpiſſent: tum etiā pruna autom-

Prunorum varia genera. nalia, quæ maximè laudanda, propterea quòd condita toto anno ſeruentur. Nobis ingens prunorum varietas eſt, vt Romanis quoque olim Plinij tempore, qui tamen arbitratur Catonis ætate præter ſilueſtria nulla cognita fuiſſe: quod an firma collectione concludat, mea non refert: id ſaltem inde liquet, de nominis origine Latinos non eſſe interrogandos; cùm veriſimile ſit, peregrinum fructum peregrinum ſecum nomen

κοκκύμηλα. tuliſſe. Græci κοκκύμηλα vocant; & id quidem, vt Nicander indicat, quaſi κόκκυγος μῆλον. Quid autem cuculo cum prunis ſit, ego me neſcire fateor. Panem cuculi me-

Cuculi mala. dici noſtri Oxyn Dioſcoridis vocant: fieri poteſt vt principio, cùm agreſtia dumtaxat pruna nota eſſent, cuculi mala fuerint nominata, id eſt digna hominibus tardis, & qui nec domum, nec pomarium haberent: propterea quòd guſtantibus acerba ſint & ingrata. Galenus inter alia, quæ ſuibus potius agreſtibus, quàm hominibus

Brabyla pruna. alendis apta dicit, Brabyla numerat: quo loco ſatis clarè ſignificat, ſe de prunis noſtris agreſtibus intelligendum. Hæc igitur cuculi mala primùm dicta exiſtimo, & deorum ſimilitudine idem nomen ad domeſtica pruna tranſiiſſe, quæ iam non cuculorum ſolùm, ſed hominum etiam elegantium poma vocari mererentur. Poſſet quis ſuſpicari, ab eo cuculi mala nominata pruna omnia generatim fuiſſe, quòd aluum laxam reddant; qualem quamuis & aliæ aues, tamen accipitres præ ceteris maximè habere ſolent, inter quos cuculus vix contemptiſſimus numerari poteſt, roſtro dumtaxat ſimilis & plumis, ceteroquin timidiſſimus, & caloris ſemper indigens

Coccygis malum. alieni. Quamobrem pomum aluum ciens, Coccygis potuit proprium dici, quòd aluum molliret, & liquidam redderet, & præterea viſcera refrigeraret. Hinc & illud videtur factum, vt Siculi & Rhodij omne prunorum genus Brabyla nominarint, quaſi βοράβολα, vt Stephanus in linguis rationem aſſignat: quæ ſi vera ſit, communi vſui, quem Galenus in Brabylorum nomine ſecutus eſt, repugnat; cùm hæc potius

Prunum vnde dictum. Pruimen. Pur. ruimen. adſtringant, quàm ſoluant. Pruna nos Pruimen vocamus, quaſi Pur-ruimen/ id eſt, mera euacuantia; ea nimirum cauſſa, qua Brabyla Siculis dicuntur; quia ad nihil aliud conducere videantur, quàm vt euacuent inferiorem ventrem. Quamuis ergo inter Coccymala & Brabyla illud obſeruatum à pleriſque ſit diſcrimen, vt illa cultarum arborum ſint, hæc ſilueſtrium: Brabyli tamen etymologia illis magis conuenit, quæ aluum lubricam reddunt; Coccymeli contrà illis, quæ ſucco ſunt vehementer

adſtringen-

adſtringente, & prorſus inamœno, nec aliis, quàm cuculis pro cibo quærenda, qui tarditate ſua in hanc incidunt neceſſitatem, vt dum ab aliis meliora impetrare nequeunt, cum ſuibus victum quærere cogantur. Conuenienter igitur nominis rationi cecinit Theocritus, dum Brabyla pyris & malis, optimis pomis, adnumerat:

> ὄχναι μὲν πὰρ ποσὶ, παρὰ πλευρῇσι δὲ μᾶλα
> Δαψιλέως ἄμμιν ἐκελίνδετο, τοὶδ᾽ ἐπέχυντο
> ὄρπακες βραβύλοισι καταβρίθοντες ἔραζε.

quod ſi velitis ex tempore Latinum, ſic habet:

> *Pyra pedes circa, circa latera vndique mala*
> *Dapſilia obuolui, nobis fundíque ſupernè*
> *Depreßi ad terram Brabylorum pondere rami.*

Non permittit hic nobis poëta dubitare, quid Brabylorum nomine intellexerit, optima videlicet pruna, & ſi interpreti credimus, ipſa adeò Damaſcena, de quibus Martialis: *Damaſcena pruna.*

> *Sume peregrinæ carie rugoſa ſenectæ*
> *Pruna, ſolent duri ſoluere ventris onus.*

Quibus verſibus videtur expreſſiſſe & Brabylorum & prunorum originem; ſi illa quidem βορβόλα, id eſt, voracitatis ſaburram depellentia; hæc verò Pur-ruimen, id eſt, mera vacuantia, pro eo ac vocabula poſcere videntur, interpretemur. Græci igitur videntur vel neglecta vel ignorata vera nominum ratione, contra quàm debuiſſent, Brabyla pro agreſtibus accepiſſe, quæ Galenus inter ſtomatica medicaméta numerauit: quamquam non abſurdum erit, ſi agreſtibus quoque ventris deiiciendi vis tribuatur eo tempore, quo pleno autumno ad tardam deuenerint maturitatem; nihil fortaſſe tum Tamar-Indis, ſiue dactylis acerbis Indorum vel ſapore vel facultate ceſſura. Nec contemnenda omnino, tametſi cuculorum mala dicantur, non ſolùm quia faucium & tonſillarum inflammationibus egregiè reſiſtunt; ſed quia à Marcello etiam ad calculorum remedia vocantur. Latini itaque Prunorum quoque nomen noſtrati linguæ acceptum ferre debent, tametſi N pro M adſciuerint. Quod ſi difficilius ſibi perſuaderi ſinent; dicant, vnde Rumicis nomenclaturam acceperint, multo ipſis, ſi vera dixit Plinius, quàm pruni antiquiorem: vel adferant cauſſam de ſermone ſuo: vel fateantur aliunde in ciuitatem Romanam veniſſe. Quid eſt tergiuerſandú, Rumicis vocabulum *Rumex, rumicis, vnde dicatur.* ex antiqua lingua reliquú eſſe, ſi Ruim nihil aliud eſt, quàm quippiam vacuum reddo: *Ruim.* quod qui neſcit Lapatho conuenire, is nec facultates eius herbæ nouit quá nunc vulgò de Græca voce Lapatientia vocant; nec ſcire videtur, nomen hoc à λαπάζω, id eſt, va- *Lapathum.* cuo, factum eſſe. Idem igitur Cimbricè Rumex, quod Græcis Lapathon notare, maniſeſtò tenemus: è quo quis non videt liquere, Rumicis nomen ab eodem Ruim/ à quo Pruim/ & Prunum deriuari, & vtrumque vocabulum noſtras eſſe de prima Italiæ lingua apud Romanos relictum. Inanis apud medicos opera luditur, dum contentione magna quærunt, quæ ſint Damaſcena dicenda: cùm nihil referat, quo olim nomine poma, quo nunc vocentur; modò de facultatibus eorum nihil ſit controuerſiæ. Quæ quis volet aut Damaſcena aut Armeniaca nominet; dum hoc ſaltem nobis permittat, vt non aliis Damaſcenorum loco vtamur, quàm iis quæ lubricam faciunt aluum: non aliis item Brabylorum Galeni loco, quàm iis quæ ſtrennuam adſtringendi vim guſtantibus oſtendunt: quæ nominarint Cerea, & Cereola, ceræ color; quæ Columella onychina, Onychis ſplendor oſtendit.

DE Ceraſis apud antiquos maior diſſenſio; Romanis cõtendentibus, à Lucullo pri- *Ceraſum ceraſi fructus.* mum è Ceraſunte opido allata fuiſſe; Græcis Diphili Siphnij teſtimonio docentibus, multo ante Lucullum ſibi cognita fuiſſe, qui Mileſia ceteris præfert. Theophraſtus cer- *Ceraſus arbor.* te ſic ceraſum deſcribit, vt prorſus maximam eam arborem depinxiſſe videatur, quam Bononiæ ſæpius ſub nomine maioris loti conſpeximus. Fuerunt qui putarint Cratægum ab ipſo deſcriptum, Ceraſum noſtram eſſe; quam verè, non iudico: id interim diſplicet, quòd ſilueſtrem meſpilum videri dicat, & ſucco meſpilum referre. Quicquid huius eſt, id ſaltem negari non poteſt, exiguam prorſus huius arboris notitiam tum apud Græcos, tum apud Romanos antiquiores fuiſſe; & idcirco neque nominis rationem ab iis petendam. Eſt autem huius pomum omnium apud nos primum, ita vt ei euangelia

 videan-

videantur deberi Pomonæ ad hemiſphærium noſtrum reuertentis. Et quia hanc à natura habet ſingularem cùm erga ſe prærogatiuam, tum erga homines beneficentiam; viſum eſt maioribus noſtris, inde dare nomenclaturam quo cum gratias referre non poſſent tanto munere dignas, oſtenderent tamen gratum animum, ipſo nominis monumento in æternum apud omnes & audiendo, & teſtificaturo hanc arborem eſſe quæ primum arboreum fœtum poſt triſtem hiemem mortalibus oſtendit, & eo ipſo
Reer. nunciat, non verbis, ſed reapſe, tempus alimentorum redire. Reer idem quod re-
Aes. uertor, & reuerti facio, eſſe ſcitis; & Aes niſi ipſi antè intellexiſſetis alimenti omne genus notare, modò de iis quæ dixi, potuiſſetis doceri. Reer-aes ergo nihil aliud eſt, quàm faciens reuerti alimentum. Longas autem in breues eſſe mutatas, non admiror; cùm & nos, quo vox monoſyllaba fieret, Reers ex Reeraes fecerimus, magna
Ceraſus ſignum Veris, primum arborum fœtū poſt hiemem mortalibus oſtendit. diligentia breuitatem vbique affectantes. Bene itaque pro veris ſigno Ceraſos poſuit; & multo ſanè elegantiùs, quàm ipſemet poëta potuerit ſuſpicari: quoniam non fructus modò hanc lætiſſimam anni partem deſignet, ſed nomine etiam ſuo polliceatur, ſe reducere tempus alimenti coaceruandi, id eſt, æſtatem. Quòd dulces ceraſos dixit poëta, id fecit ſanè tam bene, de mea ſententia, vt nullum pomi genus ſit quo lubentius veſcar: ſed tanta nunc eſt varietas tum arborum, tum fructuum, tum ſaporum; vt
Ceraſorum epitheton. vix aliud genus inuenias in qua naturæ benignitas tanta luſerit & luxuria & diuerſitate. A pedali enim aut paullo plus chamæceraſi altitudine in altiſſimas arbores & latiſſima ramorum tabulata progreditur; tantum abeſt, vt quod de Cratægo Theophraſtus dixit, huic arbori generatim queat applicari. Iam in hac tam varia copia ſunt & amara ceraſa, omnium minima, non illa quidem lauro inſita, vt Plinius ſua ætate factū commemorat; ſed de ſuo ſemine citra adulterium nata, qualia apud Tridentinos non vno loco memini videre.

ET hæc quidem de gratiſſimi alimentorum reditus ſymbolo. Nunc ad Mora, quæ adultæ æſtati tribuuntur; quorum nomen non minus eſt, quàm ceraſorum, ob-
Morus arbor. ſcuræ originis. Excutiant Romani, excutiant Græci omnia ſua ſcrinia; voluant & reuoluant omnes ſuas antiquarias merces, & minima etiam, ſi velint, ſcruta recenſeant; non inuenient tamen quò Mori vocabulum queat referri. Nobis in promptu eſt, ſapientiſſimæ arbori nominis rationem aſſignare ſapientiſſimam: & haud ſcio tamen an ſapientiorem, an maiore artificio comprehenſam. Romæ nomini & robur & roboris iactantiam ſubeſſe, paullo antè dictum.

Moꝛ. Rom. Dictum item Mor vocem verſam contrarium eius notare quod prorſa, quæ Rom eſt, ſignificabatur. Quamobrem non vna ratione Morus nomen ſuum eſt ſortita.
Mori fructus natura & proprietas. Principiò fructus adeò omni robore caret, vt neque cortice tegatur, nec oſſe intus firmetur, ſed ſolo ſucco & carne conſtet. Deinde tam imbecilli nexu pediculo ſuo hæret, vt frequenter vel leuiſſima iniuria decidat ante maturitatem. Iam maturo quid mollius, quid citius computreſcit? Soluitur mox velut in lutum quoddam: & terra
Mooꝛ *ſiue* Moer. quæ luto conſtat, pari ratione Mooꝛ apud nos vocatur; eo quòd & mollis ſit, & inualida ad pedes animalium ſuſtinendos. An non maxima igitur de cauſſa Morum ab imbecillitate & mollitudine nominandum videtur: & ſi necdum haberet nomenclaturam, num ab alia nota eam dandam putaremus, quàm ab ea per quam à ceteris pomis omnibus differt diſcrimine prorſus immani? Et hæc quidem de Mori
Mori arboris natura & proprietas. fructu ab imbecillitate nominato. nunc ad arborem. Hæc præter ramorum fragilitatem illud habet peculiare, quòd Romano nomini maximè aduerſatur; quia nimirum minimè ſit inter omnes arbores aut ſuperba aut iactabunda. Cùm enim ceteræ arbores, quàm poſſunt citiſſimè, vires ſuas in germinando, & ſeſe foliorum ornatu decorandis, oſtentent; hæc ſola nihil properat, ſed omnibus ceteris præcurrere permiſſis, tandem in medium prodit, & ſeſe tam ſpiſſo virore veſtit, vt niſi modeſtia eſſet ſingulari, de eo ſeſe iactare poſſet. Quid porrò conſequitur hac ſua modeſtia, & Fabiana tarditate? Illud nempe, vt longiſſimam vitam conſequatur, & materiam præſtet ad multas ætates duraturam. Romus præcoci ſua iactantia dicitur periiſſe: Morus contrà, modeſtia ſua tendit ad æternitatem. Non igitur ob eam tantùm cauſſam arborum ſapientiſſima dici poteſt, quòd non antè germina protrudat, quàm æſtiuus calor certam præſtiterit contra frigus ſecuritatem: ſed ea etiam ratione, quòd minimè ſit iactabunda: quando-

quandoquidem nullum ſit ſapientiæ maius indicium, quàm modeſtia & matura tarditas: nullum ſtultitiæ & vanitatis certius argumentum, quàm gloriabunda arrogantia. Quæro nunc, vtrum arboris maior ſit ſapientia, an maius artificium ipſius nomenclatoris, qui non naturam ſolùm fructuum vocabulo ſuo expreſſit, ſed vtiliſſimum etiam præceptum ad vitam prudenter agendam, tum arboris exemplo, tum nomine ipſi iactantiæ ex diametro repugnanti eadem opera conſtruxit. Sciebat nimirum fruſtra nos naturæ ſecreta ſcrutari, niſi ea ad ſana vitæ morumque inſtituta referamus: cùm nihil ſcientia proſit, quæ non recto tramite ad ſummum bonorum contendat. Neſcio vnde Mori nomen ad Alexandrinos venerit; cùm ceteri Græci hoc pomum *συκάμινον* vocent: tametſi non immeritò ſuſpicari queam, id de occultiore ſacerdotum lingua, quæ eadem cum noſtrati erat, emanaſſe. Cetera quæ de Moris dici poſſunt, in vulgus nota ſunt, tum de generibus, tum de foliorum ad ſerica vtilitate, tum etiam de ſtomatico medicamento ex immaturis eius pomis parando; ita vt hæc nihil debeant nos demorari.

Propertius non contentus his enumeratis fructuum primitiis, quibus vertente anno Deus hic ſolet ornari; vlterius coronam è pomis factam adiecit, quam inſitores votorum rei ſoluere conſueuerunt, dum felici ſucceſſu inuitas pyros mala, vel malos pyra, vel alias arbores diuerſæ naturæ poma ferre coëgerunt. Pomoſam autem vocat coronam, quæ varij generis poma continebat: quæ varietas è diuerſitate inſitionum maximè ſolet oriri; quæ facit, vt non ſat ſani hominis mihi eſſe videatur, ſiquis huius ætatis vel mala, vel pyra, vel alterius generis diuerſa ex inſitione poma ad veterum nomenclaturas cogere nitatur. Nouiſſe cuiuſque ſuccos eo iudicio, quo ſimplicium medicamentorum facultates ſunt examinandæ, id verò dignum iudico in quo laboretur. Quid mea refert, quæ fuerint Seſtiana, aut quis fuerit Seſtius, primus vel inſitor vel arboris inuector? Nihil profectò, quantum ego quidem videre poſſum: aut ſaltem non pluris refert, quàm ſcire, quis fuerit Laurentiolus, à quo Laukens peren; aut quis Wilhelmulus, à quo Willekens peren; aut quæ Eliſabetha, à qua Lyſbet peren vocantur. Habuerint Romani Orbiculata delicatiſſima, habuerint Melimela, habuerint Mattiana, Scandiana, Picena, Amerina, Syriaca, Peluſiaca, Quiriniana, Setania, Platania, Muſtea, & ſi feminis placet, habuerint etiam pannucea: num mihi ob hanc diuerſitatem laborandum, quæ illorum quibuſcum noſtris conueniant? Inſana eſt omnis inquiſitio, in qua inuentionis nulla eſt regula aut certitudo: inſanior etiam illa, in qua nec certa via eſt ad veritatem, nec vlla vtilitas veritatis inuentæ. Scimus Seſtiana poma, ſiue, vt Columella habet, Sextiana, non verò Ceſtiana, vt malè apud Galenum vocantur, inter ea numerari, quæ adſtringendi vi tum in ſtomaticis medicamentis, tum etiam in ſtomachicis affectionibus è relaxatione natis magnam habent vtilitatem: Ea tamen de cauſſa nobis minimè diſputandum, quæ ſint Seſtiana poma: ne nobis vana quærentibus, illud quod Cornario, niſi memoria fallat, in hoc pomo accidat, vt Seſtiana Heſperidum mala credamus; & tandem cum Mattianis etiam confundamus, à quibus credi poſſet Hiſpanos hoc tempore omnibus malis nomen mutuari, quo videantur omnia paria Mattianis olim laudatiſſimis. At hoc agendum, vt inueniamus mala, quæ adſtringendi facultate non cedant Seſtianis; qualia quàm plurima reperiuntur: & niſi inuenirentur, ad Appij imitationem, aliis malis Cotoneo inſitis fieri poſſent. Mattiana à Mattio dicta, illo fortaſſe Caio, quem Columella de re ruſtica ſcripſiſſe tradit, quæ Athenæus à vico quodam Aquileiæ vicino adferri dicit. Plinius Valerianus non parum commendat ad pulmonis & iecinoris affectiones, addens & ſanguinem reiicientibus conuenire: è quibus notis conijcio, adſtringendi vi, vnà cum grata quadam & pingui dulcedine prædita fuiſſe. Hæc Domitianus veſpere non raró eſitaſſe fertur. quo loco Martianum ...
meus habet, vt vitiosè etiam in Macrobio legitur Martianum, ...
Miror quòd in mentem venerit Natali de comitibus, vt Battiana in ...
ret pro Mattianis: vel hæc ſunt, vel horum loco edi poſſunt, quæ nos ...
ni *Camozas* vocant. Nominum quorum diuerſæ admodum ſunt & ...
do occaſiones; nulla cura habita, ſic tamen, ne quæ apud veteres ſu...
negligentia noſtra corrumpantur; ad ipſas vires animum perpetuò ...

Pomoſa corona Vortomni.

Pomorum & pyrorum varia genera.

Seſtiana ſiue Sextiana poma.

Mattiana poma.

& ad eas vſum ipſorum diſpenſemus. Sic nec magni noſtra intereſt, Galenum in Perſico malo, quod Citrium ſuo tempore nominari ait, non ſat propriè ſeminis nomine illud etiam ſucculentum comprehendiſſe, in quo vera ſemina continentur: cùm ſatis apertè inter verorum ſeminum ſiccam & calidam facultatem, & huius ſucci acidi vires, magnum collocet interuallum.

FALKEN. Nimis anguſtis ſpatiis nos includis, ſi non vlteriùs aut dubitare aut inquirere licebit, quàm tui Themiſones permittent. Quid quòd mea non intereſt, nec opinor etiam ipſius Flemingi, quam pomum habeat facultatem, modò guſtanti gratum ſit. Hoc mihi malim expediri, quo ſeſe Dipnoſophiſtæ quoque in Laurentij conuiuio torſerunt; quæ nam ea ſint mala quæ Heſperidum apud poëtas vocantur. de ceteris ſanè, quæ hactenus primus mortalium nobis aperuiſti, & nunc ingentes gratias agimus, & pro eo ac debemus perpetuò habebimus; quas tamen multò habebimus maiores, ſi hac etiam acceſſione beneficium cumulatius reddas: quod te eo magis facere decet, quo Vortomni corona elegantior reddatur. GOROP. Quandoquidem video mihi hanc imponi neceſſitatem, vt totum hoc pomeridianum tempus nugis meis tranſigatur: non magni facerem, qua de re me loqui velletis; niſi viderem non ſatis ſpatij diem hunc nobis daturum ad ea quæ ſuper reliquis Propertij verſibus cogitaueram, explicanda. Nec eſt ſanè quod Athenæo addi poſſe videatur, qui veterum hac in re diligenter enumerauit ſententias; & inter eos Pamphilus, Diis apud Lacedæmonios Heſperidum mala apponi ſolere, prodidit illa quidem gratiſſimum odorem ſpirare, verùm non eſſe eſui apta. Meminit & Ariſtocrates in Laconicis, eadem Heſperidum & Perſica mala faciens, de quibus Diphilus Siphnius ſic eſt locutus, vt ab aliis Coccymala vocari dicat, nec mali ſucci eſſe, immò plus nutrire, quàm cetera mala: quo quid ſibi velit, ipſe viderit. mihi bis per omnia videtur aberrare, ſi de Perſicis ſiue Medicis malis loquatur; quorum nec cortex, nec caro, nec ſuccus, nec ſemina bonum ſuccum generare poſſunt; cùm prorſus ab alimentorum mediocritate ad inſignes exceſſus declinent: cuius generis quæ ſunt, non video quis medicus ad boni ſucci copiam augendam queat adhibere, niſi idem fortè pharmacum dicat & nutrimentũ. Philotimus in alimentorũ libris Perſicum malum pingue & miliaceum eſſe, & oleum ex eo exprimi poſſe dicens, de cortice cum carne videtur locutus. Quoniam verò apud Lacones aliud nomen habuerunt; equidem crediderim illud minimè idem cum Græco prunorum nomine fuiſſe; ſed ſcribendum eſſe Coccomala, non Coccymala, à granis nimirum, quæ acido Perſicorum malorũ ſucco continentur; & ab ipſo illo acido Oxymela, id eſt, mala acetoſa fuiſſe nominata. Ab Ariſtophane igitur Grammatico in linguis non malè dictum fuerit, κοκκομῆλα nominata fuiſſe apud Lacones Oxymala Perſica, ſiue mala acetoſa Perſica: Verùm cùm addit, à quibuſdam Adrya eadem vocari; maximam mihi mouet ſuſpicionem, hæc nomina non bene ab ipſo fuiſſe diſtincta. Nam videtur de prunis agere, quæ ἀκρόδρυα etiam dicuntur, & ſyncoptôs ἄδρυα, nec non & μάδρυα, quaſi μολόδρυα: quæ nomina cùm antea Brabylis ſiue prunis ſint tributa; vereor ne parũ ad medica mala faciant, quæ hic ab Athenæo dicũtur. Sed relinquamus has tricas, quibus veteres implicitos videmus: id quæramus, an Perſica, ſiue Medica, ſiue Aſſyria, ſiue, vt pòſt dicta ſunt, Citria eadem ſint cum Heſperidum malis, an diuerſa. Iuba Mauritaniæ rex in iis quæ de Libya ſcripſit, Citria ait Heſperica mala ab Afris vocari, & inde Herculem aurea mala in Græciam tuliſſe, nomine colorem ſecuto. Hunc quidam audiendum negant, aſſerentes Citrij nomen apud veteres non reperiri; quod & Galenus videtur indicare; deſcribi tamen arborem à Theophraſto ſub mali Perſicæ ſiue Medicæ nomine, quæ necdum ea tempeſtate patriam ſuam egreſſa eſſet: Tantum abeſt, vt inſigni errore carere ea putem, quæ neſcio quam ad Bacchum de Coccymalis & Oxymalis Perſicis Atheneus adduxit. Cùm igitur doctiſſimus Theophraſtus Medica mala quàm optimè libro quarto, vt vidiſſe vos nihil dubito, depinxerit, nec Heſperidum, nec aureorum fecerit mentionem malorum, nec dixerit Græciæ iam olim ab Hercule illata: non poſſum mihi perſuadere, vera ea eſſe quæ multo pòſt Iuba commentus eſt. Quòd ſi vel minima ſuſpicione tactus fuiſſet, hæc ea eſſe mala, quæ Heſperidum & aurea dicuntur; non opinor tam nobilem apud Græcos fabulam ſilentio tranſiiſſet. Verùm vt me expediam, ſuffragium colophonium adducam Theophraſto prorſus conſenſurum. Virgi-

Heſperidum mala. *Perſicum malum. Med. cum malum.* *Coccomala. Oxymala.* *Citriũ malũ.*

Virgilius, dum quæ ſingulis regionibus peculiaria ſint & prorſus ſua, hanc arborem vti Medorum propriam & Italiæ necdum illatam, depingit:

Media fert triſtes ſuccos tardúmque ſaporem
Felicis mali, quo non præſentius vllum,
Pocula ſiquando ſæuæ infecere nouercæ,
Miſcuerúntque herbas, & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbos, faciémque ſimillima lauro,
Et ſi non alium latè iactaret odorem,
Laurus erat; folia haud vllis labentia ventis;
Flos apprima tenax: animas & olentia Medi
Ora fouent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

Seruius auctoritate Appuleij de arboribus ſcribentis, eò propenſus eſt, vt hanc arborem quæ hîc deſcribitur, Citrum eſſe neget: quod cur faciat, non video: cùm Theophraſti & Virgilij deſcriptio egregiè conſentiant & inter ſe & cum malis noſtris Citriis. Probus nimis ineptè Rhododaphnen hîc deſcribi credidit. Miror ſanè tum huius ſupinũ iudicium, & ab omnibus medicorum pueris deridendum; tum illius aut vecordiam, quòd potius Appuleio, quàm Plinio acceſſerit; aut negligentiam, quòd huius libros inſpicere non curarit, in quibus claris verbis expreſſum eſt, Citrium à Græcis malum medicum vocari. Video etiam in tardo ſapore Grammaticos valde tardos eſſe, nec ſat poëtæ acumen aſſecutos. Ego ſic locum intelligo, vt putem Virgilium cum arbore expoſtulare, quòd tam felix malum, & tot dotibus nobile, tam tardè Romanis dederit guſtandum. Sit igitur hoc nobis firmum, Medicum ſiue Perſicum Græcorum malum à Theophraſto & Virgilio bene depictum, Citrium malum Romanis vocatum fuiſſe, de Plinij & Galeni grauiſſimorum teſtium auctoritate: quicquid interim vel Seruius, vel eius dux Appuleius obganniat. His accedit & Pamphilus in linguis illud quidem bene teſtatus, apud Romanos Citrum vocari; ſed in eo pariter cum Iuba ſeductus à veritate, quòd idem Heſperidum malum putarit: quod equidem prorſus nego; quoniam nec Theophraſtus diligentiſſimus Medicæ mali delineator, nec Virgilius hunc imitatus; tam antiquam pomi huius nobilitatem vllo modo ſubticuiſſet, ſi hoc aureum Herculis malum apud poëtas celebratum exiſtimaſſet. Elegantiſſimus hic poëta cùm nuſquam non diuina reconditæ eruditionis oracula promens vbique ſui ſimilis ſit, tum in illa Eclogæ parte minimè dormitauit:

DA. *Malo me Galatea petit, laſciua puella;*
Et fugit ad ſalices: ſed ſe cupit antè videri.
Et iterum:
ME. *Quod potui, puero ſilueſtri ex arbore lecta*
Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

Quis hîc vlterius tergiuerſandi locus iis qui negant, alia aurea, alia Medica eſſe? Aurea mala decem legit ex arbore; Medica ſcilicet, quæ ne in ipſis quidem Auguſti hortis tum temporis creſcebant? Minimè gentium. Nec hoc erat paſtoris, illa magnis ſumptibus è Perſia aduecta de bulga ſua comparare; nec ipſe paſtor, vt tale quippiam ſuſpicemur, locum vllum relinquit, dum dicit, ſe aurea poma nec emiſſe, nec è culta aut domeſtica, ſed ſilueſtri arbore legiſſe. Quæ igitur erunt aurea hæc mala quæ pauperrimus Menalcas cum magna attenuatione muneris ad amores ſuos mittit; primũ dicẽs, *Quod potui*; deinde addens, *ſilueſtri ex arbore lecta*; vt ſibi nihil proprium, nihilque ſuum oſtenderet: poſtremò, vilis & ſilueſtris muneris, quod numerari non merebatur, numerum exprimens, vnà confeſſus paruum illum quidem eſſe in tam nihili dono; ſed ſe cras hodiernam penuriam alteris decem compenſaturum? Quî, rogo, hæc quadrant cum Citrio, quod necdum guſtum ſui Romanis dederat? Melius ominemur, quàm poëtam tam decori immemorem fuiſſe, vt decem Citria pauperrimus paſtor & mittat, & vile munus eſſe fateatur; cùm eo tempore vel tria à primario homine non ruris, ſed ciuitatis Romanæ ipſi Auguſto gratiſſimi muneris loco dari potuiſſent. Quid quòd ne Claudij adhuc tempore in Italia Citrus coleretur, Columella alioqui tradituro, quipam ſerenda tractandaque eſſet. Martialis multo pòſt eam de hac dote celebrauit, *Aurea mala.*

quòd in Aſſyria pomis numquam careret; quod ita eſſe, Palladius dicit ſe pòſt in Sardiano & Neapolitano fundis ſuis deprehendiſſe, ceu rem in Italia & locis vicinis non antè viſam. Quamobrem ne id quidem mihi Democritus, quiſquis is fuerit dipnoſophiſta, perſuaſerit, Antiphanem veterem Comœdiarum ſcriptorem in Bœotio ſuo de Citrio malo eſſe intelligendum, dum Baiotum ſuum amatorem, vt equidem coniicio, ſic introducit puellæ loquentem:

Καὶ περὶ μὲν ὄψου γ' ἠλίθιον τὸ καὶ λέγειν,
ὥσπερ πρὸς ἀπλήστους, ἀλλὰ ταυτὶ λάμβανε,
παρθένε τὰ μῆλα καλάγε, καλὰ δῆτ' ὦ θεοὶ.
νεωστὶ γὰρ τὸ σπέρμα τοῦτ' ἀφιγμένον,
εἰς τὰς ἀθήνας ἐστὶ παρὰ τοῦ βασιλέως·
παρ' ἑσπερίδων ὤμην γε νὴ τὴν φωσφόρον,
φασὶν τὰ χρυσᾶ μῆλα ταῦτ' εἶναι· τρία
μόν' ἐστιν ὀλίγον τὸ καλὸν ἐστι πανταχοῦ
καὶ τίμιον.

In his vertendis Natalis in ipſo ſtatim limine impegiſſe videtur. ſed is, vt velit; nos ſic ex tempore:

Sit ſanè ineptum vel loqui de opſonio,
Ceu cum heluone ſermo ſit: ſed accipe
Hæc virgo mala pulcra, pulcra per deos.
Non pridem Athenas miſit hæc rex ſemina:
Genus puto Heſperidum, per aſtrum Cypridis,
Eſſe aurea hæc dicunt. Tria at tantum modò
Sunt pulcra, rara, rara vbique gentium,
Pretiiq́; magni.

Hos verſus Eriphus non tam vt ſuos faceret, repetiuiſſe videtur, ſuis quibuſdam additis, quàm vt trium pomorum donum ab Antiphane inductum derideret. Neque indicare videtur, Medica poma à Bœotio amicæ ſuæ data; cùm vix oboli faciat. At pluris fuiſſent tria citria tum temporis Athenis, quàm triginta oboli; & fortaſſe pluris, quàm triginta drachmæ. Deinde mox liquet ex comparatione Granatorum quæ Eriphus aureis Heſperidum malis opponit, minimè vel ab Antiphane vel ab Eripho de Citriis fuiſſe cogitatum; ſed de viliore aliquo genere, quàm ſint mala punica. Quod ſi rectè quis conſideret quæ ab vtroque dicta ſint; videbit, ni fallor, Melibœam nihili aurea poma facere; & ea quæ de aureis pomis à Venere in Cypro plantatis ferebantur, ad punica mala detorſiſſe. Sed valeat Eriphus cum ſua ruſtica Melibœa, quæ Dianam à virorum conſortio alienam, quàm Veneris ſidus iurare mauult: ex quo ſolo perſpici poteſt, omnia ea quæ Veneris ſunt, ab ea contemni, & vix obolaria cenſeri. Ego aliter longè Antiphanem, quàm Dipnoſophiſta intelligens, aio, elegantiſſimè & ingenioſiſſimè eum in tribus aureis pomis verſatum eſſe; tum quod ad numerum ſpectat, tum etiam quòd eorum ſemen dicat non ita dudum à rege Athenas miſſum eſſe. Ternarium enim amoris vinculo conuenire, Virgilius etiam nouit; & multo ante omnes & Latinos & Græcos ipſe Salomon funiculum triplicem dicens difficilius rumpi. Iam poma Veneri ſacra eſſe, & ea quidem Cydonia de quibus Comicus agit, mox apertum reddam. Quo autem Bœotius ruſticum & exile munus magis commendaret; addidit, non de vulgari Cotoneorum genere hæc mala eſſe; ſed omnium longè pulcerrima; & quo pluris fiant, ſemen allatum dicit è Perſia: quod mirum non eſt, cùm hodie quoque Cydoneorum ea præſtantiſſima ſint & maxima, quorum ſemen ex Luſitania vſque ad nos affertur. Porrò quòd à Rege dicat ſemen veniſſe amarulentum, habet criminationē in Athenienſes neſcio quos, qui regiis pecuniis quas per aurea mala indicat, ſe ſinerent corrumpi. Nihil igitur minus hìc cogitatum eſt, quàm de Medica malo: potius cogitatum eſt de auro Perſico, quo Græci ſe non raró allici ſinebant, vt Perſarum magis rebus, quàm patriæ ſuæ ſtuderent: quod vt ſalsè admodum à Comico obliquis verbis & aureorum malorum mentione notatum eſt; ita parum bene ab eo animaduerſum, qui collegit poma hæc Citrea fuiſſe ex eo quòd ſemen è ditione regis fuiſſet allatum. Certè ſi Antiphanis iam ætate arbor in Attica fuiſſet, idq́; tam communiter, vt

Ternarius numerus amoris vinculo conuenit. Cydonia mala Veneri ſacra.

niter, vt

niter, vt etiam Bœotius inde poma haberet; multo prius ad Romanos, quàm Virgilius naſceretur, veniſſet: nec Theophraſtus verè dixiſſet, Malum Medicam ſua adhuc ætate Mediæ & Perſidi eſſe peculiarem; nec opera ſua dignum exiſtimaſſet, tam diligentem eius dare delineationem, quæ multo antè beneficio cuiuſquam Perſarum Regis in Græciam fuiſſet tranſlata. Hæc pluribus quàm vellem. Sed quid facerem? Antiphanes mihi videbatur defenſionem implorare contra eos qui huius tam falſæ aſſertionis facerent teſtē & patronum. Quæ verò mala dederit intelligenda, ipſa Melibœa ſatis indicauit, dum errore virgini ruſticæ non indecoro, Punica mala à Venere in Cypro conſita fuiſſe dicit: quæ fabula non ad Punica mala, ſed ad Cydonia pertinebat; de quibus Ouidius Metamorph. libro decimo ipſam Venerem ſic loquentem adducit:

Eſt ager, indigenæ Damaſenum nomine dicunt,
Telluris Cypriæ pars optima, quam mihi priſci
Sacrauere ſenes, templisq́; accedere dotem
Hanc iuſſere meis: medio nitet arbor in aruo
Fulua comas, fuluo ramis crepitantibus auro:
Hinc tria fortè mea veniens decerpta ferebam
Aurea poma manu.

Hæc ait ſe Hippomeni dediſſe, quo Atalantæ obiecta & curſum demorarentur, & amoris darent incitamentum. Theocritus tertio Idyllio idem expreſſit:

Ἱππομένης ὄκα δὴ τὰν παρθένον ἤθελε γᾶμαι,
Μᾶλα ἐν χερσὶν ἑλὼν δρόμον ἄνυεν· ἁδ᾽ ἀταλάντα
Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλλετ᾽ ἔρωτα.

Hæc nec pari elegantia nec pari gratia Latinè, ſed eadem dicam breuitate:

Hippomenes cupiens Atalantam inducere lecto,
Mala volis ſumens curſum perfecit: at illa
Vt videt, vt furit, vt altum rapta eſt in amorem.

Quæ nam hæc Atalanta fuerit, magna eſt inter poëtas & eorum interpretes quæſtio. *Atalanta.* Theocriti interpres & plerique alij geminam faciunt; alteram Arcadicam, Iaſi; alteram Bœotam, Schœnei filiam: & hanc Hippomeni dant vxorem, illam Melanyoni. Meminit huius controuerſiæ inter ceteros Apollodorus, ſed lite pendente diſceſſit. Ælianus, Arcadicam non ſolùm ſagittis, ſed & pedibus plurimum valuiſſe, ſatis oſtendit; dum velocitatem eius aſtrorum cadentiũ & fulminis celeritati comparauit. Theocritus hoc loco videtur indicare, Hippomenem & Melanyonem eundem fuiſſe, nomen poſterius per illud, μῆλα ἑλὼν δρόμον ἄνυεν, quaſi diceret, Hippomenes inde Melanyon dictus eſt, quòd μήλῳ ἀνύει, quod ceteri perficere nequiuerunt. Nomen itaque alterum de victoria datum apud poëtas induxit confuſionem. Sed hæc propter viam. *Hippomenes. Melanyon.* Videmus itaque in Græcia nulla vmquam ætate, poſt ſaltem quàm Hercules Heſperidum hortos ſpoliaſſet, aurea mala defuiſſe; cùm tamen Medicæ mali ante Theophraſtum nullus vmquam meminiſſe videatur. Quæ igitur aurea mala ſint, ex Plinio diſcamus, qui inter Cydonia ea Chrymela vocat, quæ aureo colore ceteris præſtant: *Chrymela.* quod numquam ſcripſiſſet, ſi Citria, quæ & ipſe & ceteri Romani iam cognoſcebant, Chryſomela, ſiue aurea mala apud veteres fuiſſe, exiſtimaſſet. *Chryſomela.* Quamuis verò ex his ſatis perſpicuum eſſe puto, Cydoniorum genus illud quod aureo colore maximè eſt inſigne, aurea mala eſſe, & idcirco etiam mala Heſperidum: oſtendam tamen quid Propertius de Virgilij aureis malis ſenſerit; cuius iudicio qui ſtare nolet, is cadat in quot volet errores. Eius ad Lynceen. hi ſunt verſus celeberrimi: *Cydonia mala aureo colore inſignia, Aurea & Heſperidum mala ſunt.*

Cedite Romani ſcriptores, cedite Graij,
Neſcio quid maius naſcitur Iliade:
Tu canis vmbroſi ſubter pineta Galeſi
Thyrſin, & attritis Daphnin arundinibus:
Vtq́; decem poſſent corrumpere mala puellam,
Miſſus & impreſſus hædus ab vberibus.
Felix qui viles pomis mercaris amores.

Quis hic non videt, vilia poma fuiſſe, quæ aurea Virgilius vocauit, minimè verò ex Aſſyria vſque & Media magnis ſumptibus aduecta. Non eſſe autem Scandiana, aut

Mattiana,

Mattiana,aut Melimela, idem in eo carmine quo in auaritiam puellarum ſui temporis inuehitur, ita clarè demonſtrat, vt nullam tergiuerſationem vel obſtinatiſſimo aduerſario relinquat:

Felix agreſtum quondam pacata iuuentus,
Diuitiæ quorum meſſis & arbor erant.
Illis pompa fuit, decuſſa Cydonia ramo,
Et dare puniceis plena caniſtra roſis.

Succinat Propertio Palladius, qui vno verbo litem dirimet:

Cùm præſtet cunctis ſe fulua Cydonia pomis,
Alterius nullo creditur hoſpitio.
Roboris externi librum aſpernata ſuperbit,
Scit tantum nullo creſcere poſſe decus.

Videmus hîc fuluam Cydoniam propter poma vocatam: videmus ſuperbiam & decus auri: quid reliquum eſt, vt non tota aurea dicatur? Nolo nunc prolixius morari in errore hoc eradicando; ad quem tollendũ, vel ſolus Plinius ſatis grauis auctor eſſe debebat; quem tamen in eadem ſententia Columella præceſſerat, tria æquè ac ipſe Cydoniorum genera tradens. His igitur auctoribus qui necdum credet, aurea Heſperidum mala, magnum Herculis inter cetera ornamentum, Cotonea mala eſſe; eum dignum iudico, quem Pomona ſolis plumbeis Nomentanorum malis paſcat, nec vmquam aurea cognoſcat. Iubam igitur iubebimus Afris ſuis narrare, Heſperidũ mala & Citria eadem eſſe; nec ſinemus nos tam longè à veritate detrahi, quàm Hanno conterraneus eius nauigauit. Poterant quidem & huc ea adduci quæ in Herculis quibuſdam ſtatuis poma viſuntur: ſed quia non in omnibus eadem eſt malorum forma, malui hoc nobis in re manifeſta argumentum deeſſe, quàm ex obſcuro iudicio rationibus clariſſimis tenebrarum aliquid offundi. Verùm quàm Virgilius bene docteque de Heſperidum malis, ſiue aureis, ſenſit; tam rectè ea amatoris munus fecit; in eo & Antiphanem, & Theocriti non vnum locum, & quamplurimos alios poëtas ſecutus; quorum de ſcriptis non obſcurè quiuis intelligit, poma Veneri donum eſſe gratiſſimum. Quis neſcit, Paridis iudicio, Eridos pomum Veneri datum; & eam hac cauſſa victricem vocari. Eadem è pomea Dionyſij corona mala decerpſit, quibus ad amores conciliandos vteretur. hinc Philetas:

Cotonea mala, aurea Heſperidũ mala ſunt.

Poma Veneri donum gratiſſimum.

τὰ οἵ ποτε κύπρις ἑλοῖσα
μῆλα Διωνύσου δῶκεν ἀπὸ κεστάφων.

Qua de cauſſa Theocritus Mindio ſuo amatori poma ad Simetham dedit ferenda:

μᾶλα μὲν ἐν κόλποισι Διωνύσοιο φυλάσσων.

Hinc & illud quod modò ex eodem adduxi:

παρὰ πλευρῆσι δὲ μᾶλα.

Ad quem locum interpres malum Veneri ſacrum dicit; & idcirco ad latera quibus contigua ſedes eſt illius animæ quam ſub phrenibus Plato collocauit, quamque maximè Venereos ludos vigere oportet, reliquis duabus partibus otioſis. Hinc & illud apud Euſtathium, neſcio an ex Anacreonte:

μῆλα ἔρωτες ἴδου τρυγῶσι.

Et illud Ariſtophanis ex Nephelis:

μήλῳ ὑπὸ πορνιδίου βληθεὶς. Quamobrem non otioſè ab Homero factum, quod in Phęacum hortis dixit μηλέας ἀγλαοκάρπους, pulcritudinem nimirum malis propriam eſſe ratus & peculiarem; & idcirco malum à Paride datum pulcerrimæ. Quòd verò non generatim quæuis mala æquè Veneri grata fuerint, ſed Cydonia præ ceteris omnibus, Steſichorus ſatis indicat in Helena, vbi commemorat, in regis currum inter myrti folia & roſarum violarumque corollas, multa quoque Cydonia coniecta fuiſſe. Plura poſſent adferri de Græcis, quibus mala Veneri ſacra, non alia, quàm Cotonea, eſſe docerentur. Verùm ne ſim prolixior, pro multis vnum adferam Antiphili epigramma, quo Struthion ad Venerem ſuam miſſum ad hunc fecit loqui modum:

Cydonia mala præ ceteris Veneri grata.

μῆλον ἐγὼ στρούθειον ἀφ' ὁπλοτέρης ἔτι ποίης
ὥριον ἐν νεαρῷ χερσὶ φυλασσόμενον·

ἄσπιλον,

ἄσπιλον, ἀῤῥυτίδωτον ἰσόχνοον ἀρτιγόνοισιν,
ἀκμαῖον δ' ὑπὸ πετάλοις συμφυὲς ἀκρέμοσι.
ὥρης χειμερίνης σπάνιον γέρας, εἰς σὲ δ' ἄνασσαν,
τοίῳ χ' ὡνιφόεις κρυμὸς ὀπωροφορεῖ.

quod nos, etſi non pueri gratia, Latinum tamen faciemus:

Malum ego Struthion maturum gramine molli
Seruatum, integrum corpus adhuc retinens.
Haud naui, haud rugæ, par eſt lanugo recenti,
Frondoſo in ramo me vigor vſque tenet.
Rarum hiemis donum, ſed tali bruma vel ipſa
Reginæ in gelidis poma ferat niuibus.

Inter cetera lanuginem ſuam adhuc recentem Venereum hoc malum commendat, quam Zonas etiam in epigrammate quodam vti pomo decoram laudauit, dicens:

ἀρτίχνοον τὸ δὲ μῆλον.

Nec Philippus item eam neglexit, ſic canens in quodam hortulani cuiuſpiam anathemate:

μῆλον δ' ἡδύπνουν λεπτῇ πεποκωμένον ἄχνῃ. id eſt,
Malum & odoriferum, & tenui lanugine tectum.

Optime igitur Virgilius vt omnia Veneris poma cana dixit, id eſt, alba lanugine veſtita: *Veneris poma cana.*

Ipſe ego cana legam tenera lanugine mala.

In Saxonum hiſtoria legitur, Veneris in ipſorum regione ſimulacrum fuiſſe, cuius ſiniſtra tria aurea poma teneret; quæ res cum Cypria malo ab Ouidio deſcripta egregiè conſentit: Gyraldus narrat, à ſe & Cœlio ſuo Imperatoris Numeriani numiſma viſum, in cuius auerſa parte ſtolata mulier victoriolam dextra tenebat, ſiniſtra triangulum æquilaterum, in cuius ſummo apice paruus circulus ſtabat cum inſcriptione, VENERI VICTRICI. Hoc paruo circulo Cœlius vmbilicum, Gyraldus ſpeculum ſignari putabat. Ego vix dubito, quin triangulus & ternarius malorum in Venere Saxonica idem notarit; & circulus nihil aliud ſignificarit, quàm rotundum pomum, quod trianguli veluti pyramidis è quatuor triangularibus faciebus primum conſtitutæ faſtidium coronaret. Siue enim ternarium tribus pomis, ſiue tribus lineis vnam pomi figuram ſuſtinentibus indices; eòdem res tendere videtur. Aliud eſt quod credo vos expectare. Sed fruſtrà, niſi quis Deus ex inopinato adſit. Vultis vt dicam, vnde Cydonia & Citria nomina ſua ſortita ſint; cùm nec Græca nec Latina videantur? Nam quòd Cydonia à Cydone Cretæ vrbe deriuent, id faciunt non tam quòd ita ſit, quàm quòd, niſi id ex alluſione vocum inueniſſent, nihil haberent quò nomen referrent. Quòd ſi à Cydone nomen traxiſſent, nemo, puto, id melius ſcire potuiſſet, quàm ipſi Cretenſes. At hi hæc poma non Cydonia, ſed Codymala vocant, nihil minus quàm ad Cydonem alludentes; tantum abeſt, vt inde credant nominanda. cuius rei teſtis eſt Hermon in linguis Creticis. Apollodorus item & Soſibius Codymali nomine Cydonium intelligunt: quod cùm non faciant de communi vſu loquendi; neceſſe eſt de Cretica conſuetudine ſtatuiſſe, iuxta Hermonis interpretationem. Nec Veneris apud Ouidium narrationi conuenit, aurea mala primùm è Cydone Cretica veniſſe. Mihi ridiculum quiddam in mentem venit, quod vix auſim omnino proloqui, niſi Socratis pallio mihi frontem obuoluatis. FLEMING. Tu tibi frontem perfrica: nihil eſt in verbis flagitij. Si quid mali, id in rebus eſt, non in rerum notis. Et eſt alioquin abſurdum, medicũ pudore ſuffundi. De nobis nihil ſis ſollicitus. GOROP. Scitis, opinor, Allemanis malum hoc Kutte vocari; & eodem nomine apud nos membrũ muliebre intelligi. Qua de cauſſa maiores noſtri, ne pomũ dicentes, alterum illud nominaſſe viderentur; vocabulum mutilarunt, altera ſyllaba ex u vocali conſonante facta, vt pro Cutte ſit Que, C in Q ante V conſonantem ſemper tranſeunte. Ex hac tamen abbreuiatione id diſcimus, e in Cutte longũ eſſe debere, ſi pomũ notetur; breue verò, ſi pro membro dicatur, quia tum Te paragogicũ dũtaxat habeatur: Ee verò firmum ſignificat, & propterea etiam legitimum connubium quod firmum eſſe debet. Malum ergo nomen accepit ab vſu eo quo pomum hoc puellæ dabatur, veluti teſſera

Cydonium malum vnde dictum. *Codymala.* Kutte. Cutte. Que-appel Te. Ee.

 firmi

firmi nexus cum membro ipſius ſanciendi; quod adamuſſim Cut-ee, & ad pleniorem ſonum Cuttee nobis ſignificat; quod Latinis diceretur legitimum cum cunno connubium. Quicquid igitur de Veneris malis apud antiquos legimus, id ad Cotonea mala eſt referendum; qua de cauſſa doctiſſimè Virgilius Cana mala amoris teſſeram fecit & in eo:

Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

Hos duos Theocriti verſus quos eſt imitatus, longè ſuperauit:

ἠνὶ δέ τοι δέκα μᾶλα φέρω τηνῶ ὦδε καθεῖλον,
ὧ μ' ἐκέλευ καθελεῖν τυ, καὶ αὔριον ἄλλα τοι οἰσῶ.

quos, verbum de verbo, ſic reddere poſſemus:

En tibi mala decem porto; illinc carpſi, vbi tu me
Carpere iuſſiſti: tibi cras mox altera porto.

μηλοβολεῖν. Μηλοβολεῖν igitur apud Græcos, non, vt vulgus Grammaticorum opinatur, à quouis malo traxit originem; ſed à Cotoneo, vt poëta Latinus omnis eruditionis antiquæ theſaurus indicauit. Quod igitur Ariſtophanes dixit, *μήλῳ βληθεὶς*, id eſt, pomo impetitus; & Theocritus:

βάλλει μὲν μήλοισι τὸν αἰπόλον ἁ κλεαρίστα.

Et iterum:

βάλλει τοι πολύφημε τὸ ποίμνιον ἁ γαλάτεια μάλοισιν.

eſt ille quidem ſimpliciter imitatus ad hunc modum:

Malo me Galatea petit, laſciua puella.

Sed quod malum intelligi voluerit, tum expreſſit, dum cana mala, & aurea, ad idem ſymbolum adduxit; quod hi quos ſecutus eſt, non indicarunt. Iam veram etiam antiqui nominis, quo & olim Cydonium vocatum fuit, & hactenus à nobis vocatur, interpretationem ita ob oculos poſuit, vt melius non poſſet, tametſi linguæ noſtræ peritus fuiſſet. Quid enim hoc eſt: *ſed ſe cupit antè videri*: niſi illud ipſum, quod dixi, cunni connubium priſca voce ſignificatum?

Verum video mihi obiici poſſe; quî fiat, vt nobis nulla huius ſymboli memoria extet, ſi noſtrati vocabulo tota eius ratio cõtinetur? At ego aio, minime oblitteratam eſſe, licet omnium vernaculi ſermonis cauſſarum tanta ſit, non apud plebem modò, ſed apud doctiſſimos etiam quoſque imperitia, vt me vel Archæomanem vel Blitomaniam videam nominandum, ſi quid horum ad delicatas ipſorum aures deferatur. Nobis in
Quein. frequenti vſu eſt Quein/ ſed numquam niſi pro conuicio detritæ alicui mulierculæ obiici conſueto. Angli idem vocabulum pro ſcorto vſurpant; nec quicquam eſt apud eos magis tritum. Eius hæc eſt origo. Quee quid ſignificet, modò dixi: quod licet honeſtè olim fuerit acceptum, praui tamen hominum mores ad turpitudinem traduxerunt, ita vt nihil aliud dici videretur, quàm illa maris & feminæ coniunctio, quæ non legitimo ritu, ſed ſolius partis prurientis firmitate & iuramento teneretur: ad quam ſane rationem illud puto pertinere, *Sed ſe cupit antè videri*. & illud; *βληθεὶς μήλῳ ὑπὸ πορνιδίου*.
Quee-in. Qua via nomen eſt inuentum Quee-in illi feminæ denotandæ, quæ nullius memor honeſtatis, totam ſeſe ad eiuſmodi congreſſus comparauit, non diutius vnius futura, quàm hac parte ſui ſit alligata. Ex Queein diſſyllabo ad eam formulam facto, quo Feminina apud nos à Maſculinis deriuantur, monoſyllabum Quein ortum eſt, in quo prior pars diphthongi ſonum priorem ſeruat; qui ſi negligatur, minimo diſcrimine fiet vt Reginæ & Scorti nomen idem euadat apud Britannos: qua in re non pauci exteri, dum linguam bene pronuntiare necdum poſſunt, turpiſſime ſæpè labuntur. Diſcant igitur Angli nominis ſui rationem; & diſcant noſtrates ſeipſos intelligere, dum mulierculam quampiam per conuicium Quein appellant. An hic nõ videmus clariſſima indicia, Cotoneum apud nos quoque eiuſdẽ rei, cuius apud Græcos, ſymbolũ fuiſſe, ſi ex eius quidẽ nomine vile ſcortũ hactenus nominetur? Ego ſane nihil video manifeſtius teneri poſſe.

FALKENB. Neque ego quicquam amplius hic deſidero; nec committere poſſum, vt non Theocriti nomine, hominis mihi, vt ſcis, familiariſſimi, maximas gratias agam, quod tam inſignem malorum dederis interpretationem. Neque item indignè fero, in quibuſdam Virgilium eruditione multo fuiſſe ſuperiorem; ſi viciſſim hoc mihi des, non paucis etiam locis Siculum fuiſſe ſuauiorem: deinde facilius eſſe, quæ ab aliis bene inuenta

uenta ſunt,eá ornamentis hinc inde conquiſitis reddere comptiora & illuſtriora,quàm eadem primùm inuenire.

Sed quando iam ſatis de noſtrati voce conſtat; vellem Græcam quoq. & Latinam ad natales ſuos reduci. GOROP. Id non erit difficile, his iam ad veritatem gradibus extructis. Quod nobis breuitatis ſtudioſiſſimis per monoſyllabum dicitur, id prolixius apud Latinos quidem & Græcos, ſed ex eadem origine nominatur. Nam Cot-doen-ee/ idem eſt quod cunno facio iuramentum, vnde Cotoneum Latinis, & Græcis Cydonium vocatur. Hæc plana ſunt, & minimè diſtracta, aut collo obtorto ad nominum rationem compulſa: interim tamen id nobis clarè demonſtrantia, quod veterum doctiſſimus quiſque de Cydoniis prodit. FLEMING. Non poſſum ſatis demirari hanc rerum & vocum catenam, qua ad has antiquitates magis trahi, quàm duci videris: nec video vtrum magis admirer ſollertiam ne inuentionis,an perpetuam omnium inter ſe rerum vocumque conſonantiam, citra quam difficillimè mihi noua hæc monſtra probares,quæ, velut Hercules Cerberum, primus in lucem protraxiſti. Verùm hæc quæ de Cydoneis malis dicta ſunt, non ante integram mihi lucem habere videbuntur, quàm nos docueris, qua de cauſſa Cydonia vetuſtiſſimi illi patres Veneri conſecrarint, & id quidem tam inhoneſta nuncupatione? GOROP. Quo rogo nomine hanc partem corporis vocaſſent? Des licet ſexcenta nomina, an non omnia eandem rem ſignabunt? & ſi idem ſignent, quare aliud alio erit vel honeſtius vel inhoneſtius? Scimus loquendi vſum in rebus eius generis impropriis & tranſlatis vocibus, quàm propriis magis gaudere: quibus ſi non aliud ſignificant; quî fit,vt honeſtius dicantur locuti, quàm ſi propriis vſi fuiſſent? Medici & naturalis philoſophiæ periti, dum de naturalibus hominis partibus diſſerunt per voces, vt Ariſtoteles vult, rerum proprias; num fortaſſe peccare dicentur? In animo omnis eſt turpitudo, non in rebus, non in vocabulis. Ille ſi laboret, facillime offenditur: ſi integer eſt, nihil læditur; immo ſolida rerum notitia, & earum propria nomenclatura, optimus eius eſt paſtus & verum alimentum. Cut ſi conuertas, mox intelliges, quid huic membro ſit gratiſſimum, quidque ſibi fieri maximè deſideret. Quorſum igitur aliam vocem quæremus,quæ non æquè naturam eius exprimere poſſit, & ſit tamen nihilominus pro eodem intelligenda? Et hoc quidem de voce. Iam videndum an honeſtæ Veneri, an inhoneſtæ hoc vocabulo mala nuncuparint. Honeſtæ profectò; cùm iuramenti & legitimi connubij voces habeant ſignificationem, quibus ipſa mala nuncupantur. Neque ceteroqui Venus arborem hanc ſuam in Cypro, tamquam dotem ſuam, iactaſſet; nec mala in Regis currum Steſichorus coniecta fuiſſe commemoraret; nec Pallas de pomo in certamen veniſſet. Iam & Arabius elegantiſſimo Epigrammate ſententiam noſtram confirmauit; quod veluti triarium quoddam robur ad ipſa ſigna collocabo.

Cotoneũ malum vnde dictum.

Cydonia mala quare Veneri conſecrata.

Cut.

Cut.

Ἕδνα γάμων ἔῤῥιπτες ἢ ἀμβολίην ταχυτῆτος
Τοῦτο γέρας κούρῃ χρύσεον ἱππόμενες;
Ἄμφω μῆλον ἄνυσεν, ἐπεὶ καὶ παρθένον ὁρμῇ
Εἶργεν, καὶ ζυγίης σύμβολον ἦν παφίης.

Aurea dona iacis, quo ſint ſponſalia, an vt ſint
Pernicis remoræ virginis Hippomenes?
Malum ambo expediit, prohibens hinc impetum; & inde
Se monſtrans Veneris teſſerulam eſſe Iugæ.

Alij Iunonem Zygiam ſiue Iugam vocarunt, à qua vicus ſub rupe Tarpeia in forum tendens, Iugarij nomen accepit. Hîc noſter poëta Venerem hac nomenclatura dignatus eſt, cui vincla iugalia, non minus quàm ipſi Iunoni, curæ eſſe ſcimus. Quamobrem clarè iam videmus, mala Veneris pudicæ ſymbolum principio fuiſſe: quamuis poſtea corrupti hominum mores eo cœperint abuti, vt ferè in omnibus ritibus rectè inſtitutis accidere videmus. Quid quòd ipſa Tellus, fecunda omnium mater, mala aurea pro nuptialibus donis Ioui & Iunoni matrimonium contrahentibus protulerit, vt in Ægyptiacis ſuis Aſclepiades prodit. Quis igitur non fateatur, ad caſtos amores hanc teſſeram pertinere, quæ ſummis Diis data fuerit, tamquam præclarum thalami iugalis honorarium? Sed quò plura adfero teſtimonia? Vnum inſtar erit plurimorum, ab ipſa Hermathena optima omnis ſapientiæ & antiquitatis interprete petitum. Quemadmodum

Iugarius vicus.

Iuga Iuno, iuga Venus.

dum Cotonea claram habent in Cimbrico ſermone ſignificationem; ita non paul-
Struthia mala. lo clariorem ipſa Struthia, quæ ſtatim linguæ noſtræ peritis indicant, ſeſe ad connubia
promouenda, lætóque ſucceſſu augenda, pertinere: quod ſi verum eſt, vt eſt veriſſi-
mum; quid vltrà impedimenti adferetur, vt non conſtanter aſſeramus, in legitimo ma-
Trou. trimonio ambiendo, hoc malorum genus, teſſeræ loco fuiſſe? Trou idem eſt quod con-
Dien ſiue Dyen. nubio iungo: Dien eſt augeri, promoueri, & ad bonam frugem peruenire. Hinc Strouſ-
dien quid aliud erit, quàm ipſius matrimonij felix auctus & promotio? Nolo vos mo-
S/ pro Des/ articulus genitiui caſus. nere, à Trou/ in genitiuo fieri Strous; ſicut à Man/ Smans/ articulo per ſyncopen adie-
cto, loco Des Trous/ & des Mans/ formula vt ſatis nobis vſitatiſſima; propterea quòd
ſit aptiſſima ad ſermonis breuitatem, quam perpetuò affectamus: ita vt nihil aliud ſit
Strousdien/ quàm ipſius coniugij ad bonam frugem incrementum. Iam ex ſibilo & lit-
tera media in compoſitione concurrentibus, quid mirum, ſi facta ſit littera aſpirata,
qua poſita cum terminatione Græca ex Strous dien fit Strouthion pænultima longa, vt
eam Antiphilus in Epigrammate modò recitato dimenſus eſt. At ſiquis diceret, à
στρουθὸς. Græcorum voce στρουθὸς Struthion deriuari; eum ego interrogabo, vnde Strou-
thos nomen acceperit? ad quam quæſtionem ſcio æquè mutum fore, atque is eſt
qui Græcis etymologicon ſcripſit. Nos ex perpetua vocum rerumque cognatione cer-
nimus, ex eadem cauſſa & malo & paſſerculo nomen datum eſſe. Sicut enim pomum,
Paſſer, Veneris iugalis ſymbolum. ita & paſſer Veneris iugalis ſymbolum gerit: atque idcirco Strous-doot/ id eſt mors
connubij vocatur; tum quia vulgus noſtras dicit, mortis quoddam genus ſuauiſſi-
mum contingere ad finem Venereæ palæſtræ, quæ paſſere ob immenſam ſalacita-
tem notatur: tum quo moneamur, nos è connubio celerrimam mortem reportatu-
ros, ſi auiculam hanc imitemur: quoniam mas in eo genere ſic ſeſe frequenti Veneris
vſu exhauriat, vt numquam ad biennium perduret. Hinc στροῦθοι etiam illi vocati ſunt,
στροῦθοι. qui huius auiculæ naturam ſequuntur. Sed illud animaduertendum, στρουθίον dimi-
στρουθίον. nuentium formula factum, aliud eſſe, & alio tempore pronuntiandum, quàm στρού-
στρούθιον. θιον pro malo: cùm hoc aliunde ſit compoſitum, quàm illud, quod mortis vnà addu-
Struthium, herba Lanaria ſiue herba Fullonum dicitur dupli-ci ratione. cit mentionem. Herba autem lanaria duplici ratione poteſt videri nomen Struthij
accepiſſe: ſemel, vt moneamur, coniugij caſtimoniam tam puram ſinceramque eſſe
debere, quàm eſt lana, radicula fullonia emundata: rurſus, quòd eadem radicula
libidinem etiam excitet, vehementi ſuo calore plurimum humoris ad vaſa ſper-
matica mandans, præſertim ſi cum flatulentis & craſſis cibis edatur. Cognita igitur
Struthiū obſcena pars virilis. hac Struthij pomi etymologia, non mirum nobis poterit videri, id quod Feſtus an-
notauit, Strutheum pro obſcena parte virili in Mimis præſertim accipi ſolere; quan-
doquidem hæc corporis pars coniugium maximè promoueat, & debitis augeat in-
crementis. Quanta eſt, bona Venus, hæc rationum affinitas! quantus conſenſus
ſymbolorum! Meritò ſanè paſſer à Catullo Leſbiæ ſuæ tributus eſt: cui puellæ cùm
à Sappho & Leſbiis moribus nomen videatur dediſſe; bene etiam illam auicu-
lam caram fecit, quam Sappho Venereo vehiculo conſecrauit, quamque ſic eſt imi-
tata, vt tandem amoris furiis agitata, ipſa ſibi mortem conſciuerit; valde profe-
ctò conuenienter Græcæ paſſeris nomenclaturæ, quæ connubij mortem Cimbris
ob oculos ponit inſigni refrenandæ libidinis hortatu. Credo equidem nihil vm-
quam inter mortales tanta prurigine inſaniiſſe, quàm Leſbiam illam poëtriam; & hac
de cauſſa optimo iure Veneris currui paſſeres iunxiſſe, potiſſimùm cùm ad ſe eam
veniſſe fingit.

πατρὸς δὲ δόμον λιποῖσα
χρύσεον ἦλθες
ἄρμ' ὑποζεύξασα, καλοὶ δέ σ' ἄγον
ὠκέες στρουθοί.

Huc igitur Catullus alluſit in ipſo primo operis ſui limine, ſymbolo eo conſtituto, de
quo quiuis intelligeret, non ſolùm cuius carmina & ſtudium eſſet imitaturus; ſed hoc
etiam, qua maximè puella gauderet; quorum vtrumque gemino indicio notauit, &
nomine Leſbiæ, & paſſere de Sapphus arbitratu Veneris iugali.

Et hæc quidem de Græco paſſeris nomine, cum Strutheo pomo partim conuenien-
Paſſer vnde dicatur. ti, partim aliò declinanti; cui, ſi velitis, hoc addam corollarium, quo intelligatis, quàm
eadem

Paſſer unde dicatur. *Iap.* *Pai.* *Eer* *Cotoneorum triplex diſcrimen.*

eadem auicula apud Latinos habeat nominis ſui rationem; quam, non minus quàm ea quæ modò de Græca voce dixi, pariter omnes, ni fallor, ignorant. Iap & Pai ſic inter ſe ſunt connexa, vt nemo prius præſtare poſſit, quin alterum conſequatur: cum illud idem ſit quod βινεῖ, hoc verò non aliud quàm ſatisfacio. Quandoquidem igitur Eer honor eſt & decus; pais-eer decus erit illius ſatisfactionis ſiue ſolutionis, qua id datur quod coniugi debetur: qua in voce non mirum eſt litteram S duplicatam, loco I vocalis, quæ diphthongum in priore compoſiti parte faciebat, ita vt ex Pais-eer fiat paſſer. Nam ſi in hac arena certamen inter omnia animalia iniretur, nemini dubium eſt, quin huic auiculæ ſummum victoriæ decus à iuſto iudice decernendum eſſet. Sed iam ſatis diu de Lesbio paſſere: reuertamur ad Strutheon. Triplex Cotoneorum diſcrimen, vt modò annotatum, Columella & Plinius agnouerunt: quorum illud quod maximum eſt, Strutheon nominandum cenſent. Ego lubenter quidem Græcis & Latinis admitto, vt hanc vocum ſeruent diſtinctionem; quo clarius de pomorum diuerſitate diſſeratur: verùm nego, diſcrimen hoc ex vocabulorum origine prouenire. Vtrumque enim nomen & Cydonium & Struthion Veneris teſſeram nobis proponit: tametſi hoc clarius aperiat ſignificatum ſuum ad caſtam Venerem referri; illud indicet flagitioſos hominum mores à legitimo mali ſymbolo ad impudicitiam declinaſſe. Cretenſes itaque Codimalum, id eſt, cunni malum dicere maluerunt, quam Cydonium: quòd in hoc impoſtura & fraus ſignificetur, in illo antiqua teſſeræ puritas retineatur. qua in voce liquidò cernitur, Cydonei & Cotonei nomenclaturas ab eo vocabulo quo nobis muliebre membrum notatur, deriuari.

Codimalum.

Quoniam verò nunc conſtat, pudici caſtique coniugij Cotoneum malum, ſiue Cydoneum, ſiue Strutheon, teſſeram fuiſſe: reliquum eſt, vt cauſſam explicemus, cur hoc ſymbolum à priſcis hominibus ad hanc ſignificationem ſit conſtitutum. Nihil enim temere ab iis hac in re factum eſſe, cùm perpetua eorum in nominibus ſigniſque ponendis induſtria, tum magnus hic vocabulorum conſenſus, & antiquiſſima apud poëtas de malis Veneri dedicatis auctoritas conuincit. Ceterùm quo oratio de huius inſtituti ratione clarior euadat, prius mihi aperiendum videtur, vnde Malum dicatur: quod vocabulum Latinis & Græcis vt commune eſt; ita apud neutros etymologia eius reperitur, quæ quidem tolerabilis poſſit videri. Quid enim frigidius, quàm μῆλα ἀπὸ τοῦ μέλεσθαι deducere; eo quòd curam eorum oporteat habere: & eadem etiam de cauſſa aſſerere, oues Græcis μῆλα nominari? Nos ex limpidiſſimo ipſius veritatis fonte originem huius vocabuli petemus, & ex peculiari nobis vocum per conuerſionem fabricandarum formula conuincemus, Mali nomen è ſermone noſtro ad Græcos & Latinos veniſſe. Laem apud nos ſignificat diligenter caueo, ne res quæpiam lædatur; quod in Hieroglyphicis noſtris, dum de figura ipſius Lamed agam, latius declarabo. Huic voci prorſæ vox verſa eſt contraria, nihil aliud ſignificans, quàm rem quampiam in minutiſſimas partes comminuo: à qua Latini Molo verbum, & Mola nomen acceperunt. Iam quia excellentiſſima comminutio eſt, qua cibus ab hominibus manſus ab ignobiliore natura ad humanam naturam tranſit; viſum eſt nominum noſtratium architecto, Mael ſiue Mal pro conuiuio vſurpare.

Malum unde dictum. *Laem.* *Mael, id eſt, molo.* *Molo, ere.* *Mola, æ.* *Mael, id eſt conuiuium.*

Cùm igitur Mal vocali longa conuiuium ſit: videamus quæ fuerint primæ hominibus in conuiuio dapes. Hoc nobis diuinus Moſes, ſiue ipſe veritatis reuelator, Moſis verbis oſtendit, ad hunc modũ: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſum voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum, præcepítq. ei, dicens: Ex omni ligno Paradiſi comede; de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.* En vobis primum hominis alimentum; quod cùm dicit ex omni arbore paradiſi capiendum; quid aliud dicit, quàm totum conuiuium pomis eſſe inſtruendum? Poma igitur mala dicta ſunt; quia ex iis primum hominum conuiuium, ſiue Mal fuerit apparatum. Nobis hæc vox pro pomo in deſuetudinem abiit; ne idem conuiuij, & pomi nomen, pareret orationis obſcuritatem: cuius loco Apfel dicimus, ad primi peccati memoriam ſempiternam. Hap enim arripio eſt; Fel crudele, & quicquid vitæ aduerſatur: quoniam Lef idem ſit quod viuo; cui Fel ex diametro repugnat. Quid melius exprimere poſſet primi peccati hiſtoriam; quàm ſi pomũ raptus crudelis & vitæ contrarius dicatur? Quoties enim noſtras hoc pomi nomen audimus, toties in mentem ſubire debet illud Dei verbum,

Mal ſiue poma, primæ fuerũt hominum dapes. *Apfel.* *Hap.* *Fel.* *Lef.*

 In qua-

In quacumque die comederis ex eo, morte morieris. Verùm quò conducit, eius ſententiæ, & primi parentum lapſus meminiſſe? Quorſum? eò nimirum, vt mox Deum oremus, quo perditam vitam nobis benignitate ſua omnipotenti reſtituat, & perpetuò ab inſidiis Draconis nobis caueamus, cuius ſuaſu crudele illud & lethale pomum parentes noſtri comederunt? Malum ergo, ſi de prima origine interpretemur, omnem arboris fructum ſignificat, qui hominum conuiuio eſt idoneus: qui vetus fuit huius vocabuli vſus, quod Euſtathius non ſemel annotauit. Poſt diluuium verò, cùm Deus Nocho & liberis eius carnis eſum permiſiſſet, Malum dici cœpit omne animal quadrupes, quo homines veſcerentur. Neque enim ſolùm oues, ſed capræ etiam, & cetera animalia paſcentia, hoc nomine apud veteres intelligebantur: quod Euſtathius item pluribus locis tradit. Verùm per ſingularem quandam excellentiam, ouillum pecus hoc nomine notatur; eo quòd inter quadrupedes primas tenere videatur, & non ad aliud comparatum, quàm vt conuiuia ex eo apparentur. Ridiculum itaque ſe præbuit Varro, dum *μῆλον* pro oue apud Græcos à voce animalis dictum putans, ſcribit *βῆλον* potius, quàm *μῆλον* dicendum fuiſſe; non ſecus atque Latini dicunt balare. Neque enim ſola ouis hoc nomine, ſed alia etiam animalia priſcis vocabantur, etſi Latinus cum Græco de ſono animalis contendere velit, mox in triumphum ducetur; propterea quòd *βληχάω* longè meliùs ouillam vocem exprimat, quàm balare.

Malum, primo arboris fructus, poſtea omne animal quadrupes, quo homines veſcerentur, ſignificauit. μῆλον malum ſiue pomum. μῆλον, id eſt, ouis &c.

Malum igitur quoduis pomum dici poteſt: ſed dum ſolùm ponitur, pro Cydonio maximè accipitur; eo quòd hoc præſtantiſſimum habeatur. Hinc oleum Melinũ cùm dicimus, oleum Cydoniorum intelligimus. & ſimiliter qui dixit, *Malo me Galatea petit*; Cotoneum dedit intelligendum. Porrò cùm mala à menſa ſiue conuiuio nomen habeant; ſitque primus conuiuij gradus inter maritum & vxorem: non malè illi cogitarunt, qui coniugij notam Malum eſſe voluerunt, indicantes in coniugio omnem victum communem eſſe. Hinc Allemani hactenus vxorem Gemahel vocant: nos gemael/ id eſt, conuiuij conſortem. Quamuis enim cum aliis etiam menſam communem habere ſoleamus; tanto tamen hac in ſocietate potiorem locum vxor habet, vt omnes ceteri potius, quàm hæc vna, ſint deſerendi. Qua ergo ratione Gemael Germanis vxor vocatur; eadem malum primus antiquiſſimi conuiuij apparatus, coniugij ſymbolum habetur. Atque hæc quidem vna ſit ratio de toto malorum genere ſumpta. Altera eſt Cydonio magis peculiaris, ex eiſdem etiam ſacris litteris originem ducens. Primi illi noſtri maiores diligentiſſimè ſemper curandum ſibi exiſtimabant, vt nuſquam monumenta deeſſent, quibus ad vitia fugienda & virtutem amplectendam homines incitarentur. Non igitur ſatis putauerũt, ſi maxima primi conuiuij illius frugalitas per Mali notam in mẽtem ſubiẽs, ad obuium & parabilem victum maritũ & vxorem hortaretur; atque ſimul commonefaceret, perpetuam viri & mulieris coniũctionem eſſe debere: niſi & aliud addidiſſent, quo & hiſtoria priſca notatu digniſſima, & optima vitæ præcepta ſimul continerentur. Hoc autem tale fuit. Primi noſtri parentes cùm Serpentis fraude ſeducti vetitum pomum comediſſent, ſenſiſſentque quantum inde mortiferi veneni in corpus & animum graſſaretur; nomen ei dederunt, quo prorſo, eius abominatio; & verſo, venenum indicaretur. Fyg enim dicitur per Apocopen, à Fyghy/ id eſt, tu abominãde: eodem modo quo Fom dicimus à For-maet/ id eſt, præcedẽs menſura: à qua voce Forma fit Latinis. vox verſa Gyf nihil aliud notat, quàm venenũ, ad rationem nominũ ichnæorum. Hinc Latini ficũ acceperunt; Græci corruptè *σῦκον* nominarũt. Quàm verò ſuperba hęc eſſet ficus, & quàm ingenti foliorũ tum copia tum magnitudine luxuriaret; tum etiam quàm rarum, quàm exiguum, quàm dulcem fructum produceret, Indoſcythica mea ſatis declararunt. Vt igitur maiores noſtri monerent, ab hac arboris natura prorſus eſſe fugiendum; ad coniugij ſymbolum eius arboris fructum acceperunt, quæ quammaximè à ficu illa ampliſſima & ſuperbiſſima diſtaret. Quòd ſi quis ſcire volet, quàm peritè fecerint; Cotoneam cum ficu illa Indica conferat, inueniet nimirũ ingentẽ eſſe ficui magnitudinem: Cydoneam verò tam exiguam eſſe, vt malorum omnium ſit infima: illam pomum habere exiguum, hanc omnium malorum maximum: illi eſſe pomum dulciſſimum, huic auſterum & ſapore adſtringente. Nunc itaq. quid aliud nos hortantur, qui malum Cydonium matrimonij & Veneris iugalis teſſeram faciunt; quàm vt ſuperbiam, & arrogantiam, & omnem ſuperuacaneum ornatũ quamlongiſſimè fugiamus, & infimi

Malũ, quoduis pomum dici poteſt; ſed dum ſolùm ponitur, maximè pro Cydonio accipitur. Melinum oleum. Gemahel. Gemael.

Ficus Indica, vetitum fuit pomum, quod primi noſtri parentes comederunt.

Fyg. Fyghy. Fom. For maet. *Forma.* Gyf. *Ficus vnde dicatur. σῦκος. Cydonium malum, coniugij ſymbolum, à ficu Indica maximè differt.*

hac in parte ſimus. Verùm vt infimos nos eſſe volunt magnitudinis & foliorum luxu-
rie; ita fructum à nobis cupiunt proferri omnium maximum & copioſiſſimum, &
eum, qui dulcorem ſuum non facilè in bilem conuertat, ſed ſalubri adſtringendi facul-
tate totius corporis vires corroboret atque confirmet. Liuidum etiam fici colorem pro-
cul abeſſe iubent, & eius loco aureos ſolis radios in omnibus operibus ſtudiiſque noſtris
volunt fulgere. Iam nec tenera illa malorum lanugo ſuo caret ſignificatu; qua clementia *Cydoniorum*
diuina erga genus humanum, & mitis conuerſatio cum omnibus denotatur. Niſi enim *malorum la-*
mollis diuinæ clementiæ lana ab ipſo agno qui Chriſtus eſt, accepta, omnia opera no- *nugo tenera*
ſtra circumdet; fruſtra laboramus: quam apex in flaminū Dialiū pileis olim præ ſe fere- *quid ſignifi-*
bat. In omni ergo humilitate, quę virtus eſt apud Chriſtianos ſumma, licet à Philoſopho *cet.*
fortè inter vitia numeraretur, fructus maximos proferamus, & illos quidem aureo colo-
re ſplendentes, prorſus ex aduerſo cum illa arbore diſſidentes, de cuius pomo primi pa-
rentes lethale mortis virus ſuxerūt. Si quis pro amplitudine ſignificationis hoc ſymbolū
explicare niteretur; næ ille maximum volumen impleret, & ne ſic quidem fortaſſis om-
nia myſteria in lucem proferret, quæ de cydoniæ & fici illius comparatione dependent.
Mihi ſufficit, tantulum modò indicaſſe, vt inde liceat de ceteris facere cōiecturam. Co-
gitemus itaque in omni cōnubio, de malo permiſſo, & vetito; de ſuperbia fici, & coto-
neæ arboris humilitate; de huius copioſo & aureo pomo ingentis magnitudinis, & illius
exiguo & raro fructu, in foliorū tenebris deliteſcente: atq. ita hanc nobis ſequendorū, il-
lam fugiendorum perpetuò teſſeram habeamus. Aureum igitur malū, aureos è connu-
bio fructus, & eos maximos, & robuſtos, notabat; planè ficis illis exſecrandis diſſimiles; &
idcirco ſymbolum ſignificantiſſimū Veneris iugalis, ad quam omnia nomina referūtur.

De Medico malo id quæri poteſt; quanam cauſſa Latini Citrion id vocarint. Pote- *Medicū malū*
rat quis facilè ſuſpicari, è Punica lingua, quæ Arabicæ vel cognata vel ſoboles eſt, no- *Citrium.*
men hoc ad Romanos veniſſe: niſi Iuba diceret, Heſpericon malum ab Afris nominari,
quod qua Mauritana voce diceretur, adiectum non habemus. Conſtat de Plinij con-
feſſione, Citri nomen duabus æquè arboribus tributum fuiſſe: alteri, quæ malum Me- *Citri nomen*
dicum ferret, alteri, è qua monſtroſi pretij menſæ dolarentur; ita vt certò aſſerendū ſit, *duabus arbo-*
in nomine nihil diſcriminis fuiſſe; & longè eos à Plinij ſentētia diſcedere, qui eo capite *ribus tributū.*
quo de id genus menſis tractat, Cedrū pro Citro ſcripſerunt. Nam cùm dicit aliam eſſe
arborem eodem nomine, quæ malū ferat; ſi pomum quoque Cedron erat vocandū, de-
buiſſet tertiam quoque arborem eiuſdem nominis addidiſſe, quo tota homonymia ab-
ſolueretur. Nam hanc lectionē ſequendo, Cedrus vna menſis dicata eſſet; altera malum
Medicū ferret; tertia trabibus ad multa ſecula duraturis quæretur: vt interim de Oxy-
cedro taceamus. Sed fruſtra hanc ſcripturam oppugno: cùm perſpicuū ſit ex Athenæo,
Euſtathio, Galeno, Pamphilo, & aliis, pomū non Cedrion, ſed Citriū vocari: immo Ce- *Cedrion.*
drion apud Pliniū eſſe primū humorē, qui ex tedis, ignis vi, ad modū aquæ exſudat. Vt
igitur ſuccinctè id quod hîc ſentio, aperiam: crediderim Romanos arborem, è qua criſpa
materia ſecabatur, principio Citrum nominaſſe, voce Africana nonnihil corrupta, quæ
de Arabū conſuetudine in priore ſyllaba erat adſpiranda: & ſunt qui alteram etiam cum
littera adſpirata pronuntient, quod videtur Bellunenſi correctori in Abencina placuiſ-
ſe: ex quo & illud coniicio, de vocali prioris ſyllabæ non ſatis certā eſſe rationē, aliis Chi-
thran, aliis Chathran legētibus. Significatur autem hac voce Arabibus Cedrus, vt licet
apud omnes Arabes medicos videre. Quamobrē cùm Pœni Chitram pronuntiarent, & *Cedrus.*
in Cedrorū genere arboris illud genus, e cuius nodis menſæ fiebant, collocarent; Roma-
ni nomen ad linguam ſuam accōmodarunt, littera Chet in tenuē mutata: ignari interim
Cedrū & Chithran idem notare; cùm tamē Arabes vno Chithran nomine, & Cedrum
quæ in Libano creſcit, & arborē è qua menſas Romanorū luxus maximis & inſanis ſum-
ptibus comparabat, videantur nominaſſe. Quamuis enim Theophraſtus, vt videtur, ſil-
ueſtrē Cupreſſum dicere maluiſſet; mihi tamē Africani hac in re magis placēt: propter-
ea quòd facultate & creſcendi modo propiùs cedrum quàm cupreſſum imitetur; & ha-
ctenus etiā arbor vitæ dicatur, de qua nota cedro cognatā eſſe liquet, quia Cedrus olim
fuerit vita mortuorum, teſte Dioſcoride, nuncupata. Ramos item non ad cupreſſi mo-
dum ſecundū caudicē ſurſum attollit, ſed à caudice exterius ad angulos ferè rectos por-
rigit. Quid quòd folia etiam, & eorū creſcendi modus, magis cum cedro, quàm cum cy-

preſſo quadrent,quæ multa ordine plano connexa,nonnihil ad Conchitidis aut filiculæ formam accedunt. Odor item acutiſſimus,& ſapor Sabinam potius,quàm Cypariſſum æmulatus,ad naturam Cedri propiùs videtur pertinere. Et ſi mihi noua nomina fingere *Cedrelate.* liceret,dicerem hác Maſculam Cedreláten; & alterá, quæ in Amano & Libano creſcit, feminam eſſe;propterea quòd criſpus nodorũ plexus,& lignũ magis exſuccum,& minus reſiniferũ, maſculam indolem ſapere videatur: contrà ad feminá, lacrymæ abundantiá, & materiæ vaſtitaté ſpectare credam. Nos igitur in ea ſumus opinione, Thuium Theophraſti,eſſe Cedrum,ſiue Cedrelaten maſculá; quia minus habeat reſinæ,& plus nodorum. nec dubito,ſi Theophraſtus oculatus huius arboris pictor fuiſſet,quin in hanc etiá conceſſiſſet ſententiam,quam Arabes & Africanos tenuiſſe ſuſpicor,ex eo quod eodem nomine Cedrum & Citrum vocarint,quaſi videlicet eiuſdem generis eſſent, ſolo ſexu differentes. Romani igitur ignorátes idem Chithran Africanis eſſe,quod Græcis & Latinis Cedrus; ex Chithran Citrum fecerũt, adſpirationibus ſublatis, & eodem nomine malum Medicam, citra ſcripturæ diſcrimen, contra quàm ratio poſtulabat, vocarun. Quamobré melius feciſſent, tũ etiá naturæ & linguæ, e qua harũ arborũ nomina venerunt,conuenientius; ſi menſas quidem cedrinas,malum verò Citrium nominaſſent.

Quantũ autem inter Chithran,ſiue Chethran,& Citron diſcriminis ſit,de rerũ quidem ſignificatarũ diuerſitate Arabes docebunt: at docere non poterunt ex veris horũ nominũ cauſſis. Nos has nobiliſſimarũ arborũ nomenclaturas è primo ſermone remanſiſſe arbitramur; eo maximè ducti argumento, quòd cùm earũ ratio nulla vel apud Arabes, vel Chaldæos, vel Hebræos extet; apud noſtrates clariſſima reperiatur. Quam cedrus de larga lacrymæ copia ſit celebrata,illud oſtendit,quòd cuiuis reſiniferarũ arborũ *Cedrum.* tenuior ſuccus igne excoctus, Cedrum vocetur; vt in Plinij cõmentariis cernitur apertiſſimè. Chiet-thran autem ad verbum & ſingulas litteras, ſignificat, fundens lacrymam. *Chiet, Giet. χέω.* Chiet enim pro fundo apud noſtrates ita ſcribendũ,non Giet; cùm ipſa pronũciatio,tum χέω Græcorũ,quod de noſtra voce manauit,oſtendit: quod latius in hieroglyphica litteræ Chet figura demonſtrabo. *Chitran ſiue Chetran vnde dicatur. Thran.* Chithran ergo vocabulũ Arabibus & Afris vſitatum,arborem de lacryma ſignat; eo quòd eius præcipuus vſus eſſet,cùm ad alia, tum ad mortuorum corpora conſeruanda. Thran enim nobis nõ tantùm oculorum lacrymam, ſed omnem liquoré notat,præſertim eum qui igne exprimitur; atq. inde oleum ex balenarum aruina excoctũ, Thran vulgò nominamus. Primùm itaq. & ſummo iure vox apud Arabes conſeruata,Cedrelatæ conuenit;inde ſimilitudinis cauſſa,ad Thuiam,mox etiam ad *Citron vnde dicatur.* cedros minores iuniperis cognatas tranſiuit. Citron verò longè aliud notat, atq. id quidem ex præcipuo mali huius vſu deſumptũ. Quis enim neſcit,hoc pomi genus ad nihil perinde valere,atq. ad ſitim ſucco ſuo frigidiſſimo maximoq. ſedandá. Quocirca ab eo nomen accepit,quòd magna vaſa potiora honore defraudet, non ſinens nimirum ea in illo apud ſitibundos pretio haberi,quo haberentur,ſi hoc pomo homines carerent. Galenus aquam momento aceti adiecto,ad ſitim extinguendam plurimùm cõmendat, ob celerem aceti per corpus tranſitũ. quam eius ſentẽtiam agricolæ in ſiticuloſa Apulia, & remiges in æſtatis feruore veriſſimam eſſe, aſſiduis docent experimentis. At ſuccus citriorum longè vehementius & penetrat & refrigerat;eaq; ratione optimum eſt æſtuantibus faucibus ardoris amuletum. Et quamuis varia ſint Citriorum genera,variis nominibus nunc diſtincta; omnia tamen ad refrigerandũ maximè quæruntur: ita vt ſuccus tum Citriorum,quæ per magnitudinis excellentiam generis nomen tenent;tum Limonum,ſaccharo incoctus ſeruetur ad ardores febriles mitigandos,ſiquando malorũ copia *Kit.* deficiat ægrotos. Kit antiquum nomen eſt,pro maiore poculo hactenus in vſu,præſertim eo, quòd ex aſſerculis oblongis,ſiue leuigatis ſcandulis, cuparũ ad modũ, vel ferreis,vel æreis,vel ligneis circulis colligatur. Præceptores noſtri Buſcoducenſes nõ male,mea qui- *Cer. Hoon.* dem ſententia, Obbam Latinis dici poſſe arbitrabantur. Iam cer honorem, hoon idem quod defraudo ſignificat. Kitercron,& ſyncoptòs, Citron/idem eſt ac ſi dicas, defraudans *Limon vnde dicatur. Lim.* obbam potoriam honore ſuo. Limon autem ſi ad eandem linguam ſit referendũ,idem erit quod defraudo viſcum, quod Lim nobis vocatur. Nihil enim eſt in omni medicamentorum vniuerſitate quod cuiuſuis generis viſcidæ materiæ,quàm hoc pomum,magis aduerſetur. Hinc præſentiſſimum eſt remedium ad omnem tenacem humoré cùm in aliis corporis partibus, tum maximè in vaſis vrinariis incidendam; quo ſuo beneficio calculo-

calculorum morbo obnoxiis maximè ſuccurrit: & eo quidem magis, quòd non ſolùm viſcida, è quibus lapides generari ſolent, diſcindat; ſed frigus etiam adiungat, quo calor, calculorum coctor, vires ſuas perdat. Qui extra corpus huius facultatis periculum facere volet, is margarita parua ſucco limonum depurato ſubmergat, & poſt dies aliquot pulticulam ex iis factam deprehendet. Quòd ſi quis contendat Lima primogenium nomen eſſe, atque inde Limon fieri, forma vocabulorum apud Hiſpanos augentium; is certè ne ſic quidem elabetur, vt non accipiat à me interpretationem eôdem tendentem. Lim-hat, & adſpiratione & T abiectis, de conſuetudine compoſitionis noſtratis, idem eſt quod odio habens viſcum: quæ nota omnino Limis, Limonibus, & Limoncellis malis, in hoc genere minimis, quam optimè congruit; eo quòd nihil ſit quod maiore incidendi vi pollere cognoſcatur. Nec mirum, de Cimmeriorum ſermone nomina his malis data: propterea quòd Perſia & Media ab Indoſcythis & Sacis, quorū linguam Cimbricam fuiſſe, in Saxonicis demonſtraui, ea accepiſſe videantur. Porrò quæ in Citriorum genere fuluum auri colorem maximè imitantur, vulgò Aurancia dicuntur; triplice & ipſa diſcrimine diſtincta, aliis acido, aliis dulci, aliis ex vtroque mixto ſapore nomen dante. *Aurancia mala.* Quòd ſi Aurancia reuera dicenda ſint; nemo dubitabit, quin Romanorum linguæ nomen hoc debeatur. Ceterùm Scholiaſtes Nicandri Medicū malum ſua ætate Nerantzion vocatum fuiſſe ſcribit. *Nerantzion malum.* Hermolaus, ſi rectè memini, nomen deducit à Narantia, quo nomine Ptolemæi Narangam intelligere videtur, è qua vult Herculem aurea mala portaſſe: quod, quia Virgilio & veritati repugnat, quæ Cotonea docet aurea mala vocari, vanum exiſtimo. Quòd ſi Cydonia Narangia vocarentur, facile mihi perſuaderetur, ex ea Africæ vrbe Herculem mala ſua detuliſſe. Quòd ſi Nerantzion priſcum nomen ſit, haud ſecus atque Citron, dici poſſet inde datum his malis fuiſſe, quia inter Citria infimum ordinem tenerent. Siue enim refrigerandi, ſiue incidendi facultatem in ſucco ſpectes; longè ſunt Citriis, per exochen ſic vocatis, & toto Limarum generi poſtponenda: quod Ner-rants, id eſt, infimi ordinis ſiue infimi lymbi appellatio, non malè indicaret. *Ner. ſtant.* Et hæc quidem obiter de vocum Chithran & Citron differentia: quæ quia non fuerat à Romanis obſeruata; factum eſt, vt malum Medicum, & Thuium, ſiue Cedrelate maſcula eodem nomine dicerentur.

Verùm quia Chiethran de antiqua Cimmeriorum lingua deduxi; non puto vobis ingratum fore, ſi Thuiæ quoque nomen ex eadem interpretemur. Aio igitur, gemina de cauſſa hanc arborem ſic vocari: *Thuia arbor vnde dicta.* altera quidem, quòd in ſacrificiis thuris loco frequenter haberetur, vt Virgilius de Sabina dixit:

Herbaq; thuris opem priſcis imitata Sabina.

Altera verò, quod nō ſolùm ad homines per ſacra cuſtodiendos faceret; ſed hanc etiam naturam eſſet ſortita, vt quæcumque ex ea fierent, diutiſſimè cuſtodiri ſeruarique poſſent: quoniam The-hui, & inde Thui nihil aliud ſit, quàm ipſa cuſtodia, cum articulo expreſſa. *The. hui.* Perdurat enim, Theophraſto teſte, materies hæc omnino incorrupta: è cuius radice, cùm nihil criſpius ſit, pretioſiſſima opera conficiuntur, tanti apud Romanos æſtimata, vt menſas ex hac confectas feminæ maritis margaritarum pretia exprobrantibus regerent; tamquā in iis non minus inſanus quàm in vnionibus fieret ſumtus. *Menſa pretioſiſſima apud Romanos è radice Thuia arboris.* Harum cùm ſingulæ latifundiorum pretia ſuperarint; quid tandem de inſatiabili Senecæ luxu cogitandum; quem Dio prodidit non vnam, vt Ciceronem, & Aſinium Pollionem, & neſcio quos alios; ſed ſexcentas habuiſſe, clariſſimo indicio, quàm ſemper probitatis prætextus profundiſſima vitiorum barathra potuerit celare. Si noſtra ætas colendæ propagandæque huic arbori, quam vitæ meritò vocant, ob ſingularem inter omnes durationem, tantum diligentiæ adhibeat, quantū pecunię Romani vitiis eius emendis; breui fiet, vt integras ſiluas habeamus; cùm non minus quàm buxus defractis ramuſculis depangi poſſit. Homerus hanc dedit Calypſo vrendam. qua in re Plinij memoriæ ſuccurrendum, ſcribentis, hanc inter odores in deliciis Circes enumerari; & eodem verſu Cedrum Laricemque à poëta adiici, magno, vt inquit, errore eorum qui odoramenta hoc nomine intellexerunt. Profectò in iis quæ de Circe Homerus cecinit, nulla Thuiæ mentio, tametſi fumo domus ipſius prodita fuiſſe videatur. Locus quem ſeſe meminerat legiſſe, non de Circe, ſed de Calypſo tractat, vbi inter ceteros hi ſunt verſus:

πῦρ μὲν ἐπ' ἐσχαρόφιν μέγα καίετο· τηλόσε δ' ὀδμὴ
κέδρου τ' εὐκεάτοιο θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει. id eſt:

Igne focus magno lucebat: at inſula longè
Fiſsilis & Cedri & Thuij ſpirabat odorem.

Virgilius perpetuò cum priſcis poëtis de victoria contendens, & frequentiſſimè triumphans; hoc loco neſcio quid mihi videtur proſpexiſſe, quod ab aliis non fuerit animaduerſum. Quod enim de Calypſo Homerus dixit, hic Circæ ſuæ tribuens, vno mihi Cedri nomine & Cedrum & Thuium videtur comprehendiſſe; non paruo mihi argumento, eadem ipſum mecum ſenſiſſe, & Thuium cedrino generi annumeraſſe: quod niſi putaſſet, haud dubiè numquam Thuium nobiliſſimam arborem ſilentio prætermiſiſſet. Elegantius igitur & artificioſius illud eſt, quàm vulgò æſtimetur:

Thuium ſiue Thuia arbor, cedrino generi annumeratur.

Vrit odoratam nocturna ad lumina cedrum.

quo, mea quidem opinione, & Cedrum & Thuium voluit complecti. Quòd ſi Plinius & ceteri intellexiſſent; numquam malum Medicam, ſiue Aſſyriam, ſiue Perſicam, & Thuium eodem nomine vocaſſent; ſed Thuium, non Citrum, ſed Cedrum dixiſſent. Sed condonandum Romanis, ſi Afrorum nomine Chithran, decepti, Thuium Citrum vocarint; cùm ne Theophraſtus quidem Thuium cedrini generis eſſe norit. Laudemus itaque Maronem, qui vno nomine duo Cedrorum genera coniūxit. Interim tamen minimè recipienda eorum ſententia, qui Cedria mala pro Citris ſcribunt, quo Thuiū ad Cedri nomē pertinere videatur: quod prorſus pugnat cum omnibus vetuſtis Græcorum & Latinorum libris. Quòd ſi Plinius Thuiū Cedrū iudicaſſet; profectò in Cedri hiſtoria non erat hoc genus omiſſurus, quod ob ingēs nodorum pretiū facile tenuiſſet principatum. Quamobrē dum de acere tractat, ſic legendus, vt ipſum citro, non cedro, ſecundum eſſe dicat. quòd ſcripturæ vitium alibi quoque in eodē auctore ſurrepſit. Eſt præterea in Plinij & Homeri codicibus θύῳον, non θεῖον, vt pleriq. habent, legendum: quod cum ex Theophraſto, tū ex illo manifeſto tenetur, quòd Plinius dicat, quoſdā nomine Thuij odoramenta generatim intellexiſſe, quæ non θεῖα, ſed θύη dicerentur, vt Galenus in Hippocratis gloſſis annotauit. An verò per diphthongū ſcripſerit Homerus, an non id necdū puto ſatis liquere; tametſi mihi cum ſimplici vocali pronunciaſſe videatur. Etymologiæ quidem congruentius eſſet, ſi duæ vocales cōmiſcerentur: ſed deriuatis frequens eſt, non nihil à primis ſuis natalibus degenerare. Apud Dioſcoridem in capite De croco θύϊαν cū diphthongo legimus: quo loco Ruellius mortarium vertit, longè ab auctoris mēte aberrans: οἱ ἐν τῇ ἰταλίᾳ τὴν θύϊαν βάπτοντες τούτῳ χρῶνται, id eſt, in Italia ij qui Thuiam tingunt, hoc vtuntur. Croco enim colorem huic ligno inducebant, vti & noſtrates molluſcis, & bruſcis, & reliquis criſpis lignis. Vel Thuiam igitur vel Thyiam per duas ſyllabas pro arbore dicemus: at dum mortariū ſignificare volemus, rectius per tres ſyllabas θυείαν pronūciabimus; tametſi apud Grammaticos id parum ſit obſeruatū, qui θύϊαν pro mortario quoq. dicūt. Ariſtophanes certè tribus ſyllabis enunciauit, quarū mediam per diphthongum Epſilon Iota ſcripſit: τί δῆτα ταύτῃ τῇ θυείᾳ χρήσεται. Quòd autem Plinius ſcripſit, in eodē apud Homerū verſu Laricem enumerari; id lapſui memoriæ, qui doctiſſimo cuiq. inter properandū frequenter obrepit, condonandū. Meminit poëta eodem loco, ſed non eodem verſu, Alni, Populi, & Cupreſſi; ſed de Larice ne litterulam quidem adiecit. Verùm ſatis iam de Thuio ſiue Thuia; quæ nunc eadem de cauſſa arbor vitæ dicitur, qua olim Thuia eſt nominata: vel quia & ſuam, & aliorum quæ ex ea fiunt, vitam diutiſſimè cōſeruet: vel quia ſacrificiis quibus odor huius gratus erat, vita mortalium cuſtodiatur. D. Hieronymus hanc arborem Hebræis dici putat לגם vel לגמ, quam ſacræ litteræ ex India adferri dicunt: cùm Theophraſtus eam ex Cyrenaica, Plinius ab Atlante, & Anchorario, Mauritaniæ monte, hanc materiam adferri ſcribat. Sed Ophir, vnde aurum & Legom adferebatur, Africanæ Indiæ eſt adſcribendū. Ego facilè mihi perſuaderi permiſiſſem, Legom hebenū eſſe; niſi hebenū hauben apud Hebræos diceretur, vt eſt apud Ezechielem cap. 27. Verùm quia Hebenum vox eſt Latinis, Græcis, Hebræis, Arabibus, & Chaldæis cōmunis: ſuſpicor eam ad antiquiſſimos referendā natales. Hauben namq. quid aliud eſt, quàm Haut-been: & Tau de more exempto Hauben, id eſt, lignū oſſeum, ſiue lignorū os. Sic autē olim fuiſſe elatū hoc vocabulum, Hebræa ſcriptura teſtatur, quæ ſic habet הבנים, vnde apud Arabes Habenum remanſit, Græcis & Latinis longius digreſſis.

Thuium ſiue Thuia, arbor vitæ dicitur.

Hebenum.

Haut. Been.

Iam

Iam quia tam perſpicua eſt huius nominis apud nos ratio, ligni naturam adamuſſim explicans: quid miri eſſet, ſi ex eadem lingua Legom vocaretur omne lignum pretioſum, quo alia ligna teguntur? Leg-om ad verbum ſonat id quod alij in modum tectorij circumponitur; atque hac ratione nomen eſſet omni materiæ; qua rudiora ligna vel tecto opere vel teſſulato veſtiuntur. Hinc Latini fortaſſe ligni nomen ad quamuis arboream materiam tranſtulerunt, perinde atque Hiſpani omnia mala Mattiana, & omnes auiculas paſſeres ſolent vocare.

Legom lignũ. Leg. Om. Lignum, ligni.

NVNC tempus, vt à Citro & aureis pomis, quorum occaſione hęc à nobis dicta ſunt, digreſſi; ad Propertij pomoſam coronam redeamus. Solere autẽ ex pomis coronas fieri, cùm ceteri, tum Philetas etiam oſtẽdit, Venerem canens à Bacchi temporibus pomum Hippomenis decerpſiſſe. FLEMING. Quandoquidem modò, inter cetera, vnde mala dicantur, oſtendiſti, & quàm latè hæc pateat nomenclatura, ſi de natalibus ſuis examinetur; velim vt itidem nos doceres, quid pomum propriè deſignet, & quæ nomine ſuo complectatur; tum etiam reliqua pomorum genera adderes, quo pomoſam coronam abſolutã haberemus. GOROP. De pomis non difficulter reſpondebo, ſi mihi de noſtro ſermone primos vocabuli ortus ſumere permittetis. Et quid ni permittatis, ſi nec Græca, nec Latina origo queat inueniri? Boom ſiue Baum nobis dicitur quæuis arbor, à Baw, quod eſt exſtruere: quoniam præcipua primaq. ſtructura ex arboribus conſtiterit; vt hactenus ferè in montibus paſtorum caſæ arboribus connexis fiunt, supernè ſcandulis vel arboribus iunctis, ceſpitem ſuſtinentibus. tectæ Latini nomen genericum ad illam differentiam contraxerunt, vt pomi nomine, quod ex Boom factum eſt, eas ſolas arbores notarent, quæ non ſolùm materiam ædificiis, ſed alimentum etiam hominibus ſubminiſtrarent. Plinius glandes pomorum numero excluſit, neſcio qua de cauſſa; cùm mihi æquè atq. nuces iuglandes, & nuces pineæ, de quibus non dubitatur, hanc nomenclaturam videantur mereri; idque eo magis, quòd homines quondam glandibus victitaſſe dicantur. Quicquid Romana conſuetudo voluerit; illud ſaltem cõſtat, nominis rationem latiſſimè patere; & nucem etiam de glandis genere videri: propterea quòd nux Iouis glans, ſiue iuglans nominetur: atque ideo ſi iuglans ad pomi nomen admittatur; pari iure omnes glandes admittendas, aut ſaltem eas quæ ſint edendo; niſi fortaſſe cultas dumtaxat arbores, pomos dicendas putet: quemadmodum & nos, dum boomgart pro pomario dicimus, glandes non comprehendimus; propterea quòd hoc arborũ genus non ferè cuſtodiatur, ſed paſſim vbiq. locorum creſcat: ex eo glandi nomini tributo, quòd ſit Gai-lands, id eſt, regionis ſiue terræ gratia, ſiue id quod terræ placet. Quid enim magis videtur telluri acceptũ eſſe, quàm arborum illud genus quod glandes profert: quandoquidem vbiq. à terra ſua, quaſi ſponte, procreetur? Nos totum glandiferũ hoc genus Eec ſiue Eic vocamus, de ſolido arborũ robore nomen fabricati; & inde eeckel glans dicitur: à qua voce αἴκυλος ſiue ἄκυλος apud Græcos ilicis glans nominatur, quam Lacon in quinto Theocriti Idyllio in Ilice, nõ in malo montana, naſci dicit; addens ſcabroſa ſquama tegi. Galenus Ilicis glandẽ, & Comari, acerba ſiue στρυφνὰ perpetuò manere dicit: quod non omnibus ſatis placebit; minimè mulieribus iis quæ in Luſitania & reliqua Hiſpania glandibus ilignis, vt delicatis eſcis, veſcuntur. Nec Comari fructus, ſiue arbuti, vt Latini vocãt, perpetuò acerbus videtur manere; quamuis tardè admodũ maturetur, & vix antequã nouus veteri ſuccreſcat. Simul enim & flores habet & anni præcedẽtis fructus; hos fragis figura ſimiles, ſed ſapore longè inferiores, qui illis vinoſus eſt, his fatuè dulcis, & neſcio quid farinæ præ ſe ferens; illos non abſimiles floribus minutis vernis, quos Lilium conualliũ nobis vocatũ profert. Fateor equidẽ cum Galeno, ſiccitatem & adſtrictionẽ quandam ex acerbo ſapore in his fructibus manere; ſed minime dici poſſe, vt ipſe vult, perpetuò acerbos perdurare, certiſſima feminarũ & puerorũ teſtificatione reclamãte. De Ilice poterit excuſari, ſi fortaſſis in Aſia Ilicis illa dumtaxat genera creſcant, quæ glandem acerbiſſimam ferunt. In Hiſpania enim eſt ilex quam *Encina* vocant, glandẽ ferens edulem, & ligni neruoſa duritie, & pulcra venarũ pictura, & glandis ſuauitate. Ilex dici videtur quaſi Eel-eic, id eſt, nobile robur. Sunt præter hoc genus quatuor etiamnũ iligni, vt videtur, roboris differentiæ: quarum vna eſt eius arboris quæ folio ilicis eſt, ſed maiore, & ex altera parte albicante, nec prorſus tam ſpinoſo; in quo peculiaris quædam nota, Cotyledones ex altera parte, ex altera veluti verrucas habere. Huic

Pomum & Pomus vnde dicatur. Boom. Baum. Baw.

Nux Iouis glans, ſiue Iuglans. Boom-gart.

Glans, glandis. Gai. land. Eec. Eic. Eeckel. αἴκυλος. ἄκυλος. Ilicis glans.

Comari ſiue arbuti fructus.

Ilex vnde dicatur. Eel. Eic. Ilicis varia genera.

Huic altera arbor perſimilis, ſed folio ex vna parte magis viridi, & ex altera magis albo, ceteroquin ilicis, niſi maius eſſet; in quo aliquando quidem, ſed rarius, acetabulorum rudimenta ſpectantur. vtrumque hoc genus *Meſto* ruſtici Guadalupenſes vocant: ſed poſterius propter inſignem corticis adſtrictionem, ad fluxas gingiuas in vſu habent: Vtrique glans perpetuò acerba. Accedit tertium genus, cui folium nigrius eſt, quàm Ilici, longius latiuſque, non parum accedens ad Aquifoliæ ilicis & formam & colorem; cui glans quoque, vt prioribus, acerba. Quartum genus pumilum eſt, folio omnino Ilicis illius ceteris nobilioris, niſi quòd minus frutetis potius quàm robori adſcribendum: Hiſpani *Caraſkas* appellant. Hoc glandem fert & grana *Kermes* nominata, longè diuerſa ab iis quæ hoc tempore Cortinilie vocantur. Tunæ tubercula, quæ facile in illud inſecti genus tranſeunt quod teſtaceo operculo rubro, & nigris punctis inſigni, alas tegit, corpore breui & rotundo, vnde porcelli, quem *Cocinillo* Hiſpani vocant, nomen accepit: quæ res medicis bene notanda, quo videant, quî compoſitionem Arabicam *Alkermes* vocatam Pharmacopœi parent. Tot igitur Ilicis genera apud Hiſpanos inuenias, quot omnino roborum genera apud Theophraſtum. Verum de his accuratius agere non eſt huius temporis.

Glandes inter poma cenſentur.
Balanus.
Walt.
Not.
Mimæcylum.
Mi ſiue my.
Comarus, i.
Com.
Ar.
Arbutus, i.
Ar.
Buet.
Boet.
Vnedo.

Nominum dumtaxat origines & antiquitates vetuſtiſſimas ex horum conſenſu quærimus; & glandes etiam inter poma cenſeri, abſurdum non putamus. Quod ex eo quoque veriſimile redditur, quòd ad genera nucum videantur pertinere. Græci Balanos glandes nominant, quaſi Walt-not/ id eſt, nux ſiluarum diceretur, duplici W in B mutato. Sed quia Comarus Mimæcylon ferre dicitur, videntur priſci, per contemptum, arbuti fructum glandibus annumeraſſe. Nobis enim nihil aliud eſt Mi-my-eeckel/quàm ſi quis per deriſionem diceret, Ego ſum glans, noli me tangere: ſiue glans, caue ne tangas. Com ar verò, vnde Comaros, idem eſt quod veniendi tarditas; quia nimirum fructum ſuum tardiſſimè perficiat, & florem ſub brumam ferat. Eadem de cauſſa Latinis arbutus, veluti ar-buet/ id eſt, tardum ſpolium, vel tardum remedium, ſi ab Ar-boet deducatur. Mimæcylum igitur Comari ſiue arbuti pomum dicitur; vt homines intelligant, ab eſu eius abſtinendum; propterea quòd ebrietatem & cerebri perturbationes inducat: Plinius hanc arborem Vnedonem etiam vocari ſcribit; à quo Galenus, ætate poſterior, diſſentit; aiens Romanis Græcorum Epimelida hoc nomine dici; cui tamen fructui idem quod Mimæcylo imputat, caput nimirum ab eo lædi; quod neque de Meſpilis noſtratibus, neque de Azarolis Neapolitanis verè dici poteſt; cùm ab vtroque horum genere fumi ſupprimantur. Mirum tricocca meſpila & meſpila noſtratia ſub eodem nomine comprehendi; cùm ligno, foliis, magnitudine, fructu, & eius colore, quàm plurimum differant. Sed hoc nihil ad nos. Cauſſa certè nominis vtrique arbori

Meſpilum.
Miſ pel.
Mis.
Pel.

communis quodam modo videtur. Sicut enim Ceraſa nuntium ferunt alimentorum reuertentium; ita meſpila matura mihi occlamant, tempus iam adeſſe, quo nihil amplius in arboribus reſtat ſpoliandum. Miſ-pel enim idem eſt quod deficit ſpolium, ſiue fruſtra in pomario quæras quod expiles; quod vt fateamur Azarolis ſiue Tricoccis etiam conuenire; alteri tamen teneri longè magis conuenit; vt nemo, qui vtrumque genus nouit, poteſt ignorare. In his ſi de ſapore eſſet ſententia ferenda, ego litem ſecundum Plinium iudicarem. Vtrumque enim Meſpilorum genus eo eſt ſapore, vt non vnum tantùm, ſed complura etiam edere ſoleamus. Mimæcylum verò tale eſt, vt nullius palato putem placere; & idcirco Vnedonis nomen magis quàm vel Epimelis vel meſpilum tricoccum meretur. Miror præterea in Galeno, quòd Phagi glandem acerbam etiam faciat cùm & olim ea homines vixiſſe narrentur, & hac etiamnum tempeſtate à plurimis comedantur.

Mirabilis eſt plurimorum in hac arbore & pudendus error, qui credunt Fagum Latinorum eandem eſſe cum Phago Græcorum: quem ego in claua Herculana, quam alij ex oleaſtro, alij è phago fecerunt, latè diſcuſſi.

FALKEN. Memini id ex te audire. Sed quando necdum nobis ea quæ de Herculis claua ſcripſiſti, communicare dignaris; optarem & meo & Flemingi nomine, vt hunc nobis ſcrupulum, quem inieciſti, eximeres.

GOROP. Faciam, ſed tribus verbis: idque eo lubentius, vt te, Fleminge, incitem ad omne glandis genus conſerendum; ad quod hæc tua Wyninghemica ditio ampliſſima

pliſſima ſpatia, citrà pratorum & aruorum iacturam, ſponte ſua videtur offerre; & ipſa glandis etymologia te permouere debet, vt hac parte telluri placere nitaris. Theodorus Gaza proximè acceſſit ad veritatem: ſed neſcio quî factum ſit, vt in hæſitatione permanſerit, & Latinum fagi nomen pro phago Græcorum vſurparit; in quem lapſum, nominum conuenientia virum alioqui diligentiſſimum pertraxit. Verùm Plinius eum monere debebat, qui clariſſima deſcriptione demonſtrauit, quàm arbor ea quam Latini fagum dicunt, à Græcorum phago diſtet. Deinde mirum, non animaduertiſſe Plinium, in roborum generibus enumerandis, fagi nomen nuſquam poſuiſſe; cùm tamen in iis phagus Græcorum eſſet; pro qua quòd nomen Latinum poſuerit, vno ſolo indicio conſtare poteſt, quòd quernam glandem omnium dulciſſimam fecerit, quam laudem phago Theophraſtus adſcripſerat: ex quo quis non videt, quercum poſitam pro Græcorum phago? Verùm & illud annotauit, quercum maſculam & feminam ſe agnoſcere, & hanc quidem glandis ſuauitate eſſe mare ſuperiorem; è quo fieret, vt Hemeris quercus mas eſſet, & phagus quercus femina. Ruſtici Neapolitani hactenus hoc quercuum diſcrimen agnoſcunt, & nominibus ſuis diſtinguunt; maſculam quidem quercum, feminam verò quercum gentilem ſiue nobilem, propter glandis dulcedinem, vocantes. Non video itaque, qua ſe ratione Gaza queat excuſare, quòd tanta temeritate in vertendo vſus ſit, vt Latinum fagi nomen ad quercum feminam applicarit, arborem toto cælo diſſidentem. Facillimè ſanè hîc Plinium ſequi potuiſſet; præſertim cùm oſtendat, in fagi arboris hiſtoria ſe ambiguum fuiſſe. Scio nec Plinium, nec Theophraſtũ ſatis conſtanter in roborum diſtinctione verſatum, vt in meis aduerſariis habeo annotatum: ſed hoc peccatum maius eſt in Theodoro, quàm ferri poſſit. Quid enim ſtultius, quàm hominem Græcum, in Latino ſermone, vocabulo Latino in ea ſignificatione vti, quam nemo mortalium vmquam ne per ſomnium quidem cogitaſſet? nec id ſolùm magna cum perturbatione rerum committere; ſed alterum rurſus culpam addere turpiorem? Quis eſt tam obeſæ naris, vt ſi ea quæ de Oxea Theophraſtus ſcripſit, cum fago Latinorum conferat, non ſtatim odoretur, fagum Latinorum & Oxeam Græcorum eandem arborem eſſe, longiſſimo interuallo à quercu diſtantem? At huic Oxeæ nouum nomen finxit, quaſi vox Latinis vſurpata defuiſſet. Quid, rogo, clarius Theophraſti deſcriptione, qua arbos erecta, lenis, enodis, craſſitudine & altitudine ferè æqualis abieti, nec cetera diſſimilis depingitur; cui glandeus fructus echinato calyce contentus, & folium bifidum à pediculo in aculeatum mucronem deſinens adiecta, quid vltrà dubitationis reliquerunt? Quid quòd candidam quoque materiam adiecit, & eam ad multa vtilem; quod ita fago Latinorum conuenit, vt nihil magis poſſit. Vetus Strabonis interpres pro Oxea reddidit fagoſciſſimam, neſcio vnde mutuatus ſciſſimæ adiectionem. Scio nihil eſſe quod in tenuiores aſſerculos ſcindatur, adeò vt vaginarum quoque corium iis fulciatur: ſed quæ gens inde nomen dederit, necdum legi. Xanthus Lydus, & Menecrates Elaita, auctores ſunt, hanc arborem apud Lydos Myſon vocari; atque inde iis Phrygibus qui ad Olympum ſibi ſedes poſuerunt, Myſorum nomen eſſe; quoniam totus hic mons fagorum ſiluis abundat. Quòd ſi ab arboribus aut ſiluis gentes eſſent nominandæ, Bruſſellenſes maximè fagi appellationem mererentur, in quorum ſuburbano agro ſilua exordium ſumit fagorum vmbra obſcuriſſima, qua nihil æſtiuis mẽſibus amœnius poteſt cogitari. Porrò nihil miror, fagum Myſon vocari; cùm Mus-ſoet nihil aliud Phrygũ lingua ſignificet, quàm muriũ ſuauitatẽ; & veriſimilius ſit, Phryges ſibi ipſos dediſſe nomenclaturã, quàm à Lydis acceptam vſurpaſſe. Verùm ſiue Myſi à fagis, ſiue à Myſis Europæis, quod probabilius eſt, ſiue vtraq. gens à muribus nomen acceperint, noſtra nõ refert. hoc interim obiter notandũ, mures maiorẽ in modum fagorũ glandibus delectari, atq. inde eſſe, vt ad earũ maturitatem maior ſit huius animalis prouentus; atq. inde fortaſſis occaſionẽ datam, vt populus ad fagorũ ſiluam ſedes figens, Muſos ſe nominarint: & arbor etiam Mus-ſoet, id eſt, murium oblectamentũ fuerit dicta. Verumenimuerò, vt phagus Græcorum & fagus Latinorum tantum naturæ proprietatibus diſtent, quantum quercus & fagus apud Latinos, vt ex Theophraſto cuiuis eſt perſpicuum, notas ſaltem Oxeæ & Phagi ex ipſo conferenti: hoc tamen commune habent, quòd Latini fagum ſuam, perinde atque Græci ſuam, Ioui conſecrarint. de Græcis Homerus teſtimonium dicet:

Theodori Gazæ error in fagi nomine pro phago.

Fagus Latinorum, phagus Græcorũ non eſt.

Myſos. i. fagus.

Myſi populi.

Muſi.

Mus.

ſoet.

Fagus Latinorũ perinde atq. phagus Græcorũ Ioui conſecrata.

οἱ μὲν

Οἱ μὲν ἄρ ἀντίθεον σαρπηδόνα δῖοι ἑταῖροι
Εἶσαν ὑπ' αἰγιόχοιο διὸς περικαλλέϊ φηγῷ.

Cuius hæc ferè eſt ſententia:

Diuini ſocij ſimilem Sarpedona diuis
Sub Iouis Ægiochi quercu poſuere perampla.

Fagutalis Iupiter.

Quid quòd Iouis Dodonæi ſilua è phago Græcorum, ſiue quercu,conſtiterit:& prima columba è Thebis Ægyptiis aduolans, in phago conſederit, & ex ea oracula humana voce edidiſſe dicatur; quam arborem in Herodoti Euterpe Laurentius Valla nomine Fagi malè interpretatus eſt. Apud Latinos eundem honorem Fago tributum, vt Ioui quoque, æquè atque quercus, ſacra eſſet, Iupiter Fagutalis, à luco Fageo dictus, ſatis oſtendit: cuius rei eam cauſſam eſſe puto, quòd glandis ſuauitate nulla ratione poſſit phago Græcorum poſtponi; atque idcirco Ioui hominibus alimenta citra laborem danti,haud minore iure, quàm hanc,fuiſſe dedicatam. Hinc illud Virgilij intelligitur:

Tityre tu patulæ recubans ſub tegmine fagi.

Druides vnde dicti.

Quo nihil aliud ſignificatur, quàm Virgilium ſub Auguſti patrocinio vitam ducere ſuauem & otioſam, tamquam ſub Iouis vmbra diuinitùs haberet, quæ victui neceſſaria eſſent. Nos & alias cauſſas adferemus in Gallicis, ſi quando edentur, ob quas quercus apud Druides & apud Dodonæos in tanto fuerit honore: minimè tamē admiſſuri, quod vulgò creditū,Druides à Græco roboris nomine nuncupatos fuiſſe;verùm ab eo, quòd & ipſi veram ſapientiam ſequerentur, & aliis veritatem demonſtrarent; quod proprium eſt officium ſacerdotum & pontificum, modò quales dicuntur, tales eſſe laborent. Hic ſatis eſto, vobis indicaſſe,poëtam Latinum Fago ſuæ ea tribuiſſe, non minore cauſſa, quæ Homerus Phago Græcorum. Nec ego quicquam certius mihi perſuadeo, quàm ipſum primo ſtatim Bucolicorum verſu ad Homeri Sarpedonem alluſiſſe; cui hac ratione ſimilis erat, quòd & poëta eſſet, qui diis ſimiles habentur, atque Iouis filij,non ſecus atque Muſæ dicuntur; & quòd lethale rerum ſuarum vulnus, haud ſecus ac Sarpedon, accepiſſet, non ab haſta, ſed à pertica ei ſimillima, qua militibus agri diuidebantur. Hinc illud in Diris cecinit, ſi modò illius carmen eſt:

Sarpedon pertica læſus ſub fago Iouis collocatur à ſociis &c
Pertica haſtæ ſimilis, qua militibus agri diuidebātur.

Pertica quæ noſtros metata eſt impia agellos.

Eadem pertica Propertij pater vulneratus fuit. de qua filius:

Nam tua cùm multi verſarent rura iuuenci,
Abſtulit excultas pertica triſtis opes.

Virgilius Sarpedoni comparatus.
Battarus fagus.
Sarpedon vnde dictus.

Quemadmodum igitur diuini ſocij Sarpedonem ſub fago collocarunt, & ibi haſtam, quæ femori fixa erat à Tlepolemo, extraxerunt: ita diuini ſocij, Alphenus Varus, Aſinius Pollio, Cornelius Gallus, Virgilium pertica læſum ſub fago Iouis, id eſt, ſub tutela Auguſti collocarunt, & perticam extraxerunt. Deinde acceſſit & illud,quòd domi ſuæ fagum quandam ſacram haberet, quam in Diris ſuis alloquitur, ſub qua tum demum eſt collocatus, cùm in agrorum poſſeſſionem reſtitutus eſſet. Hanc ab eo Battarum à Baſſaro Baccho nuncupatam fuiſſe credo; & quia ſub ea ſæpius potarit, & quia non minus Latinorum Fagus, quàm Græcorum glande ſua vinum commendet, de qua quercus dote Euſtathius veteres citauit. Magna itaque de cauſſa, & elegantiſſima alluſione ad Tlepolemi haſtam ſub ampliſſima quercu de Sarpedonis femore extractam, principium carminum ſuorum fecit, miro quodam modo ſimilitudine congruente; & quia à Tlepolemo, id eſt, ab iis qui bella ferre cogunt, vulnus eſſet inflictum; & quia Virgilius Sarpedon eſſet, quaſi *ἁρπηδὼν*, id eſt, voluptatis raptor, veluti Epicureus: Sic enim nomen æolico more formatum dico; non verò, vt etymologicon, ab harpe, id eſt, falce; quoniam Iupiter eum voluptate quadam rapta generarit. Reliqua de Battaro fago, & phago Homerica, de perticā & haſta, de ſociis Sarpedonis & Virgilij, vtrimque diuinis, ſe ipſa demonſtrant, vel inuitis, magnam habere conſonantiam. Sint igitur hæc pro tempore dicta de Fago Latinorum & Græcorum; quarum vtraque ceteris dulcem glandem facit: Galeno ſoli hæc etiam ad finem vſque videtur acerba. Nec Hiſpanorum experientia Galeno conſentit in Ilice; quo fit, vt ſuſpicer, nomina quidem eadem apud diuerſas gentes eſſe, ſed arboribus diuerſis tribui; nec ipſos auctores, qui deſcribunt, valde in montibus & ſiluis verſatos, nec regionum diuerſarum oculatos fuiſſe ſpectatores. Hinc factum, vt Theophraſtus aliorum potius,

quos

quos conſuluerat, opiniones recitet, quàm ex iis aliquid certi conſtituat. Granum certè ilici arbori tribuit; cùm id non in arbore, ſed frutice ſimili naſcatur, ilice pumila ſiue nana potius vocanda.

SED dum aliorum incuriam diligentia noſtra volumus excitare, eius obliuiſcimur, quod hîc maximè agendum; vt nimirum de priſcis Latinorum Græcorumque vocabulis vera primæ antiquitatis cognitio pariatur. Vnde igitur Phagus dicitur? Euſthatius & ceteri à φήγω, quod licet inuſitatum, comedo ſignificat; quòd homines olim glandibus his ſe ſuſtinuerunt. Sed quid hoc ad Latinos? demus tamen à Græcis nomen eos mutuari, quod alij quidem arbori, ſed cuius fructus non minus edulis ſit, accommodarint. Quæro modò, vnde φήγω? Hîc etymologiæ ſcriptores, ni fallor, tacebunt. Plato ad Barbaros amandabit curioſos. Nos Pheg / ſiue Feg / ſiue Veg, ſyllaba longa, vel pro eo dicimus quod eſt liberaliter Genio indulgere; vel pro eo quod eſt, omnes ſordes, omnes defectus, omnia vitia à re quapiam tollere. Huius vocis conuerſio Gef / dum nomen eſt, finem ſignificat ipſius ſecundi ſignificatus, videlicet id quod purum eſt & ſine omni vitio. Quoniam verò id fieri humana ope non poteſt, vt homines integri ſint & puri: voluit vocum architectus, vt eadem voce notaretur id quod omnes ei dicere debemus, quem non poſſumus ſuo nomine vocare. Gef enim vt verbum idem eſt quod Da: & idem etiam quod Do. Oremus igitur Deum hoc verbo Gef. Quid verò daret? Nempe quod eadem voce ſignificatur, vt integri, puri, & ſine omni vitio ſimus; quod ſolus Deus dare poteſt. Gef igitur & puritatem notat; & vnà notat integritatem non eſſe noſtrarum virium, ſed purum putum donum. Cuius donum? Eius haud dubiè qui dat omnia. Iam quia corpus integrum eſſe non poteſt, nec idoneum inſtrumentum ad quicquam perficiendum, niſi hilariter nutriatur: factum eſt, vt Veg non ſolùm ſignet mundo, expedio, & integrum reddo; ſed hoc etiam quod ad illa eſt neceſſarium, ipſam nimirum virium recreationem; quam non ſolùm talem eſſe oportet, vt corpus reficiat, ſed vt animum etiam à curis & moleſtiis liberet, & ab omnibus purget laboribus triſtium cogitationum: quod dum facimus, edendo & bibendo; per veſtigia vocis hanc virium refectionem cum animi recreatione ſignantis, in eam ducimur conſiderationem, totum hoc quod nos alit, reficit, & integros reddit ad quæuis pòſt expedienda, non eſſe noſtrum, ſed purum donum: & ob eam cauſſam orandum Deum, vt det nobis, vt ſuam & corpus, & animus habeat integritatem. Dum igitur Feg verè dico, id eſt, corpus & animum reficio, & in integrum reſtituo; recurrendum eſt à vocis fine ad eius principium, vt dicam Gef / id eſt, da; quod quid aliud eſt, quàm panem noſtrum craſtinum da nobis hodie, ne corpore, nunc refecto, animus ſollicitus maneat de craſtino; atque ita non verè dicere poſſit, Feg, id eſt, corpus & animum moleſtiis omnibus & defectu purgo; manente nimirum adhuc ſollicitudine de craſtino, de quo ne Deus quidem nos ſollicitos eſſe voluit. Ego hæc de Hermathena, non de Euangelio duco; quod nec hîc, nec alibi, de alterius, quàm de Eccleſiæ ſententia velim interpretari: tametſi ſciam D. Hieronymum in Euangelio ſecundum Hebræos inueniſſe loco dictionis ἐπιούσιον מחר, id eſt craſtinum, atque ita pro ἄρτον τῆς ἐπιούσης, id eſt, panem craſtinæ diei, factam eſſe vnicam dictionem ἐπιούσιον, pro craſtinum; vt ſit ſenſus: panem noſtrum craſtinum, id eſt, futurum, da nobis hodie; ex ipſius Hieronymi in Matthæum verbis. Pleniſſima igitur myſteriorum vox eſt Feg, quam Græcis litteris φῆγ, ſiue per Æolicum digamma Fῆγ ſcriberemus, ad ſonum vocalis longæ exprimendum. Quia verò qui ſic & animo & corpore refectus eſt, & integritati ſuæ reſtitutus, expeditus eſt ad quiduis promptè perficiendum, nullo nec corporis defectu, nec animi dolore demorante: factum eſt vt Feger is à nobis dicatur qui ad quoduis cum alacritate quadam expediendum eſt idoneus. Fῆγ igitur non ſolùm eſt comedo; ſed integre vires reficio cibo, & potu, & animi quadam hilaritate: cui mox tria ſunt annexa. Vnum, vt id fiat non ad corpus & animum onerandum, quod non pauci faciunt; ſed ad vtrumque ab omni moleſtia repurgandum, quo homo integer & ab omni defectu liberatus opus ſuum aggredi poſſit. Alterum, vt & agnoſcamus Dei donum virium refectionem eſſe, & ſimul oremus, ne donum hoc in futurum nobis deſit; idque faciamus ea fiducia, vt ſemper daturum perſuaſum habeamus. Tertium accedit, quod præcipuum eſt, & caput omnium; vt quoties cibum & potum hilariter

Phagus vnde dicatur.

φήγω.

Pheg. Feg. Veg.

Gef.

Donum Dei, corporis & animi integritas.

Corporis refectio.

Panẽ noſtrum craſtinum da nobis hodie, &c.

Feger ſiue Veger.

Cibus & potus quibus rationibus ſumi debeăt.

Donum omne perfectum à Deo perfecto proficiſcitur.

capimus, donum Dei eſſe agnoſcentes, & vt dare pergat, orantes cum firma fide, nos voto noſtro potituros; toties primæ ſignificationis in mentem veniat, vt Deus nos eo etiam cibo & potu reficiat, quo perennem puritatem & integritatem conſequamur. Sunt itaque mirabili vinculo Fῆγ & ΓῆF colligata. Quo conſiderato, non modò agnoſcuntur noſtratis eſſe linguæ, ſed admirandam nobis offerunt contemplationem, qua vt nihil eſt in vita magis neceſſarium, ita vix toto volumine pro dignitate poſſet explicari. Vt enim nihil aliud eſſet quàm diligens ipſorum Feg & Gef collatio, ea tantum tenus, qua illud mundo, purgo, & perficio notat; hoc idem quod Do: mox tamen in mentem veniret, nos puros eſſe nòn poſſe, niſi per ſingulare donum. Deinde ipſum illud donum tale eſſe, vt perfectos nos reddat & omnibus numeris abſolutos. Ex quo confeſtim ſubit, à perfecto & omnibus modis puro donum hoc petendum; qui quis alius eſt, quàm ipſe pater luminis totum mundum luſtrantis, à quo omne donum perfectum proficiſci ſacris litteris docemur. Solius igitur illius gratia imploranda, qui ſolus nos perfectè ab omni macula, ab omni defectu mundare poteſt, & per conuiuium corporis & ſanguinis ſui, refectos ad menſam æternæ felicitatis, & perennium deliciarum deportare. Cùm enim Feg non ſolùm mundo notet, ſed ad refectionem etiam corporis & animi tranſiuerit: conſequi videtur, cibum aliquem & potum inueniri, quo ab omni defectu integrè & abſolutè purgari queamus. At talis eſſe nullus poteſt, niſi & ipſe puriſſimus ſit, & incorruptibilis, & eam præterea vim habens, vt à maximo defectu, qui mors eſt, nos liberet: cùm alioqui id quod Gef primò ſignificat, eſſe nequeamus. Prior enim huius voculæ notio eſt id quod omni modo integrum eſt, & omni macula & defectu carens. Hoc autem quia niſi per donum omnium perfectiſſimum contingere non poteſt; voluit rerum omnium nomenclator, vt Gef etiam pro dono poneretur: quo moneremur prius illud citra donationem mortalibus contingere non poſſe. Sed ſatis horum feruidis veſtris animis; tepidis verò & frigidis plus etiam quàm nimium eſſet. Ab eiuſmodi enim principiò ſtatim exploſus cum noua hac & inaudita philoſophia fuiſſem, tamquam is qui tenues nugas è tenui vocularum filo ſuſpenderem & connecterem: quos ego contrà rogaſſem, vt ex altiſſimo ditiſſimoque vel Græcorum vel Latinorum penu quicquam depromerent, quod vel minima ex parte his minimis dictiunculis de compoſitionis artificio queat cõparari, quòd ternario nnmero omnis perfectionis ideam metiente ita litteras collocauit, vt per eas eunti & redeunti veſtigia indicent, quibus humanæ ſalutis ſumma comprehendatur. Dicerent fortaſſe: Quis hæc ante vidit aut conſiderauit? Quis? Ipſe vocum architectus vel vidit, vel Spiritus ſancti ductu ita voces fecit, vt hæc inde ab acutè conſiderantibus colligi poſſent. quod ſi nemo hactenus fecit, tanto plus ego Genio meo debeo, qui mihi in Cimmeriis tenebris verſanti ea nunc demum reuelauit. Si hoc artificium & hanc componendarum vocum viam in vno, aut altero, aut tertio dumtaxat inueniſſem; caſui poteram, non conſilio, rem totam acceptam ferre: verùm cùm in tanta nominum copia & diuerſitate eadem ratio ſeruetur; impudentis ſit & hominis à cõmuni ſenſu alieni, dicere, hæc caſu, non conſilio ſic compoſita fuiſſe. Videant igitur nunc Græci, quibus ſuum φήγω debeant: & id vnà videant, vt verbi ſignificationem mutilent, dum eam ad ſolum cibum, non etiam potum referant, origine tamen vtrumque complexa. Verùm quare priſci arborem nominarunt à Feg, ſi hæc vox non cibum tantùm, ſed potum etiam ſignet, quem arbor non ſuppeditat? Videntur ſanè veteres vtrumque genus arboris, & eius quæ in roborum genere glandem fert ſuauiſſimam, & eius quæ triquetram glandem ſibi peculiarem producit, φηγοῦ nomine comprehendiſſe: verùm pòſt apud Græcos alteri, alteri apud Latinos nomenclaturam remanſiſſe. Ratio verò harum arborum ſic vocandarum in eo tota fuit, vt ſymbolum præ ſe ferrent, omnem nobis corporis & animi refectionem à Ioue ſiue ſummo Deo, proficiſci; non aliter, atque ſuaues glandes cuiuis citra laborem, citra cultum, citra curam, in ſiluis offeruntur, deſuper ex arbore, velut è cælo, delapſæ. Quamuis enim & ad alias arbores eadem ratio applicari poſſe videatur; non tamen tanta vis eſſet ſignificationis; eo quòd ceteræ omnes, quamuis in ſiluis antè citra cultum creuerint, ad pomaria tamen poſtea ſint tranſlatæ: ita vt in his homines aliquid ſibi adſcribere poſſent, quod in illis omnino nequeunt; quandoquidem

ſemper

ſemper ſilueſtres & incultæ permanſerint, ſoli Ioui omnem ſuam debentes ſuauitatem. Nomen itaque non de arborum tantùm natura, quam communem habent cum malis; ſed de ſymbolica etiam ratione datum, quæ his peculiaris eſt ad ea ſignificanda, quæ & hominem ſolidè ſuauitérque nutrire poſſunt, & citra ipſius curam adiumentumque de cælo conferuntur; vti in vocis Feg ſignificatu ſatis explicatum. Fateri interim cogor, multò copioſius ſignificantiuſque nomen hoc Phago Græcorum, quàm Latinorum conuenire; propterea quòd plura quercus, quàm fagus Italorum, diuinitùs dare cernatur: quod Theophraſtus ſatis oſtendit, qui præter ceteras dotes *Quercus cæleſtis alimenti teſſera.* hanc etiam adſcribat, quòd foliis eius melleus humor cælo cadens maximè ſoleat inſidere; cui vel ſoli ſatis ſubeſt rationis, vt cæleſtis alimenti teſſeram quercui veteres voluerint tributam. Nomen igitur δρῦς ſymbolicon etiam eſt ex eo datum, quòd hæc *δρῦς.* arbos anagogicôs conſiderata veritatem monſtret. nec diſſimili de cauſſa Saronis, quo *Saron. σάρων.* nomine Callimachus vſus eſt, nuncupata: quia in ea ipſe rerum omnium ſator habitare videretur, ita diuerſis beneficiis ab eo eſt dotata. Latini totum genus Robur voca- *Robur arbor.* runt, propter validam nimirum, quam hoc arborum genus ſuppeditat, materiam. quæ *Robur ſ. valida firmitas.* vox licet in magna cuiuſuis rei firmitate ſignanda prorſus Latina videatur: Rouour *Rou our.* enim natalibus tamen noſtratibus genus debet; compoſitum vocabulum ex prorſo *Rou.* & verſo, ſignificat ipſius rudis perfectionem; quæ quid aliud eſt, quàm valida materiæ, *Our.* per ſe rudis, firmitas & conſtantia? Corporis igitur propriè eſt, vti rudis & imperfecti, niſi firmitas daret perfectionem. Hinc bene Columella, quod primum exile natum eſt, negat robur accipere poſſe: quia nimirum rudis materia deſit, quæ hanc perfectionem capiat. Cùm igitur de animo dicitur, à prima ſignificatione transfertur. Eſt autem V dictionis medium, in B mutatum, ob euphoniam, vt ex Rouour Robur fieret.

Quercus Latinum item nomen eſt, ſed non minus quàm Robur à Cimmeriis, *Quercus vnde dicta.* ſiue Ianigenis Romanorum antiquiſſimis maioribus relictum: quod ſi ad originem ſuam vocetur, magnum ſecum trahet antiquitatis comitatum; cuius gratia libentius, quicquid eius eſt, enucleabo. Weer idem eſſe quod defendo, & vos ſcitis, & ego *Weer.* modò dixi. Quamuis autem in B duplex noſtrum digamma non rarò mutetur; eſt *W digamma aliquando in B, aliquando in Qu, &c. mutatur.* tamen vbi in Qu tranſeat, ea fortè ratione, quod ante V conſonantem, Latini non aliam conſonantem, quàm Q, præponere conſueuerint; & idcirco altero V ſeruato, prius in Q voluerint mutare. Cimbri Wie dicunt pro Quis vel Qui, & Wan pro *Wie. Quis vel Qui.* Quando: in quibus clarum eſt, duplicem hanc conſonantem nobis peculiarem in Qu tranſiiſſe; quod frequenter obſeruaretur, ſi Latini multas voces à Qu exordiri *Wan. Quando.* voluiſſent. Apud Græcos non eſt hæc quærenda litterarum affinitas; eo quòd Q penitus ex ſuo Alphabeto excluſerint. Apud Hebræos hæc duplicis digamma in Quof tranſmigratio à me non ſemel eſt animaduerſa: cuius certiſſimum exemplum in ipſo eo vocabulo, quo certiſſimum & nobis, & Hebræis, & Chaldæis ſignificatur, adducam. Nos enim Wis id dicimus, quod pro certiſſimo & indubitato affirmamus: *Wis.* quod nemo non audit, cùm dicitur, Tis wis: quod Latini dicerent, eſt veriſſimum. Hinc Wiſheit ipſa veritatis certitudo. Hebræi dicunt pro eodem קשט, in quo clarum, *Wiſheyt.* duplex digamma noſtras in Quof permutatum eſſe. Hac voce vſus eſt Nabuchodonoſor, Danieli ſomnium interpretato aſſerens, Deum Hebræorum in veritate certiſſima Deum deorum eſſe. Apud Hebræos קין eſt idem quod Latinis fleo ſiue ploro: pro eodem nos dicimus Ween; vnde קינה. Weening/ Latinis ploratus & fletus. Eodem *Ween.* modo quod Hebræi קוה dicunt pro expecto, id nos Wacht pronuntiamus. Nec ali- *Weening.* ter pro קדש id eſt, ſanctificare & conſecrare, nos Widen dicimus. Eadem omnino lit- *Wacht. Widen.* terarum permutatione Latini Quercus nomen reſeruarunt, quod in prima radice eſt Wer-cou/ id eſt, defendo ſiue prohibeo frigus. Hæc enim præcipua quercuum eſt vti- *Wer.* litas, vt ex ea caſas & domos aduerſus frigus moliamur; & ipſos etiam muros & pa- *Cou.* uimenta, ne nos frigore lædant, hac materia tegamus: Tum etiam, vt ignem ex ea, *Quercuum præcipua vtilitas.* contra frigora hiberna, accendamus; qui ex nulla alia arbore corporibus humanis eſt ſalubrior. Nec ignorauit hoc Theocritus apud quem eſt, ἐν πυρὶ δὲ δρυΐνῳ χορία ζεῖ, ἐν πυρὶ δ' αὔαι φαγοὶ χειμαίνοντος. Profectò nulla eſt arbor quæ vel in ædificiis, vel in foco, plus adferat adiumenti, ad homines à frigore tuendos. Addite, his

nihil eſſe præſtantius ad algores depellendos, quàm corpus habere valido alimento bene fartum, & ſucci plenum. At hoc itidem quercus præſtat, ſolidam porcorum carnem hibernis menſibus ſubminiſtrans; è qua, ſi experimentis, rationi, & Galeno credimus, plurimum ſanguinis & validi nutrimenti humanis membris accreſcit; quo ſubſidio neſcio an aliud ſit præſentius & firmius aduerſus rigidas frigoris iniurias. Circumſpicite mentibus veſtris latos vaſtoſque ſiluarum receſſus, aſcendite montes, niuoſa Alpium cacumina ſuperate, quicquid denique vſquam arborum eſt expendite, Hartewennam aſperam, immenſas Herciniorum ſaltuum lacinias, totum Aquilonem gratiſſimum Hamadryadum domicilium penetrate, & diligenter vbique attendite, ecqua materia queat inueniri, quæ quercui in frigore multis variiſque modis depellendo ſit præferenda. Laborate, & diſquirite; ego, ſi coram æquo iudice cauſſa ſit quercui contra alias arbores dicenda, lubenter me vel vadem vel ſponſorem præſtabo. Gaudeat igitur hæc arbor hac ſua nomenclatura Latinorum, non minus quàm nominibus fauſtiſſimis Græcorum; quorum alterum ab edendo, alterum à placida indole datum arbitrantur. Et hæc quidem de quercu: cuius ſi laudes ſigillatim eſſent enarrandæ, alio & oratore & tempore opus eſſet: quamquam ſcio apud Flemingum fruſtra multis agendum, qui non ſolùm copia quercetorum abundat; ſed quotidie etiam, & in ſuo, & in Scetorum palatiis cernit, tum quàm vaſta tabulatorum ſpatia, quàmque partim arcis grauibus, & copioſa ſupellectile, partim aliis oneribus quibus emporia diſtenduntur, ponderoſa ſuſtineat, ne ad latum quidem pilum cedens; tum quàm magnos & candida ſaluberrimaque flama ſplendidos ignes in focis perpetuò lucentibus ſubminiſtret. Nunc igitur ad ea quæ dixi comitatura ex vltima Romanorum antiquitate, ſeſe hic obtrudentia, quo & ipſa tandem à ſitu ignorantiæ, quibus hactenus miſerè incanuerunt, liberentur atque detergantur.

AVDIO querelam Quirini mecum expoſtulantis. quid circumſpicitis? aures arrigite, vt & vos mecum audiatis: Quid tu, Goropi, in ſurdis arboribus labores perdis? quid potius quercus natales, quàm meos, explicas? Num verò hæc tibi dignior videtur, cui gratias de beneficiis, quæ commemoraſti, agas; quàm ego Quirinus, qui nomine meo polliceor non ſolùm me frigoris, ſed omnium eorum quæ vitæ humanæ vel inſidiantur vel vim adferunt, paratum promptumque defenſorem? Sint ſanè Dryades quercuum numina, habeant & ea ſuos honores, ſed ſic habeant, vt agnoſcant meas eſſe famulas ſeſe & ancillas, nec alterius iuſſu quàm meo in arborum ſe præſidio ſtare. Age igitur tandem & me Romanis meis oſtende, doceque quàm longè alius ſim, quàm vel hiſtoriæ ſcriptores, vel Grammatici cogitarint; & vna opera ipſis & beneficia mea, & domicilium, in quo habito, demonſtra: ne vagis potius mentibus à cultu meo aberrare pergant, quàm veros mihi & debitos exhibeant honores. Auditiſ-ne quid hîc intonet? Iouem diceres; ita procliue putat è Nymphis facere ſibi miniſtras & ancillas. Imperat ille quidem auctoritate, vt videtur, magna: ſed vellem Numæ libros, quos Romani ſuperſtitionis quàm religionis amantiores exuſſerunt, nobis in lucem proferret, vt ex iis depromere poſſim, quid de Quirini numine eſſet ſentiendum. Obediamus tamen, quia ſic iubet: Singulis regnis Dei miniſtros præfectos eſſe, vt ea tueantur & cuſtodiant, nemo neſcit eorum qui ſacras litteras perlegerunt: cuius rei indicium feci in Atuaticis, de monaſterij ſancto Michaëli nuncupati initiis tractans. Non eſt igitur dubitandum, quin Ianus, & Gomer, & eorum poſteri antiquiſſimi, eandem acceperint, & retinuerint, & ad nepotes propagarint religionem; vt nimirum firma fide ab omnibus crederetur, omnem regnorum & ciuitatum cuſtodiam à Deo pendere, & ad eam angelis ſuis, quos habet infinitos, vti miniſtris; non quia ita opus ipſi ſit, quaſi non omnibus æquè præſens adſit, & omnia præſens gubernet; ſed quo bonitatis ſuæ, ob quam omnia facit, fructus pluribus communicaret creaturis. Romanorum igitur Ogygij illi parentes, & veræ religionis needum obliti, inter cetera ſua vota illud præcipuum rati, quo Deum ſupplices orarent, vt Rempublicam conſeruaret, atque ab omni aduerſitate tueretur; nomen inuenerunt, quo hæc ipſorum ſupplicatio notaretur, & quod primum quidem ipſi Deo, deinde eius miniſtris, quos huius poteſtatis faceret participes, conueniret.

Dryades quercuum numina.

Angeli, Dei miniſtri, præfecti ſunt ſingulis regnis, ciuitatibus, &c.

Quirinus vnde dictus.

Cùm

Cùm enim Weren idem ſit quod defendere; atque modò demonſtrarim, duplex Cimbrorũ digamma in Qu tranſire; nihil amplius obſtare poteſt, quo minus confiteri oporteat; Quirini nomen à defenſione Ianigenas dediſſe; & primum quidem, quàm diu vetus ſermo retineretur, Werinum; deinde, eo corrupto, Quirinum dictum fuiſſe. Poſſem equidem altiùs hic mentem attollere, & penitiùs veram patrum religionem intueri, niſi curioſitatis crimen formidarem. Dicerem enim à Weer & Een nomen compoſitum eſſe, & ante Italorum irruptionem Weereen pronuntiatum fuiſſe, quod ſignificat defenſionis vnum, ſiue vnus defendens: vt eadem vox ſimul & defenſionem diuinitùs eſſe petendam indicaret, & eam non à pluribus, ſed ab ipſo vno eſſe petendam, clarè decerneret. Quirinus itaque hac ratione non aliud eſſet, quàm ipſe Deus, ea ratione à nobis conſideratus, qua ab ipſo rerum noſtrarum petimus defenſionem. Dei enim nullum nomen eſt proprium, ſed tot ei nomina homines fingunt, quot habent votorum piarumque contemplationum diuerſitates. Quamobrem qui hanc Deo nomenclaturam tribuerunt, ea ipſa ſeſe monuerunt & excitarunt, omnẽ defenſionem in vnius Dei cõſiſtere poteſtate, & fruſtra arma & vigiles eſſe, niſi Deus ipſe, qui vnus eſt, ciuitatem & ſigillatim & vniuerſim ab omni periculo cuſtodiat; atque idcirco hunc vnum orandum eſſe, vt præſenti ſuo numine nos noſtraque omnia tueatur. Huic, vt in cælis habitanti, nullum fanum nec Numa, nec ipſius maiores dedicarunt: Huic, vt cuius nulla ſimilitudo fingi poſſet, nullam ſtatuam, nullam imaginem habuerunt. Sola Vortomni ſtatua omnes Dei perſonas, omnes poteſtates, omnia mortalium vota ſymbolicós indicabat; ex qua re illud eſt quod de ſe dicit:

Weren. *Weer.* *Een.* *Dei nullum nomen eſt proprium, ſed ei homines nomina fingunt.* *Quirini nomenclatura vni vero Deo data.* *Vortomni ſtatua omnes Dei perſonas, omnes poteſtates, indicat.*

Arma tuli quondam, & memini, laudabar in illis.

Quorſum enim arma ipſi felicitatis omnis promotori, niſi vt defendat ciuitatem? quod dum facit, Quirini nomen meretur, quia Quirini gerit perſonam: haud ſecus atque Faunus, Bacchus, Phœbus, & quiduis aliud eſſe poteſt, ſi mortales ea promoueri cupiant, quibus poteſtates his nominibus indicatæ præſidere creduntur. Quid multis? Hæc, & id genus alia quamplurima, ad rituum, cærimoniarum, & ſemel, ad totius religionis intelligentiam ſpectantia, Numæ libris perſcripta fuiſſe exiſtimo: quibus cum impia Deorum multitudo tolleretur, & omnis Romana ſuperſtitio concideret; maluerunt boni, ſcilicet viri, deos in maieſtate ſua manere, quàm è Numæ ſepulchro ipſam tandem emergere veritatem, omnium fallacium numinum potentiſſimam victricem. Quid igitur remedij, libris nunc inuentis, & mox in multa exemplaria diſtrahendis? Quid? Funeſtæ potius faces iniiciantur, quàm tot templa, tot deorum ſimulacra, tot ſacrorum ordinum collegia diuinos ſuos perdant honores. Proſcribatur ieiuna & ſtrigoſa veritas, retineatur pinguis & dapſilis ſuperſtitio, largiſſima non numinum modò plurimorum cultrix, ſed immenſæ etiam multitudinis otioſæ magnifica opſonatrix. Inſpicite nunc quis primum fuerit Quirinus, & quarum in hominum ſocietate partium præſes. Videte mox quo poſtea errore in neſcio quod falſum numen tranſiuerit, illius haud dubiè fraude, qui ſedem ſuam poſuerat in Septentrione, vt ſimilis eſſet altiſſimo; quique omnem honorem vni Deo exhibendum, inſidiis & machinationibus mendaciorum fraudulentiſſimis ad ſe diuertere ſemper & vbique molitur. Huic impoſtori, cuius maximus inter vrſas draco nomine ſuo à priſcis dato monumentum gerit æternum, facillime fuit nomina diuina ad idolomaniam accommodare, eo maximè tempore, quo iam intelligi deſiiſſent.

Quirinus, Vertumnus dicitur. *Numæ libri à Romanis, hoſtibus veræ religionis, exuſti.* *Quirini diuinum nomen ad idolomaniã accommodatum fraude & impoſtura draconis.*

Ianigenarum enim regio agrorum fertilitate, & portuum plurimorum copia, & ceterarum rerum omnium felicitate, quamplurimos mox ab initio hoſtes inuitauit; quorum multitudine & frequentia Cimbri tandem coacti ſunt, vt agrorum parte cedentes, vnà cum exteris habitarent; ſat modò ducentes, ſi non prorſus extruderentur. qua diuerſarum gentium irruptione tandem eò res euaſit, vt minimam partem veteres & primi coloni retinerent; nec agros tantùm amitterent, ſed ipſam etiam antiquiſſimam linguam, miſtione plurimarum, quibus diuerſi noui incolæ vterentur, corrũperent, & ferè abolerent. Quamobrẽ ne quando poſteri in eam opinionem venirent, hanc diuerſarum linguarũ farraginem primùm Ianigenarum ſermonem fuiſſe; totam regionẽ, quàm latè pateret, Witaliam vocauerunt, id eſt, regionẽ externi ſermonis.

Ianigenarum regio & lingua. *Cimbri coacti habitare cum exteris, non agros tantum amiſerunt, ſed etiam linguam antiquiſſimam corruperunt.* *Witalia.*

Wit *ſiue* Wt. Wit enim per diphthongum noſtratem ex W vocali & I conflatam, externum ſignificat. Tal autem idem eſt quod lingua ſiue ſermo; ita vt Wit-tal nihil aliud ſit, quàm lingua externa & peregrina. Hinc igitur Witalia à Cimbris dicta, vt perpetuò cogitarent de lingua prima & antiquiſſima in ſacris maximè retinenda; ne quando ea neglecta & obſoleta, in profundam totius veræ religionis à Nocho ſiue Saturno acceptæ venirent obliuionem. Neque enim parui refert vocabulorum, quibus in ſacris Pontifices vtuntur, vim cognitam habere, ad rectam religionis viam tenendam. quod cùm primi Ægyptiorum rituum magiſtri viderent, fabula quadam de Bet inducta ſacerdotes monuerunt, vt ſi quando vocem quampiam non intelligerent, Phrygios conſulerent, vel ſaltem eos, in quorum ſermone vernaculo panis Bet vocaretur. Quis item audiens regionem quampiam ab eo dici, quòd homines in ea externo ſermone vtantur, non eueſtigio interroget; ſi peregrino ſermone vtantur, quis eorum vernaculus ſit, ſiue patrius? Quanto igitur magis Cimbrorum poſteri, apud quos & parentum ſeries, & exterarum gentium irruptio adhuc non penitus in tenebras ſeſe abdiderat, permoueri debebant ad vetuſtam ſuam & primam linguam in arcanis ſuis retinendam, dum totam regionem exterorum ſermone vti ipſa regionis nomenclatura monerentur. Clariſſima certè nota fuit hæc regionis appellatio ad memoriam prioris linguæ ſempiternam, ſi modò tantillum luminis in Pontificum collegio reliquum fuiſſet, quo huius nominis ratio cerneretur. Verùm rebus paullatim in peius labentibus, & veteris diſciplinæ monumentis indies magis atque magis neglectis, quòd in iis nihil eſſet vel ad honores, vel ad rem augendam præſidij; non tantùm lingua vetus, ſed litteræ etiam quædam, & earum figuræ, quibus exterorum ſermo non vtebatur, exoleuerunt. Hinc dum fortè quiſpiam in veterem aliquam inſcriptionem incidiſſet, in qua priſcis notis Witaliæ nomen poſitum eſſet, bis lapſus eſt in legendo; ſemel, quòd figuram duplicem vocalis neſciret perinde apud veteres pro V longo ſiue magno, atque ω mega apud Græcos in vſu eſſe: iterum, quod dum alteram figuræ partem, velut ſuperuacaneam, reieciſſet; crediderit eam, quæ remanſerat, notam eſſe conſonantis, non vocalis; atque idcirco legendum putarit Vitaliam, conſonante vocem incipiente. Hinc credibile eſt eum, quiſquis fuerit, diu hæſitaſſe, nec ſatis coniicere potuiſſe, vnde regio primùm fuerit Vitalia nominata. Quid hic in mentem alij veniret, non refert; illi ſaltem ſuſpicio ſuborta videtur, Vitaliam à vitulis nomen accepiſſe, propterea quòd eos haberet præſtantiſſimos. Atque huius quidem opinio per manus ad poſteros venit, ſed ratio ob quam ea primùm nata fuiſſet, tradita eſt obliuioni. ex eo errore alius mox pullulauit apud illos, qui acceperant Italiam à vitulorum præſtantia dictam, citra vetuſtiſſimæ illius ſcripturæ mentionem. Hi enim cauſſam quærentes, ob quam Italia, non Vitalia, diceretur, ſi à Vitulis nomen haberet, eò ſunt redacti, vt dicerent, veteres non vitulos, ſed Italos dixiſſe, & V pòſt acceſſiſſe, neſcio quo Æolico more. Hinc apud Feſtum legimus, Italiam dictam eſſe, quòd magnos Italos, hoc eſt, boues habeat: Vitulos enim Italos eſſe dictos. Alij, in quibus eſt Halicarnaſſeus, Antiochum Syracuſanum Siculas quaſdam Arethuſæ auias vendentem ſecutus, Italum neſcio quem ſibi comminiſcuntur, obuio prorſus & vſitato ignorantiæ prætextu, de regionis nomine fabricati conditorem. Huic Italo cùm Antiochus Morgetem filium dediſſet, Beroſus Annianus ſub larua Babylonica Witerbona mendaciorum ſcruta protrudens, filiam inſignem adiecit, nomine Romam, indignam certè, quam Antiphanis Siculi filius præteriret. Demiror ſanè quare non & Circen, & Caietam, & Cumam, & Vetuloniam ſuam Romæ fecerit ſorores, quo tanto Itali propaginem faceret illuſtriorem. Hellanicus veterem illum errorem de litteris priſcis malè lectis profectum à neſcio quo acceperat, & vnà cauſſam ab Hercule ſuſpenſam, infinita nugarum monſtra vbique gentium relinquente. Huius enim iuuencum, qui ab armento & Geryonis regnis abacto aberrans per totam Auſoniam in Siciliam vſque penetrarit, regioni nomen dediſſe ſcribit. Cùm enim vbique de iuuenco ſuo Hercules rogaret, atque illi ſemper ſua lingua vitulum ſe vidiſſe dicerent; magnanimus Iouis filius vnius vituli per maxima terrarum ſpatia inquiſitor, & laboris in veſtigando, & moleſtiæ in vituli nomine toties audiendo pertæſus, totam regionem, quam quærendo peragrauit, Vitaliam nuncupauit, quod nomen pòſt in Italiam degenerarit Sed miſſis ceteris, quæ ex Herculana nugarum officina depromuntur, hoc nobis ex Hellanico teneamus;

Marginal notes: Tal. — Wit-tal. — Bet. — *W duplex vocalis pro V longo ſiue magno ponitur.* — *Vitalia.* — *Italia.*

neamus; vanum illud eſſe quod Feſtus dixit, Italos quondam dici ſolere, qui pòſt vituli fuerint nominati; cuius contrarium prorſus ab illo affirmari videmus. Quàm verò diuerſæ gentes Italiam olim inuaſerint, cùm alij ſcriptores, tum Dionyſius Halicarnaſſeus ſatis copiosè deſcripſit: de cuius lectione quis eſt qui non facilè ſibi perſuadeat, admirabilem quandam linguarum confuſionem neceſſariò exortam fuiſſe; ita vt non immeritò primi habitatores totam patriam ſuam, regionem externi peregriniq́ue ſermonis vocarint; ne poſteri ſui vmquam obliuiſcerentur; aliam parentum vetuſtiſſimorum linguam fuiſſe. Vix puto operæpretium, vt id vos moneam, quod modò ſatis indicaui; nobis V vocale elementum æquè duplex eſſe, atque V conſonans, & ex vtroque & ſimplici & duplici fieri diphthongum, adiecta I vocali, eodem modo quo apud Græcos diphthongus eſt ex o micro & iota, & rurſus ex ω magno & iota. Witalen igitur externi ſermonis homines vocantur, ipſo W duplicis ſono multo magis quàm iota ſonante. Poſteriores breuitatis & ſuauis modulationis vbique curioſi, è tribus ſyllabis duas fecerunt, duplice W vocali in duplex W conſonans permutato, & ſono ipſius iota, qui in vaſtitate duplicis elementi permiſti ferè latitabat, neglecto; qua ratione pro Wittalen dicimus Walen/ quo nomine hactenus omnes exteros vocamus; quos ſi integra veterum voce nominaremus, facilius ab omnibus intelligeremur. Paucos enim inuenias, qui ſciant, quid propriè hac voce Walen ſit intelligendum, dum quiſque, quos proximos habet externi ſermonis homines, ea deſignet. Allemannus quidem Italos, inferior Germanus Gallos, Anglus eos, qui montoſam Britanniæ cherſoneſum Hiberniæ oppoſitam tenent; quos ſi prima voce Witalos vocarent, nemo eſſet Germanici ſermonis peritus, qui non mox intelligeret, externæ linguæ homines deſignari: quam intelligentiam è nomine acciſo non ita promptè conſequitur, & haud ſcio, an quiſquam hactenus fuerit, qui nominis rationem ſit aſſecutus. Ex Witalia igitur, ſiue alia ſcribendi forma, Witalia, quæ & antiqua eſt, & digamma dedit Æolicum, vt hic à me in puluere videtis depingi; primùm exſtitit Vitalia, altero ductu, vt ſuperfluo, relicto: quod nomen ita ſcriptum per conſonantem enuntiarunt, diphthongi ui penitus ignari. Hinc procliue fuit, in eam venire opinionem, Vitaliam à Vitulis dictam fuiſſe; quo dato, alius aliam cauſſam quæſiuit; ſed eius quod non erat, fruſtra, cur eſſet, ratio veſtigabatur. à nemine tamen turpius erratum, quàm ab iis qui Feſto auctores fuerunt, vt vitulos olim Italos vocatos fuiſſe diceret, cùm id ſit falſiſſimum. Vitulus enim à Vitula dicitur, qua per hypocoriſmum, qualis in oſculo eſt, ſuauis & iucunda vita notatur; quo nomine & Dea lætæ vitæ præſidens nominatur: vnde vitulor pro gaudeo. Et meritò quidem vitæ iucunditas & lætitia diminuente vocabulo ſignatur; eo quòd nihil in vita magis exiguũ ſit, quàm ipſa ſuauitas & gaudium: deinde, quòd hæc ipſa dulcedo paruulis in tenella adhuc ætate conſtitutis dumtaxat contingat: quæ res cùm nuſquam magis cerni queat, quàm in teneris iuuencis; placuit nominum factori, vt hi à vitula vituli dicerentur. & quo omnibus modis lætitiæ breuitas indicaretur, vocalem, quæ in vita longa eſt, in hac voce raptim pronuntiare oportet. Bene igitur Hyllus vitulam lætitiæ deam vocauit: ſed male Titius vitulari dixit idem eſſe quod voce lætari: nec multo meliùs Varro, qui vitulari idem voluit eſſe quod παιανίζειν; quod longè abeſt à vera vocis ratione; cùm multi vitulentur citra pæanis cantionem, & in primis ipſi vituli, meliores, quàm ipſi grammatici, interpretes, quid propriè ſit vitulari; multi etiam pæana canant citra lætitiam, velut illi, qui pretio ad laudes diuinas conducuntur. In vetuſtis ſacris Pontificum vitulatio nihil aliud erat, quàm chorea, & cantus, & totius corporis geſtus lætitiam exprimens: qua de re quid ſentiam, in Curetum ſaltatione fortaſſis oſtendam. Cùm itaque falſum ſit planiſſimè, vitulos quondam Italos dictos fuiſſe, & palàm ſit, monſtroſum & longiſſimè remotum ab omni ſani hominis cogitatione, Herculem quempiam per totam Italiæ longitudinem iuuencum errabundum veſtigaſſe, tametſi magnæ Pali & paſtori ab Amphryſo placet, heri ſui abigei vitabundus, vt in ipſam etiam Siciliam tranare mallet, quàm ad armentum ſuum redire; non puto mihi amplius in eo laborandum, vt hos refutem. Ex his tamen hoc accepi emolumenti, vt facilius vobis probatum iri ſperem, antiquiſſimam aliquam apud veteres opinionem inualuiſſe, Vitaliam quondam, non Italiam, dici ſolere: quandoquidem non ſit probabile, citra magnam aliquam & luculentam occaſionem, hanc vetuſtiſſimam famam apud eruditos homines ex-

W duplex vocalis & c.

Witalen.

Walen.

Vitulus.

Vitula.

Vitulor.

Vitulatio.

nes extitiſſe; tametſi ea in Cimmeriis tenebris, id eſt, in veris Romanorum originibus iam olim eſſet ſepulta; numquam fortaſſis in lucem reditura, niſi ego manus porrexiſſem. Diſcant igitur Romani, ſe externa lingua vti, etiam tum, cùm ſe Latina Ciceronis eloquentia iactant; nec alia ratione ſe Italos vocari, quàm vt aliquando tandem priſcæ & primogeniæ Ianigenarum linguæ de nomine ſuo monerentur.

CETERVM ſi quis eorum hunc ſermonem meum audiret; num putatis eum ſe contenturum à conuiciis? an non multos linguæ meæ cancros, an non ceteras diras quas in ipſorum ore, quàm in meo, eſſe malo, imprecaturum?

FALKEN. Vix ipſe me contineo, quin ipſorum partes ſuſcipiam contra te propugnandas; & facerem certè, quoad eius poſſem, niſi vererer, ne moleſtia mea te compellerem ad ſilentium; quod ego ſeruare malo, quàm id genus antiquitates non audire. Huius tamen veniam dabis, ſi obiter te interrogem, qui factum ſit, vt ceteris boni ominis nomina data dicas; Italis ſolis illud tribuas, de quo peregrinitatis conuincantur; nec vmquàm tantiſper dum hoc nomen agnoſcent, in ſua ipſorum patria ciues poſſint haberi; quod non vni iuris noſtri titulo, ſed quam plurimis repugnat, ſi accuratè ea quæ inde conſequerentur, eſſent examinanda.

GOROP. Ego ad forum tuum & litium perplexitates, quibus miſeros clientes, tamquam retibus tenetis inuolutos, ex mea hac libertatis arce, in qua me hodie Flemingus conſtituit, deſcendere nolo; quarum ego non minus ſum vitabundus, quam vitulus ille Herculis omnes omnium opes expilantis. Verùm vt tibi vlteriùs mecum iure veſtro experiendi occaſionem præcidam, vtrumque negabo, & quòd hoc nomen ipſi Itali ſibi dederint, & quòd malum habeat omen: Neque enim Itali ſeſe Italos vocarunt, non magis ſanè, quàm Wali in Anglia ſe Walos, ſed à Cimmeriis & ceteris Ianigenis hanc acceperunt appellationem; quia reuera peregrino ſermone loquerentur. Verùm cùm vndique tanta exterarum nationum colluuies irrumperet, vt iam exterorum potius regio, quàm Cimmeriorum eſſe videretur, ipſique Ianigenæ paullatim etiam peregrino ſermone ſuum corrumperent, atque ea ratione ſeſe etiam aliena lingua vti fateri cogerentur; non potuêre diutius reſiſtere, quin & ipſi in idem nomen, quod exteris dederant, tranſirent, atque ita tota regio Italia diceretur; quamquam, vt modò dixi, id eo lubentius ſuſceperint, vt poſteros ſuos monerent, aliam primorum in Italia parentum ſuorum linguam fuiſſe. Quamobrem vt darem infauſtum nomen eſſe; nihil inde tamen abſurdi contrà me effici poſſet; propterea quòd alterius generis ſint nomina ab hoſtibus aut à parum amicis data; alterius ea quæ ipſæ ſibi gentes bonis auſpiciis imponere ſolent, aut bene de rebus ſuis futuris ominantes, aut rem quampiam commemoratu dignam ipſo nomine poſteris proponentes reuoluendam. Verùm nolo hac vti declinatione; cùm recta via procedens negem, quicquam inauſpicatum hoc nomine deſignari, immo dicam, diuinitùs accidiſſe, vt toti regioni illi commune fieret, quæ omnium exterarum linguarum caput erat futura, ipſumque adeò nomen hoc portendiſſe. Quid ni dicam eam regionem Italiam, quæ ius dicit pluribus infinito exteris, quàm intra ſinum ſuum educatis; quæque plurimarum varij ſermonis gentium vnam facit ciuitatem, non legibus modò ciuilibus eiſdem conſtitutam, ſed vinculo etiam veræ perenniſque religionis omnes cuiuſuis linguæ nationes in vno capite colligantem. Diligenter hic inſpicite, & totis mentis viribus inſpicite, quàm latè hæc ratio, quam hîc breuiter indico, ſeſe extendat; & in primis hanc ſolam regionem tam grandem, tam fertilem, tot vrbibus inſignem, tot portubus & claſſibus nobilem, tot victoriis toti orbi formidabilem, ipſam denique omnium terrarum reginam ſolam & vnicam à tot ſeculorum interuallo inueniri, quæ vniuerſim Italia, id eſt, externi ſermonis regio nominetur. Quid? num huic ſoli vel conditores, vel aliæ inſignes notæ domeſticæ defuerunt, à quibus nominaretur? Atqui Ianus Saturni filius, ſicut Ianiculo, ita toti nomen relinquere potuiſſet, multo certè nobilius, vt prima fronte videtur futurum, quàm ſi ab exteris gentibus nomen emendicaſſe potius quàm accepiſſe videretur. Iam Cimmeriorum pater, Iani filius maximus natu, num indignus fuit, à quo regio vel Gomeria vel Cimmeria diceretur? Profectò genus vniuerſum de ſe potius nominare debuiſſet, quàm exiguum illum Campaniæ angulum, in quo Homeri tempore Cimmeriorum in hac regione nomen dumtaxat reliquum fuiſſe, de ſcriptis ipſius videtur.

Italia omniũ exterarũ linguarum caput.

videtur. Quid dicemus de Saturno huius auo, illius patre, qui pòſt in hanc regionem cum Oenotriis ſuis venit, & eam partem accepit poſſidendam, in qua diuinitus intelligebat promiſſionem ſuam Iano factam impletum iri. Quæ, rogo, cauſſa tanta eſſe potuit, vt Saturni nomen, omnium mortalium poſt diluuium patris, regio non tenuerit; cùm ſemel eo fuerit nuncupata? Num potuit quicquam generoſius, quicquam excellentiùs, quicquam melioris ominis inueniri, ipſo omnium hominum parente, cui à ſingulari prærogatiua, qua Deus ipſum honorauit, diuinum Saturni nomen Ianus nepoteſque indiderunt? Num quicquam erat, præ quo hoc pœnitendum videretur? Omitto Auſoniæ appellationem, à maximo Iani filiorum acceptam. Nec commemoro Oenotriorum nomen, à quo tota regio aliquantiſper fuit vocata; hominum certè perpetuò ipſi Saturno in omni neceſſitate fidiſſimorum, vtpote qui aſſidui ipſi in omnibus itineribus terra marique comites fuiſſent, quod ſuo ipſi nomine præ ſe ferebant, tamquam id, de quo in ſummo apud omnes honore haberi mererentur. Non quæro, inquam, cur alia nomina ſemel apud omnes recepta, fuerint deleta, & in animorum tabellis perenni litura inducta. hoc quæro, quamobrem Saturni nomen non potius ſit retentum, quàm nouum illud à ſermonis peregrinitate ſumptum. Magnum ſanè, immo maximum momentum in hoc latere puto rerum earum quæ maximè faciunt ad hominum ſalutem. Fateor, plurimum Saturno ſiue Nocho debere omnem poſteritatem, & tantum debere, quantum ei, per quem ſemen, & vitales auras, & huius luminis vſum accepit. Verùm aliud eſt, quod non hanc modò præſentem vitam, ſed futuram etiam ſpectat, in quo & huius vitæ lumen, & æternum futuræ vitæ lumen continetur. Hoc nobis Chriſtus erat daturus, & à gente illa in qua ad ea vſque tempora vera religio permanſiſſet, ad exteros tranſlaturus. Ad quos verò exteros? ad omnes quidem, quotquot in toto orbe eſſent; ſed præcipuè tamen ad illos, quibus ab externa lingua iam olim nomen maneret: ſub quorum imperio ob eam potiſſimùm cauſſam naſci voluit, vt verus Dei cultus non amplius apud Hebræos ſolos maneret, ſed ad illos tranſiret, quorum regio omnes diuerſorum ſermonum homines vna ciuitate & vno iure contineret; quo per illos faciliùs in vniuerſum orbem felicia diuini verbi dona poſſent & ſeri & propagari. Nam ſtatim ab initio primi Chriſtianæ ſcholæ hypodidaſcali, & felices principis magiſtri diſcipuli, tum cùm variis linguis loquerentur, palam oſtenderunt, Chriſtum velle doctrinam ſuam ad omnes, quamuis diuerſi ſermonis, homines pertinere; & idcirco naſci voluiſſe, dum penes eos orbis terrarum gubernaculum eſſet, qui à ſermonis peregrinitate nomenclaturam iam olim haberent. Ab his item & exteris, & ab externo ſermone nomen ferentibus, voluit Deus vetus Iudæorum & regnum & templum euerti, & totam religionem nouæ & æternæ legis ab vna lingua ad omnes commigrare; quo omnes æquè ſalutis verbum caperent, & intelligerent, & vlteriùs propagarent. Non mirum igitur, in Italia præcipuam & primariam religionis noſtræ ſedem eſſe collocatam, & hactenus inconcuſſam & firmam manere; tametſi ab ipſis Imperatoribus principio crudeliſſimè fuerit oppugnata, & tandem omnium Barbarorum inſultibus ab ipſis Imperatoribus prodita, & prorſus deſerta. Verùm quando pro dignitate hoc argumentum vires meas longiſſimè ſuperans tractare non poſſum; vos rogo, vt quod à me ſilentio premitur, id tacita cogitatione iterum atque iterum reuoluatis; vt tandem, quæ modò dumtaxat indico, plus in receſſu, quàm in aperto habere, nouiſſe poſſitis.

Saturnia. Auſonia. Oenotria. Oenotrij. Chriſtiana religio ad Italos exteros tranſlata, & primaria eius ſedes in Italia collocata.

NON dicam nunc, quid illa ara maxima, ſub aperto cælo ab Euandro Herculi dedicata, portenderit: quod ſi explicarem, totius religionis noſtræ typus palàm ob oculos poneretur. Intelligeretis in Euandri nomine non illud modò, quod Græcis ſignificat, ſed aliud quiddam diuinius ad æui ſpectans mutationem contineri; quæ tum eſſet futura, cùm in maxima ara crucis ipſe Hercules ſe immolaret, atque eo ipſa victima Cacum occideret, & huius ſui ſacrificij in ipſa hac vrbe non ſolum perpetuam memoriam, ſed primariam etiam collocaret, eo iam tandem abſoluto, quod tot antè ſeculis Euandri & Carmentæ matris nomen, & ara maxima Herculi ob Cacum occiſum conſecrata, indicabat. Abſit vt hæ ſint fabulæ Græcanicæ, aut ab Arcadibus, eo modo quo vulgus putat, profectæ. Ianigenarum ſunt monumenta & myſteria, &, ni fallor, ipſius Nochi, qui hos rerum futurarum typos diuino inſtinctu eo loco reliquerit, in

Herculis ara. Euander. Hercules Chriſtus &c.

quo

quo fore præſentiſceret ſummam mutationis ſeculorum dignitatem. Verùm hæc erant ad Romanas origines differenda.

FLEMING. Hoc modò noſtra non refert, quid in illis ſis acturus, & multa alioquin inter calicem ſupremaque labra. Vellem interea dum vnà ſumus, & in Herculis & Euandri incidiſti mentionem, paullo clarius, quid hac fabula ſignificari putes, exponeres. Nam non ſum tanto mentis ſtupore depreſſus, vt quæ de Hercule, & Caco, Carmenta, & Euandro feruntur, ea ad hiſtoriam credam pertinere; tametſi poëtæ inſanam Græcorum vanitatem ſecuti, eiuſmodi Ogenia figmenta ad res geſtas transferre nitantur; quod vt in illis nullam profeſſis veritatem tolerari poteſt, ita prorſus eſt in hiſtoriæ ſcriptoribus pudendum, ne dicam deſpuendum. Fabuletur Virgilius de Æneæ cum Euandro colloquio, de Pallante eius filio, deque ceteris, quibus carmina ſua ornauit: at id longè abeſt, vt fidem mihi faciat vel in minimo horum, non hercle magis, quàm in iis, quibus Sibyllæ de Chriſto vaticinium ad neſcio quem Pollionis filium detorſit, tam effronte & abominanda adulatione, vt ne vna quidem oraculorum littera in eum quadraret, cui ea obtorto collo applicare conabatur.

GOROP. Laudo te, Fleminge, de hac tua ſententia; & me in eandem iam olim conceſſiſſe, opinor de Croniis meis ſatis intellexiſſe, in quibus Erigones fabulam obiter attigi; quam idem poëta Auguſto ſuo accommodauit. Hoc interim ſtupenda prorſus Dei prouidentia factum eſſe video, vt dum aliud præſtantiſſimus hic poëta agit, illa prodat æternæ poſterorum memoriæ, quæ de Chriſto firmiſſima, clariſſima, & quibus nihil opponi queat teſtimonia complectuntur. Quicquid Lactantius, quicquid Euſebius, quicquid ceteri patres ex Sibyllæ carminibus ad religionem noſtram in hominum animis extruendam & roborandam attulerunt, id Athei pro nugamentis & confictis probationibus habuiſſent, niſi Virgilius Cumanum illud carmen omnibus communicaſſet. Eodem modo nemo aræ maximæ originem, nemo Caci & Herculis pugnam, nemo Carmentam & Euandrum ſatis clarè cognouiſſet, niſi hæc omnia ſuauiſſimus poëta carminibus ſuis celebraſſet. Miſcuit ille quidem ſua; ſed hoc interim præſtitit, vt corpus ſaltem ipſius fabulæ adhuc integrum queat videri. Quis enim Cacus, niſi Caroi/ id eſt, ſtabuli pernicies. An non hic ſtatim, ſi cum Satyris aures in cælum arrigamus, Cacodæmonem humani ſtabuli peſtem audimus? Hic enim eſt, qui in tenebris habitans trophęum poſuit in barathri ſui faucibus miſerorum hominum, quos fraude ſua occiderat.

Cacus.
Ca.
Coi.

Foribúſque affixa ſuperbis
Ora virûm triſti pendebant pallida tabo.

Quis verò Hercules, Iouis è mortali matre filius, omnia monſtra claua ſua domans, & ſemper leonis exuuias indutus? Quis alius, quàm vti nomine præfertur, maſcula vis mundi, verbum patris æterni, de mortali femina humanam carnem aſſumens, de quo dictum eſt, *Vicit leo de tribu Iuda*. Quem vicit? Cacum, qui homines, veluti pecora, retrorſum in antrum ſuum fumo & igne infernali æſtuans aſſiduo trahebat, *ſempérque recenti Cæde tepebat humus*. At quibus armis víus hoc monſtrum ſuperauit? Non alia arma Herculi tribuuntur, quàm ingens claua, qua omnia totius orbis monſtra domuit, & ipſum etiam tartarum perrupit. Quis hîc non crucem videt, omnium malorum, quæ humano generi à Caco inflicta ſunt, victricem? Miror profectò vnde Virgilio ſuboleuerit, priorem ſyllabâm in Cacos producendam eſſe; cùm ea in voce Cacos Græcorum, quo malus ſignificatur, corripi conſueuerit. Vnde id acceperit neſcio; hoc ſcio, noſtratibus vocalem longam in ea eſſe, atque idcirco longam pronuntiari. Iam de Euandro aliud dicere non poſſum, quàm id, quod me ſentire cogit Cimbrica vocis interpretatio. Eſt tamen hoc obſeruatione non indignum & Græcis & nobis, hoc vocabulum ſignificationem ſuam habere, & eam talem, vt in eandem rem cadat. Cimbris ſeculi mutatorem notat, Græcis virilem ſiue præſtantem virum. Hæc igitur vox primùm Dei filio humanam carnem induto & mortali iam facto tribuenda; deinde ei, qui typum Chriſti venturi apud priſcos geſſit. Is autem fuit Nochus, vir bonus, & Deo placens, per quem humanum genus in diluuio ſeruatum eſt, quique mundi ſecula maiorem in modum immutauit, carnes hominibus & vinum præbens; vt de legibus interim, quarum mutatio præcipuè ſpectatur, nihil dicam. Hîc igitur vti Chriſti veri

Hercules Chriſtus, Cacum, id eſt, Cacodæmonem vicit claua, id eſt, cruce &c.

Euander vnde dictus.

Euander Chriſtum & Nochum deſignat.

ſti veri & maximi ſeculorum permutatoris typus, filius fuit non hominis, ſed gratiæ diuinæ iuſtitiam in ipſo operantis; per quam Deo carus fuit, quæ Carmenta ob id vocatur, quòd id, quod omnibus chariſſimum eſſe debet, adducat. Fingitur item Mercurio patre natus, quoniam Deus voluntatem ſuam per Nochum publicè interpretatus eſt, omnibus exitium prædicens, niſi à fœdis ſceleribus abſtinerent. Hîc igitur Herculem venturum præuidens, & ea ſacra facturum, quæ omnium eſſent maxima, & quorum collatione cetera ſacra nihil eſſent, vel ſi quid eſſent, ſimulacrum dumtaxat quoddam maximorum præferrent; tum vaticinium Herculis & Caci fabula inuoluit, tum aram maximam Chriſto venturo erexit, ad quam gratiæ de Caco humani generis hoſte interimendo agerentur; ſic tamen omnibus verbis compoſitis, vt non futura, ſed præterita ſignificari viderentur, de more nimirum & conſuetudine prophetarum familiari, quo tam certa & firma eorum quæ dicuntur, veritas indicetur, quàm ſi modò perfecta eſſent. Deinde quo ſignificaretur, non alium vel aram maximam, vel ſacrificium, quo mortalium genus à Caco liberaretur, facere poſſe, quàm ipſum Chriſtum: bene habet, quod dicatur hæc ara maxima ab ipſo Hercule conſtituta. Hinc Virgilius: Carmentā.

Hanc aram luco ſtatuit, quæ maxima ſemper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima ſemper.

Vt igitur Nochus quadam tenus ſeculum mutauit, ita Chriſtus verè mutauit, omnem veterem legem abolens, & mortiferum draconis venenum diluuio ſanguinis ſui ſummergens, & eo ipſo totum mundum purgans; qua ratione meritò Euander dicitur non ſolùm Cimbrico, ſed etiam Græco ſermone. Quæcumque igitur de Euandro prodita ſunt, de Nocho, vt typo veri Euandri, intelligenda; in quo quia multæ & ingentes diuinæ gratiæ dotes eluxerunt, multa quoque & diuerſa nomina locum ſuum inuenerunt. Admirandum eſt, quòd hoc etiam firma fide apud Pontifices fuerit creditum, aram hanc ſemper maximam futuram, quo videtur non ſolùm Chriſti ſacerdotium maximum & æternum ſignari, ſed hoc etiam addi, maximam hanc aram Romæ ſemper futuram. Quæ de Potitiis & Pinariis feruntur, ex Cimbrica etiam lingua apertam habent ſignificationem, quorum illi nouæ legis homines, & Dominici corporis epulones; hi omnes eos qui ante Chriſti mortem fuere, deſignant. Sed de his plus ſatis & ex tempore, & extra propoſitum; cùm hæc magis ſeriam curam, & latiorem poſcant interpretationem; ad quam ſpero mihi aliquando datum iri maiorem opportunitatem. Potitij. Pinarij.

Nimis longè à quercu peregrinati ſumus; & neſcio quî à Quirino ad Italos, ab Italis ad Euandrum ſit peruentum. Mirum ni hæc quercus vna ſit ex Dodonæis; adeò me reddidit loquacem. Quid, boni viri, num hoc eſt Propertij Vortomnum interpretari?

——*Amphora cœpit*
Inſtitui, currente rota cur vrceus exit?

Quòd ſi tam prodigioſam varietatem in hanc commentatiunculam adferre pergam, næ vere ego pro Vortomni interprete Vortomnus fiam Propertianus.

FLEMING. O religioſum congerronem! Id ſcilicet nos curamus, qui'nam ea quæ hîc inter confabulandum dicuntur, inter ſe cohæreant. Apage cum hac ſuperſtitione. Quis legem colloquio noſtro ſcripſit? An fortaſſis tibi rem cum Galeno tuo eſſe putas, homine nihil præter methodos vbique inculcante, quas dum ſubinde maximè iactat, pro methodo ſua odioſiſſimum Aſiatiſmum longis diſcurſuum ambagibus, veluti Ariadnes filum ſequens, inuoluit. Si librum ſcriberes, hæc te cura intra certos limites coërcere poſſet: interim dum nobiſcum fabularis, eam tibi optimam viam & rationem loquendi puta, quam nobis vides quàm maximè placere.

GOROP. Tu de ceteris, vt voles; de Galeno bona verba quæſo. Nam niſi hic ſtudiis meis ſumptum ſuppeditaſſet, iam nec Propertius, nec Virgilius in muſeo meo inueniretur. Sed quando ita placet, pergam garrire ſecurus quò pes ferat. Memini modò me abreptum à quercu ad Quirini interpretationem, cuius nomen non intellectum, vt pleraque cetera, magnam dixi inuexiſſe idolomaniam, idque ea de cauſſa faciliùs, quòd tota Italia ab exteris ferè occupata veterem linguam partim perdiderit, partim corruperit, & peregrinis vocibus contaminarit: atque hac occaſione ad Italorum nomen di-

men digreſſus, videor mihi cum Italis paullò longiùs ad externa diuertiſſe; quod Quirinus verus ipſorum, nec minus noſter, patronus non ægrè feret; quandoquidem ſic aberro, ne præter caſam, neue præter ipſius ſacra.

Quiris haſta. Weer. Rijt. Cur ruſt. Curus. Cur. Queer. Ruſt. Vol-curus. Cur ruiters.

Fuerunt qui Quirinum ab haſta dictum putarent, quæ Sabinorum lingua Quiris fuerit vocata, teſte Varrone: quod ſi ita ſit, nomen inde haſta acceperit, quòd arma defendentia rumpat, quaſi Weer-rijt. Weer generatim nobis omnia arma ſignificat; qua de cauſſa, vt dubia locutio vitaretur, Cur-ruſt/& adempto Tau, Curus dicitur armatura, qua induimur ad defenſionem, à Cur quod fit à Queer pro Weer/& Ruſt id eſt inſtruo ſiue armo. Hinc Volcurus panopliam notat, ſiue ea arma, quæ nullam corporis partem nudam relinquunt; qua cùm equites vtuntur, Curruiters vocantur. Sabinos enim noſtra lingua vſos eſſe ne miremur, Zenodotus Trœzenius facit, qui eos ſcribit Vmbros

Sabini populi. eſſe, à Pelaſgis patriis ſedibus eiectos. At Vmbros Cimmerios fuiſſe, principiò dixi. Qua verò de cauſſa Sabinos ſe vocarint, Porcius Cato aperuit, à Sabo patrio ipſorum Deo Sabinum neſcio quem natum aiens, qui toti genti dederit nomen. Ego aliter video

Sabina herba. *Sabinus Deus.*

ſuadere Cimbricam linguam, quod inde veri ſimilius cuiuis reddetur, quòd Sabina etiam frutex dicatur, niſi fortaſſe fruticem etiam à Sabo, perinde atque filium, nominatum eſſe contendant; quod hactenus neminem video tentaſſe. Deinde Virgilius nemini veterum non anteferendus in curioſa antiquitatum inquiſitione, Sabinum vocauit, indicans Sabum & Sabinum eundem deum eſſe. Et hæc quidem à veteribus de Sabinis. Sed dum cauſſam nominis ad Deum referunt, nemo eſt qui addat quamobrem Deus ipſe ita ſit vocatus, quaſi eius nomenclatura vel minimo ſit euidentior. Nos ex Virgilio & herba Sabina coniecturam ducentes, credimus inter cetera Nochi apud Cimmerios cognomenta hoc etiam vnum fuiſſe, quorū cauſis ignoratis, tot poſtea Dij emerſerunt in hominum opinione, quot diuerſarum Dei gratiarum nomina reperiuntur vel cuiquam olim mortalium conceſſarum, vel quotidie à miſeris & afflictis, quales ad vnum omnes ſumus, orandarum: ex quo craſſo & ſupino errorum ſeminario om-

Sabinus vitiſator Nochus.

nis ſuperſtitio, omnis religionis veræ corruptela, omnis idolomania emanauit. Primùm igitur poëta vitiſatorem Sabinum nominat, de qua nota quem quiſquam ſanus intelligendum putaret, quàm Nochum, qui in Italiam ad Ianum filium ſuum omnium gentium confeſſione dicitur nauigaſſe. Hunc Virgilius de diuerſo nomine diuerſum à Saturno exiſtimauit, ex eodem fonte, vnde ceteri, errorem ſuum hauriens. Sicut autem à ſingulari gratia mortalium ſeminis conſeruati Saturni nomen accepit; ita Sabinus quoque meruit dici, quia omnibus mortalibus ceteris præſtantior fuiſſet in cauſſa

Sabinus vnde dictus.

prima, ſiue deo ſibi alligando, quod Sacbini nomine ad vnguem notatur, à quo, vt in compoſitione fieri conſueuit, poſtrema littera prioris in compoſitione partis eſt ſublata. Argumentum huic aſſertioni meæ herba Sabina clariſſimum adfert, ea de cauſſa hoc nomen ſortita, quòd ſacris thuris loco ſoleat adhiberi, præſertim à primis illis patribus, qui intelligebant Deum ſumptuoſa ſacrificia & Arabicos odores non pluris facere, quàm tenuem & frugalem cultum è proximis locis facilem paratu. Huc ſpectat illud Ouidij ex primo Faſtorum libro:

Antè Deos homini quod conciliare valeret
Far erat, & puri lucida mica ſalis.
Nondum pertulerat lacrymatas cortice myrrhas
Acta per æquoreas hoſpita nauis aquas.
Thura nec Euphrates, nec miſerat India coſtum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus aduſta ſono.

Sic & Propertius noſter:

Flore ſacella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.

Adducerem plura teſtimonia, explicaremque qua de cauſſa herba dicatur; cùm frutex ſit, & is non exiguus: qua in re myſterium latet diuiniſſimum, minimè vel Grammaticis vel poëtis ipſis cognitum, tametſi hi non ferè Sabinæ citra herbæ appendicem faciant mentionem: Sed video malorum pyrorumq. vicinarum vmbras fieri longiores,

quàm

quàm vt ſat temporis reliquo ſermoni meo ſupereſſe videatur. Neceſſe etiam eſt quædam relinqui vobis calcaria, quibus ad Romana mea legenda pungi queatis; in quibus non de Sabina modò, ſed de Ara etiam, & de Græcorum Bomo, & Latinorum altari, & id genus aliis, copioſius agetur; quæ omnia ad eum locum pertinent, quo quærendum eſt, quæ prima ara fuerit, & qua de cauſſa Euander ex Arcadia in Italiam veniſſe dicatur, quod omnino veritati conſentit; ſed minimè pro eo atque doctiſſimi quique vel veterum vel recentiorum arbitrantur. Ab ipſo ergo Nocho Sabini nomen ſuum retinuerunt; quòd illa omnium fauſtiſſima appellatio ipſis videretur, qua omnes Deo alligati deuinctique dicerentur. Crediderim principio homines quoſdam diuinarum rerum ſtudioſiores à turba in montes ſe proximos contuliſſe, qui interrogati, cur vitam ſolitariam ſectarentur, quaſi humanam ſocietatem aſpernati, potuerint forſan reſpondere, cupere ſeſe totos Deo deuincire, atque inde ſumpſiſſe nomenclaturam. Certè cinctus Sabinus maximo indicio eſt, qualia fuerint in hac gente vitæ inſtituta: de quo ſuo loco plura. Siue autem Sabinum ſiue Sabum dicas, nihil eſt in re diſcriminis; niſi quòd hoc compoſitum ſit ex duobus nominibus, illud ex nomine & verbo.

Ex his liquet, non abſurdè me facere, dum Quirini nomen de lingua Cimmeriorum examino, & Quiritem ob id haſtam vocatam dico, quòd defendentia arma rumpat: inde tamen nomen Quirino minimè datum eſſe, verùm à defendendo. Hinc *Quirinus* efficitur, vt optimè illi ſenſerint, qui eundem hunc Deum faciunt cum Enyalio, quem *Enyalius.* Heſiodus eundem cum Marte, Sopocles diuerſum opinatur. Arrianus Enyalium *Enyalius Deus.* à Marte occiſum narrat, & inde cognomen ad victoriæ monumentum retinuiſſe. *Enyo dea.* Enyalium autem dictum aiunt ab Enyo belli dea, & hanc ab ἔνω vel ἐνύω, id eſt, occido, Heracleon deduxit, argumento vſus, αὐτοέντην eundem eſſe quem αὐτοφονέντην: cui aduerſatur Apollodorus, exiſtimans hanc deam à clamore vehementi, qui in prœliis edi ſolet, nuncupari; eo quòd ἐναύω idem ſit quod ἐμφωνεῖν. Ab his in diuerſa admodum abeunt, qui Iunonis Enyo epitheton eſſe volunt, ab ἀνύω, quod eſt perficio; quoniam Iuno, id eſt, temperies aëris, omnia perficiat & alat. Dionyſius Halicarnaſſeus Enyalium belli quidem præſidem agnoſcit, ſed dubium eſſe ait, an duo nomina vni Marti dentur, an duobus nominibus duo dij intelligantur ambo belli curam gerentes. Ex hoc Enyalio ſiue Quirino virgo quædam ſemine ſuſcepto filium peperit Medium *Medius Fidius.* Fidium, quo loco Græcum Halicarnaſſei exemplar peſſimè habet μοδίον φαβίδιον. Vt autem plena ſunt tenebrarum & diſcordiæ, quæ de Enyalio ſuo Græci tradunt; ita non minus controuerſiæ apud Latinos de Fidio, quem alij Dios Fidium, pro Dius filium, *Fidius.* id eſt, διὸς υἱὸν accipiunt; ita vt dum Me Dius Fidius dicimus, cenſeamur dixiſſe, ita Me dius fidius amet; quemadmodum Me hercules, vſurpatur: quæ mihi ſententia vt ceteroqui placet; ita in eo diſplicet, quòd dius genitiui caſus hic eſſe velit, vt Feſtus vi- *Dius.* detur opinari; cum omnino rectum nomen ſit, à quo Latinè dicitur ſub dio, quod Horatius interpretatur, ſub Ioue frigido. Plautus in Aſinaria Demænetum ſic loqui faciens, *Per Deum Fidium quæ quæris iurato mihi*; me cogit ſuſpicari, erraſſe omnes qui putant, quòd Deus hic Medius Fidius vocetur. Marmoream tamen tabulam Romæ vidi, ſed talem, vt facile ſe oſtenderet barbari ſeculi eſſe, in qua vir & mulier ſic erant ruditer exciſi, vt dextras iungerent, & in medio puer adſtaret litteris ſingulorum capitibus adſcriptis, pueri quidem tiou SIMVLACRVM, viri HONOR, mulieris VERITAS. Ex hac quiſquam moueri poſſet, vt eorum opinioni accederet, qui Fidium Medium vocari volunt, quòd medius ſit inter duos: Ego tamen Plautum ſequor, & Latinè loquendi conſuetudinem; & illud Feſti de Fidio & filio ſine diſcrimine antiquis dici conſuetis, nihil prorſus ad hanc rem facere cenſeo; præſertim cùm ad Herculem nomen detorqueat, contra Dionyſij & Varronis, vt videtur, ſententiam, qui Fidium Quirini ſiue Enyalij filium habitum produnt, & ab hoc Cures de nomine patris & conditos eſſe & nominatos. Dius igitur Fidius nihil aliud eſt, quàm Iupiter Fidius, *Dius Fidius.* ſi Horatium illud, *ſub Dio*, bene reddidiſſe, *ſub Ioue*, fateamur: vnde & illi erroris conuincerentur, qui Dium neutro genere pro aëre poni tradunt; cùm haud aliter ſub dio atque ſub Ioue dicatur. Porcius Cato item hanc opinionem noſtram confirmat, qui Sabum tradit Dium Fidium, ſiue vt Halicarnaſſeus Græcè dixit, δία πίστιον à Sa-

binis dictum fuiſſe. Omnes tamen & Quirini & Enyalij conuenientia in tenebris micant: propterea quòd nemo eorum cauſſam intelligat, ob quam priſci libri memoriæ tradiderint, Quirinum Enyalium eſſe, & Dium Fidium filium Quirini. Quirinum vnum ipſum eſſe, quòd ciuitates cuſtodit & defendit, modò audiuiſtis. Enyal Cimbris, vnde Græci & Latini fecerunt Enyalium, ſignificat ipſum vnum cuſtodiens omnia; ne vno quidem litteræ apice mutato, ſola adſpiratione compoſitionis ratione è medio ſublata. Enyo verò Tau perdidit, quo Græcorum haberet terminationem, longè aliud ſignans, quàm Græci crediderunt, vnum nimirum caput cuſtodiæ & defenſionis. Et hæc optime quidem priſci illi & Ogygij viri, & conuenientiſſimè iis quæ in ſacris noſtris litteris creberrimè repetuntur; non alium eſſe ciuitatum regnorumque cuſtodem & protectorem, quàm vnum Deum ſolum, & non alium aut in cælis, aut in terris, aut in pace, aut in bello. Neque enim alius Deus eſt, qui hoſtes profligat, cædit, delet; & alius, qui ſuos tuetur, protegit & defendit. Hinc Melchiſedec rex Salem, rex idem hominum magnuſque ſacerdos, Abræ diuinum epinicium canens, inter alia dicit, *Benedictus Abram Deo excelſo, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt.* Quòd autem hic ſolus ſit in cuius manu eſt cuſtodia & clades, ſolus qui omnia regna vel conſeruat vel perdit, Ezechias clariſſima voce profitetur: *Domine*, inquit, *exercituum, Deus Iſraël, qui ſedes ſuper Cherubim, tu es Deus ſolus omnium regnorum terræ.* Quid verò dicit Deus de rege Aſſyriorum exitium Hieroſolymis minitanti, & iam iam inſuperabili exercitu omnia in cineres & ſanguinem redacturo? Quid? *Non intrabit*, inquit, *ciuitatem hanc, & non iaciet ibi ſagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem. In via, qua venit, per eam reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. Et protegam ciuitatem iſtam, vt ſaluem eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.* Hæc Dominus. quibus mox additur: *Egreſſus autē eſt angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorū centum octoginta quinq. millia.* Videtis'ne hic, boni viri, eundem Deum eſſe, qui ciuitatem Hieroſolymitanam tuetur & protegit; & eundem, qui tam vaſtam in caſtris Aſſyriorum edit cladem, vt tot hominum myriades occidione occiderentur, nullo humano auxilio aut copiis hoſti obiectis? Non igitur alius eſt Mars omnia confringens, cùm ipſius omnipotenti voluntati viſum eſt; & alius Quirinus vrbem protegens, & ab omni vi & noxa cuſtodiens, vti Seruius & multorum numinum fabri putauerunt: ſed vnus eſt cuſtodiens quæcumque vult ſalua, & in puluerem comminuens quæcumque vult perdita atque confracta. Quamobrem non ſine diuino inſtinctu nomina illa ſunt facta, quibus apertè ſignificatur, vnum eſſe defenſorem omnium, qui dum faciem ſuam & cuſtodiam à nobis auertit, extemplo perimus, nullis viribus aliis ſuſtinendi aut ſeruandi. Idem itaque Quirinus, quo ſignificatur, in vno ſolo eſſe defenſionem: & Enyalius, quo vnus dicitur cuſtodire omnia: & Enyo, quæ vox nihil aliud ſignificat, quàm vnum eſſe caput protegens & cuſtodiens. Nec refert in feminino ne genere an in maſculino nomina eiuſmodi proferantur; cùm in Deo nullus ſit ſexus, ſed æquè & maribus & feminis ſe præbet cuſtodem, iuxta illud Orphicum:

Iupiter & mas eſt & femina neſcia mortis.

Nec aliud eſt Filius Dei, aliud verbum, aliud ſapientia, aliud veritas, licet diuerſis generibus enuntientur. Hinc modò licet æſtimare, & iuſta expendere trutina veterum ſcriptorum de Enyalio & Enyo ſententias; quarum nulla vera eſt in nominum ratione danda; hoc vno recipiendæ omnes, quòd fateantur his vocibus ſignificari poteſtatem quandam diuinam bellis præſidentem; illo rurſus reiiciendæ, quòd ſtatuant aliud ab hac eſſe numen quod vrbibus præſit tuendis.

Enyalius vnde dictus. Een ſiue Eeen. Hu ſiue Hy-al. Enyo vnde dicta Een hy hoet. Deus vnus & ſolus ciuitatum & regnorum cuſtos atq. protector, hoſtes profligās &c.

Nec malè eſt à quibuſdam obſeruatum, Enyo Iunonis eſſe cognomentum; ſed id malè additum, eius rei rationem ex illo aptam eſſe, quòd Iuno aëris ſit temperamentum. Modò ex Ezechia audiuimus, *Tu es Deus ſolus omnium regnorum terræ*; quod poëtæ ſiue Orphici ſignificare volentes, Iunonem dicunt; qua voce Cimbri intelligunt fauoris caput, quod nihil aliud eſt, quàm ſolo fauore diuino, nullis viribus humanis, regna conferri atque ſeruari. Num igitur mirum, Iunonem vocari Enyo, id eſt, vnicum & ſolum cuſtodiæ caput? An aliunde quàm à fauore diuino, & à ſolo omnis fauoris capite tutela omnium non regnorum modò & ciuitatum, ſed ſingulorum etiam homi-

Enyo Iuno.

Iuno vnde dicta.

hominũ pendet? Animaduertitis ne hîc, vt apud veteres ſcriptores ſcintillæ adhuc quædam ſub multa fauilla occultentur, è quibus diligenter obſeruatis ne exſtinguantur, non parum adhuc luminis poſſit excitari ad priſcam Ianigenarum religionem peruidendam. Verùm hæ ab Italis, vtpote primi maiorum ſermonis ignaris fruſtra quæruntur; apud quos adeò nihil ſani vel de Marte, vel de Enyalio, vel de Enyo, eſt cogitatum: vt cùm vbique à veritate & religione longiſſimè aberrarint, tum nuſquam ferè ab ea fuerint quàm in Enyo remotiores; quandoquidem eam putarint demente furore, & inſania pluſquàm cyclopica delectari; & idcirco eam vulneribus corpori ſuò ſponte inflictis colendam exiſtimarint.

O fallacem vbique draconem, humani generis hoſtem; & nuſquam magis fallacem, quàm in optimis de religione opinionibus corrumpendis, & ſanctiſſimis nominibus ad furorem ſuum pertrahendis! Quid veritati congruentius, quid magis pium, quid hominum conſeruationi aptius, quid ad Reipublicæ ſalutem magis neceſſarium, quàm perſuaſum habere, in vno ſolo Deo omnem tutelam ſitam eſſe, atque eum, vt omnis cuſtodiæ caput, inuocare? Quid contrà magis impium, quàm maiorum inſtituta tam diuina ad illas dæmoniacas transferri furias, quibus draconis tabum homines exagitabat, non in aliorum tantùm cædem, ſed in ſuam etiam ipſorum carnem fœdis plagis lacerandam. Quod tamen vt procliuius lubricis in malignum hominum animis perſuaderetur; pro Enyo inuidus ſerpens Bellonæ nomē, quaſi non aliud hoc, quàm illo *Bellona vnde dicta.* notaretur, in Romanorum vſum venire curauit: quo vt nulla cuſtodiæ, nulla vnius notio continetur, ita non aliud, quàm feritas, violentia, & crudelitas deſignatur: cùm Bellum Latinorum à Bel priſca Cimbrorum voce, qua id ſignatur, quod ipſi Leb/ *Bellum. Bel. Leb.* id eſt, vitæ, repugnat, deriuetur: à qua Belg pro iraſcor, & Balg pro pugno: vnde Belgæ pugnaciſſimi Gallorum populi nomen acceperunt. *Belg. Balg.* Satius tamen eſt, tam diro nomine exitialem humani generis peſtem vocare, quàm eam diuina Enyus vel Enyalij vel Quirini appellatione dignari. Sed abeat Bellona ad Tartarum, ſedem & ſibi & ſuis clientibus ab æterno deſtinatam: nos in veri Enyalij tutela & cuſtodia perpetuò maneamus. *Belgæ Gallorum populi vnde dicti.*

PORRÒ Dius Fidius non malè ortus dicitur è Quirino; eo quòd nulla fides inter homines conſtare poſſit, citra vnum omnia cuſtodiens, & homines vniens. *Dius Fidius, Quirini, ſiue Enyalij filius.* Hoc ipſo enim pax & fides conſtat, quòd homines ab ipſo vno in vnanimi conſenſu ad omnia vitæ officia cum decoro, iuxta Themidis normam, obeunda cuſtodiantur. Vnus enim & ſolus Deus fidem humanæ ſocietatis vinculum & gignit & conſeruat: quod illi indicarunt qui Fidium Enyalij ſiue Quirini filium fecerunt. Nolo altiùs huius fabulæ ſiue allegoriæ myſterium examinare; ne nimium videar priſcis illis tribuere veritatis. Alioqui dicerem, non communem modò inter homines fidem hic deſignari; ſed illam etiam quam Deus per Spiritum ſanctum nobis largitur, quæ vera proles eſt Quirini Chriſtianorum. Immò & excelſius quiſquam rapi queat, & eam ex Feſto Pompeio haurire ſuſpicionem, non alium eſſe Herculem & Dium Fidium. Fingunt enim *Chriſtus Dius Fidius & Sabus.* Sabini, Fidium ſuum natum eſſe è Quirino & virgine: quod ſi ad aliquam velis veritatis regulam applicare; non video, quò melius ſit referendum, quàm ad eum qui è Virgine & Spiritu ſancto natus, ſimul Deus & homo nihil aliud quàm veram & viuam fidem ab hominibus poſcit, quam & ipſemet petentibus gratia ſua largitur; ita vt meritò non Fidius tantum, ſed Dius etiam Fidius nuncupetur, id eſt, Deus ſiue Iupiter Fidius. Quod vt veriſimilius reddatur, addendum & illud ex Catone, hunc ipſum Dium Fidium Sabum etiam vocari: quæ vox à Sarbont facta, deſignat primæ cauſſæ *Sabus dictus Dius Fidius. Sar. Bont.* vinculum. Chriſtus enim vinculum & mediator inter Deum ſiue primam cauſſam & hominem. Sabinus autem Sabi filius eſt; quoniam omnes ij qui primæ ſe cauſſæ alligant, quod eſt Sarbinen/ per ipſum primæ cauſſæ vinculum ſe ligare debent, num- *Sabinus.* quam alioqui Deo alligandi: quandoquidem non aliud vinculum ſit, quàm Chriſtus verus Deus & homo, & ſolus inter hominem & Deum mediator. Huius autem filij ſunt quotquot per fidem ſeſe ipſi deuinciunt. Nochus igitur Sabinus fuit Sabi filius & viua eius imago, & non ipſe ſolus, ſed omnes quotquot ſeſe Sabo ſiue Dio Fidio per fidem coniungunt.

SCIO eſſe non paucos, aut potius quamplurimos, ne dicam pleroſque omnes qui

Allegoriæ & Ianigenarum fabulæ vetuſtiſſimæ diligenter ſunt examinandæ, & ad veritatem referendæ.

tam praua de antiquis fabulis opinione imbuti ſunt, vt ſi hæc ipſis dicerentur, mox cælum terræ clamoribus miſcerent, & fortè ſibi veſtem ſcinderent; tamquam ſacrilega hæc eſſet oratio. Verùm id genus homines valde iniqui ſunt, allegoriis non ſolùm prophetarum, ſed ipſius etiam Chriſti, dum credunt, nihil ſani ſub fabularum laruis latêre poſſe. Quid dico, iniqui ſunt allegoriis? verius dicerem, blaſphemos & maximè iniurios in viros illos, quorum ſingularis vel vitæ ſanctitas, vel felicitatis à Deo conceſſa prærogatiua diuinis Moſis oraculis eſt celebrata. Num putamus Nocho Spiritus ſancti dona defuiſſe: num ei nihil inſpiratum de Chriſto venturo, nihil de ſanguinis diluuio, quo totius mundi ſordes eſſent abluendæ? Quem Deus filij ſui typum eſſe voluit, cum ſcilicet omni cæleſtis vitæ conſolatione fraudauit; ei ſcilicet nullam ſpem dedit humanæ naturæ reparandæ, & ad integritatem à qua lapſa erat, reducendæ? Quò, rogo, illa ſpectabat prærogatiua, Iano diuina patris promiſſione confirmata, & hac fauſtiſſima verborum formula concepta, *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, ſitq́. Chanaan ſeruus eius?* Cui Deus pollicitus eſt Semi tabernacula, quid aliud pollicitus eſt, quàm omnia quæ Semi erant futura, & inter cetera poſſeſſionem eius primariam, quæ ſita erat in vero Dei cultu? Quis autem poſterorum Iapeti ſiue Iani hanc occupauit? Quis? Nempe Italus Ianigena, & externi ſermonis ferens nomenclaturam, tum ob alia antè dicta, tum quia in alterius linguæ hominum hæreditatem diuina gratia erat venturus. Quando hanc Semi hæreditatem occupauit? Tum haud dubiè, cùm religio ad Romanos venit, dum Sibyllæ carmina vnum regem adorandum dicerent, aliaque ad fidem noſtram ſpectantia clarè monerent. Hæc per Nochi os Iano promiſſa ſunt: & nihil prorſus eorum dicemus vel ab ipſo Nocho, vel à Iano fuiſſe intellectum, aut eò, quò debebat, relatum; nihil etiam horum quæ Deus ſe poſteris daturum ſpoponderat, memoriæ mandatum, nihil ſcriptum, nihil allegoriis aut fabulis inuolutum? omnia neglecta, & contempta, & indigna viſa, quæ ad nepotes & eorum poſteros certis aliquibus ſignis & notis tranſmitterentur? Si quis ſic cogitet, ſi quis tam abſurda contra diuiniſſimos illos viros ſibi perſuadeat, ſi quis tam ingratos eos contra Deum, tam inuidos contra poſteritatem faciat; eum ego non modò iniurium & ſacrilegum in ſanctos viros, ſed etiam ab omni ſenſu humanitatis alienum eſſe dico. Quamobrem vetuſtiſſimæ illæ Ianigenarum fabulæ apud Pontifices conſeruatæ, & per manus ad poſteros tranſmiſſæ, diligentiſſimè ſunt examinandæ, & ad veritatem referendæ, quàm facilè in iis perſpiciemus, ſi priſcas voces hac via quam hîc monſtramus, interpretemur. Equidem omnia reiicerem & contemnerem, quæ per eam inueniuntur; niſi viderem perpetua quadam rerum inter ſe conſonantium catena me trahi, & omnia ſic inter ſe conſentire, vt nulla harmonia maiorem poſſit habere concentum. Videte igitur quò dæmoniaca fraude pertracti ſint mortales, dum ex Enyo Bellonam fecerunt, furiam ex dea tutelari. Sed miſſa faciamus hæc; ſic tamen, vt perpetuò nobiſcum maneat verus Quirinus, ad cuius cognitionem Dodonææ quercus oraculo peruentum.

Redeamus ad pomoſam noſtram coronam, ad quam abſoluendam, ſat mihi videor pomorum attuliſſe.

FALKEN. Ne obliuiſcaris pyrorum, & nucum, & caſtanearum quas tibi in Theatro Pompeij Romæ habitanti campus florens larga copia ſuppeditabat ad vini ſaporem reddendum ſuauiorem.

GOROP. Numquam abſoluero, ſi per pyrorum genera fuerit vagandum. Quòd ſi cum Virgilio contentus ſis

Cruſtumiis Syriiſque pyris, grauibúſque volemis,

Pyrorum varia genera. Cruſtumia pyra. Syria pyra. Volema pyra. Vol. Heim. Pyrum vnde dictum.

tolerabilis conuiua poteris videri: attamen ne ſic quidem multò à me certior, quàm antè fueris, abibis. Macrobius vt mala, ita & pyra diuerſorum quidem nominum eſſe dixit; ſed qualia quæque eſſent, non adiecit. Seruius Cruſtumia ab opido nominata rubere quadam parte dicit, Syria nigra, Volema Gallica lingua bona & grandia interpretatur; quod ſi verum eſt, vox compoſita eſt à Vol-Heim, id eſt, à plena domo, quaſi vox eſſet optantis magnis bonis ſibi domum repleri. Equidem nomina non ſector, non magis quàm in malis, cùm in vtroque genere alia ſint apud alios vt variis de cauſſis indita, ita nihil ad antiquitatis cognitionem factura. Sat ſit ipſum genericum pyri nomen intelligere; quod quidam, quaſi à πῦρ deriuaretur, per ὑψιλὸν ſcribunt: ſed mea quidem

ſententia

ſententia aliunde nomen duxit. Nos Peer vocamus à Weer, propter primam ſilueſtrium naturam, quæ ſic ſeſe defendunt contra comedentes, vt ferè ſuffocent; quam ſuam indolem difficulter ſinunt mitigari. *Peer. Weer.*

CASTANA ſiue Caſtaneæ nuces vnde dicantur, nec Græci, nec Latini tradiderunt. Mnaſitheus Athenienſis Euboicus etiam nuces vocari ait in iis quæ de eduliis ſcripſit. Oppius in libro De ſilueſtribus arboribus Heracleoticas quoque dici auctor eſt; cùm Mnaſitheus nuces Ponticas hoc nomine intellexiſſe videatur: Diphilus Sardianas glandes: Agelochus Amota & nuces Sinopicas videtur nuncupaſſe. Sed in hac diuerſitate nominum nihil vtilitatis. Pluris facio eos qui caſtaneas maiores Maronia vocant concinniore nomine, quàm ipſimet arbitrentur; propterea quòd egregium ſint illectamentum ad vinum Maronium ſuauiter ad luculentum ignem pitiſſandum. Caſtana autem dicuntur, quaſi Coſtana; quòd non antè legantur, quàm tempus adſit hibernum; quo iam incipiendum eſt hominibus ea conſumere, quæ æſtate repoſuerunt. Memini cùm Xerandiliæ in pede montis Vaccæ eſſem, menſe Nouembri, matutino tempore multo ante lucem, maximam omnis ætatis & ſexus turbam quotidie excurrere facibus accenſis, quæ nihil aliud erant quàm baculi quernei excorticati & contuſi grauibus malleorum ictibus, ac deinde accuratiſſimè deſiccati, quibus vtebantur, ne per tenebras vel in ſaxa impingerent, vel præcipitarentur, interea dum ad caſtaneta adſcenderent. Erat ſanè hoc ſpectaculum iucundius vario cantu, & clamore, & luminum frequentia, quàm omnes nocturni laruatorum in Bacchanalibus diſcurſus; cùm non pauciores quàm trecenti, aut quadringenti, aut plures etiam ad caſtaneas legendas, mihi multis diebus exire viderentur. Hæc enim ipſis præcipua eſt meſſis: quarum ſi magnam copiam collegerint, eas tritico cum Toletanis, aut aliis vicinis ciuitatibus apud quas ſunt, pro bellariis commutant. Sin quis eſt cui minus earum ſit, quàm vt tantum pro iis tritici habere poſſit, quantum integro anno ſit ſuffecturum, ei neceſſe eſt his glandibus frumenti loco veſci. Faciunt nimirum hi, ne cui mirum videri debeat, quercus primis mortalibus victum ſuppeditaſſe; quod tamen ego longè aliter quàm plerique omnes intelligo, ad allegoriam totam hanc referens narrationem, ad quam Druidum me cærimoniæ impulerunt, qui firmiſſimum animorum pabulum nõ aliunde quàm è cælo nobis dilabi exiſtimantes, opinionis ſuæ teſſeram glandibus attexuerunt; non tamen hac ſola vſi ratione, ſed aliis multis ſuo loco à me latiùs exponendis. *Caſtana, ſiue caſtaneæ nuces. Heracleoticæ nuces. Ponticæ nuces. Sardinianæ glandes. Amota. Sinopicæ nuces. Maronia.*

NVCES quas addidiſti, Falkenburge, cùm pomorum nomine potius quàm glandes apud Latinos comprehendantur, non ſunt alienæ illæ quidem à Vortomni corona, ſed latius earum ſe porrigit conſideratio, quàm vt tota breui ſermone poſſit comprehendi. In his auellanæ nuces ab Auella Campaniæ opido dictæ, ſi cui id placere poteſt, ab aliis Ponticæ & Heracleoticæ, mirum eſt quòd corylum arborem parentem nomine ſuo non honorarint, quam tamen Magi in ſumma habent veneratione, ita vt inde nomen Coryli traxiſſe videatur, à Coer-hul, quo cærimoniarum imitatio Cimbris notatur. Sed relinquamus nuculas Prœneſtinis. ad regias ſiue Baſilicas veniamus, quæ præſtantiore nomine Iuglandes, quaſi Iouis glandes nominantur. Hæ nuptiarũ auſpiciũ olim habuerunt, vt Feſtus annotauit. Plinius Fiſcenninorum comites dicit, quæ carmina nuptiis cani ſolent, licentia quadam maiuſcula, matrimonij ſtatum aperientia; vnde mihi non ſemel in mentem venit, non ab opido, vt putant, eius nominis, ſed à materia ſic vocari; cùm Weſenkennen nihil aliud ſit, quàm ſtatum cuiuſuis rei nouiſſe. Primis enim illis maioribus ſummæ curæ fuit, omnibus modis bene proſpicere ipſi primo hominum ſocietatis exordio, ceu neceſſario totius Reip. bene feliciterq. conſtituendæ fundamento, citra quod fruſtra de reliquis ad beatam mortalium vitam neceſſariis laboraretur. Quamobrem carmina cani in nuptiis voluerunt, quibus omnia quæ ad rectum legitimi ſanctique coniugij ſtatum pertinerent, liberrime oſtenderentur. Quoniam præterea nihil æquè memoriæ infixum manet, atque id quod ſymbolis quibuſdam palàm non docetur modò, ſed ſpectandum etiam proponitur: viſum eſt & hoc præſidio, ſiquando alibi, tum maximè in nuptiis vti. Placuit ergo nux in primis multis de cauſſis, & inter ceteras, quas longum eſſet ſigillatim explicare, hæc vna fuit, quòd nucleum quidem habeat ſuauiſſimum, ſed eum multis munimentis ita vallet atque cuſtodiat, vt prorſus diuinum eſſe videatur, quod intus continetur: quo monere voluerũt, dulciſſimum eſſe *Nucum varia genera. Auellanæ nuces. Corylus. Baſilicæ nuces ſiue Regiæ. Iuglans i. Iouis glans. Fiſcennina carmina. Weſen. kennen. Nux nuptiarum ſymbolũ.*

matrimonij fructum, ſed opus eſſe plurima, & diligentiſſima, & firmiſſima cuſtodia ad eius ſuauitatem tuendam. In primis acerbi labores ſubeundi, duriſſima quæque perferenda, vt ea ſuppetant, quibus connubij & dulcedo & dignitas tum augeri tum conſtare poſſit. Hæc ſi enumerem, infinitus ſim; & in re clara multum operæ verborumque ponere, odioſi ſit declamatoris aurium patientia abutentis. Plautinũ eſt: Qui è nuce nucleum eſſe vult, frangit nucem; at priſcorum fuit ſententia, qui coniugij ſuauitatem guſtare velit, & perpetuam ſibi, dum viuit, ſeruare; eum oportere id quod cariſſimum habet, acerbo labore, amaris curis, duris aſperiſque moleſtiis, multis diligentiæ inuolucris & mæandris & parare, & cuſtodire; haud ſecus atque natura nucleum in nuce prius accuratiſſimè munit, quàm gignat; deinde natum paullatim diligẽtius obſepit, & vndique defendit, quo perueniat ad deſtinatum dulcedinis finem. Quocirca ſi vxor cara, ſi liberi cari, ſi horum proſperitas iucunda & ſuauis; neceſſe eſt, vt ſumma diligentia naturam in nucleo muniendo ſequamur. Ad hanc teſſeram ille reſpexit, qui nomen regiæ nuci dedit Caryon, eo quòd Car-hut ad vnguem Cimbris deſignet ipſius quod carum eſt cuſtodiam. Car autem noſtras eſſe vocabulum, cùm in Amazonicis oſtendi, tum de formula conuerſionis, quam peculiarem Cimbri habent, eſt clariſſimum: quandoquidem vox verſa finem ſignificat & ſcopum, ad quem is tendit, cui quippiam eſt carum. Quo verò magis mihi credatis, videte ab eodem fonte nuclei nomẽ apud nos manaſſe, quem Carn vocamus. Iniurius igitur eſt Plinius Iouis glandi, dum à capitis grauedine, quam inducat, nomen accepiſſe dicit: quod tantum abeſt vt verum ſit, vt ne hoc quidem ipſi demus, hoc nomen huic nuci eſſe peculiare; immo contrà cum Græcorum doctiſſimis, vocabulum hoc commune non ceteris modò nucibus, ſed etiam amygdalis eſſe, aſſeramus; propterea quòd diligenter id quod in ipſis eſt cariſſimum, cuſtodiant. Neque verò iuglandes magis capiti nocent, quàm amygdala. Quid dico nocent, cùm vtrumque genus robur capiti addat, vt in medicorum ſcholis nemini dubium eſſe credo. Virgilius quamuis etymon ignorarit, bene tamen Caſtaneas nuces vocauit, de veterum Græcorum imitatione, apud quos & hoc genus Caryi nomine comprehenſum fuiſſe Heracleon Epheſius teſtatur; nec malè omnino, eo quòd licet inter glandes ſit, nucleum tamen ita muniat, vt idem nomen mereatur. Qui igitur Carya in nuptiis iacienda voluerunt, non ſolùm naturam imitandam propoſuerunt, ſed nomine etiam ipſo ſignificarunt, nouam nuptam diligenter eſſe cuſtodiendam, & ab omni muniendam aduerſitate.

Caryon nux regia. Car. Hut. Rac. Carn.

Quemadmodum autem Græcis ignota eſt nominis Caryorum ratio, ita & Latinis Nucum; tametſi & ab horum quibuſdam eò ventum ſit, vt à nocendo nucem deriuent, quoniam ſatis noxiam eſſe dicant. Abſit omen, vt fructus dulciſſimus tam inauſpicato nomine à vetuſtiſſimis fuerit vocatus. Abſit, inquam, vt eandem nucem & noxam eſſe dixerint, & Iouis glandem. Quid rogo vtilius hac nuce, quam Græci Baſilicam nominarunt? Arbor ad delicatiora opera elegantiſſimam præbet materiam: nux ipſa non ſuauis modò ad edendum, ſed oleum etiam ſundit dulciſſimum, nec minus ſalubre: quas dotes maxima pars Galliæ inſigni commoditate experitur. Iam ne cortex quidem exterior variis caret emolumentis, hinc tinctoribus, hinc medicis in faucium inflamationibus miram adferens vtilitatem. Nec teneris nucibus necdum nucleos habentibus inſignis deeſt vſus, dum ad ventriculo robur conciliandum vel ſapa, vel melle, vel ſaccharo condiuntur, hac parte non parum myrobalanis omnibus præſtantiores; reclament licet quotquot ſunt peregrinæ mercis patroni, frequentiſſimè pretio potius & recepta temere opinione, quàm bene accuratéque expenſa ratione ſententiam de rebus ferentes. Habent enim vltra inſignem adſtrictionem partes quaſdam ſubtiliſſimas, quibus roborandi vis ad intima quæque defertur, ita vt non ventriculo modò & hepati relaxatis opitulentur; ſed ſpirituum etiam vitalium officinam à noxiis & peſtilentibus fumis tueantur: nec hæc ſolùm eximiè præſtent, ſed præterea etiam proprietate quadam peculiari à tota ſubſtantia manante epidemicam luem & veneni noxam arceant, ita vt meritò in primariis fuerint Mithridatis amuletis. Cùm igitur tot ſint inſignes dotes huic fructui interius ſumpto, cùm præterea exterius inflamatis, ambuſtis, relaxatis, alopecia laborantibus, ſordidis & malignis vlceribus, & plurimis aliis vitiis egregiè reſiſtat; cuius tandem eſſet aut impudentiæ aut imperitiæ, ei nomen à nocendo

Nux vnde dicta. *Nucis vires & facultates.*

nocendo deriuate? Nux Cimbris Not dicitur vel Nut; à quo non mirum eſt, Latinos Nux feciſſe, cùm Allemanni quoque Nuß inde forment. Quamobrem obſcura non eſt vocis ratio, ſi conſideremus quid Noot per ω mega deſignet, quod neceſſitatem ſignificare ſcimus. Huius conuerſio Toon nihil aliud eſt, quàm oſtendo; propterea quòd neceſſitas nihil non demonſtret aut doceat eorum quæ homini ſunt facienda; iuxta illud ab Euripide dictum, hominem neceſſitate ſapientem fieri, quantumuis tardo ſit ingenio. Fertur Archytæ Tarentini verſus idem affirmans, quo & Plutarchum vſum recordor:

Not.
Nut. i. nux.
Nuſſ.
Noot.
Toon.
Neceſſitas omnia demonſtrat & docet.

χρειὼ πάντ᾽ ἐδίδαξε, τίδ᾽ οὐ χρειώ κεν ἀνεύροι.

Bene quidem hæc & veriſſimè à priſcis Græcis traduntur; ſed tanto compendioſius, quanto maiore artificio in Cimbrico ſermone hæc ſententia vna ſyllaba & tribus dumtaxat litteris continetur; quibus non hoc modò oſtenditur, neceſſitatem docere; ſed illud etiam, fruſtra doceri, quæ non ſunt alicuius neceſſitatis. Sic enim voces hæ prorſa & verſa ſunt inter ſe connexæ, vt veſtigiis retrò lectis vtrumque diſcamus, & à neceſſitate doctrinam proficiſci, & contrà ea dumtaxat eſſe demonſtranda hominibus, quæ ad aliquam pertinent neceſſitatem: qua poſteriore parte omnes ſupervacaneæ curæ proſcribuntur. Quoniam igitur Carya arbor plurima nobis adfert ad vitam neceſſaria; quæ modò ſunt breuiter indicata; & præterea res eas nobis exemplo ſuo oſtendit, quibus ad Reipub. ſalutem in primis opus eſt; meritò nomen accepit, quo parua quædam neceſſitas ſignificari videretur. Quemadmodum enim Noot vocali longa neceſſitatem ſignat; ita Not vocali breui Caryon, à qua voce Nux Latinorum corrupta, de genitiuo fortaſſe, qui Nots eſt, occaſione ſumpta. A Noot item fit Nut/ id eſt, vtile; eo quòd hoc paullo minùs ſit quàm neceſſarium: à quo ſi nucem deriuetis, non malè omnino feceritis. Verùm mihi placet prior ratio, non ſolùm vtilitatem complexa, ſed propius etiam ad neceſſariorum demonſtrationem accedens. Nam ipſum nomen de origine ſua dicere videtur; qui ſuauitatem quampiam velit deguſtare, ei neceſſarium eſſe, vt per acerba, amara, dura, & multos anfractus ad eam pertingat. Videtis'ne modò quàm elegantes rationes vtraq. vox & Græca & Latina habeat, ſi ad primos ſuos natales reuocetur; quibus non tantùm nucis natura, ſed ſymbolica etiam admonitio apprimè cum ad reliquorum omnium, tum maximè ad coniugatorum vitam vtilis continetur. Habemus itaque cauſſam, ob quam nuces in nuptiis iaci conſueuerint; & inde ferè intelligimus, cuius generis fuerint carmina Feſcennina, quorum hæ comites cùm eſſent, nihil aliud dicere videbantur, quàm ſuaues quidem eſſe matrimonij fructus, ſed eos multis difficultatibus includi, quas neceſſe ſit perrumpere, ſi illis ſit fruendum.

Nut i. vtile.

Idem propè ſignificabat nux pinea; niſi quòd copioſo ſuo ſemine fauſtum præterea omen numeroſæ ſobolis habere videretur, & hoc etiam adderet, omnẽ duritiem & moleſtiam, per quam ad coniugij dulcedinem peruenitur, calido amore eſſe vincendam & mitigandam, haud aliter atque ſemina è Cybeles pomis calore depromuntur, quo duriſſima ſepta facillimè dehiſcunt, nullis alioqui machinis aperiẽda. Frequens autẽ Thalaſſij acclamatio in nuptiis fieri conſueta omnium onerum communionem coniugatis ingerebat, quo monerentur, nihil tam graue alteri eorum euenire poſſe, ob quod legitimum matrimoniũ rumpere liceret: quod Chriſtiani etiam in iugali contractu ab vtroque volũt ſponderi. Plutarchus enim fruſtra de lanificio cogitauit, falsò ſibi perſuadens, primam Romanorum linguam Græcam fuiſſe. Thy-alle-laſt idem eſt quod ad omne onus, vnde Thalaſſij nomen corruptum. Hymen verò ad viri cuſtodiam ſpectabat, eo quòd hic caput eſſet, nec ſaluus eſſe poſſet, niſi & vxor ſalua eſſet, cuius cuſtodiam & omne onus in ſe receperat. Hu-man enim, vt Doricôs pronuntiatur, ſiue Deus ipſe, ſiue Dei miniſter dicitur, quoniam virum cuſtodiat & tueatur. Sed hæc aliàs & ordinatius & copioſius. Relinquamus modò nuces. FALKEN. Mirificè me, quæ de nucibus dixiſti, delectarunt: nec video modò quid vlteriùs mihi de pomis dici optem.

Nucis pineæ ſymbolum.
Thalaſſii acclamatio in nuptiis quid deſignet, & vnde dicatur.
Thy ſiue Te.
Al.
Laſt.
Hymen vnde dicatur.
Hu.
Man.

GOROP. Non pauca reſtarent, ſi de omnibus eſſet ſermo habendus: ſed hoc dumtaxat in iis vobis puto placere, quod faciat ad antiquitatis cognitionem, quam hic nobis propoſuimus in Propertio examinandã. Nihil igitur de carycis, palmulis, caryotis clientum viliorum ſtrenis, nihil de oliuis, orchadibus, radiis, pauſiis, aliiſque id genus di-

cendum: quæ ſi perſequenda eſſent ſigillatim, dies nos deficeret. Arbor tamen illa quam procul video, niſi me oculi fallant, Sorbus eſt, quam Latini noſtro quoque nomine hactenus appellant. Nam Sour-wyn acidum vinum notat, è quo Sorbum, quòd acidi vini habeat ſaporem, atque adeò ſucco ſuo vinum æmuletur: quod Virgilius ita expreſſit, vt nominis rationem ſciuiſſe videatur:

Sorbum vnde dictum. Sour. Wyn.

Hic noctem ludo ducunt, & pocula læti
Fermento atque acidis imitantur vitea ſorbis.

Videtis'ne quàm aptè nominis ratio rei ſignificatæ & naturam & vſum expreſſerit, dum Sorbum acidum vinum ſumus interpretati? Sunt in hoc genere Torminalia, vocata quòd torminibus ſiue dyſenteriæ medeantur; quorum arbor foliis ſuis Platanum refert. Sed ſatis de Sorbis atque in vniuerſum de malis.

Torminalia ſorba.

Tranſeo igitur ad Propertium, qui duabus nominis Vortomni rationibus reiectis, tertiam addit, quam vt veram ipſi Deo tribuit, prioribus ad mendacem famam relegatis:

Mendax fama noces, alius mihi nominis index:
De ſe narranti tu modò crede Deo.
Opportuna mea eſt cunctis natura figuris,
In quamcumque velis, verte, decorus ero.

Cauſſa nomenclaturæ, quam hîc latè perſequitur, æquè eſt atque priores falſa, vti ſatis liquet ex iis quæ à me dicta ſunt: quibus apertum etiam reddidi, qua ratione omnis ornatus Vortomnum deceat; non alia nimirum, quàm quòd Deus omnis felicitatis auctor æquè paratus ſit & promptus ad cuiuſuis vel generis vel artis homines benignitate ſua, in iis quæ faciunt, promouendis.

Mendax vnde dicatur. Mein-eet. Mein. Men. Mien. Mi. En. Mien-eet. Mien-dacht. *Fama vnde dicta, et quid ſignificet.* Faem.

Mendax quis ſit, noctes Atticæ docuerunt, illi hoc nomen impingentes, qui conſueuerit contrà loqui, quàm mens ſentiat. Vnde igitur etymon? Num fortè à mente, per antiphraſim, vt Eumenides dictus aiunt? Mihi non fit probabile; vt qui putem ex Cimbrico ſermone vocem hanc ortum habere. Mein-eet periurium ſignificat, quod vulgo nec bene ſcribimus, nec bene pronuntiamus. Eſt enim Mien-eet proferendum, diphthongo conuerſa; eo quòd Mein ſit opinari, à Men/ quod eſt duco; Mien verò falſum, & vnitatem vitans, à Mi/ id eſt, vito; & En/ vnum. Hinc Mien-eet falſum iuramentum, eo quòd in ipſo iuramenti & vnius concordia vitetur. Eodem Miendacht/ id eſt, mendacium; quoniam aliud dicitur, aliud cogitatur, vitata nimirum vnione ſermonis & cogitationis. Hinc Latinis mendax, pro diphthongo, qua carent, ſecunda vocali retenta. Fama nobis Faem dicitur: Latini opinantur à for, quod falſum; cùm & Græcis φήμη dicatur. Nec item Græcis à φημὶ, quod idem eſt quod loquor. Nos ſcimus famam eſſe id, quod inter homines iactatur, incerto auctore; quod cùm nec in hoc ſit nec in illo fixum, in aëre videtur eſſe. Hinc volare dicitur, vt in Argonauticis Orpheo attributis,

φήμη δὲ διέπτατο δώματος εἴσω.

Quoniam verò aër & celerrimè fertur, & à terra ad cælum pertingere videtur; ſic à Virgilio deſcripta eſt Fama, vt neutrum horum ſit neglectum:

Fama deſcriptio.

Fama malum, quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget, viréſque acquirit eundo:
Parua metu primo, mox ſeſe attollit in auras;
Ingrediturq́; ſolo, & caput inter nubila condit.

Verùm quo certius fiat Famam ab eo in aëre conſtitutam eſſe, perinde atque noſtrates ferè de ea loquuntur, Theocriti cum Virgilio collationem adducam. Ille enim in Thalyſiis:

Κ'ἠγὼν τοὶ ἔφαμαν, λυκίδα φίλε, πολλὰ μὲν ἄλλα
Νύμφαι κἠμὲ δίδαξαν ἀν ὤρεα βουκολέοντα
Εσθλὰ, τά που καὶ ζανὸς ἐπὶ θρόνον ἄγαγε φάμα.

In his multa eorum quæ à Nymphis in montibus paſcens d'dicerat, ait ad Iouis vſque thronum Famam pertuliſſe: quod Mantuanus ad hunc modum imitatus eſt:

O quoties & quæ nobis Galatea locuta eſt,
Partem aliquam venti diuûm referatis ad aures.

Hîc

Hîc videre licet, ventos pro fama poſitos eſſe, quam tam diligenti antiquitatis obſeruatione ferè totus obſtupeſco, cùm nequeam reperire, qua via tam propè ad veram nominis rationem acceſſerit, vt famam per ventos tamquam ſubiectum ſiue materiam definiuerit. Quid enim aliud eſt Faem/ quàm Wai-hem/ id eſt, venti vox, ſiue vox per *Wai.* flatum allata? Fit autem ex duplici digamma noſtrati digamma Æolicum, ad leniorem *Hem.* compoſitioni ſonum comparandum; cùm mollius ſit Faem quàm Waem. Fuerunt qui putarent Rumorem & Famam diſcrimine quodam diſſidere: verùm illud aſſignare *Rumor vnde dicatur.* difficile eſſet Latinis, cùm vtrumque nomen noſtratibus ſit vernaculum. Rumor enim tum Fama eſſe incipit, cùm iam in populo ita inualeſcit, vt iam latiſſimè omnium auribus *Ruim.* inſonet. Nos tamen hac voce non ferè vtimur, niſi pro ea fama quæ homines *Hoor.* quadam tenus commouet atque perturbat. Componitur à Ruim & Hoor/ quibus vocalis auditus latè in omnem partem ſparſus notatur: qua de cauſſa pro murmure ſæpius & commotione apud noſtros, quàm pro fama, vſurpatur; quamuis de vtroque dici poſſit. Et hæc quidem obiter de Fama & Rumore, quo cernatis, vnde Latinæ linguæ origines ſint petendæ; quas in ſingulis ferè nominibus perueſtigare poſſem, niſi & prolixitatem vererer, & ſcirem plurima ſic eſſe corrupta, vt vix tenuia priſcæ linguæ veſtigia retineantur. Nam & Nomen à Cimbris venit, qui Naem pro eodem dicunt, ſed illo *Nomen vndè dicatur.* ſeruato artificio, vt vox verſa vſum & ſcopum nominis oſtendat. Quorſum enim nomen, *Naem.* niſi vt nobis imaginem rei, quam ſignificat, repræſentet, quod Maen vocatur: à *Maen.* quo Moneo Latinorum, cum illo peccato, quòd primam ſyllabam habeat correptam, *Moneo.* quam longam eſſe oportuit. Sed de hoc aliàs. Pergat Vortomnus.

Indue me Cois, fiam non dura puella,
Meq; virum ſumpta quis neget eſſe toga?

Coas veſtes pellucidas fuiſſe, & eaſdem bombycinas, ex Ariſtotele & Plinio clarum; *Coæ veſtes.* tribuentibus earum primam texturam Pamphilæ Coæ, Plati, vt Ariſtoteles habet, filiæ; *Bombycinæ veſtes.* è quo codex Plinianus Latoum fecit. Procopius & Theophanes Byzantinus è Serum *Serici vermes* regione, quam tum Turci pulſis Ephthalitis occupabant, ſemen vermium, qui ſericum *varij.* texunt, Iuſtiniano primum allatum fuiſſe tradunt. Quid igitur de Pamphila dicemus, quæ & ipſa è bombycum, de quorum genere vermes Indici ſunt, textu telas feciſſe ab Ariſtotele perhibetur? Ego id expertus ſum, alias quoque erucas eſſe, quæ domunculam ſibi ſepulchralem texunt, è qua tandem rediuiuæ prodeant; inter quas maximam vidi minimi digiti longitudine, in cuius dorſo cyanei coloris gemmæ pulcerrimis Turcicis, vt vocamus, ſimillimæ eleganti ordine diſpoſitæ cernebantur, quæ non mori foliis, ſed aliis ſatura, perinde atque erucæ Sericæ, telam ſuam perfecit, in qua ſtridor lapillorum videbatur audiri, interea dum ſeſe intra loculos ſuos volueret. Crediderim itaque Pamphilam ex eiuſmodi erucis, de quibus, vt vulgaribus, Ariſtoteles ſcribit, Veſtem bombycinam feciſſe; quòd fortaſſe de cuiuſpiam relatu audiuiſſet, apud Seras quoque non ex arboribus depecti, ſed ab erucis fila deduci. Scimus arborem eſſe, cuius nux lanas inuoluit, è quibus telæ fiunt molliſſimæ, hoc tempore Cotoneæ dictæ: quæ *Cotoneæ telæ.* vox ſi antiqua eſt, vt videtur, ſignificat ab hac lana arborea gregem defraudari ſuo honore, eo quòd mollior ſit & delicatior multo quàm lana ouilla. Quis non miretur hanc *Seres vermis.* etymologiam tam inſigniter quadrare, tamque luculentam lanæ arboreæ laudem continere? Atqui deſinat mirari, ſi Serum nomen examinet de Cimbrorum lingua, in qua ex Sei-eer/ quo ſeminandi honor ſignificatur, fit Seer/ pro eo quod eſt, excellenti quodam modo ſemino. Vnde Seeres Dea frumenti ſeminandi, & ad frugem producendi: ex qua voce Ceres Latinorum, mutato ſibilo in tertiam litteram, vti in Nocco *Ceres dea.* à Nos noſtrati, cui contrarium Son. Seer autem apud nos ferè D recipit, eo modo *Seer/Seerd. Seeren/* quo dicimus Mien & Miden/ Strien & Striden/ Wien & Widen/ & infinita alia: Qua forma *Seerden.* dicimus Seeren & Seerden/ Seer & Seerd/ quo pro eo vtimur quod Diogenes dixit ſe hominem ſeminare. Finis autem omnis præſtantis & honoratæ ſationis eſt, vt ea increſcant & aſſurgant quæ ſeruntur; quem vox verſa mox indicabit, ſi ex Seer facias Rees. Vermis ergo qui ſericum nere conſueuit, Seer dicitur, quia excellentiſſimo modo *Rees.* generis ſui propaginem ſerit, ſeipſum prius matrici includens, veluti ſepulcro ſecuriſſimo, è quo paullo pòſt rediuiuus exſurgat: quod poſterius verſa dictiuncula denotatur, cùm Rees ad verbum ſignificet ſurgebat. Vtimur enim ferè præterito imperfecto ad

nomina

nomina ea fabricanda, quibus perpetuum aliquid indicatur; vti fit in Serum generatione. Vermem autem Serem vocari, Pauſanias in Eliacis tradidit ad hanc ferè ſententiam: Cannabem quidem, linum & byſſum ferunt, quæ gentes idoneum ad hæc ferenda ſolum colunt: Sed enim quæ fila ad textrinam vſurpant Seres, ea nulla è ſtirpe ſunt. Naſcitur in eorum terra vermis quem Serem Græci, ipſi longè alio appellant nomine. Hæc quidem bene Pauſanias; ſi verum eſt, alio nomine vermem apud Seras vocari, quod mihi numquam perſuadebit; cùm toti genti à verme nomen datum eſſe videatur. Ceterùm quæ deinde addit de educatione, vaniſſima ſunt, & ab impoſtore quopiam Græco ſcriptori obtruſa. Quo minus mirum eſt, Virgilium veræ hiſtoriæ fuiſſe ignarum; cùm multis antè ſeculis viuis exceſſerit, quàm vlla certa Serici conficiendi notitia vel ad Græcos vel Latinos perueniſſet. Vixit Ammianus Marcellinus poſt Valentis Imperatoris cædem, homo perquam curioſus rerum exterarum, qui ſuo tempore Sericum ſcribit à nobilitate, cuius antè in deliciis erat, ad infimos quoſque ſine diſcrimine tranſiiſſe; & hic tamen de Seribus agens eandem habet de arborum velleribus cum Virgilio ſententiam, ſic canente:

Seres populi.

Velleraq; vt foliis depectant mollia Seres.

Quid quòd ipſi Turci obſtupuerunt, dum apud Iuſtinianum vermium educandorum & Serici conficiendi rationem inuenirent: tanta nimirum cura fuit, ne huius quæſtus ampliſſimi communio ad ceteros mortales tranſiret; quæ nunc ita latè ſparſa eſt per vniuerſum orbem, vt vix linum ipſum ſit communius. Quamobrem non eſt operæ vllius pretium aliud hic conſiderare, quàm ipſum nomen vt antiquiſſimum, ita eo factum artificio, vt nobis palingeneſiam quandam contemplandam offerat; quæ, ſiquid aliud, in omni rerum natura non paruam habet admirationem, dum vermis quaſi iam vitæ ſatur ſeſe viuum tymbo includit, in quo ipſius corpus primum corrumpatur; deinde ſtupenda metamorphoſi rurſus in ipſo ſepulcro vitam accipit; & terebrato valido textu, cui ſeſe incluſerat, in lucem prodit, non iam vt prius longus vermis, ſed bombyx alata: quæ deinde rediuiua, nec volatui nec pabulo indulget, ſed in ſolam Venerem incumbit, atque id tantiſper, dum rurſus emoriatur, ſolo ſemine relicto, ſed tam copioſo, vt à ſingulis matribus centena frequenter oua ponantur. Verùm ne putetis vna nocte aut vna die tantam ſobolem creari, quatuor aliquando diebus in complexibus permanent, ipſo Ioue Herculem apud poëtas generante hac parte ſuperiores. Ceterùm quid ego vobis hæc, quos ſcio hoc in lanificio me eſſe peritiores? Mihi hoc dumtaxat fuit notandum, hanc excellentiam ſeminandi, cui tam diu incumbunt, nullius interim alterius rei memores, neque potus neque eſcæ, per nomen Seer eleganter eſſe expreſſam: deinde eas, quæ modò generationi totis viribus ad mortem vſque incumbunt, non ita dudum in vitam rediiſſe, vox verſa declarat, cùm Rees nihil aliud ſit, quàm ſurgebat, quaſi diceretur; Bombyx, quæ nunc in generando omnia animalia ſuperat, non ita dudum à morte & ſepulcro ſurgebat. Videntur ij qui nomenclaturam hanc dederunt, homines admonuiſſe, Deum, qui debiliſſimis animalculis hanc corporum dat reſurrectionem, eum humana corpora non perpetuò deſerturum. Nec abſurdè facio, dum Cimbricum nomen eſſe dico, quandoquidem Seres Scythæ fuerint, & Scytharum lingua locuti, quam Indoſcythica noſtra Cimbricam eſſe tradunt. Quid rogo poteſt hoc vermiculo in generando eſſe mirabilius? quid mirabilius item, quàm poſt mortem è ſepulcro prodiiſſe rediuiuum? Num ergo vlla vox poſſet inueniri, quæ vtrumque horum clariùs deſignaret, clariùs aperiret? Digniſſimus admiratione hic naturæ circulus & recurſus, ad quem denotandum haud ſcio an quiſquam mortalium paris artificij vocabulum poſſet fabricari, quod tanto quiſque magis admirabitur, quanto accuratius diutiuſque conſiderabit. Nunc ſatis de Cois veſtibus, quas Bombycinas, & Sericas eſſe, non verò Byſſinas, ex his perſpicuum euaſit. Solent autem molliores feminæ apud Romanos his vti, non citra Satyricorum & Senecæ etiam dicaciſſimi morſus, quos nihil attinet nunc referre, cùm huius tempeſtatis mulieres omnem ſuperent in luxu reprehenſionem. Quod Propertius de toga virili dicit, nihil habet dignum annotatu, vti nec illa quæ ſequuntur:

Seres vermis palingeneſiæ ſymbolum.

Bombyx alata.

Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno:
Iurabis noſtra gramina ſecta manu.

Arma

Arma tuli quondam, &, memini, laudabar in illis;
Corbis & impoſito pondere, meſſor eram.

Fœnum Grammatici à fœnore deducunt. Mihi placet à Cimbrica voce Hoe dici, mutata adſpiratione in digamma; veluti in Felena pro Helena: atque eo non ipſum gramen ſimpliciter, aut certam herbam, quam Gotalani Fen nominant, & ad boum pabulum ferunt, vocari; ſed omnem herbam quæ ad conſeruandum, quod Hoien dicimus, ſecatur. Gramen verò dicitur à noſtro Gras, quod à celeritate creſcendi nomen habet, quaſi Geras. Corbis nomen hîc conuenientiſſimè etymologiæ vſurpatum. Nos enim Corf dicimus, à Cor-hef per ſyncopen, id eſt, frumentum eleuo ſiue porto; quamuis nunc ferè generatim ſumatur.

Fœnum vnde dictum. Hoe. Fen. Hoien. *Gramen vnde dictum.* Gras. Geras. *Corbis vnde dicatur.* Corf.

Sobrius ad lites; at cùm eſt impoſta corona,
Clamabis capiti vina ſubeſſe meo.

Quæ in foro ad tribunalia gerebantur, à ſobriis fiebant. De coronis quas in compotationibus ſumere ſolebant, ſatis multa cùm alibi, tum apud Dipnoſophiſtas habetis. Coronam autem noſtras eſſe vocabulum, aliàs declaraui, compoſitum è Car, & ron per conciſionem, quod propriè tempus notat, & deinde circulum vel caris imponi, vel læto & caro tempore ſumi conſuetum. Vinum item à Wijn, & hoc à Wien dictum eſſe, Indoſcythica docuerunt.

Coronâ. Car. Ron. *Vinum.* Wijn.

Cinge caput mitra, ſpeciem furabor Iacchi:
Furabor Phœbi, ſi modò plectra dabis.

De Baccho quid ſentiendum ſit, Indoſcythica mea demonſtrant. Verùm quoniam ſacra vocabula diuerſis Dei beneficiis ſignificandis principio facta, non ſolùm ad homines & angelos Dei miniſtros, vt illic dixi, ſed ad naturales etiam cauſſas, quibus Deus dona ſua mortalibus diſtribuit, tranſlata ſunt; neceſſe fuit Soli, vti plurimarum in his inferioribus rerum effectori, quàm plurima nomina diuina commodare. Quoniam igitur Sol vinum maturat, Bacchus; quia omnia reuelat, Apollo; quia omnibus ſuppeditat alimenta, Phœbus; quia ipſius diſceſſu vitalis animalium calor perit, Iacchus; quia terræ comas à nobis recedens abſcondit, Mithra; quia in ſignis hibernis currens orbis noſtri cuſtodiam odiſſe videtur, Atys vocatur; & ſimilibus de cauſſis tot ſortitur nomina, quot ipſius vel præſentiæ vel abſentiæ adſcribuntur effectiones. Atque his cauſſis naturalibus in elementis, & eorum quæ elementis conſtant, commiſtione vim ſuam exercentibus, tot ſunt apud inſanos homines Dij exorti, quot vel de nominum, vel de euentorum varietate lucripetæ ſacrorum pſeudierophantæ potuerunt comminiſci. Hoc malo totus ferè orbis fuit infectus, omnibus ab ipſo creatore ad creaturas, à peſſimis impoſtoribus ſeductis; cuius erroris impietatem D. Paullus philoſophis obiicit, qui cùm per cauſſarum reſolutionem ad vnum Deum peruenirent, ab eo tamen retrò delapſi, creaturas, & primæ cauſſæ inſtrumenta pro Deo adorabant; tanto grauius in eo, quàm vulgus indoctum, peccantes, quanto facilius cernere poterant, quàm longè ab ipſo vno aberrarent. Iacchus igitur idem eſt cum Baccho; quia vtroque nomine Sol notatur, ſed illud nomen vim in eo ſignificat, qua omnia nata citiſſimè conſeneſcunt & abolentur, quæ curſu ſuo in circulo obliquo ad interitum videtur vrgere: quod quî ſit intelligendum, ab Ariſtotele petatis. Nos vocem ſic interpretamur, vt aliud non ſit Græcis Iacchos, quàm nobis Jaggot/ id eſt, Deus venationis, ſiue Deus venans, perſequens, & omnia fugans: quod quoniam Soli hiberno maximè conuenit, vitalem calorem animalibus & ſtirpibus auferenti, Mithræ quoque nomine veteres notarunt, quod ſit à Muithar/ per metatheſim Syriæ familiarem, in qua pro Aleph Alpha, pro Dalet Delta, pro Cedem Cadma, & ſimilia pro ſimilibus dicuntur. Eſt ergo Muthra ſiue Mythra, quod idem eſt, pro Muithar/ quo comç abſconſio & occultatio ſignatur: qua de cauſſa pro tegmine capillorum ponitur; qui quoniam mulieres maximè decent, mythra frequentius pro mulierum ponitur ornamento. Hinc Vortomnus dum fingitur ab Ouidio Pomonæ amore accenſus, ſe in anum mutaſſe, quo ad nympham haberet acceſſum, mythram dicitur ſumpſiſſe.

Solis varia nomina. *Bacchus.* *Apollo.* *Phœbus.* *Iacchus.* *Mithra.* *Atys.* *Dij varij apud inſanos homines vnde orti.* *Iacchus vnde dicatur.* Jag. Got. *Mithra vnde dicatur.* Muit. Har.

Ille etiam picta redimitus tempora mythra,
Innitens baculo, poſitis per tempora canis,
Aſſimulauit anum.

Deiani-

Deianira item Herculi obiicit:

Auſus es hirſutos mitra redimire capillos.

Verùm viris etiam in vſu fuerunt, maximè apud barbaros, quorum exempla, quæ plurima ſunt, vobis æquè atque mihi nota. Hic ſufficit vocis originem, & veram vobis oſtendiſſe ſcripturam. Bacchus igitur vti Iacchus eſt venatui indulgens, mitra decoratur, atque adeò ab ipſo capillorum ornatu nomen ſumit; propterea quòd dum ſeſe à capitum noſtrorum verticibus longè ſubducit, non terræ modò comas deprimat, ſed ſuas etiam frequenter nubibus occultet. Hoc habitu mitram Romæ in ſubterranea crypta omne genus animantium perſequentem vidi, pictura adhuc tot ſæculorum ſitu necdum deleta, immò egregiè adhuc plurima ex parte colores ſuos & figuras tuente. Verùm fabula de Iaccho & Mithra, auctorumque de iis vel conſenſus vel controuerſia aliàs à nobis copioſius explicabitur, niſi ante nos quoque venator hic occidat. & poſſunt alioquin ex his pauculis omnia quæ de iis finguntur, enucleari. Propertius certè doctius hic de Iaccho locutus eſt, quàm fortaſſe quiſquam hactenus animaduerterit.

Phœbo cithara & plectra quare dëtur. *Phœbus vnde dictus.* **Voi.** **Voet.** *Phœbus armentorum paſtor.* *Fur.* φὼρ. **Ropy.** **Rof** *ſiue* **Roof.** **Form.** μορφή. **For-maet.**

Phœbo cithara & plectra dantur; propterea quòd Solis adſcenſu, & deſcenſu, & radiorum eius cum ceteris aſtris conſonantia, totius naturæ mundanæ concentus temperetur. Phœbi tamen nomen non à concentu, ſed ab alimentorum ope, qua omnibus viuentibus ſuccurrit, datum eſt; compoſitione facta à **Voi**, id eſt alo; & **Voet**/ quo naturale ſignificatur adiumentum. Quoniam verò Græci V conſonante carent, litteram ſuam ſono proximam ſubſtituerunt, pro **Voiboet** φοῖβος dicentes. Non mirum igitur, Phœbum armenta pauiſſe, quæ numquam paſcere deſinet, dum vlla animantium vita durabit. Lenius eſt illud, Fur non à furuo, ſed à φὼρ Græcorum voce manaſſe: verùm illud non indignum annotatu, φὼρ non à φέρω, ſed à noſtrati vocabulo **Ropy** ſiue **Roof** veniſſe, ordine præpoſtero, qui frequens eſt in linguarum confuſione. Eodem modo è noſtrati nomine **Form**, Græci fecerunt μορφή. **Form** enim Cimbricum eſt, per apocopen à **For-maet** factum, quo exemplar ſignificatur, quaſi **For-maet**, id eſt, præcedens menſura, ad quam aliud deinde fieri oporteat. Sed pergat Propertius:

Caſſibus impoſitis venor; ſed arundine ſumpta,
Faunus plumoſo ſum Deus aucupio.

Auium captura. *Faunus aucupio præſidet.* *Faunus vnde dictus.* **Waut.** **Nut.** *Siluanus idē qui Faunus.* *Pica.i haſta.* **Picke.** *Saturnus Pici pater.* *Picus Fauni pater.* *Faunus Latini pater.*

Quis caſſium vſus, omnes norunt qui aues viſco fallunt, arundinibus plurima foramina habentibus, quibus virgulæ viſco illitæ imponantur, vti conſueuerunt: quod in turdis magno numero capiendis aliquando in Fregellanis ruderibus ſum expertus; ad quam capturam altæ arbores deliguntur, quibus plurimæ arundines loco ramorum, qui maxima ex parte ſunt deciſi, adfiguntur; ad quas fiſtula ex alto illecti illabuntur, & cum virgulis, quibus viſco conglutinantur, in terram cadunt. Faunus autem aucupio præſidet, quia in ſiluis aues pleræque nidulantur. eſtque hoc nomen ſortitus, quoniam ſiluarum & ſaltuum præſit vtilitati. Nam **Waut-nut** ſiluæ ſignat vtilitatem; è qua compoſitione Faunus fit, duplici digamma in F digamma Æolicum mutata, vti & in aliis, & in Fama fieri modò dictum. Quamobrem ſiue Faunum dixeris, ſiue Siluanum eundem Deum nominaris; quem non mirum eſt Latinos inter maiores ſuos computaſſe: Quandoquidem principiò omnia ipſorum loca ſiluarum plena eſſent; ita vt Siluani filij viderentur. Siluas autem haſtis, quas Picas Cimbri vocant, & primùm ſibi vindicarunt, & pòſt tenuerunt; quas à Saturno ea de cauſſa accepiſſe dicuntur, quia ab illo ius datum erat, vt & vacua loca & ſiluoſa occuparent, ac ea haſtis tum contra feras, tum contra hoſtes munirent & tuerentur: qua de re fabula orta, Saturnum Pici, Picum Fauni, Faunum Latini patrem fuiſſe; quam Virgilius ad ignorantiam primorum Latini nominis natalium tegendam accommodauit, cauſarum tamen ob quas hæc nomina facta eſſent, prorſus ignarus. Nolo hîc latius pro eo ac res poſtulare videtur, euagari, fundamentum contentus indicaſſe.

Eſt etiam aurigæ ſpecies Vortomnus, & eius
Traijcit alterno qui leue pondus equo.

Aurigarum factiones. *Deſultores.*

Quantis ſtudiis, quamque inſanis impenſis aurigarum factiones Romani fouerint, exemplo de Græcorum certaminibus ſumpto, nemo ignorat eorum qui hiſtoriarũ non ſunt penitus rudes. Deſultores autem duobus equis vtentes, vt ex altero in alterum deſili-

deſilirent, non Romani ſolùm tum in ſpectaculis, tum in bellis, ſed Scythæ etiam habuerunt, quos Amphippos Græci nominarunt. *Amphippi.*

Suppetat, hoc piſces calamo prædabor, & ibo
Mundus demiſſus inſtitor in tunicis.
Paſtorem ad baculum poſſum curare, vel idem
Scirpiculis medio puluere ferre roſam.

Baculus paſtorum pedum erat, de quo aliâs plura. Roſæ in amphitheatris & circis & aliis locis ſcirpiculis circumferri venum ſolent. Scirpiculum vel ſcirpiculus primùm è ſcirpis, vt & hodie quoque, contexebatur, vnde nomen; ſed hinc ad vimina tranſitum. *Baculus paſtorũ, pedum. Roſa circumferri venum ſolent. Scirpiculũ vel Scirpiculus.*

Nam quid ego adiiciam, de quo mihi maxima fama eſt,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Cæruleus cucumis, tumidóque cucurbita ventre
Me notat, & iunco braſſica vincta leui.
Nec flos vllus hiat pratis, quin ille decenter
Impoſitus fronti langueat antè meæ.

De pomis plurima dixi; quoniam & Automnus, & præſens hic arborum aſpectus, & vos in primis ita videbamini poſtulare: quod ſi tantundem cucumeri, cucurbitæ, peponi, melopeponi, braſſicæ, floribus, & horum ſingulis generibus, temporis admetirer; non die vno, ſed integro Automno opus eſſet: quamobrem his ad proximum Ver proximamque æſtatem dilatis, Vortomnum abſoluamus; cui poëta noſter, vti antè dixi, falſam nominis cauſſam adſcribit:

At mihi, quòd formas vnus vertebar in omnes,
Nomen ab euentu patria lingua dedit.

Quæ rogo patria lingua? An'ne Thuſca? At in illa *vorto* non eſt in vſu, pro eo pro quo apud Latinos. Sed de hoc cæteris. ad reliqua:

At tu Roma meis tribuiſti præmia Thuſcis,
Vnde hodie vicus nomina Thuſcus habet.
Tempore quo ſociis venit Lucumonius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati;
Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
Atque hoſtes turpi terga dediſſe fugæ.
Sed facias Diuûm ſator, vt Romana per æuum
Tranſeat ante meos turba togata pedes.

Thuſcus vicus quamuis omnium confeſſione à Thuſcis nomen acceperit, parum tamen inter auctores conſtat, à quibus'nam, & quo tempore primùm cœperit habitari. *Thuſcus vicus.* Titus Liuius, Arunti Porſenæ filio ab Aricinis & Cumanis cæſo, reliquias Hetruſci exercitus Romam veniſſe, auctor eſt, & ibi cum humaniter ceteros exceptos, tum ſaucios benigne fuiſſe curatos. Hinc alios in patriam rediiſſe, alios Romanorum beneficiis captos in vrbe manſiſſe, atq. inde vicum nominatum. Feſtus Pompeius Thuſcum vicum dictum putat, quòd recedente ab obſidione Porſena, hic locus datus ſit Thuſcis, quibus placuit Romæ habitare. Noſter verò poëta longè altiùs rationem repetit ab ipſo Lucumone, qui Romulo contra Sabinos ſuppetias dicitur tuliſſe, cui has Romani gratias retulerunt, vt medium vrbis locum inter Palatinum & Tarpeiam rupem Thuſcis dederint ad habitandum. *Lucumon.* Quamobrem in vulgatis, quæ vidi, exemplaribus peſſimè legitur Lycomedius pro Lucumonius. Dionyſius etiam Halicarnaſſæus, Lucumonem virum ſtrennuum Romulo validum auxilium ex Hetruria adduxiſſe, teſtatur. Quid quòd Propertius quoque in Elegia proximè præcedente hunc Lucumonem primùm fuiſſe dicit, qui Romæ prætorium fecerit? *Prima*, inquit, *galeritus poſuit Prætoria Lycmon.* *Lycmon.* Quod ſi verum; cui dubium eſſe poteſt, quin magna Hetruſcorum manus vnà cum Lucumone Romæ ſedem ſibi fixerit, & vicum de gentis ſuæ nomine multo antè nuncuparit, quàm Porſena vrbem obſidione vel cingeret vel liberaret? Mihi longè alia eſt ſuſpicio; iam nimirum à principio Romæ quidem Cimbros, ac deinde Albanos, & alios aliunde profectos habitaſſe, ac his leges & ſacra à Iano vel eius poſteris data fuiſſe: nec longè inde abſum, vt ſuſpicer quemquam deligi ſolere, qui legitima poteſtate populum ad ritum Hetruriæ gubernaret, cui nomen à præfectura Romulo daretur; quæ *Romulus vnde dictus.*

tur; quæ appellatio communis eſſet omnibus iis qui hoc ſummo magiſtratu fungerentur: cùm non aliud Rom-Hul/ vnde Romulus, ſignificet, quàm eum, qui ad Romam cuſtodiendam ſolenni populi ſuffragio eſſet electus. Cùm igitur multi fuerint Romuli, vti multi Pharaones, & alius aliis parentibus & gente ortus; tandem huius rei ignari, totius vrbis originem ad vnum Romulum tranſtulerunt: & quia ex ritibus priſcis ſatis liquebat, omnia totius magiſtratus inſignia à Thuſcis eſſe petita, & Lucumonem primum fuiſſe, qui prætorium conſtituerit Romanum; ventum eſt ad eam coniecturam, Romulum vnum quempiam fuiſſe, de quo, vt ignotorum natalium homine, plurimæ fabulæ fictæ fuerunt; & inter cetera ei Lucumonem auxilium tuliſſe; quod nomen quia proprium vnius hominis non fuit, ſed præcipui apud Thuſcos magiſtratus, cogor ferè in eam diſcedere ſententiam, vt credam, Romulos plerumque ex Lucumonibus Hetruſcorum legi ſolere, atque ita tandem vnum ex Lucumonibus Romulum iam factum, regiam ſibi dignitatem arrogaſſe, atque idcirco indignationem Hetruſcorum incurriſſe. Quod niſi ita eſſet, quid opus fuiſſet rapere Sabinas, cùm ab Hetruſcis æquè connubia, atque auxilia, & leges, & ſacra potuiſſent impetrare? Opinor itaque eum, quiſquis hic Romulus ſiue Lucumon fuerit, ſocietatem ſibi & fœdera cum Sabinis ſanxiſſe, atque vxores inde non vi, ſed amore rapuiſſe, & vnà cum ipſorum rege poteſtatem omnem imperij Romani communicaſſe. Poſteritas autem harum rerum ignari, ſola nominum memoria relicta, varias eſt commenta fabulas; & in his raptus, & bella, vt Helenæ raptum, & Troianum bellum imitati maiores ipſorum viderentur. Neque enim veriſimile eſt, aliunde primam fuiſſe Reip. formam, & aliunde primos magiſtratus: ſed hoc probabile, per ipſos Lucumones ad clauum ciuitatis vocatos, leges & ritus patrios inductos fuiſſe. Demus ſanè, alium fuiſſe Romulum, alium Lucumonem; & hunc quidem Hetruſcum, illum Romanorum regem: quî conuenit, vt hoc conceſſo, Lucumon, non Romulus, primus poſuerit prætorium; quaſi alterius eſſet prætorium, alterius ſummus magiſtratus. Sed nolo in re prorſus ignota, nec vllis claris argumentis aut in hanc aut illam partem terminanda, prolixus eſſe: hoc certò conſtat, fabularum, quàm hiſtoriæ, quæ de Romulo feruntur, eſſe ſimiliora. Mithridates certè rerum Romanarum, quibus inhiabat, æquo curioſior, non citra cauſſam videtur Romanos ſeruos ſiue vernas Hetruſcorum vocaſſe, vt Trogus Pompeius in obliqua eius oratione memoriæ prodidit. Profectò Iani honores, Thuſca magiſtratuum inſignia, antiquiſſimum Lucumonis in vrbe prætorium, videntur confirmare, eos clientes ſaltem Hetruſcorum fuiſſe tantiſper, dum quiſquam Lucumon Romulus electus, priſco patrocinio contempto, ſibi omnem ſumeret poteſtatem, adſcito in partem regni rege Sabinorum. Iam & Thuſcus vicus, loco vrbis commodiſſimo & in ipſo corde conſtitutus, quid aliud arguere videtur, quàm penes eos præcipuã olim fuiſſe poteſtatẽ?

Rom. Hul.

Pallanteum. Quo autem loco fuerit prætorium, non eſt ambigendum, ſi Palatini collis priſcum nomen examinetur, quod antiquariæ cognitionis inter Romanos ſcriptores princeps expreſſit, dum dixit, *nobile Pallanteum.* Eſt enim hoc de vetuſto Cimmeriorum ſermone ſic compoſitum, vt regionis conſeruationem ſignet. Qua verò in re cuiuſpiam vel ciuitatis vel regionis ſalus conſiſtit? An non in Principe & Senatu ex æquo & bono totius Reip. negotia prudenti & matura conſultatione gubernante? Quamobrem locus is in quo hoc conſilium Principis haberi ſolet, meritò dicetur non Prætorium tantùm, ſed etiam Pallanteum, id eſt, regionis conſeruatio; qua in voce elementum medium in principio in tenue tranſiit, ad homonymiam euitandam. Bchal-lant idem eſt quod conſeruo regionem, è quo per Syncopen fieret Ballant/ quo quia pila regionis ſignificari videretur; mutata media in tenuem, dixerunt Pallant pro conſeruatione regionis. Hinc Itali prioris ſermonis ignari Palatium fecerunt. Et eſt ſanè eadem ratio, ob quam Minerua, omnium ciuitatum & regionum ſeruatrix, Pallas vocetur; perinde atque Pallans diceretur: tametſi Græcis placuerit ea declinationis forma, quæ ad hanc etymologiam minus accedit, quàm dum eadem vox pro viro vſurpatur. Næuio tamen neſcio vnde ſuboleuerit, mediam litteram principium facere debere, ſi ad originem vox ſit accommodanda: ex quo Grammatici in eam perducti ſunt opinionem, vt à balatu balantium dici putarent, & inde balatium antiquis fuiſſe vſurpatum. Quòd ſi apud priſcos quiſquam fuit Euandri filius celebratus, nomine Pallas, is certè Ianus fuerit,

Bchal. lant.

Palatium. Pallas.

fuerit, verus regionis conſeruator, quippe primus ſacrorum & legum & omnium artium in his terris conditor & architectus. Videmus'ne hic, de priſcorum ſententia, in ſolis prudentum hominum conſiliis totam Reip. ſalutem ſitam eſſe; & idcirco Palladem vrbium conſeruationi præſidere? Verùm quia fruſtra hominum conſiliis vrbes nituntur, niſi ea diuinitùs inſpirentur, & Dei nutu dirigantur: bene finxerunt antiqui, Palladium Diopetes eſſe, id eſt, à Ioue decidiſſe: quo Princeps & conſiliarij perpetuò monerentur, Deum ſemper orandum eſſe, vt ſalutaria conſilia ſuggereret, & quæ ſuggeſſiſſet, ad regionis dirigeret conſeruationem. Non malè igitur Prætoria & Principum aulæ Palatia dicuntur, quoniam in illis totius Reipub. ſalus verſetur. Quamobrem mihi perſuadeo, primum prætorium in Palatino poſitum fuiſſe, & id quidem à Lucumone ſiue Romulo, quocumque tandem proprio nomine is fuerit appellatus.

Quemadmodum autem hic collis à Principis domo & Senatorum collegio nomen accepit; ita rupes è regione ſita, dicta eſt Tarpeia, à loci firmitate. Nam Tar-beien idem eſt quod audeo exſpectare, quemuis videlicet hoſtium impetum; propterea quòd ceteris deſperatis, ad eam refugium eſſet ſupremum; vti res ipſa comprobauit, Vrbe à Gallis occupata. Nugantur enim, qui de alia nominis ratione, neſcio quæ ſomnia vênum protrudunt, ſemper ab homine quopiam loco nomen comminiſcentes. Nec minus errant, qui Auentinum vel ab auibus, vel à rege nominatum tradunt; cùm de Virgilij carmine luculenta ſe ratio prodat, hunc montem à cædua ſilua nomen habuiſſe. Siluam enim per aduerſi Tiberis ripas in hunc vſque montem pertinuiſſe, apertè verſibus iis quibus Æneam ad Euandrum nauigantem deſcripſit, oſtendit:

Tarpeia rupes.
Tar ſiue Dar.
Beien.
Auentinus mons.

Labitur vncta vadis abies, mirantur & vndæ,
Miratur nemus inſuetum fulgentia longè
Scuta virûm fluuio pictaſq; innare carinas.
Olli remigio noctémque diémque fatigant,
Et longos ſuperant flexus, variíſque teguntur
Arboribus, viridéſque ſecant placido æquore ſiluas.

Et mox:

Vt celſas videre rates, atque inter opacum
Allabi nemus, & tacitis incumbere remis,
Terrentur.

An quiſquã clarius demonſtrare poſſet, magnam ſiluam ad ipſum Auentinum vſq. antiquitùs pertigiſſe? Quid autem eſt aliud Hau-ent, quàm finis ſiluæ cæduæ, ſiue finis eius loci è quo ligna cædi ſolent? Nec illud tantùm, ſed ſuburbanum etiam nobis locum indicat, per quem ad ligna cædenda iter eſſet: ita vt nihil ſignificantius dici poſſit ad montis huius ſitum denotandum, qui & maximæ ſiluæ eſſet terminus, & vnà finis ipſius vrbis, per quem lignatum ciues ire conſueſſent. Lucus verò, in quo Euandrum Herculi ad aram Maximam ſacra feciſſe poëta fingit, inter Auentinum & vrbem erat, vti de aræ Maximæ ſitu quiuis colligat: Pòſt mons hic lucos etiam accepit numinum diuerſorum, & tandẽ vrbi eſt incluſus, & ætate noſtra muro firmiſſimo à Paullo tertio muniri cœptus. Vocabatur & Murcius, à Moer/ quo paludoſus locus ſignificatur; propterea quòd è paludibus, ſtagnis, & pigro cœno aſſurgeret: à qua voce Murceam quoque Deam enatam credo, pro eo numine quod paludibus præſideret: nec magni facio, quòd Pomponius deſidiæ deam fecerit; quia Murcidus deſidioſus ſit & inactuoſus. Nam Murcidus & Murcea ab eadem voce Cimbrica Mor deriuantur, quæ contraria eſt ipſi Rom/ quo facultatem magnam ad agendum notari, antè dixi. Sed ad propoſitum. Cùm igitur Thuſci loco vrbis commodiſſimo, & in ipſo quaſi meditullio habitarint; non poſſum mihi facilè perſuadere, penes alios olim præcipuos fuiſſe magiſtratus. Videte porrò quàm nihil de hac re apud Romanos ſcriptores certi habeatur; cùm Varro diligẽtiſſimus antiquitatum perſcrutator longè aliam vici Thuſci rationem adferat. Hic enim de Cælio monte ſcribens, In Suburbanæ, inquit, regionis parte princeps eſt Cælius mons, à Cæle vel Cælio, vt alij legunt, Vibenno Thuſco duce nobili, qui cum ſua manu dicitur Romulo veniſſe auxilio contra Sabinum regem. Hi poſt Cælij obitum, quòd nimis munita loca tenerent, neque ſine ſuſpicione eſſent, deducti dicuntur in planum. Ab eis dictus vicus Thuſcus, & ideo ibi Vortomnum ſtare, quòd is

Hau. ent.
Murcius mõs.
Moer.
Murcea Dea.
Murcidus.
Mor.
Rom.

 Deus

Deus Hetruriæ. Hæc ille. apud quem Lucumon, qui Romulo auxilium tulit, nomen proprium inuenit Cœlis Vibenni, vt eſt apud Feſtum & Cornelium Tacitum; è quibus Varronis locus corrigendus, & hoc non prætereundũ, ſignum Vortomni in vico Thuſco ſtetiſſe, cuius vicus Iugarius vnam tenuerit partẽ; qua de re ceteroqui dubitari potuiſſet. Verùm quò perſpiciatur clarius, nihil prorſus certi de vici Thuſci origine tradi; recitabo quæ Tacitus hac de re ſcripſit. Is de incendio Cœli montis agens, hæc adiecit: Haud fuerit abſurdũ tradere montem eum antiquitùs Querquetulanum cognomento fuiſſe, quòd talis ſiluæ frequens fecundusq. erat: mox Cœlium appellatũ à Cœle Vibenna, qui dux gentis Hetruſcæ cùm auxilium appellatũ ductauiſſet, ſedem eam acceperat à Tarquinio Priſco, ſeu quis alius regum dedit, nam ſcriptores in eo diſſentiunt. Cetera non ambigua ſunt, magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitauiſſe, vnde Thuſcum vicũ è vocabulo aduenarũ dictũ. Hæc Tacitus. è quibus, quàm nihil certi hac in re conſtiterit, apertũ. Ego non ſolùm de his quæ dixi, hunc locũ à Thuſcis delectum fuiſſe credo; ſed ob id etiam, quòd hominibus mari aſſuetis placeret ad Velabrum habitare; quò facilius è Tiberi merces ſuas & eueherẽt & importarẽt. Ex Varrone hoc adiumenti nobis accedit, quòd non ante Vortõni ſignũ hic ſtetiſſe dicat, quàm Thuſci hunc locũ tenerent. At hîc dicit ſe vidiſſe pugnam inter Sabinos & Romanos. Quocirca tũ ſteterit neceſſe eſt; quáuis Annius fingat eum in ſigno militari hanc pugnã vidiſſe. Mihi omnia verſanti, & fortunã populi Romani à Iano vſq. repetenti, videtur idem Vortomni ſignũ ex Hetruria tuliſſe, & vrbis æternitatẽ hac proſperi ſucceſſus tranſlatione confirmaſſe, atq. idcirco & Tiberis, & Romæ, & aræ Maximæ nuncupationem ab eodem factam; à quo teſſera felicitatis in vico Thuſco collocata; & id quidẽ eo tẽpore quo purus adhuc Cimbrorũ ſermo floreret. Siue igitur Ianus, quod arbitrari malim, ſiue Gomer, ſiue Aſcanius, ſiue alius quiſquam poſterorum Vortomnum poſuerit; illud ſaltem mihi perſuadeo, longè ante Thuſcum vicum nomen accepiſſe, quàm Romani ſcriptores opinentur. Quòd porrò dicunt Cœlium à Cœle vocatum; ne id quidem mihi perſuadent, cùm nemo noſtratium neſciat, quid Coel Cimbris ſignet. Mons hic longiſſimè à Tiberi, à vico Thuſco, & à campo Martio, in quibus maior ęſtus erat, ad loca ſuperiora & Thuſculanos montes recedebat, & præterea altis quercubus erat inumbratus, quibus rebus efficiebatur, vt æſtate ad auram frigidã & vmbram captandã cõmodiſſimus haberetur, & idcirco diceretur Coel, id eſt, moderato frigore blandiens. Nã ad æſtiuos calores nulla gratior, nulla ſalubrior vmbra, quàm quercetorũ, quibus natiua quædam vis ineſt, ſpiritus calore diffuſos & reſolutos gratiſſima quadã adſtrictione, quàm folia latè ſpirant, roborandi. Experiatur, qui volet, cõfractæ quernæ frondis in feruenti æſtu odorem: ſentiet nimirũ robur quoddam ſpiritibus accedere mirandũ, & maius longè, quàm quiſquam facilè opinaretur, niſi periculũ feciſſet. Quamobrẽ Querquetulanus mons meritò Cœlius nominatus eſt, per diphthongũ ſecunda & quarta vocalibus coëuntem: quod addo, vt in Tacito ſcriptura emendetur quæ in Varrone & Feſto integra permanſit. Sed nimiũ diu in rebus incertis hæremus. Hoc videamus quid Lucumonis nomen apud Thuſcos denotarit. Id Propertius indicauit, dum media ſyllaba relicta, eundem Lycmonem, ſiue Lucmonem, quod idem eſt, dixit. Luc enim felicitatem notat diuinitùs datam. Mon dicitur pro Maen, dialecti quadam diuerſitate, vt in Vadimon paullo antè dictum, non aliter atq. Allemanni Mon pro Maen, dũ Lunam nominant, efferunt. Luc-mon igitur eſt, qui illa monet quæ felicia fortunataq. ſint. Supremos enim magiſtratus eo nomine voluerũt nuncupare; quo notaretur, non ſatis eſſe, omnẽ humanam ſapientiam ad Remp. domi foriſque bene adminiſtrãdam, niſi ea, quæ monerentur facienda, Deus etiam proſperaret; quod vocula Luc indicabit. Iam magiſtratus ſuos non Imperatores, ſed monitores eſſe volebant, propterea quòd rationibus, quæ monentiũ ſunt, duci; non violentis iuſſis impelli cogique vellent. Quòd ſi mihi vis huius nominis, quàm latè ad rerum publicarum vtilitatem ſe porrigit, eſſet explicanda, demonſtrandumque quàm innumeris modis contra eam paſſim peccetur; Carmanis faciliimè ſermonem meum probarẽ; eo quòd apud illos hactenus nõ Principis alicuius, ſed totius populi res in publicis conſiliis agatur. Viuunt enim vti cœnobitæ, omnia habentes communia; apud quos nulla ſtirpis aut ſanguinis habita ratione, illi ſoli, qui idonei ſunt, vt Reip. vel conſilio, vel armis, pro patriæ ſalute ſeruiant, nobiles habentur: cui communi vtilitati dum ſe ineptos reddunt, malè

Querquetulanus mons. *Cœlius mons.* Coel. *Quercetorũ vmbra ſaluberrima.* *Lucumon.* Luc. Mon. Maen. *Carmani.*

malè officiis, quibus præſunt, fungendo; ſtatim magiſtratu; & omni dignitate & honore priuati, ad mechanicam plebem deſcendunt, minoris, quàm ceteri qui numquam in officio publico fuerunt, æſtimandi. Hi Principem ſibi legunt eum, quem multis experimentis didicerint aptiſſimum eſſe ad Reip. clauum bene rectéque tenendum, nulla habita parentum ratione, eumque non in ciuilibus modò rebus, ſed in ſacris etiam ſummum conſtituunt magiſtratum: ne ſi duo ſumma ſint capita, controuerſiæ & contentiones de iuriſdictionis limitibus oriantur. Apud hos igitur, apud quos omnes è communi viuunt, atque omnes accipiunt tum veſtes, tum alimenta, tum honores, pro eo ac merentur, ſummam neceſſe eſt eſſe tranquillitatem, nullis litibus aut controuerſiis impeditam. Coram illis igitur de priſcis Hetruſcorum Lucumonibus luberet diſſerere, atque ipſis, quid hoc nomine ſignificetur, interpretari. apud nos interim Deus orandus, vt nobis Lucumones dare dignetur, qui ea rectis iuſtiſque rationibus publicè priuatimque agenda moneant, quæ populo ſint fortunatiſſima futura. Duodecim Lucumones Thuſci habuerunt, duodecim diuerſis populis præſidentes; qui numerus præter alias dignitates, quibus eminet, hoc etiam peculiare apud Cimbros habet, vt vltimus ſit eorum qui citra numerorum compoſitionem enuntiantur. Sicut enim ceteræ gentes vndecim ex vno & decem componunt; ita noſtrates ante decimum tertium nullos numeros geminare ſua lingua poſſunt, niſi turpiſſimè barbariſent. Deinde nomen ei dederūt à gemina vita, quo nihil poteſt eſſe in populo gubernando auſpicatius; eo quòd Lucumonum ſit ſiue Principum, vt curam gerant non ſolùm ea monendi docendique, quæ ad præſentis vitæ commoditates ſpectant, ſed illa etiam, quæ futuræ ſiue ſecūdæ vitæ nobis comparant felicitatem. Et hæc quidem de Lucumonibus, quos nulla Reſp. veros habere poteſt, niſi habeat Volſinniū & Vetuloniā. De Sabinis item ſatis dictum: nec bellū Romuli & Tatij amplius mouebo, in quo mihi plus fabularū, quàm veritatis videtur latêre. Votum ſtatuæ noſtræ hieroglyphicæ, quo ſermonē ſuum concludit, opinionem meam de eius antiquitate, deque priſco Thuſcorum in ciuitate principatu, videtur confirmare; quo optat populo Romano perennitatem, quam Tiberis etiam nomine ſuo precari videtur. Verùm eam non erat, niſi per duodecim vultutes, duplicem vitam ratione numeri denotantes, conſecuturus; vti ſecuta ſecula reapſe docuerunt.

Lucumones duodecim apud Thuſcos.

Twelf.

Duodecimi numeri apud Cimbros ſymbolica ſignificatio.

Sex ſuperant verſus: te, qui ad vadimonia curris,
Non moror: hæc ſpatiis vltima meta meis.
Stipes acernus eram, properante falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in vrbe Deus.
At tibi Mamuri formæ cælator ahenæ:
Tellus artifices ne terat Oſca manus.
Qui me tam dociles potuiſti fundere in vſus,
Vnum opus eſt, operi non datur vnus honos.

Quanta vadimoniorum religio, paullo antè demonſtraui. Vortomnus prius ex acere factum fuiſſe ſignum ſuum dicit, quàm Numa, Mamuri artificis inſignis opera vſus, ex ære fundendum curaſſet. Numa quo tempore vixerit, incertum; ſi Plutarchi doctiſſimi Græcorum diligentia ſtandum. Id ſaltem inter omnes conuenit, Sabinum hunc fuiſſe, & poſt Romulum, ſiue is, vt Romani putant, vnus fuerit, ſiue, vt ego ſuſpicor, plures cognomine dignitatis ita vocati, ad regnum accerſitum fuiſſe. Neque dubitatur, quin is homo fuerit non magno modò ingenio, ſed ſumma etiam omnis ſapientiæ tum ciuilis tum ſacræ cognitione præſtantiſſimus. Vnde Græci, qui omnis ſibi philoſophiæ poſſeſſionem ex antiquo arrogant, Pythagoram ei præceptorem dederunt, reclamante tamen temporum ſupputatione. Nos quempiam fuiſſe Hetruſcæ diſciplinæ magiſtrum arbitramur, longè omnibus Græcis excellentiorem. Si enim Dionyſio Halicarnaſſeo credimus, infinito Græci in Deorum cultu fuerunt inſaniores; eo quòd omnes fabularum turpitudines de diis ſuis & crederent & docerent: quod tantum abeſt vt Numa fecerit, vt ne corruptiſſimo quidem pòſt ſeculo hac in re Romani Græcorum veſaniam imitarentur, nedum æquarent. Eius igitur præceptoris inſtinctu Nympham finxit Egeriam nomine, ſibi familiarem, quo faciliùs, quæ vellet, vulgo hominum perſuaderet.

Numa, Sabinus, poſt Romulum ad regnum accerſitus &c.

Egeria Nympha.

Mihi ſanè Egeriam in pectore geſſiſſe perpetuò videtur, id eſt, eam voluntatem, vt nihil aliud cuperet, quàm ipſum legitimum in omnibus & ſacris & profanis imperare; quod Cimbris vox Eger priore ſyllaba longa ad vnguem deſignat; qua de cauſſa Latini per diphthongum ſcripſerūt, aliam ab ea facientes, quæ ab egerendo partu Egeria vocabatur. De fonte qui huius Nymphæ creditus eſt, aliquoties bibi, & ex riuulis eius Cardamine eſitaui, cùm ſuburbana vrbis loca curioſè luſtrarem: quod addo, ne miremini, ſi veram nominis rationem vobis ex ipſo fonte depromam; quam ſi ipſa dea Germano homini eiuſmodi rerum ſiticuloſo benignè propinauit, nihil admodum à veteri docendi conſuetudine diſceſſit. Profectò ſi quiſquam eſt mortalium poſt Numam, qui huius numen in præcordiis ſuis vmquam ſenſit, ego me ſocium ipſi præbere poſſum, non minoribus fortaſſis ipſius flamis calentem; quo in amore non iniquè ferrem, ſi omnes homines mihi contenderent eſſe quàm feruentiſſimi riuales, præſertim hac tempeſtate, qua ſi quis credat plures eſſe iuris & legitimi profeſſores, quàm Ægeriæ procos, non multum fortaſſis aberrarit. Sed meliora Deus; quem oro, vt Ægeriam ad omnes eos mittat, apud quos eam quamplurimum poſſe, votis omnibus optandum. De Mamurio tertius Faſtorum Ouidij liber conſulendus, quo canitur Numæ ancilia ita affabrè feciſſe, vt ab illo quod cælo delapſum erat, non dignoſceretur; & ea gratia, nomen eius in Saliorum carminibus celebrari. Huius ergo opus fuit & hic noſter Vortomnus, ſic factus, vt aptus eſſet ad cuiuſuis ornatum cum decoro accipiendum, quo Dei ſymbolum gereret, omnium hominum ſtudia & labores citra perſonarum diſcrimen proſperantis: quem vt nobis etiam perpetuò felicem vitæ ſucceſſum adſpiret, ſemper feruidis precibus oremus; nec vllo tempore tam ſimus occupati, vt eius cogitationem mentibus excludamus; ſubeatque deinde perpetuò in animum, quorſum hanc teſſeram ſiue hieroglyphicum ſignum in frequentiſſimo vrbis loco vel Ianus, vel eius nepotes collocarint: quod ſi pro eo, atque illi faciendum cenſuerunt, fecerimus; nihil vmquam male nobis ſuccedet, atque adeò ne ipſa quidem mors, terror omnium omnibus vitam ſortitis horrendiſſimus.

Ee. Eer.

Mamurius cælator.

FINIS.

Ioh. Goropij, piæ memoriæ, Hiſpanica, Francica, Gallica, Vertumnus, Hermathena, & Hieroglyphica, eiuſdem ſunt eruditionis cum iis operibus quæ viuus edidit. Nec quicquam in his libris à me, aut ab aliis eſt animaduerſum quod fidem aut morum integritatem lædat. 21. Sextilis, 74.

Ioh. Molanus, Apoſtolicus & Regius cenſor.

GALLICA
IOANNIS GOROPII BECANI.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini
Architypographi Regij.
cIↃ. IↃ. LXXX.

NOBILITATE
ET ERVDITIONE CLARISSIMO VIRO IACOBO TAII D. DE GOICKEN,
Chriſtophorus Plantinus S. D.

QVOD AVCTOR IPSE FACTVRVS erat credo, ſi viueret: idem ego nunc vſurpo, vir nobiliſſime, & hanc partem è clariſsimi illius ingenij monumentis ad te mitto, Becano ipſo propemodum iubente. Cognitum enim mihi quanti ille vir non ſolùm amicitiam tuam fecerit, ſed etiam exactum iudicium & doctrinam. Qua inter paucos tui ordinis ſic eluces,

Vt pura nocturno renidet
Luna mari, Gnidiúſue Gyges.

Virtutem omitto: quæ ita cum modeſtia inſita tibi, vt cùm laudanda omnia facias, æquis auribus laudem nõ admittas. qua abſtineo. Hunc tantum Becani quaſi poſthumum fœtum, tibi trado & commendo: monumentum amicitiæ, quæ tibi cum illo monumentum etiam beniuolentiæ ſtudiique mei, quod erga te perpetuum erit, Vale.

INDEX RERVM

ET VERBORVM

IN

GALLICA.

A.

ABij pop.38, et ſe.
Abraham ſub quercu Mamre vitulum obtuliſſe, quid ſignificet. 135
Acheron fl. 47
Acheruſia palus. 47
Acht. 126
Ἄκυλος. 151
Adam quamdiu in ſtatu felicitatis ſuæ tutus permanſerit. 123
Αἰγιγενέτης Apollo. 109
Ægidius Scudus. 5
Ægyptiorum hieroglyphicæ notæ. 122
Ἀγώνιος dictus Mercurius. 97
Agonium Martiale. 98,& ſeq.
Al. 151
Alauda vnde dicta. 13
Alauda auicula dicta Galerita. 12,& ſequent.
Alauda dicta legio Gallica. 12
Alaudæ hieroglyphicum ſignũ. 13
Alaudæ libellus ab auctore dedicatus. 125
Alaudarum epodos, dieu dieu. 62
Αλησία. 22
Alexia vrbs. 22
Allemanni nomen quando primum in vſum venerit. 76
Allemanni longiſſimè recedunt ab etymologia plurimarum vocum, &c. 6,7,9,11.
Allemanni multis ſibilis voces exaſperant. 11,& ſequent.
Alp. 29
Alpes. 29
Alphabeti ſiue literarum conſideratio. 63,& ſequent.
Alſatia. 22
Alt. 106
Altar. 106
Altare. 106
Ambigatus. 54
Ambiorix. 16
Ἀμέλγω. 40
Amor cognatorum. 23,25
Amor, creator omnium, &c. 23, & ſequent.
Amor, principium & finis totius humanæ ſapientiæ. 26
Amor, ſcopus ſacrificiorum veterum. 101
Ἀμφιλύκη νύξ. 109
An. 18
Anaphanæus Apollo. 109
Ancona. 51
Anima hominis vitulo comparatur. 135
Annius & Pſeudoberoſus reprehenduntur. 48
Annus vnde dictus. 109
Annum λυκόβαντα vocarunt Græci. 109
Antonius Galatæus reprehenditur. 52,56
Apollo vnde dictus. 108. eius vocis ichnææ ratio. ibid. quare dictus morbos depellere. 113
Apollo Αἰγιγενέτης. 109
Apollo Anaphanæus. 109
Apollo Archegenetes. 109
Apollo Clarius. 113
Apollo Carneius. 112
Apollo Cynthius. 109
Apollo, Chriſtus. 108
Apollo Cunnius. 109
Apollo Daphnites. 106
Apollo Delius. 109
Apollo Gallorum Deus. 107,& ſequent.
Apollo Genitiuus. 109
Apollo λυκηγενέτης. ibid.
Apollo Lycius. ibid.
Apollo Licoreus. ibid.
Apollo Nomius. 108
Apollo Orus. 109
Apollo Pæan. 110
Apollo Patrous. 109
Apollo Phanæus. ibid.
Apollo Pythius. 111
Apollo Sol dictus. 113
Apollo Veiouis. 116,& ſeq.
Apollinis cognomina & varia epitheta ex etymo & myſticè interpretata. 109,& ſeq.
Apollini quare tripus dedicatus. 108
Apum copia in regione Septentrionali. 138
Aquitanorum lingua. 4
Ar. 18,80,106,113
Ara vnde. 104
Arar ſiue Araris fl. 18
Arbor vitæ in paradiſo. 131 & ſequent.
Arbor vitæ in paradiſo fuit quercus. 133,& ſeq. 138,143,149
Arc. 80
Arca,æ. 80
Arca fœderis tecta alis Cherubim. 133
Arceo,es,ere. 80
Archegenetes Apollo. 109
Arg. 95
Argephontes dictus Mercurius. 95,97
Arges, Argeſtes, Argus vnde dicantur. 95
Arges dictus draco quem Mercurius occidit. 95
Argus occiſus à Mercurio, &c. 96
Argi fabula allegoricè interpretata. 96
Arioviſtus vnde dictus. 16
Arioviſti lingua vernacula. 6,10
Art. 18
Artemiſia quare herba S. Ioannis dicatur, &c. 127
Aſcanij. 42
Atuaticorum primarij Antuerpiani. 4
Au. 151
Auaricum op. 22
Auaritia cauſa idololatriæ. 83
Auguſtodunum. 20
Aulon Macedoniæ vrbs, hodie Vallona nominata. 64,73
Aura,æ. 110
Auris. 27
Aurora,æ. 110
Aut. 106
Autar. 106

B.

Bacchus, Chriſtus. 98,102
Bacchus, Nochus. 98,99
Bactriani primi Magi. 27
Baiæ. 51
Bant. 101
Bec. 18
Becus. 18
Bel. 54
Belg. 54,55
Belgæ vnde dicti. 54
Belgæ bellicoſi. 54
Belgarum lingua. 4
Belgarum magna pars quare ab exteris Flamengi vocentur. 36
Bellig. 54
Belloueſus. 54,55
Bellum. 54
Bellum quò referendum. 55
Bembi tabula. 125
Ben, Benne. 14

Ben-

Benna,æ. 14
Berg. 29
Berg-heim, Berg-hom. 29
Bergomum. 29,78
Bie. 74
Bÿ-voet. 127
Bocchus Maurus. 51
Bodc. 16,74,& ſeq.
Bodincus fl. 11
Boduognatus. 16,74
Boÿ vnde dicti,& qui, 50,64,74
Boÿ Gallis & Germanis permiſti, &c. 73
Bononia dicta Felſina. 73
Bont. 101
Borbetomagus. 23
Bou. 22
Breucomagus. 23
Bria. 69,72,77
Britannorum lingua. 3,4
Bulga. 15
Bulot Arabicum vocabulum vnde,& quid eo denotetur. 152

C.

Ca.i.*malus.* 87,92
Cadmus dictus Mercurius. 91
Caduceum. 92
Caduceo ſerpentes aſtricti quid ſignificent. 92
Cælum vnde dictum. 31
Cælum Gaium. 31,32
Cæli tres in ſacra ſcriptura. 104
Cæſar in Commentariis nomina propria variè corrupit, &c. 14, *& ſequent.* 22
Cæſarodunum. 20
Cæſaromagus. 23
Cahos. 87
Caius & Caia. 30,& ſeq.
Caius cur per G efferendum. 41
Cal. 113
Calabria. 69
Calb, Calf. 18
Calendæ. 103
Cales. 51
Cambodunum. 20
Camulodunum. 20
Capedunum. 20
Capnumargos. 12
Capra Veioui ſolet immolari,&c. 116.
Car. 112
Carcer,eris. 148
κάρκινα febris. 148
Caritatis extenſio. 80
Carna Dea. 112
Carneia ſacra. 112
Carneius Apollo. 112
Carneius Iupiter. 112
Carneius πολύκλιτος dictus. 112
Carneius verus,eſt Chriſtus. 112
Carnutum regio. 2
Caro Chriſti verus eſt cibus animorum. 102
Carrodunum. 20
Cat.*i. malus.* 92
Catena Iouis. 62
Celtæ. 44,45
Celtarum lingua, 4,5
Celtogalatæ. 44,45
Celtogalatia. 55
Celtorÿ. 55
Ceræ laudes. 138
Cereri ſuem immolarunt veteres. 154,155,156, 157
Cham patris fugiens conſpectum quamplurimas finxit fabulas. 68
Chameſenes dictus Cham. 68
Chamiſtis & Semiſtis inuiſi Iapetÿ. 58
Chaon ſiue Chon dictus Hercules. 66,67,& ſeq.144
Chaon dictus Nochus. 66,144
Chaones pop. 66,67
Chaonia. 66,67,144
Cherubim alis tecta arca fœderis. 133.
Chimæra op. 64
Chironia vlcera. 140
χολή. 44
Choana vrbs. 66
Choana in Media æquè atque in Bactriana reperitur. 72
Chomara vrbs, prima Galatarum ſedes condita à Comaro. 64
Chomari pop. 47
Chomarus ciuitas. 47
Chon. 67
Chone dicta Italia. 67
Chonardus & Chonradus. 67
Chriſtus,crucifixus,glans. 153
Chriſtus Dei filius, Apollo & Phœbus dictus. 106,108
Chriſtus verus eſt Carneius. 112
Chriſtus Daphnis. 97,98,104
Chriſtus Liber pater. 98,100,102
Chriſtus Mercurius. 91,& ſeq.94, *& ſequent.*
Chriſtus Nochus. 98,100
Chriſtus purus panis. 120
Chriſti caro verus eſt cibus animorum. 102
Cimbri. 4,47
Cimbrica lingua. 10,11,42,62
Cimera regio. 64
Cimmeriÿ pop. 4,34,47
Cimmerium promontorium. 47
Claer. 113
Clarius Apollo. 113
Claros opidum Colophoni vicinũ. 113
Clarus, a, um. 113
Cnæus cur per G enuntiandum. 41
Coccus glandiferæ arboris fructus. 139
Coccinus color quid deſignet. 139
Cocinillæ. 138
Cognatio. 23,& ſequent.
Cognatio parit caritatem. 25
Cognationis primum caput Deus. 25
Cognatorum amor. 23,25,& ſeq.
Coleus. 94
Columbas olim oracula reddidiſſe, quomodo intelligendum. 145
Comer Gallorum pater. 33,34
Comari pop. 46,47
Comarus portus. 47
Con. *ſiue* Coen. 66
Coper. 12
Copula crucis Chriſti animam noſtram firmo connubÿ nexu ſpōſo ſuo deuincit. 124
Corona querna. 130,134
Cram. 80
Criophorus dictus Mercurius. 97
Criten. 114
Crux Chriſti ex quo ligno fuerit facta. 132,& ſequent.
Crux Chriſti eſt lignum vitæ. 132 133
Crux Chriſti eſt Tau Gallicum. 121,& ſeq.124
Crpg. 22
Cud. 156
Cul. 94
Culeus. 94
Cumerium promontorium. 51
Cunnidæ. 109
Cunnius Apollo. 109
Cut. 156
Cybele vnde dicta, & quid denotet. 156
Cybelæ ſiue Magnæ matri quare immolata porca. 156,157
Cygnorum cantus. 59
Cyllenius vnde dictus Mercurius,&c. 94,& ſequent.
Cyneſÿ pop. 45
Cyneſius mons. 45
Cynthius Apollo. 109
Cyri pop. 64

D.

Dae, Dai, Daui ſiue Daci pop. 64
Dach. 126
Daci ſiue Daui pop. 10,64. *eorum ſermo.* *ibid.*
Dædalus poteſt dici Nochus. 52
Daphneus Phœbus. 106
Daphnites Apollo. 106
Daphnis Chriſtus. 97,98,& ſeq. 104,& ſequent.106.
Daphnis Mercurÿ filius quomodo dicatur. 98,106
Daui ſiue Daci pop. 64
Delius Apollo. 109
Den. *i. picea materia.* 11
Deucalion dictus Nochus. 144, *& ſequent.*
Deucalion Theſſalus. 144
Deus. 62

Deus eſt præſtantiſſima voluptas. 114,117
Deus ipſe qua ratione dicatur Magus. 28
Deus primum caput cognationis. 25
Dei ſacra nomina ad idolomaniæ officinã detorta. 84,& ſequent.
Deo cur multa nomina tribuantur. 81
Diabolus diuina ſymbola & oracula ſibi arrogat, &c. 111, & ſequent.
Dialecti variæ, linguæ Germanicæ. 60
Dien. 126
Dies vnde dictus. 126
Dies motionis finis & perfectio: nox motus principium, ſiue terminus à quo fit motus. 126
Diei noctem quare præponant Galli & Cimmerij. 50,& ſeq.
Diem à nocte auſpicari, naturæ maximè conſentaneum. 126
Dieu, Gallis quid ſit. 62
Dieu, dieu, epodos alaudarum. 62
Diotima. 93
Dis, ditis. 49
Dis dictus Iapetus, &c. 49,121
Dis quare Deus inferorum fingatur. 49,& ſequent.
Diues diuitis. 49
Diuico. 16
Diuitiacus. 16
Dius. 62
Dius fidius. 62
Dodanim. 67
Dog. *i. canis.* 15
Dodona ciuitas. 144
Dodonæum oraculum. 144,159
Druida, æ, fit à Druis, idis. 4,120
Druis vnde dicatur, &c. 4,& ſeq. 119,& ſequent.
Druides qui, &c. 2,3.4, & ſeq. 119,& ſeq. 120,122. *eorũ auctor Iapetus ſub Ditis nomine celebratus,* 49, 121. *eorum diſciplina.* 121,122,126
Druſomagus. 23
Dryades. 147
δρῦς. 151
Dumnorix. 15
Dun. *i. tenuis,* 15
Dun *ſiue* Duyn. *i. collis.* 15,19
Dun-kerck. 20
Dun *terminantia opidorum nomina.* 20,& ſequent.
Dunium op. 20
Dunius ſinus. 20
Duyck, Duycker. 92
Duyn. 15

E.

E, Ee, Een. 73,152
Eeckel, Eickel. 151
Eick, Eich. 151
Ela in Sichem. 142
Elah vocabuli interpretatio varia. 135
ἐν. *i. in.* 73
En, Ent, Eint. *i. finis.* 57,69,71, 73
ἐναγώνιος *dictus Mercurius.* 97
Ens Ariſtotelis. 25
Epilepſia quare Herculanus morbus dicatur. 140
Eporedia. 17
Equus haues allegoricè ſignificat. 59
ἑρμηνεύω. 88
Eryngium herba. 43
Eſſedum. 17

F.

F littera ferina exaſperant Allemani pleraſque voces à littera P incipientes. 11
Fagus Latinorum eſt Oxya Theophraſti. 129
Faſcinum Mercurij ſtatuæ affixum quid denotet. 93
Fauni. 147
Feh. 54
Fel. 54
Felſina. 73,& ſequent.
Fer. 17
Fides. 62,157
Fides primùm habenda verbo Dei. 123,& ſequent.
Fier. 17
Flamengi quare vocentur Brabãti, Hollandi, & cæteri Belgæ. 36
Francicus ſermo vnde natus. 5
Fronſacum op. 72
Funiculus triplex, fidei, ſpei & caritatis. 125
Furca, qua ſerui apud Rom. ſolent reddi infames, qualis fuerit. 133

G.

Gai. 31,40
Gaia. i. pica varia. 41
Gaia terra. 32
Gaia Venus Vranca. 31
Gaien. 32
Gaiken. 32
Gaius & Gaia. 30,& ſeq. 41.
Gal. *i. fel.* 43
Gal. *i. altâ & vehemens vox.* 42
γάλα. 37
Galactophagi. 38,& ſequent.
Galata op. 52,56
Galatæ vnde dicti. 35,& ſequent.
Galatæ ſunt Galli. 4,& ſeq. *quare ſic dicti.* 35. *vbi primas ſedes collocarint.* 50
Galatarum ſermo. 4
Galatarum & Germanorum idẽ viuendi genus. 35
Galatarum & Senonum ex Aſia in Europam migrationes. 57,59
Galatarum in variis orbis partibus monumenta. 51
de Galatis D. Pauli ſententia. 44
Galatinus vicus. 52
Galba quis dicatur. 18
Galba vermis. 139
Galbanum. 43
Galbeum ornamentum. 43
Galbinus color. 43
Galbula auis. 43
Galerita auis. 12
Galgulus auis. 43
Galla op. 72
Galla fructus quercuum. 138
Gallipolis. 52,56,60
Gallus fl. 41
Gallus gallinaceus. 42,& ſeq.
Galli i. Cybeles ſacerdotes exſecti. 41
Galli vnde dicti. 33,& ſequent.
Galli ſunt Galatæ. 4,& ſeq. *quare ſeſe Galatas nominarint.* 35. *vbi primas ſedes collocarint.* 50. *cũ Cimmeriis in Italiã venerũt.* 51
Galli veteres & noui Italiæ diſtincti. 61
Galli qua lingua olim ſint vſi, &c. 4,& ſeq. 6,10,& ſeq. 122
Galli in loquendo radicibus Latinis verborum & nominũ vtuntur, cùm eorum declinatio & conſtructio prorſus ſit germana. 5,& ſequent.
Galli fiunt omnes homines per ſolum Tau. 121,122
Gallorum & Germanorum cognatio. 50
Gallorum in Italiam trãſitus. 52, 53,& ſequent.
Gallorum laus. 33
Gallorum numina. 79,80,& ſeq. 107. *eorum religio.* 1,2
Gallorum pater Gomer, &c. 33,34
Gallorum ſoboles Vmbri. 51
Gallica lingua vnde nata. 5,26
Gallica lingua antiqua eadem cũ Cimbrica fuit. 10,11
Gallicam linguam antiquam non eſſe Græcam. 2,& ſeq.
Gallogræci. 4
Galm. 42
γάλος, γάλεως, γαλήνη. 40,41
Gamba, Gambe. 26
Garumna fl. 20
Gaudium. 113
Gazza. 41
Geel, Geluwe. 43,& ſeq.
Geli op. 72
Genabum op. 22
Genitiuus Apollo. 109
γεννήτωρ *Apollo.* 109
Gent. 22

Ger.

Ger. 22
Gergouia. 22
Germanus vnde dictus. 33,*& ſeq.*
Germanus non eſt nationis, ſed inſtituti vocabulum. 34
Germanorum & Galatarum ſiue Gallorum cognatio. 50, 51. *& idem viuendi genus.* 35
Germanorum iactantia reprehenditur. 33,34,*& ſeq.*
Germanica lingua inferior ſuperiore eſt caſtigatior. 9
Germanica lingua qua ratione diuerſa à Gallica fuiſſe dicatur apud veteres. 10
Germanicæ linguæ dialecti variæ. 5,6
Germania prima & ſecunda, ſiue ſuperior & inferior. 21
Gertrudis. 102
Getæ. 10. *eorum lingua.* 10
Glans vnde dicta. 152
Glans qua ratione dicatur primū hominis pabulum, &c. 134,144. *antiquitùs homines glandibus vitam non ſuſtentaſſe.* 1[illegible]
Glans Chriſtus crucifixus. 133
Glandis laudes. 137,*& ſequent.*
Glandiferæ arbores Ioui ſacræ. 127, *& ſequent.*
Glinſteren. 12
Gliſchromargos. 12
Glos gloris. 40
Gnaet. 41
Gnæus. 41
Gomarus. 47
Gomer Gallorum pater, &c. 33, 34. *prius in Aſia Gallos & Aſcanios condidit, quàm in Europa.* 42
Got. 86
Gotardus mons. 78
Gotini. 10
Græca lingua vnde nata. 61,89
Græcis litteris vſi Druidæ. 2,3
Gu pro W ſcribunt populi Romaniſantes. 128
Guardia. 123
Guy Galli viſcum vocant. 127

H.

Hal. 151
Halt. 151
Hamadryades. 147
Hannibalis per Alpes iter. 45,*& ſequent.*
Har. 113
Harpe, enſis Mercurij. 96
Haſt. 27
Hau. 113,151
Haut. 151
Heet. 17
Hein. 29
Heimericus. 16
Hel. 40,42
Hendericus. 16
Her. 88,89
Heraut, *ſiue* Heralt. 88,106
Herba, æ. 88
Herban. 88
Herberg. 88
Hercules quid ſignificet. 95
Hercules Alemanus exſibilatur, 75
Hercules Chon ſiue Chaon. 67
Hercules Gallicus apud Lucianū. 118,*& ſequent.*
Hercules Nochus. 67
Hercules Ogmius. 118
Herculis columnæ. 44
Herculis & Mercurij comparatio. 95
Herculanus morbus quare Epilepſia dicatur. 140
Herculanus nodus. 92
Hermæ & Hermani, idem. 90
Hermæ in triuiis quid moneant. 88,*& ſequent.*
Hermarum figura. 85
Hermarum violatores ſacrilegi habiti. 90
Herman. 88
Hermanus. 88
Hermes dictus Mercurius. 88,89
Hermes variis rebus præſidet. 89
Herodoti locus quidam explicatur. 45
Hertog. 88
Heſſich. 17
Het. *i. caput.* 27
Hieroglyphicæ Ægyptiorum notæ. 122,*& ſequent.*
D. Hieronymus vixit Treueris cum D. Hilario, &c. 4
Hircus apud Moſen immolatus quid ſignificet. 116
Hig. 114
Hiſſen. 17
Hit. 17
Hittich, Hitſich, Hittich-hou. 17
Hol. 108
Holt. 151
Hom. 29
Homo microcoſmus. 95
Homo ſui, pecudi, iumento & vitulo comparatur. 116,135,153, 155
Hoz. 27
Hoſtia magna, ouis. 155
Hoſtiæ omnes vnius mortem denotabant. 147
Hoſtiarum linguas nocte adolere ſolent veteres. 101
Hou. 113
Hout. 151
Huder. 71
Hugt 70
Hul. 94
Hydruntum op. 71

I.

Jag. 31
Ianus vnde dictus. 56,61,127
Ianus & Ioannes idem nomen. 127
Iani appellatio obliterauit Iapeti memoriam. 56
Jani ductus, & Gertrudis amor, bene precandi formula itineri accinctis. 102
Janigenæ gentes multis ante Chriſti natalem ſeculis vocatæ ad ſalutem. 122
Japetus Nochi filius cariſs. cum patre permanſit in Margiana & Bactriana, & linguam integram retinuit, &c. 27
Japetus dictus Francus ſiue Vrācus. 48
Iapetus Druidarum generis auctor ſub Ditis nomine celebratus à Druidis. 49,121
Japeti memoriam obliterauit Jani appellatio. 56
Japeti nauigatio in Italiam. 56
Iapeti varia nomina. 48, *& ſequent.*
Japetij inuiſi Chamiſtis & Semiſtis. 58
Japygia primùm à Ianigenis, quarum pars Galli Senones fuerūt, habitata. 56,59
Iapygiæ conditor Japetus. 56, *& ſequent.*
Japygium promontorium. 51,52
Iapyx Dædali filius. 52
Ichnæa vocabula. 7
Jcterus. 43
Jcterias gemma. 43
Ideæ. 82
Idolomania Iudæorum. 147
Jdolomaniæ cauſa eſt ſacrificulorum auaritia. 83,145
ἰὴ παιάν. 110,*& ſequent.*
Imperfectum prius eſt re perfecta. 126
Jn. 73
Inalpini pop. 77
Inſubres pop. 77
Jnſubrium. 77
Jo *triumphe, io.* 114
Ioachimus Perionius. 2,5
Ioannes & Ianus, idem nomen. 127
Joannes Picardus. 2
Iobacchus. 114
Jolijt. 114
Ioſue filius Nun lapidem fœderis ſub quercu depoſuit, &c. 142, 143
Jou. 113
ἰού. 113
Iouis nominatiuus caſus. 115
Iouis Deus pater eſt. 116

Iouis etymon. 114,& ſequent.
Iouis vocabulum conuerſum quid denotet. 117
Iouis catena. 62. Vide reliqua in Iupiter.
is. 114
Iſraëlitici populi liberatio ex Ægyptiaca ſeruitute, figura eſt liberationis generis humani à peccati & cacodæmonis ſeruitute. 103
Italia vnde dicta. 67
Italia dicta Chone. 67
Italica lingua nata è Latina & Germanica. 26
Iubilo, as, are. 113,& ſequent.
Iudæorum idolomania. 147
Iuliomagus. 23
Iumento comparatur homo. 116, 135,153
Iuno vnde dicta. 96. eius fabula allegoricè interpretata. ibid.
Iupiter Carneius. 112
Iupiter Gallorum Deus. 113
Iupiter ſiue Iouis, & Mercurius idem Deus. 114,116
Iupiter ſiue Iouis maior Mercurio apud veteres. 114,116,117
Iupiter terminalis. 88,89

K.

Karker. 149
Kermez granum. 139
Kermeſinus color. 139
Kraken. 148

L.

Lac ſiue Lec. 37
Lacker ſiue Lecker. 38
Lac lactis vnde dicatur. 39,& ſequent.
Lacte nominatiuus apud Plautum. 39
Lans quare Germani ab Italis vocentur. 45
Lanſ-knechten. 75
Lapis fœderis ſub quercu depoſitus à Ioſue filio Nun. 142,143
Lat. 35
Laten. 35
Latina lingua vnde exorta. 61, 89
Leb, Lef. 54
λείβω. 101
Leuwerck. 13
Lex pædagogus noſter. 102
Liber vnde dictus. 99,100,102
Liber Deus & Libera. 61
Liber pater Chriſtus, 98,100,102
Liber pater, Nochus. 100
Liberalia feſta. 98,& ſeq. 102
Liberaliorum die togam virilem ſumere ſolent Romani iuuenes. 102, & ſequent.
Libos, Libum, Libamen, Libona & Libanum vnde dicantur. 100
Libandi mos. 100
Liebe. 101
Ligeris fl. 20
Lignum vitæ, crux Chriſti. 132, 133
Lignum vitæ quercus. 133,& ſeq. 138,141,143,149
Lingua Italica nata è Latina & Germanica; Gallica è Romana & Francica. 26
Linguæ Belgicæ dialecti variæ. 5, 6
Linguam Gallicam antiquam non eſſe Græcam. 2.& ſequent.
Lituuicus. 16
Litterarum conſideratio. 63
Litterarum nomina duorum generum. 83
Liuius vanitatis arguitur. 54,55
Loos. i. callidus. 41
Luc. 19,109
Lucht. 109
Luci quare ad ſacrificia delecti. 147
Luci principio ſolis quercetis conſtabant. 147
Lugdunum. 19,20,& ſequent.
Lugidunum. 20
Lugodunum. 20
Lui ſiue Lie. 33,69
Luna Man dicta à monendo, &c. 6,7,& ſequent.
Lupus. 110
Luterius. 16
Lux lucis. 109
λυκαυγές. 110
λύκη. 109
λυκηγενέτης Apollo. 109
Lycius Apollo. 109
λυκάβαντα vocarunt Græci annum. 109
λυκόφως. 109
Lycoreus Apollo. 109
λύκος. 110

M.

Mae. 23,25
Mæotici Germanici. 16
Maent. 103
Mag. 23,26,28
Magus terminantia aliquot opidorum nomina. 22
Magus quid ſignificet, & quis Magus dicendus. 25, & ſeq. 28
Magus qua ratione dicatur Deus ipſe. 28
Magia cultus eſt Deorũ, ſecundum Plat. 25
Magia apud Bactrianos orta. 27. eiꝰ primus inuẽtor Zeroaſtres. 26
Maius menſis. 29
Mamre quercus. 135,& ſeq. 141
Man. i. vir. 9,88
Man. i. moneo. 7,8,9,88
Man. i. Luna. 6
Mant. i. menſis. 7
Mar. 74,80
Marc. 80,81
Marca. 81
Marchiones. 81
Marg. i. medulla. 12
Marga. 12
Margiana regio. 27
Mariana quercus. 134
Maridunum. 20
Mars deus vnde dictus. 99,118
Mart. 99
Martel. 99
Marteau. 99
Martiale Agonium. 98,& ſeq.
Martius menſis vnde dictus. 99
Mat. 7,27
Materiæ primæ nomina. 126
Me, Mede. 40
Media regio commigrationis Gallorum è Chomarorum regione veſtigia ſeruat. 72
Mediolanum vnde dictum. 28
Mediolanum multis locis inuenitur. 28,55
Medius fidius. 62
Meiden, Meien. 28
Mel mellis vnde dictum. 40, eius laudes. 138
Melck. 40
Melca. 40
μέλι. 40
Melodunum. 20
Men. 9
Mens mentis. 10
Menſch. 131
Mer. 74,81
Merboduus. 74
Mert. 18
Mercor, aris. 18
Merct. 81
Mercurius vnde dictus. 80, 81,& ſeq. 107. eius nominis definitio. 91. ichnææ vocis ratio. 107
Mercurius ἀγώνιος dictus. 97
Mercurius, Argephontes dictus. 95,97
Mercurius Cadmus dictus. 91
Mercurius Cyllenius dictus. 94
Mercurius Gallorum Deus. 79
Mercurius Hermes dictus. 88,& ſequent.
Mercurius & Iupiter idem deus. 114,117
Mercurius μηλοσσόος. 97
Mercurius Nomius dictus. 97
Mercurius Promachus dictus. 97
Mercurius Tricephalus dictus. 89
Mercurius Thoyt ſiue Theut dictus. 86,& ſequent.

Mer-

Mercurius Triſmegiſtus dictus. 89
Mercurius Triſmegiſtus falſus. 90
Mercurius ſolo nomine à Sapientia differt. 95
Mercurius eſt Verbum Dei incarnatum. 91,& ſeq. 94,& ſeq.
Mercurij varia nomina, epitheta & eorum interpretatio. 84,93 94,97,& ſequent.
Mercurij & Herculis comparatio. 95
Mercurij ſtatua & eius ſymbolica ſignificatio. 85,& ſequent.
Mercurij ſtatuæ affixum faſcinum. 93,& ſequent.
Mercurio artes & ſcientiæ attribuuntur. 91,95
Merx mercis. 81
Meſapia regio. 58
Meſapicus ſermo. 58
Meſapion mons. 58
Meſapus Neptuni filius, &c. 58 59. vnde dictus. 58. quare dictus equorum domitor. 59. Virgilij carmen de Meſapo explicatur. 59
Meſembria. 69
Meſi pop. 69
Microcoſmus homo. 95
μιλοσόφος dictus Mercurius. 97
μὴν. 9
Minerua quid ſignificet, & vnde dicta. 117,& ſequent.
Minerua Gallorum numen. 117
Mino, as, are. 9
Modus. 9
μοῖρα. 87
Moloſſi dicti Chaones pop. 66
Mon. i. Luna. 6,7
Monat. i. menſis. 7
Moneo, es, ere. 9,89
Montes quare ad ſacrificia & orationes delecti. 146
Mora, æ. Moror, aris. 80
Morbus ſacer ſiue caducus quare ſic dictus. 140. quare dictus Herculanus. ibid.
Morbi ſacri ſiue caduci cum lapſu Adami comparatio. 140
Morbo ſacro medetur viſcum. 140
Moſa fl. 21
Moſella fl. ibid.
Moſes vnde dictus. 56
Mulgeo, es, ere. 40
Mulier Vrow quare dicatur. 31, & ſequent.
Myſi pop. 69

N.

Nacht. 42,126
Nachtegal. 41
Nam. 8,9
Neceſſitas ſtimulus eſt ad Deum orandum. 82
Nei. 112
Νέος. 112
Νέος. 112
Neodunum. 20
Neomagus vnde dicatur. 23
Neomagus Britan. 23
Neomagus Luxubiorum. 23
Neomagus Nemetum. 23
Neomagus Tricaſtinorum. 23
Neomagus Vadicaſſiorum. 23
Neomagus ſiue Nouiomagus ad Vaalim. 23
Niet. 126
Nieu. 112
Nochus dictus Apollo. 49
Nochus dictus Bacchus. 49,100
Nochus dictus Chon ſiue Chaon. 66,67,& ſeq.
Nochus Chriſti figura. 98,100
Nochus dici poteſt Dædalus. 52
Nochus dictus Deucalion. 144,& ſequent.
Nochus Epiſcopi functus officio in vniuerſo orbe. 68,& ſeq.
Nochus dictus Hercules. 67,144, & ſequent.
Nochus Indus, ex India deuectus arca ad Septentrionis plagam, &c. 27
Nochus dictus Liber pater. 100
Nochus dictus Saturnus. 49
Nomen, inis. 10
Nomine Dei, intelligitur filius Dei. 8,& ſequent.
Nomina propria variè corrupta. 15,& ſequent.
Nomius dictus Apollo. 108
Nomius dictus Mercurius. 97
Noot. 82
Nos, Noſel. 17
Nou. 112
Nouiodunum. 20,22
Nouiomagus vnde dicatur. 23,& ſequent.
Nouiomagus Biturigum. 23
Nouiomagus ad Vaalim. 23
Nouus, a, um. 112
Nox noctis. 42,126
Nox motus principium, ſiue terminus à quo fit motus: dies motionis, finis & perfectio. 126
Nox quare dici præferatur à Cimmeriis & Gallis. 50
Nox quare mater omnium vocetur. 126
Nuidunum. 20
Numiſmata antiqua. 134
Ny. 112
Νύξ. 42,126

O.

Obrincus. 21
Ochs, id eſt bos. 14
Oenotrij pop. 67
Ogerius Boeſbecanus. 10
Ogmius Hercules. 118
οἶνος. 127
Ombri, Vide Vmbri.
Onnoſel. 17
Oor. 109
Or. 26,27,119
Oracula edidiſſe dicuntur quercus & columbæ. 145
Orgentorix. 15
Ordior. 27
Origo, inis. 27,109
Orior. 109
Orobij pop. 77
Oromazes. 27
Ort. 119
Orus Apollo. 109
Os. i. bos. 13
Otmarus. 74
Ouerheit. 14
ὄυρος. 13
Ouidij verſus de ludis liberalibus Nocho attributi. 100
Ouis hoſtia maxima. 155
Oxya Theophraſti, eſt Fagus Latinorum. 129

P.

Padus fl. 11
Pæan vnde formetur. 110,& ſeq.
Pæan Apollo. 110
Panis purus Chriſtus. 120
Papegay. 41
Par. 87
Par, paris. ibid.
Parcæ vnde dictæ. 87
Patrimonium D. Petri & D. Marci. 35
Pat. i. via. 11
Patrous Apollo. 109
Pecori comparatur homo. 135
Pecunia vnde dicta. 156
Pete. 17
Peter. 17
Petoritum. 17
Phanæus Apollo. 109
φηγός. 129
Philoſophus. 26
Philoſophia vera eſt amoris cognitio, &c. 26
Phœbus vnde dictus. 106
Phœbus Daphnæus. 106
Phœbus Dei filius rectè vocatur. 106, 108. Reliqua vide in Apollo.
Phrygum priſca lingua. 42,122
Pica varia. 41
Planarati dictio pro Plograt, apud Plin. 11
Plinius caſtigatus. 11,12
πολύλλιπος dictus Carneius. 112
Porca quare immolata magnæ matri. 156,& ſequent.
Porcorum fœcunditas. 137

Porci.

Porcinæ carnis præſtantia. 137
Principis & ſubditi conditio atq. munus. 75
Promachus dictus Mercurius. 97
Pſeudoberoſus & Annius reprehenduntur. 48
Pſeudotriſmegiſtus. 90
Pytha. 111
Pythius Apollo. 111

Q.

Q in locum W irrepſit. 148
Quer. 148
Quercetis ſolis olim conſtabant luci. 147
Quercus vnde dicta. 149, & ſeq. *eius varia nomina explicantur.* 148, & ſeq. *eius deſcriptio & laudes.* 129,137,141
Quercus cuius rei ſymbolum. 129, 130. *ſymbolum eſt crucis Chriſti.* 143. *ex quercu crux Chriſti facta.* 132,133, & ſequent.
Quercus arbor vitæ in paradiſo fuit. 133,138,143,149
Quercus in medicina vtilis. 137. *profert præſtantiſſimũ viſcũ.* 140
Quercus Ioui ſacra, &c. 129, & ſeq. & quare. 130,133,134.
Quercus Mamre. 134,135, & ſequent. 141
Quercus Mariana. 134
Quercus in Sichem. 142, & ſeq.
Quercus copioſæ fuerunt olim in Iudæa. 133
Quercus qua de cauſa oracula edere dictæ. 145
Quern. 149
Querna corona donari ſolet, qui ciuis Rom. vitam ſeruaſſet. 130. *quid eo ritu indicatum.* 134
Querquera febris. 148
Quiritare. 114

R.

Ra. 18,82,106
Rar. 112
Ram. 81
Rat. 18,70
Raw. 123
Rein. 21
Renus fl. 21, & ſequent.
Rheda. 17
Rhobodunum. 20
Rigodunum. 20
Robur præ cæteris arboribus Ioui olim fuit ſacrum. 128, & ſeq.
Rodanus fl. 18
Rom. 110
Romans loqui dicuntur Galli. 5
Roſch. 43
Rotomagus. 23
Ru. 13
Rue. 107

Ruſceus color. 43

S.

Sabini vnde dicti. 61
Sacæ primi maiores Saxonum. 64
Sacres porci. 154
Sacrificia & victimarum cædes quid deſignarint. 121
Sacrificiorum veterum ſcopus, amor. 101
Sacrificiorum varia genera ad vnum ſacrificium in ara crucis peractum tetenderunt. 155
Sacrificulorum quæſtus, idolomaniæ cauſa. 145
Sal. *i. ſalus, conſeruatio.* 69,108
Sal, ſalis. 69
Salentini. 69
Salich. 69
Salij pop. 69
Salus, utis. 69
Sapientia genita ante ſecula, &c. 94,95
Saſona inſula. 64,73
Saſones pop. 72
Sat. 70
Saturum ſiue Saturium op. 70
Saturnus. 70
Satyrorum veretra arrecta. 93, & ſequent.
Saxonum primi maiores Sacæ pop. 64
Scordæ pop. 59,64
Scordiſci pop. 59,64
Scordona inſula. 64
Scordus ſiue Scordonis mons. 64
Scot. 141
Scythæ. 36
Seduni. 78
Segodunum. 20
Selymbria. 69
Semiſtis & Chamiſtis inuiſi Iapetij. 58
Semnones. 72
Sen. *i. ſenſus.* 57,60
Sena à quibus condita, & vnde dicta. 59, & ſequent.
Senæ vrbis in Hetruria laus. 60
Senæ multæ fuerunt. 59.60
Senogallia. 51
Senones vnde dicti. 56,57
Senones Galli, qui. 52
Senones vnde in Iapygiam venerint. 56
Senonum & Galatarum ex Aſia in Europam migrationes. 57, 59,73
Sentio, is, ire. 57
Seprinum caſtrum. 76
Serpentes caduceo aſtricti quid ſignificent. 92
Sequana fl. 20
Si *ſiue* Sie. *i. video.* 57
Sibyllæ carmen de Daphnide explicatur. 103, & ſeq.
Sif. 120

Sigoneſus. 54,55
Sin. *i. ſenſus.* 57,60
Singidunum. 20
Slaepdronck. 101
Slic. 110
Sloc. 110
Slupp. 110
Smart. 118
Sol. *i ſalus.* 108
Sol, ſolis. 108
Sol dictus Apollo. 113
Solis pium encomium. 57
Sold. 13
Soldurij apud Cæſarem qui ſint. 13
σπένδω, σπείδω. 102
Spijſen. 102
Statuæ collocatæ viris illuſtribus. 91
Statuarum formæ antiquiſſimis temporibus. 87, & ſequent.
Ster. 27
Stram. 118
Su *ſiue* Sui. 77
Subrium. 77
Sueuorum lingua. 6,10
Suis fœcunditas. 154,155,156
Suis vſus in ſacrificiis. 154,155, 156
Sui, pecudi & iumento comparatur homo. 153,155
Suobeni pop. 6

T.

Talaſſius. 32
Tam. 7
Tar. 18,71
Tardus, a, um. 18
Tarentum op. 70, & ſequent.
Tarodunum. 20
Tau littera ad vinciendum idonea. 124
Tau omnes homines Gallos facit. 121,122.
Tau Gallicum quare dictum. 122, 125
Tau Gallicum, crux Chriſti. 121, & ſequent.
Taw *vocabuli etymon & ſignificatio.* 124
Tauri pop. 59
Taurica Cherſoneſus etiamnum hodie lingua Germaniæ inferioris vtitur. 10
Tauriſci pop. 59
Tectoſages pop. 50
Terminus vnde dictus, & quid ſignificet. 89, & ſequent.
Terminus Deus. 88
Terminalis Iupiter. 88,89
Termo dictus Terminus apud Ennium. 89
Τέρμων. 88,89
Terra Gaia. 32
Tetragonus homo. 85
Teutones. 34

Themis

Themis dea. 88
Theut. 86
θεός. 62
Thoyt. 86
Thoyt ſiue Theut dictus Mercurius. 86, 90.
Thunæ grana ſiue verrucæ. 139
To. 26
Toga virilis Romanorum, & toga libertatis Chriſtianorum. 102
Toon. 82
Tricephalus dictus Mercurius 89
Trimarciſia Gallorum. 11
Tripus Apollini quare dedicatus. 108
Triſmegiſtus dictus Mercurius. 89
Triſmegiſtus falſus. 90
Troia vnde dicta. 153, 157
Trow. 4, 9, 119, 123
Tru *ſiue* Trow *.i. fidus, &c.* 4, 119
Tru *ſiue* Trui *.i. ſus.* 154, 158

V

Vacomagus. 23
Vague Gallicè eſt fluctus. 142
Vat. 125
Ve. 116
Veh. 54
Veiouis vnde dicatur. 116, *& ſeq.*
Veiouis Apollo. 116, *& ſequent.*
Veiouis eſt Deus filius. 116
Veioui capra ſolet immolari &c. 116
Vellaudunum. 20
Velotæ. 136
Veneti æquè atque Galli ad Cimmeriam ſtirpem pertinent. 55
Veneti in Gallia, & ad ipſum etiam mare Germanicum inueniuntur. ibid.
Venus Vrania Gaia. 31
Venus Vrania dicta Parca. 87
Veneris ſtatua in pilam quadratam deſinens. ibid.
Vercingentorix. 16
Verbum eſt Dei filius patrem oſtendens, &c. 119, *& ſeq.*
Verbo auctor libellum dedicauit. 119
Verbo Dei primùm fides habenda. 123, *& ſequent.*
Vergobretus. 14, 74
Vertico. 16
Verus, a, um. 123
Vetus. 17
Victimarum cædes quid deſignarint. 121
Vindomagus. 23
Vinum. 127
Virgilij verſus de mortuo Daphnide, Chriſto attributi &c. 98 *& ſequent.* 103, *& ſequent.*
Viri proprium & præcipuum officium. 9
Vis. 114
Viſcum vnde dictum, &c. 127 *& ſequent.* 158
Viſci quercini & Quercus Mãre conuenientia. 135
Viſcum præſtantiſſimum profert quercus, ſingulare ſacri morbi alexipharmacum. 139
Viſco quercino quid myſticè denotetur. 140
Viſus exterior & interior 57
Vitalia. 67
Viterbum op. 22
Vitomarus. 74
Vitulo anima hominis comparatur. 135
Vmbri vnde dicti. 51, 61
Vmbri Gallorum ſoboles 50, 51
Vocum primordia ex qua lingua ſint petenda. 9
Volſena ſiue Volſina. 60, 73
Voluptas ſummum bonum 115. *& ſeq.*
Voluptas præſtantiſſima eſt Deus. 114, 117
Vr. 13, 70
Vrancus ſiue Francus *dictus Iapetus.* 48
Vrania Venus. 31, 87
Vraw. 31
Vri, Vrihept. 69
Vrus. 13
Vxellodunum. 20
Vxentum op. 70

W.

W è vocabulis ſæpè tollitur à Latinis. 4. *mutatur in Gu.* 128 *mutatur in Q.* 148
Wagen. 17, 141
Wagenſchot. 141.
Wat. 123
Wart. 123
Wat-landers *ſiue* Wat-lendiſche *appellantur Cimbri ab Alemanis* 11
Wedewal. 43
Werck. 150
Werf / Werue 31
Weſen. 55
Wy *.i. Viſcum.* 128
Wy *.i. longè & latè.* 119, 128
Wy *.i. dilato.* 128, 140
Wy *.i. conſecro.* 128, 140
Wy *.i. noxia exſtirpo.* 127, 140
Wijn. 127
Wis *ſiue* Wijs *.i. ſapiens.* 4. 119 *& ſequent.*
Wis ſiue Wijs .i. demonſtro, ibid.
W ort vocabuli etymon. 9, 119, 123

Y.

ὕδωρ 72

Z.

Zagrus mons. 72
Zo. 26
Zoroaſter vnde dictus. 26
Zoroaſter primus Magiæ inuentor, &c. 26

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Priuilegio ſancitum eſt, nequis *Opera omnia Goropij Becani partim antehac impreſſa, ſed ab ipſo emendata, partim verò non impreſſa*, integra, vel eorum partem aliquam, citra Chriſtophori Plantini voluntatem, à die cuiuſq editionis abſolutæ intra decem annos, imprimat, aut alibi impreſſa importet venaliáue habeat, ſub pœna confiſcationis librorum: vt latiùs patet in literis datis Bruxellis pænultima Nouembris. M. D. LXXIIII.

Signat.

I. de Witte.

IOAN. GOROPII BECANI

GALLICA.

LIBER I.

SI PRISCAS & Ogenias Gallorum origines, gentis ab omni Latinorũ memoria clariſſimæ, clariſſimi ſcriptoris verbis exordiar; licet cætera pòſt peccem, at hoc tamen mihi non fuerit verendum, ne in ipſo magnę & arduæ molitionis limine impegiſſe dicar. Iam cùm nihil cordato viro magis optandum, quàm vt laudetur à laudato viro; tum nihil præclarius, quàm ab ipſis etiam hoſtibus laudari, quorum nimirum prædicatio longiſſimè abeſt ab omni adulationis ſuſpicione. Inſignem itaque Gallici nominis antiquitatem Cæſaris ore mihi celebrandam duxi; qui præterquam quòd Romanus fuit, & tantus Gallorum, quantus nullus vnquã alius hoſtis; hoc mihi etiam verior auctor habendus, quòd narrationem ſuam grauiſſimo teſtimonio confirmarit. Audiamus igitur hominem auditu digniſſimum. *Galli*, inquit, *ſe omnes à Dite patre prognatos prædicant, idq́ ab Druidibus proditum dicunt. Ob eam cauſſam ſpatia omnis temporis, non numero dierum, ſed noctium finiunt, & dies natales & menſium & annorum initia ſic obſeruant, vt noctem dies ſubſequatur.* Videor mihi mox de hoc teſtimonio auditurus: Quid dignum tanto dedit hic promiſſor hiatu? Egregium verò gentis præconium, ab ipſo Dite inferorum Deo petere initium claritatis, quaſi tenebræ lumen affundant. Hoc eſt ſcilicet à Cæſare laudari, hoc nobilitari. Quod ſi hos illuſtres dicas, qui ab Orco generis ſui principia ducunt; quos tandem vocabis obſcuriſſimos? Quid verò ex anilibus nugis manaſſe dices, niſi hoc ſit vnum ex illis, quibus nulla anus proferret vaniora? Vis nos credere Ditem patrem Gallorum, & inde vitam duxiſſe, quò niſi mortuus nemo deſcendit? Si nos fabulis paſcere voles, referas potius primum Gallorum genus vel ad gallum aliquem Pythagoræum, vel ad Atyn, primum Cybeles gallum. Sed tu ò iſte quiſquis es, qui hæc ſermonis noſtri primordiis obiicis, ſuſtine, rogo, pauliſper ſententiam, & ne antè Druides accuſes ſtolidæ vanitatis, quàm intelligas quem Ditem ſuum vocarint. Infinita ſunt ea quæ prima ſtatim fronte in abſurdiſſimis habenda videntur, & diligenter tamen inſpecta atque examinata, veriſſima eſſe deprehenduntur: ac ſicut in rebus ipſis non rarò magna eſt obſcuritas, quæ demonſtratione diſcutitur; ita rectam de ſermone quopiam ferre ſententiam fruſtra is conabitur, qui vocum in eo poſitarum ſignificationem ignorat. Quem autem Druides Ditem nominarint, non antè perſpiciemus, quàm qua lingua vſi ſint intelligatur. Quoniam igitur neque quis ſit Dis, neque qui ſint Druides, neque qua ratione tota gens Gallorum nomen ſit ſortita, ſciri poteſt, niſi ante omnia de vernaculo illorum ſermone conſtiterit, quorum auctoritatem Cæſar citauit; videamus quid idem de Druidibus narret. Sic enim fortaſſe non difficile fuerit, in eius quod quæritur, venire cognitionem; & illam quidem maiorem, quàm hactenus quiſquam eorum qui præſtantes & ingenio & eruditione in eadem ſe palæſtra exercuerunt, ſit conſecutus. Magna doctiſſimorum cum Gallorum, tum alterius nationis hominum cõſenſione creditum videmus, nomẽ Druidum Græcũ eſſe, & Græco ſermone ipſos ſuam tradidiſſe diſciplinam. Cùm igitur in hoc perinde atque in plurimis aliis immanibus ſpatiis à regia veritatis via ſit aberratum, & totum Gallicæ nobilitatis fundamentum ſola Druidum nitatur auctoritate; non abſurdam mihi viam & rationem ingreſſurus videor, ſi prius de horum, quàm de Gallorum vetuſta tum patria, tum lingua verba fecero. Quamobrem totum illum Cæſaris commentariorum locum, qui ad hanc rem pertinet, verbotenus adſcribendum mihi putaui, tum quòd nec ſuccinctiùs, nec

Latinius tantundem rerum queat explicari, tum quòd totam gentis complectatur diſ-
„ tributionem. In omni, inquit, Galliâ eorum hominū qui in aliquo ſunt numero atque
„ honore genera ſunt duo. Nam plebs pænè ſeruorum habetur loco, quæ per ſe nihil au-
„ det, & nulli adhibetur conſilio. Plerique cùm aut ære alieno, aut magnitudine tributo-
„ rum, aut iniuria potentiorum premuntur, ſeſe in ſeruitutem dicant nobilibus. In hos
„ eadem omnia ſunt iura, quæ dominis in ſeruos. Sed de his duobus generibus alterū eſt
„ *Druides.* Druidum, alterum equitum. Illi rebus diuinis interſunt, ſacrificia publica ac priuata
„ procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adoleſcentium numerus diſcipli-
„ næ cauſſa concurrit, magnoque ij ſunt apud eos honore. Nam ferè de omnibus con-
„ trouerſiis publicis priuatiſque conſtituunt, & ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes fa-
„ cta, ſi de hæreditate, de finibus controuerſia eſt; iidem diſcernunt, præmia pœnaſque
„ conſtituunt. Si quis aut priuatus aut populus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis inter-
„ dicunt. Hæc pœna apud eos eſt grauiſſima. Quibus ita eſt interdictum, ij numero im-
„ piorum ac ſceleratorum habentur, ab iis omnes decedunt, aditū eorum ſermonemque
„ diffugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, Neque iis petentibus ius red-
„ ditur, neque honos vllus communicatur. His autem omnibus Druidibus præeſt vnus
„ qui ſummā inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, ſi quis ex reliquis excellit digni-
„ tate, ſuccedit: at ſi ſunt plures pares, ſuffragio Druidum adlegitur. Nonnunquā etiam
„ de principatu armis contendunt. Ij certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ re-
„ gio totius Galliæ media habetur, conſidunt in loco conſecrato. Huc omnes vndique
„ qui controuerſias habent, conueniunt, eorumque iudiciis decretiſque parent. Diſcipli-
„ na in Britannia reperta, atque inde in Galliam tranſlata eſſe exiſtimatur: & nunc qui
„ diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerumq. illò diſcendi cauſſa proficiſcuntur.
„ Druides à bello abeſſe conſueuerunt, neque tributa vnà cum reliquis pendunt, militiæ
„ vacationem omniumque rerum habent immunitatem. Tantis exciti præmiis, & ſua
„ ſponte multi in diſciplinam conueniunt, & à propinquis parentibuſq. mittuntur. Ma-
„ gnum ibi numerum verſuum ediſcere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in di-
„ ſciplina permanent, neque fas eſſe exiſtimant ea litteris mandare, cùm in reliquis ferè
„ rebus publicis priuatiſque rationibus Græcis litteris vtantur. Id mihi duabus de cauſſis
„ inſtituiſſe videntur; quòd neque in vulgus diſciplinam efferri velint, neque eos qui di-
„ ſcunt, litteris confiſos, minus memoriæ ſtudere: quod ferè pleriſque accidit vt præſidio
„ litterarum diligentiam in perdiſcendo ac memoriam remittant. In primis hoc volunt
„ perſuadere, non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios, atq. hoc ma-
„ ximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa præterea de ſideribus
„ atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deo-
rum immortalium vi ac poteſtate diſputant, & iuuentuti tradunt. Hæc Cæſar de
Druidibus & eorum diſciplina. In quibus vt plurima ſunt diligenter annotanda, ita
quod de Druidum origine ſcripſit, & Græcarum litterarum vſu, accuratè expendatur
Ioachimus Perionius. neceſſe eſt. Ioachimus Perionius magna vir Græcæ Latinæque linguæ cognitione cla-
rus, quatuor ſcripſit dialogorum libros, quibus Gallicę Græcæque linguę docet cogna-
tionem. In iis ex eo quod Cæſar dixit Druides in publicis priuatiſque rebus extra ſuam
diſciplinam Græcis litteris vti, concluſit ſermone item Græco vſos fuiſſe. Eadem eſt col-
Ioan. Picardus. lectio apud Ioannem Picardum, qui Celtopædiam quinque libris complectitur: quos o-
pinor hac in re aliorū complurium hinc pedaneos hinc magiſtros fuiſſe, qui quot qua-
leſque fuerint, nihil refert commemorare, cùm rationum pondus, non conſentientium
Gallicam linguam antiquam, non eſſe Græcam. numerus ſit conſiderandus. Videamus itaque quàm bene ratio cōcluditur, cùm littera-
rum Grę carū vſus ſermonem quoq. Grę cum ſecū neceſſariò trahere docetur. Eo videli-
cet modo colligas, Antuerpianos omnes Latino ſermone loqui, propterea quòd litteris
Latinis in omnibus & publicis & priuatis rationibus vtantur. Nec aliter procedet is qui
dicet Targum Chaldaicū ſermone Hebraico conſtare, quoniā Hebraicis characteribus
Compluti ad Fennarū ſit excuſum. Pudet me profectò, viros tanti nominis tam turpiter
ſeſe dare in errores manifeſtiſſimos, & ab ipſis pueris explodēdos. Atqui hoc triariū om-
nium rationū robur eſt, quibus peruincere nituntur Gallis olim Græcū ſermonem in
vſu fuiſſe. Nec videt ſibi obſtare ipſum Cęſarē, qui ad Ciceronem apud Neruios obſeſ-
ſum, Græcā dedit epiſtolam, ne conſilia ſua litteris cōmiſſa à Gallis cognoſcerentur. Sed
reſpondent,

reſpondent,apud Celtas maximè Græcum ſermonem viguiſſe,minimè verò apud Belgas. Bella ſanè fuga. Quaſi verò apud Belgas Britannię proximos nulli Druides fuiſſent. Aliter profectò Cæſaris verba capienda, vt neminem latère poteſt, qui modò nō prorſus ſit communis loquendi conſuetudinis ignarus. Nunquam nec Cæſar,nec quiſquam alius Gallicum ſermonem eundem cum Græco eſſe vel dixit, vel cogitauit. Sed hoc dumtaxat annotauit, notis Græcorum Gallos vti in ſermone ſuo ſcribendo; atque ad hanc notionem litterarum nomen eo loco accipiendum eſſe,quo de Druidibus agit,ex eo perſpicuum eſt, quòd dicat Druides diſciplinam ſuam ſcriptis committere nolle, propterea quòd ſcripturæ præſidium memoriā remittat. Verùm dum ſe dicit epiſtolam Græcis litteris ſcripſiſſe,ne cōſilia ab hoſtibus cognoſcerētur; clarū eſt, quòd Græco etiā ſermone ſit vſus. Nā niſi plures Galli linguæ Latinæ fuiſſent quàm Græcæ periti, vanus fuiſſet Cæſaris metus:& rurſus ſi litteris Græcis Latinum ſermonem ſcripſiſſet, facilius & procliuius Druides epiſtolam legiſſent,vt qui characteribus Gręcis ea quę ſcriberent, ſcriberent omnia,nō illa quidem Græcorū ſermone, ſed vernaculo,& eo quo omnes ex æquo vterētur. Si enim peregrina aliqua lingua Druides ſua tradidiſſent, nihil erat metuendū ne in vulgus ſpargeretur,& paſſim eius notitia ab omnibus vſurparetur,ſi ſcripta fuiſſet: non magis ſanè quàm nunc metuendū,ne omnes ex æquo Germani intelligant Ciceronem vel Virgiliū,in quibus auctoribus litteras omnes cognoſcūt. Tradebatur ergo diſciplina eo ſermone,qui ſi ſcriptus fuiſſet,à vulgo fuiſſet intelligēdus. Ex quo & illud probabile redditur,Britānos eos à quibus hęc eruditio petebatur,eundē cum Gallis habuiſſe ſermonē. Nos in Gotodanicis docuimus,antiquam Britannorū linguam Cimbricā fuiſſe:& fatetur Cæſar magnā Britannię partē habitatā fuiſſe à Belgis,eam pręſertim quæ mari vicina eſſet. Hinc legimus Caſſiuellaunū legatos ad Cęſarē per Comium Atrebatem miſiſſe, quòd nimirum eodem ſermone Atrebates & Caſſiuellauni legati vterentur. Cornelius Tacitus in ea item opinione eſt, Gallos Britanniam primos occupaſſe, addens ſermonem non eſſe admodum diuerſum. Quòd ſi Cæſar tradidiſſet è Marſilia Druidum primordia manaſſe; meritò poſſemus ſuſpicari, Græco eos ſermone vti ſolere: nunc cùm lōgiſſimè & ex diametro inde Britannia diſſita ſit, & multo etiam magis ab ipſa Græcia remota; non video quid cauſſæ ſit,vt de Græco ſermone ſomniemus. Num putamus Cæſarem taciturum fuiſſe, ſi tantum linguæ Græcæ apud Gallos vſum cognouiſſet, quantum Perionius & cæteri nobis obtrudunt? Quamuis verò id neglexiſſet Cæſar, vt rem commemoratu indignam; cæteri tamen ſcriptores nullo modo prætermiſiſſent, præſertim Plinius,qui non paucas voces Gallicas interpretatur; inter quas nulla eſt quæ vel minimam habeat cum lingua Græca cognationem. Deinde ſi Druides Græcis verſibus arcana ſua tradebant; miror quî non Plutonem potius quàm Ditem primum ſuum vocarint parentē: Cur item non cæteros quoq. Deos Græcis nomēclaturis potius quàm Latinis nūcuparint. Sed quid multis? Vel vnus ſolus Varro inſanam hanc Græciſmi ambitionem ſupprimet, qui Maſſilienſes tradidit trilingues eſſe,quòd Latinè, Græcè & Gallicè loquerentur. Quis hic non videt Gallicam linguam iuxta à Græca atque Latina eſſe diuerſam? Eſt ne opus adhuc aliis teſtibus? Iam ſi Gallis lingua Græca vel vernacula, vel tam communis, quàm aduerſarij opinionis meę volunt, fuiſſet; an opinamur Diuitiacum virum in ſummo apud Æduos magiſtratu conſtitutum, eius ſibi in adoleſcentia non comparaturum fuiſſe facultatem? Et certè ſi eius peritus fuiſſet, nihil opus fuiſſe Cæſari reiectis quotidianis interpretibus, C. Valerio Procillo vti ad res, quas maximè occultari volebat, cùm eo communicandas? quandoquidem ſi Græcè ſciuiſſet Diuitiacus, Cæſar cum eo ſolo amotis omnibus interpretibus loqui potuiſſet. Sed video rurſus obiici tabulas Græcis litteris ſcriptas in caſtris Heluetiorum inuentas fuiſſe. Fateor id quidem: Sed quid tum poſtea? An videlicet ex eo efficiatur eas Gręco quoque ſermone perſcriptas fuiſſe? Non magis ſanè, quàm de notis ad ſermonem rationem trahi poſſe dixi. Porrò dicat quis,ipſum nomen Druidum prorſus eſſe Græcum, idque Plinij teſtificatione conſtare, qui à robore ducit appellationem. Scripſit hic quidem poſſe videri Druides à robore apud Græcos ſortitos eſſe nomen, ſed iudicium ſuum non interponit. Quis credat Gallorum & Britannorum ſapientes tanta domi ſermonis vernaculi inopia laboraſſe,vt procul terrarum ex ipſa Græcia ſibi nomenclaturam emendicandā exiſtimarint. Non ibo infitias apud eos

quercum in ſymbolis fuiſſe, at inde nomen accepiſſe pernego. Britanni crebrò linguam mutarunt, & hoc tempore è vario ſermone miſtam vſurpant illi quidem; verùm nulla clades efficere potuit, vt nullæ omnino vetuſtiſſimi & primi ſermonis reliquiæ hactenus conſeruarentur. Inter quas & illa vox eſt, à qua Druidum nomenclatura manauit. *Druidis vocabuli etymon.* *Tru.* Tru enim idem ipſis adhuc notat, quod Latinis Verum: vocabulum nec à Romanis, nec à Normanis petitum; ſed ab antiquiſſimis temporibus perdurans. Mirum ſanè ni ipſi veritati fidiſſimæ rerum omnium cuſtodi curæ fuerit, ne veri nomen tot mutationum procellis periret. Noſtratibus eadem vox in vſu eſt, di- *Trow.* uerſa paululum ſcriptura & pronunciatione. Trow enim pro Tru ſcribimus: & non tantùm pro verò, ſed pro fido, & fide ipſa vſurpamus. Venit etiam vt verbum in orationem, & id rurſus duplici ſignificatione; altera vt idem valeat quod fidere Latinis; altera coniugium legitimum inire. Hinc igitur trow-wis factum, adiecta vocula *Wis.* geminæ notationis. Wis enim vt nomen, ſapientem notat; vt verbum, idem eſt quod demonſtro. Is ergo trow-wis dicetur, qui & veri ſapiens eſt, & verum aliis monſtrat, & præterea oſtendit tum cui ſit fidendum, tum qui cum coniugij copula contrahenda; ita vt is qui hoc ſibi nomen ſumit, ſeſe omnis veritatis & fidei tum erga Deum, tum erga homines profiteatur doctorem. Sed quo tandem modo ex trow-wis Druis euaſit? Modò dictum, Britannorum dialecto pro trow, tru dici, vnde truwis. A qua voce ſi litteram Latinis ignotam eximas, & primam quæ tenuis eſt, in mediam commutes; confeſtim Druis habebis. Ex tenui autem mediam facere, & è media rurſus tenuem, eſt vnum linguæ noſtræ de frequentiſſimis; nec minus vſitatum Latinis, vt litteram hanc quam duplici v pingimus, è vocabulis tollant. Sic è Brieswac Briſacum, è Fransswac Fronſacum, è Lans wac Lanſacum, & ſimilia quamplurima è ſimilibus ad formam ſuam accommodarunt. Eodem itaque modo Druis è Dru-wis factum videmus. Quod vocabulum deinde ad Græcorum normam à Latinis & Græcis declinatum, Druidas dedit: & hinc eo modo quo Virgilius dixit, *aurea vati Caſsida*, ex accuſandi caſu facto nominante vſurpari cœpit Druida Druidæ, loco Druis Druidis. Conferat nunc qui volet hanc vocis interpretationem cum Cæſaris verbis, & cernat ecquid poſſit conuenientius vniuerſam Druidarum explicare profeſſionem atque diſciplinam, de qua ſuo loco latiùs agemus. Hic ſatis modò ſit intelligere, Druidum nomen è ſermone Græco minimè manaſſe, ſed Cimbricum, perinde atque cęteras Gallicas voces, habere explicatum. Ne ſinamus itaque nos vel à Perionio, vel ab alio quopiam ſeduci fallaci illa & nimis putida concluſiuncula; qua de notis elementorum eiſdem eundem ſermonem fuiſſe docere nituntur. Nimium ſues ſimus, ſi quernam illam admittamus philoſophiam ad veram Druidarum nominis originem atque rationem, cùm de ipſo Gallico & Britannico ſermone tam clara detur interpretatio, vt nec breuiùs nec copioſiùs totius veræ germanæque ſapientiæ latitudo queat delineari. Verùm vt radicitùs euellatur hic error, ſequamur ductum *Galatæ ſunt Galli.* ipſorum Druidarum, id eſt, eorum qui nobis præmonſtrant veritatem. Galatas eoſdem Græcis eſſe quos Latini Gallos vocant, nemo eorum ignorat qui vel Diodorum Siculum legerit, vel Strabonem, vel Pauſaniam, vt alios complures omittam. Galatarum autem originem, vt in Croniis docui, Ioſephus ad Gomerum refert, qui ſe pòſt Cimmerios dixerunt, vt eodem loco memini tradidiſſe. Cimbros item & Cimmerios eſſe eoſdem ibidem ſatis oſtendi; quorum poſteritatis pars Atuatici, quorum primarij ſunt Antuerpiani, hactenus linguam ſuam conſeruarunt. De qua quis fuerit Gallorum ſermo, licet exiſtimare. D. Hieronymus teſtatur, Galatas in Aſia ſuo tempore bilingues fuiſſe, & præter ſermonem Græcum, quo totus *Gallos olim eandem cum Germanis linguam habuiſſe.* oriens tum loquebatur, propriam linguam eandem pænè cum Treueris habuiſſe. An apertius quicquam dici potuit? an certius adferri argumentum, quo cernatur, qua olim lingua Galli vterentur? Et ne quis credat leue hoc eſſe teſtimonium & de ſolo auditu profectum, addam & illud, D. Hieronymum tam diu Treueris cum D. Hilario vixiſſe, vt ei ingens Synodorum volumen manu ſua deſcripſerit. Vnde & illud liquet, hominem Latini, Græci Hebraicique ſermonis inſigniter peritum taciturum minimè fuiſſe, ſi hanc, quam noſtri ſeculi homines ſibi comminiſcuntur, Græci Galli-

cique ſermonis agnouiſſet cognationem. Quid? quòd vix dubitandum videtur, quin Gallicæ linguæ fuerit non imperitus, eo quòd Galatas in Aſia quædam corrupiſſe annotarit. quam animaduerſionem haud intelligo qui adhibere potuerit, ſi Treuerorum ſermonis ignarus fuiſſe dicatur. Iam ſi de Græco fonte Gallorum lingua manaſſet, non corrupturi eam Galatæ inter Græcos, quibus cùm conuerſabantur; ſed potius elegantiorem & origini ſuæ propinquiorem facturi fuiſſent. Cùm porrò Gallogræci non è Belgio, ſed è Toloſanorum & Volcarum finibus in Aſiam commigrarint; fateamur neceſſe eſt, à Rheno, ad quem Treuerorum ditio pertinebat, ad Rhodanum vſque & Garumnam eundem olim viguiſſe ſermonem: Quod non ex hac modò, ſed ex Varronis etiam comprobatur teſtificatione, quam modò citaui. Quòd autem Cæſar dicit Aquitanos, Celtas & Belgas lingua differre; id quidem de Aquitanis non diffitemur, quorum alia lingua videtur fuiſſe, quippe quos Strabo & lingua & corporum forma Hiſpanis facit quàm Gallis ſimiliores: At in Celtis & Belgis ad proprietates dumtaxat referam loquendi, quas dialectos Græcorum grammatici nominant: quo quidem modo etiamnum hodie alia lingua eſt Zelandorum, alia Brabantorum, id eſt, alius quidam idiotiſmus: Quo fit, vt vbi hi A proferunt, illi E ſonent. Sic alia eſt lingua Coloniæ Agrippinæ, alia Gandaui; quarum tamen diſcrimen tantum non eſt, vt hominum inter ſe colloquia commerciumque tollat. Hac itaque ratione latiſſimè patet linguarum diuerſitas, adeò vt ſigillatim cuiuis ferè ciuitati peculiaris quidam ſit modus eadem vocabula proferendi. Porrò quando Hieronymi ætate labentibus iam paulatim imperij viribus necdum Treueri locutionem ſuam vernaculam Romanorum lingua corruperant, quorum tamen princeps apud eos erat ſedes; dici non poteſt, pòſt eos à Francis, qui Belgium deinde & reliquam Galliam occuparunt, hanc loquendi formam accepiſſe qua nunc loquuntur. Quid? quòd ipſi Franci, dum partes Galliæ, Romano ſermone vtentes, ſibi acquiſiuiſſent, tantum abeſt vt linguam ſuam inuexerint deuictis gentibus, vt contrà ipſi Romanam linguam addiſcere tentarint: quæ res fecit, vt apud Gallos pleræque omnes verborum nominumque radices ſint Latinæ, eorum tamen declinatio & conſtructio prorſus ſit Germana. Præterita enim verborum perfecta more noſtro formant, accerſito verbo, habeo; quo clarè demonſtrant, Romanum apud ſe ſermonem phraſibus noſtratibus fuiſſe corruptum, & ſic ab antiquo illo quo Galli cum Romanis loquentes vtebantur, degeneraſſe, vt nec à Latinis, nec à Germanis intelligatur. Vt autem contra Aegidij Schudi & Perionij opinionem hanc Romanæ locutionis corruptelam non Gallis olim Latinam linguam dicere coactis, ſed Francis adſcribam; id propterea facio, quòd ſciam Gallos ſic Latinam linguam locutos fuiſſe, vt ea de quibuſuis rebus diſſerere poſſent, non ſolùm inter ſe, ſed cùm Romanis etiam quibuſuis. Quorſum enim Romanum ſermonem didiciſſent, ſi ſic didiciſſent, vt nulla ipſis eſſe poſſent cum Latinis colloquia? Non negarim tamen, ſolœciſmos multos & barbariſmos ab iis non infrequenter cōmitti ſolere, ſed eos tales, vt ſermonis intelligentiam non impedirent, quos poſtea, Romanis eiectis, indies magis atque magis increuiſſe par eſt, tum per incuriam & obliuionem, quia nec caſtigarentur nec docerentur amplius à Romanis; tum quòd quiſque linguam ſuam ad Francorum locutionem accommodare quàm poſſet maximè niteretur. Franci interim quia numero longè eſſent quàm victi pauciores, ſenſim etiam ob commerciorum neceſſitatem cœperunt vocibus vti Romanis: quod dum facerent, dicebant ſe loqui *Romans*, tametſi de linguæ Francicæ ritu nomina & verba inflecterent atque collocarent. Sic paulatim nouus ſermo natus, quem alij Francicum, alij Romanum, alij Gallicum vocare conſueuerunt: nec diſſimilis origo vel eius quo Itali, vel illius quo Hiſpani hodie vtuntur. Quamobrem non poſſum ſatis demirari hominum eorum dementiam, qui ſeſe torquent in eo, quò præſentem Gallorum linguam ad Græcam reducant. Verùm nobis, vt dixi, quæſtio non de hac huius ætatis lingua, ſed de illa priſca, qua vſi ſunt Galli ante Romanæ tyrannidis iugum ſuſceptum, quam cùm inuenerimus eandem fuiſſe cum Treuerica, nec hæc vel poſt vel ante Hieronymi ætatem vllam

Aegidius Schudus. Perionius.

Romans loqui dicuntur Galli.

ſuſceperit commutationem, atque eadem hactenus ſit cum noſtra Cimbrica ſiue Saxonica, dicemus Gallos olim eadem vſos eſſe lingua, quam Brabanti hactenus in Ambiuaritorum & Taſſandrorum vicinorumque regione ſeruarunt: qua de re vt aliàs non ſemel verba feci; ita nuſquam latius quàm in Saxonicis, in quibus docui, Sacas & olim in Aſia, & pòſt in Europa vnam omnino eandemque linguam cum Gallis habuiſſe. Quamuis autem quæ cum in illis, tum in aliis à me dicta ſunt, ea ſatis habeant & argumentorum & lucis ad omnem huius quæſtionis diſcutiendam obſcuritatem; quia tamen propoſiti huius mihi laboris ratio ſic poſtulat, compendio quàm potero maximo totam hanc ſic eximam dubitationem, vt ſimul & gentis origo, & lingua vetuſtiſſima ex auctoritate magis recepta quàm ſit vel Druidarum vel Cæſaris, probetur, & illud quoque quod de Dite dictum eſt, ab omni falſitatis ſuſpicione liberetur. Quoniam Ioſephi teſtis in primis grauiſſimi ſcripto demonſtraui Gallos à Comero genus ducere; atque alibi declaraui, hunc non Gallorum tantùm, ſed omnium Cimmeriorum patrem eſſe, inter quos Aſcanij filij maximi natu poſteritas primum locum tenet, atque inde lingua ſua Doutſen, id eſt, vetuſtiſſimi vocantur; confitendum, eandem eſſe Germanorum & Gallorum originem, ita vt nihil miri ſit, ſi linguæ quoque eiuſdem habuerint communionem. Verùm vt inter Græcos non parua fuit dialectorum varietas; ita inter Germanos quoque & Gallos: tanta tamen non fuit, vt Germanus Gallum non intelligeret. Sed hic obiicitur Cæſar, qui Ariouiſtum ſcribit longa conſuetudine Gallici ſermonis ſibi peritiam comparaſſe. Hic nobis fatendum, quod & alibi dixi, inter Aſcanij poſteros quoſdam fuiſſe qui ſic à cæteris Germanis dialecto differrent, vt ab eis magna difficultate vix tandem intelligerentur. Eo genere ſermonis Sueuos valde olim vſos eſſe, etiam tum, cùm adhuc ex Aſia non commigraſſent, luculentum eſt indicium ex Ptolemæo, qui hanc gentem Suobenos in Scythicis vocat. quo nomine ſeſe ipſi hactenus in montibus Tridentinis appellant, cùm nos eos Sueuen & Suauen nominemus. Habet hæc dialectus pleraque verba & nomina eadem cum cæteris Germanis, ſed ſic ſibilis & pronunciationis aſperitate deformata, vt vix intelligantur. Audio hic Allemanos vaſto ſpiritu & validis lateribus in me detonantes: Quid tu homuncio ex infima Teutonum gente perpetuò Tau in ore habentium, maſculo Germanorum ſermoni ſtribliginem linguæ tuæ contemtiſſimæ audes præferre, nedum comparare? Abi cum iſta tua impudentia in Gallicum tau, quo dignus es. Nemo erit noſtratium tam abiecto animo, vt tibi vel vnum Gry reddere dignetur. Ego verò neque vt reſpondeatis peto, neque prolixum mihi ſermonem hac in controuerſia habendum exiſtimo. Hoc vnum dicam, quo totam quæſtionem apud æquos iudices profligabo. Cùm in eadem lingua, id eſt, ea in qua radices vocabulorum ſunt eædem, duæ ſunt vel plures ſermonis proprietates, pronunciationem atque formulas vocum variantes, tum ſi quæ dialectus cæteris melior ſit quæratur, ei primam laudem tribuemus, quæ vocum origines quàm optimè conſeruat. Exempli cauſſa, Luna nobis Man vocatur, vocali longa: eadem Allemanis Mon dicitur. Hic ſi rogetur, vtrum melius; conſulenda prima vocis ratio. Scimus ob eam cauſſam nomenclaturam Man lunæ datam eſſe, quòd ea perpetua formæ ſuæ mutatione admirationem in nobis excitarit; qua moniti ſumus & impulſi, vt cauſſam quæreremus quæ faciat vt cùm cætera ſidera eandem formam ſeruant, hæc nunquam in eadem facie perſiſtat. Vt enim Luna infimo eſt in orbe; ita è propinquo prima nos monuit inſigni ſua & ſibi præcipua varietate cæleſtes motiones diligenter eſſe quærendas. Præterea dum totum Oceanum ad motionis ſuæ momenta modò attollit, modò deprimit, monuit nos maximo & luculentiſſimo ſigno corpora hæc inferiora à cælorum motione gubernari & temperari, atque omnem inde prodire & pendêre elementorum varietatem miſtionemque. Iam cùm fabri lignarij cernerent magni referre, quo tempore materia quæque cæſa eſſet, viderentque in ea re primas partes Lunam tenere, moniti ſunt vt curſum ipſius obſeruarent. Naſcendi item luxuriandique diuerſitas agricolam tandem docuit, vt Lunæ monitis

Gallorum veterum, & Brabantorum linguam eandem eſſe.

Suobeni.

Sueuorum dialectus.

Man vocabuli etymon.

nitis pareret. Quid ego hic commemorem vitium putatores? quid piſcatores oſtreorum? quid cæteros omnes quos officij ſui & ſemper monuit & monebit? Infinita ſunt quæ huius monitis homines didicerunt; & inter cætera hæc ipſa humani ortus vas totum temperat ac moderatur; & tempus ſatui nobiliſſimo definit atque demonſtrat. Ingratiſſimus ſit oportet; qui ab hoc ſidere tam multis variiſque modis vſibus humanis ſeruiente non moneatur ad laudem creatori canendam. Non puto eſſe quemquam; qui non plurimum ſe Lunæ debere intelligat; ſed inter omnes illi ingratiſſimi ſunt, qui ad huius decurſum centeſimis ſe obligarunt, cùm tamen tot orbibus circumactis centies moniti ſint, vt nomina ſua eximerent libris fœneratorum; adeò quamuis omnia cætera monita nulla eſſent, tamen ob centenam hanc vſurarum appellationem meritò poſſet videri nomen à monendo ſibi vindicaſſe. Quid multis? magna officiorum volumina ſint conſcribenda, infiniti de natura rerum omnium ex elementis conſtantium libri, plures etiam magnæ conſtructiones, qualem Ptolemæus reliquit, ſi omnia ſigillatim huius ſideris monita eſſent vel enumeranda vel dimetienda. Primus igitur nominum architectus hanc ſideris vim ſentiens, ſiue de ipſo recentis mundi conſideratione, ſiue de diuino inſtinctu, ſiue, quod maximè credo, de vtroque illud vocabulum commentus eſt, quo admonitio hæc tot tantarúmque rerum expreſſa audiretur. **Man** enim dum in vernaculo noſtro ſermone verbi locum poſſidet, idem eſt quod moneo dicunt Latini. Quamobrem eadem vox eodem ſono & tempore pronunciata, tranſit in nomen de primi nomenclatoris voluntate illud aſtrum ſignificans, in quo monendi cernitur ſumma & præſtantiſſima poteſtas. Iam vide quid hic faciat Allemannus. Quò rotundius loquatur & noſtram vincat mediocritatem, pro **man mon** dicit. A **man** nos **mant**, ſolo Tau adiecto, formamus, ad menſem deſignandum. Allemanus **monat** pronunciat. Quæro itaque, vtra vox propius ad originem ſuam accedit, noſtráne, an Allemanica? Noſtra certè; quæ ſonum retinet eundem. Et ne Allemanici ſermonis imperitus credat, in eo pro Moneo **mon** dici, atque inde Lunam nomen accepiſſe, addatur & hoc, ipſos æquè atque nos **man** pro moneo pronunciare. Sed dicet Allemanus, hac in voce maius artificium eſſe linguæ ſuæ, propterea quòd **mon** & originem ſuam ſatis declaret, & præterea addat inter verbum & nomen diſtinctionem, qua nos caremus. Probabiliter hoc diceretur, ſi vel diſtinctio inter verbum & nomen eſſet nobis loquentibus ad vitandam ambiguitatem; perinde atque alterius linguæ hominibus neceſſaria, vt non eſt, vel hac ratione, qua ex **man mon** fit, non longè grauiſſimus contra architecti voluntatem committeretur error; quem vt omnes intelligant, breuiter eum annotabo. Vt Luna infinitis monitis de toto hominum genere & vniuerſim & ſigillatim bene meretur; ita reliqua omnia nihili ſunt præ illo vno quod in Allemanico ſermone neglectum videmus & penitus omiſſum. Docui in Hermathena mea, quædam nobis eſſe vocabula ichnæa, quæ retro lecta id notant quod maximè conducit ad illius cognitionem, quod prorſa vocis pronunciatione denotabatur. Ex horum albo Themidis ichnææ nomen ad Græcos venit, de qua ſatis multa in Amazonicis à me dicta ſunt, quorum lectionis quem pœniteret, hactenus audiui neminem. Quemadmodum igitur illic docui, ex **mat** fieri **tam**, vocali vtrobique ſimiliter producta; & illo menſuram & modum, hoc decorum rerum omnium notari, ita vt alterũ alterius vniuerſam naturam deſcribat, mutuam demonſtret connexionem, hoc ex illo naſci declaret; ita hic ſciendum, **man** vocem eſſe ichnæam, & inter ichnæas principem locum ſibi vindicare. Infinitas eſt vaſtiſſima eorum omnium quorum homines moneri plurimi intereſt; ſed quicquid eſt vſquam vtilium præceptorum, id totum nullam nobis adfert vtilitatem, niſi eius ductu veluti per veſtigia ad illud veniamus, quod verſo litterarum ordine in nomine **man** denotatur. Atque hinc illud eſt, quòd ſic vocem conſtruxerit optimus ille & diuiniſſimus nomenclator, vt illud primum moneret, atque ad illud nos per veſtigia ſua litteris conſignata deduceret, quo omnia monita diuina & humana,

Mant.

Ichnæa vocabula.

omnia prophetarum oracula, omnia mandata ipſius etiam Dei nos & vocant quotidie,& ſemper vocauerunt. Teſtis eſt mihi Deus,ſolus animorum iudex,tanta reuerentia,tanta religione me de hoc myſterio cogitare, vt pigeat tam venerando exẽplo ad hanc controuerſiam vti. Cùm tamen ex altera parte mecum cogito,hoc tam præclarum Dei donum primo vocum ponendarũ artifici maxima benignitate conceſſum, à nemine hactenus poſt multos ſeculorũ decurſus animaduerſum fuiſſe; cogor quodam modo, vbicumque locus datur, arcanum hoc Dei in homines beneficium commemorare & aperire; ne quod Dei gratia mihi reuelauit, inuidia quadam ſinam apud me ſepultum iacere. Quod igitur hoc eſt tam excelſum myſterium, vt præ eo omnia reliqua nihili ſint habenda; ſintque omnia præcepta & documenta, nullam allatura vtilitatem, niſi ad hoc ipſum contendant, quod vocabulum nan

Nam. verſum ſignificare dico? Ipſum nempe nam, quo nihil aliud notatur, quàm id quod Latini nomen vocarent. At quid illo nomine intelligere nos oporteat, dicet nobis Eſaias de verbo incarnando, oracula promens non illa quidem ex fabuloſo Aganippes fonte, ſed ex viuis fontibus Saluatoris. *Et dicetis,* inquit, *in illa die: Confitemini Domino & inuocate nomen eius, notas facite in populo adinuentiones eius, mementote quoniam excelſum eſt nomen eius.* An non in his diuini vatis verbis audi-

Nomine Dei intelligitur Dei filius. mus, nos memores eſſe debere illius nominis excelſi? Hoc eſt nomen illud quod Rex Dei calore æſtuans & ſpiritus ſancti hauſtu ebrius celebrauit. *Et expectabo,* inquit, *nomen tuum, quoniam bonum eſt in conſpectu ſanctorum.* Et iterum alibi: *Erit nomen eius benedictum in ſecula, ante Solem permanet nomen eius.* Et paulo pòſt in eadem ode: *Benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, & replebitur maieſtate eius omnis terra.* In hoc ipſo hymno apertiſſimè declarauit diuiniſſimus vates, ſe nomen maieſtatis eius non aliud intelligere, quàm Dei filium, quem dicit cum Sole quidem, id eſt, cum patre & ante Lunam manſiſſe, & perpetuò manſurum, ſed tamen deſcenſurum in terram vt miſeros mortales ſaluos reddat, & diaboli ſiue calumniatoris ſuperbam premat poteſtatem, qua humanum genus habebat ſubiugatum. *Orietur,* inquit, *in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna,* id eſt (vt equidem captus meus fert) donec toti iuſti redditi mortales, ſic nomini eius adhærebunt & vnientur, & ſic facie ad faciem Deum intuebuntur, vt non amplius opus ſit vlla Luna mouente vt ad hoc nomen toto animo tendant. Ipſa enim caritas in futuro ſeculo, in quo ſolo iuſtitia plena eſt & plena pax, ſic nos Deo coniunget, vt tum omnes prophetiæ, omnes cærimoniæ, omnia ſacramenta, omnis doctorum admonitio ſit futura ſuperuacanea. Optimis certè ſymbolis vſus eſt Dauid, dum Deum Soli comparat; & omnia ea quæ nos nominis eius monent, Lunæ. Nam vt imperfectam quandam & frequentiſſimè mutilam Solis imaginem nocturno tempore in Luna videmus, atque ex ea cognoſcimus vbi & qua parte cæli Sol clarum hominibus diem oſtendat; ita per oracula, per ritus ſacros per apoſtolos, per ſacramenta docemur, vbi Sol verum clarumque diem ſuis oſtendat, quò ſimulatque ventum fuerit, ceſſabit omnis imago; non aliter atque orto Sole Lunæ lumen non amplius apparet. *Videmus nunc,* vt D. Pauli verbis noſtram hanc expoſitionem reddam probabiliorem, *per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quanta, bone Deus, eſt donorum quæ per ſpiritum tuum hominibus largiris, per omnia in omnibus quales quales illi ſint, concordia. Propheta Lunam dixit, D. Paulus ſpeculum & ænigma nominauit res eas per quas hic Deum videmus. Quid autem eſt Luna aliud, quàm nocturnum Solis ſpeculum? Sermonis igitur noſtri faber haud dubiè eiuſdem ſpiritus inſtinctu nomen hoc Lunæ ſtruxit, quò illum maximum eius vſum intelligeremus, vt eius monitu ad ſupremi illius nominis quod eſt omni alio nomine ſuperius, omnia præcepta, omnia noſtra ſtudia, omnes noſtros labores atque conatus referremus. Quocirca quoties linguæ noſtræ homines Lunam intuentur, nomen eius retro legant, quò nominis illius moneantur, in quo ſolo ſalui eſſe poſſunt. Hoc eſt nomen de quo D. Ioannes: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Et mox: *Verbum caro factum eſt.* Neque enim refert, ſiue verbum ſiue nomen dicas in

hoc

hoc myſterio. Græcis λόγος in eadem dicitur notione. Noſtra lingua in eadem ſignificatione habet wort, vocem non minus quàm man ichuxám, quæ per litterarum veſtigia retro lecta ſignificat veritatem, & fidem, & fiduciam, & legitimum coniugium, vt modò dixi. Quo ſtupendo vocum artificio docemur, ipſum wort, quod Latinus verbum diceret, ipſam eſſe veritatem; ipſum wort illud eſſe, cui ſoli, vtpote ipſi veritati, credere debemus; ipſum wort illud eſſe, cui ſoli, vt veræ cuſtodiæ, fidere debemus; ipſum wort illud eſſe, cum quo legitimum nobis eſt coniugium contrahendum. Hoc eſt arcanum illud coniugium, cuius typum hominum inter ſe connubia gerere D. Paulus dixit, magnum vocans ſacramentum Chriſti & Eccleſiæ, inter quos ſolos legitimum eſt & verum connubium, nullo vnquam ſeculo diſſoluendum. Sed hæc altiora & alterius loci. Vt igitur ad id quod in quæſtione erat reuertamur, videndum, an hoc linguæ myſterium, quo nullum ne cogitando quidem maius reperiatur, in Allemanica lingua conſeruetur. Sed quid videamus, cùm modò dictum ſit, hanc conuerſionem reciprocam apud eos corrumpi, eo quòd Mon minimè nos deducat ad Nam; qua voce tamen æquè atque nos pro nomine vtuntur, ſed ad Nom nullius ſignificationis vocabulum. Eadem eſt corruptela in Tam & Mat ab ipſis inuecta, cùm pro illo Zimpt, pro hoc Maſſ pronuncient. Qua in voce illud obiter addam, מדד Hebræorum à noſtrati Mat deriuari, & inde etiam Modum apud Latinos dici, propterea quòd hæc vocum per conuerſionem formandarum ratio, linguæ noſtræ ſit peculiaris. Nec aliter peccant in Trow & wort, pro quibus Trow & wort ſcribunt. Idem in aliis ferè omnibus committunt, quo vel ſolo indicio cuiuis liquere poteſt, arcanum illud linguæ artificium ab ipſis corrumpi, & idcirco ſermonem noſtrum multo habendum caſtigatiorem. Et quemadmodum hæc conuertendarum vocum analogia ab ipſis negligitur; ita longiſſimè recedunt ab etymologia vocum plurimarum, vt & in his ipſis vocibus demonſtrare poſſem, vt interim omittam ventoſas ipſorum buccas, quibus Atticum noſtrum Tau veluti anſeres quidam exſibilare nituntur. In Zimpt nullam rationem agnoſcas, nec item in Nam. Cùm enim conuerſionem illam reciprocam corrumpant, & hæc vox primariam ſuæ formæ rationem ex ea ducat; fieri non poteſt, vt non longius multo quàm nos à genuino linguæ ortu abeſſe dicantur. Verùm hæc ſatis hoc loco ſunto; quibus dum diutius quàm rebar me facturum, ſum immoratus, aliam mihi remoram acceſſiui. Dicent enim Latini me voces ſermonis ſui proprias in exemplum citaſſe, & in iis Allemanos, dum mon dicunt pro Luna, videri ad Moneo Latinorum propiùs acceſſiſſe: Rurſum dum Nam & Allemanus & Germanus pronunciat, vtrumque poſſe videri vocem hanc à Romanis emendicaſſe priore ſyllaba ex voce Nomen nonnihil corrupta. Hic ego ad illud confugio axioma: Communem duarum pluriúmve linguarum vocem ex ea primordia ſua ducere, in qua ratio inuenitur ad naturam rei ſignificatæ explicandam plurimum adferens lucis. Dico itaque Moneo è noſtro ſermone, quo primùm Cimmerij in Italia vſi ſunt, remanſiſſe, propterea quòd man tempore longo pronunciatum, deducatur à man vocali breui elato, vt par eſt, duo tempora naturæ ordine vno eſſe poſteriora. Man verò breue fit à men, quod ſignificat ago & duco, à quo Latini Mino ſeruarunt. Huius præteritum imperfectum eſt man, pro eo quod Latinis eſt ducebam. Inde man eodem accentu pro viro ponitur, eo quòd hoc proprium & præcipuum ſit viri officium, vt & ſe & cætera omnia animalia ducat ac gubernet. In quo ſi Adamus conſtanter perſtitiſſet, nunquam genus humanum in has miſerias præcipitaſſet. Vide quæſo, quanti momenti vocabulum; cuius rationem ſi ducem ſequamur, nunquam nos nec à carne, nec à femina duci agique ſinemus. Porrò quia primariæ ducendi partes ad hominum pertineant ductum, voluit architectus, vt man longo tempore productum, hoc ipſum ducendi genus exprimeret. Cùm enim homo præceptis & admonitione agi debeat, hoc ipſum voluit officium ea voce nuncupari, quæ ex viri nomine fieret; vna ſola temporis mora adiecta. Breue itaque tempus in man, notat virum prius ſe quàm cæteros ducere debere, atque inde ad cæteros ducendos progredi, ea videlicet via & ratione, qua breue tempus prius,

Wort vocabuli etymon, Trow.

Modus.

Vocum primordia ex qua lingua ſint petenda.

Moneo, es, ere.

Man.
Men.
Mino, as, are.

Viri propriũ & præcipuũ officium.

prius, longum poſterius videmus. Nomina verò quæ perpetuum quippiam ſignificant, conuenientiſſimè fiunt à verbis temporis præteriti imperfecti, propterea quòd hoc tria tempora complectatur. Nam qui dicit faciebam; oſtendit ſe aliquid feciſſe, & adhuc aliquid facere, & pòſt etiam aliquid eſſe operi ſe additurum. qua de re alibi. Quòd item nomina deriuamus à verbis, id ſumma nititur ratione, quæ tota eſt in philoſophiæ principio poſita, quo ſtatuitur actus prior eſſe quàm potentia. Iam cùm

Nomen. Nam pro Nomine fiat à Man per conuerſionem, fateamur oportet, Nomen quoque apud Latinos vocabulum eſſe de Cimmeria lingua in Latio relictum. Men item non à mino, ſed contrà Mino à Men, quod ex reciproca conuerſione nobis peculiari liquet, cùm Nem verſa, Men proſa vox ſit; & Men ſuam apud nos habeat compoſitionem ex Me & En; de qua ſi nunc agerem, longiùs eſſet à propoſito euagandum.

Mens. A Men Latini etiam Mens ſeruarunt, eo quòd Mens hominem ducat neceſſe ſit, ſi cauſſam nominis ſui volet tueri. Quia ergo vocabula eius primogenia ſunt linguæ in qua veras ſuas habent rationes; cogentur Græci fateri, μὴν pro Luna nobis deberi, quoniam vocis ratio veriſſima apud nos reperiatur. Verùm redeamus ad id vnde

Germanicus ſermo qua ratione diuerſus à Gallico fuiſſe dicatur apud veteres. digreſſi ſumus. Cùm Germanicus ſermo apud veteres diuerſus dicitur à Gallico fuiſſe, ſic ſermo accipiendus; vt tum de Sueuica lingua loqui cenſeantur, quæ hodie dicitur lingua ſuperior, eò quòd ſit eorum hominum qui partes habitant ſuperiores & à mari magis remotas. Hanc igitur cùm vernaculam ſibi Arioniſtus haberet, non mirum videri debet, ſi Gallicum ſermonem longa conſuetudine dicatur didiciſſe, cùm & hodie plurimos Allemanos Antuerpiæ cernamus, qui ne longa quidem multorum annorum conſuetudine ſermonis ſibi noſtri comparant facultatem. Tacitus etiam ad hunc modum intelligendus, dum dicit Marſingos & Burios ſermone cultuque Sueuos referre, Gotinos verò alterius gentis eſſe de Gallica lingua doceri. Eſt enim & ſemper fuit in ipſa etiam Aſia alius Sueuorum, alius Germanorum ſermo; haud ſecus atque alius Dorum, alius Atticorum. Et optimè profectò id à Tacito animaduerſum, Gotinos Gallica lingua locutos fuiſſe, cùm Gotini à Gotis eſſent oriundi, vt Beccelelana noſtra tradunt; quorum ſermo idem fuit cum Cimmerio, quo hactenus quoſdam Tauricæ Cherſoneſi indigenas ad Boſporum Cim-

Ogerius Boesbecanus. merium vti, in Francicis, de grauiſſima illuſtris viri Ogerij Boesbecani teſtificatione, memini prodidiſſe. Proximi autem Cimbricæ huic Cherſoneſo Getæ fuerunt, qui inde ad Danubium vſque & montes Carpathios latas quondam ſedes tenebant, è quibus Hunnicæ rabiei cedentes, flumen ſunt tranſgreſſi, primùm illud quidem pace Romanorum, at mox, eorum perfidia ſic merente, totum imperium euerſuri.

Taurica Cherſoneſus etiamnum hodie lingua Brabantica vtitur. Quòd verò Goti perinde atque Cimmerij Tauricam Cherſoneſum habitantes lingua Germaniæ inferioris vſi ſint, quam ego ad diſcrimen Sueuicæ ſiue Allemanicæ Cimbricam ſoleo vocare, ſatis queat doceri ex ſermone Dacorum, qui hactenus integer in Tranſſiluaniæ quadam parte permanens, idem eſt cum lingua Treuerorum: quod non ex aliis tantùm didici, ſed ipſemet expertus ſum, dũ in Hiſpania docto quodam iuuene natione Daco à manibus vterer: qui cum familiariter ſermone noſtro citra omnem intelligentiæ vel moram vel difficultatem haud ſecus atque cum noſtratibus colloquebar. Errare autem eos, qui hanc linguam à Saxonibus Caroli magni iuſſu eò deductis inuectam putant, in Gotodanicis tradidi; è quibus cui ita viſum fuerit, diſcat licet, Dacos Getarum ſiue Gotorum, qui iidem ſunt, partem fuiſſe, & Geticam linguam vſurpaſſe. Cùm ergo Gotini à Gotis oriundi Getico ſermone loquerentur, Gallico ſermone vtebantur, eo quòd Dacorum idem ſit cum Treuerico. In eo igitur Tacitus labitur, quòd ex linguæ conuenientia Gotinos Gallos putarit. Nec eſt admiratione dignius, Getici ſermonis puritatem in Carpathiis montibus adhuc manere, quàm ſit, in Taurica Cherſoneſo hactenus perdurare vetuſtam Cimmeriorum linguam, qui primum illi pæninſulæ vicinoque freto nomen dederunt. Quando igitur iam Ioſepi indicio demonſtraui, Gallos à Gomero genus ducere, & Gomerios

Gallica antiqua lingua eadem cum Cimbrica fuit. ob id poſſe dici, licet ipſi ſe, vt pòſt docebo, Cimmerios vocarint; & eandem ipſis quam Treueris linguam fuiſſe, D. Hieronymi ſanxi auctoritate; & ex Tacito declaraui, Geticam linguam eandem eſſe cum Gallica; & rurſus Geticam eandem eſſe cum noſtra; neceſſaria mihi concluſione videor collegiſſe, Gallicam antiquam eandem

dem cum noſtrati hodierna habendam eſſe. Idem mihi nunc aliquot exemplis è vetuſtis ſcriptoribus petitis declarandum puto, quò res variis multorum controuerſiis agitata, tandem extra omnem adducatur dubitationem,& deinde mihi liceat de omniũ conſenſu, Gallica nomina vera & germana interpretatione declarare. In nono Becceſelanorum libro oſtendi, non malè Metrodorum Scepſium prodidiſſe, Padum à picea dici; ſed non rectè inde colligi, Pades piceam notare. Den enim Gallica ſiue noſtrati lingua picea materia vocatur, & Pat viam notat, vnde Patden, & reiecto tau, Paden viam ſignificat piceæ materiæ, quam plurimam Padus vtrimque è montibus per varios & multos fluminum canales ſuſcipit, adeò vt nullum in tota Europa flumen norim, cui potius hæc nomenclaturæ ratio ſit accommodanda. Eodem loco monſtraui, Bodincum apud Plinium & eius magiſtrum Metrodoron hoc flumen vocari, quod ſignificat fundo carentem: Et id quidem non citra cauſſam, vel quia pars eius ad inferos delaberetur, vel quia picea dumtaxat materia non vado tranſiri poſſet: Verùm in hac voce vnius litteræ deliquium accidiſſe. Integram enim eſſe Bodmincum à Boden minc, quod nobis id notat cui fundum deeſt. Quoniam tamen hæc latiùs illic ſunt explicata, non video quid cauſſæ ſit, cur hic repetantur; vbi ſatis ſuperque me ſatisfacturum exiſtimo, ſi exempla dumtaxat indicauero. Reliquit & luculentum nobis Gallicæ linguæ monumentum Pauſanias in Phocicis, vbi Trimarciſiam Gallorum deſcribit; qua voce nos eum intelligimus equitatum, in quo ſinguli tribus equis cenſentur, vt in Gigantomachia mea latè declaraui, indicato etiam Rhenani & aliorum in huius nominis interpretatione errore, ita vt nihil opus ſit idem hic rurſus inculcare. Interim hoc demiror tam integram hanc vocem in Pauſaniæ codice manſiſſe, cùm apud Romanos adeò pleræque omnes ſint corruptæ atque deformatæ, vt vix intelligi poſſint: in quarum numero eſt & illa apud Plinium de aratri generibus ſcribentem, cuius hæc ſunt verba: Tertium in ſolo facili nec toto porrectum dentali, ſed exigua cuſpide in roſtro, latior hæc quarto generi, ſed acutior in mucronem faſtigiata, eodemque gladio ſcindens ſolum, & acie laterum radices herbarum ſecans. Id non pridem inuentum in Rhætia. Galliæ duas addidere tali rotulas, quod genus vocant Planarati. Hic Planarati prorſus nihil denotat; iudicium tamen facit nobis apertum, quam vocem germanam loco ſuo mouerit. Plograt enim aratri rotam notat, Plog met rat aratrum cum rota: quo fit, vt perſpicuum ſit poſterius hoc vocabulum à Plinio ſcriptum fuiſſe. Qua de re non dubitabit is qui illa viderit exemplaria in quibus non Planarati, ſed Plomerat legitur, vocabulum ex Plog met rat decurtatum. Cernas hic clariſſimè, Gallicam linguam nec cum Allemanica, nec cum Heluetica huius ætatis conueniſſe, ſed prorſus cum ea qua hactenus vtuntur Antuerpiani cæterique Cimbri. Illi enim pro Plog Pflug ſcribunt, accerſita ſtudioſè ea littera, quam ferinam vocauit Quintilianus, quò ſcilicet à ſermonis noſtri lenitate, quam ſtolidè nobis vitio vertunt, ſtridenti ſibilo diſcreparent. Et verò ne quis putet fœdam hanc pronunciationis corruptelam in hac tantùm voce ab ipſis amari, veluti ſuauem quandam cantilenam; monendum eſt, hanc ipſam linguæ ſtribliginem, in quamplurimis vocibus, quarum principium littera P ſortitur, ab illis diligenter obſeruari. Cùm enim nos Planten pro plantare dicamus; illi Pflantzen & pronunciant & ſcribunt: Cùm nos Pal pro palo & termino, illi Pfal: Cùm nos Perſic pro perſico; illi Pferſig: Cùm nos Pip pro pituita; illi Pfipff: Cùm nos Pert pro equo; illi Pferd: cùm nos Pil pro ſagitta; illi Pfeil. Quid multis? Hoc eſt illis vocum condimentum, multis ſibilis voces exaſperare: atque id tam curioſè in omnibus ſequuntur, vt non alio nomine vel ipſi ſibi magis placeant, vel noſtrates contemnant. Quoniam enim nos Tau pro ſigma lubentius vſurpamus, & wat dicimus, vbi illi dicunt was; noſtrates omnes wat-lendiſchen nominant, id eſt, illius regionis homines in qua wat pro was pronunciatur: Et dùm nos ſic appellant, magno credimur ab ipſis & infami conuicio vapulare, cùm tamen hoc ipſo ſuo tam acuto iudicio non minus omnes Atticos, quàm noſtrates condemnent. Non poſſum equidem facere, vt de hac cenſura cogitans, non prorumpam in riſum. Confeſtim enim in mentem venit illius iudicij quo fertur Midas aſininas ſibi aures præmij loco retuliſſe, cùm Apollini Panem prætuliſſet; craſſiorem

Padi flu: etymon. Den Pat.

Bodinci etymon.

Trimarciſia Gallorum.

Planarati dictio, pro Plog-rat, apud Plin.

Plinius caſtigatur.

F litterâ ferinâ exaſperant Allemani pleraſque voces à littera p incipientes.

Wat-landers.

craſſiorem ferens ſententiam, quàm ipſe Tmolus. Dici ſolet in homines rudi ingenio præditos, piſtillo ipſos eſſe obtuſiores. At hîc videmus Midam non piſtillo tantùm, ſed monte etiam, vaſtum dorſum extollente, fuiſſe craſſiorem. Videant igitur ij qui **Pflantʒen** quàm **Planten**, **Pfal** quàm **Pal** melius dulciusque cenſent, ne & auribus aſininis audire, & latis montium dorſis eſſe obtuſiores exiſtimētur, cùm apud alios, tum maximè apud Atticos, apud quos ſigma, ob magnam ſibilandi vim qua paſſim omnibus obſtrepebat, oſtraciſmo pulſum eſt è ciuitate. Sed ſatis horum, quæ non dubito quin ab Allemanis magno flatu ſint exſibilanda. Redeat oratio vnde diſceſſit. Quemadmodum **Plogmetrat** à noſtratibus æquè atque à priſcis Gallis intelligitur, ita & alterum vocabulum Marga à Plinio etiam inter Gallica relatum. Terram enim, inquit, terra emendari (vt aliqui præcipiunt) ſuper tenuem iniecta, aut gracili bibulaque ſuper humidam ac præpinguem, dementia operæ eſt. Quid enim poteſt ſperare qui talem colit? Alia
Marga, quid ſit. eſt ratio, quam Britannia & Gallia inuenere alendi eam ipſa, quod genus vocant Margam. Spiſſior vbertas in ea intelligitur. Eſt autem quidam terræ adeps ac velut glandia in corporibus ibi denſante ſe pinguitudinis nucleo. Ex his Plinij verbis duo nobis oſtenduntur; alterum, noſtram linguam reuera eandem eſſe cum priſca Gallica, quandoquidem nunc non minus, quàm olim Margam hoc genus terræ vocamus; alterum Gallicam & Britannicam vel eandem, vel cognatas linguas fuiſſe. Terræ autem hoc genus hoc nomine dignamur propterea, quòd generatim quoduis medullæ genus **Marg** nominemus. Plinius aliquot interpoſitis verbis, Tertium, inquit, genus caudæ
Gliſchromargos. Gliſchromargon vocant. Vbi equidem ſuſpicor mendum irrepſiſſe, & ex Glinſtermargo factum eſſe Gliſchromargum. Qua enim cauſſa Græcam vocem vel Britanni vel Belgæ accerſiuiſſent ad nomen peculiari Margæ generi componendum? Nec verò tenacitas in creta fullonia quæritur, ſed pinguedo & abſterſio tenui materiæ innata. Sed quid opus eſt hic pluribus verbis? Plinius ipſe hanc margam candidam vocat, quā nos **Glinſter-marg** vocaremus; cùm idem ſit **glinſteren** quod candere. Quò tamen
Capnumargos. hac in re dubitem, facit nomen Capnumargos, quod Græcogallicum omnino videtur, quaſi fuliginoſa marga diceretur. Audebo tamen, omni reiecta Epoche, dicere hoc item nomen corruptum fuiſſe, à quopiam videlicet Græci ſermonis ſibi ſcientiam arroganti. Cùm enim **Coper-margos** ſcriptum inueniſſet, nec quid ea vox no-
Coper. taret perſpiceret, ex **Coper** fecit Capnu. Eſt autem **Coper** nobis idem quod Græcis *χάλκος*, Latinis æs. Vnde **Coper-marg** eſt marga æris referens colorem. Nam & hactenus rufo colori, quo Plinius hanc margam à cæteris diſtinxit, ab ære nomen mutuamur. Suſpicor itaque ipſas etiam terminationes perperam ad Græcam formam accommodatas, & à Plinio ſcriptum fuiſſe Copermarga & Glinſtermarga. Sed hæc minoris, quàm vt de iis ſit contendendum. Tranſeamus ad aliud vocabulum, quod
Alauda auicula dicta galerita. & ipſum Plinij beneficio intelligemus. Ait Latinos eam auiculam quam à galero quondam galeritam vocaſſent, ſua ætate alaudam nominare, voce Gallica, & inde
Alauda dicta legio Gallica. legioni quoque nomen eſſe. Suetonius narrat Cæſarem legionem conſcripſiſſe ex Tranſalpinis vocabulo Gallico alaudam nuncupatam, quam diſciplina cultuque Romano inſtitutam atque ornatam, poſtea vniuerſam ciuitate donarit. Conſtat ergo & legioni & auiculæ Alaudæ nomen fuiſſe; quod vt ad veram ſuam originem reuocetur, non inutile fuerit Ariſtophanem audire, apud quem ea in Auibus exponuntur, è quibus ad nominis huius cauſam facilè veniemus. Sunt autem hæc:

Αμαθὴς γὰρ ἔφυς, κ᾽οὐ πολυπράγμων οὐδ᾽ Α᾽ίσωπον πεπάτηκας,
Ος ἔφασκε λέγων κορυδὸν πάντων πρώτην ὄρνιθα γενέσθαι
Προτέραν τῆς γῆς, κἄπειτα νόσῳ τὸν πατέρ᾽ αὐτῆς ἀποθνήσκειν,
Γῆν δ᾽ οὐκ εἶναι. τὸν δὲ προκεῖσθαι πεμπταῖον. τὴν δ᾽ ἀπορρῦσαν
Υπ᾽ ἀμηχανίας τὸν πατέρ᾽ αὐτῆς ἐν τῇ κεφαλῇ κατορύξαι.

Quorum hæc eſt ſententia; Aeſopum fabulam ſcripſiſſe, qua narretur alaudam cùm cæteris, tum ipſa etiam terra eſſe antiquiorem. Vnde mortuo patre, iam quintū diem iacente, non habuiſſe terram in qua eum ſepeliret: reliquis igitur conſiliis deſtitutam, patri tumulum in capite ſuo poſuiſſe. Ex hoc Comici loco perſpicuum fit, quod & Galenus noſter annotauit, qua de cauſſa *κορυδαλίδας ἐπιτυμβιδίους* Theocritus appellarit, id eſt, quare galeritas dixerit tymbum ſuper capite geſtare.

Hinc

Hinc modò quiuis noſtratium videbit, Alaudam dici ab Al-aud, id eſt, omnino antiqua *Alauda vnde dicatur.*
vel omnia vetuſtate præuertens, quod Ariſtophanes dixit πάντων πρώτη, id eſt, omnium prima, quaſi Alaudæ nomẽ voluiſſet interpretari. Cęterũ qua de cauſa hęc fabula à priſcis hominibus fuerit cõficta, & nõ apud Græcos tantùm, ſed apud Gallos etiá celebrata, vt ipſum auiculæ nomen patefacit, à nemine hactenus explicatum eſt. Nos hac de re in Hieroglyphicis copioſè ſatis (vt noſtri quidẽ ingenij captus eſt) diſſeruimus, ipſam tamen myſterij amplitudinem atque dignitatem nullius vnquam oratio, ſit licet Cicerone eloquentior, aſſequetur; tantum abeſt vt id de me velim polliceri. Summa rei, vt compendio eam hic complectar, hæc eſt: Galerita hymnorum Deo canendorum & numerum & modum hieroglyphico ſuo ſymbolo demonſtrat, vt cùm ex aliis, tum ex antiquiſſima illa Ægyptiaca, quæ apud Bembos ſeruatur, tabula docebo. Nobis alio nomine vocatur Leuwerc ſiue Lef-werc, id eſt, vitæ opus: quo monemur primum & antiquiſſimum vitæ opus eſſe debere in laudibus Deo canendis, atque hoc omnibus terrenis prius nobis habendum. *Leuwerc etymon.* Sepeliamus igitur patrem noſtrum cæleſtem in capite noſtro & ſupremo mentis vertice, vt verè de nobis dici poſſit, nos viua Dei templa eſſe, & eum, quicquid agimus, ſemper in animo circumferamus. Sed de his ſuo loco plura. Non dubito, quin ſi hæc Perionius cognouiſſet, mox fuiſſet aſſerturus ex iis cerni, Gallos plurima non verba modò, ſed arcana etiam veteris ſapientiæ præcepta de Græcorum fontibus hauſiſſe. Nos contrà rogamus æquos rerum æſtimatores, An non veri ſit ſimilius, Græcos fabulam ab illis accepiſſe, apud quos tanta eius eſt antiquitas, vt auiculæ etiam inde ſuum dederint nomen, cùm nihil aliud ſit Alauda, quàm omnia vetuſtate præcedens. Nec mirum hanc fabulam è noſtro ſermone ad Græcos veniſſe, cùm tota fabuloſæ theologiæ conſtructio ad Orpheum referatur, hominem, vt Græci ſcribunt, apud Thraces natum, apud quos, Strabone teſte, Geticus ſermo, quem eundem dixi cum Gallico, vernaculus habebatur. Cur porrò legio Gallica hoc nomen ſibi ſumpſerit, neminem poteſt latere, qui ſciat modò quanto in honore & auctoritate apud Romanos fuerint veterani. Galli enim dum ſe Alaudas vocabant, ſe non aliis modò militibus Romanis, ſed ipſis etiam veteranis præferebant. Cicero certè Alaudas cæteroſq. veteranos coniunxit, in quo plurium numero hanc legionem ferè vocari animaduerti; quod ſanè fit quamconuenientiſſimè Gallico ſermoni, in quo Alauden nihil aliud ſonat, quàm omnes veterani. Quam loquendi conſuetudinem crediderim ei ab ipſis Gallis Latinè loquentibus traditam fuiſſe. Quamobrem vt Alaudæ ſymbolo ſe omnium primos; ita alaudarum vocabulo ſe omnes veteranos eſſe profitebantur. Vide modò, quantum lucis ex huius vocis interpretatione nobis affulſerit; quam qui parui faciet, ei ſuadeo, vt in tenebris ſuis perpetuò deliteſcat, & omnem veteris hiſtoriæ cognitionem ex Pſeudoberoſis & id genus nugiuendis pergat haurire. Sunt apud Cæſarem etiam Gallica quædam vocabula explicata, inter quæ Solduriorum & Ambactorum nomina; quorũ illud ſic interpretatur, vt deuotos dicat. Eorum hanc dicit eſſe conditionem, vt omnibus in vita commodis vnà cum his fruantur, quorum ſe amicitiæ dediderunt. Si quid iis per vim accidat, aut eundem caſum vnà ferant, aut ſibi mortem conſciſcant. *Soldurij apud Cæſarem, qui ſint.* Niſi Cæſari fidem haberem, ſingulare quoddam & electiſſimum genus cuſtodiæ Soldurios fuiſſe aſſerenti, procliue eſſet dicere, vocem hanc compoſitam eſſe ex ſold & huren; quorum illud ſtipendium, hoc conducere ſignificat: quam rationem ſequendo, non alij eſſent ſoldurij, quàm ſtipendio conducti. Verùm latiùs hæc interpretatio patet, quàm Cæſaris dictis videatur conuenire. Quamobrem dicam ſoldurios à Sold & Vr nomen accepiſſe, propter magnam excellentiam qua cæteris omnibus militibus & corporis cuſtodibus ſtipendio conductis anteſtabant. *Sold.* Vr enim vox eſt vna illarum quæ retro lectæ cõtrarium eius ſignificant quod prorſæ denotabant. Quemadmodum enim Vr id ſignificat quod in quouis rerum genere eſt excellentiſſimum, ita Ru illud quod eſt imperfectum vocamus. *Vr, quid ſignificet. Ru.* Hinc Vr-aut, ſiue Vralt ſignificat eum qui ſenio cæteris præſtat. Vrhan excellentiſſimum illud Gallorum genus, quod in ſiluis & montibus verſatur. Sic Vros eſt maximus bos: Os enim nobis bos vocatur: Hinc Latinis Vrus, & Græcis οὖρος pro eodem animali; quod à Cæſare ſic depictum eſt, vt dicatur non multo infra elephãtorum magnitudinem conſiſtere. *Os. Vrus. οὖρος.* Qua in voce id dignum eſt animaduerſione, & Græcos & Latinos è noſtro ſermone, non è ſuperiore nomen duxiſſe, quoniam non Os, ſed

Ochs. Ochs dicant, è quo Vrox, nō Vros formaretur. Erit igitur Sold-ur excellentiſſimū ſtipēdium, & Soldurij qui tali ſe ſtipendio obligarunt. Quod enim præſtantius ſtipendium inuenias, eo quo omnia vitæ commoda, inter eos qui ſeruiunt, & eum cui ſeruitur, equa ſtatuuntur? Sold autem ſtipendium nobis eſſe nemo eſt qui ignoret. Quamobrem cuiuis nunc liquebit, ſic vocis huius compoſitæ vim & notionem à Cæſare expreſſam eſſe, nihil vt queat dici linguæ noſtræ vernaculæ conuenientius; & vnà nobis occaſionem datam eſſe illius quoque vocabuli explicandi, quo inſigne illud boum genus vocatur, quod à Cæſare deſcriptum habemus eo loco quo de Germanorum feris agit, vbi quàm recta ratione Vros bos hic vocetur, ab eximia præſtantia, qua reliquos vincit, cognoſcere licebit; & ſimul illud videre, vetuſtam Germanorum linguam in hac voce cum Gallica prorſus conſenſiſſe, atque inde ad Latinos vſum eius veniſſe. De Ambactorum nomine nihil hic nobis dicendum, ne, quæ ſatis latè à me in Atuaticis expoſita ſunt, hic mihi *Vergobretus apud Cæſarem, vnde dictus.* & cum meo & lectoris tædio ſint remandenda. Legimus præterea & aliam vocem Gallicam in Cæſaris commentariis Vergobretum; cuius ſignificatio ſic exponitur, vt magiſtratus eſſe definiatur, vitæ necisque habens poteſtatem; qui apud Heduos annuus legebatur, ne videlicet in tyrannidem tranſiret. Paſſa eſt hæc vox fortaſſe cladis nonnihil, at exiguæ, & talis, quam Romanus ſermo euitare non poſſet; atque idcirco Cæſari condonandæ. Cùm enim & Hebræi, & Græci, & Latini littera ea careant, quam nos duplici v pingimus; ſimplex v in hoc vocabulo duplicis locum potuit occupaſſe, vt pro wergobret, vergobret habeamus. Eſt tamen & verg apud nos in vſu, pro eo quod eſt propono ad conſiderandum deliberandumque: Sed ea notio necis poteſtatem, quam Cæſar huic magiſtratui adſcribit, non complectitur. Vergobret enim eum denotat magiſtratū cuius eſt ea, quæ velit, in deliberationem vocare; quæ certè dignitas ad ſupremam etiam ſpectat in rep. poteſtatem. Verùm wergobret eum nobis denotat magiſtratum, cui poteſtas eſt ſtrangulandi. quod genus ſupplicij vt extremum erat & maximum apud vetuſtos Gallos, ita hodie quoque apud nos ad turpiſſimam in ſceleribus morte puniendis pertinet infamiam. Fortaſſis ergo magiſtratus hic ab extremo ſupplicio, cuius haberet poteſtatem, apud Heduos nominabatur; quod niſi placeat vt Cæſaris expoſitionem confirmans, licebit ea, quam habemus, retenta lectione verg-obret interpretari eum magiſtratum, cui ſumma ſit poteſtas & ſenatus habendi, & ea proponendi, quæ viſum fuerit ad præſentem reip. ſtatum pertinere: quam dignitatem ij nūc in ciuitatibus noſtris habent, quos Borgemeeſters, id eſt, ciuium magiſtros vocamus. Obret autem conciſum eſt ex oberhet, qua in voce agnoſcas iam tum etiam apud Heduos B. pro V. poni ſolere, propter viciniam Allemanorum, qui hactenus ober pro ouer dicunt, tanto duriuſculè, quanto V. conſonans lenius quàm B. ſonare ſentitur. Vitát enim quàm poſſunt maximè omnem ſermonis ſuauitatem; atque ideò in principio pro V. pronunciant F. vt pro Vranckryc, Franckreich; pro Vatten, Faſſen. quod eſt comprehendere; pro vel, quo pellis notatur, fael aut fel; & Latinè loquentes pro vino potant finum. In medio autem pro V. B. ſonant & ſcribunt frequentiſſimé; quos Hedui imitati, pro ouer ober dixerūt, à quo oberheet ſiue oberheit (nam vtrumque dicitur) pro noſtro ouerheet ſiue ouerheit, quo magiſtratum quēuis notamus; ea loquendi conſuetudine, quam barbarolatinus exprimeret, ſi diceret, ſuperioritatem. Ab oberheet obret, & hinc vergobret ſiue wergobret, Allemanni hac ætate duriùs dicunt oberkeit pro ouerheit, quam formulam in ſimilibus quoque vocum terminationibus ſeruant. Iam hactenus Germanis ſuperioribus in vſu eſt frequenti, vt worgen pro occidere generatim dicant. quam conſuetudinem Heduos olim habuiſſe, de Cæſaris interpretatione coniecto. Sunt & apud Feſtum Pompeium Gallica aliquot voca- *Benna quid ſit.* bula, inter quæ Bennam vehiculi genus commemorat, quod nos tale intelligimus, vt corbem habuerit oblongum è viminibus contextum. Hactenus enim Ben vocamus *Ben.* oblongum corbem, quo veſtes lineæ, poſtquam elotæ ſunt, ad apricum campum deuehuntur, quo partim frequenti aquæ aſperſione diſtentæ candeſcant; partim ventis & ſole deſiccentur. Corbis etiã is cui vel obſtetrices vel nutrices ad focū inſident, dū pueros ad ignem in gremio fouent, Ben à quibuſdã nominatur. Alij etiam vas vimineum, è quo oues pabulū capiūt, Ben dicunt. In noſtris vehiculis Bennas habemus, in quibuſdã quidem per totam currus longitudinem extenſas, in aliis verò, & iis quidem plurimis bipartitas, vt altera Benna partem currus anticam teneat, altera poſticam concludat.

Idem

Idem Bulgam vocabulum dicit Gallicum, nobis nunc Buiel vocatur; à qua voce Romani fecerunt Bul, eo quòd diphthongo ui non ferè vterétur, quam Greci in ἀρπυῖα & ſimilibus habent. Ex Bul deinde Bulga euaſit, hinc quo Latinam acciperet terminationem, hinc quo littera G adiecta, à Bulla diſtingueretur. Huius Gallicæ vocis tam antiquus eſt apud Latinos vſus, vt Lucilius ea Satyram quandam ſuam condiuerit, hominem quendam deſcribens, cui ſimiles quamplurimos cognoui his verbis:

Bulga vocabuli ſignificatio.

Cui neque iumentum eſt, nec ſeruus, nec comes vllus;
Bulgam & quicquid habet nummorum ſecum habet ipſe:
Cum bulga cœnat, dormit, lauit: omnis in vna
Spes homini bulga, hac deuincta eſt cætera vita.

Refertur & Dun inter Gallica vocabula, quo montem ſignificari non ſatis memini, an apud Plutarchum, an apud alium legerim; vtut eſt, nemo noſtratium ignorat, ſabuloſos quoſdam montes Oceano in Hollandia & Flandria obiectos Duinen ab omnibus vocari. Ridere mihi lubet, quod in Rhellicani annotationibus, quas ad illuſtrandos Cæſaris commentarios edidit, legiſſe me recordor. Inter alia enim quibus maiorem in modum contendit Gallicum ſermonem non eundem cum Germanico fuiſſe, addit & hoc vocabulum Dun, aiens id doctiſſimorum hominum conſenſu montem vetuſtis Gallis notaſſe, & nunc Germanis non montem, ſed tenue ſignificare; atq. inde liquere alium Gallorum veterum, alium Germanorum eſſe ſermonem. Scio equidem Dun tenue denotare, atque in hac ſignificatione non apud Allemanos tantùm, ſed apud nos etiam in vſu eſſe quotidiano: Verùm & illud ſcio, ad hanc notionem indicãdam vocali breui debere pronunciari, quæ dũ Dun pro monte dicimus, longa ſentitur.

Dun et Duyn quid ſit.

Idem Dog negat canẽ apud ſuos Tigurinos notare, & eſſe tamen ſcriptũ, hoc vocabulũ in eo ſignificatu apud antiquos Gallos in vſu fuiſſe. Sed neſciit bonus vir, vel ſe ſcire diſſimulauit, multas voces paulatim in deſuetudinẽ abire, atq. idcirco vitioſè colligi, ſi qua vox nunc in gente quapiã ſit abolita, eam nũquam exticiſſe. Dog tamen nemo noſtratium non intelligit canem eſſe; verùm quia vox ea apud Britannos, quorum lingua eadem cum Gallica fuit, generatim hactenus quemuis canem notat, factum eſt vt maiores dũtaxat canes hoc nomine dignemur, propterea quòd illos è Britãnia generoſiſſimos & maximos accipiamus. Dicimus enim vulgò Engliſche dog, pro cane Anglico. Cęterum quamuis nec vocabulum Dun, nec Dog in vſu nunc eſſet, vt eſt vtrumq. in frequentiſſimo; ex eo tamen nihil aliud concludi poſſet, quàm multas voces in vulgi loquendi conſuetudine vſurpari deſiiſſe, quod in omni lingua contingere qui neſcit, is ad Grammaticorum ſcholas & prima vmbratilis litteraturę rudimenta ex hac hiſtorica palæſtra eſt ablegandus. Sed quid ago? Si omnium hac in quæſtione vel errores, vel ineptias perſequi vellem; nullus eſſet finis futurus, adeò turpiter & Germani ſuperiores, & Galli ſiue potius Franci Romaniſantes ſeſe dederunt in varia nugamenta, dum alia vocabula ad linguam Græcam referunt, alia ad linguam Allemanicam detorquẽt, alia nihil ſignificare aſſerunt; quorũ tamen pleraque, vt modò declaraui, ne pueris quidem noſtris vernaculis quicquam habent obſcuritatis. Quòd ſi qua ſint (vt ſunt complura) quorum ſignificatio nos lateat, id mirum videri non debet, tũ ob vim à Romanis adhibitam, quò Latinæ formæ nonnihil reſponderent, litteris aliis exemptis, aliis additis, aliis mutatis, pro eo ac ipſorum auribus ſuauior ſonus effici videbatur; tum propter librariorum culpam, qui parum piaculi in eo ponebãt, ſi barbaram vocem, quam nec intelligerent, nec à quoquam intellectum iri putarent, vel hoc modo, vel alio ſcripſiſſent; tum etiam quòd non pauca vocabula quæ aliquando in ſummo nitore fuerunt, tandem apud vulgus, noui ſemper appetens, obſoleſcant. Ad primum genus cùm alia quamplurima, tum propria maximè vel virorum vel vrbium nomina ſunt referenda, in quibus corrumpendis mirum eſt quantum ſibi tum Romani tum Græci permiſerint. In his Cæſar nomina Gallica in Xi litteram Græcorum adſpiratã exeuntia, x duplici Latinorũ littera terminauit. Sic ex θωμευρὶξ fecit Dumnorix; quorum illud nobis frenorum diuitem ſignat, hoc nullam offert notionem. Orgentorix an fecerit ex ἠρέντεριξ, quod ſignificat dominum qui à multis manibus diues eſt, quẽ nos Heer Henderick Latinis characteribus ſcriberemus, an verò ex ὠργεντεὶξ, quod natalium elegantia diuitem notat, arbitrio aliorũ diſcutiendum relinquo. Certè

Dog canem deſignat.

Nomina propria variè corrupta.

Dummorix.
Orgentorix.

vtraque vox, & Heer Henderich & Oorgentrich notiſſimæ nobis eſt ſignificationis. Errant *Heimericus.* tamen qui confundunt Heimerici & Henderici nomen, cùm hoc id quod dixi *Hendericus.* apertiſſimè notetur, illo locuples domorum, vel qui domi diues eſt, dicatur; quorum vtrumque in frequenti nobis eſt vſu. *Ambiorix.* Ambiorix ab Ambiet-oo-rich deriuatum magiſtratũ notat multa ſobole diuitem. *Vercingentorix.* Vercingentorix ex Verſinnicheit-rich proculdubio factum videtur, quo is ſignificatur, qui diues eſt facultate longè lateque omnia prouidendi. At ſi Verſinnicheit-rich ſcribas, eodem illud quidem tendet, ſed eum notabit, qui prompto & ſollerti ingenio ad quæuis excogitanda abũdat. Hoc enim à Sin, illud à Sinn ſignificãdi vim haberet. *Diuitiacus.* Nec minus corruptũ Diuitiaci nomẽ, quod reor formatũ ex Di-uiantiacht, quo notatur is qui hoſtes in fugam vertit. *Diuico.* Diuico ex D'huitwit-hoot, quo intelligimus caput excubiarum, quibus cuſtodia commiſſa eſt. Nec mirum ex ui diphthõgo i factum, cùm & Harpyiam Latini, & ipſi etiam Græci pro Harpuia proferant. Duplex autem w in ſimplex tranſire, vnum eſt de frequentiſſimis; cuius exemplum in *Litauicus.* Litauico quoque licet videre; quod nomen ex Luit-wit factum eſſe nemini noſtratium dubium eſſe poteſt. Nobiliſſimũ hactenus apud nos nomen, & dignum quo omnes Reges vocarentur, propterea quòd eo ſignificetur populi refugiũ, ſiue is qui pro populi ſalute excubias agit. Bone Deus quanto auſpicatius hoc diuinũ nomen, quàm vel Cæſarum vel Auguſtorũ. Siue enim ποιμένα λαῶν dicas, id eſt, populi paſtorẽ, cum Homero, ſiue cum Gallis Luit-wit-tuin, idem ſignificaueris: meretur ſanè hæc vox vt perpetuò Regibus occinatur, & ſigillatim per omnes pro populo vigilandi excubandiq. partes vis eius explicetur. Sed ei rei nec hic locus eſt, & tam auguſta huius nominis eſt maieſtas, vt aliũ ſibi poſtulet oratorem, qui nimirũ melius ſit inſtructus, cùm à dicendi facultate, tũ à regiis officiis & accuratè perſpiciẽdis, & dilucidè ornateq. ei ad quẽ ſpectãt probandis. Et verò nihil opus eſt hoc nomen hic rurſus latiùs euoluere, propterea quòd in Francicis meis plura de eo, quàm quiſquã hactenus intellexiſſe videtur, e tenebris protraxi, & maximũ & illuſtriſſimum plurimarum gentium deuictarũ triumphis Regem, qui primus Chriſtianam religionem ſuſcepit, à falſo Glodouei nomine vindicaui. Hic obiter id monendum, in hoc nomine clarè cerni, nõ me modò bene Diuiconis nomen interpretatũ eſſe, ſed & illud, eandem prorſus linguam vetuſtis Gallis & Francis, qui à Dionyſio Mæotici Germani dicuntur, fuiſſe. Confirmat id & alterum nomen ſigno, ſi quod eſt aliud, luculẽtiſſimo. *Luterius.* Vt enim Litauicus apud Æduos in Cęſaris cõmentariis nobilis eſt; ita & Luterius apud Cadurcos: de cuius nomine in Francicis itẽ ſatis mihi videor egiſſe copioſè. Diuico Hel- *Verticonis ſignificatio.* uetius nominis ſui formula mihi in memoriã vocauit, Neruiũ quendam Verticonẽ, qui quin à Vertich-hoot nomen duxerit, nihil ambigo, quo is nobis denotatur, qui caput ha- *Boduognatus quis ſit.* bet prõptum & conſilia expedita. Neruiorũ itẽ dux fuit Boduognatus, quo is intelligitur dici potuiſſe, vel qui excelleret magna in famulos clementia, vel qui ſummè clemẽtem ſe præſtaret in mandatis exequẽdis. Boden enim nobis famuli dicuntur, & generatim ij quibus mandamus, & alia notione Boden, & cũ augmento Geboden ſunt mandata & iuſſa ſiue publica ſiue priuata, ſiue diuina ſiue humana. Hooggenat, & ſyncoptôs gnat, eſt excelſa clementia. Boden hoognat igitur excelſa clementia præditus, vel in mandatis exigendis, vel in famulis & ſubditis benignè tractãdis: quam poſteriorẽ interpretationẽ Boduognati nomen magis videtur approbare. In hoc itẽ nomine non ſecus atq. in Litauico & Luterio videas linguã noſtram & Sueuicam ſiue Germanam ſuperiorem non magis differre, quàm Doricorũ & Atticorũ idiotiſmos, cùm & olim, & nunc eaſdẽ vocũ radices interpretationesq. fuiſſe nõ poſſit non agnoſci. Superioribus enim Germanis, & nõ paucis item inferioribus nihil frequentius eſt in ore, quàm Gnat ſiue Gnad; qua voce vtuntur dum quenquã alloquuntur cui ditio aliqua eſt vel minima, in qua iuris dicendi *Arioviſti etymon.* imperandiq. habeat poteſtatẽ. Arioviſti nomen ad ſuperiorẽ linguam pertinere nemo neſcit: at idẽ nomẽ non aliud nobis quàm ipſis ſignificat. Ereueſt enim, vnde Ariouiſtus, is dicitur, qui in omnibus & agendis & dicendis honoris conſeruandi ſe præſtat tenacẽ. Sed iam ſatis & plus ſatis nominũ propriorum à Cæſare celebratorum, in quibus cùm clariſſima nobis & vſitatiſſima ſint ſignificata, quid poteſt vltrà dubitari de vetuſto Gallorũ ſermone? Nõ pauca ſunt quæ olim in ſummo honore cùm eſſent, nũc obſoleta iacẽt; quæ nobis vel ex cõpoſitione vel deriuatione, vel alia gẽte eiuſdẽ linguæ ſunt ad notionẽ ſuã redigenda. Sic Noy pro nocumẽto nobis nõ eſt in vſu, ſed ex cõpoſita dictione

inno-

innoteſcit. Onnoſel enim dicimus pro innocēte; ex quo liquet Noſel nocentē, & Nos noxā ſignificare. Sic Fer pro pulcro dici cōſueſſe, hinc de Britannorū lingua, hinc ex deriuatione ſcimus. Nam Fier hominem notat pulchritudinis oſtentatorē, eo modo à Fer manans, quo Gier à Ger. Quamobrem licet hac ætate nec Rheda, nec Petoritum, nec Eſſedum vllum vehiculi genus vocetur; ex origine tamen ſua cuiatia ſint, ſtatim agnoſcuntur. Nobis ſollenne eſt vocabula à præterito imperfecto deriuare; qua via à Rijd fit Reed, id eſt, aut curru, aut equo vehebar, vnde Reda vehiculū dici quis miretur? Ineptiit Ioannes Picardus in ſua Celtopædia, Græcam vocem eſſe dicens, cùm pòſt ex Quinctiliano doceat Gallicam eſſe: cuius tametſi nobis perierit vſus, non periit tamen ratio ſignificationis. Hinc clarum fit, Eporediam quoque Salaſſiorum opidum ab equitando nomen ſortiri, vt Plinius annotauit. Petoritum vehiculi genus fuiſſe ſcribunt, quo matronæ apud Belgas maximè ad rura ſuburbana vectari ſoleant. Nobis Peten-ridom diceretur, quod notat vectationem matronarum. Sic dicimus au-pet, pro anu ſiue proaua. In Chriſtiana religione Pet dicitur quæ ex ſacro fonte ſuſcipit vel ſuſcipitur; & Peter, is qui ad idem ſacramentum teſtis adhibetur, & onus religionis docendæ ſuſcipit. Ex quo certa mihi coniectura eſt, Pet & Peter apud priſcos fuiſſe nomina ad ſenectutis venerationem ſpectantia; cuius ætatis eos eſſe oportetet, qui ad pueros fidei myſteriis imbuendos adhibentur. Quod de Latina lingua docere poſſem, in qua ex eadem origine Vetus in vſu eſt pro antiquo. Eſſedum fit ex Heſſichdum. Hiſſich vel Heſſich vox eſt qua hodie etiamnum aurigæ noſtri vtuntur, dum equos ad curſum incitant. Eſt enim Hiſſen idem quod incitare, ab Hit ſiue Heet, quod eſt calidum. Noſtri tamen aurigæ ipſius Attici Tau ſtudioſiores quàm ſuperiores Germani, Hittich dicunt ferè vel Hitſich; alij Hettich, vnde Heſſich per ſigmatiſmum huic voci conuenientem, eo quòd ſibilus ad incitandum non ſecus videtur valere, quàm follium ventus ad ignis calorem excitandum vehementiorem. Hinc igitur Heſſichdom perinde fit atque à Ryc Rycdom, & alia ſimilia ſimili deriuationis formula. Hittich ſiue Heſſich, idem eſt quod calidè & feruidè operi cuipiam inſtans. Audimus autem ab aurigis non Hittich tantùm, ſed etiam Hittichhou, quo celeumate celeritatem moderatam equis imperant, quaſi dicerent, feſtina lentè: quod ad verbū ſi interpreteris, feruidè tene, ſiue feruidè curre, ſuſtine curſum, Latinus audiet. Eſſedum ergo ab Heſſichdom formatum ad incudem Romanam, vehiculum ſignificat celerrimum, quod currentibus equis ferè ageretur, atque idcirco Britannis in prœliis vſitatum. Quàm autem vocabulum hoc rei ſignificatæ ſit eleganter accommodatum, clariſſimum fiet ſi Cæſaris verba, huius vehiculi vſum deſcribentis, audiantur. Genus hoc eſt, inquit, ex eſſedis pugnæ. Primò per omnes partes perequitant & tela coniiciunt, atque ipſo terrore equorum & ſtrepitu rotarum, ordines plerumq. perturbant, & cùm ſe inter equitū turmas inſinuauere, & ex eſſedis deſiliūt, & pedites prœliantur: aurigę interim paulùm è prœlio excedunt, atque ita ſe collocant, vt ſi illi à multitudine hoſtium premantur, expeditum ad ſuos receptum habeant. Ita mobilitatem equitum, ſtabilitatem peditum in prœliis præſtant; ac tantum vſu quotidiano & exercitatione efficiunt, vt in decliui ac præcipiti loco incitatos equos ſuſtinere, & breui moderari ac flectere, & per temonem percurrere, & in iugo inſiſtere, & inde ſe in currus citiſſimè recipere cōſueuerint. Hæc ille. Nū vlla vox inueniri queat, quæ magis incomparabilem hanc celeritatē quàm Heſſichdom exprimat? qua nihil aliud notatur quàm rapidus in agendo feruor? Vides vt lingua noſtra veterē Gallorum ſermonem rectè interpretetur, quamq. ad vnguem vocabulorū ratio cum rebus ſignificatis quadrare cernatur. Facit ſanè hæc apud me conſideratio, vt credam, Britannos & Gallos olim eodem in equis incitandis ſuſtinendiſq. celeumate vſos fuiſſe, quo noſtrates nunc vtūtur aurigæ. Ceſſauit iam olim eſſedorum vſus, tum apud Britānos, tum apud noſtrates, quibus ea Virgilius etiam tribuit, dum Belgica eſſeda vocat; verùm in eorum locum quadriroti currus ſucceſſerunt, non illi quidem ad prœliorum vſum, ſed ad itinerū commoditatem celeritatemq. comparati, quos Heſſich ſiue Hitſich Wagen vocamus, quaſi dicas, eſſedum tremens. Wagen enim currus hoc genus vocatur, quod inter duos axes longo ductu pendens quodámodo libretur atq. tremat ſub pondere vectorum. Pæne fuerā oblitus duarum vocū, quas Suetonius Tranquillus vt bene Gallicas dixit, ita nō ſatis peritè

Nos. Noſel. Onnoſel. Fer. Fier. Rhedá. Eporedia op. Petoritum. Pete. Peter. Vetus. Eſſedum. Hiſſen. Hittich/ Hitſich. Heſſich. Wagen.

Galba. eſt interpretatus. Earum altera eſt Galba, altera Becus. Galbam Gallis præpinguem notare ſcribit. Nos vulgò hominem ſimplicem & pinguiuſculo ingenio præditum, & cuti- *Calf/Calb.* culæ ſuæ curandæ dumtaxat intentum, & idcirco corpore molli, & obeſo, Calb ſiue Calf vocamus, id eſt, vitulum, qui propriè nobis hac voce denotatur, eo quòd & corpore & ingenio ſimilis ſit vitulo, quem multo lacte impinguamus, vt ſuauẽ menſis carnẽ reponat. *Becus.* Eſt igitur Calba pinguis & corpore & mẽte de more noſtro vocãdus; at id non propriè, *Bec.* ſed figuratè. Becus verò vocabulũ notæ eſt ſignificationis. Bec enim cuiuſuis auis roſtrũ dicimus, dum vocali breui pronunciatur. Quamobrẽ malè ad ſolius gallinacei roſtrum à Trãquillo eſt relatũ; quem errorẽ homini Romano in Gallico ſermone cõdonare debemus: Immo verò gratias etiam habere, quòd nobis exemplo ſuo demonſtrarit, Toloſanis ſua etiamnũ ætate vetuſtum Gallorũ ſermonem remanſiſſe; de quibus, vt Maſſiliæ proximis, dubitari potuiſſet ab iis quibus Perionius perſuaſit, Græcã linguã Phocæorũ beneficio in Gallia viguiſſe. Quoniã non pauca indicia, & illa quidẽ luculenta, è veterũ ſcriptorum monumẽtis modò depromſi, videor mihi ſatis viã aperuiſſe ad vetuſta quędã fluminũ nomina interpretãda, quę ſi de ſermone noſtro intelligamus; nõ exiguũ momẽtum cæteris rationibus acceſſerit. Prodeat igitur primùm Arar in mediũ, quò nominis ſui cauſſam nobis effundat. Sed quia tarditate nimia nos diutius fortaſſe demoraretur, *Araris flu. vocabuli etymon.* loquatur potius Cæſar, vir & in agendo & loquẽdo celeritatis ſemper expeditæ. Flumẽ eſt, inquit, Arar, quod per fines Æduorũ & Sequanorum in Rhodanũ influit, incredibili *Ar.* lenitate, ita vt oculis, in vtrã partẽ fluat, iudicari nõ poſſit. Videamus nũc an ipſe nomẽclator æquè atq. homo Roman⁹ naturã ei⁹ perſpectã cognitãq. habuerit. Quid Ar ſignificet, eoſdẽ rogabo magiſtros, qui me, quid eſſedũ ſonaret, docuerũt. Vt enim illis Hittich frequẽter eſt in ore; ita nõ rarò etiã ex illis audias Ar Ar; quo tũ ſe vti dicunt, cùm equos volunt tardè progredi. Atq. hic quidẽ huius vocis nunc vſus eſt omnibus rhedariis & eſſedariis iuxtà frequentatus: hec is quidẽ citra cauſſam ex ipſiſſimo ſermonis noſtri fonte promanantẽ. Dixi nobis vocabula quædam ſic facta eſſe, vt retro lecta id notẽt quod maximè facere videtur ad eius notitiam, quod prorſo litterarũ ordine notabatur. Id cùm aliâs aliud eſt, tum in plurimis eſt contrariũ, eo quòd contraria contrariorum collatione maximè eluceſcant. Sic Tam vocali breui pronunciatũ, contrarium habet Mat; Alb contrariũ Bla; Oz contrariũ Zu. Nec aliter ipſi Ra, quo citũ notatur, opponitur Ar. Eſt enim *Ra.* Ra & Rat eiuſdẽ notationis, & cauſſam vtrumq. ſignificationis habet ex natura ipſius lit- *Rat.* teræ R & A. Cùm enim R. linguã vibret, & A progreſſum rectum notet, de pronunciationis forma Ra citum celerẽmue motum indicabit. Celerrimo enim motu fertur pilũ quod antè fuerit vibratum, quàm manibus emiſſum. Huic igitur opponitur ſignificatũ eius vocis quæ contraria pronunciatione ſentitur de illa quã dixi, nominũ fabricandorũ formula ductui naturę maximè conſentanea. Nec differt Ra & Rat, ſicut nec Ta & Tat, nec A & An, & alia non pauca; quæ nobis vel per conſonantẽ, vel vocalẽ finiuntur. Quãobrem idem notabit Tar quod Ar. Et quamuis Tar nobis nõ ſit in vſu frequenti, eſt ta- *Tar.* men Britãnis hactenus in vſu frequentiſſimo, dũ Tar dicũt pro Moror. Cerne nũc quàm aptã vocem flumini dederit nominũ Gallicorũ architectus, quamq. diligenter inſignẽ eius tarditatẽ geminata voce Ar Ar notarit. Ab eadem voce Ar pro tardo, ipſa terra nomẽ *Art vocis ſignificatio.* ſibi ſumpſit Art, eo quòd non tardiſſima modò ſit omniũ rerum, ſed quòd in omnibus etiã quibus admiſcetur, ſit mater tarditatis. Nemo igitur exiſtimet Art nos ab Hebræis, qui ארץ pro eodẽ dicunt, mutuatos eſſe; immò contrà expendat, an illi à nobis ſuã vocẽ acceperint, iuxta illud axioma: Vocem pluribus linguis cõmunem, ex illa primam ducere originem, in qua recta eius ratio reperitur. Eadem cenſura Latini conuincentur, voca- *Tardus.* bulum à nobis accepiſſe, dum Tardũ dicunt; quod ratio ſignificationis, & vocũ formandarum peculiaris ſermoni noſtro modus apertiſſimè monſtrant. Sed hæc idque genus alia ad Hermathenã noſtram pertinent. Ararẽ excipit Rodanus; qui correcta & genuina *Rodani flu. etymon.* pronũciatione Radanus dicẽdus eſſet, qua in voce a in o illi mutarũt, qui proximi fontibus eius habitantes ad dialectum eã propiùs accedebant, quæ Mon pro Man, Suoben pro Suaben, alia ſimiliter effert. Sed hoc parui momenti. Illud dignũ notatu, in hoc flumine non magis quàm in Arare dormitaſſe nomenclatorẽ. Cùm enim Rat ſit quod citum & *An.* celere, An autẽ progreſſum denotet, nihil aliud erit Rat-an, ſiue per mediã litteram, (quã libenter pro tenui ſubſtituimus inter duas vocales, quòd is ſonus dulcior auribus acci-

dat)

dàt) Radan, quàm celer progreſſus; qui quàm huic fluuio conueniat, illi norũt, qui vel per eum aliquando deſcenderunt, vel fluxum eius rapidiſſimũ ſunt conſpicati. Mirum eſt quàm mihi coram hinc Ararim, hinc Rodanum eo loco quo confluunt, intuenti volupe fuerit de horũ nominũ interpretatione cogitare: cui dũ accederet cogitatio de Lugduni nomenclatura, iã mihi videbar cõ eo verſari, qui primus vrbis amœniſſimæ fundamẽta ieciſſet. Mihi certè Lugdunũ tale fuit, quale vt omnibus eſſet, is qui nomen primus indidit, feruidis precibus & bonis fauſti ominis verbis videtur optaſſe. Cũ canonicis enim aliquot D. Ioannis ſuauiſſimè tantiſper dum illic eſſem vixi, hoſpitio exceptus in ipſis ædibus, quæ templo continentes in ipſum Ararim porriguntur, iis quos Sacriſtas vocãt deputatæ. Quamobrem quamuis credam me alibi etiam Lugduni nomen expoſuiſſe; facit tamen tum grata vitæ in illa vrbe perquàm ſuauiter actæ recordatio, tum præſens negotiũ in quo nunc verſor, vt cõmittere non poſſim, quin vocem hanc ad ſuos deducã natales, & ab inſanis quorundam liberem nugamentis; qui neſcio quem nobis Lugdum cõminiſcuntur, vt ignorantiæ ſuæ mendaciſſimum conditoris figmentum prætexant. Guilielmus Paradinus à B. Rhenano monitus ne in hunc mendacij ſcopulum impingeret, aliud inuenit commentum, conatus, perſuadere Lugdunũ à lúgubri incẽdio, quo non ſemel conflagrauit, nomẽ accepiſſe. O ſollertẽ antiquitatis indagatorem! Fuit ſcilicet ipſe conditor tam læua mente præditus, vt ab infortunio & exitio nomen vrbi daret? quaſi neſciuerit vel in minimis quibuſq. rebus exordiendis, nedum in vrbe conſtituenda bene eſſe ominandum. Longè profectò aliter res habet, & veritas pugnat cum hac ſuſpicione ex diametro; adeò vt bonorum verborũ ratio vix alibi inueniatur maior & ſignificantior obſeruata, quàm in huius vocis ſtructura. Simul ac expoſuero, videbis G litteram mediam loco C irrepſiſſe, quod in compoſitione frequens eſt. Dunum collẽ notare ſiue minorem montẽ, nemo eorũ qui linguæ noſtrę peritus ſit, ignorat, vti modò dictum eſt. Luc verò proſperitatem & fortunatũ ſucceſſum notare, multo clarius eſt apud omnes; vt cõtrà cùm dicimus, Het en wilt niet lucken, omnes intelligunt rẽ malè ſuccedere, nec ad optatũ finem poſſe deduci. Lucdunum igitur, & compoſitionis cauſſa, quę litteras medias facilius connectit, Lugdunũ, fortunatum ſiuę felicem collem interpretamur, qualis vt ſemper eſſet, nomẽclator optauit; & vt deinde perpetuò ſit, nos bonis verbis acclamamus, hoc gratiæ pro hoſpitio loci Genio reponentes. Vrbem olim in colle ſitam fuiſſe, cùm alia monumenta, tum aquæ ductus, cuius hactenus fornices reliqui cernuntur in ſupremo vertice, clariſſimè demonſtrant. Citatur & Strabonis ad id docendum auctoritas; ſed meum exemplar pro ἐπὶ, ὑπὸ habet, corruptum, ni fallor, peruerſa cuiuſpiam diligentia, volentis, vt Strabo pręſentem potius ſitum, quàm eum quẽ tum vrbs habebat, deſcripſiſſe videretur. Nec mirum poſtea incolas planitiem ſibi magis habitandam delegiſſe, quò vtrique flumini eſſent viciniores, propterea quòd centeſimo à Colonia Romana eò deducta anno conflagrarit, vt Seneca commemorauit, & rurſus incendio abſumpta ſit militari, imperante Seuero: quibus calamitatibus moniti ſunt ciues, in ipſis fluminum ripis habitationem fore tutiorem, & ad flammas extinguendas, ſi quæ rurſus fortè inciderent, remedium ab aquis promptius expeditiusque. Adde poſterioribus ſeculis cùm Gallia varijs cladibus à Gotis, Vandalis, Alanis, Burgũdionibus aliiſque gentibus vaſtata fuiſſet, ad eam paupertatem Lugdunum redactum eſſe, vt grauiſſimas aquæductuum impenſas ſuſtinere non poſſent; atque idcirco ad aquas domos eſſe trãſlatas. Nónne & Romæ videmus, quæ ſeptem colliũ ſpatia ſolet occupare, vetuſtis deſertis ſedibus, ad campum Martium totam ferè deſcendiſſe ciuitatem, quo ſalubri Tiberis aqua facilius perfrui poſſet? Quoniam igitur in Lugduni nomine nulla eſt omnino obſcuritas, ſi de noſtro ſermone promatur eius explicatus, lubenter rogem vtrũ fatendum ſit, L. Munatium Plancũ primum fuiſſe Lugduni cõditorem, vti pleroſque video crediſſe? Equidem minimè crediderim, hominem Romanum vrbi, quam ipſe primus à fundamentis exorſus eſſet, nomine Gallico fuiſſe nuncupaturum. Illi videlicet qui prouincias ad ſuam linguam cogebant, nomenclaturæ ius arbitriumque Gallis in ciuitate auſpicanda detuliſſent. Credant qui volent, ego in diuerſam partem diſcedo, non ignorans illud quidem verum eſſe, Romanos coloniam illuc deduxiſſe, atque vrbem populo, opibus, legibus auxiſſe, ornaſſe, ſtabiliuiſſe: verùm aio, multò à Gallis prius & conditam & nomine ſuo celebratam

Luc.

Lugduni vrbis nominis origo.

fuiſſe,tametſi fortaſſis,vt fit,clades aliqua proſperos rerum ſucceſſus,quos conditor fauſtus optauerat,auertiſſet. Extat Caietæ inſcriptio,quæ teſtatur L. Munatium L. F. L. N. L. P. ædem Saturni de manubiis feciſſe triumpho de Rhætis acto, agros in Italia Beneuenti diuiſiſſe. In Gallia colonias deduxiſſe Lugdunum & Rauricam. Sed hæc vt plurimum ad vrbis ornamentum contulerunt;ita nihil faciunt ad id quod nobis agendum. Mihi ſatis eſt,ſi conſtet vrbem quondã in collo ſitam fuiſſe, & nomen accepiſſe ex ſermone noſtro fauſtiſſimum ab eo,cui placuit vt felix collis vocaretur. Hinc modò liquet
Dun terminantia aliquot opidorũ nomina. clariſſimè, noſtram linguã eandem cum vetuſta Gallorum eſſe,eo quòd non hæc tantũ
vrbs à Dun acceperit nomenclaturam, ſed alia quoque in hanc exeant terminationem,
in quibus Melodunum à Cæſare in Sequanæ inſula commemoratur; cuius nomẽ vetu-
Melodunum. ſtum ſi fuit Mel-dun,collem ſignificat qui reuelat, quam Latinus ſpeculam in colle po-
Nouiodunũ. ſitam vocaret. Apud eũdem in Sueſſonibus eſt Nouiodunum, ex Nou-dun proculdubio
formatum,quo nouus collis vocatur. Eodem nomine ciuitas apud Diablinteres Venetis
Neodunum. vicinos à Ptolemæo collocatur,ſed quam Neodunũ ſcribit. apud quem & Cæſarodunũ
Cæſarodunũ. Auguſtodunum. & Auguſtodunũ Romani patrocinij ſiue potius iugi nomine cũ Gallico iũcti,vt Cæſaris
& Auguſti collis intelligeretur. Sũt & in Belgis Gorduni,de quibus in Atuaticis à nobis
dictum. Habẽt Flandri clarum hactenus monaſterium,à Dunis, in quibus poſitum eſt,
Dun-kerc. nuncupatũ: nec longè inde abeſt Dun-kerc opidum,quod templũ Dunorum ſiue colliũ
interpreteris. Quoniam igitur hæc vox nobis apertiſſimæ ſignificationis eſt, & in veteri Gallorum ſermone valde frequens;cuius eſſet impudentiæ,negare ſermonem noſtrum in eius vſu prorſus conuenire? Verùm quò quiuis cernat quàm latè quondam huius linguæ homines fimbrias ſuas extenderint;enumerabo ſummatim quot locis opida in hoc vocabulum terminata reperiãtur,quod non ad præſens tantùm negotium conducet, verumetiam luculenta approbatione docebit, ab Oceano Celtico ad pontum vſque Euxinum eandem quondam viguiſſe linguam: quo ſemel dato,minus abſurdum vide-
Nuidunum. Singidunum. bitur,& Græcam,& Latinam ex noſtra eſſe corruptã. In Myſia inferiore inuenies Nui-
Capedunum. dunum;in Myſia ſuperiore iuxta Danubium Singidunum; apud Scordiſcos Capedu-
Nouiodunũ. Carrodunum. num;in Pannonia Nouiodunum & Carrodunum; in Germania magna ſiue vltrarena-
Cambodunũ. na Cambodunum,quod quidam Monachium putauerunt,ego Campodunum legere
Rhobodunum. mallem. In eadem Rhobodunum,Tarodunũ, Melodunum,Segodunũ, Lugidunum.
Tarodunum. Melodunum. In Gallia Belgica Lugodunum,Batauorum ad Ararim illud,quod dixi, Lugdunum, à
Segodunum. quo tota prouincia nominatur Lugdunenſis, in qua Auguſtodunum apud Æduos. In
Lugidunum. Lugodunum. eadem Gallia Segodunum Velaunorum,Lugdunum Conuenarum ad Pyrenæum mõ-
Lugdunum. tem, Neodunũ Diablinterũ,Cæſarodunũ Turrupiorum, Vellaunodunũ, Vxellodunũ.
Auguſtodunum. Iam in Britannia ipſum Dunium ſinũ & vrbem Duniũ. In eadem Maridunũ,Camelo-
dunum,cuius & Tacitus meminit,& Rigodunum. Quid igitur cenſes? An non eã lin-
Segodunum Velaunorum. guam matricem eſſe,in qua hactenus huius vetuſtiſſimæ vocis vſus in priſca ſua ſignifi-
Neodunum. catione conſeruatur? Quòd ſi tot exemplis non cedas, non video quis tibi in Peripato
Cæſarodunũ. Vellaudunũ. locus ſit relinquendus. Cæterùm quia ab Arare in collem ſurrepſimus, deſcendamus
Vxellodunum. rurſus ad aliud flumẽ. Ligeris ad duodecim circiter leugas à Lugduno diſtans, nomen
Dunius ſinus. Dunium op. videtur accepiſſe à ſupino ſuo & breui vado,in quo flumen non tam,ſtare,quàm iacere
Maridunum. dicas. Tam latè enim ſe porrigit,vt paruã videatur altitudinis ſuæ habere rationẽ, quo
Camulodunũ. fit vt plurimis locis moleſtam habeat nauigationẽ,& inſulis & breuibus, quæ nos ſcãna
Rigodunum. Ligeris flu. vocamus,frequenter impeditã. Meritò igitur Ligger dicetur,quo is nobis dicitur,quiſque
etymon. Garumna fl. pe multumque iacet. Garumna à Garrum deriuatur,quod idem eſt ac Latinus diceret,
omnino latũ & capax;quæ notatio quàm optimè in hoc flumen quadrat;quo neſcio an vllũ latiùs in Europa ſe diffundat antequam in Oceanum euoluatur. Nec equidem horum duorum fluminũ nomenclaturas ad rectas rationes redigere vel voluiſſem vel potuiſſem,niſi per vtrumq; nauigando has,quas dixi, animaduertiſſem proprietates. Nam quid haberet quæſo momẽti,aut potius qui non inſaniæ ſit inſignis, ea adducere argumenta veritatis è tenebris eruendæ,in quibus aut nulla aut obſcura ſit nominum cum rebus ſignificatis conuenientia? Quamobrem quibus in nominibus non apparẽt claræ & minimè dubia originis veſtigia,eorum ne mentio quidem ante facienda, quàm ſatis luculentis indiciis & exẽplis cõcluſum ſit,è noſtra lingua vetuſtarũ apud priſcos Gallos
Sequana flu. vocũ origines eſſe promendas. Quamuis igitur Sequana quaſi Seg-an mihi dictus videatur,

tur,propter moderatũ fluxus progreſſum,eo quòd Sog lene moderatumq́.ſignific̃;& Ob- *Obrincus.*
rincus quaſi annulus ſuperior,quòd eo inferior Germania cis Rhenũ terminetur; neu-
trum tamen horum nominũ in rationibus meis numerari velim. Scio item Moſam o- *Moſa flu.*
ptimo iure à vagis ſuis & indomitis vndis, quæ nullo alueo continentur,dici potuiſſe,vt
nobis vox ſignificat,& fluuiũ ipſum cùm aliàs ferè quotannis, tum hoc anno ſe talis in-
dolis eſſe,maximo accolarũ tum damno tum periculo demonſtraſſe;nolim tamen eius
nomen hactenus ad probationis partes vocare;& idcirco minus etiam de Moſellæ no- *Moſellæ flu.*
mine fides adſtruenda; quoniam hoc non ſolum ea cauſſa obſcuræ originis poſſit videri,
quòd non ab omnibus quid Mos nobis ſignificet,intelligatur, ſed propterea etiã quod
ad diminuentium Latinorum nominum formulam à Moſa fieri credatur; cùm mihi
contrà non exigua ſit ſuſpicio, Moſellam dici cõpoſita dictione à Mos & Sel,quo Moſæ
ſocius denotatur,eo quòd & ortus ſui habeat ſocietatem & ductus,ac tandem etiam in
eundem coëant alueum. Moſella quidẽ prius multo à Reno ſuſceptus, Moſa verò lõgè
inferius Reno commixtus. Clarior ratio eſt in Reno,quem à rein, quo mundum ab om- *Renus vnde*
ni macula notatur,nomen accepiſſe facilè mihi illi aſſentientur, qui norunt eum iudi- *nomẽ habeat.*
cem olim fuiſſe vxoriæ caſtitatis;qua de re in Aduaticis nonnihil egi;vbi inter cætera ex
Nazianzeno hoc diſtichon Latinum faciebam:

Cernitur vt purum prunis ardentibus aurum,
Gurgite ſic Reni pignora Celta probat.

Addidi ibidem & hoc de Græco epigrammate:

Zelotypo audaces Celtæ ſua pignora Reno
Explorant; non antè rati ſe poſſe parentes
Dici, quàm videant in caſto flumine lota.

Græcus auctor ὕδατι σεμνῷ dixit: & licet σεμνὸν venerandum & inter alia diuinum ſigni-
ficet, hic tamen pro caſto vſurpatur,quod nos dicimus Rein, vocula illa quidẽ ad omnem *Rein.*
munditiem cõmuni,ſed non ad aliam rem ſæpius,quàm ad puram caſtitatẽ denotandã
veniente in vernaculũ ſermonem. Germani ſuperiores Rhein pro flumine cũ adſpira-
tione ſcribunt,& dum purũ dicere volunt & caſtum,aſpirationẽ omittunt,Rein liebe pro
puro & caſto amore dicentes. Nec diſſimile veri fuerit,ſi dicamus non ab hac modò pu-
ritate,nec itẽ ab aquæ munditie tantũ, ſed inde etiam nomenclaturã datã primò fuiſſe,
vt indigenæ cauerent,ne externorũ hominum vis flumen temeraret: quod quidẽ vt no-
menclatori fortaſſe fuit in votis;ita poſteritas præſtare nõ potuit,quò minus & Renus &
Danubius ſanguineis crebrò riuis fœdarentur. Hoc tamen poteſt videri vaticinatus eſſe
is qui primus hoc nomen dedit,nuſquã nec in Europa,nec in Aſia ſincerã & Germanam
Ianigeni & Cimmerij generis tũ indolẽ tum linguam, tũ morũ & totius vitę ſinceritatẽ
diutius permanſurã eſſe, quàm in huius fluminis ripis: Nihil tã gentis cuiuſquã oſtẽdit &
genus & generis perpetuã propaginẽ nulla peregrinitate aut cõfuſam aut contaminatã,
quam lingua,cùm à primis & ſummis maioribus accepta,tum in eadẽ ſemper puritate
conſeruata. Totis totius propè mundi viribus Romani adnixi ſunt,quò & gentẽ & lin-
guã Germanã à Reno ſummouerent;ſed tantũ abeſt vt id efficere potuerint, vt tandem
vellent nollent Galliã Germanorũ armis defendere cogerentur, & permittere, vt totus
interior Galliæ ad Renũ tractus ab ipſis Alpibus ad Oceanũ vſq. à Germanis teneretur.
Et id quidẽ tam clara Romanorũ teſtificatione conſtat,vt Auguſtus Cęſari ſuccedẽs du-
plicẽ in eo Germaniã agnouerit;primã & ſecundã, ſiue ſuperiorẽ & inferiorem. Quam *Germania prima & ſecunda, ſiue ſuperior & inferior.*
diſtinctionẽ vt ipſe auctoritate ſua confirmauit;ita nõ eſt veriſimile, ab ipſo primum in-
ductã fuiſſe: Cuius rei indiciũ modò fecit Obrincus,ab Ober-rine nomen,vt videtur,ſor-
titus,cui ne,ni fallor,ab Auguſto nomẽ datũ eſſe aſſerere audebit. Si Iulius Cæſar tã
diligens fuiſſet in tota regione deſcribenda,quàm fuit diligẽs in ea ſubiuganda; aut Pli-
nij viginti de rebus Germanicis libri extarent,minus nobis obſcuritatis offunderetur: at
in quantauis caligine verſamur,hoc tamen lucis ex hiſtoriis accepimus, nunquã vel Ro-
manorum vel alterius gentis arma tantum potuiſſe, vt in citeriore Reni ripa, nedum
vlteriore gentem Germanicam exſcinderent, vel eius linguam abolerent. Renus ergo
fauſtum felixque nomen diuino inſtinctu accepiſſe dicatur, quòd ad eum perpe-
tuò primus Ianigenarum ſermo conſeruandus eſſet, cuius ſemper indicio & quaſi
manu Mercuriali primos generis noſtri auctores cognoſceremus. Nam quamuis
ſupe-

ſuperior lingua multis ſibilis & conſonantibus aſperior ſit; non ita tamen à prima
ſermonis & ſimplicitate & lenitate degenerauit, vt alia prorſus lingua ſit vocanda, tā-
etſi accurata illa vocum formandarum ratio non vſquequaque, vt paulo antè demō-
ſtraui, obſeruetur. Quamuis itaque Renus poſſit videri è ſuperiore lingua nomen acce-
piſſe, clarum tamen feci Rein pro puro & caſto non ſuperioribus magis quàm nobis in
vſu eſſe quotidiano. Boij item, quos veteris hiſtoriæ ſcriptores Gallos eſſe vno ore om-
nes confitentur, flumen in agrum ſuum Bononienſem per horrendas ingentis rupis
(Saxū nūc vocant Itali) fauces euolutū Renum nominauerunt; nunquam, ni fallor, ſic
facturi, niſi verā nominis rationē intellexiſſent. Sed quid refert Gallicam ne vocē dicas,
an Germanicam, ſi non vox modò, ſed vocis etiam etymologia ſit vtrique genti com-
munis? & mihi ſatis ſit ad id quod quæro, quoque omnis hæc vocum interpretatio ten-
dit, ſi docuero Gallica nomina ad noſtram linguam, non ad Græcam pertinere. Iam vt
flumina mittamus, conſideremus, an ſicut Lugduno nomen de noſtro ſermone datum
eſſe demonſtraui; ita & alia opida ſint, quorum nomenclaturæ non minus claris indiciis
origines ſuas linguæ noſtræ ferant acceptas. Equidem minimè dubito, quin plurima ci-
uitatum populorumque nomina intellecturi eſſemus, niſi miſeris modis à Romanis
& Græcis vel aucta vel mutilata, vel omnino à ſono ſuo vero detorta fuiſſent, & deinde
à librariis etiam mendoſè tranſcripta. Iulius Cæſar Alexiam vocat, quam Diodorus
Ἀλησία. Siculus Ἀλησίαν ſcribit, & ab Herculis errore dictam eſſe videtur indicare. Vtrum ergo
ſequemur, hunc ne an illum? Alexia certè ad Alexicaci nomen magis alludit, & idcirco
Alexia vrbs. fortaſſe Cæſari magis placuit; ſi tamen tum, cùm ſua ſcriberet, de hac fabula cogitauit.
Quicquid huius & huic ſimilium fabularum textores comminiſcuntur, id prorſus con-
temno; & certò ſcio, nihil veri ab ipſis dici, figmenta dumtaxat quæri, quibus priſcarum
rerum ignorantiam velent. Al-ees nobis idem eſt quod omnibus alimenta ſuppedito,
non inauſpicatum certè nomen ciuitati, & non malè illi tractui conueniens, qui nunc
Alſatia. Alſatia vocatur, quaſi Al-ſat, id eſt, omnium rerum ſatur. Alexia verò quid ſibi velit, non
facilè coniectes, niſi idem hic à Cæſare factum dicas quod in Ambiorix & ſimilibus eſt
deprehenſum, in quibus x duplicem Latinam, pro Xi littera Græcorum adſpirata ſup-
poſitam videmus. Al-echt nobis idem eſt quod Latinis omnes legitimo thoro nati; qua
in voce Tau finale poſt duplicem litteram ob ſoni duritiem eſt omiſſum. Vtrouis itaq.
modo pronuncies, huius vrbis nomen noſtras agnoſcitur. Meminit Cæſar geminæ Ger-
Gergouia nominis origo. gouiæ, alterius Boiorum in finibus Æduorum, alterius apud Auernos; quod nomen nō
Ger. miror placuiſſe in vrbe nuncupanda. Ger enim idem eſſe quod conquiro, in Atuaticis
Crijg. docui, eamque vocem dixi olim perinde bellum ſignificaſſe, atque poſtea Crijg; & ab
illa Ger-man, ab hoc fieri Crijgman in eodem ſignificatu, pro viro nimirum bello ſibi
ſuiſque facultates congregante. Ger-gehou itaque, & ſyncope nobis frequenti admiſſa,
Ger-gou, idem erit quod conſeruatio eorum quæ ſunt congregata: quod nomen firmis
munitiſque arcibus rectiſſimè conuenire clarius eſt, quàm vt ſit monendum. Nec du-
bium eſt, quin Boij ab Æduis admiſſi, eadem de cauſſa qua prius Auerni, & opidum
Auarici nominis etymon ſibi communiuerint, & ab vſu nuncuparint. Auaricum nomine ſuo præfert magnam
antiquitatem, Auwer-ric enim eſt regnum maiorum ſiue regnum antiquius, à quo
proximè aberat Nouiodunum, quod collem nouum denotare dixi, & in Belgis
apud Sueſſiones, & ad Ligerim in Æduis oppidum eiuſdem nominis fuiſſe legi-
Genabū quid ſignificat. mus. Genabum Gallus, ni fallor, vocabat Gentgebou, quo elegans ſtructura deno-
tatur. Gent enim elegans eſt, Bou idem eſt quod ædifico ſiue condo. Vnde Viter-
Viterbum vnde dicitur. bum à Longobardis in maiorem vrbem quàm antea eſſet redactum, Witerbou vo-
catum eſt, è quo Italus Viterbum fecit, magnam Annio ſomniorum materiā ſuppedi-
taturum. Verùm ne nos etiam in ſomniorum regionem abripiamur, his modò opido-
rum exemplis, & iis quæ in Atuaticis explicaui, quæ his addi poſſunt, ſi quis eorum
deſiderio tenetur, nunc contenti fuiſſemus, niſi nos Neomagi nomen inuitaſſet, tum
lata ad plurima opida homonymia, tum etiam clariſſima ſua origine, quæ vel ſola de-
monſtret quàm longè lateque olim linguæ noſtræ patuerit vſus, quamque negari non
Magus terminantia opidorum aliquot nomina. poſſit, Gallicum ſermonem eundem cum noſtrati fuiſſe: quod vt vel peruicaciſſimo
ſophiſtæ, vel academico ſemper ſententiam ſuſtinenti, vel ipſi etiam Pyrrhoni probare
poſſim, idē hic faciam quod antè in Duno feci, vt videlicet opida aliquot cōmemorem,
quæ

quæ ex hac voce formatur. In Germania itaq. ſupra Lycum Druſomagus eſt, vel Kempten opidum hodie vocatum, vel aliud huic olim vicinum. In Gallia Næomagus Tricaſtinorum, nũc Nion fortè nominatum. Vindomagus in Volcis, Borbetomagus apud Vangiones, opidum quod neſcio an ſit Wormatia. Breucomagus Tribocorum, Næomagus Nemetum. Ad Sequanæ dextram ripam Rotomagus Subanectorum, apud Bellouacos Cæſaromagus, apud Vadicaſſios Neomagus, apud Andicanos Iuliomagus, in Vẽdicaſſiis Rotomagus, & rurſus Nouiomagus apud Bituriges, & Næomagus apud Lexubios, ſiue potius vt Cæſar vocat Lexonios: In Britanniæ itẽ Cãtio Næomagus, & apud Caledonios Vacomagus. Iam his omnibus poſterius à Francis ad Vaalim ſiue ſiniſtrum Rheni cornu Næomagus, ſiue potius ad formã Latinam Nouiomagus opidum conditum: quod vt falſò quidam Cæſari tribuerunt; ita vnicè Carolum Magnum delectauit, ſitu longè amæniſſimo.

Druſomagus. Næomagus Tricaſtinorũ. Vindomagus. Borbetomagus. Breucomagus. Næomagus. Nemetum. Rotomagus. Cæſaromagus. Næomagus Vadicaſsiorũ. Iuliomagus. Nouiomagus Biturigum. Næomagus Lexubiorum. Næomagus Britan. Vacomagus. Næomagus ſiue Nouiomagus ad Vaalim.

Quæramus ergo quæ gens hanc vocem ſibi vernaculam hactenus agnoſcat. In hac inueſtigatione homines aut veteris hiſtoriæ cognitione aliquã ſaltem tenus imbuti, aut primis fidei noſtræ rudimentis inſtructi, ſtatim de Perſarum magis cogitabunt. His oppedet Annius Viterbienſis, clamans imperitè eos de rebus iudicare: eò quòd Beroſum vnicum antiquitatis aſylum non cognouerint. Eum namque prodidiſſe Comeri filium Magum fuiſſe nominatum, eò quòd primus Gallos docuerit domorum ſtructuram, atque inde ab auctore ſuo ædificia Magos vocari. Niſi hunc impudentiſſimum nebulonem, cum ipſo etiam omnium mendaciorum patre de nugarũ regno magnis copiis bellum gerentem in Croniis meis ſtrangulaſſem, cogerer hic carnificis officio fungi, & hunc ſacrilegum Gallico Tau affigere, ne veritatis ſacrarium oletis ſuis conſpurcare pergeret. Miſſis igitur illius figmentis citra lõgiorem orationis moram, quæ confutandis illis, qui huius ſeſe fabulis paſcunt, eſſet impendenda; dico **Mag** vocali longa pronunciatum pueris noſtris quamuis rudibus hanc offerre notionem, vt idem intelligant quod Latini nomine cognati audito.

Nouiomagi vocabuli etymon. Mag.

Superiores Germani putant ad affinitatem pertinere; qua in re falluntur egregiè, quia ne inter Magos matrimonij copula cõtrahatur, lege Chriſtiana cautũ dicimus. Deriuatur autem vox à **Mac**, quod idẽ ſignificat quod facio, pro quo Germani ſuperiores vt validius quod ſentiunt efflent, **Mache** dicant. Illi igitur qui ab eodem facti ſunt, **Magen** dicuntur, littera tenui, quæ in **Mac** eſt, in mediam permutata, vt ſit **Mag**. Prima igitur cognatio eſt inter factorem & factum, patrem & filium: qua in re id diligenter animaduertendum, à faciente, non à facto tribui nomen cognationi, cùm Latini à ſimul natis, non à generante ſuũ fecerint cognati vocabulum. Non vna enim neque leui id ratione fecit architectus, immo tanta, quantam mea ieiunitas vix verbis vllis ſit aſſecutura. Natura enim ita comparatum eſt, vt maior ſit amor ipſius patris erga filiũ, quàm filij erga patrem; ſicut maior eſt amor creatoris, quàm omnis amor creaturarum.

Mac. Cognatio.

Heſiodus primùm poſuit Chaos, deinde terram, mox amorem, in prima rerum omnium generatione; quod quî poſſit commodè explicari, non eſt huius loci docere. Parmenides verò ante Deos omnes primùm produxit Amorem. & bene hic quidem. Deus enim accenſus amore bonitatis ſuæ produxit omnia. Non malè ergo dicet, qui aſſeret Amorem omnium eſſe creatorem. Quia verò quicquid boni in nobis eſt, id ab ipſo ſummo bono proficiſcitur, nihil erit quod Deo magis acceptum ferre debeamus, quàm ipſum amorem, qui ad nos eo ordine deſcẽdit, quem creator in creatis collocauit. Sũmus igitur eſt in prima & ſuprema creatura, quã flamante Seraphici ordinis ardore deſignamus; ſecundas inde ordo ſecundus; tertius tertias, & ita deinceps quiſque ſuas amoris partes ſortitur. Eodem modo in cognatione quæ refert imaginem quandam totius vniuerſitatis, principium amoris eſt in patre, qui deinde ad filium, hinc ad nepotem, pòſt ad pronepotẽ, mox ad cæteros deſcendit, pro ſua cuiuſque portione. Nec aliter dixit Alexandri Magni magiſter, maximo quenque operis ſui amore teneri, eò quòd huius aſſertionis ratio ex eiſdem principiis ſit petẽda. Quæ cùm ita ſint, quid cenſes de ſermonis noſtri fabro? An non putabimus hæc ab eo prius bene accurateque fuiſſe perpenſa, quàm nomen **Mag** in hac ſibi notatione formãdum putaret? Ego verò nihil minus perſuaſum habeo, quàm nobis quicquam diuinarũ vtiliumque rerum in mentem venire poſſe, quod ille non perſpexerit & annotarit; nec vnquam mihi ſinam perſuaderi, linguæ noſtræ primordia ſolis ſolius humani ingenij viribus niti. Inditum nobis à natura eſt, vt cognatorum rebus & ſucceſſibus quàm poſſumus

Amor, creator omnium. Cognatorum amor.

ſumus maximam opem feramus, eosque quoad eius ſtudio diligentiaq. noſtra fieri poteſt, ſemper ad ea quæ nobis beatiſſima videtur, promoueamus, cuius occulti inſtinctus cauſſa non ex alio pendet principio, quàm ex illa diuinæ ordinationis idea. Huius ergo amoris, cuius ab omnium rerum creatore participes facti ſumus, caput à patre ad filios, & inde ad reliquos emânat; quo fit vt hæc creationis communio amorem hunc quodá quaſi ſimilitudinis ſigillo confirmet atque ſanciat; & conſequenter naturæ ſit conuenientiſſimum, vt cognationis vocabulum ab eo qui facit & procreat deriuetur, quo intelligamus vnde hoc amoris & caritatis vinculum inter cognatos oriatur: quòd cùm ab ipſa natura non hominibus tantùm, ſed ipſis etiam brutis animantibus, atque vlterius plantis ac rebus etiam non animatis ineſſe cernamus, fateamur neceſſe eſt, ab ipſo primo rerum omnium opifice ipſum proficiſci atque colligari. Quam verò inter homines vtilitatem hæc neceſſitudo & innata caritas adferat, nemini dubium eſſe poteſt, qui modò huius ipſius non prorſus ſit expers, id eſt, qui nõ omnino naturam exuerit humanam. Quis enim ignorare poteſt, maximum in ea momentum eſſe ad hominum cõſeruationem propagationemque. Atque ea de cauſſa cùm apud omnes alias nationes, tũ maximè apud Iſraëlitas diligentiſſimam rationem habitam ſemper fuiſſe cognationũ, tum in connubiis contrahendis, tum bellis gerendis, tum in cæteris omnibus vel domi vel foris neceſſariis ad gentis vniuerſæ conſeruationem. Cæſar de Germanis loquens hæc habet verba: Agriculturæ non ſtudent, maiorque pars victus eorum in lacte & caſeo & carne conſiſtit. Neque quiſquam agri modum certum aut fines proprios habet, ſed magiſtratus ac principes in annos ſingulos gentibus cognationibusque hominum, qui vnà coierunt, quantum eis & quo loco viſum eſt, attribuunt agri, atque anno pòſt alio tranſire cogunt. Hæc ille de Germanis quidem; quorum viuendi ratio minus adhuc receſſerat ab antiqua Scytharum conſuetudine, quorum plauſtra vagas ferebant domos quò paſcendi commoditas inuitaſſet. Verùm quòd illos dicat per gentes ſiue cognationes, quod idem eſt, habitaſſe; id non ita eorum fuit propriũ, vt non Gallis quoque & cæteris Cimmeriis, penes quos eadem adhuc lingua vigebat, in vſu fuiſſe exiſtimemus: quod licet non ex communi nationũ ferè omnium conſuetudine, ex frequentia tamen opidorum quibus à Mago nomen inditum eſt, colligi poſſet. Abeunt vocabula frequenter in deſuetudinem, frequenter etiam ad vicinam quampiam rem detorquentur; quæ res non Germanis modò ſuperioribus, apud quos Mag in hac ſignificatione non vſurpatur, ſed inferioribus etiam, apud quos purior lingua remanſit, vſu venit; & crebrius profectò quàm huic meo antiquitatis inueſtigandæ ſtudio conducat. Hoc autem dum factum ſuſpicamur; vocum origines, deriuationes, & compoſitiones conſulendæ; vel gens ea interroganda, apud quam voces id genus necdum perierunt, cuius præcepti vberrimos fructus perciperemus, ſi quis eam prouinciam ſibi ſumeret ornandam, vt omnium vocum ſiluam, quibus diuerſi Cimmeriorum populi, quorum lingua hactenus necdum omnino eſt corrupta, vtũtur, in vnum volumen coaceruaret: qua via non copia modò ſermonis, ſed intelligentia etiam perditarũ vocum vehementer iuuaretur. Diſcant ergo Germani ſuperiores à nobis quid Mag denotet, videantque quàm recta eius vocis ratio nobis conſtet; cùm nihil aliud Mag ſit, quàm Making, ſyncoptôs in Mag conuerſum. Habemus itaque nũc clariſſimam rationem, ob quam multa vrbium nomina in Magus finiantur; qua contenti ad cætera tranſiuiſſemus, niſi viderentur mihi quidam adhuc obſtrepere atque clamare ſibi ſatisfactum necdum eſſe, propterea quòd non intelligant quid Perſarum Magis rei fuerit cum hac quam dico cognatione, atque idcirco ſibi Annij rationem magis arridere. Hos equidem in vocabulo nobis apertiſſimo vel contemnere poſſem, vel reiicere facillimo reſponſo; ſi dicerẽ aliud Perſis Magi nomen, aliud Gallis notare. Verùm quia hæc nobis oblata occaſio eſt, & ipſa veneranda linguæ noſtræ maieſtas poſtulare videtur, ne hoc ſuum decus celem; faciam lubenter vt hoc loco omnibus ſapientiæ ſtudioſis gratificer, atque rectum ad Palladis arcem iter de Magi nomine monſtrem. Dixi Mag à Mac, quod facio Latinus reddit, deriuari; & cognationi eam ab ipſa natura vim ineſſe, vt neceſſitudinem quandam inter homines gignat & caritatem, atque eam ſigillo quodam à primo parẽte poſteris impreſſam videri. Rapimur igitur omnes hoc ſtimulo, vt maiores noſtros cognoſcamus, atque tandem ad primum gentis noſtræ auctorem perueniamus. At quæ

tandem

tandem in hoc eſt vtilitas,vt & natura nobis hoc œſtrum inquiſitionis addiderit, & ipſe nominum architectus hanc ſibi in cognationis nomine fabricando rationem ſequendam eſſe putauerit? Ingens,ita me Magia amet,atq. ad ſummum factoré deducat. Nam quis non videt hoc inueſtigationis ardore nos paulatim ſurſum rapi, donec ad primum hominem perueniamus; & ab illo ad Deum primi hominis creatorem deduci, à quo ſicut ſumma & prima creandi ratio pendet; ita omnis etiam rerum dependet cognatio. Quoties itaque vel de cognatione ipſa, vel de nomine cognationis cogitamus, veniat in mentem primũ cognationis caput Deum eſſe à quo non hominum tantùm,ſed omnium rerũ cognatio & vnio ſuſpenſa eſt. *Cognationis primum caput Deus.* Ariſtoteles in prima philoſophia non aliud facit, quàm vt vnum ens inueniat, in quo omnia quæ ſunt, eſſe ſuum habeant & vnionem. *Ens Ariſtotelis.* Hæc autem rerum omnium in vno ente vnio, quid aliud eſt quàm cognatio, aut potius magia? Quiſquis igitur in ſingulis & vniuerſis conſiderandis ita verſatur, vt per omnium rerum diuerſitatem primùm ad ſpecies, deinde ad genera, & hinc ad ipſum ens perueniat, is profectò ſummam & principem quærit cognationem; quam vbi fuerit aſſecutus,meritò poterit vocari cognationis peritus, quod Cimmerius diceret **mag-wis**,id eſt,qui habet cognationis ſcientiã,& eam aliis poteſt demõſtrare. Quid enim **wis** ſignificet, in Druidum nomine declaraui: & vt ex **tru wis** fit Truis, ita ex **mag-wis** fit Magus. *Magus, quid ſignificat.* reiecta littera ea quam nec Græcus, nec Latinus, nec Hebræus habet. Quamobrem Magus non malè à quibuſdam ſapiens vertitur; ſed vis nominis nec à Latinis, nec à Græcis,nec ab Hebræis eſt intellecta. Magi enim nomen non ſolùm ſapientiam deſignat,ſed viam etiam ad eam ſtruit rectiſſimam; & illam quidem talem, vt eius ingrediendæ naturale omnibus inſit deſiderium. Cognata ad cognata ferri, mirifico quodam naturæ ductu ſcimus; & apud Platoné legimus,neminem poſſe eius rei ſcientiam conſequi, cum qua nullã habet cognationem. Quocirca admirandum fuit nomenclatoris acumen,quo hanc cognationis vim omnem peruidit,& inde nomen duxit,rectam viã ad ſapientiã monſtrans, dum **mag-wis** pro ſapiente & ſapientiæ doctore vſurpandũ nobis reliquit. Quamuis enim omni cognationi **mag** conuenit; per excellentiæ tamen figuram, dum ſolum ponitur, extra collationé, pro ſumma & principe cognatione accipiendum eſſe,ratio nominis monſtrat;quę nimirũ ab eo dependet,qui ſummus eſt in faciendo creandoque. Nemo igitur Magus dicetur, qui non omné omnium rerum cognationem ad ipſum creatorem deducet,ac ſibi illum ſupremum ſapientiæ ſuæ apicem collocabit. Quamobrem bene Plato dixit, Magiam cultum eſſe deorũ. *Magia, cultus eſt deorum.* Nam qua ratione vel angelos,vel homines in diuorum numerum cooptatos magis venereris, quàm ſi eorum cognationem ſic ſupputes, vt eos cognatos facias ſupremi rerum omnium creatoris? Poteſt eſſe aliqua maior nobilitas,poteſt aliquod maius cogitari generis ornamentũ, quàm à Deo genus ſuum ducere? Iactet Achilles Thetidem matrem, Aeneas Venerem, alius alium deorum; nos ſic genus noſtrum ſupputemus, vt à ſummo Ioue nobilitatem noſtram manare doceamus. Cæterùm ad quid conducit hæc ſupremæ & excellentiſſimæ cognationis notitia, aut quæ tantæ ſunt eius vires,vt abſolutam & perfectam omnibus numeris ſapientiam eius nomine indigitemus? Nempe vt naturæ ductum ſecuti, cognata nobis amemus. Cognatio enim parit caritatem; quod non ex Platone nobis diſcendum, ſed de ſuo cuique animo æſtimandum. *Cognatio parit caritatem.* Huc igitur omnis tendat ſapientia neceſſe eſt, niſi fructu ſuo velit carere, vt & cognatos noſtros amemus, & verò ſuper omnia ipſum amemus creatorem,vt æterno amoris vinculo ei vniamur omnes. Hunc itaque omnis ſapientiæ ſcopum vt clarè nomenclator ob oculos poneret,eo vſus eſt vocabulo, cuius notionem citra caritatem nemo intelligere poſſet,modò communem naturæ ductum ſequeretur. O ſtupẽdum in nominibus fabricandis artificium! Quàm breui compendio & ſapientiam omnem, & omnem ſapientiæ fructum atque finem comprehenſum videmus,quàm conſentanea religioni noſtræ vocibus ſubtexuit documenta,quanto breuiùs, quanto etiã clariùs quàm Plato expreſſit, nullam ſolidam & vtilem rerũ diuinarũ cognitioné haberi poſſe, quàm per cognationem! Obſcuriſſimè enim de hac cognatione locutus eſt, & dicere viſus in quibuſdam hanc cognationé acquirendæ ſapientiæ neceſſariam non inueniri: quod ſi ſenſit, malè ſenſit, quandoquidem omnibus cognatio ineſt;& huius cognationis ſtimulis agũtur ad cognationis exordium cognoſcendum,ſed alij magis,alij minus, pro eo atque ſenſum quis habet vel ob-

tuſiorem vel ſubtiliorẽ. Cæterùm perpauci quò rapiantur innato hoc œſtro intelligũt, & idcirco in carnali cognatione conſiſtunt, nec in ea quidem altè progrediuntur, longiſſimè terrarum & cælorum ab eo ſubſiſtentes, cui vera ratio nominis, quo mag vocatur, queat propriè & primo applicari. Ducimur enim vel inuiti omnes amore quodam & caritate cognatorum. Sed ad quem finem hic amor nobis inſitus ſit, non omnes videmus, quoniã pleriſque viſum ſit eũ dumtaxat cõducere ad generis & ſanguine proximorũ conſeruationem. Aiunt Pythagoram ſapientis ſibi nomen ſumere noluiſſe, &

Philoſophus.

de profeſſione ſua interrogatum reſpondiſſe, Philoſophum ſe eſſe, quo ſapientiæ ſtudioſum & Plato, & Cicero, & cæteri omnes, vt opinor, intellexerunt. Nec malè illi quidem. Verùm nec abſurdus mihi videretur interpres, qui philoſophũ redderet hominem amoris cognitione ſapientiaq. præditum. Plato amorem philoſophũ eſſe dixit;

Amor, principium & finis totius humanæ ſapientiæ.

nos eum & principiũ & finem totius humanę ſapientiæ collocamus: principiũ quidem, quia cognationis amor à natura nobis datus, primus eſt ſtimulator, vt ad caput cognationis rerum omniũ contendamus: Finis verò, quia inutilis eſt omnis cognitio, niſi per eam ad amorem adſpiremus, & eo tãquam glutino quodam ipſi, qui omnia creauit, adhæreamus. Deus caritas eſt, qui in caritate manet, in Deo manet: atque citra hanc nec fides nec ſpes, nedum humana ſapientia quicquã prodeſt. Huius igitur amoris cognitio vera eſt philoſophia, ad quã vt contendamus, cognationis amor nos incitat, & hoc ipſum à nomenclatore in vocabulo mag eſt declaratum. Quamobrem mag-wis, & ad incudem Latinam vocato nomine, Magus dicetur cognationis peritus; qualis nullus eſt, niſi norit & rerũ omnium cognationẽ, & per eam ad ipſum creatorẽ non aliter ducatur, atq. vox mag ad mac, id eſt, cognatus ad factorem; & ei ſic adhæreat amore deuinctus, vt ſummo cognationis auctori. Per hanc itaq. viã homo ad ſupremũ felicitatis ſuę finẽ ducitur, & hoc cognationis amore tanquam pedibus vti debet in hoc itinere cõficiendo. Quem vſum cognationis animaduertens nomenclator, nomen mag ſic fecit, vt non ſolùm à factore tanquã à fonte ſuo deriuaretur, ſed etiã vt cõuerſum, pedem notaret, instrumẽtum homini datũ ad eundẽ; quo videlicet moneremur nos cognatione ita vti debere, quò ea tanquã pedibus ad vltimum noſtrum finem perueniremus. Obſtupeſco referens diuinũ artificium; dignum certè diuino inſtinctu, à quo ad nomenclatorem veniſſe ſi quis

Gam.

dubitet, is experiatur, an in vocibus fingendis ſe parem præſtare poſſit. At dices, gam pro pede in vſu non eſt. Fateor equidẽ, ſed fuit. In Hermathena docui, voces in matrice aliqua lingua abolitas, ex ea lingua reſtitui poſſe quæ de matrice lingua manaſſe ſcitur.

Lingua Italica nata è Latina & Germanica: Gallica è Romana & Francica. Gambe. Gamba.

Quis ignoret, ſermonẽ eum quo nunc Itali vernaculo vtuntur, natum eſſe è Latina & Germanica lingua, qua Goti & Langobardi vtebantur; ſicut eũ quò Galli nunc vtũtur, è Romano & Frãcico. Promptũ igitur fuerit iudicare, quæ vox è Latino ſermone, quę ex alio deriuetur. Cùm igitur Galli *Gambe* dicũt, Itali *Gamba*, & ambo in eadem ſignificatione pro pede; atq. eius vocabuli apud Latinos nulla ſit origo, par eſt credere, de Germanico ſermone, quẽ Goti & Franci loquebantur, id remanſiſſe. Iam etymologia idem demõſtrat, propterea quòd ga-me, à quo gam per apocopẽ, ſicut à for-mat form, idem ſit ac ſi Latinus diceret, id quo itur. Pes ergo, quia eo itur, optimè gam ſiue game dicetur. Vnde *Gambe* & *Gamba* apud Gallos & Italos. Porrò quia nominum architectus ſic vocabula formauit, vt primo primis in quoq. genere rebus cõuenirent; videamus, quę ſit itio homini primaria. Quæ alia rogo, quàm ea quę ad vltimũ ſuum finem pertingit? At quo pede ad hũc perueniet? Nõ alio haud dubiè, quàm eo quẽ dixi, ipſa nimirũ cognatione, quæ nos deducit & portat, veluti pes quidã fidiſſimus ad ipſum creatorẽ vniuerſorum. Quò verò clarius cernatur, ea quæ de Magia dico, cũ veritate conſentire; quæramus quis

Magiæ primus inuentor Zoroaſter.

primus eius inuentor celebretur. Plato, cuius auctoritate libenter vtor, Zoroaſtrem, vt primũ eius laudat magiſtrũ, aiens eum fuiſſe Oromazæ filiũ; à quo nemo diſſentit cæterorum, qui de Perſarũ ſapientiæ principio quæſiuerũt. Verùm, quod frequenter monui in Orpheo & Mercurio Triſmegiſto eueniſſe, vt ij homines quidã certi fuiſſe credantur, cùm nihil minus ſit exiſtimandum; idem accidit in Zoroaſtre. Sicut enim Orpheus quemuis aurium moderatorem, & Mercurius quemuis excellentem conſideratorem

Zoroaſter vnde dictus. Zo. To. Or.

ſignificat; ita Zoroaſter eum notat, qui citò ad omnium rerum originem mentis oculos dirigit. Zo enim idem eſt quod ad. Dicimus enim Zo & To; ſuperiores Germani Zu ſcribunt. Or vocali longa primum principium vnde omnia manant, ſignificat,

ratione

ratione ea quam in Hermathena explicaui; vnde Latinis origo & ordior remanſit. 𝔥𝔞ſt idem eſt quod citò ſiue velociter; & dum vt verbum vſurpatur, idem quod feſtino. Hebræos inde ſuum אץ mutuatos eſſe, formula conuerſionis vocum noſtræ linguæ propria declarat, qua fit vt 𝔥𝔞ſt & ſtal) ſint contraria. 𝔖𝔱𝔢𝔯 verò ſignificat intentis oculis atque fixis inſpicio. 𝔃𝔬-𝔬𝔯-𝔥𝔞ſt-ſ𝔱𝔢𝔯 igitur compoſite Zooraſter, is eſt, qui ad primum omnium rerum principium citò velocique curſu mentis oculos dirigit: quod quid aliud eſt, quàm celeri diſcurſu per cognationem rerum ad ipſum contendere creatorem? Hinc nemini dubium eſſe poteſt, optima ratione factum eſſe, vt qui nos hanc ſapientiam, qua omnia ad primum opificem referuntur, docet, Zooraſter, vnde corruptum eſt Zoroaſter, vna littera tranſpoſita, vocetur. Fingunt verò Oromazæ filium fuiſſe, eo quòd omnis præceptorum auditio hac menſura contineri debeat, vt quicquid auditur, id rectà & ſtatim dirigatur ad creatorem. 𝔥𝔬𝔯 vocali longa eſt audio, ab 𝔬𝔯 quod in Hermathena doceo mirifica quadam admonitione duo nobis ſignificare: primum videlicet omnium rerũ principium & ipſum audiendi inſtrumentum. Quam homonymiã propterea molitus eſt architectus vocabulorũ, vt nos doceret, aures nobis ad hoc præcipuè datas eſſe, vt earum beneficio originẽ rerum omnium diſceremus. Ariſtoteles auditum plurimũ facere ad rerum omniũ intelligentiã optimè quidem dixit; at multò rectius nomenclator vna ſyllaba nos docuit, aures primùm ad omniũ rerum originem pertinere, à qua ſi aberrent, ne nomen quidem ſuum poſſe tueri. Ab 𝔬𝔯 Latinis Auris manſit, citra etymologiæ cognitionem. Siue igitur Horomazem ſiue Oromazem dicamus, eodem notatio pertinebit. 𝔐𝔞𝔱 menſura eſt, à quo in ſecundo caſu 𝔪𝔞𝔱𝔰, ſuperiores maſſ in recto ſcribunt ſuo more ſibilantes. 𝔥𝔢𝔱 vocali longa caput eſt, Britannis vſitatum & apud antiquos frequentiſſimum. Hinc igitur 𝔬𝔯𝔪𝔞𝔱𝔰-𝔥𝔢𝔱, & compoſitè 𝔬𝔯𝔪𝔞𝔷𝔢𝔱, caput eſt eius menſuræ, qua aures ſunt regendæ: quod ſi 𝔥𝔬𝔯𝔪𝔞𝔷𝔢𝔱 dicas, caput ſignificaueris menſuræ obſeruandæ in audiendo. Oromazes itaque terminatione Græca, & o interiecto ad ſuauitatem, princeps rerum omnium moderandarum, quas audire debemus, vocatus eſt, à quo, velut à patre, ſiue quod idem eſt in hoc genere, à præceptore proceſſit Zoroaſter, is nimirum qui ab illo didicit in omni conſideratione rerum mentis aciem ad originem citra moram eſſe dirigendam. Verùm audire mihi videor: Quid malùm tu nugaris? Ex Gallico ſermone nobis Perſica vocabula interpretaris? Ego verò tibi, quiſquis es qui hæc obiicis, de Perſica lingua nihil reſpondebo; ſed te amandabo ad Indoſcythica mea, quibus doceberis, Nochum Indum fuiſſe, in ea regione natum, in qua nec olim, nec hac ætate vitis ſua ſponte nata cernitur; atque inde arca deuectum ad Septentrionis plagam, citra Paropaniſum tandem conſtitiſſe atque deſcendiſſe ad Margianam, in qua cum tanta vitis ſua ſponte creſcat, vt eam vix duo homines complecti queant, quid miri illic primùm ab ipſo vinum inuentum fuiſſe? Qua de re tota Dionyſiacorum commenta profluxerunt. Aucto deinde genere humano, terram ſic partitum fuiſſe, vt in herciſcunda familia Sem & Cham alias regiones quærere deberent, & Semo quidem Aſia extra Taurum, Chamo tota Africa daretur, Iapeto Aſiæ pars ſeptentrionalis Tauri & Caucaſi iugis comprehenſa maneret; atque ita factum eſſe, vt Iapetus in Margiana & Bactriana principio cum patre vti filius cariſſimus permaneret, nec vnà cum reliquis commigraret ad campos Sennaar, vbi in veſana monſtroſæ turris ſtructura diuino miraculo linguarum facta eſt confuſio. Hinc itaque contigiſſe, vt linguam integram retineret, atque ſolus paternæ doctrinæ & vetuſtæ ſapientiæ, iam inde ab Adamo vſque per manus traditæ poſſeſſione frueretur: quæ cùm ex cognatione rerum oriretur, & præſertim ea qua genus humanum deuinctũ eſt cum ſuo creatore; non eſt admirandum, ſi ſcriptum inuenìamus, Magiam e Bactriana ortam eſſe, atque inde à Zoroaſtro Oromazæ filio, id eſt, à Iapeto Nochi filio cariſſimo, quibus hæc nomina in primis, & deinde eorum poſteris maximè conueniunt, ad Perſas veniſſe. Non eſt ergo cur quiſquam abſurda me tradere clamitet, ſi nomen Magiæ ad eorum referam ſermonem, à quibus diſciplina promanauit. Quis erit nunc noſtratium, qui tam plumbeis ſit ſenſibus, vt non commoueatur & incitetur ad maximas laudes Deo optimo maximo agendas, tum quòd nobis linguam primam conſeruauit, tum quòd, quamuis è ſanguine Iſraëlitico carnem aſſumere vellet, tam benignum tamen erga genus noſtrũ ſe præſtiterit, vt ei ſingulari & præcipuo ab omni ſeculo indici

Origo.
Ordior.
𝔥𝔞ſt.
𝔖𝔱𝔢𝔯.
Oromazæ etymon.
𝔥𝔬𝔯.
𝔒𝔯.
Auris.
𝔐𝔞𝔱.
𝔥𝔢𝔱.
Nochus Indus ex India deuectus arcâ ad Septentrionis plagam, &c.
Margiana regio
Nochus terram partitus filiis.
Iapetus Nochi filius cariſſimus cum patre permanſit in Margiana & Bactriana, & linguam integram retinuit, &c.
Magia apud Bactrianos orta.

demonſtrarit, filium ſuum Deum & hominem in Iudæa natum eſſe; atque eam fidem cõceſſerit, qua donis ſuis thure, auro & myrrha omnibus hominibus oſtenderent Deũ & Regem & hominẽ in viliſſimo tugurio à mortali matre editũ eſſe. O nos felices, qui & à Ianigenis duximus genus, & linguam conſeruauimus, qua ea tradita eſt doctrina, cuius magiſtris Deus monſtrare dignatus eſt deſideratum illud ab omni ſeculo tempus tandem aduenisſe, quo ſalus humani generis naſceretur. O feliciſſimos, ſi in ea religione, cuius exordia tam benignè Magis oſtendit, eam nobis gratiam concedat, vt per carnẽ aſſumptam humano generi cognatã, nos in diuorũ numerum aſſumat. Notate, quæſo, diligenter, quò nos Magi nomen deduxerit, quàm alta prodiderit myſteria. Dum eum Magum definimus, qui cognationis & peritus eſt & præmonſtrator; num dignior hac nomenclatura quiſquã videtur, quàm ipſe Deus, qui Magis eam cognationem mõſtrauit, qua nulla vnquã aut fuit aut erit excellentior? Magna fuit illa prima & præcipua quædam hominis & Dei cognatio, per quam homo factus eſt ad ſimilitudinem & imaginem Dei; ſed infinito maior & præſtantior poſterior illa cognatio, qua Deus priorem cognationem fœdiſſima noſtra macula contaminatam, non ſolùm reſtaurauit & priſcæ reddidit integritati; ſed ſic etiam auxit, vt miraculo omnia miracula excedente carnem aſſumpſerit humanam, per quam ei non modò tanquam factori, ſed etiam tanquã fratri cognati eſſemus. Laudent alij nomen philoſophi, nos dicimus nullam vocem inueniri poſſe veræ ſapientiæ ſignificandæ magis idoneam, quàm Magiæ nomen. Vana enim eſt & inutilis omnis mundi totius ſapientia, niſi nobis oſtendat hãc vltimam & ſupremam cognationem, quę ſola excellentiſſimo prorſus modo cognationis nomẽ meretur. Diuinam omnino ſententiam Plato pronunciauit, & infinito quidẽ diuiniorem quàm ipſemet intellexerit, dum dixit, neminem eius rei cum qua cognationem non habet, integram notitiam habere poſſe. Nam niſi hanc ſupremam cognationẽ, quam Magis Deus ipſe Magorum ſummus indicauit, cum Deo haberemus; nunquã veram Dei aſſecuturi fuiſſemus cognitionẽ. O pater noſter, ò cognate noſter optime maxime, qui propter cognatos tuos mortis laqueis irretitos, mortẽ in cruce ſubiuiſti, vt quos creaueras ad imaginem tuam, eos culpa ſua perditos iuſtitia tua liberares; fac nos tales, qui ſolus id potes, vt tecum in regno tuo ſempiterno, ſempiterno cognationis noſtræ fructu perfruamur. Obſtupeſco & attonitus hæreo, dum hanc diuinam mecum cogito bonitatẽ, qua nos ad eam euexit dignitatem, vt Dei cognati dici queamus, longè excellentius quàm vel ipſi Seraphici ſpiritus, perpetuis diuini amoris flamis ardentes. Vide quò noſtra euaſerit cõtemplatio, quàm magni eos conuincat erroris, qui Magiæ nomine neſcio quas inſanias hominum dementiſſimorũ intelligendas putauerunt. Reuerentius de Magis cogitandum, quibus Deus multo clarius, quàm vlli prophetarum, ſi Ioannem Baptiſtam & Simeonem excipias, ad oculum demonſtrauit ingens illud myſterium ſalutis humanæ. Quamobrem ne nos etiam in hoc ſanctiſſimo conſiderationis adyto quippiã peccemus; cohibeamus linguam, & tacita veneratione de cognatione omniũ principe cogitemus, & ea tanquam pedibus vtamur ad ſupremum felicitatis noſtræ finem conſequendum, pro eo atque mag retro lectum adhortatur. Mag igitur cognatum eſſe, & non domum vel tectum, atque à mac deriuari, ſatis oſtenſum eſt. Hebræi vocem hanc conuerterunt גם dicentes pro populo, eo quòd populus è cognatis conſtet, atque per tribus & cognationes habitet. Plurima id genus nomina inuenias apud Hebræos euerſa, perinde atq. contrario ordine litteras & legunt & pingunt. Litterã autem Hebræis decimam ſextam Gamma ex imo gutture pronunciatum ſonare, cùm alibi, tum in hieroglyphicis trado. Videmus itaq. magen in prima lingua gentiles vocari, id eſt, homines eiuſdẽ gentis, atq. inde factum, vt multa opidorum nomina hac voce terminarentur. Et quamuis hoc vocabulũ euerſum ſit apud Hebræos; verã tamẽ nominis rationẽ docere in noſtra lingua, quã nulla Babylonica cõfuſio mutauit, eius vſum & prius multo fuiſſe, & hactenus manere. Quemadmodũ verò à dun & mag multa opidorũ nomina deriuãtur; ita & à meiden Mediolanũ multis locis inuenitur, in Britãnia videlicet, in Gallia, apud Xantones ſemel & iterum, apud Aulercos in Saxoniæ ea parte quæ nunc Weſtphalia vocatur, & rurſus apud Allemanos. Quid verò nomẽ hoc ſignificet, ex ea vrbe licet cõiectare, quæ apud Inſubres tenet principatũ, quam Germanicè Mei-lant vocamus, id eſt, regio ſuppeditans magnã copiam metendorũ. Meien enim ſiue meiden, idem eſt quod metere & deſecare: & dum

Magus qua ratione dicatur Deus ipſe.

Mediolani etymon.

Meien. Meiden,

dum vt nomen in vſum venit, mein, ſunt virides rami præfecti ad virorem & vmbram
parandam. Dicimus auté ſine diſcrimine mai & mei. Vnde Latini è priſca lanigenarum *Maius menſis.*
lingua nomen menſis Maij retinuerunt, eo quòd is virides ramos & virentia prata ad
metendũ idoneã ſuppeditet. Hinc מזמר apud Hebræos pro falce. Mediolanũ monet me
Bergomi, vrbis non valde procul inde diſſitæ, cuius nomen domũ montanã ſignificat, ab *Bergomi etymon.*
hu-om, id eſt, vndique cuſtodio & tueor; qua voce Angli hactenus vtuntur: nobis eius
vſus extra compoſitioné periit, qui huis & heim, pro hom dicimus; & Berg heim pro Berg- Hom.
hom; quo nomine vicus eſt inſignis in Antuerpiæ ſuburbano. Berg mons eſt, & quiuis lo- Heim.
cus in quo quis ſeſe tuetur. In Anglia quid hum ſit, quiuis intelligit, & nuſquam hodie Berg-heim. Berg.
plura pagorum nomina in hanc vocem exeuntia, quàm apud Friſios reperiuntur. Fuit
& Alp ad monté notandũ in vſu. Seruius Alpeis pro altis montibus Gallicũ vocabulum Alp.
eſſe ſcripſit. Nobis Alp-iis ſiue alpeis ſignificat glaciem montiũ, quo fit vt Alpeis propriè *Alpium etymon.*
glaciales montes vocentur. Alp ex al-op, id eſt omnino ſupra, componi, in Saxonicis me-
mini me tradidiſſe. Sed iam nimiũ multis exemplis docui, Gallicã linguam cum Cim-
meria eandem prorſus fuiſſe; atque id quidem conuenientiſſima contigiſſe ratione, eo
quòd à Gomero genus eos ducere grauiſſima Ioſepi conſtet teſtificatione. Hinc Dio-
dorus Siculus excuſandus, qui Gallos & Germanos tam ſuperiores quàm inferiores
communi nomine Galatas vocauit, aiens Danubium & Renum & Rodanum per Ga-
latiam fluere, & à Cæſare Reno tranſmiſſo Galatas Tranſrenanos victos fuiſſe.

GALLICORVM

LIBER II.

QVONIAM modò illorum mihi ſententiam ſatis videor profli-
gaſſe, qui Gallorum linguam ad Græcas, non Germanicas ori-
gines pertinere libris editis docuerunt; nihil amplius obſtaculi
reſtat, quò minus nunc Gallorum nomé de vernaculo ipſorum
ſermone declarem, & oſtendam verè Druides tradidiſſe, vetu-
ſtiſſimũ ſuum parentem Ditem fuiſſe: quod dum faciã pro eo
ac debeo, mira gentis antiquitas, & quam Romani etiam ſint
veneraturi, è tenebris Cimmeriis & Plutonis veſtibulo in cla-
rã diem protrahetur; & ea quidem maioré lucem Latinis ho-
minibus allatura, quã quiſquã hactenus exiſtimarit. Primùm tamen eius in menté ve-
nire debet axiomatis, quo modò ſæpius vſus ſum, Voces nimirũ pluribus linguis com-
munes ei eſſe primogenias, in qua optima earũ ratio reperitur. Quando itaque demõ-
ſtraturus ſum, Gallum à Caio nomen accepiſſe; recto docẽdi ordine non proceſſero, niſi
quid Caius ſignificet, ac cui linguæ debeatur, prius explicarim. Quò igitur de vocis
huius & ſono & ſcriptura cõſtet, à Quinctiliani verbis ad hanc rem propriè ſpectantibus
exordiar. *Quid*, inquit, *quæ ſcribuntur aliter quàm enuntiantur? Nam & Caius C littera
notatur, quæ inuerſa mulierem declarat, quia tam Caias eſſe vocitatas quàm Caios, etiam ex
nuptialibus ſacris apparet. Nec Cnæus eam litteram in prænominis nota accipit, quã ſo-
nat.* Hæc ille. In quibus quæ ſint nuptialia ſacra, quorum teſtimonio nititur, Plutar-
chus in quæſtionibus quas de ritibus Romanorum diſputauit, docebit. Interrogatur
enim apud eum, Cur ſponſam introducentes dicere iubent; *Vbi tu Caius, ego Caia.*
Sollemnis ergo hæc verborum formula, quibus pronubæ mulieres ſponſæ præibant, no-
tiſſima illa quidem fuit apud Romanos; ſed quid ea ſignificaretur, nec Plutarchus eſt
aſſecutus, nec quiſquam eorum quos interrogaui (& interrogaui doctiſſimũ quemque
humanioris litteraturæ) quicquam vlterius potuit iis quæ Chæronei diligentia in me-
dium propoſuit, adferre. Nec interim cuiquam meam hac de re ſententiam commu-
nicaui, qui non vehementer eam probaret, atque omnibus modis retinendam arbi-
traretur. Ac quamuis ad Romanas origines in lucem vocandas, præcipuè propriéque
ſacri huius apud priſcos ritus explicatum ſpectare ſciam; condonabit tamen æquus

lector, ſi ad Gallici nominis illuſtrationem hanc fuero ex Romanorũ antiquitate facem mutuatus: aut potius gratias mihi agat maximas, quòd Latinis hominibus è Gallico ſiue noſtrati ſermone viam ſim commonſtraturus; quã ſi ingrediantur, ad veras vocũ ſuarũ origines, quas nec Varro, nec Cicero, nec Cæſar, nec Meſſalla, nec quiſquam omnino nouit cæterorum; certiſſimo compendio, rectiſſimaque ſemita poterunt peruenire. Cogor equidem dum varias Cimmerij generis nationes ad primos ſuos ortus vocare contendo, frequenter in eadem incidere argumenta, propterea quòd ex iiſdem initiis propagata, ad eadem initia debeant referri. Multò ſanè facilius ab ipſo diluuio totum Ianigenarum genus in gentes ſuas partiri potuiſſem, niſi & prima his de rebus ſcribendi occaſio, & præiudicata multorum auctoritas opinionem meam in reſtituendis hiſtoriis prorſus repellens, inſinuatione longiſſimè petita vti coëgiſſet: quæ cùm alibi in ordine præuaricari compulit, tum & hoc fecit, vt prius de Francis quàm de Gallis ſcribendum mihi putarim; & iterum prius de his, quàm de Latinis; eo quòd hos quàm illos difficilius pertractum iri ſciam ad hanc, quam eruere conor, veritatem. Iam quid vetat, cur mihi non æquè liceat ad varias concluſiones eadem adferre principia, atque Mathematicis ex eiſdem axiomatis varia ſtabilire & problemata & theoremata: quod niſi fieret, non modò nulla eſſet vel cæli vel terræ dimetiendæ certa doctrina, ſed nec omnino via & ratio vlla, ad artem aliquam tradendam, inueniretur. Habent ſingulæ ſcientiæ præcipuos quoſdam ſuos demonſtrationum modos, quos qui non animaduertit atque diligenter diſtinguit, is in ſcriptis iudicandis nullam æquam poterit ferre cenſuram: quod niſi mihi credatur, Peripateticorum magiſtrum aduocabo, quò ſententiam meam calculo ſuo confirmet. Dionyſius Halicarnaſſæus in antiquis gentium originibus è Lethæis vndis expiſcandis, non alium inuenit hamum certiorem, quàm eum quem linguarum eſca induiſſet: quod qui neſcit, primum eius antiquitatum Romanarum conſulat librum. Cùm igitur & nos Iano, & Comero, & Aſcanio ſuos velimus poſteros è diuturna multorum ſeculorum caligine vindicare; quid ni linguæ veſtigia conſequamur, & eas optimas demonſtrationes putemus; quas ex antiquiſſimis antiquiſſimi ſermonis reliquiis, diligentia veterum ſcriptorum conſeruatis, eliciemus. Quamobrem de Caij nomine duæ nobis inſignes notæ offerentur, altera, qua ad Gallici nominis ducamur ſignificationem; altera, qua demonſtretur, linguam Latinam è Gallica manaſſe, atque inde coniici, ad eandem primam ſtirpem vtramque gentem pertinere. Quod cùm viderem, diu multumque dubitaui, An Romanæ & Gallicæ antiquitates mihi coniungendæ eſſent, an hæ prius, deinde illæ in lucem vocandæ. Non facilè profectò ſic poterunt diſſociari, vt non hæ frequenter in illas, illæ in has incurrant. Sed quia promptius apertiuſque docetur, Gallos ad Gomerum, quàm Romanos ad Iapetum genus referre, cùm quotquot ante me de his rebus quicquam litteris prodiderunt, Ianum non Iapetum, ſed Nochum eſſe exiſtimarint, à clarioribus mihi ad obſcuriora progrediendum putaui. Acceſſit & altera ratio, adeò non contemnenda, vt ſola plus habeat quàm cæteræ omnes momenti. Vetuſtus Cimmeriorum & Ianigenarum ſermo apud Romanos totus fere eſt immutatus, cùm is apud quoſdam hactenus, Gallos puta Belgas teutonicè loquentes integer ſeruatus, claram nobis det interpretationem plurimarum vocum, non illarum modò quæ apud priſcos Gallos fuerunt in vſu, ſed earum etiam quas hactenus Romanus ſermo non ſic variauit, vt radices matricis linguæ prorſus obſcurarit. Inter has Caius eſt, vox vt à Latinis frequenter vſurpata; ita ad nullam ſanam redacta notionem, quam de Gallico ſiue Cimmerio ſermone interpretabor, qui primus fuit in Italia poſt diluuium Ianigenis & Cimmeriis ab Homero celebratus vernaculus, atque idcirco iuſtiſſimus primogeniorum apud Latinos nominum vindex & aſſertor. Caium itaque Quinctilianus, & priſca in enunciando conſuetudo demonſtrant non per C, ſed per eam litteram ſcribendum fuiſſe, cuius vis in pronuntiando ſentitur. Hinc mox perſpicuum fit, Gaius à Gal dici, & hic eam ſeruari diphthongum, cuius apud Latinos, nullus alibi reperitur vſus: Tametſi de vetere adhuc lingua hæc apud poëtas relicta ſit poteſtas, vt genitiuum caſum nominum primæ declinationis ſic ſoluant, vt non prima & ſecunda, ſed prima & tertia vocalis in complexione fuiſſe videatur. Dicunt enim Aulaï & Aquaï, non Aulaë & Aquaë; quæ notiora ſunt, quàm vt egeant vllius admonitionis. Nolui

Gaius & Gaia, vnde deriuentur.

tamen

tamen id negligere, quò ſcirent omnes, hanc diphthongum integram nobis manere, atque cùm ex hac, tum è cæteris omnibus, quas vt ſcribimus, ita proferimus, iudicarent; vtrum vitium fecerit lingua noſtra, an Latina. Gai vt pleræque aliæ voces geminam notationem habet; alteram vt verbum, alteram vt nomen: illam pro placeo, hanc pro eo quod placet. Quo autem modo quaque ratione nomen gai compoſitum ſit, & quæ ab eo deriuentur, quamuis ſatis prolixè in Hermathena mea explicarim, non grauabor tamen hoc loco ſummatim indicare miram huius vocis & vim & compoſitionem. G littera perfectionem & finem notat, A motionem ad quippiam, vnde ga idem ſignat quod Latinis eo. Motum enim entelechiam eſſe entis in potentia vt eſt tale, de Peripatetica auditione diſcimus: quod ipſum quid aliud ſibi vult, quàm id quod ga de natura litterarum expreſſit. Huic voci ſi iota addas, quo non ſubtilitas tantùm ad omnia facilè penetrans, ſed iucunditas etiam quædam denotatur & voluptas, qua nihil eſt ſubtilius ad ſe inſinuandum intimis penetralibus, non hominum modò, ſed animantium omnium, ſed ipſorum etiam ſpirituum corpore ſenſibuſque carentium, ſed fortaſſis etiam corporum omnium inanimatorum; efficietur vocabulum gai, id notaturum, quod vi quapiam ſua ſic nos penetrat & efficit, vt ſummo quodam adeundi eius potiundique deſiderio trahamur. Deinde latet altera quoque ratio in hac voce, quæ cognoſcetur reſolutione ea vt ſit ge-hai, id eſt, ad habendum, qua videmus gai illud eſſe quod vt habeamus teneamuſque, optamus. Hoc ſi conuertas, Jag habebis, geminæ notationis vocabulum; prioris quidem, vt idem ſignificet quod depello, contrario litterarum ordine contrarium ſecum ducente; alterius, vt idem ſit quod magno deſiderio perſequor: quo quidem modo ad earum vocum claſſem refertur, quas ichnæas vocare conſueui. Quod enim ſua natura tale eſt, vt omnia ad ſe trahat & inuitet, id primario iure gai dicetur: quod ſi retro per veſtigia legas, doceberis hoc ſummo ſtudio ſequendum ſemper eſſe. Pulchritudinem autem ſummopere placere omnibus, eiuſque illicibus maximam attrahendi vim ineſſe, atque hinc Venerem Vraniam, per quam nobis mirifico illo Veneris die omnis pulchritudinis ſplendor affulſit, propriè Gaiam dici poſſe, ibidem tradidi; adiecto & illo, cælum à Caio nominis ſui partem mutuari, nec aliud illa voce notari, quàm & corpus ſummæ pulcritudinis circulari motione delatum, & ſummè pulcrum vndequaque. quod intelligitur, ſi Cai-hel-om, compoſitionis partes conſiderentur. Cælum porrò euerſo ordine perlectum, vt ſit Mu-laec, demonſtrare hoc corpus expers eſſe omnis defatigationis: quod vocis artificium qui clariùs cupiet intueri, Hermathenam adeat. Inter homines verò docui, viro ſic placere vxorem, vt matre atque patre deſertis, ad eam ſolam totus anhelet ac feratur. Indidit enim Deus occultiſſimas quaſdam & ſubtiliſſimas, vt ita dicam, iyngas mulieri, quibus incitamur & rapimur, quò ea potiamur, quibus à viribus Vrauw dicitur, quaſi vro-hauw, id eſt, lætitiam & iucunditatem conſeruans: cuius conuerſione maritus monetur, vt ſibi caueat & rectè ſe cuſtodiat. Nam war-v, idem eſt quod cuſtodi te. At ſi V conſonantem, non in vocalem, ſed in F transferas, quod nobis eſt vnum de frequentiſſimis in vocum terminatione formanda; per veſtigia verſæ dictiunculæ cognoſces feminam eſſe id quod homo ſtatim ab initio ſimul ac creatus eſſet, vltra priores corporis & animi dotes acquiſiuit, eo quòd warf idem ſit quod acquirebam, à werf ſiue weruè, quo ſignificatur wi erf, id eſt, poſſeſſionem ſiue hæreditatem amplio. Mulier itaque vt prima fuit poſſeſſionis noſtræ ampliatio; ita vnicuique diligenter curandum, vt vrauw ſit warf, id eſt, poſſeſſionis augmentum & dilatatio. Cùm igitur Spiritus ſanctus hanc vocem ſermonis architecto inſpirauit, multa ſimul monuit tum prorſo, tum verſo litterarum ordine obſeruanda; illo quidem, vt iucunditatis conſeruationem in ea retineret; hoc verò, vt ſe cuſtodiret atque procuraret, vt bonorum acceſſio per mulierem, non detractio fieret: quæ ſi Adamus, pro eo ac debuit, accuratè conſideraſſet, ac deinde perpetuò obſeruaſſet, numquam in eas quarum reliquiis affligimur, incidiſſet calamitates. Sed hæc alterius loci. Cùm igitur Deus hanc inter virum & mulierem copulam princeps ſanxerit, non poteſt fieri, quin vir à natura ſua inſtigetur ad id habendum quod opifex ad ipſius ſocietatem iucunditatemque creauit. Mulier itaque hac ratione placens, vt ei vir tanquam vxori ſuæ cupiat adhærere, Gaia dicetur. atque is hactenus apud nos huius vocabuli vſus eſt, nō modò dum de

Gai.

Jag

Gaia Venus Vrania.

Cælum vnde dictum

Vrauw vocabulum vnde componatur, & quid ſignificet.

Warf.
Werue.

 homi-

Gaien. hominibus, ſed tum etiam cùm de brutis animantibus ſermo eſt. Hinc verbum Gaien
ſic vſurpamus, vt idem ſit quod marem feminæ in quouis genere ad generandum con-
gregari. De auiculis autem loquẽtes hypocoriſticôs in re parua, voce vtimur diminuen-
Gaiken. te, Gaiken, pro ſocio aut ſocia dicendo. Cùm igitur terra omnem vim genitalem à cælo
accipiat, meritò à primis Ianigenis & eorum maioribus Gaia dicta eſt. quam vocem
Græci hactenus ſeruarũt, ignari interim quid cauſſæ ſit vt terra hoc nomine indigitetur.
Ex his modò liquere puto, quid ſibi verba illa in nuptiis ſollemnia vellent, *Si tu mihi*
Gaia terra. *eris Gaius, ego tibi ero Gaia.* Quid enim aliud his noua nupta mariti domum intrans
dicebat, quàm, ſi tu talem te præſtabis, vt mihi placeas iucundusque ſis; ego viciſſim
me tibi placidam iucundamque vitæ ſociam præſtabo. Et optimo ſanè iure hac ver-
borum formula vtebatur, eo quòd ſicut maritus vxorem ducit, ita eum cùm in aliis ho-
neſtis officiis, tum maximè in hac vitæ communis iucunditate præire par ſit, & ſe hila-
rem, alacrem, venuſtum, atque in ſumma omnibus modis placidum ſuauemque exhi-
bere: quod niſi faciat, non eſt cur expoſtulet cum quoquam ſi vxor ſe non gerat
Gaiam. Non parui profectò momenti conditionem ſponſa ſponſo duabus vocibus ſta-
tuebat, qua ſi ſtare nollet, ſe Gaiam non futuram, claris verbis minabatur: atque adeò
ſi rem probè expendamus, comperiemus hanc ipſiſſimam apud maiores noſtros matri-
monij contrahendi formulam fuiſſe, quæ pòſt manſerit illa quidem de priſco ritu, ſed
quid ſibi vellet, aut quam legem præſcriberet, deperdito iam Cimmerij ſermonis vſu,
prorſus fuerit ignoratum. O cælum Gaium, quàm multos deſuper intueris! O terra
Gaia, quàm multos ſuſtines coniuges, huius æquiſſimæ conditionis, quam natura &
naturæ opifex ſanxit, proditores! Sed quorſum lamenta? quorum vt nulla eſt vtili-
tas, ita nulla vnquam tam flebilibus modis canentur, vt ſpurcam miſeri huius noſtri
ſeculi æquare poſſint fœditatem, quo ſtupris & adulteriis non diuitiæ modò, ſed ſum-
mæ etiam non raròpetuntur dignitates. Nos ad Gaias reuertamur, quales vt omnes
ſint vxores, partim eſt in bonis moribus & diſciplina, cùm publica, tum domeſtica;
partim eſt in ipſis maritis; qui ſi Gaios potius ſe præberent vxoribus quàm fornicato-
res, ſola tentigine connubij ius ſe tueri poſſe ratos, non tot fortaſſe monſtra cernere-
mus. Præterea ſi ſic in connubio ambiendo verſaretur iuuentus, vt potius de ingenij
& morum dotibus, quàm de fortunis cogitaretur, ſæpius quàm nunc ferè facit, pro-
nuba Iuno matrimonia proſperaret. Quî dicere potes ò proce, eam tibi placere om-
nibus modis, cuius dumtaxat formam & opes ſecutus, nullam curam geſſiſti cætero-
rum, quæ iſtis multò magis neceſſaria ſunt ad iucundã vitæ ſocietatem vel ineundam
vel conſeruandã. Iuriſperitos veteres riſit Cicero, quòd omnes vxores, quę coëmptionẽ
feciſſent, Caias vocari putarent, quia fortaſſe id nomẽ exẽpli cauſſa in libris cuiuſpiam
poſitum vidiſſent: ego verò non rideo Ciceronem, ſed miror tam incurium rituum
antiquorum fuiſſe, vt & id quod recens nupta dicere conſueuit ſponſo, & iuris defini-
tionem in Caia, crederet originem duxiſſe ab aliqua muliere quæ Caia fuiſſet vocata.
Egregium ſcilicet commentum, quaſi ante Caiam Cæciliam (ad hanc enim trahunt
exemplũ) nulla fuiſſet vel materfamilias, vel formula matrimonij contrahendi. Quæro
igitur, vnde Cæciliæ Caiæ nomen datum ſit, & an prænomen hoc apud Latinos non
antea fuerit vſurpatũ? Sunt qui Caium dictum velint à gaudio parentum, formationis
analogia minimè vſitata. Crederẽ equidẽ, ſi Gaudentius nõ Caius diceretur. Quemad-
modum in hoc de quo agimus ritu, inſignis ignorantia vetuſtatis deprehenditur; ita &
in altero quo Talaſſius in nuptiis canebatur. quo nomine quoſdam lanificium, quoſ-
dam iuuenem quendam, cui feliciter connubium ceſſerit, accepiſſe Plutarchus ſcribit;
cùm nobis clarũ ſit ea acclamatione non aliud denotari, quàm connubium cõtrahi ea
Talaſſij vocis etymon. conditione, vt ſocietas eſſet omnium onerũ ferendorum, quod nos T'alle-laſt, ſiue t'al-
laſt vernaculo ſermone diceremus. Certè Iuriſconſulti rectiſſimè Caias eas vxores vo-
carunt, quæ coëmptionem feciſſent: Eæ enim matresfamilias propriè dicebantur, & in
manũ conuentione, quæ coëmptio vocabatur, fiebant; cuius ſollemnitas hæc erat, vt
vir interrogaret, An mulier ſibi mater familias eſſe vellet; atq. illa ſe velle reſponderet.
Rurſus mulier, An vir ſibi paterfamilias eſſe vellet; & ille ſimiliter ſe velle diceret. Hæ
igitur vxores arctius multo & ſanctius maritis coniunctæ rectiſſimè Caiæ dicebantur, eõ
quòd quæ aliter cõiunctæ viris eſſent, non ex omni parte placere viderẽtur. Crediderim

equidem

equidem priſcis temporibus non aliud veri matrimonij genus fuiſſe, pòſt verò moribus corruptis, alias coniugij rationes inductas, quæ concubinas potius quàm Caias facere viderentur, & idcirco non malè iuris prudentes Caias definiiſſe. Satis mihi nunc multa videor de Caius & Caia ex Hermathena noſtra deprōpſiſſe, quibus cognitis, facillimè, vnde Galli nomen ſumpſerint, intelligetur. Gomerū patrem Gallorum eſſe, non ſemel antè dictum; & additum, hunc maximum natu inter Iapeti liberos fuiſſe. Cùm igitur Comer genus ſuū inſigniter augeri cerneret, ſic filios & nepotes diſtribuit, vt aliis aliud quidem nomen daret, ſed ita, ne nomina nihil haberent inſignis alicuius monumenti, quod dignū eſſet cognitione poſterorum. Nec credam hàc in re quicquam ipſum citra patris & aui conſilium feciſſe, pro eo ac bonum filium decebat. Aliis itaque aliūde, quibuſdam verò, & iis quidem quos egregiè vellet honoratos, nomen dedit ab illa dote diuina, qua Iapetus patri ſuo magis quàm cæteri filij placebat, vt conſecratione ſua fecit clariſſimum. Quamobrem ſicut Vrancus à palmitibus latè proferendis Iapet nominatus eſt; ita Caius ab eo quòd maximè patri placeret. Viſum itaque fuit, vt alij ad perpetuam conſecrationis memoriam Franci, alij gai-lui vocarentur. Nihil enim aliud ſignificatur hac compoſitione gai-lui, quàm populus caius, id eſt placens; quoniam lui ſiue lie populus dicatur, vt Indoſcythica noſtra declararunt, Liberum populorū patrem interpretata. Inſignis profectò nomenclatura, quā ſimul & benignitas Dei Iapeto conceſſa declaratur, & ſimul ij qui nomen hoc ſortiti ſunt, admonentur, vt Gaios tum erga patrem, tum erga omnes homines ſeſe præſtent, id eſt, tales, vt & patri omnium, & deinde patribus ſuis, pòſt etiam omnibus hominibus ſemper vbique ſtudeant placere. Ex gai-lui Gallus factus, per labdaciſmū, quo pars diphthongi in lambda tranſit propter lambda ſequens; non ſecus atque ex perlicio pellicio, ex perluceo pelluceo, & ſimilia ex ſimilibus. Terminationem vocis ad Latinam aut Græcā formā transferri nihil noui, quæ nobis diphthongus eſt, qualis in Harpuia, aliis qui *lie* pro *lui* ſonant, diphthongus item, qua carentes Latini, pro ea I longum ponunt, quod in Liberi nomine videas. Agnoſcant nunc tandem Galli ſuum Germanum nomen nulli alij poſtponendum, ſiue antiquitatem ſpectes, ſiue præclaram admonitionē, breuiſſimè omnia vitæ rectè inſtituendæ præcepta cōplexam. Alij alias ſibi chrias quærant, Galli in ſua nomēclatura omniū habent pulcerrimam, qua & antiqua generis nobilitas ab ipſo Iapeto vſq. declaratur, & totius vitæ tum præſentis tum futuræ perfectio atq. felicitas continetur. Quid enim vel optabilius vel beatius queat cogitari, quàm ſic vitā habere comparatam, vt & Deo & hominibus placeat. Iam ſi cōmunem viuendi rationē ineamus, quid pulcrius, quid iucundius, quàm omnes ſibi placidis moribus quempiā deuincire, atque eum ſe præbere, cui velint omnes congregari atque coniungi. Præter autem vtiliſſimā hanc adhortationē, videtur hæc vox oraculū etiam quoddam continere, fore videlicet aliquando, vt ea gens in qua ſola Gallorū nomen permanſurū eſſet, veriſſimè ſeſe Gaios præſtarent. Quos enim homines inuenias vſquā gentium moribus magis placidis, magis benignis, magis faciles ad iucundā ſocietatem ineundam, quàm eos quos Gallos vocamus? Deſinant igitur inepti quidā, & ſtolida quadàm ignorātia iactabundi, eximere velle nomen ſuū è numero Gallorum, vt Germani dicantur; & agnoſcant quanto clarius ſit & illuſtrius & gratius Gallum, quàm Germanum, ſi nominum ſignificata examinentur, nuncupari. Eſt quiſquam tam rudis, tam barbarus, tam deuotum pecuniæ lucriq. mancipium, vt vir congregandi auidus, quàm vir omnibus placidus, comis, humanus, facilis ad conuictum & iucundus, vel dici malit vel haberi? Certè Germani nomen vt primùm non fuit nationi alicui tributū, ſed eorum vitæ propoſito, qui ſeſe militiæ ad res ſuas augendas dediſſent; ita mirum eſt quàm bene in eos quadret, qui ſe Germanos & eſſe & dici maximè gloriantur. Quòd ſi Ariſtotelem quiſquā interrogaret de illorum nobilitate qui totos ſeſe pecuniæ quæſtuique addicunt, exclamaret haud dubiè, ſi iis quæ in Politicis ſuis tradidit repugnare nollet, eos viles eſſe atq. plebeios. Sed dicent hunc Peripateticum, ambulandi fuiſſe quàm veræ nobilitatis iudicandæ peritiorē, nec ſciuiſſe illuſtriora eſſe inſignia leones, lupos, pardos, aquilas, gryphes, & id genus rapaces feras, quàm ouem, aut gallinam, aut columbam; & idcirco generoſiſſimum quemq. maximè Germani nomen decere, imbecillitatis & morum minimè virilium eſſe, ſi quis miti comitate & vultus & verborum, placere potius, quàm toruo & ferino tum vultu tum

ſermone

Gomer Gallorum pater, &c.

Lui ſiue lie.

Gallus vnde vocis originem habeat.

Gallorū laus.

Germanus vnde dictus.

Germanorū iactantia.

ſermone terrorem iniicere nitatur. Minimè tamen quiſquam hæc ita capiat, quaſi quicquam Teutonicæ nationi detractũ velim, vel nobilitatis vel dignitatis: id vnum ago, vt vocabula & eorum notiones, quæ in controuerſiam vocantur, inter ſe conferam. quod dum facio, mihi perſuadere non poſſum, vt Germanici nominis profeſſioné, quæ tota in acquirendo ſtudioq; verſatur militari, anteponam commodę, placidæ, affabili, alacri, iucundæ in conuictu comitati: quæ niſi ipſiſſima ſit humanitas, non video quos vel Græci φιλανθρωπίας, vel Latini humanitatis nomine laudare conſueuerint. Iudicio certè eorum qui de hominis nomenclatura hanc virtuté nuncupandam cenſuerunt, conſtare cerno, non alia magis dote quemquã mortalium, quàm hac ipſa hominis nomine dignũ videri. Bene illi quidem humanitaté & φιλανθρωπίαν hac de cauſſa dixerunt, ſed artificium vocis Gai nunquam ſunt aſſecuturi. in cuius ternario, à littera perfectioné notáte ad iucunditaté, cuius I nota eſt, progreſſus fit, quem nobis A littera declarat. Nihil enim ab illo in quo nulla ſit perfectio, ad alium manare poteſt amœnitatis. Nec deeſt Germanis gentile nomen, quo ſeſe infinito magis, quàm vocabulo belli, reiq. bello augendæ, teſſeram præ ſe ferente, non citra auaritiæ rapacitatiſq. opprobrium iactare poſſint. Quòd ſi maiores noſtri hoc nomen laudis quicquã habere aut nobilitatis credidiſſent, haud dubiè ipſi ſeſe eo vocaſſent. quod non magis fecerunt quàm nunc ſe dicunt Cryg-manos, quæ vox cũ Germano eiuſdé eſt notationis. Qui nũc Cryg-manũ qué vocat, nõ magis hac ſua noméclatura Teutoné quàm Hiſpanũ deſignat, eo quòd nõ ſit nationis, ſed nomé propoſiti & inſtituti. Similiter olim non quiuis Aſcanius ſiue Teuto ſeſe Germanũ vocabat, ſed is dumtaxat, qui nomen ſuum idcirco militiæ dediſſet, vt ex ea diuitias ſibi pararet. Dum quibus maioribus genus ſuum eiuſq. nobilitatem acceptam ferrent, gentili nomine exprimebant, ſeſe d'outſen vocabant, quo hactenus vtuntur omnes in natione ſua inſigniéda, tametſi Latini id in Tuiſconas vel Teutonas commutarint. Hoc autem ſignificabant, ſeſe antiquiſſimos eſſe; tum quòd à Comero filio Iapeti maximo natu, & rurſus ab Aſcanio Comeri filio maximo item natu genus ducerent; tum quòd linguam antiquiſſimam conſeruaſſent, quam omnes præter Cimmerios perdidiſſent. Quamobré ſi bene rem æſtimemus, Galli & Teutones, nec natione, nec lingua, nec nobilitate generis differunt, adeò vt reuera dici poſſint Germani nomenclatura Latina, licet dum Germanos ſe dicerent Teutones, aliud, vt modò dixi, intellexerint. Ceſſent igitur poſthac inſanæ illæ de nominibus & nobilitate concertationes, abeant in malam rem iactabunda ſtolidorum hominum verba, quibus dum egregium ſe ſibi decus arrogare credunt, nugas agunt, nihil minus intelligentes, quàm quid ſignificet vel Galli vel Germani nomenclatura. Id operã dent vt ſe dignos præſtent, alteri Comero & Aſcanio, à quorum in naſcendo primitiis d'outſen nuncupantur; alteri ipſo Iapeto, à cuius conſecratione Gal-li ſiue Galli dicuntur: & quemadmodũ maiores ipſorum & lingua & generis primordiis conueniunt, ita mutua beneuolentia & amore conſpirent: nec alia re alteros alteri ſuperare contendant, quàm iis virtutibus quas in primis ſuis parentibus admirata eſt antiquitas. Ineant, ſi certare velint, amoris humanitatiſque certamen, in quo victrix pars meritò poterit de nobilitate ſua gloriari. Bella non inter ſe, ſed contra alios gerant, quorũ & origo & religio cum nomine pugnat, & in iis non vile ſibi & ſordidum rerum terrenarum lucrum proponant, ſed ad hoc vnum ſpectent omnes eorum rationes, vt alias nationes ad veram Dei cognitionem trahant. Hoc enim veterum Cimmeriorum ſtudiũ fuit, vt eos quos vincerent, à fœdis erroribus ad vnum vnius Dei cultum reuocarent, & apud omnes veræ religionis ſemina relinquerent, vt in Amazonicis & Francicis oſtendi. Atque hæc vera fuit cauſſa, ob quam dum Aſiam ſubiugarent, ſeſe vocauerint Cimmerios pro Comeriis, vt nimirum ij penes quos tum lingua Hebraica vigebat, intelligerent ipſos non ad vaſtandos agros, non ad ciuitates euertendas arma circumferre, ſed venire vt omnia, quoad poſſent, perficerent, & rectà ad finem dirigerent veræ felicitatis. Nam vt Gomer perfectus eſt, & abſolutus ſignificat; ita Gimmer idem eſt quod perfecit atque conſummauit. Neque enim de ſua ſe lingua Cimmerios vocarunt, ſed eorum apud quos inſtituti ſui finem conſtare volebant. quod facillimè ſe conſecuturos putarunt, ſi Cananæorum ſiue Hebræorum lingua ſe tales nominaſſent, eo quòd hæc & eius cognatæ latiſſimè per Aſiam & Africam paterent. Quocirca qui ſeſe hiſce maioribus digniſſimos demon-

Germanus non eſt nationis, ſed inſtituti vocabulum.

Tuiſcones. Teutones.

Cimmerij unde dicti.

demonſtrare volent, ij huic ſtudio perpetuò inſtent oportet, quo nō modò ipſi perfecti ſint & abſoluti, ſed vt alios etiam perficiant; cùm in omni diſciplinarum genere quibus reip. ſalus continetur, tum maximè in vera ſinceraque religione, citra quam totus artium ſcientiarumque orbis ne hilum quidem facit ad humanam felicitatem. Apage bellum inteſtinum, apage bellum quo arces, agri & ſpolia dumtaxat quæruntur, ſi Cimmeriorum nomine vel Galli vel Teutones velint gloriari. Illis ſe iactent bellis, quibus religio vel propagatur vel retinetur, quibus barbaræ nationes ad verum Dei cultum trahuntur: & hæc quidem ea via & ratione gerant, ne dum religionem adſtruere ſe velle dicunt, eā magis prauis exemplis deſtruere cernantur; quod vtinā noſtra ætas nūquam vel vidiſſet vel hactenus videret. Et hęc quidē obiter hoc loco, eorū occaſione qui veſanis rixis de nobilitate contendentes, maximæ ignorantiæ, tum in vetuſta cognatione, tum in antiquiſſimo ſermone deprehenſæ, ſe ipſi coarguunt, tantum abeſt vt laudem vllam apud antiquitatum verè peritos conſequantur. Cùm ergo nunc claram reddiderim Gallici nominis originem; reliquū eſt, vt addam, quid Galatarū vocabulo denotetur. In hoc prima ſyllaba eadē eſt cum ea quæ Galli nomen exorditur, nec alterius hic quàm illic ſignificationis: at Latæ quid notet, explicandum. **Lat** geminam nobis offert notionē; priorē vt idem ſit quod Latinis gero & geſtus: alteram vt colonū intelligamus, qui fundū villámue cōducit, à **laten** quod idem eſt quod ſinere ſiue permittere, vt cùm dicimus, **ic lat to**, id eſt, ego tibi permitto. Is ergo cui agrum noſtrū colendū permittimus, **lat** vocatur. Duplex itaque ratio huius nominis Galata compoſitioni inhæret; altera de geſtu, altera de fundi colendi modo pendens. Prior facit vt is **gai-lat**, vnde Galata, vocetur, cui geſtus eſt Gaius, id eſt, qui ſe gerit comem, blandum, ſuauem & iucundum, quales vel Galli ſunt, vel nulli mortalium. Poſterior complexæ vocis cauſſa ſic eruenda, vt **gai-lat** dicatur Gaij colonus, id eſt is cui Caius agrum ſuum permiſit ad colendum. Quis ergo hic intelligetur Caius, cuius permiſſu Gallus fateatur ſe ſuos agros poſſidere? Quis alius, quàm Iapetus, Caij meritus nomenclaturam, quòd patri ſuo maximè placeret. Idem enim Caius qui Francus iuxta geminam conſiderationem, vti modò dictum. Galatæ ergo ſi rogati fuiſſent, cuius fauore cuiúſve iure, vel ſuos agros poſſiderent, vel alienos inuaderent, dixiſſent ſe colonos eſſe Iapeti ſiue Caij, cui pater eam conceſſiſſet prærogatiuam, vt poſteri ipſius habitarent in tabernaculis Sem, & Chanaan eſſet ſeruus ipſorum. Deinde mos ille Germanorum veterū, quo agros in annos ſingulos per cognationes ſiue magos diſtribui ſolere legimus, maximè quadrat cum hac etymologia, de qua colligas, eos ſic cogitaſſe, Iapeti portionem, cuius ipſi poſteri eſſent, perpetuo iure ad Iapeti pertinere hæreditatem, nec vllo modo eam vel eius partem propriam alicuius fieri debere poſterorum. Quemadmodum igitur Pontifices Romani totam ſuam ditionem in regiones diuerſas & ciuitates diſtributam, Patrimonium D. Petri vocant; & Veneti quicquid habent vel regnorum vel ciuitatū, D. Marco adſcribunt; ita & Galatæ nomine ſuo profitebantur, ſe nullos agros ſuos habere, ſed quos haberent, vtendos accepiſſe ab Iapeto primo generis auctore. Cernas hîc maximum fundamentum ciuitatis Platonicæ exſtruendæ, cùm nemo Galatarum quicquam ſe proprij fundi poſſidere diceret; verùm terram quam coleret, ſe Caij dumtaxat habere permiſſu. Nec dubium eſt, quin hæc conſuetudo à Cimmeriis in Aſia, ac deinde etiam in Europa diutiſſimè fuerit conſeruata; adeò vt ad Cæſaris quoque venerit notitiam, qui eam nobis in Germanorum moribus eleganter delineauit. De qua rurſus intelligas, non aliud quondam Galatarum, quàm Germanorum viuendi genus & inſtitutum fuiſſe; vt nimirum nemo agrum certum haberet, ſed eo contentus eſſet quem magiſtratus & principes in annos ſingulos conceſſiſſent. Hinc altiùs quoque ad primos gentis ortus gradatim fieri poterit progreſſus, in Scythiam nos paulatim deducturus, atque inde ad Volgam, mox ſuperius ad Daicem, hinc ad Iaxartem, quem Alexandri milites falsò Tanaim crediderunt: quò vbi peruentū fuerit, Indoſcythica proxima ſunt, & Margiana, primæ hominum poſt diluuium ſedes. quem totum terrarum tractum vtrimque ſecundum maris Caſpij litora ad Tanaim vſque, & inde ad Gades Iapeto fuiſſe à patre aſſignatum, non ſemel dixi. Quocirca Galli hanc portionem primo ſuo parenti non tam aſſignatam quàm conſecratam fuiſſe oſtendere volentes, ſeſe Galatas nominarunt, quaſi terrarum quas Gaij permiſſu haberent, coloni.

Galatarum nominis etymon.
Lat.
Laten.

Patrimoniū D. Petri.

Galatarum & Germanorum idem viuendi genus.

Galli quare ſeſe nominarunt Galatas.

Quemad-

Quemadmodum igitur Tectoſaces è Scythia Aſiatica ad agrũ Toloſanum veniſſe Saxonica noſtra docuerunt; ita nihil fuerit abſurdi, ſi cæteros quoque Galatas ex eadem regione dicam in Europam commigraſſe, atque id prius quàm Teutones in eam venirent; & omnes hos & illos non cognatos modò eſſe,ſed eandem quoque principio viuendi conſuetudinem habuiſſe. Scytharum autem nomẽ nullam nobis deſignat certam regionem,ſicut nec Gręcis Toxotes,cum qua voce eandem habet vim ſignificationis;tametſi eius ignari, extremos Germanorũ & Sarmatarũ, quorum vel nullá vel exiguá notitiá haberent,hoc nomine cenſuiſſe videantur. Sicuti ergo Cęſar Germanis hũc ſediũ quotannis mutandarũ morẽ adſcribit, ita Horatius eum tribuit Getis & Scythis:

Scythæ.

Campeſtres, inquit, *melius Scythæ,*
Quorum plauſtra vagas ritè trahunt domos,
Viuunt, & rigidi Getæ;
Immetata quibus iugera liberas
Fruges & Cererem ferunt,
Nec cultura placet longior annua,
Defunctúmque laboribus
Aequali recreat ſorte vicarius.
Illic matre carentibus
Priuignis mulier temperat innocens,
Nec dotata regit virum
Coniux, nec nitido fidit adultero.
Dos eſt magna parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere caſtitas:
Et peccare nefas, aut pretium eſt mori.

Quæ verò fuerit hæc apud Scythas colendi ratio, partim ex hoc Horatij loco, partim ex Cæſare de Sueuis loquente diſcere licebit; vbi non ſolùm agros ipſis nullos proprios fuiſſe declarat,quod de Germanis ſcripſit,ſed hoc etiam addidit,viciſſitudinem agriculturæ & militiæ eſſe; vt qui nunc agros colunt, ſequenti anno abeant militatum ab iis quorum tunc eſt operi ruſtico inſudare alendi. Nihil ergo miri accidit, ſi homines exteri Teutones Germanos vocarint, propterea quòd tunc tantum eorum notitiam haberent,cùm ab ipſis bello impeterentur. Vt verò apud Germanos iam olim tota hæc vitæ ratio ceſſauit; ita prius multò ceſſauerat apud Galatas, atque id tanto ſeculorum interuallo, vt alta obliuione iaceat ſepulta; nec eius alia extet memoria vel coniectura, quàm hinc in gentis nomine, hinc in priſcis Tectoſacarum ſedibus à Ptolemæo in Scythia Aſiatica collocatis. Nunc igitur liquet, non abſurdè factum à Græcis, dum Germanos & Gallos vno Galatarum nomine complecterentur. quo tantum abeſt,vt contumelioſi Germanis fuiſſe videri debeant, vt contrà non aliud nomen potuerit dari honorificentius. Præterea quò minus quidam diſtinctè de his duabus gentibus egerint, fecit non morum tantùm & ſermonis ſimilitudo, ſed earum etiam permiſtio. Quis enim neſcit,in medio ſaltu Hercinio Boios habitaſſe? Iam & Gotinos Tacitus Gallos credidit, ob linguæ communionem. Accedit & alia ratio, ob quam Galatas potius quàm Germanos nominarint, quoniam Galatæ Græcis & viciniores eſſent, & multis prœliis magis cogniti. Quid notius direptione Delphica? quid Galatarum in Aſiam commigratione? Nec minus celebris Ptolemæi Ceranni Macedonum regis cum toto exercitu cædes à Gallis perpetrata. Quid? quod & Galli Scordiſci in Pannonia habitabant, nec longè à magna Græcia Galli Togati, quorum regio ab Ancona exordium ſumebat. Quemadmodum igitur Itali, Hiſpani & Franci, Brabantos, Hollandos cæteroſque Belgas Flemingos nominare conſueuerunt, propterea quòd ij ob mercatum, qui auorum memoria Brugis fuit celeberrimus,ſint notiſſimi; ita & olim potuit accidiſſe,dum Germanos Græci Galatarum nomine comprehenderent. Cæterùm ne nimius in Gallici & Galatici nominis explicatu videar, reuocabo gradũ:nec exiſtimo ſanè vel pluribus opus eſſe ad interpretationẽ,vel quemquã porrò fore,præſertim noſtræ linguæ peritũ, qui non videat maximã inter nomenclaturã & gentis indolẽ conſenſionẽ. Vt enim id quod de Caij colonis dixi, ad partes originationis non vocaretur;

Belgarum magna pars, quare ab exteris Flamẽgi vocentur.

tam

tam aperta tamē eſt & in populo Gaio & in Gaio geſtu notationis ratio, vt de ea ne obſtinatiſſimus quidē ſermonis noſtri contēptor aut ambigere poſſit, aut apud alios mouere controuerſiā. Quamuis autem Græci iis quas indicaui,cauſſis, Germanos etiā hoc olim nomine complexi fuerint, optimo tamen iure ij qui hactenus Galli vocantur, id ſibi tanquam ſuum & præcipua quadam prærogatiua moribus ſuis aptum vindicauerunt:quod qui negabit, is mihi gentem proferat magis in vitæ conſuetudine Gaiam, id eſt,ad omnem ſuauem vitæ ſocietatem,& faciliorem & iucundiorem. Bona igitur pace Lactantij & D. Hieronymi, negamus de Græcorum ſermone Galatis nomen datum fuiſſe:id tamen non negamus,magna eos veriſimilitudine deceptos. Nam hinc corporum candore,hinc Virgilij carmine, vt ſic iudicarent, perſuaſi videntur. Hic enim ad hunc modum cecinit de Gallis:

In ſummo cuſtos Tarpeiæ Manlius arcis
Stabat pro templo, & capitolia ſumma tenebat,
Romuleoq́; recens horrebat regia culmo,
Atque hic auratis volitans argenteus anſer
Porticibus, Gallos in limine adeſſe canebat.
Galli per dumos aderant, arcemq́; tenebant
Defenſi tenebris, & dono noctis opacæ.
Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis,
Virgatis lucent ſagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur.

Ex poſtrema horum clauſula ducunt argumentum, Gallos à Gala, quo Græci lac vocant,nominatos eſſe. Quos ego contrà rogo,quónam tempore à Græcis Galli emendicarint nomenclaturam, vel acceperint coacti peregrinam? Deinde quo antè nomine fuerint nuncupati, quàm Græcis hominibus placeret ſic hoſtes ſuos indigetare? Rurſum,cur non à Latinis potius,exiguo prorſus interuallo proximis,fuerint vocati Lactei, quàm Galatæ à Græcis longius remotis? Sed quàm abſurdè nominum gentilium rationes ab exteris linguis petantur,nec à me ſemel oſtenſum, nec quenquam ſanæ mentis compotem poteſt latêre. Quamobrem licet poëta eius fuiſſet ſententiæ quam Lactantius ipſi adſcribit,de domeſtica tamen nominis origine nobis clariſſima, ne ad latū quidem culmum diſcederemus, propterea quòd extra ſacroſanctam ſcripturam & diuina oracula,nullius apud nos tanti ſit auctoritas, vt eā rectæ rationi velimus præponderare: & alioqui elegans epitheton Gallorum eſt, quod de lacte ſumitur, tametſi nihil de Græca etymologia cogitetur, tum propter alluſionem,vt ſi quis dicat Verrem à verrendo;tum propter candorem: qui quamuis in alia re maior eſſe poſſit, nullus tamen æquè atque is qui in lacte cernitur,mollem delicatamque carnem,vel magis commendat,vel propiùs imitatur. Quod igitur Lactantius ait, à poëta dici potuiſſe candida colla, id quidem verum eſt; ſed minimè verum, id eum potuiſſe facere pari aut elegantia, aut ſuauitate,cùm illam rationes modò dictæ in voce lactea reddant maiorem, hác lambda conciliet ipſi alpha præfixum;quo fit, vt color hic lacteus videatur dici ad eius corporis in quo cernitur,amorem lactare. Quid ſi dicam tantum abeſſe,vt Galatæ nomen ſuum à Græcis ſint mutuati,vt contrà Græci hoc ipſum nomen Gala, è priſca Gallorum lingua acceperint, & ex eadem etiam Latini totum ſuum lac ſuxerint? Eſt illud quidem quod dico in recto nomine Gala ſubobſcurum,at in obliquis caſibus in primis apertum. Nā quis negare poſſit γάλακτος & γάλακτι,luculētis indiciis præ ſe ferre,ortū ſuū vocē accepiſſe à Gai-latt,ſiue,vt alia pronunciatur dialecto,Gai-lett, quo notatur id quod allicit ad lingendum;Lat enim,vt Flandri, ſiue Let,vt cæteri, idem eſt quod lingo: qua voce non hac modò ætate omnes Germani & ſuperiores & inferiores vtuntur; ſed Gotos etiam vſos olim fuiſſe de Italorum ſermone diſcas, qui pro lingo letto dicunt. Cùm autem Let enunciamus,vocalem ſic efferimus, vt auribus exile alpha obiiciatur,ad diſcrimen Let pro ſtillo,qua in voce ſecunda vocalis preſſius & tenuius ſonatur,tametſi tēpus habeat longum,quod in Let pro lingo breue auditur. Non mirum igitur ſi apud Græcos in Galactos A ſit propter ſoni conuenientiam,quem ſiue per A ſiue per E ſcribas,cùm harum vocalium medius ſit,parum aut nihil refert, cùm nos diuerſos vocalium ſonos litterarum diuerſitate minimè aſſequamur. Gai-lat igitur illud erit quod

γάλα.

Lat ſiue Let.

principatum inter omnia eà tenet, quæ homini à natura ad lingendum proponuntur, ſiue quod omnium primum eſt in homine alliciendo ad lingendum. Quamobrem cum lacte nihil vel prius vel magis placeat humanæ naturæ vt deguſtet, an non optimo iure Galactos nomen de priſca lingua datum dices? Lec enim nobis, & lingo Latinis propria ſunt linguæ obiecta, ſic tamen vt his vocibus guſtandi quædam auiditas denotetur. Hinc Lecker ſiue Lacker is dicitur, qui in ſaporibus magnum habet delectum, ſiue potius, vt vocem plerumque accipimus, nimias in lingendo ſibi delicias quærit, vt ille qui

Oſtrea callebat primo deprendere morſu,
Et ſemel attacti dicebat littus echini.

Lecker ſiue Lacker.

Primus ergo hominis linctus Gal-lac meritò dicetur; non tantùm quia modò natis placeat & primùm & plurimum, verumetiam quòd nihil queat inueniri, è quo ſolo plus paretur deliciarum: quod vt cuiuis clarius eſt, quàm vt debeat doceri; ita lactariorum varietas latiùs patet, quàm vt hic ſit enumeranda. Vini vſus ante diluuium nullus, nec Nocho, nec eius maioribus fuit, vtpote Indiam tenentibus, in qua vitis nulla ſua ſponte naſceretur; at lac hominibus ſtatim à prima omnium matre fuit oblatum. Nec fas fuit aliud ex animalibus accipere nutrimentum, quàm quod lacte conſtaret, ita vt omnes tum temporis Galactophagi potuerint vocari: cuius antiquiſſimæ vitæ occaſione apud poſteros fortaſſe fabula nata, Galactophagos omnium hominum iuſtiſſimos eſſe. qua deinde moti auctores, Galactophagos in Scythia & Thracia quæſiuerunt, quoniam in regionibus ſibi notis iuſtitiam Galactophagorum nuſquam inuenirent. Quòd ſi coniecturam de ſuſpicione mea liceat proferre, non verear dicere Galactophagos Abios quoque nominatos fuiſſe; quò intelligeremus hos iam olim mortuos eſſe, nec inter viuos vſquam inueniri; eorum tamen iuſtitiam in illis ſolis quærendam eſſe, qui vitę ipſorum genus conſeruaſſent, quales non alibi quàm in ſola Scythia reperiri. Hunc ſermonem quum Homerus à Thracibus fortaſſis accepiſſet, Galactophagos apud Thraces & Myſos collocauit, circa Iſtrum nimirum, vbi tunc Scythicus ſiue Geticus vigebat ſermo. Poſteriores, deprehenſo hos Iſtri accolas nihil minus dici poſſe quàm iuſtiſſimos; nec vllis ibi repertis gentibus quibus eſſet Abiorum nomen; ad remotiſſimas in Aquilonem Aſiæ partes Abios remouerunt, fugiente videlicet ſemper Themide à notis hominibus & proximis ad eos quos nemo mortalium noſſet. Hinc Arrianus, hinc Ptolemæus maximis terrarum ſpatiis ab Homericis Abiis receſſerunt, quorum ille Aſiæ loco nullis certis terminis deſcripto, eos & ſibi & cæteris finxit, hic ad ſexageſimum primum eleuati poli gradum Arctoo frigori expoſuit, à Myſis Europæis, apud quos à poëta fuerant conſtituti, ad centum prope longitudinis gradus remouit. Strabo Homerum in eorum ſedibus ſecutus, apud Getas eos quærit, & diſputat cur Abij vocentur, in eo tandem acquieſcens, *ἀβίους* dici, quòd duram vitam agant. Apollodorus verò, & ei præiens Eratoſthenes, Homerum ignorantiæ coarguit, aiens hos Abios nuſquam eſſe terrarum. Ego verò perquam lubenter tibi hoc aſſentior Apollodore, Abios nec tua ætate, nec Homeri, nec multis item antè ſeculis vſquam vixiſſe, verùm Homerum non tantùm non accuſo ignorantiæ, ſed vt diligentiſſimum rerum omnium maximè peregrinarum inquiſitorem, & exoſculor & admiror: quem credo apud Orphicæ theologiæ peritos audiuiſſe, ſingularem illã, quam deſiderarent, iuſtitiam non alibi vnquam fuiſſe inuentam, quàm apud Galactophagos Abios, atque idcirco apud Græcos non eſſe quærendam. Quo ſuo ſermone ad vitam poſterorum Sethi alludebant, qui ante diluuium lactariis ſolis & herbis veſcebantur, tamque conſtantes in Dei cultu manſerunt, vt filiorum Dei nomen acceperint. Non mirum igitur, ſi Homerus hac allegoria ſuum ornarit carmen, fingendo Iouem bellorum, & omnium eorum quæ in bellis iniquiſſimè crudeliſſiméque perpetrantur pertæſum, ſeſe ad Galactophagos auertiſſe. Hoc certè vt ad bellum Troianum à poëta eſt accommodatum; ita veriſſimè accidit ante vniuerſam illam inundationem, cùm Deus deferens Gigantes ſceleribus ſuis & ſcelerum pœnis, benignos ſuos oculos ad Nochum & eius familiam conuertit, qui necdum carnibus, ſed ſolis frugibus & herbis & lactariis eduliis viuebant, Galactophagi ob id propriè vocandi. Orphici enim volentes denotare hos tam iuſtos homines iam olim mortuos

Galactophagi.

Abij pop.

tuos eſſe, Abios eos Græcis nominarunt; quaſi dicerent: Si quæras vbi omnium morta-
lium iuſtiſſimi reperiantur, proficiſcere ad Abios, non quoſuis illos quidem, ſed eos qui
nec carnium eſum, nec vini potionem nouerant. Eo modo nűc quærenti, vbi reſp. ea ſit
in qua omnia quàm iuſtiſſimè adminiſtrantur; reſponderet Thomæ Mori libellus,
eam in Vtopia hactenus inueniri. Cæterum quò propiùs tum ad veram hiſtoriam allu-
derent, tum quò oſtenderent, vbi reliquiæ adhuc aliquæ eſſent illorum hominum qui
Abij ſiue mortui vocarentur, dixerunt Abios apud ſolos Getas & Scythas commorari:
Nam reuera Nochus cum ſuis germani Abij in Scythia poſt diluuium primum habi-
tarunt, & in Scythia ſola primum ſermonem conſeruarunt; qui deinde per Ianigenas in
Europam venit, à Thracibus & cæteris Cimmeriis retentus. Profectò copioſa hæc eſt
allegoria, non hiſtoriam modò complexa, ſed compẽdioſiſſimam etiam viam ad augu-
ſtum iuſtitiæ templum demonſtrans. Quiſquis enim Galactophagos eſſe volet, næ illi
facillimum erit omnes ſuas actiones ad iuſtitiæ amuſſim exactas habere. Sed nos à pro-
poſito noſtro longiùs abripimur ad ampliſſimum amœniſſimumque æquitatis cam-
pum, in quo Abios ſi Eratoſthenes, & Strabo, & cæteri quæſiuiſſent, procliue ipſis fuiſſet
ad intelligendum, cur Galactophagi Abij dicerentur, & qua de cauſſa Iupiter oculos
ſuos & benignum diuinitatis vultum à Græcis pariter & Troianis auerterit. Nos interim
quàm poſſumus proximè hos Galactophagos imitemur, quò Deus nobis tandem lu-
minum ſuorum ſplendore affulgeat; à quibus ſat ſcio nunquam tam diu vultum ſuum
auertiſſet, niſi Troianos potius omni luxus genere diffluentes, quàm Hippemolgos imi-
tari voluiſſemus. Placeat igitur nobis deinde Gaius ille linctus, cuius perpetuus vſus
iuſtitiam conſeruat & æquitatem: laudemus item ipſum vocis architectum, qui illud
Galacti nomen dedit, cuius interpretatio nobis Themidis adyta reſeraret, ac certum iter
demonſtraret ad felicitatem ſempiternam. Latini poſteriorem dumtaxat ſyllabam
compoſitæ vocis ſeruarunt, Gai-lac Lac dicentes. ac quemadmodum Græcorum Grã- *Lac vnde dicatur.*
matici annotarunt à γάλα ſic obliquos fieri, vt olim rectus videatur fuiſſe γάλαξ; ita
Plautus clarè oſtendit lacte dictum fuiſſe, aiens in Menæchmis, *Nec lacte lacti vſquam
ſimilius eſt*. Vnde fit, vt in prima lingua Gai-lact dictum fuiſſe aſſeramus: quod ſi Lati-
nè dicas, idem erit ac ſi quis iuberet, linge id quod maximè placet. Quo quidem modo
ſermonis noſtri faber videtur imperaſſe, vt delicias naturæ noſtræ gratiſſimas ſequere-
mur; quod ſi fieret, omnis iniuſtitia procul faceſſeret; nec ea ſola, ſed quicquid etiam eſt
in ſumptuoſo victu quærendo moleſtiarum. Quid verò inter omnia ea quæ lingenda
nobis Deus benignitate ſua conceſſit, lacte vel gratius vel ſalubrius, vel magis varium,
vel facilius paratu? Docuit nos Philinus exemplo ſuo, ſolum lac nobis vtrumque præ-
ſtare poſſe, & cibum & potũ. quod qui memoriæ prodidit, minus miratus fuiſſet, ſi plu-
rimorum & in Hollandia & Friſia victum perſpectum habuiſſet. Diſcant itaque tum
Græci tum Latini, quo in ſermone vocum ſuarum origines deliteſcant, & quantum in
iis ſit partim voluptatis, partim vtilium ad vitam præceptorum, ſi tenebris his Cimme-
riis eruantur. Diſcant noſtrates qua via & ratione matrix noſtra lingua de filiarum the-
ſauris queat locupletari. Diſcant ſtudioſi poëtarum lectores, fruſtrà fabularum quæri
rationes, niſi lingua Orphicorum intelligatur. Non infrugiferum nobis errorem Lactan-
tius & D. Hieronymus obieciſſe videntur, dum Galatas à Galacte dictos prodiderunt;
quando eius occaſione non malum lac ex Homero Cimmerioque ſermone emulſi-
mus; cuius de linctu, magis quàm de Aganippes ſilanis furore correpti ad illud ſacrariũ
irrupimus, vbi vidimus non quoſuis Galactophagos, ſed eos qui & verè tales fuiſſent,
carnibus nunquam per totam vitam deguſtatis, & Abij etiam eſſent, id eſt, vitæ morta-
lis expertes, in priſca hac ſiue fabula ſiue allegoria fuiſſe indicatos: cuius rei fueritne cõ-
ſcius Homerus, nec ne, vt equidem neſcio, ita non magni refert, cùm & ipſe & cæteri
Græci parum intellexerint quibus de fontibus vel fabulæ manaſſent, vel earum veritas
eſſet petenda. Eſt enim & ſua fabulis veritas, non minus quàm alij cuiuis vero ſermoni;
ſed eam iam olim demerſam videmus tam altis Cimmerij ſermonis tenebris, & tam
craſſa veræ hiſtoriæ ignorantia, vt vel nihil hactenus vel perparum ſanæ intelligen-
tiæ quiſquam multo ſtudio diuturnaque poëtarum lectione ſit conſecutus. Hinc fit
vt fruſtra Abios Geographi tum in Aſia tum in Europa inueſtigauerint, meliùs eos
inuenturi, ſi quod ἄβιος Græcis notat, id ſecuti, ad primos Scythas, à quibus ſcythiſmus

prima poſt diluuium ætas nomen habet, perrexiſſent. Apud hos enim qui iam olim ex hac vita commigrauerant, iuſtitiam eam quam Homerus indicauit, inueniſſent, non illam quidem quæ de armorum viriumque humanarum iudicio pendet, de qua inter Danaos & Troianos erat certamen; ſed eam, quam Iouis ἔκδικον ὄμμα comprobauit. Dum enim Orphici fabulantur apud Thraces ſiue Scythas Thracum maiores eos Galactophagos omnium mortalium eſſe iuſtiſſimos, qui reuera Abij Græcis dici poſſent, non aliud ſignificabant quàm primos illos Scythas, qui per Dei benignitatem & clementiam de Gigantibus in arca triumpharunt, ſumma inter homines iuſtitia excelluiſſe. Verùm eos iam Abios eſſe, & idcirco fruſtra iuſtitiam illam, ad quam Iupiter luminis ſui ſplendorem conuertit, inter viuos quæri. Idem ferè Heſiodus cecinit ad hunc modum, ſi eum Latinum reddam:

Tum Pudor & Nemeſis candenti corpore veſte
Splendida velatæ cælum petiere genusq́,
Immortale Deûm, mortalibus heu deſertis
Linquentes miſeris triſtes dirosq́, dolores,
Quos nulla poterunt ope vel depellere cura.

Similiter enim Homerus dixit Iouem cùm ſplendidos ſuos oculos ad Abios conuertiſſet, Danais & Troianis nihil præter ærumnas & aſſiduas pœnas reliquiſſe: ex quo rurſus voluit intelligi, eos omnium eſſe beatiſſimos ad quos oculos ſuos conuertit, tantum abeſt vt Abij dicantur à dura vita, quaſi vitam viuerent non viuendam; quod quidam ad nominis interpretationem attulerunt, Strabonem ſecuti. Dicat nobis diuinus ille vir Rex & propheta, ad quos Deus oculos ſuos conuertat. Dicet nimirum vt olim cecinit ad citharam ſuam: *Oculi Domini ſuper iuſtos*. Vidén' quàm antiqua fabula cum huius vatis oraculo conſentiat, quàm apud omnes idem ſit ſermo veritatis! Hic cantat, *Oculi Domini ſuper iuſtos:* Orphici fabulantur, Iouem à vanis mortalium contentionibus & inſanis laboribus, oculos ſuos conuertere ad omnium hominum iuſtiſſimos. Nec aliter apud Eſaiam Ioua minatur, *Auertam*, inquit, *oculos meos à vobis*. Sed quò rapior? Videor mihi de hoc lactis potu magis quàm de vino bacchari, & propoſiti mihi laboris prorſus obliuiſci. Quia tamen in lac incidi, non poſſum ab eo diſcedere, quin illud addam; non γάλα modò Græcorum, & lac Latinorum è Cimbricis fontibus manaſſe, ſed

Melca. ex iiſdem etiam Melcam ad vtramque gentem eſſe deriuatam, quamuis ſignificatione nonnihil variante. Melc enim nobis quoduis lac ſignat, Romanis certum genus lactis acetoſi, variis modis parari cõſueti: de quo cùm apud Galenum, tum apud Gæoponicorum auctorem plura legas licebit, quæ vt huc transferam, nihil habeo neceſſe. A Melc quod nobis & nomen eſt pro lacte, & verbum pro lac extraho è mammis, Græci habent

ἀμέλγω. ἀμέλγω: & quia quorundã dialectus Mulc vel Molc pro Melc dicit, Latini inde ſibi Mul-

Melc. geo ſeruarunt. Melc autem eandem habet quam γάλα nominis rationem, compoſita

Mulgeo, et ere. voce facta ex Me & Let, quaſi diceres id cuius nos linctus plurimum iuuat. Me enim &

Me, Mede. Mede omnis adiumenti habet ſignificationẽ, vnde Me vocali longo tẽpore pronunciata, vt eam Græci in βληχάω efferre deberent, ſi ouium balatum imitari vellent, potum nobis ſignificat è melle confectum, quòd is nos inſigniter iuuet, tum ſapore, tum facul-

Mel, mellis. *μέλι.* tate. Hinc apud Latinos Mel remanſit, & apud Græcos μέλι, vocabulum compoſitum

Hel. ex Me & Hel, quorum hoc altum & excellẽs ſignat, illud quod modò dixi, ita vt Me-hel, & compoſitione per ſyncopam coaleſcẽte, M'el, id ſit, quod vehementiſſimè nos iuuat. Sicut igitur Mel excellentiã adiumẽti denotat, ita Melc linctum iuuantẽ, & ſic iuuantẽ, vt citra eius adiumentũ homo vix queat vitã ſuam tueri. Quẽadmodum igitur Melca, ἀμέλγω, mulgeo, & mel è Cimmerio ſermone deriuantur, ita & Gala & Lac: quorũ omnium origines atque rationes nequicquam apud Grammaticos ſuos quærant vel Græci vel Latini. חָלָב nihil aliud ſonare videtur, quàm Gal-leb, id eſt iucundum atque gratum victum: quæ vocis ratio Galactophagorum vitam eleganter commendat. Scaliger egregium ſe præſtat grammaticum, dum ſcilicet γάλα à Gal, quo fluctus Syris dicatur, deriuat; quod nos philoſyriſmo eius lubenter condonamus. Quo porrò minus mirum videatur, Galatas & γάλα à Gai noſtrati deriuari, interroges etymologiarum doctores, quæ

γάλως. de cauſſa mariti ſoror apud Græcos γάλως, apud Latinos glos vocetur: niſi fallor, magis

Glos, gloris. *Gai. i. cõiux.* quàm piſcem mutos videbis. Nobis in promptu ratio eſt, cùm Gai coniugem ſignificet,

voca-

vocabulum vtrique ſexui commune. Soror enim vxoris callidiſſima eſt, quod nobis **Loos** ſignificat, ad coniugium reddendum tale, quale dicitur, id eſt, vt Gaius habeat Gaiam. Hinc enim vt ſoror egregiè callet mariti indolem, quam dum vxori exponit, oſtendit, quibus moribus & quo aſtu queat marito vel quàm maximè placere; vel ne diſpliceat, euitare. Ex altera rurſus parte, cùm & ipſa eiuſdem ſit cum vxore ſexus, habeatque omnium muliebrium affectionum cum ea communionem, procliue ipſi eſt, vt fratrem monitis ſuis ad eum modum comparet ac formet, quo vxori ſuæ ſit gratiſſimus. Ex eadem radice γάλερος apud Græcos hilarem, lætum, iucundum gratumque ſignificat, nec aliunde γαλήνη deriuatur: Scaliger hanc vocem à Gal, quo fluctus notatur, deriuari ſcribit, fluctum cum tranquillitate confundens. Noſtrates picas varias olim Gaias vocabant; vnde Gazzas Itali quidam, Goticum ſermonem corrumpentes, vocarunt. Eſt enim auis non ſolùm eleganti plumarum varietate in primis placens, ſed humani etiã ſermonis imitatrix dexterrima. Hinc factum, vt pſittacus peregrina auis ob eaſdem dotes **Papen**-gaia vocaretur; quia nimirum non cuiuſuis, ſed ſacerdotum & Pontificum Gaia ſiue pica varia ob pretij magnitudinem & ſingularem elegantiam videretur. Eat nunc quiſquis, & peregrinitatis Galaticum nomen accuſet, cuius radici Cimmeriorum vernaculæ, cùm Græci tot debent voces, tum Latini ſuum vocabulum Caius acceptum ferre coguntur: quod ſi negent; proferant mihi rationem vel minimã, cur vel Caias matresfamilias vocarint, vel Caius in prænominibus vſurpent. Romanos à Iano, qui Iapetus eſt, vt in Croniis docui, & Cimmero genus ducere, quamuis nõ aliis quàm plurimis certiſſimis rationibus conſtaret; de hoc tamen nuptiarum, quem expóſui, ritu, & prænominibus, cùm aliis tum his Caius & Cnæus coniecturam valde probabilem facere poſſemus. Caius enim clariſſimam habet earum Iapeti virtutum memoriam quibus patri ſuo præ cæteris fratribus plurimum placuit, & eum qui ſic nominatur admonet, vt ſe Caium & iucundum tum patri tum cæteris omnibus præſtet. Diſcat ergo Quinctilianus ex noſtra lingua cur Caius per G ſit efferendum, cuius cauſſam nunquam de Latino ſermone depromet. Nec facilius vel ipſi vel Varroni fuiſſet docere, qua ratione Cnæus per G ſimiliter eſſet enunciandum. Nobis perſpicuum eſt, **Gnaet** clementiam notare, vnde Latini Gnæum dixerunt, tametſi citra diphthongum malè pingant. Nobis vel diphthongus ſcribitur vel a lõgum. Germani ſuperiores a ſcribunt, exigua vocalis e figura ſupernè incumbẽte. C autem pro G in vſum veniſſe apud Latinos crediderim de vetuſtis aliquibus marmorum notis, in quibus pars ipſius G poſterior, vel eraſa fuit, vel tam exilis, vt à C non diſtingueretur; quod facillimè in Tiburtino lapide accidere poſſet, in quo ea pars qua hæc littera ab altera differt, fortaſſis inciderit in aliquam cauernarum, quibus hic lapis abundat. Atque hæc quidem de Gallorum nominis interpretatione ſufficerent, niſi Galli, Cybeles ſacerdotes, me reuocarent, quorum occaſione Baptiſta Pius, Gallos per conuicium Romanorum nomen adeptos fuiſſe, quaſi exſectorum hominum mollitiem haberent, alicubi, niſi memoria me fallit, literis mandauit, hoc ipſo ſuo commento maximi ſe coärguens ſtuporis & barbaræ temeritatis. Quis tam vecors, tam communis ſenſus expers, vt ſic cogitet, Gallos perpetuos Romanorum hoſtes nomen ſibi vel accipere vel retinere voluiſſe, quod hoſtium contumelia impoſuiſſet? Si quis tamen ita ſentiat, eum profectò non teſticulis ego, ſed cerebro carere dicam. Præterea vitioſè colligit quiſquis ita colligit: Si Cybeles ſacerdotes Galli vocabantur, & erant caſtrati, teſticulorum priuationem Galli nomen denotat. Ouidius & Feſtus Gallos à Gallo fluuio dictos putant; quoniam qui ex eo bibiſſent, in eam inciderent amentiam, vt teſtes ſibi eximerent. Gallum fluuium in Sangarium euolui neſcius non ſum; at minimè credam, tam noxiam fluminis vim fuiſſe, vt homines vel furibundos redderet, vel enecaret. Quantum ſemper virium habuerint ad homines dementandos vanæ ſuperſtitiones, qui neſcit, is alienus eſt ab omni non hiſtoriarum modò lectione, ſed vitæ etiam communis vſu. Quod alibi de Branchidarum oraculi exordio ſcripſi, ei perſimile quiddam ad Peſinuntem quondam accidiſſe, vix arbitror in ambiguis ponendum. Vt autem Gallos hic quondam, ſicut non procul inde terrarum Aſcanios habitaſſe credam, faciunt ipſæ fluuiorum nomencla-

Loos. i. callidus.

γάλερος.
γαλήνη.

Gaia. i. pica varia.
Gazza.

Papegay auis vnde nomen habeat.

Caius & Cnæus cur per G efferendũ.
Gnæus vnde dictus.
Gnaet.

Galli Cybeles ſacerdotes exſecti.

Gallus fl.

menclaturæ. A Gallis itaque priſcis valde olim in Phrygia diatribam inſtitutam fuiſſe, in qua non humanarum tantùm rerum, ſed diuinarum etiam cognitio traderetur. Inter alia igitur documenta ſacris ritibus peragendis neceſſaria, fuiſſe & illud præceptum, vt ſacerdos ſe caſtraret, id eſt, ab vxore, quamdiu ſacris operaretur, abſtineret, atque ab omni ſpurca cogitatione mentem emundaret. Id hominum animis cacodæmonis fraude ad fœdam idolomaniam prolapſis exſecandi ſibi teſticulos dediſſe occaſionem, eò minus admirandum, quòd ſimile quid homini excellentiſſimo in religione noſtra legamus accidiſſe; qui ob id quòd in Euangelio Chriſtus dixit Eunuchos quoſdam eſſe qui ſe ipſi caſtrauerunt propter regnum cælorum, ſe teſtibus orbauit. Sed his & id genus cæteris ſuperſtitionum inſaniis, de quibus aliâs fortaſſe, miſſis, hoc dignemur annotatione, Gomerum prius in Aſia Gallos & Aſcanios poſteros ſuos, quàm in Europa condidiſſe, & idcirco bene à nobis alibi traditum eſſe, priſcam Phrygum linguam noſtratem fuiſſe, cuius cùm aliæ voces, tum Bec in primis nobis dedit argumentum. Quemadmodum itaque in Europa Galli & Germani eadem olim lingua vtebantur; ita multis prius ætatibus Teutones, qui Aſcanij ſunt, in Phrygia eundem ſermonem cum Gallis habuiſſe deprehenduntur. Quamobrem dum Galatæ longo pòſt ſeculorum interuallo ex Europa in minorem Aſiam traiicerent, minimè inuaſerunt alienas ſibi ſedes, quos vtinam noſtræ ætatis Galli & Germani imitati, Ogygiam illam parentum noſtrorum poſſeſſionem poſtliminij ſibi iure vindicare potius ſtuderent, quàm ciuilibus bellis orbem lacerare Chriſtianum & religionem noſtram, immanibus barbaris non contemnendam modò, ſed calcandam etiam atque extinguendam vltrò propinare. Liquere nunc puto, Gallico nomini nihil eſſe cum Eunuchis; tametſi Cybeles ſacerdotes eo ſe nuncuparint, ad maiorem ſuperſtitioni ſuæ conciliandam venerationem; dum non ſolùm Galli fluminis aqua ſeſe abluerent & expiarent, ſed Gallico etiam nomine, quo nihil in Phrygia vel antiquius vel magis venerandum ob Iapeti memoriam, quam refricat, ſeſe venditarent. Cæterùm poſtquam nomenclaturæ huius ratio ad Peſinuntem inuenta, firmam eorum quæ de Gallis & Germanis dixi concordiam ſtabiliuit, agnoſcat Baptiſta Pius ſeſe conuicio ſuo non contemnendam nobis attuliſſe vtilitatem; atque adeò non obſcuraſſe nobile Gallorum nomen, vt ipſum etiam multo reddiderit illuſtrius, licet imprudens & inuitus. At exiſtet aliquis fortaſſe, qui nos omnia vndiquaque ad minutias vſque examinantes interroget, vnde Galli nomen apud Latinos pro aue, nocturno cantu ſolis curſum notante, vſurpatum deriuetur? Poſſem dicere in cauſſa fuiſſe pugnacem eius animalis naturam, qua Gallis conferenda videretur. Verùm quod ipſe non credo, id aliis obtrudere non eſt mei candoris; tametſi maiore id probabilitate diceretur, quàm quod de Gallo Martis armigero poëtæ confinxerunt. Vellem hic Varronem audire, aut quenquam eorum qui in vocum rationibus expendendis non minoris ſunt ſollertiæ. Gal quid ſit, ſatis explicatum. Hel item altum ſignare, dixi; nomen vt alia multa notatione ſua complexum; ita voci frequentiſſimè tributum, vt cùm dicimus, Hel-ſtem pro alta voce, & Hel-geluit pro alto ſono. Gal-Hel igitur, & compoſitè Gal, altam vehementemque vocem, quæ quidem eius naturæ ſit vt placere debeat, ſignabit. Hinc Galm, adiecta mugiente littera, ſignat ſonum eum qui remanet poſt primum ictum quo ſonus aures ferit. Ex Nacht, quo nox denotatur, vnde Latinis nox, & Græcis νύξ, nobis non illis nominis ratione conſtante, atque Gal, componitur Nachtegal, vocabulum luſciniæ ſiue philomelæ proprium, propterea quòd hæc auis nocturno maximè tempore altiſſima voce homines oblectet. Ex eadem voce Gal & Hui, quo cuſtodio notatur, fit Gal-hui; eam ſignificans auem, quæ alta voce totius noctis cuſtodiam ſeruat, & hominibus indicat, vt ſeſe cuſtodiant, & iuſta temporum obſeruent momenta: Vnde Gallus, geminata media ad altam vocem intendendam, quæ quanta ſit in Gallo, illi norunt, qui viatoribus iter per gallicantum metiuntur. Quàm verò rectè à cuſtodia alta voce decantata nomenclaturam hæc auis ſortiatur, Teutonibus caſtra ſequentibus iudi-

Gomerus prius Gallos & Aſcanios in Aſia quā in Europa cōdidit.

Phrygū priſca lingua eſt Cimbrica.

Aſcanij.

Gallus gallinaceus.

Hel.

Gal.

Galm.

Nacht.

Nox noctis.

νύξ.

Nachtegal.

iudicandum relinquamus, qui ad eius horologium nocturnas vigilias partiuntur. Quamuis autem Gal noſtratibus hoc tempore non ferè ſit in vſu in ſimplicium vocum numero; ex compoſitione tamen eius nominis quo vocaliſſima auicula ſingulare ſilentis noctis oblectamentum nominatur, & ex deriuatione vocabuli Galm, perſpicuum fit, olim apud maiores noſtros vſurpari ſolere. Eſt tamen id obſeruatu dignum, in Gal pro alta iucundaque voce, vocalem produci; quæ ſi corripiatur, longè diuerſæ ſignificationis vocabulum efferetur; Gel nimirum ſignificaturum, à colore flauo ſiue pallido, qui nobis Geel vel Geluwe, ſuperioribus Germanis Gaelb dicitur. Et quoniam in hoc nomen incidimus, obiter opem feramus Iuuenalis commentatoribus, & vnà etiam Turnebo, & ſi qui alij ſunt, quibus necdum liquet, quis color Galbinus vocetur. Satyrographus de his mollibus inter alia hæc habet:

Geel/Geluwe.

...vitreo bibit ille Priapo,
Reticulumque comis auratum ingentibus implet,
Cærulea indutus ſcutulata aut galbana raſa.

Galbanum, quid apud Iuuenalem ſignificet.

Ad hunc locum Ioannes Britannicus: Galbanum genus eſt coloris albi, vt aliqui putant, & ſublucidi. Turnebus huic addit, Vegetio in Veterinaria florem Eryngij eſſe galbinei coloris, quem cùm ex herbario doctiſſimo, vt ait, coloris cærulei dilutioris eſſe intellexiſſet, in eo acquieuit. Nos flauum colorem Galbinum eſſe ſtatuimus, & Vegetij Eryngium flauum habere florem, quem Aëtius in montano Eryngio aureum dixit, quod genus à reliquis Eryngiis hac nota ſeparauit. Vidi ad Vallem Dolitanam in aruis ſpinæ genus ſatis frequens, quod & Romæ intra mœnia recordor vidiſſe, copioſo lacte, dum folia abrumperentur, manans. Sapor huic dulcis, flos aureus, quem edere conſueui extra etiam acetarium; & reuera dum tenera adhuc herba eſt, tota eſt veſca. Quamobrem non abſurdus mihi fuerit eius ſermo, qui dicat hoc genus ad Eryngium etiam referri poſſe, tametſi alius fortaſſe mallet Scolymo apud Theophraſtum comprehendi. Sed hæc preſſius conſiderare, non eſt huius loci. Illud ſatis eſto, non poſſe de vulgari Eryngio illud Vegetij intelligi, non magis ſanè quàm Aëtij locum, quo aureum florem montano ſuo Eryngio adſcripſit. Debuerat Turnebus lexico ſuo Latino Græco potius credere, quod Galbum χλωρὸν reddidit, quàm de homonymia nominis Eryngij colorum confundere diſcrimen. Icterus morbus, quem auruginem Celſus interpretatur, colore ſuo ſatis declarat quis ſit color Galbus, eo quòd auis Icterum ſolo, vt volunt, conſpectu curans, à colore Galgulus dicitur apud Plinium, apud Martialem Galbula: nobis Wede-wal ſiue Wewal, vt perſpicuum fit ex Hildegarde, widewallum Ictericis commendante. Huius itaque auis color inſigniter flauus, oſtendit quis color ſit galbinus. Eandem auem luridam vocat Plinius, aiens gemmam quæ Icterias vocatur, ei colore ſimilem eſſe. quo nomine flauas gemmas, quas hodie perperam hyacinthos flauos appellant, comprehendit.

Galbinus color.

Eryngiū herba.

Icterus.

Galgulus auis, Germanis Wedewal.

Icterias gemma.

Tertium huius apud eum genus quod viridi folio ſimile dicit, eos continet lapillos quos Chryſolithos virides nunc vocant. Arquatorum igitur color galbinus erit, quem Lucretius luridum dixit:

Lurida præterea fiunt quæcunque tuentur
Arquati.

Hinc Galbeum ornamentum aurei coloris fuerit, & Galbana veſtes flauæ aurum referentes, atque idcirco hominum delicatorum, quibus hic color propter metalli pretioſiſſimi ſimilitudinem placuiſſe videtur, qui hac quoque tempeſtate in ſericis raſis ſplendidiſſimus eſt, & quamplurimis gratiſſimus. Vox noſtras nobilitatē eius coloris declarat. Eſt enim Geel quaſi Ge-eel, id eſt, dans nobilitatem, vel ad eam tendens. Eſt autem & ferula quædam ob colorē, ni fallor, Galbani nomine donata, cuius ſuccus colore flauo eſt ſaturato, ad Ruſceum accedens. quæ vox item originis eſt noſtratis, à Roſch deriuata. Vnde facies Ruſcea quæ ſit, intelligitur. Columella inter aruorum vitia

Galbeum ornamentum.

Geel *vocabulum vnde formetur.*

Ruſceus color Roſch.

Galbana commemorat. Antonius Morlionus illud ferulæ genus quod *Biſnago* vocant Hiſpani, ad Galbanum referebat, ne nomine prorſus careret: nec malè profectò, propter colorem flauum. Et eſt haud dubiè aruorum vitium, propter ſeminis copiam latè graſſaturum. Vide quò nos rapuit Gal vocali breui, à Geel, ſiue mauis Geal deductum, vt fel notaret. A Gal Græci acceperunt ſuum χολὴ cum tota progenie; quod niſi fatebuntur, aſſignent vocis rationem. Ariſtoteles in Elenchis ſophiſticis meminit felle aureum colorem adulterari; ita vt meritò ab eo nomen apud nos ſortiatur. Nihil hæc quidem omnia ad Gallum, vel hominem vel auem, ſed talia tamen, vt ex iis doceamur, Gallico ſermoni ſiue Cimbrico, plurima cùm Græcorum tum Latinorum vocabula deberi; quorum notationes non ſatis claræ ſunt, niſi ad natales vocentur. Longè enim à germana vocis ſignificatione receſſerunt, qui Galli nomine exſectum notari putarunt: quo fit, vt ridiculum etiam ſe reddiderit Iſidorus, dum auem Gallum dici vult, quòd ſoleat frequenter fieri capo. Ab euirata, ſi diis placet, natura illi animali nomen dabitur, quo nullum eſt reperire magis maſculum; adeò vt ipſi etiam leoni vi ſua ſolari incutiat horrorem. Hoc ſcilicet eſt nominum dare veras rationes. Sed de hac aue prorſus virili & regia, nedum ab emaſculatis viribus nominanda, plura in Gotodanicis memini ſcripſiſſe. Nunc itaque non Gallici tantùm nominis & Galatici notationem aperuimus, ſed eius ductu eò etiam peruenimus, vt non ſolùm fauſtam gentis nomenclaturam & moribus ipſius apprimè conuenientem eſſe cognouerimus, & multas voces Græcis & Latinis declarauerimus, ſed hoc etiam videamus, non malè Bocchum ſcripſiſſe Vmbros Italiæ populos antiquiſſimos ſobolem eſſe Galatarum, cùm nihil ſit abſurdi, omnes Ianigenas, Galatas, vtpote Gaij colonos, nuncupari. Caueant igitur poſthac Latini, ne Gallos Barbaros nominare, & priſcam eorum linguam contemnere audeant, niſi Ianum ſuum aſpernari & exaſperare contra ſe velint; & Ogygiam ipſius linguam, è qua Latina & Græca corrupta eſt, barbaram vocare, citra quam plurimas ipſorum voces intelligi non poſſe, vt modò in paucis oſtendimus, ita infinitis exemplis docere poſſemus, &, ſi Deus cœptis annuat, mox clariùs oſtendemus. Galatarum tria in Aſia genera & nominum cauſſas in Saxonicis explicaui, addito eius quod D. Paulus dixit, *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit*, ſaniore explicatu, quàm is ſit quem apud D. Hieronymum legimus. Neque enim eo loco Galatas ſtuporis arguit aut ingenij craſſioris, quod ille putat, ſed cùm ſummo ſemper fuiſſent acumine, miratur diuus Paulus, cuius faſcino aut incantamento priſtinam ſuam naturam perdidiſſent. Verùm illa hic non remandemus, ſatis arbitrati monuiſſe, quo loco ea quæ hic omittimus, à nobis ſint illuſtrata, & qui illuc recurrere nolet, eius equidem ſegnitiem non cenſeo adiuuandam. Hoc contrà auſim polliceri, non ductum iri laboris ſui pœnitentia eum, qui Toliſtobogorum, Trocmorum & Tectoſacarum nomina, & in nominibus artificioſiſſimas chrias ad eorum quæ illic ſcripſi, normam examinabit. Vna enim eademque opera cognoſcet, cùm nihil minus quàm Galatis ſollers & perſpicax ingenium defuiſſe, tum & illud, quod perpetuò agimus, vt credatur è Scythia Aſiatica & linguam & gentem Galaticam in Europam veniſſe, nec quicquam omnino diſcriminis eſſe inter Saxones & Gallos priſcos, ſiue nobilitatem gentis vetuſtiſſimam, ſiue ſermonem conſideremus. Nihil igitur admirandum, Græcos tam latè Galatarum extendiſſe nomenclaturam, vt ea Germanos etiam complecterentur; quam, ne tam amplis ſpatiis euagaretur, Ptolemæus de vetuſtiſſimis Geographorum tabulis ſic coërcuit, vt quos Gallos ſiue Galatas communi loquendi conſuetudine vocamus, eos Celtogalatas nuncuparit. Herodotus Celtas ſcripſit vltimos ad occidentem populos eſſe: in eo quidem minimè falſus, ſed in illo lapſus, quòd Iſtri fontes in extremis eorum terminis ponat, neſcio quæ de vrbe Pyrene, & Cyneſiis, & Herculis Cippis ceſpitás. Nos Herculis columnas, extra quas Gades Herodotus ipſe poſuit, nouimus; at quos hic Cippos Herculis dicat, extra quos Celtas collocet, non tam facilè cerno. Suſpicor tamen olim in ea via quæ Herculea dicebatur, ex Italia in Celticam ducens, duas columnas fuiſſe,

Margin notes: χολὴ. — *D. Pauli de Galatis ſententia.* — *Celtogalatæ Celtæ.* — *Herculis columnæ.*

fuiſſe; aut potius duas rupes, inter quas iter per Alpes daretur. Hanc viam equidem crediderim per montem Cyneſium duxiſſe, atque hinc mentionem Cyneſiorum gentis apud Herodotum eſſe. Eſt in ſummo montis Cyneſij iugo planities ſatis magna, quam duæ altiſſimæ rupes niuibus obſitæ deſpiciunt. Eſt in ea ſtabulum diſpoſitorum veredariis equorum, à quo non procul lacus quidam, hinc deſcenſus Italiam verſus maximè præceps, vt ij qui ſequuntur in præcedentium capita caſuri videantur. Certè pars quædam hominum manibus cæſa videtur ad modum ſcalarum.

Herodoti locus quidam explicatur.

Cyneſius mons.

Cyneſii pop.

Quamobrem tota Polybij de Hannibalis per Alpes itineris narratio, multo magis cum hoc monte quadrat, quàm cum monte Genuæ; tametſi ſciam Druentiam è Genuæ monte fundi, per quem T. Liuius, & eum ſecutus Plutarchus, Hannibalem deducit, qui ſoli obſtant, quò minus citra omnem ſcrupulum aſſeram, Hannibalem Lugduno, cuius planitiem Araris & Rhodani iam iam confluxorum alueis & montium inacceſſis rupibus comprehenſam, inſulam vocat Polybius, dicam recta ad Cyneſium montem perrexiſſe, atque in eius deſcenſu eas inueniſſe præcipitiorum difficultates, quas commemorant ſcriptores.

Hannibalis per Alpes iter

Dum equidem Lugduno prius per planitiem, deinde per montem Gabelletum, ac mox Chamerium, & montem Mediolanum & Iſaram flumen tranſgreſſus, in vallem anguſtam veniſſem, quam Tararus fluuius, ſi rectè nominis memini, ingentia ſaxa voluens, & Iſaram in fluxu ſuo vehementer & augens & incitans, mediam ſecat, frequenter Hannibalis laborum recordabar. Iter quidem, quod Lugduno per montem Genuam ad Taurinos ducit, multò facilius eſt; ſed hoc quod dico, meo quidem iudicio Polybij deſcriptioni, & iis fraudibus quas Galli quidem itineris duces machinati fuiſſe dicuntur, magis reſpondere videtur. Hos igitur duos in Cyneſio iugo vertices Herculis mihi columnas fingo; extra quas Herodotus Celtas collocauit Cyneſiis proximos. Nam id de Herculis ad Gades columnis capi nullo modo poteſt: ac deinde Herculana via ab Ariſtotele, mirabilium auditionum auctore, deſcripta, cum his Cippis & Cyneſiis collata, planè videtur hanc intelligentiam approbare. Quod autem de vrbe Pyrene adiecit, id nulla ratione conſiſtere poteſt, niſi quis Heganienſem regionem olim Pyrenen quoque nominatam fuiſſe credat, quæ nunc rectiùs à multis arcibus Πύργεν ſiue Burgen Teutonicè vocaretur, cùm nullum vſquam terrarum tractum æquis ſpatiis contentum inuenias, in quo tot arces numerari queant. Sed quid nos Herodoto medicas manus adhibere tentamus, quando quæ de Iſtro ſcribit, prorſus aduerſentur veritati, quod illi ætati eò magis condonandum, quòd ne Polybio quidem hiſtoriam ſcribente, quicquam adhuc liqueret eorum quæ inter Narbonem & Tanaim continerentur. Satis eſto nos ex eo didiciſſe, gentem eam, quæ vltra Cyneſios ad occidentem habitaret, iam tum Celtarum nomine apud Græcos fuiſſe nuncupatam; atque Ptolemæum deinde conſcium, quàm latè Galatarum nomen olim patuiſſet, Celtogalatas dixiſſe eos, quos Gallos Romani nominabant. Omnibus igitur Galatis, qui inter Oceanum, Alpes & Rhenum habitarent, Celtarum nomen commune quondam fuiſſe cerno, quo cur fuerint vocati, non facile mihi ſit reperire. Nam qui à frigoribus ita dictos putant, cùm Kelt ſiue Kalt frigus ſignificet, rationem aſſignant infinito latiùs, quàm nominis vſus ferat, vagantem. Itali hac tempeſtate Germanos Lans vocant, non alia de cauſſa, quàm quòd eos frequenter audiant dicentes, Lans man, dum alter alterum ſalutat. quo tamen nihil proprium genti notatur, ſed homo eiuſdem regionis.

Lans, quare Germani ab Italis vocentur.

Eo fortaſſe modo cùm Galatæ pugnam inituri clamarent Kelt kelt, quod eſt iugula iugula, vt hodie clamant, *Tuez tuez*; factum eſt, vt à Græcis aliiſque gentibus, quid hac voce ſignificaretur ignorantibus, Keltæ fuerint nominati.

Celtæ, vnde ſic vocati fuere.

Quòd ſi quis contentioſè mecum agens, argumentis de moribus petitis, euincere niteretur, C hac in voce haud ſecus atque in Caius per G efferri debere, atque ideo Kelt idem eſſe cum Gelt, lubentiùs cederem, quàm in re incerta multis verbis altercarer. Et procliue alioqui eſt Kelt audire, dum Germani quidam Gelt pronunciant, non alterius modò linguæ hominibus, ſed noſtris etiam vernaculis; ita neſcio qua celeritate ipſius mediæ literæ ſonum attenuant, præ nimia fortaſſe eius cui inhiant, adipiſcendi feſtinatione. Gelt enim pecuniã ſignificat, cuius

gratia

gratia à Gallis priſci Cimmeriorum inſtituti iam olim oblitis pleraque omnia bella cõtra exteros ſuſcipiebantur; & non contra exteros tantùm pugnabant pecuniæ cauſſa, ſed pro exteris etiam lubentiſſimè ſtipendia faciebant. Quia ergo quocunq. veniſſent, ſe dicerent pecuniæ gratia veniſſe, vel rapiendæ vel militari ſeruitio promerendæ; fortaſſe à veritate nõ aberrarit, qui dixerit hac cauſſa Keltas fuiſſe nominatos, qua via Celtarum, & Crygmanorum, & Germanorum nomen eiuſdem ferè profeſſionis haberet notationem, eo ſolo ſeruato diſcrimine; quòd hi à ſolo nudoque acquirendi ſtudio, illi à pecunia, cuius gratia facerent omnia, nuncuparentur. Mirum ni & illud crebrò in ore habuerint, **Gelt of kelt**, id eſt, vel pecuniam det, vel eum iugula: quod celeuma non olim tantùm, ſed hodie etiam nimis frequens eſt: atq. hinc lubricus etiam lapſus fuit è **Gelt** in **kelt**, tametſi vocalis in **kelt** pro iugula, longa nobis ſit, quæ in **Gelt** breuis auditur. Videntur itaque Galatæ non quouis tempore ſe Celtas nominaſſe, ſed tum dumtaxat, cùm pecuniam bello quæſitum exiiſſent. Pòſt verò nomen teſſeram gerens militarem eius rei cuius cupidine ducti arma ſumerent, cœpit nomen eſſe gentile, primùm quidem totius nationis, tandem verò vnius partis, cui hæc appellatio maximè præ cæteris placuiſſe videretur: quod ſi ſic acciderit, idem prorſus in hoc quod in Germani nomine vſu veniſſe cernitur. quæ conſenſio conſuetudinis in duobus populis æquè eadem de cauſſa bellorum auidis, non parum facit ad id, quo facilius hæc poſterior de pecunia ad nomen tranſlata ratio, à me probetur atque credatur. Nec gratus ſim Gallis & odioſus lectori, ſi prolixè de veterum vtriuſque linguæ & Græcæ & Latinæ ſcriptorum teſtificatione repetam, quoties Galli quondã alias gentes inuaſerint & depopulati ſint. Sciunt Græci, ſciunt Romani, ſciunt Aſiatici, quas clades quondam dederint, quantoque pecuniæ amore flagrarint; quamque nulla pars orbis ab eorum incurſu fuerit immunis. Facit hoc Celtarum nomen inſigni ſuo cum gentis motibus conſenſione, vt in ſuſpicionem veniam, vocem eam qua Hebræi Gallos nominant, ex eodem fonte manaſſe. צָרְפַת enim ſi de Gallico ſermone interpreteris, mox offert notionem non admodum à magno pecuniæ faciendæ ſtudio diſſidentem. Quamuis enim Sarphat vulgus pronunciet, mihi tamen de matricis linguæ cum cæteris quæ inde fluxerunt extra dubium eſt, primam huius vocabuli litterã aliquando idem quod ſt, aliquando quod tſ valere, & p frequenter in locum b venire: quod ſi ad hoc nomen admittamus, inueniemus **Starbat** ſiue **Sterbat**, quo notatur is qui emiſſitiis quaſi oculis atque attẽtis lucrum ſemper intuetur. Huius fortaſſe nominis occaſio tum data eſt, cùm Cimmerij totam Aſiam peruaderent, ſeſe adeſſe dicentes, vt perfectiora adderent omnia vitæ inſtituta; quod eorum lingua quos inuaderent profiterentur; credo tamen inter eos non defuiſſe, qui ſimpliciter quod haberent maximè in votis, id nomine ſibi vernaculo declararent, dicerentque ſe non tam Cimmerios eſſe lingua Hebræorum dicendos, quàm ſua ipſorum Sterbatos, id eſt, intentos oculos ad lucrum vtilitatemque habentes. Sed hæc tantum valeant, quantum dubiæ in rebus alta temporum caligine inuolutis coniecturæ: hoc ſaltem cõſtat, hac voce Hebræis Gallos nominari; cuius rei qui plura certioraq. ſibi
B. Ariæ Mõtani laus.
deſiderabit argumenta, is doctiſſima doctiſſimi vndiquaque Benedicti Ariæ Montani commentaria in Abdiam prophetam diuino prorſus inſtinctu ſcripta conſulat, in quibus non hoc modò diſcet, verùm etiam ingentes margaritarum inueniet theſauros, ex intimis oraculorum, quibus humanæ ſalutis myſteria vatibus ſunt reuelata, depromptos abyſſis. Verùm quia apud Hebręos vocales non ſcribuntur, poterat צרפת ſic legi, vt ſit **Stoorpat**, quo commodorũ omniſq. vtilitatis perturbator notaretur; quæ
Comerorũm populorum vocis origo.
notio eadem eſſet cum ea quã per vocem **Commer** intelligimus. **Cum-ber** idẽ nobis diceretur, quod tam graue eſt & moleſtum, vt vix ferri poſſit. de qua voce in Croniis. Inde fortè à Feſto annotatum, Cimbros Gallis latrones notari, diphthongo uî in i mutata, vt hodie in harpyia efferimus: quamquam credo id à Gallis non tam ob propriam vocabuli notationem dictum fuiſſe, quàm propter odium eorum Cimbrorum qui licet eandem cum ipſis generis originem haberent, totam tamen Galliam crudeliſſimè latronum more vaſtaſſent. Quòd ſi **Commer** quis dicat, rerũ commodarum vtiliumq. ſignificat impedimentum, à **Com**, quod inter alia ſignificat conuenit & accidit, vt **Het comt my wel of qualic**, id eſt, bene vel malè rebus meis cõuenit ſiue accidit. Huic ſi **Mer** addas, quo demorari notatur, idem fuerit **Commer**, quod eorum quæ euenire cupimus, remora & obſta-

obſtaculum. Præter illam itaque rationem, ob quã Cimmerios potius ſe, quàm Gomerios nominari Cimbros voluiſſe, modò de coniectura tradidi; accedit & hæc vocis Commer ſignificatio, quam ob alluſionem ad Gomer conuicij loco fortaſſe crebro ab iis qui eandem linguam idemque genus haberent, audientes, non putabant ſibi pro gentili nomine retinendam, ſed loco eius Cimber ſubſtituebant. Gomer ſiue Go mar, in quo G perinde atque in Caius in C tranſiuit, frequenter vt Comarius pro Gomarius diceretur, idem eſt quod homo bonæ famæ; cuius loco malignis procliue fuit, vt Com-mer pro Comer pronunciarent, notionem contrariam prorſus obiicientes. Quicquid autem cauſſæ fuit, cur pro Comaro Cimmer & Cimmerius diceretur, id ſaltem conſtat, hanc nominum iam olim inductam fuiſſe commutationem, quod clariſſimo indicio in iis cernitur, quæ Strabo de littore quod à Nicopoli Corcyram verſus Epirum terminat, commemorauit, in quibus ad Acherontem fluuium monumenta duo ſunt Cimmeriorum; quorum alterum Cimmerium eſt promontorium, alterum Comarus portus quidam non magnus Iſthmum cum ſinu Ambracio efficiens, ſtadiorum ſexaginta ad ipſam vrbem, à victoria Auguſti contra Antonium & Cleopatram & nomen & primordia ſortitam. Cimmerij ferè vbicumque locorum fuerunt, inferorum aliquam memoriam reliquiſſe videntur, vt ad Nicopolim Acherontem flumen nominarunt ex Acheruſia profluens palude: quod quidem in Italia ad Cumas & Baias apertiſſimè feciſſe deprehenduntur, vbi non Acheruſia modò palus, ſed Auernus etiam celebratur, nomina Homero de Vlyſſis ad inferos deſcenſu fabulandi occaſionem largita. Ex hoc antiquitatum Cimmeriarum conſenſu mox perſpicuum fit, corruptum eſſe Strabonis exẽplar, quod pro Cimmerio Chimerium poſuit: tametſi non ignorem, fuiſſe qui Cimmerios quaſi Chimerinos dictos arbitrarentur; atque inde fortaſſis irrepſerit error, de peruerſa cuiuſpiam ita ſentientis emendatione. Acheruſia palus Cimmerios clamare videtur æquè hic atque in Italia: atque inde liquet, quis fuerit Comarus, cuius monumentum portus ille cõſeruaret, ad quem principium fuit eius monarchiæ in qua Chriſtus naſci voluit. Vicinia itaque Comari portus & Cimmerij promontorij, Comari & Cimmeriorum declarãt cognationem: & ne hic vnus locus Comari dumtaxat memoriam ſeruaſſe credatur, conſulendus Ptolemæus, qui Comaros ſiue Chomaros populos in Bactriana collocauit, & in eadem Chomarum ciuitatẽ, qua in regione, vti prima poſt diluuium Ianigenarum ſede, nomenclatura integra permanſit, Chomaris needum occaſione data ob quam eam commutarent. Sunt in Germania ſuperiore Cimmeriorum reliquiæ quædam, eorum, vt opinor, qui valde olim ad Heluetiorum fines conſediſſe narrantur, Cimbricæ illæ quidem antiquitatis titulo nobiles: at apud nos quamplurimos inuenias Gomaros nuncupatos; inter quos & ille fuit cuius Liræ auguſtum templum viſitur. Quamobrem de ſermone noſtro vocis integritatẽ examinemus, in quo ab illa vſque ætate qua in Bactriana maiores noſtri Gomarorũ ſiue Chomarorum nomine clari habitarunt, intemerata permanſit; eos notans qui boni nominis ſunt atque bonæ famæ, ſi quis vocem de lingua noſtra, cuius eſt vernacula, interpretetur. Atque hæc quidem de Gallorũ nominibus, quibus generatim omnes apud priſcos ſunt vocati.

Cimmerij. Cimbri.

Cimmerium promontoriũ. Comarus portus.

Acheron fl. Acheruſia palus.

GALLI-

GALLICORVM

LIBER III.

POSTQVAM nunc de Gallorum & vernaculo ſermone, & priſcis nomenclaturis mihi videor ſatis multa dixiſſe; ordini conſentaneum fuerit, ea quæ Iulius Cęſar ex Druidum auctoritate de generis ipſorũ principe tradidit, examinare. Niſi enim illa præuertiſſemus quæ de priſca eorum lingua docuimus; nullo modo hanc quæſtionem potuiſſemus explicare. Quid enim fabulæ ſimilius, quàm Ditẽ primũ Gallorum conſtituere parentem? niſi fortè quis ſic genealogiam interpretetur, vt ij qui ſic tradiderunt, dicere voluiſſe dicantur, Gallos obſcuro genere natos; & non alium primum ſtirpis auctorem nouiſſe, quàm vel ipſam caliginem vel terram, cuius imperio Dis potitur. Equidem niſi priſci ſermonis Cimmerij peritus eſſem; minimè abſurdam eorum opinionem qui ſic arbitrarentur, exiſtimaſſem; & lubenter iis conſenſiſſem, Gallos Gigantum fratres ex Druidum doctrina haberi poſſe. Verùm cùm Druides veritatis & ſapiẽtes & præmõſtratores, de nomenclaturæ interpretatione eſſe docuerim; abſurdum eſſet cõfiteri, eos in ſuo ipſorũ genere vel tam aberraſſe, vel tã veritatis fuiſſe negligentes, vt in maioribus ſuis enumerandis ad nullum principẽ potuerint peruenire. Pſeudoberoſus & Annius eius mango Samothen nobis neſcio quem commenti ſunt, qui Dis quoque fuerit nuncupatus. Legerat hic apud Diogenem Laërtiũ Druidas & Samotheos apud Celtas & Galatas primos ſapiẽtię fuiſſe doctores: cuius rei fidem ex Ariſtotelis Magico, & Sotionis viceſimo tertio Succeſſionum libro adſtructam videmus. Cæterùm exemplar meum Baſileæ excuſum non Samotheos, ſed Σεμνοθέους habet, vocem Græcæ quàm Gallicæ formæ ſimiliorem; quam tamen ſolius

Pſeudoberoſus & Annius reprehenduntur.

Pſeudoberoſi & Annij auctoritate non magis corrigere velim, quàm pro Megaſthene legere Metaſthenem, vt eum feciſſe in Croniis meis demõſtro. Demiror interim temerariam impudentiam huius nugatoris, qua mendaci ſuo Beroſo maluit quàm Moſi adhærere: & dum Samothen Comeri fratrem fingit, & primum Gallorum parentem, à Ioſepho, qui verum Beroſum legerat, diſcedere, apud quem clariſſimis verbis expreſſum eſt, Galatas à Gomaro genus duxiſſe. Vtrum igitur mendacij accuſabo, Anniúmne cum ſuo fictitio Beroſo, an Ioſephum cum Moſe & vero Chaldæorũ Beroſo? Abſit vt tam ſim vecors & inſanus, vt deſertis verę antiquitatis ducibus, effronti huic mendaciorũ textori accedã, aut eius teſtificationẽ tanti faciam, vt eã vel conferre Ioſepho, nedum præferre tentem. Ne videlicet idem Cimmeriorum in Italia & Gallia primus parens diceretur; finxit nobis, ſiue Annius, ſiue laruatus Beroſus, Samothen Comeri fratrẽ; quaſi abſurdũ eſſet, duas has nationes ad eundem generis principẽ referre. Num abſurdius eſt Gomarum & Gallos & Italos, quàm eundem Iapetum vtramque gentem condidiſſe? Quid? an non Nochus omnium pariter gentium pater eſt? At defuiſſent ei delira ſomnia, quibus cum chartas & bonas horas perderet, tum hominibus in ipſius libris malè feriaturis illuderet. Reiectis igitur impudentiſſimi hominis mendaciis, illud quod non ſemel modò dicendum fuit teneamus, Galatarum genus ad Gomarum pertinere, & ſuperius ad ipſum Iaphetum, & ſic Druidas intelligamus, vt Iapetum pri-

Iapeti varia nomina.

mum Gallicæ gentis auctorem fuiſſe dicant, quem ipſi Ditẽ vocarint; non alia de cauſſa quam ea de qua Vrancus quoque ſiue Francus, vt malè plerique ſcribunt, indigetatur. Mirifica fuit illa Nochi benedictio, qua Iaphetum & eius genus ornauit, in hanc ſentẽtiam; *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, & ſit Chanaan ſeruus eius.* Atque idcirco digniſſima poſteris viſa commemoratione ſempiterna. Hinc itaq. dum alij aliis nominibus Iaphetum honorarent, & æternæ poſterorum memoriæ conſecrarent, Druidæ Ditem quoque nominandum putauerunt. Vt enim Nochi primi omniũ hominum poſt diluuium natorum parentis varia epitheta fuiſſe, Indoſcythica noſtra docuerunt; ita & Iapheti complura fuerunt cognomina, à dotibus quibus eum diuina gratia ornauit, accepta. In Francicis oſtendi, Vrancum dictum fuiſſe à palmitibus latiſſimè extenſis; & modò in hiſce commentariis tradidi Caium quoque fuiſſe nominatum, ob id

ob id quod patri ſuo vnicè placuiſſet. Quam verò ob rem Ditis nomen meruerit, nemini dubium poſthac erit, qui Nochi benedictionem cum vernaculo Druidarum ſiue Gallorum ſermone compararit. Dit nihil aliud eſt, quàm id quod Latinis increſcit, augetur & res ſuas promouet. Vnde formula terminationis Latinorum Dis, in cuius obliquis caſibus indicia extant originis primariæ luculentiſſima. Nihil ergo fabuloſum aut à veritate deuium Druides Gallos ſuos docuerunt, dum eos ad Ditem patrem genus referre debere prodiderũt; tametſi qua de cauſſa id tradidiſſent, nec Cæſar, nec quiſquam hactenus ſciuerit, non Latinorum modò, ſed eorũ etiam qui ſermonis noſtri peritiam haberent. Latini ob linguæ ignorantiam excuſandi; at noſtrates in re clariſſima ita hactenus cæcutiuiſſe, ad mirabilis eſt incuriæ rerũ domeſticarum. Is mos eſt, peregrina admiramur, noſtra vilipendimus: Quid dico vilipendimus, cùm ne videamus quidem; adeò vt quæ de Lamiis fabulæ ferunt, ea noſtris hominibus reuera conuenire videantur. Plurimos enim cernas in Latinis & Græcis & Hebraicis nihil relinquere quod non ad extremum vſque puluiſculum inueſtigent, atque ea in re tam eſſe oculatos, vt cornicum etiam aciem vincere videantur: at in domeſticis vernaculi ſui ſermonis diuitiis tam nullos oculos habere, vt non talpis modò, ſed quauis etiam leberide ſint cæciores; cùm tamen citra noſtræ linguæ opem nemo mortalium vnquam vel Mercurij, vel Hermæ ipſius ſermonis præſidis nomen ſit intellecturus. Cæterùm quoniam Iaphetum Ditem dixi vocari, quæſtio exiſtet, cur Dis Deus inferorum eſſe fingatur? Quæ licet ad Orphicam pertineat theologiam, hoc tamen loco ſuccinctè explicabitur. Priſca virtutum, ſiue poteſtatum diuinarum nomina frequentiſſimè illis rebus creatis, in quibus maximè elucent, applicantur, non angelis modò, ſed hominibus etiam ſæpiſſimè tributa. Sic Nochum alij Saturnum, alij Apollinem, alij Bacchum, alij aliis nominibus beneficium aliquod diuinum & gratiam in eo ſignificantibus nũcuparunt: qui veterum mos malè animaduerſus, magnam dedit occaſionem idolomaniæ, dum tot Deos homines ſibi finxerunt, quot diuinæ dotes ſuis nominibus diſtinctæ inuenirentur; ac quia hominibus ea videbant attributa, exſtitit tandem inſana quædam Deorum genealogia. Saturni igitur nomen, quo ſeminis excellentia denotatur, Nocho datum, propterea quòd ex eius ſemine totum genus humanum ſumpſerit primordia. Hac via & ratione ducti, ſi Ditis nomẽ Deo, cuius proprium eſt, applicemus, abditos diuinæ bonitatis theſauros declarat, de quibus occultiſſimo ductu omnium rerum promotio & incrementa promanant; quæ ſic partitur & diſpenſat, nihil vt magis ſit occultum, & ab humanæ mentis captu remotum. Hinc D. Paulus, licet ad tertium cælum, id eſt, ad ſupremum, in quo Dei thronus eſt, cum Cherubim & Seraphim raptus fuiſſet; cùm tamen quæſiuiſſet, cur alios citra omnia merita ſua ad vitam per fidem promoueat, alios deſerat, exclamauit: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Hæc igitur altitudo diuitiarum profundiſſima, è qua omnis incrementi promotioniſque ratio profluit, via nulli mortalium conſpicua, Ditis nomine apud Orphicos ſignatur. quæ quoniam in meditullio habitat terræ viuentium, fabula conficta, Ditem in tenebris apud inferos imperare. Quoniam verò à ſupremis cauſſis ad inferiores fit progreſſus, id genus nomina pro ſua quæque portione rebus inferioribus accommodantur. Dum igitur de elementorum natura loquimur & rebus corporatis, Ditis nomenclatura ea vis terræ intelligitur, qua omnium rerum augendarum vim poſſidet. Occultis cælorum viribus eam imprægnari videmus, & quodam admirabili coniugio fieri Caiam, ac non ſolùm herbas & arbores & fructus omne genus producere, ſed metalla etiam & gemmas proferre: quæ omnia tam occulta ratione fiunt, vt nullus hactenus Lynceus artificiũ hoc potuerit peruidere, nedum imitari. Cui igitur hoc numen omnia promouens & augens benignum fuerit atque propitium, eum Ditem quoque vocamus, propter beneficij conceſſi communicationem. Latini deinde digamma adiecto, vocem nonnihil mutarunt, Diues pro Dis dicentes, quo inter numen & hominem ditatum, diſcrimen aliquod eſſet. Quoniam verò diuitiarum cauſſa, quarum ius omne penes Ditem eſt, quamplurima ſcelera committuntur, iuxta illud, *Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames?* factum eſt, vt Dis etiam animos iudicandi ius habere crederetur; optimus nimirum cenſor futurus, quo quiſque modo in muneribus ſuis verſatus fuiſſet. Nec hac tantùm de cauſſa

Dis ditis.

Dis quare Deus inferorum fingatur.

Nochi varia nomina.

Diues.

ſic exiſtimatum; ſed & illa, quòd animi omnium mortalium à Dei ſede ſuprema ad terram cacodæmonis fraude fuerint deiecti, perpetuò ibi manſuri; niſi Hercules adamantinas firmiſſimi carceris ſeras claua ſua perfregiſſet. Sed nimium excreſceret oratio, ſi quæ regni huius terreni & eius opum cum Dracone humani generis hoſte ſit affinitas, ſigillatim per capita ſua explicarem. Id vnum ſatis fuerit ex ipſis ipſius veritatis verbis addidiſſe, *Neminem poſſe Deo ſeruire & Mammonæ*. Quod ſic dictum intelligatur, neminem poſſe ſimul Deo ſeruire, & ſimul Ditis muneribus ſe totum dedicare. Quamuis enim non alius ſit diuitiarum pater, quàm ipſe Deus ſub Ditis notione; qui tamen diuitiarum ſe mancipium facit, iam non Deum ipſum, ſed diuitias, & ea quæ diuitiis adiuncta ſunt, pro Deo colit & adorat; non vſu earũ ad quem datæ ſunt perfruens, ſed turpi idolomania ſeſe iis deuouens, quarum contagione ad terram à cælo tractus, Tartaro tandem demergitur. Videmus ergo quàm variè eodem vtamur nomine; quod vt in Dite fit, ita in omnibus poteſtatum diuinarũ nomenclaturis accidere cogitemus: & dum hæc vocabula diuerſa Dei dona denotantia hominibus ob ſingularẽ aliquam prærogatiuam tribuuntur, idolomaniæ magnam dari occaſionem; atque hinc apud antiquos tot Deos extitiſſe, quot vel ab Heſiodo, vel Varrone vel aliis enumerantur. Græci cur Ditem Plutum & Plutonem vocent, alibi explicaui; quod vt hic repetam, nihil habeo neceſſe. Nũc itaque ſiue Iaphetum ſiue Ditem Galli patrem ſuum celebrent, nihil referre ſcimus, cùm pro eodem vtrumque nomen capiatur. Apud Græcos Iapeti memoria non fuit obſcura, ſed ſic figmentis inuoluta, nihil vt veritatis ex ea perſpiceretur. Audiuerant illi quidem à maioribus Iapeti & Promethei cognationem, ſed eam ita peruerterunt, vt qui pater eſſet, eum filium facerent; nec ſcirent omnino quis Iapetus, aut quis Prometheus intelligendus eſſet. Verùm de his in Becceſelanis. Iulius Cæſar quod de Dite expoſuit, bene illud quidẽ; ſed quod addidit, Gallos hac de cauſa noctes diei preferre, ita vt dies noctem ſubſequatur, non rectè dixit. Neque enim ſoli Galli, ſed alij quoque Cimmerij ita dierum ſpatia computaſſe deprehenduntur, vt nox diem præuerteret, non ſanè quia Ditem patrem haberent, ſed quod, vt id fieret, naturæ conſentaneum putarent; quæ hunc ferè omnibus ordinem comparauit, vt imperfecta perfectis tempore ſint priora, in iis quidem quæ ſucceſſu quodam abſoluuntur. Poſſem & alteram adiicere cauſſam, maximam illam quidem, ſed minimè de naturalium rerum ſcientia petendam. Preuiderat fortaſſe vel Adam, vel Seth, vel Nochus, diuini inſtinctus gratia, humani generis ſalutem nocte naſcituram, atque ea de cauſſa noctem diei præponendam putauit, quòd nimirum in ea initium eſſet futurum redemptionis humanæ; quæ pòſt in ipſo die abſolueretur. Fuiſſe verò hunc morem apud cæteros etiam Cimmerios, Goti Italos docuerunt, apud quos hactenus ab occaſu ſolis prima diei naturalis hora computatur, & viceſimæ quartæ horæ finis Sidus in horizonte circulo ſiſtit.

Nox quare diei præferatur à Cimmeriis & Gallis.

Poſtquam modò declaratum, Iapetum primum Gallici generis auctorem à Druidibus celebratum fuiſſe; & à Ioſepo additum, Comatum patrem eſſe Galatarum; ignorari non poteſt, vbi primas ſibi ſedes collocarint. Quando enim in Bactriana antiquiſſimos Chomaros inuenimus, quis dubitabit, quin inter eos Galatarum quoque primi fuerint parentes; qui deinde paulatim in minorem Aſiam deſcenderint, & in Phrygia nominis ſui, tum in Gallo fluuio, tum in ſacerdotibus clara reliquerint monumenta. Mira ſanè fuit ab omni memoria Gallorum & Germanorum cognationis vis, qua factum eſt, vt ſicut hodie vicini ſunt, & alteris etiam alteri immixti, ita olim quoque ſemper vicini permiſtique fuerint, primùm quidem in Bactrianæ Chomaria, deinde in Phrygia, in qua Gallos inuenimus & Aſcanios, quos Germanos Iudæi hactenus interpretantur, ab Aſcanio Comari filio maximo natu genus ducentes. Poſtea in Europa non finitimi rurſus tantùm, ſed etiam in eodem terrarum tractu permiſti. Tectoſages enim vt olim in Aſia Saxonibus & Sueuis, vt Ptolemæi tabulæ docent, vicini fuerunt & ferè permiſti; ita rurſum in Germania Hercinium ſaltum, quem Eratoſthenes Orcinium vocauit, habitaſſe dicuntur. Quid Boij? an non & illi in meditullio eiuſdem ſiluæ tam clari quondam fuerunt, vt regio hactenus nomen à priſcis colonis ſeruarit, dicta Boiemia, quaſi à Boien heim, id eſt, domus Boiorum? Verùm quando, & quibus viis Galli vel ex Aſia in Europam, vel in hac ex vna regione in aliam venerint, deſcribere velle, inſani ſit laboris,

Galatæ ſiue Galli vbi primas ſedes collocarint.

Gallorum & Germanorũ cognatio.

Tectoſages.

Boij.

Boiemia.

propterea

propterea quòd nihil priſcarũ commigrationũ deſcriptum à veteribus reperiatur, quibus è Scythia primi & Germani & Galli in Europam tranſierunt. Non poſſum tamen ſatis admirari veterum Græcorum in orbe deſcribendo diligentiam, cuius beneficio primarum gentis Germanicæ & Gallicæ ſedium facti ſumus certiores; è quibus deinde licet commigrationes veriſimili colligere coniectura. Verùm his miſſis, quas è Scythia in Germaniam, & ex ea in Galliam factas eſſe de tabulis Geographicis conſtat, ad illam nonnihil oculos conuertamus; ad quam Bocchus Maurus viam aperuit, Vmbros Gallorum ſobolem eſſe aſſerens. Dubitari enim poteſt, an Galli à quibus Vmbros deriuat, trans Alpeis in Italiam venerint; an verò perinde atque Ianus nauigio appulerint ex Phrygia in Græciam, inde ad Italiam transportati. Cimmerios vnà cum Iapeto in Italiam veniſſe, de vetuſtiſſimis Cimmeriorum ad Miſenum & Auernum ſedibus probabile duco; inter quos & Gallos fuiſſe, nihil ſit abſurdi ſi dicamus; & neſcio ſanè an Cales ſic à Gallis nomen duxerit, vt à Gaius Latini Caius retinuerunt. Quicquid huius ſit, hoc ſaltem negari non poteſt, inſignia duo monumenta nauigationis Iapeti & Comeri extare, in eo Italiæ littore, quo Epirum & reliquam Græciam transmarinam ſpectat, alterum Iapygium à Iapeto, alterum Cumerium à Comero dictum, promontorium Anconæ portum claudens. Comerum autem hunc olim portum intraſſe, & monti cuius in ſinu ſecura nauibus ſtatio datur, nomen de ſuo dediſſe, Galliæ Togatæ limes argumento eſt, quam ab Ancona incipere Plinius teſtatur. Quamobrem ſi Vmbros Gallorum prolem cum Boccho fatebimur, quibus è Gallis ortos dicemus, niſi ex his ipſis quibus ſunt proxime confines? Quamuis verò Picenis Anconam Plinius cæterique aſſignent, Cumeri tamen nomen indicium præfert, huc primùm Comerum appulſum ſedem ſuis poſuiſſe; licet pòſt alia ſit facta ditionum commutatio, quam vel vis fortiorum, veteres colonos eiicientium, vel nouarum ſedium deſiderium inducere plerumque conſueuit. Prius ergo Senogalliam conditam crediderim, & Gallos hoc littus tenuiſſe, atque ab iis Ombros procreatos eſſe quàm vlli Galli Tranſalpini in Italiam veniſſent, & inde ad mediterranea tranſiiſſe, vbi vndique tuti montium altiſſimorum obiectu, agros colerent: quod vox Ombuer, vnde Vmber, deſignat; licet alij ob gentis antiquitatem à pluuiis cataclyſmi nomen duxiſſe exiſtimarint, vti Plinius annotauit. Sed quid ego hic de Vmbris laboro, aut ſolius Bocchi nitor auctoritate, & Cumeri promontorij nomenclatura, vt doceam antiquiſſimis Italiæ populis Gallos annumerandos, aut potius cæteris omnibus anteferendos? Quis neſcit, Cimmerios in ſinu Baiano habitaſſe, in quo nomen Baiarum balnea notans, certiſſimum hactenus præfert Gallici ſermonis monumentum. Minimè tamen eius ſum ſententiæ, vt omnes Cimmerios Gallorum ſibi nomen vſurpaſſe dicam; hoc ago, vt vnà cum cæteris Ianigenis, qui Cimmerij maximè erant, conſtet Gallos quoque aliquos veniſſe, nomenclatura multò antea in Aſia vel ſumta, vel ab Iapeto, ſic volente quoſdam nominari, accepta. Quæ enim vtilior ad poſteros, aut ſalubrior memoria poterat tranſmitti, quàm ea, qua Iapetus totius generis auctor ſemper teſtatum relinqueret, ſe perpetuò ad hoc incubuiſſe, vt Nocho patri ſuo placeret; atque ita perpetuo nominis monitu, vt idem & filij, & nepotes, & eorum poſteri facerent, hortaretur. Quòd ſi probabilia ſequemur, quid ni ſic colligamus, eos Cimmerios, quos hac blanda nomenclatura dignatus eſt, ipſi fuiſſe gratiſſimos, eoque nomen dediſſe, quo omnis earum, quibus bonorum hominum animi, & ipſi etiam Diui & Diuorum pater ſummus conciliantur, virtutum complexio contineretur. Quis igitur neget, dum ex Aſia in Italiam traiiceret, cùm alios tum & hos ſibi comites delegiſſe, à quibus Galli in Italia etiam propagarentur? Vetuſta profectò locorum tum nomina tum confinia, huic aſſertioni luculentum ſuggerunt teſtimonium. Quàm longè, quæſo, abſunt Cales à Cumis & Baiis vetuſtiſſimis Cimmeriorum ſedibus? Quid Calicula, quid Calatia? An non apertè clamant Galatas hic olim conſediſſe? fingunt neſcio quem Calaim Boreæ filium Calium fuiſſe conditorem, vt eſt apud Silium:

Bocchus Maurus. *Vmbri Gallorum ſoboles.* *Galli cum Cimmeriis in Italiam venerunt.* *Iapygiũ promontorium.* *Cumerium promontoriũ.* *Ancona.* *Senogallia.* *Vmbri vnde dicti.* *Baiæ.* *Galatarum in variis orbis terrarum partib. monumenta.*

Nec cedit ſtudio vicinus ſanguine miles,
Quem genuere Cales non paruæ conditor vrbis,

Vt fama eſt, Calais Boreæ, quem rapta per auras
Orithyia vago Geticis nutriuit in antris.

Agnoſco Silij fabulæ originem. Acceperant à maioribus per manus, Calium ciues, ſeſe eiuſdem & generis & ſermonis cum Getis eſſe, & maximam partem cognationis ſuæ ad Boream habitare; à qua ipſorum primores diuulſi, vnà cum Iano ſiue Caio in Italiam venerint, atque in ea præter loca modò dicta, Caietam quoque conſtruxerint; cuius nomen Caij promontorium ſignificat, ſi de Cimmeria lingua interpreteris. Clariora tamen longè veſtigia ad primam Italiæ oram, qua Cetaunia iuga & Græciam ſpe- *Iapygium promontoriũ.* ctat, extare cernũtur. Quid enim promontorio Iapygio illuſtrius? ad quod, quia primus fuit Iapeto appulſus, nomen ei datum Japsheugt, id eſt, Iapeti hilaritas, læti videlicet, quòd terram eam attigiſſet, in qua diuino inſtinctu præuidiſſet, ſedem fore non imperij modò ampliſſimi & feliciſſimi, ſed veræ etiam religionis, quæ ſola veram Ianigenarum *Iapyx Dædali filius.* generi paritura eſſet voluptatem. Fabulantur ij qui veræ originis ignari ſunt, Iapygem Dædali filium huic regioni nomen dediſſe, tam in ea re veri, quàm in iis quæ de volatu *Dædalus poteſt dici Nochus.* eius cæteriſq; cómminiſcuntur. Si quis vnquam fuit Dædalus qui per aërem volauit, is fuit Nochus, qui arca ſua mediam aëris regionem ſecuit. Huius filius Iaphet è Creta in Italiam venit, atque hinc fortaſſe fabulæ contexendæ fuerit occaſio. Ab Iapygio, pro- *Galata op.* montorio vltimo Italiæ ad hanc partem termino, non longè abeſt Galata, opidum vetuſtiſſimorum in Italia Galatarum monumentum, & quinq. inde paulò plus minus paſ- *Galatinus vicus.* ſuũ millibus Galatinus vicus, in quo nunc Sanctus Petrus in Galatino. Galatæ natus eſt *Antonius Galatæus reprehenditur.* auorum memoria Antonius Galatæus, Iapygiæ ſuæ inſignis præco, qui bonis diſciplinis Neriti initiatus, medicinam pòſt fecit Gallipoli. Hic dum de Galatis quærit, quibus orti *Gallipolis vrbs.* maioribus eſſent, miratur Plinium hanc oram Senonibus adſcripſiſſe; & dum nihil minus quàm Gallicum fert genus quod videtur prorſus odiſſe, è Theſſalia conditores gentis ſuæ mutuatur, inuenta apud Liuium vrbe Galatana. Ne tamen Gallipolis nomen huic officeret opinioni, contendit καλλίπολιν, non Gallipolim dicendam eſſe; contra & Plinij auctoritatem, Gallos hic agnoſcentis, & veterem exemplarium fidem. Mela perinde atque Plinius principem vocis litteram G fecit, & omnis omnium ſeculorum memoria, Gallipolim nobis, non Callipolim dedit audiendam. Cæcutiuit ergo Galatæus Galatici nominis odio, malens mendacium ſuæ credi auctoritati, quàm Plinio, Pomponio, Melæ, & omni omnium ætatum pronunciationi conſentire ſe videri, ne videlicet homo natione Græcus (quo ſe nomine magno faſtu iactitat) in Gallica ciuitate ſe natum eſſe fateri cogeretur. O egregiam cautionem! quanto melius ille, qui ſe mundi ciuem dicebat, quàm hic homuncio, qui & ſe mendacij coargui, & primos patriæ prodere penates maluit, quàm videri natus eſſe in ea vrbe quam quondam Galli condidiſſent. Galatæus, inquit, non à Morinis aut Lingonibus, non ab Allobrogibus aut Sycambris, ſed à Græcis ducit genus. Sit ſanè ita Galatæ: nos Græcis eiuſmodi hominem nó inuidemus, cui prius & potius viſum eſt mentiri & contrariæ partis teſtes corrumpere, quàm nudam & ſimplicem agnoſcere veritatem. Mea nihil intereſt cuiatem me homines dicant, Gallum an Germanum, Græcum an Barbarum, modò veritas me à ciuitate ſua non excludat, aut proditionis accuſet. Plinius optima fide ex vetuſtis auctoribus didicerat, hanc quondam regionis partem Gallorum, Senonum ſedem fuiſſe; atque ab iis Gallipolim prius conditam fuiſſe, quàm à Græcis fuerit habitata. quòd tametſi non ſcripſiſſet, ipſum tamen vrbis nomen faceret manifeſtum, quo poſteriores coloni confitentur, Gallorum fuiſſe ciuitatem. Quod cùm ſit perſpicuum, cui dubium eſſe poterit, vnde Galata vrbs, & Galatinus ager acceperint nomenclaturam? Et quando rogo acceperunt? Nempe antè multo, quàm Græci vel illuc commigraſſent, vel Gallos eieciſſent. quo fit, vt Galatiæ nomen magnam Græciam præuerterit, & ante quàm Idomeneus poſt Troiam captam eò veniſſet, Galli loca illa poſſederint. Qui verò Galli fuerint, Plinius item docuit, aiens oram hanc Senonum fuiſſe; hac tamen ſua nimis quàm Laconica commemoratione plus adferens difficultatis quàm lucis. Nam ſi Latinos ſcriptores, & inter hos primarium T. Liuium con- *Senones Galli.* ſulas, audies Senonas Gallos recentiſſimos eorum eſſe qui è Gallia in Italiam per Alpes tranſcenderunt, cùm tamen primos Sigoueſum & Belloueſum, Tarquinio Priſco regnante, multis pòſt ſeculis, quàm Troia euerſa eſſet, tranſiſſe ſcribant. Qua igitur

ratione

ratione Gallos, non dico Senonas, ſed quoſuis, antè in Iapygiâ collocabimus, quàm vel Dædali filius, vel Idomeneus hic Græcam gentem conſtituiſſet? Deinde quî conuenit his inter ſe, Vmbros Gallorum poſteros eſſe, & non ante Tarquinium Gallos in Italiam veniſſe? Quando in hanc quæſtionem incidimus, operæ non paruum aut leue pretium fore ſpero, ſi non Liuij tantùm, ſed Plutarchi etiam hac in re ſententiam cognoſcamus, quò, quod controuerſiæ plenum & altis tenebris demerſum latet, tandem in lucem emergat. Liuius itaque, De tranſitu, inquit, in Italiam Gallorum, hæc accepimus, Priſco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum; quæ pars Galliæ tertia eſt, penes Bituriges ſumma imperij fuit. Ij Regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit virtute fortunaque, cùm ſua, tum publica præpollens, quòd in imperio eius Galliâ adeò frugum hominumque fertilis fuit, vt abundans multitudo vix regi videretur poſſe. Hic magno natu ipſe iam exonerare prægrauante turba regnum cupiens, Belloueſum ac Sigoueſum ſororis filios impigros iuuenes miſſurum ſe eſſe in quas Dij dediſſent auguriis ſedes, oſtendit, quantum ipſi vellent hominũ excirent, ne qua gens arcere aduenientes poſſet. Tum Sigoueſo ſortibus dati Hercinij ſaltus; Belloueſo haud paulò lætiorem in Italiam viam Dij dabant. Is quòd eis ex populis abundabat, Bituriges, Aruernos, Senones, Æduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos exciuit. Profectus ingentibus peditum equitumque copiis, in Tricaſtinos venit. Alpes inde oppoſitæ erant, quas inexſuperabiles viias haud equidem miror, nulla dum via (quod quidem continens memoria ſit, niſi de Herculis fabulis credere libet) ſuperatas. Ibi cùm velut ſeptos montium altitudo teneret Gallos, circumſpectarentque quinam per iuncta cælo iuga in alium orbem terrarum tranſirent, religio etiam tenuit, quod allatum eſt, aduenas quærentes agrum ab Salyum gente oppugnari, Maſſilienſes erant, hi nauibus à Phocide profecti. Id Galli fortunæ ſuæ omen rati, adiuuere, vt quem primùm in terram ingreſſi occupauerant locum, patentibus ſiluis communirent. Ipſi per Taurinos ſaltusque Iuliæ Alpis transſcenderunt, fuſisque acie Tuſcis, haud procul Ticino flumine, cùm, in quo conſederant, agrum Inſubrium appellari audiſſent, cognomine Inſubribus pago Æduorum: ibi omen ſequentes loci, condidere vrbem, Mediolanum appellarunt. Alia ſubinde manus Cenomanorum Elitouio duce veſtigia priorum ſecuta, eodem ſaltu, fauente Belloueſo, cùm transſcendiſſet Alpes, vbi nunc Brixia ac Verona vrbes ſunt, loca tenuere, Libui conſidunt. Poſt hos Saluij, qui prope antiquam gentem Leuos Ligures, incolentes circa Ticinum amnem petiere Apenninum. Deinde Boij, Lingonesque tranſgreſſi, cùm iam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus traiecto, non Hetruſcos modò, ſed etiam Vmbros agro pellunt; intra Apenninum tamẽ ſeſe tenuere. Tum Senones recentiſſimi aduenarum ab Vſente flumine vſque ad Atheſim fines habuere. Hanc gentem Cluſium Romamque inde veniſſe comperio: id parum certum eſt, ſolam'ne, an ab omnibus Ciſalpinorum Gallorum populis adiutam. Hæc Titus Liuius: nunc audiamus Plutarchum. Gallos, inquit, Xylandri verbis Latinè loquens, ne Græcis inſertis ſit prolixior, tradunt Celtici generis fuiſſe, quibus cùm propter multitudinem hominum patriæ ſolum alendis non ſufficeret, quæſitum nouam habitationem profectos: fuiſſe autem permulta millia virorum validæ ætatis & bello vtilis: plura adhuc eos millia liberorum & mulierum ſecum traxiſſe. Horum alios, ſuperato, qui eſt ad Septentrionem, Oceano, ad Riphæos montes perueniſſe, & in extremis Europæ finibus conſediſſe: alios inter Pyrenæos montes atque Alpes prope Senones & Celtorios diu ſedes ſuas habuiſſe. Hos multo pòſt tempore cùm vinum guſtaſſent, tum primùm ex Italia ad ipſos allatum, adeò omnes eius potus miraculo incognitaque prius voluptate ad furorem compulſos, vt ſublatis armis, acceptisque ſecum parentibus, ad Alpes contenderint, terramque illam, omnibus aliis pro ſterilibus & incultis habitis, quæſiuerunt, quæ eum fructum proferret. Id quoque traditum eſt, ab Arunte Hetruſco primùm ad eos allatum vinum, eoque præſertim ad inuadendam Italiam concitatos eos eſſe, viro nobili & ingenij neutiquam mali; eumq́. ad hoc factum hic caſus, vt aiunt, impulit. Tutelam geſſerat Lucumonis, pueri parentibus orbi, diuitiis inter ciues facilè primi, ac formæ præcipuæ. Hic ab Arunte educatus, cùm adoleſcentiam attigiſſet, ad domum eius ventitare non omiſit, ſimulans tutoris ſui conſuetudine ſe delectari: interim vxorem eius corrumpebat, eumque vi-

Gallorum in Italiam tranſitus.

ciſſim ipſa deperibat. Diu admodum amor eorum clam fuit, donec euſque adoleuit, vt cùm iam neque deponere eum, neque occultare poſſent, Lucumo apertè conatus ſit eá à viro abſtractam ſecum habere. Aruns re ad iudices delata, amicorũ numero pecuniæque largitione & ſumptibus à Lucumone victus, patria exceſſit, cumque de Gallorum rebus auditu accepiſſet, ad eos ſe contulit, expeditionisque in Italiam dux eis fuit. Galli, facta irruptione, ſtatim omnem eam regionem occupauerunt quæ quondam Hetruſcorum fuit; quæ nimirum ab Alpibus ad vtrumque mare pertinet. Quam Hetruſcos obtinuiſſe, nomen etiam teſtatur. mare enim quod ad Septentrionem vergit, Adriaticum, ab vrbe Hetruſca Adria, dicitur: alterum quod eſt meridiei oppoſitum, apertè Tyrrhenum (ſunt autem Tyrrheni iidem qui Hetruſci) appellatur. Omnis ea regio arborifera eſt, & pecori paſcendo apta, fluuiisque rigatur multis: fueruntque in ea vrbes octodecim magnæ ac pulcræ ædificatæ, ita vt & ad pecuniam parandá commodè, & ad viuendũ ſplendidè haberent. quas omnes Galli, Hetruſcis pulſis, obtinuerunt. Hæc Plutarchus longè ſuperioribus temporibus acta eſſe ſcribit, quàm Cluſium

Liuius vanitatis arguitur. & inde Romam oppugnarent. Vt prius hic quæ Liuius ſcribit conſideremus, de iis ſic ferè ſentire cogor, vt fabulæ putem commodè apteque conficta, quàm rei geſtæ ſimiliora. Nomina enim ad id cogitandum inducunt, quorum ſignificatio toti reſpondet

Ambigatus, vnde dictus. Sigoueſus. narrationi. Ambigatus enim ex **amt-wi-gat**, ad Latinam incudem factum, magiſtratum ſignificat, longè lateque ius ſuum extendentem. Sigoueſus is dicitur, cuius tota vitæ ratio & mores victoriam promittunt, quam facilè ſibi parare poterat in ſiluis &

Belloueſus. locis incultis, quæ ne vltrò quidem oblata quiſquam vellet poſſidere. Belloueſus verò nomen eſt ei quadrans, cuius mores ſic ſunt compoſiti, vt toti ad iram & bellum ſpectare

Bel. Bellum. Leb. Lef. videantur, à **Bel weſen**. Nam **bel** pro bello vernaculum nobis olim fuiſſe vocabulum, de conuerſionis analogia conſtat, per quam ipſi **Leb**, quod eſt viuo, aduerſatur. Quid enim magis vitæ aduerſatur, quàm pugna & occidio? Qua verò de cauſſa à **leb** potius, quod ſuperioris linguæ ſequitur proprietatem, quàm à **lef**, qua voce ferè inferiores vtuntur, deriuetur; per euerſionem obiter adiiciam, quo ſimul Belgarum nominis ratio cognoſcatur. Crudelitatem perpetuò vitæ aduerſari, nec vnquam in hominis animo loci quicquam ſibi debere vindicare, cùm vocum architectus ſignificare vellet, verbum, quo viuo denotatur nobis communiore pronunciatione, ſic fecit, vt eius verſa vel lectione, vel auditione, crudelis ſignificaretur. Idem oſtenſurus, licet bellum vitæ item contrarium plerumque eſſet, tempus tamen incidere quo ſit neceſſarium ad res vitamque conſeruandam, vocabulum eius ea fecit forma, vt retro lectum, & prius & poſterius oſtenderet. Sicut enim **bel** ipſi **leb** opponitur; ita **bel** aliam quoque cauſſam ſignificationis includit, à **be-hel**, quod eſt conſeruo: Vnde **bel** conciſum. A **leb** igitur **bel** pro bello gemina dicitur ratione, vtraque apprime vtili ad demonſtrandum, hinc quid mali, inde

Fel. quid boni bellum apportet. Cæterùm dum à **Lef** nobis communiore voce **fel** formauit, oſtendit truculentiam non ſolùm vitæ inimicam perpetuò eſſe, ſed etiam inimicitiarum & odij parentem, quod per **feh-hel** intelligimus. **Feh** enim ſiue **veh** inimicitiam notat inter alia, contrarium ipſi **hef**, quod eſt eleuare. Odium enim & inimicitia omnia

Veh ſiue Feh. deprimit: Ex eadem cauſſa **veh** ſiue **feh** pecus notat, quia ipſi **hef** quod eleuationem, contrariam naturam, ſit ſortitum; & quia nihil magis nos deprimit & pecudes reddit, quàm membrum libidinem explens, voluit ſermonis noſtri faber, vt **feh** id quoque vocaretur: qua tamen in re mirifica arte alterius etiam rei dedit ſignificationem, nimirum vt **feh** in hac notatione, non ſolùm veræ mentis eleuationi aduerſaretur, ſed inter ichnæas etiam voces referri poſſet. Nam ſi retro **feh** legas, videberis virgam admonere vt ſe eleuet, quaſi citra eleuationem eam officio ſuo fungi non poſſe demonſtrares. A

Bellig. Belg. Belgæ vnde dicti. **bel** formatur adiectiuum communi nobis in deriuatis regula **bellig**, pro eo quod Latinus diceret, ad bellum pronus & vtilis. A **bellig belg** per ſyncopen, nobis in primis frequentem, homo ad bellum procliuis. quod nomen quàm appoſitum eorum ſit naturæ quibus olim datum fuit, licet ex aliis non liqueret, Cæſar tamen tam idoneus teſtis eſt, vt ei vel ſoli ſit credendum; propterea quòd non quæ ab aliis auditu tantùm

Belgæ bellicoſi. accepiſſet, ſed quæ reapſe didiciſſet, litteris mandarit. Nec deſeruit hactenus gentem natura, tametſi pleræque ciuitates diuitiis & luxu ſint eneruatæ & emollitæ, vt Sardibus olim de Crœſi conſilio legimus accidiſſe. Nulla gens eſt in orbe quam Belgis æquo

Marte

Marte opponas; ſi ad militiam ſub ſeueris & ſtrennuis magiſtris exerceantur. cuius rei experimentum clariſſimũ vidimus; Albano vnam atq. alteram eorum legioné ducente. Verùm quantum hac in re laudis ſit, de ratione nominis bel cognouimus. Niſi enim ad conſeruationem publicamque ſalutem bellum referatur, non humanitati tantùm; ſed ipſi etiam vitæ contrarium eſſe voce ſua demonſtrat. A bellig etiam fit verbum belg pro iraſcor, eo quòd ira & vitæ perinde atque bellum aduerſetur, & non ad aliud conducat, quàm ad res ſuas cuique ſeruandas, vitamque, dum opus eſt; tuendam: quam vtilitatem vt Stoici reiiciunt ſtolidè; ita Peripatetici prudenter amplectuntur. Belloueſus igitur nomine ſuo profiteri videtur, ſeſe ad eos profectionem parare, à quibus, niſi bello, nullos agros extorſurus eſſet. Bene ſanè appoſiteque proceſſit figmentum, dum Belloueſum in regionem populoſiſſimam miſſum legimus, in qua quicquid ipſius eſſet vel virium vel conſilij, ad bellũ adhibere oporteret, quod Bel-weſen clare ſignificat, Gallici ſermonis non imperitis, apud quos weſen dum verbum eſt, idem ſignificat quod eſſe; dum vt nomen vſurpatur, pro eo ponitur quod quiſque vultu, moribus & geſtu præ ſe fert. Quamobrem Galli vel Tito Liuio, vel alij de ipſorũ in Italiam aduentu percontato, nihil aliud reſpõderunt, quàm ſeſe quicquid agri Italici poſſiderent, armis ſibi quæſiuiſſe, cùm contrà qui in Herciniũ ſaltum profecti olim fuiſſent, victoriam certam ſibi ſpondere poſſent, vti loca vel raris vel nullis cultoribus occupata, inuaſuri. Quòd autem tempus adiecit Tarquinij Priſci, id vanum eſt, & ad id dumtaxat accommodatum, vt laruæ hiſtoricæ de tempore ſumptæ prætextu fabula velaretur. Et optimè Gallorum Regi, alienos agros tanquam ſuos diuidenti, nomen inditum, quo magiſtratus longè lateque patens notaretur. Equidem nihilo vel valde paulò recentius Mediolanum, quàm Patauium exiſtimo, cùm videam eandem Venetorum olim & Gallorum linguam fuiſſe; & æquè illos atque hos ad Cimmeriã ſtirpem pertinere, nec vllo modo in vetuſtis oppidorum nominibus ſermonis diſcrimen agnoſci. Quemadmodũ enim Mediolanum in Gallia apud Xantones, & rurſus apud Aulercios; ita & Veneti in Gallia inueniuntur: nec hic ſolùm, ſed ad ipſum etiã mare Germanicũ. Neque inde rectè colligas, Venetos Italiæ è Gallia commigraſſe, non melius certè, quàm è Germania vel Paphlagonia; ſed hæc vera fuerit concluſio, eiuſdẽ linguæ homines in diuerſis locis, vrbes, quibus nomen de natura regionum dederint, condidiſſe, quando vocabuli rationem, omnibus iis qui Veneti vocantur, communẽ videmus: atque idcirco dici nequit, caſu id cõtigiſſe. Quòd ſi Liuius Venetorum, Patauij, Rauennæ, Bergomi, Mediolani, & aliarum vrbium nomina intellexiſſet, fortaſſis vlteriùs origines inueſtigaſſet. Plutarchus curioſior, totum Celtarum genus, extra oceanum etiam neſcio quò terrarum perſequitur, atque inde in Europam deducit; aliis in extremo eius termino relictis, quos Germanos intelligi neceſſe eſt, aliis intra Pyrenæos montes atque Alpes apud Senonas & Celtorios conſtitutis. Hîc neſcio quid primùm admirer. A quibus oris bona Tellus extra oceanum poſitis Gallos deducit? Deinde cur Germanis Celtarum nomen communicat, cùm Diodorus Galatas eos vocarit, & Ptolemæus Celtogalatiam Galliam nominarit, quò eam à reliqua Galatia, vt videtur, diſtingueret? Sed ſit hoc ſanè vnum eorum nominum quæ ob ignorantiam miris modis confunduntur. Iam cùm de Senonibus, qui Romam oppugnarunt, quæratur, quibus è ſedibus primùm venerint; Galli hoc loco à Plutarcho dicuntur ad Senones & Celtorios veniſſe. Quos verò hic dicit Celtorios? Quoniam hæc omnia ſunt perturbata & plena ſignorum, magnam ignorantiam arguentium, nos de veritatis indicio coniectamus, eos qui ſic Plutarcho retulerunt, accepiſſe quondam ex eiſdem locis & Germanos & Gallos omnes veniſſe, & eorum antiquiſſimos Senones fuiſſe, ideoque prius in Gallia, quàm cæteros conſediſſe, omnemque latè planitiem occupaſſe: Reliquos poſtea Celtas eandem regionem ingreſſos, montes incoluiſſe; atque idcirco Græca voce Celtorios dictos. quo nomine eum, quiſquis ille fuit qui ſic retulit, Sequanos, Æduos, Heluetios, Allobroges, Meduallos, Cynæſios & Aruernos intellexiſſe arbitror. Eos autem Gallos qui & planis & montibus occupatis aduenerunt, Alpes transſcendiſſe, eo quòd nihil vacui in Gallia reliquum eſſet. Ex his igitur parum ſani elici poteſt, præter id vnum, Senones Gallorum antiquiſſimos videri, cùm cęteri Galli ad Senones & Celtorios veniſſe dicantur, vt antiquiores regionis incolas. Nihil itaque hactenus certi habemus de primis Senonum ſedibus, niſi eos Galliæ

Bellum quò referendum. Belg. *Belloueſus.* *Mediolanũ.* *Veneti.* *Celtogalatia.* *Senones.* *Celtorij.*

faciamus indigenas, atque inde dicamus in Italiam veniſſe. Verùm huic opinioni non communis modò omnium gentium origo Margianæ debita, ſed Bocchus etiam & Plinius, & locorum in magna Græcia nomina aduerſantur. Si enim, (vt rectiſſimè rationem ſuam concluſit Leander Boius, diligentiſſimus & optimus Italiæ pictor) Gallipolis à Græcis, qui iam olim vel è Creta cum Idomeneo, vel cum Meſapo Neptuni filio è Bœotia profecti, priores incolas expulerunt, nomen ſuum ſit ſortita; fateamur neceſſe eſt Gallos prius vrbem hanc habitaſſe, ideoq; Gallorum vrbem vocatam fuiſſe. Vt autem hæc proba eſt collectio, ita & iſta, qua concludo Galatam à Galatis conditam, mox ab eo tempore, quo ad hanc oram cum Iapeto appulerant, quia & nomen prodat conditoris, & vetus Iapygiæ vocabulum ipſum gentis oſtendat auctorem. quem Iapetum fuiſſe Nochi filium, longè Minoë, ſi quis hoc nomine fuit nuncupatus, vetuſtiorem, de Iani nummo & vera hiſtoria deduco. Italia enim cum tota reliqua Europa Iapeti portio fuit; in quam cùm ex Aſia nauigarit, prius in Cretá & Græciam venit, quàm ad primum hoc Italiæ promontorium appelleret, atque inde antiqua de Cretenſibus colonis fama. Quos autem potius ſocios itineris habuiſſe dicetur, quàm Comerum & eius ſobolem? cui rei fidem faciunt tum Cumerum promontorium, tum Cimmerij ad ſinum Baianum, tum etiam nomina Cimbricis hominibus hactenus vernacula. Si Latini & cæteri Itali Iapetum hoc ſuo nomine, quod apud Græcos ſeruatum eſt, cognouiſſent, num putamus quemquam dubitaturum fuiſſe, cui nomenclaturam primum hoc Italiæ promontorium acceptam ferre deberet? Obliterauit Iapeti memoriam Iani appellatio, ab itineribus perpetuis, quibus ſuos velut diligens quidam Epiſcopus viſitabat, indita; quam alibi docui ab eundo, quod Cimbri Gan dicunt, deriuari; adiecta etiam Ciceronis teſtificatione. O magnam ſupremi numinis benignitatem, qua in tot regnorum mutationibus, in tot euerſionibus populorum, in toties variatis locorum nomenclaturis, hoc Iapeti & Galatarum monumentũ integrum voluit manere; tametſi à nemine hactenus (quod equidem ſciam) vel agnitum vel explicatum. Iam itaque tandem Romanarum antiquitatum ſtudioſi intelligant id quod in Croniis docui, veriſſimum eſſe, in Iani nimirum nummo, eam nauem conſpici, qua Iapetus in Italiæ venit poſſeſſionem. O venerandam Iapygiæ antiquitatem! quas ego laudes Deo canam de tam claro & luculento indicio veritatis? Gaudeant nunc Galatæ, gaudeant Galli, gaudeant Itali, & Iapeti conditoris ſui memoriam celebrent, longè, quàm hactenus ſciuerunt, & certiorem & illuſtriorem. Magnas equidem gratias Plinio ago, quòd hanc oram Senonum mihi commonſtrarit, & veram Gallipolis oſtenderet originem. Contempſit Galatæus Galatas, eoſque, tanquam ſe, prole videlicet tam nobili & docta, indignos, barbariei accuſauit; minimè eos reiecturus, ſi illuſtriſſimum Iapeti & Comeri primorum totius Europæ parentum ſplendorẽ agnouiſſet. Cæcutiuit vir bonus ad hanc lucem, velut noctua ad Solis radios protracta; & dum ſe Græcum iactat, credidit maiorem ſibi, quàm Gallorum eſſet, arrogaſſe nobilitatem. Sed miſſis nugis, id quod cœpimus agamus. Quærebatur vnde Senones in Iapygiam venerint: Ex eadem, inquam regione, è qua Iaphetus & Comerus maximus natu filius. Quamobrem cùm Galatas & Gallipolim hîc inuenerim, procliue mihi fuerit oſtendere, qui Cimmerij, & qua cauſſa Senones fuerint nuncupati. Docui eos qui Galli & Galatæ vocabantur, nomine ſuo, eius gratiæ, qua Iaphetus patri ſuo maximè placuit, ſempiternum gerere monumentum, & veriſimile eſſe, Iaphetum honorifico hoc nomine illos præcipuè dignatum fuiſſe, qui tales ſeſe erga ipſum, qualem ipſe ſe erga patrem geſſit, præſtitiſſent. Nunc igitur cùm alio alius magis placere queat, & ſint gradus quidam inter eos qui hanc dotem poſſident; probabile eſt, eos qui maximè omnium placuiſſent, Senones fuiſſe nominatos, quaſi Sen-won in ſingulari numero Cimber diceret, quod ſignificat acquirebam, lucrifaciebam ſenſum: cuius orationis vel ea eſt ſententia quam Latinus exprimeret, ſi gratiam ſe acquiſiuiſſe & conſecutum eſſe diceret, vel ſe ſenſum & intelligentiam ſibi comparaſſe. Excluſum eſt apud Latinos & Græcos duplex noſtrum digamma, quòd eo carerent. Quod enim ſacræ litteræ dicerent: *Inueni virum ſecundum cor meum*; nos diceremus, Jck heb eenen man ghevonden na mynen ſen: & pro eo quod placet, communis phraſis habet, Tis mynen ſen: quod ad verbum ſignificat, ſic ſenſui vel ſententiæ

Gallipolis.

Iapygia conditor Iapetus.

Iapeti in Italiam nauigatio.

Iapeti memoriam obliterauit Iani appellatio.

Ianus vnde dictus.

Ant. Galatæus reprehenditur.

Senones vnde in Iapygiam venerint.

Senonum nominis etymon.

ſententiæ meæ viſum eſſe. Sen enim ſiue ſin, ſenſum nobis ſignat, tám exteriorem quàm interiorem; à ſi, quod eſt video, & en, quo finis notatur. Voluit enim nomenclator illud ſenſibus commune eſſe vocabulum, quo monerentur omnes, quicquid ſenſu vllo apprehendimus, id totum ad vltimum finem eſſe referendum, & in omnibus iis quæ ſenſibus offeruntur, cùm aliis, tum maximè interioribus, omne iudicium à fine peti oportere, cùm idem ſit S'en quod ſi-en; id eſt, vide finem. Si autem vocali in tenui ſono producta, quem alij pingere malunt duabus vocalibus I & E coëuntibus, notationis vim habet ex natura ipſius ſibili & vocalis I. Cùm enim viſus omnium ſit celerrimus, ita vt momento vno ad vltimum vſque penetret cælum, magno ſpiritu vis eius exprimi debebat. Sibilo igitur velociſſimo vocis vehiculo I tenue addidit verbi faber, quò celerius omnia vis eius penetraret: ac quò longius ea pertinere & adſpirare intelligeretur, voluit vocem produci. Si igitur ſiue ſie, idem eſt quod video. Portò præter ſummum hoc artificium in voce fabricanda, cui neſcio quid poſſit conferri, adiecit & alterum myſterium in conuerſione cernendum. Nam quò doceret, quò viſus tam exterior quàm interior nos ducere debeat, ſic eius nomen fecit, vt conuerſum idem ſignificaret quod eſt Latinorum. Cùm enim nihil citra lumen videri queat, ſtatim ad lumen hic ſenſus nos vocat: & cùm ſummum & maximum lumen à Sole dimanet, ad cælum & Solem adſcendimus; cuius ſtupendo aſpectu & intolerabili oculis noſtris claritate, quæ totum mundum momento temporis complet, ad eius qui tanti ſideris, tanta pulcritudinis & poteſtatis infinitate præditi, auctor eſt, rapimur maieſtatem, mentis oculis intuendam. Nihil profectò eſt ſenſibus humanis obuium, quod plus virium habeat ad eius qui ſolus eſt cogitationem iniiciendam, quàm Solare ſidus, corporis oculos immenſo ſuo lumine pulſans atque percellens; & tantam iniiciens, quantam nullis verbis exprimere poſſem, admirationem. Dies me antè deficiat: quid aio dies? annus me antè deficiat, & is quidem magnus, quàm vel ſexcenteſimam partem explicare poſſem virium Solis ſtupendarum. Videtur certè Deus corporatam quandam bonitatis & pulchritudinis ſuæ imaginem molitus, dum Solem fabricaretur. Dum igitur hunc videmus, atque eius beneficiis perfruimur, cogitemus de verbo quod huic ſenſui tribuit architectus: & non hæreamus in eo quod primùm ſeſe offert, ſed veſtigiis retro lectis, pergamus ad ipſum illud de quo ſolo verè dici poteſt is noſtrate, & eſt Latinorum. Et quemadmodum in voce prorſa commorandum non eſt auditui; ita nec in pulcritudine & poteſtate Solis viſus acquieſcat, ſed vltrà progrediatur ad ipſum creatorem: quod ſi perpetuò homines feciſſent, nemo vnquam mortalium Solem vt Deum adoraſſet. quamquam ſunt infinitò magis excuſandi, qui in hunc errorem inciderunt, quàm qui ſtatuas, vilium fabrorum opera, pro Diis coluerunt. Si enim vlla res corporata adoranda eſſet, certè pulcherrimus hic Solaris orbis in genere hoc primas mereretur. Ex ſi igitur & en, fit S'en vel S'in, vnde Latinis ſentio; quo, vt dixi, monemur, omnem ſenſuum facultatem ad ipſum finem referri debere. Sennones igitur nomine ſuo monentur, vt ſenſum ſibi compararent atque lucrifacerent, quo omnis omnium rerum intelligentia & intelligentiæ finis continetur; & gratiam inire apud omnes, cùm cæteros, tum parentes haud ſecus ſtuderent, quàm Iapetus apud patrem omnium feciſſet. Nec interim nego, immo pronior in eam ſum ſententiam, cuipiam fortaſſe primùm nomen Sen-mon datum eſſe, à quo poſteri deinde ſint ſortiti appellationem, quod in Galata quoque potuit accidiſſe. Epitheta certè ſunt æquè vni nominando, atque multis apta. Quocirca an vni primùm data ſint, atque inde ad cæteros manarint; an verò toti alicui familiæ & cognationi, nihil intereſt, modò conſtet de ſignificatione. Nunc itaque ſi rogemur, vbi Senones acceperint hoc ſuum nomen, dicemus eos in Aſia ſic cœpiſſe nuncupari, ſtatim ab eo tempore quo Galatarum domui opus eſſet diſtinctione; atque deinde ſicut Galatarum, ita & Senonum nomen diuerſis diuerſarum regionum incolis manſiſſe, vt familiæ in varia capita diſtrahebantur. Quot autem Galatæ, vel quot Senones vnà cum Iapeto & Comero in Italiam principiò vecti ſint; nec mihi liquet, nec alij fortaſſe liquebit, niſi diuinus aliquis inſtinctus reuelet. Vel vnus ſolus genti Galaticæ in Iapygia originis potuit eſſe princeps. Cæteri verò & Galatæ generatim, & Senones eorum pars in Aſia tum relicti, pòſt variis migrationibus diſtracti

Sen ſiue ſin, id eſt, ſenſus. Si ſiue ſie, id eſt, video. En, id eſt finis.

Viſus exterior & interior.

Solis pium encomium.

Sentio, is, iui.

Galatarum & Senonum ex Aſia migrationes.

diſtracti ſunt, alij huc, alij illuc, quò vel habitandi commoditas inuitaſſet, vel vis hoſtium pepuliſſet. Plerique ſanè videntur ex Aſia in Europam per Tanaim tranſiiſſe, inter quos Tectoſaces fuiſſe, & in Saxonicis, & paulò prius dixi. Alij fortaſſis è Phrygia in Thraciam traiecerunt, atque inde ad Danubium progreſſi, ſurſum ad fontes eius, & hinc rurſum trans Rhenum in Galliam commigrarunt: alij etiam è Thracia ad Illyricum, & mox in Venetiam & ad Adriæ littora. Quid enim vetat quò minus dicamus, per Helleſpontum ęquè in Europam quoſdam, atq. pòſt ex Europa in Aſiam penetraſſe; cùm videamus quamplurimas, cùm ab alijs, tum à Cimmeriis maximè reciprocatas commigrationes, vt Tectoſaces primùm ex Aſia ad montes vſque Pyrenæos, deinde ex Europa in Aſiam legimus commigraſſe? Quamuis igitur Galatas quoſdam antiquiſſimos in Italia ſtatuamus, quorum pars quędam Vmbria condiderit, fatemur tamē poſteà multos è Gallia, Alpibus tranſcenſis, in Italiam veniſſe. Variæ ſunt cauſſę commigrationū, quas nihil opus eſt enumerare, eo quòd neminem, qui vel aliquem ſaltem rerum vſum habeat, vel paucos hiſtoriæ ſcriptores euoluerit, latere poſſint. Quamobrem nihil miri, ſi & antè in Italia plurimę Gallorum gentes fuerint, & multo pòſt alij rurſus aduenerint. Ex his certè, quæ modò annotauimus de Senonū in Iapygia locis, de Galatæ & Galliopolis antiquitate, de Cumero promontorio, & non procul inde Senogallia; dę Calibus & Calatia, de Gallicano monte, de Caieta, colligimus multis ante ſeculis quàm Tarquinius Priſcus rerum apud Romanos potiretur, Gallos in Italia fuiſſe, & plurimas vrbes condidiſſe; quibus pòſt ab Italis, id eſt, hominibus externi ſermonis ſint eiecti, pars etiam obliterato priſco nomine, victoribus immiſti. Iapygiam Meſapus videtur primus inuaſiſſe. Is Neptuni filius dicitur. Coniicio Meſapum ſtrenuum aliquem fuiſſe piratam, atque valida claſſe ex Aſia hinc Græciam, hinc Italiam vexaſſe; & in illa quidem Meſapion montem Bœotiamque ab eo vocatam; in hac verò Meſapiam regionem eam quæ Tarento & Brundiſio interiacens Cherroneſum Græciam verſus extendit. Non fuiſſe autem Meſſapum natione Græcum, Meſapiorum lingua declarat, in qua Brundiſium cerui caput notare ſcribunt: verène an falsò, mea nihil refert. Hoc ſaltem omnium confeſſione certum eſt, Meſapicum ſermonem alium à Græco & Italo fuiſſe; quo fit, vt Solinus dum Græcum fuiſſe ſcriberet, errarit. Quamobrem ſuſpicor quempiam inuicta claſſe per mare graſſantem, ſeſe iactaſſe Neptuni filium, cùm de illuſtri parentum genere gloriari nequiret; quo modo terræ cælique filij dicuntur qui obſcuro loco nati ſunt. Scimus Protarchi Tralliani monitu, Chameſem etiam in Italiam ex Africa nauigaſſe, non alio, vt opinor, propoſito, quàm vt ex inuidia fraternum regnum carperet, quem Saturnus videtur expuliſſe. Eodem modo Semi poſteritas, & in ea Phœnices maximè, totam Græciam, Italiam & Hiſpaniam variis cladibus afflixerunt, odio ex iiſdem fontibus deriuato. Aequè enim Chamiſtæ atque Semiſtæ Iapetiis Nochi fauorem & conſecrationis prærogatiuam inuidebant, atque pro ſe vtraque pars diligenter adlaborabat, ne Iapheti poſteri vel dominio in Africa potirentur, vel in Semi tabernaculis habitarent. Contrà potius nitebantur pro virili, vt totam Iapeti ſobolem, non ex Aſia tantùm & Africa, ſed quoad eius poſſent, ex Europa etiam profligarent. Hinc totam ferè Hiſpaniam, qua mari aditus eſſet, à Phœnicibus occupatam accepimus; & in Italia ſic exteros, partim de Semi, partim de Chami ſanguine procreatos, omnia perturbaſſe; vt priſcus Auſonum, Oenotriorum, Galatarum, & vniuerſim omnium Ianigenarum ſermo prorſus corrumperetur, tametſi priſca Deorum, & aliquot regionum & opidorum nomina, diuina quadam benignitate conſeruata ſatis oſtendant, quam primi olim in Italia coloni linguam vſurparint. Inter alios igitur Ianigenarum hoſtes fuit & hic Meſapus, tam validam ſecum manum trahens, vt nec igni nec ferro lædi poſſe videretur. Neque enim Græci dum Bœotiam occuparet, neque Galatæ dum Iapygiam inuaderet, vel ignibus iniectis claſſem, vel gladiis ſocios perdere potuerunt, quò in ſedibus ſuis auitis veterem libertatem tueri poſſent. Videtur autem hic per Mes à Semo deſcendiſſe. Egregiè verò Neptuni filio nomen Mes conuenit, eo quòd in Hebraica Semigenarum lingua משה idem ſit quod emerſit ex aquis: è qua radice Moſeh quoque nomen accepit, eo quòd ex aquis liberatus eſſet. Quis enim magis ex aquis emerſit, quàm is qui & Neptuni ſatu primùm in lucem venit, ac deinde nauibus egreſſus terras aliorum, ceu

Meſapus Neptuni filius, &c. *Meſapion mons.* *Meſapia regio.* *Meſapicus ſermo.* *Iapetij inuiſi Chamiſtis, & Semiſtis.* *Moſes vnde dictus.* *Meſapus vnde dictus.*

ceu monſtrum quoddam marinum inuaſit, depopulatus eſt, & occupauit. Hinc Meſap adiecto אף quo furor & ira notatur, Meſi ſignificabit furorem; Virgilius autem equorum domitorem Meſapum dixit, eo quòd in allegoriis per equum naues intelligantur; quibus multo quàm equis celerius, commodius, longiusque omnia onera portantur. Qua de cauſſa Neptuno equi adſcribitur inuentio; cui dum oliua Mineruæ præfertur, pacata & ſecura agricolarum ſtudiorumque vita, mercaturæ & militiæ anteponenda deſignatur. Virgilij de Meſapo hi ſunt verſus:

Equus naues allegoricè ſignificat.

At Meſapus equûm domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam, nec ſternere ferro;
Iam pridem reſides populos, deſuetaq; bello
Agmina in arma vocat ſubitò, ferrumq; retractat
Hi Feſcenninas acies, æquosq; Faliſcos;
Hi Soractis habent arces, Flaminiaq; arua,
Et Cymini cum monte lacum, lucosq; Capenos.
Ibant æquati numero, regemq; canebant,
Ceu quondam niuei liquida inter nubila cygni
Cùm ſeſe è paſtu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos; ſonat amnis & Aſia longè
Pulſa palus.

Mirificũ ſe præſtitit hic poëta, vbi ſi quid ſub figmentis latet veritatis, viderentur Meſapij non Iapygiam ſolùm, verùm etiam proxima Romæ loca occupaſſe; quia fortaſſe intellexerant in fatis eſſe vt Romani olim totius orbis imperio potirentur. Vel igitur inuidia ad tam felices rerum ſucceſſus impediendos, vel cupiditate communicandæ proſperitatis, Romanos quondam agros Tiberim ſubuecti armis ſibi vindicaſſe videntur. Quod autem de cygnis addit, alluſionem habet ad Meſapios Iapygiæ, à quibus Ennius Latinorum cygnus ſe genus duxiſſe iactat: ac quemadmodum cygnum canentem nemo vnquam audiuit, qui tamen de moribundæ vocis ſuauitate celebratur; ita indicat fieri potuiſſe, vt quamuis hi, quos enumerat, ſe Meſapios eſſe dicerent, id tamen non plus haberet veritatis, quàm quod de cygnis canentibus apud poëtas iactatur. In Aſia item palude Lydiæ, alluſit ad Aſiæ nomen, quo coniiciendum relinqueret, Meſapum ex Aſia quondam in Italiam appuliſſe. Meſapus itaque Meſi furorem nomine ſuo præferens, Neptuni filius habitus eſt, eò quòd mare occupaſſet. quem ſi genere Phœnicem fuiſſe dicamus, fortaſſe non multum aberrauerimus, cùm nomen Syram præferat originem, à משה, vnde & Moſe dicitur deriuatum. Iapygiam igitur primùm à Ianigenis, quorum pars Galli Senones fuerunt, habitatam fuiſſe dicimus, & eis quidem mari aduectis. Nec ab aliis Senonibus Senogalliam cõditam credo, tametſi minimè negem, alios pòſt è Gallia eiuſdem nominis ſeſe prioribus coniunxiſſe. Omnes certè Galatæ ex Aſia in Europam venerunt, ſed itineribus admodũ diuerſis. Alios Tanais tranſmiſit, alios Boſphorus Cimmerius, alius Boſphorus Thracius, alios mare Aegeum & Ionium. Per Boſphorum Thracium Scordiſci ad Danubij ripam tranſiſſe videntur, quorum maiores Scordæ in Bactriana vocabantur, à quo nomine communi nobis deriuationis formula Scordiſci deducuntur. Per Boſphorum Cimmerium Tauros crediderim veniſſe, à quibus eadem forma Tauriſci in Pannonia dicti, quorum fortaſſe poſteris Taurinum debet originem. Ad hũc modum de Senonibus item cogitandum, in varias eos orbis partes fuiſſe diſtractos. Ptolemæus in Saxonia Semnones collocauit, de quibus frequenter dubitaui, an non Sennones dicendi potius eſſent. De Sena in Hetruria alios aliter video ſenſiſſe, & in iis Blondum turpiſſimè lapſum. Sunt qui Brennum eius faciũt conditorem, iam à Roma capta regreſſum vt in ea ſenes ætate & militia feſſos collocaret; qua in coniectura alluſionem nominum ſecuti, videntur putaſſe Senam ſenibus fuiſſe conſtructam. Polybius auctor eſt, Romanos, deuictis Gallis, coloniam eò deduxiſſe, nec vrbis nomen, quod à Gallis, qui eam prius habitaſſent, acceperat, immutaſſe. quod quidem accidiſſe dicit quinto pòſt anno, quàm nobilem illã apud Delphos cladem Galli paſſi fuiſſent: quæ, ſi Pauſaniæ credimus, in alterũ centeſimæ viceſimæ quintæ Olympiadis incidit, cùm Roma prius capta fuiſſet à Senonibus Olympiadis nonageſimæ octauæ anno primo, iuxta Dionyſij Halicarnaſſei ſupputationẽ. Alius ergo Brennus

Cygnorum cantus.

Galatarum ex Aſia in Europam aduentus, itineribus diuerſis.
Scordæ pop.
Scordiſci pop.
Tauri pop.
Tauriſci pop.

Sena à quibus condita, & vnde dicta.

Brennus fuit qui exercitum in Græciam duxit, alius qui centũ & octo præuertens annis Romã cepit. An verò Senam hic condiderit, an non, incertum: hoc certum de Polybij teſtimonio, Senones eam antea, quàm Romanos tenuiſſe. quo fit, vt Sennam perinde atque Sennegalliam à Senonibus, non verò à ſenibus, quod quidam videntur crediaiſſe, exiſtimẽ nuncupatam. Fuere & in Aquitania populi Senates, à Sena haud dubiè nomen ſortiti, non illa quidẽ Tyrrhena, ſed à Senonibus in Aquitanorum finibus condita: ita variæ fuerunt gentis expeditiones. Suſpicamur itaque hanc Etruſcorum Senam à Gallis Tranſalpinis, non illis vetuſtis Vmbrorum maioribus, conditam fuiſſe. Mirum eſt quàm integris ſenſibus, quàm recto iudicio, quàm fauſtis auſpiciis locum delegerint, in quo ciuitatem, cui à ſenſu & iis quæ ſenſibus arriderent, nomen dandum eſſet, collocarent. *Sena vrbis laus.* Qui ingenia Senenſium, non virorum tantùm, ſed mulierum etiam norit; qui ſciat quanta dexteritate & elegantia odas componant choreis ducendis accommodatas; qui viderit quàm amœno veſtitu & totius corporis cultu ſeſe ornent, & vt vno verbo complectar omnia, quàm totæ ſint Veneres, omnibus leporum numeris abſolutæ, næ is mihi facilè aſſenſerit, nihil magis ſenſibus & externis & internis placere poſſe, quàm ea quorum in hac vrbe & ſumma eſt copia, & iucundiſſima feſtiuitas. Dignus profectò locus Gaiis, cuius naturam longus ſeculorum decurſus talem probauit, vt nemo non cernat, ſi vim quidem vocis noſtratis intelligat, Senæ nomen ei rectiſſimè conuenire. Ianus olim Muſis & bonarum artiũ ſtudiis vrbem dedicaturus, locum delegit totius Italiæ amœniſſimum & ſaluberrimũ, cui neque colles vitiferi, neque ſaltuoſi mõtes, neque lacus latiſſimus & pulcerrimus, in quo inſulæ etiam eminerent, neq. in longum porrecta planities deeſſet; qui prȩterea totius Italiȩ collatione eum ſitum haberet, vt inter ſinum Tarentinum & Alpeis, extremos totius regionis terminos, ferè medius iaceret, quò æquè ab his atq. ab illis poſſet frequentari. Cùm igitur huius vrbis condendæ hunc ſibi ſcopũ propoſitũ haberet, vt in eo ingenia exercerentur, & plena eorũ haberetur intelligentia, quæ vel externis vel internis ſenſibus percipi poſſent, nomen excogitauit, quo propoſitũ ſuum omnibus iis qui audituri eſſent, explicaret. Quia enim hoc in votis haberet vt totã ditionem ſuã bonis ingeniis repleret, atq. magna eorũ hominum eſſet vbertas qui ſenſuum acumine valerent, quiq. ſe hac dote omnibus gratos redderẽt, *Volſena ſiue Volſina.* Volſenam ſiue Volſinã indigetauit, eo quòd Vol-ſinidẽ ſignificaret quod plenum ſenſuũ & intelligẽtiæ, vt neminẽ latere poteſt, qui vel minimã habeat ſermonis noſtri notitiam. Neq. refert ſiue Volſenam ſiue Volſinã dicas, quoniã vtriuſque ſoni pro eadem notione vſus ſit, tametſi nunc I ferè proferamus, vocalem ad ſenſuum & mentis aciem ſubtilitate ſua denotandam aptiorem. Qui ſen dicunt, magis exprimunt ſyncopes naturã in vocis compoſitionem admiſſæ, in qua prior potius quàm ſequens perit vocalis. Ex Si-en namque, vti dixi, fit S'en conciſum. Rabbi Samuel Annianus Volſinã veterem aſſeſſoriam reddidit, eo quòd Sina aſſeſſoriam interpretaretur, rectiùs vetus odium quo Iudæi Chriſtianos perſequuntur, expoſiturus, eo quòd שְׂנָא odiſſe ſignificet. Quod ſi בְּלִסְנָה ſcriberetur, rectius nomen loco conueniret, eo quòd vetus rubus hac voce notaretur, quoniã & mons Sinai à rubo vocatur. Cæterùm ineptiſſimi hominis eſt & prorſus omnis intelligentiæ communis expertis, nomen à Iano inditum, de Semi lingua velle interpretari. Et quamuis daremus Ianum Semi fratris ſui ſermonem longo vſu didiciſſe, quid faciemus Brennũ hominem Gallum Tranſalpinum? Num & hunc dicemus Senam Iudaico vocabulo nuncupaſſe? Iam Senogalliam, ſi Mercurio placet, à Comero Hebræo Gallica voce nominatam aſſeremus? Abite vecordes iſti Anniani ad veſtrum Samuelem, vt vos amaris ſannis deludat, & aſſeſſores ſuos & conſultores ſpinas & odia eſſe ſubindicet, dum pro ſpinis & odiis reddit aſſeſſores. Nos Senam & Vol-ſenam de priſca Ianigenarum Cimmeriorumq. lingua intelligamus, atque eadem ratione Senones *Gallipolis.* antiquiſſimos Iapygiæ populos, quorum vrbem Græci pòſt Gallipolim vocarunt, nomen accepiſſe dicamus; freti non falſis Beroſis, non fictitio Metaſthene, non aliis titulis mendacibus & laruis, ſed idoneorũ primæ claſſis ſcriptorum teſtimoniis, & clariſſimis priſcarũ vrbiũ & regionum monumentis, hactenus etiamnum extantibus & veteres conſeruantibus nomenclaturas; quarũ ſignificatio clarior eſt vel ipſa luce hominibus Cimmerij ſermonis non imperitis. Locutus eſt Ianus eadẽ olim in Bactriana & finitimis locis lingua qua pòſt in Iapygia & Thuſcia: eandẽ ſeruauit Gomer & tota eius poſteritas,

quam

quam Semigenæ ex Aſia,& Chameſæni ex Africa, diuerſis claſſibus inuecti, ſtribligine ſua ſic paulatim corruperunt, vt alia prorſus lingua è varia vocum commiſtione ſit exorta, quæ pòſt in Italia longo vſu mollita,& pòſt exaſciata, Latina euaſit. Nec alia ratione nata eſt Græca, variis dialectis diſtincta, & magna arte ad ſuauitatem & copiam ingenioſorum hominum ſtudio expolita. Noſtra hactenus diuino quodam beneficio & ſingulari gratia integra manſit,quo ex ea tempore ſuo deſtinato profunda ſapientię myſteria enucleentur,& labenti pietati adferantur adiumenta,nihil triariis ceſſura. Hoc loco eam capimus vtilitatem,vt nouam lucem Cimmeriis veteris hiſtoriæ tenebris inferamus,videamuſque quibus initiis inter Ianigenas Galatæ extiterint,& quàm verè Bocchus ſcripſerit,Vmbros Gallorum veterum propaginem eſſe. Et verò rectiſſimè inter veteres & nouos Italiæ Gallos diſtinxit,propterea quòd ab ipſo mox exordio habitatæ regionis,Galli quidam cum Iapeto in Iapygiā appuliſſent,& Comero deinde generis auctore vlterius ducente,Senegalliam condidiſſent, in ea regione cuius initium eſt promontorium illud quod nomen ab eo accepit qui primus eius portum à diluuio inuectus eſt. Alij Galli multo pòſt è Tranſalpino tractu Italiam intrarunt, qui licet admodū olim multa loca circa Padum occupaſſent, collatione tamen illorum qui cum Iapeto venerunt,noui poſſunt vocari. Magnas gratias Boccho debemus, magnas Plinio, nec paruas Solino de hac memoria litteris conſecrata,ſed maximas omnium diuinæ bonitati & locorum Geniis,qui hæc tam Ogenia nomina in priſcis vrbibus, promontoriis, regionibuſque tam integra conſeruarunt,vt ex iis quod veterum ſcriptis deeſt, non cōtemnendum capiat ſupplementum. Marcus Antonius Vmbrorum vetuſtatis conſcius, quò eam admirabiliorem redderet, ab ombros,quo pluuia Græcis dicitur,nomen deriuauit. quem vt de gētis antiquitate bene animaduerſa & tradita laudamus; ita peccaſſe dicimus,quòd de Gręca lingua Vmbris peregrina nomēclaturę dederit interpretationē. Om-ber enim,vt dixi,Gallorum lingua,idem eſt quod vndique defendo. Galli enim pertæſi externarum per mare incurſionum, coloniam emiſerunt ad eā loca in quibus vndique à montibus defenſi laterent,quos inde Ombros vocarunt: Si tamen Ombri in plurali numero potius quàm Omber ad etymologiam voces,mox habebis vndique tutos. Om-bri enim illi dicuntur,qui omni ex parte liberi ſunt atque ſecuri. Ex Vmbris veterum Gallorum ſobole orti ſunt Sabini, ſi Zenodoto Trœzenio credimus,& locorum ſequimur viciniam. His accedit Sabini nomenclatura, ſacerdotali maximè generi conueniens, adeò vt Sabini inter Ombros eas videātur habere partes,quas apud Hebræos Leuitæ. Is enim qui primam nobis alligat cauſſam, aut potius nos cauſſæ primæ deuincit & conciliat, Sac-bin noſtra lingua dicitur. Primus ergo & ſupremus poſt diluuium Sacbinus fuit Nochus ſiue Saturnus. Varro de cuiuſpiam veterum lectione doctus, Sabinum à cultu Deorum dici ſcripſit,cuius rationem,teſte Feſto, ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι petiuit ineptè, ita me Sabinus verus amet, niſi fortè fateri velit, citra linguæ Græcæ opem Sabinos nunquam nomen inuenturos fuiſſe,aut honorificum exiſtimaſſe, nunquam ſuum nomen audire poſſe,quin ſeſe obæratos eſſe ſentirent Græcis,genti peregrinæ, & adeò non amicæ, vt Trœzenius dicat Vmbros à Pelaſgis auitis ſedibus eiectos Sabinis originem dediſſe. Accidit hîc Varroni quod Ciceroni in Iano, quem cùm ab eundo dictum vel audiuiſſet vel legiſſet,putauit vocem ſic factam,vt ab eo diceretur Eanus,ac deinde Ianus. In ſimilem errorem alibi quoque Varro impegit, dum neſcio vnde ſubodoratus aut edoctus,Liberum & Liberam generationi præeſſe, nominis rationem in librandis in venereo actu teſticulis quæſiuerit & aſſignarit; cùm ſicut Ianus à Gan,id eſt, eundo; ita Liber à Li-ber,quo ſignificatur,populos vel gigno vel pario,dicatur. Suauitas locutionis à Romanis quæſita ex Sacbino fecit Sabinum, mutato etiam longo tempore primæ ſyllabæ in breue,contra ſignificationis & originis rationem: Licet verear ne non tam hac cauſſa,quàm ignorantia peccarint,putantes nimirum ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι vocabulum duci. Poſſet tamen quis ſuſpicari,veteribus Sabini nomen eò magis placuiſſe, quàm Sacbini,quò gemina vocis origo in mentem audientis veniret;altera quam modò dixi,altera,vt Sabinus ſit à Sabin,qua compoſitione ſeminis alligatio notaretur. At cui ſemen vt naturam ſuam tueri poſſit,eſt deuinciendum? Cui alij,quàm ipſi ſatori rerum omnium creatarum,qui continuò diuinæ ſuæ poteſtatis ſemen adſpirat,tam in conſeruando neceſſarium,quàm in primo ſatu. Et placet profectò hæc gemina alluſio in nominis ratione

Latina lingua vnde exorta.
Græca lingua vnde nata.
Galli veteres & noui Italiæ diſtincti.
Vmbri vnde dicantur.
Sabini vnde nomē traxerint.
Ianus vnde dictus.
Liber deus, et Libera dea vnde dicatur

tione reddenda, cùm vtraque egregiam habeat cùm ſignificationem, tum admonitionem; qua docemur citra hoc vinculum nihil prorſus rerum omnium vel in lucem venire, vel ſeruari integrum poſſe. Et hęc quidem eſt catena illa qua Iupiter ſe dicit totam *Catena Iouis.* rerum omnium ſuſpēſam tenere vniuerſitatem. Vltra quam eſt & aliud vinculum quo piarum mentium ſeminarium primæ cauſſæ alligatur, triplici conſtans funiculo; fidei nimirum, ſpei & caritatis. Huius autem contexendi torquendique initium quia fides poſſidet, Sabini Deum fidum ſibi in primis colendum putauerunt, quo eius gratia fides in ipſis vera de Deo & humani generis ſalute & excitaretur, & iuſta caperet incrementa. O præclarum perennis & ſapientiæ & religionis fundamentum! Quis vos ô Sabini his orgiis imbuit? Quis tam congruentia docuit religioni Chriſtianæ? Quis? Ipſe nimirū ſummus & primarius Sabinus Nochus, & eius filius Iaphetus, & huius filius Gomer pater Galatarum, à quibus Vmbri maiores noſtri & genus duxerunt, & alligandi ſe primæ cauſſæ ſuſceperunt diſciplinam. Sed longiùs me rapit ſeries cognationis Sabinæ, quam ſi perſequerer, totas cogerer euoluere Romanorum antiquitates, quæ Gallicis ita ſunt annexæ, vt diu multumque dubitarim, an Gallica & Romana coniungenda mihi eſſent, an ſeparanda; tandem tamen concluſerim Gallica Romanis eſſe præuertenda, propterea quòd recto ductu ex Galatarum & Senonum monumentis ad Vmbros; & ab his ad Sabinos, & inde ſubiectam Sabinorum montibus Romanam planitiem deſcendendum videretur. Quæ igitur de herba Sabina Sabinis cognomini, quæ de Dio fidio, & in eo plurimorum errore, quæ de Quirino eius patre, quæ de Enyalio Græcorum, quæ de Hercule, quem eundem cum Deo fidio facimus, ex Hermathena noſtra depromſi, in Romanis antiquitatibus candidè communicabo, doceboque fidem, noſtras, licet nunc obſoletum, vocabulum eſſe, nec ex alia lingua *Fides.* quàm Cimmeria, quid propriè & primò ſignificet, intelligi poſſe. Eſt enim fides de vera nominis ratione, illud in nobis diuinum donū, quod & ea declarat quæ longiſſimè ſunt remota ab hominis captu, & ſimul hominem conſecrat, ac quæ ſit vera conſecratio, nobis oſtendit. Longè diuinior eſt eius etymologia, quàm Cicero perſpexerit, vel *Dius fidius. Medius fidius Dius.* quiſquam alius Latinorum. Interim diſcant, qui volent, ex Plauto, Dium fidium & Deum fidium eundem eſſe, & ſic dici Medius fidius, vt me Hercules. Dius item Gallicum eſt, & idcirco Sabinum vocabulum non aliud notans, quàm Deum. Sicut enim ab aliis dixi Sin dici, ab aliis Sen; ita alij Dium alij Deum enunciant. cuius vocis ea eſt notio, vt ipſa æternitas intelligatur, ex Di articulo & ew, quo æternitas no- *Dieu, Gallis quid ſit.* tatur. Vnde hactenus Galli *Dieu* pronunciant, longè correctiùs quàm vel ipſi ſciant, vel quiſquam hactenus annotarit. Ex Di-ew namque *Dieu* vetuſtiſſimi dixerunt, vt æternum Dei eſſe, quod extra diuinam naturam intelligi nequit, ſignificaretur. Hanc autem vocem eò lubentius vſurparunt, quòd alaudarum epodos eſſet, quæ *Alaudarum epodos, dieu, dieu, dieu. Deus. θεός.* poſt aliquot criſpante voce verſiculos decantatos, frequentiſſimè *Dieu, dieu, dieu,* lenta & in longum ducta voce, veluti epimonen quandam intercalarem cantare audiuntur. A Dieu Galatarum veterum vocabulo, Latini Deus, Græci θεὸς retinuerunt. cuius nominis rationem fruſtra apud eos quæſiueris. Sed de mirifico hoc nomine in hieroglyphico alaudæ ſigno ex tabula Bembi ſumpto latiùs ago, ſacram ipſius Aleph primæ litteræ figuram ad myſticum eius nomen applicando. Quemadmodum enim Alaudæ caput ſcipionibus in Ægyptiacis figuris impoſitum, plenum eſt arcanæ ſignificationis, principem vitæ actionem complexæ; ita & Aleph cæteræque litteræ hieroglyphicas habent figuras, quibus priſca Galatarum nomina ad amuſſim reſpondent, ita vt nomina figuras, & figuræ nomina litterarum interpretentur, artificio tanto vt maius haud queat excogitari. Demiror profectò quis Annium docuerit, primam litterarum inuentionem Gallis deberi, quando quem ſibi finxit Xenophontem, nihil ſit niſi vanum inanis tituli figmentum, cuius lenocinio mendacia ſua protruderet atque venditaret. Nobis certiſſimum eſt, cùm ex his quas tradimus antiquitatibus, tum ex conſenſione nominum & figurarum, *Cimbricus ſermo idem eſt cum lingua Iani, &c.* quibus litteræ & nominantur & pinguntur, Cimbricum ſermonem, qui cùm lingua Iani & Nochi & cæterorum vſque ad Adamum primum hominem ſuperiorum idem prorſus eſt, figuras ſibi & nomina earum ſuo iure vindicare; quando in eo ſolo perfectiſſimam & ſanctiſſimam litterarum enumeratio abſoluat oratio-

nem,

nem, nec ordine mutato, nec vel vno Iota nominibus aut addito aut ademπto. Erant tamen nomina generum duorum; quorum altera apud Latinos hactenus ſeruantur, à poteſtatibus earum, vt volunt, indita; altera ab Hebræis optimè proferuntur. Illa pueri diſcebant prius quàm ſcribere docerentur, breuiſſimam & diuinam prorſus exprimentia orandi formulam, quam additio litteræ K & Q, & X & Z, & peruerſa ipſius C pronunciatio dumtaxat corrumpit: quibus ſublatis vitiis, non congruens tantum eſt & conueniens pueris diſcere volentibus oratio; ſed maxima etiam complectitur myſteria. Hortatus enim præceptor puerum ad orandum, preces nomine ipſius illis verbis concipit, vt principiò vnum Deum adorandum doceat, eumq. oret, vt puerum deiectum in tenebras ignorantiæ attollat, & ex rudi & plebeio reddat ſubtilem atque nobilem, & animum eius atque mentem brutam, qualem adhuc nulla diſciplina politus poſſidet, ad ſeipſum vnum Deum exaltet. Altera nomina litterarum, orationem quoque complexa, pueri tum ediſcebant, cùm pingere docerentur. Quocirca paulò prolixior eſt & fecundior myſteriorum, duos in ſe continens vndenarios, quorum vterque ſuam quandam ſignificat vitam. Prior exordium capit à tribus trium in diuinis perſonarum proprietatibus, ordine ſuo collocatis, cui ſenarium ſubiicit, abſolutum abſoluti operis numerum, addito ad finem binario, cuius partes ſunt, vt iſtius prioris vitæ explicet ſummam felicitatem. Et hæc quidem vita eſt & oratio talis, vt homini etiam non lapſo conueniat. Alter vndenarius vitam complectitur poſt lapſum, in qua oratio à debilitatis & vulnerũ incipit confeſſione, humiliter ſupplicans ne nos brutis, quibus ſimiles facti ſumus dum ſerpenti credidimus, coniunctos eſſe ſinat, ſed adempto malo in quod præcipitati ſumus, nos erigat ex mundi phantaſmatis ad ſe, idque per crucem: in qua tria vltima nomina trinitatem ſic indicant, vt in patre deſinant, à quo prior vndenarius incipiebat, atque ita circulus abſoluatur, in viginti duas partes diuiſus, quarum ſeptem integram faciunt circuli dimetientem: quod dum artifex alphabeti monuit, vtiliſſimum dedit geometriæ præceptum. nec eo contentus, voluit indicare hunc numerum interuallis ſonorum eſſe metam, eo quòd ab infimo ad ſummum vox humana tres tantùm capiat continuas per octonarium ſcalas. Quamobrem cùm vtrumque nominum genus, & eorum quæ picturæ reſpondent, & priorum quæ poteſtates dumtaxat exponunt, noſtratibus diuiniſſimam apertiſſimamque exhibeat orationem, nec ſimile quid aliæ gentes agnoſcant, nec ordinis rationem vllam aut nominum ſignificationem aſſignare poſſint; cur non dicam linguæ noſtræ propriam litterarum eſſe inuentionem? Scio Euſebium interpretationem nominum eorum dediſſe, quæ & apud Hebræos integra ſcripta inueniuntur, tametſi malè pronuncientur, & ad ſacras litterarum notas intelligendas ſpectant: at hunc Caninius vir doctiſſimus ab Hebræo quopiam deceptum dicit. Ipſe interim nomina rectiùs, vt putat, interpretatus, nullam explicat ſententiam aut congruam orationem, non magis ſanè quàm Euſebius vel eius magiſter: Verùm contendit figuras hieroglyphicas fuiſſe; quod equidem ipſi aſſentior, ſed volo vt vlteriùs doceat, quid vitulo cum figura Aleph, aut Beth cum domo, aut Gimel cũ camelo, & aliis cum aliis rebus quæ nominibus denotantur. Id niſi mihi expediuerit, nihil apud me effecerit. Nos docemus figuras nominibus reſpondere, & ea ſic eſſe ordine ſe conſequentia, vt non ſolùm congruam ſententiam exponant, vel à pueris noſtratibus intelligendam, ſed orationem etiam contineant, cui nulla, præter eam quam ipſe Chriſtus nobis tradidit, ſit comparanda, nedum anteponenda. Sed hæc in noſtris Hieroglyphicis accuratè diſcuſſa ob id hic commemoramus, vt cernant intelligantque omnes, has Gallorum antiquitates non ſolùm cum Indoſcythicis conſentire, ſed iis etiam lucem & robur addere, quæ de prima lingua diſputaui. Videtur ergo Annius per ſomnium à ſpiritu aliquo monitus, dixiſſe, Gallorum litteras Græcis eſſe vetuſtiores: quanquam video ex Cæſare quodam id modo eum collegiſſe. Nam cùm dicat, Gallos Græcis litteris vſos eſſe, atque eos à Dite procreatos, probabile videtur recentiorem eſſe Græcorum eruditionem. Deinde cùm Bocchus Vmbros vetuſtiſſimos Italiæ populos, quorum ad diluuium referunt & nomen & antiquitatem, dixerit ſobolem eſſe & propaginem Galatarum; quid obſtat, quò minus Galatas faciamus omnis Græcæ & Latinæ litteraturæ parentes? Adde quòd Gallos in Phrygia poterat inuenire, atque ita de Phrygum antiquitate, qua cæte-

Alphabeti, ſiue litterarũ conſideratio.

ros vincere mortales ab Ægyptiis produntur, Gallorum quoque concludere vetuſtatem. Cæterùm quid mea refert quibus è locis hic duxerit argumenta, quando eius ſententia non magis moueor, quàm cuiuſuis alterius de plebeia fece balatronis. Nobis claſſicorum teſtium auctoritas à Moſe ſcriptis non aberrans, & perpetuus hiſtoriæ conſenſus, & priſcæ gentium antiquiſſimarum regionumque nomenclaturæ, vnà cum perſpicua earum & rebus ipſis conuenienti interpretatione, locum habent demonſtrationum firmiſſimarum. Galli Tranſalpini ad Iapetum, quem ſua lingua Ditem à patris conſecratione nuncuparunt, genus ſuum referunt. Senones in Italia Galatam & Gallipolim & alias vrbes condiderunt, & totam regionem ab Iapeti gaudio Iapygiam indigetarunt. Quid ni igitur aſſeram, & veteres Calabriæ Gallos, & Gallos in Celtica habitantes ad eundem primum parentem pertinere, nec aliud inter eos diſcrimen principio fuiſſe, quàm quòd variis itineribus, alij mari, alij terra ad diuerſas Europæ partes veniſſent. Et cùm docuerim eandem Germanorum & Gallorum linguam fuiſſe, & vtramque gentem ab Iapeto & Gomero propagatam paulatim è Margiana & locis vicinis ad Europam deſcendiſſe, luculentum fuerit indicium veritatis per omnia ſibi cõcordis, priſca Gallorum & Germanorum vel in Bactriana vel confinibus veſtigia clariſſimè depreſſa demonſtrare: quam ad rem inſignem mihi operam nauauit Ptolemæus, vetuſtiſſimam regionem circa Paropaniſum celebratarum ex antiquis Græcorum auctoribus ſuppeditans deſcriptionem. Ex hac Indoſcythica mea tradiderunt; Iapetum cum Comero & poſteris hæc loca tenuiſſe, cæteris ad campos Senaar verſus Occidentem progreſſis; in quibus cùm Babylonica linguarum confuſio contigiſſe tradatur, non eſt quo credamus Comeri poſteros huius cladis, quam Deus ſermoni inflixit, participes fuiſſe. Quærantur igitur hic & Germanorum & Gallorum prima monumenta, quę licet ſint in igna tot ſeculorum edacitate non parum arroſa, tot tamen ſunt & talia, vt cuiuis perſpicuum reddant, hic Comerum cum ſuis habitaſſe, & eam, quam hactenus noſtrates Cimbri linguam habent, vſurpaſſe. Cernimus in primis hic Chomaros, vt eos Geographus vocat; qui ſoli ſatis habent argumenti Iapetum in Bactriana

Scordæ pop.
Scordiſci pop.
Scordus mõs
Scordona inſula.

conſediſſe. In eadem videas Scordas, vt modò dixi, à quibus Scordiſci, populi in Pannonia inferiore infimi, qui videntur Scordo ſiue Scordoni monti, in quo fortè prius habitarant inter Myſiam ſuperiorem & Dalmatiam nomen dediſſe. Ab eiſdem inſula Illyridi obiecta Scordona vocata; quamuis in his vocibus quidam A pro O pinxerint. Vt autem Scordæ in Bactriana olim habitantes, Dais in Margiana commoratis erant

Daæ, Daui, ſiue Daci pop.

non magno interuallo finitimi; ita ad Danubium confinia tenuerunt. Daæ enim ſiue Daui ſiue Daci Myſiæ ſuperiori vltra Iſtrum obiecti ſunt ad Septẽtrionem, cui & Scordana mons imminet, & Scordiſci ſuperius vltra Sauum adiacent. Dacorum hactenus reliquiæ in eiſdem locis Cimmeriam linguam integram conſeruarũt, quæ omnino

Saxſonum primi maiores Sacæ.

eadem eſt cum ſermone Saxſonum, quorum primi maiores Sacæ, magnam regionem inter Imaum & ſuperiorem Bactrianæ partem olim tenuerunt. Nec miremur Scordos hic inſulam de nomine ſuo nuncupaſſe, cùm Saſſones etiam multo remotiùs ad ipſa Acroceraunia inſulam Saſonem de nomine ſuo dixerint; eo fortè olim ſecuto Comerum quopiam Sacarum filio: quod vt faciliùs credas, cogita de Cimera regione in continenti proxima, & Chimera opido, Cimmeriorum claris monumentis. Eſt autem Saſ-

Saſſona inſula.

ſona Auloni Macedonię opido propinqua, opportunę Turcicę claſſis ſtationi. Scordiſcos item & Boios olim potentiſſimas fuiſſe gentes, quamuis pòſt fuerint variis cladibus attritæ, Straboni credimus. atque inde non abſurdum eſt, multis locis earum in locorum nominibus apparere veſtigia. Circa eadem Bactra, vel proximè vicina loca habitarunt

Cyri pop.

Cyri, adhuc ætate quidam populi Germani. quod Herodoti diligentia nobis prodidit. Quocirca nihil miri, ſi Daas, quos Daos Herodotus vocat, eum dicam ſermonem, quẽ hactenus in Dacia ſeruant, olim loqui ſolere, cùm illic Germanis & Sacis eſſent quàm nunc ſunt viciniores. Taceo nunc alias gentes, quæ ex illis locis in vicinam Scythiam cõmigrarunt, atque inde per Tanaim in Europam tranſierunt. De quibus ſatis multa in Beceſelanis. Quam igitur vel habitationem vel linguam inueniemus antiquiorem, ſi

Chomara vrbs, prima Galatarum ſedes, condita à Comaro.

ad hæc primùm loca homines Arcam ſint egreſſi, & in ea ſolùs Iapetus cum poſteritate ſua ſit commoratus? Comarus certè eius filius non Chomaros tantùm populos ad Iaxartem condidit, ſed Chomaram quoque vrbem in Margianæ & Bactrianæ confinio,

non

non procul ab ipſo loco in quem primùm ex arca deſcenderunt. Hæc itaque prima fuit ſedes Galatarum. hinc antiquiſſimæ gentis exordia repetenda: hoc ſolidum argumentum ad ſupremam antiquitatis primariæ coronam Comariorum ſermoni vindicãdam, cùm liqueat eos ſtatim à diluuio illic vrbem ſibi ſtruxiſſe, quò ex Arca primum primæ linguæ puritatem attulerunt, Vnde Sem & Cham cum ſuis digreſſi, in eam, quam ſcimus confuſionem inciderunt. Non eſt itaque cur miremur, in ſola noſtra lingua & A Be Ce, & Alef, Bet, Gimel, cum reliquis vtriuſque generis litterarũ nominibus orationem abſoluere, primi hominis ingenio, ſollertia, ſapientia & pietate dignam, nec in vllo alio ſermone, vel orationis conſtare congruentiam, vel ordinis litterarum rationem. Atque hæc quidem Anniani Xenophontis occaſione nati, ni fallor, è lagena vini montis Faliſci ſuauia ſomnia gignere conſueti. Redeamus nunc è Bactriana cum Chomeriis in Italiam, viſuri num & alios in ea reperiamus Bactrianum quippiam redolentes. Aſcendo naues & cum Ænea

Linquere nunc portus iubeo, & conſidere tranſtris:
Certatim ſocij feriunt mare & æquora verrunt.
Protinus aërias Phæacum abſcondimus arces,
Littoraq́ Epiri legimus, portuq́ ſubimus
Chaonio.

Quis hic portus? Bene ſperate, Nam

Prouehimur pelago vicina Ceraunia iuxta,
Vnde iter Italiam curſusq́ breuiſſimus vndis.

Quæramus qui ſint Chaones & vnde nomen ſortiti. Secuti ſumus Æneam è Creta in Italiam properantem, nec malis profectò auſpiciis hominem Phrygium dum Gallorum quærimus antiquitates. Non dubito quin idem iter olim Ianus & Comerus tenuerint: quod hic modò Palinurus nobis commonſtrat; & cùm à Cerauniis montibus, quorum extrema Acroceraunia dicuntur, prouecti, Italiam viderent, idem paſſi ſint quod Virgilius expreſſit:

Iamq́ rubeſcebat ſtellis aurora fugatis,
Cùm procul obſcuros colles humilemq́ videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates,
Italiam læto ſocij clamore ſalutant.

Dixi enim paulo antè, ab Iapeti lætitia Iapygium promontorium, atque inde totam regionem vocari, adeò vt Virgilius, neſcio quo poëtico furore, non tam Æneæ ficticium, quàm verum Iapeti iter deſcripſiſſe videatur. Quod vt magis appareat, de Chaoniæ regionis nomine quæramus. Virgilius figmenta tractans, facilè defunctus eſt hoc labore, fabula fabulam ornans. Occiditur Pyrrhus ab Oreſte. Helenus ſeruus Pyrrhi Andromacham item ſeruam à Pyrrho traditam habens vxorem, fit hæres Epiri. Quid hoc monſtri? Quo rogo teſtamento, aut quo ſucceſſionis iure ſeruus adit domini occiſi hæreditatem, excluſis liberis & cognatis? Et quis ſeruus? Nempe Troianus, euerſa patria, abreptus ad Græci Regis ſeruitutem. Vt tamen quid me offendat clariùs pateat, adſcribam verſus:

Nos patria incenſa (verba ſunt Andromaches) *diuerſa per æquora vectæ,*
Stirpis Achilleæ faſtus, iuuenemq́ ſuperbum
Seruitio enixæ tulimus; qui deinde ſecutus
Ledæam Hermionen, Lacedæmoniosq́ hymenæos
Me famulam famuloq́ Heleno tranſmiſit habendam:
Aſt illam ereptæ magno inflamatus amore
Coniugis, & ſcelerum furiis agitatus Oreſtes
Excipit incautum, patriasq́ obtruncat ad aras;
Morte Neoptolemi regnorum reddita ceſſit
Pars Heleno, qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamq́ omnem Troiano à Chaone dixit.

Scio dici poſſe, Pyrrho ſine legitimis liberis mortuo, quem Andromacha ei pepererat, hæredem relictum fuiſſe, atque eius tutelam vitricum geſſiſſe. quod equidem nõ facilè recepero. Epirotæ ſcilicet tã erant nullius animi, vt hominem ſeruum & hoſtẽ permit-

terent regni tenere habenas? Sed ſint hæc quæ quiſque volet, mihi certè hac cantione vt verba dari poſſunt, ita nihil perſuadebitur. Præterea quis hic fuerit Chaon, quem tanti fecerit Helenus, vt eius mallet in Epiro, quàm ſui memoriã extare, non explicauit, tametſi alij fratrem Heleni fuiſſe dicant. Sed quid hoc ad Epirotas? Quaſi illi à fratre ſerui, quàm à Moloſſo Pyrrhi filio nomen accipere maluiſſent. Deinde cùm mox ab hoc adulto, & iam regni ſui clauũ tenente Moloſſi ſint vocati, quanto rogo tempore Chaonũ appellatio durauit? Quamobrem nos fabulis relictis, aliam viam ingrediamur, eaſdem quas ſolemus Mercuriales manus ſecuturi. Ptolemæus in Bactriana Choanam vrbem commemorat, & aliã eiuſdem nominis in Parthia, Diodorus Siculus Choanã in Media conſtituit. Hinc leui metatheſi fieri potuit Chaona, atque inde Chaonia. Facit Dodonæum oraculum, omnium quæ Græcia habuit antiquiſſimum, vt meritò eius loci inueſtigem vetuſtatem. Aiunt itaq. Deucalionem mox à diluuio, collectis his qui ſupererãt, Dodonam condidiſſe: de qua mox plura. Chaon autem Nochi videtur epitheton fuiſſe, propterea datum, quòd fide, Dei minis & conſilio adhibita, omnia mala & malorum omnium patrem cacodæmonem inſigni præda defraudarit. Cha-hon enim ſiue Ca hon nihil aliud ſignificat, quàm malum defraudo. Vnde qui fortis eſt & conſtans, eodem nomine dicitur. Omnia conſilia & omnes impoſturæ Draconis eò tendunt, vt nos malis perpetuis opprimat, quæ qui fortiter & audacter ſuperarit, Ca-hon dicetur, & contractè Con per o magnũ, a & o ſono cõfundens. quod nõ malè Caon per diphthõgon ſcriberetur. Omnis certè fortitudo & omne animi robur in eo verſatur, vt non frangamur malorũ impetu; quod dũ facimus, eludimus & fruſtramur ipſius malorũ omniũ patris conatum. Quantũ malorũ credibile eſt Nocho fuiſſe cacodæmonis inſidiis obiectum, ne poſſet errabũdos & ſuperbos & atheos Gigãtes ad pœnitentiã vocare atq. verũ Dei cultum: quantum iterum, ne arcã ingens & ipẽ omnẽ perfectionis ſuperans opus abſolueret, impedimentorũ putamus allatũ? Verùm vir animoſus & Dei gratia plenus, omnes machinas, omnes fraudes, omnes malorũ hominũ deriſiones, conuicia, inſultus conſtantia ſua eludebat, dignus ob id vt Chon à Iapigenis ſuis nepotibus indigitaretur. Quæ ſatis multa virtutũ elogia queant inueniri ad eius viri dotes exprimendas, quẽ Deus ſolũ toti hominũ generi ſuperſtitẽ relinquere dignatus eſt, vt ex eo totum humanum genus renaſceretur. Inter alias igitur dotes, quarũ nomine ab omnibus poſteris celebrari meretur, eſt & hæc vna de maximis, qua omniũ hominũ ſcelera & enormia impiorũ Gigantũ vitia vnus ſolus auſus eſt taxare. Quod ſi quis ſit cui parua hæc aut cõtemnenda laus videtur, is hac noſtra ætate idẽ tentet, non contra omnes quidẽ hominũ ordines, ſed cõtra paucos aliquot capite cenſos; breui, ni fallor, experimento diſcet, non cuiuſuis eſſe animi nec vulgaris fortitudinis eos reprehendere, qui vel facto, vel conſilio, vel calũniis vitam adimere poſſunt. Ego profectò me longiſſimè abeſſe ſentio ab hac audacia & cõfidentia: & quamuis ipſe meam condemnem timiditatẽ, hoc tamen eius minus pudet, quòd eam mihi communem videam, non cum aliis modò, ſed cum multis etiã doctiſſimis viris, ad eas partes vocatis, vt ſi taceant, canes muti ſint vocandi. Bene habet, Deum arcum fœderis ſui in nubibus collocaſſe, quò de Cataclyſmo nõ amplius metueremus: quoniam ſi de vitiorum grauitate & frequentia vindictæ diuinæ ratio ſubduceretur, neſcio an vnquam aliàs magis fuerit, quàm hac noſtra tempeſtate de diluuio timendum. Cotis igitur vice fungar, hortaborq. vt multi ad id incumbant, vt cum Nocho Chonos vocari mereantur, & vti ille in arca clariſſimum de Indis triumphum ad Margianã egit atque Nyſam, ita ipſi, abiecto omni mortis metu, ſic vitiorũ omnium ſatrapas oppugnẽt, vt iuſtam habeant cæleſtis triumphi materiam ac cauſſam. Habet verò Chon aliam adhuc occultam ſignificationis rationem, quæ cognoſcitur ſi vox reſoluatur in Cho-an, ita vt ex littera adſpirata, media intelligatur: iuxta quam rurſus duo nos monet, alterum, vt boni ſimus ad aggrediendum, quod eſt fortium; alterum, vt ad bona inſtigemus, & in iis aggrediendis principes ſimus: quorum vtrumque Nochus & ante & poſt diluuium inter omnes mortales dote quadam ſua ferè præcipua inſigniter præſtitit. Atque hinc Chon, vel vt ex Cha-hon compoſitum ſoluetur, & dabit Chaoniam; vel vt contractum ex Cho-an diuidetur, atque ita Choana Bactrianorum & Perſarum nomenclaturæ ſuæ rationem habebit. Dialectorum varietas facit, vt alij Chaon videantur, alij Choan pronunciare, nihil vt miri videri debeat aut abſurdi, ſi Chaonia ſit apud Græcos, & Choana apud

Moloſſi dicti Chaones.
Chaonũ gentis primordia
Choana vrbs
Chaona
Chaonia.
Chaon, Nochi epitheton.
Chaonis gentis etymon.
Con ſiue Coen.
Chaonis alia etymologia.
Chaonia.
Choana.

apud Bactrianos. Nos nunc Coon ſcribimus, alij Cuon, alij Chuon: Etymologia Caon vel
Coan exigere videtur. Chonem ergo Nochũ dicimus,& Chonardũ eum qui naturã & *Chonardus.*
indolẽ habet animoſam. quod ſi Chonradum dicas, animoſi conſilij hominem notaris. *Chonradus.*
Sed vtrumnis horum breuitatis cauſſa plerumque Chon vocamus; poſteriore compoſi-
tionis parte reiecta: Hæc cùm vernis noſtris ſint notiſſima, non eſt obſcurum, è qua lin-
gua Chonis nomẽ manarit. Ægyptios vocabula quædam Phrygia in ſacris ſuis vſurpaſ- *Hercules Chaon ſiue Chon.*
ſe, cùm alibi, tum in Hieroglyphicis patefeci. Ii Herculem Chonem etiam vocabant.
Herculis autem nomine Nochum intelligendũ eſſe, alibi docui, propterea quòd ab eius
vi maſcula, totius humani generis proceſſerit vniuerſitas, vt nomẽ ipſum nimis dilucidè
apud puellas aperiret. Quamobrem ſi Herculem Chonem vocarint Ægyptij, clarũ eſt,
Nochum Chonẽ fuiſſe,& ſic ab audacia & omni malorum impetu depulſo ac deluſo
nominatum. Scribunt quidã, vt annotauit quoq. Phauorinus, hunc Herculẽ Chonem *Chone, Italia dicta.*
cum Oſiride in Italiam nauigaſſe, atque inde factum vt Italia Chone vocaretur. Strabo
Chaonum nomen, quàm Moloſſorum, cùm eiuſdem eſſet gentis, vetuſtius agnouit in *Chona pop.*
Epiro;& idem Chonas in Italia, in ora ea quæ à Silaro fluuio ad Zephyriũm promõto-
rium vergit, antea habitaſſe dicit, quàm Lucania à Samnitum colonis nominaretur. His
à Lao flumine Metapontum vſque proximos fuiſſe Oenotros, quos eius regionis impe-
rio Itali exuerunt; atque hæc ſola ora quæ ad fretum Siculum vergit Oenotria olim,&
pòſt Italia dicta eſt, ſi Antiocho vetuſto Italiæ ſcriptori fides habenda; qui Iapygiã extra
Italiam collocauit. Ex horum collatione deprehendo Chonem Nochum fuiſſe, qui dũ
ad Ianum in dextram tunc Tiberis ripam ſedentem nauigaret, præteruectus Iapygiam
& Lacinium, Siculum fretum intrauit, quo deinde ad Tiberis oſtia curſum teneret. Vi-
detur igitur hic aliquos reliquiſſe colonos, ductus fortaſſe ſpe proximæ inſulæ ex his lo-
cis occupandæ colendæque. Horum itaque maiorem partẽ de ſuo cognomine Chones
dixiſſe videtur, reliquos verò, quos extremam Cherroneſi partem tenere vellet, Oeno-
trios, id eſt, dominos ſiue heros perpetuò neceſſarios, ſiue qui ſemper omnium neceſſita-
tibus ſuccurrere conſueſſent. Id autem ea de cauſſa feciſſe potuit, vt omnes qui ad Tyr-
rhenũ mare habitarent, intelligerent hos ſibi perpetuò in honore habendos, vt eos qui
ſemper ad freti cuſtodiam neceſſarij forent. Oit-noot-heer, idem eſt quod dominus per- *Oenotrij vocabuli origo.*
petuò neceſſarius. Quod ſi dicas Oit noot eer, honor notatur perpetuò neceſſarius; quæ
ſignificatio eôdem tẽdit. Nam eos ſemper maximè honorare oportet, qui limitibus cu-
ſtodiendis excubant. Videbat annoſus vates ab Africanis Chameſenis Siciliã maximè
& hanc extremam oram impetendam, qua de cauſſa Ianigenas monebat, hos ſocios ta-
les eſſe & eo loco conſtitutos, vt & neceſſarij perpetuò ſint futuri,& ſummis ſemper ho-
noribus in amicitia & diligentis cuſtodiæ officio retinendi. Nec fefellit eum metus &
præſaga futurorum prudentia, quia hæc primùm regio ab externæ linguæ hominibus,
nec dubito quin ab Afris, eſt & ſæpius impetita & tandẽ occupata; atq. idcirco Italici no- *Italiæ nominis etymon.*
minata, id eſt, externi ſermonis regio; propterea quòd uit-tal idem ſit in Gallorum ſiue
Cimmeriorum lingua, quod externus ſermo ſiue peregrina lingua. qua in voce prior ſyl-
laba diphthongum habet, quam Græci in Harpyia. qua de cauſſa in I. longũ tranſiit, nec
vnquam à poëtis correpta fuiſſet, niſi vocabuli ſignificationẽ prorſus ignoraſſent. Cùm
veteres Latini in antiquis fortè Oenotriorũ & Chaonum & Galatarum monumentis
hoc nomen in principio per V & I ſcriptum vidiſſent, nec ſcirent ex duabus vocalibus
hiſce diphthongum coire, ſtolidè crediderunt, apud priſcos Vitaliã, conſonante vocem
exordiente, nuncupatã; cuius cùm nullam idoneam inuenirẽt rationem, finxerunt cor-
ruptè Vitaliam pro Vituliã dici cœpiſſe, atq. id nomẽ à Vitulo inditum, ſiue quòd vitulis *Vitalia.*
optimis abundaret, ſiue quòd Hercules vitulũ per totam Italiam quæſiuiſſet. Nõ amet
me Hercules, niſi hæc narratio tam frigida ſit & inepta, vt non modò non deceat veri-
tatis inueſtigatorẽ, ſed etiam indigna ſit quæ bubalis vel aſinis, nedum hominibus reci-
tetur. Sed talibus nugis opplentur aures ab iis, qui cùm nihil habeant certi & explorati,
ad fabulas & anilia deliramenta confugere malunt, quàm nihil ſcribere; quiduis potiùs
confeſſuri, quàm ſuam ignorantiam: cùm longè ſatius eſſet cũ Horatio dicere, non om-
nia hominum ſcientiæ atque captui conceſſa. Incido rurſus in Romana, nec, quò minus
incidam, euitare queo, cùm ita Gallica illis ſint connexa, vt principia iis quæ ex ipſis de-
ducuntur, aut potius vt duo rami ex eodem trunco progreſſi. Certè Gallicæ antiquita-

tes multo faciliùs citrà Romanas, quàm hæ citra illas lucẽ accipere poſſunt. quam cauſſam ſecutus, vt rurſus idem dicã, Romanis Gallica præuerti. Niſi enim ſciremus, Cimmerium ſiue Gallicum ſermonem, primùm in hac, de qua agimus, regione fuiſſe, non video quî intelligi poſſet vel illud quod de Itali nomine dixi, vel omnino quicquam eorum quæ ad priſcas Oenotriorum vel Sabinorum, vel Vmbrorum voces interpretãdas ſpectant. His modò explicatis, qui fuerint Chones & qui Oenotrii liquere puto, eã quidem tenus, qua ſe de caligine ſua ſpectandã præbent. Quod autem Ægyptij de Chone fabulati ſunt, eum nimirum cum Oſiride in Italiam ſuſcepiſſe expeditionem, ex vanitate Chami profectum, qui ne Italia pulſus à patre apud poſteros crederetur, quamplurimas confinxit fabulas, ex diametro cum veritatẽ pugnantes. Et haud ſcio an & in Ægypto patris fugerit conſpectum, veritus ſeueram ſcelerum ſuorum caſtigationẽ. Nec abſurdus mihi ſermo eius videretur, qui ex Africa etiã aliquando eum fugiſſe diceret, atq. idcirco figmentũ aſtu mendaciorum patris extitiſſe, Saturnum à Ioue pulſum, cùm res contrà haberet, atq. Iupiter Hammon, qui ſe Cham ſiue Ham, vt Ægyptij proferunt, dicebat, vitiorũ pudore & metu caſtigationis patris præſentiam declinaſſet. Quis ſit Oſiris, & quid ea voce ſignificetur, non eſt huius loci inueſtigare, in quo tãta ſeſe offert rerum cognitu neceſſariarum copia, vt earum explicatus contrahendus potius ſit, quàm externis rebus ampliandus. Quando nunc oſtẽſum ex Strabone & Antiocho, vbi Chones habitarint, & de Ægyptiorum relatu collectum, Nochum Chonẽ fuiſſe primũ nominis auctorẽ; vlterius ſic omnem rem ſupputo, vt concludã, & olim in Bactriana Choanam ſiue Chaonam, vtraq. voce lecta per diphthongũ, quam cõſuetudinis noſtræ ignari diuiſerunt, Chonis, qui Hercules fuit, fuiſſe monumentũ, & eundem in Epiro Chaoniã condidiſſe, tum nimirũ cùm Ianum viſitandũ proficiſcens, Comerios eos viſitaret quos Comer ad Ambraciũ ſinum collocaſſet. Nochus enim in vniuerſo orbe eo fungebatur officio, quo per magnũ poſtea ſeculorum decurſum Epiſcopi apud Athenienſes; quorũ partes erant, totã prouinciam ſibi cõmiſſam, quam diœceſim nõ ipſi tantũ, ſed Romani etiã vocabant, circumire, atq. in ſingulis opidis & vicis & arcibus circumſpicere diligenter, num magiſtratus rectè officiis ſuis fungerẽtur. Verùm erat illud diſcrimen, quòd hi ſuperiori ſuberãt magiſtratui, Athenienſiũ nimirum reip. ille nullũ in terris agnoſceret ſuperiorẽ, ſummus ipſe, non Rex tantũ atq. pater, ſed põtifex etiã maximus. Quamobrẽ putemus par eſt, ingẽti cura & ſollicitudine per omnes Margianæ colonias eũ circũuolaſſe, nullis parcentẽ laboribus, nullas in vaſto adhuc mũdo itineris moleſtias, quæ nõ poterant nõ eſſe omni coniectura maiores, reformidantẽ. Quoties ingemuiſſe eũ credem⁹, quoties canã barbã lacrymis rigaſſe, cũ filios & nepotes ſuos, iã ſtatim à renaſcẽtis humani generis initiis, in priſca vitia & ſcelera relabẽtes videret? Qualẽ putamus Chami improbi filij ſobolẽ fuiſſe, quale Nẽbrodi regnũ, quales in eo mores, in quo Rex ipſe nõ Regẽ & patrẽ ſe, qualis eſſe debuiſſet, verùm hominũ venatorẽ preſtitiſſe, de vera hiſtoria ſcitur, id eſt, hoĩes vti feras, non ad ipſorũ ſalutẽ, ſed ad ſuã libidinẽ atq. voluptatẽ rexiſſe? Vnde non multo pòſt, omnes ferè & Chamigenæ & Semigenæ Babylonico regno ſubiecti, in fœdã idolomaniã pertracti ſunt, à qua ne ipſi quidẽ Abrahami maiores immunes fuiſſe videntur, ne dicã, quod dicere poſſem, non citra auctoritatẽ, fuiſſe artifices idolorũ, & fœdæ impietatis, ac ſacrilegæ fornicationis adminiſtros. Quibus hæc oculis, quo hæc animo piũ patrẽ ſpectaſſe dicemus, in quę tum eũ verba, in quas minas, in quæ iurgia, in quẽ iuſtũ furorẽ prorupiſſe? Dũ increpat, dũ caſtigat, dũ ſceptri ſui vtitur poteſtate, dum impios perſequitur, quo ab inſania retrahat, hoc ſibi lucri facit, vt omnibus ludibriis, conuiciis, calũniis à Chamigenis improbis improbi patris filiis proſcinderetur. Hinc fabulæ de pulſo Saturno, & alia conuiciorũ ad poẽtas ſtolidos plauſtra venerunt. Hinc ad Ægyptios ab ipſo vſq. Meſraimo Chami ſiue Hammonis filio tot dementiũ ſuperſtitionũ monſtra, tot falſæ de rebus diuinis fabulæ, tot portẽta emanarũt turpiũ mendaciorũ. Coniecturã itaq. ex nobis ipſi faciamus, quanta animi ægritudine, quantis angoribus, quãto cruciatu piiſſimus Rex & pater fuerit afflictus, cùm his tãtis malis non poſſet mederi. Et verò quãto hæc in Chamigenis & Semigenis erãt acerbiora, tãto indies magis atq. magis Iani & eius filiorũ amore flagrabat. Quãobrẽ dũ reſciſſet Chamũ, quẽ Chameſenẽ Protarchus appellat, in Iani regnũ nauigaſſe, veritus, quod res erat, ne & illic errores ſuos & fœda ſcelera ſeminaret, nihil prius habuit, licet iã ad extremũ ſenium

Cham patris fugiens cõſpectum, quamplurimas finxit fabulas, &c.

Nochus in vniuerſo orbe Epiſcopi functus officio.

Chameſenes dictus Chã.

niū perueniſſet, quàm vt e veſtigio in Cretā, & hinc ad eos Comerios qui ad Ambraciū ſinum ſedes ſibi fixerant, proficiſceretur, mox inde ad Latiū ſoluturus. Hic igitur vt prudentem decet hermoſtam, aliquot ex ſuis ſociis reliquit, vt legū eſſent & religionis inter Cimmerios cuſtodes: data de ſuo epitheto nomenclatura, quo vitia & ſuperſtitionē audacisſimè ſemper & vbiq. oppugnare notabatur, vt nimirū & ipſi ſe Chaonū ſiue Chonum, quod idē eſt, nomine dignos præſtarēt. Apud hos itaq. Dodonæa diatriba fuit erecta, quò in ea oracula ad verū Iouis cultū homines inſtructia perpetuò darentur, vt mox pluribus oſtendam. Hinc igitur Chon ad fretū delectus Siculum, Oenotros & Chones, ea, quā dixi, cauſſā condidit. Quæ fuerit in Bactris & apud Perſas Choana, quæ in Epiro Chaonia, quæ ad fretū Siculū Chonia, quæ regio primùm Italiæ nomen ſit ſortita, quæ horū nominū in priſca Ianigenarū lingua ratio ſit, quā habeant ſignificationē & ſcripturam, quantus ſit Ogeniæ vetuſtatis veſtigiorū conſenſus cum prima Margianorū & Bactrianorum lingua, modò breuius fortaſſe quàm res poſtularet, explicatum. Quòd ſi in his latiùs alas extenderemus, mox in Romanas inuolaremus antiquitates, quibus & ſua materia, & ſua portio, & ſuus locus eſt ſeruandus. Tranſirem nunc ad Gallos Tranſalpinos, niſi me Senones in Iapygiam reuocarent, rogantes ne ſe antè deſeram, quàm ſint in priſcam Salentini & Calabrici nominis poſſeſſionem poſtliminij iure reſtituti. Salentinorum mentionem fecit Virgilius:

Et Salentinos obſedit milite campos
Lyctius Idameneus:

Item T. Liuius non vno loco. Strabo Meſſapiā à Græcis hanc Cherroneſum dici auctor eſt, ſed in partes ab incolis diſtingui; & extremā quidem quæ ad Iapygiam promontoriū iacet, Salentum, reliquam partem Calabriā vocari. Dionyſius Halicarnaſſæus & Seruius Salentinum ipſum promontoriū nūcupant. Salentinos Feſtus à Salo nominatos putat; non in eo modò deceptus, ſed in illo etiā, quòd Cretenſes & Illyrios etiam putarit, cūm ante Idomeneum Salenti extiterit nomē, nec fide dignum ſit, Græcum aut Illyriū hominem Latinum nomen terræ, quā recens arripuiſſet, daturum fuiſſe. Diximus ab Iapeto & Comero hic Senones conſtitutos, & extremū promontorium ab Iapeti gaudio nomen accepiſſe. Idem itaq. eadē lingua vocatū eſt Sal-ent, id eſt, finis cōſeruationis ſiue ſalutis, eo quòd hic terminus eſſet ſupremus regionis Iapeto promiſſæ: ad quē quia ſaluus perueniſſet, placuit vt hoc nomine felicis nauigationis memoria cōſeruaretur. Sal noſtras eſt vocabulum idem ſignificans quod conſeruatio Latinis, ab Hal, quod eſt ſeruo; mutata adſpiratione in ſibilum. Vnde & Sal pro condimento edulia conſeruante à corruptione; quod ab illo ſolo tēpore differt, quod in illo lōgum eſt, in hoc breue; propterea quòd minoris referat alimēta à putore cōſeruari, quàm homines nō perire. A Sal ſalich, pro felice. Hinc Latinorum Sal & ſalus. Ex eadē voce nomen ſibi formarunt Salyi, quos Strabo Salyas appellat, populus Galliæ, in quorum finibus Maſſilienſes ſibi ſedem armis quæſiuerūt. Sal-lui, nihil aliud eſt, quàm populus ſalutis, quia Lui populum nobis ſignet. Vidésne Gallicum vocabulum ipſum Sal eſſe, cui ſi Ent, quo finis nobis notatur, & quæuis regionis extrema pars, addatur, ea regionis ora notabitur, in qua ſalutē ſibi Galli inuenerunt. Calabria autem paulò interius ſita, Galabria potius dicenda fuiſſet. verùm vox id paſſa eſt, quod Calatia, Caieta, Cales, & in primis Caius & Caia. Id autem ita eſſe, demonſtrat Galabriorum nomen apud Dardanos, quorum vrbs, Strabone teſte, fuit perquam vetuſta; vt inde facilè conijcias à veteribus quoque Gallis quondam conditam fuiſſe. Erit itaque Gali-vriet idem quod Gallorum libertas; in qua voce v conſonans in B tranſiit, commigratione & olim & nunc etiam non infrequenti, cùm ſint quidam qui bibere malunt, quàm viuere. Vri liber eſt, vnde Vriheit vel Vricit vel Vriet libertas: quæ vox licet generatim quamuis notet libertatem, per excellentiæ tamē figuram ponitur pro ciuitate. Cui enim pago nundinarum & iudiciorum, tam de vita quàm de fortunis à principe libertas conceditur, is Vriet apud nos vocatur: qui loquēdi mos Cimmeriorum populis tam eſt antiquus, vt olim etiam apud Thraces viguiſſe prodatur. Teſtis enim eſt Strabo, ab iis ciuitatē Briam vocari, atq. ita Selymbriā Selios ciuitatem dici; Meſembriam itaq. Meſi ciuitatē interpretabor; & inde concludā, quod antè dixi, Meſos, non Myſos vocandos. Quòd autē dicit olim Menembriā dici ſolere, credo equidē, ſed non ſic, vt Menes aliquis eius fuerit conditor, ſed quòd libertas ſiue ciuitas eſſet

Salentini nominis etymō.
Sal.
Sal ſalis.
Salich.
Salus, utis.
Saliorum nominis etymō.
Lui.
Ent.
Calabriæ nominis origo.
Vri Vriheit
Bria.
Selymbria.
Meſembria.
Meſi non Myſi dicendi qui in Europa ad Danubij oſtia habitant.

eſſet virorũ,quam Mes poſtea in nomen ſuũ coëgerit tranſire. Quocirca vt Meſembria Meſiorum,ita Galabria Gallorum ciuitas dicetur; ſiue generatim vocẽ accipere mauis, Gallorum libertas. Videtis quàm altè ſint impreſſa Iapygiæ veterum Gallorũ veſtigia, & quàm verè crebrò dixerim,Gallorum & Thracum & cæterarum Cimmerij generis

Vxentum op.

nationum eundem olim fuiſſe ſermonem. Eſt præterea in ora Senonum Vxentum, à Gallipoli quinque paſſuum millibus diſtans ad ipſum Iapygium promontorium, quod ego primùm totius Salentinæ regionis opidum fuiſſe coniecto,& Iapetum hunc portũ ingreſſum,cum ſuis hic lætum Deo ſacrum feciſſe,ac deinde hilaria celebraſſe. quod feſtum Romani pòſt ad æquinoctium vernum celebrantes octauo Calendas Apriles, me commonefaciunt eo ipſo tempore Iapetum in hoc littus quondam exiiſſe, atque in Creta vel Epiro hibernaſſe. Vt igitur Acra Iapygia à gaudio Iapeti vocatur; ita ab eodẽ

Vxentum vnde dicatur. Hugt.

Vxentum nomen accepit. Hugt enim vt confuſus ſonus ſit u & o tenuiter pronunciati, ſignificat gaudium & hilaritatem;à quo Iaps Hugt,& reiecto è media compoſitione ſibilo & adſpiratione ad molliorem ſoni coitionem,& T finali in S mutato,fit Iapugs,ſiue,quod tantundem valet,Iapur,pro Iapeti lætitia. Nec aliter ab Hugt Hugts-ent dicitur, pro feſtiuitatis & hilariorũ ora;& hinc aſpiratione & Tau è medio reiecto,Vgs-ent,vnde Vxentum Latinis. Videor mihi vnà cũ Iapheto nunc hilaria celebrare,adeò me recreat hæc recordatio diuinæ bonitatis, qua in tot regnorũ & nominũ mutationibus & cladibus voluit tã clara hic conſeruare & Iapeti & gaudij,quo hanc terrã ſalutauit, monumẽta,& nos poſt tam profundas & diuturnas Cimmeriorũ tenebras in hac tam liquida veteris hiſtoriæ luce collocare;qua non rerũ modò mox à diluuio geſtarũ memoria redintegraretur,ſed apertiſſima etiam argumenta ſuppeditarentur ad demonſtrandum , quæ priſca Ianigenarũ fuiſſet lingua,altiſſima ſapiẽtiæ religioniſq. myſteria iis reuelatura,qui ſeſe in ea exercere non grauabuntur, vtpote Babylonica confuſione minimè corrupta. Porrò non Salentũ modò & Vxentũ ab Ent, quo ora denotatur & fines , nomina duxe-

Tarenti vrbis deſcriptio.

runt,ſed Tarentum etiam & Hydrentum. Qui Tarenti ſitũ conſiderabunt, nullo modo negare poterunt,quin reuera id ſit quod Gallico ſermone nominatur. Sita eſt ad intimum finem eius ſinus qui hinc Iapygio, hinc Lacinio promontorio continetur. atque in hoc tamen vltimo receſſu inter duo maria ſeſe porrigit ceu magna quædam & oblonga nauis eſſet portum ingreſſa. A puppe foſſa munitur, quæ ad vtrumque mare pertinens,nauium longarum curſum admittit: è prora in continentẽ per pontes itur, quos æſtus interluit rapidiſſimus. Piſcium ſumma abundantia , adiuta dulcibus Galeſi fluminis aquis. Nuſquã auratarum maior vel copia vel magnitudo:oſtreorum tanta vis, vt vel vno quandoq. ſeſtertio plura quàm ducenta cõpares. taceo reliqua. Rus ſuburbanum lętiſſimũ,non frugibus modò & paſcuis,ſed vineis etiam & oliuetis cũ optimo certaturũ. Quid hîc cõmemorem amœniſſimum proſpectũ, qui veluti in theatro quodã Neptunio,amœniſſimũ littorum, colliũ,ſaxorum, cãporum & vndarum præbet ſpectaculum? Accedit his cõmodis loci ſecuritas,quæ tanta eſt,cùm natura loci , tum hominũ opera, nihil vt firmius vſquam queat inueniri. Eſt in vicinia locus beatiſſimus,omni fructuum genere ſpectabilis: plurimas habet fontiũ ſcaturigines: omni genere citriorũ luxuriat,ficis,malis punicis, & cæteris fructibus vrbem replet: olera omnis generis, & fila Tarẽtini grauiter redolentia porri,laxis finibus effundit:& ne quid fertilitati obſit,graue & vrens boreæ frigus excludit. Solis radiis totum ſe pandit. Quamobrẽ viſus eſt dignus,quẽ ma-

Saturũm ſiue Saturium op. Sat. Vr.

iores Saturũ,media producta, vocarent. quo accentu cùm pronũcietur,ſatis liquet vocẽ Gallicã non Latinã eſſe,tametſi hæc ab illa duxerit originẽ. Sat quoduis nobis ſemẽ notat. Vr,longa vocali, magnũ & excellens in quouis genere ſignificare, crebrò dixi. Quo fit,vt Satur ſeminis excellentiã declaret. atq. hinc etiã Saturnus nomen ſibi ſumat,quaſi Saturnut diceretur,id eſt,vtilis & neceſſarius excellenti ſemini procreando. In Saturnus

Saturni nominis etymõ.

prima ſyllaba tẽpore ſuo demonſtrat Gallicã non Latinã vocis originẽ eſſe quærendam. Adde his lanam Tarentinã ob mollitiẽ plurimũ apud antiquos laudis habuiſſe, & vrbẽ etiã purpuræ tinctura fuiſſe celebratã. Quali porrò cælo ſit atq. aëre,clariſſima ciuiũ ingenia quondã declararunt;& in primis Archytas Tarentinus, & Nicomachus in Arithmetica & Muſica celebris auctor. Ariſtoxenus item, cum ſummus philoſophus,tũ nobilis Muſices anteſignanus. Taceo Heraclidẽ & cæteros, ne longiùs procedat enumeratio. Quòd niſi fatorum ſeries aliud deſtinaſſet,hæc poterat vrbs imperio totius orbis digniſſi-

digniſſima videri,atq. idcirco veterum fabulis iactatur,à neſcio quo Tarante Neptuni filio conſtructā fuiſſe,eo quòd non alia Neptuno magis placere poſſe videretur. Nobis de vocis ſignificatione conſtat,à Gallis quondā conditā fuiſſe. Quis rogo non optet in tā beato omnibus terræ marisq. loco dotibus cōmorari? At hoc ipſum te nomen,vt facias, monet. Tar enim morari notat,contrariū ſtat, quo celere ſignatur, charactere noſtratiū vocum clariſſimo. Ent oram;è quibus Tar-ent,ea ora vocabitur, quę talis eſt,vt cuiuis in ea ſit commorandum. An quicqūam poteſt naturæ loci,tantū amœnitatis & copiæ rerum omniū largiſſimo cornu effundenti,vel accōmodatius vel conuenientius dici? Bene itaq.concordant Saturū & Tarentū;altero nomine ſeminū excellentiā pollicente,altero adhortante ne te ſinas ab hac ora diuelli. Qui Tarentū Sabinorū lingua tenerum notari dixerunt, falluntur. Teer enim non Tar apud Sabinos pro tenero dicitur: Et licet non ignorē hanc vocalem longā,quam duplici ee noſtrates plerumq. ſignant,in a cōuerti apud Latinos,vt cùm ex Eeren-ueſt, Arioüiſtū fecerunt,hic tamen nihil tale ſuſpicādum; tum quòd prior ratio in Senonū lingua ſit apertiſſima; tum quòd a nō ſit productum in Tarento,ſed correptū. Credo tamen id à quopiam conuicij loco ipſis obiectū, eo quòd immēſa opū vis,& omnis deliciarum opportunitas & fere ineuitabilis anſa inſignē mollitudinē attuliſſet.atq.ita deriſui gratiam vocum alluſione quæſitā, haud ſecus atq. Cicero Verrē à verrendo dictum fuiſſe iactabat. Ne tamē nos vrbis illicibus & nominis admonitione deuincti in eius finibus conſeneſcamus,maturemus fugam ad oppoſitum ex diametro totius Calabrię promontoriū,in quo priſci Ianigenæ Hydrentū condidere. Sic autem nomen vrbis efferri ab antiquiſſimis incolis ſolere Galatæus contendit, & huius ſuæ opinionis firmamentū collocat in quadā antiqua inſcriptione marmori inſculpta, quæ Neapoli ad D. Mariæ cognomine de Libera exſtat, vbi fortè Veneris olim tēplum fuit,quæ Libera ſermone Cimmeriorū vocabatur. In ea Hudrentinorū apertiſſimis litteris fit mentio;tanto pluris à me facienda,quod Latinū V loco Græcæ litteræ in prima ſyllaba ſit collocatum. qua de re colligo, accurato docti cuiuſpiā viri,qui ex vetuſtis monumentis id didiciſſet,iudicio factū fuiſſe,vt contra commnunē Græcorum conſuetudinem,contra etiam inſignia ciuitatis hydrum habentia, ſcriptura nominis mutaretur. Quamobrem vt non citra grauē cauſſam prima ſyllaba aliam accepit vocalē;ita magna fuerit ratio neceſſe eſt,ob quā ſecundæ etiā ſyllabæ vocalis mutaretur. Quòd ſi Galatæo homini de Græcis ſuis parentibus glorioſo hæc placuit ſcriptura, minimè Græcæ conueniens linguæ;quāto magis mihi placere debet, Gallos hic primos agnoſcēti cōditores; quos Galatęus,quāuis Galaticū nomen nō dedignaretur,procul amouendos putabat.ea etiā cauſſa Plinio minus æquus,quòd Senones in Calabria colloca ſſet. Situs ſanè huius Vrbis ſatis oſtendit,quā ob cauſſam Hudrentū ab antiquis vocaretur: Cùm enim extremos Calabriæ fines occupet,è quibus & breuiſſimus in oppoſitum littus traiectus eſt,& Acroceraunia clarè cernuntur, totius Cherroneſi cuſtodiæ & excubiis opportuniſſima meritò videbatur. Hinc antiqui centū turribus,vt incolæ ex reliquiis & turre Cētenaria nomine colligunt, vrbē cinxerunt. Nec citra cauſſam profectò, vt triſtiſſimus auorum memoria docuit euentus. Achamatus Mahometis claſſi pręfectus, anno à Chriſti natali milleſimo quadringenteſimo octogeſimo ex Aulonis portu ducētas naues cū valido exercitu Hudrentū duxit;& cùm ſat æquis conditionibus, ſaluis videlicet omnibus quæ ciues ſecum ferre poſſent, perſuadere deditionem nequiret,vrbem expugnat,occidione quantum virorū eſſet trucidat, ſacerdotes vnà cū archiepiſcopo rebus diuinis operantes iugulat. Qui cladi vitam ſubtraxerunt, aut capti, aut ſaucij, aut ęgroti extra vrbem ſunt protracti,& multis verbis & blandimentis ſollicitati, vt Chriſtianæ religioni renūciarent;cùm adduci ad atheiſmum nequirent nec pollicitis,nec minis, nec verberibus, nemine ex octingentis,quot erāt,fidē deſerēte (mirabile dictu) ad vnū omnes diris modis conciduntur. Quicquid erat mulierū & puerorū ſeruitio idoneū, Auſonem auectū. Vide nunc,an non diligenti cuſtodia ei vrbi opus ſit, in quam tā breuis eſt è Græcia traiectus,vt fretum ad quinquaginta dumtaxat millia paſſuum pateat, & Pyrrhus olim & Varro Pompeianæ claſſi præfectus nauali id ponte conſternere cogitarint. Rex certè Alphonſus nobili Chriſtianorum clade doctus,cùm longa & difficili obſidione vrbē recuperaſſet,arcem exſtruxit loco dignam,quam qui præſidio tenent, verè ſunt id quod dicuntur Hudrentini, id eſt, finiū cuſtodes. Ent quid ſit modò dictum; Huder autē idem

Tarenti nominis etymō. Tar. ſtat. Ent.

Hydrunti etymon. Huder.

eſt

eſt quod cuſtos. Quod igitur aptius huic vrbi nomen dari potuit, quàm illud quo perpetuò poſteri monerentur, vt in hac ora perpetuos ponerent cuſtodes, ad totam Calabriã in eo ſtatu conſeruandam, quo talis eſſet qualis diceretur, id eſt, Gallorum libertas & ſecuritas? Nam 𝔙𝔯𝔦 à quo Bria, vtrumque notat, liberum & ſecurum, eo quòd qui ſecurus non eſt, liber eſſe non poſſit; nec contrà ſecurus, qui non eſt liber. Eſt itaque apertiſſima nominis ratio; quæ quamuis ab eo, qui vt ſic nomen ſcriberetur, ſculptori imperauit, non fuerit fortaſſe perſpecta, iam olim Cimmeriorum lingua in illis locis abolita, veriſimile tamen eſt cum ex antiquitatis inquiſitione diligentiore quàm cęterorum fuiſſet, ad hanc ſententiam ab aliis diſceſſiſſe. Magna tamen veriſimilitudo eos mouit, qui ab aquis nomen opido datum fuiſſe putauerunt, eo quòd plurimis & ſaluberrimis aquis ſcaturiat tota vicinia: & fuit fortè hęc etiã altera eius cauſſa priſcis Cimmeriis, eo quòd

ὕδωρ.

aquam etiam à cuſtodiendo ὕδωρ nominarint. Cuſtodit enim alimẽto ſuo naturã, quam ignis citra eius cuſtodiam mox depaſceret. Sed hac de re alibi latiùs. Sat eſto monuiſſe, Græcum vocabulum à Cimbrico aquæ epitheto manaſſe, atque idcirco nomen ciuitatis geminam apud Ianigenas habuiſſe rationem. Poſſem equidem & alia non pauca huius regionis nomina de Gallico ſermone interpretari, ſed hæc quæ modò expoſita ſunt, non ſufficere mihi tantum videntur ad Bocchi & Plinij auctoritatem confirmandam, ſed plura etiam ſunt teſtimonia, quàm quiſquam æquus iudex in tanta vetuſtate, non dico poſtularet, ſed vel optaret. Sunt nõ pauca apud veteres tranſſcribentium vitio corrupta; ſunt alia à germano ſuo ſono ob ſignificationis ignorantiam detorta, dum vetuſta locorum nomina manent, gens verò, cuius ea propria ſunt & vernacula, iam olim vel eſt exciſa, vel veterem linguam amiſit, vel aliò commigrauit. Opidum quod in Aquitanorum finibus Carolus Magnus exſtruxit nomine 𝔉𝔯𝔞𝔫𝔠𝔰-𝔴𝔞𝔯, quis agnoſcet in Fronſaco,

Fronſacũ op.

quo ſono hodie efferri audimus? Infinita id genus adduci queant exempla, multo minore temporis ſpatio ingentem vocum commutationem factam eſſe teſtatura. Sed ad quid in re perſpicua operam perderemus? Quæ cùm ita ſint, quid miri ſi ab illa Ogenia ætate ſimile, aut longè etiam maius nominum vel exitium vel detrimentum accidiſſe dicamus? Quamobrem frequentiſſimè coniecturas valde probabiles omittere malo, quàm earum vel obſcuritate, vel dubia fide, cæteris, quæ clara ſunt & veterum nixa te-

Media regio, Gallorum cõmigrationis vestigia ſeruat.

Galla op.

ſtificatione, labeculam aliquam aſpergere ſuſpicionis. Hinc in Gallorum è Chomarorũ regione, & Chomara Bactrianorum commigratione nihil dixi de Media: in qua tamen extant quædam veſtigia tam altè depreſſa, vt ne hactenus quidem ſint deleta. Eſt enim in ea Galla ciuitas inter Zagrum montem & Stratonem flumen, eſt & Margiana regio apud Caſpios eiuſdem tractus populos, Cyro fluuio finitima: de qua clariſſimum argumentum ſumas, eos qui in Margiana ad Bactra primùm habitarunt, huic nomen dediſ-

Zagrus mõs.

ſe. Conſentit Zagrus mons, totam ferè Mediam complexus; cui à Zagreo, (quod vnum de Nochi cognominibus fuiſſe alibi trado) nomenclaturam obtigiſſe non eſt cur negemus. Qui ni igitur ſuſpicer Cimmerios ſecundum mare Caſpium è Bactris & Margiana profectos, hæc illis locis reliquiſſe monumenta, præſertim cùm videam Gallam ciuitatem ad Zagrum ſitam: quæ non ad horum modò probabilitatem plurimum facit, ſed

Geli populi, vnde dicti.

Choana in Media æquè atque in Bactriana reperitur.

ſuſpicionem etiam mihi iniicit, ex Gailis Gelis nomen manſiſſe populo eiuſdem regionis. An non in Media quoq. Choana reperitur æquè atq. in Bactriana, nunc Com dicta? qua pronunciatione id quod de Chonibus dixi, cõfirmatur; cùm nihil facilius ſit, quàm ex Con, Com fieri. Verùm hæc & id genus quãplurima ne commemorãda quidẽ putaui, ne quæ per ſe ſatis ſunt perſpicua, hac nimia in commigrationis itinere quærendo curioſitate obfuſcarentur potius quàm fierent illuſtriora. Sit illud ſatis in tam remota tot ſeculorum antiquitate, aliquot ſaltem ſtationes commonſtraſſe inſigniores, & è Bactris alios in Scythiam, alios in Phrygiam deduxiſſe: & ex Phrygia alios per mare in Cretam, & hinc in Epirum, ex Epiro in Salentinã regionem; alios (in quibus Scordiſci ſunt) è Bactrianis Scordis deſcendentes per Boſphorum Thracium in Europam traduxiſſe: Addidiſſe item Tectoſages è Scythia per Tanaim veniſſe in Germaniam, atque inde ad montes Pyrenæos; hinc rurſus in Germaniam alios, alios in Græciam, & inde quoſdam in Aſiam traieciſſe, in qua Galatas conſtituerunt. An verò Senones Transalpini idem iter ſeruarint quod Tectoſages, quæ coniectura conſequetur? Equidem non repugnabo;

Saſones.

ſi Senones cum Saſonibus, vt Ptolemæus hos vocat in Scythia, in Europam veniſſe dicantur.

cantur. Quos enim Semnones in Saxonia ſcribi videmus, equidem omnino puto Senones dicendos; vt in eodem Ptolemæo in Media legimus Amariacas pro Anariacis apud Strabonem & Plinium inuentis. quos populos in exemplari quodam Auariacos nominatos vidi. Ita procliue eſt in gentibus ignotis aberrare. Vt autem hæc mihi placeat coniectura, Senones Tranſalpinos cum Saſonibus prius in Germaniam veniſſe quàm in Galliam tranſirent, facit Saſona inſula Calabriæ, quam Senones tenuerunt, oppoſita ad regionem Gimeram, in qua eſt Aulon, hodie Vallona nominata. Vnde colligo cum Gallis Senonibus Iapygiæ quempiam etiam è Sacarum filiis nauigaſſe, atque ſimiliter Sacarum filiis in Germaniam proficiſcentibus Senones etiam aliquot ſocios fuiſſe; qui deinde Renum tranſgreſſi, Senones in Gallia condiderint, quorum reliquiæ quædam exiguæ videntur in Belgis remanſiſſe, in quorum regione poſtea Vallis Senonum opidum ſit exſtructum, pars maxima in Celticam commigrauit: vnde non exiguus numerus Alpes transgreſſus, varias & dedit & accepit clades, quas enumerare non eſt huius inſtituti. Boij ſimiliter Gallis & Germanis ſic olim fuerunt permiſti, vt ex vtra regione in alteram venerint, difficile fuerit cognitu, niſi ad illam amuſſim quæſtio examinetur, quæ decernit ex Aſia omnes & Gallos & Germanos in Europam migraſſe. quam ſecuti in Germania prius eos quàm in Gallia habitaſſe dicemus; & inde per Heluetiorum fines Galliam, per Alpes Italiam petiuiſſe; in qua varia cum Romanis bella geſſerunt. quorum memoriam Bononia gereret clariorem, ſi Boionia diceretur. Cæterùm Romam coloniæ fauſtum nomen dare, quàm hoſtium ſeruire memoriæ maluerunt. Boios equidem circa Heluetiorum fines Reni accolas in hanc Italiæ partem olim tranſiiſſe, de nomine Reni colligo, cui nomen in honorem fluminis, cuius ripas reliquerant, indidiſſe credo. Plinius Felſinam nuncupatam fuiſſe ſcribit, cùm princeps Hetruriæ eſſet. Dixi modò quid ſignificet Volſina; quo intellecto, in promptu eſt videre quid notet Felſina. Quod enim in regione Hetruriæ Apennini montibus & collibus continebatur, Volſinam caput ſtudiorum diſciplinarumque habebat. Altera verò pars campeſtris tota vrbem Felſinam ingeniis exercendis colendisq; dedicarat. Bononiæ enim camporum Italiæ, qui verè quidem campi ſint vocandi, initium eſt, quoniam ibi planities ea quam Padus mediam ſecat, exordium ſumit. Quoniam igitur Felt ſiue Velt nobis campus vocatur; Felts-ſin camporum erit ſenſus, mens & gratia, de ſignificationis in ſin latitudine modò annotata. Videtur autem hoc nomen duplici ratione placuiſſe; & hac quam indicaui, & altera quòd eadem vox Felſina ſic intelligi queat, vt vel camporum initium ſignificetur, vel camporum finis. Nam fels-in principium eſt camporum, fels-iint ſiue ent, camporum finis. Ab Alpibus enim venienti camporum finis eſt ad vnguem: ex Apennino deſcendenti primum eſt camporum exordium. In noſtra lingua E, vocali longa, quam idcirco duplici ferè ſcribimus figura, ſiue Een, addita littera ſonora & per nares tinniente, quo audientis animus ſurſum feratur vnà cum voce, vnum ſignificat. Et quia omnia in vno ſunt, & totius ſui eſſe habent ſedem, atque omnia ad vnum finem vltimum feruntur in quo quieſcant, voluit nomenclator vt ab Een fieret En ſiue Ent vocali breui pro fini, & In pro eo quod eadem vox Latinis ſignificat. Græci ex prima lingua ἓν ſeruarunt in eodem accentu. Et quia E & I facilè ſibi inuicem ſuccedunt, ab aliis in, ab aliis craſſius loquentibus en audias. Quidam etiam pro fine eint pronunciant, vtriuſque vocalis ſono miſto. Sed hæc apud cordatos leuiora, quàm vt moneantur: moroſos, aut potius omnis loquendi conſuetudinis imperitos, planiſſima etiam non minus quàm ſalebroſa demorantur. Quia ergo omnium rerum idem primum eſt principium, & idem vltimus finis; & quia in vno omnia ſunt vnum, & finis, & in ab eadem radice nomina ſortiuntur. Sic dicimus, het gat in, id eſt, incipit. Het ent, vel int, vel eint, pro diuerſitate pronunciantium vel tenuius vel craſſius, id eſt quod finitur. Het is in, idem quod Latinis, eſt in aliquo. Minutila hæc in ſpeciem videntur; ſed ſi quis hæc creatis & ipſi Vni applicet, pro eo ac nomenclator his ſuis ſymbolis monuit, deprehendet nihil totis primæ ſapientiæ libris apud Peripateticos doceri, quod hac vocularum cognatione non explicetur. Quamobrem camporum finis felſ-int, principium felſ-in dicetur. At felſ-ſin, eſt ſenſus, mens, ingenium, placitum, gratia camporum. Vides quantum duabus ſyllabis intelligentiæ nobis offeratur; quantum mente & ſenſibus valuerit, qui primus eſt nomen fabricatus; quantum plus præuiderit

Senonum in Europam aduentus.

Saſona inſula Calabriæ.

Boij Galli & Germani permiſti.

Bononia dicta Felſina.

Felſina & Volſina etymon.

E. Een. En. Ent. ἓν. In. Eint.

diuino inſtinctu, quàm captus ferat humanus. Quis eum docuit hanc vrbem Hetruriæ aliquādo principem fore? Quis prædixerat multis pòſt ſeculis apud Boios etiam fore primariam? Quis tam procul in futurorum abyſſos penetrauit, vt ſciret apud Chriſtianos hanc fore metropolim & fecundiſſimam matrem omnium diſciplinarum? O beatam eius mentem, quam Deus ſic gratia ſua depurgauit atque poliuit, vt tanquam limpidiſſimum ſpeculum fatorum radios à tanto interuallo reciperet, ac receptos per tam immanem tot ætatum decurſum ad nos repercuteret ac referret. Gaudeo ſanè maiorem in modum hunc radium ad eum angulum eſſe repercuſſum, vt directè incideret in meam mentem, eamque ſic illuſtraret intelligendi vi ac bonitate, vt lumen ipſius omnibus candidè communicaret. Habeat ergo Felſina benigna & larga meorum quondam pro tempore ſtudiorum nutrix hoc ſibi nunc nutriciorum loco, quòd candidè aperuerim admirabile illud nomenclatoris oraculum, duabus ſyllabis conſignatum; & eas docuerim tali compoſitione coiuiſſe, vt non vaticinium modò, ſed ſitus etiam vrbis habeant deſcriptionem, & addant præterea hiſtoriam vetuſtiſſimam, qua conſtet totius Hetruriæ campeſtris ſapientiam in hac quondam vrbe maieſtatis ſuæ thronum collocaſſe. Adde & illud, huius nominis beneficiis, quod haud ſecus atque Volſina clarè demonſtret, eandem olim Hetruſcorum & Gallorum fuiſſe linguam, magno indicio ab eiſdem eos parentibus, Iano nempe atque Gomero, ortos fuiſſe; atque idcirco delirare, ne dicam furere, Annium & ipſius Thalmudiſtam, dum priſca Tuſcorum vocabula de lingua Semi interpretantur: quod dum faciunt, perinde faciunt, atque ſi quis *βίνη* Græcorum, per bini Latinorum, aut fer Latinum per *fer* Britannicum, aut *πῖνεν* Aeolicum per Pinen Germanicum, aut Scem Hebræorum per Scem noſtras vertat. Quidam iuſſus ire ad Stercum (cognomen hoc erat cuiuſdam Senatui à ſecretis, idem nobis quod robuſtus ſignificans) putauit ſe amandari ad ſtercus Latinorum. quo ſanè opſonio digni ſunt, qui Gallica vocabula ſiue Cimbrica de Hebræorum lingua interpretantur. Et hæc quidem de Felſina, vrbe quondam Hetruſcorum, deinde Boiorum, à quibus Boi-wonia, & dempto duplici digamma Boionia, id eſt, Boij habitatio vocata eſt; poſtremò Romanorum, qui Bononiam felici nomine eam indigetarunt. Quid porrò Boij nomen ſignificet, vt facilè dixero, ita non pro certo affirmauero, qua de cauſſa ſibi nomen hoc gens ſumpſerit. Plurima nobis nomina fieri à verbis, eo quòd actus prior ſit potentia, ſæpius à me dictum: & item frequentiſſimè à præterito imperfecto fieri deriuationem.

Boiorum vocabuli etymon. Bie.

Boi itaque præteritum imperfectum eſt à bie; quo duo notantur; alterum, vt idem ſit quod iubeo & impero, alterum, vt ſignificet idem quod offero. Voluit enim verbi huius faber, neminem debere imperare, qui non ſimul operæ mercedem offerret. Quid igitur, dices, offerunt Reges & magiſtratus iis quibus imperant? Permultum profectò. Nempe vitæ & omnium eorum quæ vitæ neceſſitatibus ſeruiunt præſidium atque tutelam; quam niſi præſtent, intelligant ſeſe de ſententia eius qui verbum noſtras fecit, imperio non eſſe dignos. Audiant quotquot iubendi vſurpant poteſtatem, omnes homines liberos naſci, & nihil mandari cuipiam deberi, niſi iuſto pretio ſimul oblato. Boi idem eſt quod imperabam, à quo Boi nomen, quo is ex analogiæ ductu diceretur, qui imperat. quo ſenſu haud ſcio equidem, an ſe Galli Boios vocarint: hoc ſcio, conſuetudinem, penes quam arbitrium eſt & vis & norma loquendi, obtinuiſſe, vt boi in patiendi notatione

Boi/bode.

vſurpetur, pro eo cui imperatur, boi enim famulum & nuncium vocamus; & aliquando bode, eo quòd vtroque modo præteritum imperfectum enunciemus. Hinc apud Cæſarem Boduognatus à Bodegnaet, quo is notatur, qui clemens eſt erga famulos: & Marboduus apud Velleium Paterculum: quod nomē ſi à Meer-bode deducas, idem eſt quod famulus rem domini augens: ſin à Mer-bod-hu, idem erit quod magiſtratus, ſiue dominus famulorum cuſtos. Mer enim hactenus apud Flandros honoris prænomen eſt, quod Mar alij pronunciant, à Mar, quo fama notatur. Vnde Vitomarus latæ famæ homo. Otmarus ſiue Ottomarus ab Hot-mar, vir qui caput eſt inter eos qui bonæ famæ ſunt. Maier etiam magiſtratus eſt ſupremus in ciuitatibus, quem Vergobretum Ædui vocabant: vnde fortaſſis aliis videbitur Mer ad honoris tranſiiſſe præfationem. Mirificum, ita me Mercurius amet, nomenclatoris fuit ingenium, ſtupenda in omnibus vigilantia, nunquam dormitauit. Quoniam intelligeret maiorem eius eſſe ſeruitutem qui impe-

Boduognatus, quid ſignificet.
Marboduus, quid ſignificet.
Mer.
Mar.
Vitomarus
Otmarus.
Maier.
Vergobretus.

randi fungitur poteſtate, quàm eius qui iuſſis obtemperat, voluit vt boi non imperatorem, ſed famulum notaret. Sic res habet: qui aliis imperat, perpetua premitur ſeruitute, qua cogitur commodis eorum proſpicere in quos imperium exercet. Dant ſubditi decimas, rem ſolutu facillimam; dant vectigalia, ſed quotam rerum ſuarum portionem? At iis obligant principem ſuum, vt perpetuò agat excubias ad vitam & ad omnia ea tuenda quæ ſubditi poſſident. Vter hic liberior; princeps an ſubditus? Hic exiguo & vili pretio ſecurum vitæ & omnium fortunarum comparat præſidium; emit non ſibi tantùm, ſed vxori & liberis perpetuam tranquillitatem, tutum cibum, ſuauem conuictum, liberum otium, quietas noctes, omnia denique quibus huius vitæ metimur felicitatem: Ille contrà, totum ſe vendit, totum ſe in ſeruitutem tradit; aſſidui ſunt labores, nulla quies à curis, perpetuæ ſollicitudines, audiendæ querelæ, legendi libelli ſupplices, lites componendæ, iniuriæ vindicandæ, annonæ anguſtia timetur; limitum cuſtodiendorum cura torquet, finitimorum regum conſilia exploranda, armamentarium inſtruendum, arces muniẽdæ, pecuniæ faciendę rationes diſcruciant. Quid multis? Nullus finis ſit, ſi omnia Regum ſuperiorumque magiſtratuum tormenta enumerare tentem. Notum eſt illud:

Principis & ſubditi conditio & munus.

Ο'υ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα
ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλεν. id eſt,
Dormiat vt pernox non eſt fas, conſiliis qui
Commiſſum populum & tam multa negotia curat.

Hæc cùm diligenter expendiſſet ſermonis noſtri architectus, legem tulit, vt famulus ab imperando vocaretur, eo quòd ſerui cuſtodia & tutela plura domino imperet ac facere mandet, quàm dominus ſeruo. Quod non in principibus tantùm locum habet; ſed in omnibus etiam iis qui famulorum opera vti coguntur. Trita apud nos fabula eſt, quendam, audita beata illa cæleſtis paradiſi vita, concionatorem interrogaſſe, an & famulis ibi opus eſſet; quo negante, dixiſſe, iam deinde ſe operam daturum vt ad illam beatitudinem adſpiret: at ſi famulo illic vtẽdum fuiſſet, paradiſo cariturum potius fuiſſe, quàm vt famuli moleſtiis perpetuò affligeretur. Cùm ergo Boien famuli nobis dicantur, crediderim equidem, olim inter Gallos mercenarios milites hoc nomine fuiſſe nuncupatos; quemadmodũ nunc qui ſtipendia faciunt, Lanſ-knechten, id eſt, regionis ſiue patriæ famuli dicuntur. Knecht enim & Boi, idem nobis ſignificant. Nec eſt cur indignè id ferant Boiorum & Auarorum poſteri, Boiauari & ſyncoptôs Bauati vocati, ſi maiores ipſorum famulos dicam; cùm nemo ferè ſit Germanorum, qui non honori ſibi ducat, ſi Lanſ-knecht appelletur. Longè honorificentius eſt ſe Boium, id eſt, vel patriæ ſuæ vel alterius regionis famulum dicere, quàm Germanum aut Crygmanum; propterea quòd hominum ſaluti ſeruire regium ſit & imperatorium, vt modò dixi: opum verò acquirendarum ſtudio teneri, quod Germanum reapſe præſtare dixi, vile & plebeium, ſi Ariſtoteli credimus & veritati. Caiorum hominum, quales ſe Galli nomine ſuo profitentur, & ingenia & mores magis decet propugnare pro aliorum vita & fortunis & honoribus, quàm alios oppugnare, quo per iniuriam & violentam tyrannidem res alieno labore partæ haſtis & enſibus conuerrantur. Quotquot ſunt qui puellarum amorem ambiunt, & Caij eſſe cupiunt, ij ſeruitium ſuum quantum quantum viriũ habent offerunt, & nullum ſibi nomen gratius habent, quàm ſi ſerui earum quas ambiunt vocentur. Proprium igitur eſt Caiorum hominum, ſeruitium profiteri; quod non alio nomine commodius dici queat, quàm ſi Boij nuncupentur, eo quòd non famulum modò Boi ſignificet, ſed indicet etiam ipſum, qui ſic dicitur, ſe offerre, propter duplicem ipſius Bie ſignificationem. Auentinus magnum ſe decus Boiis ſuis peperiſſe putat, dum eos ab Hercule Alemano deducit: qua in re non ſemel peccat. Primùm, quis vnquam Herculis Alemanici nomen apud veterem inuenit auctorem? Tacitus diligens in primis & oculatus Germaniæ deſcriptor, vt Herculem inter Deos ipſorum; ita nullum Alemanum inter maiores commemorat, cùm tamen Tuiſtonem & eius filium Mannum, & huius tres filios Ingeuonem, Hermionem & Iſtæuonem enumeret; & his Marſos, Gambriuios, Sueuos, Vandalos addat. Scio quid Man ſignet, quid Tuiſton, quid cætera, & quid hac in genealogia ſit erroris, vt alibi trado. ſi tamen vel in hac fabula, vel alia cuiuſpiam de meliore nota commendati ſcriptoris Alemanum Herculem

Lanſ-knechten.

Hercules Alemanus exſibilatur.

inueniſſem,ferrem æquo animo hoc deliriũ cum cæteris generis eiuſdem. Verùm nunc non indoctum modò, ſed ineptum prorſus dico, Herculem nobis fingere Alemanum. Excuſemus tamen Auentinum, eo quòd cùm ſua ſcriberet, necdum Annianis nugis Beroſi larua detracta eſſet. In iis ſunt inter alia & hęc verborum porteta. Eiuſdem Mancalei temporibus apud Tuyſcones regnat Hercules Alemanus, apud Celtas Lugdus, à quo prouincia & homines cognomenta ſumſerunt. Certè Mant-al nobis ſignificat omnia vel deficere vel claudicare, quod video nõ hic ſolùm, ſed vbique ferè Pſeudo-beroſo accidiſſe. Quid enim eſt veritatis, quod cum hoc loco non deficiat aut claudicet? Tuyſcon pro Tuiſtone ſcripſit: vtrumque quidem corruptum; ſed propius germano ſono, quod Tacitus reliquit, Duitſſen Germani vocantur, Tau ipſi ſigma præpoſito: de cuius vocis ſignificatu & ratione Indoſcythica conſulenda. De Lugduni nomenclatura antè dictum. de qua hic nugator Lugdum finxit, perinde atque ille quiſquis fuit qui Tacitum decepit, Manni nomen quo generatim vir notatur, gentis auctori proprium dicens; & tres ei filios tribuens, nominibus de tripartita Germaniæ diuiſione mutuò ſumtis. Sollemne eſt hoc cùm apud veteres, tum apud recentiores, & ignorãtiæ aſylum, & erroris ſeminarium, de regionum & vrbium nominibus comminiſci conditores. Quemadmodum igitur è Lugduno factus eſt Lugdus; ita ex Allemania Hercules Alemanus. ſed hic minus commodè quàm ille, eo quòd Alleman omnis generis virum notet, nominis ratione non ex vno ad multos deſcendente, ſed ex multis omnis generis viris congregatis ad ſingulos pòſt accommodata. Miror cur non Herculem Boium finxerit Auentinus, cùm Hercules Euryſtheo reuera fuerit Boius, id eſt, famulus. ſed huius notationis fuit ignarus, & idcirco coactus eſt aliud ſibi quærere commentum, ad nominis Boiorum ſignificationem & ſignificationis cauſam explicandam. Ait enim Boium à Boigen dici, quo inflectere ſignificatur, eo quòd Boij arcus inflecterent, qui Bogen vocantur. Verùm nec Alemanis nec nobis in vſu eſt vt Boigen dicantur qui arcum tendũt, cùm id ſit Spannen, & ſuperioribus & inferioribus: nec gamma ſe patitur è medio tolli perinde atque Delta & Tau, quæ promptiſſimè cedunt. Porrò nec illud video, quid Auentinum impulerit, vt Boios, quos omnes veteres ſcriptores Gallos vno ore dicunt, fecerit Alemanos; præſertim cùm Alemani nomen, teſte Vopiſco, poſt Proculi tandem ætatem in vſum venerit; & Aſinius Quadratos eos Allemannos vocari dicat, quòd ex omnis generis hominum confluxerint colluuione. Miror ſanè, Auentinum virum cæteroqui diligentiſſimum tanto veterno fuiſſe depreſſum, vt Boiis, qui & Galli eſſent, & inter eos inſigni antiquitate nobiles, alterius nationis fecerit, & ad Allemanum, qui nũquam fuit, retulerit auctorem. Verius tamen fuit quod dixit, quàm exiſtimarit, propterea quòd Hercules publica vis maſcula dicatur, quæ reuera omnibus hominibus, non modò Boiis dedit primordia: & cùm Bauari ex Boiis & Auaris olim per ſaltum Hercinium cõfinibus & Sueuis & Vindelicis & Breucis, & aliis populis in vnum nomen & vnũ imperiũ coiuerint, rectè dicetur primus gentis auctor eſſe Hercules Allemanus, id eſt, cõmunis generandi vis hominũ ex variis omnis generis nationibus collectorum. Sed iam ſat de Boiis, quos è Scythia Aſiatica, vel per Boſphorum Cimmerium, vel per Tanaim primùm in Sarmatiam, inde in Germaniæ ſaltus, pòſt in Italiam & Galliam tranſiiſſe credo. Eodem modo de aliis facienda coniectura, ne ſingulis Gallorum populis enumerandis ſine fruge hæreamus. Verùm enimuerò antiqua Inſubrium nobilitas ferè me cogit, vt ſe nonnihil illuſtrẽ; idque eò magis ſuo poſtulat iure, quòd in Mediolani nomine nullam fecerim Inſubrium mentionem, cùm hi tamen vrbis eius conditores, tum ab aliis, tum à T. Liuio paulò antè citato fuiſſe ſcribantur, qui hoc etiam addidit, Inſubres pagum olim Æduorum tenuiſſe. Equidem de nominis interpretatione cerno, ex Arctica quapiam plaga in hanc quondam oram veniſſe, & idcirco non è veteribus in Italia Gallis propagatos eſſe. Mirum profectò neminem veterum vel nominis cauſſam dediſſe, vel vetus nobis Subrium commemoraſſe. Eſt hactenus caſtrum Seprium hinc longius Ticinum, hinc propius Oronam fluuium ſpectans, non procul à Buffalora, per quam Nouaria Mediolanum itur, diſſitum, medio ferè loco inter lacus Larij & lacus Maximi extremas oras, quibus hic in Ticinum, ille in Abduam ſeſe exonerat: Deſpicit è colle veluti ſpecula quædam patentes Mediolanenſis agri campos, ita vt opportunum ad eos excurſionibus vexandos fuiſſe videatur, atq. à Vicecomitibus non ſo-

Allemanni nomen quando primùm in vſum venerit.

Seprium caſtrum.

non ſolùm euerſum eſt, ſed lege etiam cautum, vt Magiſtratus Mediolanenſis iuret ſeſe nunquã permiſſurũ vt eò rurſus colonia deducatur, inſigni veteris odij monumẽto: cùm tamẽ primariæ quædam Mediolanenſium gentes antiquum inde genus ducant. In antiquis Frederici Barbaroſſæ diplomatis Subrium vocatur, nec aliter in publicis hactenus inſtrumentis ab incolis nuncupatur. cuius rei teſtem habeo Bonauenturam Caſtillioneum, perquàm ſedulum totius Inſubrium regionis exploratorem. De vetuſto igitur nomine Subrij nihil ambigendum. Cæterùm vt luculentius veritatis indicium prodamus, conſulatur teſtamentum Manicondæ, Reginæ Longobardorum, in quo non Subrium, ſed Inſubrium dicitur; addito eo loci ſitu, vt à Cariatis caſtro ad duo paſſuum millia diſtare ſcribatur, quod opidum eſt in ſupremo cuiuſdam collis tumulo, nucibus & caſtaneis referti. Quò verò de priſca Subrij magnitudine nihil dubitetur, faciunt vaſtiſſimæ vrbis ruinæ, tum etiam viginti quatuor pagi hactenus Subrij ditioni ſubiecti. Quòd autem in Manicondæ teſtamento Inſubrium vocetur, id curioſa cuiuſpiam antiquitatis affectatione credo accidiſſe; qui quòd Inſubres apud antiquos ſcriptores, non Subrios legiſſet, putauit Inſubrium, non Subrium dicendum; quamuis Bonauentura Subrij nomen non intelligens, credat prius Inſubrium, ac deinde Subrium fuiſſe nuncupatum. Videamus ergo quid Subrium in priſco Gallorum ſermone denotarit; quandoquidem è conditorum lingua opidi nomen petendum. Sui per diphthongum, vel Su vocali longa, meridianam cæli plagam ſignificat. qua voce hactenus vernaculi noſtri omnes vtuntur, & non vernaculi tantùm, ſed omnes etiam illi, qui noſtratem anemographiã triginta duobus ventis diſtinctam vſurpant. Bria autem vrbem dici apud Thraces Strabo prodidit: & nobis hactenus Vrijet quod per Beta Græcis figuris vtentem ſcribere oporteret, liberã ciuitatem deſignat, vti antè latiùs explicaui. Hinc clarũ, Subriam ſiue Subriũ, ſiue Gallica forma & Græca ſcriptura Συιβριητ, ciuitatẽ eſſe meridiem verſus collocatam, & eos qui liberam hanc ſibi habitationẽ ſiue pactis ſiue armis fecerũt, à Septentrionis plaga in Italiam veniſſe. Quamobrem tota ciuitas multis pagis & opidis conſtans dicta primùm videtur Subrium; perinde ac vox Vrijet nobis ſonat. qua non libera modò hominum ſocietas, ſed quæuis etiam libertas denotatur, ſi generalis ſignificatio ſpectetur. Inſubres igitur haud alia locutionis formula dicti ſunt, quàm ea qua Plinius Inalpinos populos nominauit, vt ſicut hos omnes eos intelligimus qui in Alpib. habitant, ita illos dicamus omnes eos qui in Auſtralis ciuitatis libertate cõmorabantur. Magnam igitur hoc nomine regionis latitudinem complecti potuerunt, & eam quidem tantam quantam meridianã plagam verſus occupaſſent & liberam ſibi feciſſent. Non abſum longè ab ea ſuſpicione, quæ ſuggerit principiò totum tractum quem Septentrionales populi trans Alpeis meridiem verſus ſibi vindicaſſent, Subrium dictum fuiſſe, ac deinde latiùs Gallis per illam Italiæ partem imperij ſui fines promouentibus Inſubrium nomen in primaria parte manſiſſe, quòd pòſt Mediolani claritas obſcurarit. Ex hac itaque apertiſſima nominis Inſubrium interpretatione, de T. Liuij fide cogor dubitare. Quis enim ante Gallorum in Italiam aduentum Inſubres illa parte condidiſſet? Detur ſanè Thuſcos antiquiſſimos illius regionis incolas eodem quondam ſermone vſos fuiſſe quo Galli loquebantur: At quî cogitare poſſumus, vt hanc ciuitatem Meridianam vocarent, quæ cæteris Hetruſcorum finibus comparata, tota vergeret in Septentrionem? Fieri poteſt vt in Gallia apud Æduos Inſubres fuerint aliqui; iis videlicet collati, qui in eadem ditione Arcto eſſent viciniores. Verùm nihil opus eſt hoc figmento, & apud Thuſcos & apud Gallos prius Inſubres fuiſſe, quàm Galli cis Alpes commigrarent. Mihi illud veriſimillimum videtur, eos qui Heluetiorum olim loca tenuerũt, paulatim terminos ad cælum benignius protuliſſe, ac tandem Alpibus in quibus habitabant egreſſos, Auſtralem planitiem occupaſſe, nomine mox dato de locorum ad quæ ex priſcis ſedibus deſcenderant, collatione. quod & Gallis & Germanis non olim modò, ſed hactenus etiam eſt in vſu frequentiſſimo; vti in Selandia Suitbeuelant & Noortbeuelant, id eſt, Auſtralis & Septentrionalis Beuelandia. Cato Comum ad Orobios refert conditores; homines ſibi, vt fatetur, incognitos: de quorum origine quod dicam non aliud habeo, quàm à Græcorum Geographis hæc loca perueſtigantibus, id nominis datum olim fortaſſis iis fuiſſe, qui Heluetiorum Sedunenſiumque regionem tenerent; propterea quòd non facilè alibi terrarum tantam hominum frequentiam in montibus

Subrium.

Inſubrium.

Su ſiue Sui.

Bria.

Inſubres pop.

Inalpini pop.

Orobij pop.

 queas

queas inuenire. Nec abſurdum, quenquam eorum qui Græcæ linguæ peritus eſſet, de patria ſua ſic reſpondiſſe, vt diceret omnes in montibus vitam agitare, quos Græci Orobios appellant. Horum coloniæ nomen Bergomum, montanam domum ſignificat iis qui veteris Gallorum linguæ non ſunt imperiti: quo fit, vt eius incolæ optimo iure ſe poſſint Orobios vocare, non ex Catonis modò auctoritate, ſed ex ipſiſſima vrbis ſuæ nomenclatura; quam Annius Viterbienſis, & neſcio quis Ioan. Chryſoſtomus Bergomas ſic exponunt, vt nuſquam clariùs ſeſe delirare monſtrent. quorum nugas recenſere, operæ fuerit non multò minus deliræ. Memini me in Veneticis docuiſſe, varia Alpinarum gentium nomina de locorum ſitu facta olim fuiſſe: quorum plura integra haberemus, niſi Græci & Latini nõ pauca corrupiſſent, vt ea ad locutionis ſuę formam cogerent. Quam cladem inſigni profectò Mercurij benignitate Bergomũ hactenus euaſit; adeò, vt ſola terminationis clauſula Latinam linguam imitetur, de priſca alioqui Bergom ſiue Berghom efferendum. Idem contingit in Sedunis; licet hoc nomen montibus potius ipſis, quàm populis de ſignificationis ratione conueniret, quia Se-dunen ad verbum, Lacuum montes interpretamur. Prius ergo Alpes ipſæ Sedunen vocati ſunt, propter plurimos & maximos lacus, quos vtrimque hinc ad Boream, hinc ad Auſtrum largiſſimis fontibus eructant. Quæ nominis origo facit, vt exiſtimem ſummas D. Gotardi Alpes vnà cum appẽdicibus Se-dunen olim fuiſſe nuncupatas; propterea quòd hinc ad Auſtrum multos lacus, quorum Verbanus maximus eſt, effundant; hinc partim ad Septentrionem, partim ad occidentẽ inſignes rurſus lacus impleant. quorum præter Lemanum non pauci ſunt in Heluetia: qui vt incrementa habeant aliunde, primam tamen originem montis Gotardi appendicibus acceptam ferre debent. An non mox è ſumma veluti arce tria nobiliſſima flumina vnà cum tribus lacubus nobiliſſimis Gotardus immanibus vrnis effundit? Rhenum cum lacu Veneto & Acronio; in quibus & nominandis & diſtinguendis pleroſque omnes erraſſe alibi demonſtraui, Rhodanum cum lacu Lemano, Ticinum cum lacu Lario, vt interim Heluetiorum lacus omittamus. Gotardum igitur caput Sedunorum ſtatuemus, tametſi nomen in populis illis remanſerit, per quos Rhodanus recens natus in lacum properat Lemanum: nec illud quidem malo iure, quòd ij nobiliſſimi ſint eorum omniũ qui in ſummis Alpibus commorantur: cuius rei qui certiorem ſe reddere volet, eos legat qui de valle hac commentaria ediderunt.

Bergomum, quid ſignificet.

Sedunorum nominis etymon.

Gotardus mons.

GALLI-

GALLICORVM

LIBER IIII.

POSTQVAM DE VETVSTISSIMO Gallorum ſermone, de ipſorum nominibus, de tranſmigratione & primis in Italia ſedibus ſatis ſuperque dictum eſt, nec nobis propoſuimus ſigillatim cuiuſque ciuitatis præcipuas res atque proprias inueſtigare, nec illa ad indolem moresque Gentis ſpectantia, quæ in vulgus nota ſunt, ex iis ſcriptoribus qui omnium ſtudioſorum manibus teruntur, perſequi; multo etiam minus varios bellorum, quæ geſſiſſe quondam apud Latinos & Græcos auctores leguntur, explicare ſucceſſus: hoc vnum reliquum videmus, vt priſcam ipſorum religionem, cuius Cæſar mentionem fecit, breuiter aperiamus. Fateor equidem lubenter, res geſtas Gallorum digniſſimas eſſe, & opera mea & aliorum lectione; ſed quia mihi actum agere, & alienis me plumis venditare non lubet, aliis hæc relinquo, qui ſe non tam rerum hactenus incognitarum inuentione, quàm Ciceroniana eloquentia, mihi ſemper magis laudata, quàm vel minimo opere quæſita, commendare poſſunt. Nolim cum Manilio dicere: *Nulli veterum debebimus orſa.* licet id multo quàm ille veriùs iactare poſſim: ſed auſim profiteri, me de priſcorum ſcriptis ea in lucem protuliſſe, quæ iam olim per multa ſeculorum volumina in Cimmeriis tenebris ſepulta iacuerũt; inter quæ & hæc Gallorum numina à Iulio commemorata hactenus deliteſcunt, quantumuis ſe Latini eorum nomina rectè intelligere & explicare poſſe arbitrentur. Citra itaque longiorem inutilis præfationis moram, ipſum Cęſarem audiamus. Deum, inquit, maximè Mercurium colunt. Huius ſunt plurima ſimulacra. Hunc omnium inuentorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quæſtus pecuniæ mercaturasq. habere vim maximam arbitrantur. Poſt hunc Apollinem, & Martem, & Iouem, & Mineruam. De his eandem ferè, quam reliquæ gentes, habent opinionem, Apollinem morbos depellere, Mineruam operum atque artificiorum initia tradere, Iouem imperium cæleſtiũ tenere, Martem bella regere. Huic, cùm prœlio dimicare ſtatuerunt, ea quæ bello ceperunt, plerumque deuouent; quæ ſuperauerint animalia capta, immolant, reliquasque res in vnum locum conferunt. Multis in ciuitatibus harum rerum exſtructos cumulos locis conſecratis conſpicari licet: neque ſæpe accidit, vt, neglecta quiſpiam religione, aut capta apud ſe occultare, aut poſita tollere auderet; grauiſſimumque ei rei ſupplicium cum cruciatu conſtitutum eſt. Reliqua quæ de Dite adiecta ſunt à Cæſare, nihil attinet rurſus adſcribere, eo quòd modò, qua ſint ea ratione capienda, explicarim. Percommodè ſanè accidit, quòd ſtatim in primo ſacrorum limine Mercurius occurrat. Cùm enim hic Deorum ſit & nuncius & interpres, rectiſſimè poterit, quid nominibus ipſorum denotetur, enunciare. Dic igitur Mercuri ſupreme, non tu fabuloſe nepos Atlantis, quid cauſſæ eſt, vt te Mercurium non Latini tantùm, ſed Galli etiam vocarint? An fortaſſe Cæſar Gallicum tuum nomen Latino permutauit, atque ita dixerit à Gallis Mercurium coli, vt non ſub hoc nomine, ſed alio id fieri intelligendum ſit? Quàm, bone Mercuri, te facilem præbes! Audio te dicentem (niſi me vigilantem ſomnia deludant) tantum abeſſe vt ſuſpicari debeamus, Gallos alio quàm Latinos nomine Mercurium & cæteros Deos hic nominatos coluiſſe, vt contrà potius ſic ſit ſtatuendum de veritatis arcanis, Mercurij aliorumq. nomenclaturas Gallicis natalibus ortus ſuos debere, atque de priſca veterum Gallorum lingua id genus nomina apud Italos remanſiſſe. Hos enim nihil ſani de Mercurij nominis cauſſa dicere poſſe, niſi velint à mercibus deriuare; quod ſi faciant, rogandos eſſe, vnde merx apud Latinos dicatur: at cùm hic hæſerint, Gallos eſſe & Mercis & Mercurij nomen ſibi vindicaturos, clariſſima, cur ſic facere iure ſuo poſſint, allata ratione. Vt igitur Mercuri, quæ te præmonſtrante didici, ea aliis, pro eo ac bonitas tua poſtulat, communicem,

Gallorum numina.

Mercurius Gallorum Deus.

communicem; ſuppedita mihi, quæſo, verba, quibus quàm clariſſimè nomen tuum, & deinde cæterorum exponatur.

Mercurij nominis explicatio, & etymon. Mart. Mar. Ar. Ta.

Mart, quæ vox Latinis nihil ſignificat, Gallis veteribus & nobis hodiernis luculentam habet interpretationem. Primùm enim vt verbum vſurpatur, quoniam actus rebus in omnibus primas ſibi ſumat; pro eo quod Latini dicerent, attentè conſidero. Eius ſignificationis hæc ratio eſt: Mar vocali breui idem eſt quod exſpecto & tempus duco, à me-ar, quod eſt cum tarditate. Ar tardum fit à Ta, quo celere notatur; per conuerſionem ad oppoſitam notionem. Nam ad diligentem conſiderationem opus eſt vt cum tarditate rem tractes, ne quid celerem tranſitum lateat & fallat.

Moror, Mora.

A mar Latini Moror & Moram retinuerunt, citra domeſticam etymologiam. Nunc à mar & tat quod ſignificat tango, fit mart, per conciſionem breuitatis cauſſa, nobis, vbicumque ea fieri poteſt, gratiſſimam, quòd idem notat quod accuratè expendo rem quam tango, & in eius contactu diu moram traho. Quod enim conſideramus, id aut ſenſibus aut mente contingimus per ſpectra à rebus ad ſenſus, & hinc ad intelligendi vim deſtinata. Explicatum huius compoſitionis intuere, & diu conſidera; & quantò diutius conſideraueris, tanto admirabilius artificium iudicabis. Mora poſtulatur, & ea non ad quiduis, ſed ad tangendum. Conſideramus enim res vt naturam earum attingamus. Tactus rurſum non cuiuſuis rei, ſed eius, quam ſolam vt contingamus omnibus votis optare debemus. quod nos monet ipſius Tat conuerſio, quæ Cat profert. Cat autem, id eſt, ex animo dicere debemus; Me-ar, id eſt, ex toto corde te oro vt maneas. At quem ſic compellare oportet? Eum nempe qui manet in æternum, cui illi nobiles olim dixerunt viatores: *Mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit.* In huius igitur conſideratione, cuius ſolius perpetuam nobis præſentiam orare debemus, longa mora trahenda: cætera quæ ad hunc contingendum non conducunt, celeriter tranſeunda. Sed, vt dixi, quãto diutius verbum hoc, quo conſiderare notatur, conſiderabimus, tanto plura ſeſe offerent myſteria. Suggerit enim & hanc notionem, vt ſit quaſi Mi-art, id eſt, mihi concludo & mecum ſeruo.

Arr. Arceo, es, ere. Arca, æ.

Ab Ar enim & Tat fit Art, quod arcere dixerunt Latini, non agnita vocis ratione: & hinc Art pro ciſta, quæ nimirum contactum rerum concluſarum demoratur. Quamobrem hac compoſitionis via docemur, perpetuam nobis arcam circumferendam, in qua rerum omnium ideæ conſeruentur, cum quibus externa omnia tanquam cum perfectis formis conferantur. Quid multa? M littera intus mugiens, & Ar pro mora, & notatio ipſius C ad ſe retrahens, aliam rurſus, licet eòdem tendentem, offerunt contemplationem. Porrò vt cernas quò ſis attenta hac conſideratione peruenturus, ichnæum conſule Mercurium: is te per vocis veſtigia retro lecta ad Cram deducet, quò nos

Cram.

vernaculi noſtri pueri vocant, cùm ſibi ex Cram crepundia empta volunt. Cram enim quamuis tabernam rerum venalium ſignificat; cuius notationis cauſſam non ſola ichnæa habet conuerſio, ſed prorſa etiam ipſius tram auditio. Nam tram in Car-tram ſolutum, rei caræ notat extenſionem. cuius vocis etymologiam Hiſpani exprimunt, dum pro tram *Tenda* dicunt. Cara res per exochen accepta, an non illa eſt quæ hoc nomine cari eſt digniſſima? Caritatem totam ex aſſe Deo deberi, ipſum ipſius nos docuit Verbum. Porrò quis propriè Carus dicendus, vox illa Patris clamauit: *Hic eſt filius meus dilectus, ille qui dixit: Deus caritas eſt, qui in caritate manet, in Deo manet, & Deus in eo.*

Caritatis extenſio.

Verùm quam intelligemus huius caritatis extenſionem? Extenſionem nimirum ipſius caritatis per totam rerum creatarum vniuerſitatem, infinito latius patentem, quàm totus mundus vaſtiſſimis cælorum mœnibus comprehendit. Verùm in hac latitudine vnus eſt hominibus propoſitus extenſionis apex, citra quem cætera omnia bonitatis diuinæ latifundia nullam viam habent ad veram hominum ſalutem atque felicitatem. Is in ea conſtitutus eſt extenſione, qua Chriſtus verus Deus & homo totum ſuum corpus in cruce expandit, ad omnes mortales viuifica ſua morte complectendos. Hæc igitur, hæc tandem veriſſima eſt rei cariſſimæ extenſio, hæc taberna in qua humani generis ſalus & beatitudo proſtat, non auro aut alio quopiam graui pretio emenda, ſed ſola fide, ſpe & caritate comparanda. Videmus quò nos duxerit conſideratio. Ex mart venimus ad tram. In huius examine cernimus, vocem nulli rei magis propriè conuenire, quàm Chriſto in crucis ara expanſo, & pro omniũ ſalute immolato. Quamobrem dum omnem conſiderationis vim ex mart ad tram referendã eſſe ichnæa

vocum

vocum monſtret doctrina;atque ipſius Cram conſideratio analytica nos doceat,eam ſolam tabernam primùm & maximè hoc nomine dignam eſſe, quæ nobis Deum ipſum in cruce demonſtrat extenſum; intelligimus omnem animi noſtri attentionem in eo verſari debere,vt de caritatis in cruce extenſione omnium latiſſima,& omnem complectente felicitatem, quàm diligentiſſimè ſemper & vbique cogitemus; & hanc iudicemus eam eſſe conſiderationem,ad quam reſpexit vocis architectus, id in omnibus vocabulis molitus, vt eorum ratio in ſummis eorum quæ ſignificationis latitudine comprehenduntur, præſtantiſſima ſemper cerneretur. Atq. hæc quidem de Mart & Cram, mirificis prorſus & diuinis vocabulis, & non ſine diuini numinis inſtinctu vel à primo fabro concinnatis, vel à me ad cauſſas ſuas ſolutis. Quòd ſi quàm latè patet extenſio, quæ per Ram denotatur, nobis ſit explicandum, antè nos dies, quàm ingens & ſpiſſa rerum conſideratione digniſſimarum deficeret ſilua. Hoc tamen non eſt ſilentio tranſeundum, vocem hanc Ram non ſolùm extendere notare, ſed in frequenti etiam vſu eſſe, pro eo quòd eſt rem feliciter citra omnem culpam aut errorem deducere ad perfectionem. Quid cari extenſioni magis conuenit, quàm hoc ipſum? Quid magis declarat, quam ob cauſſam carus ille Dei filius ſit extenſus? An non ob id, vt humanum genus ad vltimum ſummæ perfectionis finem explicaret, atque, vt communem vocis vſum ſequar, erugaret? Quamuis verò hæc ſit ipſius Mart & vera & prima fabricatio; tranſit tamen ad alia, in quibus vt non ſit ſumma illa conſiderationis cauſſa; eſt tamen aliqua ad communem vitæ rationem vtilis & ſæpe neceſſaria, ne ſuprema ſupremæ tabernæ conſideratio patiatur impedimentum. Cùm enim citra pacem, quam Chriſtus magiſter noſter omni domui ſolet precari, nequeas cum vllo fructu ſupremam illam tabernã intueri atque conſiderare, neq. pax citra iuſtitiam, ſuum cuique tribuentem, conſtare poſſit; diligenter ſuũ cuique fuit notandum, & ſignis certis diſtinguendum, ne controuerſiæ quicquam cõmunem turbaret tranquillitatem. Signum igitur eiuſmodi Mart etiam vocarunt,propter neceſſariam eius conſiderationem, quod in regionibus quidem limes eſt, in aliis nota quæpiam propria ſua cuiuſque. Itali & Hiſpani à Gotis eandem vocem ſunt mutuati, quæ perpetua, dum ipſis manebit, Marca erit, Latinam linguam Teutonum phraſibus & vocabulis in hanc formam, qua nũc ea quam Romanam vocant,& ſcribitur & ſonatur,redactam fuiſſe. Hinc Marca Anconitana, Marca Taruiſana, & quamplurimi alij limites. Hinc Comites limitanei Marchiones vocati. Hinc Marca apud eos pro quauis nota ad cognoſcendum quid ſuum cuique proprium ſit, facta. Porrò vt pro Mar noſtrates plerumque mer dicunt pro moror;ita & mert pro mart ferè ſemper efferunt; quod non noſtrates modò, ſed Germani etiam faciunt ſuperiores. Nec alio modo veteres Gallos pronunciaſſe Merx & Mercurius, ſatis declarant vocabula à primis ſiue Cimmeriis ſiue Gallis retenta. Latini itaque Merx ex mert noſtrati voce fecerunt, qua forum notamus, cùm ipſis res venalis ſic vocetur. Forum autem mert dicitur ab imperatiuo,quaſi diceres,Conſidera quid emas aut vendas. Neque enim parua opus eſt in emendo & vendendo conſideratione: qua qui caret, ei forum non cenſeo frequentandum. Merx à mert deriuari, obliqui caſus declarant; ac mox inde Mercor verbum cum ſobole. A mert item fit mert-ut,pro eo qui perfectam habet conſiderationis excellentiam,quæ cùm penes Deum tantum ſit, nomẽ hoc Deo eſt conſecratum, vt excellens in vnoquoq. genere dici, & cõtrarium eius eſſe ſtu, cùm crebrius dixi, tum paulo antè indicaui. Cæterùm quod dico Dei nomen eſſe,id non ſic capiendũ vt alius hic Deus, alius verus Deus & ſupremus intelligatur. Vnus eſt Deus, non plures;vnus inquã, vnus; tam varijs tamen nominibus inuocari poteſt, quàm varia ſunt vota mortaliũ, & quàm varia pollet efficacitate. Sic Druidũ religio intelligatur,& niſi ſic intelligatur, non Druidum religio, id eſt, veritatis doctorum, ſed mendacium, impietatis fabricatorum ſuperſtitio & idolomania dicetur. Sic eos cogitaſſe, cùm alia, tum ipſum Alphabetũ, quod Latini retinuerunt, demonſtrat; in quo oratio mox ab initio ad ipſum Vnum deſtinatur; Nõ alius Iupiter, alius Mercurius, alius Mars, alius Apollo, alius Hercules, alius Minerua, alius Iuno, alius Venus, ſed vnus Deus omnia in omnibus, vtpote omnium bonorum qualia qualia ea ſint, in omnibus principiũ internum. Quamuis ergo alia bona aliis exprimantur nominibus, omnia tamen vocabula fontẽ cuiuſlibet corũ notantia, pro vno Deo accipiuntur; nec aliud vocũ indicat diuerſitas, quàm bonorũ ex vno

Ram.

Mart.

Marca.

Marchiones.

Mer.

Mert.

Merx, mercis.

Mert.

Mercor, aris.

Deo cur multa nomina tribuantur.

fonte manantium diuerſitatem; quæ cùm infinita ſit, nullis vnquam, quamuis multis, vocibus poterit æquari. Cùm enim rerum multitudo vocabulorũ multitudinem longiſſimè excedat, & nulla rerum forma ſit, quãtumuis exigua, cuius proprium & præcipuum eſſe, quo ab aliis diſtinguitur, à Deo non promanet ac dependeat; pauciora nomina inueniri, quàm Deo tribui poſſunt, fateamur neceſſe eſt. Quamobrem ſi Deorum diuerſitas & multitudo, nominum diuerſitatem & multitudinem, quæ verè vni Deo dari poſſunt, ſequeretur; nec Varronis nec Heſiodi numerus omnem Deorũ multitudinem expleret.

Idea. Plato Ideas agnouit, quæ alij ipſius ſupremæ mentis (vt Anaxagoræ more loquamur) exemplaria dixerunt, alij ſubſtantiis incorporeis tribuerunt, quibus Deus in creando conſeruandoque vtatur adminiſtris. Quicquid vel hi vel illi dicant, quicquid etiam contra Ideas Ariſtoteles diſputet, quicquid earum nomine Plato intellexerit; hoc ſaltem apud omnes cùm Philoſophos, tum Chriſtianos extra dubitationem poſitum eſt, nihil omnino quale quale ſit, vel eſſentiam vel eſſe aliquod habere, quod non ab ipſo vno & ſupremo ente proficiſcatur. Ipſum autem illud ſupremum, à quo omnia pendent, non poſſumus nouiſſe, niſi ex iis quæ in nobis deprehendimus; atque idcirco ne nomen quidem ei proprium aliquod fabricari. Ex Vno enim nobis noto, ipſum Vnum vocamus, cùm tamen omne Vnum, quod nos cogitatione comprehendimus, excedat modis infinitis. Ex noſtro eſſe, ipſius eſſe æſtimamus; & quamuis illud ad ſummum cogitationis apicem extollamus, longè tamen ſubſiſtimus ab ipſius eſſe perfectione ac integritate. Ex noſtra vita, quæ mentis actio eſt, de ipſius vita iudicamus, atque ita de ſingulis rerum perfectiſſimarum, in notitiam noſtram venientium perfectionibus, ad ipſius aſcendimus perfectionem. Hac via Ariſtoteles duodecimo primæ ſapientiæ libro ad Dei vnius venit cognitionem, progreſſus à perenni cæli motione ad primum motorem, à quo cælum & omnem naturam dicit pendere: eius deinde quærens vitam, vitam noſtram examinat & diligenter expendit, in qua cùm mentis actio ſupremam occupet arcem, ad eam pergit, quæ ſummæ coniuncta eſt voluptati; qualem vt perfectiſſimus homo perſentiſcit aliquando, ita Deus habet ſempiternam; ſed tanto præſtantiorem, quanto præſtantior Deus eſt creatura. Nec vlterius nos prodire ſinit captus humanus. Quicquid igitur de Dei eſſentia, bonitate, vita, voluptate, & cæteris quæ de ipſo diſſerentibus occurrunt, dicimus, id analogia quadam aut potius ſcala, omnem intelligentiæ & analogiæ terminum excedente, ad eum referre oportet: ſic vt ſemper ſupremis aliquid longiſſimè ſuperius, & altiſſimis altius cogitemus. Quando igitur Dei notitia quadam rerum noſtrarum comparatione & acquiritur & conſtat, non mirum ſi nomina quoque ex eodem fonte deriuentur. Verùm ad hanc contemplationem nunquam fortaſſe

Neceſſitas ſtimulus eſt ad Deum orandum. veniſſemus, niſi neceſſitas viam aperuiſſet, atque ad eam compuliſſet ineundam. Tum enim demum vota concipimus & cæli ianuam pulſamus, cùm rebus noſtris diffidimus; tum Dei imploramus auxilium, cùm nos vires deficiunt humanæ. Ad famem depellendam ſementis neceſſaria; at ea citra pluuiam, quæ in noſtra manu non eſt, nunquam lætam ſegetem dabit. Atque ita de cæteris, quorum homines indigent, iudicandum; dicendumque inter frigidos mortales ad Deum orandum plurimum ſemper ſtimuli incitamentique fuiſſe in egeſtate. Hinc nobis & veteribus Gallis neceſſitas Noot vocatur, eo quòd maximus eius vſus ſit is, quòd nobis Deum oſtendat.

Noot vocabuli ſignificatio. Toon. Quemadmodum enim Noot neceſſitatem; ita eius Ichnæum vocabulum per veſtigia retro lectum idem ſignificat quòd oſtendo & monſtro. Omnia enim monſtrat atque docet neceſſitas, & ſemper docuit & docebit. Hinc fit vt ex iis nomina Deo fabricemus, quæ vt ipſe nobis largiatur optamus & frequenti petimus oratione. Quoniam igitur ante omnia nuſquam maiore opus eſt conſideratione, quàm in Deo rogando, quo tota religio continetur; in primis hoc orandum maiores cenſuerunt; vt è copioſiſſimo perfectiſſimæ ſuæ intelligentiæ penu mentibus noſtris eam gratiam adſpiret, qua conſideratè cùm de cæteris rebus omnibus, tum de ipſo in primis cogitare poſſimus. Ex hoc igitur voto, quod mentis noſtræ tarditas atque caligo concipere coëgit, Deum vocauimus Mercurium; ſimul ſummam ipſius in expendendis intuendiſque rebus omnibus ipſo nomine laudantes perfectionem; ſimul orantes, vt huius excellentiæ particulam aliquam noſtris quoque mentibus infundat, vt

omnia

omnia & diuina & humana; cæleſtia & terreſtria, ſuprema, media & infima, & horum ſingulas tum partes tum proprietates accuratè expendere queamus. Cùm igitur priſci illi noſtri maiores Deum Mercurij nomine nuncuparunt, Ariſtoteli mihi præiuiſſe videntur, qui contemplationem Dei ſempiternam, ſempiternam Dei vitam eſſe dixit. Quod ſi excellens hic vir intellexiſſet Mercurij nomẽ, nunquam Deum alio nomine vocaſſet; propterea quòd eius notatione comprehenſa ſit & vita Dei ſempiterna, & ipſe adeò Deus, quem nihil aliud eſſe, quàm puram ſuam & ſimplicem & perpetuam actionem, ipſe Ariſtoteles definit. atque ea ſententia ſummum primæ ſapientiæ caput abſoluit. O Mercuri ſupreme contemplator, & hac ipſa contemplatione æternam tuam dimenſe felicitatem, dignare nos vel vna guttula huius conſiderationis, vt ea ſempiternæ tuæ beatitudini deuinciamur! Habemus interim gratias quàm poſſumus maximas, & vt maiores habere poſſimus, tua gratia nobis largiatur, de tam benignè communicata huius nominis interpretatione, qua cernimus totius doctrinæ Metaphyſicorum, vt vulgo vocantur, ſummam contineri. Cùm Mz perfectum notare dixerimus, & Mert contemplationem; quid reliquum, quàm vt hoc nomine Deus dicatur perfecta contemplatio? at perfecta nulla eſſe poteſt, quæ non ſit ſempiterna, quia quod aliquando non ſit, ei multum ad omnes perfectionis numeros abſoluendos deeſſe intelligatur, vt egregiè ab Ariſtotele traditum habemus. Si Deus igitur definitione vlla explicari poſſet, hæc eius eſſet vera ex Peripateticorum ſententia definitio, quam Mercurij nomenclatura vernaculo noſtro ſermone declarat. Eòdem igitur Ariſtoteles, quò primus nominum noſtratium architectus, adſpirauit; & haud ſcio an quicquam in tota eius doctrina dignius ſit admiratione. Cùm igitur vterque vnum Deum prædicet, atque eum æterna contemplationis ſuauitate deſcribat, num putandum vel ab vtroque, vel ab altero horum plures Deos receptos, vel Deo naſcendi aliquod principium tributum fuiſſe? Mentis omnino, & rectæ rationis, & communis adeò ſenſus inops ſit oportet, qui his quæ modò de amborum ſententia in medium attuli, non dico conſideratis, ſed vel leuiter auditis, ſibi, ſic vt exiſtimet, perſuaderi ſinet. Iniquiſſimi ſanè Mercurio fuerunt, vel, ſi verum dicere velim, ex profeſſo hoſtes, qui eum turpi lucro præſidere finxerunt. Nuſquam maior fuit Draconis & inuidia & fraus, quàm in diuinis nominibus corrumpendis, & eorum maieſtate, à vero Deo ad ſe detorquenda. Vſus eſt in ſacrilegio hoc impiiſſimo, cùm aliis ſubſidiis, tum auaritia maximè, & inſatiabili opum quærendarum furore; de quo Mammona in Euangelio Deo ex diametro repugnat. Qui enim, vt Ennius inquit, ſui quæſtus cauſſa fictas ſuſcitant ſententias, ij Mercurij & nomen & honorem vni Deo vt debitum, ita à primo nomenclatore conſecratum, ad mendacem ſuperſtitionem tranſtulerunt: & ei, qui reuera Mammona eſt, & ante hominem creatum, Dei inimicus, dedicarunt. Tranſiit ergo diuinum perfectæ & ſempiternæ contemplationis nomen ad ſordidum & abiectiſſimum opum per fas per nefas quærendarum ſtudium, à ſummo ſupremæ felicitatis apice detruſum, & præcipitatum ad infimum vitiorum & turpitudinis barathrum; illorum maximè præſidio Draconis venenum promouente, qui titulo ſacro ſeſe populo venditantes, diuinorum omnium & totius veræ religionis materiam cauponantur, vt rurſus Enniano vtar vocabulo. Sed quid dico cauponantur? cùm in fœdiſſimis fornicibus proſtituant, & pro larua & fuco vtantur, quò turpiſſimam meretricem, omnium mendaciorum matrem, pro veritate miſeris adulteris ſupponant. Hac via, hoc modo, hac ratione non Mercurij tantùm, ſed omnia etiam alia Dei vnius nomina ad Draconis caſtra traduxerunt. quorum ille præſidio atque ſigno miſerum mortalium genus ad ſe pellectum æternis carceribus mancipare. Traduxerunt inquam illi, qui ſui quæſtus cauſſa fictas ſuſcitant ſententias, & in rebus diuinis non ſordidos tantùm agunt caupones, ſed lenones etiam turpiſſimos, omni ſcelerum genere inquinatos. Hi faciles eorum omnium habuerunt aures, qui Deum, & cælum, & omnes cælorum intelligentias prauis ſuis cupiditatibus cupiunt ſubſeruire. Quis enim eorum, qui ſeſe auaritiæ totos deuouerunt, non cupiat eum adorare Deum quem audiat, cuius lucro & honeſto & inhoneſto præſidere, quem manibus videat plenam porrigere crumenam, quem intelligat nõ mercatoribus tantùm, ſed furibus etiam

Auaritia, cauſſa idololatriæ.

fauere,

fauere, atque ſummatim omnia pecuniæ faciendæ ſtudia, qualia qualia ſint, ſemper & vbique, ſi adeſſe velit, proſperare? Eſt quiſquam qui forma cuiuſpiam puellæ captus, non cupiat Deum pulcritudinis præſidem vota ſua promouere? Irati & exitium cuipiam parantes, nónne ipſum quoque Deum vellent vltrices manus hoſtibus ſuis inferre? His igitur & id genus libidinibus ardentes, nihil lubentius admittunt quàm eorum doctrinam qui Deos fingunt ad hæc ſtudia promouenda, ſi colantur, paratos: quos vt habeant tam diuerſos, quàm diuerſa ſunt vota mortalium, omnia ſacroſancta

Dei ſacroſancta nomina ad idolomaniæ officinam detorta.

Dei nomina à priſcis quondam patribus religiosè facta, ad meretriciam idolomaniæ ſuæ officinam detorſerunt. Hinc tot Dij mendaces extiterunt. hinc Mercurius accepit crumenam, cuius pecuniis venerabile ipſius nomen proditum eſt, & Mammonæ conſecratum. Hinc κερδῷος; hinc ἐμπολαῖος; hinc κλέπτης; hinc δόλιος; hinc ἐριούνιος dici cœpit: atque adeò ab illo contemplationis diuinæ culmine ad infimas viliſſimorum homuncionum ſordes, nomenclatura, qua nihil diuinius detracta eſt.

Mercurij varia epitheta.

Quod de hoc nomine dico, de cæteris omnibus dictum intelligatur, ne ſæpius eadem nobis cantio iteranda. Extincta igitur prorſus hoc modo vera fuit religio, & omnia diuina nomina, quibus ea conſignata fuerat, in cacodæmones tranſlata: quæ peſtis eo maiores accepit vires, quòd Cimmerij ſermonis vſu perdito, quid ſacris vocibus ſignificaretur, vel pauci omnino, vel nemo ſciret. Quamobrem meritò Chriſtiani hæc nomina reiecerunt, vt fœdiſſima idolomania ſic conſpurcata, vt ne vel exiguum quidem veritatis veſtigium in iis appareret. quos tamen rogamus ne ægrè ferant, ſi nos primam eorum originem monſtremus, & doceamus, primos noſtros parentes Iapetum & Gomarum & Aſcanium non fuiſſe tam dementes, vt plures Deos vel crediderint eſſe, vel nominibus indigitarint. Quòd ſi Ariſtoteles ratiocinando eò adſpirauit, vt vnum Deum eſſe nec plures eſſe poſſe demonſtrarit; num putabimus Nochi doctrinam apud Iapetum & Gomarum & Aſcanium, & cæteros eiuſdem linguæ proximè poſteros minus valuiſſe quàm philoſophi ſententiam; veram illam quidem, attamen è falſo æternitatis mundanæ principio collectam? Abſit vt tam iniqui ſimus iudices in primos noſtros maiores. Longè aliter Plato de Prometheo ſuo ſenſit: longè aliter de iis qui primo mortalium ortui fuerunt proximi. Liceat igitur & nobis bene ominari, liceat Iapetum, quem Deus præ cæteris honoraſſe videtur, à tam fœda ſuſpicione liberare. Liceat nobis clarè profiteri quod ipſa nomina à maioribus facta clariſſimè demonſtrant. Non obſit piæ primorum patrum doctrinæ quæſtuoſa & inſana degeneris poſteritatis idolomania. Nemo ſit tam barbarus, nemo tam obſtinatus & peruicax craſſæ ignorantiæ patronus; nemo tam ingratus & impius erga optimos ſuos parentes, & germanos veri Dei, non cultores modò, ſed etiam oariſteos & auditores, vt eos inſimulet tanti furoris, quanto illi pòſt correpti ſunt, qui bona nomina peſſima fide ad cacodæmonũ cultum tranſtulerunt. Sit tandem fas veritatem à tam longo tot ſeculorum decurſu in ignorantiæ clauſtris captiuam, poſtliminij iure in priſcam reſtituere poſſeſſionem. Ne inuideamus, obſecro, veris veri Dei nominibus has vindicias, quibus genuini ipſorum natales à veſanis figmentis & craſſis errorum tenebris liberantur. Quemadmodum idola & maligni eorum ſpiritus longiſſimè abſunt à perfecta ſempiternæ contemplationis ſuauitate; ita ſacroſancto titulo, quo hæc abſoluta diuinæ contemplationis perfectio nuncupatur, exuantur. Cognoſcamus tandem furtiuum & ſacrilegum mendaciſſimorum ſpirituum ornatum atque fucum, quem ex ſacris vetuſtiſſimorum patrum ſcriniis ſuppilarunt, vt ſe Dei nominibus miſeris & errabundis mortalium animis venditarent. Iam capiamus & hunc fructum, quo vix video maiorem hominum animis vel nunc labantibus, vel modò ad impietatem & atheiſmum prolapſis, offerri poſſe, vt nimirum ante oculos poſitam cernamus tabulam, in qua liceat videre depictum admirabilem quendam concentum religionis Chriſtianæ, & eorum quæ ſacris veterum Cimmeriorum nominibus continentur. Quòd ſi Deus Sibyllis extra Abrahæ poſteritatem natis, ſalutis humanæ myſteria voluit reſerare, quidni fateamur, eum antiquiſſimis etiam illis quibus in diluuio pepercit, eadem arcana reuelaſſe? & hos ea ſacris nominibus vel intexuiſſe, vel à maioribus intexta accepiſſe, & per manus ad poſteros mandaſſe? Diligentiſſimè itaque cùm cætera omnia Dei nomina cõſideranda, tum hoc conſiderandum & expendendum etiam diligentius, quàm quæ

diligen-

diligentiſſimè ad trutinam examinantur, quò ipſe conſiderationis & contemplationis perfectæ princeps denotatur. Quamobrem ne commenticiam videar aut fortuitam vocis dediſſe ſignificationem; videamus an ea picturæ quoque & ſacris veterum ſignis quæ hieroglyphica dicuntur,& reliquis præterea eiuſdem Dei nominibus reſpondeat; quæ quidem non ſint ab impoſtoribus & Mammonæ diſcipulis profecta. Antiquiſſimū Mercurij ſignum quadratam pilam fuiſſe, ſatis liquet, cùm ex aliis, tum ex Pauſaniæ teſtificatione; qui in Meſſenicis ſcriptum reliquit, Athenienſes Hermas quadrangula figura facere ſolere,atque inde vt ab antiquiſſimis eandem formam ad cęteros Græcos tranſiiſſe. Et hos quidem Mercurios mutilos fuiſſe, eiuſdem tradunt Attica. Plutarchus in libello, Num ſeni gerenda ſit reſp. Mercurij ſtatuas manibus pedibusque carere ſcribit, quibus tamen membrum erectum additum ſit. Quis hic non mox agnoſcit,vetuſtiſſimos illos minimè credidiſſe, Mercurium vel hominem aliquando fuiſſe, vel ex hominibus natum? Non quæramus itaque modò quis fuerit Atlas, quæ Maia,& quot fuerint Mercurij: quod longioris eſſet & immaturæ adhuc diſquiſitionis. Id quæramus, quare fuerit mutilus & galeancon, id eſt, vt Galenus interpretatur, humeris breuioribus & contractis. Certè ipſum mox ſignum prodit,ſe nullam hiſtoriam aut hominis memoriam indicare, ſed eſſe purum putum ſymbolum: nec eſſe tamen huic priſco & vetuſtiſſimo Mercurio quicquam cum quæſtuoſis hominibus commune, vtpote cui nec crumena ſit,nec manus ad pecuniam & merces tractandas,nec pedes quibus more mercatorum per omnes terras lucri cauſſa diſcurrat. Quid? quòd eam habet formam qua ad corporis motionem nihil ineptius? Aliud igitur olim Mercurij & nomine & ſtatua denotatum eſt,quàm vel illi arbitrantur qui de parentibus quærunt, & in iis variis hallucinantur ſententiis;vel alij credunt,quibus placuit à mercibus nomen accepiſſe. Nemo neſcit quadratam figuram ſummæ firmitatis habere prærogatiuam,hac ratione longiſſimè remotam ab omni motione. Capite igitur contemplatio conuenientiſſimè deſignatur, propterea quòd hominis intelligentiam oporteat phantaſmata intueri, à ſenſibus externis ad internos deriuata,ſi vel minima rerum ſit futura conſideratio. Horum quando caput ſedes eſt propria,propriumque inſtrumentum;nullum ſignū corporatum quidem inueniri poterit,quo rectiùs aptiusque contemplationis vis intelligatur. Præterea quia humanum caput in parui mundi regno ſupremū eſt, ſupremum ſibi rerum omnium agendarum imperiū vindicans; ratio ſymbolica poſtulat,vt contēplatio nō quæuis,ſed eius intelligatur,qui in magno mūdo ſummus eſt,ſummamq. habet poteſtatem. Iuuatur hæc ſignificationis ratio ipſa humani capitis figura, qua efficitur,vt Deum per rotundam totius mundi vniuerſitatem omnia perinde adminiſtrare intelligamus, ac mens noſtra id quod capitis rotundi complexu continetur. Et quemadmodum hæc cerebri ſpatiis non contenta, ſeſe infinitis diſcurſibus ad omnia contemplanda diſtendit;ſic Deum quoque magni mundi mœnibus minimè ſeptum, ad infinitam ſeſe vlteriùs porrigere infinitatem. Caput ergo humanum diuinam deſignat contemplationem, multo magis totius mundi egreſſam terminos, quàm capitis noſtri ſpeculatio ſedis ſuæ metas excedit. Suſtentatur verò caput quadrata pila ſiue columna,qua firmitas maxima & ſtabiliſſima indicatur. Hac igitur perfectio ea quæ per תּ in Mercurij nomine ſignatur,intelligenda,eo quòd nihil ſit perfectum,quod nō ſtabile & perpetuò ſibi conſtans; atque adeò ipſa ſtabilitas & conſtantia rerum omnium abſoluit perfectionem. Neque is qui ſemel cuique ſuum reddidit, iuſtus;neq. qui ſemel mortem contempſit,is fortis;ſed qui hæc conſtanter & perpetuò facit, præclarum horum nominum decus meretur. Hinc Ariſtoteles hominem vocauit tetragonum; cuius videlicet omnia ita rectis angulis includerentur, vt nihil de ipſorum lapſu aut inconſtantia eſſet verendum. Sed eiuſmodi hominem, qui reuera ſit tetragonus, nuſquam gentium inueniemus: nec fuit quidem vllus vnquam talis, vno ſolo excepto Chriſto; cuius humanitas diuinitati innixa atque vnita,tetragonum illud quadrangula Mercurij baſi deſignatum extra omnem reprehenſionem (quod Peripateticus ex Simonide adiecit) reuera præſtitit, & perpetuò eſt præſtitura. Quamobrem ſicut Mercurij nomen, ita & eius ſtatua diuinam contemplationem ſempiterna ſtabilitate firmatam deſignat,qua Stagirita Dei vitam deſcripſit. Nulli itaque mortalium vel nomenclatura vel ſtatua applicanda,ſi perpetuam ſignificationis veritatem,pro eo ac oportet, in diui-

Hermarum figura.

Mercurij ſtatua,& eius ſymbolica ſignificatio.

Tetragonus homo.

nis ſymbolis tueri velimus. Cuilibet itaque nunc liberum eſto, exiſtimare quis ſit, vel Deus, vel homo, cui adamuſſim quadrent ea quæ & priſci illi Mercurio ſuo tribuiſſe cernuntur, & à me de Peripateticorum ſentētia, non de triuialium ſcriptorum ſomniis ſunt explicata. Sed quid ego hîc nitor cuiuſpiam auctoritate, vbi ipſa perpetua ſtabilitas, & abſoluta contemplationis perfectio, luculentam ſuppeditat demonſtrationem, nulli hominum, præterquam illi qui & homo ſit & Deus, hæc ſymbola poſſe conuenire, ſi ad ſummi iuris rigorem recenſeantur & examinentur? Herodotus docet ab Ægyptiis Pelaſgos, ab his Athenienſes Deorum cùm nomina tum figuras accepiſſe, Mercurij tamen faſcinum, non Ægyptiis, ſed Pelaſgis deberi. Cicero eum Mercurium (multos enim enumerat) quem Ægyptij colunt, tam reuerenter haberi dicit, vt nefas ſit eum nominari. Ab hoc alium facit, quem Thoyt dicunt, litterarum & legum in Ægypto inuentorem. Videmus vt diuerſa nomina varios pepererint Deos; & rurſus ignorantia veritatis in vno nomine varios ſibi Deos finxerit. Non licuiſſe Ægyptiis Mercurij nomen enunciare, credo ex eorum decreto, qui nomen Dei vetuerunt profano ore temerari: at ab eo nihil diuerſum ipſum Thoyt fuiſſe contendo; apud illos, inquam, primos & antiquiſſimos patres, penes quos adhuc religio vera à maioribus accepta & diuinis monitis tradita permanebat. Cæteros qui pòſt Cacodæmonis fraude, & quæſtuoſorum Curetum auaritia decepti, falſos ſibi Deos finxerunt, nihil moramur: id ab ipſis accepiſſe contenti, quod veteri memoriæ aliquod adferat adiumentum. Ægyptij à maioribus ſuis Chamo & Miſraimo & cæteris vana & dementi ſuperſtitione imbuti, prodigioſa Deorum monſtra coluerunt. Tandem Cimmerij è Phrygia profecti, videntur regionem omnem ſibi ſubiugaſſe, & totam immutaſſe religionem; atque hinc extitiſſe illud antiquum apud eos figmentum, cuius allegoria Phrygum lingua antiquiſſima ſignificaretur; quo nimirum ſemper recordarentur, diuina nomina de ipſorum lingua eſſe interpretanda, à quibus ea primùm accepiſſent. Huius rei cùm alibi, tum in Hieroglyphicis plura adfero argumenta: hic illud tantùm, quod ad Mercurium facit, attingam. Cicero, ſi exemplaria quidem ſint emendata, Thoyt Mercurium vocari dicit: Plato & in Phædro, & in Philebo, eundem Theut nominauit: Alij θώθ ſcribunt. Lactantius Carbilium laudat auctorem, qui quatuor dumtaxat Mercurios enumerans, primum facit Iouis & Maiæ filium. Nos diuerſitatem hanc, hinc ex idolomaniæ fontibus, hinc è ſignificationis veterum vocum ignorantia deriuatā negligentes, videamus quis hic ſit Theut ſiue Thoyt, cui Ægyptij omnem & legum & artium tribuerunt inuentionem. Circumferuntur libri Mercurij Triſmegiſti, qui tamen ſe nepotem Triſmegiſti facit, non Triſmegiſtum; quamuis malè diſtinguentium, vt quidam volunt, errore, vterque & auus & nepos Triſmegiſtus vocetur. Iamblichus de Ægyptij ſui præceptoris ſententia multa millia librorum Triſmegiſto inſcripta fuiſſe tradit; atq. adeò illo titulo omnes inſigniri ſolere, qui de rebus diuinis quicquam docerent. Amo te Iambliche de hoc tuo teſtimonio. Magnam tenebris lucem intuliſti, & maiorem fortè, quàm ipſe perſpicere quiueris. Ex eo enim colligo, nullum vnquam hominem vixiſſe, cui vel Hermæ, vel Mercurij, vel Theut nomen principiò fuerit tributum; ſed libros rerum ſacrarum ſpeculatores & interpretes, Mercurio ſiue Hermæ propterea inſcriptos fuiſſe, quòd à maioribus accepiſſent, omnem omnium rerum diuinarum ſcientiam à Mercurij numine proficiſci, atque idcirco ei omnia accepta ferri debere quæ de diuinis docentur; indignumque eſſe auguſta ſacrorum maieſtate, ſi quis vel minimum eorum, hominum adſcribat inuentioni. Eandem modeſtiam in cæteris artibus à Cimmeriis obſeruatam fuiſſe credo, fatentibus & litteras & leges non hominis alicuius, ſed ipſius Dei eſſe inuenta; cuius nomē ſilentio ſolo venerandum iudicantes, alterius nominis ſymbolicā notationem eius loco ſuppoſuerunt. Quemadmodum enim Deum, cuius vita ſempiterna eſt ſui ipſius contemplatio, capite deſignarunt; ita & Deum caput vocauerunt. quandoquidem Thot & Thoit, & dialecto Ambiuaritorū Theut, idem eſt ac ſi Latinus diceret, ipſum caput. Videntur ſanè vetuſtiſſimi illi Ianigenæ nomen Dei, quod Got efferimus, in maxima habuiſſe reuerentia; atque idcirco licet quamplurima alia ſacra nomina ad alias gentes emanarint, hoc tamen nunquam aliis populis ſic fuiſſe communicatum, vt eius vſus veſtigium aliquod ſui apud eos reliquum feciſſe cernatur. Alij aliis nominibus Deum nominant, & iis quidem è Cimmerio ſermone ſumptis: at nulla gens præter Cimbricam

Thoyt ſiue Theut dictus Mercurius.

Thoyt *ſiue* Theut *quid ſignificet.* Got.

cam trilitterum nomen Got ſtupendo artificio Trinitatem & perſonarũ attributa deſignans, vſurpauit. Hoc itaque arbitror nomen fuiſſe quod vetitum fuerit vulgò proferri; & loco eius Theut ſucceſſiſſe, quo non Deus propriè, ſed caput deſignatur, externum contemplationis ſymbolum atque ſimulacrum. Got nomen eſt ſolius Dei, nec de vlla creatura poteſt dici, Trinitatis, vt dixi, myſteria mirabili explicans arte, cui explicandæ iam olim librum dedicaui. Capitis verò nomen licet egregiam teſſeram gerat; quia tamen ſoli Deo conſecratum non eſt; citra maieſtatis eius læſionem in profanorum ore natare poteſt. Sed vide quò prolapſa eſt plurimorum noſtratium impietas, & audax ſeſe in Orcum præcipitantium temeritas. Ad omnem ferè aſſertionem ſacroſanctum hoc Dei nomen offerunt, & inuitum ad teſtificationem prouocant; quaſi ineptiſſimæ nugæ & ſcelerata ſæpe verba digna ſint quibus Deus teſtimonium dicat. Thoit igitur ſiue Theut, ſiue etiam Thot Mercurius dicebatur, & ſolo capite deſignabatur, quod in quadratam columnam deſinebat, qua notaretur tetragona eius firmitas nullam ſubitura reprehenſionem; vnaque omnibus innoteſceret, ſenſus communis non prorſus expertibus, figuram nó ad hiſtoriam, ſed ad ſymbolicã rationem pertinere. Antiquiſſimis enim illis temporibus licet ſtatuę & imagines mortuorum apud Semigenos & Chamigenos in tẽplis collocarentur, & eius etiam, quẽ Deũ vocabant, ſtatuæ monſtrarentur; Ianigenæ tamẽ diu ab hac conſuetudine abſtinuerũt: & ſi Plutarcho credimus, ad centum & ſeptuaginta annos poſt Romam conditam nulla ſtatua in Romanorum templis viſebatur, eo quòd Deum mente, non corporis oculis cerni poſſe crederent. Id tamen ſic ego interpretor; nullam quidem, vt ſic dicam, rectam ſtatuam, & ad omnia corporis humani lineamenta informatam tum temporis fuiſſe: fuiſſe tamen ſymbola & notas quaſdã ſacras ſic factas, vt nemo eas vera ſimulacra exiſtimaret. In his fuit vetuſtiſſimum Vortomni ſignum, quod Propertius multo ante Numam ad forum collocatum fuiſſe, carmine quodam ſuo prodit, quod ego ab Annij ſomniis, quibus ſeruire cogebatur, liberaui. Ne verò memoriæ alicuius hominis è mortalium numero falſa perſuaſione in diuorum numerum cooptati videretur, capita quadratis principiò columnis imponebãtur, ea ſeruata eorum diuerſitate, quæ de notationis varietate naſceretur. Cùm enim perfectam Dei contemplationem notare vellent; caput, additis alis & galero, ſculpebant: cùm Dei venuſtatem, qua cælum & elementa & cætera omnia pulcerrimè ornauit, caput pulcerrimæ mulieris ponebatur. Hinc ſtatua Veneris in Hortis Athenarum regione, in quadratam pilam deſinebat; nihil aliud ſignificans, quàm perpetuam & conſtantem Dei venuſtatem, quam rebus omnibus pro ſua voluntate largitur. Erat autem tantæ vetuſtatis hoc ſignum, vt quando & qua ratione poſitum eſſet, nemo Athenienſium ſe ſcire profiteretur. Inſcriptio Vraniam Venerem præferebat: quam cùm vnam Parcarum quidam interpretantur, aliquid illi quidem dicunt, ſed quid dicant, non intelligunt. Græci faciliùs de ſua voce, qua Parcam μοῖραν dicunt, quæ ſint Parcarum officia explicarent. Nihil enim aliud Mœra ſignificat, quàm eam Dei ordinationem, qua ſuæ cuique partes conſtant. Latini Parcam dixerunt; non à parcendo per Antitheſin, vt Seruius credidit, quòd nemini parcat, ſed à vetuſto Cimmeriorum nomine. Parca enim noſtris idem eſt quod ordino & ad æquabilem paritatem malum redigo. Par quamuis Latinum videatur, noſtras tamen eſſe tum etymogia tum conuerſio ichnæa demonſtrat. Nam Pe-ar idem eſt ac ſi dicas fixum perduro, eo quòd paritas & æquitas omnis ſtabilitatis & durationis, inæqualitas & diſpar rerum coitio omnis interitus cauſſam adducit. Iam Ca malum eſt quod Plato neceſſitatem vocauit; vnde Cahos quaſi Ca-hoot, id eſt mali caput. Quidam igitur Parcas è Caho natas ſcribunt. Heſiodus ſemel Noctis filias, & iterum ſui oblitus, Themidis filias fecit. Noctem Cahos intelligas. Plato dixit è neceſſitate, quam materiæ tribuit, genitas. Cæterùm Parca de noſtra interpretatione eam ſignificat diuinam poteſtatem quæ elementorum pugnantium inter ſe diſcordiam, quæ mali nomine deſignatur, æquitate quadam ſic commiſcet, vt ad certum temporis ſpatium cohæreſcant atque ſub vna aliqua forma perdurent. Venus ergo Vrania Parca fuerit, pulcritudini pro ſua cuique portione diſtribendæ conſeruandæque præſidens; cuius æquabilitas nomen Parcæ perpetua conſtantia quadratæ pilæ ſymbolum meretur. Eodem modo Themidis ſignum quadrata fuit columna, ad ſtabilem diuinæ iuſtitiæ & æquitatis firmitatem deſignandam;

Statuarum forma antiquiſſimis temporibus.

Veneris ſtatua in pilam quadratam deſinens.

Μοῖρα. Parcarum etymon.

Par. Venus Vrania, dicta Parca.

Ca. Cahos.

dam;quam ſi Parcam quoque dicas, nihil contra etymologiam pecces,eo quòd conue-
Themidis deæ deſcriptio. nienti ſemper modo procedat. Dicitur autem hæc horarum mater, eo quòd totius temporis diuerſitas per horas anni diſtributa, ſeſe rebus omnibus æquiſſimam matrem præbeat.Sed de hac plura in noſtris Amazonicis. Eodem modo antiquiſſimi illi Theologi, cæteras Dei dotes conuenientibus ad denotandum capitibus in quadratas trabes erectas deſinentibus indicabant, vt nimirum idem omnium eorum quæ ſignifi-
Termini dei deſcriptio. carentur, fundamentum eſſe cognoſceretur. Latini omnes id genus ſtatuas Terminos, propter ſimilitudinem, vocant, eo quòd quadratis ſaxis agrorum fines diſtinguerentur. Numa Terminum conſecraſſe dicitur, quod dum fecit, idem fecit,ac ſi Cimbrica voce Mercurium collocaſſet. Ne tamen quis lapidi diuinos honores tributos
Iupiter Terminalis. exiſtimet, Iouem Terminalem omnibus Terminis præſidem fecit; monens Deo in primis curæ eſſe, vt ſuum cuique definitum maneat, & certis terminis incluſum. Et
Τέρμων. certè Τέρμων Græcorum, & Terminus Latinorum, & Hermes eiuſdem ſunt & originis & ſignificationis. Neque enim aliud inter Herman, & Τέρμωνα diſcrimen eſt,quam quòd hoc nomen articulum noſtratem habeat præfixum, quo illud careat. Eſt autem
Herman vnde cõponatur. Her-man vocabulum noſtras, quo, pro diuerſo poſterioris ſyllabæ accentu, & diuerſo prioris ſyllabæ ſignificatu, duo diuerſa, eôdem tamen tendentia, notantur. Her idem
Her. eſſe quod commune & publicum,in Hermathena docui.atque inde nomen ad exercitum transferri, eo quòd is publicam cauſſam agat & tueatur. Man vocali breui, vir
Man. eſt, à ducendo nomen ſortitus: vocali longa idem eſt quod moneo. Vnde Herman diuerſa poteſt indicare; ſemel, vt ſit vir publicus, vel monitor communis: iterum, vt ſit vir exercitus, id eſt, ductor exercitus vel exercitus monitor. Mercurius igitur pro Deo acceptus, Herman dicetur omnibus his modis, & quia Deus eſt ſic publicus vt nemo magis, omnibus ex æquo prouidens neceſſaria; & quia omnes communiter, tum interno mentis inſtinctu tum per cælorum exempla & vates & doctores ea monet quæ maximè faciunt ad communem omnium ſalutem & felicitatem; & quia Deus item ſit vir exercituum, ab Hebræis etiam ſic vocatus, id eſt, dux exercituum; & poſtremò, quoniam ſicut communiter & publicè monet omnes variis modis; ita & exercitum monet quid ſit ex vſu reip. Ex ea itaque ſignificatione qua publicus monitor Hermani nomine intelligitur, factum eſt, vt ſermo Hermæ conſecraretur, eo quòd is quoque inter homines publicus ſit & communis monitor omnium
Hermaneus. ἑρμηνεύω. cogitationum. Hinc ἑρμηνεύω pro interpretor, quia ſermo interpres ſit animi notionum. qua in voce Herman integrum ſeruatur, ſi Dorum more ἑρμανεύω dicas. Ex eadem ſignificatione ratio pendet vt Hermæ pro illis quadratis ſaxis ponantur, quæ in publico poſitæ, ſententias certas inſcriptas habebant, quibus homines publicè eorum
Hermæ in triuiis quid moneant. monerentur quibus opus eſſet ad vitam bene beateque degendam. Hinc Hermæ apud Athenienſes tum antiquiores, tum recentiores, quos Hipparchum erexiſſe Plato tradit. in quorum vno ſcriptum erat, Admonet Hipparchus iuſta tenere velis; in alio, Admonet Hipparchus omni ex parte cauendum eſſe, ne quis improbior amicum decipere auſit. Hæc & id genus alia Hermis admonebantur; ita vt omnis eorum vſus in publica vtilium rerum admonitione conſiſteret, vt vox Her-man, ſyllaba poſteriore longo accentu pronunciata deſignat. Fateantur itaque Græci, ſe hoc vocabulum vetuſto Cimmeriorum ſermoni, quo hactenus noſtrates vtuntur, debere. Nam Her ha-
Herban. Hertoch. Herba Latinis vnde dicatur. ctenus publicum ſignificat, dum Herban pro publica via dicimus, & Hertog pro duce communitatis. Vnde apud Latinos Herbæ nomen remanſit. Eſt enim Herba quaſi Her-bat, id eſt, publica & communis vtilitas, eo quòd & herbæ communiter proſint omnibus, & publicis locis citra omnem cultum paſſim enaſcantur, quò adiumenta earum vel ad medicinam, vel ad alimentum omnibus ex æquo communicentur. Pro exercitu verò Her accipi nemo ignorat. qua ex voce fit Her-alt, id eſt, exercitus ſenator, pro caduceatore. Her-berg commune & publicum hoſpitium ſignificat: qua in voce Italis etiam nunc cognita clariſſima ipſius Her ſignificatio ſeruatur. Quoniam igitur Herman tam varia ſignificat, fit vt Hermes variis rebus apud Græcos præſideret. Hinc caduceatoris fungitur partibus, hinc ſermoni, hinc nunciis publicis præeſt, hinc etiam in triuiis ad viam demonſtrandum collocatur: quibus in omnibus quædam forma publicæ monitionis auditur. Quocirca Herman, vt &

nos

nos dicimus hactenus, & olim dici ſolere ἑρμηνεύω declarat, publicum monitorem ſignificans, ad Mercurium tanquam ad finem tendere videtur; quia idcirco publicè moneantur omnes, vt accedant ad excellentem conſiderationem, quò & ipſi eius fauore ac gratia diligenter omnia conſiderare poſſint. Alterius itaque notatio ad alterius notationem viam monſtrat; Herma publicè monente, & Mercurio perfectè conſiderante. Porrò Τέρμων nobis T'her-man diceretur, quod eſt ipſa publica admonitio, a longo in *Τέρμων.*
ὦ μέγα tranſeunte, iuxta commigrationis genus Germanis etiam vſitatum, vt in Man antè monuiſſe memini. & ipſum Moneo à Man deriuatum doceret, niſi tempus longum in breue mutaſſet. A T'hermon Latini Termini nomen retinuerunt. Eſt itaque ſignum, quo agrorum & regionum fines denotantur, Τέρμων & Terminus vocatus, eo quòd ſit ipſum illud quod publicè monet omnes, eum locum in quo fixus eſt, iuſtum eſſe finem. Et quoniam hæc publica monumenta finium deſignandorum cauſſa ponebantur, nomen Termini pro fine cœpit vſurpari. Cernis'ne nunc, quàm vocabula & *Moneo, es, ere.*
ſymbola inter ſe conſentiant, & quàm ad veritatis illuſtrationem neceſſaria ſit originum & ſermonis Cimbrici non vulgaris cognitio? Qui non omnino hebes eſt, & plumbea intelligentia præditus, is ex his & aliis modò à me expoſitis clarè cernet, nec Latinam, nec Græcam linguam accuratè vel intelligi, vel ad primordia ſua poſſe deduci, niſi veterum Galatarum ſiue Cimmeriorum ſermo radicitùs fuerit exploratus, & in principia ſua vſque ad indiuidua elementa ſolutus. *Terminus vnde dictus & quid ſignificet.* Liquet modò & hoc Ennium optimè feciſſe, nedum peccaſſe, dum Termonem pro Termino dixit, eo quòd Termon Græcorum vox minus ab origine ſua degenerarit, quàm Terminus nomen Latinorum. *Termò dictus Terminus apud Ennium.* Docui in Amazonicis, Athenas & Spartam antiquiſſimas Græciæ vrbes à Cimmeriis olim conditas fuiſſe, & nomina earum citra Cimbrici ſermonis opem explicari nequire: vnde efficitur, vt primos vtriuſque linguę natales ad eum pertinere exiſtimare debeamus. Quoniam verò dixi Termini nomine publicam notari monitionem, quæ communiter omnibus pateret, rectè ritualia ſtatuerunt, Terminum ſub tecto non eſſe colendum. Nunc itaque quiuis intelliget, eandem eſſe Hermarum & Termini ſignificationem, & eam quidem ex eodem fonte deriuandam. Ex Numæ itèm diſciplina intelligimus totam venerationem totumque cultum qui Termino exhibetur, ad Iouem pertinere, quem ea de cauſſa Iouem Terminalem vocauit: & quia Mercurius & Hermes idem Deus eſt, colligimus recta conſecutione me bene feciſſe, dum Mercurium Deum ipſum, qui vnus eſt, interpretarer; non illum quidem quauis ratione, ſed ea, qua vitam ſuam ſempiterna contemplatione definit. ad quam contemplationem, vt quàm poſſumus proximè adſpiremus, Hermæ nomen nos commonefacit. Quamobrem benè dictus eſt Hermes Triſmegiſtus, id eſt, ter maximus, quia nimirum vt pater maximus, vt filius maximus, vt Spiritus ſanctus maximus; atque ita non tres maximi, ſed ter maximus vnus in trina hypoſtaſi. O excellentem conſiderationem, & optimo iure ei attribuendam, qui vt Mercurius eſt ter maximus; ita ſpiritu ſuo excellentiſſimam quamque in hominum animis abſoluit cõtemplationem! Errant itaque toto cælo (quod pace doctorum hominum dicere fas ſit) qui Mercurij Triſmegiſti ætatem vel inquirunt vel deſignant; niſi verbo incarnato, pro eo ac optimo iure poſſunt, Mercurij tribuant nomen. Qua autem ratione Triſmegiſtus vocatur, eadem & Tricephalus apud antiquiſſimos dicebatur, & tribus capitibus inſigniebatur. *Triſmegiſtus & Tricephalus dictus Mercurius.* Hinc in triuiis lubenter eum collocabant; tum vt ternarij ratio haberetur, tum vt ipſius Terminus ſiue Herman omnes publicè moneret, quam viam quiſque inire deberet. Eſt enim Hermani proprium viam docere, ſed non quamuis; nec eam quæ vel Romam, vel Antuerpiam, vel ad aliam vrbem ducat, ſed eam qua perueniendum eſt ad excellentiſſimam illam contemplationem quam Mercurius ſolus poteſt communicare. Hinc deinde à perfectiſſimo & ſummo ad imperfecta & infima conſideratione detracta, factum eſt vt Hermæ ad communem viarum demonſtrationem collocarentur: quo nimirum in omni loco occaſio daretur cogitandi de eo quòd Hermæ ſtatua primario ſuo ſymbolo moneret. Optimè igitur ab iis vtilitatis communis ratio ſubducta, qui quadratis Hermis ſententias inſcribebant, quarum monitu ad verum & primum Mercurium perueniretur. Mercurius ergo Tricephalus, & Triſmegiſtus, & in triuiis coli ſolitus, vnus idemque eſt Deus ter maximus, & trino capite ſiue trina hy-

poſtaſi, quam capitis nomine veteres intelligebant, omnia gubernans. Non benè itaque illi, quiſquis fuit, proceſſit fabula, qui Pæmandrum nobis dedit, proptereà quòd Mercurij Triſmegiſti auum mortalem, & mortalem filium ſibi lectorique fingat. Docuit nos Iamblichus, omnes ſacros libros Mercurio Triſmegiſto inſcribi ſolere: at hic noſter auctor non contentus doctrinam ſuam ad Mercurium referre, nomen Dei imperitè homini adſcripſit: quem errorem cæteri omnes ſecuti, de Mercurij Triſmegiſti ætate, natalibus & maioribus quærunt. Fateor equidem ab eo qui impudenter, ne dicam ſacrilegè, hoc ſibi Triſmegiſti nomen ſumſit, multa eſſe congeſta Hermis & Mercurij doctrina non indigna, ſed ea omnia confuſa & malè digeſta, & tandem etiam in fœdam detorta idolomaniam. Docet enim mirificus hic Hermes Aſclepium ſuum, ſtatuas duabus conſtare naturis; altera diuina, altera materiata; & hac quidem parte hominibus inferiores, illa verò eſſe ſuperiores. O portenta! ô ſcelera! ô impietatem! Eáne de cauſſa plurimas de diuinis non malè dictas ſententias præmiſiſti, vt earum illecebris nos allectos, tandem ad impiæ ignorantiæ & ſceleratiſſimi furoris barathrum præcipitares? Abi cum tua doctrina ad mendaciorum patrem, & dic nihil tibi falſam Mercurij laruam profuiſſe. Quis Pæmandrum, quis cæteros libellos ſcripſerit, & quando eos primùm hoc Mercurij titulo venditarit, nec legere memini, nec certò ſtatuere poſſum. Platonis certè ætate necdum fuiſſe, inde ſatis conſtat, quòd cùm ipſius Theut faciat mentionem, nuſquam meminerit Hermetis Triſmegiſti, nec Aſclepij huius, nec Tat: quamuis fuerint qui Tat eundem cum Theut fuiſſe ſuſpicarentur, nulla omnino probabili occaſione ducti. Mea nihil refert, quando tandem emerſerit: id ſatis eſto demonſtraſſe, nebulonem illum quiſquis fuit, idolorum patrociniū ſuſcepiſſe; atque idcirco me ſuſpicari, ab illo Iamblichi magiſtro, quē Annebonem, ſi rectè memini, vocat (neque enim liber ad manum eſt) contra Chriſtianos confictum fuiſſe. Hinc illæ lacrymæ. Linquetur, inquit Pſeudomercurius, iam vates repentè factus, Ægyptus, terraque quæ fuit diuinitatis ſedes, religione viduata, numinum præſentia deſtituetur. Flet igitur pſeudotriſmegiſtus deiectionem ſtatuarum & interitum idolomaniæ à Chriſtianis profectum: flet item Aſclepius, vterque videlicet cacodæmonum adminiſter. Nec flent profectò immeritò, ſi perſonati illi hypocritæ idolorum fuerunt ſacrifici; eo quòd de quæſtu, quem cauponando impiam ſtatuarum adorationem quotidie facere conſueuerant, vberrimum, actum iam eſſet atque conclamatum. Callidus tamen fuit impoſtor qui ne Moſe minus ſapiens videretur, multa ex eius libris ſuppilauit: & ne plagium agnoſceretur, aliis phaleris ornata, in publicum protruſit. Quò verò fraus magis celaretur, ſtatim proxenetas ſibi quæſiuit, qui confingerent ante Pharaonem, cui cum Moſi res fuit, huius libelli auctorem vixiſſe. qua in re quàm impudenter mentiantur, facilè cernet is qui Ioſephum legerit, ſcribentem contra Appionem. Quæſiuit diligentiſſimè Diogenes Laërtius philoſophiæ apud Barbaros initia, & cùm eius alios apud alias gentes profeſſores inueniſſet, nullius meminit Mercurij Triſmegiſti Ægyptij, immo omnem Ægyptiorum ſapientiam ad Vulcanum refert, Nili filium. Illius ergo ætatis figmentum eſſe dico hunc librum Mercurio inſcriptum, qua Chriſtianorum religio idolorum cultum in Ægypto & Græcia expugnare cœpit. Sed quid hunc pluribus oppugno machinis? Ipſe Iamblichus vnus de ſummis Chriſtianorum hoſtibus Pythagoram & Platonem ex Mercurij non libris, ſed columnis ſapientiam ſuam hauſiſſe prodidit; faſſus interim ſacros libros Mercurio inſcribi ſolere, nulla tamen Pæmandri, quod equidem recorder, facta mentione. Redeo igitur eò vnde diſceſſi, & Hermas, ſiue, vt nos hactenus proferimus, Hermanos aio nihil aliud, quàm ſymbola ipſius Theut fuiſſe; quibus graues, de rebus præſertim diuinis, ſententiæ incidebantur; quæ idcirco ad Theut velut auctorem referebantur; quòd omnis ſana rerum diuinarum doctrina ab ipſo capite, id eſt, ab ipſo Mercurio, qui capitis figura notabatur, profecta eſſet. Quamobrem mirum non eſt, magnam olim & auguſtam omnino id genus ſtatuarum venerationem fuiſſe, atque ſacrilegos eos habitos, qui eas vel deieciſſent vel mutilaſſent. Hinc Alcibiades in vitæ periculum adductus, eo ipſo tempore quo claſſis Siciliam impetituræ vnà cum Nicia & Lamacho præfecturam gereret. Accuſabatur

Pſeudotriſmegiſtus.

Herma & Hermanus idem eſt.

Hermarum violatores, ſacrilegi habiti.

batur enim Hermas mutilaſſe; quæ res populo Athenienſi tam impia videbatur, vt morte eſſet expianda. Et quamuis Imperator diſceſſiſſet, abſens tamen eſt condemnatus; & multi qui conſcij eius criminis fuiſſe arguebantur, vltimo ſupplicio ſunt affecti. qua de re latè Plutarchus in Alcibiadis vita. Faceti ſunt Phrynichi Comici verſus, quibus Herman rogat ne corruat; ne videlicet ruina ſua calumniatoribus cuiuſpiam accuſandi euertendique præbeat occaſionem. Certè quiſquis fuerit qui ſtatuas Mercurij id temporis violauit, hoc ſaltem conſtat, multos inde ominatos fuiſſe, Athenienſium reip. exitium eorum conſiliis parari, qui belli contra Siculos gerendi auctores eſſent: quaſi id quod tum ſuadebatur, diuinis ſententiis, quarum cauſſa Hermæ poni conſueuerant, aduerſaretur. Eſt illud quidem ita; omnia paulatim in rep. in peius degenerare; ſed tamen valde diu Hermarum vſus in priſco ſuo retentus eſt honore: atque adeò Cimonis tandem tempore permiſſum, vt eius victoria quadratis Mercurij ſtatuis incideretur, nuſquam tamen Cimonis nomine expreſſo, vt in ipſius vita Plutarchus commemorauit. Pôſt repub. & vetere diſciplina vnà cum religione ſenſim corruente, paſſim quibuſuis viris, vel ab eruditione, vel à rebus præclarè geſtis illuſtribus, eiuſmodi ſtatuæ collocatæ, membris tamen virilibus non erectis: quarum plurimas Romæ vidi. Hinc itaque liquet vſum eius generis ſtatuarum fuiſſe, vt publica eſſent monumenta principiò quidem diuinorum, deinde verò rerum quoque cæterarum, pro eo atque vox ipſa Herman, apud primos Athenarum conditores, publicum notabat monitorem. Optimæ autem & ſaluberrimæ admonitioni ſummum caput præeſſe qui neſcit, is ignorat omnem ſanam doctrinam diuinitùs inſpirari. Dicuntur enim omnes artes & ſcientiæ, tam diuinæ quàm humanæ, à Mercurio proficiſci, propterea quòd ſicut à Dei bonitate omnis bonitas, ab ipſius eſſe omnis eſſentia; ita à perfecta ipſius contemplatione, omnis contemplationis in hominum animis perfectio deriuetur. Quemadmodum autem à Deo varia dona procedunt; ita varia donorum nomina frequenter hominibus communicantur; ſed tanto minus propriè accepta, quanto ideæ in mente diuina humanis omnibus ſunt perfectiores. Sic Noëhus varia nomina, de variis dotibus diuinitùs ſibi conceſſis, accepit. Eodem modo Cadmus litterarum inuentor, Mercurij cognomen ſortitus eſt: qui quis fuerit, in Hieroglyphicis diſputauimus: at hic non verè Mercurius, ſed per analogiam dumtaxat fuit vocatus, quòd eum Mercurius beneficiis ſuis illuſtraſſet. Concludimus ergo Mercurium nihil aliud eſſe, quàm mentem diuinam perfectiſſimè ſeipſam contemplantem, à qua omnis conſiderationis & intelligentiæ perfectio deſcendit. Ammianus Marcellinus occultæ atque reconditæ ſcientiæ curioſior, quàm militaris ferat vita, ſcrutator, hanc meam ſententiam egregiè confirmat, Mercurium aiens à theologis definiri, velociorem in mundo ſenſum, motum mentium ſuſcitantem. A quo alio autem hic motus eſt, quàm primùm ab ipſa Dei ſapientia, quæ tota contemplatione conſtat; deinde ab intelligentiis, diuinæ ſapientiæ adminiſtris & diribitoribus; deinde ab iis quorum mentes ad contemplationem perfectiorem, quàm cæterorum eſſet, euexit? Porrò quando ſcimus Dei ſapientiam & Dei verbum idem eſſe, & vtrumque nomen Dei filio tribui; non video quid obſtet, quin Verbum quoque Mercurius Cimbrica lingua dici queat. Non fabula igitur eſſet, Mercurium Iouis filium eſſe, & eundem Iouis nuncium, ſed ipſiſſima veritas, tametſi pôſt ſit idolomaniæ figmentis inquinata. Quamobrem altiorem ſapit eruditionem, quàm humanus captus ferat, illud quod de caduceo ipſius, deque eius in animos mortuorum arbitrio, veteres tradiderunt. Verbum enim incarnatum pacem inter Deum & hominem compoſuit, & ea cauſſa caduceum proprium eius eſt; quo non pacem modò componit, ſed alia etiam non minora præſtat, vt eſt apud Poëtam:

Tum virgam capit, hac animas ille euocat Orco,
Pallenteisq́ alias ſub triſtia tartara mittit;
Dat ſomnos adimitq́, & lumina morte reſignat:
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila.

Statuæ collocatæ viris illuſtribus.

Mercurio artes & ſciētiæ attribuūtur.

Cadmus dictus Mercurius.

Mercurij nominis definitio.

Mercurius eſt verbum Dei incarnatum.

Quid Caduceum ſignificet, de nominis ratione fruſtra Latinos homines interrogabis. Nam ſi aliquid dicere volent, à Caduco Caduceum formabunt, quia nimirum bellum cadere faciat. Bella profectò notationis cauſſa, quæ pacis ſignum illo nomine deſignat quo caſus indicatur, res bello quàm paci accommodatior. Pax erigit, & omnia ad vigorem ſuum reducit: Bellum, quæ longo tempore adoleuerunt, & ad ſtatum aliquem felicem peruenerunt, deiicit, & exiguo tempore proruit atque conculcat. Vtri igitur, bellóne an paci caſus debetur? Hic ſi nemo dubitat, cuius eſt impudentiæ, aut potius ſtuporis, tam craſſæ ignorantiæ accuſare nomenclatorem, vt pacis ſignum à cadendo nuncupaſſe dicatur? Accentus ſaltem in prima ſyllaba longus admonere debuiſſet, nominis originem aliunde eſſe repetendam. A in caduco corripi, ſi non ex deriuatione ſciremus, Virgilius nos docere potuiſſet, & eodem loco docere, Caducum ad bellum, non ad pacem pertinere, apud quem libro Æneidos ſexto hi ſunt verſus:

Hic illi occurrit Tydeus, hic inclytus armis
Parthenopæus, & Adraſti pallentis imago.
Hic multum fleti ad ſuperos belloq; caduci
Dardanidæ. Idem alibi:
Si mora præſentis lethi tempusq; caduco
Oratur iuueni, meq; hoc ita ponere ſentis;
Tolle fuga Turnum, atque inſtantibus eripe fatis;
Hactenus indulſiſſe vacat. Sin altior iſtis
Sub precibus venia vlla latet, totumq; moueri
Mutariue putas bellum, ſpes paſcis inanes.

Viden' hic quanta Caduci & Belli ſit cognatio, & quàm ex diametro Caduci ratio cum pace pugnet? Egregios verò nominum rectitudinis cenſores, qui ex eodem fonte, lætiſſimo pacis ſigno, & triſti cadaueri nomen tribuunt. In cadauere & caduco prima ſyllaba primam in Cado ſequitur, & id quidem rectiſſimè: verùm in Caduceo non ſolùm ſyllaba hæc longa eſt, ſed tota etiam rerum natura clamat, nihil aut imperitius aut ineptius dici poſſe, quàm Caduceum à Caduco deriuari. Neque eſt ſpes vlla in Grecis, ad quos, cùm domeſtica deſunt, confugere frequenter conſueuerunt Latini, cùm apud illos hæc vox non reperiatur. Vt igitur Tartara iuſſus adit ſumptis caducifer alis; ita nos eum ad Cimmerios vſque conſequamur, vt eos rogemus, Ecquid ſani habeant eloqui de Caduceo. Pacis ſignum eſſe Caduceum nemo Grãmaticorum negauit. Diſcant igitur hac voce denotari illud quo malum demergitur, tam clara nominis compoſitione, vt ne puerum quidem vllum noſtratem eius ſignificatio latêre poſſit. Ca ſiue Cat, vocali longa, malum notat: Duic verò idem quod demergo; vnde mergus auis Duicker nobis dicitur. Hinc Ca-duic, id quod mala demergit, nec amplius ſinit videri. qua de voce mutatio diphthongi ui in u longum Caduceum fecit, & caduceatores, accentuum ratione nihil variata. Quis autem ipſum malum & omnis mali patrem demerſit? An non Chriſtus verbum incarnatum, qui cruce ſua animas mortuorum ex orco liberauit, & malum ipſum in tenebrarum abyſſos demerſit æternos? Nunc videte tandem, ô vos antiquarij, quid ſignificent ſerpentes in caduceo, nodo Herculano conſtricti. Serpentem maſculum & feminam eſſe aiunt, & bene quidem. Maſculus enim draconem illum ſignificat, qui prauum malignitatis ſuæ ſemen in feminam deiecit, & in ea ſerpentinam ſuſcitauit prolem, perpetuò cum ſpiritu pugnantem, quæ tam arctis vinculis nobis eſt colligata, vt nulla humana vis nodum expedire queat. Duo igitur ſerpentes cacodæmonem & carnem, indiſſolubili vinculo copulatos, deſignant, quorum nodus Herculanus ob id dicitur, quòd à ſolo Hercule diſſolui poſſit. Hos caduceo ſuo præfert Mercurius tanquam trophæum, eo quòd caduceo ſuo lethiferum amborum venenum expugnarit. Quàm autem caro & cacodæmon conſpirent duobus ſerpentibus ſignificati, declarant ora contra ſe inuicem conuerſa, & caudæ connexæ, & medios deuinciens nodus Herculanus. Qui ſciunt hoſtes in triumphum duci, & eorum figuras trophæis addi ſolere, iis nihil opus eſt clarius oſtendere, quàm eleganter hoc ſerpentum in cruce deuictorum ſymbolum ſit excogitatum. Quia enim vtrumque malum, & cacodæmonis & carnis, Mercurius demerſit, vtriuſque mali ſignum præfert; & id quidē in ſceptro, propterea quòd à patre ſceptrũ vniuerſorum accepiſſet, quo ſupera regit, media & infima.

Caducei etymon, & munus.
Ca. Cat. Duic. Duicker.

Serpentes caduceo aſtricti, quid ſignificent.

Herculanus nodus.

infima. Eius autem alæ quæ manubrio adduntur, tum ad mentis velocitatem, tum ad celerem poteſtatis diuinæ vim, momento temporis vbiuis locorum præſentis, referuntur. Non mirum igitur ſi de poteſtate quam patrem ei tradidiſſe ſacris litteris traditur, ἡγεμόνιος ſit vocatus. Qua verò de cauſſa dictus ſit Cyllenius, vix auſim aperire. Alij à Cyllene nympha, alij à monte Arcadiæ, alij aliunde hoc nomen deducunt. Mihi placet ſymbolorum & vocum concordia, quam vbique apud priſcos diligenter obſeruatam fuiſſe deprehendo. Herodotus Pelaſgis acceptum fert erectum Mercurij faſcinum. Mea non magni refert, qui primi fuerint huius ritus auctores, cùm certiſſimis mihi argumentis conſtet, inſignem eius eſſe & Ogygiam prorſus antiquitatem, quam quiuis & in Herculis nomine, & in Bacchicis Phallis, & Ityphallis terminis agnoſcet, niſi nullam ingenij ſollertiam à Mercurio acceperit. Quid aliud nos docent arrecti Satyri? Quis in eorum arrectis veretris non agnoſcat vehemens & vrgens generandi deſiderium? Atqui abſit vt tam effrontes priſcos illos ſacrorum rituum auctores fuiſſe credamus, vt de corporis libidine hoc genus ſignorum intelligi vellent. Symbola ſymbola non ſunt, ſi ſui ipſorum dumtaxat habeant ſignificationem, vt allegoria dici nequit ea oratio quæ non aliud denotat, quàm quod de recto & ſimplici verborum ſignificatu intelligentiæ offertur. Craſſa profectò hæc eſſet & belluina prorſus philoſophiæ ratio, ſi Ityphalli non aliud quàm hirquitallientem corporis naturam denotarent. Detrahe laruas poëſi & fabulis, iam non poëſim, ſed inſanas habebis nugas & anicularum deliramenta. Quibus aures vel tam flaccæ vel tam craſſæ ſunt & obtuſæ, vt ſcapham ſcapham intelligant; & coles non aliud quàm coles Lanuinos eſſe credant, ij ad veræ priſcorum poëſeos, quæ ipſorum fuit theologia, auditioně minimè ſunt admittendi. Vereor autem ne tales fuerint plerique omnes Græcorum poëtæ, propterea quòd ſic fabulas videam ab ipſis conſpurcatas, vt non acutis Satyrorum auribus, ſed ſurdis potiùs ventribus dignæ videantur. Certè niſi clara priſcarum vocum veſtigia & vetuſta ſymbolorum monumenta me aliud docuiſſent, equidem totum hoc tectum de ſacris loquendi genus è ſcholis ad fornices amandaſſem. Quamobrem Platonem laudo, qui Homerum è rep. ſua exulare voluit, vti hominem non domi modò ſuæ ſpurcum, ſed talem etiam, vt totum cælum turpi libidine & adulteriis fœdarit. Fruſtra nobis Satyros & Silenos acutis auribus finxerunt priſci illi fabularum auctores, fruſtra Muſis laruas addiderunt, ſi omnia nudè, pro eo ac primum ſonant, audiantur. Tota Bacchica ſupellex quid præter ineptias habet, ſi Vannus, vānus dumtaxat, qua paleæ in area euētilantur, intelligatur? Quid ciſtella, quid anguis erepens, quid Phalli, quid cætera? An non ludibria ſunt mera, & ea quidem frigidiora, quàm viliſſima puerorū crepundia? Sed dum laruas vides appenſas, dum Satyrorum aures vides acutas & in cælum arrectas, cogites oportet, non otioſè hæc & prima facie tantùm tenus ſpectanda eſſe, ſed laruas detrahendas, & aures à terrenis & corporatis ad cæleſtia arrigendas, vt quæ in corporibus cernuntur & audiuntur, ea ad mentem transferantur. Quamobrem erectum corporis membrum ſymbolum erit facultatis eius qua mens ad generationem diuinam incitatur. Quæ autem hæc ſit generatio, quis eius modus, quanto ſit corporis generatione præſtantior, Diotima Socratem docuit, hac in re maſculę facultatis partibus egregiè perfuncta. Genuit enim Socratem, non illum ſimum & cętera minimè pulcrum, ſed Socratem illum interiorem, cuius hactenus pulcritudinem in Platone agnoſcimus & exoſculamur. Neſcio vnde nomen habuerit Diotima: hoc ſcio eam vel de hac ſola generatione dignam fuiſſe quæ Diotima vocaretur. Cùm enim diuinæ ſapientiæ ſit ſapientes gignere, cur non eam mulierem dicam diuinos honores conſecutam, quæ maſculo mentis robore tam validum genuit virum, vt is rurſus multa hominum millia ſimili facultate procrearit, & tamdiu ſit procreaturus, quàm Platonis libri à ſtudioſis cum fructu, qui conſequi debet, legentur? Vel hæc, vel Socrates eius filius magna eloquentia explicat, quæ mentis fecunditate turgentis ſit tentigo, & quam ea feminam, & quam eius pulcritudinem quærat, tum quid in ea progignere deſideret, ac quanto hæc ſit quàm corporis generatio excellentior, diuinior & conuenientior ad immortalitatem conſequendam, in qua finis eſt vltimus omnis eius appetitionis & deſiderij, quo homines ad gignendum veluti ſtimulo quodam aut œſtro incitati feruntur. Quamobrem ſi quis rectè ſcire volet, quis ſit Cyllenius & cur

Faſcinū Mercurij ſtatuæ affixum, quid moneat.

Satyrorum veretra arrecta.

Diotima.

cur ita dictus, & qua de cauſſa à priſcis ſit factus inſigniter mutoniatus, is Platonis ſympoſium adeat, & illic prius Academico, aut potius Bacchico liquore probè madeſcat, quàm hæc noſtra cognoſcat. Vt enim ille ad ſuam diatribam Geometriæ imperitos non admittebat; ita ego nihil meorum ab eo legi velim, qui non prius Platonis ſacris ſit initiatus. Aiunt Ageſilaum, cùm quiſpiam eum ſpectaſſet cum pueris ſuis in arundine longa equitantem, monuiſſe, ne cuiquam hoc prius referret, quàm ipſe quoque liberos procreaſſet. At ego multo magis eos, ſi qui erunt qui hæc noſtra legere volent, monendos duco, ne antè iudicium ferant de hoc mentis impetu ad generationem irritante, quàm ipſi quoque ſentiant ſe iam fecundos eſſe, & ſemine turgidas venas habere. Qui corporis amoribus eſt irretitus, qui pecuniæ ſtudio totus diſtrahitur, qui veſana ambitione feruet, is ad cæleſtis amoris conuiuium non accedat, nec quis Cyllenius ſit, inquirat. Depurgatis oculis ſymbola conſpicienda, depurgatis auribus ſacra nomina audienda, ne diuina, immundis vaſis indita, computreſcant. Membrum itaque erectum, diuinæ huius generationis, quam Diotima nobis deſcripſit, ſignificationem habet, indicans eam in Mercurio ſummam eſſe & perfectiſſimam vtpote quadratæ baſi innixam: & idcirco hunc Deum orandum eſſe, vt ſapientiam & omnes virtutes in nobis gignat, & facultatem etiam largiatur, qua & nos vlterius aliam ſobolem gignere

Cul. poſſimus. In Hermathena docui, Cul eam corporis partem notare, in qua ſemen perficitur, idque non vna ratione. Primaria tamen notationis cauſſa ex Ke hul pendet, quod idem eſt ac ſi dicas; Deſidero vehementer vt me nobilites ea facultate, qua idoneus fiam ad tuitionem. Cupiunt omnia ſe tueri, & , quoad eius fieri poteſt, reddere ſempiterna. quod cùm nequeant in ſeipſis, generare ſibi ſimile ſummo ſtudio quærunt; atque in eo totum ſuum decus collocant & firmam ſpem im-

Hul. mortalitatis. Hul ſit ab Hu-el, id eſt, exalto ſiue nobilito ad id vt tueri atque cuſtodire poſſis. Iam dum ſimpliciter tuitionem audimus, ſummam intelligamus oportet, quam ſitam eſſe in generatione, eiuſque finem eſſe perennem durationem,

Coleus. Culeus. Diotima demonſtrauit. A Cul, Latini Coleos & Culeos retinuerunt. Porrò cùm generatio quæ in mente fit, ſit ea quæ fit in corpore multo excellentior, ſintque vocabula in diuinis rebus omnia acutis & arrectis auribus, non flaccis, audienda; Cul ad vota generationis mentalis pertinebit. Cul-leen igitur idem erit, quod generationis facultatem, ſiue membra comedo, ſiue vtenda concedo. Quid Leen denotet, in Hyperboreis docui, dum quis Silenus dicendus ſit, explicarem. Cyllenius igitur ſiue

Cyllenius unde dictus Mercurius. Cullenus, Mercurius dicitur, quòd is in mentibus noſtris omnem gignat perfectionem, & maſculam ſuam vim nobis commodet, qua & nos gignamus primùm in nobis, deinde in cæteris. Quid autem Mercurius ille ſummus gignit in nobis? An non omnem intelligentiam, omnem ſapientiam, omnes virtutes, cùm cæteras, tum fidem, ſpem & caritatem? Sed quis eſt coleus quem nobis commodat & concedit vtendum? Intelligentia maſcula, gratiæ ipſius vi ac fecunditate turgens; cuius vehementi deſiderio ferimur ad generandum eum in nobis amorem, cuius alis ad felicitatis culmen ſubuolemus; & ei adhæreamus, cuius perpetua contemplatio, æternam perennis vitæ perficit ſuauitatem. Bone Mercuri, quò nos vocat tuus Ithyphallus, quò nomen tuum vocat, quo à culeis Cullenius indigetaris? Summum te generatorem eſſe, & maſculis mentis viribus plurimum pollere, his teſſeris admonemur: & vnà admonemur, vt cum vate Ieſſæo dicamus: *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis*. Quid? quòd altius etiam attollimur, & non de creatione tantùm, qua Deus in nobis generat ſapientiam & omnes animi dotes laude dignas, reddimur hoc ſigno certiores, ſed vlterius etiam ad ipſum Verbum, quo Pater creauit omnia, vocamur? Si enim Mercurium perfectiſſimam contemplationem, pro eo ac vox nobis ſonat, intelligamus; non poſſumus non fateri, hanc eſſe

Sapientia genita ante ſecula, &c. ipſius ſupremæ ſapientiæ & ipſius Verbi, quo pater omnia generauit, propriam. Perfecta contemplatio non alibi, quàm in perfecta ſapientia reperitur; quam Deus genuit ante ſecula, qua tanquam vi maſcula ſua creauit vniuerſa, & in cælis & in terra. Quemadmodum Orphici Mercurio omnium artium inuentionem & totum mentis acumen adſcribunt; ita Salomon quicquid eſt vſquam ſcientiarum, Sapientiæ adſcribit:

ſcribit: *Omnium*, inquit, *artifex docuit me Sapientia. Eſt enim in illa ſpiritus intelligentiæ ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis.* Et mox ſubdit: *Vapor eſt virtutis Dei, & emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſincera; & ideo nihil inquinatũ in eã incurrit. Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculũ ſine macula Dei maieſtatis & imago bonitatis illius. Et cùm ſit vna, omnia poteſt, & in ſe permanens omnia innouat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei & prophetas cõſtituit. Neminẽ enim diligit Deus, niſi eum qui cum ſapientia inhabitat.* Quis in his Salomonis verbis nõ animaduertit vim Mercurialem, maximè ſi cætera, quæ plurima ſunt, ſapientiæ encomia conſideret? in quibus & illud eſt, hanc eſſe quæ doceat Dei diſciplinam, hanc ſcire verſutias ſermonum & diſſolutiones argumentorum. Vel non intelligo quid ſit perfecta contemplatio Mercurij nomine ſignificata, vel ea huius ſolius eſt Sapientiæ; quæ vnica cùm ſit, multiplicem ſe præbet efficacitate, atque idcirco veluti Mercurius quidam multa nomina meretur. Mobilis eſt ſapientiæ ſpiritus; alatos pedes, alatum petaſum habet Mercurius. *Omnibus*, inquit Salomon, *mobilibus mobilior eſt ſapientia. Nec fuit adſtricta hæc ſapientia vni nationi, ſed per nationes vim ſuã adſpirat ſanctis; & quos vult, eos ſpiritu ſuo replet, & vates efficit.* Quamobrẽ nõ miremur ſi eadẽ Mercurio ſuo tribuerint Ianigenæ, quæ de ſapientia Salomon Semigena cantauit. Idem eſt ſpiritus ſapientiæ in omnibus iis qui de veritate vera & ſentiunt & dicunt. Vt autem cæterarum rerum omnium ſcientiæ ad Sapientiam pertinent; ita & hoc ipſius donum eſt, nouiſſe, veritatem ad omnes nationes ab ea ſola proficiſci, & eam poſſe in quauis gente veros doctores & veros vates excitare. Quando itaque artium litterarumque omnium apud omnes inuentio Mercurio tribuitur; ſatis intelligimus, Mercurium ſolo nomine à Sapientia differre, atque ea de cauſſa non minùs ad illum, quàm ad hanc omnem generationem eſſe referendam; non illam modò quam Diotima docuit, ſed hanc etiam, quam Verbum creauit, totam rerum omnium vniuerſitatem. Cùm igitur homo maioris mũdi typum gerat, atque idcirco microcoſmus vocetur; aptiſſimum totius generationis ſymbolum fuerit membrum in minore mundo ad generationem à natura comparatum. Pace itaque Herodoti, Mercurij Phallum non Pelaſgis, ſed Cimmeriis antiquioribus acceptum feremus, atque Hermæ ſic poſito nomen Cullenij dicimus conuenire. Eòdem ſpectat nomen Herculis, quo Culeus totius communitatis denotatur. Quando enim idem omnibus diuinis nominibus Deus ſignificatur, nihil miri eſt, ſi in nominibus quoq. diuerſis & diuerſis ſymbolis aliquãdo magna cõuenientia reperiatur. Quod claua eſt Herculi, Mercurio virga eſt ſiue ſceptrum, Caduceum vocatum, & Draconum, quos deuicit ac depreſſit, inſignitum trophæo. Quoniam verò de hac modò conuenientia ſignorum fecimus mentionem; non fuerit à propoſito alienum, reddere & alteram. Hercules claua ſua hydram occidit, & draconem aurea mala cuſtodientem. Mercurius Argephontes dicitur, eo quòd Argum interfecerit: & cùm alij alia de Argo comminiſcantur, Pauſaniam laudamus, quòd eundem Argephontem & Ophioctonon dicat. Heſychius Mileſius Ἄργην ἔπεφνεν, interpretatur, ſerpentem occidit, eo quòd Arges draconis fuerit epitheton. At qua de cauſſa Draco ſit vocatus Arges, nec ipſe declarat, nec quiſquam cæterorum, quos mihi quidem contigerit videre. Græci quæ ſplendida ſunt & clara, hac voce nominarunt: atque idcirco quidam non ἀργειφόντην, ſed ἀργειφάντην Mercurium dicunt, eo quòd omnia illuſtret: quod vnum fuit inter effugia, quibus ex hac difficultate ſeſe ſubducere Grammatici conantur. Quid Caduceum ſit, quid Cyllenius indicet, atque adeò quid ipſe ſibi Mercurius & Hermes nomine ſuo velit, fruſtra Latini, fruſtra Græci omnes ſuos antiquarios litteratores interrogarent, nec plus ſe ſperent lucis in huius nominis obſcuritate conſecuturos. Adeant igitur vetuſtiſſima Cimmeriorum oracula, ſcitatum nimirum qua de cauſſa Argephontes Hermes vocetur; quæ reſpondebunt, Draconem propriè dici cognomine Argen ab Arg, vocabulo noſtratibus in primis vſitato, pro eo quod Cicero dixiſſet malitioſum. Quis verò in ſupremo gradu malitioſus ſit dicendus, ignorare non poterit, qui ſciat quã fraude, quã verſutia, quã malitia Draco primam noſtram matrem ineſcauerit. Proprio igitur & præcipuo iure Draco dicetur Arg. quem ſi voces Arg-hot vel Arg-heet, ipſum ipſius malitiæ caput deſignas. A qua poſteriore voce Arges fortè deriuatum, Tau in ſigma mutato: quemadmodum

Mercurius ſolo nomine à Sapientia differt.

Homo microcoſmus.

Hercules quid ſignificet.

Herculis & Mercurij cõparatio.

Argephontes dictus Mercurius.

Arges dictus Draco quem Mercurius occidit.

Arges, Argeſtes, Argus vnde dicãtur

modum ab Arg-hoot Argos & Argus, accentu poſterioris ſyllabæ neglecto: tametſi in Arg per ſe citra adiectionem ſatis ſit ſignificationis expreſſum, ſatiſque cauſſæ vt draco vel Argus vel Arges nuncupetur. Nos Arg-geeſt pro malitioſo ſpiritu diceremus,& Arg-heut vel Arg-hoot pro ipſo malitiæ capite ſiue principe. Poteſt quicquã dici clarius, quicquã efficacius, quicquã conuenientius veritati, quàm ſi Argus is vocetur, qui vt malitiæ omnis princeps eſt, ita ea ipſa genus perdidit humanũ,& in tenebras deiecit ſẽpiternas? Significãtius certè Argus nuncupabitur, quàm Grĕco nomine diabolus à calumniando & criminando, eo quòd malitia calumniæ mater eſſe videatur;& longiùs illa, quàm hæc fimbrias ſuas extendat. Argephontes ergo Mercurius dictus eſt, eo quòd dracone omnis malitiæ in cælis & in terris auctorem occiderit: cuius victoriæ ſignum in caduceo gerere cernitur: ita ſemper priſca Orphicorum vocabula cum ſymbolicis ſtatuis conſentiunt,& ad vnguem concordant,& mutuas ad ſignificationis interpretationem operas tradunt. D. Paulus Argi nomen inſigniter expreſſit, dum ad Epheſios inter alia & hoc ſcripſit: *De cætero confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius: induite omnia arma Dei, vt poſſitis ſtare contra verſutias diaboli.* Audin' hic Argum, dum verſutias audis? Audis profectò, ſi Cimbricam linguam intelligis. Quando igitur hunc Argum occidit Mercurius? Primùm dum eum olympo deturbauit, pòſt cùm ſe Verbum Dei in mulieris corpore incarnatum in cruce obtulit: & vt tum ſemel caput eius conculcauit atque contriuit, iuxta illud Sibyllinum:

Argus à Mercurio occiſus.

Occidit & ſerpens, & fallax herba veneni.

ita quotidie occidit, dum nos Dei virtute confirmati & armis eius muniti, ipſius malitiam ſuperamus,& gladio, id eſt, Dei verbo concidimus. De cæde Argi Ouidius:

Nec mora, falcato nutantem vulnerat enſe,
Qua collo eſt confine caput, ſaxoq; cruentum
Deiicit, & maculat præruptam ſanguine rupem.

Harpe, enſis Mercurij.

Harpen falcatum enſem vocat; quem Mercurio propterea tributum arbitror, quòd verbum Dei acutiſſimum ſit, non ſolùm Diabolo reſiſtens, ſed omnes quoq. verſutias eius exſcindens. In Apocalypſi audiuimus: *Mitte falcem tuam acutiſſimam & mete vineam tuam.* Quemadmodum igitur gladius, quo Deus in puniendis impiis vtitur, propter ſummum acumen falx vocatur, ita & Mercurij enſis falcatus fingitur, quo Argen cælo eiecit. Hac harpe Meduſæ caput deciſum: quod ex alia fabula allegorica ad draconis quoque caput ſerpentibus cinctum eſt referendum. Macrobius & alij item Argum cælum interpretantur, vnde Ouidius Argum ſtellatum fortaſſe dixit. Is, inquit Macrobius, ambitus cæli ſtellarum luminibus ornatus tunc exiſtimatur enectus à Mercurio, cùm ſol diurno tempore obſeruãdo ſidera veluti enecat, vi luminis ſui conſpectum eorum auferendo mortalibus. Lepidum profectò commentum, ſi Mercurio placet. Quaſi verò Sol cælo octauo lumen ſuum auferat, cùm ſtellæ à nobis non videntur. Quid hoc ad Mercurium, quid ad Verbum, quid ad Sapientiam, quibus dicitur præſidere? quid ad Iunonem? quid ad odium inter Iunonem & Io? Scio fabulas priſcas maiorẽ in modum eſſe corruptas craſſa poſteriorum poëtarum ignorantia, & ideo non ſemper optimè ad primam ſignificationem quadrare. Deus ſponſus dicitur ſuæ eccleſiæ, & huic legitimo matrimonio coniungi: quia in re D. Paulus magnũ cõiugij cõſtituit ſacramẽtum. Cùm igitur Deus prius angelos creaſſet,& eis ſeſe cõmunicaſſet; viſus eſt prius ſeſe Iunoni iũxiſſe,& habuiſſe eã vxorem. Iuno enim Jun-hoot dicitur, id eſt, fauoris caput. Qui titulus non malè conuenit in eũ creaturarũ ordinẽ, qui primus diuinæ bonitatis ſenſit fauorẽ. Nec alia cauſſa Lucifer dictus eſt, eo quòd velut aurora quædã reliquæ creationis diem prĕuerterit. Hĕc Iuno ob ſuperbiam & inuidiam cælo eſt deiecta & prorſus repudiata; in cuius locũ anima humana maſſæ corporeæ eſt inſpirata, & in coniugẽ delecta. Huic Iuno repudiata inuidens, technis ſuis fecit vt in vaccam ſiue pecudẽ mutaretur; iuxta illũ diuini vatis cantum: *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Idem alibi dicit, ſe velut iumentum factum eſſe apud Deum. In ipſo etiam Abecedario fatemur nos pecudes eſſe. Anima igitur hominis in vaccam mutata, à Iunone tradita eſt Argo, id eſt, ipſi malitiæ diabolorum, qui infinitis oculis perpetuò eam obſeruent,& ſemper ei inſidientur, ne Deus cum ea in gratiam queat redire. Legimus Satanam totam terram circumire,& diligenter omnia emiſſitiis oculis

Iunonis etymon, & eius fabula allegoricè interpretata.

Argi fabula allegoricè interpretata.

oculis obſeruare, ne quid boni ab hominibus fieri poſſit. Hic Argus nunquam dormit, multa millia oculorum habet, vbique adeſt, omnia ſcrutatur. Ad eum igitur occidendum miſſus eſt Mercurius, ſic vſurus ingenio ſuo, vt verſutiſſimum hoſtem veluti veterno preſſum antè occidat, quàm harpen cernat vibratam. Eſt autem anima dicta Io, propterea quòd ad voluptatem creata, & in horto voluptatis eſſet conſtituta. qua de voce mox plura. Qui ergo Sibyllæ hunc præcinuit verſiculum, *Occidit & ſerpens, & fallax herba veneni*; is etiam priſco huius fabulæ textori ſuggeſſit nomen ipſius Argi, quem & Iuno princeps huius regni mundani ipſi Io cuſtodiendæ præfecit, & Mercurius falce ſua interemit. de qua victoria dictus eſt Argephontes. Perius Pauſaniam, in lexico ſcribentem, Argephontem dictum eſſe quòd ſerpentem occiderit, qui ἀργὴς vocaretur, deridet velut nugas agentem; eo quòd non adſcripſiſſet quomodo & quando hunc mactaſſet draconem. Nos contrà non poſſumus ſatis admirari inſignem hanc ſententiam, de qua ſola quis Arges fuerit apertiſſimo colligitur argumento, modò Cimmerius ſermo conſulatur. Ex his nunc & illud perſpicuum fit, quare Hermes dictus ſit ἀγώνιος & ἐναγώνιος. Magnum enim, immo maximum agonem Mercurius ſubiuit, atque ex eo victor diſceſſit, cùm agnus draconi eſſet obiectus. Hinc item Mercurius Promachus dictus eſt, eo quòd generis humani fuerit propugnator. Quanta ter maxime & ter optime Mercuri huius epitheti vis eſt & claritas! An quiſquam eſt alius qui pugnet pro nobis quàm tu fortiſſime Promache? equidem neſcio quid verius de protectore noſtro cuius armis tuti ſumus, & ſub cuius clypeo latitamus, dicere poſſemus. Quamuis verò huius nominis ratio tam perſpicua eſt omnibus Chriſtianis, nihil vt opus ſit locis ad eam probandam è ſacro codice adductis; illud tamen quod iam nunc addam, nihilo minus habet cum religione noſtra congruentiæ, quàm vt paulo latius & liberiùs ob oculos ponam, nouum libellum exordiar, quo Daphnim vnà cum Marone altiora canente, quàm intellexerit, celebrem; ac deinde reliqua Dei nomina à Cæſare Gallis adſcripta declarem. Veteres illi Orphicorum diſcipuli Mercurium etiam Nomium vocauerunt, eo quòd paſtorum Deus haberetur. Paſtoris certè formam ſibi ſumſit, cùm Argo cædem pararet. Iam cùm Criophorus vocatur, & in eius feſto is qui *Mercurij epithetorum interpretatio.* formæ præſtantiſſimæ eſt, agnum humeris portaſſe narratur; videor mihi audire parabolam de vna oue ex centum perdita, & humeris, poſtquam inuenta eſſet, domum relata. Quid ſibi vult μηλοσσόος cognomen, ſeruatorem ouium ſignificans? An non clariſſimè demonſtrat, Mercurium eum eſſe, qui ſolus magnus paſtor ſit ouium, ſanguine ſuo eas è faucibus lupi eripiens? Si hæc non clara ſunt & luculenta indicia ſub Mercurij fabula Chriſtum tectum latuiſſe; neſcio quid clarum queat aut dici aut haberi. Quid? quòd & Bucolicon carmen ei conſecratum legimus? Iam Daphnin formoſiſſimum puerum, & eum quidem paſtorem ouium Mercurij filium fuiſſe ſcribunt, qui patri ſuo primus Bucolicon carmen fuerit modulatus. Hunc Virgilius magno totius *Daphnis, Chriſtus.* mundi mærore mortem oppetiuiſſe cantat; & maxima rurſus omnium lætitia in cælum adſcendiſſe, vnde omnibus paſtoribus perpetuò dexter affulgeat. Non dubito, quin hanc apotheoſin ex arcanis Sibyllæ Cumanæ libris ſuppilarit, ex qua cùm ea quæ ad Chriſti natiuitatem pertinerent, in priorem eclogam tranſtuliſſet; ſequenti mortem Chriſti & eius apotheoſin, neſcius quid ageret, deſcripſit; quod vtramque conferenti clariſſimè liquebit. Neque enim dubito, quin æquè ea de Sibyllæ foliis cognorit quæ ad mortem Chriſti & eius reſurrectionem pertinerẽt, atq. illa quæ priore ecloga complexus eſt. Priorem Euſebius Græcam fecit, & cõmentariis ſuis Chriſto accõmodauit: cui ſi ſuboleuiſſet ſequẽtem quoque ad Chriſtum pertinere, nihil dubij eſt, quin & eam Græcis verſibus Conſtantino Magno legendam obtuliſſet. Equidẽ cùm diligentiſſimè quæſiuiſſem ecquis ante me hunc theſaurum indicaſſet, tandem contra omnẽ meam exſpectationẽ incido in Ludouici Viuis annotationes; cui cùm hác ſententiã, quã meam ſolius eſſe arbitrabar, placuiſſe cernerẽ, maiorem in modũ ſum gauiſus de grauiſſimi viri ſuffragio: quod licet nuſquam extitiſſet; ego tamen nunquam ab opinione mea diuelli potuiſſem, in quã diuina Mercurij manu me deductũ exiſtimabam. Videbam enim neminì vnquã mortalium ea aut conuenire aut affingi probabiliter potuiſſe quę Maro ſuo Daphnidi adſcripſit, quàm vni Chriſto vero Criophoro, & vero ouiũ ſuarum ſeruatori; id eſt, μηλοσσόῳ. Cur verò Chriſtus Daphnis à Sibylla fuerit vocatus, clarum ei fuerit,

qui ſcit Imperatores triumphantes laurea coronari ſolere. Quis enim tantus vnquam fuit triumphus, vt Chriſti triumpho de dracone in capitolium cæleſte acto comparari poſſit? Nullus profectò. Meritò itaque vel Græcis Daphnis vel Latinis Laurea dicetur. Quod autem poëtæ Mercurij filium finxerint, poſſet id quidem hoc modo ad veritatem applicari, ſi Mercurij nomen Deo patri demus, vti verè dare poſſumus; quia nimirum is totius conſiderationis diuinæ ſupremum culmen eſt: Chriſtus enim patris filius eſt ab æterno. Rurſus idem ſic intelligi queat: Daphnidem vti hominem è virgine natum filium eſſe Mercurij, eo modo vt Mercurij nomen Spiritui ſancto applicetur, quod minimè abſurdum eſt, eo quòd toti conueniat diuinitati. Daphnidis ergo nomen ad hominem, Mercurij ad Deum in hac veterum genealogia refertur, cùm interim idem Chriſtus ſiue Daphnis ſit Deus & homo; & vt homo quidem mortuus eſt, vt Deus verò reſurrexit & ad cælum adſcendit humanam ſuam naturam ab omni mortalitate liberam cælo inferens. Quod igitur Daphnidi adſcribitur omnium paſtorum Deo, id Mercurio quoque conuenit; quoniam Verbum, id eſt, Hermes ſiue Mercurius logios carnem aſſumſit humanam. Quo autem res tota clarius intelligatur, Virgilij verſus adſcribam, & quàm potero breuiſſimè explicabo:

Virgilij verſus de mortuo Daphnide, Chriſto attributi.

Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim
Flebant; vos coryli teſtes & flumina Nymphis,
Cùm complexa ſui corpus miſerabile nati,
Atque Deos atque aſtra vocat crudelia mater.

Videor mihi Chriſtum cùm à cruce refixus eſſet, in matris gremio iacentem videre, atq. mulierum adſtātium audire ploratum, quibus cum vnà tota natura ingemiſcebat. Quæ deinde ſubdit, ad horribilem illum elementorum & ipſius Solis luctum in Euangelio nobis depictum pertinent, quem poëta Bucolico ritui accommodauit:

Non vlli paſtos illis egere diebus
Frigida Daphni boues ad flumina; nulla neque amnem
Libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

Neque enim homines ſolos, ſed ipſas etiam pecudes ad repentinas illas tenebras quibus Sol contra omnem aſtronomiæ rationem lumen ſuum terris abſtulit, obſtupuiſſe credendum: nec rurſus cicures modò beſtias, ſed feras etiam attonitas conſtitiſſe, vt ſequentes duo verſus oſtendunt:

Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuiſſe leones
Interitum, monteſq; feri ſiluæq; loquuntur. Addit deinde:
Daphnis & Armenias curru ſubiungere tigres
Inſtituit: Daphnis thiaſos inducere Baccho,
Et foliis lentas intexere mollibus haſtas.

Liber pater, Chriſtus.

Referuntur hæc ad Liberum patrem, qui in arca triumphum duxit de Gigantibus, in qua cùm ferarum omne genus, tum ſæuiſſimas etiam habuit, quas Tigridum nomine deſignat. Quemadmodum autem Nochus de Gigantibus triumphauit in arca ex India ad Paropaniſum deuectus, & ſuos in Mero monte, ſuaui vitis inuentæ liquore lætos, Deo feſtos dies celebrare fecit; ita Chriſtus in ara crucis de omnibus cacodæmonibus veris Gigantibus triumphauit, & triumpho peracto, ſuos non calore vini, ſed flamis Spiritus ſancti inebriauit, & veros thiaſos ſaltare fecit; non pedibus, ſed mente diuino furore æſtuante & exſultante. Hinc Liberalia inſtituta, quibus gratiæ ab omnibus Deo agerentur, quòd Libero patri conceſſiſſet, vt genus mortalium ſemine ſuo conſeruaret. Vnde poſt Chriſtum mortuum multo magis Liberalia celebranda, propter regenerationem quam mors Chriſti nobis peperit. Vt enim Nochus vitæ corporalis pater fuit mundo; ita Chriſtus vitæ ſpiritalis, duraturæ non ſicut illa ad aliquot annos, ſed duraturæ in æternum. Illius ergo Liberalia in Mero primùm vino & thiaſis celebrata, typum dumtaxat geſſerunt Liberaliorum, quibus toti generi humano Chriſtus verus Liber, id eſt, populorum genitor & procreator, ſanguine ſuo vitam contulit ſempiternam. Hic autē dies in Martio celebrabatur, eo quòd ad illud tempus Chriſtus eſſet hāc regeneratione abſoluturus: & quia crudeliſſimo agone ad eam eſſet peruenturus, dictus eſt à Pontificibus dies hic Agoniū Martiale, quod ex Maſurij ſecundo Faſtorum libro conſtat. Videtur igitur Sibylla Bacchici huius triumphi meminiſſe, quò oſtenderet

Nochus figura Chriſti. *Liberalia feſta.* *Agonium Martiale.*

quorſum

quorſum apud Cimmerios Liberalia ſpectarent; & quo tempore Daphnis moriturus eſſet, paſtor omnium paſtorum; qui non curam modò diligentem & cuſtodiam, ſed vitam etiam ſuam ouibus impendit. Macrobius hunc Maſurij locum adduxit, quo doceret non Liberaliorum ſolùm in genitiuo dici, ſed Liberalium etiam exigua hac ſua & leui occaſione maximum mihi largitus beneficium; de quo quantum ceperim voluptatis, ipſe mihi Mercurius teſtis eſt. Hoc igitur illud eſt Agonium omnium certaminum maximum, quod quia Chriſtus in Martio certauit, Martiale dictum eſt, diuino haud dubiè inſtinctu. Cùm igitur Liberaliorum feſtum Agonium ſit vocatum Martiale, multo antè quàm Chriſtus vel naſceretur vel mortem ſubiret, equidem aſſerere minimè vererer, menſem hunc vocatum fuiſſe Martium, propterea quòd in eo Chriſtus cum dracone prœliú illud eſſet initurus; quod à priſcis omnibus maximo deſiderio fuit exſpectatum, & ab eis qui pòſt ſecuti ſunt, memoria celebrandum eſt ſempiterna. Mart idem nobis eſt quod in minimas partes vi magna cõfringo: hinc Martel pro malleo ferreo hactenus in vſu, vnde Gallorum *Marteau*. Hinc etiam Marter pro tormentis ſæuiſſimis; vt cùm dicimus Gods marter pro tormentis Dei. Et Mars apud Latinos pro Deo omnia confringente; qui ne filio quidem ſuo pepercit, vt ſcelus humanum expiaretur. Deus enim tormentis iniquos caſtigans, Mars vocatur. Menſis igitur in quem eſſent tormenta illa caſura, quibus iuſtitiæ & Nemeſi diuinæ, agnus Dei toto corpore laceratus ſatisfacturus eſſet; atque malleis etiam, quos Martellos Cimbri dicunt, cruci affigendus, conuenientiſſime Martius fuit dictus, & Marti diuino ſcelerum vltori bellorumque præſidi conſecratus. O Martem horribilem, qui agnum commiſit draconi innocentiſſimum & mitiſſimum ſceleratiſſimo & truculentiſſimo! O rurſus felicem Martem, & omnibus ſeculis grata memoria recolendum, quo ille humani ſanguinis ſitientiſſimus hoſtis eſt clariſſima victoria victus & in triumphum actus! Quis vos docuit Pontifices, hunc diem duobus nominibus nuncupandum fuiſſe; altero Agonium Martiale, altero Liberalia? Quis tam diuinus vates contigit Romanis, turpi idolomania inſanientibus, vt hunc diem præuideret, atque aptiſſimis veritati nominibus inſigniret? Neque enim vos Abrahæ poſteri, neque ab Ægyptica ſeruitute ad hoc anni tempus olim liberati fuiſtis. Nullus maioribus veſtris Moſes præcepit, vt hunc diem ſollemni ritu quotannis celebraretis. Nulla vobis notitia illius miraculi, quo Deus Iudæos illæſos tranſiens, primogenitos Ægyptiorú ad vnum omnes vna nocte mactauit. Nec eſt omnino vllus inter veſtros ſcriptores, qui cauſſam aliquam probabilem huius feſti diei & gemini eius nominis aſſignarit. Seruius enim longiſsimè aberrat, dum Liberi Dei ſacra à C. Iulio Cæſare ex Armenia Romam primùm illata dicit. Signa ærea Liberi Liberæque multo antea Romæ fuerunt, multo etiam ante templum amborum. Iam quanta ſit antiquitas Liberaliorum, ex eo cernas, quòd hic dies ſollemnis eſſet togæ accipiēdæ, ritu multis antè ſeculis quàm Cæſar natus eſſet vſitato. Nónne ante Iulium vixit Næuius? At hic dixit: Libera lingua loquemur ludis Liberalibus. Quamobrem & nos libera lingua dicimus Seruium hoc loco inſigniter cæcutiiſſe atque ceſpitaſſe. Quòd ſi vel minimum Cæſari in Liberaliorum feſto Naſo aſſentari potuiſſet, nulla ratione hanc omiſiſſet tam inſignem occaſionem, cùm cæteroqui diligentiſſimus ſit vbique Cæſaris buccinator; & hic potuerit facillimè, immo debuerit maximè eius rei, ſi qua fuiſſet, facere mentionem, propterea quòd Liberaliorum commemoratio laudes Cæſaris & Auguſti nullo medio ſequeretur. Caium enim in Diuorum numerum Idibus Martiis à Veſta relatum eſſe cùm ceciniſſet, mox ſubdit:

Tertia poſt Idus lux eſt celeberrima Baccho.

Reiecto igitur hoc commento, accuratiùs repetamus quæ ſint Liberalia, & vnde dicta. Liber geminam nominis ſui cauſſam habet; alteram à procreando populo, quam & modò expoſui, & latiùs ex Varrone & Auguſtino Indoſcythica mea declarant, & præterea patris cognomen, perpetuò ferè addi conſuetum, luce clariùs oſtendit: quoniam nimirum Liber nihil aliud ſit, quàm pater populorum. Alteram, quæ ex altera pendet etymologia, quæque fecit, vt Latini Liberum dicerent, qui ſui iuris eſt, nulla alterius ſeruitute preſſus. Sicut enim Lie per diphthongum vel I longum tenuius, populi ſunt; ita Li per I longum craſsius, quod nos gemina figura ferè ſcribimus Lii, idem eſt quod affligor & afflictio. Hinc Lii-wer, idem eſt quod defendo ab afflictione: & quia Latini

Martius menſis vnde dictus.

Mart. Martel. *Marteau.* Marter.

Mars dictus.

Liber vnde dictus.

duplici digamma carent, pro eo B ſubſtitutum eſt, atque ex Lit-wer Liber factum: quo de ratione compoſitionis is notatur, qui defendit aduerſus afflictionem, ſiue qui facit ne quid mali patiamur. Hinc factum vt cortex quoque liber vocetur, tametſi in ea *Liber pater, Nochus, & Chriſtus.* voce accentus ſit immutatus. Nochus ergo vtraque ratione Liber eſt; & quia pater omnium populorum, & quia familiam ſuam defenderit atque ſeruarit ab afflictione ea qua nulla vnquam mortalibus accidit maior. Egregius ergo Nochus typus Chriſti eſt, propterea quòd Chriſto tanquam ideæ ſiue primo exemplari conueniat, vt & pater dicatur vniuerſorum, & ſit etiam verus & vnicus malorum depulſor. Creauit ille tres filios, à quibus omnes nationes exordia duxerunt: at hic creauit totam rerum vniuerſitatem. Ille ſuos ab vndis cataclyſmi liberauit: at hic totum humanum genus liberauit ab infernalibus & tartareis abyſſis. Liberalium ergo feſtus dies ad Nochum ceu figuram, ad Chriſtum tanquam verum Liberum pertinebit. Quia verò hæc tantorum depulſio malorum per maximum obtigit certamen, cui nullum eſt comparandum, nedum æquandum; bene admodum & perquam conuenienter factum eſt, vt idem dies Agonium, & totus menſis à tam inſigni nota Martius vocaretur. Nochum autem Bacchum à Cimmeriis dictum fuiſſe, & Liberum patrem, licet Indoſcythica mea non ſatis copiosè docuiſſent, poſſem tamen probabili id collectione ex hoc Ouidij loco concludere. Cauſſam enim inquirens, cur Liberalibus anus Libero liba offerat, ſic canit:

Ante tuos ortus aræ ſine honore fuerunt
Liber, & in gelidis herba reperta focis.
Te memorant Gange totoq́ Oriente ſubacto,
Primitias magno ſuppoſuiſſe Ioui.
Ouidij verſus de ludis Liberalibus, Noacho applicati. *Cinnama tu primus captiuaq́ thura dediſti,*
Deq́ triumphato viſcera toſta boue.

Audimus hîc Liberum ex India triumphum duxiſſe, audimus eum magnificum Ioui ſacrificium obtuliſſe ex eorum primitiis quæ ex India portarat: audiamus nūc Moſem de Noacho arcam egreſſo loquentem: *Aedificauit autem Noe altare Ioua, & tollens de cunctis pecoribus & volatilibus mundis, obtulit holocauſtum ſuper altare. Odoratúſque eſt Ioua odorem ſuauitatis.* Hic in ſacris litteris videmus primum poſt cataclyſmum fuiſſe Nochū, qui aras exſtruxerit, & nouo igne calefecerit, atq. Deum placarit: illic audiuimus Baccho eandem laudem attributam: qua de conuenientia facilè cernas, Liberum & Nochum eiuſdem viri nomen fuiſſe. Addit Ouidius:

Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen,
Libaq́, quòd ſanctis par datur inde focis.
Liba Deo fiunt, ſuccis quia dulcibus idem
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

Mitto cætera, quibus fabellam de mellis inuentione deſcribit; in his illud obiter notabo, Libamina & Liba nequaquam dici à Libero patre, tametſi id crediderint Latini; ſed à Lieb-bont, quo amoris vinculum denotatur, propterea nimirū, quòd ſacrificiis amore *Libo, Libum, Libamen, Libona, & Libanum vnde dicantur.* Deo nos alligemus atque deuinciamus. Eò enim omnis ſacrificij ratio ſpectat; vt Dei amorē erga nos excitemus, & ei amore deuinciamur. Is igitur propriè libare dicitur, qui ad hunc finem liquorem aliquem aut effundit aut deguſtat. Is item Libum dicetur offerre, qui ſuauem panem & mellitum eadem de cauſſa donat. Pulcra itaque alluſio eſt in ea vocis tranſlatione, qua Virgilius vſus eſt dum dixit, *Oſcula libauit natæ*, eo quòd oſculis amoris vinculum connectatur. Quia verò poſtquam libatum eſt, modicè liquorem deguſtabant, Libare etiam ad deguſtationem eiuſmodi tranſiit. Sic idem:

Illos porticibus Rex accipiebat in amplis,
Aulai in medio libabant pocula Bacchi,
Impoſitis auro dapibus paterasq́ tenebant.

Quòd autē ad amorē conciliandū, tum Dei tū hominū libatio maximè referretur, idē poëta declarat, dū Dido inducitur libans Ioui Xenio, quo amicitiā cū Troianis ſanciret:

Hic regina grauem gemmis auroq́ popoſcit,
Impleuitq́ mero pateram, quam Belus & omnes
A Belo ſoliti: tum facta ſilentia tectis.
Iupiter, hoſpitibus nam te dare iura loquuntur,

Hunc

Hunc lætum Tyriisq́; diem Troiaq́; profectis
Eſſe velis, noſtrosq́; huius meminiſſe minores.
Adſis lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno,
Et vos ô cœtum Tyrij celebrate fauentes.
Dixit, & in menſa laticum libauit honorem,
Primaq́; libato ſummo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans: ille impiger hauſit
Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro;
Pòſt alij proceres.

Hîc libandi morem deſcriptum videmus; cuius tanta eſt amplitudo & antiquitas, vt cùm hæc ad Ogygios ſit referenda, tum illa ad omnia ſe rerum inter homines, vel publicè, vel priuatim agendarum auſpicia diſtendat. Neque enim in ſacrificiis tantùm vinum libari ſolet, ſed in omnium rerum principiis & exordiis. In itinere exordiendo, in hoſpitij iure ſanciendo, in lecto adeundo veteres libare conſueuerant, vt Euſtathius annotauit. Quem priſcum laudatiſſimum hominum ritum noſtrates tanta hactenus diligentia obſeruant, vt à maioribus noſtris eum defluxiſſe nihil dubitare debeamus: atque idcirco mirari non oportet, ſi quibus ipſius rei debetur inuentio, iis etiam vocis qua res ipſa denotatur etymologia feratur accepta. Habent Latini verbum Libo, habent Græci, ſed neutris ratio conſtat. Quamobrem ſi Græci veram verbi originem nouiſſe volent, noſtrates, à quorum maioribus conſuetudo manauit, conſulant neceſſe eſt: à quibus mox accipient, amoris vinculum in libandi notatione contineri, cuius gratia omnis libatio, tum apud Græcos, tum apud Latinos, tum maximè apud priſcos Cimmerios fieri conſueuit. Libo itaque à λείβω deductum, & hoc à Lieb-bont, vel, ſi ſimplex verbi notio magis arridet, à Liebe, diphthongo ie in ει mutata, quòd illa Græci non vtantur. Eſt autem Liebe, vt modò ſæpius indicatum, amor: Bont verò ſiue Bant, vinculum. Hinc apud Hebræos thus לְבוֹנָה dictum, quaſi Lie-bont diceretur; propterea quòd eius ſuffitus Dei amori conciliando dedicatus eſſet: qua de voce plura in Vortomno memini dixiſſe. Quòd autem ab albedine thus ſic dici velint, id vanum eſſe eodem loco demonſtraui. Cùm igitur & Libo & Libum & Libona & Libanum eiuſdem ſint cùm originis, tum ſignificationis, ſatis intelligimus omnia omnium veterum ſacrificia ad amorem vt vltimum ſuum ſcopum ſpectaſſe; & hoc vnum in votis fuiſſe, vt Deus miſeros mortales amaret, atque in ipſis amoris vinculum quàm arctiſſimè conſtringeret, quò & omnes Deo, & ipſi ſibiipſis colligarentur. Sic Homerus primo Iliados libro, quò Græcis Apollinis amorem conciliet, ſacrificium inſtituit; & inter alia quibus ſacros ritus deſcribit, libationis hanc fecit mentionem.

Libandi mos.

λείβω.

Liebe.
Bont.
Bant.

Sacrificiorũ veterum ſcopus, amor.

Καῖε δ' ἐπὶ σχίζης ὁ γέρων· ἐπὶ δ' αἴθοπα οἶνον λεῖβε.

Quòd non in ſacris tantùm libare conſueuerint, ſed poſt cœnam etiam cùm dormitum eſſent ituri, Homerus declarat tertio Odyſſeas libro:

Τοῖσι δὲ καὶ μετέειπε θεὰ γλαυκῶπις ἀθήνη,
Ω γέρον, ἤτοι ταῦτα κατὰ μοῖραν κατέλεξας.
Αλλ' ἄγε τάμνετε μὲν γλώσσας, κεράασθε δὲ οἶνον,
Οφρα ποσειδάωνι καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισι
Σπείσαντες, κοίτοιο μεδώμεθα, τοῖο γὰρ ὥρη.

Hæc ille. & in eandem ſententiam plura, quibus morem deſcribit noſtris Germanis hactenus ſollemnem; qui menſis remotis, Slaep dronc, id eſt, ſomni potationem celebrant. Linguas autem hoſtiarum ad hoc tempus veteres ſeruarunt, vt eas tum demum adolerent, cùm noctis ſilentium inſtaret; monentes, tum ne quis eorum quæ liberiùs dicta eſſent, recordaretur, tum ne ſomnũ linguis non fauétibus interrumperent. Videmus vt antiquiſſimi ritus apud eos maximè hactenus vigeant, apud quos vetuſtiſſimi ſermonis vſus remanſit; & quàm egregia ſit conuenientia ipſius Liebe & λείβω, id eſt, amoris & libationis ad amorem relatæ. Hinc etiamnum hodie, dum quoſpiam volumus ſignificare ad compotationem incaluiſſe, dicimus, Zy crygen malcanderen lieb, id eſt, incipiunt inter ſe amare. Hinc non minus apud Scythas olim, quàm hodierno tempore apud nos ſollemne, omnem amicitiam poculo ſancire; quod propriè poſſumus Libationis nomine vocare. qua de re Lucianus in Toxari ſatis copioſè. Nos ad

Slaep-dronck, libatio.

Hoſtiarum linguas nocte adolere ſolent veteres.

Iani ductus, & Gertrudis amor, penè precandi formula itineri accinctis.

iter accinctis Iani ductum & Gertrudis amorem præbibere ſolemus; eo quòd Iani nomen euntibus præit, Gertrudis eam notet Deam, quæ fidam ſe præbet deſideriis noſtris, adſpirans nimirum optatum ſucceſſum rebus cupitis. Vinum autem maxime ad hunc libandi vſum ſolet adhiberi, propter diuinum ipſius calorem; in cuius defectu alia ſuccedunt. Sic Homerus:

> Οὐ εἶχον μέθυ λεῖψαι ἐπ' αἰθομένοις ἱερεῖσιν,
> Ἀλλ' ὕδατι σπένδοντες ἐπώπτων ἔγκατα πάντα.

Hìc cernas λείβω & σπένδω eiuſdem eſſe ſignificationis: & σπένδω quidem ſic etymologiarum ſcriptor interpretatur, vt dicat eo denotari, ſacrificiis Deo & hominibus conciliari & amore deuinciri, aiens à σπείω σπένδω fieri, nulla addita notationis ratione. Nobis So-peis do, idē eſt quod facio ad pacē, è quo conciſum σπείδω; quæ verbi radix Euſtachio placet. Cùm igitur facimus ad pacē conciliandam, propriè dicemur σπείδειν; vnde Crentenſium dialecto σπένδειν deriuatur. Quæ itaque pacis eſt & amoris mutui conuenientia, ea eſt horum cognatio verborum; quorum alterum ab amore colligando, alterum à pace procuranda originem ducit. Illud tamen minimè hìc omittendum, huius verbi geminam etymologiam nobis offerri; alteram quam modò dixi, alteram quam futurum σπείσειν, vel, antiqua Aeolum dialecto, σπείσεν nobis indicat. Eſt enim Spijſen per I longum, idem quod cibum dare: quod quàm conueniat cum ſacrificio in quo Chriſti caro oblata eſt, nemo eorum ignorare poteſt, qui ſciunt à Chriſto dictum eſſe: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.* Et: *Caro mea verè cibus eſt.* Iterum: *Niſi quis manducauerit meam carnem.* Rurſus: *Hic eſt panis qui de cælo deſcendit.* Quid multis? Hic ſolus verus cibus eſt animorum; ad quem cibum omnium ſacrificiorum carnes referebantur; ita vt mirum non ſit, verbum σπεῖται à cibo ductum fuiſſe, tametſi ad libationem notandam non intelligentium vitio tranſiuerit. Quòd ſi luberet hic argutiùs philoſophari, dicerem verbum Spis pro cibo, duci à So-peis, quod ſignificat ad pacem; vel Si peis, id eſt, ſit pax; adeò vt nullus cibus verè Spis dici queat, niſi ad pacem referatur. Qua conſideratione fit, vt quoties cibum capimus, eius oporteat in mentem venire, fruſtra nos capere corporis alimentum, niſi cæleſti quoque pane veſcamur, quo ſolo inter Deum & hominem pax æterna conciliatur. Vide quàm manca ſit vetuſtorum tum rituum, tum vocabulorum cognitio, niſi ſibi à Cimmeriis adiumenta adſciſcat: quamque rurſus omnia clara ſint antiquitatis monumenta, ſi noſtræ linguæ præſidiis iuuentur. Et hæc quidem obiter de libandi tum fine tum notione. Redeundum nunc ad Liberum patrem, gemina ratione, vt dixi, hoc nomen ſortitum; quarum poſterior quæ à laboribus, moleſtiis, pœniſque profligandis ducitur, ad Liberaliorum feſtiuitatem maximè ſpectat, eo quòd ſicut Nochus mortale genus à diluuio defendit, ita Chriſtus verus Liber, omnes homines è fœdo peccatorū barathro eripuerit atque ſeruarit. Quò verò poſteritas magis recordaretur huius libertatis, qua per Agonium Martiale donandi eſſent mortales; inſtituerunt primi illi Romanorum maiores Cimmerij, vt Liberaliorum die toga virilis ſumeretur, qua fieret vt deinde à ferulis & virgis & pædagogicis legibus iuuentus liberaretur. Lex autem pædagogica eſt lex vetus, ita vt hæc optimè ſignificaretur per pædagogicam educationem. *Lex enim*, vt D. Paulus inquit, *pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificaremur: At vbi venit fides, iam non ſub pædagogo ſumus.* Chriſtus igitur morte ſua nos eripuit è pædagogica legis veteris ſeruitute, & nos iuſtitiæ ſuæ toga indutos, filios ſuos conſtituit. *Quicumque enim*, inquit Apoſtolus, *in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Et alibi idem monuit: *Induite vos Dominum Ieſum Chriſtum.* Mirificum profectò ſymbolum fuit in hoc ritu Romanorum, quo in Liberalibus toga dabatur, quia eſſet veſtis genus quod & totū corpus tegeret, & hoc ipſo ſuo vſu oſtenderet, quàm rectè à tegendo vocaretur. Tale nimirum Chriſtus indumentum eſt, vt nos totos tegat & protegat ab omnibus aduerſitatibus. quod tum demum mortalium generi datum eſt, cùm Chriſtus in cruce ſanguinem ſuū effunderet, atque morte ſua nos ab æterna morte liberaret. Non poſſum ſatis admirari hanc tantam ſignorum & rerum ſignatarum concordiam; quam, qui caſui tribuet, cum eo mihi non magis diſputandum puto, quàm cum Marpeſia caute. Videmus conſenſum omnium, & inter tot ſignificantiſſimas eiuſdem rei teſſeras diuino inſtinctu à priſcis Cimmeriis conſtitutas,

Σπένδειν vnde deriuetur.

Spijſen.

Caro Chriſti verus eſt cibus animorum.

Spijs.

Liberaliorū die togam virilem ſumere ſolent Romani iuuenes.

Lex pædagogus noſter.

Toga virilis Romanorum, & toga libertatis Chriſtianorum.

ſtitutas, ipſum adeò tempus reſpondere, vt ad amuſſim conueniat cum eo die, quo Chriſtus verus Liber vera nobis adduxit Liberalia, & nos de Apoſtoli doctrina toga induit libertatis, qua non ſolùm è pædagogicis legibus & cærimoniis, ſed è mortis æternæ ſeruitute vindiciæ darentur. Siue enim decimum quartum menſis Niſan dicas, ſiue decimum ſextum Calend. Apriles, eòdem calculus euadit, ſi Lunares quidem menſes, pro eo ac debes, computes. Cùm enim ſinguli menſes dies habeant viginti nouem & dimidiatum, decimus quartus à nouilunio erit decimus ſextus Calendarum ſequentis menſis; cuius diei prior pars menſem præcedentem finit, poſterior pars ſequentem exorditur: vnde fit vt meritò primus dies Aprilis, finis dicatur menſis Martij. Id autem genus menſes in vſu Cimmeriis fuiſſe ipſum nomen menſis declarat, quod à Maen, id eſt, luna, Maent vocatur. Et quia finis menſis prioris & principium ſecundi in eundem caderent diem, voluerunt vt is Calend vocaretur, id eſt, pulcer finis, vel finis cui nihil ſuperſit; quia nimirum menſem præcedentem finiiſſet. qua de voce in Hermathena. Decimus ſextus igitur Calendas Apriles, decimus quartus fuit menſis Niſan; qui quotannis à Moſe celebrari iubetur, ad memoriam benignitatis diuinæ, qua populum Iſraëliticum ex Ægyptiaca ſeruitute liberauit. Habuit autem ea liberatio figuram liberationis, qua nos Chriſtus erat à peccati ſeruitute liberaturus: atque idcirco apud Cimbros antè celebratus, quàm Iudæi eum colendum eſſe didiciſſent; propterea videlicet quòd Ianus antè faſtos ſuos in Italia tradidiſſet, quàm Iſraël ita ex Ægypto commigraſſet. Ianus ergo cui anni menſiumque Romanorum diſtributionem acceptam ferri debere Cronia noſtra docuerunt, & Iudaicarum legum lator in prænotanda hac die, qua ſalus generis humani erat exſpectanda ad vnguem concordarunt, inſigni nobis documento, Deum apud Iapeti quoque poſtero aſſumendæ à ſe carnis liberandique generis humani oracula reliquiſſe, tametſi hactenus à nemine fuerint vel intellecta, vel ad veram ſignificationem relata. Quemadmodum enim omnia ſacrificia quæ cæſis hoſtiis fieri ſolent, typum geſſerunt vnius hoſtiæ in crucis ara offerendæ; ita libatio omnis, ſanguinis viuifici libationem figura ſua præmonſtrauit: & vt liberatio à ſeruitute Ægyptiaca & iugo Pharaonis, notabat liberationem totius generis humani à peccati & cacodæmonis ſeruitute; ita Liberaliorum dies eiuſdem rei clariſſimam habuit notationem: quæ quò ſe proderet manifeſtiùs, diuinitus fuit inſtitutum, vt eadem die togæ ſumerentur, clariſſimum indicium libertatis, qua mortalium genus à lege pædagogica eximeretur, & ſublato Chriſti tegumento ab omni aduerſitate tuta deliteſceret. Nunc itaque videmus quorſum Liberaliorũ in Daphnidis morte Sibylla fecerit mentionem, quamque egregiè indicatum ſit, figuram triumphi Bacchici tum fuiſſe reapſe completam, cùm Daphnis lauream in cruce meruiſſet. Semper igitur nobis in mentem veniat Agonij Martialis, Liberaliorum, & togæ à Romanis ea die ſumi conſuetæ: & quoties libationis audimus mentionem, de libato ſanguine cogitemus: quoties etiam de Græco verbo σπεῖσαι cogitamus, toties veri cibi, quo ſolo animorum vita confirmatur, recordemur. Nunc igitur Bacchico furore correpti cum Sibylla canamus:

Maent vnde dicatur. *Calendæ vnde vocantur.*

Iſraëlitici populi liberatio ex Aegyptiaca ſeruitute, figura eſt liberationis generis humani à peccati & cacodæmonis ſeruitute.

> *Daphnis & Armenias curru ſubiungere tigres*
> *Inſtituit, Daphnis thyaſos inducere Bacchi*
> *Et foliis lentas intexere mollibus haſtas.*

Verſuum aliquot Virgilij de Daphnide mythologica expoſitio.

Eſt quiſquam mortalium qui ad alterius, quàm Chriſti mortem hæc pertinere demonſtrare poſſit? Certè cùm nihil ſani Seruius inueniret, ignorantiam ſuam manifeſtiſſimo prodidit mendacio, aiens Cæſarem primùm Liberi patris ſacra Romã tranſtuliſſe, & inſtituiſſe Liberalia: quo nullum poſſe luculentius inueniri mendacium, ex iis quæ dixi, cuiuis liquebit. Voluit nimirum diuina prouidentia tam clarum exſtare in carmine Sibyllino mortis Chriſti teſtimonium, vt nulla omnino cuiuſpiam peruerſitate ad alium poſſet detorqueri. Vt enim in Liberaliorum die clariſſimus eſt Seruij lapſus; ita ad Cæſaris mortem nullo modo referri poteſt, quod de matre, miſerabile nati ſui corpus complexa, prius cecinit vates. Iam vt cætera mittam, quî poteſt in hominem bellorum auidiſſimum quadrare illud: *Amat bonus otia Daphnis?* Cæſar enim cùm occideretur, iam in animo agitabat bellum contra Dacos, & inde contra Parthos; tantùm abeſt vt otia amaret. Quid? quod prædixerat

Daphnis verus eſt Chriſtus.

ſi fortè per inſidias occideretur, fore vt reſp. ciuilibus bellis vexaretur? Hæc ſcilicet ſunt amantis otia, hæc pacis indicia, hæc quieti animi ſigna. Verus igitur Daphnis eſt Chriſtus, cuius tam antiqua apud Cimmerios fama, vt non Sibyllino modò carmine fuerit celebratus, ſed Bucolicis etiam carminibus decantatus; & ſic decantatus, vt paſtorum primus & ſupremus haberetur. In primis autem illud apud priſcos iactatum eſt, Daphnidem amore nymphæ cuiuſdam cõtabuiſſe: quod licet Theocritus ad fœdam animi retulerit ægritudinem, ſic tamen eſt de veritatis arcanis interpretandum, vt intelligatur Chriſtus, ſupremus reuera paſtor amore Eccleſiæ, nymphæ ſibi dilectiſſimæ, mortem oppetiuiſſe. Nunc ad reliqua:

Vitis vt arboribus decori eſt, vt vitibus vuæ,
Vt gregibus tauri, ſegetes vt pinguibus aruis;
Tu decus omne tuis.

Reuera ita eſt, Chriſtum totius generis humani vnicum eſſe ornamentum, cùm omnis noſtra virtus tanquam pannus ſit menſtrua ſanie defœdatus; nec vllum nobis ex nobis ipſis decus eſſe poſſit. Quod additur,

——— *Poſtquam te fata tulerunt,*
Ipſa Pales agros, atque ipſe reliquit Apollo,

ad ſolis deliquium ſpectat, quod in morte Chriſti contra naturæ ordinem accidit; quò reliqua etiam, quæ deinde poëta adiecit, referenda: niſi fortè velimus, poſt Chriſti mortem Iudæam prorſus natiua ſua fecunditate orbatam fuiſſe, atque pro vbertate illa ſacris litteris celebrata, triſtem ſterilitatem inductam. cuius hæc ſit deſcriptio:

Grandia ſæpe quibus mandauimus ordea ſulcis,
Infelix lolium, & ſteriles dominantur auenæ.
Pro molli viola, pro purpureo narciſſo,
Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis.

Quæ deinde ſequũtur, rurſus ad lætitiã pertinent, & dies feſtos Daphnidi agendos, ceu mors eius non lugenda ſit, ſed gaudio magno colenda, ſed lucis, ſed heroo decoranda:

Spargite humum foliis, inducite fontibus vmbras
Paſtores; mandat fieri ſibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, & tumulo ſuperaddite carmen:
Daphnis ego in ſiluis, hinc vſque ad ſidera notus,
Formoſi pecoris cuſtos, formoſior ipſe.

Dicit ſe in terris & in cælis eſſe, tum quoniam notiſſimus eſſet patri, qui de eo dixit: *Hic eſt filius meus dilectus, &c.* eodem pertinentia: addit deinde ſe eſſe paſtorem formoſi pecoris; eo quòd animos paſcat & formoſos reddat: & idcirco meritò ſe vocat formoſiorem, quia nimirum ab ipſo vno & ſolo omnis nobis contingit pulchritudo. Atque hæc quidem de morte & ſepultura. quibus mox alter paſtor apotheoſin Daphnidis ſuccinit ad hunc modum:

Candidus inſuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusq́; videt nubes & ſidera Daphnis:
Ergo alacris ſiluas & cætera rura voluptas
Panaq́; paſtoresq́; tenet, Dryadasq́; puellas.
Nec lupus inſidias pecori, nec retia ceruis
Vlla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis.
Ipſi lætitia voces ad ſidera iactant
Intonſi montes, ipſæ iam carmina rupes,
Ipſa ſonant arbuſta: Deus Deus ille Menalca.
Sis bonus ô felixq́; tuis. en quatuor aras,
Ecce duas tibi Daphni, duoq́; altaria Phœbo.

Hîc adſcenſus Chriſti in cælum deſcribitur, cuius limen primum ſupra omnia ſidera collocatur: & quia Deus in igne dicitur habitare & Seraphico ordine ſeptus eſt; à Theologis cælum, cuius hic auguſtum introitum vates deſcribit, empyreum vocatur. Græci ab integerrima & abſolutiſſima ſplendoris perfectione Olympum nominarunt. D. Paulus ſe raptum dicit in tertium cælum. cuius auctoritate moueor, vt tres cælos in ſacris litteris agnoſcam; primum in quo aues cæli commemorantur, aëre &

Cæli tres in ſacra ſcriptura.

igne

igne conſtans, è quo pluuias cadere ſæpius audimus: alterum illud in quo planetæ & cætera ſidera, de quo loquitur ſcriptura diuina, dum dicit ſtellas cæli. Diuerſos enim cælos diuerſis planetis adſcribere, & octauum fixis ſtellis tribuere ſacræ litteræ non videntur. Tertium cælum eſt Empyreum, in quo Deus ſingulari quodam modo dicitur habitare. Vnde orantes dicimus: *Pater noſter qui es in cælis*. atque id quidem præcipuo ſibi iure cælum vocatur. Daphnis igitur vltra primum cælum, in quo nubes ſunt; & ſecundum cælum, in quo ſidera cernuntur, elatus, primus hominum cæli limen intrauit. Inſuetum profectò vocatur, quia nũquam antea ab homine fuerat vel viſum vel calcatum. Ipſe enim primus inſolitum hoc limen aperuit, & eius auguſtam maieſtatem, vti verus homo, miratus eſt nunc homini patere, & mortale corpus ſupra ſidera ad ipſas Empyrei cæli ſiue Olympi fores euolaſſe. Hæc eſt nimirum requies illa quam introiuit pontifex ille ſacerdos factus in æternum, quem D. Paulus ait cælos penetraſſe. Hic limen Olympi primus aperuit, primus intrauit, primus mortalibus ad illud viam muniuit. Hic eſt Sanctus & Verus qui habet clauem Dauid, qui oſtium cæli aperuit, quod nemo alius vel claudere poteſt vel apetire. Hic candidus ille Daphnis, cuius capilli candidi erant velut lana, alba vt nix, & facies eius ſicut Sol lucens; circa quem qui ſedent, amicti ſunt veſtimentis albis. Hic eſt primus & nouiſſimus, qui fuit mortuus & viuit. cuius hæc ſunt verba: *Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere*. Oremus ergo hunc pontificem candidatum, vt nobis concedat limen illud Olympi vnà ſecum intrare, & ex eo ſtellas & nubes pedibus ſubiectas videre; quod non tantùm ſe conceſſurum eſſe pollicetur, ſed vltrò etiam, vt oſtium apertum intremus, inuitat. Placet itaque mihi lectio, quæ limen habet pro oſtio, vtpote ſacræ ſcripturæ prorſus conſentanea, & eandem conſeruans cum religionis noſtræ doctoribus loquendi conſuetudinem: tametſi non ignorem Nicolaum Erythræum ab eorum ſententia non abhorruiſſe, qui pro limine lumẽ ſubſtituerũt. Verùm nec is nec eius magiſtri animaduerterant, Daphnidem hunc noſtrum Chriſtum eſſe, qui primus mortalium inſuetum humanæ naturæ limen calcauit, & omnibus ſuis ouibus aperuit regni cæleſtis ianuam, cuius ipſe ſolus clauem ſe habere dixit. Optimo igitur iure totus hic aſpectabilis mundus de hominis domini ſui felicitate gaudet atque exultat; & de dono incomparabili, quo & ipſe innouatus eſt, Daphnidi gratias agit immortales:

Ergo alacris ſiluas & cætera rura voluptas
Panaq́, paſtoresq́, tenet Dryadasq́, puellas.

Pacem autem & tranquillitatem cæleſtis quietis quam D. Paulus ad Hebræos deſcribit, ad hunc modum Bucolica allegoria depingit Sibylla:

Nec lupus inſidias pecori, nec retia ceruis
Vlla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis.

Subdit deinde totum mundum lætitia geſtientem exclamare, Daphnidem reuera Deum eſſe:

Ipſi lætitia voces ad ſidera iactant
Intonſi montes, ipſæ iam carmina valles,
Ipſa ſonant arbuſta: Deus Deus ille Menalca.
Sis bonus ô felixq́, tuis. en quatuor aras,
Ecce duas tibi Daphni, duoq́, altaria Phœbo.

Dauid loquens de liberalibus menſis Niſan. *Montes*, inquit, *exultauerunt vt arietes, & colles ſicut agni ouium*. Et rurſus: *Montes exultaſtis vt arietes, & colles ſicut agni ouium. A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob. Qui conuertit petrã in ſtagna aquarũ, & rupes in fontes aquarũ*. Idem alibi: *Iubilate Deo omnis terra, pſalmũ dicite nomini eius, date gloriam laudi eius*. Et iterum: *Omnis terra adoret te & pſallat tibi; pſalmum dicat nomini tuo. Venite & videte opera Dei terribilis in cõſiliis ſuper filios hominũ. Qui cõuertit mare in aridam; in flumine pertranſibũt pede, ibi lætabimur in ipſo*. Quòd ſi hæc & ſimilia quãplurima in ſacris litteris canãtur de liberatione ea qua Deus populũ ſuũ eduxit ex Ægypto, quibus modis vera Liberalia celebrãda? Quod autẽ dicitur, *Deus Deus ille Menalca*, mirificè cõuenit cũ illo quod eſt in Euãgelio: *Cẽturio autẽ*, inquit Matthæus, *et qui cũ eo erãt cuſtodiẽtes Ieſum, viſo terræmotu & his quæ fiebãt, timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iſte*. A quibus ergo hi didicerũt hũc Dei filiũ fuiſſe, an nõ ex ipſis mõtibus tremen-

tremẽtibus,& rupibus ſciſſis,& terra dehiſcente? Sanè ex his ipſis. Quamobrem rectiſ-
ſimè cecinit Sibylla,ipſos montes & rupes & ſiluas cantaturas Daphnidem Deum eſſe.
Porrò quod Sibylla addidit quatuor aras erigendas, id ſic intelligi poteſt, vt tres Deo
trino & vni,quarta Deo vt homini dedicetur. quo ſimile ſit illi allegorico veterum fig-
mento, quo dicunt Herculem imparem Deorum numerum æquaſſe. Verùm videtur
Virgilij diſtributio,qua duas aras Daphnidi, & duo altaria Phœbo conſecrat, ad myſte-
rium perſonarum in diuinis pertinere; vt indicetur ſecundæ perſonæ carni vnitæ duas
dandas aras,quò binarius filiũ ſignificet;prior quidem filium incarnatum,alter,quo duo
altaria Phœbo dicantur,ſecundæ rurſus perſonæ tribuatur; ſed ſic, vt ſola diuina, non
humana natura cõſideretur. Aras enim Seruius dixit Diis inferis & ſuperis dedicari, al-
taria verò ſolis ſuperis. Verùm dum aras ad inferos refert, non videt eas Daphnidi
in Deorum ſuperum numerum cooptato minimè conuenire. Varro aram ab ariditate
dictam arbitratur: nos rei antiquiſſimæ vocabulum ex ſermone antiquiſſimo petitum
Ara etymon. conuenire exiſtimamus. Nullum omnino negotium ſic accelerandum eſſe priſci pu-
tauerunt, quin tanta mora præmitteretur,quanta ſatis eſſet ad Deo ſacrificandum: &
quia hæc mora non tam ad retardandum negotium, quàm ad accelerandum perti-
nere intelligeretur, vocem eam excogitarunt, quo ſimul moneretur & hanc moram
omnibus rebus agendis præuertendam eſſe, & ex ea fieri vt celeriùs ad optatum finem
perueniatur. Ar & Ra contraria eſſe; & illo tarditatem,hoc celeritatem notari,cùm ali-
bi,tum in Hermathena demonſtraui. Ex Ar igitur & Ra fit vox circularis Ara: ſicut ex
An & Na Ana, media littera duarum vices tenente. Eſt in trito nobis prouerbio, Ora-
tionis ad Deum fuſæ moram,nulli vnquam negotio moram attuliſſe. quo declaramus
ipſius vocis Ara veram originem atq. rationem. Quia verò hoc vocabulum commune
Autar ſiue Altar. eſt,& tandẽ in idolorum cultu quoque vſurpatum,noſtrates Altar ſiue autar,quod idem
eſt,in vſu retinuerunt;quo & antiqua mora indicatur, & commonemur antiquiſſimam
Altare,is. omnibus in rebus eſſe debere hanc ſacrificij moram. Latinorum quidam ab alto,alij ab
alendo altaria dicta credunt: nobis Cimbrica origo non poteſt diſplicere, tum quòd alt
Heraut, vel Heralt. vel aut pro venerãdo crebrò vſurpemus,vti dum dicimus, Her-alt pro caduceatore; tum
quòd ſimpliciter elatum vocabulum, ei tribuendum videatur, quod eſt omnium anti-
quiſſimũ. Arida,me Dius fidius,eſt aræ etymologia ea,quam Latini ſibi cõminiſcuntur,
cùm contrà à pinguedine potius & libatione vocem mereri videatur humoris indicem.
Sed quid ego vanas Latinorũ rationes in nominibus explicandis ad examen voco, cùm
nihil illis aridius queat excogitari? Longè ſecus habet linguæ noſtræ fecunditas; in qua
vocum radices cùm rerũ naturam exponunt,tum præcepta cõtinent ad vitam bene re-
cteq; inſtituendam apprimè neceſſaria. Sed dicet quis: Quid Daphnis Mercurij filius,
ſiue potius Mercurius ipſe incarnatus cum Phœbo habet cõmunionis? Diuerſis nomi-
nibus vnum eundemq; Deum ſignari,iam non ſemel annotatũ. Quemadmodum itaq.
Mercurius perfectam indicat contemplationẽ,& Herman publicam admonitionem;ita
Phœbus is eſt,qui nutrimentũ omnibus offert. à Phoi ſiue Voi, vt nos ſcribimus, quod
Phœbus vnde dictus. eſt alo;& Vot præterito imperfecto,à Vie, quod eſt offero. Quamobrem Deus ea ratio-
ne conſideratus,qua omnibus iuſta ſuppeditat alimenta,φοῖβος dicetur;atque idcirco pa-
ſtor vocatus. Cùm igitur Daphnis paſtor ſit humanæ naturæ vnitus, quis non intelligit
diuinã eius naturam Phœbi nomine deſignari, propterea quòd ea non homines modò
paſcat,ſed paſcat etiã vniuerſa? Quoniã verò alimentũ in humido eſt,fuerũt qui aquam
φοίβην dicerent: qua rurſus quia omnia lauãtur,crediderunt φοῖβον idẽ eſſe quod καθαρόν.
Phœbus Dei filius rectè vocatur. Deus igitur filius qui benignitate ſua paſcit vniuerſa,Phœbus rectè vocabitur: & quia
primariũ & puriſſimum animorũ pabulum eſt verbi Dei enucleatio, & arcanorũ reue-
latio,idem quoq. nominatus eſt Apollo. Quò verò clariùs cernas,quanta ſit Phœbi &
Phœbus Daphnæus. Daphnidis cognatio,adde & illud,Phœbũ Daphnæum quoq. vocatum fuiſſe,cui tem-
plũ magnificum Antigonus Epiphanes conſtruxiſſe cõmemoratur. Syracuſani item vt
Apollo Daphnites. Daphnin paſtorũ caput celebrarunt; ita & Apollinẽ Daphnitẽ coluerũt, vt Heſychius
prodidit. Vocatur inde quoque δαφνογηθὴς in Acroſtichide Apollini dedicata. Quãuis
porrò ſatis copiosè vates hactenus lætitiam etiam explicarit, qua Daphnidis apotheoſis
& ad ſupremi cæli limen adſcenſus homines exhilarauit,addit tamen & alia,quibus in-
comparabile Daphnidis beneficium denotetur, & æternum eius regnum intelligatur.

Saltantes

Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibœus.
Hæc tibi ſemper erunt, & cùm ſollemnia vota
Reddemus Nymphis, & cùm luſtrabimus agros.
Dum iuga montis aper, fluuios dum piſcis amabit,
Dumq́; thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos nomenq́; tuum laudesq́; manebunt.
Vt Baccho Cererią́, tibi ſic vota quotannis
Agricolæ facient: damnabis tu quoque votis.

Ad ſempiternum Chriſti alludit ſacrificium, eiusque feſtos dies cum cultu Nympharum & agrorum luſtratione coniungit. Per Nymphas aquas baptiſmi intelligere poſſumus; per agrorum luſtrationem, luſtralem lauacri efficacitatem. Quod deinde additum de Baccho & Cerere, non abſurde referri queat ad panis & vini ſacramentum, quo corporis & ſanguinis Domini participes efficimur, & ipſi Chriſto vnimur. Verùm ne nimium ſcrupuloſe ſingula diſcuſſiſſe videamur, his modò contenti erimus in diuinum Sibyllæ vaticiniũ annotatiunculis; quas qui faſtidiet, eum procul à noſtris ſcriptis amotum velimus. Nobis nihil nimium eſt in hac palæſtra, qua cõtra atheos ſiue philoſophos (quo falſo titulo quidam ſibi placẽt) ſiue barbaros (quorũ maxima turba eſt) certamen proponitur; eo quòd clarè cernamus hanc peſtem indies magis atque magis virus ſuum in hominis animis propagare, cui ſectarum in religione noſtra diuerſitas inſignia ſuppeditat alimenta. Nũc ergo de Hermæ monitu didicimus, quàm verè à priſcis traditum ſit, Daphnin Mercurij filiũ eſſe, & id quidẽ ea ratione, qua Criophorus eſt & Μηλοσσόος à Græcis nuncupatus. Sufficiat modò hæc quæ de Mercurio Gallorum ex Druidis, id eſt, ex veritatis magiſtris accepta, candide putaui communicanda, quò tandem Mercurius communis omnium Deus eſſe cernatur: qua in re ſi quis noſtram accuſet prolixitatem, is ſciat infinitò à me pauciora in medium allata, quàm argumenti latitudo poſtularet. Nihil enim hactenus dixi de vi Mercurij, qua trahit non homines tantùm, ſed omnes etiam choros angelorum. Primam Mercurij originem in marc-ur eſſe tradidi: quam vocem ſi ichnæorum nominum ritu examines, inuenies ruc-ram, quo denotatur trahendi vis, quoad eius fieri poteſt, explicata atque extenſa. Monemur itaque hoc nomine in cõſideratione perfecta, quæ non poteſt eſſe niſi in materia perfecta, extremum eſſe ſitum eorum ad quæ res vel trahi vel extendi poſſunt. Cùm ergo per cærimonias trahimur, cùm per doctrinam trahimur, cùm occulto ſupremi boni impulſu trahimur, trahi nos intelligamus ad perfectam contemplationẽ; & eam eſſe menſurã atq. modum trahentium omnibus ſuis numeris explicatũ, vt cognoſcamus Deum, cuius viſio, vt perfectam abſoluit contemplationẽ; ita ſummam abſoluit felicitatem & vitam ſempiternam. Sue idem eſt quod violento impetu traho: qua voce retrò per veſtigia lecta, ad religionem & cærimonias deuenimus: à qua vocula Curetes religionis & cærimoniarũ capita dicũtur. Videmus ergo dum Marcur conuertimus, omniũ violento impetu trahentiũ illum eſſe ſupremum finẽ, vt ad perfectam perfecti contemplationẽ adſpiremus. Niſi igitur cogitationem & calamũ cohiberem, nullus de hac perfecta conſideratione & vi trahendi ad eam ferente conſiderandi ſcribendique finis eſſet. Pergamus ergo ad reliqua quæ Cæſar de priſca Gallorum prodidit religione. Poſt Mercurium, inquit, Apollinem, Martem, & Iouem, & Mineruam colunt. De his eandem ferè quam reliquæ gentes habent opinionem: Apollinem morbos depellere, Mineruam operũ atq. artificiorum initia tradere, Iouem imperium cæleſtium tenere, Martem bella regere. Huic cùm prœlio dimicare conſtituerunt, ea quæ bello ceperunt, plerumque deuouent; quæ ſuperauerint animalia capta immolant, reliquasque res in vnum locum conferunt. Multis in ciuitatibus harum rerum exſtructos cumulos locis conſecratis conſpicari licet. Neque ſæpe accidit, vt neglecta quiſpiam religione, aut capta apud ſe occultare, aut poſita tollere auderet, grauiſſimumq. ei rei ſupplicium cum cruciatu conſtitutum eſt. Hæc de Diis Gallorum Cæſar: in quibus nihil eſt vel difficultatis, vel obſcuritatis, ſi nomina diuina intelligantur. Ea apud priſcos varia vnius Dei dona exprimebant, quorum ſuprema vt inutilia & minimè ad quæſtum facientia à lucripetis Curetibus obſcurata ſunt: infima & ad plebeiam vitam ſpectantia, ſola ſunt commemorata. Hinc Mercurium non ſupremam & perfectiſſimam contemplationem ſunt interpretati, ſed viarum atque itinerum ducem

Mercurius vnde dictus, & eius vocis ichnæa ratio.

Fur.

Gallorum dij, apud Cæſ.

ducem dixerunt, & vim maximam habere ad pecuniam faciendam, propterea quòd his in rebus vulgi ſtudia verſari, atque omnem poni viderent contemplationem. Nec alia ratione Apollinem morbis depellendis præfecerunt, quòd hac via pecuniam ſibi & ampla donaria parata cernerent. Apollo, vt modò dictum, filius eſt patris æternus æterni; ſic vocatus, quòd ex abditis infinitæ poteſtatis in cerebro patris latentis abyſſis totam protulerit vniuerſitatem, & præterea genus humanum liberaturus eſſet ex antro Tartareo. Dictio compoſita eſt ex Af-hol-los, quod Latinis ſonat, ab antro libero. Hol antrum eſt & ſpelunca, in qua quæ ſunt, in tenebris deliteſcunt. Græcis itaque ἀφολλος dicendus eſſet, ſed conſuetudo ex aſpirata tenuem fecit. Quemadmodum autem Apollos idem eſt quod liberans ab antro caliginoſo; ita Nomius dictus eſt à paſcendo, atque idcirco Daphnidi, coniunctus; tum quòd alat vniuerſa, tum quòd carne humana aſſumpta, genus humanum verbo Dei paſcat. Odioſus ſim, ſi quæ vel Plato vel cæteri de Apollinis nomine tradunt, refellere contendam; cùm cuiuis liquere poſſit, nihil aliud quàm vana cæcæ ignorantiæ eſſe deliramenta. Macrobius ſpectabili Solis corpori omnia diuina nomina ſeruire cogit: nos imaginem quidem in eo agnoſcimus ſupremi reuelatoris, ſed Apollinis nomen ad naturam referimus infinitis ſpatiis altiorem, pro eo atque vocis poſtulat interpretatio. Miror maiorem in modum quàm quicquam ſoleam rerum maximarum, inſignem vocis huius Apollos compoſitionem: quippe qua ſimul expreſſum cerno, Deum filium non tantùm omnia ex abditis patris abyſſis ſoluiſſe, & omnium mentes ab alta caligine liberare, ſed nos etiam inferni barathri, antri horrendiſſimi carceribus exemiſſe, atque ita ſimul declarari, eundem totius rerum vniuerſitatis eſſe creatorē, ſimul liberatorem generis à ſe creati, ſimul etiam eum qui omnia occulta ex caligine & ignorantia ſoluit & in lucem profert. Iam ſi veſtigiis verſis inſiſtas, duo offerentur intelligenda; alterum vt dicere ac precari monearis ad hanc formulam, Salus accurre; alterum, vt animum tuum adhorteris ad hunc modum: Age anima curre. Nam Sol-lop-a vtrumque indicat ei qui diuerſarum linguæ Cimbricæ dialectorū non ſit ignarus; ratione geminæ ſignificationis ex Sol petita. Docui antè, a in o frequenter tranſire, vt dum pro Man Mon dicunt Allemani, & ab eodem Man Moneo faciunt Latini. Nec aliter ex Salt fit Solt apud noſtrates. vnde Soldurios deriuari dixi. Ex Sal igitur, quo ſalus denotatur, Sol fit apud quoſdam. atque ita Sol-lop-a, idem eſt quod Agedum ſalus accurre. Quæ conceptionis verborum formula, non patribus modò Chriſti natalem exſpectantibus, ſed nobis etiam optimè conuenit, rogantibus vt per Chriſtum citò ſalutem conſequamur, quem verum Apollinem confitemur. In alia dialecto Sol notat animam, ceu ea ſit totius hominis conſeruatio; in qua notione Britanni vocem vſurpant. Latini item corporatum luminis & caloris fontem eodem vocabulo intelligunt; & quia hic ſpectabilis quædam mundi anima eſſe videatur, & quia in eo ſalus rerum omnium quæ ſub ſenſum cadunt, conſiſtat. Quiſquis ergo audit nomen Apollos, retro per veſtigia recurrat, & animam ſuam ad eum curſum incitet, qua curritur ad veram & ſolidam ſalutem. Nolo hîc monere Latinos, à Los, ſoluo habere, per conuerſionem; & à Sol pro ſalute, Solidum, ſicut à Sal nomen ſalutis. Lop autem idem eſſe quod curro & curre, nemo noſtratium puerorum ignorat. à quo Lop-a, idem quod accurre. In conuerſione autem tempus mutari nihil mirum, cùm non eadem velocitate in eundo & redeundo ſemper vtamur. Et hæc quidem nobis nemo mortalium, ſed ipſemet Apollos reuelauit; qui vt nos ab antro & caligine liberet, ac ſalutem feſtinam accurrere faciat, feruidis precibus oramus. Varia eius apud veteres tum Græcos tum Latinos ſunt cognomina, iuxta variam filij in diuina Trinitate conſiderationem. In primis, quia ſic omnia ex abdito patris abyſſo produxit, vt in omnibus diuinus ternarius agnoſcatur; nec quicquam in rerum natura conſiſtere poſſit, quod ternario non innitatur, Apollini tripodem dedicarunt. Quemadmodum enim per ternarium omnes ideas ab Vno Proclus, in iis quæ in Platonis Parmenidem ſcripſit, deſcendere docet; ita priſci illi, omnia ternario tamquam tergemino pede ſtare, eleganti ſacri tripodis ſymbolo indicarunt. Quæ alij de tripode fabulantur, ea, vt pueris nota, lubenter prætereo; id vnum ſemper acturus, quò ea Apollinis beneficio reuelem, quæ cæteri hactenus ignorarunt. Thraces Græcis Apollinis nomen interpretati ſunt, dum Delion vocarunt.

Apollinis etymon. Hol.

Nomius Apollo.

Apollinis vocabuli inuerſi interpretatio.

Sal *&* Sol *quid ſignificent.*

Sol, ſolis.

Apollini quare tripus dedicatus.

Apollinis cognomina & varia epitheta, ex etymo & myſticè interpretata.

runt. Quanquã non ignoro, à Delo ſic vocatũ eſſe pleroſq; exiſtimaſſe; cùm ego contrà, inſulæ potius nomen ab Apollinis cultu datũ fuiſſe credam. Nec aliter de Cynthij cognomine cenſeo, quod licet Feſtus à Cyntho Deli monte ductũ tradat; mihi tamen placet, Deũ prius Cynthũ vocatũ, quàm mõs ita diceretur; eo quòd **Cuntdo**, ad verbũ ſignificet, facere quenquã rei cuiuſpiã certiorẽ; ſiue vno verbo idem eſt quod doceo. Eius rei indiciũ eſt quòd alio nomine Cunnius quoq. ſit vocatus. **Cunne** enim & **Cunt-do**, pro eodem vſurpatur. Hinc Cunnidæ apud Athenienſes, teſte Heſychio, illi vocati, è quorũ gẽte Cunnij Apollinis ſacerdotes legebantur. Nec alia cauſſa Phanæus & Anaphanæus, quàm quòd omnia reuelet, nuncupatus. Eſſe verò æternũ æterni patris filiũ, cognomen, ἀειγενέτης declarat. Aliis placuit vt Archegenetes diceretur, eo quòd ipſius generatio pręcedat vniuerſa. Eſt & apud Ægyptios vetuſtiſſimum eius nomen Orus, ab **Oor**, quo prima cauſſa rerum notatur, è qua Cimbrica voce Latinis Originis vocabulum, & verbum Orior remanſit, licet temporis ratio ſit neglecta. Hanc vocem ij ſunt interpretati, qui Apollinem γενήτορα vocarunt, cuius ara Deli fuit, nullo hoſtiarum ſanguine tingenda. M. Cato Genitiuum nuncupauit, ea vocabuli deriuandi formula, quam faſtidioſæ quorundam aures vix admitterent. Placuit huius ara Pythagoræ, vti nulla morte violata. Eadem ratione Patrous dictus eſt, eo quòd omnia produxerit ex arcano paternæ mẽtis antro; qua de re conſule Orpheum in Macrobij Saturnalibus. Quoniam verò is qui omnia gignit, omnis etiam felicitatis auctor eſt; voluerunt priſci vt ab hac quoque notione cognomina haberet. Lycium itaque & Lycoreum nuncuparunt, à **Luc** quo bonam fortunam dixi notari. Lucius ergo fortunator erit; & **Luc-oor**, vnde Lycoreus apud Orpheum, prima felicitatis cauſſa. Quia verò maxima felicitatis pars in ſplendore conſiſtit, maiores noſtri ſplendoris vim **Lucht** vocarunt, vnde Lux apud Latinos remanſit, eadem forma qua ex **Recht** Rex, ex **Merct** Merx factum videmus. Quando enim in cõtemplatione Dei felicitas ſumma ponitur, neque hæc citra diuinum ſplendorem mentes noſtras illuſtrantem haberi poteſt, bene recteque factum ab iis, qui ſplendori à felicitatis nomine nomen dederunt. Orpheus in hymno Apollini cantato:

Delius Apollo. *Cynthius Apollo.* *Cunnius Apollo.* *Cunnidæ.* *Phanæus Apollo* *Anaphanæus Apollo.* *ἀειγενέτης Apollo.* *Archegenetes Apollo.* *Orus Apollo.* *γενήτωρ Apollo.* *Genitiuus Apollo.* *Patrous Apollo.* *Lycius Apollo.* *Lycoreus Apollo.*

Ἔλθε μάκαρ παῖαν πιτυοκτόνε φοῖβε λυκωρεῦ.

Hinc & λυκηγενέτης dictus, eo quòd proſperos generet ſucceſſus haud ſecus atque annum vetuſta voce λυκόβαντα vocarunt Græci. Annus enim vti Solis circulus trecentos ſexaginta quinque dies ceu vinculum quoddam connectens boni ominis cauſſa à Cimbris **Luc-bant**, id eſt, proſperorum ſucceſſuum ſiue felicitatis vinculum nuncupatur: quæ ratio vt clariſſima eſt, & priſcis ritibus ad vnguem conſentiens; ita ridicula ſunt & delira quæ de Lupi & Solis cognatione refert Ælianus. Nec minus ineptũ quod Cleanthes dixit, Lycium ob id vocari Apollinem, quòd veluti lupi pecora rapiunt, ita ipſe quoq. radiis ſuis rapiat humorẽ. Quàm verò priſcæ Cimmeriorũ in nominibus formãdis conueniatr ationi, vt annus fauſtum proſperitatis vinculum vocetur, ſi non aliunde, at certè ex ipſa voce Anna, quæ circularis eſt præcedentis & ſequentis temporis nexus, de vernacula nobis interpretatione clarum eſt, eo quòd circulus in principio & fini deuinciendis ſummam habeat firmitatem. Græcos primam lucem quæ præcedit Solis exortum, λύκην vocaſſe, teſtis eſt Macrobius; quod bene quadrat cum noſtra interpretatione. Par enim eſt vt homines ſummo manè experrecti Deum precentur, vt diem ſibi bene fortunet: & vt votum hoc ſingulis conuenit auroris, ita toti conuenit anno vt **Luc-bant** nominetur. quo vocabulo Deum orare videmur, vt tot nobis dierum connectat felicitatis vinculum, quot Sol vno ſuo circuitu comprehendit. λύκη, aliis λυκόφως, cuius poſterioris vocabuli vſum non apud doctos modò viros, ſed apud plebeios etiam & è medio vulgo homines tempore ſuo fuiſſe Euſtathius ſcripſit: qui tamen mirum eſt, quàm ſeſe in vocis ratione inueſtiganda fruſtra torqueat. Homeri verſus, cuius occaſione de hac voce verba fecit, ſeptimo Odyſſeæ libro legitur, & à Macrobio citatur:

λυκηγενέτης Apollo. *λυκόβαντα vocarunt Græci annũ.* *Annus vnde dictus.* *λύκη.* *λυκόφως.*

ἦμος δ' οὔτ' ἄρπω ἠώς, ἔτι δ' ἀμφιλύκη νύξ.

ἀμφιλύκη νύξ

Amphilycon quid dici debeat, ex notatione vocis ἀμφὶ coniectare quiuis poſſit, modò quid Lyce ſignificet non ignoret. Cùm enim ipſa aurora fauſta nomenclatura Lyce vocetur, & alio nomine Lycophos, id eſt, lux matutina; noctis ea pars Amphilyca dicenda, quæ circa auroram eſt, ipſum videlicet primum diluculum proximè præcedens. Docet ergo poëta ante crepuſculum matutinum in ipſa poſtremæ noctis parte, Græcos iam in

ordine ſuo diſtinctos ad rogum conſtitiſſe. Quod autem Euſtathius de colore lupi ſom-
niat, vt vanum eſt & nihil faciens ad vocis originẽ; ita condonandi ſunt id genus errores
iis omnibus qui noſtri ſermonis ſunt imperiti. Lucianus λυκαυγὲς prima lucis creperæ
λυκαυγές. initia vocauit, ita vt ἕω apertã auroram dicat, λυκαυγὲς primam albeſcentis cæli lucẽ. Vt
autem priſci auroram à Luc, quo proſperitas notatur, indigetarunt; ita & Iouem Luce-
tium vocarunt, eo quòd hic Luc-heet, id eſt, proſperitatis & bonæ fortunæ caput ſit & o-
Aurora etymon. rigo. Latini crepuſculũ matutinum Auroram vocarunt, ab antiquo Cimbrorũ epithe-
to, quaſi Au-roor nominaretur, quo antiqua & venerãda motio deſignatur. Mouet enim
homines ad cõſuetos ſuos labores, nocturnã lucis primordiis rumpens quietẽ: cuius no-
mine inſigne cõtinetur documentũ, non oportere nimirum homines diutius quieſcere,
quàm ad prima vſq. creperę lucis momenta. Quamobrẽ qui volet rebus ſecũdis & be-
ne euntibus ſemper frui, is perpetuò cogitet de vtroq. nomine & Gręco & Latino, & illi
credat in dubio lucis primordio fontem eſſe proſperitatis, huic non eſſe diutius in lecto
quieſcendũ, quàm Amphilyca nox primæ luci ceſſerit. Ne verò quis putet ab aura Au-
Aura quid ſignificet. roram dici, quaſi auræ horã, is ſciat Auram itẽ Cimbricã eſſe vocem, & nihil aliud nota-
re quàm antiquã & venerandam celeritatem. quæ cùm primùm & maximè in luminis
diffuſione cernatur, factũ vt pro ſplendore vox vſurparetur. Quoniã verò aër limpidus
nõ turbidus, antiqua & venerabili luminis ſuſcipiendi facultate pollet, isq. leui flatu plu-
rimũ iuuetur, pro grato ſpiritu aura cœpit vſurpari. Quòd Varro dixit ab auro auroram
dici, quòd id ad tẽpus aër aureſcat, id vanũ eſt, tametſi κροκοπέπλου epitheto videatur
approbari. Eſt quidem aurũ eiuſdem originis priore nominis ſui parte, ſed poſterior pars
facit vt antiquam potentiã ſignet, eiuſdem voculæ indicio iactantiam potentiæ iungẽs.
Rom. Rom enim idem eſt quod validũ ſiue valentia, ſono productiore iactantiam notatura.
Virgilius vt aliàs alia Auroræ cognomina dedit, ita inter cætera vnũ habet quo etymo-
logiam proximè ſecutus videtur:

Aurora interea miſeris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores.

Sed hæc extra rẽ. Lupus autem cur λύκος vocetur, mea non pluris refert, quàm cur cæ-
Slot. tera pleraq. tum Latinorũ tum Græcorum vocabula longè à primæ linguæ puritate de-
Slit. generarunt. Slot apud nos idẽ eſt quod deglutiendo deuoro; & Slit idem quod deglu-
tio: cuius iterũ præteritum imperfectum eſt Slot, idoneũ verbum perpetuæ luporũ vo-
racitati denotandæ. Hinc ſi principio ſibilus auferatur, origo vocis λύκ ſiue λόκ exiſtet,
Sluip. cui terminatio adiecta λύκον facit. Eodẽ modo Latini à Sluip, id eſt, occulto greſſu inſi-
Lupus vnde dictus. dior (quod Ariſtoteles dicit eſſe luporũ ferè propriũ) fecerunt vocabulum Lupus, accen-
tus ratione neglecta. Vide quàm nihil agant qui citra Cimbricæ linguæ præſidia vetu-
ſtarum vocum origines quærunt; quamq. turpiter omnes & Gręci & Latini in rebus no-
Paean Apollo. bis clariſſimis hallucinẽtur. Iã quid dicẽt de voce Pæan? Feſtus à παίειν deriuat, eo quòd
Apollo ſagittarũ ictibus ferire mortales putetur. Egregiũ verò vocis fabrum qui Deo be-
neficentiſſimo à nocendo nomen tribuendũ exiſtimauit. quod æquè abſurdũ atq. illud,
Apollinem à perdendo nomenclaturam habere. Alij alia ſomniant, quæ referre, nullum
operę haberet pretiũ. Hoc interim notandũ, priſcis ſollẽni ritu iactatum fuiſſe ἰὴ παιὰν,
ἰὴ παιάν. quod alij ἰὴ παιὰν protulerunt: qua diuerſitate ſeſe non intelligere quid dicerent aut ro-
garent, prodiderũt. Frequẽs eſt in ſacris noſtris cantionibus *Haleluia* & *Oſanna*, ſed quid
iis vocibus notetur, pauciſſimi norũt. Idẽ quõdam accidit Græcis, ſacra nomina è priſca
Cimmeriorũ religione mutuatis. In Hermathena & Abecedario doceo I vocalem blã-
dientis eſſe; eius nimirum qui ſeſe in gratiã cuiuſpiã inſinuare nititur. Cùm enim preces
Paean vnde formetur. noſtras in eius quẽ rogamus præcordia penetrare cupimus, exiliſſima hac & ad penetrã-
dum maximè idonea voce vtimur: E autẽ ipſum Vnum notare, omniũ rerũ fundamen-
tum, eodẽ loco demonſtro, quod tamen accentu longo pronunciamus; quo fit vt Græci
per ſuum ἦτα, ἰὴ dixerint. Παιὰν autẽ fit ex noſtro Pai-an; quod eſt, incipe facere pacẽ, ſi-
ue, incipe ſatisfacere. Eſt igitur ἰὴ παιὰν idẽ ac ſi Latinè dicas: Blandiſſimè noſtras preces
tibi inſinuamus, ô ipſum Vnũ, vt incipias ſatisfacere & pacẽ nobis cõciliare. Quis modò
non audit, hanc orationẽ priſcorum patrũ propriam fuiſſe, obſecrantiũ filium, vt paciſcũ
patre ineundæ myſteriũ acceleraret. Quãuis verò id iam olim ſit abſolutũ, licet tamẽ &
nobis eadẽ precationis formula vti, eo quòd perpetuò nobis opus ſit hac pacificatione.

Conſi-

Confitemur autem hac oratione,ipſum Apollinem vnum eſſe æquè atque patrem, iuxta illud: *Ego & pater vnum ſumus.* Dicemus ergo nos clariore verborum intelligétia Ie, Pai-an, quàm olim Græcorum poëtæ; certò ſcientes, eum noſtrum eſſe pacificatorem. Callimachus in hymno huius antiquitatis ignarus, quamuis ἰὴ ἰὴ frequenter iteret, putare tamen videtur ab ἵει hanc vocem deduci, vt hi verſus oſtendunt:

Ἰὴ ἰὴ παιῆον, ἀκούομεν, οὕνεκα τοῦτο
Δελφός τοι πρώτιστον ἐφύμνιον εὕρετο λαὸς,
Ἦμος ἑκηβολίην χρυσέων ἐπιδείκνυσο τόξων.
Πυθώ τοι κατιόντι συνήντετο δαιμόνιος θὴρ,
Αἰνὸς ὄφις. τὸν μὲν σὺ κατήναρες, ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ
Βάλλων ὠκὺν ὀϊστόν. ἐπήυτησεν δὲ λαὸς,
Ἰὴ ἰὴ παιῆον, ἵει βέλος. εὐθύ σε μήτηρ
Γείνατ' ἀοσσητῆρα.

Hic videas ἰὴ ἰὴ primùm acclamatum fuiſſe, cùm ſerpentem Apollo occidiſſet, ac παιὰν in παιῆον à poëta eſſe mutatum non ob aliá cauſſam, quàm ſignificationis ignorátiam & verſus concinnitaté. Licet poëtarũ fabulæ multis modis à prima ſua ſinceritate degenerarint,non eſt tamen in iis veritas ita prorſus vel obſcurata vel extincta,vt nulla eius appareant veſtigia. Acceptũ nimirũ erat à priſcis Cimmeriis, hanc acclamationẽ ἰὴ παιὰν ad Apollinẽ referendá,ea ratione qua obſecramus, vt ſerpentem hoſtis humani generis occidat,radiantibus flamei ſui amoris ſagittis;atq. id quidẽ faciat deſcendens in Pytho, *Pythô.*
id eſt,ad putredinẽ huius mũdi,accepta videlicet humani corporis cõditione. Erat enim in arcanis oraculis,Deũ ad hanc Pytho,id eſt,ad corruptelá deſcenſurũ,& in ea terribilem illũ draconẽ occiſum iri,& tum demũ omnem vaticiniorũ veritatem,in lucẽ prodituram. Diuinum hoc oraculũ ita cacodæmon corrupit & in rem ſuá vertit,vt ſe Apollinẽ *Pythius Apollo.*
eſſe mentiretur,& id quod futurũ erat,fingeret prӕteriiſſe;commento inter miſeros homines ſparſo,neſcio quem ſerpentẽ, Pythoum ab ipſo olim occiſum fuiſſe,atq.eodẽ loco vaticiniorũ vim ſuſcitaſſe. Sciuerat nimirũ callidus draco,ſeſe à vero Apolline cõculcandũ, & tũ verá doctriná inter mortales de vita æterna exorituram;atq.huius rei in multis oraculis exſtare promiſſionẽ; cuius fidẽ vt euerteret,mendacia confinxit,quibus vera vaticiniorũ intelligentia corrũperetur,& tandẽ in meras nugas & veſana cõmenta tráſiret. *Diabolus diuina ſymbolà & oracula ſibi arrogat.*
Hinc Delphicũ ſiue Pythiũ oraculũ, reuera Pythus nomine dignum, eo quòd totũ eſſet pſeudapollinis fraude ad corruptelá animorum comparatũ. Hac via immanis ſerpens ab Apolline occidendus,perſoná ſibi Apollinis ſumpſit, & miſeros mortales in eá pertraxit dementiá,vt ipſi accinerent hymnũ ſiue ephymniũ Dei filio canendum. Olim ergo pij vates inſtituerant,vt feſtis carminibus ſuccineretur I-e-pai-an, I e-pai an: & id quidem ad eum finem,vt verus Apollo, & verus magni conſilij reuelator feſtinaret vt patri cæleſti ſatisfaceret,atq.genus mortaliũ à dracone Pythoo in ipſa Pytho,id eſt,mortali corpore liberaret. Hanc Epoden immanis draco beſtia abominanda & fatalis omnium malorum auctor ſibi vnà cum nomine Apollinis arrogauit. Hęc inquá bellua, ſiue, vt cum Callimacho loquar, *δαιμόνιος θὴρ Αἰνὸς ὄφις*, id eſt, infelix beſtia,horribilis draco, dum ſe occidendum ſciret,ſeſe finxit occiſurũ,& ſimul ſacrilega fraude ſibi arripuit diuina nomina diuinumq.cultũ: & cùm pater eſſet mendaciorũ omniũ, veritatis vaticiniorumq.induit laruá:qua in profeſſione vt faciliùs falleret,impoſturis ſuis aliquádo veritatis nonnihil miſcere conſueuit;tametſi non dubitẽ,quin nonnunquam,diuino nutu coactus,quædá vera protulerit oracula,vt eſt illud de Iao vero Iudæorũ Deo. Si quis volet clariùs videre quibus technis diuina ſibi ſymbola & oracula Diabolus arrogarit,is legat Firmicum Maternũ,vt ex auctore,quàm ego ſim,illuſtriore cõdiſcat furtiua laruati dæmonis ornaméta vero poſſeſſori vindicare. In eo inueniet illud: *ἐκ τυμπάνου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γέγονα μυστικὸς*, id eſt ex tympano comedi, ex cymbalo bibi, factus ſum myſticus, cacodęmonẽ ſibi ex DOMINICÆ cœnę myſteriis ſuppilaſſe. Et rurſus iſtud: *χαῖρε νύμφιε, χαῖρε νέον φῶς*, id eſt, Aue ſponſe, aue nouum lumen, ſerpentẽ ſibi furatũ eſſe ex vaticiniis de Chriſto apud vetuſtiſſimos celebratis. Itẽ aliud, *θεὸς ἐκ πέτρας*, id eſt, Deus ex petra, ſurreptum eſſe ex oraculo quo pręsaid dicebatur Chriſtũ fore petrá quæ cæleſtis Ieruſalem eſſet fundamentũ. Quid multis? apud hunc videbis nequiſſimum humani generis hoſtem omnia profanæ ſuperſtitionis ſymbola de ſanctis venerandiſq. prophetarũ oraculis ad abominanda furoris ſui ſcelera tráſtuliſſe. Nihil ergo noui dico, nihil piis au-

ribus indigni, dum doceo Apollinis nomen ex diuinis myſteriorũ ſcriniis cacodæmonẽ ſibi ſuppilaſſe, & eas ſibi odas furto ſumpſiſſe, quas diuini vates draconis victori dedicarant. Idem impoſtor ſceleſtiſſimus verũ Chriſti cognomen ſibi arrogauit, dum ſe voluit *κάρνειον* vocari.

Carnadea.

Memini in Amazonicis de Carna & Carneo obiter quædã annotaſſe, & inter alia, quæ priſcis Romanis Carna vocaretur; ea nimirũ Dea ſiue diuina poteſtas, per quam, quod nobis maximè carum eſſe debet, fit propinquiſſimũ; quã ſi Latino ſermone ſapientiã diuinam, Cimbrico Mineruã dicas, rectè dixeris.

Carneus Apollo.

Atq. hinc quidẽ Apollo Carneus dici poſſet, vti illic notaui: verùm quia vocẽ Κάρνειος ſic interpretatur Macrobius, vt in ea innouationẽ agnoſcat; lubẽter eũ ſequar, & eum Κάρνειον vocabo, qui Cimmeriis Καρ-νεῖ, id eſt, amorẽ innouans diceretur.

Car. Nae.

Car enim illud eſſe, cui Ke-ar, id eſt, vehemẽter oro vt maneas, dicere debemus, Hermathena tradit. quod vocabulũ verſum, Nae facit, id eſt, contingo; in quo finis eſt & perfectio omnis caritatis. Qui ergo facit vt amor quo Deum cõtingere debemus, redintegretur atq. rurſus nouus fiat, quod Nee ſiue Ny ſignificat, is Carneius rectiſſimè dicetur: quæ vox niſi de Chriſto intelligatur, haud equidem ſcio de quo intelligi poſſit. Nihil itaq. magis cõſonũ dici queat, quàm ſi Carneio accinamus, *ἰὴ ἰὴ παιῆον κάρνειε.*

πολύλλιτος Carneius dictus.

Callimachus rectiùs quàm intellexerit Carneiũ *πολύλλιτον* vocauit: qua voce is notatur, cui multis precibus ſupplicandũ. Hunc enim eũ eſſe ait, cui aræ perpetuò calere debeant citra omnẽ ceſſationẽ: huic perpetuum ignẽ eſſe in ara cuſtodiendũ canit; quod quid aliud eſſe dicas, quàm hũc amore perpetuo in ara pectoris noſtri coli oportere. Cui placebit hæc eleganter expoſita videre, Cyrenæã adeat Muſam, à cuius ore diſcet quã ſacrilegè diabolica beſtia, ſiue *δαιμόνιος θὴρ Λινὸς ὄφις* diuinos honores vſurparit. Carneius ergo à Car & Nei, quorum hoc in alia & alia dialecto aliter atq. aliter

Nee ſiue Ny. Neu. Nou ſiue Nieu. Νεῖος. Neos. Nouus.

pronũciatur. Nei ſiue Ny Cãpanis Brabantis eſt, vnde *νειὸς* terra modò recens arata, ſi Heſychio credimus. Alij Neu dicunt, vnde *νέος*. Plurimi Nou, è quo Latini ſuũ Nouũ habent. Brabãti ſuperiores Nieu, à quo *νεῖος* fieri poſſet. Carneius igitur ſummus eſt ſũmæ caritatis innouator; ſi voces quidẽ iis primùm tribuẽdę, quibus earũ ratio cõgruit maximè.

Carneius verus eſt Chriſtus, Carneus Iupiter.

Quãobrem Chriſtus verus eſt Carneius, cui aræ noſtræ perenni amoris foco calere debent, cuiq. perpetuò canendũ I-ee pai-an, I-ee pai-an. Variæ admodũ de Carneio opiniones fuerunt; quarũ nulla magis ad veritatẽ acceſſit, quàm ea quæ Carneiũ eundẽ cum Ioue fecit. Pauſanias, quàm nihil certi de Carneio apud Græcos conſtaret, ſatis oſtendit; quẽ tamen Varinus Phauorinus ſingulari vicit diligentia, adductis diuerſis Theopõpi, Praxilæ, Alcmanis & Demetrij ſententiis: quorũ primus prodidit Carneiũ, Ioué & ductorẽ ab Argiuis olim nominatũ fuiſſe. Bene ille quidẽ, niſi cauſſam falſam, à neſcio quo Carno exercitus duce petiuiſſet: quia ſcilicet Carnus exercitũ duxerit, Iupiter Carneius ſit nuncupatus. Praxilas itẽ ad Ioué hoc nomen à priſcis relatũ videns, Carneium quẽdam Iouis & Europæ filium confinxit; melius dicturus, ſi Iouis & Erigones filium dixiſſet, vti

Carneia ſacra.

reuera fuiſſe Cronia noſtra docuerunt. Alij Carneia feſtos Iouis dies fuiſſe ſcripſerunt, cauſſa nulla idonea ad id probandum allata. Ex hac tamen diuerſitate opinionum illud in primis clarum, Ogygia prorſus ſacra Carneia fuiſſe, quoniam ab omnibus inter vetuſtiſſima commemorantur: deinde ex earum collatione cernas, ad Iouis filium ea pertinuiſſe; & eũ quidem talem, vt vel Apollo potuerit, vel Iupiter dici, quod in ſolo Chriſto, qui & patris arcanorum reuelator eſt, & idem cũ patre, veritatẽ ſuam poteſt tueri. Hic enim ſolus & vnicus Carneius, quia ſolus nimirũ caritatẽ inter Deum & homines renouauit, & idcirco Polyllitus optimo iure à Callimacho vocatus; quoniã multis precibus hic vnus orandus, vtpote per quẽ ſolũ à patre noſtro cæleſti audiemur. Quis modò non perſpicit quantũ momenti habeat vera priſcarũ vocum intelligentia ad impias cacodæmonis fraudes detegẽdas: quas ſi Lactãtius, Arnobius, Tatianus Syrus, Athenagoras, Iuſtinus, Euſebius, cæteriq. qui cõtra idolomaniam ſcripſerunt, explicare potuiſſent, bone Deus, quibus verborũ fulminibus eloquentes illi viri contra horribilẽ hanc & immanẽ ſerpentis malitiã inuecti fuiſſent! Vt illã belluam peſtilentiſſimã diuinis titulis & honoribus exuiſſent atq. excoriaſſent! Quàm fanaticis erroribus miſeros mortales Pythous hic draco demẽtauit! Vt homines in ſua caſtra è caſtris Dei pertraheret, omnes ſibi Dei nomenclaturas, omnes titulos, omnes teſſeras militares ſumpſit. O callidũ ſtratagema! Ipſe qui cõculcandus, qui cõterendus erat, Chriſti victoris ſigna pręferebat. Ipſe draco ſe mẽtitur draconis hoſtem: & ne quid eorum quæ vaticinia promiſerant miſeri mortales exſpectarent, fingit ſe iam olim victoria contra dracone potitum, & vt illud *ἰὴ ἰὴ παιάν* ad

ſe

ſe transferret,opinionẽ ſeuit,draconẽ ſagittis à ſe confixũ,vt Græci putarent ἰὴ ab ἵει deriuari,& παιὰν à παίω. Quanquam autẽ hæc ſufficiunt ad docendũ, non Apollinis tantũ nomẽ,ſed plurima etiã cognomina eidẽ apud priſcos attributa, de Gallico ſermone eſſe *Clarius Apollo.* interpretanda,nõ poſſum tamen facere , vt non addã Apollinem etiã Clarium dictum fuiſſe,non vt pleriq. omnes arbitrantur à Claro vel opido vel inſula,ſed ab eo quod huic omnis ſplendor & perſpicuitas, cùm cæterarũ rerum tum oraculorũ debeatur. Quòd ſi à Latinis hoc nomen prius Apollini datum fuiſſet quàm à Græcis,apertiſſima eius foret ratio:nunc quia Græci eius ſibi vindicant originẽ,approbantibus etiã Latinis, nulla poteſt cauſſa ſignificationis inueniri,niſi ad Clarum opidũ cõfugiatur; quod Colophoni tã *Claros opidũ Colophoni vicinum.* fuit vicinũ,vt eius nauale videatur fuiſſe: quod & Euſtathius ſcripſit & Plinius indicauit, dũ dicit Colophone in Apollinis Clarij ſpecu lacunã eſſe, cuius potu mira reddãtur oracula. Portum autẽ hunc Clarum vocari ἀπὸ τοῦ κλήρου, eo quòd ſorte Apollini obtigerit, Nearus tradidit. Theopõpo placuit à quodam Heroẽ cui nomen Claro fuerit,nuncupatã fuiſſe vaticinij ſedem. Ego vlteriùs rogo,vnde Heroi nomen datum ſit? Quod ſi neſciant,quid ad rem facit hoc cõmentum? Latini Clarũ dicunt id quod ſplendidũ eſt: cuius vocis,quia nullã habent etymologiam , fateantur neceſſe eſt aliunde eã in Latiũ *Clarus a, um.* veniſſe. Ab ipſis igitur antiquiſſimis Italiæ incolis Cimmeriis vocẽ retentã fuiſſe ex no- *Claer.* ſtra lingua diſcas;in qua vt quotidianus eius eſt vſus;ita ratio quoq. valde luculenta. Claer enim ſplendidũ dicimus & apertum,vt ex Cal & Aer cõpoſitum intelligatur.qua reſolutionis via id clarũ erit,quod pulcritudinẽ,quę per Cal notatur, in rebus facit manere. In obſcuris enim nulla nobis apparet pulcritudo, propterea quòd ea nihil aliud ſit , quàm *Cal.* id quod omnibus placet,à Cal al,vt & antea,& in Hermathena traditũ. Splendidũ itaque,citra quod nihil in rebus omnibus vel mentis vel corporis oculis cernitur,nedũ placere poteſt, Claer vocatur. Latet & altera in hac voce cauſſa, non minoris ferè, quàm ea quæ expoſita eſt,facienda. Cal vocali longa idem eſt nobis quod caluũ, à Cal verbo, quo *Haer.* deficio vel diminuor ſignificatur,& Haer quo pili & tricæ ſignificantur,ab aer quod eſt de- *Aer.* morari;ita vt Cal-haer idẽ ſit ac ſi dicas, carens omnibus tricis & remoris. Quamobrem Clarũ à priſcis Cimmeriis ad Latinos veniſſe,tã eſt clarum, quàm quod clariſſimũ. Nemini ergo eorũ qui quid Apollinis voce denotetur intelligunt,dubiũ eſſe poteſt,cur Apollo Clarius vocetur,cũ ille cuius eæ partes ſunt vt omnia reuelet,faciat vt omnia clara protinus euadant. Oraculũ igitur à Dei cognomento cacodæmon Clarũ nuncupauit, in hoc iuxtà ac in cæteris ſacrilegij dãnandus,eo quòd aqua inſanos reddens,non ſpiritu Dei,ſed afflatu diaboli homines impleret,ac Engaſterimãtes ſiue Engaſtritas redderet, fanaticis vocibus miſero vulgo illuſuros. Quòd verò Apollinẽ morbos depellere ſacrifi- *Apollo quare dictus morbos depellere.* ci dixerint,eius hæc eſt cauſſa. Eſt ſanè Apollo verus animorũ medicus,vti Carneius,atque hac ratione maximè inuocãdus. Verùm quia corporis valetudo pleriſq. omnibus animorũ ſanitate antiquior eſt,auaritia ſacrificulorũ quæſtui ſuo ſtudẽs populo perſuaſit, Apollinẽ morbos curare,ſi ſacrificiis & donariis placaretur. Verùm quia pleræq. herbæ diuina reuelatione cognoſcuntur,nõ malè tota medendi ars ad Apollinẽ eſt relata. Ac- *Apollo, Sol dictus.* cedit & ratio Phyſicorũ,qui Apollinis nomine Solem intelligũt corporatũ & ſpectabile veri Apollinis ſimulacrũ.à quo cùm oĩs corporũ ſanitas, oĩs vis & efficacitas plantarũ,& reliquorũ,quib. morbi profligãtur,vires promanẽt, nõ malè Apollinẽ medicinæ præſidẽ fecerũt,tametſi altera illa vis,quæ in animis curãdis cernitur, infinitò ſit præſtãtior. Enumerauit Cæſar tertio loco Martẽ,belli præſidẽ,qui cur Mars dicatur, paulo antè explicaui. De Ioue porrò,quẽ cæleſtiũ imperiũ tenere,æquè Druidæ atq. cæteri Theologi di- *Iupiter Gallorum Deus.* cũt,ambigendũ videtur vnde nomenclaturã ſuã ſit ſortitus. Cùm enim Iehoua Hebręis idẽ ſignificet quod Græcis ὤν,& Latinis ens; videri poteſt Iouis vocabulũ inde ad Latinos veniſſe. Lubenter equidẽ id cõfiterer , niſi ſcirẽ Italiã à Iapeti,nõ à Semi aut Chami poſteris principiò occupatã fuiſſe. Iou vel Iau,vt alij ſonãt,circũflexa vox lætitiam gaudiũq. apud nos teſtatur,cuius ſi ſtructurã examines,inuenies eã cõſtare ex I & Hou ſiue *Iou.* Hau,quod idẽ eſt ac ſi dicas, Tene. Eſt ergo vox eius propria qui blãdè rogat,vt,quod placet,teneatur. Ex Iau,mutato I in G,fit Gau, vnde Gaudiũ Latinorũ. Græci hac voce *Gaudium. ἰοῦ* abutũtur,dũ indignanti hanc voculã tribuũt: quod tamẽ Grãmatici ſic excuſant, vt ἰού cũ acuto tono σχετλιαστικὸν ἐπίρρημα dicant: verùm dũ circũflectitur,gaudentiũ vocẽ eſſe *Iubilo,as,are* fateantur. Latini ex Iou Iu fecerũt in Iubilo: quod Feſtus ſic interpretatur,vt idẽ eſſe dicat quod ruſtica voce inclamare;nõ expreſſa animi affectione. Varro,neſcio an ſe ſatis

intellexerit,à me ſanè nō intelligitur,dū dicit,Vt Quiritare eſt vrbanorū,ſic Iubilare ru-
Quiritare. ſticorū. Quiritare idē eſſe quod per lamenta conqueri & auxiliū inclamare flebili voce,
ex T. Liuio diſcas,eo loco quo fœda Bacchanaliorū ſtupra deſcribit. Quiritare, Quiri-
tes ad auxiliū vocare, Varro & Nonius interpretantur: Nobis de vetuſto Cimmeriorū
ſermone clarū, Quirito dici à Criten,mutato C in Qu:quod verbum idem eſt quod eiu-
lare. D. Auguſt. rectiùs quid Iubilare ſit,expreſſit. Iubilare,inquit,propriè eſt gaudiū ver-
bis nō poſſe explicare,& tamē voce teſtari quod corde cōceptū eſt & verbis explicari nō
poteſt. Quia verò Ju ex Jou Cimbrico factū eſt,ſyllaba ea tēpus longū ſeruat. Sic Silius:

Et lætus ſcopulis audiuit iubila Cyclops.

Noſtrates pro Jou Jo frequenter dicūt,vt aurigæ pro Hou ho vel O clamant: qui mos
Io triumphe, io. quàm ſit vetuſtus,militū Romanorū clamor,quo Imperatori per vrbē in Capitoliū eūti
Io bacchus. acclamare ſolent,Io triūphe Io,ſatis declarat. Nec aliter dixerunt Græci Liberū patrem
Jolijt. Iobacchū,à bacchantiū videlicet voce. Hinc Jolijt apud nos,pro ſumma oblectatione,&
Iouis etymon. Joig pro hilari,& Joit pro hilaritate,ex Joigt cōciſum. A Jou igitur,& Wis,quod ſignifi-
cat incito vehemēter,fit Jou is aſpiratione de medio ſublata, quo vehemēs & incitatū
gaudiū denotatur. Quòd ſi à Jou & Hit iou-it facias, eōdē tendes, quoniā ad eūmodū
gaudij feruorē notaueris. Diximus modò Mercuriū nihil aliud eſſe,quàm perfectā con-
templationē,atq. ea nota Deū ab Ariſtotele deſcribi. Idē docuit voluptatem operationis
indiuiduā eſſe comitē,atq. adeò ipſius operationis eſſe perfectionē quandā, veluti formā
ſupremā. Iā voluptatē tanto meliorē eſſe,quāto à melioris facultatis operatione manat;
Deus eſt præ-ſtantiſſima voluptas. & eā rurſus tanto præſtantiorē,quanto id,in quo facultas ſeſe exercet,præſtantius fuerit
& excellentius. Hinc efficitur,vt cùm Deus perfectiſſima perfectiſſimi ſit cōtemplatio,
ſit etiā præſtantiſſima voluptas,tū propter facultatis operantis excellētiam,tum propter
materiā in qua verſatur. Sicut igitur à ſumma contēplatione tāquam ab vltimo bonorū
fine omnis intelligendi vis incitatur,ita à præſtātiſſima voluptate tanquā à ſummo om-
niū deſideriorū,omne mētis gaudiū incitatur. Eſt igitur Deus nō perfecta modò cōtem-
platio & abſolutiſſima voluptas,ſed vehemētiſſimus etiam omnis gaudij ſtimulus, quo
multo magis animi noſtri,quàm equus œſtro agitatur. Quâobrem Iouis nomen tanto
eſt quàm Mercurij diuinius,quāto operatione voluptas antiquior eſt & præſtātior. Quo
fit vt quāuis vnus ſit & idem Deus Iouis & Mercurius,ſublimiore tamen notione Iouis
quàm Mercurius intelligatur. Homerus ἴς ἀνέμοιο dixit,pro venti vehemētia. Apud La-
Is. tinos Vis nota ſignificatione vſurpatur:quorū vtrumq. ab Wis Cimmeria voce deriua-
Vis. tur,illud quidē ſola neglecta aſpiratione, hoc verò adſpiratione in digāma Æolicū mu-
Wis. tata,vti ex Venetis Heneti,ex ἐσθὴς veſtis, ex Heſperus Veſperus, & ſimilia ex ſimilibus
formantur. Accipit autē Wis ſignificandi rationē tum ab Hit,quo feruor notatur; tū ex
aſpirationis & ſibili natura: qui duo flatus elementū ſubtiliſſimū, & ad celerē penetra-
tionē maximè idoneū deferentes, vocē faciunt ad vehementiā incitationis denotandā
tam aptā,vt haud videā quî poſſis inuenire aptiorē. Iouis itaq. vehementiſſimū eſt ſum-
mi gaudij incitamentū,quo omnia rapiuntur & in cælis & in terra. Videas quæſo,quàm
cōgrua duarū ſyllabarū cōpoſitione nomenclator cōplexus ſit totius philoſophiæ ſum-
mā: & videas iterū,an vlla omnino ingenij humani ſollertia vocē paris breuitatis queat
fabricari, qua æque ſignificanter hæc voluptatis & gaudij vis,ad ſummū bonorū ferens,
explicetur. Quæſiuit Ariſtoteles diligentiſſimè ,quod nam inter operationē beatiſſimā
& ſummā voluptatē,vel diſcrimen vel cōiugiū ſtatui poſſet,ac vix tandem inuenit, qui-
nam vtriuſq. limites eſſent. Noſtri ſermonis architectus ſtatim animaduertit,in volupta-
te maximā quādam latere vim incitādi ad actionē,atq. ea omnia rapi ad primū & ſum-
mum gaudij omnis irritamentū,totamq. hanc accuratā ſuā cogitationem duabus ſigni-
ficantiſſimis ſyllabis cōſignauit & incluſit. Vter igitur ſe præſtiterit admirabiliorē,iis iu-
dicandū relinquo,qui nec vllis prauis opinionibus ſunt anticipati,& mediocrem linguę
noſtræ cognitionē philoſophiæ ſtudiis cōiunxerunt. Quæri ſolet,ac magna ſcholarū con-
tentione agitari,non olim modò,ſed noſtra etiamnū ætate,An ſummū bonorum in vo-
luntate eſſet,an in facultate intelligendi. Ardua ſanè quæſtio , & multis rationibus in
vtramq. partem,cùm ab aliis, tum à Scoto & D. Thomæ doctrinam profeſſis,diſputa-
ta. Nobis de nomenclatoris noſtri ſententia , & eorum omnium qui Orphicam theo-
logiam allegoricis fabulis & Cimbricis vt plurimum nominibus tectam ſequuntur,di-
cendū eſſet,voluptatē finem perficere bonorum quidē , non tamen totum complecti.
Quemadmodū enim iuſtam mēbrorum omniū menſuram & compoſitionē vnà cum
florido

florido & grato colore neceſſariò comitatur pulcritudo, ita perfectã intelligentiæ actionẽ, in qua Peripatetici vltimam conſtituunt felicitatem, non poteſt non ſequi voluptas omnibus numeris abſoluta. *Voluptatem, ſummum bonum eſſe oſtẽdit.* Quamobrẽ ſi hæc ab illa ſeiungi diuelliq́ue poſſet, profectò voluptatẽ ipſa mentis actione diceremus perfectiorẽ. An nõ ipſe Ariſtoteles decimo Ethicorũ libro cõpulſus eſt fateri, operationẽ ab ipſa voluptate perfici veluti forma quadã? Quod ſi ſic eſt, quid vlteriùs quærimus, quid ambigimus, quid hæſitamus? Cur nõ apertè confitemur id quod volẽtibus nolentibus ipſa tamẽ extorquet veritas? Iã ſi in voluntate principiũ ſit, cùm cęterarũ mentis motionũ, tum eius maximè qua ad ſummam ferimur felicitatẽ, nõ poſſumus nobis quietẽ aut tranquillitatẽ aliquã imaginari, niſi volũtas noſtra in eo, quo ferebatur, acquieſcat; atq. idcirco dicamus neceſſe eſt, in quo primum eſt mouendi exordiũ, in eo etiã finẽ vltimũ eſſe conſtituendum. Quamuis igitur reapſe voluptas ab operatione perfectiſſima nequeat ſeparari, ratione tamen poteſt diuelli: quod dũ ſit, fatendũ erit, vltimũ & perfectum finem non eſſe in ipſa nuda operatione, quippe cui, iuxta Ariſtotelis ſententiã, modus adhuc quidam formæ deeſt, ſed in ipſa voluptate operationẽ omnibus perfectionis numeris abſoluẽte. Quid? ipſe Chriſtus ſolus omniũ bonorũ auctor atq. largitor apertiſſimè ipſã felicitatẽ gaudio definit, aiẽs; *Euge ſerue bone & fidelis; quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te cõſtituã; intra in gaudiũ domini tui.* Porrò eſt quiſquã tã alienus ab omni ſenſu, qui neſciat ab omnib. legiſlatoribus dolores & pœnas pro extremis malis habitas ſemper fuiſſe, atq. idcirco harũ metu à flagitiis & ſceleribus malos coërceri cõſueuiſſe? Quòd ſi mala operatione aliud malũ maius eſt, cur nõ bona actione aliud bonũ præſtantius iudicabitur? Quod verò illud erit, ſi non erit voluptas, bene agentibus velut præmiũ in ſacris litteris proponi conſueta? Quis negat Tartarea tormẽta ſummũ eſſe malorũ? Quod ſi malorũ ſupremum dolore definitur, quid ni ſummũ bonorum ſit in voluptate? Scio vitã æternã in Dei cõſpectu ab Apoſtolo conſtitutã eſſe; verùm is nõ negat, ex hac contẽplatione ſummam ſequi voluptatẽ. Immo ea cauſſa Deum cognoſcere cupimus & intueri, vt eius pulchritudine perfruamur: quod ſi verè dicitur, nõ ipſa vita æterna, ſed vitæ æternæ voluptas, ſiue Dei fruitio, quod idẽ eſt, ſumma erit beatitudo. Licet enim vita in beatis nequeat à gaudio ſeiungi, in aliis tamẽ diſcrimẽ cernitur. Rurſus nihil in omni vita & omni officiorũ latitudine ipſo Dei cultu & vera religione præſtãtius. Atqui Ieſus, vnus ex probatiſſimis veræ ſapientiæ doctoribus, tradit ipſius religioſæ vitæ præmiũ & coronã eſſe iucunditatem atq. gaudiũ. Eſaias ſummã nobis præcinens felicitatẽ quam Chriſtus ſuis daturus eſſet, eandem multo antè confirmauit ſententiã. *Haurietis*, inquit, *aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Sed quid multis opus eſt? Is eſt nõ Chriſtianorũ tantùm, ſed omnis antiquitatis cõſenſus, ſicut impietatẽ Tartareę pœnæ ſequentur, ita pietati cæleſtia gaudia mercedis loco proponi. Nullo ergo modo Stoici audiendi, qui virtutem ipſam ſibi præmiũ eſſe voluerunt; nec vlla ratione cõmittendum, vt toti veterum Theologię repugnemus, quod fiet, niſi in voluptate ea, quę vt palmariũ & corona rectis officiis promittitur, ſummam collocemus felicitatẽ. Quicquid igitur vel Ariſtoteles, vel alij diſputarint, id nobis cum ſacris litteris & Orphica traditione, atq. adeò cõmuni omnium hominũ ſenſu tenendum, in gaudio & lætitia ſummũ eſſe bonorũ; dicendumq. cum Salomone: *Exſpectatio iuſtorum lætitia.* Cantemus ergo cum Dauide & D. Petro & tota Chriſtianorũ eccleſia, aſſumpta nobis Meſſiæ perſona: *Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vſq. in finem.* Quid? nũ quis adhuc ſcrupulus? An non audimus ipſum Chriſtum nobis clara voce per vatis ſui os clamantem, ſummũ bonorũ eſſe in ea delectatione? quã ex cõſpectu vultus diuini accepturus eſt primùm quidem ipſe Chriſtus, deinde cæteri oẽs qui gratia eius futuri ſunt beati. Quo ex loco, ſi quod de vita æterna antè dictũ eſt, explicetur, tota quęſtio fuerit profligata. Quãdo ergo in fruitione, quæ nihil aliud eſt, quàm delectatio, quã capimus ex eius quod amamus præſentia, ſumma felicitas continetur; & ad hanc Deus ipſe tanquam vltimus omniũ finis incitat tum ſe tum vniuerſa, pro ea quæq. portione quam fert eorũ captus, nec hac fruitione diuini vultus quicquam ſuperius queat cogitari; confiteamur oportet Iouis nomen ſummũ beatitudinis apicem explicare, & idcirco non malo iure ab iis qui ſtolidè & impiè ex diuerſis vnius Dei nominibus diuerſos ſibi Deos cõfinxerunt, ſupremo Deo tributum eſſe. Verùm vt Grãmaticorum etiam pueris ſatis faciã, obiter & illud admonebo, Iouis in recto dici, ne quis imperitè genitiuum dumtaxat caſum in hac ſibi *Iouis, nominatiuus caſus.*

voce imaginetur. Docuit id inter alios, noctium Atticarũ ſcriptor, aiens ex Iouis & Pater gemino vocabulo cõpoſitum Iupiter coaluiſſe, perinde atq. ex Mars & Pater Marſpiter dicebatur. Quòd autē Iouē à iuuando deriuet, facit hoc quidē de cæterorum omnium ſententia: verum quàm in eo nõ ſit integram vim nominis aſſecutus, ſatis modò liquere credo. Non eo infitias ab eodē Iu Iuuo & Iouis dici, ſed nego nõ aliud in Iouis nomine quàm in Iuuo latêre. Hoc enim ſola adiecta verborũ terminatione ex Iou deſcēdit, Iouo futurũ, niſi o in v mutaſſet, ac diphthongũ in vocalē & digáma reſoluiſſet illud; vt dixi, duarũ vocũ habet cõpoſitionem. Ex Iouis altera vox gignitur, magnã inſignis erroris occaſionem præbens Latinis. Veiouis ædes Romæ erat vnà cũ ſimulacro ſagittas tenente: quē Deum ſic dictũ idem exiſtimat auctor, vt Veſanus dicitur & Vecors, quaſi minimè iuuaret, ſed cõtrà noceret; cuius rei ſignum ſagittæ darent. Addit pleroſq. in ea fuiſſe opinione, vt hunc Apollinē dicerent. Nos ſcimus Apollinē Nomium & paſtorem vocari, eiq. curã gregum & armentorum eſſe. Quamobrē ſi quis eum dicat omni brutorũ animantiũ generi præſidere, & ei quoq. ſuos ſtimulos addere ad voluptatē perſequendam, nõ video quid ſit peccaturus. At hoc ipſum Veiouis in Cimmeriorũ ſermone deſignat, eo quòd vocula hac Ve, totum brutorũ genus intelligatur. Sagittæ verò minimè ſignificant vllã lædendi facultatē, ſed efficacitatē radiorũ, qua penetrat vniuerſa, nõ homines tantũ, ſed greges quoq. & armenta. Habet Cupido ſuũ arcũ, habet ſagittas, quibus hominũ ferit præcordia vt radiis amoris incendantur. Quid ni ergo eodē modo in Solis radiis & Apollinis ſagittis id quærimus quod Dei propriũ eſt, vt nimirũ eum dicamus ex validiſſimo bonitatis ſuæ arcu perpetuã tenſionē nunquã remittente ſagittas emittere amoris igne feruentes, iiſq. vitalē omnibus immittere calorē, cuius vi & efficacitate ad eam rapiantur lætitiã, ad quam Iouis dicitur omnia prouocare. Non eſt tamen ita cogitandũ, quaſi citra allegoriã & myſticum ſenſum Deus Veiouis diceretur. Diuinus vates olim inter Iſraëlitas cecinit, & Chriſtianorum chorus antiquã eius quotidie repetit cantionem: *Homines & iumenta ſaluabis Domine, quēadmodum multiplicaſti miſericordiam tuã Deus: filij autē hominũ in tegmine alarũ tuarũ ſperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrēte voluptatis tuæ, potabis eos. Quoniã in te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Hîc nemini obſcurum eſſe poteſt, iumentorũ nomine neq. equos neq. boues, nec alia bruta animalia intelligi, eo quòd hæc eius voluptatis fonte nõ potētur, in qua ſummũ conſiſtit bonorũ; ſed homines intelligi peccatis inuolutos, & pecudum more terrenis ſolis inhiantes; de quibus alia ode: *Homo cùm in honore eſſet, nõ intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Pollicetur ergo Propheta ſempiternã cæleſtis regni lætitiã ipſis etiã iumentis, quæ infinita ſua clementia ex antro Caci liberabit. Quis ergo dicere auſit, Iouē nõ rectè Veiouē vocari? Quis non videt, non ſolùm ſimpliciter Deũ Veiouē eſſe, quia bruta animãtia corporei pabuli voluptate perfundit, ſed propterea etiã, atq. id quidē longè diuiniore notione, quòd homines vitiorum ſordibus impuros, quos verè pecudes & iumenta voces, ad cælũ perducat, domũ nimirũ ſuã, quò in ea lumen videant in lumine, & gaudio perfruantur ſempiterno? Deus igitur Iouis eſt; cuius filius coæternus rectè Veiouis vocabitur, eo quòd morte ſua omnia iumēta totius terræ à vitiorũ cœno expurgata, ad cęleſtem impellat voluptatē. Immolabatur autē Veioui capra, cuius effigies eius ſimulacro adſtabat. Eius quæ priſcis Cimmeriis ratio fuerit, difficile fortaſſe. Succurret tamē in obſcuro palpantibus Moyſes, qui decimo quinto Leuitici capite præcepit vt duo hirci in oſtio tabernaculi ſiſterētur; quorũ ſortitio ea eſſet, vt alter cui ſors Domini obtigiſſet, Deo pro peccatis populi offerretur: alterius capiti ſacerdos omnia populi ſcelera imprecaretur, atq. is mox per expeditum hominē celerrimè in ſolitudinē abriperetur, pro populo futurus *ἀποπομπαῖος*, id eſt, auerruncus, vnà ſecum omnem ſpurcitiam populi ablaturus, auerſurusque diuinam vindictam. Dicemus ergo capram eadem olim ratione immolari conſueſſe Veioui Deo, iumentis, id eſt, peccatoribus nomine ſuo gaudium pollicenti, atque adeò ad illud inſtiganti. Sit ergo apud Moſem immolatus hircus loco capræ, ſignificetque humanam animam ſe cacodæmoni ſubiicientem, qui non malè hirco denotatur, propter tetrum libidinis virus & peſſimum animalis fœtorem. Hircus verò quem Hebræi עֲזָאזֵל vocant, Græci *ἀποπομπαῖον* vertunt, cacodæmonis videtur gerere typum, atque idcirco in ſolitudinem procul ab hominum conſortio depelli, ne rurſus animos humanos veluti capras ineat, & ſcelerum ſemine defœdet. Veioui itaque capra immolabatur, humani animi

Veioui etymon.

Iumenti voce, homines intelligi in ſacris litteris.

Iouis eſt Deus pater, Veiouis Deus filius. Veioui capra ſolet immolari.

Hircus immolatus apud Moſem quid ſignificet.

mi in pecudem conuerſi præ ſe ferens figurã, quò ea hoſtia hircinũ cacodæmonis virus expurgaretur, pacatusq. Deus, reuera ſe Veiouẽ pręſtaret, id eſt pecudẽ ad gaudiũ impelleret. Vidimus modò quis Veiouis & Iouis, & Iouis quidẽ nomine ſic gaudiũ exprimi, vt ſummũ eſt ad voluptatẽ perfruendã incitamentũ tum ſibi ipſi, tũ aliis omnibus ex eius abyſſo per verum Apollinem eductis, & ſtimuli huius vi, ſiue philtro hoc diuino ſemper ad gaudiũ agendis. Verùm quãuis hæc vocis interpretatio totius veræ ſapientiæ cõplectatur ſummã, & id quidẽ tam luculenta notatione, vt nihil vnquã vel à Platone, vel ab Ariſtotele eadẽ de re dici potuerit ſignificantius; maius tamen adhuc artificiũ in eadem voce deliteſcit. Vt enim ex Jou & Uis cõpoſitio facta ſummi gaudij cõtinet irritamentum, ad omnes res creatas occulto ſpiritus ſancti impetu dimanãs, & illud ipſum aperit beneficiũ, quo nullũ maius à Deo confertur: ita ſi nomen reſoluatur in Jou & Is citra adſpirationẽ, perdetur vis ſpiritus illa quidẽ, cuius medio res omnes ad lætitiã incitantur; at nihilo tamen minus illud intelligetur, quo nõ poteſt quicquã magis propriũ ipſius Dei videri. Is enim idẽ eſt Cimmeriis, quod Latinis ſonat eſt: quo fit vt Jou-is, idẽ ſit quod gaudiũ eſt. Hac igitur via ipſum Dei eſſe, quod pura eſt energia & mera operatio, definitur gaudio; perinde ac ſi dicas, Deũ nihil aliud eſſe, quàm ipſum ipſius gaudij eſſe per eſt expreſſum. Sicut itaq. legitur in ſacris litteris, *Eſt miſit me*, ſiue, vt Hebræo verbo vtar, *Heie miſit me*; ita aliter dici poteſt: Gaudiũ eſt, ſiue ipſum gaudij eſſe miſit me. Dũ igitur veteres Iouẽ Mercurio fecerint maiorẽ, intelligere nos voluerũt illã Dei notionẽ, quæ per gaudij eſſe explicatur, eſſe præſtantiorẽ, quàm eã quæ in cõtemplationis perfectione conſiſtit, tametſi Iupiter & Mercurius vnus ſit idemq. Deus; nec poſſit perfecta eſſe contẽplatio, vt non hæreat cũ ea ipſum gaudiũ & voluptas ſuprema, quæ ſola cogitatione poſſunt ſeparari atq. ſecerni. O admirabilẽ nomenclatoris ſollertiã! ô ſummã humanæ intelligentiæ perfectionẽ in nomine Dei condendo! Duabus ſyllabis expreſſum videmus & ipſum eſſe Dei in gaudio conſiſtere, & eo ipſo gaudio tanquã ſummo bonorum fine, omnia velut œſtro quodã vehemẽtiſſimo cieri. Sed vt hæc ſint maxima, & cõtemplantis animũ in neſcio quẽ coniiciant ſtuporẽ, reſtat tamen in eadẽ voce aliud adhuc artificiũ inter prima mirandũ. Iouis enim nomen eſt ichnæum conuerſione ſui indicaturũ, in quo ſit verũ animorũ pabulum atq. alimentũ. Nam dũ retrò legimus vocabuli veſtigia, inuenimus Si-uoi, quo ſignificatur viſionis nutrimentũ, eo quòd Si, idẽ ſit quod video; Uoi verò idẽ quod alo ac nutrio: quorũ vtrumq. mirificã habet vim conuerſionis, cùm priore intelligatur omnẽ viſum & corporis & animi ad ipſum eſt ſiue Hebræorũ Heie eſſe referendũ: poſteriore moneamur, omniũ alimentorum ſupremũ finem eſſe ipſum gaudiũ & delectationẽ. Deficiunt me verba, quò violentũ animi mei affectũ exprimã, quo totus rapior cùm hæc conſidero, videoq. bene Mercurij cõuerſione me admoneri, nihil eſſe ad trahendũ omnibus viriũ numeris magis abſolutũ, quàm perfectã conſiderationẽ: atq. idcirco quamuis Iouis nomen ſuperius ſit quàm Mercurij, per Iouis tamen nomẽ retrò lectũ, nos eueſtigio ad id venire, vt intelligamus viſionis pabulũ proximo gradu præcedere eã, cuius deſiderio cuncta rapiuntur, delectationẽ. Sed ſufficiant modò hæc de iis, in quibus vt finis eſt omniũ, ita cõtemplandi nullus finis inueniretur.

Deum eſſe gaudium, ex vocabuli etymo liquere.

Iupiter maior Mercurio apud veteres, tametſi Iupiter & Mercurius vnus ſit idemq. Deus.

Iouis vocabulum cõuerſum, quid denotet. Si. Uoi.

Reſtat modò ſola Minerua inter Gallorũ Deos à Cæſare cõmemoratos: de qua, quia ſatis multa alibi à me dicta ſunt, hoc vnũ hic repetã, Mineruæ nomen nõ minus quàm cętera veterũ Gallorũ vernaculũ fuiſſe; nec aliud eo ſignificari, quàm hæreditariũ ducẽdi ius, quod æterno ſuo filio æternus pater addixit. Quoniã ergo pater omnia ſapiẽtiæ ſuæ dedit ducenda ex intimis cerebri ſui abyſſis, atq. ea totã rerum vniuerſitatẽ ex iis deprõſit, & quotidie depromit; non malè Minerua ſapientiæ, & omnibus rebus recta via & ratione faciẽdis, dicitur præeſſe. Mirifica arte & ſtupenda prorſus ſapiẽtia ſapientiæ nomenclatura conſtat. Vt enim hæreditariũ omniũ rerum ductum prorſa deſignat, ita verſa ichnæarũ vocum ritu docet, cui ducendarũ rerum omnium gubernandarumq. hæreditas à Deo data eſt, eius quoq. partes eſſe vt pacẽ accipiat inter homines & Deũ. Min-erf enim idẽ eſt quod ducẽdi hæreditas, Fre-nim idẽ quod pacis cõſociatio. Si quàm latè huius vocabuli myſteria ſeſe extendũt, oratio mihi diffundenda eſſet, vix vllũ volumẽ, quãuis multis libris turgẽs, toti materiæ capiẽdę ſufficeret; quippe quæ ampliſſima vniuerſæ cùm philoſophiæ tũ religionis latifundia limitibus ſuis cõprehendat, vt ex ipſa ſtatim vocis interpretatione cuiuis liquebit, ſi modò expẽdat quid ſibi velit ductus vniuerſorũ hęreditario iure filio cõtributus; quid rurſus pacis cõciliatio, & qua hęc naturæ lege vel

Minerua Gallorum numen.

Minerua quid ſignificet.

Minerua etymon.

vel inter ſe,vel cum ſapientia ſint colligata. Percellit animũ meum auguſta rerum magnitudo,duabus ſyllabis ichnæis clariſſimè expreſſarũ, & totã religionem Chriſtianam & eius vtilitatẽ & finem vltimũ cõplectentium. Singula Dei nomina diuerſis ſuppoſitis & attributis dedicata,tantũ rationis artis myſteriorum nobis offerũt, vt neſcias quid maximè ſit admirandũ. Primùm videbatur nihil fieri poſſe per ſummũ humani ingenij conatũ admirabilius,quàm Mercurij nomen eſſet. Mox ſucceſſit Apollo,nomenclaturã aperiens æquè ingenioſam,æquè mirificã,æquè myſteriis plenam; quæ non ſolùm ad philoſophiam facerent plurimũ,ſed accuratè etiã & perquam ſignificanter ſummã religionis enuclearent. Quî porrò melius exprimi poſſet Deus exercituum,omnia quę velit ad puluiſculũ vſq. comminuens & velut in mortario contundens, quàm ſi Mart vocaretur; cuius nominis monoſyllabi ea eſt conformatio, vt ſola vnius vocalis in vicinã cõmutatione, à Mart in Mort veniatur,id eſt,in violentã cædem. Et quia hæc ſcelerum & impietatis vindicta eſt rerũ abominandarum, nomẽclator ichnæam conuerſionẽ in hoc nomine tantiſper excluſit, dum rectũ maneret,monens ne per hanc viam potius quàm per aliã ad Deũ veniremus. Satius enim eſt amore duci,quàm tormentis trahi. Quò tamen oſtenderet quæ ſint Martis opera,geminã genitiui caſus conuerſionẽ molitus eſt,vt & hoc prius dictis accedat auctariũ. Quærẽti quid Mars gignat,mox occurret hinc omniũ rerũ mutilatio & imbecillitas, hinc moleſtiſſima ſũmi doloris perſenſio. Genitiuus ergo à Mart noſtratibus Marts eſt,qui retrò lectus, Stram facit,quo id notatur,quod ſic eſt fatigatũ vel morbo vel labore vel verberatione,vt ſeſe nequeat mouere. Hanc igitur cladẽ ipſius Martis eſſe ferè propriã,nominis faber oſtendit,dũ ex Martis genitiuo caſu retrorſum verſo per veſtigia nos duxit ad Stram. Quòd ſi huius caſus characteriſticã litterã nomini recto præponas, Smart habebis,quo vulnerũ dolores generatim notantur, qui bella nunquã nõ ſequũtur. Quãuis autẽ hæc ſumma poſſit in nominibus fabricãdis ars videri; eã tamẽ in Iouis nomine ſuperatã cernimus, & rurſus in Minerua artificiũ eſt tũ totius nominis,tũ eius partiũ magis ſtupendũ. ita vbiq. conatus eſt, vt cũ alios oẽs, tũ ſeipſe etiã vinceret architectus. Nũc ergo diuerſa vnius Dei nomina,è quibus poſteritas cacodęmonis fraude ſeducta,plures Deos ſibi cõmenta eſt,Gallicã habẽt interpretationẽ,& eã quidẽ ex eorũ lingua,quos primos oſtendi ad Italiã cũ Iapeto & Comero appuliſſe. Poſſẽ equidẽ in cęteris quoq. diuinis nominibus Latinos docere,quã longè diſceſſerint à veris linguæ ſuæ primordiis,quamq. fruſtra laborẽt,qui inter eos etymologiæ operam impendunt. Verùm quia nec hoc huius loci eſt, nec Cæſar plures Gallorum Deos cõmentariis ſuis prodidit,in aliud & tẽpus & argumentum eã interpretationẽ differam.

Mars vnde dictus. — *Stram.* — *Smart.*

Ne tamen vlteriùs progrediar,facit Hercules ille Gallicus, à Luciano ad id celebratus, quò demonſtraret ſeniles vires minimè contemnendas; non illas quidẽ in robuſtis corporis lacertis,ſed in ſola linguæ extremitate cõſtitutas. Siue fabula ſit,ſiue vera narratio, quod Samoſatenſis ſophiſta de hoc Hercule Gallico prodit,non admodũ mea refert. Id video,pleroſq. hanc picturã apud Gallos fuiſſe exiſtimare, cuius ea fuerit delineatio, vt ſenẽ repræſentaret, caluũ illum quidem magna ex parte, ſed quod capillorũ reliquum eſſet,valde canũ; cute item admodũ rugoſum,& in atrũ colorem aduſta: ſimillimũ deniq. decrepitis nautis,vel potius Charonti vel Iapeto,nihilq. prorſus habentẽ Herculanum,præter clauã & leonis exuuium. Ab hoc ſene magnã hominum turbam tractam fuiſſe catenulis ab extrema ipſius lingua perforata deuinctã; quæ tantum abeſt vt inuita ſequeretur,vt vltrò accurrens laxas catenulas relinqueret. Verùm qui tabulã hanc elegantius copioſiuſq. depictã videre volet,is vel ipſum cõſulat Lucianum,vel Eraſmũ Luciani & interpretem & ſectatorem. Nobis id vnum dignum viſum diligenti conſideratione,Herculem Ogmiũ apud Gallos indigetari; quam vocẽ niſi interpretemur, ne parum linguæ Gallicę videamur periti,verendum. In cõpoſitione adſpirationes frequẽter tolli niſi crebrò monuiſſemus, hic monitũ oportuiſſet. Nam è vocabulo Gallico Hoogmuet Ogmion Græci fecerunt, qua Cimbrica voce altus animus denotatur, res nullius magis quàm Herculis propria. Eam vocem ſi retrò legas, inuenies Herculem bonũ eſſe ad homines frenis cohibendos. At quibus frenis? Illis nempe, quæ ex ipſius ore procedẽtia,aures noſtras moderantur atque ducunt. Si hæc ad verum verbum referantur,nemo non videt quàm aptè ſymbola ſint rebus ipſis applicata; quæ ſigillatim examinare, nihil neceſſe; tum quòd per ſe ſint ſatis aperta,tum quòd altiùs nos ad Herculis myſteria abriperent,quàm breuitati nobis hic ſequendæ conueniret.

Hercules Gallicus apud Lucianum. — *Hercules Ogmius.* — *Ogmij etymõ.*

GALLI-

GALLICORVM

LIBER V.

QVANQVAM de Druidis & eorum nomine primo Gallicorũ libro ea tradidimus, è quibus ſagacibus ingeniis procliue ſit intelligere, totam ſapientiæ latitudinem horum profeſſione contineri; operæ tamen non exiguum pretium fore cenſeo, ſi rurſus eiſdem breuiter repetitis, ſymbolorum, quibus vti ſolere feruntur, rationes addamus. E Britannia eos in Galliam veniſſe, vt Cæſar docet, ita nominis compoſitio declarat. Tru enim, ex quo Dru, pro noſtrati Trow Britanni hactenus vtuntur, dum quippiã verum eſſe ſignificare volunt, This tru, frequenter iterantes. Quamobrem ſi quid Trow denotet intelligamus, non erit quod amplius de Tru dubitetur. Venit hæc vox in orationem aliàs vt verbum, aliàs vt nomen; & dum verbum eſt, nonnunquam idem explicat quod fido; nonnunquam ponitur pro eo quod Latinus diceret, connubio iungo vel iungor: At dum nomen eſt, aliquando adiicitur, aliquando per ſe ſubſtat; & illo quidem modo idem ſignificat quod verũ & fidum, hoc verò veritatem & fidẽ. Eſt autẽ vocabulum minimè primogenium, ſed per conuerſionem ichnæam noſtratibus peculiarem formatum ex wort vocali longa, quo Verbum denotatur; quod nomen deſcendit ex wort vocali correpta pronunciato, quod idem eſt ac ſi dicas, accipit eſſe. quod non facilè alia lingua per vnam vocem expreſſeris: tametſi Chriſtiani, dum de Trinitate loquuntur, pro eo Gignitur ponant. Rurſus wort componitur ex wi & ort: quorum illud latum, hoc cuſpidem ſignat. Ort ex Or & natura litteræ T, cui vinciendi vim tribuit Plato. Or ex O & R conflatum, fluxum ab æterno deſignat; ita vt Ort vinculum quo fluxus æterno coniungitur de natura elementorum non malè ex Hermathena interpreteris. Pater itaque ſuprema rerum omnium cuſpis eſt, quam filius primùm dilatat, patris poteſtatem prius in ſe, deinde in omnibus rebus creatis explicans; atque ita pyramis prima exiſtit. Wort itaque primum conuenit filio, & eius medio omnibus rebus creatis quæ per ipſum gignuntur. Quemadmodum autem mens hominis non cognoſcitur niſi ſermone declaretur; ita nec pater videtur, niſi per filium exprimatur. Quia ergo filius patrem oſtendit, haud ſecus atque Verbum mentem noſtram declarat, voluit nomenclator, vt ex wort vocali breui, fieret wort vocali producta ad Verbum denotandum, eo quòd cogitatione noſtra, iuxta quam vocum fabrica dirigenda, gigni prius ſit quàm loqui. Vt igitur breue tempus longo eſt antiquius; ita wort vocali correpta, prius eſt quàm wort ſono producto; tametſi litteræ in vtroq. ſint eædem: perinde atq; ille qui gignitur ab ęterno idẽ eſt cũ ipſo Verbo ęterno. Deinde wort, id eſt, gignitur, ſolũ gignentẽ & genitũ cõfert: wort verò pro verbo, non ſolũ proferentẽ & vocẽ prolatam indicat, ſed id etiam quod ſignificatur, & eum cui ſignificatur: qua rurſus ratione tempus longum poſtulare videtur. Sicut igitur gigni primùm conuenit filio; ita eidem quoque primùm conuenit vt ſit verbum: quorum vtrumque quatuor his litteris wort exprimitur, ſolo breuis & longi accentus diſcrimine cogitationis noſtræ ordinem præſcribente. Sed his latiùs in eo libello quem ipſi Verbo dedicaui: hic obiter indicatum eſto, latè patentem ipſius digamma naturam ab Ort regi, id eſt, ſummam cuſpidem rerum omnium patriæ poteſtatis latitudinem in lucem proferri, vaſtam & eius abyſſorum infinitatem certis & ordinatis formis veluti verbo explicari. Cognita igitur ipſius wort ſymbolica ratione, per vltimam in prima elementa analyſim ad illud tranſgrediamur, quod conuerſio ichnæa demonſtrat; quod nimirum & ipſum ſemper eſt, & ſemper eſſe accipit ſiue gignitur, Theologico non Platonico loquendi modo: quodque patris mentem ceu verbum æternum ſemper exponit. Si enim ad ſupremi omnium patris notitiam velimus adſpirare, ipſius wort veſtigia retro legamus oportet. qua via mox ad veritatem, fidem, fiduciam & coniugium deducemur, ex wort ad Trow progreſſi; quòd ſi, vt Mercuriali manu dirigimur, ita Spiritus ſancti gratia peruenerimus; ad ſummam peruenerimus huius vitæ felicitatem. Quoniam itaque quid Trow ſignificet, qua ratione ſignificet, quàm rectum iter ad beatam vitam oſtendat, intelligimus; videamus quid Trow-wis habeat notionis. wis vel vt verbum, vel vt nomen vſurpamus. illo modo idem

eſt

Druis quid ſit, &c. Trow.

Wort.

Wi. Ort. Or.

Verbum eſt Dei filius patrem oſtendens.

Verbo auctor libellum dedicauit.

Wis *vocabuli ſignificatio.*

eſt quod demonſtro, hoc modo ſapientem deſignat: quod cùm geminam nobis ferat conuerſionem; alteram Si-w, id eſt, vide teipſum; alteram Sif, permutatione vnius digamma in alterum facta, vt idem denotetur quod cribro; geminam etiam intelligentiam deſignat: illam quidem, vt ſapientis proprium eſſe dicatur & primum officium ſeipſum nouiſſe; hanc verò, vt oſtendatur illud rectum eſſe & proximum ad ſapientiam iter, ſi quæcunque nobis offeruntur vel interius vel exterius, diligenter cribremus, & ſuperuacanea omnia & inutilia veluti paleas & acus, glumas & ariſtas, puluerem que omnem euentilemus, quò tandem purũ nobis granũ, purum panem ſuppeditet. Quis verò purus panis eſt? Ille haud dubiè qui de cælo deſcẽdens nihil habet terreni; ille, inquã, qui creſcit & procedit ex ore Dei: ac quia nihil habet impuri, alimentum dat animis ad firmitatem & robur ſempiternum; de quo dictum eſt: *Verbum Domini manet in æternum.* Monemur itaque ipſius voculæ wis veſtigiis retro lectis, primas ſapientis eſſe partes, vt ſeipſe nouerit: deinde docemur neminem rectè ſeipſum nouiſſe poſſe, niſi cribro vtatur, quo ſuperuacanea omnia excutiantur, ſolis retentis neceſſariis. Sic Dominus noſter & dux vniuerſorum dixit: *Martha Martha ſollicita es circa plurima: Porrò vnum eſt neceſſarium.* Viden' vt ſummus veræ ſapientiæ magiſter, cribratis omnibus, vnum dixerit eſſe neceſſarium, cætera qualia qualia eſſent ſuperuacanea? & illud quidem ſic deſcripſerit, vt partem eam quam Magdalena, reliquis abiectis omnibus, elegerat, dicat nunquam ab ea auferendam? At dic, quæſo, quid illud eſt quod nunquam auferetur? Nempe caritas & amor, quo Deo indiſſolubili vinculo colligamur. quo vincta Magdalena ad pedes Domini, neglectis atque cõtemptis cunctis aliis, immota deſidebat, ſolo ſe paſcens verbo diuino, veriſſima ambroſia, immortalem vitam datura. Breuiſſima itaque ſumma totam veræ ſapientiæ latitudinem ſola vnius voculæ wis ichnæa conuerſione comprehenſam videmus: quam ſi, perinde atque meretur, explicare niteremur, vix ſpiſſum ſufficeret volumen. Quòd ſi etymologiam ipſius wis in prima ſua elementa ſolueremus, mox ad eam ſapientiam raperemur, quam Salomon nobis depinxit; cuius vim & potẽtiam tam latè extendit, vt & per eam Deus omnia crearit, & antequam crearet, ei perpetuò fuerit vnita. wis enim in wi-is ſolutum idem ſignificat quod Latinus diceret, latè eſt. quo intelligimus veram & primam ſapientiam illi ſoli conuenire, qui ſolus ipſum patris dilatat Eſſe, tum in ſe, tum in omnibus rebus creatis. Sicut enim ſolus Deus eſt, ita ſolus Dei filius latè eſt, ipſum eſſe patris per omnia dilatans. Sed quis hic ſit vel modus vel finis contemplationis? Nos, ſi Dei ſapientia vitẽ mentemq. noſtram dilatet, breui libello hanc vocem trilitteram enucleabimus: hic ſatis eſto, per tranſennam eminus indicaſſe myſteriorum copiam & vbertatem; quæ ſigillatim in lucem proferre & euoluere, nec huius loci eſt, nec mei captus. Trow-wis igitur vox compoſita, ſi per wis, vt verbi notionem offert, explicetur, eum denotauerit, qui demonſtrat veritatem, fidem, fiduciam & fidum matrimonium: At ſi wis, vt nomen, ſapientem in hac compoſitione ſignificare intelligamus, eum habebimus expreſſum, qui ſapiens eſt ſiue peritus veritatis, fidei, fiduciæ & veri connubij. Poſterior autem hæc notio neceſſariò præcedit alteram, eo quòd nemo veritatem aut fidem demonſtrare bene queat, qui non ſit eius quod docere velit peritus. Vtrumque ergo in Trow-wis habemus, & vt ſapiens quis ſit, & vt ſapientiã, quæ firma veritatis, fidei, fiduciæ & cõiugij notitia cõtinetur, aliis tradat. Quã igitur latè patent, veritas, fides, fiducia & fidum coniugium; tam latè ſeſe extendit eius profeſſio, qui hoc ſibi nomen ſumit. Ex Trow-wis autem decurtatum eſt Trowis, & deinde tenui in mediam litteram mutata, & pro Trow Tru iuxta Britannam dialectum ſubſtituto, fit Druis; quæ vox Græcã formulã inflexu ſecuta, Druidas dedit; & hinc in recto Druida Druidæ, vt ex Caſſis fit Caſſida apud Virgiliũ; & ex Hebdomas, Hebdomada hebdomadæ. Videmus itaque quàm arduã rẽ is polliceatur, qui ſe Druidã profitetur: quàm oporteat eum doctũ eſſe veritatis, & omniũ eorum quæ veritas latiſſimo ſuo ſinu cõplectitur, qui Druidæ officiũ poſſit explere: quàm nulli mortalium hoc poſſit nomẽ applicari, qui religionis noſtræ ſe nequeat idoneum præſtare doctorem. Quamobrem nemo hic exſpectet totius Druidarum ſapientiæ deſcriptionem: Sufficit oſtendiſſe, totam religionis Chriſtianæ doctrinam horum profeſſione contineri, nec poſſe vllo modo eum verè Druidam dici, qui nequeat Chriſtiani doctoris officio fungi. Quæ verò Cæſar ſexto Commẽtariorum libro de horum doctrina prodidit, pertinent illa quidem ad ſim-

Sif.

Panis purus Chriſtus.

Druida eſt à Druidis.

Druis verè eſt qui Chriſtiani doctoris fungitur officio.

ad fimbrias quaſdam ſapientiæ; at veram ſapientiam non magis explent, quàm quæuis aliorum, extra veram religionem, vel documenta vel inſtituta. Nec Socrates, nec Plato, nec omnino quiſquam philoſophorum tantum ſibi nactus eſt ſolidæ eruditionis, vt veritatis queat dici diſcipulus fuiſſe, nedum vel ſapiens, vel ſapientiæ veritatem, fidem, fiduciam & coniugium complexæ, magiſter: quas res & ante & poſt Verbum incarnatum ſoli illi & ſcire & docere poſſunt, quibus Spiritus ſancti gratia eas reuelauit. Qui fuerint verſus illi, quorum multa millia Druidarum pueri ediſcebant, quid item tanto temporis ſpatio audire potuerint, vt quidam ad vicenos annos in diſciplina manſiſſe prodantur, difficile ſit cõiectatu, propterea quòd nihil vnquã eorum quæ docebantur licuerit vel in vulgus efferre vel litteris mandare. Nos ſic arbitramur, & infinitis argumentis docere poſſumus, iam inde à generis humani lapſu certam ſalutis reſtaurandæ fidem & ſpem diuina reuelatione traditam fuiſſe, & eius rei obſcuram quandam & vmbroſam doctrinam ad omnes Adami poſteros & ante & poſt diluuium veniſſe; cuius initium & fundamentum in illis eſt Dei verbis quæ Moſes ad hãc ſententiam prodidit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem* (alloquitur ſerpentem) *& ſemen tuum & ſemen illius, ipſum conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* Hæc enim firma eſt Dei promiſſio, qua mox genus humanum conſolatus, aſſeruit draconem à femine mulieris ſuperandum conterendumque eſſe. Iam quorſum ſacrificia & victimarum cædes? An non hæc clarè demonſtrabant, omnem noſtram ſalutẽ & felicitatem ex victima cæſa exſpectari debere? Mors itaque mortem erat victura; & per mortem vnius victimæ vera vita ſperanda, cuius imaginem & vmbram omnes hoſtiæ denotabant; & ea tantum tenus proderant offerentibus, quatenus ad illam vnam referebantur. Hinc igitur religionis exordia apud mortales, fidei, qua primæ Dei promiſſioni ſine dubitatione crediderunt, innixa. Huius varia documenta apud alios, aliis vel verborũ vel figurarum vmbris tecta, per manus ad Adami & Nochi poſteros perueniſſe nemo dubitabit, qui modò credat Deum nunquam ſponſæ ſuæ defuiſſe; & tantam gratiam in Nocho fuiſſe, vt ambigere nemo poſſit quin is maximo ſemper ſtudio per trecentos & quinquaginta annos, quibus poſt cataclyſmum vixit, laborarit, vt veras de diuino cultu opiniones inter ſuos filios & nepotes ſeminaret. Quod ſi feciſſe eum apud cæteros ſuos poſteros credimus; quanto maiorem ab eo curam putabimus adhibitam, quò Iapetus, cui præ cæteris felicia omnia dicitur precatus, filiis & nepotibus vera traderet religionis documenta? Quamobrem cùm Druidas ſciamus primum generis ſui auctorem Iapetum ſub Ditis nomine celebraſſe, non poſſumus negare, quin & ad eos à maioribus ſanæ de Deo & hominum ſalute deriuatæ ſint traditiones. Quales autem eæ fuerint, ex diuinis nominibus & ſignis hieroglyphicis, & allegoricis veterum vatum fabulis, quibus Orphica & priſca Gallorum theologia velatur, diſcere licebit. In his vt multa ſunt à nobis cùm in Gallicis tum alibi ex craſſis antiquæ ignorantiæ tenebris eruta; ita tota omnium ad religionem pertinentium ſumma ad vnum Tau Gallicum refertur. Per ſolum enim Tau fieri poteſt, vt homines & Galli reuera ſint, & Galli dici mereantur, id eſt, vt ſint homines Deo placentes, qui ſoli verè Gaij & ſunt & dicuntur. Quod ſi ita eſt, & quid ni ſit, quando hęc germana eſt & genuina vocum interpretatio? fateamur neceſſe eſt, Tau Gallicum illud vinculum eſſe, ſiue eum funem, quo Gaius ſibi Gaiam ſuam, id eſt, omnes Gallos alligauit. Meritò igitur crux Chriſti ab vltimo ſuo fine Tau vocatur, eo quòd cruce veluti fune quodam firmiſſimo eccleſia ſponſo ſuo cõnectatur: & quoniã nihil aliud eſt in ſpõſa quo ſponſo ſuo placere vllo modo poſſit, quàm hoc ipſum Tau, optima ſanè ratione & ſignificãtiſſima crux Chriſti Tau Gallicũ nominatur: non illud quidem cognomen à gente ea quæ ſola ſibi Gallorum nomen ſumpſit, ſed à Gallis generatim omnibus, id eſt populis Deo placentibus adeptum. Neque enim ſimpliciter & citra omnem terminatam loquendi formam placentes & pulcri dici queunt, qui non illi placent, cui ſoli placere, verum eſt placere. Abſit enim vt is pulcer dicatur aut Gaius, cui decor ille nõ eſt, citra quem nihil decorũ, nihil pulcrũ in toto mortaliũ genere inuenitur. Bene enim D. Paulus, *Mihi abſit*, inquit, *gloriari in alio, quàm in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Si nulla alia re, quàm ea gratia quam crux nobis conciliat, gloriari poſſumus, ne pulcritudinẽ quidem vllam, qua placere queamus, habere poſſumus, niſi eam ipſum Tau nobis impertiatur. Quamobrem reuera ſola crux

Druidarũ diſciplina.

Sacrificia & victimarum quid deſignarint cædes.

Iapetus Druidarum generis auctor ſub Ditis nomine celebratus.

Tau Gallicum, crux Chriſti.

Chriſti Tau Gallicum meretur vocari; tametſi nomen ſumma infamia apud omnes mortales fuerit notatum. Verbum enim crucis pereuntibus ſtultitia eſt. *Iudæi ſigna petunt*, inquit D. Paulus, *& Græci ſapientiam quærunt: nos autem prædicamus Chriſtũ crucifixum, Iudæis quidẽ ſcandalum, gẽtibus autem ſtultitiã: ipſis autẽ vocatis Iudæis atq. Græcis Chriſtum Dei virtutẽ & Dei ſapientiam; quia ſtultitia Dei omni humana ſapientia ſapiẽtior eſt, & Dei infirmitas & imbecillitas, omni humana fortitudine & firmitate fortior eſt & firmior.* Quãuis igitur ipſum Tau cæteris omnibus infamiſſimũ eſſet opprobriũ, nec quicquã furcifero abiectius; ipſis tamen Gallis, id eſt, vocatis ad ſalutẽ, tanquam Deo placentibus, in ſumma ſemper fuit veneratione. Si enim quos Deus vocauit, ante ſecula vocauit; cur non dicamus gentes etiã Ianigenas iam olim multis ante Chriſti natalem ſeculis & vocatas fuiſſe, & certã accepiſſe ſalutis promiſſionẽ? D. Paulus Timotheũ, & ſe apoſtolũ gentium à Deo vocatũ dicit vocatione ſancta, non per opera ſua, ſed per gratiam datam in Chriſto crucifixo, & id quidem ante omnia ſecula. Idẽ gentes cõcorporatas facit & cohæredes eius gratiæ, quæ per crucẽ hominibus eſt collata. quo fit vt minimè abſurdũ ſit, apud Ianigenas ipſum Tau ex priſca vatũ traditione in perpetua fuiſſe veneratione: nec hoc magis admirãdum, quàm Sibyllã Cumanã oracula de Chriſti natali, & morte, & reſurrectione ceciniſſe. Quis docuerat Magos homines longè ab Iſraëlitis remotos, & omniũ vaticiniorũ Iudæis datorum ignaros Chriſtũ natum fuiſſe, & eundẽ Deum, Regẽ & mortalẽ confiteri? Quis Balamo tã præclara ſuggeſſit de Chriſti regno oracula? Quis? non alius profectò, quàm is à quo omne donũ perfectum pater luminis vniuerſorũ, qui vbi vult ſpirat, & benignã ſuam aurã afflat; nulla vllius mortalium merita, ſed ſolam ſuã gratiam ſecutus. Quãuis igitur è poſteris Semi is naſciturus eſſet, qui per Tau omnes ad ſalutẽ vocatos ſeruaret; fuerunt tamẽ apud alias etiam nationes teſſeræ quædã & ſymbola, quibus redintegrandi generis humani & promiſſio & modus ſignificaretur. Inter hæc fuit ipſũ Tau, quod Gallica lingua ſic ad originẽ vocat, vt ipſius vſum ad ſeruandum deuinciendumq; ſpectare cernas: in quam notionẽ non alij, quàm qui Gallici ſermonis ſunt periti, venire poſſunt. Quàm verò olim hoc Tau fuerit in veneratione, obeliſci Ægyptij & Sphinges, & ſummatim omnia ſigna hieroglyphica demonſtrant, quorum antiquitas omnẽ veterum hiſtoriç ſcriptorũ memoriam longiſſimè excedit. Verùm de his alibi. Hic obiter id annotabo, Tau vocabulũ pro cruce, nõ alio in ſermone, quàm Cimbrico ſignificationis ſuæ rationẽ habere, atq. in eo ſolo intelligi vltimũ eius finẽ & ad cõſeruandum referri, & in conſeruatione totum prorſus abſolui. E quo illud efficitur vt hieroglyphicas Ægyptiorum litteras ad Cimbricũ ſermonẽ pertinere dicere debeamus; & idcirco rectè ab ipſis factũ, vt Phryges, quorũ ſacerdotes Galli vocabantur, quia Deo placerent, & populũ Deo Gaium facerẽt, dicerent linguã habere omniũ primã; & propterea pueros, qui ſoli regnũ cælorum poſſidebunt, panẽ Phrygio ſermone petiuiſſe, id eſt, verum animorũ pabulum in prima lingua multis diuinis vocibus & ſacris notis indicatum. Hinc liquet, è Phrygũ ſiue Gallorũ veterũ ſermone omnes hieroglyphicas Ægyptiorum notas eſſe ad verã intelligentiã vocandas; & fruſtra Grçcos & cæteros omnes laboraſſe, qui Ægyptium ſermonẽ ſuper iis cõſuluerunt. Cùm ergo in his Tau frequentiſſimum videamus, nihil eſt quòd amplius dubitemus ad quã linguam ſignificationẽ eius examinare oporteat. Quamobrẽ gemina ratione Tau cognomẽ Gallicũ accepit; altera quòd ſolis Gallici ſermonis peritis, & ratio vocis & finis rei ſignificatæ perſpicuus eſſet, nec vllius alterius ſermonis præſidio, quid Tau notaret, intelligi poſſet: altera quòd per ſolum Tau homines Galli fierent, id eſt, Deo grati & omnino placentes. Poſſet quis & tertiã ſuſpicari; ob eam nimirũ cauſſam Gallicum etiã vocatũ fuiſſe, quòd Galli omnẽ ſalutis ſuæ fiduciã in eo collocarẽt. Sed de Tau in litteris hieroglyphicis plura, vbi docemus litterarũ viginti duarũ, quas Hebræi nominibus nihil ſani ſenſus apud ſe cõſtruentibus enumerant, vltimam Tau propterea poſitam nominatamq. fuiſſe, tum quòd omnia ſacra, omnes ritus, omnes cærimoniç, omnes veteris legis vmbrç ad Tau tanquã ad vltimũ ſuum finẽ referri debeant; tum quòd & quamobrẽ referri debeant, ipſa voce explicetur; quæ demonſtrat, crucis finẽ eſſe conſeruationẽ: & ſimul qui modus conſeruationis eſſet, ipſa figura litteræ denotetur. Sed de Tau ſuo loco, vt dixi copioſius: nunc ipſum ad Druidarũ diſciplinam accõmodemus. Hos de nominis interpretatione docui magiſtros fuiſſe veritatis, fidei, fiduciæ, & fidi coniugij: at cùm ſimplicite

Ianigenæ gẽtes multis ante Chriſti natalẽ ſeculis vocatæ ad ſalutem.

Hieroglyphica Aegyptiorum notæ ad veram intelligentiã vocandæ ex Phrygio ſermone.

Phrygum lingua, prima omnium.

Tau Gallicũ quare dictũ.

Tau litteras omnes homines Gallos facit.

citer hæc efferantur, nulla re præcipua, circa quam veritas & cætera, quorum doctores eſſe dicuntur, verſentur, determinata, neceſſe eſt vt omnia queadmodum dicuntur indefinitè; ita ad illa referantur quæ ſimpliciter & ſupremo quodã modo tales nomenclaturas merentur. Quamobrẽ illud dumtaxat Verum intelligendum, quod in verorum genere ſupremum eſt; illud fidum, quod ſumma veritate nixũ: & eadem ratione fides & fiducia, ad eam animi affectionẽ applicandã, quæ & firma eſt, & in firmo fundamẽto cõſtituta. Cæterùm quoniã quadrifariam vocẽ Trow in vſum dicimus venire; ſemel dum Tis een trow woꝛt, reddimus verũ verbum: rurſus dum By myn trow, per fidẽ meam notare dicimus: iterum dum een trow man, fidum virum intelligimus: poſtremò dum trow, pro matrimonio iungo interpretamur, videamus oportet quid ſit in primaria, quid in ſecundaria notatione. Id ſtatim aperiet prima vocis formatura, cuius totã rationẽ ex ichnæa cõuerſione dixi petitam. Si enim ex woꝛt fit trow, neceſſarium eſt, illam primam huius vocis eſſe notationẽ, quæ de vocis woꝛt veſtigiis retrò lectis deprehẽdetur. Quamobrẽ ſicut filiũ gigni genitura æterna in cogitatione noſtra prius eſt, quàm infinitã patris poteſtatẽ declarari; atq. ita woꝛt breui vocali prius quàm woꝛt vocali lõgã pronunciatũ, Verbo æterno infinitos æterni patris abyſſos exponenti, primùm videtur illud neceſſariò adhærere, vt ei fidẽ habeamus. Quis enim patrẽ nouit niſi filius? Quod ſi ſic eſt, fides Verbo primùm debetur & certa fiducia, quàm in veri veniatur cogitationẽ. Quando enim prius nos noſtraq. omnia nouiſſe debemus, quàm quicquã veræ ſapientiæ, quę in diuinis cõſiſtit, nanciſci queamus, vt Pythio oraculo, & multo clariùs vocula wis, quã ſapiẽs notatur, docetur; examinandũ quomodo res in iis habeat, quę de cuiuſpiã alterius relatu diſcimus. Certe quæ demõſtratione per principia & cauſſas cognoſci nequetũ, ea tum demum vera eſſe credimus, ſi fidem ei habeamus, à quo dicuntur: quo fit, vt veritatis in his cognitio ſola fide nitatur. Quocirca quoniã nulla cauſſa nullum principium prima cauſſa prius eſt, per quam doceri demonſtrariue poſſit; neceſſariò omnis ſolida Dei notitia ex fide pendebit. Hinc Plato diuinorũ ſcientiam ab ipſis Diis ad homines primos veniſſe, & inde ad poſteros deriuatam eſſe, nõ vno loco fatetur. Quia ergo Verbo Dei, vti ex ipſa prima cauſſa ſempiterno ſatu genito, fidem habemus: eodẽ modo hic ordinẽ conſtituemus, quo in rebus, quas de auditu tantùm ſcimus, fieri ſolere mõſtraui. Quamobrem quod Verbum Dei enunciat, ea de cauſſa verum eſſe credo, quia Verbo Dei fidem habeo: atque inde efficitur, vt prius in fidem & fiduciam per ichnęam ipſius woꝛt conuerſionem veniendum ſit, quàm in cognitionẽ veritatis, quæ tota ex ſola fide pendet. Primùm ergo Druidæ docent, Dei Verbo credendum; & credendum quidem, quoniam per hoc ſolum omnia eſſe ſuum accipiunt, vt woꝛt vocali breui elatum declarat. Mox inde efficitur, vt Verbum Dei verum ſit. Sed quia ex Gallico ſiue Cimbrico ſermone Druidarum doctrina cognoſcenda; videas qui Verum in eo primaria, non analogica voce dicatur. War vocali longa idem notare quod Verum, vt nemo vernaculorum noſtratium ignorat; ita Latini Veri nomen ex eorum retinuerunt dialecto, qui more Zelandorum, & quarundam etiam aliarum gentium pro war wer efferunt. Dicitur autem war quaſi wi-ar, id eſt, longè lateque quippiam in ſua natura facio manere: quod quid aliud eſt, quàm rem quampiam conſeruare & cuſtodire? War igitur vt verbum vſurpatum, idem eſt quod cuſtodio tueorque: à quo war nomen idem eſt quod verum; propterea quòd Verum omnium ſupremum cunctarum rerum eſſe conſeruet. Quiſquis ergo Deo credit, & quia credit ea quæ dicit, vera eſſe iudicat, is neceſſariò cõſeruatur per veritatem. Quamdiu itaque Adam Deo fidem habebat, & verba eius vera exiſtimabat, in ſtatu felicitatis ſuæ tutus permanebat, non alterius quàm veritatis præſidio ac cuſtodia. Hinc wart pro cuſtodia & ſatellitio dicimus, quod Itali in Guarda corruperũt, digamma in Gu mutato. Verùm poſtquam fides eius à dracone & muliere eſt labefactata; veritatis præſidium confeſtim eum deſeruit, & ſe ab omni tutela nudum conſpexit. Incidit igitur mox in contraria omnia, magna eius, quod fidem Deo non habuiſſet, correptus pœnitentia, in quam ichnęa war conuerſio nos deducit. Et eſt ſanè hic primus ad veritatem omnia ſeruantem redire volentibus gradus, ſi deſertæ veritatis pœnitentia ducantur, quæ Raw Cimbricè vocatur. Sed ea nullo modo ſufficit, niſi lignum vitæ deguſtent, de quo necdum agimus. Iam quoniam ex fide ad Verum, ex Vero ad cuſtodiam ventum eſt; pergamus porrò ad id quod primùm naſcitur ex cuſtodia. Quis eſt

Trow vocabuli quadrifarius vſus.

woꝛt.

Verbo Dei primùm fides habenda, &c.

Verus, a, um.

War *vocabuli etymon.*

Adam quãdiu in ſtatu felicitatis ſuæ tutus permanſerit.

Wart. *Guarda.*

Raw *fit ex* War *conuerſo.*

omnino,qui non omnibus viribus, omnibus neruis ad id eueſtigio contendat, cuius ſe præſidio ſemper tutum fore ſciat? Quis,cui eam ſciat eſſe poteſtatē vt omnia cuſtodiat, ei nō totum ſe tradat, & ei omnia ſua fidat? Quamobrem veritati, in cuius notitiam ex fide venimus, promittenti ſeſe omnia præſidio ſuo conſeruaturam, fidendum omnino citra dubitationem: quo fit,vt tertio loco **trow** idem ſit quod vel fido vel fiducia. Porrò cui omnem ſalutē noſtram fidimus, ei perpetuò cupimus adhærere, quò perpetuò aduerſus omnia terriculamenta & omnia pericula tuti ſimus,nec quicquam omnino metuamus. Innaſcitur ergo ex hac fiducia menti noſtræ amor quidam coniugalis, quo copula indiuidua ei iungi cupimus,cui omnem ſalutē noſtram fidimus: quod cùm nominum architectus vidiſſet, voluit vt **trow** quarto loco,idem eſſet quod matrimonio iungo. Hic enim finis eſt fidei, vt mens noſtra Deo indiſſolubili coniugalis amoris vinculo perpetuò iungatur. Incrementa autē huius amoris & ſtimuli magno fiduciæ exemplo nutriuntur, dum credimus firma fide Verbum carnem aſſumſiſſe, quò ad veritatem omnia cuſtodientem, quam deſerueramus per incredulitatem noſtram, iterum nos reduceret. Verbum igitur incarnatum magni conſilij angelus in hunc mundum venit,vt ei fidem haberemus, ex fide veritatis cognitionem, hinc fiduciam ſiue certam ſalutis ſpem,mox inde amorē & caritatem, qua mens noſtra cupiat ſe ſempiterna copula cum eo coniungere;ex quo ſolo omnem conſeruationis& cuſtodiæ ſuæ ſuſpendit fiduciam.

Copula crucis Christi animam noſtram firmo connubij nexu ſponſo ſuo deuincit.

Quæ verò hæc copula eſt,quę animam noſtrā firmo connubij nexu ſponſo ſuo deuincit? Id Gallicus item ſermo nos docebit,ſi quæras vocem qua firmiſſimum vinculū notatur. Diſquiratur itaq. certum genus vinciendi, quod maxima polleat ad tenēdum firmitate: quæratur is funiculus,quem Eſaias vt nūquam rumpendū eſſe;ita eum fore,quo Chriſtus ſuam ſibi ſponſam alligaturus eſſet, iam multo antè, quàm connubium ſanciretur,prædixerat. Hunc Eccleſiaſticus indicabit, aiens funiculum triplicem difficillimè rumpi. Nunc itaque videamus quî & veteres olim Galli id funis genus vocarint,& noſtrates vocent hactenus.

Taw vocabuli etymon, & ſignificatio.

Firmiſſimum profectò funem **Tau** dicimus,& eo, ipſa vocula tribus litteris conſtante, triplicem nexum intelligimus. Plato neſcio vnde didicerit, Tau litteram ad vinciendum idoneam eſſe: bene certè habet, & ipſam litteram primam hic eſſe in fune denotando, & ipſius nomen funis habere notationem. Iam vox in partes ſuas ſoluta **Te-hau**,demonſtrat ipſum Tau ad hoc comparatum eſſe,vt teneat. Quamobrem non poterit non firmiſſimum verbi & mentis noſtræ connubium eſſe, ſi hoc fune, quem Tau vocamus, deuinciatur. Verùm vt propius copulam inſpiceremus, voluit architectus vt eadem vox crucem denotaret, idque magis propriè & potiore ratione,quàm quemuis alium funem; propterea quòd ſola cruce eccleſia ſponſo ſuo eſſet connectenda; & ſic connectenda, vt non ſolùm detineretur firmiſſimè, ſed etiam vt hac copula ſeruaretur, quod eadem vocula denotatur. Funes quiuis ligant & retinent illi quidē annexa, verùm conſeruare non poſſunt; atque idcirco non explent totam ſignificationis, quam Tau offert,latitudinē, quæ conſeruandi etiam ſuggerit notionem: & illam quidem nec in fune quouis, nec quauis cruce repertam, ſed in illa ſola, cui Chriſtus fuit affixus. Crux ergo quæuis alia, Tau dicitur; at non plena notationis ratione, eo quòd affixum teneat illa quidem firmiſſimè,verùm non ſeruet. Iam in Tau alia adhuc crucis Chriſti vis indicatur, dum in **Te-au** ſoluitur. Docet enim crucem non ſolùm idoneam eſſe ad tenendum & ſeruandum, ſed per eam etiam fieri, vt is qui eius vinculo Chriſto alligatur, ad patrem quoque perueniat,qui **Au**, id eſt, antiquus per excellentiæ figuram vocatur. Quid? Eadem vocis analyſi intelligimus,crucis Chriſti vinculo in antiquum felicitatis ſtatum reſtitui vniuerſa. Cùm itaque omnes hæ ſignificationis cauſſæ in Tau repertæ ſoli cruci Chriſti conueniant, fateamur oportet, hanc voculam huic ſoli omnibus modis conuenire; cæteris crucibus prima ratione dumtaxat. Sic igitur cogitemus, ſolum Tau eſſe,quo connubium verbi & mentis colligatur, ex eo ſolo omnem dependere ſalutē,eo ſolo antiquo ſtatui reſtitui omnia, eo nos ſolo ad patrem vniuerſorū peruenire. O mirabile vocabulum! ô mirabiliorem nexum! ô mirabiliſſimam ſalutem! Sed creſcet miraculū, ſi trilitteram hanc voculam vlteriùs expendamus. Vidimus modò ſupremi coniugij copulam,vt firmiſſimam,ita beatiſſimam prorſo vocis ſono denotatam. quē ſi retrò legamus,docebimur qua via eò peruenire poſſimus, vt vinculo hoc tam ſalutari alligemur & ſeruemur,& reliqua conſequamur quæ ſignificationis

cationis rationes pollicentur. Nam 𝔙at idem nobis eſt quod apprehende. Monemur itaq. nihil nobis hoc vinculum profuturum, niſi ipſum apprehendamus, & firmo fune apprehendamus. quod docemur dum ex 𝔙at rurſus in Tau redimus progreſſu orbiculari. Quo ergo fune apprehendemus ipſum Tau vt ipſum firmiter teneamus, vti nos facere debere ichnæa conuerſio demonſtrat? Quo alio, quàm triplici, & eo quidem ex iis connexo, quæ vox 𝔱𝔯𝔬𝔴 indicauit. fidem igitur Christo crucifixo, tanquã verbo vero, habeamus; & dum verũ per fidem agnoſcimus, fiduciam & certam ſpem ſalutis ex eo manantis concipiamus; & deinde ex fide & certa ſpe, & conſideratione eorum circa quæ hæc duo verſantur amore inflamemur, qui nos rapiat feruentiſſimo ardore ad eius coniugium, à quo tantum accepimus veritatis, promiſſionum & beneficiorum. Hic igitur eſt funiculus triplex, fidei, ſpei & caritatis nexu conſtans, quo ipſum Tau nobis eſt & apprehendendum, & forti manu retinendum. Neque enim nos ligabit aut tenebit, aut ſeruabit, aut ad patrem deducet, niſi nos ipſum apprehendamus & triplici hoc funiculo nobis alligemus. Attamen quemadmodum 𝔗au prius eſt quàm 𝔙at, eo quòd hoc ex illo ichnæo partu generetur; ita ipſum Tau nos prius apprehendet per ipſum verbum ei affixum, quàm nos ipſum apprehendere poſſimus. Mutua igitur eſt ſponſi & ſponſæ apprehenſio, ſed prior ſponſi quàm ſponſæ; prior verbi, quàm eius qui verbo credit & confidit. Sic Christus apud D. Ioannem dixit: *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Illius ergo eſt trahere ex ipſo Tau, & per ipſum Tau; noſtrum verò trahentem apprehendere, & firmo funiculo retinere. Quod igitur Iudæi ex Chriſti ore intellexerunt, ipſum in cruce exaltandum, & in ea omnia ad ſe tracturum; hoc nos in ipſo Tau expreſſum videmus. Tau enim prius apprehendit ac tenet, quod per 𝔙at denotatur, dum verbum eſt tertiæ perſonæ, quàm illud exſequi poſſit homo; quod 𝔙at monet, dum verbum eſt, ſecundæ cuipiam perſonę imperans. Diuinus ergo ſancti Spiritus inſtinctus vocum architecto illud vocabulum ad crucem denotandam ſuggeſſit, quo ſimul infinita & ſtupenda myſteria Ianigenis exponerentur. quæ perſequi, quantæ operæ, quantæ pietatis, quantæ ſit eruditionis & eloquentiæ, quia nemo Chriſtianorum ignorat, non eſt quòd nos in ea viriũ noſtrarum tentemus imbecillitatem. Ex his ſaltem quæ de 𝔴𝔬𝔯𝔱 & 𝔱𝔯𝔬𝔴, 𝔱𝔞𝔲 & 𝔳𝔞𝔱, & eorum mutuo complexu breuiter perſtrinxi, coniecturam facere licebit, quàm latè verorum Druidarum profeſſio in omnem religionis Chriſtianæ amplitudinem & maximè ad intima eius penetralia & ſancta ſanctorum porrigatur. Hinc item clarè cernetur, Tau à Ianigenis ſacerdotibus & lingua & profeſſione Gallis, quorum doctrinam apud Phrygas olim viguiſſe plurima docent veterum monumenta, ad Ægyptios perueniſſe; in quorum hieroglyphicis vt eſt frequentiſſimum, ita à ſolis hominibus ſermonis noſtri peritis myſterium eius de vocis interpretatione poteſt explicari. Tabula apud Bembos conſeruata plurimas habet ſacras eorũ figuras, qui Tau habent manibus apprehenſum, pro eo ac vocis ichnæa conuerſio faciendũ eſſe demonſtrat: quarũ explicatus frigidiſſimus ſit, aut potius nullus futurus, niſi doceatur ſymbolũ cum voce, & vocem cum ſymbolo conuenire. Quando igitur ij, qui ſe ipſius 𝔱𝔯𝔬𝔴 doctores profitentur, bene partibus ſuis defungi nequeũt, niſi verbi & mentis noſtræ coniugium per ſolum Tau deuinciri poſſe demonſtrent; perſpicuũ eſt, hanc contemplationem maximè ad eos pertinuiſſe; & Tau meritò dici Gallicũ, cùm quòd ſoli Galli, quid Tau ſibi velit intelligant, tum quòd hoc ſolo vinculo eccleſia verbo ſuo, id eſt, Gaia Gaio placere coniungiq. poſſit. Vt autẽ Tau Gallicũ Maro dixit; ita magno omnes conſenſu Alaudæ vocabulũ ad Gallos refertur: quo illud ſeniũ auiculæ denotatur, quo omniũ rerum ætas ſuperetur atq. vincatur, vt in libello ei dedicato latiùs oſtendi. Huius igitur caput tymbo ſiue cono, vitæ ſymbolo, inſignitũ, ſepties ſupremũ ſcipionum apicẽ in hieroglyphica Bembi tabula abſoluit. Quãobrem non Tau modò, ſed hæc etiã hieroglyphica nota ad Gallorum ſacerdotes referatur neceſſe eſt; propterea quòd nec allegorica de alaudę ſenio fabula, nec ſymboli ſacri ratio ex alio, quàm ex Gallico ſermone queat habere interpretationẽ. Summatim quicquid in primo ſermone, qui apud Ianigenas mãſit, myſteriorũ cõtinetur, id totũ ad Druidarum pertinet profeſſionẽ, tantùm abeſt vt eam exiguo hoc libello totam cõplecti aut velim, aut poſſim. Quę verò apud Iuliũ Cęſarẽ ſunt eorũ documenta, ea nec noſtræ egẽt cõmemorationis, cùm cõmentaria eius omniũ manibus terantur; nec opus habent aut

Vat.

Funiculus triplex, fidei, ſpei & caritatis.

Bembi tabula.

Alauda libellus ab auctore dicatus.

Diem à nocte auſpicari, naturæ maximè conſentaneum.

Materiæ prima nomina.

noſtro, aut alterius explicatu. Id vnũ in Gallicis annotaui, non eam ob cauſſam quã Iulius Cęſar expoſuit, Gallos dic̃ à nocte exordiri. Æquè enim Hebręi ac Druidæ, ſic cenſuerũt dierũ naturalium, qui viginti quatuor horas cõplectuntur, ineundã rationem, vt eorum exordium noctes faciant; tametſi Ditẽ primum ſuum patrẽ minimè iactarent. Seruatũ eſt hac in re idẽ quod in totius vniuerſi generatione, in qua informẽ materiam priorem forma omnes antiqui collocarunt; eamque alij noctẽ, alij Chaos, alij tenebras, alij abyſſum, alij alio nomine indigetarunt. Heſiodus noctem ex Chao procreat, & mox ex Nocte Æthera & Diem: apud quem illud mihi audire videre, quod à Moſe de eadẽ re traditum habemus: *Et tenebræ erãt ſuper faciem abyſſi*. Ariſtoteles materiã velut Chaos quoddam generationi ſubiicit, cui priuationem, ceu noctem quandam, adeſſe pronunciat. Omnia autem hæc eòdem referenda, primam rerum creationem naturæ

Imperfectũ prius eſt re perfecta.

nobis ordine proponunt; qui, quod imperfectum eſt & formæ indigum, perfecta re & formata prius facit & antiquius: quod verum quidem eſt in iis omnibus, in quibus per motionem aliquam ad perfectionis finem peruenitur. Cùm igitur Sol generationem temperet ac moderetur, & in generatione priuatio prius materiæ adſit, quàm forma priuationi contraria; meritò tenebræ lucẽ, & nox diem præcedit. Profectò quæcumque mouentur, ab eo motionis habent initium, in quo eſſe & acquieſcere nolunt; quódque minoris faciunt, quàm id ad quod mouentur atque contendunt: quod niſi ita eſſet,

Nox motus principium, ſiue terminus à quo fit motus: dies motionis finis & perfectio.

Nacht.

non mouerentur, ſed in eo, in quo ſunt, acquieſcerent. De vocis ergo ſignificatione, qua Cimmerij noctem vocant, liquet, motus principium ſiue terminum à quo fit motus, noctem eſſe; & diem id ad quod motio contendit, veluti motionis finem & perfectionem. Acht enim idẽ eſt quod magni facio ſiue in pretio habeo, à quo nomen Nacht, quaſi Nie-acht, id eſt, nihili facio, ea formula qua ex Iet, quod eſt aliquid, fit Niet, id eſt, nihil. Hinc itaq. perſpicuũ, ex eo, quod nihili ducimus, nos moueri, & magno deſiderio ferri ad id quod in magno pretio habemus. A Nacht igitur ferimur ad Dach ſiue Dag, id eſt, à nocte ad diem: & Nacht quidem id notat, vt dixi, quod nihili ducitur: à qua

Nox Latini, & νὺξ Græci vnde habeãt.

Dach.

voce Græcis νὺξ, & Latinis Nox. Dach verò dies dicitur, quaſi De-acht, id eſt, ipſum illud quod plurimi æſtimatur: qua in vocula T finale, quod eſt in Acht, omittitur, ne nihil differat à Dacht, quod eſt cogitabat. Scribitur autem potius per G finale, quò pronunciatio ex imo gutture ducta augeat diei æſtimationem. Hinc modò liquet, nihilo plus venerationis ipſi nocti à Cimbris tribui, quàm ab Ariſtotele priuationi; decipiqúe eos, qui ex hoc generationis ordine dignitatem metiuntur & honores; cùm è diuerſo quæ in generatione præcedunt, ea dignitate & perfectionis laude ſint poſteriora. Cùm ergo Orpheus noctem matrem omnium vocat; non aliud dicit, quàm ante om-

Nox quare mater omniũ vocetur.

nia tenebras fuiſſe: eodem modo Heſiodus audiendus; quorum vterque à maioribus idem accepit quod à Moſe traditur, Mundum videlicet ex nihilo creatum fuiſſe, vt noctis nomine Nihil intelligatur. Quod ſi altiùs acutiusque philoſophari velis, atque id quod ſimpliciter tuetur veritatem, ad aliud detorquere; per noctem intelligere poteris infinitum patris abyſſum; è quo verbum cuncta in lucem produxit. Verùm hoc non quadrat cum Cimbrico noctis nomine, quod planè docet noctem nihili prorſus fieri debere, vti luci & diei, rebus in ſummo pretio habendis, contrariam. Diei enim ſic nomen poſitum eſt, vt non plurimi tantùm æſtimanda indicetur, ſed ipſa etiam rerum æſtimatio eſſe dicatur, quod De-acht ad verbum exprimit. Poſſem hic multa de priuatione & forma, multa de ignorantia & ſcientia, quarum illa nocti, hęc diei reſpondet; multa de noctis ac diei operibus diſputare, de vocum Cimbricarum interpetatione, ſed nobis breuitas in tanta rerum copia ſtudioſè quærenda: in quam, licet non alia quàm ſumma dumtaxat capita eminus oſtenderentur, magnum tamen volumen conferendum eſſet. Ridere interim lubet Græcorum Grammaticos, qui νὺξ à νύσσω deriuant, cùm claro clarius ſit, νὺξ & nox ex eadem radice pullulaſſe: & ſic ex Nacht Nox, ſicut ex Recht Rex, & ex Merct Merx deriuari debuiſſe: at vocalẽ a, apud Græcos in υ, apud Latinos in o tranſiiſſe. Diei autem nomen ab eodem deductum eſt fonte à quo

Dien.

Dies vocabulum vnde habeant Latini.

Dis. Dien enim eſt promouere, à quo Dies dicitur, eo quòd omnia promoueat. Quamobrem ſi Cimmerij ad generis auctorem in noctium & dierum partitione reſpexiſſent, à die potius, quàm à nocte numerationis ſumpſiſſent exordium. Quando igitur, vti modò ſæpius dixi, mihi propoſitum non eſt, totam Druidarum doctrinam diſcutere; &

nunc

nunc ſatis indicaui adumbrata quædam totius religionis apud eos fundamenta extitiſſe, illuſtriſſimis verbis & arcanorum pleniſſimis comprehenſa; hoc vnum mihi reliquum video, vt quàm potero breuiſſimè declarem, quid quercus & viſcum celeberrima eorum ſymbola deſignent. Adſcribemus itaque Plinij verba, hominis in Gallia non citra curioſam inueſtigandarum rerum diligentiam verſati. Hic de viſco agens: Non eſt, inquit, omittenda in ea re & Galliarum admiratio. Nihil habent Druidæ (ita ſuos appellant Magos) viſco, & arbore, in qua gignatur, ſi modò ſit robur, ſacratius. Iam per ſe roborum eligunt lucos: nec vlla ſacra ſine ea fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione Græca poſſint Druidæ vocari. Enimuerò quicquid adnaſcatur illis, è cælo miſſum putant, ſignumque eſſe electæ ab ipſo Deo arboris. Eſt autem id rarum admodũ inuentu, & repertum magna religione petitur, & ante omnia ſexta Luna; quæ principia menſium annorumq. his facit, & ſeculi poſt triceſimum annum; quia iam virium abunde habeat, nec ſit ſui dimidia. Omnia ſanantem appellantes ſuo vocabulo, ſacrificiis epuliſque ritè ſub arbore præparatis, duos admouent candidi coloris tauros, quorum cornua tum primùm vinciantur. Sacerdos candida veſte cultus, arborem ſcandit: falce aurea demetit: candido id excipitur ſago. tum deinde victimas immolant, precantes, vt ſuum donum Deus proſperum faciat his quibus dederit. Fecunditatem eo poto dari cuicumque animali ſterili arbitrantur, contraque venena omnia eſſe remedio. Tanta gentium in rebus friuolis plerumque religio eſt. Hæc Plinius. In quibus & miror & doleo, Gallicum viſci nomen, cuius interpretationem dedit, ab eo expreſſum non fuiſſe, cùm cæteroqui ſoleat Gallicas voces lubenter indicare, in rebus etiam iis in quibus eas ſciri non magni faciendum videri queat. Verùm video quid obſtiterit. Non habebat litteram, quæ conſonantem eam quæ nomen exordiebatur, integro ſono referret; propterea quòd eius poteſtate in auribus feriẽdis prorſus carerent Latini. Equidem partim ex hac coniectura, partim ex Pliniana interpretatione, partim ex voce, qua hactenus Galliæ incolæ vtuntur, ipſiſſimum nomen inueni, quod Plinius nec ſcriptum reliquit, nec Latinis litteris ſcribere potuiſſet. Et certè ſi ſonum exprimere quiuiſſet, nullo modo ſilentio præteriuiſſet tam inſigne venerabilis rei nomen, vt omnium promitteret ſanationem. Cùm ergo hodie *Guy* apud Gallos pro viſco arborum in vſu eſſe communi ſciamus, citra omnem dubitationem & ſcrupulum aſſerimus, hoc nomen ex illo, quod Plinius non expreſſit, eſſe corruptum. Antiquiſſimam autem eius vocis originem eſſe, mos in Gallia hactenus obſeruatus argumento eſt luculentiſſimo. Diſcurrunt iuuenes ipſo anni exordio per vicos oſtiatim vociferantes, *Au guy l'an neuf*, id eſt, ad viſcum, annus nouus. Vt autem conſuetudo hæc vetuſtiſſima apud omnes ferè Gallos in hodiernum vſque diem perdurat; ita Picardi huic celeumati acclamare ſolent, *Planté Planté*, id eſt, Vbertas vbertas. bono omine videlicet ac bonis nominibus felicem omnium rerum copiam precantes. Cùm igitur id tota ferè fieri Gallia conſueuerit, nec cur fiat, ab iis ipſis, qui ad viſcum conclamant, intelligatur; dubium eſſe nemini debet, quin hic mos à priſcis vſque Gallis ad hæc tempora ſit retentus; vti paſſim multa veterum rituum veſtigia, quorum cauſſæ iam olim deſierunt, apud plurimas gentes videmus retenta. Artemiſia nobis S. Ioannis herba vocatur, & huius diui vigiliis & feſto die omnes ea ſeſe cingunt & coronant, nec non limina prætexunt. Cuius rationem ſi rogentur, neſcio quas nugas de Laruis & Lemuribus exponunt; cùm nobis certum ſit, Artemiſiam Iano ſacram olim fuiſſe, eo quòd pedibus robur ad itionem, cui Ianus præſidebat, adderet: quæ res deinde ad D. Ioannem tranſlata eſt propter nominis ſimilitudinem; quoniam nimirum eos quos alij Ioannis nomine vocant, nos Ianos dicamus. Ianus enim nobis à 𝔊𝔞𝔫 dicitur, G in I conſonantem, propter cognationem, mutata. Et Artemiſia 𝔅𝔶-𝔳𝔬𝔢𝔱 vocatur, eo quòd pedibus præſidio ſit & adiumento. Quando itaque antiquæ conſuetudinis ratio eos latens à quibus obſeruatur, perſpicuum eſt & luculentum indicium inſignis vetuſtatis; dicemus Guy certum eſſe priſcæ vocis veſtigium, qua

Ad viſcum Druidæ, Druidæ clamare ſolebant:

non eſſe tamen ipſam germanam vocem, eo quòd hanc Latinis litteris Plinius facilè ſcribere potuiſſet. Quæ autem vera & integra vox fuerit, cuius noſtratiũ procliue ſit ad coniectandũ, cùm nemo ignoret nobis digamma illud eſſe frequẽtiſſimũ, quod gemino

Viſci nomen Gallicum quare Plinius omiſerit.

Guy, Galli viſcum vocant.

Au guy, l'an neuf, vnde Gallis in ore.

Artemiſia herba quare S. Ioannis dicatur, & huius Diui vigiliis omnes ſe cingãt.

Ianus & Ioannes idem nomen.

Ianus vnde dictus.

𝔅𝔶 𝔳𝔬𝔢𝔱 herba quare ſic dicta.

Gu pro VV ſcribunt populi Romaniʒantes.
V conſonanti, digamma etiam vocato notamus, & eo Græcos, Latinos & Hebræos iuxtà omnes carere. Quotquot igitur Romaniſant populi, pro hac littera Gu ferè ſcribũt; ita vt ex Wil-helm noſtrati, Guilielmum faciant; & ex wart Guardam. Eodem igitur modo ſi Guy ad priſcam Gallorum linguam reducas, pro Guy, wy habemus. Et bene quidem hæc proceſſit coniectura: ſed videndum modò, an wy ſiue wi vocali longa, cuius loco duplicem litteram pingimus, id ſignificet, quod Plinius ex voce Gallica Latinis hominibus interpretatur. Admiranda ſanè eſt huius voculæ notatio, & plurimis rebus communis, analogia quadã eodem ferè tendentibus; quas vt omnes quàm breuiſſimè Latinis exponas, non alia dictione promptiùs conſequaris, quàm ſi omnia ſanantem reddas. Wi enim primò & propriè nobis illud ſignificat, quod longè lateq́. Latinis, ſiue quod latè patet: ex natura litteræ duplicis V ducta ratione. Sic dicimus, tis wi van hier, id eſt, magnum hinc ad illud eſt interuallum. At wi vt verbum vſurpatum idem eſt quod dilato. Iam quia nihil latiùs longiusque ſe extendit, quàm vis diuina omnia conſeruans, & vnumquodque in ſuo genere beans & plurimum promouens; voluit voculæ faber, vt wi in ſacris idem eſſet quod conſecrare. Quæ enim conſecrantur, ad vſum latiſſimum diſponuntur, vt nimirum quamplurimis proſint, & omnium felicitatem quàm maximè dilatent. Hic enim proprius eſt ſacrarum ſiue rerum ſiue perſonarum finis, vt per eas omnia bona mortalibus dilatentur. Iuuenalis dum breui ſumma omnium precum & votorum latitudinem includere vellet, hoc vnum optandum dixit, *vt ſit mens ſana in corpore ſano.* Breuiſſimam ille quidem fecit orationem, at multo breuiorem is indicauit, qui cõſecrare ſic expreſſit, vt ea dilatatio comprehenderetur. Voluit enim intelligi, omnium bonorum amplitudinem per ſacra nobis contingere. quæ cùm omnia noſtra mala, quália qualia ſint, curet, rectè Plinio dictum eſt hanc plantam eo nomine vocari, qua omnium ſanatio comprehenderetur. Preterea quoniam lolium & cæteræ noxiæ herbæ creſcendi latitudinem frugibus impediunt, voluit ſermonis auctor, vt wi etiam poneretur pro eo quod eſt, noxia & ſuperflua extirpo. Quid verò eſt ſanare, niſi hoc ſit ſanare? Et ſanè hoc eſt ſacerdotum proprium munus, vt bona dilatent & noxia eradicent: hoc item medicorum officiũ, vt benignos corporis humores augeant, noxios expurgent. Nec aliter de magiſtratu exiſtimandum, cuius partes vniuerſæ hoc vno continentur, ſi bonorum numerum latiorem reddant, & malos è reip. pellant. Quoniam itaque wi verbum tria hæc ſignificet, dilato, conſecro & noxia expurgo; & inde nomen factum ſit eiuſdem ſoni ad Viſcum denotandum; profectò Plinio interroganti quid wi ſignificaret, optimè reſponſum eſt, ea vocula plantam notari omnia ſanantem. Quid enim vlterius ad ſanitatem vniuerſorum deſideraretur, ſi per ſacra pietas dilataretur, & omnes cùm corporis, tum animi morbi expurgarentur? Ex eadem radice win nomen accepit, quod Latini in Vinum, Græci in οἶνος commutarunt; eo quòd hic liquor non ſolùm hominis & benignum ſanguinem & ſpiritus vitæ neceſſarios excellentiſſimo quodam modo dilatet, ac noxios tum fumos tum humores expurget; ſed quòd mentem etiam quadam tenus conſecret ac diuinam reddat; eamq. talem præſtare videatur, qualis eorum eſt, qui diuino Spiritus ſancti afflatu accenduntur. Hinc illa Apoſtolorum credita ebrietas, dum flamis Spiritus ſancti incaluiſſent. Viſcum itaq. wi nominabant, ceu eo omnia conſecrarẽtur, ac modis omnibus & corporis & animi & fortunarum ſana redderentur, atque latiſſima felicitatis caperent incrementa. Neque igitur mirum quod Plinius dicit, creditum fuiſſe hoc diuinum munus è cælo in robur demitti, atque aurea falce reſecari ſolere. Hoc enimuero diligenti inquiſitione dignum, quid cauſſæ fuerit, vt rem, quam Plinius friuolam vocat, tanta coluerint religione, & eo ſint nomine dignati, quo nullum ferè magis ſit ſacroſanctum, quoque omnes felicitatis humanæ numeri contineantur. Verùm quando non quoduis viſcum, ſed illud tantùm quod in quercu creſceret, venerati ſunt; prius examinetur oportet, quæ ratio robur præ cæteris arboribus colendum eſſe perſuaſerit. In primis conſtare video glandiferas arbores non apud Druidas tantùm, ſed apud cæteras etiam gentes in antiquiſſima fuiſſe veneratione; ac venerationis cauſſam eam ferè aſſignari ab omnibus, quòd glande prius mortales veſcerentur, quàm Ceres fruges demonſtraſſet. Sic Virgilius:

Wy, antiquum viſci vocabulum.

Wy vocabuli vſus & ſignificatio.

Wyn, Vinum Latini, & οἶνον Græci, vnde dicant.

Glandiferæ arbores Ioui ſacræ.

Liber & alma Ceres veſtro ſi munere tellus

Chaoniam

Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta;
Poculaq; inuentis Acheloia miſcuit vuis.

Nec eſt profectò cur in re omnibus perſpicua multis teſtimoniis vtar, cũ nemo neſciat Græcorũ doctiſſimos quoſque tradidiſſe, illud quercus genus quod glandem maximè edulem profert, φηγὸν idcirco vocari, quòd priſci homines eius fructu vitam ſuſtẽtarint. Sciũt præterea omnes, quercũ Ioui ſacram ab omni litterarum memoria ſemper fuiſſe, vt ex illo liquet Homerico: φηγός.

Οἱ μὲν ἄρ ἀντίθεον Σαρπηδόνα δῖοι ἑταῖροι
Εἷσαν ὑπ' αἰγιόχοιο διὸς περικαλλέϊ φηγῷ.

In quo cernitur antiquiſſimos fuiſſe huius arboris honores. Nec quiſquam arbitretur φηγὸν Græcorum & fagum Latinorum eandem eſſe arborem, propterea quòd nomen idem videatur. Alibi harum arborum diſcrimẽ docui, & fagum Latinorum Theophraſti oxyam eſſe demonſtraui; quam alij Sciſſimam, in quibus Gaza; alij Fagoſciſſimam; vt Strabonis interpres, nominarunt, cùm ſimpliciter fagum interpretari debuiſſent. Virgilius de fagi vmbra locutus, mox inferius ad Dodonæas Græcorum phagos alludit; at eas non fagos, ſed quercus appellat: *Fagus Latinorum Theophraſti Oxyam eſſe.*

Sæpè malum hoc nobis; ſi mens non læua fuiſſet,
De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Verùm id clariùs alibi:

——*atque habitæ Graiis oracula quercus.*

Luſit idem Grammaticos, dum Faginus axis dixit, quo illud Homeri φήγινος ἄξων interpretari voluiſſe videretur, eo quòd ſciret ex oxya etiam axes fieri, non modò ex quercu: & eſt alioqui non inelegans ad vocem Homericam alluſio, licet materies ſit diuerſa. Noſtrates hodie fagi vmbra non minus quàm Virgilius delectantur, è qua fornicati labyrinthi Bruxellis in Palatij paradiſo cernuntur. Verùm Græcorum Phagi glandibus etiamnum hodie veſcuntur, cùm cæteræ gentes, tum Hiſpani & Neapolitani; quorum hi, ſi memoria non fallat, querciam gentilem Phagum appellant. Nobis ſatis eſto; quoduis glandiferi roboris genus Ioui ſacrum olim fuiſſe, & id ferè communi quercus nomine apud Latinos dici ſolere. Nam Robur ad quamuis duram materiam refertur. Hinc Palladius:

Robora Palladij decorat ſilueſtria rami. Lucanus item:
Tot circum firmo ſiluæ ſe robore tollunt.

De quercu verò generatim ſic Ouidius:

Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes. Iterum alibi:
Sacra Ioui quercus de ſemine Dodonæo.

Virgilius item quoduis glandiferi roboris genus Ioui ſacrum ſciens ſic cecinit:

Pars autem poſito ſurgunt de ſemine, vt altæ
Caſtaneæ, nemorumq; Ioui quæ maxima frondet
Aeſculus: atque habitæ Graiis oracula quercus.

Nunc igitur videmus, non Druidis tantùm, ſed omnibus æquè Græcis ac Latinis in valde priſca veneratione quercus habitas fuiſſe; atque idcirco minimè cum Plinio, vel Epicureo vel atheo dicendum res friuolas apud Gallos religioſè cultas fuiſſe, niſi vna dicã omnem accuſare audeamus antiquitatem. Quod pluribus gẽtibus placuit, & ab omni omnis æui memoria placuit, eius maximam eſſe rationem debere, non Heſiodus tantùm, ſed Ariſtoteles etiã & Plato, & hos ſecutus Cicero in Tuſculanis in principiis habet, ad fidẽ faciendam firmiſſimis, vtpote quibus perinde atq; cõmuni gẽtium iure ſtandum ſit. Quamuis igitur huius leges ab omnibus ſcitæ atque perlatæ nunc nulla ratio extare videatur, idcirco tamen nõ eſt reiicienda aut abroganda, ſed potius magnam & diligentẽ operã adhibere oportet, quo diſpiciamus ecqua latentis cauſſę veſtigia deprehẽdantur. Iouẽ ab omnibus ſummũ haberi Deorum nemo dubitat, ne idolorũ quidem cultor: Nos, quibus veritas illuxit, Iouis nomine ſummam vitę ſuauitatẽ ſcimus indicari, & ab vno Deo & vitam ſempiternã, & ſempiternã vitæ dulcedinẽ tribui poſſe. Quãobrem ſumpto eo, quod neminẽ nõ daturũ putamus, arbores dum Diis attribuuntur, ſymbola eſſe earum rerum quas nobis ab ipſis cõcedi ac donari maximè optamus; credimus quercũ teſſerã eius muneris præ ſe ferre, quo nullũ maius à Ioue nobis dari poſſe veteres *Quercus cuius rei ſymbolum.*

omnes

omnes exiſtimarunt. Quid autem id ſit, ex nobis ipſis facilè diſcemus, ſi expendamus, nihil nobis vel triſtius & durius morte accidere poſſe; vel contrà quicquam magis omnium votis expeti, quàm vt perpetua vita contingat. Quod ſi ita ſit de ſtabili naturę iudicio ſtatuendum, nec vllum omnino animal reperiatur, quod mortẽ non in ſummo collocet malorũ; nõ videor mihi reprehẽdendus, ſi dicam nullũ beneficiũ maius cuiquã cõferri poſſe, quàm ſi à certa morte liberetur. Quid ſi ergo quercus huius beneficij ſymbolũ ponatur, & quia tanto munere nihil maius queat cogitari, ad eum propriè primoq; ſpectare dicatur, qui ſolus poteſt à morte liberare? Nõ malè ſic procedet collectio, ſi proprium quidẽ cuiuſq. Dei ſymbolum ſummũ ipſius donum exprimere debet. Quercus ergo ſit vitæ ſiue liberationis à morte ſignum, quã quia ſolus Iupiter præſtare poteſt, Ioui fuit à priſcis conſecrata. Qua verò de cauſſa vitæ ſymbolum ſit, pòſt explicabo: id modò conſtet, quòd ad vitæ conſeruationem referatur. Maximus Tyrius prodidit, apud Celtas altiſſimam quercum deligi ſolere, vt Iouis ſignum eſſet. Quoniam verò Iupiter quicquid eſt, vita eſt; & vita quidem ea, quæ tota in contemplatione conſiſtit, ſi quercus Iouis ſignum eſt, vitam quoque quercus denotabit, & quicquid ad vitæ conſeruationem pertinebit. Quod autem de vitæ conſeruatione dico, clarius euadet ex priſca Romanorum conſuetudine, à veteribus Gallis haud dubiè accepta, quæ habebat id ſollemne, vt qui ciuis vitam ſeruaſſet, is querna corona donaretur. Multa hactenus exſtãt numiſmata querna corona inſignita, in quibus litteræ adiectæ ob C S apertiſſimè docent, ea ſola de cauſſa dari ſolere, quòd quis ciuis Romani vitam ſeruaſſet: cuius tantus erat honos, vt nullus ne Imperatoribus quidem maior a P.R. tribueretur; adeò vt cùm Cicero totam ciuitatem Romanam ſeruaſſet, & tot millia ciuium à mortis diſcrimine eripuiſſet, querna corona donandus L. Gellio videretur; quaſi tanti beneficij magnitudinẽ quercus ſymbolũ æquaret. Poſſem equidẽ multos id genus nummos proferre; ſed quorſum prolixus ſim in re omnibus notiſſima? Hoc potius inueſtigandum, qua de cauſſa vita ciuis conſeruata quercu notaretur. Sed & illud modò declaratũ, quia nimirum Ioui vitæ datori ſacra eſſet. Attamen bene illud quidem dictum & ratione collectum; ſed rurſum quæſtio exiſtit, cur quercus Ioui conſecretur. Dicunt quidam ea de cauſſa id factum, quòd principiò homines glãdibus veſcerentur; quos Plutarchus videtur ſecutus. At cùm antiquiſſimũ hominũ genus Saturno regnante dicatur fuiſſe, miror cur non Saturno potius quàm Ioui glandis eſum adſcribant. Deinde rogatos velim hos antiquitatũ inquiſitores, cur ante fruges inuentas, vti volunt, nõ malis potius, pyris, ficis, ceraſis, ſiliquis, caryotis, nucibus, & id genus aliis ſuauioribus longè, quàm glandibus vitam ſuſtinerent? vt interim de omni bulborũ genere, & cucurbitis & peponibus ſponte natis nihil dicam. Faciunt ſcilicet hi curioſa cauſſarũ inueſtigatione, vt homines primos quibuſuis belluis faciãt rudiores, cùm nullũ pecus ſit tam obtuſo palati ſenſu, vt nõ ficis potius & dactylis quàm querna glãde veſcatur. Deinde quod vnquã tẽpus fuit, quo terra non æquè fruges atq. cæteras plantas produxerit? Atqui, dicent, id damus vel fabulis, vel antiquę hiſtorię, vt quia ſic traditũ inuenimus, ita credamus, & eius, quod credimus, fidẽ nõ adducamus in quęſtionẽ. O magnam pietatẽ & ſanctam vetuſtatis venerationẽ! Enimuero ego & antiquitatẽ pro eo ac debeo facio plurimi, & quę in eius video exſtare monumentis, ratione carere non puto; ſed pleraq. ſic capiẽda cerno, vt ea nõ ad hiſtoriã, ſed ad allegoriã & ſymbolicũ dicẽdi gen⁹ referre oporteat: quod niſi facias, quãplurima veſanis aniculacũ deliramentis vaniora pro veris narrationibus amplectaris neceſſe eſt; quod in hoc, de quo agimus, vetuſto glandis eſu video ferè omnibus ſcriptoribus accidiſſe, licet eſſent alioqui cęterarũ rerũ cenſores in primis graues & ſeueri. Quãdo igitur abſurdius hoc eſt eorũ figmentũ, quàm vt vel ab aſinis Arcadicis admittatur, nedũ vlli homini vel debeat vel poſſit probari; alia ratio quæratur oportet, cur glandifera potius arbor Ioui, quàm alia dedicetur. Nã ſi vitæ quam ipſe & dat & cõſeruat conſideres durationem & perennitatem, cypreſſus potius aut cedrus aut thuia ad ſymbolicã rationem conueniat, quàm quercus: Sin vitæ alimenta ſpectes, ficũ potius, aut palmã, aut pomũ ad teſſeram, quàm glandiferum robur aptaris. Quamobrem cùm nec ex hiſtoria de priſco glãdis victu prodita, nec ex arborũ natura facilè inuenire queas, cur priſci homines mirabili conſenſu, tũ Ioui, tum cuiuis vitę cõſeruatori quercũ cõſecrarint; deſperata veritatis perueſtigatione ex iis qui hactenus ſacri huius ſymboli cauſſas quęſiuerunt, ad altiora adſcenda-

Querna corona donari ſolet, qui ciuis Romani vitam ſeruaſſet.

Glandibus antiquitùs homines vitã non ſuſtentaſſe.

adſcendamus principia,& ex vera hiſtoria veritatis argumẽta depromantur. Quoniam itaq. hic de ſacris veterum notis agimus,& iis quidem non quibuſuis, ſed iis dumtaxat, quæ ex arboribus ſumuntur, par eſt; vt ex primis arborũ ſymbolis apud antiquiſſimum ſcriptorem repertis exordiamur, cernamusq́ue ecquid inde lucis adferri poſſit ad huius quæſtionis tenebras diſcutiendas. Accedamus itaque ad paradiſum, & in eo diſquiramus, an ſymbolicas aliquas arbores reperire poſſimus. Nec eſt longè progrediendum, cùm ſtatim duæ ſeſe arbores offerant: altera arbor vitæ, altera arbor ſcientiæ boni & mali nuncupata. De arbore ſcientię boni & mali copiose Indoſcythica noſtra tractant,& clariſſime oſtendunt, eam ficum eſſe Indicam. At arbor vitæ qualis fuerit, nec à me, nec ab alio explicatum. Breuiter igitur & ſummatim ſic de Moſis hiſtoria accepimus, hominem liberum creatũ fuiſſe, atq. ei geminam propoſitam conditionẽ; alteram mortis, alteram vitæ. Vitæ quidẽ, ſi, quod Deus faciendum præceperat, obſeruaſſet: Mortis verò, ſi vetitũ arboris ſcientiæ boni & mali fructũ comediſſet. In hominis igitur arbitratu fuit vt ſeipſe moderaretur, atq. quò vellet duceret; qua de libertate Menſch Cimmeriis vocatus eſt, ceu men ſich, id eſt, ducens ſeipſum. Licuit ergo illi in vita manere, & mortale pomum declinare. Sed quærat meritò quiſquã: Si vnum tãtùm arboris genus fuit, cuius fructus mortẽ adferret, & cæterarum omniũ fructibus vitã ſuſtinere homini liceret; cur vnũ dumtaxat vitæ lignum cõmemoratur, cùm æquè ex omnibus, vna ſola excepta, vitam ſibi perpetuò prorogare poſſet? Primus hanc viam ingredior, & ſi quid fortè peccem aut celpitem, ignoſcendũ primo experimẽto. Quicquid autẽ vel hic vel alibi noui adfero, id iudicio Eccleſiæ Catholicæ Romanæ ſubiectum eſto. Dico itaq. cum D. Paulo, ante omnia ſecula Deum præuidiſſe Adamum ex legis tranſgreſſione mortis pœnam luiturum, & idcirco prædeſtinaſſe filium ſuum humani generis liberatorem. Quáobrem ſicut mortis lignũ in Paradiſo plantauerat, ita voluit vt vitæ quoque lignum in eo creſceret; quò qui mortiferi mali veneno periturus eſſet, is vitæ ligno à morte poſſet ad vitam reuocari. Quemadmodũ igitur in terra noxiarum herbarum ipſa natura profert alexipharmaca; ita naturæ auctor Deus ante omnia ſecula prædeſtinauerat ſe in Paradiſo plantaturum arborem vitæ, cuius fructu mors ab arbore ſcientiæ boni & mali illata curaretur. Sed cùm illud in natura fieri non poſſit, vt medicina vlla mortuum in vitam reſtituat, ſemperq́ue verè dicatur:

Menſch, vocabulum vnde compoſitum.

Arbor vitæ in paradiſo.

Sperandum eſt viuis, non eſt ſpes vlla ſepultis;

& id quod Homerus cecinit, Nullo modo animam ſemel dentium vallum egreſſam, vel vi, vel alio modo retrahi poſſe; cogitare debemus altius aliquod arcanum in arbore vitæ latuiſſe. Neq. enim Adam ſeipſe eius fructu in vitam reuocare potuiſſet, cùm extemplo ipſam legem tranſgreſſus, nullam amplius habuerit vitæ poteſtatem, nec quicquam iuris in Paradiſo, vti totus mortuus & omnibus ſuis viribus deſtitutus. Quocirca Deus ironia vſus eſt amariſſima, dum draconis mendacium repetens dixit: *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum. Nunc ergò ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ & comedat & viuat in æternum.* Quemadmodum enim Adam ex eſu fici Deo ſimilis factus non erat, ſed diſſimillimus, cùm Deus ſolum bonum, Adam ſolum malum poſt peccatum ſciret; ita poſt peccatum ne velle quidem potuiſſet aliquid boni aut æterni de ſuis viribus, tantum abeſt vt vel fructum arboris vitæ tunc contingere, vel ex eius eſu mortem depellere quiuiſſet; cùm omnis eius vita & vitæ partes æterna morte depreſſæ & ſepultæ iacerent. Quis ergo vſus huius arboris vitæ? Num ſi Adam antè fructum eius comediſſet, quàm vetiti fructus venenum caperet, præſeruari velut Galene quapiam Andromachi potuiſſet? Certè cùm eius eſu interdictum non fuiſſet, non minus illi pomum ex arbore vitæ decerpere, quàm ex quauis alia non vetita fas fuiſſet. Quid igitur? Accuſabimus eius imperitiam & craſſam rerum naturalium ignorantiam? Id minimè poſſumus, cùm ſacra ſcriptura teſtetur, abſolutam eum totius naturæ ſcientiam habuiſſe, dum ſingulis rebus nomenclaturas rectiſſima ratione architectaretur. Aliter itaque ſubducenda ratio. Vt arbor ſcientiæ boni & mali de natura ſua noxia non erat, aut veneni ſucco imbuta; ſed ſola legis tranſgreſſione mortem attulit; ita arbor vitæ non plus virium ad vitam perennandam habebat, quàm quæuis alia arbor fructum proferens edulem; ſed ſola diuina gratia ad hoc erat prædeſtinata, vt ſicut per ficum mors,

mors, ita per hanc mortuorum vita caperet exordiū. Qua verò ratione & via mortuis vita per arborem vitæ reſtituenda eſſet, nemo mortalium clarè prius ſciuit, quàm angelus magni conſilij Chriſtus Verbum incarnatum id reapſe monſtraret. Erat illud quidem in multis vaticiniis, ſed non antè intelligendis, quàm mors victa deiectaque, verum vitæ lignum mortalibus ad oculum demonſtraſſet. Hieremias in perſona Chriſti ad hunc modum ſua de hoc ligno promit oracula: *Tu autem Domine demonſtraſti mihi, & cognoui; tu oſtendiſti mihi ſtudia eorum, & ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam, & non cognoui qui ſuper me cogitauerunt conſilia. Mittamus lignum in panem eius, & conteramus eum de terra viuentium, & ne memoretur nomen eius amplius.* Hæc autem de Chriſto intelligenda eſſe perſpicuum eſt ex eo, quòd ſolus Chriſtus verus panis eſt, cuius eſu vita datur ſempiterna. Non habuit lignum ex natura ſua vitæ conferendæ facultatem, ſed exterius ab ipſo pane vero vitæ datore hanc vim accepit: haud ſecus atque lignum ſcientiæ boni & mali non ex ſe, verùm ex hominis peccato infectum eſt mortifero veneno. Crux ergo verum fuit lignum vitæ, de quo in Apocalypſi

Lignum vitæ, crux Chriſti.

apertè legimus: *Qui habet aurē, audiat quid dicat Spiritus eccleſiis: Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod eſt in paradiſo Dei mei.* Et iterū: *Et oſtendit mihi fluuiū aquæ viuæ ſplendidum, tanquam procedentem de ſede Dei & Agni. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium.* Et paulo pòſt: *Beati qui lauāt ſtolas ſuas, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ.* Cùm hic audiamus omnem Sanctorū poteſtatē ligno vitæ acceptam ferendā, dixeritque D. Paulus, ſeſe non in alio, quàm in cruce gloriari poſſe; clarum eſt, crucem & lignum vitæ vnam eandemque rem eſſe, propterea quòd omnis gloriatio circa ea quæ præſtare poſſumus, verſetur. Quamobrem ſi de cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriabatur palam, & agnoſcebat & prædicabat ſeſe nullas vires habere, quas non crucis beneficio nactus eſſet, num putamus eum negaturum fuiſſe, crucem Chriſti lignum vitæ eſſe? Vt tamen clariùs cernas, D. Ioannem paradiſi terreſtris ad cæleſtem accommodaſſe ſymbola, vide quid addiderit: *Et omne,* inquit, *maledictum non erit amplius, & ſedes Dei & Agni in illa erunt, & ſerui eius ſeruient illi, & videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum: Et nox vltrà non erit, & non egebunt lumine lucernæ neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus illuminat illos, & regnabunt in ſecula ſeculorum.* Nihil ergo hæſitandum exiſtimo, quin crux ſit lignum vitæ, & lignum quidem hoc in paradiſo plantatum fuiſſe; verùm nō attuliſſe fructum ſuum antequam ei panis viuus affigeretur. Cuſtoditum autem fuit lignum vitæ per Cherubim, ne via homini vlli ad illud daretur; quia nimirum abſconditum infinitæ bonitatis diuinæ cōſilium ſub alis Cherubin occulebatur; & iuſta æternæ Themidis ira, quæ gladio flameo denotabatur, omni ex parte obſiſtebat, ne homini ad vitam aditus pateret, donec tandem nube alarum Cherubim remota, pacataque diuina patris ira, cæleſtis paradiſus, quem ſedem Dei & agni vocat D. Ioānes, aperiretur, & in ea verus vitæ ligni fructus tot ſeculis expectatus, & tandem plenitudine temporum maturus effunderetur. Quamuis ergo vitæ lignum diu cuſtoditum manſerit, ne vitam hominibus mortuis reddere poſſet; expleto tamen eo tempore quod pater ab æterno præſcripſerat, vitā omnibus mortalibus attulit. hinc veteris legis & cærimoniarū caligine, quæ per Cherubim denotatur, diſcuſſa; hinc patre, per Verbum incarnatum, placato; & flameo gladio, quo pater peccata noſtra in filio ſuo puniuit, in vaginam ſuam recondito; & maledictione cōuerſa in benedictionem, iuxta gladij verſatilis nomen; dataque omnibus per vitæ lignum poteſtate, vt in cæleſti paradiſo vita perfruantur ſempiterna. Demonſtrato itaq. nunc eo, Crucem ſiue Tau vitæ lignum eſſe, facilè docere poſſemus, quodnam arboris genus ab æterno hac prærogatiua datum fuiſſet, vt tandem vitæ fructum ferret, ſi conſtaret

Crux Chriſti ex quo ligno fuerit facta.

quo ex ligno crux Chriſti fuerit facta. Scio non defuiſſe qui ex diuerſis lignis crucem compoſuerint, & alios quidem tria, alios quatuor genera coniunxiſſe; non illos quidem vllo ſolido ductos argumento aut idonei ſcriptoris auctoritate, ſed meris & inanibus coniecturis, quas vel referre, vel confutare, operæ nullum pretium haberet. Quòd ſi diuerſitas materiæ admitteretur, ea in ſolida cruce duobus generibus contineretur; quorum alterum ad erectam trabem, alterum ad tranſuerſarium lignum poſſet accommodari. Qualis enim crucis fuerit figura, ipſum Tau demonſtrat, toties in Hieroglyphicis

repertum,

repertum, vt impudentis peruicaciæ dici deberet, ſi quis de ea amplius dubitaret, aut aliam nobis obtruderet formam. Qua tamen de re qui plura nouiſſe volet, ſacram Tau figuram, ſuo à nobis loco depictam, conſulat; in qua videbit, indicem à Pilato adfixum, crucis parté non fuiſſe. Romani in ſeruis caſtigandis extremoq. ſupplicio puniendis, furca reddebant infames: quam Plutarchus in vita Coriolani eam currus parté definit, cui temo immittitur, quam firmiſſimá robuſtiſſimamq. eſſe oportet. At Plinius quercui robuſtæ materiæ laudé tribuit: qua de re colligo, è quercu ea fieri ſolere, quæ vt firmiſſima eſſent & tenaciſſima, vſus poſtulabat. Nobis certè hactenus ad hanc currus partem robur deligitur quernum; cuius vbi copia datur, illic vecordis ſit hominis, deteriorem materiá præferre meliori. In Iudæa auté quercus copioſas fuiſſe, frequens earú in ſacris litteris mentio demonſtrat. Quinetiá id obſeruare licet, valles quaſdá à quercu nomen accepiſſe, eo quòd in vallibus vt plurimum quercus luxuriarét. Hinc quo loco quercus Mamre eſt apud Hebræos, nos in vulgata interpretatione vallé Máre habemus: & capite Geneſeos duodecimo, vbi Græca vulgata editio δρῦν habet, Latinus interpres vallem, ex eadé voce vertit. Sed hac de re mox latiùs. Querceta itaq. circa Hieroſolyma frequentia; & inter alia Bethel quercum fletus nobiliſſimá habebat. Quid dicam mótem Samariæ, Baſam nomine, quercetis celeberrimú. Nihil itaq. dubitandú, quin Romani carnifices Hieroſolymis materia ſint vſi eadem ad crucis conſtructuram, qua Romæ vti conſueuerant ad furcas è plauſtris ad ſeruile flagitiorú ſupplicium vocatas. quod eo redditur veriſimilius, quòd ad crucifigendos homines materia opus eſſet, quæ clauos firmiſſimo nexu teneret. At hoc nulla arbor melius quàm quernú robur præſtare poſſit. Quando igitur in Paradiſo terreſtri lignú vitæ veluti certum quoddá arboris genus cómemoratur, & id ad materiá crucis refertur, non videor mihi veritati cóſona dicturus, niſi ex vno arboris genere crucé conſtitiſſe dicá, ad quod ea, quæ de arbore vitæ in Paradiſo plantata dicuntur, pertinere intelligantur. Pace igitur aliorú, qui nullo ſolidæ rationis fundaméto varia ligna ad crucem conſtruendam cógeſſerunt, mihi fas ſit dicere, quercú generatim pro glandifera arbore acceptá, vitæ arboré in Paradiſo fuiſſe, & eam nube alæ Cherubicæ tátiſper cuſtoditá, dum tépore ſuo vitæ fructú ferret, Ieſum Chriſtú crucifixum. Hinc arca fœderis alis etiam Cherubim tegebatur, quo intelligeretur omnia ſacra legis Moſaicæ ad lignum vitę referri: nec antè vitę fructú ab hominibus deguſtari poſſe, quàm Deus ipſe Cherubim remoueret, omnemq. cærimoniarú vmbram Verbi incarnati luce diſcuteret atq. profligaret. Sed de Cherubim alibi fortaſſe, vbi docebo veram eius vocis notationé aliunde quá Hebræi putent, petendá, & ad ea propriè ſpectare, in quibus Dei virtus occultata deliteſcit: atq. hinc fieri, vt protegere etiam & occultare Cherubim dicatur. Verùm vt Cherub diuina occultat ac celat, humana protegit & alis ſuis expanſis tuetur; ita Hebræis vox hæc poſticá ſui parté, ne agnoſcatur eius myſteriú, oſtendit; tametſi Cimbri à ſiniſtris ad dextra naturæ ductu progreſſi, ipſam anticá Cherub parté mox primo occurſo inter legendú intueantur. Sed hæc alterius loci. Verú nó antè Cherubicæ alæ fœderis tabernaculú tegere deſierunt, quàm Deo placuiſſet flameú gladium cóuertere in filium ſuú; ac deinde eum recondere, ac oſtédere iram in miſericordiá tranſiiſſe, vereq. gladium eſſe verſatilem. Nunc tépus eſt vt explicemus, quam rerú ſymbolorumq. conuenientiá ſecuti ſimus, dum quercú vitæ arboré eſſe nobis ipſi perſuaderemus; quidq. ex hac inaudita hactenus opinione vtilitatis ornamentiq. emanet ad pietatis ſtudia promouenda. Inſani enim hominis eſſe iudicé & peſſimè feriati, multú operæ temporiſq. conferre ad id docendú quod cùm ab omniú hominum cogitatione ſit alienum, tum nihil habeat, licet concedatur, emolumenti ad Chriſtianos vtili quapiá & pia cognitione inſtruédos. Primùm igitur Mathematicos & Platonem imitati, cernamus quid ad hanc hypotheſim, vt ſic coniecturam noſtrá vocemus, ſit cóſecuturum. Dum quæritur cur Ioui quercus potius (cuius nomine æſculum quoq. cóprehendo) quàm quæuis alia arbor ſit cóſecrata; reſpóderi à plurimis audimus, id ea fieri de cauſſa, quòd hic primus fuerit homini cibus. At id abſurdiſſimú eſſe, ſi ſimpliciter citra tropum omné capiatur, paulo antè dixi; propterea quòd homines quouis pecore ſtatuat obtuſiores, & minus ſenſibus ad nutritioné datis inſtructos, quàm vel aſini ſint vel mures. Experiamur igitur ecquid melioris reſponſi ex hypotheſi noſtra queat experiri. Alibi docui Alaudá omnibus cęteris rebus, atq. adeò ipſi terrę vetuſtatis laude pręferri;

Furca, quá ſerui apud Rom. ſo ent redditi infames, qualis fuerit.

Quercus copioſa fuerit olim in Iudæa.

Quercus arbor vitæ in paradiſo fuit.

Arca fœderis tecta a is Cherubim.

non alia de cauſſa, quàm quòd orationis & hymnorum Deo quotidie ſepties canendorum ſymbolum eſſet. Eodē modo de quercu dicam, primùm ipſi hominis alimentū ab omnibus antiquis magno cōſenſu acceptū referri, propterea quòd quercus ſymbolum eſſet crucis: quæ vt è quercu fieret, ante omnia ſecula fuit prędeſtinatū. Sicut ergo ante ſecula vocati ſumus ad vitā; ita ante ſecula prima homini eſca prædeſtinata fuit ea, quæ vitam in cruce hominibus eſſet datura; cuius teſſerā glandes ferebant. Primum igitur hominis pabulum glans, nō illa quidē vitam dans perituram, ſed eam quā in cæleſti paradiſo ſumus victuri. Vt igitur quercus in paradiſo terreſtri lignū vitę dicebatur, quia ex eius materia lignum vitæ erat cōſtruendum; ita glans cęleſtis panis, quē crux erat latura, ſymbolū habebat, & idcirco primū hominis alimentū vocabatur. Quamobrē meritò Ioui cōſecrata, quòd Iupiter vitæ dator magnū ſuū cōſilium per hanc eſſet exſecuturus, omnib⁹ mortalibus in hac arbore à morte liberatis, & in meliorē ſuauiorēq; vitā, quàm antea quàm mortui eſſent, fuiſſent, reſtitutis. Quo autē huius myſterij, reliqua arcana omnia multis paraſangarū myriadibus ſuperātis, apud Romanos perpetuū extaret monumentū; diuino apud eos inſtinctu eſt ſtatutū, vt corona quernea ei daretur qui ciuem Romanum ſeruaſſet, atq. id quidē magna, vt Plinius exponit, religione. Indicabat hic ritus tam ſollicita veneratione perpetuò obſeruatus, fore aliquando vt populus Romanus vitam ſuā quercus beneficio tueretur, nec alio modo ſaluus eſſe poſſet, quàm ſi quercus ei vitā attuliſſet: quod in Agonio accidit Martiali; in quo prœlio agnus morte ſua in altari crucis occidit draconē, perpetuum nō Romani tātùm ciuis, ſed totius etiā humani generis hoſtē. Qua in victoria id ſeruatum, quod in querna corona dāda lex iubebat, vt nimirū ciuis ſeruatus, hoſtis occiſus eſſet. Nec magis miremur hunc ritū diuinitùs inſtitutū fuiſſe, quàm aut feſtum Liberaliorū diē faſtis illatum, aut aram Maximam Romæ cōſtitutam, aut clariſſima de Chriſti natali, morte, reſurrectione & in cælū adſcenſione oracula Sibyllæ inſpirata: quæ omnia & quāplurima alia ab eo ſpiritu proficiſcuntur, qui nullo vnquam tempore mortalium generi ſic voluit deeſſe, vt nō aliquibus monitis homines ad rectum vitæ iter vocaret. Vt autem ciuica corona aptiſſima fuit veræ ciuium cōſeruationis nota per Chriſtum in quercu perficiendę; ita glans ſymbolum fuit elegantiſſimū illius panis qui primus homini cibus eſſet; nō ille quidē ad vitā hanc caducam exiguo tēpore prorogandā, ſed ad vitam in regno Dei & Agni ſempiterna lætitia peragendā, robur daturus. Quis poſthac nō pluris faciat quā hactenus fecerit eos Romanorum nummos quibus querna corona ſinuoſis foliis & glandibus inſignis delineatur, addita inſcriptione, *Ob ciues ſeruatos*? Sunt quibus numiſmata rara placeant, & tanto pluris fiant, quāto pauciora reperiuntur. Per me licet vt quiſq. qua velit lance antiquariam ſuā ſupellectilē appendat, mihi nihil æquè carum eſt, atq. illud, è quo vetuſta religionis noſtræ monumēta lucis aliquid & nobilitatis hactenus incognitæ ſibi vindicare poſſūt. Vnius Romani ciuis vita ſeruata, in memoriam mihi reuocat omnes totius mūdi ciues in querno robore ſeruatos: & cùm ea ſummi honoris eſſet ac ſumma religione donaretur, dubitare nō poſſum quin diuino inſtinctu ritus hic, vti pleriq. alij, apud Ianigenas fuerit inſtitutus. Audebo igitur quercum vitę arborē nominare: & vt vitæ arbor eſſe ſciretur, vitę ſeruatori ex ea coronam fieri ſolere dicam: nec alia de cauſſa Ioui ſacram eſſe, quàm quòd in ea magnæ ſuæ vrbis ciues à morte in vitam reuocaturus eſſet. Refert D. Hieronymus magna reuerentia Abrahæ quercum in Mamre cultam fuiſſe, atque eam ad Conſtantij vſque imperium ſtudioſè viſi ſolere. Audiamus itaque tantæ reuerentiæ cauſam, vt contra quàm communis arborum natura ferret, in Mamre quercus tot ſeculis duraſſe diceretur. Memini quid de quercu Mariana dicat Cicero; eam nimirum duraturam dum Latinè loquentur litteræ; addens, multa multis locis diutius commemoratione manere, quàm natura ſtare potuerunt. Nec vanum fuit Ciceronis vaticinium. Nam quamuis illam antiquam Marianam, ex qua olim euolauit

Nuncia fulua Iouis miranda viſa figura,

tot ſeculorum vetuſtas abſumpſerit; vidi tamen & ego quercum in Arpinati ſuburbano, quam Marianam vocabant, ſimili perpetuæ commemorationis beneficio quercus in Mamre ſiue Hebron,

Caneſcet ſeclis innumerabilibus;

non illa quidem, quòd ex ea nuncia fulua Iouis Ciceronis figmento euolarit, ſed quòd

Glans qua ratione dicatur primum hominis pabulum.

Numiſmata antiqua.

Quercus Mariana.

Quercus Mamre.

quòd ipſe Deus verus Iupiter ſub ea quondam requieuerit, & Abrahamum ea ſobole beauerit, in qua benedicendæ eſſent omnes gẽtes. Qua de re luculentiſſimũ in Geneſi exſtat teſtimonium, ab omnibus ſcripturam ſacram ſcrutantibus diligenter ruminandum. Equidem nihil mihi videor à pietatis regula diſceſſurus, ſi in ea arbore benedictionem & conſecrationem totius generis humani cogitem abſolutam, ſub qua Abraham accepit ſacroſanctam eius promiſſionem. O bone Deus; ſub qua te arbore alia dicam conſediſſe, quàm ſub arbore vitæ? & ſub qua alia te promiſiſſe Chriſtum tuum, omnes gentes ſanctificaturum, quàm ſub ea, è qua ſanguis eius ad omnes gentes fluxurus eſſet, veriſſimus aquæ viuæ fluuius à D. Ioanne celebratus? Vt enim Abraham ſub quercu Mamre Deum hoſpitio accepit; ita omnes, ad quos benedictio ſub quercu facta tranſiit, Deum hoſpitio excipiunt ſub cruce: ita vt nihil queat cogitari ſymbolicæ tationi conuenientius, quàm ſi crucem dicamus quernam fuiſſe; vt eadem arbor conſcia teſtisque eſſet, hinc promiſſi quo Deus ſe obligauit, hinc oblati muneris ſanctiſſimi, quo promiſſum exſoluit. Iam vt Abraham ſub quercu Mamre Deo vitulum obtulit; ita & nos ſub cruce Deo vitulum offerre debemus, id eſt, animam noſtram ſiue noſipſos, vt D. Hieronymus in quinquageſimo pſalmo vitulum interpretatur. Hebræi filium vaccæ pro vitulo dicunt בקר & בְּקָרִים pecora dedit Latinis. Nobis Ve-teur electũ armentum notat. Et dum Abecedarium Latinorũ more & ordine recitamus, fatemur nos pecora eſſe, quia nimirum homo cùm in honore eſſet non intellexit, vnde honorem accepiſſet: atque idcirco comparatus eſt iumentis; vt Hebræus poëta confitetur. Cùm igitur pecorum numero nos eximere nos poſſimus; id ſaltem ſumma ope adnitamur, vt vituli dici mereamur in Cimmeriorũ lingua, in qua vitulus à grata, hilari lætaq; vita nominatur. quod Latini voce eiuſdem ferè ſignificationis imitati ſunt. Id fiet, ſi paruulos nos & hilares Deo præſtemus, & cor contritũ & humiliatum loco vituli tenelli & cocti, qualis ille fuit Abrahami, offeramus. Ocyus igitur feſtinemus cum Abrahamo, & animã noſtram ex primi peccati cõtagione vaccæ filiã, ſub vera quercu Mamre, id eſt, cruce immolemus; & eam quidẽ quàm poſſumus tenerrimam, & flamanti caritatis igne optimè percoctam. Verùm hoc de vitulo ſub vera quercu Mamre cum Magdalena & cæteris ardenti amore flagrantibus nobis offerendo ſufficiat, cuius arcaniorem ſignificationem, quàm à cæteris viderim animaduerſam, non potui nõ obiter indicare, quo in ſacris litteris & Ogygiis veterum Ianigenarum ſymbolis maior conſenſus cerneretur. Quòd ſi Hebraicum loci nomẽ, in quo quercus hæc dicitur fuiſſe, de radicis ſignificatione interpreteris, inuenies quercũ Mamre, quercũ amaritudinis & doloris eſſe. Cuius quidẽ gemina ratio videtur; altera, quòd hæc arbor conſcia erat futura eius amaritudinis & doloris, cui nullus ab orbe condito par potuit cogitari; altera, quòd quercus verum eſſet omnium dolorum alexipharmacũ, & vnicum ab omni æuo malorum omnium medicamentum: qua quidem poſteriore intelligentia perinde quercum amaroris dixeris, ac ſi pharmacum eius dicas & amuletũ. Vide quàm rectè Cimbricum viſci quercini nomen cum quercu Mamre quadret, quàm eodẽ ſpiritu Hebræus ſcriptor & Druida in hoc vitæ Oceano ferantur, quàm recto curſu in eundẽ portum proram dirigant. Verùm quàlibet bonis auſpiciis ad vitę lignum contendamus, obnunciantẽ tamen mihi neſcio quem videor audire. Clamat me rebus nunquam auditis, nedum ſcriptis ea adhibere argumenta, quæ & ipſa plena ſunt controuerſiæ. Nam vbi quercum Græcus ſua exprimit voce, Latinus interpres Vallem vertit: & quò magis cernas, quàm nihil hic certi ſtatui poſſit, D. Hieronymus grauis Hebraicæ locutionis cenſor tam vacillanti pede in hoc loco verſatus eſt, vt inter quercum & terebinthum nullum diſcrimen agnouiſſe videatur. quod vt credas, illum ipſum audias ſuis verbis loquentem. Diſtat, inquit, ad meridianã plagam ab Ælia millibus circiter viginti duobus quercus Abraham, quæ & Mamre, vſque ad Conſtantij Regis imperium monſtrabatur, & mauſoleum eius vſque in præſentiarum cernitur. Cumque à nobis iam ibidem eccleſia ædificata ſit, à cũctis in circuitu gentibus terebinthus ſuperſtitioſè colitur, eo quòd ſub ea angelos Abraham quondam hoſpitio ſuſceperat. Hæc ille. Quid nunc dices? Fuit'ne quercus, an terebinthus arbor illa ſub qua quieuit Dominus in Mamre? Prius quercum dicit, & eã quidem ad Conſtantij vſq. regnum duraſſe: mox quaſi è ſomnio experrectus, eodem loco terebinthũ magna ſuperſtitione coli. Quid ergo certi ſtatues in re tam ambigua, vt D.

Abraham ſub quercu Mambre vitulum obtuliſſe quid ſignificet.

Homo pecori & iumento comparatur.

Vitulo anima hominis comparatur.

Viſci quercini, & quercus Mambre conuenientia.

Elah vocabuli interpretatio varia.

Hiero-

Hieronymum etiam Proteum reddat? Quid? An non Geneſeos capite triceſimo quinto אֵלָה terebinthus redditur, vbi Iacob dicitur idola defodiſſe ſubter terebinthũ, quæ eſt poſt vrbem Sichem? Quo loco non Latinus tantùm, ſed Græcus etiam interpres Terebinthum ex Elah fecit. Et vt cognoſcas nihil inter אֵלָה quod hoc loco legitur, & אלני quod duodecimo capite ſcribitur, diſcriminis eſſe, non D. Hieronymi tantùm verba, ſed eorum etiã monſtrat conſenſus, qui Terebinthum in Mamre coluiſſe dicuntur. Breuiter hîc reſpondebo, me non multum hoc loco eius auctoritate permoueri, tãetſi in ea magnum illuſtris & nominis & eruditionis pondus ſit, qui ſibi in verbis pauciſſimis non videtur conſtitiſſe. Apud Hoſeam Elon & Ela in eadem ſententia diſtinguuntur, & pro illo quidẽ quercũ, pro hoc ſubſtituũt terebinthũ. qui locus facit vt אלה & אלון non queant dici eiuſdẽ arboris habere notationem. Deinde nec אלון conſtanter quercum verterunt, vt liquet ex eorum ſuperſtitione, qui terebinthum in Mamre, non quercum coluiſſe dicuntur. Libro Regum primo capite decimo ſeptimo vbi Latinus vallem terebinthi habet, Græcus vertit κοιλάδα δρυὸς, idque ſemel atque iterum. Item libro Regum tertio Vir Dei dicitur ſediſſe ſub Elah, vbi rurſus Græcus δρῦν, Latinus terebinthum ſupponit. Geneſeos iterum capite triceſimo quinto אלה terebinthus & אלון quercus redditur Latinis. Neſcio igitur quæ cauſſa fuerit huius inconſtantiæ, niſi quòd cogor ſuſpicari, magnã hiſtoriæ rerum naturalium obliuionẽ apud Hebræos irrepſiſſe, atq. inde factum eſſe, vt nec Græcos nec Latinos conſtanter docere poſſent quæ vocabulorum apud priſcos ſignificatio fuiſſet. Neq. enim vel gemmarum, vel arborum, vel herbarum certã apud eos reperias diſtinctionem, eoq; minus mirum eſt, interpretes nihil ſolidi ex ipſis diſcere potuiſſe. Nobis nihil omnino placet אלה terebinthũ transferri, & eò minus אלון in Mamre pro eadem arbore capi. Scimus enim, in medica noſtra officina Albotin ſiue Albotim reſinam terebinthinam ab Arabibus vocari, atque idcirco בָּטְמָא terebinthi nomen apud Hebræos fuiſſe credimus. Confirmat id Geneſeos caput quadrageſimum tertium, in quo clarum eſt בָּטְנִים ea denotare, quæ ex Terebintho ad mercatum feruntur. Interpretes item Terebinthum vertunt, atq. hac ſua teſtificatione efficiunt, vt אלה Terebinthi nomen minimè poſſit videri. Conſenſum igitur Arabũ & libri Geneſeos ſecutus בּוֹטְנִים ad Terebinthum dicam pertinere, & אלה aliter eſſe vertendum. Ex hac mea aſſertione memorabilis Socratis hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptoris locus lucem accipiet, & viciſſim noſtram ſententiam inſigniter adiuuabit. Is enim viceſimo ſecundo libri primi capite narrat, fuiſſe quendã nomine Terebinthum qui ſe pòſt vocarit Guddam. Hic nõ dubium eſt quin בוטא ſe nuncuparit, quo nomen in Chaldæorum ad quos impoſtor hic commigrarat, lingua intelligeretur. Hiſpani nõ ignari Terebinthinam aliarum arborum gummi adulterari, veram Terebinthinam nominant Terebinthinam de Veta; qua in voce videmus Arabicæ linguæ reliquias perinde atque in Velotis remanſiſſe: vnde liquet nihil amplius dubitandum eſſe de Chaldaico, Arabico, Syro & Hebraico Terebinthi nomine, tametſi omnes Rabbini & commentatores turpiſſimis hic ſeſe erroribus intricarint. Nec audiendi illi, qui בוטמא caſtaneam interpretantur, vno ore tota medicorum Arabum ſchola reclamante. אלון itaq. de plurimorum conſenſu quercum interpretabor, eumq. laudabo Rabbinum qui בְּלוֹטִין, id eſt, glandes in ea creſcere aſſerit. בַּלּוּט enim Arabes quercum vocant, à quibus Hiſpani ſuas habent Velotas, id eſt glandes. Eſt ergo Serapionis codex emendãdus, in quo pro בלוט כלוט quiſquam legit, & Cullot Latinis litteris ſcripſit. quod eò magis annoto, quòd Hieronymum Tragum videam errorem hunc in commentaria ſua tranſtuliſſe. Elon igitur citra controuerſiam quercus fuerit; ſed an Symmachus & alij אֵלָה bene quercum verterint, ampliùs conſiderandum. Annotatum eſt à nobis, apud Hebræos inter אלון & אלה diſcrimen eſſe, & eorum ſignificata, vt diuerſas res, in eadem orationis parte numerari. Quamobrem è locorum collatione id mihi videor aſſeuerare poſſe, אלה quoduis durum lignũ, quod Latini robur dicunt, ſignificare: & niſi me coniectura fallit, vocem hanc ita è primo ſermone corruptam eſſe, vt idem quod Holt denotet, quo lignum generatim nobis exponitur. At cùm de ligno ſimpliciter loquimur, meritò quercum videbimur indicaſſe; quoniam ea in vniuerſo lignorum genere facilè primas ſibi vendicet. Non malè igitur Symmachus pro אלה quercum poſuit: at qui Terebinthum hoc nomine intelligunt, cuius arboris aliud apud Hebræos vocabulum eſt, longè à veritate diſcedunt.

Velota.

diſcedunt. At dum אלה & אלון diſtinguuntur, vti apud Oſeam cap.4. dicemus אלון pro quercu,& אלה pro quouis ligni genere collocari. Idē igitur dixit Oſeas dum dixit, *ſubtus quercum populum & alah,* ac ſi dixiſſet, ſub quercu populo & omni alio ligno, quod nos Walt dicimus. Aleph prius ſuperfluum & loco Tau ſubſtitutū reliquum vocis cōuerſione cōſtat, אלון quercus eſt, cuius paulo pòſt ratio tradetur. In primis, vti modò dictum, Abrahamus ſub Alone illius accepit ſeminis promiſſionē, in quo benedicēdæ ſanctificandæq. eſſent omnes gentes, id eſt, per quod cūctis totius orbis nationibus vita eſſet reſtituēda. Quid ni igitur vitæ arborē dicamus, ſub qua vita æterna eſt promiſſa, & deinde in ea ſoluta quæ fuerat promiſſa, vt nimirū arbor eadē ſolutionis eſſet teſtis, quæ fuerat olim promiſſionis? Enimuero ſi quercus naturā & cū promiſſione conferas, & cum promiſſionis ſolutione, miraberis quàm amicè ad eadē omnia cōſpirent. Multa & frequens nō in Iudæa ſolū, ſed tota Aſia & Europa quercus, & ea quidē quàm plurimis generibus diſtincta quæ Theophraſtus & Plinius enumerant: multa illa quidē, vt apud eos videre licet; verùm tantum abeſt vt omnes glandiferas cōprehenderint, vt nos ſolius ilicis plura genera in Hiſpania obſeruauerimus, quā illi repererint in tota roborū vniuerſitate. Nullum ſanè arborum genus ei cōferendum, nedū æquandum, ſiue formarū & materiæ diuerſitatē, ſiue copiam vbiq. terrarum luxuriantē, ſiue vtilitatē tum ad fabricam, tum ad ignes vitæ neceſſarios, ſpectes. Alias arbores inſignis commēdat altitudo, vt abietes; alias fructus, vt malos & pyros; alias materiæ duritia, vt buxū & ebenū; alias incorrupta multorum ſeculorum duratio, vt cedros & cupreſſos; alias varia per bruſcos & molluſcos fibrarum pictura, vt citrum & acer; alias aliæ naturæ dotes: at quercus (liceat modò mihi hac voce generis loco vti) vincit omnes omnibus rebus. Nullū genus fructū profert vel magis varium, vel vberiorē, vel vtiliorē ad vſus humanos. Diſcurre primùm per glandis diuerſitatē, & cōſidera quantum ſit vectigal in ſuccidia, quanta ſuccidiæ tum diuerſitas tum ſuauitas, vt interim recentis carnis eſum omittā. Profectò ſi rē domeſticam bene ſupputes, inuenies terga, pernas, petaſonesq. familiæ ſuſtentandæ, alteram fundamenti partē eſſe; alteram ſic frugibus cōtineri, vt ſi deſint, panis tamē è glandibus ſuauioribus, quas in deliciis habent Hiſpanæ mulieres, fieri poſſit. Appendas in altera lance, ſi velis, omnes cęterarum arborum fructus, alteri ſolas glandes immittas, videbis hanc illis lōgè præponderare. Roges Catonē, vtrum malit, pomiſne & pyris domum habere inſtructā, an carnarium multa ſuccidia diſtentum? Riſiſſet, ſat ſcio, ſi quis eum viuum hoc interrogaſſet; & riderent nunc omnes, qui norunt laridum columen eſſe agricolarum paſtorumque menſis. Quid? an nutrimentum vllum eſt humanæ carni alendæ vel ſimilius vel robuſtius? Si dubitas, ſi palato ipſe tuo nō credis, ſi huius alimenti robur non ſenſiſti, conſule Galenum medicorum præſtantiſſimū, & audies adeò inter humanā & ſuillam nihil intereſſe, vt quidā deprehenſi fuerint illam pro hac vendidiſſe. Quid multis? ſi arbor eſt vlla vna ſola ſatis ad hominis vitam ſuſtinendam, hæc ipſa eſt quercus. Hæc, ſi velis, panē dabit, hæc carnem; & eam quidē non ſolidam modò atq. robuſtam, ſed omnium etiam delicatiſſimam. quod equidē non tam rationi à ſimili alimēto petitæ, quàm meæ ipſius linguæ credo. Accedit & illa glandibus laus, quòd porci quercetorum alumni, prodiga copioſæ ſobolis fecunditate omnia cætera quadrupedum genera lōgiſſimè vincant; idque tam inſigni exceſſu, vt hinc moti priſci ſymbolorum figuli, ſuem fecerint fecunditatis teſſeram. quod Virgilius inter cætera poëſeos ſuæ ornamenta nō poſtremum collocauit. Iam non ad culinam tantùm faciunt glandes, & firmos corporis toros ſolida carne farciēdos, ſed medicam etiam inſtruunt officinam, maximè eorum qui priſcorum hominum more vel agros colunt, vel greges & armenta paſcunt. His vt morbi aut nulli aut rari; ita & vulnerum frequens occaſio, & magnum à venenatis animalibus periculum. Benignus itaq. naturæ opifex eam vim glandibus dedit, vt & ſanguinem ſiſtere, & vulnera conglutinare poſſint, & præterea optimum ſint aduerſus omnia venena amuletum. Porrò quoniam firmo ventriculo & valido bona corporis valetudo potiſſimùm retinetur, adiecta & illa ipſis facultas, vt nihil æquè imbecillum & flaccidum ſtomachum roboret; tametſi ſint, qui glande non exſpectata, quernis foliis adhuc recētibus ad eundem finem quotannis aliquot Veris diebus vtantur. quo facto, confidunt ſe toto anno validis ventriculi viribus nixos, nullo morbo de recto ſanitatis ſtatu poſſe depelli. Iam ad ſordida vlcera & chironia, vel foliorum vel corticum vel calycum farina efficax

Quercus arboris deſcriptio, & eius laudes.

Glandis laudes.

Carnis porcinæ præſtantia.

Porcorum fecunditas.

Quercus in medicina vtilis.

 eſt reme-

eſt remedium, & omnem oris, gingiuarum, dentiumq́. putredinem nihil æquè curat. Inflamationum item principiis vtiliſſima ex his medicamenta fiunt. Quibuſuis alui & vteri fluxibus quæuis arboris pars medetur. Quemadmodum autem glandes quouis modo ſumptæ venenis reſiſtunt; ita lumbricos quoq. necant & expellunt. Quid? quòd & vrinas mouent,& calculorum generationi reſiſtunt? Quòd ſi pergam ſigillatim vires recenſere,quis tandem finis erit? Quaſi verò hæc parum haberent momenti, quæ vel ex arbore,vel cortice, vel foliis, vel glandibus, vel earum calycibus ſumuntur medicamenta;ita præterea tam multas opifex addidit dotes, vt nuſquã in vlla arbore ambitioſiùs ſe iactaſſe videatur. Quid ego commemorem Gallas? quid multiplicem earum vſum,tum in artibus mechanicis,tum in operibus medicorũ? Quanti ſint,ſciunt mercatorũ crumenæ,qui eas per mare mediterraneum in Oceanũ deuehunt, vt tandẽ longa & periculoſa nauigatione ad Belgas & cæteros Gallos deferantur. Certè earum multiplici vſui explicando vix integer liber ſufficeret, tantum abeſt vt eum perſequi hoc mihi tempore ſit opportunũ. Et licet nec pannis tingendis,nec coriis apparandis ſeruiret, eſſet tamen hoc vno nomine maximè euehendus, quòd earum beneficio litteræ pingantur. Vide quis ſeſe campus aperiat laudũ maximarũ, quæ ſilua pręconiorũ. Quid de Gallis litteris non prodamus, quarum beneficio litteras omnes habemus? Quòd ſi hiſtoria clariſſimos quoſq. mundi ciues à morte liberat, & æternæ memoriæ vitæ donat; cur nõ Gallis ex ſua ipſarum arbore nectamus coronam? Detur vt pręterea nihil hominibus præſtet; erit tamen quercus de hoc ſuo munere arbor vitæ vocanda; quãdo vitam dat,non illam quidem momentaneam, ob quam ciuica dabatur corona, ſed illam,quæ nunquam eſt peritura, quamdiu Gallas quercus ſuppeditabunt. Præterea ſi librorum vel lectio vel auditio animos immortali cibo paſcit, & ij quercui debeant quod leguntur & audiuntur; an non rectè dicemus, immortalem vitam quercus beneficio & dari & ſuſtineri? Taceo nunc de cæteris quercus fructibus, quorum nec parua eſt, nec contemnenda vtilitas. mitto onicicidas, mitto cachryas, mitto ſquamoſos floſculos ſpem futuræ vbertatis: nec dico quantum noſtratibus coriariis cortex arboris adferat emolumenti, non paucis aureorum millibus æſtimandi. Verùm vt hæc multaque alia ſilentio tranſeo; ita non poſſum non meminiſſe Heſiodi, qui quercum in pacata iuſtorum regione primariam laudem ferre canit, quaſi à maioribus per manus accepiſſet, hanc principem paradiſi arborem fuiſſe.

Gallarum laus.

Quercus à morte liberat.

Τοῖσι φέρει μὲν γαῖα πολὺν βίον, οὔρεσι δὲ δρῦς
Ἀκρὴ μέντε φέρει βαλάνους, μεσσὴ δὲ μελίσσας. id eſt,
His multum victum tellus fert, montibus altus
Quernus apex glandes, medium dat robur apum vim.

Vndecumque hanc iuſtorum hominum vitam Heſiodus acceperit, non diſputo, id ſaltem ſcio, neminem negaturum, illa, quæ iuſtorum piorumque hominum regioni tribuit, adamuſſim cum paradiſo quadrare. Quo fit, vt ſuſpicer in antiquorum ſermonibus iactatum fuiſſe, quercum primas in piorum ſiluis ſibi vindicaſſe. Quod autem dicit de apibus, id adeò verum eſt, vt certò ſciamus totum Septẽtrionis tractum, in quem vaſtis laciniis Hercinius ſaltus per immenſa camporum ſpatia ſeſe diffundit, tam infinitis apum examinibus in quercubus abundare, vt nõ oploniũ modò dęlicatũ & in frigida regione ſaluberrimũ inde ſuppeditetur, ſed totæ etiã illę regiones ſuauiſſimo mulſo loco vini vtantur, & præter domeſticum vſum ingẽtes pecunias cùm ę cæteris, tum è cera faciant. quod nuſquam gentium clariùs, quàm Antuerpiæ cerni poſſe exiſtimo, quò veriùs dicas cereos montes, quàm formas apportari, è quibus in diſcos minores redactis vt cõmodè ferri poſſint, tota ferè Hiſpania lumen ſuum tum in tẽmplis, tum extra tẽpla nutrit. Iã ſi mel & cera quercubus ceu domiciliis ſuis pręcipuis adſcribãtur, immẽſo diuitiarũ auctu earum regnũ locupletatũ dicamus neceſſe eſt, & eius terminos tam procul ad omnes vitæ cõmoditates pertinere, quàm ſeſe latè horum vtilitas extendit. Quid melle & cera in medicina vel præſtantius vel crebrius? quorũ ſi multiplicẽ vſum perſequi velim, integra mihi ſint volumina conſcribenda. Mel vitã interius variis modis variisq. nominibus cõſeruat, alit, & vinoſo ſpiritu exhilarat, vt interim quæ foris præſtat omittam: cera exterius quot malis medeatur, ne ipſe Hippocrates quidẽ ſic poſſet enumerare, vt non multa omiſiſſe tandem deprehendatur. Mellis & ceræ munera multa videmus,

Apum copia in regione Septentrionali.

Mellis & ceræ laudes.

videmus, dum illud exterius oculos abſtergit à muco & læmis; hæc lumen ad videndum ſubminiſtrat; ſed tam multa videre nõ poſſumus, vt eorum quorum beneficio videmus, totũ regnum peruidere poſſimus. Sed miſſis his, quorum vtilitas nulla libri mediocritate explicari queat; miſſis etiam aliis quibuſdam, quæ Theophraſtus in hac arbore naſci annotauit, propiùs ad ea veniamus, quorũ conſideratio Druidis maximè videtur placuiſſe. In his eſt mel aërium; quod nõ alterius arboris frondibus lubentius inſidere, vt idem prodidit plantarũ ſcriptor, ita neminem ferè latet eorũ qui in ſiluis diu multumque ſunt verſati. Hoc manna cęleſte, & panẽ viuum qui de cælis deſcẽdit, quis eſt qui nõ intelligat denotari; & idcirco non ex apum modò fauis & cæteris, ſed ex hoc etiã cæleſti dulcore cuius liquere, hanc meritò vitæ arborẽ poſſe nominari; quod quia clariſſimũ eſt, nõ eſt cur pluribus docere nitar. Sequitur Coccus nobiliſſimus glandiferę arboris fructus, quo nihil eſt ad ſymbolicam arcanorũ ſignificationem accommodatius, tum ob viuum eius & flameum colorem, tum ob mirificam cordis & ſpirituum vitalium recreandorum facultatem: quæ ambo ſimul concurrentia, vel ſola per ſe ſatis cauſſę habent, vt glandifera arbor lignũ vitę vocetur. Hegeſippus primarium peripetaſmatis ſiue veli, quod in templo Salomonis pẽdebat, colorem coccinum fuiſſe teſtatur, aiens eo igneum cęlũ denotari. Enimuero quid igneũ cælum eſſe dicemus aliud, quàm æternam beatorum vitam, cùm ignis vitam, cęlum rotunda ſua forma & orbiculari motione aptiſſimè ſignificet æternitatem? Et vt ſummis ſumma cõueniunt, & per gradus quoſdam ſummorum communicatio ad inferiora deſcendit; ita ardens cocci color, & viſum vibrante quadam flama feriens, primùm ordini conuenit Seraphico, qui amoris igne proximus Deo adhæret, cuique tanto cuiuſque vita propiùs accedit, quanto vehementiore amoris incendio flagrat. Coccum Hebræi תלע vocant. quo nomine vermiculus generatim denotatur, vnde apud Latinos Galbæ fortè vocabulum, per litterarum duarum inuerſionem, pro verme æſculum, vt ferunt, erodente. Nobis hic propoſitum non eſt, vt de Cocci vermiculo diſputemus; id ſatis fuerit vno verbo dixiſſe, non ex vermiculo, ſed ex ipſo cocco fieri tincturã, tametſi ex cocco vermiculus frequenter naſcatur. Mirum enim eſt quàm varia glandifera arbos producat; inter quæ ſunt Gallarum aranei, formicæ, muſcæ. quæ animalcula etiam in pilulis folio querno innaſcentibus inueniuntur. Sic ex cocco vermiculus naſcitur, ſed ille ad colorem inducendũ adeò non neceſſarius, vt etiã non parum obſit, coloris materia eroſa. Ventũ autem eſt in hunc loquendi morem, vt vermiculi color vocaretur, propter ambiguam vocis תלע ſignificationem, modò vermem, modò ilicis granum denotantis: aut quod magis ſuſpicor, id priſcis hominibus in grani iligni nomine accidit, quod noſtratibus in Thunę verrucis, quas idcirco Hiſpani *Cocinillas* vocant, id eſt, ſuculas, quoniam in id genus vermiculos trãſeant, quos nos D. Virginis Gallos ſermone noſtro nuncupamus, cùm tamen ipſæ verrucæ ſiue grana Thunæ non vermiculi tincturæ ſeruiant. Eorũ enim generatio humorẽ colori inducendo aptum abſumit & prorſus depopulatur: quam vt impediãt mercatores, vel calcem vel cineres inſpergũt; tantũ abeſt vt ſuculæ, vt ſic Hiſpanorũ more loquamur, colorem rubrũ oculos gratiſſimo igne ferientẽ inducant. Idẽ in Grano quondam reor accidiſſe, quod Arabes *Kermez* vocant: vnde Europæis, ni fallor, omnibus color Kermeſinus appellatur, purpureo lucidior & ad flameum ruborem multo magis accedens, quanquam nuſquam hodie è purpuris panni tinguntur. Quoniam itaque color Kermeſinus ſiue Coccinus vibranti rubet ardore, optimũ fuerit flagrantis amoris ſymbolum, quo ſolo tota vita, quæ vita verè dicenda, conſtat. Verùm enimuero licet ardens amor ad Deum nos euehat, niſi tamen ſemel euecti ei conglutinemur, æternam vitam habere non poſſumus; quandoquidem is ſolus ſeruatur qui perſeuerat vſque ad finem, ad quem peruenire nemo poteſt, niſi amato ſuo ad eum modum vniatur, vt ab eo diſtrahi nulla vi poſſit. Glutino igitur opus eſt, cuius nexu firmiſſimo ei à quo vita manat, perpetuò hæreamus & vniamur, ita vt nulla vis nos è beato ſtatu queat dimouere. Quocirca ſtupendo diuinæ prouidentiæ artificio ſic quercum videmus comparatam, vt viſcum in ea creſcat omnium præſtantiſſimum; cui longiſſimè quoduis cuiuſuis alterius arboris viſcum tanto poſthabendum interuallo, quanto caput noſtrum reliquis membris & ſuperius eſt, & excellentius, & diuinius. Præter enim vim illã conglutinãdi ſummã qua pollet, à medicis deprehẽſum eſt habere quoq. facultatẽ, vt morbo omniũ

Coccus, glãdiferæ arboris fructus.

Coccinus color quid designet.

Galba vernus.

Thunæ grana ſiue verruca.

Cocinillæ.

Kermez granum.

Kermeſinus color.

Viſcum præſtantiſsimũ proferi quercus ſingulare [illegible] alexipharmacum.

 ſæuiſſimo

ſæuiſſimo & maximo,& idcirco ſacro vocato validiſſimum ſit ac præſentiſſimum amuletum. Inuadit hoc malum principem hominis ſedem,& neruorum principio,vnde velut ex arce ad omnia membra ſentiendi mouendique vis emanat, occupato, confeſtim & eueſtigio hominem deiicit,omni mentis,ſenſuum,& totius corporis orbatum facultate:& quaſi parum id eſſet, hominem infra omnem brutorum naturam momento temporis & vno oculi nictu præcipitaſſe, illam præterea addit fœditatem & tyránidem, vt totum corpus diris tormentis diſtrahat atque vexet, os diſtorqueat, ac ſpumeo tabo oppleat,dentes horribili ſtridore collidat, oculos huc illuc terribili ſpectaculo diuellat, omnia denique membra vel diſtrahat,vel contrahat,vel ſurſum deorſum iactet. Noſtrates à caſu,quo eos quos inuadit mox præcipitat, **Vallende ſiect**, id eſt,caducum morbum appellant. Cui ſi primum Adami caſum & omnia eius ſymptomata cõferas,non ouum ouo ſimilius eſſe dicas. Confeſtim enim à pomo mortifero deguſtato, liberum mentis ſeſe ſeruãdi arbitriũ amiſſum,& diræ totius animi diuexationes ſubſecutæ, & corpus ex immortali ſuo ſtatu in mortis barathrum deiectũ: quo fit, vt vel nullũ ſit malum quod à cadendo nomen habere mereatur, vel hoc vnum ſit de maximis,atq. adeò ipſum maximum inter maxima. Quamobrem cùm primi noſtri maiores huius mali,quo totum mortaliũ genus præcipitatum eſt,ſimilitudinẽ cum epilepſia viderent;voluerunt,vt hęc quaſi teſſera quædam illius,& huius remedia remediorum illius haberetur. Hinc igitur morbum caducum & ſacrum vocarunt: & quia primis parentibus iam mox à generis exordio reuelatum eſſet,mortiferum noſtrum caſum nõ ab alio quàm ab Hercule poſſe curari,epilepſiam morbum Herculanum vocarunt; haud alia loquendi formula,quàm ea qua Chironia vlcera ea nominamus, ad quorũ curationẽ Chirone aliquo opus eſſet: quanquã de his aliter alij ex veterum poëtarum fabulis non bene de Orphicorũ traditione confuſis, prodiderunt. Nos Herculanum morbum dicimus, non quòd Hercules eo laborarit,vt veſani quidam ſomniarunt; ſed quòd is à ſolo Hercule queat curari. non ille quidem quem epilepticum vocamus, ſed is qui per illum denotatur, & quem ſolus Chriſtus verus Hercules & verus medicus ſanat. Quemadmodum igitur humani generis pręcipitium per ſacrum morbum ſignificatur;ita per viſcum quercinum ſingulare ſacri morbi alexipharmacum, verus nobis Hercules, id eſt Chriſtus denotabitur, ſi ſymbolicæ rationis ductum ſequemur. Quamobrem quicquid Chriſto ſummo medicorum acceptum ferre debemus, id viſco quercino tanquam aptiſſimæ teſſeræ tribuemus: ex qua mox cogitatio ſubibit, hunc ſic inter nos & Deum medium eſſe, vti viſcum inter ea quæ conglutinantur. Verùm enimuero non ſat fuerit,viſcum in arbore vitæ creſcere,id eſt,Chriſtum Herculani morbi vnicum auerruncum cruci, quæ arbor vitæ eſt,affigi,niſi glutinũ quoq. nobis è viſco accedat,& eo ipſi Chriſto cõglutinemur. Quid autẽ aliud eſt glutinum quàm ipſe amor quo Chriſto ſoli caducum noſtrũ morbum ſanare potenti adhærere & vniri debemus? Amor enim quẽ Spiritus ſanctus nobis flameo ſuo ardore infundit, verũ eſt & vnicum glutinũ,quo ſolo,vt Chriſto,vniri; ita eo ſolo cõſecrari & ſancti effici poſſumus. Quoniã itaq. quotquot diuino Chriſti glutino,id eſt,Spiritu ſancto Deo ſunt cõiuncti; ab omni & corporis & mẽtis morbo, ab omni aduerſæ fortunæ impetu, ab omni fraude & ſæuitia draconis,ab omni deniq. periculo atq. metu ſunt liberati,& in ſanctorũ numerũ cooptati; meritò Druidę viſcum quercinũ **Wi** vocarunt,id eſt,omnia tum corporis,tum mentis, tum rerum externarũ mala perſanãs. **Wi** enim vt dilatationem indicat,ab omnibus liberat anguſtiis; vt purgationẽ ſignificat, ab omnibus noxiis ac ſuperuacaneis & mentẽ & corpus emũdat;vt deniq. cõſecrationis habet notam,eos quos purgauit,quos dilatauit,ſanctos reddit,id eſt,Deo perpetuò coniunctos & vnitos. Viden' modò, quàm Pliniũ Druidæ non deluſerint,ſed pro eo ac eorũ profeſſio poſtulabat, bona fide ipſi reſponderint, eã vocẽ qua viſcũ quercinũ ſua lingua nuncupabant,ſignificationẽ habere omnia ſanãdi? Quãuis igitur & alia multa quercus ferat,ob quæ & maximo in honore eſſe debeat,& arbor vitæ queat vocari,omniũ tamẽ primũ eſt & ſummũ ipſum viſcũ & fructus viſci quo Deo cõglutinamur. Quocirca cùm ea demũ vera ſit vita,à qua omnis mortis timor,omne mortis periculũ,omnis malorũ occurſus lõgiſſimè ſemper abeſt,nec ea vlli mortaliũ cõtingere poſſit,niſi is per viſci acinos, è quibus glutinũ fit, vitæ datori cõglutinetur, id eſt, per Spiritũ ſanctũ Chriſto vniatur; rectiſſime factũ à Druidis,vt licet quercũ quidẽ honorarent, vti arborẽ in qua vita ſtaret ac cre-

Morbus ſacer ſiue caducus.

Morbi caduci, cum lapſu Adami comparatio.

Epilepſia quare Herculanus morbus dicatur.

Chironia vlcera.

Viſco quercino quid denotetur myſticè.

Wy.

ac creſceret; at viſcum tamen tanto arbore facerent magis venerandum, quanto Chriſtus & Spiritus ſanctus Christo nos amore vniens, præſtantior eſt & diuinior quàm ipſa crux, quæ arbore vitæ denotatur. Neſcio quî fiat, vt me ſymbolorũ ratio tranſuerſum rapiat, ac prius multa dicere cogat, quàm ea dicere deliberaſſem. Propoſueră mihi quercũ conſiderandam, vt ex eius natura docerem, nullã arborem aptiorem inueniri ad veram vitam denotandam. Primùm igitur de fructibus eius, deinde de adnaſcentibus & coniunctis, poſtremò materia roboris & multiplici eius vſu breues quaſdam notas aut potius notarum indices tradere decreueram, atq. tandem, his percurſis, ſigna rebus ſignificatis applicare. Verùm procliuis & promptus ſymbolorum explicatus, & artiſſima eorum cum rebus cognatio crebrò ordinẽ meum turbat & interrumpit; & multa, quia vltro volenti nolenti ſeſe ingerunt, prius effluunt, quàm ea, quæ ipſis præuertenda erant, ſint annotata. Quid? quòd hoc etiã feciſſe mihi videantur, vt reliqua quæ propoſueram fortaſſe ſuperuacanea ſint habenda; propterea quòd luculentis & firmis argumẽtis nũc effectum ſit, vt à nemine quamuis obſtinato vel negari poſſit, vel in dubium adduci, quin quercui maximè conueniat vt lignum vitæ nominetur. Addamus tamen materiã, non quia ſit neceſſarium, ſed ne neglecta hæc conſideratio, velut ad rem non factura videatur. Diſcurras itaque primùm per omnes arbores, & diſquiras, an vlla ſit quæ cunctis ſimul dotibus ad tot rerum fabricam accommodata ſit. Sunt aliæ quidẽ duriores, ſed quanto duriores, tanto breuiores & fragiliores in ponderibus ferendis, vt buxus, vt cornus, vt ebenus. Quas enim trabes ex his in magnis ædibus tabulato cuipiam amplo ſuſtinendo parare poſſis? Aliis longitudo eſt, at durities deeſt, vt abieti & ſimilibus; in aliis denique aliã deſiderantur: vna quercus eſt quæ omnes bonæ probæque materiæ numeros explet. In mari nihil firmius, in terra nihil perennius. Quæ rogo materia ad nauem ſecuram conſtruendam aptior? In ædibus hæc longiſſimè cæteris omnibus arboribus antefertur, cùm cæteris dotibus, tum cędendi etiam celandique facilitate. Accedit & illud in querci genere, tantam criſpi fibrarum diſcurſus elegantiam in quibuſdam regionibus inueniri, vt eius copia aceris deſiderium ſolari queamus. Nos hoc genus Wagenſcot vocamus, id eſt, lignum excreſcens in modum vndarũ ſeſe criſpantium. Scot quamuis creſcendi rationem indicat: Wagen verò fluctus ſignificat ventorum impulſu criſpatos. qua de voce Galli cæteriq. Romaniſantes nomen ſuum, quo pro eodem vtuntur, mutuati ſunt, duplici littera qua carent, in ſimplex digamma commutata. Cùm ergo querno robore nihil ſit aptius ad domos conſtruendas, rem vitæ neceſſariam, eoq; domicilia non ſolùm ceu oſſibus quibuſdam componuntur, ſed apud plurimas etiam gentes, in quibus & noſtrates ſunt, haud ſecus ac citriis laminis ornantur; poterit & hac ratione, eaq; non mala, vitæ lignum vocari, id eſt, ad commodè viuendũ maximum adferens adiumentum. Quid de igne dicam, qui non ad vitam tantùm bene agendam eſt neceſſarius, ſed apud hieroglyphicorum etiam magiſtros vitæ ſymbolum fuiſſe ſcitur? Certè ſi nullum lignum ignibus alendis melius ſit; quid ni & hoc nomine vitæ lignum vocetur? Iam vt cypreſſus extra terram æternæ mortuorum vitæ teſſeram gerit, ob eam, quam in hieroglyphica ipſius Aleph figura trado, cauſſam; ita quercus intra terram poterit aptiſſimè eandem denotare, quandoquidem certum ſit, quernum robur ſub terra in ebeni tum duritiem tum colorẽ tranſire, nec vllo vnquam tempore corrumpi. Poſſem & alia in vulgus iactata huc adferre, ſed hæc mihi ſufficere, ne dicam nimio plura eſſe, videntur, ad hoc demonſtrandum, nullam arborẽ eſſe vitæ humanæ aut vtiliorem aut magis neceſſariã; atq. idcirco nullam fuiſſe magis idoneam ad ea quę ad veram vitã pertinent ſymbolis denotanda, & iis quidẽ nõ congruis modò & apertis, ſed magna etiam rerum vbertate copioſis. His igitur de natura arboris ſuccinctè annotatis, videamus quàm rectè ea conueniant quæ tum in ſacris litteris, tum in vetere poëſi de quercu dicuntur: & quia nunc de ipſius vmbraculo Mamrico, ſub quo totius generis humani ſalus Abrahamo quondã fuit promiſſa, diximus; quæramus ecqua alia ſcripturæ loca ad eandem ſymboli rationẽ ſint examinanda. Occurrit extẽplò Ioſue filius Nun, alter à Moſe Iſraëlitarum dux & Imperator. Hic cùm populum ſuum in terram promiſſam poſt varias multorum annorum ærumnas induxiſſet, atque eam ipſi per tribus & cognationes habitandam colendamque partitus eſſet, comitia indixit ad Sichem, in quibus commemoratis omnibus Dei beneficiis & ſtupendis miraculis, quibus popu-

Quercus arboris encomion.

Wagenſchot. Scot. Wagen. *Vague Gal. id eſt fluctus.*

bus populum Iſraëliticum ex infinitis periculis liberarat, tandem eò ſuam deducit orationē, vt interroget, Vtrum deinde Deo ſuo & eius promiſſis adhærere vellent, an verò ad idola gētium, quibus maiores ipſorum in Chaldæa & Ægypto ſeruiiſſent, reuerti. cui cùm reſpondiſſent, ſe Deum ſolùm culturos & adoraturos eſſe; pactum de nouo inter Deum & homines eſt ſancitū & redintegratum; quod vt firmum maneret, atq. tandem ad vitam ſempiternam, patribus ſub myſteriorū inuolucris promiſſam, deduceret, bono omine initū eſt ſub quercu, ſub qua multis antea ætatibus Abrahā acceperat generis ſui omniumq. gentium conſecrationem. Quod ſi dicas non referre, quercus ne fuerit, an alia arbos; reſpondebo, te peſſimè de ſacris litteris ſentire, ſi in iis quicquā fruſtra dici exiſtimas. Quorſum opus fuiſſet arboris nomen exprimere, ſi nihil in arboris commemoratione latuiſſet arcani? Alia ſcripta caſu temereq. contexta dicas; at vt id de claſſicis ſacræ ſcripturæ libris vel cogites vel proloqui audeas, Deus auertat. Iā vt piaculum hoc alibi fortaſſe larua aliqua & quæſito prætextu ſeſe poſſet profanis hominibus probare, hoc tamē loco omnis calumniæ occaſio ſacrilegis præcluſa eſt. Quid enim clarius, quid grauius, quid cōſtantius aut dici aut ſcribi queat; quid reddere lectorem attētiorem ad ſingula verba diligenter & accuratè ponderanda, quàm ea narratio, qua inſtrumentum huius fœderis inter Deum & populum icti exponitur? cuius tandē hæc eſt concluſio: *Percuſsit ergo Ioſue in die illo fœdus, & propoſuit populo præcepta atque iudicia in Sichem.* Scripſit quoque omnia verba hęc in volumine legis Domini, & tulit lapidem pergrandem, poſuitq; eum ſubter quercum quæ erat in ſanctuario Domini, & dixit ad omnem populum: *En lapis iſte erit vobis in teſtimonium quòd audierit omnia verba Domini quæ locutus eſt vobis; ne fortè poſtea negare velitis & mentiri Domino Deo veſtro.* Eſt quiſquam adhuc tam impudens ſacroſancti voluminis bibliorum cauillator, vt hic neget ſingulas dictiones expendendas eſſe, & perquam ſtudioſè conſiderandas? Nolim profectò tam ſiniſtram de quoquam concipere ſuſpicionem. Examinetur ergo quid agatur. Icitur fœdus. Cum quo? cum Deo. Ad quid? Vt populus maneat in cultu Dei & vera religione. Quis huius finis? Quis alius, quàm is qui finis eſt omnium mortalium, in eo conſtitutus, vt & hic vitæ ſuppetant neceſſaria, & poſt mortem vita contingat in ſinu Abrahæ omnibus promiſſa? Quamobrem bene factum, quòd lapis huius fœderis verba cōtinens, ſub quercu deponeretur, tum quò memoria ritu quercus diu eodē loco perennaret, tum quo per fœdus ea populus cōſequeretur omnia, quæ quercus ſymbolo denotantur. Placuit mihi maiorē in modum hæc teſtificatio, cùm ob id quòd interpretes omnes hic quercum vno conſenſu expreſſerint, tum quòd Cimbricum quercus nomen, de quo mox plura, cum fœdere & legitima vnione, quæ primùm Deo cōuenit, & eccleſiæ eius ſponſæ inſigniter conuenire cernatur. Alioquin enim prius eius quercus feciſſem mentionem, ſub qua Iacob idola legitur ſepeliuiſſe; propterea quòd quæ tempore præcedunt, ea in commemoratione quoque priora eſſe debere videatur. Sed bene accidit, bene Deus manum noſtram direxit. Dum nos interpres Latinus & Græcus terebinthi larua deterruit, hoc effecit, vt vltrò in ipſam duceremur veritatem. Defoſſus eſt lapis, teſtimonium fœderis inciſum habens, ſub Ela, quæ eſt in Sichem: & Iacob dicitur ſub Ela quæ in Sichem eſt, idola defodiſſe. Rogo igitur, quæ cauſſa interpretes impulerit, vt cùm vtrobiq. de Ela Sichemica verba fiant, vno loco quercū, altero terebinthum reddant? Video equidem, dicet aliquis, Iacobum ſimulacra omnemq. eorum ornatum defodiſſe ſub Ela, ſed eam non in Sichem, verùm poſt Sichem conſtitui. Eſt ſanè ita in Latina verſione, ſed in Hebræo textu עם legitur. quod cùm alibi quoque idem ſit quod in, tum hoc loco à Græco interprete ſic redditum habemus, vt in Sichem Ela fuiſſe dicatur. Ela autem ſub qua fœderis lapis à Ioſua eſt erectus, nō tantū in Sichē, ſed in ipſo etiam tēplo ſiue loco ſacro, id eſt, במקדש dicitur ſtetiſſe. Cōiicio itaque, ab eo vſq. tempore quo Iacobus illic ſimulacra terra obruerat, locum hunc ſacrum fuiſſe, atque idcirco Ioſuam in eo voluiſſe extare fœderis, quo Iudæi idola abiurarunt, monumentum, vt rurſus in mentē veniret, quondam à Patriarcha Iacobo hic omnem idolomanię apparatum defoſſum obrutumque fuiſſe. Confer nunc mihi Iacobi & Ioſuæ factum, confer falſos Deos & inſana ſimulacra ſub alta humo depreſſa, & perpetuis tenebris cōdemnata, cum Iſraëlitis ſollemni ritu iurantibus, ſe nunquam ad ſimulacrorum cultum deſcenſuros, confer locum loco, confer quercum quercui; diſces tandem (ni vel ego fallor,

Quercus in Sichem.

Peſsimè de ſacris litteris ſentit, qui quicquam fruſtra in iis dici putat.

Lapis fœderis ſub quercu depoſitus à Ioſue filio Nun.

Ela in Sichem.

fallor, vel tu admodũ hebes ſis) ob eam cauſſam quercũ in partes vocatam, vt eius ſymbolo moneamur, omnem noſtram vitam conſtare in abiurandis idolis. Mortem ſubiuit humanum genus, quia draconis ſuaſu vetitum ſcientiæ boni & mali arboris fructum primus parens deguſtaſſet. Primus ergo gradus ad Deum regreſſus fuerit, ſi omnia draconis conſilia & machinamenta reiiciamus, deſpuamus, conculcemus, vnumq; Deum ſolum colamus & adoremus. quod ſe facturũ eſſe populus Iſraëliticus ad quercum Sichemicam ſpopondit, pro eo atque multo antea ad eandem arborem eandem rem Iacob Deo vouerat, ipſo mox facto demonſtrãs, quàm falſorum Deorum & draconis eorum patris hoſtis eſſet. Quamobrem viſus eſt Deus, cuius inſtinctu & auſpiciis hæc geſta eſſe nemo diffitebitur, luculentis indiciis tum in Mamre tum in Sichem monuiſſe, quercum vitę arborẽ eſſe, & ex diametro cum lethifero vetiti fici veneno pugnare. Adde his inſignem illam & nobilem Dauidis victoriã, qua Goliath mõſtroſæ magnitudinis Gigantẽ in valle quercus deuicit. O nobile perpetuò futurum quercetum non tam ob illum Dauidem pecoris paſtorem de Gigante ouantẽ, quàm ob eius victoriam, qui Dauidis typo denotatur. Chriſtus enim per Dauidem voluit ſignificari, qui de dracone primo omnium anguipedum Gigantum patre, cuius Goliath typum geſſit, ſplendidiſſimum in quercu acturus erat triumphum. Quamobrem cùm omnia & legis & hiſtoriæ arcana ad crucem ac victoriam Chriſti pertineant, quî poſſimus infitiari, quercus vmbram ad crucem Chriſti ſe diffundere, & quicquid eius celebrat pręconia, id totum ſpectare ad crucis honores? Obruta ſunt idola ſub quercu: cogita patrẽ idolorum ſub cruce perpetuis tenebris ſepeliri. Initum fœdus de vero Dei cultu obſeruando, non antè erit abſolutum, non antè perfectum, quàm teſtimonium eius ad crucem legatur. Neq. porrò antè ad omnes gentes benedictio & ſancta Dei nominis inuocatio, & ex hac inuocatione vita peruentura erat ſempiterna, quàm quercus Mamre promiſſum ſemen exaltaſſet. Quando igitur quercus veteris legis, ſignum fuit crucis Chriſti, & hæc verã ſit arbor vitæ; quid eſt abſurdi, ſi quercus arbor vitæ dicatur; immo quid abſurdius, quã ex hac naturalium & ſacrarum rerum conuenientia, non perſpicere vitæ lignum non aliud quàm quercum eſſe? Quoniam verò Chriſtus in cruce de dracone triumphũ omnium ſupremum erat acturus; ex qua quæſo arbore alia, quàm ex quercu contra dracone & eius idola conſtitui debuiſſet trophæum? Trophæum fuit quercus Sichem gemina ratione; altera ex Iacobo, altera ex Ioſua tributa. Trophæum fuit quercus in valle ea quę Goliath vidit occidi. Trophæum fuit quercus Mamre propter ſemen promiſſum, à quo vt draco erat conculcandus; ita totum genus mortalium à morte liberandum. Quid referam plura quercus præconia; quid plura ex hac arbore trophæa, cùm hæc ſint clariſſima? Attamen hæ quercus cõmemoratæ non alterius quàm crucis cauſſa, quam denotabant trophæa, dici poſſunt; atq. idcirco ſolùm trophæa dici merentur, quia veri trophæi ſignum ferebant. Quamobrẽ cùm quercus crucis ſit ſymbolum, quid dici queat probabilius, quàm crucẽ ipſam quernam fuiſſe? Verùm quò hæ noſtrę glandes magis magiſq; inſuetis hactenus palatis adlubeſcant, diſcantq. omnes non apud Iſraëlitas tantùm, ſed apud priſcos etiam Ianigenas quandam religionis Chriſtianæ vmbram fuiſſe; videamus quam maximam arborem dedicare ſoleant trophæis. Ne tamen omnes rogemus, néve ab antiquitatis imperitis decipiamur, Maronem ceu Delphicum quoddam poëtarum oraculum adeamus. Is vndecimum Æneidos librum ad hunc modũ exorditur:

Quercus, crucis Chriſti ſymbolum.

Oceanum interea ſurgens aurora reliquit.
Aeneas (quanquam & ſociis dare tempus humandis
Præcipitant curæ; turbataq; funere mens eſt)
Vota Deũm primo victor ſoluebat Eoo:
Ingentem quercum, deciſis vndique ramis,
Conſtituit tumulo, fulgentiaq; induit arma,
Mezenti ducis exuuias (tibi magne trophæum
Bellipotens) aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaq; trunca viri, & bis ſex thoraca petitum
Perfoſſumq; locis, clypeumq; ex ære ſiniſtra
Subligat, atque enſem collo ſuſpendit eburnum.

Videor mihi hic quercum videre Sichemicam, ex qua Iacob & Ioſua trophæum de idolis

idolis conſtituerunt. Cùm enim quercus Sichem dicitur, quercus Eoa ſiuē matutina dicitur, eo quòd שכם idem ſit quod ſumma luce ſurgere; quo nomine monemur nihil matutino tempore prius eſſe, quàm vt de victoria contra dracone᷄ cogitemus; nec alia ratione aut via contra eum poſſe trophæum cõſtitui, niſi mox in ipſo primo diluculo eam curam ſuſcipiamus, & cum Deo fœdus renouemus, abiurando quicquid nobis nogotij vel fuit vel eſſe poſſit cum dracone & idolis: quorum cùm varia genera ſint, tum philautia principem ſibi locum ſumpſit; cuius comites ſuperbia & auaritia, & cætera horum germina & cognata. Quoties igitur quercum Virgilianam audiemus, ex qua primo diluculo trophæum ſibi fecit, de quercu Sichemica & eius notatione cogitemus; & quotidie matutino tempore idola defodiamus, & pactum cum Deo renouemus, vt ea nobis fructuoſa ſit promiſſio, quam Deus ſub quercu Mamre legitur ſanxiſſe. Profectò non poſſum Virgilij cùm cæteras inſignes dotes, tum maximè cognitionem antiquariā ſatis admirari. Vide quàm conuenienter ſacris litteris quercum trophæo dedicarit, quàm egregiè priſci Hebræorum & Ianigenarum maiores in hoc ſymbolo cõſenſerint; non illi quidē vlla ducta demonſtratione humana ſatis efficaci, ſed ſolius Spiritus ſancti impulſu ea obſeruare coacti, quorum rationes nullas certas haberent. Omnia itaque trophæa apud antiquiſſimos Iapeti poſteros ex quercu fuerunt aptata, quò in omni victoria illius victoriæ exſtaret monumentum, quam agnus in quercu obtenturus eſſet: Mira ſanè eſt congruentia nominis Sichem & trophęi matutini. Chriſtus enim verus iuſtitiæ Sol mane ſurrexit, & verū nobis diluculum attulit; adeò vt hinc Erigone diua virgo vocari queat. quæ hoc nobis diluculum tenebras non diurnas, ſed æternas depellens peperit qua de voce in Croniis plura. Verùm quia latum hic contemplationis pelagus aperitur, contrahenda nobis vela, & è Syria ad aliud littus obuertēda prora. Aueo enim videre antiquiſſimum illud Dodonæum quercetū, & ſciſcitari quæ in illo oracula reddi conſueuerint; quæque fuerint Chaoniæ glandes, quibus homines primùm victitarunt. De Dodonæo Ioue, deque eius vaticiniorum antiquitate & fabuloſo exordio, cùm alij, tum Herodotus & Strabo conſulendus. Nos in Gallicis docemus, Chaoniam ab Hercule Chone, id eſt, à Nocho nomē accepiſſe. quo fit, vt illi optimè ſenſerint, qui Dodonen à Deucalione conditam ſcribunt, quandoquidem is idē ſit cum Nocho, vt in Croniis oſtendi. Nomen aliis Dodone, aliis Dodon quondam pronunciatum fuiſſe, Euſtathius tradit. Oraculum autem ex Phœnicia veniſſe, vti Herodotus prodit, ex eo liquet, quòd Nochus, quem vel Chaonem Herculem, vel Deucalionem voces, è Phœnicia in illam Græciæ partem prius appulerit, quàm in Italiam nauigarit. Hyginus à Theſſalo, quo nomine Deucalionem vocare videtur, Dodonam conditam dicit. Alij columbas, alij anus quaſdam, alij quercus oracula ceciniſſe ſcribunt. Homerus omnium Græciæ ſcriptorum antiquiſſimus hac de re ſic canit:

Dodona cinitas. *Dodonæum oraculum.*

Τόν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι ὄφρα θεοῖο
Ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο διὸς βουλὴν ἐπακούσῃ.

Id eſt, vt rudi vertam dictione:

Illum ad Dodonam dicebat abiſſe rogatum
Conſilium Iouis ex quercu alta fronde ſuperba.

Quia igitur extra omnē controuerſiam eſt, lucum hunc omniū eſſe antiquiſſimum, probabile eſt multo Pelaſgis eſſe vetuſtiorē; & tanto quidē, quanto Gallos veteres Pelaſgis fuiſſe priores, ex iis quę de Iapygia & Epiro tradidi, quiuis colligere poſſit. Quādo igitur omnis Ogeniorum hominum religio ad vitę lignū referebatur, nō poteſt eſſe obſcurū, cur Nochus, ſiue Chaon, ſiue Deucalion, ſiue Theſſalus quercetū Ioui cõſecrarit. Cùm enim totius orbis pontifex maximus eſſet, diligenti ſtudio vbiq. terrarū curabat, vt vetuſta Sethinorū de religione inſtituta & ſacri ritus diuinitùs accepti docerentur; atque ad eam rem collegia & diatribas plurimis locis erigebat, quarum nulli Dodonæa aut venerationis nomine ceſſiſſe videtur, aut antiquitatis opinione. Dicebantur autem in ea oracula promi, propterea quòd quæ in ſacris eſſent, vel ritibus vel traditionibus Sethinorum, quibus religio tota debebatur, ea omnia vera de venturo Chriſto vaticinia obſcuris ambagibus indicarent. Hinc iactatum, homines hic primùm glandibus paſtos, eo quòd omnis diuini cultus & pietatis doctrina fructus eſt quercus, id eſt, crucis Chriſti: quoniam nimirū omnis eius vtilitas è ſola cruce depēdet. Omnes enim cærimoniæ,

Glandibus quare homines primùm paſti dicantur.

omnes

omnes ritus, omnis traditio, omnes preces, omnes hymni ſteriles & inanes & nullius frugi cùm nunc ſunt, tum olim fuerunt, niſi ad crucem referantur. Hinc Tau ſiue crux in manibus earum imaginum quas hieroglyphica nobis demonſtrant monumenta, vt videlicet intelligamus, omnes ſacras litteras & figuras ad Tau pertinere. Cùm igitur Tau quernum eſſe dixerimus, reliquum eſt, vt eius fructus glans allegoricῶs nominetur. quæ non olim modò primus homini cibus fuit, ſed nunc etiam eſſe debet, id eſt, primo loco ab homine ſumendus. *Primùm*, inquit ſalus noſtra, *quærite regnum Dei.* quod ſymbolorum magiſtri dixiſſent, Primùm veſcimini glandibus. Vnde igitur, dices, prouerbio omnium ore trito monemur, ne poſt fruges inuentas glandibus veſcamur? Bene profectò monemur, ſed vereor vt quiſquam hactenus, cuius rei moneamur, intellexerit. fuit olim figuris & ſymbolis locus, ſed poſtquam Chriſtus in mundum venit, ad quem omnis figurarũ ſignificatio ſpectabat, fuit res ipſa pro figuris amplectẽda. Quemadmodum igitur poſt Chriſti mortẽ Moſaicæ legis cærimoniæ ceſſarunt; ita nec glandibus amplius erat veſcendũ, ſed ipſa fruge Chriſtiana per glandẽ olim denotata. Sit ergo nũc ita, vt glandes non edamus; at edamus tamen cibum illum, cuius glans habuit ſignificationẽ. Non ponimus nunc præputia, ſed ponenda ſunt ea quæ præputia deſignabãt. Veſcimur itaque nũc frugibus, dum ea comedimus quæ glandibus notabantur, quæ tanto ſunt preſtantiora, quanto viuus homo homine picto. Huc ſpectant quæ de Sole & Luna alibi dixi; vbi Lunæ nomine cærimonias & veterem legem capi debere monſtraui, quæ Sole exorto lumen ſuum amittere videtur. Quæres fortaſſe, qua de cauſſa ipſæ quercus oracula edere dicerẽtur? Ea haud dubiè ratione, qua homo viuus ſui ipſius fundit imaginem, quam pictor in tabulam refert coloribus expreſſam. Eodem enim quercus, id eſt, crux Chriſti ex ſe ſimulacra ſui edebat, quæ Curetes cærimoniis & ritibus expreſſa populo ſpectanda præbebant. nunquam illa quidem intelligenda, niſi Chriſtus in mũdum veniens, & ſe hoſtiam ad ſordes noſtras eluendas in crucis altari offerens, omnem obſcurarum imaginum & figurarum caliginem clara luce diſcuſſiſſet.

Quercus quâ de cauſſa oracula edere dicta.

Quod autem de columbis fabulati ſunt, quò ſit referendum vt coniectare poſſum, ita aſſerere nolim. Appulit fortaſſe Nochus in Epirum duabus nauibus, quas bono omine columbas potuit nominare, tum ob volatus celeritatem, tum quò memoriam refricarent eius quod in magna illa naue acciderat in gemina columbæ emiſſione. Ex vera enim hiſtoria inanes frequenter fabulæ apud Græcos natæ ſunt de rebus vetuſtis non bene cognitis, vno quoque ſibi ſomnia comminiſcente. Sic Plutarchus columbæ ex arca à Deucalione emiſſæ meminit, inſigne teſtimonio ſuo ſuggerens argumẽtum, Deucalionẽ non alium quàm Nochũ intelligi debere. ſed in emiſſionis cauſſa à vero aberrauit. Nec aliter hîc accidiſſe reor, dum colũbæ è Phœnicia dicuntur emiſſæ; è quibus alij quod viſum fuerit ſibi fingant: mihi certè naues lubet ſuſpicari. idq. eò magis, quòd hæc auis Veneri dedicetur; ad quam terris omnibus inducẽdam Nochus potiſſimũ nauigabat. Holcadi maximæ, qua generoſiſſimæ quæque Reginæ Hungariȩ ancillæ & pediſſequȩ vnà cum Oeconomo & aliis, inter quos & ego fui, in Hiſpaniam è Belgio vehebantur, nomen erat Mons Veneris, vt & ingens moles, & formoſarum mulierum vectura notaretur: cui ego potius columbæ nomen dediſſem, maiorem eorum quorum columba teſſeram habet, quàm molis rationem habiturus: tametſi ſciam, eum qui nomenclaturam dederat, ad fabuloſum Veneris in Apennino montem alludere voluiſſe. Non fuit itaque falſum columbas olim oracula reddidiſſe, ſi naues pro vectoribus capiantur, eo quòd ij qui cum Deucalione ex Phœnicum littore appuliſſent, primi ſacrorum doctrinam in Epiro plãtaſſent; & quorſum ea tenderet, nobili querceto ſollertibus ingeniis intelligendum dediſſent.

Columbas olim oracula reddidiſſe, quomodo intelligendum.

Atq. hoc quidem primum Dodonæ fuiſſe videtur inſtitutum: à quo poſteri immanibus ſpatiis digreſſi, vaniſſimũ aperuerunt mercatum mendaciorum, quæ ceu vera vaticinia protruſa, ingentem quæſtum fallacibus ſacrificulis attulerũt; qui vt perpetuus eſſet, omnem non veritatem modò, ſed veritatis etiam memoriam frigidiſſimis & execrandis idolomaniæ portentis obruerũt. Hoc eſt illud præſens omnis pietatis venenum, hoc vſitatũ religionis exitiũ, cùm quȩ diligens patrum cura ad frigidos hominũ animos accendendos comparauit, ea ad ſordidũ lucrum detrahuntur. Hoc eſt illud præcipitiũ, quo quæ Deo ſunt conſecrata & pietatis ſtudiis promouendis inuenta, ea ad Mammonam rectiſſimo lapſu deuoluuntur, ruina ſua non rarò totam ſecum trahentia religionẽ;

Sacrificulorum quæſtus, idolomaniæ cauſſa.

quod vtinã nunquam cogeremur videre. Vt vt res nunc habeãt, id ſaltem vnum eſt de certiſſimis, omnẽ priſcam ſacrorũ apud Ianigenas diſciplinã hac via ſic corruptã quondam fuiſſe, vt tandem Deus non abuſum modò, ſed res etiam ipſas ad pium vſum olim inſtitutas, tolli mandauerit. Quamuis enim non temere vetuſtę leges & antiqui ritus & iam olim receptæ conſuetudines tollendæ, cùm tamen plus damni è re quapiam obſeruata, quàm abrogata oriri cernitur, tum haud dubiè commutatio, quæ cæteroqui periculoſa eſt, ſi Ariſtoteli remp. conſtituenti credimus, differenda. Hinc excelſorum lucorum, & aliorum quorundam à priſcis hominibus ad pietatem inflammandam optimis rationibus deſtinatorum, vehemens & crebra in ſacris litteris deteſtatio; quæ non ad primam rituum cauſſam & conſtitutionem, ſed ad deſpuendam eorum corruptionem referenda eſt, quæ tanta nimirum euaſerat, vt nulla recti vſus ſpes relinqueretur. Primi illi venerandi patres animaduertentes, & in ſeipſis etiam experti, hominis animum poſt Adami lapſum tam prono gradu corporis ſenſum ſequi, vt frequentius multo rapiatur, quàm ducat, exiſtimarunt quamplurima eſſe quærenda adminicula externa, quibus ad res diuinas à terrenis erigatur. Quoniam itaq. in omni oratione primarium eſt, vt mens noſtra ſurſum ad cæleſtia ſeſe attollat; vtiliſſimum fore exiſtimarũt, ſi corporis motione & aliis externis ſignis homines ad eam cogitationem impellerentur. Quamobrem optimum crediderunt, ſi Deum oraturi ad montes adſcenderent, tum vt laborioſus corporis ad ſuperiora nixus animũ moneret, quò his inferioribus relictis, totus ad cælum cum alaudis euolaret, atque ſeſe ei, quẽ oraturus eſſet, quàm proximè poſſet, cõiungeret; tũ vt hoc ſcandendi labore ac mora interpoſita, diutius diuina meditaretur, & paratior ad preces poſt diuturnam multamq; cogitationem veniret. Adde & mõtium ſolitudinẽ, quæ maiorem in modum nos à turbis abſtrahit, & cõtẽplationem promouet. Deinde cælum à nobis propius quàm antea diſtans, magis inuitat ad architecti ſui admirationem, qua prouocatis cogitatio ſubit, tantam machinam noſtra cauſſa à Deo factam eſſe, & tot ſideribus & variis eorum curſibus ornatam. Hinc in amorem rapimur & omni ſtudio nitimur, ne ingratos nos ei præbeamus, qui tam incomparabili tot beneficiorum copia nos cumulauit. Quòd ſi montium aditus & adſcenſus ad hanc iuuat cogitationis ſublimitatem, non poſſumus non fateri rectiſſima eorum fuiſſe inſtituta, qui montes ad ſacrificia & orationes delegerunt. Iam videtur nobis & ipſa natura dictare, ea Deo adorando loca eſſe conuenientiſſima, quæ quàm maximè ad cælum Dei domicilium accedunt. Chriſtus orationem, quam nos docuit, ſic exorditur, vt mox cæli faciat mentionem, & in eo patrem noſtrum dicat habitare; quod & illi priſci rituum ſacrorum magiſtri externo adſcenſus labore monuerunt, vt nimirum in mentem veniret, omnia noſtra vota ad cæleſtem vitam contendere debere. Vt verò quod dicimus illuſtri doceamus exemplo, recordemur quo primum loco poſt diluuium ſacrificarit Nochus pater omnium gentium. Sed dici poteſt id neceſſitatis fuiſſe, vt in montibus Ararath quando in illis arca quieuiſſet, immolaret: audiamus quid Abrahamo Deus præceperit. *Tolle*, inquit, *filium tuum vnigenitum quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnũ montium quem monſtrauero tibi.* Vide, rogo, quali ſacrificio qualis locus præſcribatur. Quid? an nõ in monte Oreb Deus Moſi apparuit? an non in eodem iuſſus eſt ſacrificare ſimul ac populum ex Ægypto eduxiſſet? Iam quis locus Dei & Moſis colloquio ad religionem & remp. Iſraëlitarum cõſtituendam electus eſt? nónne mons Oreb ſiue Sinai? Quocirca vt Deo colloquamur, quod inter orandum facimus, montem adſcendamus, quò corporis adſcenſu animus ad adſcendendum ad patrem, qui in cælis eſt, incitetur. Plurima poſſem exempla adferre, quibus hanc priſcam conſuetudinem docerem; ſed in re clara fruſtra pluribus agerem. Ex vno Michęę loco apertiſſimè diſcas, nõ ſolùm in mõtibus olim homines Deo ſacrificare conſueuiſſe, verùm etiam ab hac priſca conſuetudine montes pro ſacrificiis aliquando in orationem venire. *Et erit*, dicit vates, *in nouiſſimo dierum mons domus Domini, præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles, & fluent ad eum populi, & properabunt gentes multæ, & dicent, Venite adſcendamus ad montem Domini.* Hæc ille, & alia eôdem ſpectantia. quibus docet Deum oblaturum hoſtiam ſuam in monte Sion, & illud ſacrificium fore apicem & ſummam omnium ſacrificiorum, quo nimirum tanquam ad verticem ſuum ſummum omnia priſcorum ſacra referebantur.

Montes quare ad ſacrificia & orationes delecti.

bantur. Siue igitur hic montem in vertice montium, Chriſtum immolatum intelligas, ſiue regnũ eius in monte Sion per ſacrificiũ ſupremum cõſtitutum, eodẽ res pertinebit. Cùm enim ſaluatio eſſet exitura è monte Sion, vt Iſaias vaticinatus eſt, omnia ſacrificia ad montem Sion tendebant, id eſt, ad illam hoſtiam, cuius ſanguis fluuius vitæ vocatur. Ex his modò cuiuis liquebit, quàm multis & ſolidis rationibus Ogygij patres in mõtibus orarint & victimas mactauerint. Quæ igitur cauſſa fuiſſe dicetur, vt Deus excelſa deteſtatus ſit, atque id nec vno loco, nec paruis minis? Nempe quia loco ſacrificij, vni Deo fieri conſueti, idolis cœptum eſt in montibus immolari. quæ execranda ſacrorum corruptio ſic omnes gentes & inuaſit & occupauit, vt Deus ſimpliciter omnia excelſa vna ſententia cõdemnaret. quod dum facit, non ſic capienda ſunt eius verba, vt prohibere exiſtimetur, ne quis in monte ipſi Deo vel preces offerat vel hoſtias mactet. Nam Sion in mõte erat, in qua non aliæ modò hoſtiæ in templo Salomonis Deo ſunt oblatæ, ſed tandẽ ipſe etiã Chriſtus eſt immolatus. Eodẽ modo de lucis exiſtimandum. Primi mortales cùm diuinitùs accepiſſent, vitã æternam & ſummam ſalutẽ ex arbore petendam eſſe, arbores conſecrarunt, vt earum monitu promiſſi ligni perpetuò recordarentur. In hoc autem honoris genere quercus primas tenebat, nec principiò luci aliis ſiluis quàm quercetis conſtabãt: cuius clarũ indicium in nomine Dryadũ videmus; quæ licet quarumuis arborũ Deæ crederentur, à quercubus tamen nomen ferebant; eo quòd illæ ſolæ apud primos homines in veneratione fuiſſent, & in arborũ regno citra omnẽ priſcorum hominum controuerſiam principatum tenerent. Verùm ſymbolica hęc ratio ab antiquiſſimis Sethinorũ patribus ante diluuium accepta, ac inde ad Nochi poſteros deriuata, in idolomaniam degenerauit; atq. inde quercubus quas vt futurę ſalutis teſſeras habere debuiſſent, numina adſcripta, & ab iis ad alias arbores ſuperſtitionis veſania propagata, cœperunt Dryades & Hamadryades quarũuis arborũ Deę haberi: Quibus mox Faunorum nomen additum, quo neceſſaria ſaltuũ tutela denotatur, maiorẽ in modum impias de falſis Diis opiniones auxit. Quid multis? tandem eò ventum eſt dementię, vt quot falſa Deorũ numina ex diuerſis Dei nominibus ſtolidi ſibi fingerent mortales, tot ferè luci cõſecrarentur. Quamobrẽ Deus populo Iſraëlitico, è quo nomẽ ipſius carnem erat aſſumpturũ, præcepit, ne excelſa & lucos more gentium haberent, ne rurſus in idolomaniã, è qua Abrahamũ ad verum ſuiipſius cultũ vocauerat, relaberẽtur. *Subuertite,* inquit, *omnia loca in quibus coluerunt gentes, quas poſſeſſuri eſtis, Deos ſuos ſuper montes excelſos & colles, & ſubter omne lignũ frondoſum. Diſsipate aras earũ, & confringite ſtatuas; lucos igne comburite, & idola comminuite: Diſperdite nomina earũ de locis illis. Non facietis ita Domino Deo veſtro.* Hæc & alia Deuteronomij capite duodecimo. quibus plurima alia loca cõſentiunt. Neq. ſanè ſine maxima cauſſa Iudęis hãc legẽ ſanxit Deus, ne excelſis lucis & ſtatuis ſe colerẽt, quòd ſciret quàm proni ſemper & fuiſſent & eſſent ad idolomaniã; & ne hoc quidẽ tam graui edicto, omnibus ferè locis, non ſine maximis minis & ſæua eorum qui tranſgreſſi eſſent punitione, repetito, dementẽ idolorum cultum potuit excludere. Omnes totius ſacræ ſcripturæ libri pleni ſunt obiurgationũ, caſtigationum, exprobrationũ, vltionũ de horrẽda Iudæorum idolomania; quæ tanta fuit & tam pronis ſemper animis arrepta, vt poſt tot miracula, tot oſtenta terra mariq; edita, tam infinita beneficia, tot hoſtes inaudito victoriæ genere ſuperatos, cæſos, pulſos; poſt, inquã, terrę promiſſę poſſeſſionẽ nũc aditã, poſt loca eius omnia per cognationes deſcripta & diſtributa, Ioſue nouũ inter ipſos & Deũ fœdus ſanciẽdũ putarit: quod ſic propoſuit, vt maximis quibuſq. & illuſtriſſimis beneficiis cõmemoratis, dixerit, ſe vereri ipſos nunquã pacto ſtaturos; atq. idcirco fore, vt ad idolorũ cultum relapſos Deus diris modis affligeret ac perderet, vt crebrò pòſt legimus accidiſſe. Nõ mirũ igitur, Deũ omnẽ ipſis idolomaniæ pręcidiſſe occaſionẽ; vetitis etiã iis quibus pij viri ad diuinas cogitationes & excitandas & alendas vti potuiſſent. Neq. id ſolis credamus vſu veniſſe Iudęis; immo ſic potius æſtimemus, omnia priſca diuinorũ ſymbola, omnes ritus, omnes cęrimonias, omnia Dei nomina, omnes angelorũ poteſtatumq; diſtinctiones, quibus adminiſtris Deus totius mũdi vniuerſitatẽ gubernat, ad idola & falſa Deorũ figmenta iã tum olim trãſiiſſe, & in ſingulis gentibus vix paucos aliquos reliquos fuiſſe, qui hunc idolorũ mercatum peruiderẽt. Verùm quãuis tota illa ſacrorũ ratio ad draconis caſtra, auarorũ antiſtitũ religionẽ cauponantiũ adiumẽto, perfugiſſet, ob id tamẽ non deſiit Deus eiſdẽ & ſymbolis

Luci quare ad ſacrificia delecti.

Luci principiò ſolis quercetis cõſtabant.

Dryades.

Hamadryades.

Fauni.

Iudæorum idolomania.

& allegoriis in arcanis prædeſtinati ſui regni cōſiliis vti. Iā quercus in Dryades degenerarunt, iam luci falſis diis conſecrabantur, iam olim aræ in excelſis montibus extrui cōſuetæ, Dei mandato prohibitæ fuerant: nihilo tamē minus Deus lignū dixit in panem mittendū, dixit montē in vertice montiū præparari, & alia id genus permulta, quæ cum priſcis ſymbolis adamuſſim quadrabant. Quis præterea clarius aperuit, quæ paradiſi arbor lignū vitæ vocaretur, quam D. Ioannes in ſua apocalypſi, quā de Chriſti pectore, cui incubuit, ſuxit? Liceat igitur & nobis in hac ſymbolorū veterum ſilua ſic verſari, vt omnem idolorum contagionē procul fugientes, priſcæ veritatis veſtigia, quoad eius anguſto puſilli ingenij noſtri captu fieri poteſt, diligenter obſeruemus, & quò nos admirabili ſuo conſenſu vocant atq. ducunt, eò ſequamur. quod ſi fecerimus, multa idolomaniæ propugnacula, multa præſidia, multa armamenta è manibus hoſtiū eripiemus. Quādo igitur quò quercus referenda ſit, tāquam ad primā venerationis, in qua habita eſt, cauſſam oſtendi; docuiq. huic maximè arbori conuenire, vt arbor vitæ vocetur; reliquū eſt, vt nunc ex ipſis priſcis ſymbolorū nominibus, quorū quidē memoria exſtat, demonſtrē, me non aliud in lucē eruiſſe, quàm id quod primo vocabulorum architecto diuinus in-

Quercus arboris nomina, Latinè, Græcè, Hebraicè & Teutonicè, unde dicta, & quid ſignificent. ſtinctus ſuggeſſit. Videamus ergo quid quercus Latinorū, δρῦς Græcorum, אלון Hebræorum, Eic noſtras, rationis habeant, vt arborē glandiferam deſignent. Niſi enim nomina, quæ rerum ſymbola ſunt, cum vetuſtis ſacrarū rerum teſſeris cōueniant, nolim quicquā mihi fidei adhiberi: at ſi clarè demonſtrē, eôdem nominum rationes tendere, quò tum per cōiecturas, tum per veteris poëſeos & ſcripturæ teſtimonia perueni; haud equidem intelligo, cur hanc noſtram inueſtigationē quiſquam debeat accuſare vel vanitatis vel erroris. Vt igitur modò declaraui, Gallicum viſci nomen cum eo ad vnguem quadrare ſignificatu, quem Plinius à Druidis acceperat; ita nunc patefaciam & Græcum & Latinum glandiferæ arboris nomen tale eſſe, vt nihil magis queat vel cū vitæ ligno, vel cum cruce conuenire. In Abecedario Latinorum, & in litterarum enumeratione ab Hebræis

Q in locum VV irrepſit. vſurpata, doceo litteram Q in locum duplicis noſtri digāma, quod duplex V vocamus, & duplicis V pingimus figura, iam olim irrepſiſſe; atque inde factum vt duplici hoc digamma cæteræ nationes careant, & aliàs aliam litteram ipſius loco ſubſtituant, aliàs etiam prorſus omittant, vt in Druida videmus accidiſſe. Latini certè & Hebræi nonnunquam Q loco eius ponunt; cuius eorum facti, cùm quo dixi loco, tum in Vortumno quoque memini aliquot me exempla protuliſſe. Latini, in quibus Feſtus Pompeius non vltimos ordines ducit, quercum dici exiſtimant, quòd id genus arboris querquerum ſit, id eſt, graue. Aliis placuit querquerum frigidum eſſe, & inde febrē querqueram

Querquera febris. Lucilio febrem frigidam dici, addito etiam illo Κάρκηρα frigidam cum tremore vocari: atque inde Carcerem à frigido nomen ſortiri. Hic nihil ſani video, nec quid Κάρκηρα nominent, ſatis intelligo, licet ſciam Καρκαίρω apud Homerum legi pro fragore; cuius ſoni genus Euſtathius ad nominis attulit cauſſam:

Τῶν δ' ἅπαν ἐπλήθη πεδίον, καὶ ἐλάμπετο χαλκῷ
Ἀνδρῶν ἠδ' ἵππων, κάρκαιρε δὲ γαῖα πόδεσσιν.

Kraken. Nobis Karaken & Kraken dicitur à fragore quem edunt res dum violento ictu vel pulſantur vel rumpuntur. Et Euſtathius alibi annotauit, ſecundùm Rho in verbo Græco redundare, quod ſermo noſter non recepit. Quamobrem ſi febris vlla Κάρκηρα vocetur, illa ſic vocabitur, quæ tanto horrore inuadit, vt dentium ſtridorem edat. Ve-

Quer. Quern. rùm querquera febris dicetur à Quer, quod eſt idem quod dentibus ſtrideo; verbum à ſono ſimiliter ac Crac factum: A quo Quern mola eſt vocata, propter ſimilem ſtridorem. Hebræi חרק dicunt, quod ad Crac propius accedit. Allemani Kirren dicunt, alij etiam Kerren. Melius igitur ab antiquo verbo Cimbrico Quer Querqueram febrem nominatam dicemus, eo quòd aſſiduo dentium ſtridore inuadat, quàm à Καρκαίρω, quo fragorem edo, denotatur. Hinc Lucilius lucem capiet, dum dicit, *Querquera conſequitur febris capitiſq; dolores.* Et alibi: *Iactans me vt febris querquera.* Plautus bilis querqueratum dixit, indicans à bile hanc in febribus fieri dentium concuſſionem. Viden' quàm vetuſtæ Græcorum Latinorumque voces ægrè citra linguæ noſtræ ſubſidium intelligi poſſint, quamque nihil quercui cum febre querquera, & querque-

Carcer unde. rum nihil minus quàm magnum denotare? Quòd verò carcerem à frigore dictum ſcribant, id æquè ac cætera falſum eſt; cùm carcer Latinum vocabulum ab antiquo

Cimbrico

Cimbrico ſiat. Karker enim locus eſt quo homines concluſi tenentur; ſic vocatus, quòd omnia ea quæ homini grata ſunt, in quibus primas lux tenet, auertat. Eat nunc cum ſuo frigore Feſtus, & frigidas ſuas nugas iis obtrudat qui primas linguæ Latinæ origines ignorant. Poterat Carcer à coërcendo dictus videri, vt Varroni placuit, niſi Karker Cimbris & vſitatum eſſet, & certam apud eos haberet ſignificationis cauſſam. Porrò vt daretur querquerum frigidum eſſe, num inde probabile fieret, quercum à querquero deriuari? Nihil eſt quercu efficacius ad frigus variis modis propellendum, caloremque humanis vſibus ſubminiſtrandum, tantum abeſt vt ei quicquam ſit cum frigore commune. Nos duplicem in vocis compoſitione rationem agnoſcimus, pro eo ac duobus modis ipſius analyſis fieri non modò poteſt, ſed etiam debet. Prior eſt, ſi ſoluatur in wer-tout; qua via id notatur, quod à frigore defendit: poſterior ſi ſic vocem diuidas, vt wer-hout intelligatur; quibus partibus lignum illud exprimitur, quod aptum eſt ad quæuis opera conficienda. Vtraque analyſis prima ſeſe fronte offert, vtraque ligni cùm naturam tum vſum explicat, vtraque ſymbolicæ rationi ſic conuenit, vt neſcias quid maximè debeas in vocis artificio ſuſpicere atque admirari. Vt ergo priorem diſſolutionem prius conſideremus; quod rogo lignum inuenias magis idoneum ad frigus depellendum, ſiue foci ſpectes neceſſitatem, ſiue materiam ad ædes compingendas, quibus frigus amoliaris? Quòd ſi cui vtrumuis horum obſcurum eſſe crederem, pluribus verbis in eo docendo verſarer: at cùm nemo ſit mortalium tam hebes, vt non querno ligno hac parte primas deferat, nolo in re perſpicua inutilem ſumere laborem. Accedit his dotibus glandis natura; quæ cùm porcos nutriat, & ſuilla carne plurimus ſanguis generetur, & plurimus ſanguis plurimum temperati habeat caloris, & is maximè à frigore corpus tueatur; quid ni dicam quercum optimo iure nomen accepiſſe à frigoris defenſione? Sed his miſſis vti notiſſimis, ad ſymbolicam rationem hanc analyſim applicemus. Cùm quercus vitæ lignum ſit, vita verò calore & conſtet & ſeruetur, quod aptius ei nomen inuenias, quàm ſi ſic nuncupetur vt à frigore defendere intelligatur? Si enim calor vitæ principium, mors à frigore proficiſcetur; & id quod à morte defendit, meritò dicetur à frigore defendere, cùm à morte defendere nequeat, niſi cauſſam mortis excludat. In ſacris litteris in certiſſimorum numero id primum locum habet ac ſupremum; citra amoris ignem nemini vitam poſſe conſtare, & tantum vnicuiq. mortis adeſſe principiũ, quantũ deeſt caritatis. Vt enim *Deus caritas eſt, & qui in caritate manet, in Deo manet, & Deus in eo*; ita Deus quoq. vita eſt, & per vitam ſuam iurat: *Viuo ego*, crebrò dicens; tum etiam ſe vitã eſſe expreſſis verbis aſſerens. Quo fit vt is qui in caritate manet, in vita maneat, & vita in eo: qui à caritate diſcedit, tãtum à vita diſcedat, quantum à caritate diſcedit. Atqui aliud non eſt à vita diſcedere, quàm ad mortem ire. Iam verò ſi calor amoris cuſtos eſt, vitæ quoque cuſtos ſit neceſſe eſt, & hinc mox efficitur, vt à contrario frigore mors vitæ contraria inducatur. Quocirca ſi contrariorum amolitione omnis medendi ratio conſtet, nihil vitam aut præſentem poterit conſeruare, aut amiſſam reſtituere, niſi frigus mortis cauſſam auertat, & longè lateque propulſet. Cernimus itaque perquam conuenienter & rerum naturæ & medicinæ nomen vitæ ligno poſuiſſe, qui à frigore amoliendo depellendoque ipſum nuncupauit. Vt bene ille dixit:

Virtus eſt vitium fugere; & ſapientia prima,
Stultitia caruiſſe;

ita non malè nos ſuccineremus,

Frigus depelli calor eſt, vitamq. tuetur
Quiſquis depellit frigus reficitq. calorem.

Pergamus modò & inueſtigemus, quis ille ſit qui frigus mortis cauſſam amolitur. Certè non alius, quàm is qui immenſo amoris igne flagrans, ſeipſe tradidit pro amata ſua ſponſa crucifigendũ, atq. lethale frigus, animis noſtris ab arbore vitæ profligatis, & iam olim mortuis expulit ardentiſſima ſua flama. Quemadmodum igitur lignum crucis totum id quòd arbor vitæ & ſit & vocetur, Chriſto debet; ita & illud quoq. debebit, tum quòd dicatur frigus propulſare, tum quòd quercus nuncupetur. Quanto verò vita per Chriſtũ in arbore pendentem accepta longè præſtantior eſt & diuinior; tanto ratio frigoris amoliendi potiore iure quercui inde conuenit, quòd Chriſtus in ea ardentiſſimis

Karker.

Quercus vnde dicta.

Quercus quare dicatur lignum vitæ.

amoris ſui flamis frigus expugnarit, quàm quod querna ligna corpus à frigore hiberno tueantur. Vide quæſo quanta ſit diuinæ benignitatis ſollicitudo, quàm flagrans ſalutis noſtræ deſideriũ, quàm nuſquam nobis velit deeſſe documẽta, quibus rectum nobis ad vitam æternam iter demonſtretur. Noluit homines quercus arboris vt vbique ferè obuiæ, ita maximè neceſſariæ, nomen audire, vt non ſimul commonerentur, frigus animis noſtris eſſe expellendum, ſi vitam nobis reddi velimus. Et ſint hæc quidem in materia ad infinitatem quandam ſeſe diſtendente indicia propoſita: quæ qui ſequi volet, næ ei abunde ſuppetet contemplationis; & eius quidem contẽplationis, qua nihil ſit ad amoris igniculum excitandum præſentius. Nunc ad alteram vocis in membra ſua partitionem, qua in quercu Wert-hout inuenimus. Eſt ſanè, vt dixi modò ſæpius, quernum robur omnium præſtantiſſima materies ad opera ſolida & diu duratura conficienda: verùm ſi inter omnia opera quæ vnquam in ligno vel facta ſunt vel fieri poſſunt excellentiſſimum quæratur: cuique nomen Werc, quo opus & operatio denotatur, primo iure & ſummo dari debeat; num aliud poſt multam diuturnamque inueſtigationem repeniemus, quàm illud quo Chriſtus Verbum incarnatum, verus Deus & homo mortem in cruce ſubiuit, vt nos à morte liberaret? Hoc opus omnium operum maximè ſtupendum. Minus miror à Deo totam mundi machinam, ingentia cælorum volumina, & quicquid vſquam eſt, creatum eſſe; quàm Deum hominem factum, pro noſtra ſalute mortem ſubiuiſſe. Hoc tandẽ illud opus eſt, à quo quercus eam nacta eſt prerogatiuam, vt ſola Werc-hout, id eſt, operis lignum dici mereretur. Sed quò rapior? videor mihi trahi ad ſancta ſanctorum, & neſcio quid longè diuiniùs intueri, quàm virgam Aaron ex arida mox fructibus citra omnia naturæ ſubſidia indutam atque ornatam. Dum opus omnium maximè ſtupendum diligentius conſidero, ecce vox ipſa Werc mihi demõſtrat, ſe
Werck. non aliunde quàm ab hoc opere ſupremo ſignificationis ſuæ accepiſſe rationem. Quid enim aliud eſt Werc, quàm Wer-rec, id eſt, defenſionis extenſio? Vide nunc quæ res proprio & præcipuo ſuo iure dici queat vel defenſio vel defenſionis extenſio. Vel Chriſti in cruce extenſio defenſio longè lateq; extenſa dici meretur, vel nihil eſt quod vlla voce bene apteque poſſit denotari. Obſtupeſco, ita me ille amet qui in cruce defenſionem ſuam per vniuerſum mundum, per omnia ſecula, per omnes mortales extendit, dum de vocum architectura cogito. Adeóne cõſultum eſſe vbique rebus eorum qui noſtra lingua vterentur, vt ne vllius quidem operis audire queant mentionem, vt non ſimul moneantur omnium operum illud fuiſſe ſummum, quo defenſio & tutela in ligno fuit extenſa. Quàm, bone Deus, diligenter in omnibus vocibus obſeruatum eſt, vt etymologia ſemper in eo, quod nouiſſe plurimi referret, omnibus ſuis numeris abſolueretur; & in aliis tanto minus ſeſe oſtenderet, quanto longius à ſummo abeſſent. Eſt illud quidem in omni opere in primis cuique ſpectandum, vt quod facit, id pertineat ad ſui tuitionem, quàm poteſt maximè, proferendã. Verùm nulla eſt tutela quæ ſeſe latiùs extẽdat, quàm ea, quam Chriſtus toto corpore in cruce diſtenſo peregit. O mirabilem exiguæ vocis cõpoſitionem! ô ſalutarem omniũ operum aggrediendorũ conditionẽ atq. legem! Quòd ſi quiſquam eorũ qui apud Græcos ſapientes fuiſſe dicuntur, Chriam quampiã vitæ vtilem tam paucis elementis concluſiſſet, quantũ in eum effuſum eſſet preconiorum. Poterat ſanè optimũ hoc ſummæ cuiuſdam prudentiæ videri præceptum, ſi dictum tantum fuiſſet, omne nobis opus ſic inſtituendũ eſſe, vt eo tuitionẽ noſtri quàm longiſſimè extendamus; vtpote quo ſignificaretur & omnẽ noſtram felicitatem operatione contineri, & ſic demum operationem Cimbricũ operationis nomen mereri, ſi apta ſit ad tuitionem operantis quàm fieri poteſt longiſſimè protrahendam. Verùm longè clariùs hac voce exprimitur id, cui ſuprema eſt tutelæ mortalium extendendæ poteſtas, & eius cognitio longiſſimo ſuperat interuallo omnem aliam mortalium cognitionem. Cùm igitur werc habeat ſignificationis formam, vt ipſam tutelæ exprimat extenſionem, atque hæc Chriſti in cruce pendentis propria eſſe cernatur; quod quæſo conuenientius crucis ligno excogitari queat nomẽ, quàm illud quo non hæc tantũ ſumma ſummi operis perfectio continetur, ſed modus etiam & forma perfectiſſimi operis explicatur? Et hęc quidẽ de werc ſatis ſit indicaſſe. cuius vocis vim ſi totam perſequi velis, omnẽ vitæ & ciuilis & Chriſtianæ rationẽ percurras oportet, propterea quòd rectiſſimã omniũ, quales quales ſint operationũ, contineat normam. Nunc deinde videamus, ecquid & altera huius

ſecundæ

ſecundæ analyſeos particula, quæ Hout fuit, contineat arcani. Veriſimile enim eſt, in nomine tantæ rei non dormitaſſe nomenclatorem; eoq. minus ſuſpicádum, curá vſquam in hoc nomine quercus ab eo fuiſſe remiſſam, quòd tátam eius in cæteris cernamus diligentiam, vt mihi accuratiùs eam intuenti mentis aciem perſtringat. Hout dicimus & Holt, nec non pro eadē re haut & halt. In his tamen vt loquendi conſuetudo & dialectus variat, ita nominis ratio in omnibus & certa, & rei ſignificatæ apta inuenitur. Hal idem eſt quod ſeruo, ab Al quod eſt omne, & ſpiritu ad id quod omne eſt ferēte. Id enim quod rem fert ad omnia, rem conſeruat. Sed de Al in Hermathena; in qua doceo, Al fieri ex natura Alpha & natura Lambda, & eo denotari omnia ſurſum ferri ad id quod omnium eſt ſupremum, & quæ eò non feruntur, nulla eſſe. Quamobrem Hal idem erit ac ſi dicas, ſurſum fero ad ſupremum, eo quòd adſpiratio ſurſum leuet, Alpha ſono ſuo promoueat, Lambda cæli ſupremū linguæ ſummitate tangat. Quòd ſi Hau dicas, aſpiratio quidem incitabit, A promouebit, V verò latitudinem indicabit; ita vt rurſus id habeas, quod proprium eſt conſeruationis. Sicut enim Hal ad ſupremum nos eleuat; ita Hau ad Au, id eſt, antiquum nos impellit. Porrò quæ cunctis æternæ durationis ineſt cupiditas, ea fecit vt libenter Ou pro Au, & Hou pro Hau efferamus; quo nimirum A motionis elementum in O rotunditate ſua orbiculari perennitatem indicans, mutetur. Eòdem igitur loquendi conſuetudo, litterarum natura, & mortalium vota tendunt. Ex hal fit halt pro ligno, & hau haut pro eodem; quæ in holt & hout citra ſignificationis diſcrimen, ea, quam dixi, ratione tranſeunt. Sed quid hoc ſibi vult, vt lignum à conſeruando dicatur? Quaſi verò non mille aliæ res ſint cōſeruationis nomine digniores? Fateor ſanè, ſi de naturali ligni facultate loquamur, alia eſſe ligno potiora ad ſeruandum: verùm vocum faber aliud quiddam longè diuinius ſpectauit, non illud quidem ſuo, ſed ſpiritus illius lumine, qui auctor eſt omnium vaticiniorum, quique ſolus conſcius eſt eorum quæ Deus ab æterno prædeſtinauit. Nomen itaque ligno inditum non tam ab illa conſeruatione, qua fructibus & materia mortalium vitam ſuſtinet, quàm ab ea ſalute, quam tum daturum erat, cùm in panem cæleſtem immitteretur, & generis humani tutela in ligno extenſa penderet. Vidéſne modò, quàm aptè Wert & Hout conueniant, quàm inſignem duabus ſyllabis abſoluant ſententiam? Quid enim aliud eſt Wart-hout, quàm ſi dicas tutelæ extenſio ſeruat? Quoties igitur de Wert, quoties de hout cogitamus, quoties Wert-hout in mentem venit, toties Chriſti in cruce extenſi recordemur, & eum ſupplices obſecremus, vt primùm à nobis frigidum Draconis venenum expellat; quod & quercus natura veneuis reſiſtens, & quercus nomen priore ſui analyſi monet: ac mox frigore depulſo, per tutelam vniuerſorum in ligno extenſam nos ſeruare dignetur. Sed quia nullis verbis, nulla orationis copia vocis huius quercus myſteria aſſequi poſſemus; reliqua pia malumus cogitatione ruminare, quàm ieiuna noſtra dictione efficere, vt minus videantur habere, quàm reuera habent auguſtæ maieſtatis. Tranſeamus modò ad δρῦν, vocem qua Græci quercum appellant. Quàm vbique ſui ſimilis eſt beneficentiſſima diuinæ bonitatis prouidentia; quæ quamuis linguæ diuiderentur & confunderentur, tamen quamplurima voluit vocum ſeruari veſtigia è quibus & prima antiquiſſimorum parentum lingua agnoſceretur, & plurima myſteria reuelarentur. In his eſt hæc etiā vox Græcorū, qua generatim quāuis arborem glandiferam appellant. Quid trow ſignificet, ac qua inde dialecto tru & Druidę extiterint, modò declaratum. Hinc igitur mox detegetur Δρῦς ex eodem fonte deriuari, & nihil aliud denotare, quàm ea quæ vocis trow ſignificatu dixi comprehendi. Et optima ſanè ratione quercus à trow nomenclaturā habet, eo quòd omnis fides noſtra, omnis fiducia noſtra ad quercū tendere debeat, & quòd hæc ipſiſſima arbor matrimonij, quod Deus cū ſponſa ſua contraxit, pronuba ſit; & verè de ea dici queat, quòd Eccleſiam cum Chriſto fido coniugio copularit. Eſt quicquam quod hic deſideres ad rerum & vocum ad eandē ſymbolicam rationem ſpectantiū conſenſum reddendum arctiorē? Sed quoniam ex iis quæ prius dicta ſunt, hæc quæ ad δρῦν faciunt dilucidè perſpici poſſunt, nō eſt cur diutiùs hîc moremur. Addamus iam vocem, qua in hodiernū vſque diem Cimmerij quercum indigetant. Eic noſtrates, Eich Sueui glandiferam arborē vocant, vnde Eikel ſiue Eekel glans dicitur: cuius clarū apud Græcos exſtat veſtigiū, dum ἄκυλον pro glande dicunt: tametſi ſint qui vocabulū ad ſolam Ilicis

Hout, haut, holt & halt, vnde dicantur. Hal. Al. Hau. Au. *Δρῦς etymon.* Eich, eich, eekel, eikel. ἄκυλος.

Ee ſine Ee. glandem velint referri. fit autẽ Eic ab E vocali longa, qua nobis vnũ, & vnio, & legitimũ coniugium denotatur. Forma deriuationis pluribus vocibus eſt communis, dum è primis vocibus adiecto ic vel ich facimus adiectiua; vt ex Eew, quo æuum denotatur, fit eewich vel eewic pro æterno: è luc, quo bona fortuna dicitur, lukich; è trow trowich, & ſimilia è ſimilibus. Eodem modo ex Ee Eeich ſiue Eeic, & contractè eick ſiue eic. Vt in nomine quercus & nomine Δρῦς nulla fuiſſent arcanorum ſymbola, hic tamen myſterium ingens denotari, non poſſumus inficias ire. Quid enim virium quercui, vel ad vnionem, vel ad connubium legitimum, ſi nudam naturalium facultatum habeamus rationem? Aliud igitur latere dicamus neceſſe eſt, niſi vocis vel nullam vel frigidam rationem eſſe dicamus. Atqui id facere non poſſumus, vt non ſimul obtuſam ingenij noſtri vecordiam prodamus. Nam quis non ſtatim animaduertat, ſymboli hic potiorem, quàm naturæ fuiſſe conſiderationem? Porcis aliud in quercu placet, aliud placet cæleſte pabulum eſurientibus. Hoc noſtratis vocabuli faber ſecutus eſt: illud ſequerentur Epicuræi. Quod igitur illud Vnum eſt, à quo vniendi naturam quercus mutuatur? Nempe non aliud quàm ipſe Deus, qui ſolus ipſum Vnum dici poteſt; cum quo quia mortalium genus quercus vnit, illud nomen meretur, quo vniendi facultatem ipſi tributam videmus: & quia non ſolùm vnit, ſed legitimo etiam matrimonio iungit, gemina ratione ab Ee nominari debet. Quando igitur hic ſupremus eſt humanæ dignitatis apex, vt cum Chriſto legitimo coniugio ſociemur & vniamur, ipſum nomen eic digniſſimum erit ſumma veneratione. Quemadmodum autem tria diuerſa apud diuerſos lanigenas nomina demonſtrauimus modò ad amuſſim cum ſymbolica rerum notatione conuenire, ita & in Hebraico ſermone faceremus, niſi pertinacem & odioſam quorundam vereremur moroſitatem. Quamuis enim אלון apud Hebræos primùm natum videri queat ab איל, quo robuſtũ & forte notari credunt, qua de re nos in nomine אל, quod Hermathema noſtra exponit, quid ſentiamus declarauimus; eſt tamen eius pulcherrima in primo ſermone etymologia illud reiectis punctis exprimens, quod Latinus diceret omnium mercedem, quod Al-loon nobis denotat. Quicquid enim mercedis à Deo recipimus, id nulli noſtro merito, ſed totum ex alle cruci Chriſti acceptum ferre debemus; & eſt tamen ſcriptum, copioſam nobis in cælis propoſitam eſſe mercedem. Crux igitur ſiue quercus mercedem omnibus perſoluit, in qua ſola qui non gloriatur, eum D. Paulus iudicat abominandum. Niſi enim omnia opera noſtra cruci Crhriſti affigantur, & nos cum Chriſto vniamur, ita vt ipſius opus omnibus operibus noſtris per fidem noſtram & ipſius gratiam ſit vnitum, & iis bene merendi facultatem impartiatur, fruſtra mercedem aut hæreditatem, cuius promiſſionem Abrahæ fides accepit, expectamus. Opera itaque noſtra firmiſſimo fidei funiculo ex cruce ſuſpendenda, ſi certa ſpe & fiducia ad eorum mercedem pertingere velimus: atque idcirco quercus optimè Al-loon dicetur, id eſt, omnium mercedem perſoluens. Cæterùm licet hæc interpretatio obuia ſit, & ipſis litteris ad vnguem reſpondens, mihi tamen magis arrideret ſi quis diceret vocem ex Heil won corruptam eſſe, quo vel ſalutis domicilium denotatur; vel ſi won à win deriues, id ſignificabitur, quod ſalutem victoria ſua peperit. Quid hac etymologia clarius? quæ clarior tamen euadet, ſi ex Hermathena diſcas אל Hebræorum à noſtro Heil deduci, quo ſalus ſignificatur. Reſtat

Bulot Arabicum vocabulum, vnde, & quid eo denotetur. nomen Arabicum Bulot; quod niſi corruptum ſit ex wal-not, quo nux ſaltuum ſignificatur, & à quo Balanos deriuatur, id erit quod Vul-hot, quo plenitudinis caput denotatur: quæ interpretatio inſignem habet conuenientiam cum cruce, quæ reuera caput fuit omnis plenitudinis, tum temporum à Deo prædeſtinatorum, tum legis Moſaicæ & allegoriarum, tum omnium oraculorum de generis humani redemptione proditorum. Hinc & alia infinita apud ſacros vates, & illud apud Maronem:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

Si in hoc ligno auditum fuit extremũ illud extremi actus epiphonema, Cõſummatum eſt; quid abſurdi, ſi quercus Vul-hot vocetur, è primo ſermone epitheto conſeruato, vti

Glans, vnde dicta. multa paſſim vocabula conſeruata nouimus? Verùm miſſos faciamus Hebræos & Arabes, illud quæratur, Cur quercus fructus glans vocetur. Interrogarem hic lubenter aut Varronem, aut Feſtum Pompeium, aut quenquam aliorum qui ſe de abſoluta linguæ Latinæ cognitione iactant, niſi ſcirem omnem me operam luſurum eſſe. Nec eſt cur

cuiquam

cuiquam percontando moleſti ſimus, cùm ſtatim prima fronte Glandes prodánt ſeſe à Gai-lant nomen accepiſſe. Gai quid ſit ſatis eſt in Gallorum nomine explicatum. Lant verò terram ſiue regionem ſignat. Quamobrem id Gai-lant dicetur, quod facit vt regio placeat, iucunda ſit, & vno verbo, vt ſit Gaia. Hinc hactenus Gailant eum vocamus, qui tam Gaius eſt vt vel totam regionem iucundam hilaremque reddat. Ceterùm quid hoc ad glandes porcorum pabulum? Delicata potius poma hoc nomen mererentur; quàm ligneæ ſiluarum nuces, & ſi quid eſſet in omni fructuum genere quod hac voce ob præcipuam aliquam dotem dignum eſſet, certè vuæ hanc ſibi ſuo iure prærogatiuam vindicarent. Non auſim profectò negare, rem ita habere; & interim tamen nunquam fatebor, quicquam à nomenclatore factum citra maximam cauſſam, quam crebrò non tam ipſi, quàm Spiritui ſancto ſuggerenti notam fuiſſe exiſtimo; quod ſi vſquam alibi, hîc maximè crediderim contigiſſe. Si enim crux arbor vitæ eſt, quis alius eius erit fructus, quàm Chriſtus crucifixus? Quercus ergo vt arbor vitæ conſiderata, hunc fructum ferre dicetur; quem qui comederit, viuet in æternum: atque huius ſolius gratia & beneficio arbor ipſa vitæ nomenclaturam meretur. Quamobrem arboris vitæ fructus iuſtiſſima de cauſſa Gai-lant indigetatur, quippe qui ſolus facere & ſoleat & poſſit, vt regio ea in qua creſcit, iucunda ſit & Gaia: & Gaia quidẽ non cuiuis, ſed illi, cui placere gaudiũ eſt in vita ſempiterna ſempiternum. Hic igitur fructus ſolus eſt verè Gai-lant, omnem terram patri reddens placentem atq. iucundam; qui de hoc fructu dixit; *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Tota itaque terra per hunc ſolum patri cæleſti Gaia eſt. Hic eſt ille primus homini panis, non olim modò, vt imperiti & rudes fabularum interpretes opinantur, ſed hactenus etiam in primis comedendus. Hic eſt panis angelorum, hic eſt panis qui de cælo deſcendit, & hic ipſe panis eſt verum corpus Chriſti; quod niſi comederimus, non habebimus vitam in nobis. Meritò igitur arbor, quæ mortalibus draconis veneno exſtinctis hunc fructum erat prolatura, vt arbor vitæ vocata eſt iam mox à mundi exordio; ita ante omnia ſecula ad hunc fructũ ferendum fuit prædeſtinata. Ex Gallant igitur Glant per ſyncopen habuimus, quod vocabulum in glans mutatur, ſi Latinorum more terminetur; & eum fructum ſignificat, cuius ſolo ſolius eſu vniuerſa terra patri cæleſti poteſt placere, ſi teſſera quidem pro re ea cuius teſſera eſt, poni intelligatur. Porrò quoniam hactenus mirum in modum omnia, & inter ipſa & ad veritatem quadrant; videamus an vlterius etiam hæc ſymphonia procedat. Diximus quernum robur omnium eſſe vtiliſſimum ad ſolidam domũ firmis trabibus colligandam. Eodẽ modo crux Chriſti talis eſt, vt ex ea ſola Deus voluerit ſponſæ ſuæ domum ædificare; in qua niſi habitemus, à dracone diſcerpemur. Manendum itaque nobis perpetuò ſub quercu, extra cuius vmbram & latiſſima tabulata fruſtra vel quæramus vel ſperemus ſalutẽ. Quod cùm Deus præuidiſſet, huic arbori præter materiæ firmitatem, eum dedit fructum, vt ab eadem arbore nuſquam ad victũ quærendũ aberrare debeamus. Quid igitur, dices, ſi Chriſtus corpus ſuũ glandibus cõparauit, num'ne nos ſues voluit eſſe? Certè, ſi rectè cõcinent omnia, vt glãdibus veſcãtur mortales, ſues fiant oportet. Atqui, bone vir, nihil opus eſt hic magna metamorphoſi. Iam enim olim ab Adami lapſu in pecudũ naturam tranſiuimus, inter quas nullas magis cognatas quàm ſues habemus, eo quòd in perpetuo vitiorum cœno volutemur, & os ſemper in terra defixum teneamus, non aliis quàm terrenis ſordibus inhiantes. Crebrò repetere cogor illud diuini vatis dictum, hominẽ ſe è dignitate ſua ad bruta iumentorũ deieciſſe naturam. atque inde ab eodem alio cani loco: *Homines & iumenta ſaluabis Domine.* Deinde ipſa litterarum recenſio ab omni memoria apud Latinos conſeruata, licet ne minima quidem parte tenus intellecta, hominem pecudem eſſe, teſtificatione tamen ſua perquam luculenta confirmat. Iam nulli pecudum, vti modò dixi, ſumus ſimiliores, quàm lutulento ſui, gaudenti in quouis luto volutari. qua de re latius in Hieroglyphicis noſtris. Quamobrem ſi porci ſimus, non malè profectò ab illis primis patribus glandes nobis propoſitæ ſunt ad comedendum: & verò niſi id genus glandibus veſcamur, nec verę vitæ reſtitui poſſumus, nec reſtituti in ea permanere. Videamus itaque quando ſues & dicimur & ſumus reapſe, qua voce priſci arcanorũ deſignatores ſuem nominarint. Memini libellum legere, neſcio cuius, titulò tamen tenus Meſſalæ Coruini, in quo illud eſt notatu digniſſimũ, Troiam ab antiquiſſimis pro ſue dici ſolere,

Glans, Chriſtus crucifixus.

Homo ſui, pecudi, iumẽto comparatur.

 atque

atque inde Ilio nomen datũ fuiſſe. Id quidem vnde acceperit neſcio; hoc ſcio veriſſimè id ab ipſo dici, tametſi non vſquequaque vocis integritas ſit conſeruata. Tru ſiue Trut hactenus ſuem quidã vocant, & ab omnibus quondam noſtri ſermonis peritis ita vocari ſolere, Gallorum ſermo teſtatur, apud quos in hodiernum vſque diem non alio nomine ſus nuncupatur. Quemadmodum itaque Gui vetus viſci nomen ab ipſis eſt retentum; ſic in hac quoque voce ab antiquitate Druidarum non receſſerunt. Quid verò Tru denotet, non ſemel modò dictum. Quia ergo nullum animal eſt quod maiore fide vile ſuum pabulum compenſat, à fide meritò nomen accepit. Vt enim ſuccidiam & lautiſſima ex eo obſonia, vel ſola totam lurconum ganeam expletura, omittam; quod rogo pecus tot fœtus vno partu enititur? quod tot fœtibus vbera præbet? Nec ſatis vno hominem ditaſſe partu, bis anno maximum hoc & immane fœnus recurrit. Profectò nulla mea oratio tam queat eſſe fœcunda, vt ſuis æquet fœcunditatem; nulla tam ſuauis, vt eius ſuauitatem aſſequatur. Græci γλυκεῖαν, Galeno noſtro teſte, ab hac dote vocarunt, non vt quidam peſſimè interpretantur, quod nihil minus dulce ſit, quibus equidem nec linguam fuiſſe credo nec palatum: frequens ſuis in priſco ſacrificiorũ ritu vſus, & tum præſertim cùm Cererem ſibi vellent benignam. Eius rei veram cauſſam omnes iuxtà vidétur ignoraſſe, & ij maximè, qui propterea ab Athenienſibus huic Deæ eam pecudem ſcribunt immolari conſueuiſſe, quòd frugibus recens ſatis eſſet inimica. Egregium verò Cereri epulum apponunt, qui inimicum animal apponũt. Idem faciant videlicet, ſi Iudæo ad conuiuium vocato ſolam ſuillam dent comedendam. Peruerſa eſt eorum omnium opinio, immò peruerſiſſima, & omnium ſapientiorum ſibilis explodenda, qui ab odio grati ſacrificij petunt cauſſas. Hoc ſcilicet illud eſt quod de Nochi ſacrificio legitur: *Odoratus eſt Iehoua odorem ſuauitatis.* hoc illud eſt ſcilicet primum præceptum in hoſtiis immolandis, vt ſint ſine omni macula & vitio. Quod ſi prępoſtera illorum iudicia ſequeremur, qui gratam ob id Cereri ſuem putant quòd eam odio habeat, confiteremur neceſſe eſt maculas & vitia Deo placere; diſplicere verò mũdiſſima quæq. & integerrima. Sed vt noſtra mittamus, quid cauſſæ afferent, cur Venus ferè vbique ſuem repudiarit, cùm tamen nullũ animal maiore odio perſequeretur, & tãto quidem odio, quanto Adonidis amore flagrarat? Quid? quod iidem cõfitentur, Cereri ſpicas gratũ olim ſacrificium fuiſſe? Oderit ergo Ceres ſpicas, an non? Latini omnes puras eſſe hoſtias volunt? Qua rogo cauſſa? Num quia pura Deus odio proſequatur? Porculũ ante decimum diem nefas erat immolare, quia decimo tandem die primùm purus haberetur, ob id, vt Varro auctor eſt, tum Sacres vocatus. Impuros itaq. Deos omnes faciamus oportet, ſi ab odio ſacrificiorum gratia petenda. Ouidius primùm farre & herbis Deos placari ſolere docet, quia ſcilicet illa ſua dona odio haberent. Sed audiamus inſignem hunc ſacrorum interpretem de ſacrificiorum initiis agentem:

Trũ ſiue Trui, id eſt, ſus.

Suis fœcunditas.

Suis vſus in ſacrificiis.

Sacres porci.

Antè Deos homini quod conciliare valeret
Far erat, & puri lucida mica ſalis.
Nondum pertulerat lacrymatas cortice myrrhas
Acta per æquoreas hoſpita nauis aquas.
Thura nec Euphrates, nec miſerat India coſtum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus aduſta ſono.
Si quis erat, factis prati de flore coronis
Qui poſſet violas addere, diues erat.
Hic qui nunc aperit percuſſi viſcera tauri
In ſacris nullum culter habebat opus.
Prima Ceres auidæ gauiſa eſt ſanguine porcæ,
Vlta ſuas merita cæde nocentis opes.
Nam ſata vere nouo teneris lactentia ſuccis
Eruta ſetigeræ comperit ore ſuis.
Sus dederat pœnas; exemplo territus huius
Palmite debueras abſtinuiſſe caper.
Quem ſpectans aliquis dentes in vite prementem,

Talia non tacito dicta dolore refert:
Rode caper vitem. tamen hinc cùm ſtabis ad aram;
In tua quod ſpargi cornua poſsit, erit.
Verba fides ſequitur: noxâ eſt tibi deditus hoſtis;
Spargit & effuſo cornua Bacche mero.
Culpa ſui nocuit, nocuit quoque culpa capellæ;
Quid bos? quid placidæ commeruiſtis oues?

Quid multis? inuenit etiam cauſſas ob quas bos, ob quas ouis cæſa ſit: hæc quidem quòd verbenas carpſiſſet; ille verò quo mactatus apes gigneret. Interim tamen aliter cenſet de equo, Soli à Perſis immolari conſueto:

Placat equo Perſis radiis Hyperiona cinctum;
Ne detur celeri victima tarda Deo.

En inconſtantiam; certiſſimum erroris argumentum. Veritas per omnia in omnibus vndiquaque ſibi conſonat,& ſuauiſſimam abſoluit cantilenam: falſa inæquabilia ſunt & ſalebrarum plena, nec vnquam diu rectum curſum tenere poſſunt. Repulſis igitur vaniſſimis his nugis, conſentanea cùm ipſi ipſius Scythiſmi & vlterius Barbariſmi antiquitati, tùm religioni noſtræ proferamus ſacrorum exordia. Omnia quotquot & qualia qualiá vnquã fuerũt ſacrificiorũ genera, ad vnum ſacrificium tetendiſſe ſcimus; quod tandẽ eo, quod pater æternus deſtinauit, tempore, in ara crucis eſt peractũ. Nõ plus ergo rationis qua Deo placerent habuerũt, quàm tantũ, quantum in iis erat ſimilitudinis ad hoſtiã in crucẽ mactandam. Quocirca vt pictura tantum vitæ habet quantũ cum rebus viuis habet ſimilitudinis; ita priſcis illis ſacrificiis tantum erat efficientiæ, quantũ habebant cũ ſacrificio crucis cõgruentiæ. Quæcunq. ergo ad hoc non referebantur, ea vana erant & idolomaniæ plena, ad mortẽ, nõ ad vitam cõparata. In primis itaq; quia Chriſtus pura erat hoſtia & ſine omni macula, id in omnibus hoſtiis non à Iudæis tãtùm, ſed à priſcis etiam Ianigenis eſt diligenter obſeruatum, vt omnes hoſtiæ puræ eſſent, & puris verbis & fauſtis ominibus offerretur. Victima enim ipſum Chriſtum; pecudis mactatio, Chriſti mactationẽ; victimę puritas, immaculatam Chriſti puritatem; ſanguinis aſperſio, ſanguinẽ Chriſti nobis aſpergendum denotabat. Nunc vt multa in Chriſto conſiderantur, & de mortis eius efficacitate variis modis loqui poſſumus; ita multa fuerunt & varia ſacrificiorum genera, omnia illa quidem ad eundem ſcopum relata, ſed diuerſis viis eodem tendentia. Quamobrem ſi illorum facta fuiſſet collatio, illud optimum fuiſſet habendum, quod maximam haberet ſimilitudinem cum Chriſto immolando: quandoquidẽ illæ optimæ ſunt & laudatiſſimæ imagines, quæ rei, cuius imagines ſunt, quàm maximã ſimilitudinem oculis offerunt. Hanc rationem priſci Ianigenarũ pontifices ſecuti, ouem hoſtiam maximam dicerunt; non illam profectò corpore maximam, ſed maximam ſimilitudine ea, quam haberet cum illo cuius ſimulacrum gerebat: quãquam nihil dubito, quin, cur maximam dicerent, ignorarent. Et fit ita plerumque, vt quorum ratio non exſtat, ea diutius perdurent, quàm illa quorum cauſſas cognitas habemus. Nunquam illis dixerat D. Ioannes Baptiſta: *Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi:* neque audiuerunt Eſaiam oracula diuino ore detonantem, & poſt alia hęc de Chriſto vaticinantem: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet:* attamen à maioribus ſuis acceperant, ouem hoſtiam maximam eſſe, tametſi corporis mole longè à tauro ſuperaretur. Quis ergo tam ingratus, tam iniurius, tam impius cõtra Ianum & Comerum & cæteros parentes noſtros eſſe velit, vt eos neget quicquam veræ religionis à patre ſuo Nocho diſcere potuiſſe? immo quis tam abſurdas, aut potius inſanas opiniones amet, vt tam ſacrilega de illis ſuſpicari velit, quibuſcum Nochus poſtremam ſuam peregit ætatem? Nos nihil dubitamus, quin conſtans priſcorum rituum conſuetudo, ab omniũ ſeculorum memoria ſemper obſeruata, ad Nochi & ſuperiorum doctrinam debeat referri. idque eò minus in dubiis ponimus, quò magis abſurda ab illis dicuntur, qui veterum ſacrificiorum cauſſas hactenus explicarunt. Cereri ergo ſuem immolabãt, eo quòd Deæ omnis omnium ſatorum vbertatis præſidi nihil aut ſimilius aut gratius putarent. Nam ſi Deus ſibi ſimiles diligit maximè, nihilque eſt porca fecundius; cur negemus hoc animal ipſi fecunditatis Deæ plurimũ placere? Nec eſt profectò è quo certius diuini amoris

Sacrificiorũ varia generã ad vnum ſacrificium in ara crucu peractũ tetẽderunt.

Ouis hoſtiã maxima.

Suem Cereri immolarunt veteres.

ſumas

ſumas argumentum, quàm ſi cernas quamplurima Dei in quempiã beneficia exſtare. Cùm igitur ſus plurimos alat & educet fetus, non poteſt non iudicari & Cereri ſimillima eſſe, & plurima à fecunditatis Dea beneficia accepiſſe. Nec alia cauſſa porca Magnæ matri offerebatur, quàm quòd ipſa veluti porca quædã maxima & plurimos ederet fetus, & editos largis vberibus educaret. Quo verò maior eſſet hoſtiæ & Deæ ſimilitudo, ſuem prægnantem vetuſtiſſimi immolare cõſueuerunt, propterea quòd terræ vis, quæ Cybele vocatur, perpetuò prægnans ſit; atq. adeò ſemper & pariat alia, & alia parturiat, nullo vnquã partu, nullo vnquã ſuctu exhaurienda. Quòd ſi vetuſtã Phrygũ linguam conſulas, deprehendes ſuem Magnæ matri tam gratã fuiſſe, vt inde nomẽ Cybeles acceperit. Cut enim proferimus, dum porcos cõuocamus: qua eadẽ voce membrũ muliebre denotatur, & ab hoc quidẽ, nomẽ ad porcos tranſiiſſe videtur. Quæ verò nominis ſit cauſſa, quæq. eius ichnæa conuerſio, conijci à linguæ noſtræ peritis, quàm explicare malo. A Cut fit Cud, pro grege, quod Allemani Kutt ſcribunt; propterea quòd nullũ animal celerius quàm porcus gregẽ compleat, vtpote cuius genus vno partu vicenos aliquando fetus dare cõſueuerit. Cõſiderata igitur ratione, tum vtilitatis, qua ſuilla caro familiã ſuſtinet; tum larga copia, quam geminus & numeroſus quotannis partus adfert; viſum eſt priſcis, vt ingens terræ vis, qua mortalium genus immenſo rerum omniũ cumulo quotidie beat, nomen ab hac voce Cut acciperet, ac Cybele à grege cõplendo vocaretur. Cud-uele enim idẽ eſt ac ſi dicas, gregẽ multiplico & numeroſum reddo. è quibus vocibus exẽpta ea littera, quã crebrò ſermo noſter eximit, Cuuele exiſtit: quod, ſi Græcis litteris ſcribas, Cybele fiet. Ex Vader Vaer, ex Moder Moer, & ſimilia infinita è ſimilibus formamus: atque ita nihil miri, ſi propter compoſitionis lenitatẽ Cubelen dicamus, pro ea diuina benignitate, qua Deus greges auget ac numeroſa ſobole promouet. Hoc itaq. Deæ nomen; hoc ſacrorum rituũ, quibus pecudum incrementa petebantur, exordium; hoc principium fœdæ ſuperſtitionis, qua Berecyntia mater colebatur. Quando enim priſcis illis ſeculis armentis & gregibus nomine Cud cõprehenſis, omnis diuitiarũ cenſus conſtabat, atq. iis numeroſis reddendis Cybele præſidere dicebatur; eò ventũ eſt inſaniæ, vt hæc Dea non alia modò à ſummo Ioue, & mater brutorum animantium, ſed mater quoque Deorum crederetur. Qua enim in re vota mortaliũ ſummam collocabãt felicitatem, in ea omnes Deos contineri arbitrabantur. Hinc Epicureus Lucretius:

Quare Magna Deûm mater, materq́ ferarum
Et noſtri generis hæc dicta eſt corporis vna.

Optimè, me Dius fidius, dixiſti Lucreti, noſtri corporis hanc matrem eſſe; quandoquidem non aliud quàm ſuillũ corpus habemus, tum quia caro humana carni porcinæ ſic ſimilis eſt, vt non ſimilius ouum ouo; tum quia haud ſecus ac ſus perpetuò in luto mortales volutantur. Nam quid aliud eſt diuitiis accumulandis, vanis honoribus ambiẽdis, ventri & gulæ pacandæ, aliisq. vitiis horum fœditati vel famulantibus vel annexis perpetuò ſtudere, quàm in terrenis ſordibus demerſum ſepultumq. ſemper iacere? Nõ tamen infitias ibo, honeſtam rei domeſticæ multis gregibus & armentis augendæ rationem & nunc iniri poſſe, & olim ab Abrahamo, Iſaaco & Iacobo, cæteriſq. vetuſtis cùm aliorũ, tum Iſraëlitarum patriarchis initam fuiſſe: verùm id aio atq. contendo, nos reuera pecudes fieri, dum in diuitiis terrenis ſcopum vitæ noſtræ collocamus: atque idcirco mihi eorum opinionem non placere, qui pecuniæ nomen vel ab eo ducunt, quòd numi primùm pecu notarẽtur, vel quòd in pecudum locum, quibus olim rerum neceſſariarum emptio fiebat, ſucceſſerit; cùm ego eam potius cauſſam veram exiſtimẽ, quòd per pecuniæ ſtudiũ homines pecudibus vniãtur. In diuitiis enim coaceruandis lubricus admodum locus eſt, & tam lubricus & procliuis ad ruinam, vt nuſquam videã præcipitiũ, per quod humana ratio rectiùs in naturã labatur belluinã. Quid ego huc Euãgelij aduocẽ teſtimonia, quid exẽpla, quid alia veritatis argumẽta, quando nihil hac re clarius eſt, nõ apud Chriſtianos modò, ſed apud exteros etiã? inter quos Maro ſic exclamauit:

—— Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Non mirum igitur è diuina gregum magno numero augendorum gratia, quam Cybelen interpretamur, homines prolapſos eſſe in fœdam idolomaniã, & ad corruptũ animi ſui ſenſum id Mãmonę applicuiſſe, quod à maiorib[9] Deo fuerat tributũ. Vt autẽ Cybele gregibus

Porca quare immolata Cybele ſiue Magnæ matri.

Cut & Cud *vocabula quid ſignificent.*

Cybele vnde dicta, & quid denotet.

Pecunia vnde dicta.

gregibus armentiſque præerat; ita Ceres omnibus ſatis promouendis: quod tamen nomen per S ſcribendum eſſet, quoniam ex Sei & rees componitur Seirees, quod idem eſt ac ſi dicas, ſementem exſurgere faciens. Ex duobus igitur Dei nominibus, quorum altero paſtores, altero agricolæ in votis concipiendis vtebantur, duæ falſæ Deæ cacodæmonis fraude exſtiterunt; quarum prætextu miſeros mortales à Deo vero ad ſua ſcelera variis inſanorum rituum modis colenda & adoranda pertraxit. Quo tamen aliqua ratio ſubeſſe videretur, eam ſeuit apud homines falſo ſibi ſapientiæ nomine placentes opinionem, Cybelen ipſam terram eſſe, atque idcirco velut omniū animaliū matrem ac nutricē ſanctè pieq; coli oportere: quaſi verò vis aliqua diuina ipſis eſſet attribuenda elementis; non ei qui elementa creauit, conſeruat, & quicquid in iis fit, ſpiritu ſuo omnia permeāte, ſolus operatur. Eius enim ſolius in omnibus volūtas & efficacitas adoranda. & vt ſint ſpiritus quidam eorum quæ in elementis fieri cernuntur, adminiſtri; iis tamen non alius exhibendus honor, quàm qualis creatis à Deo poteſtatibus debetur; qui longè ab eo diſtat, vt vllo modo diuino cultui ſoli Deo tribuendo ſit conferendus. Hinc illud eſt quod D. Paulus in eos inuehitur, qui in elementis mundi illud ſibi numen fingerent quod adorandum putarent. Inſanam profectò ex eo fabularum telam contextam videmus, quòd Cybelen homines linguæ Phrygiæ imperiti, terram ſint interpretati, & multo deinde inſaniora ex eorum acceſſerunt dementia, qui neſcio quam ſibi in terra diuinitatem ſomniarunt. quę quia nec huius loci ſunt, & prolixum alioquin examen poſtularent, nunc miſſa faciemus: aliàs fortaſſis, ſi tempus ſupererit, latius ea perſequemur: non quòd in iis aliquid ſit aut vtilitatis, aut cum Cybeles nomine conuenientiæ, ſed vt perſpicuum fiat, ab aliis nomina diuina, ab aliis ea proceſſiſſe, quæ poſteriora ſecula de Cybele, de Cerere, & aliis id genus non intellectis nominibus, ad demētem idolomaniam vel exſtruendam vel confirmandam ſomniarunt. Noſtro propoſito ſufficit, Cybeles nomine non aliud in Deo vocari, quàm eam benignitatem qua greges & armenta numeroſa redduntur, quam ſiue Hebraica, ſiue Cimbrica, ſiue Latina, ſiue Græca indigites voce, parui, aut potius nihil refert; id modò teneas, nullum falſum numen è diuina gratia fingi oportere. Quando igitur non alia huius nominis Cybeles vis eſt, quàm vt Dei gratiam, qua pecoris numerum auget, deſignet; non malè vetuſtiſſimi illi Cybelæ ſuem obtulerunt; quo nimirum de victimæ tum natura, tum priſco nomine Deum blandè monerent, vt perinde atque hoc animal numeroſo fetu paſtores beat; ita & ipſe ſeſe in omnibus & gregibus & armentis benignum præberet multiplicis fecunditatis auctorem. Nec aliter ſacrificij ratio ſubducenda, cùm Cereri, quæ ſatis erigendis præſidebat, ſus immolabatur, quàm ſi Deus rogatus fuiſſet, vt ſeminum omnium terræ commiſſorum reſurrectionem & vbertatem promoueret. Nec verò alia de cauſſa Phryges vrbi ſuæ Troiæ nomen dederunt, & dum eam conderent, ſuem fortaſſis immolarunt, quàm vt fauſto & vocis & ſacrificij omine, vrbi à Deo omnium rerum vbertatem impetrarent. Nunc itaque ad propoſitum noſtrum reuerſi, examinemus quàm rectè Cimbricum ſuis nomē cum glandis eſu quadret. Diximus Chriſtum quercus ſalutiferæ fructum eſſe, & idcirco glandi nomen datum, quòd conuiuam Deo patri gratum reddat. addamus nunc ſues ea de cauſſa rectè nomen à fide accepiſſe, quòd niſi cum fide glandem comedamus, nullam ex ea vitam ſimus conſecuturi. Quamobrem vt quercus homini arbor vitæ ſit, & eius fructus reuera glans, id eſt, regionem gratam Deo reddens; neceſſe eſt ſeſe talem præſtet, vt Cimbricum ſuis nomen, quod eſt Trui, mereatur; quod non fiet, niſi & ipſe fidus ſit, & quemadmodum ſus, copioſum proferat fructum. Fides enim non eſt Trou vocanda, niſi fida ſit, & pro ſemine diuinitùs accepto vberem fructum reponat. cuius rei clarius eſt in voce apud Latinos vſurpata argumentum, ſi frigida Ciceronis neglecta etymologia, diuiniorem eius agnoſcamus ortum; quem cernes, ſi quid Wi-dit ſignificet, ex partium, è quibus componitur, notatione diligenter expendas. Deprehēdes enim omnis dilationis, omnis expiationis, omnis ſanctificationis incrementū ac felicem progreſſum fidei nomine deſignari: & altera item eius ratione admoneri, illa nobis per fidem exponi, quæ longè lateque à cognitione noſtra diſtant; ita vt non fuerit exigui momenti, Dium à vetuſtiſſimis Sabinis, fidij nomenclatura inuocari ſolere, ſi tanta quidem in fidei compoſitione vis latet myſteriorum. Verùm non eſt nobis equus in hunc campum admiſſis habenis agendus, in quem

Ceres vnde dicta.

Troia vnde dicta.

Fides vnde dicta, & quid denotet.

ſi ſemel

ſi ſemel inuecti fuerimus,vix video quãdo tandem gradum reuocare poſſimus,tam immẽſum ſeſe ingentium ſpatiorum æquor oculis offert. Quamobrẽ ſatius fuerit Truiæ nomine contentos, è quo Troiam Græci fecerunt, illud vnum annotare, quòd dum ſuibus & in nominis & glandis edendæ cõmunione cõparamur, operá dare debeamus, ne in fructu pro glandibus reponendo,minus quàm ſues fidi ſimus. Mirum profectò & ſui & glandiferæ arbori,ab eadẽ voce Tru nomen contigiſſe: verùm in tanta ſymbolorũ omnium conſenſione vix video quid vlteriùs admirari debeamus, cùm omnia ferè iuxtà ac ſingula ſtupendi cuiuſdam artificij eſſe videantur. Diximus modò de quercus nominibus, quibus Latinum glandis nomen adiectum, omnia reddidit cùm inter ſe arctiùs deuincta, tum ſymbolicæ rationi aptiora. Verùm quamuis hæc vel diuiniſſima queant videri, longè tamen omnia excedit ipſum viſcum, ſi teſſeræ rationes diſcutiantur,in quibus cùm illa ſint, quòd nec è terra procreetur, nec alatur, nec vlla vi frigoris vel folia vel virorem deponat, nec non principem hominis partem à morbo caduco & liberet & ſeruet;tum hoc omnium eſt ſupremum, quòd nos fructus viſci Deo conglutinet. cuius dotis ratione optimè Spiritus ſancti amorem quo Chriſto & medio Patri copulamur,exprimit: quo ſolo tanquam tenaciſſimo viſco Deo conglutinamur & vnimur; ad quam vnionem dilatatio, expiatio,& ſanctificatio per Gallicum Viſci nomen denotata neceſſariò conſequitur. Videamus ergo,an Latinũ quoq. nomen aliquid celet arcani. Neminẽ vel audire,vel legere memini,qui rationẽ huius vocis aut explicet,aut explicare nitatur. Nobis ipſa rerum conſecutio rectum ad veram originem iter demõſtrat. Gemina enim ſeſe mox nominis cauſſa patefacit; altera, vt Viſcum ex Wies-con fiat,quo illud intelligitur, quod dilatationis,expiationis & conſecrationis notã præfert: Con enim & Conde,idem eſt quod notum reddo: Altera, vt Viſcum fiat Wis-con, quod idem ac ſi dicas ſapientis notam. Verus enim ſapiens eſt ipſe Chriſtus, qui ſolus ſapit & ſcit patrem,atque inde Sapientia vocatur. Quamuis autem prima ſtatim fronte aliud prior,aliud poſterior expoſitio reddere videatur; vtraque tamen & eòdem tendit, & in eodem terminatur. Nam nemo mortalium ſapiens eſt, niſi ab ipſa ſapientia, quæ eſt Chriſtus,expietur atque conſecretur. Non eſt igitur aliud inter Wi vetus Gallorum nomen,& Viſcum diſcrimen in ſignificando, quàm quòd prius conſecrationem, poſterius conſecrationis teſſeram nobis exprimat. in quo duplex digamma in ſimplex mutari,nihilo magis mirum, quàm ex Werg-obret fieri Vergobretum. Cùm igitur Viſcum quercinum ſupremam venerationis dignitatem apud Druidas ſortiretur; neceſſariò nobis fatendum, ipſam ſapientiam reuera vitam eſſe, atque arborem vitæ, arborem ſapientiæ alio nomine dici poſſe: ſapientiæ quidem non cuiuſuis,ſed illius, quam ſolus Chriſtus dilatando,expurgando,ſanctificandoque confert. Hinc perſpicuum,ſolius viſci beneficio,occultiſſima quæque nobis reuelari, & ea patefieri, quæ nemo citra eius opem videre poſſet. Doctiſſimè ergo Virgilius aureum Æneæ ramum viſco comparauit,&,ni me fallo,ad hanc Druidarum & religionem & ſapientiam alludit, dum quæ apud inferos geruntur,exponit. Ex his modò liquere puto,cur Viſcum ad fecunditatem valere,& cur venenis reſiſtere diceretur. Quid enim fecundius in nobis, quàm Chriſtus? quod rurſus aliud aduerſus draconis venenum alexipharmacum, quàm Chriſtus? Quòd autem ſextam lunam obſeruant in viſco deſecando,id non tam ad Lunę curſum referendum, quàm ad numerum Venereum, qui in magno totius durationis mundanæ anno ſextam ætatem, vti in hebdomada ſextum diem, & in hoc ſextam horam deſignat; verum nimirum tempus, quo diuinum illud germen è cælo delapſum, in arbore vitæ in ſummo eſſet futurum vigore, id eſt, quo temporis momento Chriſtus eſſet in cruce ſuſpendendus. Habemus igitur nunc arborem vitæ. & cuius vitæ? Eius nempe, quæ in ſapientia tota abſoluitur; de qua Chriſtus,ipſa nimirum ſapientia, *Hæc eſt,* inquit, *vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, &, quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.* Huius ſapientiæ,quæ ſola ſanctificat,quæq; ipſam facit vitam ęternam, viſcum teſſeram gerit, & ſe teſſeram eſſe Latino vocabulo profitetur. Porrò quando quercus arbor vitæ eſt, quo,rogo,nomine aptiſſimè ea vocabitur ſilua,quę tota quercubus cõſtat? Dodonam & celeberrimam & antiquiſſimam omnes vetuſti ſcriptores cõfitentur,nec,vnde hoc nomen ſortita ſit,nouerunt. Sunt qui Dodonen nympham fuiſſe ſcribant, verùm nullam probabilem adferunt vel hiſtoriam,vel fabulam, vel nominis rationem. Doot-hon idem

Viſci vocabuli etymon.

Dodona vnde dicta.

eſt quod


eſt quod mortem fruſtror. vnde per litteram mediam Dodona ſilua ea fuit nominata, quæ illud arborum genus haberet, quo mors aliquando fruſtranda eſſet. Quæ, rogo, nomenclatura aptiùs eum exprimat lucum, qui totus vitæ arboribus ſit conſitus, quàm ea qua fore denotetur, vt mors finem ſuum non aſſequatur? Nihil itaque aliud ſunt oracula Dodonęa, quàm oracula Chriſtiana, quibus vita promittitur ſempiterna. Si quęramus igitur antiquiſſimum Druidarum, ad ipſum vſque Nochum erit adſcendendum, & deinde per Sethinos ad ipſum Adamum perueniemus, & tandem origo venerationis, qua quercus & viſcum colebatur, ad ipſam arborem vitæ pertinebit: quæ vt arbor vitæ erat prædeſtinata ab æterno, ita non antè vitam homini erat datura, quàm Chriſtus Cherubim & verſatilem gladium à Paradiſo remouiſſet. *Dodonęa oracula.*

FINIS.

Ioh. Goropij, piæ memoriæ, Hiſpanica, Francica, Gallica, Vertumnus, Hermathena, & Hieroglyphica, eiuſdem ſunt eruditionis cum iis operibus quæ viuus edidit. Nec quicquam in his libris à me, aut ab aliis eſt animaduerſum quod fidem aut morum integritatem lædat. 21. Sextilis, 74.

Ioh. Molanus, Apoſtolicus
& Regius cenſor.

FRANCICA
IOANNIS GOROPII
BECANI.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini
Architypographi Regij.
cIↃ. IↃ. LXXX.

AD
SERENISSIMVM
ET CHRISTIANISSIMVM
REGEM HENRICVM III.
FRANCIÆ ET POLONIÆ.

CVM IN MANIBVS meis varia opera Ioannis Goropij Becani eſſent, Chriſtianiſsime Rex, quibus cogitabam dare lucem; viſa mihi eſt peropportuna occaſio declarandi animi mei ſtudiiq. erga potentiſsimum regem. Teneo enim memoria & æternùm tenebo, heroicam illam & inſignem liberalitatem animi: qua me poſt cladem Antvverpienſem Lutetiam venientem M. Tua ita eſt complexa, vt vltrò ac ſponte honeſtiſsimũ mihi Typographi Regij munus detulerit, cum deſcriptione ſtipendij priuilegiorúmque liberali & vltra votum. Quod beneficium niſi maximi æſtimem, ſtultus ſim: & niſi agnoſcam prædicémque, ingratus. Itaque libenter & meritò, cùm Francica Io. Becani, viri dum vixit magni, vulgarem: titulo ipſo admonitus, opus hoc mittendum cenſui ad magnum Francorum Regem. Confido au-

tem & opere ipſo delectatum M. T. iri, in quo multa nec protrita ſunt de origine celeberrimæ gentis: & certè animum meum gratum illi futurum. qui pro copia opibúſque teſtatum relinquere deuotum ſtudium ſuum & beniuolentiam voluit. Deus opt. max. Maieſtatem T. cum regno incolumes tranquillóſq. conſeruet.

T. M^tis

ſeruus humillimus

Chriſtoph. Plantinus.

INDEX RERVM
ET VERBORVM
IN
FRANCICA.

A.

AChillis inſignia. 92
Acht. 86
Ægidius Romanæ militiæ præfectus, à Francis rex ſalutatus, &c. 65. pellitur à Childerico. ibid.
Aëtius exercitui Gallicano præfectus à Valentiniano. 63. eius cum Meroueo pugna. ibid. eius auxilia contra Attilam. 64, & ſeq. victoria. 65. mors. 65
Agrippina Colonia. Vide Colonia.
Ain. 86
Alani Vandalis ſubueniunt. 61
Aldegundis. 89
Alexander famoſus latro totius Aſiæ. 15. Sogdianam diripuit, & Branchidarum gentem deleuit. 15, & ſequent.
Allemania ſubiugata à Gallis. 46. ſubiugata à Clodoueo rege Franc. 65, 66
Allemani à Iuliano fugati, &c. 43
Allemannorum triginta millia cæſa ductu Mallobaudis. 58
Allemanorum & Burgūdionum termini. 44, 45
ἅλς. 46
Amaracus duplex. 96
Amarus, a, um. 74
Amazonum mariti, Franci ſiue liberi Scythæ. 23
Ambiorix. 86
Amelberga. 89
Ammianus Marcellinus, vnus ex iis qui Siluanum Conſtantij iuſſu occidi curarunt. 41
Ἀναβόλαια. 49
Anax vnde & cur dictus Apollo. 86.
Anaces dicti Caſtor & Pollux. 86
Anc. 84
Ancker. ibid.
Ancona, teli genus. 83, & ſeq. 84, 85
Ancora. 84
Andinum monaſterium. 90
Angelre vicus. 32
Anger fl. ibid.
Angeren vicus. ibid.
Anglicanus limes, dicta Antuerpiana Marca. 81
Angriuarij. 31, 37
Angriuarij poſtea dicti Anſibarij. 32, & ſequent. 37
Angriuarij dicti Franci. ibid.
Angriuarij Francorum nomen omittunt. 32. idem optima ratione reſumunt. 33, 35
Angriuariorum in Germaniam aduentus, &c. 32
Anſe. 89
Anſegiſus, Caroli cui à breui naſo cognomen datum, filius. 89. Beggæ maritus. 90. limitis Antuerpiani comes, à Romanis ad Francos primus defecit. 89. eius genealogia. 90. eius mors. 90
Anſegiſi vnde dicti. 89
Anſe-ſteden. ibid.
Anſibarij. 31, 37
Anſibarij & Angriuarij, iidem ſunt. 32, 37
Anſibarij dicti Franci. 37. Francorum nomen omittunt. 32. quando vetus Francorum nomen reſumpſerint. 33, 35
Anſibarij Franci ad Oceanum vſque limites promouerunt, occupatis inter Batauos & Friſios campis, &c. 35, & ſequent.
Anſibarij Bructeros excidunt. 33 & ſequent.
Anſibariorum excidium. 32
Anſibariis ſocia arma iungunt Chamaui. 35
Anſiuarij ſiue Anſuarij &c. 30
Antuerpiana marca. 81
Antuerpiani limitis amplitudo, & præfectorum ſucceſſio. 88. eius præfectura Vtiloni in dotem data. 88
Aper. 78
Apollo vnde dictus, &c. 20, 22
Apollo intonſus, regis exēplar. 86
Apollo cur & vnde ἄναξ cognominatus. ibid.
Apollo Didymæus. 22
Apollo Phileſius. 20
Apollo theologicôs Spiritus ſanctus, phyſicôs autem Sol dici poteſt. 20, & ſeq. 22, & ſequent.
Apollinis varia nomina & ſignificationes. 22, & ſequent.
Apollinis nomen cui optimè conueniat. 20, & ſequent. 22
Apollinis & Branchi fabula explicata. 20
Apollinem & Branchum hominibus futura prædicere comminiſcuntur Branchidæ. 26
Ara Maxima Romæ à Nocho cōſtituta. 105
Arbitrio, cùm Theodoſium oppugnatum veniſſet, ei fuit auxilio. 60
Arbogaſtes Francus, patriæ deſertor & oppugnator, apud Romanos clarus. 59, & ſeq. eius potentia, & præclarè geſta. 60. eius mors. 60
Arborichi qui, & vnde dicti. 61. & ſequent. 62, & ſequent.
Arborichi præcipui, Brabanti. 62
Arborichi Romanis militant. ib.
Arborichorum duces, fuerunt Caroli Magni maiores. 88
Arborichis dati limites Antuerpiani tuendi. ibid.
Arma cur inſignia dicantur. 92
Arnhem op. 54, 55
Arriana hæreſis à Merouingis oppugnata. 90
Aſcaricus vnde dictus. 39
Aſcaricus Francorum rex à Conſtantino affectus ſupplicio. 39
Aſtyagis, patris Mandanes, ſomnium. 19
Atthuarij. 30
Attila Hunnorum rex, &c. 63, & ſequent.
Attila contra Aëtium pugnat. 64, 65, & ſeq. vincitur in Campania Galliæ. 65. ei liber è Gallia diſceſſus permittitur. 65, & ſeq. eius regia. 63. eius gladius. 64
Auari, & eorum ſedes. 29
Auentini inſignia. 92
Augerius Boesbecanus Flāder. 14
Auitus. 32
Aureliani Francorum regno adiecti. 65
Auſt. 81
Auſtria, ſiue Auſtraſia vnde dicta. 80
Auſtria dicta Francia Orientalis. ibid.
Autharius Francorum rex. 28

B.

Bactriana. 15, & ſequent.
Bal. 78
Bald. ibid.
Baldus vnde dictus. ibid.
Balt. ibid.
Bar. ibid.
Barba & coma raſa olim indicium luctus, &c. 85
Barbæ & comæ laudes. 86
Barbæ & capillorum partem cur Franci tondere conſueuerunt, ſed non Rex. 87
Barbam & crines cur aluerint Francorum Reges, & Græcorum Philoſophi. 85

Baſina Thuringorum Regina ad Childericum venit. 65
Baſtarnæ. 6
Batauia ſuperior. 53
Batauiam principio, ac deinde Brabantiæ & Flandriæ proximas partes tentarunt & ſubiecerunt Franci. 39,& ſequent.
Bauari vnde dicti, &c. 29
Bauwer. 61
Beer. i. verris. 78
Begga in fratris Grimoaldi, à Clodoueo interfecti, poſſeſſiones admiſſa. 90
Ber. i. vrſus. 78
Bernardi nomenclaturæ ratio. ib.
Bereunen. 4
Betauwe ſuperior Batauia dicitur. 53
Bod. 56
Bodogaſtus. ibid.
Boiocalus. 31,32
Bol. 78
Bollen. ibid.
Bonitius Frācus, Siluani pater. 41
Boꝛ. 61
Brabanti. 61,62
Brabantorum ſigna militaria eandem habent cum Romanorum ſignis formam, &c. 62
Βράγγας. 9
Βράγχος. 4,5
Branchus quis, & quo patre genitus. 8,9,16,& ſequent.
Branchi & Apollinis fabula explicata. 20
Branchi fabulæ origo prorſus Ogygia eſt. 17
Branchum futura dicere comminiſcuntur Branchidæ. 21
Branchidæ. 16,& ſequent.
Branchidæ doctores. 20
Branchidæ vltrò templum ſuum cum omnibus theſauris tradiderunt Xerxi Græciam inuadenti. 14,& ſequent.
Branchidæ Sogdianam elegerunt ſibi dari ſedem. 15.& ſequent.
Branchidæ à vera religione ad ſuperſtitionem declinant. 20
Branchidarum oraculum. 14,& ſequent. 20, 21, & ſequent.
Branchidarum gens deleta ab Alexandro. 15,& ſequent.
Branchidis oſcula frequentata. 20
Braua banda. 88
Brauon qua occaſione fictus. ibid.
Brenci. 4
Bꝛennen. ibid.
Brenner mons. ibid.
Brenni. ibid.
Brennobergamum. 29
Brennus. 4,5,29
Breuci. 4,5
Breucomagus. 5
Breuni. 4,5
Briſgauia. 5
Briſiacus mons. 5
Britanniam vexant Franci. 38
Brobetomagum. 5
Bꝛoeck. 5,60
Brotomagum. 5
Bructeri. 26,31,& ſequent.
Bructeri cur vicinis Germanis exoſi. 34. eorum excidium. 31, & ſequent. 33, 34, & ſequent.
Bructerorum ditionis amplitudo. 33
Bꝛun. 75
Brunichildis ſiue Brunoghildis vnde dicta. 75. eius crudelitas. ibid.
Bucinobantes. 46
Bucteri. 31
Buffo qua occaſione in Francorum inſignibus putetur fuiſſe. 91
Buffonis natura. ibid.
Buffone inſigni Francos nūquam fuiſſe vſos. 91,& ſequent.
Burghuizij. 45
Burgundi qui & vnde dicti. ibid.
Burgundiones Vandalorū pars. 61
Burgundiones à Gothis pulſi ſuis terris. 45. quæ loca poſtea occuparint. 45
Burgundionum & Allemanorum termini. 44,45
Burguziones. 45
Buſactori. 31
C.
C præfixum propriis regum Francorum nominibus, idem valet quod Conínc/ id eſt, Rex. 70, & ſequent.
Caius. 100
Cameracum vſq. regnum promouet Clodius Francorum rex. 61
Camp. 52,77
Campania Galliæ. 65
Campen opidum. 35,52
Campen. i. pugnare. 52,77
Campus. 77
Capellatium regio. 44
Car. 78
Carl. ibid.
Carauſius à Maximiano occidi iuſſus. 25
Carbonaria ſilua. 63
Carioualdus dux Batauorum vnde dictus. 78
Carnorum ducis inauguratio. 84
Carolingi. 90
Carolingorum principia Antuerpiano limiti deberi. 88
Carolomanni natale ſolum Landæ. 89
Carolomanno Antuerpianus limes reſtitutus. ibid.
Carolus vnde dictus. 78
Carolus primus, cui à breui naſo cognomen, Anſegiſi pater, &c. 89
Carolus Magnus, Pipini parui filius. 90
Caroli Magni laus, &c. 88. de eius natali ſolo, contentio. 88. eius maiores fuerunt Arborichorum duces. 88
Carolus Martellus Pipini Herſtalli filius ex Alpaide, &c. 90. Francorum princeps nominatus. 90. eius res geſtæ. ibid.
Carus, a, um. 78
Caſia duplex. 96
Caſſel opidum. 34
Caſtel, Caſtrum Traiani. 43
Caſtellum opidum, Keſſel; nunc pagus, &c. 43. obſidione captum à Iuliano. 42
Caſtrum Traiani. 43
Catalanenſis ciuitas. 65
Catalani campi. ibid.
Catalanico prœlio interfuerunt Franci. 64. numerus occiſorum. 65
Catti. 31
Chamaui qui, & vnde dicti. 31, 34,52. Anſibariis ſocia arma iungūt. 35. à Iuliano victi. 43
Chanaan erit ſeruus tuus &c. 106
Charibertus. 75
Cherebertus. ibid.
Chatelon. 65
Childebertus quintus Vandalorum rex, dicendus Hildebertus. 69
Childericus dicendus Hildericus. 69
Childericus Francorum rex, Merouei filius. 65,66. cur regno pulſus. ibid. reſtituitur in regnum. 65
Chilpericus, Hilpericus dicendus. 69
Chriſtus quando natus. 19
Chriſtianiſſimi cognomen conuenit cum Franci nomine & liliorum inſignibus, &c. 107
Cimmeriorum varia nomina. 6,7
Cimmeriorum multa vocabula in Latio relicta. 100
Claudius vnde dictus. 74. eius nummus. 94
Clodius. 68,69,& ſequent. 74
Clodius Cloto appellatus, id eſt, Con.nc Lot. 74
Clodius, Clodio, Cloudius ſiue Clogio, Francorum rex. 61
Clodius Francorum rex imperium ſuum extendit ad Sommam vſque. 63
Clodomirus vnde dictus. 71
Clodoueus ab aliis Lodoin, Lodouic, & Ludouichus appellatus. 69
Clodoueus Childerici filius. 65 naſcitur. 65. eius res geſtæ, ibid. Allemaniam ſubiugauit. 65,66. Franconiā condidit. 66
Clodouei inſignia non fuiſſe diademata. 92
Clotarius idem quod Conínc Lotarius. 68,69
Clothildis. 74
Cloto appellatus Clodius. ibid.
Cnæus. 100
Colen. i. carbones. 63
Colonia Agrippina à Francis capta, &c. 42
Comæ regiæ pars aliqua abſciſſa, Francis abominandum. 87
Con. 84
Confluentes. 42
Conung vnde dictus. 85
Conſtantinus Imp. Francos deuicit. 25
Conſtantinus duos Francorum reges beſtiis obiecit. 39,40
Con-

Conſtantius Francis in Gallia ſedes attribuit. 40
Conſtantius Iulianum ad imperij ſocietatem adſciſcit. 42
Corochus ſiue Crocus vnde dictus. 67
Cram. 77
Criones. 31
Crotildis. 74
Cunigundis. 77

D.

Dagobertus vnde dictus. 67
Dagoberti regis Franc. praua indoles. 89
Deg. 67
Deghelick. ibid.
Deghen. ibid.
Didymæus ſiue Didumæus vnde dicatur. 22
Didymæus Apollo. ibid.
Didymæus rectè poteſt dici Nochus. 22,& ſeq.
Didymæum oraculum. 21,22
Didymæum templum. 16,17
Dien ſiue Dyen. 22,77
Diet-ryc. ibid.
Diſpargum op. 30
Dodonæum oraculum. 21
Dorf-burg.i. Druſi caſtrum. 54,55
Dodracum. 81
Dordrecht. ibid.
Druſus Rheni alueum auertere inſtituit,&c. 54
Duiſ burg. 30
Duiſbergum in ſuperiore Franciæ parte, ſedes regni Clodij regis. 61
Duiſbergi ad fines Thuringorum ſupremus Franciæ limes olim fuit. 73
Dux quis dicatur. 40
Dyſporum op. 30

E.

E Cimbricæ vocis variæ ſignificationes. 105
Eber. 78
Eberdunum. ibid.
Ebroinus vnde dictus. ibid.
Een vel Em. 86
Eioneus Strymon dictus. 8,10
εἷς. i. vnus, vnde dicatur. 86
ἐλπὶς.i.ſpes, vnde dicatur. 99
Elpis dicitur Iris. 97
Embertus. 89
Ephippia veterum qualia fuerint. 48
Equeſtris diſciplinæ præcepta apud Xenophontem. 48,& ſeq.
Equeſtris ordinis dignitas apud Francos. 57
Erf. 61
Euer. 78
Europa vnde dicta.104,& ſeq.107
Europa Iapeti portio. 105
Europæ & trium liliorum concordia. 104
Euterpe vna Muſarum, vxor Strymonis, mater Rhœſi. 12,13

F.

Faramundus vnde dictus. 67
Faraulfus vnde dictus. 68
Fatum. 70
Feminã regnare nõ ferũt Frãci. 51
Fer.i.pulcher. 3
Flandricus ſermo in Cimbrica Cherſoneſo etiamnum hodie in vſu eſt. 25
Fleuum caſtellum. 36,& ſeq.53
Fleuus fl. 53
Fleuus vetus. 54
Fleui vicus. 36,54
Fleutm vicus. 54
Flodorp, Fleui vicus. 36,54
Forts. 66
Franceſca, ſecuris Francorũ.83,84
Francus. 1,2,3,& ſeq.7,8,10, 14,18,19
Francus dictus Iapetus. 19,&ſeq. 94,104
Franci nomini, cognomen Chriſtianiſſimi, & liliorum inſignia conueniunt,&c. 107
Franci nomenclatura vetuſtior eſt Troiana obſidione. 7,10,14
Franci nomen eſt antiquiſſimum. 3,& ſeq.8. cur vni potius genti quàm alij ſit tributum. 23
Franci, Vranci dicendi. 2,& ſeq.
Franci vnde dicti. 1,2,3,& ſeq.19 106
Franci qui, apud veteres ſcriptores. 1,4
Franci vnde genus ducant. 23
Franci, Angriuarij dicti. 37. vide Angriuarij.
Franci, Anſibarij dicti. 37. vide Anſibarij.
Franci, Germani dicti. 7,24,25 ſub nomine Germanorum Romanis militarunt. 37
Franci liberi dicti. 5,6. cur ita dicti, & à qua libertate nomen acceperint. 2,3,& ſeq.
Franci, liberi Scythæ. 6.7.& ſeq.
Franci, ſiue liberi Scythæ ad Mæotim, Amazonum mariti. 23
Franci Salij qui, & vnde dicti. 43 47,& ſeq. 55
Franci, Oceani accolæ, & Batauis proximi. 1
Franci in Germaniam Oceano finitimam commigrarunt,&c.37 & ſeq.
Franci paullatim ex Aſia & Margiana ad Tanaim & Mæotim deuenerunt, 36. fuerunt olim pars Cimmeriorum,&c. 37
Franci, Chaucorum pars non fuerunt. 36,& ſeq.
Frãci & Sicãbri diuerſi populi. 27
Franci non fuerunt Troiani. 24 eorum nomenclatura vetuſtior eſt Troiana obſidione. 7,10, 14,& ſequent. ante bellum Troianum ad Mæotidem habitarunt, 7. Troiano bello interfuerunt, 12. interfuerũt Catalanico prœlio. 64
Franci nonnulli ſub nomine Germanorum, Romanis militarũt contra Cattos, Marcomannos, Quados,&c. 37
Franci Romanorũ ſtipendiarij.61
Franci in Friſiæ & Hollandiæ littoribus primum Romanis innotuerunt. 25
Franci domicilia & agros in Gallia accipiunt à Maximiano,& à Conſtantio. 40
Franci quam partem Galliæ primum inuaſerint. 37,38
Franci Senonas, Pariſios & Aurelianos regno ſuo adiiciunt. 65
Franci imperium ſuum ad Sommam vſque extendunt, Clodio rege. 63
Franci Alemaniam ſubiugant. 46
Franci Germaniam populantur. 58
Franci Treuerorum ciuitatem occupant,& direptam incendunt. 61
Franci Britanniam vexant. 38
Franci cædunt Vandalos. 60
Franci Taxandriam inuadunt. 43
Franci Poſthumo auxiliares ſub Gallieno Imp. 37
Franci Iulianum obſident. 42
Franci vincunt Romanos. 59
Franci cum Gepidis pugnant 64
Franci Anſuarij à Iuliano deuicti. 30
Franci ab Aureliano pulſi. 37
Franci deuicti à Conſtantio. 25
Franci victi in Anglia à Maximiano,&c. ibid.
Franci pulſi à Stilicone. 61
Franci cæduntur à Romanis. 59
Franci non ferunt feminam regnare. 51
Franci equeſtris ſellæ inuentores. 47, & ſeq.
Franci partem barbæ & capillorum tondere conſueuerũt, &c. 87
Franci cur potius liliorum inſignia ſumpſerint, quàm reliqui Ianigenæ. 106.& ſeq.
Francorum gentis inſignia lilia. 91,& ſeq.
Francorum lilia in quo Iridis genere ſint. 104
Francorum in Germania prima ſedes. 30
Francorum ſedes Sicambria. 26
Francorum & Friſiorũ limites. 35
Francorum perfidia. 67
Francorũ Reges, Galliæ infeſti.42
Francorum Reges, Romanis confœderati & militantes, Galliam diu defenderunt. ibid.
Francorum Reges bobus duobus carpentum trahentibus vehebantur. 82,& ſeq.
Francorum Reges cur aluerint barbam & crines. 85
Francorum duo Reges beſtiis obiecti ſub Conſtantino Imp. 39 & ſeq.
Francorum regum cęrimoniæ antiquiſſimæ. 87
Francorum regum inſigne, ſecuris. 83
Francum amicum, non vicinum, habeas; Græcorum prouerbiũ. 3
Francia Orientalis, dicta Auſtria, quàm latè pateat. 80
Francia Occidentalis corruptè dicta Neuſtria. ibid.

Franciæ appellatio quàm latè ſe extenderit olim. 80,81
Franciæ limes olim fuit Duiſbergi. 72
Francica lingua corrupta. 66
Frãcici ſermonis veræ reliquiæ vbi ſint quærendæ. 81
Franconiæ ad Mœnũ exordiũ. 66
Fraomarius rex. 46
Fre. 77
Fregundis. ibid.
Frigeridus. 58.67
Friſia à Pipino ſubiugata, & fidem edocta. 90
Friſij Romanis bellũ inferunt. 36
Friſiorum præcipuum nauale. ib.
Friſiorũ & Francorum limites. 35
Fritigernus Gotorum rex, Romanos vincit. 58
G.
Gaiſus vnde dictus. 39
Gaiſus Francorum rex à Conſtantino affectus ſupplicio. ibid.
Galata vrbs. 100
Galli Iapeti poſteri, &c. 106
Galli veteres. 100
Galli nonnumquam Sicambri vocati. 26
Galliæ infeſti reges Francorum. 42
Galliæ partem qualem Franci primùm inuaſerint. 38, & ſeq.
Galliam diu defenderunt Francorum reges Romanis confœderati & militantes. 42
Gallicis agris donauit Francos Maximianus. 40
Galliopolis. 100
Garbaldus. 78
Gaſt. 8,56
Gau. 5
Geis. 39
Geiſel/Geiſeler. ibid.
Geiſbert. ibid.
Gelder op. 53
Geldria vnde dicta, &c. 52, & ſeq.
Gelmunden. 35
Geltersheim op. Franconiæ. 66
Genebaldus. 67
Gent. ibid.
Gentium commigrationes, varias ob cauſſas. 30
Gepidæ ſuppetias ferunt Attilæ contra Aëtium, &c. 64
Gepidarum pugna cũ Francis. 64
Germani vnde dicti. 3
Germani dicti Franci. 7,24,25
Germani ciuilibus ſuis ipſorum odiis frequenter victi. 59
Germanorum nomen nouum eſſe credidit C. Tacitus. 7
Germanorum nomen quando primum Gallis auditum. 33
Germanorum hoſpitalitas. 9
Germanorum auiti mores quomodo corrupti. 9
Germanos quid ſeruire exteris coëgerit. 9
Germanos quoſdam antiquitùs ad Mæotim paludem habitaſſe. 6
Germaniam populantur Frãci. 58
Gertrudis virgo. 90
Getæ. 6
Gis/Giſel. 89
Gizericus VVandalorum rex. 64
Gnai. 100
Godegiſelus Vandalorum rex cæſus à Francis. 69
Goedela. 89
Goetſvvinus interfector Anſegiſi. 90. parricidij pœnas dat. ibid.
Gomar, Gomarus. 77
Gotalanorum regem ſuum alloquentium conſuetudo. 84
Goti pellunt Burgiones ſuis terris. 45
Græcia quando & à quibus primũ litteris excoli cœpta. 17
Grimoaldus vnde dictus. 78
Grimoaldus Pipini filius patri ſuccedit in Auſtraſianorum equitũ præfectura. 89. eius mors. ibid.
Groenunger-diep. 36
Gun. 77
Gundobaldus Lautarij ſecundi filius. ibid.
Guntranus. ibid.
H.
H littera Francorum propriis nominibus præfixa, quid ſignificet, 76, & ſeq.
Habeo. 72
Hat. 46
Hanc. 84
Har. 52
Harhem op. ibid.
Haw. 72
Heel. 11
Heer. 76
Hem. 52
Helium. 53, & ſeq.
Help. 71,99
Helt. 71
Heraldus. 93
Heraldis quantus honor olim deferebatur; & eorum officia. ibid.
Herbertus. 75
Hercules Marcuſanus. 82
Herculis nomine Nochus frequẽter accipiendus. 105
Hetruſci. 106
Hiccar, ſiue Hichtar, Brenni filius. 29
Hildebertus. 71
Hildebertus quintus Vandalorum rex. 69
Hildericus, non Childericus, dicendum. 69
Hilp. 71
Hilpericus vnde dictus. 71,75
Hilpericus, non Chilpericus, Burgundionum rex. 69
Hilt. 71,75
Hoel. 11
Hoi. 87
Hoit. ibid.
Homo purus quis. 70
Hominis nomenclaturæ Cimbricæ ratio. ibid.
Honorius Imp. 63
Hop. 98, & ſeq. 105
Horrarij regnum. 43
Hoſpitalitas Germanorum. 9
Hulp. 71
How. 72
I.
Ianigenæ. 106
Iapetus Nochi filius natu minimus, 18. benedictio ei à patre data, 18, 19. ei nomen Franci veriſſimè conuenit, 18, 19. quæ regiones ei obtigerint. 15
Iapetus, Franci nomen, & cæleſtis lilij accepit inſigne. 94, & ſeq.
Iapetus qua ratione Francus fuit nuncupatus, eadem ratione ſpei ſignum ſibi ſumpſit, &c. 104
Iapetus quid habeat commune cum Apolline. 20
Iapeti & vitis comparatio. 89
Iapeti poſteri non minora munera, quàm vitis, hominibus contulerunt, 18. orbem in vnam communionem redegerũt, &c. ibid.
Iapeti poſterorum variæ nomenclaturæ. 106
Iapyges. ibid.
Iapygiam Galli veteres primùm habitarunt. 100
Ierſt. 10
Inſignia cur arma dicantur. 92
Inſignia Achillis. ibid.
Inſignia Auentini. ibid.
Inſignia Francorum. ibid. & ſeq.
Inſignia Vlyſſis. ibid.
Iris vnde dicta. 101. & ſeq.
Iris, arcus cæleſtis. 97
Iris Thaumantis filia, ibid.
Iunonis nuncia. ibid.
Iris elementorum concordiæ ſignum. ibid.
Iris, lilium appellatur. 95, 96, & ſeq. 102
Iris herba petroſis & exſuccis locis prouenit, ibid. eius variæ ſpecies, 103. Iridis non bulboſæ genera. 104
Iris quare ſpei ſignum dicatur, &c. 97, 102, 104.
Iris Elpis dicitur. 97
Iſela fl. 54,55
Iudæi à Pipino in exſilium acti. 89
Iulianus à Conſtantio ad imperij ſocietatem adſciſcitur, 42. pacem facit cum Frãcis, & Agrippinam Coloniam recipit, 42. obſeſſus à Francis, ibid. Francos Salios ſe dedentes ſuſcipit. 43 Caſtellum opidũ obſidione capit, 43. Chamauos vincit, ibid. Alemanos fugat. ibid.
Iuno vnde dicta. 97
Iuno quare ſoror & coniux Iouis dicatur. ibid.
Iuſiurandum vni innititur. 105
K.
Keſſel/ Caſtellum opidum, nunc pagus, &c. 43
L.
Lai. i. onero. 101
Landæ, Caroli Magni natale ſolũ, & imperij ſedes. 89
Landaſius cognominatus Pipinus. ibid.
Landricus. ibid.
Landſman/Schandſman. 80
Landt. 44
Laniogaiſus ſiue Langogaiſus Francus. 41

Latium

Latium cur vltimum ſibi domicilium delegerit Nochus. 105
Lautar. 68
Lecca fl. 54
Leet/Leit/Lait.i.moleſtia,&c. 101
Leew. 78
Legum conſtitutio. 56
λείριος. 101
Leli. 99
Lelius. 100,& ſeq. 101
Leo, λέων. 78
Leodienſis ditio Arborichorum numero comprehenſa. 62
Leonardus. 78
Leuen. ibid.
Lex vnde dicta. 86
Lex Salica. 51,52. à quibus lata. 57,& ſequent.
Li.i. patior & perfero. 77,101
Libertatis ſymbolum. 87
Liberum hominis arbitrium. 70
Liguſtici duplex genus. 95
Lilium vnde dictum. 99,& ſeq.
Lilium Græcis λίριον. 96
Lilium Iris appellatur. 95
Lilium ſpei ſignum. 94,& ſeq. 96. ad Francos delapſum è cælo. 94,& ſequent.
Lilia Francorum gentis inſignia 91,& ſequent.
Lilia Francorum eiuſdem formæ cum Iride. 95. in quo Iridis genere ſint. 104
Lilia tria Francorum fuiſſe inſignia Nochi ætate. 94,& ſeq.
Liliorum trium & Europæ concordia. 104
Liliorum inſignia cur Franci potius, quàm reliqui Ianigenæ, ſumpſerint. 106
Lind.i. pulcher. 77
Lind.i. faſcia,funiculus. ibid.
Linde.i. tilia. ibid.
Lindo. ibid.
Lypſprone. 34
Lirinum vnguentum. 96
λίριον. 96,& ſequent. 99
Liſich. 101
Liſch. 101,& ſeq.
Litauicus. 69,70
Litomarus. 71
Litteræ apud Græcos quando & à quibus excoli cœperint. 17
Locorũ nomenclaturæ mutatę.54
Lodomirus. 71
Longobardi Sueui. 31
Lop. 78
Lot pro Lotario. 74
Lotarius vnde dictus. 70
Lothildis. 74.75
Lucus Baduhennæ. 36
Ludouicus vnde dictus.69.& ſeq.
Ludouicus dictus Clodoueus. 69 70
Luidemeerus. 71
Luit/Linde/Linden. 69
Luitomarus. 71
Luithildis. 74,75
Luppiæ fons. 34

M.

Mac. 77
Maecht. 75
Maechthildis vnde dicta. 75
Maechthildis donatio. ibid.
Mæotis palus. 6
Maet. 22
Mal. 57
Malarichus Francorum rex. 40 & ſeq.
Malleus vnde dictus. 78,79
Mallobaudes vnde dictus. 67
Mallobaudes Francorum rex. 40 & ſeq. 58.
Mallus quid, & vnde nomen habeat. 57
Man. 10
Manarmanis portus. 53
Mandane Aſtyagis filia,Cyri mater. 19
Mar.i.ſed. 73
Mar/ ſiue Mer.i.mare. 73,74.
Mar.i.fama. 77,79
Marc. 44,72
Marca. 44
Marca Antuerpiana. 81
Marcellinus. vide Ammianus Marcellinus.
Marchuis. 82
Marcomirus vnde dictus. 72
Marcuſanus Hercules. 82
Mare vnde dictum. 73,& ſeq.
Margiana. 14
Marſcalcus. 56
Marſen. 54,74
Mars vnde dictus. 78
Mart. ibid.
Marteau. ibid.
Marteel. ibid.
Martello. 78,79
Martellus vnde dictus. ibid.
Marter. 78
Martyr vnde dictus. 79
Maſtbroeck. 35
Maximianus Francos in Anglia vicit. 25
Maximianus Frãcos Gallicis agris donauit. 40
Meer.i.plus. 71,74
Meer.i. augeo. 72
Men. 70
Menapij. 31
Mendacium. 67,& ſeq.
Mens vnde dicta. 71
Menſch. 70
Mer.i.mare,ſtagnum. 67,72, 73,74
Merlinus. 74
Merobaudes. 58,67
Meroueus vnde dictus. 72
Meroueus Francorum rex,Merouingorum generis auctor. 63
Merouei cum Aëtio pugna. ibid.
Merouei poſteritatis ignauia. 82
Merouei monumenta. 55,72,& ſequent.
Merowe alueus per quem Walis & Moſa iuncti ſimul fluunt. 55,72
Merouicus. 72
Merouingi vnde genus & nomen ducant. 82,& ſeq.
Merouingi Arrianam hæreſim oppugnant. 90
Merſſen ſiue Marſſen. 74
Mileſium oraculum. 14.16
Mœnus fl. 45
Mollio. 80
Mollis. ibid.
Mon. 10
Mor. 73,79,80
Morder. 78
Morgengiba. 66
Moren. 73
Mors vnde dicta. 78
Mort. ibid.
Mortarium vnde dictum. ibid.
Morw. 80
Moſella fl. 42
Moſes veritatis ſcaturigo,antiquitatis norma, & omnis hiſtoriæ amuſſis. 18
Muſæ vt Regibus nubant, optandum. 13
Mythologia, ſiue Theologia Orphica apud Thraces orta. 17

N.

Nanninus magiſter militiæ. 58
Neccarus fl. 44
Neomagum à Francis ſtructum, & vnde dictum. 61
Neuſtria corruptè dicta Francia Occidentalis. 80
Nicarus. 44
Niuiſium, Nuys. 60
Nobilitas vera vnde exiſtat. 93
Nochus quomodo & quando Aram maximam Romæ erexerit. 105. & cur ſibi Latium,ſedem ſumpſerit. ibid.
Nochus Chriſti typum geſſit. 20
Nochus frequenter accipiendus nomine Herculis. 105
Nochus conuenientiſſimè poteſt dici Apollo,20,22. poteſt dici Didumæus & Phileſius, 22 dictus eſt & Saturnus. 105
Nomina non temerè,ſed inſtinctu quodam diuino plerumq. data gentibus. 23
Numa vnde dictus. 100
Nummus Claudij. 94
Nuſipi. 31

O.

Obtricenſe opidum. 30
Octapedes. 82,84
Og. 75
Olynthus vnde dictus. 11
Olynthus Strymonis filius, &c. 8,11
Olynthus vrbs condita à Brancho. 8,12
Onomantia. 71
Oraculum Branchidarum. 14,& ſeq. 21,& ſeq.
Oraculum Didymæum. 21,22
Oraculum Dodonæum. 21
Oraculum Mileſium. 14,16,21
Oracula Cacodæmoni adſcribenda. 21
Oraculorum cauſa,auaritia,& futurorum cognoſcendorum auiditas. ibid.
Oriens Auſt/ i.antiquiſſimus,dicitur. 81
Orpheus quis dicatur. 17
Orphica theologia. ibid.
Oſculum apud Chriſtianos in ſacris. 20
Oſcula Brãchidis frequẽtata. ibid.

Para-

P.

Paiazetes Turcorum Imp. ἀναβολέος vice Tamerlani fuit. 49
Pal. 44
Palas regio. 44,45
Palatium. 47
Palatinatus. 44
Pallanteum. 44,47
Pallas. 47
Palts. 44
Paltſ-graf. ibid.
Pandiculatio. 3
Pariſij Francorũ regno adiecti. 65
Paropaniſus. 15
πάθη. 21
Patientia ſpei ſoboles. 101
Pax Iulia, op. Hiſpaniæ. 103
Perfidia Francorum & Romanorum. 67
Perfortia. 66
D. Petri patrimonium. 75
φαραγγώδεις, φάραγγες. 1
Pharamanes Choraſmenũ rex. 15
Pharamundus vnde dictus. 67
Pharamundus Francorum rex. 15
Pharamundum non fuiſſe primum Francorum regem. 39
Philebum. 36,53,54
Phileſius vnde dictus. 22,23
Phileſius Apollo. 20
Phileſius rectè dici poteſt Nochus 22, & ſequent.
Philoſophus abſolutus quis iudicandus. 93
Philoſophi Græcorũ, capillitium & barbam ſolent alere. 85
φράγγον φίλον ἔχῃς, γείτονα μὴ ἔχῃς. 3
Phriſij. 31
Pileus libertatis ſymbolum, &c. 87,& ſequent.
πιλοφόροι Scythæ qui fuerint. 87, & ſequent.
Pien. i. dolor. 78
Pipen. ibid.
Pipinus vnde dictus. ibid.
Pipinus Landaſius cognominatus, Landæ natus. 89
Pipinus Landaſius Carolomanno mortuo ſuccedit, &c. ibid. in diuorum numerũ relatus. ib.
Pipinus Herſtallus ſiue Craſſus, Anſegiſi vnicus filius patri ſuccedit. 90. eius egregia facta. ib.
Pipinus Paruus, Caroli Martelli filius, patri ſuccedit, &c. 90
Polymneſtor Thracũ tyrannus. 10
Poſthumo Franci auxiliares. 37
Priarius Allemannorum rex cæſus. 58

Q.

Quintinus magiſter militiæ. 58 in Francorũ regionẽ tranſit. 60

R.

Ram. 73,79
Ranc. i. palmes. 2,18
Rancken. i. pandiculari. 3
Ratbodus Friſiæ rex à Pipino Herſtallo ſubiugatus, &c. 90
Raw. 68
Reck. 2
Reggus fl. 53
Reis. 11
Reſpendial Alanorum rex. 60
Rex vnde dictus. 86
Reges antiquitùs erant antiſtites ſacrorum. 85
Regibus vt nubant Muſæ, optandum. 13
Rhees. 11,13
Rhenum op. 53
Rhenus fl. 53, & ſequent.
Rheni accolæ. 31, & ſequent.
Rheni oſtia. 53, & ſequent.
Rhoes. 13
Rhœſus vnde dictus. 11,& ſeq.
Rhœſus Strymonis & Euterpes filius. 8, 12. à Diomede occiſus. 10. eius arma & equi. 11,12
Rich. 61
Richomeres. 58,71
Rigodulum op. 42
Rycdom. 22
Rom. 73,79,80.& ſequent.
Romani Francos cædunt. 59
Romani victi à Francis. 59. victi à Fritigerno Gotorum duce. 58
Romanorũ ſtipendiarij Franci. 61
Romanorum perfidia. 67
Rou. 73
Rumor. ibid.

S.

Sabini. 100
Sacæ. 106
Sadel. 47
Sal varia ſignificat. 46,& ſequent.
Sal ſalis vnde dicatur. 46
Sala fl. 43,45
Salf. 46
Salrch. 47
Salij vnde dicti Franci. 47, & ſeq.
Salij Franci qui, &c. 43,& ſeq. 55
Salij à Sala fluuio non ſunt nominati Franci. 45, & ſequent.
Salij cui regioni, & cur dederint ſuum nomen. 52
Salica lex. 50
Salicæ leges à quibus, & quando latæ, vbi primùm dictatæ, & qua occaſione corruptæ. 56,& ſequent. 57
Salica terra. 51
Sallandia vnde dicta, &c. 55
Sallandia equis alẽdis aptiſſima. 56
Sallãdiæ tres principes vrbes, Dauentria, Swolla, & Campen. 55
Sal-lant. 50,52
Sallic op. 52
Salogaſtus vnde dictus. 56
Saluco, 46. Saluo. 46
Salus. ibid.
Sangibanus Alanorum rex Aurelianum Galliæ op. Attilæ prodere pollicetur, &c. 64
Sapientia victoriæ fons. 56
Sarraceni conuicio irritati Mahometicam ſectam propagant. 89
Sarraceni a Carolo Martello deuicti. 90
Saturnus dictus Nochus. 105
Sauromatæ. 6
Sauus fl. 4, 5
Sclaui graſſantur per Germania. 89
Scut. 82,93
Scutum. 93
Scythæ vnde dicti. 5
Scythæ liberi ad Mæotidem habitantes. 6,7,& ſequent.
Scythæ πιλοφόροι, ſiue pileati qui fuerint. 87
Scythis omnibus commune domum ſuam vehere. 82
σκύτος. 93
Securis, Francorum regum inſigne. 83
Securis Francorum cuius rei ſymbolum. 84
Seg/ ſiue Sig. 76
Sella equeſtris à Francis primùm inuenta, &c. 47, & ſequent. eius vſus primùm innotuit circa tẽpora Valentiniani. 50
Semi tabernacula, quæ Iapetus erat habitaturus. 106
Senones Francorum regno adiecti. 65
Septem-ſiluæ. 35
Sicambri vnde dicti. 76
Sicambri qui. 26,31
Sicambri vbi quondam habitarint. 26
Sicambri aliquando Franci vocati, 26. maximè apud Poëtas. 26
Sicãbri & Franci, diuerſi populi. 27
Sicambri à Romanis in Galliam tranſlati. 27,28
Sicambria Francorũ ſedes, &c. 26
Sicambria op. in Pannonia. 28
Sig. 76
Sigebaldus. 78
Sigebertus vnde dictus. 76
Sigebertus Dagoberti filius, Auſtraſiæ rex deſignatus, &c. 89
Siluanus Francus pedeſtris militiæ in Gallia rector. 41,& ſeq. eius mors. ibid. eius laudes. ibid.
Sogdiana, ſedes Branchidarum, Margianæ adiacẽs, &c. 15, & ſeq.
Sogdiana direpta ab Alexandro. 15, & ſequent.
Solis natura & vis in rebus promouendis. 22
Spar. i. parco. 99
Spero, as, are. ibid.
Sperandarum rerum meta. 106
Spes Hop Cimbricè dicitur. 98
Spes regni cælorum ſola, Cimbrico ſpei nomine Hop digna eſt, &c. 98. eius vis & efficacitas. ibid.
Spei natura & partes. 98
Spei ſoboles patientia. 101
Spei teſſera. 94,96, & ſequent.
Staf. 49
Staffa. 49,& ſequent.
Stapeda. 49, & ſequent.
Stapeda antiquiſſima ad Rheni ripam inuenta. 51
Stilico Francos pellit. 61
Stra ſiue Stry. 10
Strymon vnde dictus. 10,& ſeq.
Strymon fl. 10
Strymon Thracum rex. 8,& ſeq.
Strymon idem qui Eioneus. 8,10
Strymon Hercules dictus. 12
Strymon & Tereus litteras in Græciam inuexerunt. 17,18
Strymonis vxor Euterpe vna Muſarum. 12,13,& ſequent. eius filij. 8
Strymonis ætas, imperij amplitudo,

tudo,& monumenta. 9,& ſeq.
eius virtutes. 13
Suevi Longobardi. 31
Sugambri. ibid.
Suomarij regnum. 43
Suſan vnde dicatur. 101
Suſini flores. 96
Suinum oleum. 96,101
Suſſen. 101
Suten. ibid.
Syagrius Ægidij filius à Clodoueo victus & necatus. 65

T.

C. Tacitus quando hiſtoriam ſcripſerit. 33. Germanorum nomen falsò nouum eſſe dicit. 7
Tal. 100
Taiman. ibid.
Tallus. ibid.
Tamerlanus Paiazete captiuo vſus vice ἀναβολέως. 49
Tenceri. 31
Tencteri. ibid.
Tencteri ripam Rheni tenuerunt ad veteres vſque Vbiorum ſedes. 33
Tencteri equeſtris diſciplinæ arte præcellunt &c. 51. eorum mores & diſciplina militaris. 31
Terentius vnde dictus. 100
Tereus & Strymon litteras in Græciam inuexerunt. 17
Teſtibus quando ſit opus,& quando non. 79
Ternarij numeri vis in Iride. 97
Teutones ſoli linguam ſuam contemnunt. 80
Thaumaſtos dicitur Iris. 97
Theodelinda. 77
Theodiſca lingua. 66
Theobaldus. 77
Theodobertus vnde dictus. ibid.
Theodoberti Orientalis Franciæ regis heroica facta. ibid.
Theodomarus. ibid.
Theodoricus vnde dictus. ibid.
Theodoricus Viſegothorum rex. 64
Theodoſij de Arbogaſte portentoſa victoria. 60
Theudibertus. 77
Thietbertus. ibid.
Thracum lingua eadem cum Germanica fuit. 17
Thungri. 61
Thuſci. 106
Tit ſiue Tijt. 100
Titus. ibid.
Toloſa, ſedes regni Viſegottici. 64
Toxandriam inuadunt Franci. 43
Toxaris Scytha. 82,& ſeq.
Traiani caſtrum. 43
Traiectum. 30
Treres origine Cimmerij,&c. 10
Treuerorum ciuitas à Francis occupata & incenſa. 61
Trecht. 30
Troiano bello interfuerunt Franci. 12,24
Troiani non fuerunt Franci. 24
Tuig. 79
Tungri. 3

V.

V conſonanti quæ littera apud Græcos optimè ſubſtituatur. 4
Valentinianus Imp. 63
Vandali vbi olim habitarint. 60
Vandali à Francis cæſi. ibid.
Vandalorum in Franciam incurſio. 61
Vandalis Alani ſubueniunt. 61
Var. 67
Varmundus. ibid.
Vaticinia. 21
Vbij. 31
Vbij in Galliam tranſlati à Romanis. 27
Vechten. 54
Vechtus fl. 35,53,54
Velicer fl. 26
Velleda virgo latè in Germania imperitans. 34,& ſeq.
Veluwe regio vnde dicta. 52,54
Ven. 74
Ver. 2
Veritas conſeruanda. 67
Verres. 78
Victoriæ ſcopus. 76
Victoriæ fons,ſapientia. 56
Vicus. 69
Vidicula Gotorum fortiſſimus &c. 63
Vidrus fl. 35,53
Vinco, is, ere. 77
Viſpi. 31
Viſigothi. 62
Viſigotici regni ſedes, Toloſa. 64
Vitis & Iapeti comparatio. 18,& ſequent. 19
Vitis natura,& in arbores dominium. 18. eius commoda & vtilitates. ibid.
Vitis interpretatio & comparatio. 19,20
Vlyſſis inſignia. 92
Vmbri. 100
Vocum origines ac primos natales inueniendi ratio. 73
Vollenhouen. 35
Vrane. 2,& ſequent.
Vrancus ſcribendum, non Francus. 2,3
Vrancus vnde dictus. 16,17. Reliqua vide in Francus.
Vrangas vnde dictus. 9
Vrangas Strymonis filius. 8,9
conditor Olynthi vrbis. 8,12
Vry en Vrane. 3
Vryt-end. 54
Vrſus vnde dictus. 78
Vſipetes, Vſipij. 31

W.

Walbertus. 89
Walt. 77
Waltrudis. 89
War. 68
Warmundus. 67,68
Weg. 70
West occidentalis plaga vnde dicta. 81
Wit ſiue Wijt. 69
Widomarus fidus Childerici amicus. 53
Win. 56
Windogaſtus. 56
Wis/ Wijs. 22,56
Wiſdom/ Wijſdom. 22
Wiſogaſtus. 56
Wit/ wijt. 19

X.

Xenophontis præcepta de equeſtri diſciplina. 48,& ſequent.
Xerxi Græciam inuadenti, vltrò Branchidæ tradunt templum ſuum cum theſauris. 14,& ſequent.

Z.

Zallandia. 55

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Priuilegio ſancitum eſt, nequis *Opera omnia Goropij Becani partim antehac impreſſa, ſed ab ipſo emendata, partim verò non impreſſa,* integra, vel eorum partem aliquam, citra Chriſtophori Plantini voluntatem, à die cuiuſq. editionis abſolutæ intra decem annos, imprimat, aut alibi impreſſa importet venaliáue habeat, ſub pœna confiſcationis librorum: vt latiùs patet in literis datis Bruxellis pænultima Nouembris. M. D. LXXIIII.

Signat.

I. de Witte.

IO. GOROPII BECANI
FRANCICA.
LIBER I.

QVANDO nihil abſurdius vmquam iudicaui, quàm genti cuipiam proprium nomen ab alterius linguæ hominibus mutuari; ſi vnde Franci nominentur quæratur, ſciendum antè qui fuerit vernaculus Francorum ſermo, quàm gentis nomēclatura ad rectam rationem vocetur. Qua in re, vt à confeſſis exordiamur, illorum temporum auctores conſulemus, quibus primùm illuſtres apud Romanos euaſerunt; primordiis eorum quæ controuerſiæ plena ſunt, necdum in teſtimonium aduocatis. Fuerunt eorum quidem arma Gallieni tempore Poſthumo in Gallia imperij ius & inſignia occupanti auxiliorum non minima pars. Verùm eius rei Trebellius Pollio ſic meminit, vt Celticas quidē & Francicas copias diſtingueret; ſed cuius gentis Franci eſſent, non exponeret. Quamobrem Procopius audiatur, æqualis eius ætatis qua eorum vires maximè fuerūt nobilitatæ, qui primo De bello Gotorum libro eos qui tum Franci vocabantur, ait olim Germanos nominatos fuiſſe: cuius ſententiæ Agathius quoque ſubſcribit, veterum ſe teſtimonio ſtare indicans. An verò ſuperiores, vt nunc vocantur, an inferiores fuerint Germani, qua in re non pauci aberrarunt, diligenter conſideretur neceſſe eſt. Flauius Vopiſcus Syracuſanus, proximus nominis eorū apud Romanos illuſtrationi, Francos, Germanos & Allemannos in vita Probi vt apertiſſimè nominibus diſtinxit, ita Francos dixit inuiis ſtratos paludibus. qua nota ſatis dedit intelligendum, Francos omnium infimos & Oceano proximos fuiſſe. Iam piraticam exercere & omnes oras maritimas vexare, cui, rogo, genti conuenit alij, quàm ei quæ Oceani littora teneret? Atqui Francos id facere conſueſſe, plurima ſunt teſtimonia, quæ ſuo pòſt loco commodius opportuniusque citabuntur. Hoc loco ſatis eſto, Francos Oceani accolas fuiſſe, & eos quidem Batauis proximos, quorum regionem frequentiſſimè priùs incurſarunt, quàm reliquas Romanorum prouincias inuaderent; vti latiùs iam mox docebo. Nunc igitur ad nominis interpretationem.

Veterum auctorum de Francis ſententia.

Franci Oceani accolæ, & Batauis proximi.

SVNT qui ex Manethone Anniano, vaniſſimo nugiuendo, Francum Hectoris filium faciunt; quibus propterea nihil reſpondebo, quòd in Croniis meis ſatis claris argumentis hunc impoſtorem falſi nominis conuicerim; in quibus vnà aperui, non pluris me facere Hunnibaldum quàm imperitiſſimum mendaciorum textorem. Et quamuis hi figmentorū in Originibus architecti Francum Troianum dicant, nihil tamen de nominis ratione ſcribunt, atque idcirco nihil faciunt ad hanc noſtram quæſtionem. Ado Archiepiſcopus Viennenſis nominis cauſſam à Græcis petendā putauit: Francos lingua Attica, inquit, Valentinianus Imperator à feritate & duritia atque audacia appellari primus voluit. Scio equidem φάραγγας Græcis terræ cauitates à vehementiore aquarum impetu ruptas vocari, & hinc φαραγγώδης id quod præruptum eſt, & aut torrentibus aut alia aquarum violentia excauatum, dici: ſed quid hoc ad Francos, qui non, veluti eiuſmodi prærupta loca, alienis iniuriis patebant; verùm contrà, non ſecus atque ſubiti & impetuoſi torrentes, omnia obſtantia proruebant & deturbabant, atque ea de cauſſa χείμαρροι potius quàm φάραγγες Atticis nominandi? Ceterùm vanum ſit & ſuperuacaneæ diligentiæ prolixius de hac ſententia diſputare, quandoquidem & ante Valentinianum Francorum nomen hiſtoriarum monumentis celebretur, & ab omni ratione alienum ſit, Germanos nomen ſibi voluiſſe perpetuum eſſe quod ab hoſte ſumpſiſſent, & id quidem nulla cum Attica lingua, è qua acceptum dicitur, affinitate coniunctum. Condonet igitur mihi Ado ſi contrà ſentiam, & vocem

Francorum nominis etymon.

de Germaniæ inferioris lingua interpreter, in qua primùm Franci Romanis innotuerunt.

Franci à qua libertate nomen acceperint.

In primis id plurimorum confeſſione & ferè omnium conſtat, Francos à libertate nomen accepiſſe; verùm non item apud omnes notum eſt, quæ vel libertas hæc fuerit à qua nominantur, vel quo ſermone ita vocentur. Antonius Coccius Sabellicus, fabuloſos antiquitatum ſcriptores ſecutus, hac de re ad hunc modum ſententiam concluſit: Habuit Troiana manus, quæ illum ſecuta eſt, luxurioſa incrementa, tenuitque ſedes quas à principio ſortita eſt plures ætates; poſtremò Alanis res Romanas infeſtare adortis, Valentinianus Cæſar edictum propoſuit, vt quicumque hominum Alanorum conatus infringerent, decem annos omnium immunes eſſent tributorum. Sycambri eam gentem bello adorti victos excidio dedêre, ſuntque ob id meritum in decem annos libertate donati, Francorumque nomen adepti. Francos Itali liberos appellant. Hæc ille, Aimonis, ſiue, vt aliis vocatur, Annonij fortaſſis auctoritate nixus. Sigebertus Abbas, vt idem ferè de Valentiniano tradit, ita Francos non liberos, ſed feroces ex Attica lingua, totis Athenis reclamantibus, interpretatur; quod quamuis indoctum ſit & à Muſis alienum, nihilo tamen abſurdius eſt eo quod Sabellicus vetuſtiorum narrationi adiecit, Francos nimirum ab Italis liberos dici. Sit ſanè ita: quid inde? Num fortaſſis ex antiqua Romanorum lingua Itali hoc nomen retinuerunt? Minimè; quando nemo Latinorum eo vſus deprehenditur, nec quicquam habet cum vlla omnino voce Latina cognationis. Nihil itaque ad rem aut ad veritatis ſaltem examen quòd Itali hoc tempore liberos, Francos vocent; cùm Valentiniani tempore necdum ita vocarint; niſi fortè vel Franci vel Goti ante Valentinianum Italiam coëgerint ſermonis Germanici vocabulis vti, cui omnis hiſtoriæ fides repugnat. Iam quis vates Trebellio Pollioni qui ſub Conſtantij imperio hiſtoriam ſcripſit, prædixerat fore, vt Valentiniani iuſſu Germani Franci vocarentur? Atqui hic tamen & in Gallieni & in Probi vita claram Francorum facit mentionem, nihil, vt opinor, minus cogitans quàm in ſcriptis ſuis tam negligenter quoſdam verſaturos, vt Francorum nomenclaturam ætate ſua facerent recentiorem. Quid Nazario apud Conſtantini filios orante ineptius fuiſſet, ſi Francos eos nominaſſet quos adhuc nemo mortalium ſic dici audiuiſſet, immò quos multo poſt Cæſarum horum & ipſius Nazarij panegyriſtæ mortem Valentinianus tum libertate donaturus, tum ab ea vocaturus eſſet?

Franci cur dicantur qui liberi ſunt.

Reiectis igitur his figmentis, vti vaniſſimis & longè lateque à vetuſtiorum fide diſſidentibus, ſaniora adferamus. Francos liberos vocari, quamquam non ij tantùm qui Teutonici ſermonis periti ſunt, nouerunt, ſed omnes etiam illi qui ſermonem habent è Germanico & Romano permiſtum; neminem tamen hactenus vel legere vel audire memini, qui qua de cauſſa liberi hac voce nominentur, explicaret.

Vrancos ſcribendum, non Francos.

Nos ex inferioris Germaniæ ſermone hoc nobis ſumimus, vocem non per F, ſed per V conſonantem in principio ſcribendam: quo quidem modo & hactenus à noſtratibus pronunciatur, & in omnibus vetuſtis Brabantorum annalibus ſcripta inuenitur: quod equidem non monuiſſem, niſi ad nominis cauſſam reddendam neceſſarium putaſſem. Quamuis enim quæ per V conſonantem Teutones pronunciant, ea ſuperiores Germani per F proferant; nobis tamen inter has litteras diſtinguendum diligenter, ne in originibus quærendis aberremus. Viciniam cognationemque inter eas maximam illam quidem agnoſcimus, & alteram in alteram apud nos etiam frequentiſſimè tranſire ſcimus; verùm in huius vocis, de qua agi-

Ver.

mus, fabrica earum permutatio notionis diſcrimen adduceret, ſi accurate diſcuteretur. Ver nobis duplicem habet in ſermone vſum, alterum dum procul ſiue

Ranck.

longe ſignificat; alterum, dum in compoſitione pro Per Latinorum, vel Re collocatur. Ranck autem idem eſt nobis quod palmes ſiue ramus longè ſeſe extendens,

Riet.

à Rat vocali breui pronunciato, quod præteritum eſt imperfectum à Riet/ idem quod extendebam vel extendebat ſignificans. Hinc Ver-rant idem quod palmi-

Vranck.

tes longè porrigo & extendo. Vnde ſyncoptôs Vrant is dicitur qui palmites ſuos inſtar fecundæ luxuriantiſque vitis procul in omnem partem extendit, nullis anguſtiis incluſus, quo minus quò velit brachia ſobolemque ſuam propaget; quod quia

quia ſummæ cuiuſdam eſt libertatis, vſurpata vox eſt non pro eo qui ſolum liber eſt & nullius poteſtate conſtrictus, verùm pro eo qui libertate ea fruitur, vt non ſuis modò queat pro eo ac velit vti; ſed in alios quoque manus ſuas porrigere, vt ab iis etiam quæ ſibi neceſſaria putat, accipere poſſit. Magnæ profectò libertatis, ne dicam licentiæ, hæc fuit profeſſio, non ſolùm ſe liberos, ſed & Vrancos vocare: qua nomenclatura ſatis ſignificabant, quò ſtudia ſua tenderent, quidque ſibi tribui à finitimis vellent.

Non malè itaque cum ipſorum nomine Græcorum prouerbium quadrabat, Φράγγον φίλον ἔχῃς, γείτονα μὴ ἔχῃς; id eſt, Francum amicum habeas, vicinum non habeas; quod Caroli Magni ſcriba memoriæ prodidit. Quis enim eum ſibi vicinum velit, qui nullis terminis, nullis limitibus ſe velit coërceri; & adeò ab alienis non abhorreat, vt nomine etiam ſuo profiteatur ſe talem eſſe, vt longè brachiis ſuis omnia comprehendat? Germani & Thungeri ſeſe ab eo nominarunt, quòd viri eſſent & natura & inſtitutis ad quærendum congregandumque facti; à qua appellatione non multum Franci videntur receſſiſſe, dum ſeſe à propaginibus longe proferendis vocauerunt. Sueui, Allemanni, & Germani ſuperiores palmitem alio nomine vocant, ita vt minimè poſſint de ſuo ſermone libertatem in Franci nomine inuenire. Ab eadem tamen origine Rancken acceperunt, quo vtuntur pro eo quod Latinis eſt Pandiculari, propterea quòd corpus in eo membrorum poſitu brachia velut palmites extendat; quorum de lingua ſi vocem interpretaremur, Franci dicerentur ij qui longè pandiculantur: quæ corporis motio tantum abeſt vt ſtrennuis viris potuerit placere, vt ignauiæ deſidiæque certiſſimum ſit in hominibus non malè valentibus argumentum, vtpote à crudis humoribus & flatibus, qui in otio & ſedentaria vita congregari ſolent, proficiſci ferè conſueta. Nec video quî nomen huic corporis affectioni attributum idoneum videri poſſit, vt ad ſtrennuam brachiorum extenſionem transferatur, cùm ipſa pandiculatio in tota Germania non minus indecora quàm ventris crepitus habeatur.

Francũ amicum, non vicinum habeas; Græcorum prouerbium.

Rancken *Germanis ſuperioribus eſt, Pandiculari.*

Vrancus ergo Teutonum ſit vocabulum, ſiue earum Germaniæ gentium qui ad Oceani littora commorantur; apud quas aliud Fer-rant quàm Ver-rant notat; quorum hoc quidem illius eſt quam expoſui notationis, illud verò pulcrum palmitem ſignat, cùm hactenus etiam Angli, olim Vrancorum finitimi, nunc Britanniæ incolæ, Fer pulcrum vocent, de vetuſto nimirum ſermone, quem varia nationum permiſtio plurimùm immutauit. Non diſpliceret hæc quidem interpretatio, niſi Vrancum viderem apud omnes pro libero dici: quæ notio huic vocis compoſitioni non conueniret.

Fer.

Noſtrates cùm quemquam omnibus modis liberum notare volunt, Vri en vranc dicunt, indicantes non ſolùm liberum eſſe quem Vri vocamus; ſed etiam Vrancum, id eſt, plus quam liberum, vt ex vera nominis ratione conſtat. Quemadmodum autem pro Vranco Francum Allemanni dicunt, ita pro Vri / Frei pronunciant: quem morem ad Latinam quoque linguam plerique eorum trahunt, pro vita, fitam; pro vino, finum; & ſimilia pro ſimilibus proferentes. Sed de his ſatis, præſertim apud nauſeabundos noſtri ſæculi ſtomachos, quibus nihil placet vel Teutonici ſermonis vel id genus minutiarum, quas ego tamen eo ſector auidiùs, quòd citra harum adiumenta doctiſſimos quoſque turpiter labi cernam; nihil interim faciens alta illa ſupercilia quæ ad humilia hæc ſermonis noſtri rudimenta ne ſemel quidem ſeſe ſubmittere dignantur.

Ex his modò liquere puto, Vrancos minimè dictos eſſe ab illa libertate qua eos Valentinianus Imperator donarit; nec itidem ſimpliciter à libertate, ſed à palmitibus ſuis liberè quouis extendendis & propagandis, quod longè Latinæ vocis notionem excedit. Quamuis verò Vrancus, non Francus ſit vocandus, dabimus tamen hoc receptæ aliarum gentium conſuetudini, vt Francos quidem Allemannorum ritu dicamus; veritatem tamen in antiquitatibus inquirendis ex noſtra lingua æſtimemus. Non aliter autem in Franci nomine accidit atque in Germani, vt nouum videatur, cùm tamen ſit vnum de antiquiſſimis. Vt enim alibi docui, Germanorum nomen

Franci nomẽ eſſe vnum de antiquiſſimis.

apud Herodotum in exercitu Perſarum recenſendo inueniri ante multo quàm Romani Thungeros nouiſſent; ita iam demonſtrare conabor, apud vetuſtiſſimos Græcos non omnino ignotum fuiſſe præclarum Francorum nomen; tametſi nec notatio intelligeretur, nec ſatis perſpectum eſſet ad quam gentem pertineret. Primùm itaque, hoc quod modò oſtendi ſtatuto, quærendum, quinam rectè apud Græcos Vrancus ſcriberetur. Cùm enim V conſonante careant, alia ipſis littera in eius locum eſt ſubſtituenda; quam alij aliam acceperunt, & inter eos illi minimè mihi probantur, qui diphthongum ου loco eius ſubſtituerunt, pro Valerius οὐαλέριος dicentes. E diuerſo antiquiſſima linguarum affinitas mihi perſuaſit, recentiores Græcos optimè facere, dum pro V conſonante βῆτα ſuum ſubſtituunt, cuius lenior ſonus, qui nunc Græcis omnibus eſt in vſu, proximus videtur: quem ante quadringentos & plures eo annos ita placuiſſe video, vt illi etiam qui elegantiſſimè litteras Græcas pingebant, pro βῆτα figuram V conſonantis delinearint. Quamuis autem florentibus Græcorum & deinde Romanorum rebus ſonus ipſius βῆτα alius videatur fuiſſe, quod cùm ex aliis, tum ex voce *bini* apud Ciceronem nobili colligi poteſt; vetuſtioribus tamen & ipſi ſermonis ortui proximis vel duplex litteræ ſonus videtur fuiſſe, vt hactenus eſt Hebræis, vel is qui non longè à noſtra V conſonante diſcederet; cuius indicium eſt, ne pluribus exemplis ſim moleſtus, conuenientia harum vocum: Vis, Græcis βία; Vado, βάω; Volo, βούλομαι; Viuo, βιῶ; Voco, βοῶ; Voro, βοράζω; & id genus ceterarum. Quamobrem de priſca hac vocabulorum conſonantia, & recentiorum pronunciatione, & duplici ipſius Bet, cui βῆτα reſpondet, ſono, in eam venio ſententiam, vt pro certiſſimo habendum cenſeam, pro Vrancus βρέγχος dictum fuiſſe; qua in voce quare mediæ litteræ mutatæ ſint, Grammaticorum pueris in prima rudimentorum pagina diſcendum relinquo. Verùm hîc præuaricari in cauſſæ meæ defenſione videbor, ſi Lazij perquàm diligentis hominis teſtimonium negligam; cuius ea fuit ſententia, vt Brencos eoſdem cum Francis faceret: qua in re lubenter ei aſſentior ea quidem tenus, qua aſſertionem meam confirmat in Franci nomine Græcis litteris exprimendo. Si enim Brenci Franci ſint, quanto magis Branchus eſt Vrancus. Sed reiecta ampliore probatione eius quod cuiuis luce clarius eſt, illud videamus, ecqui Vranci ſiue Brenci in Pannonia habitarint, à quibus, vt Lazius putat, Vrancorum nomen ad poſteros ſit deriuatum. Do ſanè Lazio, quarto Geographiæ apud Strabonem legi, Brencos & Tenauos exteriora Alpium tenere, atque eos quidem Illyricos: at cùm vnicus hic locus Brencorum faciat mentionem, ſintque libro ſeptimo Breuci primi inter Pannonios enumerati, & Plinius doceat Sauum per Breucos fluere, ſitque apud Suetonium memoriæ proditum, Breucos in Pannonia à Tiberio ſuperatos fuiſſe, maiorem in modum vereor, ne quarto Strabonis libro lectio non ſit ſana quæ Brencos in Illyrico ponit: & vt Lazius audacter pro Breucis apud Plinium & Suetonium Brencos ſupponit, ita haud ſcio an contrà potius ſit ſentiendum, ſtandumque magis eo quòd plurium locorum apud diuerſos auctores lectione confirmatur, quàm quod vnicam dumtaxat habet ſuſpicionis cauſſam. Quid facilius quàm ex βρεύκων facere βρέγκων, ſolo Gamma in Pythagoræ litteram tranſeunte? Cùm itaque Strabo alibi Breucos in Panoniæ exordio collocarit, & Plinius & Suetonius calculos huic ſententiæ adiiciant, non video quid ſit cur vnica vnius loci ſcriptura, vt mihi videtur, corrupta permoueri debeã ad diuerſa ſentiendũ. Ptolemæus inter Vindelicos Breunos commemorat, quos eodem nomine Plinius in gentibus Alpinis agnoſcit; in quibus, ſi citra exemplarium fidem coniecturã facere fas eſt, lubentiſſimè Brennos legam, quos hactenus eam Alpium partem habitare ſcio quæ ad Vindelicos declinat; quorũ iugum cùm media bruma tranſirem, facilè ſenſi, non ſolùm flammam & ignem, ſed frigus etiam inſignem vrendi vim habere; atque idcirco vel à vetuſtis populis, vel ab vrendo, quod eſt Brennen / nomen accipere potuiſſe. Hactenus enim mons hic Brenner vocatur, quo is qui vrit notatur: quæ ratio populis fortaſſis olim meritò dabatur, quòd incendiis hoſtium agros vaſtarent. Brenno tamen veteri exercitus duci nomen ab eo datum puto, quòd parentes bene ominati pro gentis ſuæ moribus optarint hunc talem euadere, vt equitatu longè lateque hoſtium agros incurſaret; quod Berennen vocatur.

V conſonanti qua littera apud Græcos optimè ſubſtituatur.

βράγχος Græcorum, eſſe Vrancus Latinorum.

Brenci.

Breuci.

Brenni.

Brennen.

Brennus veteris exercitus dux vnde nomen habuerit.

Berennen.

Verùm

Verùm Breuni ne an Brenni ſint apud Plinium & Ptolemæum recipiendi, aliis, qui
acutiùs antiquitates peruèſtigabunt, iudicandum relinquo. Apud hos eoſdem auctores
Breucos inuenimus, à Breunis & nomine & loco diſtinctos, ad ipſum nimirum Saum
flumen; quod quia paludes plurimas facit, & loca aquis frequẽter ſtagnantia, quæ nobis
Bruecken ſiue Broecken dicuntur; non abſurdum dictu ſit, Breucos tranſpoſita diphthon- *Broecken.*
go, è Bruecis ſiue Brœcis nomen accepiſſe: quod tamen eo minus aſſero, quòd non hoc
modò Panlloniæ tractu Breucos reperiam, ſed ad Rhenum etiam; in cuius ſiniſtra ripa
ſupra Argentoratum Breucomagus deſcribitur, quod tamen opidum à Breucis eò, ne- *Breucomagus*
ſcio qua de cauſſa aut occaſione, tranſgreſſis conditum eſſe, vt nomen indicat, ita nihil
dubitem aſſeuerare. Beatus Rhenanus, diligens ceteroquin antiquitatum Germani-
carum inueſtigator, Brotomagum ab Ammiano Marcellino commemoratum opidum *Brotomagum*
Breucomagum Ptolemæi putauit eſſe, repugnante tamen ſitu locorum. Equidem
Brotomagum huius ſcriptoris idem prorſus credo cum Borbetomago Ptolemæi apud
Vangiones collocato, inferius tanto vt Argentoratum inter Breucomagum & Brobe-
tomagum interponatur in eadem fluminis ripa. Breucomagum verò Briſgauiæ mihi *Briſgauia*
videtur caſtellum, quod Briſergauue Luitprandus Ticinenſis dicit vocari: quod ego *etymon.*
ex Breucs-gauue factum crediderim; à quo primùm Briues-gauw; deinde Briſgau,
exempto C, factum ſit: quo Breucorum terra ſiue poſſeſſio denotetur. Gau enim per *Gau.*
ſyncopen id notat quod quiſque vt ſuum in regione quapiam tenet, quaſi Gehau: quod
moneo, vt illorum reiiciam ſtultitiam, qui Gau à γαῖα voce Græca deriuant. Antoni-
nus in Itinerario caſtellum huius ditionis Montem Briſiacum vocauit, nomine corru- *Briſiacus*
pto e Germanico Breucs-wac, quo excubiæ Breucorum ſignificantur: in quo litteram *mons.*
Latinis incognitam reiectam eſſe, nemo ſani iudicij admirabitur. Fuit itaque Briſaci
præſidium Breucorum aduerſus Allemannos, quos è Pannonia eò deductos eſſe qui di-
cet, me pedaneum ſuæ ſententiæ habebit, propterea quòd ſciam totam Rheni ripam
variis diuerſarum gentium præſidiis aduerſus Allemannorum impetus olim à Roma-
nis fuiſſe communitam. Neque igitur Rhenano in Breucomago, quod poſt Briſacum
eſt nominatum; neque Lazio in Breucis aſſentior: quorum hic, neſcio qua fronte, Pli-
nij, Suetonij, Ptolemæi, Strabonis lectionem vnius litteræ occaſione peruertit; quo an-
tiquam Francorum originem in Pannonia inueniret, atque falſam opinionem quam
ſibi perſuaſerat, aliis etiam obtruderet. Equidem plurima contra omnium ceterorum
ſententiam & ſcripſi & ſcribo, ſed abſit vt culpa mea vel vnus apex in auctore quopiam
ſimili temeritate aut mutetur aut tollatur. Duo nobis modò confecta ſunt, alterum,
ne Francorum origo ab Alpibus aut Pannonia aut Illyrico petatur; alterum, vt Lazio
etiam approbante nomen Vrancorum per Beta apud Græcos ſcribi poſſe dicatur.
Nunc igitur, cùm de ſcriptura dubitari nihil vlteriùs poſſit, ne id quidem obſcurum
erit, antiquiſſimam apud Græcos Vranci ſiue Branchi mentionem inueniri, tametſi
Φράγγος apud ſolos reperiatur recentiores. Verùm in primo mihi limine obiectum
iri video, nomen illud eſſe quidem apud vetuſtiſſimos auctores pro viri proprio, ve-
rùm nuſquam ad gentem vllam referri. Huic ego bifariam reſponderi poſſe cer-
no; ſemel, quòd nihil obſtet quò minùs idem nomen & viri propriũ ſit & gentis, vt in
Gallo & Germano licet videre; iterum, quòd plurimarum nationum nomenclaturæ
à proprio cuiuſpiam conditoris nomine ſumantur: cuius rei plura ſunt exempla, quàm
vt à me ſint indicanda. Verùm quò clariùs oſtendam hoc meum commentum non
eſſe quod de Branchorum apud veteres notitia dico, pars mihi eorum quæ ex Hero-
doto in Amazonicis adduxi, in medium proferenda. Narratur autem, inquit, ſi La-
tinè vertatur, Græcos tum in prœlio ad Thermodontem commiſſo victoria potitos,
Amazonas, quas viuas capere potuiſſent, tribus nauibus impoſitas abduxiſſe. Has
verò ex inſidiis, dum in altum eſſent euectæ, occidiſſe quicquid eſſet virorum. Sed
quòd naualis rei peritæ non eſſent, neque gubernaculis, neque velis, neque remigio
vti ſcirent, temerè ferebantur quò vnda & ventus tuliſſet. Appulerunt autem in pa-
lude Mæotide ad præcipitia quædam & promontoria regionis Scytharum, qui liberi *Francorum*
vocantur; vbi nauibus ad loca habitata perrexerunt. Hæc mihi quidem antiquiſſimi *apud Herodo-*
huius hiſtoriographi verba ſufficiunt ad ea quæ volo perdocenda; verùm qui propiùs *tum peri-*
omnia diſcutere & intueri, & ad Lydium lapidem examinare volet quæ deinceps de *phraſis.*

Francis à me tradetur, ei ſuadeo vt non otioſè hanc Amazonicorum ex Originibus meis partem perluſtret, atque diligenter omnia cum iis quæ vel à priſcis vel à recentioribus de Francis ſunt, conferat; quò cernat, an vſquam à via deflectam veritatis. Qui ſint Scythæ hi quos liberos vocatos eſſe, & ad Mæotidem habitaſſe Herodotus dicit, perſpicuum fiet cùm ex his quæ modò de Franci nominis origine explicata ſunt, tum ex illo Dionyſij de orbis ſitu ſcribentis loco quem in Gotodanicis citaui:

Τῆ μὲν πρὸς βορέην τετανυσμένα φῦλα νέμονται
Πολλὰ μάλ' ἑξείης Μαιώτιδος ἐς στόμα λίμνης,
Γερμανοί, Σαυρομάται τε, Γέται θ' ἅμα Βαστάρναι τε,
Δακῶν ἄσπετος αἶα, καὶ ἀλκήεντες Ἀλανοί.

Id eſt:

Hinc Boream verſus variæ multæque morantur
Gentes, poſt alias aliæ Mæotidos vſque
Oſtia; Germani, Samatæ, Getæ Baſtarnæque,
Hinc regio haud facilis Dacorum, hinc fortis Alanus.

Videtur mihi poëta in his verſibus eos primos enumeraſſe qui proximi Mæotidis ori, quo ſe in Euxinum effundit, habitarent; Sauromatis inde & Getis & Dacis adiectis, qui Iſtro eſſent propinquiores; à quibus paullo ſuperiores Baſtarnæ ſequebantur, vnde mox redit ad alios qui ad Septentrionem Germanis à Mæotide eſſent remotiores, & ab his rurſus ad Euxinum deſcendit. Sed hæc non vlteriùs nobis excutienda, quàm quoad vetuſtas quorundam Germanorum ſedes ad Mæotidis eam partem qua ſe in Euxinum exonerat, nobis oſtendunt. Quorundam Germanorum hîc ſedes poſitas à poëta propterea dico, ne quis tam deſcribendi orbis imperitum eum arbitretur, vt aliam Germanorum patriam, & eam quidem maiorem, ignoret. Sed præſtat vt altero eiuſdem auctoris loco hunc reddamus clariorem, in quo Hiſpaniam ſic deſcribit, vt ad Oceanum iacere dicat qui ab Herculis columnis ad Britannos & Germanos ſeſe diffundat:

ἧχι βορείου
Ὠκεανοῦ κέχυται ψυχρὸς ῥόος, ἔνθα Βρεττανοί,
Λευκά τε φῦλα νέμονται ἀρειμανέων Γερμανῶν.

id eſt, *frigidus vnde*
Arctoi Oceani ruit æſtus ad arua Britana,
Germanamque albam gentem, cui Martius ardor.

Quis hîc non videt alterius Germanorum regionis, quam omnes Geographi agnouerunt, claram fieri mentionem? Eſt itaque confitendum, vel ab Oceano ad Mæotidem vſque Germaniam fuiſſe porrectam, vel ad hanc ſaltem Germanos etiam quoſdam antiquitùs habitaſſe; & eos quidem extremo paludis fini proximos, ad quem promontorium eorum Scytharum Herodotus collocauit qui liberi vocabantur. Examinemus ergo quî hæc inter ſe conſentiant; &, quò id facilius fiat, ex Amazonicis & Gotodanicis ea repetantur quibus docui, hoc eodem loco gentem habitaſſe Cimmeriam diuerſis nominibus pro diuerſis vel inſtitutis, vel ſcopis, vel ſymbolis nuncupatam, & generatim quidem Scythicam à ſagittandi ſtudio dictam; in qua tamen quorundam confœderata ſocietas Sauromatas ſe vocauit, ab eo quòd inter ſe ſocij eſſent ad duriſſima quæque communi ſorte æqualique menſura perferenda. Inter hos nobiliſſimi illo ſe nomine à ceteris eximebant, quo libertatem eam profitebantur, qua non domi modò nullius dominio, ſed ne foris quidem vllius iuri adſtringi vellent. Hos igitur liberos Scythas Herodotus vocauit ad Mæotidis exitum habitantes, ad quos Amazones ex Euxino appulerunt; Dionyſius verò Germanos nominauit, quo nomine quid notetur, quamque parum reapſe à Francorum appellatione differat, & modò indicatum, & in Aduaticis latiùs quàm quidam delicatuli ferant, oſtenſum. Non eſt igitur mirandum, modò Germanos, id eſt, acquirendi congregandique auidos; modò Francos, id eſt, longè palmites ſuos propagantes ſeſe nominaſſe; quoniam eódem nomen vtrumque ſpectaret.

Germanos quoſdam antiquitùs ad Mæotidem habitaſſe.

Scythæ.

Sauromatæ.

Scythæ liberi ad Mæotidem paludem iidē qui Franci.

Quòd ſi Herodotus Francorum nomen expreſſiſſet quo ſe liberos profitebantur, quiuis facilè agnouiſſet, non tum demum nomen libertatem indicans natum fuiſſe cùm

ſe cùm Romanis arma inferrent, quo quod vocabantur id reapſe præſtarent, id eſt, nullius iure obſtante palmites ſuos extenderent. Liberi ſanè vocabantur quo tempore Halicarnaſſeus ſcriptor vigebat, ſed minimè Græca lingua, aut alia quauis quàm ſua ipſorum, quam Teutonicam illis in locis eo ipſo tempore fuiſſe in Gotodanicis copiosiùs traditum eſt, quàm vt operæpretium ſit eiſdem repetendis lectorem hîc demorari; & alioqui ſiquis illa legere dedignetur, ne hæc quidem ſibi cognoſcenda ducet.

Quamobrem, cùm ea lingua qua tum illius loci homines vtebantur, Franci liberi dicerentur; de quibus Scythis Herodotum locutum eſſe dicemus, ſi de his Germanis à Dionyſio eodem loco deſcriptis non ſit intelligendus? En vt antiqua hæc iis reſpondeant quæ ex Agathio & Procopio doceri poſſunt; quorum ea erat ſententia, vt qui Franci ſuo tempore dicerentur, olim fuerint Germani nominati: non tamen generatim omnes Germani Franci erant, ſed ij ſoli qui priùs ad Mæotidem paludem habitaſſent, pòſt inde ad Oceani littora progreſſi. Sicut enim Dionyſius alios Germanos ad Oceanum & in Hercinio ſaltu, alios ad Mæotidem deſcripſit; ita Trebellius Francos, Germanos, & Allemannos diſtinxit: Francos quidem pro iis accipiens qui ad Mæotim olim ſedes habuiſſent. Qua de cauſſa cùm Procopius ceterique dicunt Francos olim Germanos dictos fuiſſe, non eſt ſic veritas defendenda, vt generatim omnes Germani Franci vocati fuiſſe dicantur; ſed illi dumtaxat qui priùs Mæotici Germani fuiſſent, liberi Scythæ alio nomine vocati. Non igitur falſa ſcripſerunt illi qui Francorũ originẽ à Mæotide palude petunt, ſed in eo errarunt, quòd illic Sycambriam, neſcio quam, à Troianis conditam ſomniarint; cùm clarè conſtet ex Herodoto, liberos Scythas ſiue Francos antè ad Mæotidem habitaſſe quàm Troia obſideretur, nedum direpta à Græcis eſſet. Quæ enim de Amazonibus commemorat, antè accidiſſe narrantur quàm Græci ad Troiam veniſſe dicuntur, & id quidem tanto priùs, vt hîc liberi Scythæ commemorentur habitaſſe eo ipſo tempore quo Græcis bellum fuit cum Amazonibus; quod quis neſcit ad Herculis & Theſei ætatem referri, multo ante quàm Troia ab Agamemnone obſideretur mortuorum, ſi vmquam quidem temporum Græcus aliquis Hercules vixit, eos quos fabulantur labores exſecutus: quod equidem quàm non ſit credendum, in Hercule docebo. Ceterùm id modò non agitur: hoc ſaltem conſtat, antiquiorem Francorum nominis memoriam ad Mæotidem paludem fuiſſe quàm ea quæ ad Troiam Spartani Duces geſſiſſe narrantur, ipſorum etiam confeſſione Græcorum, qui ambitioſiſſimi fuerunt in antiquitate generis ſui & Herculi & deinde Troianis temporibus alleganda. Optaſſem ſanè Herodotum nomen ipſum quo ſe Scythæ liberos vocabant, expreſſiſſe: verùm licet id non fecerit, de loco tamen ipſo & de Germanis ibidem à Dionyſio Alexandrino conſtitutis perſpicuum eſt, hos eos ipſos fuiſſe qui multis pòſt ſeculis promiſcuè modò Germani modò Franci ſunt nuncupati. Accedit aliud & validum in primis & luculentum indicium, quòd omnium teſtificatione, etiam eorum qui Troianos maiores eorum faciunt, Franci primùm ad Mæotidem dicantur ſedes habuiſſe. Cuius igitur ſit impudentiæ aut in veriſimilibus oppugnandis pertinaciæ, negare alios olim Germanos ad paludis huius exitum, qua parte Bycis lacus influit, habitaſſe, quàm eos qui pòſt non Germanos modò & Francos citra diſcrimen ſeſe nominarunt, ſed inde etiam ſe genus & exordia ducere aſſeruerunt? Neque enim vel Procopius vel Agathius vel Paullus Diaconus vel ceteri omnino ſcriptores ex Herodoto & Dionyſio & nomen gentis & antiquiſſimas ſedes, vti ego, didicerant; ſed ex ipſis Francis percontando acceperant: quod niſi ſic eſſet, minime tam clara & grauia vetuſtatis teſtimonia neglecturi fuiſſent, ceteroquin diligenter occaſionem captantes qua ſeſe de id genus antiquitatis cognitione iactent. Non igitur ex Herodoto de liberis Scythis priſcam & Ogeniam memoriam referente, non de Dionyſio Germanos Mæoticos carmine ſuo celebrante; ſed ex ipſius gentis doctoribus in eam notitiam venerunt Græcorum recentiores, vt eos Germanos ante nominatos dicant quos Francos ætas ſua vocaret.

Franci ante bellum Troianum ad Mæotidem habitarunt.

Verùm quemadmodum Tacitus nomen Germanorum propterea nouum credebat, quia apud antiquiſſimos id non inueniſſet; ſic & illi qui de Francis ſcripſerunt, ob eam cauſſam Francorum nomenclaturam nouam putarunt, quia veteres auctores non

Germanorum nomen falsò nouum à Tacito dici.

admodum curioſè perlegiſſent. Si Tacitus Herodotum Germanos in Perſarum exercitu recenſentem vel legiſſet vel conſideraſſet, ſi Dionyſium Germanos ad Mæotim collocantem cognouiſſet, num litteris mandaſſet Germanorum nomen nuper additũ & inuentum fuiſſe? Non equidem opinor, niſi ſciens volenſq. voluiſſet ſimulare eorum ſe ignarum eſſe quæ apud hos veteres & ab omnibus laudatos didiciſſet authores. quod quàm ſit veritati conſentaneum, aliis examinandum relinquere malo quàm ipſe iudicare. Neque itidem vel Procopius vel Agathius diſſimulaſſet Francorum nominis antiquitatem, ſi vmquam illi in mentem ſubiuiſſet, qui'nam liberi Scythæ ab Herodoto commemorati fuiſſent. Deinde ſi poſteriores vel horum etiam æquales eadem qua nos diligentia ab optimis auctoribus hæc petiuiſſent, numquam ad illam veniſſent vanitatem', vt Francos origine Troianos pronuntiaſſent. Sed ſint hæc in aulicis, inter quos Procopius & Agathius fuiſſe videntur, toleranda; certè in iis qui ex profeſſione ſua omnium veterum ſcriptorum cognitionem habere debuiſſent, haud ſcio qui ferri poſſint. Stephanus de vrbibus ſcribens, Hiſtoricus'ne an Grammaticus haberi velit neſcio; hoc ſcio, parum eum lucis ad Francorum originem attuliſſe, qui contentus Parthenium Phocenſem teſtem aduocaſſe, Francos, quos φράγγυς ſcribit, Italiæ gentem fuiſſe dicit, ipſis Alpibus vicinam: quod quidem verum fuit eo tempore quo iam non Galliam modò omnem, ſed Inſubriam etiam & Venetiam tenebant; verùm nihil ad gentis primordia lucis hac notatione adferebatur. Melius ſanè Procopius, qui quamuis ad Mæoticum genus non perueniret, ad Rheni tamen oſtia, ad quæ prius quàm Romanis noti eſſent conſederant, originem deduxit; hac ſua diligentia non Stephano modò & Parthenio, ſed Agathio etiam præferendus: qui in Gallia eos quidem locauit, ſed vnde locorum veniſſent non adiecit; vnum hoc ſatis eſſe credens, quòd Germanos haberi indicaſſet.

Francorum nomenclaturæ antiquitas.

Verùm quia Herodotus ipſum Francorum nomen ſcriptis ſuis non intexuit, ſed eius notionem Græca voce expreſſit, poſſitque inde litigioſis hominibus, & nullius quàm ſua ipſorum inuenta amantibus occaſio dari tergiuerſandi, monſtrabo circa hæc ipſa, de quibus Herodotus agit, tempora Franci nomenclaturam à Græcis fuiſſe celebratam: Quod vbi fecero, quid vltrà erit cauſſæ, ob quam dubitari queat de Francorum ea antiquitate, quam ego nunc tandem poſt tot ſeculorum decurſum poſtliminij iure in integrum reſtituere conor? Vellem nobis quinquaginta Cononis ad Ptolemæum Philopatorem ſcriptæ narrationes exſtarent, aut ea ſaltem antiquitatum monumenta e quibus hic vir ſua deprompſit: è quibus fortè copioſiùs de vetuſta Francorum nobilitate diſſeri poſſet. Verùm quando fruſtra id genus vota concipiuntur, conſolemur nos iis

Franci nomenciatura à Conone celebrata.

Strymonis filij.

quæ beneficio Taraſij reliqua habemus: qui in eorum quos legerat librorum enumeratione ad Photium, ni fallor, patriarcham conſcripta, inter cetera à ſe perlecta, & à me dum Romæ eſſem in breue compendium ſiue potiùs indicem redacta, harum etiam meminit narrationum, quarum quarta tradit, Strymoni Thracum regi, cui Eionius fluuius olim cognominis fuit, tres filios fuiſſe, Brancum, Rhœſum & Olynthum; quorum Rhœſus quidem Priamo auxiliares copias adducens ad Troiam à Diomede iugulatur, Olynthus à leone in venatione occiditur; Brancus verò magno dolore affectus, Olynthum eo ipſo loco quo exſpirauerat mæſtiſſimus ſepeliuit: at cùm in Sithoniam veniſſet, vrbem condidit magnam & proſperis rerum ſucceſſibus beatam, quam Olynthum vocauit; quo & mæroris ſui & fratris cariſſimi æternum eſſet monumentum. Atque hæc quidem ſumma eſt eorum quæ Conon quarto ſuo ſermone Philopatori exponit: in quibus id in primis mihi annotandum, à Taraſio βράγγας ſcribi, non βράγγος: quod quamuis verear ne factum ſit errore eorum qui transſcripſerunt (vt magna eſt hoc ſeculo Græcorum ſcribarum non incuria modò, ſed etiam ignorantia) nolo tamen immutare, ſed bona fide quod in duobus exemplaribus inueni, ſed ab eodem archetypo ſumptis, lectoris iudicio ſummittere. Nec verò quicquàm rebus meis, quas molior, ex hac ſcriptura offertur impedimenti; immo contra opinio mea ex hac ipſa lectione plus capit firmitatis, eo quòd peculiarem quendam Francorum in loquendo morem noſtratibus omnibus in ore frequentiſſimum oſtendat, ex quo luculenta probabilitas

Gaſt.

rationibus meis accedit. Gaſt nobis hoſpitem vel conuiuio vel domo etiam exceptum ſignificat, vnde factum, vt nomen omnibus iis tribuamus quos volumus ſignificare

viros

viros eſſe egregios & honore dignos dicentes, Tis e gaſt/ quod nihil aliud eſt, quàm ſi Latinè diceretur, Eſt hoſpes; quo nos tamen vtimur non in hoſpite ſolùm, ſed in eo etiam quem perinde volumus atque hoſpitem honorari; vel quem dignum ducimus vt hoſpitio excipiatur. Nulla enim vmquam gens maiorem hoſpitalitatis habuit rationem quàm Germani, quod etſi de hac loquendi conſuetudine non liqueret, claram tamen haberet Taciti teſtificationem; cuius verba operæpretium eſt audire. Conuictibus, inquit, de Germanorum moribus loquens, & hoſpitiis non alia gens effuſiùs indulget. Quemcumque mortalium tecto arcere nefas habetur; pro fortuna quiſque apparatis epulis excipit. Cùm defecere, qui modò hoſpes fuerat monſtrator hoſpitij & comes proximam domum non inuitati adeunt; nec intereſt, pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumque, quantum ad ius hoſpitis, nemo diſcernit. Abeunti, ſi quid popoſcerit, concedere moris, & poſcendi inuicem eadem facultas. Gaudent muneribus, ſed nec data imputant, nec acceptis obligantur. Victus inter hoſpites comis. Hæc Tacitus, teſtis nec domeſticus nec pretio nec fauore corruptus, vtpote Romanus, & Germanorum reip. cauſſa iuratus hoſtis. Habuerint Græci Xenium Iouem, & quotquot viſum hoſpitalitatis numina; nuſquam tamen gentium tanta hoſpitij reuerentia quanta apud Germanos: quam religioſiſſimè à parentibus meis veterum more domum ſuam ab aliis longè ſemotam habentibus obſeruatam recordor. Verùm exterorum hominum vitia vnà cum externis mercibus inuecta paullatim hunc morẽ laudatiſſimum corrumpunt, dum quiſque vel Hiſpanus, vel Italus, vel neſcio quis non videri mauult quàm auis ſuis & proauis ſimilis; à quibus quantum recedimus, tantum à vera & germana Germanorum virtute degeneramus, qua deſerta & contempta, nihil miri ſi iis quos æmulandos nobis proponimus, ſeruire cogamur. Veſtes, linguam, omnem denique vitæ rationem externis moribus accommodamus, non alterius impulſu quàm ſtolidæ peregrinorum admirationis & leuitatis, indigniſſimæ ſeuera maiorum diſciplina. Quis ergo noſtram & vetuſtam Francorum tuebitur libertatem, ſi nos vltrò damus in ſeruitutem? Sed ſeruiamus, quando nihil hodie nobis gratius quàm ſeruire, moribus peregrinis, quos neceſſariò reliqua ſeruitutis mala conſequuntur. Conſideremus igitur nunc quid Strymon ſibi voluerit, dum filium natu maximum βεράγγας, ſiue Vrant gaſt/ nominauit; id eſt, liberum hoſpitem. Quid aliud quàm vt ei de nomine ſemper ſuccurreret, Francis maioribus ſiue liberis Scythis ſe natum eſſe; atq. idcirco perpetuò ſtuderet hanc libertatẽ, quam & à maioribus accepiſſet, & nomine ſuo præferret, promouere; ea tamen ratione, vt dignũ ſe præberet omniũ bonorũ hoſpitio: quod quid aliud eſt quàm vt ſic ditionem libertatemq. extenderet, vt ij quos imperio adiũgeret, non hoſtem, ſed hoſpitem omni honore & beneuolentia dignum experirentur? Dignũ ſanè nomen quo Muſæ maritus filiũ ſuum primogenitũ nũcuparet, tum vt libertatis perpetuò maiorum ritu propagandæ moneret, tum vt hortaretur ad illa ſtudia & vitæ inſtituta quibus homines conſequuntur vt amentur, & vbique ab omnibus veluti reuerendi & ſacroſancti hoſpites accipiantur: Quòd autẽ Tau finale Græcus ſermo reliquerit, id de ſua fecit vocum finiẽdarum formula, cuiuis notiore quàm vt egeat monitoris. Ex Vrant-gaſt igitur Vrangas factum, Græcis Βῆτα pro V conſonanti ſubſtituentibus, & in medio litteram tenuem in Gamma littera media occulentibus. Aptiſſima profectò vocabuli compoſitio, & ſermoni veteriq. Germanorum conſuetudini conuenientiſſima propter ſtudium & libertatis dilatandæ, & hoſpitalitatis ſanctè colendæ ſingulare. Quòd ſi Strymon hoc nomen filio dedit, cuius prior pars Vrant eſſet, negari non poteſt, ante bellũ Troianũ huius vocis vſum apud Thracas fuiſſe, quorũ ſermo cùm idẽ fuerit cũ Getico, & Geticus cum Germanico inferiore, vt in Gotodanicis demonſtraui, habitarintq. Germani ad Mæotidem eo ipſo loco quo Herodotus liberos Scythas locauit; qua fronte infitias ibimus, hos Germanos ſe lingua ſua Vrancos vocaſſe? Et hoc quidem ſatis mihi roboris habere videtur, quo Vranci nomen non magis nouum quàm quoduis aliud aſſeratur, cùm eius vſus ad tempora Troiano excidio ſuperiora ab idoneis auctoribus referatur.

Germanorum hoſpitalitas.

Auitos mores quid potiſſimum corrũpat.

Seruire exteris quid Germanos coëgerit.

Βεράγγας nominis etymõ.

Verùm quò hæc omnia plus ponderis accipiant, paullo accuratiùs in Strymonis genus inquirendum. Admiratione enim dignum videri queat, qui Thracum rex filio ſuo Francorum nomenclaturam voluerit indere potius quàm vel ſuam ipſius vel aliam quampiam Thracibus gentilẽ. De huius regis ætate non aliud legiſſe memini, quàm id quod

Strymonis ætas, imperij amplitudo, & monumenta.

quod ex filij ad Troiam cæde colligi poteſt. Interim ex iis quæ de Polymneſtore Thra-
cum tyranno circa eadem tempora regnante, & ab Hecuba ob Polydorum occiſum
excęcato feruntur, efficitur non totius Thraciæ imperium penes Strymonem fuiſſe. Ve-
rùm cùm Polydorus ipſe ſiue ipſius vmbra apud Euripidem declaret, hanc auariſſimam
Strymon fl. belluam in Cherroneſo regnaſſe, non eſt difficilis huius controuerſiæ explicatus. Stry-
mon flumen, quo quidam Macedoniam à Thracia ſeiungunt, tametſi ab aliis limitis
ius Neſſo tribuatur, clariſſimo ſuo apud omnes ferè Hiſtoriæ ſcriptores nomine ſatis
oſtendit, quouſque Strymonis regnum eo tempore fuerit extenſum. In Amazonicis
tradidi Treres origine Cimmerios eſſe, & ab iis bonam Thraciæ partem occupatam.
Horum ego regem Strymonem paullò ante Troianam obſidionem fuiſſe exiſtimo, & ſic
regnum dilataſſe, vt à littore Mæotico ad Ægæum vſque pertineret, atque inde Stry-
monem flumen nuncupatum, non ſecus atque Herculis columnas; quò Strymonis, qui
huc vſque plurimarum gentium & aſperrimorum montium victor pertigiſſet, memo-
riam conſeruaret ęternam. Non ſum oblitus me apud Apollodorum legiſſe, Herculem,
dum boues Gervonis ad Euryſtheum ageret, Strymonem, neſcio qua indignatione, la-
pidibus impleſſe; quo factum ſit, vt cùm antè nauigari potuerit, poſtea nequiuerit: Ve-
rùm id vel anticipationi attribui poteſt, vel reſponderi, magnam eſſe in Heroicis tem-
poribus confuſionem, in quibus omnia vel ad Troianum excidium, vel ad Thebas,
vel Argonautas referri videntur. At noſtra minimè refert quàm mendax Græcia in
fabulis ſibi conſentiat, hoc vnum agitur, vt demonſtretur Franci nomenclaturam
Troiana obſidione eſſe vetuſtiorem. Poëtæ, vt egregiè Iliadas ſuas ornarent, omnia vn-
dique hiſtoriæ veteris, quam per manus à maioribus acceperant, monumenta ad Tro-
iana figmenta congeſſerunt, parum ſolliciti quàm inter ſe temporibus concordarent.
Rhæſus à Apollodorus certè & Homerus & ceteri vates vno ore omnes Rhœſum ad Troiam
Diomede occi- veniſſe, & à Diomede, dum ſomno alto teneretur, occiſum aiunt: at Homerus Eionei
ſus. filium facit, Apollodorus verò & Conon & ceteri Strymoni ex Euterpe genitum ſcri-
Strymon idem bunt. Nobis in hac veterum diſſenſione id probabile videtur, Strymonem nomen ſibi
qui Eioneus. Græcum adſciuiſſe, quò oſtenderet ſe à littore Mæotico ad littus vſque maris Ægæi di-
tionem ſuam protuliſſe; eo quòd Græci Eiona littus vocent. Cimmeriorum enim illi
qui liberi ſiue Vranci vocabantur, littus Mæoticum olim tenuerunt, alio nomine paulo
patentiore Germani nominati; quorum cùm pars Thraciam occupaſſent, Treres ſe vo-
carunt, ea quam alibi docui occaſione. Eioneus ergo Græcum nomē eſt ab imperij lati-
tudine ſumptum, Strymon Cimbricū ſiue Germanicum: atq. hac ratione nulla erit in
veterum ſcriptis diſſenſio, dum alij vernaculū nomen, alij quod pòſt adſciuit exponunt,
non maior ſanè quàm ſi alius Africanum, alius Scipionem eundem virum nominaſſet.
Quoniam verò perpauca omnino de hoc Thracum rege memoriæ prodita reperio,
æquum erit vt iis vtar priſcæ veritatis indiciis, quæ de propriorum nominum rationi-
bus petuntur; quibus haud ſcio, dum cetera nos deficiunt, an quicquam poſſit certius
Strymonis no- inueniri. Quamobrem, ſicuti Brangas nomen Cimbricum eſſe deprehendi, ita
menclaturæ Strymon quoque ex eadem lingua explicetur. Strei idem nobis eſt quod contendo ſiue
ratio. pugno, quod conuerſum id notat cuius cauſſa omnis contentio inter mortales ſolet ori-
Strij. ri: quoniam Jerſt primum nobis ſignificet. In conuerſione autem ſt pro vna littera
Jerſt. duplice ferè accipitur, vt in Faſt & Staf/ Stach & Harſt/ & ſimilibus; qua de cauſſa non
permutatur ordo: quod non monuiſſem, niſi ſcirē non defore qui ſcrupuloſiſſime nouis
hiſce noſtris obſeruatiunculis obgannire nitantur; quorū cauſſa & illud addendū, à qui-
buſdā Strij ſcribi per duplex Iota, quod Græci non rarò per ὐψιλὸν tranſtulerunt, vt mi-
nùs mirandū ſit, ex Strei Strij factū Strei-man itaque, & prima vocali in quartam mu-
tata, quod frequens eſt, Strei-mon idem notabit quod vir factus ad pugnādum, ſiue vir
militaris, & nullum certamen detrectans. Eſt qui non agnoſcat dignam homine à Vran-
cis oriundo nomenclaturam? Eſt qui non videat, quàm vox hæc eum deceat qui & alio-
rum regiones inuadit, & omnes eos quos ducit, tales eſſe vult qualem ſeipſe profitetur?
Nec veteres tantùm quartam pro prima Latinorum vocali crebrò poſuerunt, ſed huius
Mon. etiam temporis Germani ſuperiores pro Luna, Mon dicunt, quam nos Man vocamus; &
Man. multa id genus alia ſimili modo permutant. Non ignoro hæc minutiora eſſe quàm vt
apud æquos homines moneri debeant; ſed quid facias moroſis ingeniis, quibus in hac

novitate

nouitate nihil ſatis firmum poteſt videri? Porrò quia nihil plus virium ad certum veritatis argumentum confert quàm demonſtrare noſtra non ſolùm inter ſe, ſed cum priſcis etiam conſentire, & eorum hiſtoriam elucidare; videamus, an ſicut pater & filius natu maximus, ita Rhœſus quoque Germanicam habeat appellationem. Rhees apud nos monſtroſæ magnitudinis hominem denotare nemo vel puerorum ignorat. Quod ſi monſtrauero hanc nomenclaturam adamuſſim cum priſcorum de Rhœſo opinione quadrare, quid ô iſti dicetis qui hæc omnia noſtra veluti vana repudiatis? Audiamus ergo patrem poëtarum, quò ex ipſo vera nominis ratio comprobetur. Apud hunc Dolon ſic eum deſcribit:

Rhœſi nominis notatio.

Θρήϊκες οἵδ' ἀπάνευθε νεήλυδες ἔσχατοι ἄλλων;
ἐνδέ σφιν ῥῆσος βασιλεὺς, παῖς ἠϊονῆος,
τοῦ δὴ καλλίστους ἵππους ἴδον, ἠδὲ μεγίστους·
λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.
ἅρμα δέ οἱ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ εὖ ἤσκηται·
τεύχεα δὲ χρύσεια πελώρια, θαῦμα ἰδέσθαι,
ἤλυθ' ἔχων· τὰ μὲν οὔτι καταθνητοῖσιν ἔοικεν
ἄνδρεσσιν φορέειν, ἀλλ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν. id eſt,

Qui modò venerunt Thraces, procul omnibus abſunt
A reliquis, in eis Rhæſus rex Eione cretus:
Cuius equos vidi pulcros, magnóſque supremè;
AEquales ventis curſu, niue candidiores;
Auro atque argento currus ſtat comptus ad vnguem;
Aurea ſunt arma, ingenti ſed mole videnti
Miraclum, quæ non hominum, verùm eſſe Deorum
Diuinis membris magníſque ferenda videntur.

Quis rogo te Homere docuit, tam aptè, tam conuenienter nominis rationi virum delineare? Vix ab ea perſuaſione diuelli poſſum, poëtam in Thracia multum verſatum fuiſſe, in qua facilè diſcere potuerit, quam Rhœſi nomen haberet ſignificationem; & idcirco armorum deſcriptionem totam ei accommodatam fuiſſe reor. Equos dedit pulcerrimos & maximos, quantos Neſtor fatetur ſe numquam inter Troianas acies vidiſſe. Arma verò non contentus monſtroſæ feciſſe magnitudinis, & admiranda iis qui viderent; eam adiunxit appendicem, qua omnem humani corporis excederent capacitatem, aiens Diis potiùs quàm cuiquam mortalium conuenire. Quanta autem Deorum corpora eſſent, Mars cadens demonſtrare poteſt; de quo ſic poëta, ſi rectè memini, ἑπτὰ δ' ἐπέσχε πέλεθρα πεσών. Vel nihil omnino eſt in omni veteris memoriæ latitudine claritatis, vel hoc mihi videor perſpicuum reddidiſſe, Rhœſum aptiſſimum nomen è priſca ſiue Vrancorum ſiue Germanorum habere lingua, quam Cimmerios omnes, & inter ceteros Threces vſurpaſſe, alibi ſatis clarè memini tradidiſſe. Apertiſſima eſt in Strymone ratio, & apertior etiam in Vrangas; ſed Rhœſi nomen nullam amplius relinquit dubitationem, niſi quis velit obſtinata & barbarica peruicacia etiam iis aduerſari quæ luce ipſa ſunt clariora. Dicitur verò Rhees/ pro ingentis & monſtroſæ magnitudinis homine, à Reis, id eſt, aſſurgo in altum: quoniam nimirum altiùs quàm ceteri mortales increuerit; qua de cauſſa liquet, noſtratem eſſe vocem, à præterito imperfecto, quod eſt Rhees/ de vernaculo nobis more deriuatam. Cùm igitur Strymon & Rhœſus & Vrangas veras nominum ſuorũ inuenerunt rationes, videamus an Olynthus quoq. Germanica voce nominetur. Hunc venationis immodicè ſtudioſum fuiſſe de mortis genere colligi queat; quam talem Conon prodidit, vt inter venandum à leone fuerit occiſus. Hoel-hunts is dicitur qui canibus totus addictus eſt, qualem eum eſſe oportet qui feris perſequendis ſemper inſiſtit. Pro dialectorum varietate alij Heel/alij Hoel dicũt: illud nobis, hoc Britannis frequentius; à quo Græcorum ὅλον manauit, quod noſtratibus deberi etymologia demonſtrat. Verùm de hoc alibi. Olynthus igitur, adſpiratione adempta, quæ non raró ob compoſitionis lenitatem reiicitur, ab Hol-hunts deriuatur. Vrangas verò lamentabilem fratris cladem miſeratus, ad æternam eius memoriam, quam ob ætatem & immenſam venationis aſſiduitatem needum rebus geſtis, patre ſuo maiorumque propagine dignis, illuſtra-

Rheeſ. *Reiſ.* *Olynthi etymon.* *Heel.*

Olynthi vrbis cõditor Vrangas.

illuſtrarat; vrbem condidit Olynthum nominatam, quam Demoſthenes multo pòſt orationibus ſuis nobilitauit. Stephanus Olynthum ab Herculis filio conditam tradit; è quo coniecturam facio, Strymonem Herculem quoque dictum fuiſſe, propter ingentem non bellicam modò virtutem, ſed ob ſingularem etiam gratiam, qua omnia barbariæ agreſtiſque vitæ monſtra ex iis regionibus ſuſtulit, quas imperio ſuo adiunxit: qua de re, præterquam quòd Herculis nomen meruit, hoc etiam apud Græcos eſt conſecutus, vt Euterpen vnam Muſarum vxorem habuiſſe celebretur, è qua Rhœſum & ceteros procrearit. Iterum atque iterum memoria repetendum, quanto ſtudio, quanta contentione poëta Rhœſi magnitudinem oculis ſubiicere laborarit; equos in primis ipſi dans maximos, deinde arma portentoſæ magnitudinis; mox, quaſi parum dixiſſet dum πελώρια dixit, adiungit miraculum ea eſſe ad videndum: nec hoc contentus, ſubiicit tanta ea eſſe, vt non videantur cuiquam mortalium, ſed Diis ipſis immortalibus ferenda, propter ingentem nimirum eorum molem; de qua rerum & vocis concordia factum, vt committere nequiuerim, vt non aſſererem, Homerum vel notitiam linguæ noſtræ apud Thraces aut alios accepiſſe, vel ab hominibus ſermonis eius peritis plurima interrogando didiciſſe, vel ſaltem fabulas has Troianas ex lingua hac primùm eſſe depromptas, propterea quòd videam hanc Rhœſi deſcriptionem ita cum nomine conuenire, vt impudentiæ eſſe videretur inſignis, quemquam hæc caſui tribuere velle, quæ tanta eloquentiæ vi poëta Rhœſo accommodauit. Sit ſanè, non intellexerit ipſe nomen; hoc tamen negari non poteſt, eam apud priſcos de Rhœſo opinionem fuiſſe, vt maior communi hominum menſura crederetur: & tanta corporis mole excedentes nobis Rhœſos nominari. Quis modò non videt, omnia ſic inter ſe conſentire, vt nulla omnino vel rerum vel ſermonis diſcrepantia queat inueniri: quando & Vrangas & Strymon & Rhœſus & Olynthus Germanicum eſt vocabulum, & res ſignificata hiſtoriæ prorſus concors? Quid ni igitur audacter pronuntiemus, & patrem & filios à Germanis ad Mæotidem habitantibus, ſiue à liberis Scythis, oriundos eſſe; & ea de cauſſa maximo filio nomen datum, quo Vrancorum memoria ſemper refricaretur, in eo præſertim cuius eſſet patrem maioréſque propagandis limitibus perpetuò imitari? Quòd igitur Dolon Rhœſum Thracum regem vocarit, id vel tribuendum perſonæ proditoris, quò claritate eius quem proderet faciliùs ſe liberaret; vel dicendum, tantam patris ditionem fuiſſe, vt non maximum tantùm natu filium regem faceret, ſed minorem etiam regno ornaret. Fuerunt itaque Franci in bello Troiano, vel illi ſaltem qui à Vrancis ducerent originem; ſed minimè iuxta illorum ſententiam qui nobis neſcio quem Bauonem comminiſcuntur; à quo longa ſerie Belgarum genus fabuloſiſſimè citra omnem veterum ſcriptorum auctoritatem deducunt. Euſtathius neſcio apud quos lègerit, à Pindaro proditum eſſe, Rhœſum primo die quo ad Troiam venit, acerrimè cum Græcis conflixiſſe: qua in pugna maximam Græci cladem acceperint; à qua narratione non eſt alienum illud Hectoris:

Euterpe Strymonis vxor, Rhœſi mater.

Francos bello Troiano interfuiſſe.

Η ἤδη χείρεσιν ὑφ' ἡμετέρῃσι δαμέντες
Φύξιν βουλεύουσι μετὰ σφίσιν. id eſt:
An noſtris domiti manibus nunc Martéque fracti
Conſilium capiant fugiendi?

Rhœſus qua occaſione interfectus.

Veriſimile ergo eſt, ſtatim ſimulac Rhœſus appuliſſet, Græcos à Troianis Thracum auxilio fretis inuaſos fuiſſe, & ſic cæſos, vt Troiani negligentiores excubias egerint, ac ferè Thraces locorum ignaros prodiderint; non illi quidem conſultò aut prudenter, ſed mala cuſtodia: cui incuriæ acceſſit error ille maximus in exploratore mittendo; qui, quò vitam ſuam ignauam ſeruaret, Rhœſum prodidit. Cetera quæ huc ſpectant, quæque de equis ipſius fatalibus feruntur, apud Poëtas cognoſcenda, inter quos Virgilius hæc paucula:

Nec procul hinc Rhœſi niueis tentoria velis
Agnoſcit lacrymans, primo quæ prodita ſomno
Tydides multa vaſtabat cæde cruentus:
Ardentéſque auertit equos in caſtra, priuſquam
Pabula guſtaſſent Troiæ, Xanthumq; bibiſſent.

Non eſt omnino annotatu indignum, apud Græcos Rhœſi nomen ἦτα in principio habere,

bere, apud Latinos verò diphthongum ex quarta & ſecunda vocali commixtam; quam diſcrepantiam Grammaticis relinquens ſuo arbitratu iudicandá, id vnum dico, vtráuis ſcripturá cũ lingua noſtra conuenire. Siue enim Rhoes/ſiue Rhees dicas, iuxtà intelligeris de homine loqui enormi corporis magnitudine monſtroſo. Et hæc quidem de Rhœſo.

Strymoni cur Euterpe vna Muſarum vxor aſſingatur.

CETERVM quid hoc ſibi vult, Strymonem liberos ſuos ex Euterpe vna Muſarum velut vxore ſua ſuſtuliſſe, ſi originis Germanicæ fuit, ſiue Scythicæ ab ipſa Mæotide repetendæ; ad quam non barbari modò, ſed omnium barbarorum barbariſmi habitare à Græcis putabantur? Quàm barbari fuerunt Getæ athanatizontes, quàm barbari reliqui Scythæ, immò cõtrà quàm omnibus Græcis ſapientiores, alibi tradidi: hoc loco ex ipſa Græcorum confeſſione liquet, Strymoni Thracum regi vnam Muſarum vxorem fuiſſe. Num igitur ſuſpicandum Thracem hunc barbarũ & ab omni humanitate alienum fuiſſe; an potiùs contra tanto ſcientiarum omniumq. virtutum ornatu præditum, vt maritus dignus Muſa videretur? Et quam Muſam ei coniugarunt? Nempe eam quæ omnis honeſtæ oblectationis mater eſt atque præſes, eaque de cauſſa Euterpes nomen ſortita. Quid porrò facit vt homines veris & honeſtis oblectamentis perfrui queant? Quid? Num aliud quàm illud, in ea hominum ſocietate verſari, in qua nemini ne quid iniquè ferat eſt timendum? quam talem eſſe oportet, vt boni honoribus & præmiis ornentur; mali, ſi qui ſint, pœnis caſtigentur; aut ſi caſtigari non poſſunt, tamquam putrida membra recidantur. Illa ſanè ſolida eſſet in vita voluptas, in eiuſmodi Rep. viuere poſſe, quæ ſi contingeret, vix ipſi paradiſo poſtponenda videretur, maximè ſi ab vno capite in hac omnium rerum æquabilitate contineretur. Quamobrem non aliud in Strymone Euterpe ſignificat, quàm eum regem fuiſſe omnium iuſtiſſimum & æquiſſimũ, ſumma prudentia regni ſui tranquillitatem ſemper & vbique ſpectantem, cui ſalus populi ſui in omnibus cogitationibus ſumma fuit votorũ; ad quam omnes ſuas curas, omnes certationes, omnia bella referebat. Quoniam igitur omniũ eius ætatis hominũ facilè princeps eſſet, tum bonarũ artium ſtudiis, tum populis regendis & cõponendis ad ſuauẽ vitæ cõmunis quietem; meritò eam dicitur vxorẽ habuiſſe, quæ veris hominum deliciis præſideret. Illud itaq. quod plurimis pòſt ſæculis Platoni placuit, vt penes philoſophum imperij ius eſſet, in hoc cernebatur ita clarè ab omnibus, vt nõ à ſuis modò, ſed ab iis etiã quos armis ſubegiſſet, Muſarũ connubio dignus iudicaretur. Hoc certè ſolum & vnicũ regiæ poteſtatis fundamentũ eſt & ſtabilimen, vtraq. re æquè valere, & ſapientia totius iuris inter homines diſpenſatrice, & forti animo ad rebelles & cõmuni hominum tranquillitati aduerſarios ad æquitatis leges cõpellendos. Abſurdũ enim ſit, eum naui præficere gubernatorẽ qui non de ſua ſcientia clauum tenere poſſet, verùm aliorũ arbitratu omnem curſum dirigeret, ipſe interim ignarus malẽ ne an bene officio ſuo fungeretur. Optandũ profectò, ſi vmquã aliàs, in his maximè quibus nunc vexamur & dilaceramur procellis, vt Muſæ regibus nubant, & eam prudentiam inſpirent, quæ turbas & diſſenſiones Reip. Chriſtianę exitium minantibus extremũ reducere poſſit ad pacem & tranquillitatẽ, iam olim feruidis piorũ votis fruſtra expetitam. Breuiſſimo cõpendio omnem tum bene regnandi diſciplinã, tum eam quæ inde in ciuitatibus conſequitur voluptatẽ hoc Strymonis & Euterpes coniugium cõplecti videmus, & vnà afferri inſpiciendum de contrariorum collatione, quàm triſtis facies ſit eius hominum ſocietatis, in qua ij qui gubernant, omnẽ Muſarũ amorem non cõtemnunt modò; ſed etiam veluti peſtilẽs virus oderũt, & quoad eius poſſunt è ciuitatibus pellunt & exulare cogunt. Liquet itaq. contentionem eam quæ Strymonis nomine ſignificatur, non aliò ſpectare, quàm vt tranquilla vitæ ſuauitate homines perfruantur, nihilq. vel ciuilis vel externæ moleſtiæ hanc dulciſſimam quietem perturbare poſſit. Neque enim, veluti iniquus dominus aut tyrannus, populum ſuum ſeruitute opprimere, tributis & vectigalibus exhaurire, lucroſis quadruplatorum & ſycophantarum calumniis in vitæ & fortunarum diſcrimen adducere ſtudebat; ſed contrà ad id ſemper ſumma contentione niti, quò omnes honeſta libertate citra licentiam gauderent, & filiis ſuis, non ſeruis, ſimiles eſſent; nõ ignarus Dei imaginem, qui omnium pater eſt in terris, regem præ ſe ferre, ſeq. patrem & paſtorem, non lupum, gregis ſui diuinitùs conſtitutum. His illud conuenit, primam ab ipſo prolem generatam à libertate nomen habuiſſe, extra quam nulla ſolida homini ſunt oblectamenta, quæ Euterpe nomine ſuo pollicetur. At veriſſima libertas in ſola illa homi-

Strymonis virtus & prudentia.

 num

num communitate cernitur, quæ ab vno iuſtiſſimo ſapientiſſimoque rege gubernatur: quod cùm vetuſtiſſimi hominum intelligerent, non aliam ferè quàm Regiam poteſtatem laudarunt: quod latius vel examinare vel exemplis docere alterius eſſet negotij, & illius quidẽ latiſſimè patentis. Satis ſit nobis, cauſſam commonſtraſſe ob quam Euterpe Strymoni Vrancgaſti patri nupſiſſe ſcribatur: quæ vt noſtræ quoque ætatis Regibus dotem ſuam adferat, Deum Opt. Max. precemur; quo omnes, vt Vranci ſumus origine, ita ſimus quod nominamur: id eſt, in ampla honeſtæ libertatis poſſeſſione à Rege, qui pater nobis & paſtor eſſe debet, conſeruati. Atque hæc quidem de Euterpe Strymonis coniuge, quæ vel ad allegoriam ſolam referuntur, vel hoc præterea indicat, Strymoni tam prudentem ſapientemque vxorem cõtigiſſe, vt Euterpe vocari & Muſis adſcribi omnibus omnium ſubditorum ſuffragiis mereretur: cuius quæ Cimbrica fuerit nomenclatura nec memini legiſſe, nec magni refert; cùm mariti & filiorum nomina ſatis oſtenderint cui genti tota hæc antiquitatis lux debeatur. Pergamus modò ad id quod agebatur, vt clarum nimirum fiat, huius nominis quo Franci vocantur, vſum iam olim ante Troianum excidium apud Cimmeriorum colonos fuiſſe; quorum partem ſi liberos Scythas Herodotus vocari ſcripſit, iam tum cùm Amazones primùm maritos adſciſcerent, quid ni aſſeramus, hos quos liberos dixit, ſua lingua Vrancos ſe nominaſſe, maximè cùm poſteà promiſcuè vel Germanos vel Vrancos eâdem gens ſe vocarit.

Verùm licet hæc abũdè ſufficere poſſint ad Vrancorũ originis antiquitatẽ illuſtrandã, altiùs tamẽ adſcendã ad primos natales, maximo veteris poëſeos & hiſtoriæ impulſu penè coactus. Qua in re, ne fabulæ principiò adductæ veritati officiant, ex hiſtoria apud omnes extra malæ fidei ſuſpicionẽ poſita exordiũ ſumam. Nemo eſt qui neſciat nõ minùs antiquum quàm celebre Branchidarũ oraculũ apud Græcos fuiſſe, quod æquè atq. Delphicum tum publicè tũ priuatim conſulebatur. Herodotus in ſua Clio eius in hanc ferè ſententiam fecit mentionẽ: Cumani autẽ ſtatuerunt deum Branchidarũ conſulendum eſſe. Erat enim illic oraculũ peruetuſtũ, quo Æoles Ionesq. vti conſueuerunt. Oraculum hoc in Mileſiorum agro ſitum eſt ad lacũ Panormum. Hæc ille de hoc Branchidarũ oraculo, cui quis deus præſideret, nõ expreſſit, tametſi eum in progreſſu narrationis regem appellet, quod ad Apollinẽ videtur referendũ; quia apud poëtas rex fere Apollo nominatur. Idem paullo priùs cõmemorat, Crœſum ad Branchidas oræ Mileſiæ quoſdam miſiſſe, vt oraculum de exitu belli quod contra Cyrum moliebatur, conſulerent. Quàm verò fuerit vetuſtũ non magis ſcitur quàm quo tempore vel Dodonęum vel Pythium conſuli cœperit; at quo tempore à Branchidis fuerit deſertum, ex hiſtoria conſtat. Xerxi enim Græciam inuadenti, Branchidæ vltrò templum ſuum cum omnibus theſauris tradiderunt, vt Strabo, vt Plutarchus, vt ceteri ſcriptis ſuis teſtantur. Mirum profectò, ſi quid aliud, ipſos ſacrorum præfectos ſacra ſua citra neceſſitatem, quam hiſtoriæ ſcriptores nullam cõmemorant, barbaro regi & ſolius ignis cultori prodidiſſe. Equidem ea quæ pòſt conſecuta ſunt, quæq. præmij remunerationiſq. loco à Xerxe petiuerunt, conſiderans, non poſſum non in hanc concedere opinionẽ, vt credam Branchidas vetuſtæ ſuperſtitionis & vanitatis Græcanicæ, quam ipſi contra conſcientiam ſuam lucri dumtaxat cauſſa alebant, tandem pertæſos occaſionẽ arripuiſſe qua liceret, dæmoniaca fraude prodita & deſerta, ad antiquiſſimas auorum ſedes commigrare, & in iis vnius Dei cultum adorationemq. reuocare; quam in Græcia nemo auſus fuiſſet profiteri, niſi ſimul mortẽ quoq. ſubire voluiſſet. Manſerunt illi quidẽ maioresq. ipſorum multis ſæculis in ſceleratiſſimo hoc dæmoniacæ fallaciæ quæſtu, ſed ſic videmus in id genus rebus ad religionẽ ſpectantibus frequẽter euenire, vt à ſuperſtitione in hominũ animis cõfirmata, & dira grauiũ pœnarũ cõminatione ſancita, tardiſſima fiat digreſſio; & ea quidẽ à pauciſſimis, quos videlicet diuina gratia benignitatis ſuæ lumine e tenebris euocarit. Habuerũt fortaſſis eo ipſo tempore quo Xerxes toti Græciæ imminebat, alias etiam ob quas ſic de rebus ſuis ſtatuerunt occaſiones, quas coniectura velle perſequi magnæ ſit vanitatis. Dæmonis certè mendacia & manifeſta in reſponſis impietas, qualis non rarò in ipſis deprehenditur, ingentem cauſſam habent ad totam ſuperſtitionem contemnendam & deteſtandam. Si Ariſtodicus, vnus Heraclidarum apud Cumanos Ioniæ, auſus eſt Branchidarum deo vrbano ioco illudere, & oſtendere quàm ſibi non conſtaret, quamq. impiè de Pactya reſpondiſſet, vt Herodotus refert: quid miri ſi Branchidæ aſſidui vanita-

Branchidarũ oraculum.

Branchidæ Xerxi cur têplum ſuum cũ theſauris prodiderint.

vanitatis oraculorum auditores dæmonem ſuum contempſerint, & vt fallacem impoſtorem, non vt Deum, æſtimarint, tandemque frequenti & perpetuo mendaciorum impulſu ad vetuſtam maiorum veritatem reſpexerint, à quibus per manus acceperant, vnum Deum cæli & terræ creatorem eſſe, eumque ſolum adorandum; eoque de impoſtore ſuo deſerendo cogitarint. Hæc vt exiſtimem ita habere, eo adducor, quòd videam, dum integrũ eſſet petere à rege aliam ſibi ſedem dari intimis regni penetralibus viciniorem, eoque commodiorem ad res ſuas promouendas & ad dignitates conſequendas, Sogdianam tamen ſibi elegiſſe, quæ longiſſimè gentiũ à Suſis & Babylonia abeſſet. Aliquid ſaltem fuiſſe quòd eos impulit ad id faciendum neceſſe eſt confiteri. Græci, vetuſtioris memoriæ ignari, credunt eos tam longinquam regionem petiuiſſe, quò ſecuriores eſſent à Græcis, quorũ Deum & oraculũ prodidiſſent: ne quando pœnas dare cogerentur. Egregium verò commentum. Num illis fortaſſe iam tum Alexander Macedo in animo verſabatur, cuius maiores illo adhuc tempore rebus Athenienſium & Spartanorũ longè lateq. florentibus in obſcuro latitabant, nullo numero apud Græcos computati. At ita fore vt aliquando Græcis pœnas luerent, Deus prædixerat. Illi videlicet qui dæmonẽ deſerebant & Perſis prodebãt ipſius theſauros, oraculo eius credidiſſent, & ſi credidiſſent, an non potiùs intima regni petiuiſſent, quæ nimirũ ſcirent accuratiùs ab hoſtili incurſu cuſtodienda? Vana ſunt hæc, & nullis nixa veriſimilibus coniecturis. Quamobrẽ aliam cauſſam fuiſſe ſentio quam explicare nitar. Indoſcythica noſtra demonſtrarũt, ad Paropaniſum poſt diluuium arcam ſeminarij humani hæſiſſe, & inde Nochũ egreſſum vitem inueniſſe in Margiana, cui Bactriana adiacet atque Sogdiana: Has autem regiones vnà cum omnibus iis quæ Septentrionẽ verſus porrigebatur, Iapeto obtigiſſe ſiue ſorte ſiue patris, quod credo, deſignatione. Viguit igitur his locis diutiſſime verus vnius Dei cultus, & omnis philoſophiæ occultioris cognitio, quã Magię nomine in Zoroaſtro antiquitas celebrauit. Branchidæ itaq. vt iam veteri rurſus maiorum diſciplinæ inhiabãt, ita locis iis quàm proximi eſſe cupiebant, in quibus eam adhuc quàm integerrimã eſſe opinabantur. Sogdianam igitur ea cauſſa elegerunt, quòd Bactriana Perſis vicinior plurimũ de finitimorum contagione ſuperſtitionis externæ imbibiſſet; Sogdiana verò Scythis incorruptis adhuc cõtigua ad priſcos vitæ ritus renouandos non paruũ momentũ habitura videretur. Hoc igitur quærebant, vt hominibus externos vel ritus vel mores necdũ amplexis proximi habitarent, & illorum vicinia & libertatem & priſcam viuẽdi conſuetudinem & acciperent & tuerentur. Iam quis eſt tam communis ſenſus expers, vt neſciat omnibus natura inſitum eſſe, vt antiquiſſimas maiorum ſedes admirentur & caras habeant, & ſi commigrandum ſit, earum maximè amore ducantur, quò vel in ipſis, ſi fieri poſſit vel ſaltẽ proximi commorentur? Apud Scythas autẽ Germanicam adhuc linguam eo tempore viguiſſe de Pharamanis regis Choraſmanum nomine coniectare licet, cuius in Becceſelanis dedi interpretationem. Hic cum mille quingentis equitibus ad Alexandrum iam Scythiæ fines ingreſſum venit, aiens ſe finitima Colchis & Amazonibus tenere, & Alexandro, ſi gentes ad Euxinum pontum habitãtes ſubiugare in animo haberet, ducem fore itineris, & in tota expeditione prouiſurum, ne cõmeatus exercitui deeſſet. Vnde liquet per amicas & ſocias gentes Pharamanem veniſſe, & Alexandri copias ducere cogitaſſe: quales ni fuiſſent, nec ipſe tã facilè ad Sogdianorũ vſque limites penetraſſet, nec neceſſaria Græcorũ exercitui ſuppeditare potuiſſet. Mihi ſanè omnẽ antiquitatẽ reuoluenti probabile videtur, Vrancorũ olim apud Scythas tantam fuiſſe vel potentiam vel dignitionẽ, vt à Mæotidis vſq. littore ad Sogdianos tutũ iter haberent. Quò autem facilius credam Pharamanem Vrancũ fuiſſe, facit tũ nominis ad Pharamondũ, qui multis pòſt ſeculis Francorũ rex fuit, alluſio, tum vicinia ea, quam cũ Amazonibus ſe & Colchis habere dicebat. Branchidas itaq. crediderim Sogdianam ſibi habitandã elegiſſe partim propter vetuſtam primorum parentum poſt cataclyſmum memoriam, partim vt eos haberent finitimos, quorum linguam eandem eſſe ſcirent qua maiores ipſorum vſi fuiſſent, quamque ipſi in arcanis apud Græcos, vt ſuſpicari lubet, ſeruaſſent, per manus nimirum ſemper acceptam. Conditum igitur hìc opidum tam diu tenuerunt, dum Alexander famoſus totius Aſiæ latro Oxo ſuperato Sogdianam direptum veniſſet. Is enim, neſcio quo furore irati Bacchi accenſus, totam gentem deleuit, vltus parentum ſacrilegium immani ſuæ crudelitati prætexens, quam Quintus Curtius ſic deſcripſit; vt

Branchidæ cur Sogdianam ſibi à rege petẽdam elegerint.

Pharamanes Choraſmanũ rex.

Alexander Macedo Sogdianam diripuit, et Branchidarũ gentem deleuit.

& ipſe damnare videatur, & aliis reddiderit abominandam. Huius verba, quoniam res non omnibus nota eſt, non abs re fuerit huc transferre: Peruentū, inquit, erat in paruulum opidum, Branchidæ eius incolæ erant, Mileto quondā, iuſſu Xerxis, cùm è Græcia rediret, tranſierant; & in ea ſede conſtiterant: qui tēplum quod Didymæum appellatur, in gratiam Xerxis violauerant. Mores patrij nondum exoleuerant; ſed iam bilingues erāt, paullatim à domeſtico externoq. ſermone degeneres. Magno igitur gaudio regem excipiunt, vrbem ſeq dedentes. Ille Mileſios qui apud ipſum militarent, conuocari iubet. Vetus odium miles gerebat in Branchidarum gentem. Proditis ergo, ſiue iniuriæ, ſiue originis meminiſſe mallēt, liberum de Branchidis permittit arbitrium. Variantibus deinde ſententiis, ſeipſum conſideraturum quod optimum factu eſſet oſtendit. Poſtero die occurrentibus, ad Branchidas ſecum procedere iubet. Cumq ad vrbē ventum eſſet, ipſe cum expedita manu portam intrat. Phalanx mœnia opidi circumire iuſſa, & dato ſigno diripere vrbem proditorum receptaculum, ipſosq. ad vnum cædere. Illi inermes paſſim trucidantur, nec aut commercio linguæ aut ſupplicum lamentis precibusque inhiberi crudelitas poteſt. Tandem vt deiicerent fundamenta murorum ab imo moliuntur, ne quod vrbis veſtigium exſtaret. Nec mora, lucos quoq. ſacros nō cædunt modò, ſed etiam exſtirpant, vt vaſta ſolitudo & ſterilis humus, excuſſis etiam radicibus, linqueretur: quæ ſi in ipſos proditionis auctores excogitata eſſent, iuſta vltio eſſe, non crudelitas videretur: nunc culpam maiorum poſteri luère, qui ne viderant quidem Miletū, adeò Xerxi non potuerant prodere. Hæc Curtius. Audiatur & Plutarchi Græci hominis de Græco rege iudicium. Eius, Bilibaldo interprete, hæc eſt ſententia: Nec Alexandrum & qui mirè eum admirantur ac amant, ex quorum numero nos quoque ſumus, laudare ſolent, quòd Branchidarum vrbem funditùs ſubuerterit, omnemq. ætatē penitùs exciderit; quoniam ab eorum maioribus Mileti templum olim proditū fuerat. Bene profectò Chæroneus amentem regis crudelitatem condemnat: ſed eſt ita ferè vt iuſtiſſima quæq gens diris tyrannorum tormētis maximè obiiciatur, quibus numquam deeſt quod immani ſuo furori prætexant, perinde vt ouem lupus ob turbatam ſibi aquam apud Æſopum deuorat. Ceterùm hæc de Branchidis ſatis ſunto; at ea nihil ad propoſitum noſtrum facient, niſi vlteriùs quæratur vnde Branchidarum nomen deriuetur. Quemadmodum itaque Romulidæ à Romulo, ita Branchidæ à Brancho dici videntur. Quamobrem vt origo gentis in lucem eruatur, neceſſe habeo inueſtigare quis fuerit Branchus, & quibus parentibus ortus. Græci, vti modò dictum, ea conſonante carent, cuius figura eadem eſt cum quinta Latinorum vocali. Loco autem eius Beta vtuntur, cuius apud eos, perinde atque Hebræos, duplex ſonus eſſe poteſt. Quod igitur nos dicimus Vrancus, illi *βϱάγχος* ſcriberent, nec aliter tamen quàm nos pronunciarent, ſeruato quodam idiotiſmo litteras alias ad ſonum aliorum cogente; qui notior eſt, quàm vt odioſè ſit pluribus explicandus. Non parum modò nobis effectum eſt à Branchidis ad Branchum, à Brancho ad Vrancum progreſſis, quandoquidem poſthac negari nequeat, priſcam eſſe Vrancorum nomenclaturam, quæ quid ſignificet, modò explicatum.

Branchidas à Branco ſeu Vranco dictos fuiſſe.

Branchus ſeu Vrancus quis, & quo patre genitus.

RESTAT vt quis hic fuerit Branchus ſiue Vrancus, inquiratur. Vt oraculum hoc Mileſium & antiquiſſimum fuit & celeberrimum, & ab omnibus vno conſenſu Brancho adſcriptum, ita in nullo ſiue Deo ſiue Dei filio plus obſcuritatis eſt apud ſcriptores. quod Lilius Gyraldus animaduertens, omnem dubitationem ad Lactantium Thebaidos commentatorem reiecit. Hic verò, ad octauum Statij librum, illa, ex neſcio quo diuinarum rerum Varronis loco, refert quæ nec Varronis dictionem ſapiunt, nec quicquam ſani habent explicatus: & adeò non faciunt ad Statij ſententiam adſtruendam, vt nonnihil aduerſentur. Branchum enim Smeti cuiuſdam, cuius pater Olus fuerit, decimus ab Apolline, filium ſtatuunt, ex obſcura & ignobili matre; cui hoc affingunt, vidiſſe eam in ſomnis per fauces ſuas Solem intraſſe, & per ventrem exiſſe, & ea de cauſſa filio nomen datum eſſe Brancho. Huius deinde oſculo ſic Apollinem delectatum fuiſſe, vt ipſam rapuerit; atque inde templum Branchiadon conſecratum Apollini Phileſio. Hæc aliis verbis expoſita qui apud Lactantium leget, facile cernet quam non bene compta ſit fabula vel verbis, vel rerum conſonantia. Statius templum ipſi Brancho tribuit, & Apollinem patrem eius aſſerere videtur.

Dum

Dum enim libro tertio complura, variaque oracula enumerat, huius etiam facit mentionem; ſed verbis perquam paucis:

——————patrióque æqualis honori
Branchus.

Strabo Machærei nepotem fuiſſe ſcribit; parentum propiorum nulla habita ratione; non aliam, vt opinor, ob cauſſam, quàm quòd nihil certi de iis comperiſſet. Idem libro decimo quarto latiùs de hoc oraculo, & quidem ſic, operæ vt ſit pretium ſententiam eius referre: Poſt Poſidium Mileſium deinceps Apollinis Didymæi apud Branchidas oraculum circiter decem & octo ſtadia aſcendenti offertur, quod templum à Xerxe incenſum eſt atque exuſtum, vt cetera omnia, vno Epheſio excepto. Branchidæ autem, quòd theſauros Dei Perſæ tradidiſſent, vnà cum ipſo iam fugiente diſceſſerunt, ne pœnas darent ſacrilegij & proditionis. Mileſij poſtea templum omnium maximum extruxerunt, quod ſine tecto permanſit ob amplitudinem. Certè ambitus maioris fani integram vici habitationem continet, intra & extra quem lucus eſt ſumptuosè ornatus. Iam alia fana ipſum oraculum & ſacra complectuntur. Hîc etiam fabulantur ea contigiſſe, quæ de Brancho & Apollinis amore feruntur. Hæc ille, in quibus nihil rurſus de Branchi patre. Lucianus Branchum ita depictum refert, vt formoſus adoleſcens ſaxo inſidens leporem manibus teneat, ad quem canis aſſultet, adſtet verò Apollo ſpectator & formæ & luſus. Nec hinc rurſus aliquid euidentioris notitiæ conſequimur; niſi quòd pictorem ingeniosè in lepore & cane & puero & amante luſiſſe videamus, eumque intelligamus de impudico amore Apollinem traduxiſſe, vt praua impiorum hominum ingenia abominandas ſuas cupiditates libenter Diis adſcribunt; quò eorum, dum id genus infanda & monſtroſa ſcelera committunt, ſimiles eſſe videantur. Quiſquis tamen flagitij huius turpiſſimi auctor fuit depingendi, non malè id indicauit, non aliud eiuſmodi amatores deliciis ſuis eſſe, quàm canem lepori: quamquam non ignoro quid lepori cum cynædis, & cani cum pæderaſte. Ad illud alluſit Terentius: *Tute lepus es, & pulpamentum quæris*; quod Grammaticis relinquo. hoc verò canes quotidiana ſua docent impudentia. Sed in malam rem hæc ſcelerum turpitudo. Modeſtius & propius vero illud eſt quod eſt apud Terentianum:

Paſtorem Branchum cùm captus amore pudico
Fatidicas ſortes docuit depromere Pæan.

Nos de hac caligine, qua natales Branchi apud vetuſtos ſcriptores inuolutos videmus, illud in certiſſimis habemus, Ogygiam prorſus eſſe huius fabulæ originem, atque idcirco exordium eius cauſſamque prorſus ignotam Græcis fuiſſe; inter eos tamen de vocis apud Græcos ſignificatu illud quod ex Lactantio retuli exſtitiſſe figmentum, dum eos omnis certior notitia defeciſſet. Aliàs non ſemel monui, plus priſcis fabulis ſubeſſe myſteriorum & antiquariæ cognitionis, quam à quoquam hactenus ſit explicatum. Orpheo certè communi omnium conſenſu fabularum veterum originem tributam eſſe omnes ſciunt, non poëtices modò periti, ſed omnes etiam ij qui vel primoribus labris humaniores litteras delibarunt. Hunc item Thracem fuiſſe omnes vno ore confitentur, quo perſpicuum faciunt, ab iis Orphicam ſiue mythologiam ſiue theologiam emanaſſe, qui Thracum lingua, quæ eadem cum Germanica fuit, vterentur. Inde illud eſt quòd Orphei ætatem non multo faciant Troiano excidio ſuperiorem: quòd nimirum circa ea tempora Græcia primùm litteris excoli cœperit, quarũ bonam partem Strymon & Tereus videntur inuexiſſe; & id quidem inuitis & repugnantibus: vt noſtra quoque ætate vidimus eueniſſe, dum primùm Græci Latinique ſcriptores à quibuſdam Strymonis imitatoribus inuitis Barbarorum ſcholis obtruderentur. Qua tamen in re falluntur, non aliter atque in Mercurio, credentes nomen Orphei proprium alicuius viri fuiſſe: quandoquidem, vt alibi indicaui, alibi latiùs docebo, Orpheus omnis is dici mercator qui aures format, & iis ita patrocinatur & præeſt, vt ea primùm inſtillet quæ maximè deceat vnumquemque ſcire; idque faciat ea moderatione, vt veritas ipſa, veluti caſta virgo, honeſta & decora ſtola veletur. Et Strymon itaque & Tereus & ſi qui his fuêre vel priores vel poſteriores (vt fuêre quamplurimi, tametſi nomina eorum ſint oblitterata) Orphei dici merebantur, tum præſertim dum fabulas, quibus vel hiſtoria ſacra vel aliud quippiam tegeretur, docerent. Quæ cùm ita ſint,

Branchi fabulæ Ogygiam prorſus eſſe originem.

Mythologia ſiue Theologia Orphica apud Thraces orta.

Græcia quando & à quibus primùm litteris excoli cœpta.

Orpheus quis dicatur.

non eſt quòd quiſquam nos aut veſaniæ aut vanitatis condemnet, ſi quæ de Brancho & Apolline conficta ſunt, ea ipſi veritati de Thracum ſermone applicemus, doceamuſque de quo fonte figmenta manarint; è quibus pòſt malè captis plurimi peſtilentes errores cacodæmonis fraude prauorumque hominum auaritia inſtigante profluxerunt. Si

Moſes veritatis ſcaturigo, antiquitatis norma & hiſtoriæ omnis amuſſis.

Moſen limpidiſſimam Veritatis ſcaturiginem, ſi totius antiquariæ cognitionis normam, ſi omnis denique hiſtoriæ amuſſim nuncupauero, nihil mihi videbor dixiſſe quo non ſplendidiora præconia mereatur. Hic dum prima gentium poſt cataclyſmum exordia ſtatuit, Nochum omnium patrẽ ſic inducit Iapeto filio ſuo natu minimo benedicẽtem: *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, ſitq́ Chanaan ſeruus eius.* Quid rogo hæc conſecratio aliud Iapeto promittit, quàm tã latè poſteros eius regnaturos, vt non ſua modò orbis parte ſe cõtineant, ſed ad aliorũ etiam regiones imperium ſuum proferant, habitentque in Aſia & Africa: quarũ illa Semo, hæc Chamo in herciſcũda vna totius orbis familia, paterna obtigit cõſtitutione. Quòd ſi de huius promiſſionis diuinæ Iapeto per patrem ſuũ ſancitæ fonte vox aliqua deriuanda eſſet quæ totam eam ſignificatu ſuo complecteretur, num alia commodior inueniri poſſet quàm Vrancorũ appellatio, quæ ſic eos depingit & exprimit, vt homines eſſe dicat palmites ſuos ramóſq. longè extendẽtes? Haud equidem video, niſi alius magis quàm ego Lynceus eam mihi cõmonſtret. Extendit vitis palmites ſuos, extendit arbor ſuos ramos; neutra quidẽ antè contẽta, quàm omnem latitudinem, cuius natura capax ſit, explerit. Qui cognationis gradus genealogiamq. cuiuſpiam gentis inquirunt, arborem facere ſolent, cuius ramos tam latè longéque diffundunt, quàm cognatorũ ſoboles ſeſe porrigit: eleganter illi quidem & ingenioſè id meditati, at longè elegantiorem in Vranci nomine ſimilitudinem expreſſam

Ranck.

videmus. Cùm enim Ranc non cuiuſuis arboris, ſed propriè vitis ramum deſignet; fit vt Francus is dicatur, qui perinde atque vitis longè latéque ramos in omnem partem diffundit; in quo quanta vis ſit, ipſa vitis natura demonſtrat,

Vitis natura & in arbores dominiũ.

cuius ego in hac regione, quantumuis vitibus iniqua, brachia dimenſus ſum quàm ſexaginta pedes longiùs à matrice trunco progreſſa. Quòd niſi putatione coërcerentur, quis tandem eſſet finis licentiæ? Iam videmus proprium vitis eſſe, ſic aliena inuadere, vt veluti domina omnium ſupremum ſemper occupet, & arborum ramos ſic vinciat, quaſi ſerui eſſent catenis alligati: tantaque ea in re vtitur licentia, vt quamuis collibus maximè gaudeat, nulli tamen arbori parcat; adeò vt & ſalices ad ipſas paludes & ſtagna vincula ferre cogantur: quod in Ferrarienſi agro & aliis locis Pado vicinis licet videre. Quid multis? hæc & longiſſimè ramos ſuos extendit, & omnes arbores, veluti earum regina, ſuperat; earum miniſterio, perinde atque ſeruorum, vtens; &, ne ſubterfugiant, vinculis etiam ar-

Vitis commoda & vtilitates.

ctis conſtringens. Et verò ſic eſt à natura optimo iure comparatum, vt ei plantæ omnes ceteræ ſubſeruiant, cuius fructus omnibus ceteris eſt excellentior & diuinior: vtpote qui eum liquorem hominibus largo cornu fundat, quo nihil ſuauius, nihil ſalubrius, nihil lætius, nihil ad vires corporis, nihil ad pectoris generoſum robur, nihil ad animi magnitudinem & ſublimitatem, nihil denique ad iucundam beatamque vitam aut præſentius aut efficacius. Huic igitur Iapeti conſecrationem maiores potiùs quàm alij cuipiam arbori conferre voluerunt; eo cuiuis naturæ rerumque ciuilium perito iudicantes, ſibi non ſecus inter homines atque viti inter arbores ius eſſe, vt omnium fines aliorum occupent, & ceteris hominibus tamquam miniſtris vtantur, ea tamen id lege, vt non mi-

Iapeti poſteri non minora munera quã vitis homin.b. contulerunt.

nus quàm vitis muneris hominibus, quos ſuperarint, rependant. Quid verò rependunt? bonos mores, humaniores diſciplinas, cõmunis vitæ tranquillitatẽ, omnia deniq. ea quæ ad bene beatéque viuendũ ſunt neceſſaria. Sic Cimmerij Græciam, ſic alias regiones & inuaſerunt & ſuperarunt: ſic Strymon Thraces vicinóſque, ſic alij alios vicerũt; vt victis ingens lucrũ, victoribus nihil præter laborẽ & negotia in rep. conſtituenda & ciuili vita formãda accederet. Quanto enim plures ditione ſua cõtinebant, quanto plures imperij ſui vinculis ſibi alligabãt, tãto plus beneficiorũ toti orbi largiebãtur. Et quorũ quæſo beneficiorũ? eorũ, inquã, quę pretioſiſſimo vino collata plus tamẽ habeãt diuinitatis, & tãto quidẽ plus, quãto animus corpore præſtãtior eſt & diuinior. Verum hic locus cùm ingẽs volumen poſceret, tum aliũ etiam oratorẽ, quò magnitudo beneficij, quod agreſtibus & feris hominibus præſtatur dũ ciuilibus vitæ inſtitutis adſueſcere docẽtur, pro dignitate exponeretur. Nobis ſufficiat aperire fontes, è quibus excellentiora ingenia & à ſapientiæ

ſtudiis

ſtudiis & dicendi facultate plus præſtitura, quantum velint haurire poſſint.

PORRÒ necdum illud attigimus; quod omnium eſt primarium, à Iapeti poſteris orbem in vnam iuris communionem ſic redactum, vt apta ciuitas videretur; in qua vera religio caperet exordium & augmentum. Cum enim Romani Ianigenæ potiſſimam Aſiæ & Africæ partem tenerent, Chriſtus naſci voluit, quo tempore Iapeti genus in tabernaculis Semi habitabat, & Chanaan poſteros ſeruitute premebat. Sed hæc alterius ſunt loci & conſiderationis; hîc illud agimus, vt nemo non clarè cernat, quàm apta ſit vitis & Iapeti comparatio, quàm ſignificanter Vranci nomen eam exprimat, quamque hæc ſacris litteris ſint conſentanea. Sanè ſi diuinum Moſen rogemus, nemini dicet concinniùs veriusque hoc nomen quàm Iapeto conuenire ſecundum eam quam habet in Cimmeriorum ſiue Ianigenarum lingua interpretationem. Primùm igitur Vrancum poſt diluuium dicemus Iapetum fuiſſe, & eum quidem ex diuina patris conſecratione ita nuncupandum, ſi æquum eſt vt illo titulo quiſquam honoretur, quo eximia & ſumma eius dignitas intelligatur. Poterant hæc quidem ſatis eſſe ad inſignem Vrancorum & vitis conuenientiam demonſtrandam; ſed non patitur ipſa veritas, vt hac ſola contenti ipſorum nominum concordiam, ceu conſideratione indignam, otioſè prætereamus. Vrancum eum dixi qui latè palmites ad morē vitis extendit; cui notationi ita vitis nomen reſpondet, vt eiuſdem rei det ſignificationem; iis, inquam, qui ad rectam ipſum rationem referre norunt. Wit enim, vocali longa, longum latumque ſignat: qua de voce Vitis habet nomenclaturam, propterea quòd & latiſſimè longiſſimeque inter arbores ſeſe diffundat, & eum fructum det, quo hominis animus inſigni & latiſſimo creſcat augmento. Varro vitem à vino ferendo deducit; vel, ſi id non placeat, quòd inuitet ad vuas percipiendas. Fac, bone vir, vt ita ſit; vnde vinum deriuabis? vnde ipſum illud inuito? vnde vito? Quid ſi doceam vito etiam propterea dici apud Latinos, quia Cimmerij quod longè lateque remotum eſt, Wit appellent? Vinum cur hoc nomen acceperit, Indoſcythica noſtra ſatis declararunt. At ſi quis contendat vitem dici, quòd viticibus in flectendo ſimilis ſit; eum rogabo, quæ ſit viticis etymologia: quam ſcio domi ſuæ numquam inuenturum. Vitex enim & vimen à noſtratibus etiam originem habet; quorum vtrumq. fit à Vit, quod eſt flexilibus ramis ſiue virgis quippiã contexo. Quamobre in vitis à Wit nobis vernaculo deriuatũ, cùm ipſam naturam, tum conſonantiam indicat, quæ inter ipſius & Francorum inuenitur propagationē. Numquid inueniri queat concinnius vel rebus vel nominibus, quàm hæc ſit Francorum ad vitem conformatio, cum qua non minus reapſe quàm nominis origine conſentit? Iapetus ergo optimo iure de patris conſecratione Vrancus eſt nominatus, quòd latiſſimè & genus ſuum & imperium inter mortales, perinde atque inter arbores generoſa vitis, extendat. Ceterùm quia licet veriſſimam & cuiuis noſtratium facillimam ad intelligendũ, inauditam tamē hactenus huius vocis interpretationē prodo; non malè fecero ſi hanc vitis & Iapeti cõparationē cum priſcis ſapientiſſimorũ hominum obſeruationibus & indiciis ad vnguē quadrare monſtrauero. Eſt quiſquam vel inter Platonicos, vel inter veteris hiſtoriæ peritos, vel inter Chriſtianos etiam cui aliud quippiam notius ſit, quàm penes Magos olim ſummam ſapientiæ arcem fuiſſe? Atqui hi Aſtyagis ſomnium, quo filiam ſuam Mandanen vitem parere viderat quæ totam Aſiam occuparet, ſic ſunt interpretati, vt regnum ei qui naſceretur pollicerentur. Bene quidē Magi, ſed non admodum neceſſariò Aſtyages in re apertiſſima mihi videtur eos conſuluiſſe: quando ſatis luculentum indicium tum de vite, tum de ampliſſima eius per Aſiam propagatione dabatur, quid ex eiuſmodi partu exſpectandum eſſet. Quemadmodũ autem Cyro Mandanes filio diuinũ hoc ſomniũ totius Aſiæ imperium promittebat, ita Iapeto non Aſiam tantùm, ſed Europam etiã & Africã Nochus verbis ſuis viſus eſt inaugurari: qua de cauſſa quid miri, ſi Brãchi nomen, id eſt, vitis late extendentis palmites ſuos acceperit; ne vllo vnquã tēpore tantæ promiſſionis memoria apud poſteros interiret? Nõ poſſum ſatis diuinæ bonitatis admirari infinitatē, quę inter cetera erga mortales beneficia hoc etiã illuſtriſſimũ prouidētiæ ſuę documentũ tanto ſæculorũ interuallo prius à Moſe litteris mandari, & à Cimmeriis fabulis intexi, & allegoriis tegi voluit, quàm quiſquam mortalium cõiectare poſſet, Romanos Ianigenas rerũ per orbem vniuerſum potituros. Alij aliunde ſibi petant ſtudiorum oblectamenta; animo certè meo nõ aliud ſuauius pabulum inuenio, quàm priſcam

Franci ſiue Vranci nomē nulli verius quàm Iapeto conuenit.

Vitis vnde nomē habeat. Wit.

Vit.

Vitis & Iapeti comparatio.

Aſtyagis ſomnium, in quo vitis regnum ſignificabat.

hanc Moſis & Orphicorum conſenſionem, qua nihil video validius, inter ea quidem quæ humano ingenio conſequi poſſumus ad contundendam Atheorũ peruicacitatem, quæ indies tanto maiorẽ Chriſtianæ meſſi calamitatem minatur, quanto plus alimenti capit è ſcelerum in omni ordine ſuperiore effrenata licẽtia graſſantium rabie pluſquàm belluina; qua peſte nullum eſt inferiorum hominum animis capitalius periculũ, nullũ lethalius venenum; eo quòd longè efficaciùs & penitiùs in hominũ animos facta quàm dicta penetrare conſueuerint, tametſi vt contrà fieret ipſe Chriſtus imperarit. Sed quid ego Magos hîc commemoro? An non & ipſæ ſacræ litteræ eâdem vtuntur comparatione? Dauid eo hymno quo Deum timentibus felicitatem promittit, inter cetera ſic habet: *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Quid quòd ipſe ſeruator noſter Chriſtus ſic videtur hanc Nochi benedictionem explicare, vt ſeſe Nochum faciat atq. vitem; Apoſtolos verò palmites, quorum latiſſima per omnes gentes extenſione regnum ſuum erat extenſurus, perinde atque per Branchum Nochus? Sanè Nochus Chriſti typum geſſit, nec abſurdum ſit, ſi latitudo generi Iapeto promiſſa, imago ſit latitudinis Chriſtianorum Ianigenis regnantibus futuræ.

Iapetus quid cum Apolline commune habeat.

Apollinis nomenclaturæ ratio.

CETERVM quid Iapeto cum Apolline? Nihil profectò, ſi hoc nomine perinde ac vulgus abuſi eum cacodæmonem accipiamus, qui Delphico & Didymæo oraculo miſeris mortalibus imponebat. At ſi de Orphico ſermone Apollinem ad veram nominis rationem intelligamus, longè aliter ſentiendum: propterea quòd Apollo is ſit qui res à caliginoſo antro liberat, quaſi Aph-hol-los diceretur, vt cùm in Gallicis, tum alibi latius oſtendam. Apollo itaq. is dicitur qui aperit occulta & ab antro tenebroſo; quæ vox ſi diuinis applicetur, propriè conuenit Spiritui ſancto; ſi corporibus cæleſtibus, Soli; ſin creaturis rationis capacibus, ei vel angelo vel homini tribuenda, cui Spiritus ſanctus gratiam ſuam infundit ad occulta reuelanda. Nemini igitur mortalium poſt diluuium

Nochus conuenientiſſimè Apollo dici poteſt.

dari potuit conuenientius hæc nomenclatura, quàm ipſi Nocho; qui omnẽ ſcientiam, omnem artem, omnem hiſtoriam, omnia denique diuina humanaque ſuis filiis & nepotibus reuelauit: non illa quidem tantùm quæ præterierant, ſed illa etiam quæ multis pôſt ſæculis eſſent futura; vti ſatis perſpicuum eſt in ea quam adduxi Iapeti conſecratione. Non immeritò igitur iactatus eſt Apollinis erga Branchũ amor quidam eximius & ſingularis; propterea quòd Nochus ex ipſa benedictione ſatis cõuincatur hunc plus

Apollinis & Branchi fabula explicata.

ceteris filiis amaſſe, cui plus gratiæ fauoriſque contuliſſe ſcitur. Quamobrem qui hanc hiſtoriam, & hanc prærogatiuam Iapeto à Nocho conceſſam ad mythologiam tranſtulerunt, tradiderunt Branchum Apollini in deliciis fuiſſe: quæ fabula non aliud habet veritatis velamen, quàm nominum propriorum in illas voces commutationem, quæ ſingulares in iis quos ſignificare volebant, dotes denotabant. Ab hoc igitur Brancho cùm in Caria locus conſtitutus eſſet, in quo ea quæ ad religionem veramque pietatem pertinerent, docerentur; voluiſſetque ad prærogatiuæ ſuæ memoriam ipſos doctores Branchidas vocari, quia & Branchi genus eſſent, & Branchi doctrinam & ſequi & tradere deberent, eſſetque in primis inſtitutis, atque adeò omnium præceptorum ad hominum conuictum pertinentium caput, vt mutuo amore omnes inter ſe deuincirentur,

Oſcula Branchidis frequẽtata.

Apollo Phileſius.

atque, quò memores eius eſſent, iuſſiſſet quotidianis oſculis amorẽ hunc teſtari, cuperetq. omnem honorem ad patrem ſuum referri; factum eſt vt hîc Apollo Phileſius coli diceretur. Nam cui dubium, quin Nochus, quòd totus diuino amore flagraret, vbique inter homines pacem, concordiam, vnionem, amoremque prædicarit, & idem tradiderit filio faciendum? Nouæ & æternæ legis magiſter, cuius ille typum gerebat, quid aliud quàm pacem amoremque perpetuò cantat? Nec mirum videri debet, certatim

Pacis oſculũ inter Chriſtianos.

oſcula à Branchidis in ritibus ſacris dari ſolere, cùm idem hactenus apud Chriſtianos duraret, niſi turbæ vitandæ cauſſa inſtitutum eſſet, vt eandem crucem omnes oſcularentur; quo facto viderentur omnes inuicem oſculati fuiſſe. Verùm optandum vt pauciora oſcula Iudæ in templis Deus conſpiceret; qualia & olim inter Branchidas fuiſſe non temerè ſuſpicamur, vtpote æquè atque nos homines. Quemadmodum autem animaduertimus noſtro hoc æuo plurima inſtituta, plurimaſque cærimonias ab optima rectiſſimaque via ad neſcio quas ſalebras & offendicula declinaſſe, ita Branchi-

Branchidarũ oraculi corrupti occaſio.

dis quoque vſu quondam venit. Nam cùm viderent corruptos hominum animos ad ſuperſtitionem quàm veram religionem, ad fabulas & nugas quàm ad ſolidam veritatem

tem proniores; rationem excogitarunt, qua ſimul & vulgò eſſent in admiratione, & ſibi vberrimum facerent quæſtum. Deſerta igitur Nochi & Iani doctrina, ceu parum vtili & lucroſa, mercatum mendaciorum aperuerunt, commenti Apollinem hominibus futura prædicere, ſi donis placaretur: nec minùs ipſius filium Branchum muneribus induci ad futurorum prædictioné. Huic impoſturæ cacodæmon mendaciorum pater ſtatim fauit, ſubſeruiens hinc ſacerdotum auaritiæ, hinc conſulentiũ vanitati. Quàm verò omnes mortales auidi ſint futura cognoſcendi, vitio à primis parentibus, qui Deo ſimiles eſſe volebant, cõtracto; quis eſt qui queat ignorare, modò Adamum ſuum interiorem conſulat? Nuſquam liberaliùs ſumptus fit, nuſquam magis prodigi ſumus quàm vbi hæ nugæ venduntur; & nulla ad hunc quæſtum faciendum procliuior via eſt quàm ea quæ per ſacra religionemque ducit: quod vt apertiſſimum eſt vel ipſis pueris, ita exemplis non eſt docendum, ne quorundam aures offendantur. Hinc igitur oraculum Mileſium, hinc Dodonæum, hinc alia. Hoc modo è ſcholis veritatis factum eſt emporium mendaciorum: hac ventum eſt à vera religionis intelligentia & profeſſione ad dæmoniacam ſuperſtitionem, & fœdos de diuinis rebus errores. Mirum eſt quàm arctum ſit vinculum cacodæmonis & auari pectoris, quamque faciles ſint & præcipites mortalium animi ad perfugiendum è caſtris Dei ad Mammonæ ſigna. Demiror Petrum Crinitum & quoſdam alios profeſſione Chriſtianos ſtolidè Academicis, Iamblicho præſertim & Porphyrio, credidiſſe; Sibyllam apud Branchidas, vt ipſi volunt, occulto quodam terræ ſpiritu afflari ſolere, quo concepta oracula promeret. Admirabilem profectò vim terræ, quæ cùm ipſa bruta ſit & inanimis, ſic tamen animos moueat, vt quæ non didicerint vates neque ſciant, ea carminibus heroicis effundant. Aliis hæc auribus, non meis canantur: vno verbo, Cacodæmoni oracula adſcribenda, non naturæ; iis exceptis, quæ diuino afflatu edita fuerunt. Et quamuis quædam vera ſint, è tripode Delphico aut Didymæis adytis de diuinis rebus prolata; ea tamen ſic capienda, vt credantur vel à cacodæmone reddita, quò in ceteris faciliùs falleret, vel coactu diuino impuris ſpiritibus extorta. Eius generis illud eſt quod hic falſus noſter Apollo Politæ cuidam reſpondiſſe fertur:

Oraculorum cauſſa auaritia & futurorum cognoſcendorum auiditas.

Oracula Cacodæmoni adſcribenda.

Ψυχὴ μὲν μέχρι οὖ δεσμοῖς πρὸς σῶμα κρατεῖται
Φθαρτὰ νοοῦσα πάθη θνηταῖς ἀλγηδόσιν ἥκει,
Ἡνίκα δ' ἀνάλυσιν βροτέην μετὰ σῶμα μαρανθὲν
Ὠκίστην εὕρηται ἐς αἰθέρα πᾶσα φορεῖται·
Αἰὲν ἀγήραος οὖσα, μένει δ' εἰς πάμπαν ἀτειρής·
Πρωτόγονος γὰρ τοῦτο θεοῦ διέταξε πρόνοια.

Quod nos rudiuſculè ſic vertebamus:

Donec corporeis vinclis mens ſtricta, nihil quàm
Viſa videt peritura, ærumnis cedit; at inde
Corpore corrupto, cùm ſe inuenit eſſe ſolutam,
Æthera tota petit, nullum peritura per æuum:
Namque Dei primo genita id prudentia ſanxit.

πάθη, vt Ariſtoteles, pro imaginibus rerum accipio, & cum Cicerone viſa appello. Huic vaticinio ſimilia pluſima ſunt, in quibus, vt hîc, de filio Dei; tum etiam de Spiritu ſancto clara teſtimonia reperiuntur, & multa alia ad humanæ ſalutis & veritatis ſpectantia cognitionem: verùm illa vel inuitis dæmonibus iuſſu diuino imperata, vel propterea prodita vt impoſturis ſuis plus fidei conciliarent. Nunc itaque quis Apollo inter homines, quis Branchus fuerit nominatus, & qua inde occaſione abominanda ſuperſtitio ſit enata, perſpicuum feci; quam ipſi poſtea Branchidæ videntur prodidiſſe, diuino quopiam afflatu aut tædium aut pœnitentiam ſcelerum inſpirante.

Verùm video mihi obiectum iri, ea quæ de Apolline dixi non conuenire cum Apolline Didymæo, cuius hoc templũ fuiſſe ſcribitur. Nec equidẽ id aſſero, errores fanaticos Græcorum perpetuò cum primis fabularum originibus concordare; quin contrà aſſero, quamlongiſſimè plerumque receſſiſſe, vt hoc loco ab hominibus ad dæmones veritatis larua deuenit. Sed quò breuiter curioſis hominibus ſatisfaciam, id operæ pretium fuerit annotaſſe, nomina huius generis ſacra variè ſolere in vſum venire. Aliud enim Theologi per Apollinem intelligunt, aliud Phyſici, aliud hiſtoriæ ſcriptores.

Phyſici enim Solem Apollinem vocant,quia nimirum omnia occulta & in tenebris poſita reuelet, hac dote longè omnibus aſtris ceteris præferendus. Eundem Didumæum dixerunt veteres, vocabulo ab Orphicis illo quidem petito, ſed à nemine aut Græcorum aut Latinorum intellecto. Macrobius ſcribit idcirco Didymæum dici, quòd geminam ſpeciem ſui numinis præferre putaretur, illuminando formandoque Lunam: etenim ex vno fonte lucis gemino ſidere ſpatia diei & noctis illuſtrantur. Vnde & Romani Solem ſub nomine & ſpecie anni, Didymæi Apollinis appellatione venerabantur. hæc ille: in quibus quod de gemino lumine philoſophatur, vt nihil ad Bacchum, ita nihil ad Didymæum: cùm nomen hoc, haud ſecus ac Apollinis, de vernacula Thracum lingua ſiue Cimmeriorum ſit petitum. Apud alios ſcriptores quæ huius appellationis cauſſa ſit, non memini diſputari; cùm id interim mirum videri poſſet qui Mileti potiùs quàm alibi Didymæus vocari conſueuerit. **Dien** vocali priore longa turgere, ſumere incrementum à centro ad exteriora, attolli, promoueri, aut feruore quodam intumeſcere, vti in pane fit fermentato. Hinc **Didum** eſt feruoris intumeſcere facientis effectus, ea formula qua à **Rijc** fit **Rijcdom** / à **Wijs Wijsdom**; id eſt à diues diuitiæ, à ſapiens ſapientia. **Maet** verò per diphthongũ menſuram ſignat. Quo fit, vt **Didummaet** nihil aliud ſit quàm rei feruore quodam intumeſcentis vel cuiuſpiam ſe promouentis & res ſuas augentis menſura. Amplæ enim ſignificationis eſt ipſum **Dien**/ ad omnia illa quæ quouis ſe modo ad maiora & meliora promouent, extenſum. Dicat ergo nunc nobis Apollo arcanorum omnium veriſſimus reuelator, qua de cauſſa Didymæus à Branchidis ſuis voluerit nuncùpari? Si theologicôs de Apolline loquamur, facilis eſt & perſpicua ratio ob quam hoc nomen detur. Quis enim alius mentem noſtram efferueſcere facit, & ad maiora ſe attollere quàm Spiritus ſanctus, diuino ſuo calore nos accendens? cuius beneficio animus noſter infinito ſe maior reddatur, & à terrenis anguſtiis ad cæleſtem amplitudinem ſe extendat; idque ad menſuram gratiæ diuinitùs conceſſæ, prout **Didummaet** / vnde Didymæus, nobis ſignificat. At in naturali rerum conſideratione Apollo Sol eſt, qui calore ſuo omnium eorum quæ generationi ſubiecta ſunt incrementa, & promouet & obliquo ſuo curſu metitur; quod Ariſtoteles cùm intelligeret, penes eum eſſe ſcripſit maximas generationis & corruptionis cauſſas; huius, cùm diſcederet ad inferius hemiſphærium; illius, cùm accederet. Accedens enim calore ſuo omnia promouet, & ad iuſtum modum dilatat & extendit; recedens verò contrà claudit & comprimit omnia; id eſt, à frigore, quod tum non amolitur & depellit, claudi premique permittit. Ipſe enim ſemper calorem ſubminiſtrat, tametſi non eiſdem locis, ita vt numquam deſinat eſſe, id quod dicitur, Didymæus. Sed hæc phyſicorum pueris diſcutienda relinquo, apud quos facilè perſuaſero penes ſolem eſſe iuſtam omnis generatorum promotionis menſuram, atque idcirco rectè dici **Didum-maet**/ ſiue Didymæum. Nunc ad hiſtoriam ſacram accedamus, in qua Nochus certam ſingulis ſuis filiis ponit incrementi menſuram, dum ſingulis diuerſo modo benedicit: & Iapeto quidem ſummum dat augmentum ſummamque ad meliora promotionem. Meretur igitur & ipſe Nochus Didumæi appellationem, quia filiis ſuis modum ſtatuerit incrementorum: & eam tanto magis apud Branchidas meretur, quòd Brancho largiſſimam dederit latitudinem, & eam quidem tantam, vt hunc præ ceteris duobus filiis immenſis honoribus reddiderit inſignem. Cùm igitur Branchus hanc diatribam, in qua priſcæ religionis & ſapientiæ inſtituta traderentur, conſtituiſſet; num mirum debet videri, ſi Branchidæ Nochum ſumma reuerentia coluerint, & eius beneficiorum, quibus filium ſuum minimum tam eximiè ornauit, memoriam ſumma veneratione apud omnes poſteros celebrandam putarint; ita vt non tantùm Apollinem ob omnium artium traditionem, ſed Didumæum etiam & agnoſcerent & vocarent, quòd Branchum ſuum præ ceteris plurimum auxiſſet, & ipſius genus ad ſummos humanæ felicitatis gradus promouiſſet? Nihil æquè gratum eius animum qui beneficium accepit, oſtendit & declarat, ac frequens beneficij accepti commemoratio, quæ in iis qui pares gratias referre non poſſunt, perinde laudatur atque ſi retuliſſent, ſi ex animo quidem ſincero gratóque proficiſcatur. Hinc meritò & magna ratione Nochum Didumæum Branchidæ vocabant; nec minore tamen Phileſium tum de amore quem ſuis tantopere commendarat, tum etiam ex eo quòd Branchum præ ceteris filiis plurimùm amaſſet. For-

Apollo Didumæus.

Didumæi etymon.

Dien.

Apollo theologicôs Spiritus ſanctus dici poteſt.

Apollo phyſicô quo dicatur.

Solis in rebus promouendis vis & natura.

Nocho Didumæi nomen & Phileſii rectè poſſe tribui.

ſet. Fortaſſe Didumæi nomen Græca voce expreſſiſſent, ſi vllam potuiſſent vel ſimplicem vel compoſitam inuenire quæ eandem haberet vim ſignificationis; qualis cum nulla reperiretur, loco eius Phileſium dixerunt: quod nomen tametſi non idem ſignet, tamen eòdem tendit, & id quidem ea via, vt cauſſam Didumæi complecti videatur; quandoquidem eum maximè promouemus quem plurimùm amamus. Atque hæc quidem mihi videtur priſca & vera origo mythologiæ eius quæ de Apolline Didumæo ſiue Phileſio & Brancho eius filio antiquiſſima fama celebratur; à qua longiſſimè corrupta Branchidarum poſteritas Græcorum animos diſtraxit, non aliam ob cauſſam quàm vt ſacram antiquitatis memoriam venum exponerent, peccato illud quidem exſecrando, ſed vtinam non tam multis poſtea communi. Nec obmurmuret hîc quiſquam eorum quibus inſolens eſt hæc fabularum cum ſacris litteris conſonantia, nimis antiqua & carioſa me in medium de Brancho attuliſſe; niſi idem ſe ignorare fateatur, Branchidarum oraculum, vt Appuleius teſtatur, & ex aliis etiam colligitur, vetuſtiſſimum in Græcia fuiſſe. Quid igitur abſurdi committo, ſi rei omnium veterum ſcriptorum confeſſione vetuſtiſſimæ, & ſic vetuſtiſſimæ, vt ferè omnium notitiam exordium eius effugerit, originem item aſſignem vetuſtiſſimam?

Nunc itaque tandem Vranci agnoſcant quàm antiquo, quàm venerandæ memoriæ vocabulo nominẽtur; nec poſthac Troiana ſe iactẽt nobilitate, qua longè altiùs primordia gentis ſuæ conſcẽdere indicio meo, niſi id dedignẽtur, videbũt. Porrò qua de cauſſa hæc potius gens quàm alia quæuis nomẽ ſibi priuilegij paterni ſumſerit, neſcio an quiſquam ſanæ mentis interrogabit, cùm idem de infinitis pari ratione quæri poſſet; atque etiam ſi alia ſic vocata fuiſſet, idem de ea interrogaretur: attamen ſi quis tam ſcrupulosè ſibi omnium antiquitatum calculum ſubductũ velit, is ſic habeto. Cùm Ianigenarũ alij alia ſibi nomina ſumerent vel à parẽtibus, vel à vitæ propoſito, vel ab alio quopiam quod placuiſſet; videntur hi qui Vranci nominati ſunt aut ſibi ipſis nomen hoc boni ominis cauſſa dediſſe; aut, quod magis crediderim, ab ipſo Iapeto accepiſſe; quòd, vt ipſe à patre ſuo inſigni prærogatiua ornatus fuiſſet, ita & hos optarit ſingulari hac dote ceteris præſtare. Vidẽtur autẽ genus ducere ab Aſcanio Cimmeri filio maximo, quod de Branchidarũ in Aſia minore & Aſcaniorũ vicinia coniecto; qua tamen in re nihil certi ſtatui poteſt, nec refert quo medio vel nepotes vel abnepotes Iapeti fuerint, modò in ipſis Iapeti agnoſcamus appellationem. Non ſemel me in aliis monuiſſe puto, nomina gẽtibus non temerè nec ſolo interim humano conſilio, ſed inſtinctu quodam diuino plerumq. data fuiſſe, quod in Vrancis quoq. videtur eueniſſe: adeò bene nomenclaturæ ſuæ reſpondiſſe deprehenduntur, præſertim illi qui Galliam, Turingiam, Allemaniá, Boiariam, Daciam, Bohemiam, Italiam, Thraciam, Syriam, Aſiam minorẽ, Ægyptũ imperio ſuo ſubiugarũt; cuius gloriæ maxima pars ſtirpi Brabanticæ debetur, quæ Carolos dedit & Pipinos, & ipſum poſtea Godfredum regem Hieroſolymitanũ. Vtinam huius ętatis Franci, & ij qui linguam commutarũt, & ij qui antiquam hactenus tenẽt, ſic Phileſium Apollinẽ communi pace venerarentur, vt ſicut nomine Vranci ſunt, ita ſe Vrancos reapſe præſtarent; & eas vires quas ciuilibus & domeſticis bellis perdunt, in Aſiam & Africam & nominis ſui monitu & maiorum exemplo transferrent, quo veram religionem victos docerent, qui gentium ſubiugandarum finis eſſe debet: vt non ratio tantùm, ſed Strymon etiam & complures alij Cimmerij apud priſcos homines ipſis factis dictarunt.

Vranci nomen cur vni potius genti quàm alij tributum ſit.

Vranci vnde genus ducãt.

Poſteaquàm nunc ad ſummum Vranci nominis faſtigium peruẽtum eſt, gradum reuocabo, paullatim ad propinquiora temporibus noſtris deſcenſurus. Herodotum dixi Francos ſiue liberos Scythas ad Mæotim ſcriptis ſuis prodidiſſe, & eos quidem dediſſe Amazonibus maritos: de quibus quid ſentiam, quando alibi latè oſtendi, hîc minimè repetendũ duco; hoc interim monẽs, magnam partem eorũ quę de Amazonibus ferũtur, ad Francos pertinere, eoq. ſtudioſiùs librum illarũ gloriæ à me dedicatũ ab ipſis oportere cognoſci. Eiſdẽ in locis quibus ab Herodoto liberi Scythæ ponuntur, Dionyſius Germanos conſtituit, vti paullò antè monſtraui. Ado cõmemorat, inter Danubiũ & Męotidem Francos de Alanis inſignem victoriam reportaſſe: at id poſteriùs accidit quàm eorum & nomen & arma iam ad Rheni oſtia cognita eſſent, nihil vt inde certi de vetuſtis ipſorum ſedibus colligi queat; niſi hos qui Alanos ceciderunt ad Mæotidem relictos ad Valentiniani vſque imperium, cuius partes ſequebantur, credere velimus.

Franci ad Mæotim Amazonũ mariti.

Ceteris

Ceteris ſcriptoribus, in quorum numero Hunibaldus primas tenet, non magis fidem habemus, quàm ſomnia narrantibus; eoq. eorum teſtimonia nec admittimus, nec aliis obtrudemus: alioqui facillimè demonſtraturi ex eorum ſcriptis, in Sarmatia olim Francos habitauiſſe. Malumus videlicet ſola vetuſta Herodoti & Dionyſij auctoritate niti, quàm recentiorum ſcriptis nihil vetuſtæ veritatis redolentibus noſtra polluere potius quàm firmare. Id interim ſumemus, quæ multorum ſermonibus iam inde à multis ſeculis iactantur, ea ſi non omni ex parte vera ſint, at aliqua tamen tenus vel ad veritatem pertinere, vel ſaltem viam ad eam demonſtrare. Multa de Troianis Franci à maioribus acceperant; quæ paullatim, vt fieri ſolet, & fabulis & obliuione corrupta eò tandem delapſa ſunt, vt poſteriores ab auxiliaribus Francorum copiis ad Troiam ductis venerint in opinionem, maiores ſuos Troianos fuiſſe. Suppetias illi quidem Troianis tuliſſe doceri poſſunt partim ex Rhœſi expeditione, partim ex Amazonum exercitu: at minimè verum eſt, Troianos ipſos fuiſſe. Verùm ex huiuſmodi antiquitatis vmbra, quam non integram poſteri poterant videre, falſæ opinionis facta eſt ſubſtructio. Eodem modo exiſtimo ex antiquis narrationibus Francos audiuiſſe, maiores ſuos ad Mæotim ſedes habuiſſe; ſed non rectè inde collegiſſe, tempore Valentiniani aut paullò ſuperiùs inde commigraſſe, cùm multo antea in Germaniam tranſiuerint: quamquam hæc communis omnium opinio efficit, vt aſſertio mea, quam veterum ſcriptorum teſtificatione confirmaui, tanto faciliùs ſit admittenda; quæ ceteroquin, vt noua & inaudita, fortaſſe fuiſſet explodenda, ab iis præſertim, quorum ſtomachus necdum ſatis aſſueuit curioſæ huic antiquitatum inquiſitioni. Quamobrem hoc tenebimus, Francos, vti & reliquos Cimmerios, paullatim ex Aſia & primis ad Margianam ſedibus ad Tanaim & Mæotim deueniſſe; & id quidem valde olim, vt ex Herodoto & Dionyſio liquet: Et, vt tum Germani & liberi Scythæ ſiue Franci citra gentis diſcrimen vocabantur, ita & poſt, cum in Romanorum notitiam veniſſent. Franci, inquit Procopius Latini interpretis verbis, Germani quondam vocitabantur. Idem libro tertio hiſtoriæ Vandalicæ confirmat. Verumenimuerò, quò Cimmerias has Ogygiæ propè vetuſtatis tenebras præſentis temporis luce reddam clariores, grauiſſimis veterum auctorum teſtimoniis illud adiiciam, quod mihi cum antè ab aliis, tum nuperrimè relatum eſt ab inſigni clariſſimoq. viro Augerio Boeſbecano, natione Flandro. Hic inter alias, quas obiuit ſumma cum laude, legationes vna perfunctus eſt nobiliſſima, nomine Maximiliani Cæſaris Auguſti apud Turcorum Imperatorem, eaque complurium annorum: cum quo viro notitiæ familiaritatiſque ineundæ hæc mihi oblata eſt occaſio, ſtudiis meis profectò in primis opportuna: Deſcenderat per Rhenum inſignibus auro & ſerico nauigiis ANNA maxima natu Cæſaris filia, in Germania inferiore Oceanum conſcenſura, quò ad Regem Catholicum maximum totius orbis monarcham, cui recens eam pater deſponderat, nauigaret. Hæc, dum ſecundos ventos præſtolatur, obiter Bergis excurrit Antuerpiam; vt cuius vrbis celeberrimum nomen ſæpius abſens audiuerat, eius ſpectaculo coràm frueretur. Erant tum in heroico eius comitatu duo ipſius germani fratres, alter duodecim, alter decem paullò plus minus annorum, adoleſcentes mediusfidius ea forma, eo ingenio, iis moribus, ea eruditione; vt, niſi patrem haberent Cæſarem, à Cæſare adoptari mererentur. Horum aulam regebat ſumma auctoritate Boesbecanus, non ſine magna mea dubitatione, hícne dignior eſſet tam illuſtribus habenis, an illi digniores, qui talem nacti fuiſſent moderatorem. Meritò magni fit Cyri pædia, vt ab eo homine profecta, quo nihil habuit Græcia admirabilius; ab eo, inquam, viro, qui totam ſimul & philoſophiam & eloquentiam ex vmbratili exercitatione in lucem & in aciem eduxit; qui primus edocuit exiguo numero varias Perſici regni gentes peruadi poſſe; qui tanto fuit melior Alexandri Magni præmonſtrator inſigni illa expeditione, quàm Iſocrates operoſa illa declamatione panegyrica quindecim annorum, ſi Mercurio placet, labore perfecta, quanto dictis facta præſtant: At, ſi verum mihi licet proferre, in Boesbecano Xenophontem; in his duobus Cæſaris filiis duos Cyros mihi cernere videbar: talis erat & horum indoles & illius inſtitutio atque diſciplina. Ceterùm dum vrbem cum ſorore ſua Regina luſtrant & ſpectaculis indulgent, ipſi interim gratiſſimum ſuauiſſimumque populo ſpectaculum, vtpote in quorum vultu principum ſuorum imagines expreſſas videret; accidit vt minor natu ſubitò acuta febre corripe-

Francos primos ex Aſia paullatim ac Margiana ad Tanaim & Mæotim deſcendiſſe.

corriperetur, non ſine maximo omnium dolore. Et quamuis Lomnium medicū domeſticum haberent, virum in primis eruditū & exercitatū, Dux tamen Albanus, inferioris Germaniæ gubernator, pro ingenti ſua ſollicitudine & anxietate de Principis valetudine cōcepta, me quoq. voluit ad curationis partes vocare. Dum itaq. ſedulo munere noſtro fungimur, Deus Opt. Max. ita nobis adfuit benignus, vt exſpectatione celeriùs integræ valetudini ægrotus redderetur. Interea dum frequētiùs ad huius Principis aulam itarem, magnam voluptatem cepi ex familiaribus cum Boeſbecano ſermonibus; inter quos cùm varij eſſent, tum & hic vnus mihi accidit gratiſſimus, in quem incidimus ex commemoratione eorū quę in Amazonicis de vetuſtiſſimis Cimmeriorum ſedibus me tradidiſſe dicebam. E quibus cùm non Amazones modò, ſed Francos etiam deriuarem; & hos à Dionyſio Germanos, ab Herodoto liberos Scythas vocari aſſererem; tum ille inter cetera, quibus eâdem de re doctè admodū diſſerebat, Colophonium, vt ita dicam, traditioni meę adiecit teſtimonium. Aiebat, ſe Conſtantinopoli magna diligentia & alia multa ad Euxini accolas ſpectantia percontatū ex diuerſis fuiſſe; & illud in primis certa fide cōperiſſe, in Cimbrica Cherroneſo etiamnum hodie indigenas inueniri, quibus in vſu hactenus lingua noſtra ſit, cuius rei cùm diuerſis vocabulis periculum feciſſet, tandem iuſſiſſe eum quem interrogabat in eodem ſermone numerorum nomina ordine recitare, idq. eum promptè feciſſe; ſed ſic, vt à Flandro quopiam inſtructus videretur, maximè dum Seuene pro ſeptem, & Eleue pro vndecim, & Twaleue pro duodecim pronunciaret. Atq. hæc quidem ſic habent, de grauiſſimi viri teſtificatione. Quid igitur? Num quis vltrà dubitabit, Francos ad eam olim Mæotidos partem habitaſſe? Cui hæc opinionis meæ firmamenta non ſufficient, is ad inferos cum Vlyſſe deſcendat; quò, ſicut ille Tireſiam, ita hic Strymonem vel Amazones interroget veritatem. Ceterùm quo tempore inde commigrarint, apud neminem veterū legere memini; & idcirco huic inueſtigationi fruſtra ſuſcipiendæ non immorabor, ſed rectà tranſibo ad id quærendum, vbinam primùm in Germania à Romanis celebrentur. Hìc rurſus Procopium teſtem denuntiabo ex eodem libro in quo, Francorum originem inquirens, Rhenum dicit in paludes quaſdā effundi, eaſq. plurimas; & in iis Germanos primùm habitaſſe qui tum Franci vocarentur. è quo liquet, paludibus ſe ad Friſiæ & Hollandiæ littora continuiſſe cùm primùm Romanis innoteſcerēt. Nazarius in Panegyrico quem Conſtantino dixit, ea de Francis ſcribit, quæ, niſi de maritimis, de nullis intelligi poſſunt. Franci ipſi, inquit, præter ceteros truces, quorum vis cùm ad bellum efferueſceret, vltra ipſum Oceanum æſtu furoris euecta, Hiſpaniarum etiam oras armis infeſtas habebat; ij igitur ſub armis tuis ita conciderunt, vt deleri funditùs poſſent, niſi diuino inſtinctu, quo regis omnia, quos ipſe affeceras conficiendos filio reſeruaſſes. Quamquā ad gloriam noſtram fecūda malis ſuis natio ita raptim adoleuit, robuſteq. recreata eſt; vt fortiſſimo Cæſari primitias ingentis victoriæ daret, cùm memoria acceptæ cladis nō infracta, ſed aſperata pugnaret. Iam & alius Panegyricus, Conſtantino Conſtantij filio à neſcio quo dictus, apertiſſimè Francos gentem facit littoralem. Quid loquar rurſus, inquit, intimas Franciæ nationes non iam ab his locis quæ olim Romana inuaſerāt, ſed ex propriis ex origine ſuis ſedibus atq. ab vltimis Barbariæ littoribus auulſas; vt in deſertis Galliæ regionibus collocatæ, etiam pacem Romani imperij cultu iuuarent, & arma delectu? Maximinianus item à neſcio quo Rhetore laudatur, quòd Batauiam à Francis purgarit, quos ab occupatis terris Friſios & Caucos (ſic enim lego) nominauit. Idem indicat, Francos Angliæ partem occupaſſe, & in ea prœlio à Maximiniano victos fuiſſe, quorū pars Londinū fuga elapſi in ipſa vrbe à Romanis ſunt cæſi iucundo Britannorum, qui hoc modo liberabātur, ſpectaculo. Mamertinus in Maximiniani genethliaco luculentum habet teſtimoniū, quo Francos ad Oceani primùm littora habitaſſe, & naualibus bellis Romanos vexaſſe perſpicuum fit. Itidem, inquit, hic gens Chabionum Herulorumque deleta, & tranſrhenana victoria, & domitis oppreſſa Francis bella piratica Diocletianum votorū compotem reddiderunt. Quamuis hæc modò ſatis eſſe poſſint ad omnem de primis Francorum in Germania ſedibus tollendam dubitationem, non erit tamen iniucundum Eutropium quoq. audire; cuius ex libro hiſtoriæ Romanæ nono hæc ſunt verba: Poſt hæc tempora etiam Carauſius, qui viliſſimè natus, in Serenæ militiæ ordine famam egregiam fuerat conſecutus, cùm apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepiſ-

Flandricum ſermonem in Cimbrica Cherſoneſo etiamnum in vſu eſſe.

Francos in Friſiæ & Hollandiæ littoribus primū Romanis innotuiſſe.

Conſtantinus Francos deuicit.

Maximinianus Francos in Anglia vicit.

Carauſius à Maximiniano occidi iuſſus.

accepiſſet, quod Franci & Saxones infeſtabant; multis barbaris ſæpe captis, nec præda integra aut prouincialibus reddita, aut Imperatoribus miſſa, cùm ſuſpicio eſſe cœpiſſet, conſultò ab eo admitti barbaros; vt tranſeuntes cum præda exciperet, atque hac ſe occaſione ditaret; à Maximiano iuſſus occidi, purpuram ſumpſit & Britannias occupauit. Accedat etiam his Ammianus Marcellinus libro XXVII. ad hunc modum ſcribens: Gallicanos verò tractus Franci & Saxones iiſdem confines, quò quiſque erumpere potuit, terra vel mari prædis acerbis incendiiſque & captiuorũ funeribus hominum violabant. Ceterùm, ne odioſus fiam nimia teſtium frequentia, cetera de quibus idem doceri poſſet, omittam; ne hæc quidem tam multa adducturus, niſi obſtinata plurimorum opinio eſſet, Francos è Franconia originem habere: in quorum numero eſt, vt è multis vnum nominem, Pandolfus Piſaurius in Chronicis Neapolitanis, qui cùm in ſententiam ſuam Petrum Antonium Theologiæ magiſtrum, vt ſe vocat, traxerit, iſque Chronicis ſuis Hiſpanicis eandem aſſcripſerit; neceſſe habui idoneis auctoribus & luculenta plurium teſtificatione munire veritatem, alioquin ab Hiſpanis, Chronographo ſuo credentibus, numquam admittendam.

Franci in Sicambria habitarunt. Fuerunt qui ſentirent, Francorum primas in Germania ſedes Sicambriam fuiſſe, eos errare arbitrati, qui in ipſis oſtiorum Rheni paludibus eos collocarant, tanto illi quidem vero propiùs accedentes, quòd priùs Sicambriam Franci occuparint, quàm Franconiam ad Mœnum conderent: qua de re factum, vt nonnumquam Sicambri pro Francis locorum ratione vocarentur cùm apud alios, tum maximè apud Poëtas, quibus frequentiſſimum eſt vetuſta locorum nomina pro præſentibus collocare: tametſi non regionis natura aut aliqua propria eius indoles aut ſitus; ſed gens ipſa cauſſam dederit appellationis.

Sicambri vbi quondam habitarint. Habitarunt quondam Sicambri Rheni ripam vlteriorem; quam, ipſis partim in Germaniam ſecundam traductis, partim militiæ Romanæ adſcriptis, Bructeri occuparunt; quos deinde Franci, vt mox aperiam, expulerunt; quæ res quamuis ita habeat, legimus tamen pòſt etiam quàm Sicambri inde demigraſſent, eandem regionem Sicambriam vocari, & ipſos incolas Sicambros: item poſt Bructeros eiſdem locis exciſos, Bructerorum tamen audimus fieri mentionem, quaſi adhuc veteres coloni ſedes ſuas tenerent: quod ni diligenter in gentium originibus obſeruemus, crebrò inſignes committemus errores. Sidonius Apollinaris Sicambrum tonſo occipite vocauit, quem Francum reuera dicere debuiſſet. Sic Claudianus:

Militet vt noſtris detonſa Sicambria ſignis.

Et Apollinaris ad ſocerum ſuum: *Et flauis in pocula fracte Sicambris*
Rhene tumens. Claudianus iterum:
Venit & extremis legio prætenta Britannis,
Quæq; Scoto dat frena truci, ferróque notatas
Perlegit exanimes Picto moriente figuras;
Agmina quinetiam flauis obiecta Sicambris,
Quæq; domant Cattos, immanſuetóſque Cheruſcos:
Huc omnes vertêre minas, tutumq; remotis
Excubiis Rhenum ſolo terrore relinquunt.

Hos verſus Lazius ad Sicambrorum legionem Romanis militantem accommodauit inconſiderantia non exigua, cùm decima hîc legio Francis obiecta in ea ripa ad quam Neomagum pòſt eſt extructum, ſit intelligenda: cuius hactenus plurima monumenta reperiuntur, apertè teſtantia Romanorum, non Sicambrorum legionem Sicambris, id eſt, Francis, vt poëta vocabulo abutitur, obiectam fuiſſe. Clarius Apollinaris Sicambrorum & Francorum nomine eoſdem ſe intelligere demonſtrat:

Tu Thungrum & Vahalim, Viſurgim & Albim,
Francorum & penitiſſimas paludes
Intrares venerantibus Sicambris.

Eodem modo Bructeros illis locis inuenit, quibus exciſos Tacitus oſtendit:

Bructerus vluoſa quem Velicer abluit vnda.

Velicer fluuius quis ſit. Quo verſu Velicrum fluuium appellari arbitror eum, qui in Weſtphalia paullò ſupra vicum Velen nominatum è ſiluis ſumit exordium, non longè ab Vlfto caſtello in Iſalam deferendus. Quid multis? quaſi non pro Italia Oenotriam, pro Græcia Pelaſgos,

Pelaſgos, & ſimiliter pro aliis alia vetuſtarum gentium nomina in vſum venire cernamus; è quibus tamen nemo ſanæ mentis ipſorum primordia eádem cum natalibus earum gentium quarum nomenclaturam gerunt, exiſtimarit: quod ſemel annotatum contra omnes valere volumus, qui id genus argutiarum obicibus noſtra demorari ſtudebunt. Verùm hîc locus paullo accuratiùs diſcutiendus, cùm propter auctoritatem Hermani Comitis Nuenarij, qui Francos è Sicambria oriũdos & olim Sicambros fuiſſe nominatos opuſculo quodam ſuo ad Carolum Imperatorem eius nominis Quintum prodidit; tum etiam quòd Wolfgangus Lazius, vir varia omniũ artium liberalium eruditione inſignis, in eandem ſententiam non modò pedibus deſcendit, ſed eam quoque plurimis argumentis in ſuo De gentium migrationibus volumine lectori probare contendit; quæ ſigillatim referre & longum eſſet & ſuperuacaneum, cùm eius viri ſcripta, pro eo ac merentur, à doctiſſimis quibuſque diligenter perlegantur. Breuiter itaque ſic arbitror, pluſculum auctoritatis bonum hunc virum Hunibaldo & Abbati Vrſpergenſi tribuiſſe, & idcirco facilè in hanc veniſſe opinionem à plurimis receptam, eoſdẽ Francos & Sicambros eſſe, & hoc quidem nomen vetus, illud pòſt inclinante Romanorum imperio auditum demum fuiſſe. Nobis eorum ſufficit teſtificatio quos citauimus, quibus eo maior fides adhibenda, quòd quæ dicunt, ſuo ipſorum tempore vel præſentes cognorint, vel ab iis qui vidiſſent, acceperint. Verùm quia tantis viris hic error nititur, paucis totam eius occaſionem, totumque fidei temerè adhibitæ fundamentum tollamus; ne quis poſthac ſplendidis eorum qui aliter quàm nos ſenſerunt, titulis ſeducatur. Quæ loca Iulij Cæſaris tempore Sicambri tenuerunt, qui commentaria eius legerit, ignorare non poteſt, ſi quæ de Menapiorum ſedibus ſcripſit, expendat: quibus ſi conferat quæ de Sicambris prodidit, clarè cernet hos vlteriorem Rheni ripam inter Menapios & Vbios tenuiſſe, minimè verò, quod clari quidam viri ſcripſerunt, ad Heſſiam & Salam vſque pertigiſſe. Quàm verò diu eas ſedes pòſt tenuerint, Suetonius exponet, aiens Sicambros & Vbios ſe Auguſto dedentes traductos in Galliam, atq. in proximis Rheno agris collocatos. Vide igitur quî cum iſtis quadret, eoſdem Francos & Sicambros fuiſſe. Quis vmquam vel audiuit vel legit Francos à locis Ciſrhenanis primos in Galliam impetus feciſſe? quod tamen neceſſariò eſſet concedendum, niſi quis ſtolidè comminiſceretur, pòſt inde quò traducti erant, fugiſſe; quò quæ vltrò data eſſent, ea bello quærerent. At ſi quis ſibi perſuadeat, non omnes in Galliam tum tranſiiſſe; is parum animaduertit, quanta cupiditate Germani ſemper flagrarint Gallici ſoli, vt nimirum ſuo longè vberioris. Quid, quòd Tacitus XII. hiſtoriæ ſuæ libro prodat, Sicambrûm gentem penitùs exciſam, & in Galliam traiectã? Vnde igitur, dicet quis, in Pannonia Sicambrorũ mentio, ſi non eò quoque penetrarunt, Germania priùs & Herciniis ſaltibus percurſis? vnde tam conſtans apud omnes fama, illic Sicambros vrbem condidiſſe? Hoc ipſum Tacitus quoque docebit, de Poppæo Sabino aduerſus Thracum caſtella rupibus impoſita pugnante ſcribens; vbi inter alia hæc eius ſunt verba: Ij dum eminus graſſabantur, crebra & inulta vulnera fecere; propiùs incedentes eruptione ſubita turbati ſunt, receptique ſubſidio Sicambræ cohortis, quam Romanus promptam ad pericula, nec minùs cantuum & armorum tumultu trucem haud procul inſtruxerat. Quis hic non videt veteris de Sicambris hiſtoriæ conſenſum? Traducti ſunt ab Octauiano in citeriorem Rheni ripam; in qua nemini dubium eſſe poteſt, quin ſtatim paſſi ſint delectus, quibus Romani omnes prouinciales ſuos, præſertim bellicoſos, maiorem in modum vexabant: quod licet ceteri omnes ſcriptores tacuiſſent, vnus tamen ſatis clarè prodidiſſet, qui & hoc bellum contra Thraces ea cauſſa geſtum dicit, quòd delectus pati nollent, & eam orationẽ obliquam apud Batauos Ciuili tribuit, vt delectus mala nec breuiùs nec apertiùs deſcribi queant: Neque enim, inquit, ſocietatem, vt olim; ſed tamquam mancipia haberi: quando legatum graui quidem comitatu, & ſuperbo cum imperio venire: tradi ſe præfectis centurionibuſque, quos vbi ſpoliis & ſanguine expleuerint, mutari, exquirique nouos ſinus & varia prædandi vocabula: Inſtare delectum quo liberi à parentibus, fratres à fratribus velut ſupremùm diuidãtur. Ex his cuiuis puto facilè perſuaderi poſſe, ſtatim ſimulatq. Romani Sicambros nationem, ſi qua alia eſſet, bellicoſam & ferocem in prouinciam ſuam deduxiſſent; delectum habitum fuiſſe, conſcriptamque integram & cumulatam legionem, tametſi eam cohortem Tacitus appellet, vti & Tungras &

Sicambros & Francos diuerſos fuiſſe populos.

Batauas cohortes dicit; quaſi legionis nomen barbari non mererentur. Quando autem nuſquam maioribus firmioribusque præſidiis opus eſſet quàm in Pannonia, tum aduerſus Germanos, tum aduerſus Dacos ſiue Gotos; veriſimile eſt, Sicambros illic ſtationem ſuam habuiſſe, & tandem longi temporis tractu multa ſobole auctos vrbem cõdidiſſe, quam de nomine ſuo Sicambriam vocarint: quod quidẽ tanto lubentius eos feciſſe quiuis facilè ſibi probabit, quòd patriis ſedibus exules non magni referre putarent, vbi terrarum domicilium collocarent; modò agris à Romano datis gleba deterior non eſſet. Hanc Attila Hunnica terrarum peſtis euertit; cuius ruinas non procul à Buda iacentes Hungari Schambri appellant, in quibus hác inſcriptionem repertam eſſe Lazius ſcribit:

Sicambria in Pannonia quãdo, à quibus, & qua occaſione extructa ſit, atque deleta.

LEGIO *Sicambrorum*
Hic præſidio collocata
Ciuitatem ædificauit
Quam ex ſuo nomine
Sicambriam
Vocauerunt.

Auentinus Sicambriam Budam nunc vocatam eſſe putat: quod an ita ſit, an non; parui ad id quod quæritur refert: id ſaltem ex his credo clarè patere, quódnam in Pannonia Sicambrorum fuerit exordium, & nihil minus verum eſſe quàm à Troianis hác vrbem conditam fuiſſe, qui vel Sicambri olim, vel recentiùs Franci appellarentur. Nec mirũ eſt ante ſexcentos octingentos, vel plures etiam, annos hac occaſione fabulas cõfictas fuiſſe; quoniam id ætatis penes ſolos illos omnes litteratura latitabat, qui firmiſſimis clauſtris omnem elegantiorem Græcæ Latinæq. linguæ cognitionẽ in caliginoſis carceribus ita cõcluſerant, vt nemini aditus daretur; quod eius ætatis ſcripta, paucis exceptis, ſatis apertè demonſtrant: quæ ſi ad res geſtas ſpectant, non hiſtoriæ, ſed puræ putæ anilium deliramentorum fabulæ; ſi philoſophiam tractant, ſpineta; non Academici horti videntur.

Quocirca cùm è primæ claſſis ſcriptoribus oſtenſum ſit, Sicambros à Romanis, in Galliam tranſlatos eſſe, & ex iis ſiue legionẽ ſiue cohortẽ in Pannonia & Thracia militaſſe, neq. hęc poſſint Francis accõmodari, non eſt quòd amplius in hoc errore depellendo laboretur. Carolus tamen Molinæus, quo priſcã Francorũ gloriam redderet clariorẽ, impetum illum equeſtrẽ Sicambrorũ, quo ad Varucam Romanos pabulatũ egreſſos ceciderunt, & caſtra ferè occuparunt, Francis adſcribit, ceterorum veſtigia ſecutus. Idem in epiſtola Ciceronis ad Atticum lib. 14. citra hæſitationẽ & omnẽ ſcrupulum Frãconas legit; quã tamen ſcripturã nec Cõmentaria Cæſaris admittunt, nec cuiquã doctiorum placere arbitror, eorum preſertim qui Beati Rhenani librũ rerum Germanicarũ ſecundum viderint: in quo vir diligentiſſimus totum Ciceronis locum accuratè diſcuſſit, & vulneri deprehenſo & detecto medicas manus admouit. Pro eo enim quod erat in vulgatis codicibus, *Redeo ad Theobaſſos, Suiones, Francones*; repoſuit, *Redeo ad Betaſios, Atuas, Vangiones*, idq. fecit ductu veteris cuiuſdã exẽplaris. Iam quòd Molinæus addit nõ ſolùm Ciceroni & ceteris Romanis Francos notos fuiſſe, verùm iã tum etiã regẽ nomine Autharium habuiſſe, qui in Francia orientali ſiue Franconia ſceptrũ teneret; facit id quidẽ cõuenienter Hunibaldicæ hiſtoriæ, ſed minimè cõuenienter iis quæ de primis Francorũ in Germania ſedibus grauibus teſtimoniis probaui. Hunibaldus hunc regem Autharium vocat, cuius filium facit Francũ, à quo Sicambri deinde Francones & Franci fuerint nominati: quod ſi ita eſt, cœperitq. filius regnare anno ante Chriſti natalẽ XXXVI. nõ video quî Cicero Sicãbros Francones potuerit nominare, cùm necdũ nomẽ à rege ſuo eo tempore accepiſſent; quo animaduerſo Molinæus ab Hunibaldo diſcedit, aiens antè quoq. Frãcos nominatos fuiſſe: ad quod docendum Ciceronem aduocauit. Sed valeant nugæ, quibus minimè vel tempus vel operam perdidiſſem, niſi viderẽ claris hominum titulis, præſertim iuriſperitorum, plus frequenter fidei quàm ipſi haberi veritati: quod, vt in actionibus forenſibus ferre cogerer, ita in hiſtoria nihil eorum nominibus mouebor. Quid quòd Auentinus quoque accuratus, ſi quis alius, annalium ſcriptor in hac ſententia Molinæo præiuit, & præiudicio ſuo ante me damnauit quàm reus eſſem? vt qui anno triceſimo quarto ſupra milleſimum & quingenteſimum à CHRISTI ſeruatoris noſtri natali ex hac vita migrarit. Hic enim in Boioariæ ſuæ antiquitatibus ſic ſcriptum reliquit: Poſt hæc apud nos Brennus regnauit: de quo carmina

Autharius Francorum rex.

vernacu-

vernaculo ſermone facta legi in bibliothecis. Bathauiæ ſepultum eſſe fama tenet, ſupra quam haud longè Brennobergamum caſtellum atque gens perdurat; quaſi tu dicas Brennonis montem. Huic filium aſſignant, qui vulgò ſit Hiccar (frequens etiam nunc cognomen) in faſtis Hichtar, ſcriptoribus annalium Hector; cuius filius Franco Franconas progenuit. Ipſi à Cicerone cum Sueuis numerantur. Hæc ille poſt multas alias fabulas veris admixtas, quæ vnde acceperit, nec ſcio, nec ſcire magnoperè laboro; tametſi de vernacula Bauarorum hiſtoria videatur hauſiſſe; contra quem meras nugas ſecutum, nugas Hunibaldi adferre poſſem; cui æquè fides atque Auentino, cùm citra rationes & idoneos teſtes ſcribit, habenda. Diligẽtiam certè huius viri admiror & exoſculor; ſed eo minoris teſtimoniũ eius facio, quòd pſeudo-Beroſum, quòd pſeudo-Manethonẽ, quòd Annium Viterbienſem pſeudo-Beroſi & ceterorum qui in mendaci illa ſcriptorum enneade à me in Croniis profligata, & in exſilium pulſa continentur, mangonem inter idoneos teſtes admittat. Quid verò ego illi credã de Franci nominis origine, qui ne Bauarorũ quidem nomẽ, quorum annales ingenti & cura & volumine ſcripſit, ad veram rationem potuerit referre? Sic enim primum annalium librum exorditur: Bauarus nomen barbarum, obſcenum, inauſpicatumque, ſemidocto vulgo protritum, recens eſt, nuper ab imperitis vſurpari cœptum; nec Latinum, nec Germanicum. Hæc ille. Ego verò contendo, & alibi ſcripſi, ſyncoptôs Bauaros dici pro Boiauaris; quia gens mixta Boiorum & Auarorum Noricum occuparit. At Auẽtinus Boioariæ nomẽ inter equites vſurpatum dicit, Bauariæ inter Grammaticos; & idcirco barbarum & inauſpicatum, illud Latinum, fauſtum & felix eſſe cenſet: quaſi ſcilicet equites quàm Grãmatici eſſent doctiores; quod lubenter ipſi aſſentiar, ſi de Amadiſi, Primaleonis, Orlandi furioſi, & id genus nugarum lectione hiſtoria petenda. Confitetur interim Boios in vetuſtis Auarorum ſedibus habitare, & alibi diploma recitat ab epiſcopo Bathauenſi ſibi communicatum, quod ita habet: H. Ludouicus diuina fauente gratia Rex, Reginario Epiſcopo Bathauenſi in regione Auarorum dono Chirchpach terramque centum prædiorum per circuitum vſque ad Chumenberch. Cetera huc non ſpectantia omitto, ſatis eſt videre, Auaros quoque in illa regione habitaſſe; & hinc Boiauariam, & conciſo vocabulo, Bauariam dictam fuiſſe. Quemadmodum igitur hîc nec centurionibus nec equitibus credo, ita nec annalibus eorum fidem habeo, è quibus Brenni filium Hectorem, Hectoris Francum fuiſſe Auentinus nobis perſuadere conatur. Si fabulæ admittendæ, Pſeudomanethoni potiùs credamus; qui Hectorem Troianum Franco patrem dedit, virum poëtarum carminibus illuſtriſſimum, & nobiliſſimum patriæ defendendæ exemplar; idque eo magis, quòd iam olim Abbas Vrſpergenſis, & Sigebertus Gemblacenſis, & Aimonius Francos ad Troianum ſanguinem retulerint, vt ceteros, qui non pauci ſunt, ſcriptores omittam. Quod porrò ad Ciceronis locum, quo Franconum videtur feciſſe mentionem, ſpectat; non ſum valde ſollicitus, mendoſúsne ſit an non. Propterea quòd ex eo effici non poſſit, vt Francones tum in Franconia habitaſſe dicantur. Sueuorum enim quibus eos coniungit, fines non procul à Chaucis ex vna parte poterant abeſſe, ſi vera ſunt quæ Cæſar de centum ipſorum pagis ſcripſit. Chaucis autem Francos tum vicinos fuiſſe nihil dubitamus, atque hac via, ne vulgata quidem apud Ciceronem lectio noſtræ repugnat aſſertioni: quod adieci, ne quis ſola Rhenani correctione noſtra ſtare poſſe crederet. Nos itaque veterum Latinorum fide freti dicimus, Francos nec Sicambros fuiſſe, nec in Franconia, cùm primùm Romanis inoteſcerent, conſediſſe; nec nomen vel à Franco Troiano, vel à Franco Hunibaldico, vel à Franco Boio duxiſſe; verùm ad ipſum Oceanum habitaſſe, & nomen ſibi ſumpſiſſe ab ipſa Iapeti conſecratione; quam ad ſe, vti ipſius poſteros, deriuari felici auſpicio & omine appellationis optabant.

Brennobergamum.

Brenni filius Hiccar ſiue Hichtar.

Bauari vnde dicti ſint.

Auarorum ſedes.

FRANCICORVM
LIBER II.

Gentium cõmigrationum cauſſæ variæ.

PORRÒ quî & qua via & quando à Mæotide ad Oceanum venerint Franci, cùm eius rei nihil ſcriptis veterum proditum ſit, equidem me neſcire fateri malo quàm in anilibus vel coniecturis vel fabulis recitandis immorari. Varias ob cauſſas gentium commigrationes euenire ſolent: alias legimus patriis ſedibus expulſas nouas quæſiuiſſe, alias melioribus inhiantes deteriora reliquiſſe, alias propter gentis multitudinem & agrorum anguſtias colonias emiſiſſe, alias aliis cauſſis, quas nihil refert commemorare, ſedes mutaſſe. Liberos Scythas ſiue Francos partem Cimmeriorũ fuiſſe in Amazonicis oſtenſum: qua de re probabile fit, Francos vnà cũ Cimbris & Teutonis à Mæotide & veteri ſua Cherroneſo Cimmeria ad eas terras quas nunc Mechelburgenſes, Holſati & Dani cum finitimis tenent, tranſiiſſe; atque ibi Cimbros quidem de nomine ſuo alteram Cimbricam Cherroneſum cõdidiſſe; à quibus an ij qui nunc Imbri dicuntur, genus ducant, nihil habeo quod afferam: Francos autem partem inferiorem Germaniæ occupaſſe, hinc Chaucis, illinc Langobardis confinem, quo loco Angriuarios Ptolemæus ponit. Nolim tamen quiſquam exiſtimet hæc me pro certis aſtruere velle: coniecturam ſequor ea libertate quam in dubiis & obſcuris rebus vt aliis permitti video, ita mihi ſumo; nihili facturus ſi quis contrà vel ſenſerit vel ſcripſerit. Quid me induxerit in hanc ſuſpicionem, in Saxſonicis aperui: verùm quia hæc quæſtio propria eſt materiæ quam nunc verſamus, non erit abs re, ſi quæ illic dicta ſunt, repetantur. Ammianus Marcellinus Francorum quoſdam Anſuarios vocauit, cuius hæc ſunt viceſimo libro verba: Iulianus tamen iam celſiore fortuna militisq. fiducia lætior, ne intepeſceret, neve vt remiſſus argueretur & deſes, legatis ad Conſtantium miſſis, in limitem Germaniæ ſecundæ eſt egreſſus: omniqúe apparatu quem flagitabat inſtans negotium communitus Obtricenſi Moſæ opido propinquabat. Rheno deinde tranſmiſſo regionem ſubitò peruaſit Francorum quos Anſuarios vocant, inquietorum hominum, licentiùs etiam tum percurſantium extima Galliarum: quos adortus ſubitò nihil metuentes hoſtile, nimiumque ſecuros, quòd ſcrupoſa viarum difficultate arcente, nullum ad ſuos pagos introiiſſe meminerãt Principem, ſuperauit negotio leui; captisque plurimis & occiſis, orantibus aliis qui ſuperfuere, pacem ex arbitrio dedit, hoc prodeſſe poſſeſſoribus finitimis arbitratus. Beatus Rhenanus pro, inquietorum hominum, legit, incertorum hominum; & pro, Obtricenſi Moſæ opido, Toxandro opido, relicta voce Moſæ; nec addit tamen qua vel auctoritate vel coniectura ſic verba permutarit. Traiectũ vulgò Tricht nominamus, quod duplex cùm ſit, ſuperius & inferius; crediderim olim Optricht ſuperius, & Neertricht inferius vocatum fuiſſe; & Ammianum ex Optricht Obtricenſe opidum feciſſe, qua è Germaniæ ſecundæ ea parte quæ nunc Brabantiam complectitur, ad Rhenum Iulianum profectum eſſe credo; & eo traiecto Francos inuaſiſſe, qui tum Duisburgum & Veſaliam & loca inferiora occupabant. Quò ſic exiſtimem, facit cùm hęc Marcellini narratio collata cum altera eiuſdẽ qua Franci Salij Toxandriam inuaſiſſe dicuntur, eadem nimirũ via; tum Gregorij Turonenſis lib. 2. locus hæc habens verba Ferunt etiam tunc Clogionem vtilem ac nobiliſſimum in gente ſua regem Francorum fuiſſe, qui apud Diſpargum caſtrum habitabat, quod eſt in termino Thoringorum. Hic videmus pro Clodione, Clogionem; pro Duiſburg, Diſpargum corruptè ſcribi. Ado de eodem rege agens, caſtrum Dyſporum vocauit: quæ nominis corruptela ipſis ne auctoribus an tranſcribentium ignorantiæ ſit adſcribenda, ignoro: id ſcio, miſerrime Germanica vocabula non olim à Latinis modò, ſed hoc etiam tempore à Gallis & Italis tractari ſolere. In vulgatis Ammiani Marcellini libris, Atthuarios habemus pro, Anſuariis; cui mendi ſublati gratiam Beato Rhenano habemus. Atthuariorum nuſquam mentionem inueni, & facilis eſt alioquin & procliuis ex Anſuariis in Atthuarios permutatio. Nec dubito, quin de vetuſtis codicibus Rhenanus hunc locum expurgarit; cui hoc tamen addendum, Antiuarios me potius quàm Anſuarios

Francorum in Germania prima ſedes.

Franci Anſuarij à Iuliano deuicti.

Traiectum. Tricht.

Obtricenſe opidum.

Duiſburg nunc Diſpargum, nunc Dyſporum appellatum.

Atthuarij, Antiuarij ſiue Anſuarij.

rios legere, cùm quòd illud faciliùs in Atthuarios quàm hoc tranſire poſſit, tum quòd
Tacitus Anſibarios eoſdem vocarit. *Anſibarij.*

Hac itaque ex Ammiano ſumpta teſtificatione de Anſiuariorũ ſedibus, diligenter ad-
uertẽdum quos hîc Tacitus collocarit. Ptolemæus enim vetuſtiores Græcorum deſcri- *Rheni accolæ*
ptiones ſecutus non perinde atque hic iuuare nos poteſt, in iis præſertim gentibus quæ *ex ſententia Cæſaris, Pto-*
inquieta aliena inuadendi licentia nullis diu iiſdem ſedibus morantur: tametſi vetu- *lemæi, Stra-*
ſta recentioribus collata certiorem nobis pariant cognitionem. Cæſaris tempore ita *bonis & Taciti.*
Rheni ripa vlterior colebatur, vt Menapij, qui vtramque fluminis ripam tenebant, in- *Menapij.*
fra Sicambros; Sicambri infra Vbios habitarent: Verùm Auguſtus, Agrippa duce, Vbios *Sicambri.*
& Sicambros vltrò ſe dedentes traduxit in citeriores partes, quæ Germaniæ ſecundæ *Vbij.*
ſiue inferioris nomine iam tum vocari cœperunt. Ptolemæus aliter longè hanc ripam
diſponit: Poſt Phryſios ad mare inter Rhenum & Amiſum poſitos Buſactoros paruos *Phryſii.*
locat, deinde Sycambros, quibus addit Sueuos Longobardos, mox ſuperiores facit Ten- *Buſactori, ſiue Bructeri.*
ceros & Criones inter Rhenum & montes Abnobos. Hîc videre licet Buſactoros Bru- *Sycambri.*
cteros vocari; & Tenceros, quos Iulius vocat Tenchteros, quos vnà cum Vſipetibus, quos *Sueui Longobardi.*
alij Vſipios, Ptolemæus Viſpos nominat, à Sueuis pulſos, & ad triennium errabũdos ad *Tenceri, ſiue*
Rhenum ait perueniſſe, & eorum pedites & omnem multitudinem promiſcuam in *Tenchteri.*
Menapiorum finibus à ſe cæſam eſſe; equites verò ad Sicambros tranſiiſſe: Vnde liquet, *Criones. Vſipetes, Vſi-*
Tenchterorum ſedes ad Rhenum minimè pertinuiſſe, tum cùm à Sueuis expelleren- *pij, Viſpi.*
tur. Strabo pro Bructeris Bucteros, pro Vſipetibus Nuſipos, pro Sycambris Sugambros *Bucteri. Nuſipi.*
habet; ita nihil certi in propriis harum gentium nominibus. His Tacitus conferatur; Is *Sugambri.*
poſt Cattos elegãtiſſimè & ſummè à virtute militari laudatos & in finibus Hercinij ſal-
tus poſitos hæc ſubiungit: Proximi Cattis certum iam alueo Rhenum, quiq. terminus *Catti.*
eſſe ſufficiat, Vſipij ac Tencteri colunt. Tencteri ſuper ſolitum bellorum decus equeſtris *Vſipij.*
diſciplinæ arte præcellunt: Nec maior apud Cattos peditum laus quàm Tenchteris *Tencterorum mores & di-*
equitum. Sic inſtituere maiores, poſteri imitantur; hi luſus infantium, hæc iuuenum *ſciplina militaris laus.*
æmulatio, perſeuerant ſenes. Inter familiam & penates & iura ſucceſſionum equi tra-
duntur: excipit filius, non vt cetera maximus natu, ſed prout ferox bello & melior.
Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamanos & Angriuarios immigraſ- *Bructeri, eorumq; exci-*
ſe narratur, pulſis Bructeris ac penitus exciſis vicinarum conſenſu nationum, ſeu ſuper- *dium.*
biæ odio, ſeu prædæ dulcedine, ſeu fauore quodam erga nos Deorum. Nam ne ſpecta- *Chamani.*
culo quidem prœlij inuidere: ſuper ſexaginta millia, non armis teliſque Romanis; ſed, *Angriuarij.*
quod magnificentius eſt, oblectationi oculiſque ceciderunt. Maneat quæſo duretque
gentibus, ſi non amor noſtri, at certè odium ſui: quando vrgentibus imperij fatis nihil
iam præſtare fortuna maius poteſt quàm hoſtium diſcordiam. Hæc Tacitus. Quorum
extremam clauſulam vtinam Chriſtiani principes ſæpius animo reuoluerent & bene
ponderarent, nec pergerent ciuilibus ſuis bellis Turcicum imperium promouere, cui
nihil poteſt contingere fortunatius mutuis Chriſtianorum inter ſe cladibus. Sed hoc *Angriuarij*
nihil ad noſtrum Dionyſium. Videmus hic quas ſedes Angriuarij occuparint, eas nem- *quas ſedes occuparint.*
pe quæ hinc Friſiis, hinc Tencteris eſſent contiguæ in ipſa vlteriore fluminis ripa.
Quoniam autem oſtenſum eſt Sycambros ſub Octauiano in Galliam migraſſe, veriſi-
mile redditur eos Tenchteros quos ad Sicambros tranſiiſſe Cæſar narrat, vetuſtam Sy-
cambrorum domicilia retinuiſſe; quibus proximi Angriuarij habitarint. At hoc ipſo
loco Anſiuarios Marcellinus collocat, & ipſe Tacitus teſtis eſt Anſibarios ad Friſiorum
fines agros Rheno adiacentes, quos Romani vacuos vſuique militum ſe poſitos volue-
runt, occupaſſe; quibus à Romano rurſus fuerint depulſi. Hæc eadem loca Friſij priùs
inſederant, & a Romanis item deſerere coacti ſunt. Sed præſtat ipſum Tacitum audi-
re: Eoſdem agros, inquit, de ripa proxima Friſiis loquens, Anſibarij occupauere, vali-
dior gens, non modò ſua copia; ſed adiacentium populorum miſeratione; quia pulſi à
Chaucis & ſedis inopes tutũ exſilium orabant: Aderatque iis clarus per illas gentes, &
nobis quoque fidus, nomine Boiocalus; vinctum ſe rebellione Cheruſca iuſſu Arminij *Boiocalus.*
referens: mox Tiberio & Germanico ducibus ſtipendia meruiſſe quinquaginta anno-
rum obſequio. Id quoque adiungere, quòd gentem ſuam ditioni noſtræ ſubiiceret:
Quotam partem campi iacere in quam pecora & armenta militum aliquando tranſ-
mitterentur. Seruarent ſanè receptus gregibus inter hominum famam: modò ne vaſti-

tatem & ſolitudinem mallent quàm amicos populos. Chamauorum quondam ea arua; mox Tubantũ,& pòſt Vſupiorum fuiſſe. Sicut cælum Diis, ita terras generi mortalium datas: quæq. ſint vacuæ,eas publicas eſſe. Solẽ deinde reſpiciens & cetera ſidera vocans, quaſi corã interrogabat,vellẽt'ne cõtueri inane ſolũ? potius mare ſuperfunderẽt aduerſus *Auitus.* terrarũ ereptores. Et cõmotus his Auitus: patienda meliorũ imperia. Id diis, quos implorarent,placitum,vt arbitriũ penes Romanos maneret,quid darent, quid adimerẽt;neq. alios iudices quàm ſeipſos paterẽtur. Hæc in publicũ Anſibariis reſpondit;ipſi Baiocalo, ob memoriam amicitiæ daturũ agros: quod ille,vt proditionis pretium,adſpernatus,addidit: Deeſſe nobis terram qua viuamus;in qua moriamur,non poteſt. atque ita infenſis vtrimq. animis diſceſſum. Illi Bructeros,Tencteros,vlteriores etiam nationes ſocialſque *Anſibariorũ excidium.* bello vocabãt: Auitus ſcripto ad Curtiliũ Manciã ſuperioris exercitus legatũ,vt Rhenũ tranſgreſſus arma à tergo oſtenderet;ipſe legiones in agrum Tencterorũ induxit,excidiũ minitans,niſi cauſſam ſuam diſſociarent. Igitur aſſiſtẽtibus his,pari metu exterritis Bructeris,& ceteris quoq. aliena pericula deſerẽtibus;ſola Anſibariorũ gens retro ad Vſipios & Tubantes conceſſit: quorũ terris exacti,cùm Cattos,dein Cheruſcos petiſſent,errore longo hoſpites,egeni,hoſtes in alieno, quod iuuentutis erat, cæduntur. Imbellis ætas in prædã diuiſa eſt. Hæc Tacitus. Nos quò minùs credamus,omnes Anſibarios deletos eſſe vel raptos in ſeruitutẽ,facit partim Marcellinus, partim locorũ ſitus quæ antè inuaſerãt *Anſibarios et Angriuarios eſſe eoſdem.* & pòſt occuparunt;partim Angriuariorum & Anſibariorum nominũ alluſio. Nec video quos potiùs Chauci ſedibus patriis expulerint,quàm eos quos finitimos haberent. Iam Angriuarij proximi Chaucis maioribus olim habitabant inter Albim & Viſurgim,Langobardis inferiores,vti Ptolemæũ conſulenti liquebit; quo fit vt eoſdẽ eſſe credam Anſibarios & Angriuarios,& Tacitũ diuerſitate nominũ deceptũ diuerſos populos putauiſſe. Quid quòd idẽ Baiocalũ refert ea recitantẽ quę prorſus Angriuarijs conueniũt? Nam in bello cõtra Cheruſcos geſto Angriuarij ſe Romanis dediderũt,auctore,vt opinor,Boiocalo;qui ſe dicit quinquaginta annos Romanã militiam ſecutũ. Quòd fides etiam eius erga Romanos laudatur,non mirũ;cùm Angriuarij multos Romanos ære ſuo redẽptos è manibus aliorũ Germanorũ, in quas ſub Germanico inciderãt,liberarint. Accedit & illud,quòd Anſibariorũ gẽs validior Friſiis à Tacito dicatur,indicio certiſſimo,nõ omittẽdã fuiſſe à Ptolemæo,ſi alia ab Angriuariis fuiſſet. Adde nũc quæ pòſt ſunt cõſecuta inter Angriuarios & Bructeros,quorũ hi ab illis deleti,cũ ob alias,tum ob eã mihi cauſſam vidẽtur,quia Anſibarios ſiue Angriuarios contra Romanos deſeruiſſent. Cùm igitur Tacitus fateatur Angriuarios Bructerorũ terras Rheno adiacẽtes occupaſſe, & Iulianus iiſdẽ locis Anſibarios inuenerit,coniicio eoſdẽ Angriuarios & Anſibarios eſſe; & nominis *Angriuarij vnde in Germaniam venerint.* immutandi cauſſam eam fuiſſe quã in Saxonicis indicaui. Quod ſi verũ eſt,procliuis in eã ferar ſententiã, Angriuarios vnà cũ Cimbris olim à Boſphoro Cimmerio & locis finitimis in Germaniam veniſſe, & à Cimbris digreſſos ad ſuperiora contendiſſe, ſedeſque Chaucis maioribus proximas occupaſſe;à quibus fortaſſe eã ob cauſſam pulſi ſunt,vel ꝙ gens eſſet inquieta & finitimis moleſta , vel quòd Romanis Germaniæ ceruicibus iugũ intẽtantibus,non fauerent tantũ,ſed etiam militarẽt. Romanorũ deinde ingratũ animũ experti,quòd nec cõtra Chaucos iuuiſſent,nec è ſedibus patriis profligatos in vacua cultoribus loca admiſiſſent,& quòd nec ſocietatẽ nec amicitiam,ſed Germanorũ exitium quærerent,tandẽ fauore vicinorũ Rheni ripam,vetus Bructerorũ domiciliũ,obtinuerũt. Meritò igitur proditæ ſocietatis cauſſa perpetuo odio Romanos ſunt perſecuti, aſſiduis incurſionibus vicinas prouincias vexando. Nominis quidẽ ea parte qua primùm ad Rhe*Angeren.* nũ conſederunt,reliquię vel nullæ vel exiguę extant,quas tamẽ agnoſcere liceat in An*Angelre.* geren,vico citerioris ripę Rheni;& Angelre in vlteriore ripa circa Doeſborgũ ſito ad tria *Anger.* plus minus milliaria ab Angeren remoto,& Anger fluuiolo ſupra Duiſberch in Rhenũ delapſo. Verùm non immeritò roget quis,quî factũ ſit,vt Angriuariorũ nomẽ tum cùm *Angriuarij cur Francorũ nomen omiſerint.* Romanis ſubditi nõ eſſent,potius tulerunt quàm Francorũ;cùm hoc quàm illud & antiquius multo & nobilius ſit? Frequẽter dixi Germanicã Scythicamq. nationẽ omnem nomina lubenter ea finxiſſe,quibus ſymbolũ aliquod propoſiti in quo tum eſſent contineretur; quale eſt nomen Germanorũ,Scytharum,Thungerorum,Atuaticorũ,Neruiorum,Atrebatum,& compluriũ aliarũ gentium: quo fit vt mirari non debeamus, ſi idem populus diuerſa nomina vſurparit , pro eo atque diuerſa diuerſis temporibus ſibi proponebat.

nebat. Potuit etiam & illud accidiſſe, vt cùm ad diuerſas ſedes Franci diſtraherentur, alij alia nomina ſumpſerint, primo illo, quod totius eſſet vniuerſitatis, in nulla parte remanente, vti auguſtiore quàm vt illos deceret qui non longè lateq. vicinarũ gentium dominio inclaruiſſent. Quocirca tum maximè rurſus in vſum credo vocatum, cùm iam Bructeris deletis Romanos etiam, quibus antè parebant, vexare cœperunt. Neq. enim antè nominis huius maieſtatem merebantur; cùm nec Chaucis pares eſſent, nec proprias ſedes vel contra hos vel contra Romanos poſſent tueri, nedum palmites ſuos per gentes expandere vicinas. At cùm iam certum eſſet, non ſolùm libertatē ſuam defendere, ſed Romanos etiam prouinciis expellere, optima ratione Francos ſeſe rurſus vocarunt, ipſo hoc ſuo nomine, veluti celeumate, ad animos priſcæ maiorum nobilitatis monitu incitandos, vſi; quo Romanorum tyrannide fortiter depulſa fines ſuos longè latéque proferrent.

Angriuarij Francorum nomen iuſta de cauſſa reſumunt.

Nec abſurdum, immò in primis veriſimile, vt Germanorum, ſic Vrancorum quoque nomen aliquot gentibus commune fuiſſe, nec tamen vlli poſt nationis diuiſionem peculiare, verùm iam viribus non ſolùm ſuis, ſed vicinorum etiam in vnum contra Romanum nomen collectis, & ad libertatem recuperandam & ditionis ſuæ terminos vltra Rhenum promouendos, nomen illud à maioribus olim acceptum in vſum vocaſſe; quia tale eſſet, vt licet antè numquam fuiſſet, tum tamen temporis nullum magis propoſito ſuo idoneum potuiſſent fabricari; quandoquidem eo ſignificaretur totum id quod omnibus & animi & corporis viribus moliebantur. Et fuerit fortaſſe tum maximè apud ipſorum maiores in vſu, cùm magnas & validas expeditiones ad imperiũ ampliandum, genteſque alias ſubiugandas omnibus totius ſuæ gentis neruis aggrederentur. Ad eiuſmodi vſum Germanicum etiam nomen videtur ſeruiiſſe, vtpote quod tum demũ Galli audiuerunt, cùm à Thungris patrio ſuo ſolo expellerētur. Et quemadmodũ hoc nouum nuperque additũ Tacito videtur, quia eius vſus antè cognitus non eſſet quàm aliena inuaderēt, tametſi apud Herodotum in Perſarũ exercitu recenſendo, & apud Dionyſium in Mæotidis accolis enumerandis poſitum celebratumq́. monſtrarim, ita in Vrancorũ quoq. fieri potuit nomenclatura; vt videlicet tum demũ nata crederetur, cùm ab iis quibus brachia ſua intentabant, primùm audiri cœpiſſet.

Germanorum nomen quando primùm Gallis auditum.

Atq. hæc quidē de Anſibariis, Anſiuariis, Angriuariis ſub Francorum nomine comprehenſis, & ipſorum primis & ſecũdis ſedibus ſufficiant; quorum non maior fides eſto quàm rerum, locorum, nominum, temporũ, ſcriptorumq́. concordia meretur. Quòd ſi Plinij viginti rerum Germanicarũ libri exſtarēt, certiùs fortaſſe de his ipſis diſſerere liceret; tametſi Tacitus ſub Traiano ſcribēs propinquior fuerit florentibus Francorum rebus, eoque potior auctor in huius gentis exordiis per coniecturas examinandis. Equidem video ad Domitiani vſque imperium Tenchteros Rheni ripam ad veteres vſq. Vbiorum ſedes tenuiſſe, quandoquidem Tacitus inter Agrippinenſes & Tenchteros non aliud quàm flumen medium facit. An verò Bructerorum ditio ad Lippiam vſque pertigerit, neſciuiſſem, niſi Tacitus referret, Velledæ virgini latè in Germania imperitanti & nationi Bructeræ nauē prætoriam Romanis ereptam per Lippiam dono miſſam: quo fit, vt ſi in patria ſua habitarit, dicendum videatur, ad Lippiam vſque Bructerorum pertinuiſſe regionem, à Friſiis exorſam: cui illud quoque ex eiuſdem auctoris primo libro conſentit, quod ſic habet: Ductum inde agmen ad vltimos Bructerorũ, quantumq́ue Amiſiam & Lippiam amnes inter, vaſtatũ. quibus Taciti verbis inter Luppiam & Amiſiam Bructerorum ſupremi fines ſtatuũtur.

Tenchteri vſque ad veteres Vbiorum ſedes Rheni ripam tenuerunt.

Bructerorum ditionis amplitudo.

Videndum itaque quæ pòſt conſecuta, & qua via Anſibarij, Romanorum infenſiſſimi hoſtes odiis optimo æquiſſimoq. iure ſuſceptis, ſed tum adhuc vagi & agrorũ egeni, Bructeros, Chamauorũ ope & vicinarũ nationum conſenſu exciderint. Mihi ſic ſuſpicari iubet, Bructeros, penes quos tum per Velledam ſumma rerum eſſe videbatur, ſuperbiores euaſiſſe quàm vt à liberis Germanorum animis ferri poſſent. Superbiam hanc Tacitus in iis quæ ex ipſo adduximus, indicauit; tum illud viceſimo primo de Batauis commemorat; vnde facile ſit coniectare, qua ratione finitimi Bructeros opprimi permiſerint. Ait enim, à Ceriali Velledam & propinquos tentatos, quò pacem cum Romanis inirent atque firmarent. Nam Cerialis, inquit, per occultos nuntios Batauis pacē, Ciuili veniam oſtentans, Velledam propinquoſq́. monebat, fortunā belli tot cladibus aduerſam opportuno erga populũ Romanũ merito mutare: Cæſos Treuiros, receptos Vbios, ereptã Batauis patriam: neq. aliud Ciuilis amicitia peractũ quàm vulnera, fugas, luctus: exſulem

exſulem eum & extorrem, recipientibus oneri. Et ſatis peccauiſſe, quòd toties Rhenum tranſcéderint: ſi quid vltrà moliantur, inde iniuriá & culpam, hinc vltioné & Deos fore. Miſcebantur minis promiſſa. Et concuſſa Tranſrhenanorū fide, inter Batauos quoq. ſermones orti, non prorogandá vltrà ruinam. Nec poſſe ab vna natione totius orbis ſeruitiū depelli: quid perfectum cæde & incendiis legionum, niſi vt plures validioreſq. accirentur? Si Veſpaſiano bellum nauauerint, Veſpaſianum rerum potiri. Sin popul. Rom. armis prouocent, quotam partem generis humani Batauos eſſe? Reſpicerent Rhætos Noricóſque & ceterorum onera ſociorum; ſibi non tributa, ſed iuuentutem & viros indici. Proximum id libertati: & ſi dominorum electio ſit, honeſtiùs Principes Romanorū quàm Germanorum fœminas tolerari. Hæc Tacitus. è quibus duo mox elicio: alterum, fieri non potuiſſe, vt non ægerrimè Germani tulerint Velledam, Bructeróſq. eius cognatos; primos belli, quo communis omnium libertas petebatur, finem feciſſe, promiſſis, doniſque, vt indicatum videmus, corruptos: alterum, veri ſimillimum eſſe, non Batauos tantùm à femineo imperio abhorruiſſe, verùm etiam finitimas gentes poſt hanc pacis pactionem commotas fuiſſe ad detrahendum nomini dignitatiq. muliebri, quod hic ſexus magis videatur muneribus capi poſſe. Videbantur tū Bructeri præcipui primariique libertatis aſſertores eſſe debere, & quia Rheni ripam tenerent, per quam in Romanam ditionem facillimus tranſitus eſſet, & quia ſummum iuris dicundi caput belliqúe vel ſuſcipiendi vel deponendi auctoritatem in Velleda ſua haberent. Quis ergo non credat, apud vulgus iuxtà nouarum rerum atque libertatis auidum, iactari cœptum, alio duce opus eſſe ad Germaniam à ſeruitute vindicãdam quàm fœmina iam à Romanis inetcata, & munerū quàm patriæ liberandæ amantiore: aliis item viris, quàm huius mollitiem corruptelamq., contagione quadam à Principibus in populum graſſari ſolita, ſecuturis. Iam Bructeros quoque tantum faſtus tum de regina ſua, tum de ſummo loco ſibi arrogare, vt æquè atque Romani intolerabiles ſeſe præberent. Non iam Deorū metu, non religione vlla Velledam teneri, cùm eam cui præeſſet Romanorum & pollicitis & donis prodidiſſet. Qua de re quid aliud exſpectari, quàm vt Romanorum auxilio freti tyrannidem ſibi in ceteros Germanos ſtabilire nitantur. Accedere ad id tentandum tum locorum, quæ tenerent opportunitatem, tum diuitias & hominum multitudinem, quibus præ ceteris abundarent, tum etiam fœdus recens cum Romanis initum atque ſancitum. Quamobrem maturè prouidendum, ne viribus ita augeantur, vt remedij nihil reſtet: idque eo magis accelerandum, quòd occaſio daretur commodior quàm vel optari poſſet. Anſibarios ſedibus ſuis & fortunis excuſſos iam diu oberrare, & extorres prædis inopem & duram vitam vix ſuſtinere. Eos ad quiduis audendum promptiſſimos, vt quibus nullus metus aut patriæ, quam nullam habent, aut vitæ, quæ morte durior ipſis eſſe cœpit, amittendæ. Deinde veteri odio contra Romanos & Bructeros flagrare; contra illos, quòd vacuis terris eieciſſent; contra hos, quòd aduerſus Romanos non adiuuiſſent: atque idcirco lubẽtiſſimè arma vtriſque illaturos, ſi intelligant id gratum finitimis gentibus quibus Velleda imperat, futurum, maximè ſi clanculario fauore nõnihil rebus ipſorū ſuccurratur. Quòd ſi fortuna adſpirante Bructeros ab omnibus deſertos expellát, nullos fore vel limitis Rhenani diligẽtiores cuſtodes, vel ad Galliá Romanis eripiendam meliores duces. Nullum principium fauſtius, auſpicatiuſq. libertatis prorogandæ tuendæq. inueniri poſſe, quàm ſi illorū ductu res geratur qui Francis maioribus orti, non ſolùm gẽtili nomine mouebūtur, ſed etiam hinc domeſtica egeſtate, hinc odio & indignatione veterū iniuriarum exardeſcent. Hæc & eiuſcemodi plura ab iis quos & muliebris imperij tædebat, & Bructerorum tum felicitas ad inuidiam, tum felicitatis comes ſuperbia ad odium impellebat, id tẽporis dicta iactataq. fuiſſe facillimè credá; & mox etiam conſecuta quò hæc tendebát. Arripuiſſe nimirū Anſibarios Francos rei bene gerẽdæ occaſioné, & ad id ſocios ſibi adſciuiſſe Chamauos, à quibus fortaſſe ob commiſerationem fuerát velut hoſpitio ſuſcepti. Ptolemæus certè Chamauos inter Viſurgim & Albim ſupra Longobardos & Cheruſcos locat, Cattis proximos, eo ferè tractu ad quem nunc Caſſel opidum celebre habetur; quò Angriuarios profugiſſe non ſit abſurdum, vel Chamauorum amicitia, vel locorū aſperitate & ſaltus Hercinij munimentis ſeſe defenſuros. Hinc trans Viſurgim non longū iter ad Luppiæ fonté, quem Lipſpronc nūc vocát, exiguo interuallo à Padeborna ſitum; à quo recta in Bructerorū fines deſcenſus patebat.

His

Velleda.

Bructeri cur vicinis Germanis exoſi, & eorum excidij cauſſa.

Chamauorum ſedes.

Lipſpronc.

His conſentit quod Tacitus lib.13.refert, Anſibarios à Chaucis eiectos ad Vſipios & Tubantes retrò ceſſiſſe; quorum terris exactos, Cattos; deinde Cheruſcos petiuiſſe, nec ab his nec ab illis admiſſos. Quod verò addidit, quòd iuuentutis erat, cæſum; imbelle vulgus in ſeruitutẽ actum, id quidẽ aliqua tenus credo, verùm omnes cæſos fuiſſe nõ credo ob ea quæ prius adduxi. Quin id de rerũ locorumq. cõuenientia elicio, in Chamauorũ finibus Anſibarios tantiſper cõſediſſe locis aſperrimis & culturæ ferè ineptis, dũ ad hanc expeditionẽ cõtra Bructeros inuitarẽtur; atq. idcirco Chamauos quoq. ſediũ ſuarũ pertæſos, & cupidine meliorũ allectos ſocia arma iunxiſſe, tanto cauſſa meliore, quòd quondam circa infimas Rheni ripas proximi Friſiis habitauiſſent, vt Boiocalus apud Tacitum cõmemorat; vnde ad aſperrima loca pulſi, & procliues ad cõmiſerationẽ ſimilia paſſorũ erant, & propenſi, ſi qua occaſio daretur, ad vetuſtas ſedes repetendas. Hæc igitur initia, hæ cauſſę fuerunt exitij Bructerorũ, quod Tacitus de relatu aliorũ Angriuariis attribuit, neſcius eoſdẽ modò Angriuarios, modò Anſibarios nominatos; & hos quidẽ omnes delatos arbitratus, quòd in loca Romanis ignota profligati, cæſi crederẽtur. Poſt pacẽ igitur cũ Bructeris à Romanis ſub Domitiano cõpoſitam hoc bellũ occaſionẽ & exordium ſumens ita geſtũ eſt, vt ſub altero Traiani Imperatoris conſulatu fuerit confectũ, quo tempore Tacitus de moribus Germanorum agens, Bructeros penitùs exciſos iis quę antè retulimus verbis prodidit. Occupatis iã tum Bructerorũ terris, Anſiuarij vetus Francorum nomen extulerunt, veluti ſymbolum quoddã, ſeſe mox Gallias inuaſuros, & vltra ſedes modò quæſitas lõgè lateq. prolaturos, & palmites ſuos & imperij fines. Quòd ſi quis nũc Tacitũ de Angriuariis & Chamauis & Bructerorũ excidio ab ipſis perpetrato loquẽtẽ cũ Marcellino de expeditione Iuliani contra Frãcos Anſiuarios & Chamauos eorũ vicinos ſcribente conferat, an non ſtatim clarè cernet eoſdem Anſibarios & Angriuarios fuiſſe?

Chamaui cur Anſibariis arma iunxerint.

Anſiuarij quando vetus Francorum nomẽ reſumpſerint.

NVNC igitur domicilio Francorũ ad Rhenũ cõſtituto, cõſequens eſt videre quàm ſe egregios Germanicæ libertatis defenſores, & quàm acres Romani nominis hoſtes præſtiterint, quamq. bene vicinarũ gentium, quarũ permiſſu & conſenſu Bructeros deleuerãt, auidæ reſpõderint exſpectationi. In primis ad Oceanũ vſq. limites promouere, occupatis inter Batauos & Friſios campis iis quibus & Friſij priùs, & ipſi pòſt pulſi fuerãt prętextu eo, vt ad vſum præſidiariorũ militũ vacui relinquerẽtur; ad armenta gregesq. paſcendos. Hos eos fuiſſe campos nihil dubito, quorũ nunc pars Maſtbroec vocatur, vnà cũ magna parte Tranſiſulaniæ maritimæ, vſq. ad Septem ſiluas vocatas extenſa; quod Tacitus apertè videtur oſtendiſſe. Eoque, inquit de his locis loquens, Friſij iuuentutem ſaltibus aut paludibus, imbellem ætatẽ per lacus admouere ripæ, agroſq. vacuos & militũ vſui ſepoſitos inſedêre. Opinor equidem per hos ſaltus Septem ſiluas intelligẽdas, à quibus quantum agrorum ad Rhenum vſque iaceret, militum vſui fuiſſe deputatum; quorum pars Maſtbroec vocata nõ aliud ſignificat quàm ſi dicas, humilia prata pecori impinguando idonea. Videre hîc eſt, quàm breui frequenter fiat magna rerum conuerſio. Quos campos Boiocalus Anſibariorum Princeps vnà cum ſuis popularibus ſedium & domiciliorum indigis nec meritis vel ſuis vel ſuorum maximis, nec rationibus de iure gentium petitis Neronis tempore impetrare potuerat, eos ipſos filij ipſius & nepotes, quos rumor erat aut cæſos aut in ſeruitutem abactos, inuitis Romanis eripuerunt, & homines extorres & à Romanis, quos magnis beneficiis ſibi obligauerant, neglecti atque deſerti ſic exiguo annorum numero conualuerunt, vt eos qui apud Germanos rerum potirentur & cum Romanis fœdera iunxiſſent, ſedibus exigerent, atque penitùs delerent. Quòd autem dicam ab ipſis loca vacua inter Friſios & Rhenum occupata, id inde coniecto, quòd non ita multo pòſt à re nauali plurimùm valuerint, & ab omnibus fide dignis Oceani accolæ ad Rheni oſtia fuiſſe ſcribantur; quod fieri non potuiſſet, niſi quantum agri inter Friſios & Rhenum pateret, occupaſſent. Lacus autem per quos imbellem ætatem in campos vacuos Friſij portaſſe dicuntur, ſunt ij qui hactenus inter ſiluas & Oceanum videntur, quorum qui maximus eſt & ſiluis proximus, emiſſarium habet ad ipſos campos quorum facimus mentionem. Friſia hac parte igitur his ſiluis & lacubus prius à vacuis Romanorum campis, deinde à Francis dirimebatur, quo fit vt Vechti fluminis, de quo an Vidrus ſit, nécne, nondum ſtatuo, ac Rheni oſtia non longo interuallo ſeiuncta, Francorum fuerint claſſi inſtruendæ perquàm opportuna; quibus locis nunc Campen / Geelmuiden / Vollenhouen oppida ſpectantur.

Franci Anſibarij in Friſiorum atque Batauorum finibus ad Oceanum imperium promouerunt.

Maſtbroec.

Septem ſiluæ.

Franci Anſibarij campos eos quibus priùs pulſi erant, inter Friſios et Batauos recuperant.

Francorum & Friſiorum limites.

Campen.
Geelmuidẽ.
Vollenhouẽ.

Friſio-

Campen. Schiermuden. Vollenhouē. Friſiorū præcipuum nauale. Fleuū caſtellum. Flodorp. Groeninger-diep. Francos non fuiſſe partem Chaucorum.

Friſiorum illis temporibus præcipuum nauale videtur fuiſſe qua parte Groeninga mari proxima eſt, eo loco quo hodie Flodorp habitatur, cui nomen à Fleuo apud Tacitum caſtello videtur manſiſſe, quod Ptolemæus Philebum vocat. Flodorp/ ſiue Latinè, Fleui pagus viſitur ad ipſum Groeninger-diep/ id eſt, ad Groeningorum altum, nauium maiorum receptaculum. Hæc eo accuratiùs & fortaſſe nimis prolixè de locorum poſitu dicuntur, ne quis à Beato Rhenano inductus, opinetur Francos ſub nomine Chaucorum latuiſſe, & ex illorum littoribus Oceanum infeſtaſſe; quod credẽdum minimè eſſe ex frequenti & ferè aſſidua Francorum in Batauiam incurſione perſpicuum fit, quæ tam facilis & prompta ipſis non fuiſſet, ſi tota Friſiorum regione media abfuiſſent, immo Friſij priùs quàm Batauí fuiſſent inuadendi, in quorum agris tranſeundis maxima obſtacula & impedimenta fuiſſent oblata, partim ex itineris difficultate, quod per pontes longos, qui aggeres ſunt & tramites anguſti inter paludoſos campos, crebrò tenendum fuiſſet; partim quòd gens eſſet alieni iugi externæque iniuriæ impatiens, & non locorum magis natura quàm eximia ſua virtute egregiè tuta. Ceterùm quia non Rhenanus tantùm Chaucorum partem Francos fecit, ſed alios etiam in eandem video ſententiam deſcendiſſe, operæpretium me facturum puto, ſi totum Taciti locum, cuius modò mentionem feci, transſcribam; quò quiuis inde æſtimare poſſit, quàm veri ſimile non ſit, Francos per Friſiorum agros è Chaucis vſque incurſaſſe regionem Batauorum.

Friſii Romanis bellum inferunt.

Eodem, inquit, anno Friſij Tranſrhenanus populus pacem exuère noſtra magis auaritia, quàm obſequij impatientes. Tributum iis Druſus iuſſerat modicum pro anguſtia rerum, vt in vſus militares coria boum penderent, non intenta cuiuſquam cura quæ firmitudo, quæ menſura; donec Olennius è primipilaribus regendis Friſiis impoſitus terga vrorum delegit, quorum ad formam acciperentur. Id aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficiliùs tolerabatur, quis ingentium belluarum feraces ſaltus, modica domi armenta ſunt. ac primò boues ipſos, mox agros, poſtremò corpora coniugum aut liberorum ſeruitio tradebant. Hinc ira & queſtus, & poſtquam non ſubueniebat remedium ex bello, rapti qui tributo aderant milites & patibulo affixi. Olennius infenſos fuga præuenit, receptus caſtello cui nomen Fleuum, & haud ſpernenda illic ciuium

Fleuum caſtellum.

ſociorumque manus littora Oceani præſidebat. Quod vbi L. Apronio inferioris Germaniæ proprætori cognitum, vexilla legionum è ſuperiore prouincia peditumque & equitum auxiliarium delectos acciuit: ac ſimul vtrumque exercitum Rheno deuectum Friſiis intulit, ſoluto iam caſtelli obſidio, & ad ſua tutanda digreſſis rebellibus. Igitur proxima æſtuaria aggeribus & pontibus traducendo grauiori agmini firmat, atque interim repertis vadis alam Canninefatum & quod peditum Germanorum inter noſtros merebat, circumgredi terga hoſtium iubet; qui iam acie compoſiti pellunt turmas ſociales equiteſque legionum ſubſidio miſſos. Tum tres leues cohortes, ac rurſum duæ, dein tempore interiecto acriùs eques immiſſus: ſatis validi ſi ſimul incubuiſſent, per interuallum aduentantes neque conſtantiam addiderant turbatis, & pauore fugientium auferebantur. Cethecio Labeoni legato quintæ legionis quod reliquum auxiliorum tradit; atque ille dubia ſuorum re in anceps tractus, miſſis nuntiis vim legionum implorabat. Prorumpunt Quintani ante alios, & acri pugna hoſte pulſo recipiunt cohortes alaſque feſſas vulneribus. Neque Dux Romanus vltum iit, aut corpora humauit, quamquam multi tribunorum præfectorumque, & inſignes centuriones cecidiſſent.

Lucus Baduhennæ.

Mox compertum à transfugis, nongentos Romanorum apud lucum, quem Baduhennæ vocant, pugna in poſterum extracta confectos, & aliam quadringentorum manum, occupata Cruptoricis quondam ſtipendiarij villa, poſtquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuiſſe. Clarum inde inter Germanos Friſium nomen, diſſimulante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret; neque Senatus in eo cura an imperij extrema dehoneſtarentur. Hæc ille. Quis modò credet Francos per hunc populum paludibus, lacubus, ſiluis & ſua ipſius vi ſatis munitum ad Batauos tranſiiſſe, idque tam obiter, vt & Friſiis dormitantibus, & Romanis ignaris id factum videretur; cùm ipſorum per Friſiam expeditionis nemo eorum meminerit, qui alioquin de Batauia vel hoſtiliter inuaſa vel etiam occupata ſcripſerunt?

Friſiorū clarum ex victoria nomen.

N V N C igitur non vanis nec futilibus, at contrà ſat firmis, vt res fert, coniecturis id mihi videor effeciſſe, vt cuiuis non omnino peruicaci probari poſſit, Francos Cimmeriorum

riorum olim partem fuiſſe, atque à Mæotide digreſſos, perinde atque eos qui Cimbrorũ nomen retinuerũt, in Germaniam Oceano finitimam cõmigraſſe; atq. inde ſedes inter Chaucos maiores & Langobardos Cheruſcorũ finibus proximos poſuiſſe, nomine ſibi indito Angriuariorum: atque pòſt hinc à Chaucis maioribus expulſos, Anſibarios dici cœpiſſe per vicinorum irriſionem, quòd iam non arripere, vt ſolent, ex nomine priore iactabant, ſed videre aliorum res poſſent, atque ita extorres ſiluas & ſaltus Chamauis vicinas tantiſper tenuiſſe, dum ad Bructerorum imperium euertendum inuitarentur; & hic rurſus vetus Angriuariorum nomen alienis arripiendis recuperaſſe; nec eo contentos, auguſtum illud Francorum nomen de priſcis maioribus ſuis repetiuiſſe, eo ipſo ominatos quod ſunt conſecuti, ſe nimirum longè lateque palmites ſuos in Romanorum prouincias extenſuros. Quamobrem his modò, velut incunabulis quibuſdam renaſcenti populo, conſtitutis, è quibus & Oceanum poſſent, & traiecto Rheno Germaniam inferiorem infeſtare; ordinis rationi conſentaneum eſſet, vt quæ hîc ab altero Traiani Imperatoris conſulatu geſſerint, exponeretur. Verùm quoniam nihil domeſticis ipſorum monumentis adiuuamur; vtpote hominum rei bene gerendæ quàm litteris mandandæ ſtudioſorum; niſi fortè Hunibaldos quis fabulatores frigidiſſimos idoneos teſtes arbitretur, contentos nos eſſe oportebit iis quæ à Romanis memoriæ prodita leguntur; ea tamen conditione, vt ab hoſtibus & iniquis rerum externarũ æſtimatoribus profecta intelligantur. Ceterùm quando non pauca in iis quæ modò à nobis ſunt citata ad hunc locũ ſpectantia continentur; non erit opus vt eiſdẽ repetendis ſimus non prolixiores tantùm, ſed delicatioribus etiã auribus odioſi. In ipſis certè felicitatis ſuæ exordiis veriſimile eſt eos Rheni ripas citeriores non tentaſſe, ne Romanos multo potentiores contra ſe necdum bene confirmatos irritarent; ſatis id rati quòd ad Oceanum vſq. vacua loca occupaſſent, vt & modò dixi, & ex iis liquet qui Francos principiò ad Oceanum & Rheni paludes habitaſſe ſcribũt. Tempore Antonini Pij legimus apud Iulium Capitolinum, Cattos in Germaniam ac Rhœtiam irrupiſſe, Marcomannos, Quados, Sueuos, Hermunduros, & alios quoſdã populos aduerſus Romanos coniuraſſe, ſed nulla adhuc mentio vel Francorum, vel Angriuariorum; cùm tamẽ eo tempore in Britanniam Calphurnius Agricola mitteretur; quo, ſi quicquam in Germania inferiore turbatũ fuiſſet, ab eodem ſcriptore additum haberemus. Cùm autem Antoninus Germanorum auxilia contra Germanos emiſſe dicatur, ea ipſa arte qua etiam noſtro tẽpore Germani vincuntur, fuerintq. multo antea Bataui & Thungri in ſtipendiis Romanorum, non puto veri diſſimile fore, ſi dicantur eo tempore Franci quoque nonnulli ſub nomine Germanorum contra Cattos, Marcomannos & Quados & ceteros vicinos conducti fuiſſe; non illud quidẽ vllo in Romano ſtudio, ſed ingenito Germanis res ſuas bello augẽdi amore, & ſi domi pax ſit, foris militiam quærendi conſuetudine: tum ea etiam fortaſſe cauſſa, vt Romanæ militiæ aſſueti reapſe diſcerent quibus artibus imperium propagandũ tuendumq. eſſet. Vt ſic ſuſpicer, facit cùm Batauorũ & Thungrorum vicinia, quorũ exemplo facilè poterant inuitari; tum etiam quòd maiores ipſorũ duce Boiocalo in Romanis caſtris meruiſſent. Via mihi ſanè planiſſima videtur ad nocendũ, priùs omnem militarem diſciplinam eius gentis peruidere, cui exitium machinaris quàm quicquam hoſtile tentes. Qua verò id ratione faciliùs conſequaris, quàm ſi iis quorũ finibus inhias auxiliares cohortes mittas, quæ non armorum modò & ſtratagematũ vſum perſpiciant, ſed locorũ etiam & temporum opportunitates explorent. Scio equidem Francorũ nomen id temporis necdum celebrari ab hiſtoriæ ſcriptoribus; at illud non poſſumus negare, ſub Gallieno Francos Poſthumo auxiliares fuiſſe, apertè id Trebellio Pollione teſtificato. Cùm igitur hic è tota Gallia Germanos ſcribatur profligaſſe, & Francorum auxiliis vſus eſſe, ſic hanc rem mecũ ſupputo; lubenter Francos contra Cattos, Tenchteros, ceteroſq. in Gallia pugnaſſe, vt ipſi vel precario vel vi eadẽ loca pòſt occuparent, à quibus ſolo fluminis diſcrimine ſeiungerentur. Pòſt verò nõ ita multo apertè cœpere Romanos laceſſere, ſed, vt Mars eſt ἀλλοπρόσαλλος, dubio frequenter & triſti euentu. Nam minimo exinde tẽporis interuallo in Galliam eruperunt, totam regionem ferè incurſantes, quos Flauius Vopiſcus pulſos ſcribit ab Aureliano necdũ Imperatore, verũ ſextæ legionis Gallicanæ tribuno, ita vt id accidiſſe videatur cõfeſtim à Poſthumi morte, aut ipſo adhuc Gallieno aut Claudio imperante. Ceterùm cum ſexta hæc legio apud Maguntiacum ſtationem

Francos Romanis contra Cattos, Marcomannos, & Quados militauiſſe.

Franci Poſthumo auxiliares.

Franci ab Aureliano pulſi.

habuiſſe ſcribatur, par eſt credere, couſq. tum Francos excurriſſe, & cohortem aliquam corũ ab Aureliano victam, non pluribus captis quàm trecentis & ſeptingentis interemptis; ne quis putet totas ipſorũ copias iuſta acie ad internecionem cæſas. Celebratur & Probi cõtra eos victoria, quo loco paludũ, quibus ſe tuerẽtur, Flauius meminit; & Frácos à Germanis & Alemanis diſcernit. Mox inde non Galliarũ modò vaſtatione, ſed nauali etiã re inclaruerunt, vt Panegyricus Maximiniano dictus oſtẽdit, qui Britanniam quoq. ab ipſis vexatã occupatamq. ex parte cõmemorat: atq. adeò tum temporis res ipſorum inualuiſſe, tum domeſticis tum ſociorũ armis, vt omni Romanorũ imperio exitiũ imminere videretur; quod his verbis expreſſum eſt: Confeciſti, inquam, bellũ, Cæſar inuicte, quod cunctis impẽdere prouinciis videbatur, tamq. latè vagari & flagrare poterat, quàm latè omnis Oceanus & mediterranei ſinus alluunt. Neq. enim ſi metu veſtri lues illa ſolis Britanniæ viſceribus intabuit, id idcirco neſcimus, quanto ſe aliàs furore iactaſſet, ſi fiduciam peruagandi quà patebat, habuiſſet. Nullo ſiquidem certo fine montiũ aut fluminũ terminabatur, quem diſpoſitæ limitis cuſtodiæ nõ tuerentur: ſed vbiq. nauis licet nobis virtutẽ felicitatemq. veſtrã haberemus, magnis tamẽ terroribus imminebat, quà iacẽt maria, quà vẽti ferũt. Recurſabat quippe in animos illa ſub diuo Probo & paucorũ ex Francis captiuorũ incredibilis audacia, & indigna felicitas; qui à Ponto vſq. correptis nauibus Græciam Aſiamq. populati, nec impunè pleriſq. Libyæ littoribus appulſi, ipſas poſtremò naualibus quondã victoriis nobiles ceperant Syracuſas, & immẽſo itinere peruecti Oceanum, quà terras rupit, intrauerant; atq. ita euentu temeritatis oſtenderant, nihil eſſe clauſum piraticæ deſperationi quò nauigiis patẽret acceſſus. Itaq. hac victoria veſtra nõ Britannia ſolùm ſeruitute eſt liberata, ſed omnibus nationibus ſecuritas reſtituta, quę maritimo vſu tantum in bello adire periculi poterant, quantũ in pace cõmodi conſequuntur. Nunc ſecura eſt, vt de latere Gallico taceam, quamuis pęnè cõſpicuis littoribus Hiſpania, nunc Italia, nunc Africa, nunc omnes vſq. ad Mæotidas paludes perpetuis curis vacant gentes. Hæc Panegyriſta qui paullo pòſt, de gaudio Britannorum loquens, hæc addit: Meritò igitur ſtatim atque ad littus illud exoptatus olim vindex & liberator appuleras, obuius ſeſe maieſtati tuæ triumphus effudit, exultanteſque gaudio Britanni cum coniugibus ac liberis ſe obtulerunt; non te ipſum modò, quem vt cælo delapſum intuebantur, ſed etiam nauis illius quę tuum numen aduexerat, vela remigiaque venerantes, paratique te ingredientem ſtratis ſentire corporibus. Nec mirum, ſi tanto gaudio ferebantur poſt tot annorũ miſerrimam captiuitatem, poſt violatas coniuges, poſt liberorum turpe ſeruitium, tandem liberi tandemque Romani, tandem vera imperij luce recreati. Atque hæc quidem Maximiniani laudator de Britannia à Francis ſubiugata: quam cùm dicat multos annos ſeruitute preſſam fuiſſe, probabile fit vel Gallieno imperante, vel mox inde fuiſſe occupatam. Videre licet in his Panegyrici verbis, quantum cœperint iam tum Franci terrorem Romanorum prouinciis incutere, quamq. totum orbem nominis ſui claritate perſtringere. Nec facilè crediderim, eò maritimæ potentiæ intra paucos annos progreſſos, vt omnia maria explorata haberent, vt habuiſſe ſub Probo videntur; ſed hoc ex iis quæ referuntur colligo, ſimulatq. Bructeros imperio ſedibuſque expuliſſent, ſtatim de Oceano cogitaſſe, atque eo auidiùs agros ad mare ripamque Rheni militibus Romanis reſeruatos ſibi vindicauiſſe.

Franci re naualis clari Britanniam vexant.

VERVM nunc ſatis de Britannia: videamus hinc quam Galliæ partẽ primùm inuaſerint, vt & ex eo perſpicuum fiat, veras à nobis ipſorum ſedes in Germania cõmonſtratas eſſe. Id rurſus idem Panegyricus oſtendit, dum & terras à Scaldi irrigatas, & inſulam Rheni brachiis cõprehenſam à Francis occupatas fuiſſe dicit. Quamquam, inquit, illa regio diuinis expeditionibus tuis Cæſar vindicata atque purgata quam obliquis meatibus Scaldis interfluit, quamque diuortio ſui Rhenus amplectitur, pæne vt cum verbi periculo loquar, terra non eſt; ita penitùs aquis imbuta permaduit, vt non ſolùm quà manifeſtè paluſtris eſt cedat adnixum, & hauriat preſſa veſtigium; ſed etiam vbi paullo videtur firmior, pedum pulſu tentata quatiatur, & ſentire ſe procul mota pondus teſtetur: ita, vt res eſt, ſubiacentibus innatat & ſuſpenſa latè vacillat, vt meritò quis duxerit exercendum fuiſſe tali ſolo militem ad nauale certamen. Sed neque illæ fraudes locorum, nec quæ plura inerant perfugia ſiluarum barbaros tegere potuerunt, quò minùs ditioni tuæ diuinitatis omnes ſeſe dedere cogerentur.

Franci quam partem Galliæ primùm inuaſerint.

His

His verbis Panegyriſta ſatis oſtendit, Batauiam principiò ac deinde Brabantiæ & Flandriæ proximas partes à Francis fuiſſe tentatas atque ſubiectas: è quibus quamuis à Maximiano pulſi dicantur, non ſic tamen pulſi ſunt, vt non rurſus eadem arua tempore Conſtantij occuparint, & rurſus fuerint eiiciendi. Qua de re Panegyricus Conſtantino dictus ſic habet, de Conſtantio patre verba faciens: Purgauit ille Batauiam aduena hoſte depulſo. Porrò neque Conſtantius ita Francos depulit, vt non mox Conſtantinus quoque eius filius occaſionem nanciſceretur magnæ crudelitatis contra hanc gentem edendæ. Duos reges ipſorum captos beſtiis obiecit, quod infame mortis genus Eutropius expreſſit. Panegyriſtæ ſupplicium quidem vltimum de ipſis ſumptum prodiderunt, ſed quale id fuerit non explicarunt. vnius, omiſſis ceteris, verba adſcribam: Affeciſti, inquit, pœna temeritatis reges ipſos Franciæ, qui per abſentiam patris tui pacem violauerant; non dubitaſti vltimis punire cruciatibus, nihil veritus gentis illius odia & inexpiabiles iras. Cur enim vllam reputet iuſtæ ſeueritatis offenſam Imp. qui quod fecit tueri poteſt, tua clementia eſt quæ parcit inimicis, & ſibi magis proſpicit quàm ignoſcit. Te verò Conſtantine quantumlibet oderint hoſtes, dum perhorreſcant. Hæc eſt enim vera virtus, vt non ament, & quieſcant. Cautior licet ſit qui deuinctos habet per veniam perduelles, fortior tamen eſt qui calcat iratos. Renouaſti Imp. veterem illam Romani Imperij fiduciam, quæ de captis hoſtium ducibus vindictam morte ſumebat. Tunc enim captiui reges cùm à portis vſque ad forum triumphantium currus honeſtaſſent, ſimulatque in Capitolium currum flectere cœperat Imp. abrepti in carcerem necabantur. Vnus Perſeus, ipſo Paulo qui ſe dedentem ceperat deprecante, legem illius ſeueritatis euaſit; ceteri in vinculis luce priuati aliis regibus dedere documentum, vt mallent amicitiam colere Romanorum, quàm exaſperare iuſtitiam. Adeò & hoc boni confert pœna hoſtibus irrogata, vt non ſolùm inimici ferocire non audeant, ſed etiam amici impenſiùs revereantur. Inde eſt igitur Imp. pax iſta qua fruimur. Neque enim Rheni iam gurgitibus, ſed nominis tui terrore munimur, quamlibet ille aut areſcat æſtu, aut reſidat gelu; neutro hoſtis audebit vti vado. Nihil enim tam inſuperabili vallo natura præcluſit, quod non penetret audacia, cui aliqua conandi ſpes relinquatur. Ille eſt inexpugnabilis murus quem exſtruit fama virtuti. Sciunt poſſe Franci tranſire Rhenum, quos ad necem ſuam libenter admittas: ſed nec victoriam poſſunt ſperare, nec veniam. Quid ipſos maneat ex regum ſuorum cruciatibus metiuntur: ideoque tantum abeſt vt amnis illius tranſitum moliantur, magis vt coëmpta poteſtate deſperent. Vbi nunc eſt illa ferocia? vbi ſemper infida mobilitas? Iam ne procul quidem Rhenum audetis accolere, & vix ſecuri flumina interiora petitis. Contrà hinc per interualla diſpoſita magis ornant limitem caſtella quàm protegunt. Arat illam terribilem aliquando ripam inermis agricola: toto noſtri greges flumine bicorni auerſantur. Hæc eſt tua, Conſtantine, de Aſcarici nece Gaiſique ſupplicio quotidiana atque æterna victoria, omnibus quondam ſecundis prœliis anteponenda: ſemel acie vincitur, ſine fine documento. Cladem ſuam, quamuis multi pereant, vulgus ignorat: compendium eſt deuincendorum hoſtium, duces ſuſtuliſſe. Hæc ille; in quibus nonnulla correximus, vt manifeſtũ erit conferenti. Beatus Rhenanus Regaiſum legit, ego Gaiſi nomen retinui, quod pro Geîſo, frequenti nobis voce, ſcriptum à Romanis exiſtimo. Eſt autem Geis/obſidem vel accipere vel dare. vnde Geiſel & Geiſeler, obſes; & Geiſbert, is qui dignus eſt vt ſit obſes, quem deciſa ſyllaba poſteriore Geis vocamus; à quo an Gaiſus deducatur, aliorum arbitrio permitto. An Aſcaricum è Scar-rijc/ quo cateruarum diues notatur, Latini fecerint; an verò Haſt-ſcar-rijc fuerit nominatus, & molliùs Aſcaric/ quod eſt citò cateruarum diues, equidem ignoro: nec mirum in tanta propriorum nominum corruptela nihil certi ſtatui poſſe. Primi ſanè hi ſunt Francorum reges quorum nomina apud fidos hiſtoriæ ſcriptores exſtent, fortaſſis etiam in occultis manſura, niſi inſigni Conſtantini ſæuitia innotuiſſent.

Batauia primùm & Brabantia Flandriaq́ue proxima à Francis tentata atq. ſubiecta.

Conſtantinus Imper. duos Francorum reges beſtiis obiecit.

Aſcaricus & Gaiſus Francorum reges à Conſtantino affecti ſupplicio.

Gaiſi etymõ.

Geis.

Geiſel.

Geiſbert.

Aſcarici nomenclaturæ ratio.

DIVERSOS Francorum reges citra nomina Panegyricus idem commemorat, ad Conſtantij principatum eos referens: quamobrem vix audiendos puto qui Pharamundum primum Francorũ regem fuiſſe ſcribunt, eo decepti, quòd Sulpicius Seuerus Genebaldum, Marcomerem & Sunnonem duces vocet Francorum, non reges, in ea expe-

Pharamundũ non fuiſſe primum Francorum regem.

ditione qua multo pôſt Galliam ſiue Germaniam ſecundam, Theodoſio & Maximo de imperio certantibus, inuaſerunt. Quaſi verò & non alius tum temporis potuerit eſſe rex, qui hos emiſerit; vel veritati aduerſetur, ſi quis regem dum exercitum ducit, ab officio ducem appellet. Noſtra nihil refert, reges'ne fuerint an duces, qui tum clauum reip. Francorum tenebant: id ſaltem conſtat, ducis nomen, vti hodie vſurpatur, æquè ad Monarchiam atque regis pertinere, tametſi hoc quàm illud honorificentius & auguſtius habeatur. Verùm hæc quæſtio aliis relinquatur, qui norunt quibus finibus dux à rege ſeparetur, & quo limite vterque diſtet à Tyranno. Nobis ſatis eſt oſtendiſſe, Conſtantij & Conſtantini magni tempore Francis reges de Romanorum teſtimonio fuiſſe, multo ante Pharamundi ætatem. Quid quòd præter Eutropium & Panegyriſtas Ammianus quoque Marcellinus regis Francorum apertam faciat mentionem, addito etiam Mallobaudis nomine, idque viuo adhuc Valente cùm quæ de Genebaldo Marcomere & Sunnone Sulpicius, & ex eo Gregorius Turonenſis Epiſcopus refert, non poſt Valentem modò à Gotis cæſum, ſed poſt Gratianum etiam apud Lugdunum interfectum accidiſſe ſcribantur, eo nimirum tempore quo Theodoſius Maximi tyrannidem ibat deiectum. Quando igitur Francorum reges ab iis celebrantur qui multo ante Pharamundum litterarum laude floruerunt, magnæ negligentiæ accuſandi ſunt qui poſtea regnum ipſorum exordiuntur. Hac igitur dubitatione obiter profligata, à Conſtantini magni ætate ad inferiora pergamus, eo tamen priùs adiecto, quod in Panegyrico eſt ad hunc eundem Imperatorem, Francos multos è ſedibus ſuis paluſtribus, quas ad Rheni oſtia tenebant, à Conſtantio domicilia agroſque meliores quàm antra habuiſſent in Gallia accepiſſe. Nec verò eo primùm tempore in Galliam à Romanis ſunt admiſſi, ſed antè quoque ab ipſo Maximiano, cùm ſemel eiecti eſſent, ſunt Gallicis agris donati; quod Panegyriſta ita expreſſit, vt Neruiorum & Treuerorum arua dicat à Francis poſtliminio reſtitutis excoli. Antea autem hæc loca ab ipſis occupata fuiſſe, non hoc tantùm teſtimonium conuincit; ſed Eumenius quoque Rhetor Galliæ ſub Diocletiano præfectum laudans ſic ob oculos ponit, vt facilè quiuis inde intelligat, non agros modò à Francis vaſtatos & cultoribus nudatos fuiſſe, ſed arces etiam omnes & opida euerſa, non ſecus atque ſi vndis fuiſſent hauſta & abſorpta. Coacti igitur ſunt Romani vltrò Francis arua quæ depopulati eſſent & in ſolitudinem triſtem redegiſſent offerre, ne loca perpetuò vacua manerent & inculta, ad quæ conferenda non alius quiſquam accedere auderet. Nam quòd vel hiſtoriæ vel panegyricorum ſcriptores ad Francorum referunt ſeruitutem, quaſi coacti Romanorum agros colerent, & delectu militiam iuuarent, perridiculum ei videbitur qui ſciat non aliam cauſſam Galliæ inuadendæ ipſis fuiſſe, quàm vt eius agros poſſiderent; & nihil prius aut potius ſemper Germanis fuiſſe, quàm rem domeſticam externorum ſtipendiis augere. Alio nobis modo veritas eruenda, Romanos, animaduerſo non poſſe citra frumenti copiam Germaniam ſecundam teneri aduerſus Francorum violentiam, rebus ita ſuis conſuluiſſe, vt vltrò Francis concederent quod armis quærebant, tum quò agri culti annonam laxarent, & Franci contra Francos ſua tuerentur, & Romano militi & Galliæ darent ſecuritatem; tum quò bellicoſa iuuentute Romanorum copias vireſque augerent. Interpretentur hæc vtcumque volent Romani ſcriptores, & laudi dent ſuis imperatoribus; numquam tamen efficient vt non ipſa veritas ſeſe luculentiſſimis indiciis prodat.

Conſtantius Francis in Gallia ſedes attribuit.

Maximianus Gallicis agris donauit Frãcos.

Quamuis enim Conſtantinus terrore putauerit Francos hoſtes cohibendos, eoque duos ipſorum reges beſtiis obiecerit inſigni ferocis animi & crudelis argumento; ipſemet tamen atque eius filij aliter ſibi agendum rati cum iis quos amicos ſocioſque haberent, Francorum plurimos non ſolùm in militiam, ſed in aulam etiam & palatium adſciuerunt; quorum nonnulli ad ſummos honores euecti leguntur, quò Francis amicis & beneficiorum inſigniũ vinculo ſibi obſtrictis aduerſus Francos & ceteros hoſtes auxiliaribus vterentur. Conſtantius enim Malarichũ apud ſe habuit: quem, licet Marcellinus gentilium dumtaxat rectorem vocet, ego tamen regem fuiſſe ex iis quæ de Mallobaude ſucceſſore ſcripſit colligo; quem regem fuiſſe Francorum, libro triceſimo primo apertè profitetur. Francorum autem Conſtantij tempore in palatio multitudinem floruiſſe

Malarichus Francorum rex.

Mallobaudus Francus tribunus palatij.

floruiſſe idem Ammianus teſtificatione ſua confirmat, quo loco fœdas calumniarum inſidias contra Siluanum natione Francum pedeſtris militiæ in Gallia rectorem ſtructas deſcribit. Eodem igitur tempore & pedeſtrem in Gallia exercitum Francus regebat, & armorum in palatio tribunatu Mallobaudes Francus nobilis habebatur, & Malarichus apud Imperatorem inter gentiles ſuos ſceptrum tenebat. Siluanus hic Francus patrem habuerat Bonitium virum ſtrennuum & claris fortis animi exemplis nobiliſſimum, cuius maximè auxilio Conſtantinus Licinium vicit; quod eo magis credendum, quòd ab Ammiano prodatur, qui ſe tamen vnũ fuiſſe fatetur ex iis qui Conſtantij iuſſu Siluanum occidi curarunt. Nec minus Siluanum propria laude quàm parentis gloria celebrauit, dicens eum à Barbaris Galliam fortiſſimè vindicaſſe: qua de re egregie eximieque geſta contra exſpectationem æmulorum, qui tanta mole oppreſſum iri ſperauerant, grauiſſimam inuidiam incurriſſe; hinc mox Dynamij, Lampadij, & Euſebij calumniis apud Conſtantium, id genus artibus facillimum captu, traductum oneratumque fuiſſe: tametſi Malarichus abſentis cauſſam ſtrennuè tueretur, ſeque offerret ad Siluanum coram Imperatore ſiſtendum. Verùm ſanis Malarichi conſiliis reiectis, calumniatores indies magis atque magis apud Conſtantium inſtabant, quo frequentibus epiſtolis cognito, Siluanus ſuffragiis principum exercitus ſui Agrippinæ ad imperij culmen adſcendit, quo clàm aliquot à Conſtantio deſtinati, & inter ceteros Ammianus Marcellinus, Braccatos & Cornutos copiarũ Siluani partem magnis pecuniis & promiſſis currumpunt, quo ex inopinato ducem ſuum trucidarent. Interficitur igitur Siluanus vir belli artibus clariſſimis in ædicula Chriſtianorum, quò aruentibus militibus confugerat. Quanti autem huius virtus inter Romanos æſtimaretur, quamuis inuidia, clariſſimum quemq. velut vmbra perpetuò ſecutura, non declaraſſet; ipſius tamen Conſtantij, & omnium eorum qui in regia ſummi eſſent, metus illuſtri documento oſtendit, dum nuncio purpuræ à Franco ſumptæ omnes attoniti, haud ſecus atq. ſi fulmine icti fuiſſent, redderentur. Profectò ita res erat, niſi fortiſſimum virum doli Græca Marcellini & ſociorum arte conſtructi, & milites ad ſcelera venales improuiſum & inermem oppreſſiſſent, egregium Romani habuiſſent Imperatorem, non illum quidem vel ambitione vel Conſtantij odio, ſed neceſſitate calumniatorum ad ſummũ faſtigium prouectũ. Fuit in huius exercitu tribunus quidã Francus, quem Laniogaiſum Marcellinus appellat, aiens eum ſolũ Conſtanti morienti adfuiſſe, & Siluano dubitanti hærentiq. qui ſalutẽ inueniret; præcipuum auctorẽ, vt animo cõfirmato id ageret quod præſens neceſſitas poſtularet. Hunc Sex. Aurelius Victor Gaiſonem vocat, Conſtantem ab eo occiſum aſſerens; cuius nominis monitu, Gaiſum in Panegyrico paullo ſuperiùs citato legendum cenſui, non Regaiſum, vt Rhenanus corrigendũ nomen exiſtimauit. Equidem ſuſpicor in Ammiano legendũ Lango Gaiſum, nõ Laniogaiſum, vt ſit Gaiſus cognomento Longus. Nunc itaq. conſtat, Francos nõ ſolùm ſuos domi reges ante Pharamundum habuiſſe, verumetiam apud Romanos Imperatorem, breuis illum quidem regni, quod viceſimo octauo die violenta morte terminauit, ſed talem tamen, vt ab ipſis etiam hoſtibus qui mortem eius procurarunt, laudetur. Præter belli laudem, quam eximiam in eo fuiſſe monſtraui, celebratur & inſigni aliarum virtutum præconio ab Aurelio Victore. Fuit, inquit, ingenio blandiſſimus, & quamquam barbaro patre genitus, tamen inſtitutione Romana ſatis cultus & patiens. Perſpicuum igitur quàm illuſtribus virtutum dotibus hic fuerit ornatus, quem Romani & Græci, barbarorum hoſtes infenſiſſimi, coacti ſunt egregiis laudibus efferre; quem ſi inuidia viuere ſiuiſſet, habuiſſent Franci quem Traiano & Antonino in Romano imperio rectè gubernando comparare potuiſſent. Videmus itaque quanta belli fortiumque factorum gloria cùm ſub Conſtantino Magno, tum ſub filio Conſtantio Franci floruerint, quibusque maxime viribus Galliam defenderint Romani.

Siluanus Frãcus Romanorum in Gallia pedeſtris militiæ rector.

Bonitius Francus, Siluani pater.

Marcellinus vnus ex iis quibus Siluani cædes commiſſa eſt.

Siluanus trucidatus.

Siluani laudes.

Laniogaiſus, vel Langogaiſus Francus.

Porrò Siluani virtutes non vita tantùm, ſed mors etiam ipſa demonſtrauit; poſtquam hinc Alemani, hinc Franci, velut obice rupto, Rhenum tranſgreſſi totã Galliam concuſſerunt, & magnam eius partem occuparunt: vnde mox perſpicuum fuit, quantum in vno viro fuerit momentum rerum feliciter gerendarum. qua de re hæc ſunt Marcellini verba: Conſtantium verò exagitabant aſſidui nuncij, deploratas iam Gallias indicantes, nullo renitente ad interneccionem barbaris vaſtantibus vniuerſa.

Mox addit, Conſtantium hac rerum difficultate preſſum fuiſſe, vt Iulianum tum ad huc in Græcia palliatum ad imperij ſocietatem adſciſceret; qui cùm Taurinos perueniſſet, nuntium triſtiſſimum accepit, Coloniam nimirum Agrippinam ampli nominis vrbem in ſecunda Germania pertinaci Barbarorum obſidione captam: quo audito ſæpe dicitur murmuraſſe, nihil ſe plus adſecutum quàm vt occupatior interiret. Qui autem hi Barbari fuerint, ſequenti mox libro declarat, vbi commemorata priùs victoria in ſuperiore Germania, hæc ſubiungit verba: Nullo itaque poſthac repugnante, ad recuperandam ire placuit Agrippinam, ante Cæſaris in Galliam aduentum exciſam; per quos tractus nec ciuitas vlla viſitur nec caſtellum, niſi quòd apud Confluentes, locum ita cognominatum, vbi amnis Moſella confunditur, Rigodulum opidum eſt, & vna prope ipſam Coloniam turris. Igitur Agrippinam ingreſſus, non antè motus eſt exinde quàm Francorum regibus furore miteſcente perterritis, pacem Reip. firmaret interim profuturam, & vrbem reciperet munitiſſimam: quibus vincendi primitiis lætus, per Treueros hiematurus apud Senonas opidum tunc opportunum abſceſſit; vbi bellorum inundantium molem humeris ſuis, quod dicitur, vehens, ſcindebatur in multiplices curas; vt milites, qui à ſolitis deſciuere præſidiis, reducerentur ad loca ſuſpecta, & conſpiratas gentes in noxam Romani nominis diſiectaret, ac præuideret ne alimenta deeſſent exercitui per varia diſcurſuro. Hæc ſollicitè perpenſantem hoſtilis aggreditur multitudo, opidi capiundi ſpe in maius accenſa; ideo confidentes quòd nec ſcutarios adeſſe prodentibus perfugis didicerat, nec Gentiles per municipia diſtributos, vt commodiùs veſcerentur. Hæc ille: in quibus per Gentiles eos intelligit qui cum Francis, opidum expugnare contendentibus, eiuſdem gentis eſſent; tametſi Romanorum ſtipendiis militarent: quo loco rurſus cernas, præcipuum Galliæ cuſtodiendæ præſidium penes Francos tum fuiſſe; vt hinc liceat exiſtimare, ſolis Germanorum viribus Germanos ſuperari vincique poſſe. Iam & illud hîc iterum annotes, Francorum tunc reges fuiſſe qui Galliam infeſtabant; quò magis mireris eos qui quæſtionem de Francorum regum antiquitate aggreſſi, nullos ante Pharamundum inuenire potuerunt. nec hoc tantum, ſed & illud annotes, per Francorum Reges Romanis confœderatos & militantes Galliam diu fuiſſe defenſam. vnde fit vt monſtri ſimile videatur, Francorum res tam magna mox inde incrementa cepiſſe, cùm diſcordia non augeri & prouehi res ſoleant, ſed contrà retrò ferri atque collabi. Verùm nec concordia tanta vlla eſt & animorum vnio, vt regna vel conſtituere poſſit vel conſeruare; nec rurſus tanta diſcordia, vt imperia queat euertere; niſi Deus ſuam adiungat voluntatem, in qua ſola fundamentum eſt omnium regnorum & rerum publicarum. Cùm itaque Franci exploratum haberent, & ſcutarios abeſſe & gentiles ſuos per municipia diſtributos, vt largiùs lautiuſque ſe tractandi copiam haberent, Iulianum auſi ſunt obſidere: verùm ingens Cæſaris diligentia, & peruigil cura, & maior quàm ducem deceret audacia ſpem ipſorum fefellit: qua deiecti, poſt triceſimum diem obſidionem ſoluerunt. Cæſare per æſtatem ſequentem contra Allemannos occupato, Franci rurſus populabundi per Galliam diſcurrerunt, quod Ammianus ad hunc modum expoſuit: Remos Seuerus Magiſter equitum per Agrippinam petens & Iuliacum, Francorum validiſſimos cuneos mille ſexcentis velitibus, vt poſtea claruit, vacua præſidiis loca vaſtantes offendit: hac opportunitate in ſcelus audaciam erigente, quòd Cæſare in Allemannorum ſeceſſibus occupato, nulloque vetante expleri ſe poſſe prædarum opimitate ſunt arbitrati: ſed metu iam reuerſi exercitus, munimentis duobus, quæ olim exinanita ſunt, occupatis, ſe quoad fieri poterat tuebantur. Hac Iulianus rei nouitate perculſus, & coniiciens quorſum erumperet, ſi iiſdem tranſiiſſet intactis, retento milite circum vallare diſpoſuit Caſtellum opidum, quod Moſa fluuius præterlambit, & aduſque quartum & quinquageſimum diem, Decembri ſcilicet & Ianuario menſe, obſidionales tractæ ſunt moræ, deſtinatis Barbarorum animis incredibili pertinacia reluctans. Tunc pertimiſcens ſolertiſſimus Cæſar ne obſeruata nocte illum Barbari gelu vinctum amnem peruaderent, quotidie à Sole in veſperam flexo ad vſque lucis principium luſoriis nauibus diſcurrentes flumen vltro citroque milites ordinauit, vt cruſtis pruinarum diffractis, nullus ad erumpendi copiam facilè perueniret: hocque commento inedia & vigiliis & deſperatione poſtrema laſſati, ſponte ſepropria dederunt; ſtatimque ad comitatum Auguſti ſunt miſſi: ad quos eximendos

Colonia Agrippina à Francis capta.

Rigodulum opidum.

Iulianus cum Francis pacem facit & Agrippinam Coloniam recipit.

Franci Romanis militantes Galliam diu defenderunt.

Iulianus à Francis obſeſſus.

Caſtellum Francorum opidum Iuliani obſidione capit.

mendos periculo multitudo Francorum egreſſa cùm captos cõperiſſet & aſportatos, nihil amplius auſa, repedauit ad ſua caſtra. hiſque perfectis, acturus hiemem reuertit Pariſios Cæſar. In his Ammiani verbis, mille ſexcentos legit Rhenanus; tametſi exemplaria typis excuſa habeant, In ſexcentis, phraſi alibi etiam à Marcellino vſurpata. Caſtellum autem opidum Keſſel, ni fallor, modò vocatur, qui pagus eſt in ſiniſtra Moſæ ripa à Venlo paullo plus minus duobus miliaribus diſtans, in Toxandriam, cuius pars eſt, rectiſſimum iter præbens. Iuliano interim Pariſiis hibernante; Franci ſecuri Toxandriam, quam habitandam ſibi multo antè deſtinauerant, rurſus inuadunt: verùm maximo ſuo malo, vti de Marcellini verbis docebo. Quibus paratis, inquit is de Iuliano Pariſios egreſſo loquens, petit primos omnium Francos, eos videlicet, quos conſuetudo Salios appellauit, auſos olim in Romano ſolo apud Toxandriam locum habitacula ſibi figere prælicenter. Cui cùm Thungros veniſſet, occurrit legatio prædictorum, opinantium reperiri Imperatorem etiam tum in hibernis, pacem ſub hac lege prætendens, vt quieſcentes eos tamquam in ſuis nec laceſſeret quiſquam, nec vexaret. Hos legatos negotio plenè digeſto, oppoſitaque conditionum perplexitate, vt in iiſdem tractibus moraturus, dum redeunt muneratos abſoluit; dictoque citiùs ſecutus profectos, Seuero duce miſſo per ripam, ſubitò cunctos aggreſſus, tamquã fluminis turbo perculſit; iamq. precantes potius quàm reſiſtentes in opportunam clementiæ partem effectu victoriæ flexo, dedentes ſe cum opibus liberiſque ſuſcepit. Chamauos itidem auſos ſimilia adortus, eàdem celeritate partim cecidit, partim acriter repugnantes, viuoſq. captos compegit in vincula; alios præcipiti fuga trepidantes ad ſua, ne militem ſpatio longo defatigaret, abire interim permiſit innocuos: quorum legatis paullò poſtea miſſis precatum conſultumque rebus ſuis, humi proſtratis ſub obtutibus eius pacem hoc tribuit pacto, vt ad ſua redirent incolumes. Cunctis igitur ex voto currentibus, ſtudio peruigili properans modis omnibus vtilitatem fundare, prouinciarum munimenta tria recta ſerie ſuperciliis impoſita fluminis Moſæ, ſubuerſa dudum obſtinatione barbarica, reparare pro tempore cogitabat, & ilicò ſunt inſtaurata procinctu paulliſper omiſſo.

Caſtellũ opidum Keſſel nunc vicus.

Salij Franci.

Iulianus Frãcos Salios dedentes ſe ſuſcipit.

Chamaui à Iuliano domiti, & pacem petere coacti.

HÆC Marcellini verba non otioſè nobis ſunt expendenda, propterea quòd ſolidum veritatis, aduerſum eos qui de Francorum rebus poſteriùs ſcripſerunt, defendendæ ſtruant fundamentum. Plerique enim Francos à Sala fluuio in Mœnum ſeſe exonerante Salios nominatos ſcribunt, & inter eos doctrinæ nomine facilè princeps Beatus Rhenanus, citra omnem Scepticorum epochen, non aliunde Salios dici tradit. Quamobrem accuriatùs conſiderandum, quouſq; Francorum fines eo tempore quo hæc à Saliis Marcellinus tentata prodit, pertinuerint; quod ex eodem diſcere licebit, ſi quæ de Allemannis à Iuliano vltra Rhenum domitis ſcripſit, audiantur. Ait enim, Cæſarem poſt inſignem contra Allemanos apud Argentoratum victoriam Moguntiacum petiiſſe, præda captiuiſque Mediomatricos priùs ad ſeruandum miſſis, ibique ponte compacto Rhenum tranſiiſſe, vt Allemanos in ſuis ipſorum ſedibus inuaderet & affligeret, paria facturus eorum quæ in Gallia perpetraſſent. Barbaros autẽ viribus ſuis non fidentes, trans Mœnum fuga ſe ſurripuiſſe: interea nemine Romanis reſiſtente, munimentum à Troiano in Allemanorum ſolo erectum, & ab Allemanis deſtructum, Iulianum reparaſſe. Quam clariorem ſignificationem dare Marcellinus potuiſſet, ad Allemanorum ſedes oſtendendas; cùm è Moguntiaco tranſitu ad illos deſignet, & è regione Traiani caſtrum demonſtret? Eſt hactenus locus Caſtel nomine in oppoſita ripa, ab illo haud dubiè nomen retinens; quod Iulianus, cùm ab hoſtibus, in quorum terra ſtructum erat, fuiſſet euerſum, renouauit: quamquam haud inſcius ſum, Beatum Rhenanum longè aliter ſententiam dixiſſe, è Cronbergo Tronbergum, quaſi Traianobergum, commentum: quem manifeſtũ erroris facit Ammianus, hoc mihi dans aduerſus eum teſtimonium, Romanos nõ vltra decimum lapidem à Rheno progreſſos, retrò gradum vertiſſe, eo quòd ignota ſiluarum latibula & inſtantis hiemis iniurias timerent: atque ea ratione ad Traiani caſtrum veniſſe, quod longè abeſt vt Cronbergo poſſit applicari, ſi interualli & itineris ratio conferatur. Videtur autem Allemaniæ ea pars quæ Moguntiacum contra ſpectat, Suomarij fuiſſe, atq. inde trans Mœnum Hortarij regnum, atque inde ſurſum diuerſos Allemanorum reges Rheno propinqua loca ad ripam vſq. Rauracis oppoſitam tenuiſſe. Circa autem Palatinatum hodie dictum terminales

Allemani à Iuliano fugati.

Traiani caſtrum, Caſtel.

Suomarij [illegible]

Burgundionũ & Alemanorum termini. *Capellatium.* *Palas.* lapides erant Alemanorum & Burgundiorum, ea regione quæ tunc Capellatij vel Palas nominabatur; quod Marcellinus libro decimo octauo, de Iuliani in Alemaniam tranſitu loquens, his verbis exponit: Statimq́ue difficultate omni depulſa, ponte conſtrato, ſollicitarum gentium opinione præuenta, viſus in Barbarico miles per Hortarij regna tranſibat intacta; Vbi verò terras infeſtorum etiam tum tetigit regum, vrens omnia rapienſq́ue per medium rebellium ſolùm graſſabatur intrepidus: Poſtq́ue ſepimenta fragilium penatium, & obtruncatam hominum multitudinem, viſosq́ue cadentes multos, alioſq́ue ſupplicantes: cùm ventum fuiſſet ad regionem cui Capellatij vel Palas nomen eſt, vbi Terminales lapides Alemanorum & Burgundorum confinia diſtinguebant, caſtra ſunt poſita. Hæc aliaque apud eundem ſcriptorem lecta ſatis declarant, quæ gens inter Mœnum & Palatinatum ad Rhenum habitarit, quæ item inter *Neccarus.* Neccatum, quem nonnumquam *Nicarus.* Nicarum vocant, & Mœnum Germaniæ interiora id temporis poſſederit: Nomina certè Palas & Capellatium Theutonici ſermonis peritis aperiunt, ea parte terminos fuiſſe conſtitutos, & ad eos illa fieri ſolere quæ in hoſtilium gentium confinibus magno tranſeuntium periculo plerumque ſemper contingere ſcimus. *Palas vocis etymon.* Bene à Marcellino annotatum, hac in regione Terminales lapides fuiſſe, quando Pal lant/ vnde Latini Palas fecerunt, hoc ipſum Germanis ſignificet. *Pal.* Pal enim pro limite quouis vſurpamus, maximè pro lapide in terram depacto ad agrorum terminos indicandos. *Lant.* Lant autem regionem eſſe in eadem lingua æquè cognitum, ita vt Pal-lant regio ſit in quo Terminales lapides ſunt defixi. *Capellatij nominis ratio.* Capellatium alterius rei dat ſignificationem quæ limitaneis regionibus non raro ſolet adeſſe, vox facta ex eodem ſermone in quo Cappe-lat/ idem eſt quod, penulæ deſertio, ſi vocabulum hoc Latinus admittat, vel ſuperioris veſtis deliquium, ſiue penulam relinque: Frequenter enim regionum fines graſſatoribus infeſtantur, eo quòd inde vel huc vel illuc, pro eo ac ſcelus in alteram ditionem deſignarunt, confugere promptum ſit. Sunt & hodie in Germania loca quæ ſimiliter latrociniis obnoxia ſimiles ſunt ſortita nomenclaturas; nec mirum inter Alemanos & Burgundos iter tutum non fuiſſe, cùm vtraque gens Germana eſſet, nec aliena rapere, modò extra fines id fieret, quod ad confinia eſt facillimum, in turpibus haberet. Quamobrem non malè conueniunt Palas & Capellatium, quod Rhenanus non videtur animaduertiſſe, propterea quòd vocabula hæc Germanica apud Sueuos & huius ætatis Alemanos ſint obſoleta, licet nobis ſint in primis vſitata. An verò *Palatinatus.* Palatinatus inde nomen acceperit, vti Rhenanus ſtatuit, mihi needum liquet; quòd *Paltz-graf/ Palants-graf.* ſi acceperit, integra dictione Germanica Palants graf diceretur, à qua Paltz fieret, conciſione non infrequenti; ad quam quidem interpretationem non puto diſceſſuros, quibus magis adlubeſcit, ſi comes Palatij dicatur. Ex eadem tamen origine & Palatium & Pal naſcitur, à Be Pal videlicet, ſiue per tenuem, Pe Hal; quod eſt, con- *Palatium.* ſeruo; quia limes ſiue terminus agrorum fines conſeruat. Palatium item olim Pallant/ *Pallantæum.* quaſi Pe-hal-lant/ dicebatur: vnde nobile Pallantæum apud Romanos remanſit. Principis enim & ſummi magiſtratus domus ſiue curia omnes ſuas cogitationes, omnia dicta, omnia acta eò referre debet, quò ſalus regionis conſeruetur; in quibus & Terminus eſt omnium eorum, quæ vel publicè vel priuatim cuique ſunt agenda, ita meritò optimaque de cauſſa Pallantæum, vnde Palatium lenitatis gratia factum, vocetur. Atque hæc obiter de Pal voce Cimbrica matrice vocabuli Romani, ex occaſione *Marca.* lapidum terminalium, qui Palant nomine intelliguntur. Non diffiteor eoſdem etiam Marcas vocari in eodem ſermone; ſed maior vis eſt ſignificationis in conſeruando *Mart.* quàm in conſiderando, quorum illud Pal/ hoc Mart intelligenti notat; eoque factum, vt quamuis vtrumque noſtratibus cognitum ſit, illo tamen malint pro termino quàm hoc vti; vtpote quo moneamur id genus lapides minime conuellendos, ſed vt ipſi fines conſeruant, ita ſumma religione eodem in loco, eodem in ſtatu, eadémque firmitate perpetuò conſeruandos. Quemadmodum porrò ex eiſdem natalibus palatij nomen deriuatur, ita ſimiliter magiſtratum, principem, ciuiq́ue comites hortatur, ne legum, morum, conſuetudiniſq́ue Termini moueantur: quorum firmitate Reip. ſalus continetur. Sed iam ad tres capellas Martialis vocat. Conſtat modò Burgundos inter Neccatum & Mœnum Alemanis ad Rhenum habitantibus finitimos fuiſſe: quouſque verò interiùs ſedes extenderint, de numero gentis exiſtimandum:

dum: quæ tanta fuit, vt & Gotis diutiſſimè reſtiterint, & ab iis tandem patrio ſolo eiecti contra Alemanos ita res geſſerint, vt domicilium ſibi in eorum terra fixerint. Erant autem Burgundi olim vltimi Germanorum, gente Vandali, ad Viſtulæ vlteriorem ripam, ab eo nomen ſortiti, quòd ferè omnes ſuos pagos & vicos contra Gothos; qui tum totam Poloniam, Walachiam, Tranſſiluaniam, Podoliam, & finitima loca tenebant; arcibus munire cogerentur. Nam Burg—woinder, vnde Burgundus, eum notat qui caſtrum ſiue arcem habitat; qua de re, quamuis caſtellis ſuis depulſi & priſcis ſedibus exacti eſſent, nomen tamen antiquum ad hunc vſque diem retinuerunt, ab aliis longè caſtellis id adepti quàm Oroſius & pedanei eius arbitrentur. Agathias dum Burguziones vocat, indicat Burguizios etiam fuiſſe vocatos, id eſt, caſtella pro domibus habentes. Sed de his alibi. Quando pulſi à Getis ſiue Gotis fuerunt, Mamertinus in Panegyrico ad Maximianum claram dat ſignificationem: Goti, inquit, Burgundios penitùs excidunt. Rurſum pro victis armantur Alamani, & mox Burgundiones Alamanorum agros occupauere, ſed ſua quoque clade quæſitas in Alamania terras amiſere, ſed repetunt. Hæc verba cum Marcellini relatu comparata, demonſtrant, Diocletiani tempore terris ſuis Burgundiones pulſos fuiſſe; & dum Alemani ſeriùs arma pro ipſis ſumunt, contra eos ipſos quos iuuare debuiſſent, conuertere coguntur, quo ſua tueantur; quo in certamine dum variè pugnatur, tandem id conuenit, vt Burgundiis agri darentur certis limitibus incluſi, non illi quidem Rheno contigui, ſed exiguo interuallo inde diſtantes. Cùm igitur validiſſima gens fuerit, & Alemanis non impar; conſentaneum eſt rationi, eam longiſſimè à Rheno Germaniæ intima tenuiſſe; quod & ipſe itineris ductus demonſtrat. A Viſtula enim, vltra quem à Ptolemæo collocantur, per vetera Marcomannorum loca ad Bohemicos ſaltus pulſi fugatique videntur, atque inde ad fontes Salæ & Mœni perueniſſe: vnde ſecundùm Mœnum loca Alamanorum ferè ad ipſum vſque Rhenum occuparint. Hinc liquet, totam pænè Franconiam, & fortaſſe magnam partem Wirtenbergenſis ditionis ad vallem vſque Ioachimicam & Bohemorum ſiluas ab ipſis fuiſſe in poteſtatem redactam. Scimus de plurimis exemplis, auſpicata nomina in primis placuiſſe, & inter ea maximè quibus non bonum modò omen, ſed ſtudium etiam aliquod gentis ſingulare contineretur; quo in genere, ſi vllum aliud, hoc certè, de quo quæritur, vnum eſſe de primariis oſtendam. Quapropter non video à quo Sala flumine Salij vocari dicantur, quod illis accuratè annotandum diſtinguendumque fuiſſet, qui citra dubitationem aſſerunt Salios à Sala dici. Non equidem ſatis memini an apud Rhenanum, an apud alium legerim, at legiſſe memini, ex eodem monte Mœnum & Salam effluere; hunc quidem in Septentrionem, illum verſus Zephyrum: de quo Sala ſi nomen à Francis ducant, ingentibus terrarum cælique ſpatiis aberrant. Scio Paullum Æmilium in vita Caroli Magni ſic eorum ſententiam accepiſſe, vt à Sala in Albim ſe exonerante Salios dictos exiſtimet, quem Lazius in gentium migrationibus videtur ſecutus, dum Francos à Friſiis ad Thuringiæ fines Salamque deducit; quandoquidem hic amnis per Thuringorum ſiluas in Saxoniam fertur. Hos, & ſi qui alij idem ſenſerunt, longè credo ab eius opinione receſſiſſe qui primus Saliorum nomen, quiſquis tandem is fuerit, à Sala deriuauit. Ignorarunt nimirum, aut ſaltem ignoraſſe videntur, alterum in Germania Salam eſſe, qui non exiguo tractu Franconiam perlapſus, amnibus etiam aliquot priùs auctus, Mœno ſeſe miſcet inter Wirtſburgum & Tuberis oſtium ad Vrſas ſeſe magno ſinu flectenti, vt hoſpiti fluuio excipiendo lætus occurrat. Quamobrem ſi Salij à Sala nomen ſortiti eſſent, ab hoc; non ab altero è ſaltu Bohemico in Thuringicum delapſo veri multo ſimiliùs vocari dicerentur. Verùm cùm oſtenderit Ammianus Burgundos id temporis interiora hæc Germaniæ loca tenuiſſe, additumque ſit à me Mamertini teſtimonium, quo perſpicuũ ſit, Alemanos non Francos vetuſta poſſeſſione ab ipſis depulſos fuiſſe, non video quî veritati conſonare poſſit, eos Francos qui iam tum Salij vocabantur & Taxandriam è locis ſuis inuaſiſſe & occupaſſe ſcribuntur, à Sala nomen accepiſſe. Docendum fuiſſet iis qui ſic ſenſerunt, Francos ante Alemaniæ hanc partem quàm Burgundos occupaſſe: quod quàm procul abſit ab eorũ omnium conſenſu quos hactenus ex antiquorũ claſſe teſtes denunciaui, ſi quis non animaduertit, cum eo fruſtra plura verba commutem,

Burgundi qui & vnde dicti.

Burguziones.

Goti Burgundiones ſuis ſedibus pellunt.

Burgũdiones à Gotis pulſi quæ loca occuparint.

Salam & Mœnum ex eodem fonte fluere.

Sala alius.

Salios à Sala fluuio Francos non eſſe nominatos.

& eſt

& eſt alioquin clarum ex Ammiani libro viceſimo ſeptimo, Burgundos ſub Valentiniano eiſdem adhuc locis conſediſſe, quos contra Alamanos Cæſar excitarat; tantum

Bucinobãtes. *Fraomarius.*

abeſt, vt Franci Alamanis hac parte confines eſſent. Quid, quòd idem libro decimo nono refert, è regione Maguntiaci Bucinobantes gentem Alamanam habitaſſe, cui Valentinianus Fraomarium regem dediſſe narratur, & eundem paullo pòſt in Britanniam amandaſſe, vt tribunus ibi eſſet Alamanorum, quorum magnæ erant in ea inſula copiæ Romano ſalario aduerſus Barbarorum incurſiones euocatæ? Nulla tunc illis locis erat Franconia, imò ne ſomniabant quidem adhuc Franci ſeſe illa Germaniæ penetralia vel inuaſuros vel occupaturos vllo ſeculorum; quando clara veterum teſtificatione demonſtratum ſit, non aliud illis tum in votis fuiſſe, quàm vt Galliæ parte potirentur. Hanc continuò vexabant, in hanc excurrebant, huius fecundo ſolo aratra parabant, huius clementiori cælo inhiabant, ad hanc poſſidendam totis & animis & viribus

Franci cur Allmaniam ſubiugarint.

rapiebantur. Multo pòſt de Alamania cogitatum, quam imperij potiùs dilatandi & Galliæ tutò retinendæ quàm fertilium agrorum cupidine ſubiugarunt, vt mox latiùs docebo. Et temporum rationem omnem, & gentium vetuſtas ſedes, & earum interualla turpiter confuderunt, totamque Francorum perturbarunt antiquitatem, ne dicam ſuſtulerunt, qui vel à Sala in Albim, vel à Sala in Mœnum delapſo Saliorum nomen deriuant: cuius originem in aliis locis quæri oportuit, in quibus cùm ſic primùm vocarentur habitaſſe ſcribuntur. Reiecta igitur hac ſententia, vt abſurda, vt idoneis veterum teſtimoniis contraria; alia ratio quærenda, quæ priſcæ fidei ſcriptis non aduerſetur, ſed potiùs ex iis oriatur. Erit quidem hac in re coniecturis dumtaxat agendum, vt in ceteris omnibus de quibus nihil ſani proditum habemus, at illis quæ priſcis gentis & inſtitutis & ſedibus & moribus & ceteris quæ inde ſequuntur conſentiant. aptaque videantur. Primùm ergo conſiderare oportet, quid Sal/ quid Sali/ quid Salic notet; quò

Sal. *Sal.*

ductu ſignorum ad veritatem pateat acceſſus. Sal vocali breui idem eſt quod Latinorum Sal, quod hi à noſtratibus, non hi ab illis, petiuerunt; quandoquidem apud nos, non apud illos, recta nominis ratio inuenitur. Sal enim dicitur vel ſimplice adſpiratione in ſibilum mutata, vt ſit ex Hal Sal/ vel compoſitione ex So & Hal/ quaſi Sohal; & eliſa vocali priore, Sal. Hal autem vox matrix ſignificat idem quod conſeruo, apud priſcos ad ſalem notandum in vſu: quod Hal Saxſonum opidum, & Hal ad Oenum declarant. Vt enim alibi docui, minimè audiendi qui ad Græcos fontes hanc opidorum nomenclaturam deducunt, qui tantùm à veritate abſunt, vt contrà Græci à lingua noſtra nomen ſuum quo Salem ἅλα vocant, ſint mutuati: quod ex Platonico axiomate quiuis promptè colligat, qui vtriuſque modò ſermonis ſit peritus: Nomen, nempe, duabus pluribuſ'ue linguis commune in ea lingua natales ſuos habuiſſe in qua recta eius ratio inuenitur. Nam quis eſt tam inſulſus, vt neſciat ſalis eum primarium mortalibus vſum eſſe, vt res per ſe corruptu faciles conſeruet? quæ ratio cum vernaculo noſtratium, non Græcorum aut Latinorum aut alterius gentis ſermoni debeatur, num vltrà dubitari poteſt, cuias hæc vox ab origine prima ſit dicenda? Verùm quia varia ſunt couſeruandi genera, ad varios etiam vſus vocabulum hoc noſtrates accommodarunt, ad diſtinctio-

Salt. *Hal.*

nem interim exigua facta mutatione. Vt enim antiquiſſimi Hal pro ſale dixerunt, ita recentiores certa ratione moti, Salt eandem rem nominarunt; quò nimirum Hal maneret in ſignificatione eius ædificij in quo diuerſæ merces ab omni iniuria ſeruantur.

Sal/ero.

Deinde quia Sal verbum etiam eſſet pro eo quod Latini dicunt, Ero; quia neceſſe eſt ea conſeruari quæ erunt, ambiguitatis vitandæ cauſſa Salt/ non Sal pro Sale dicimus. Et in his quidem vocalis breui tempore pronuntiatur. At quò plura ex eodem fonte

Sal/aula.

vocabula deriuentur, eandem vocalem in alia voce producimus, vt Sal pro aula dicatur, qua laxiſſima pars domus intelligitur, quòd ea plurimos homines à cæli iniuriis ſeru[illegible]t. Iam quemadmodum Pallantæum à Pe—hal—lant dicitur, quo regionis conſeruatio denotatur; ita apud quoſdam Sal etiam pro principis domo v[illegible]urpatur, eo quòd hæc tota comparata eſſe debeat ad ſubditorum conſeruationem & ſalutem. Quid, quòd & ipſa Latinorum Salus ex eadem ſtirpe ducit ortum? Nam quid aliud Salus eſt quàm conſeruatio? Hinc & Saluo & Salueo, quorum hoc ſalutem habere, illud dare

Saluen. *Salf.*

notat. Nobis Saluen peculiari quadam notatione ponitur pro vnguento aut oleo curare, & Salf pro vnguento, propterea quòd ſicut Sal carnes mortuas, ita vnguenta viuas conſer-

conſeruent. Siue ergo totam Principis aut magiſtratus domum, ſiue eam ipſius partem in qua ius populo dicitur, Saal vocemus, id ſaltem conſtat, à conſeruatione reip. nomen tributum fuiſſe, & tempus in eo produci quod in Sal pro condimento corripitur; quò confeſtim eo audito intelligatur longum tempus populi ſaluti principes & ceteros magiſtratus impendere debere. Id vtinam ſatrapæ quidam cogitarent, qui tempori perdendo, vt dicunt, & verè dicunt, quaſuis occaſiones quærunt, ea vna excepta, quam ſolam tenere oportebat. Potant, ſcortantur, aleam ludunt, Primaleones & Amadiſios lectitant: quiduis potiùs faciunt, quàm vt ſe publicis curis dedant, & dum dedunt non id agunt, vt populum ſeruent; ſed vt exhauriant. Horum domum num rectè Saal vocabo? Minimè gentium, ſi nominis ſequar rationem. Nec regis nec cuiuſuis alterius principis domus hanc nomenclaturam meretur, niſi populi ſalus in ea conſiſtat. A Saal Saalich. pro conſeruatione fit Saalich pro eo qui conſeruatus eſt, & eo quod conſeruat: ita vt id quod beat, & is qui beatus eſt eadem voce nominetur. Vtinam quotquot in aula verſantur & ipſi beati eſſent & alios bearent, vt aula tandem verè Saal diceretur, & aulicus non ſibi tantùm, ſed aliis etiam omnibus Saalich eſſet, id eſt, ſalutem adferret. Ab eadem ergo radice Saal & Pallantæum, vnde Palatium factum, pullulauit: cùm extra controuerſiam ſit, Sal ab Hal/ quod eſt conſeruo, & inde Saal deriuari; & ab Hal item fieri Behal ſiue Pehal/ & inde componi Pehal-lant/ & mox Pallant pro regionis conſeruatione. Nec aliunde Pallas vrbium cuſtos & tutelaris omnium ciuitatum dea nomen duxit. Sed hæc alibi opportuniùs. Ceterùm Sal vocali longa nullo diſcrimine pronun- Sal/ tiationis pro alia etiam re vſurpatur, pro ſella nimirum equeſtri, quam duabus ſyllabis Sadel vocamus, à Sat/ quod eſt ſedebat. Poſſet quidem in ſcribendo Sael pro ſella, & Sadel. Saal pro aula poni; ſed tam exiguum in proferendo diſcrimen ſentitur, vt eadem vox eſſe videatur. Sal præterea vt verbum vſurpatur producto item tempore, pro eo quod Sal/ *Soluo debitũ.* communiùs, adiecto augmento ſyllabico, Be-ſal/ & Latinè perſoluo debitum, interpretamur, qualecumque tandem debitum ſit, & qualiſcumque eius ſolutio. Nunc igitur ad Saliorum nomen. Non vna ſanè ratione Francis id placuiſſe credo, ſed multiplici; *Salium nomẽ quibus rationibus ſibi Frãci poſuerint.* & in primis quidem quoniam poſt varios caſus & plurima ſuorum totiuſque gentis diſcrimina tranquillum domicilium ſibi acquiſiuerunt, non par modò priori è quo pulſi fuerant à Chaucis, ſed illo etiam longè beatius; propterea quòd vltra lætos agros, quos ad Rhenum Bructeris extorſerãt, illam etiam regionem occupaſſent, quam Romani antea ipſis negauerant, quæq. viam ad Oceanum diuitiarum patrem aperiret. Hac igitur in poteſtatem redacta, meritò ſe Salios vocarunt, non de præſenti tantùm felicitate læti, ſed futuram quoque, quam mare eſſet daturum, iam tum certa ſpe præcipientes; quæ quàm ipſos fruſtrata non ſit, conſecuta mox tempora docuerunt. Præterea quia planam regionem habitandam ſibi armis vindicaſſent, maximè parte ea quam Romani vacuam antè ſeruarunt, eoq. eſſet plurimum in equite præſidij futurum; primariam ſibi curam eſſe voluerunt, vt equitio abundarent, cuius maximam commoditatem habebãt tum propter ſua, tum propter paſcua vicinorum. Verùm quia finitimos Batauos habebant, qui & equeſtri diſciplina magnam gloriam eſſent conſecuti, & Romanis militarent; & ex aliena parte Tenchteros nullis equitibus in Germania ſecundos: eoque vererentur, ne impares viribus vix poſſent vel agros vel honorem tueri, auxilium ſibi ab ingenio contra hoſtium robur aduocarunt. Cùm enim animaduertiſſent nec Romanos, nec alios, vt optimos equos haberent, non poſſe tamen in iis ita ſecuros tutoſque conſidere, vt non facillimè deturbarentur, & delapſi ægrè conſcenderent; *Sellam equeſtrem à Francis primùm inuentam.* ſedem ſibi excogitarunt, quæ non firmamentum tantùm ſeſſori præberet, ſed muniret etiam inguina, ventrem, & quicquid circa os ſacrum vel antè vel retrò vulneribus pateret. Huic vtrimque firmiſſimis loris annulos ferreos appenderunt, quibus pedes haud ſecus firmarentur quàm ſi in ſolo conſtitiſſent. Totam autem machinam ſic dorſo equi accommodarunt, vt infima pars equo ephippij molliſſimi loco eſſet, & pars ſuperior ſeſſorem non ſuauiter tantùm, ſed tutiſſimè etiam contineret, atque tota cingulis robuſtiſſimis equi ventrem arctè complexis alligaretur. Videtur autem id ab elephantorum turribus, quibus Romanos vti viderant, mutuati; inuentionis modo vt facillimo, ita à Græcis, Romanis, & ceteris nationibus tum temporis necdum animaduerſo, aut ſaltẽ ad opus applicato. Hinc itaq. non ſuperiore modò ratione Salij vocati ſunt, ſed hac etiam, quòd ſellis

equeſtribus

Sal lie. equeſtribus vterentur; quoniam Sal-lie ad verbum populum ſignificet equeſtri ſella vtentem. Et hæc ſanè poſterior cauſſa eò potior videtur, quòd & à peculiari gentis inuento nomen ducat, & Francos ab equeſtri dexteritate & robore præ ceteris omnibus ferè nobiliſſimos idonea & fauſta voce ominetur, & quod tam olim eſt ominata, id reapſe pòſt contigiſſe videamus. Prætereo, quamuis nec id artificio careat, & notatu non ſit indignum, eodem ſono aulam ſignificari, amplarum domorum & ſummi multarum gentium magiſtratus prænuntiam, quem penes Francos & quondam fuiſſe, & hactenus eſſe nemo ignorat. At id quod de ſella equeſtri dixi, video nõ facilè mihi conceſſum iri, eoque paullò diligentiùs diſcutiendum; quò, ſi non demonſtratione quod volo conuincam, at certè probabili ratione concludam. Quam ad rem primùm id videre neceſſe, num equeſtrium ſellarum vſus non fuerit apud vetuſtiores quàm ſit Francorum ad Rheni ripam & Oceanum commigratio. Nullam equeſtrem vel ſtatuam vel imaginem pictam inter antiquorum monumenta inuenias quæ ſedis eiuſmodi vel minimum habeat veſtigium. Quòd ſi vel apud Romanos, vel apud Barbaros etiam in vſu tum temporis fuiſſet, haud dubiè inter ſpolia, in quibus nihil ferè omiſſum, aliquando inueniretur: Ephippium autem illius ætatis ſtragulum quadrangulum fuit, quo equi dorſum inſternebatur; quale in Antonini ſtatua licet videre, qualique hodie famuli equos aquatum ducturi inſidere ſolent. Xenophon monens vt equo, ſiue nudus is ſit ſiue ephippio ſtratus, quàm rectiſſimè inſideamus, non veluti in ſella ſedentes, duo ſimul indicauit; nec ſemper ephippio equites vti ſolere, nec tale ipſum fuiſſe vt ſedem præberet aliam, quàm ſi nudum quis equum conſcendiſſet. Suadet ille quidem vt ſic fiat, ne vel equum vel ſeſſorem lædat: ſed illa addit de quibus facillimè colligas, minimè cum ſella noſtra conuenire. Aſcendentem enim vult manu ſiniſtra vnà cum habenis iubam tenere, ne frenum inter adſcendendum adducat; deinde vetat, ne genu dorſo equi impingatur, quorum vtrumque fruſtra hoc tempore alij iuberetur quàm ei qui aut nudum equum, aut ſtragulo dumtaxat coopertum cõſcendit. Iam in equeſtri armatura deſcribenda diligenter obſeruari vult, vt ex thorace alæ ſiue pinnæ ſic dependeant, vt iis inguen & pudenda vndique bene ſecureq. muniantur, ephippij ad hunc vſum nulla facta mentione, quod alibi accommodauit ad equi non equitis corpus muniendum, niſi quòd pro femoralibus ei eſſe dicat, infra quæ tibias & pedes vult propendere; quas partes ſolidiore corio, è quo ſoleæ fiunt, muniri iubet. Quis hîc non videt ſellas noſtri temporis longè alias eſſe quàm fuerint ephippia, adeoque nihil cum illis habere commune præter infimam ſui partem qua equi dorſum tangit? tametſi ne illam quidem prorſus ſimilem, cùm in ſellis caua fieri poſſint, vt parte quapiam equus non tangatur. Laudat idem ſpinam dorſi ſupra armos paullo elatiorem, quoniam ea ſecuriorem ſedem equiti præbeat. docet præterea quî alterum alter ex equo detrahere poſſit, ita vt & ex illo & ex hoc facilè cernas, longè aliud ephippium, aliud ſellam noſtram eſſe. Vtile commodumque cenſet equi curatorem eum habere, qui Perſicum ad morem dominum in equum tollere norit, nec in adſcendendo, ſiue à dextra ſiue à ſiniſtra id fiat (nam ad vtramque rem aſſuefieri equitem vult) nullam omnino facit mentionem aut ferrei annuli cui pes inſeritur, aut lori ex quo dependet, quorum adminiculo & facillimè in equum inſilimus, & pedes & tibias continemus; cùm ille tibias perpetuò laxas pendere velit, nullius conſcius in quo ſeſe firment. Quid multis? cùm hac ætate vna inter præcipuas equitis curas ſella eſſe debeat, nec citra huius firmam adſtrictionem fidis faſciis commiſſam vlla ſit in equo aut ſecuritas aut firmitas, & magni referat quo modo tibiæ in ſuſtentaculis ſuis ſiue loculis ferreis conſiſtant, ſitque etiam in ſella & inguinum & ventris & femorum & inferioris dorſi maximum munimentum, nihilque horum Xenophon tradat, omnium reliquorum ad minutias vſque diligentiſſimus exactor, neminem fore puto qui eius ætati ſellam noſtram notam fuiſſe dicat. Nec ſoli Græci tum temporis caruerunt & ſella equeſtri & ſtapedis, vt in re noua nouo vtar vocabulo; ſed Perſæ quoque & Odryſij & ceteræ gentes, quas hic auctor vel in prœlio contra magnum regem, vel pòſt in longo illo difficillimoque itinere, quo Græcos ſingulari & vix credibili virtute domum reduxit, cognouit. Qua enim fuit in re militari, & præſertim equeſtri, diligentia, minimè ſilentio præteriiſſet, ſi quid melius, commodius, ſecuriuſque apud exteros quàm apud ſuos cognouiſſet. Neque porrò,

Ephippia veterum qualia fuerint.

Equeſtris diſciplina Xenophontis præcepta.

Romanis

Romanis rebus florentibus, horum vſus vel apud Gallos fuit vel apud eos Germanos, quos Romani aut deuicerunt aut militiæ ſuæ inauctorarunt: quandoquidem ſi fuiſſet, & in ſpoliis eorum monumenta eſſent, & ipſi tanta commoditate quantam apud alios vidiſſent, minimè carere voluiſſent. Erant enim Romani, teſte Polybio, optimi meliorum imitatores; & quæ apud alias gentes vtilia nouiſſent, ea ad ſuos vſus facilè trahebant: ita vt equeſtrem armaturam totam à Græcis ſint mutuati, ſua qua priùs vtebantur prorſus reiecta. Quamobrem nec Gotis, quos ſub Dacorum & Getarum nomine Romani de multis prœliis & victoriis optimè norant, nec Germanis, quos aut Cæſar in exercitu habuit aut poſt eum imperatores, inuentio eorum adſcribenda. Poſſet cuipiam videri de nomine ſellæ Latinorum inuentum fuiſſe, niſi apertè vetuſta marmora reclamarent, & huius vocis in equeſtri inſtrumento vſus apud veteres non eſſet receptus, adeoque ipſum etiam ſtragulum à Græcis acceptum, vti nomen ephippij ſatis oſtendit. Nec memini ſellæ nomen apud vetuſtiorem Vegetio legere, qui Valentiniani principatu floruit; eoque crediderim circa eius ætatem apud Romanos ſellam in vſum veniſſe, nec multò antè Germanis cognitam. Iſidorus quoque ad annum ſexcenteſimum triceſimum clarus ſcriptor ceteris equeſtribus inſtrumentis ſellam item annumerauit. Suſpicor ergo à Sael Latinos & ceteros Romaniſantes in Sellæ nomen veniſſe, vicinia vocum inuitatos, alioqui manſuros in ephippij nomenclatura, apud veteres approbata. A Germanis enim ſellam & ſtapedas inuentas eſſe apertè indicat nomen Staffa, quo Itali & Galli ſtapedam appellant, quæ vox compoſita eſt è particulis duabus, geminum inſtrumenti vſum notantibus, ſed in vnam ſyllabam per conciſionem contractis. Sta-hef enim integrè diceretur: quarum vocularum prior ſtandi habet notationem, poſterior alleuandi; quoniam ſtapeda & conſcendentem ſubleuat, & in equo ſtantem firmat. Sed de Staf/ quo generatim ſcipio notatur, plura in hieroglyphicis. Hîc ſatis eſto ſtapedam perinde equitem firmare atque ſcipio peditem firmat, eoque ab hominibus noſtris vocem communicatam fuiſſe, non tam ad formam quàm ad vſum dirigentibus rationē. Romani equites ſolis perizomatis induti erāt, nullo thorace muniti, quò faciliores ad deſcendendū & inſiliendum eſſent; pòſt Græcos imitati tutiores quidē thoracibus erant, ſed ad ſubſiliendum non æquè prompti. Hinc factum vt in viis magna & cura & impenſa ſtratis lapides erecti ſtarent, veluti ſuggeſta quædam, quibus conſcenſis facilis eſſet in equum non iam ſaltus, ſed tranſgreſſus. Celebratur plurimùm hac laude à Plutarcho C. Gracchus, quòd non ſolùm inſignem & diligentiſſimam operam viis impenderit, & lapides ſingula paſſuum millia diſtinguentes addiderit, ſed illam etiam commoditatem adiecerit, vt non magnis interuallis lapides ſtarent ad equos conſcendendos accommodati, quibus fieret vt ſeruo in equum ſubleuante nihil opus eſſet. Petrus Victorius in alterius Variarum lectionum tomi libro decimo quinto, vt verè annotauit veteribus Staffas non fuiſſe hoc ipſo Plutarchi loco ad fidem faciendam acceríito, ita neſcio quod ſibi inſtrumentum ſomniat, quo homines in equos ſoleant attolli, quod ἀναβολέα Græci vocarint. Viderit ille fortaſſe argentatum illud ferculum Hiſpanorum, quo duo famuli matronas in mularum aut equorum dorſa tollunt, atque inde collegerit eundem Romanis olim morem fuiſſe. Verùm quò minùs mihi ſuum hoc commentum probet, facit cum ipſa vocis analogia cum aliis ad hominum officia ſignificanda factis, quales ſunt γραφεὺς, γναφεὺς, ceteræque id genus plurimæ, tum Xenophontis doctrina, ſic equiſonem inſtrui iubentis, vt dominum in equum ad morem Perſicum tollere condiſcat; ad quod munus Tamarlano præſtandum, Turcorum imperator Paiazetes dorſum ſuum captiuum commodare coactus fuiſſe narratur. Paiazetes igitur ἀναβολεὺς pace Victorij mihi dicendus: inſtrumentum verò illud quod quatuor manubriis comprehenſum mulieres in equarum clunes auerſas leuat, ἀναβολεῖον vocetur. Nunc quando ſtaffæ Germanorum eſt vocabulum, par eſt vt exiſtimemus ab eiſdem quoque vſum earum inuentum fuiſſe; non illum quidem à Sueuis, quorum moribus nihil turpius aut inertius habitum fuiſſe Cæſar ſcribit quàm ephippiis vti, tantum abeſt vt ſellas ad eos vt auctores referamus. A quibus igitur? Certe non ad illos quos multo ante Valentiniani principatum Romani nouerunt, cùm alioqui eorum ſeſe ſubitò imitatores præſtitiſſent; neque etiam ad eos Francos qui ſub prioribus imperatoribus equo meruiſſe ſcribuntur cùm par ratio vetet ne id cogitemus. Quos ergo

Staffa.
Stapeda.
Staf.
ἀναβολεύς.
Tamerlanes Paiazete captiuo ἀναβολέως vice vſus.

faciemus inuentores? Eos nempe qui eo ipſo tempore innotuerunt, quo primùm ſellæ equeſtris vſum Romanis auditum fuiſſe legimus. Fuerunt Franci ante Valentinianum, vt docui, ſatis noti; non ſolùm illi qui ſtipendia faciebant, aut datos agros in prouincia Germanica armati arabant, ſed ceteri quoque qui quotidianis propè excurſionibus Batauiam & viciniam vexabant. Verùm Valentiniani ætate ita vires eorum inualuerunt, vt tum demum nati, & nulli antè fuiſſe viderentur. Hinc eorum fabuloſa commenta qui ad hunc principem Francorum nomen referunt, vel vt auctorem, in quibus eſt Ado Viennenſis, vel datorem occaſionis: quia videlicet tum primùm ſe aſſeruiſſent in libertatem, omni vectigalium onere depulſo. Hoc autem imperante primùm equeſtris ſellæ vſus innotuiſſe videtur, quoniam nemo eius ante Vegetium fecerit mentionem; & fecit hic quoque mentionem tantùm, vt perſpicuum inde fiat, tenuem adhuc eius apud Romanos & notitiam & vſum id ætatis fuiſſe; quæ ſi magna fuiſſet & inſignis, minimè commiſſurus hic ſcriptor erat, vt non diligenter in præceptis inſtitutiſque militaribus ſellam inſtrueret atque ornaret. Iam paullo antè, Iuliano nimirum Principe, Saliorum itidem nomen auditum; quo fit vt credam, ſellam ad illius ætatis inuentionem pertinere; & eos eſſe primos auctores qui nomen inde ſumpſerunt. Vt autem fabulis veritas ſæpe ſolet, veluti larua quadam, occultari; ita hîc mihi de vectigalibus à Francis excuſſis commemoranti cogitatio ſubit, fieri potuiſſe, vt vacuos Romanorum ad Oceanum agros Franci primùm certo tributo ſibi compararent, atque ab hac ſolutione Sal-lant, id eſt, regionem quæ vectigalia ſoluat potuiſſe nominari. Pòſt verò cùm iam equitio plurimo diuites euaſiſſent, ſellamque vltra Romanam armaturam equo aptaſſent, vectigalia conſueta negaſſe, fretos nimirum nouo genere pugnandi; quo tanto eſſent futuri ſuperiores, quanto plus ſella quàm ephippiũ haberet firmitatis. Quòd ſi quid Romanis autem tribuiſſent, iam deinde eſſe exacturos tantũdem & par pari relaturos, quod Salen Germanis dicitur; & id quidem facturos eius inſtrumenti equeſtris ope, quod Sal vocabant. atque hinc non vna ratione Saliorum nomen ipſis arriſiſſe. Et hæc quidem de coniecturis, quas inde cõcepi quòd ea regio quam Romanos vacuam ſibi ſeruaſſe modò ſæpius dictum, hactenus Sal-lant vocari ſciamus; certoque deprehenſum ſit ex Marcellino, Salios ad Rheni infimas partes habitaſſe longè gentium, montium, ſaltuum, fluminum à Sala remotos. Qua etiam de cauſſa ipſe populus regioni, non regio populo nomen dedit; non vna illud quidem ratione factum, ſed illa tamen potiſſimùm, quòd ſellas primi equis aptaſſent; à quo Sal-lie populus ſellis vtens ſignificatur, & Salingi perinde atque Flamingi dicuntur. Non indignum notatu, ad Rheni hanc ripam antiquiſſimam Staffam, ſiue Stapedam mauis, inuentam nuper fuiſſe, quæ ferreo loro è ſella dependebat argenteis lineolis per ferrum diſcurrentibus, mira arte nodos & neſcio quas figuras, quæ præ vetuſtate erant exeſæ, facientibus. Hac certè non facilè crediderim vetuſtiorem poſſe inueniri. Erat ea ſic facta, vt tota conuerti non poſſet, ne ſi pedi ſemel excidiſſet, difficilis in eam eſſet regreſſus: habebat præterea parte ſui ſuperiore, qua ex loro ferreo pendebat, magnum ferreum nodum, qui tibiæ partem inferiorem dolore afficeret, ſi pes totus in ſtaffam fuiſſet immiſſus: quæ res eo conducebat, vt anteriore dumtaxat pedis parte ſtapeda premeretur, ne ſi lapſus equus eſſet, pes expediri nequiret: in quo quantum ſit periculi, neminem ignorare credo. Ferreum autem lorum erat, ne poſſet in pugna amputari, atque ita totum tolli firmamentum. Huius ſtaffæ vetuſtatem atque formam cum aliis teſtibus docere poſſum, atque iis tot quot Antuerpiæ eam apud antiquarium noſtrum aurifabrum viderunt, tum vnus ſatis eſt Læuinus Torrentius Brabantiæ archidiaconus, qui reliquam omnis ſuæ eruditionis elegantiam qua ſummis eſt æqualis, carminis ſuauitate ſic ſuperat, vt priſcorum primariis nihil cedat. Salic porrò, dũ à Sal ſellam notante deſcendere intelligitur, quod ſellam decet, ſignat; vt formationis analogia cuiuis ſermonis noſtri nõ imperito demonſtrat. Lex ergo Salica dicitur quæ ea ſancit & iubet quorum obſeruatio maximè pertinet ad Sellæ equeſtris dignitatem tuendam. Mos enim eſt noſtratium, antiquis inſtrumentis ea adſcribere, quæ ſpectant ad eum qui vtitur inſtrumẽto: vt verbi gratia, cùm dicimus, Deuſheit hoozt den bog to, id eſt, ſedati mores & modeſta humanitas decet arcum. Eâdem loquendi formulâ etiamnum hodie ſellâ ſe acquiſiuiſſe dicunt, quæ quauis ratione equo ſunt cõſecuti. Vernaculo igitur ſellæ nomine equeſtris dignitas, eiuſque officia capiuntur; quæ

Sella equeſtris circa Valētiniani imp. tempora primùm inuenta.

Sal-lant.

Stapeda antiquiſſima ad Rheni ripam inuenta.

Salic.

Lex Salica quæ dicatur.

quòd primas inter Francos teneret, magiſtratus omnes omnéſque leges dedit; quoniam ad ſupremi ordinis dignitatem ſartam tectamque omni ex parte, etiam minima, ſeruandam pertinerent, eoque Salicæ ſunt vocatæ. Harum primaria fuit, in qua & columen equeſtris ordinis, vt ad ſeminas bona equitibus alendis augendiſque deſtinata non tranſirent; ne quod Sellæ proprium eſſet atque ſuum ad ſexum veniret ſellis ineptum; quam hac verborum formula Æmilius in Philippo longo expreſſit: In Terram Salicam mulieres ne ſuccedant. quæ non ſolùm de hac interpretatione noſtra facilis eſt intellectu, ſed apertam etiam ſecum adducit rationem; cuius vi iuſtitia æquitaſque eius continetur. Terram enim ſalicam eam vocabant, quæ ad equeſtris ordinis dignitatem & in capite ſummo & ceteris membris conſeruandam pertineret. Nec miretur quiſpiam hac lege regalia etiam iura fuiſſe cōprehenſa; cùm apud Francos equeſtris dignitas tanti ſemper fuerit, vt ipſi etiam regum & ducum filij non antè inſignibus eius donarentur, aut ad hunc honoris gradum adſcenderent, quàm illuſtri aliquo documento dignos ſe hoc nomine graduque monſtraſſent: vt neminem eorum latere poteſt qui in præclaris Francorum equitum geſtis, ſiue fabuloſis ſiue veris, aliquando fuerint verſati. Videntur autem Franci hanc equeſtris diſciplinæ laudem à vicinis ſuis Tencteris didiciſſe, quibus Bructerorum ſedes, quas occuparunt, confines erant: quos quibus verbis Tacitus celebret operæpretium vel ter audire. Tencteri, inquit, ſuper ſolitum bellorum decus equeſtris diſciplinæ arte præcellunt. Nec maior apud Cattos peditum laus, quàm Tencteris equitum. Sic inſtituere maiores, poſteri imitantur. Hi luſus infantium, hæc iuuenum æmulatio, perſeuerāt ſenes. Inter familiam & penates & iura ſucceſſionum equi traduntur. Excipit filius; non, vt cetera, maximus natu; ſed prout felix bello & melior. Hæc de Tencteris ille: in quibus Franci illud mutarunt, vt maximus quidem natu filius præcipuum in equos ius ſucceſſionis haberet; verùm equeſtrem dignitatem virtute ſua non ſucceſſione adire cogeretur. Et, vt facile eſt inuentis addere, non ſolùm Tencteros finitimos ſibi æmulati ſunt; ſed ſellæ etiam inuentione ſuperauerunt: cui ea commoditas acceſſit, quòd paſcuis magis & planicie camporum abundarent; quibus rebus breui effectum, vt ad ſummum huius facultatis militaris gradum peruenirent, ceteriſque omnibus, vt euenta docuere, præſtarent. Præter autem quàm egregios ſe hac parte præſtiterunt, hoc etiam rectè ab ipſis conſideratum, maximè illud euitari debere, ob quod gens quæpiam exciſa videatur. Quando igitur ipſimet ſciebant, ob muliebris imperij impotentiam Bructerorum ſe victores fauentibus vicinis fuiſſe; hoc in primis ſibi ſanciendum putarunt, quò femineum regnum à gente ſua in perpetuum excluderetur. Lex igitur lata, qua diligenter caueretur, ne Regalia iura vmquam ad feminam tranſirent: qua prouiſam non ſolùm id quod dico, ne muliebri imperio perinde atque antè Germaniæ magna pars ſubiicerentur; verùm & illud, ne vmquam regium diadema externo homini obuinciretur: à qua qui receſſerunt, contraria omnia ſunt experti; iam muliebre iugum collo ferentes, iam externis principibus matrimonij copula aliunde adſcitis ſubditi, & frequenter, licet nec locum nec patriam nec ciuitatem mutent, gentilis nominis honore ſpoliati; dum nouiſſimus quiſque exterorum ſuam ditioni dotali nomenclaturam indere contendit. Videmus itaque Velledam, qua ad Reip. clauum ſedente Bructeros Angriuarij exciderunt, occaſionem dediſſe, vt Lex Salica apud Francos vnanimi tum temporis conſenſu reciperetur, magno & inſigni exemplo monitos, infelices ſæpe exitus ſequi vbi populi ſalus ex femina pendet. Naturæ conſentaneum, vt quæ res equeſtribus ſellis gerendæ, earum ductus & moderatio penes eum ſit qui princeps eſſe queat & præmonſtrator equeſtris diſciplinæ. Hinc illa apud nos ſolennis teſtamentorum forma, qua cauetur vt equus & ſella & cetera ad ſellam ſpectantia ad mulieres non tranſeant: quam non nobiles modò, ſed omnes ferè generatim cuiuſuis ordinis noſtrates & in vltima volūtate teſtanda & in conuentione nuptiali deſcribenda ſeruare conſueuerunt; tanta ſemper cautio fuit, ne dignitati equeſtri, quam ſellæ nomine indicare moris eſt, vel minimum detraheretur. Felices igitur Franci & verè, quod dicuntur, Salichi, quòd non vicinos tantùm Tencteros diligentiſſima equeſtris militiæ inſtructione ſint æmulati, & alieno periculo Bructerorum ea declinarint quæ nocuiſſe ipſis videbantur: verùm etiam ob id quòd & ſellam priorum inuentis adiecerint, ſolidum equitum firmamentum, & eius conſeruationi, honori, di-

Salica lex primaria.

Salica terra.

Tencterorum equeſtris diſciplina laus.

Feminam regnare cur Franci vetuerint.

gnitatique ita proſpexerint, vt inde ad ſummum Chriſtiani orbis faſtigium adſcenderint, & eos habuerint reges, vt nec Philippum, nec Alexandrum magnum, nec Cæſarem, nec ſiquis alius his fuit vel par vel præſtantior, in gente ſua deſiderarint: vel ſoli enim, vt ceteros omittam, Pipini & Caroli tales ſe præſtitere, vt neminem apud priſcos inter laudatiſſimos principes inuenias, cui non ſint præferendi & rerum geſtarum magnitudine & ſingulari vitæ morumque probitate; quas ambas ſimul iunctas in exteris fruſtra quæras, tametſi omnes ad cenſum voces & duces & imperatores.

Salij nomen cui regioni & cur tributum.

Nunc reſtat vt cauſſa reddatur ob quam Salij nomen ſuum illi potiùs regioni dederint, quæ ſecundum Rheni ripam, qua parte Iſelæ nomen ſumit, ad Oceanum pertinet, quàm vetuſtis Bructerorum ſedibus, quas non ita multo priùs occuparant. Ea licet in obſcuro, vti cetera pleraque nullis veterum monumentis prodita, deliteſcat; hanc tamen apud me habet coniecturam. Cùm Franci cernerent longè difficilius periculoſiuſque ſibi fore bellum cum Romanis quàm cum Bructeris fuiſſet ſiquid ipſorum inuaſiſſent; totum eum agrum, quem limitaneorum militum vſui Romanus ſeruauerat, ei ordini putarunt dandum, penes quem ſummum militiæ robur eſſet; quò eius virtute acriùs

Sal-lant.

defenderetur: qua de re factum, vt à poſſeſſoribus Sal-lant/ id eſt, regio ad ſellam ſpectans, diceretur; quod nomen in hanc vſque diem ſeruat. Salij hac regione totius populi ſui cōſenſu potiti, mox locum ad Oceanum in ripa Batauorum cis Iſulam muniերunt, quem à pugna, quam ſibi aſſiduam cum Romanis Batauiſque fore prouidebant,

Campen vrbis etymon.
Camp.

Campen nominarunt. Campen enim idem nobis eſt, dum vt verbum vſurpatur, quod Latinis, pugnare; & Camp ipſa pugna: licet non abſurdum eum ſim iudicaturus qui Champen dici arbitretur, quaſi Champhauen/& inde conciſum eſſe Champen. Sunt autem

Chamauorū nomenclaturæ ratio.

Champ/ aut potiùs & vſitatiùs Camp-hauen / portus vel campi vel belli: vnde Chamauis nomen, qui has terras ante Romanos tenuerunt.

Sallic opidū.

Hinc paullo ſuperiùs opidulū eſt in eadem ſiniſtra ripa Sallic à Saliis nominatum, in colle ſitum editiſſimo: cuius ciues multa quondam geſſerunt præclarè partim loci natura, partim atauorum virtute ſibi hæreditaria, vt nomen pollicetur, freti. Nec procul in-

Hathem opidum.
Hat.
Heim.

de Hathem opidum, quod ab odio vocarunt, quoniam certò ſcirent magnum odium ſe Romanorum incurſuros; quòd non ſolùm dextram, ſed ſiniſtram quoque ripam occupaſſent. Hat odium & inuidia: Heim domus eſt. Nec fefellit eos hæc opinio; quæ quàm vera fuerit, innumeræ clades vltrò citroq. inter Romanos & Francos modò datæ modò acceptæ poſteriùs declararunt. Ex iis quæ de Panegyricis citauimus, facilis eſt coniectura, quoties circa hæc loca ſit conflictum, Romanis propellere, Francis inuadere perpetuò ſumma vi connixis.

Veluwe regio vnde nomen habeat.

Exordium inde ſumit regio ea quæ Veluwe nominatur, quam neſcio vnde nomen dicam accepiſſe; ex eóne quòd ſatis eſſet, ſi quis per eam ſalua cute tranſiiſſet, ita vt Vel-houw ſit, pellem ſerua; an ab eo quòd creberrimè caſtra caſtris oppoſita in hac fuerint, hinc Romanis tendentibus, hinc Francis; an verò quia Franci Romanos hîc primùm vicerint, quoniam Velt-houw vtrumque ſignificare poſſit, & caſtra habere, & in prœlio victoriam obtinere. Quòd ſi à Veil-how deriuetur, duo iterum ſignari poſſunt, vel tutum ſecurumque ſeruo, vel habeo venale: quorum vtrumque conueniret Romanis loca ea aut vacua tutaque aduerſus Francos ſeruare ſe dicentibus, vel habere ſe ea venalia, ſanguine videlicet atque cadaueribus emenda. Huic probabilitatem facit Geldrorum nomen; qui ſic ſe fortaſſis inter Francos Salios nominarunt, quòd hæc loca quæ à Romanis ſanguinis pretio vênum erant expoſita, emere ſe velle profi-

Geldriæ regionis etymon.

terentur: Gelder enim emptor vocatur. Quòd ſi hoc commentum minùs placet, at ſaltem iſtud non diſplicebit, hanc regionem quæ nunc Geldria vocatur, cuius Veluwe pars eſt, ita meritò potuiſſe nominari, quòd cùm in eam à Francis ventum eſſet, excurrendo dux militi & alter alteri diceret, ſeriò iam rem agendam eſſe & magno conſtaturam: quoniam eo loco nunc verſarentur, vt cum hoſte manus eſſet conſerenda. Cùm enim inſtanter & omnibus neruis magna quæpiam res aut difficilis eſt agenda, vulgò dicimus, Het gelter; id eſt, negotium vrget, ac ſeriò inſtandum. Hinc Het Gelterlant regio dicetur in qua crebrò locus fuit huic exhortationi & celeumati militari; quia in ea vario euentu complura prœlia ſint commiſſa. Et quæcumque tandem fuerit huius nominis origo, id certè conſtat, hanc regionem eam eſſe quam primam Franci citra Iſelam Romanis extorſerunt: quod nec paruis laboribus, nec pauco ſanguine ipſis con-

ſtitiſſe

ſtitiſſe nemo ignorare poteſt, niſi & hiſtoriæ omnis ſit ignarus, & virium Romanarum, quibus Germaniæ limitem tuebantur. Non mala itaque ratione tota ea regio Gelter-lant/ ſiue Geltria, dicitur, quæ ab Iſulæ oſtio exorſa, & per Batauiam, cui hactenus nomen manet, extenſa ad illam vſque Moſæ ripam pertinet quæ Caſtello Romanorum in Taxandriæ finibus ſito opponitur: quandoquidem in ea inter Salios & Romanos infinita propè prœlia ſint commiſſa, quibus vox hæc Het Gelter egregiè conueniebat, tantæ in hortando efficaciæ & vehementiæ, vt non plus dicas ſi ſic dicas: vel hîc vita & fortunæ omnes amittendæ, vel fortiter pugnandum. Francos autem priùs ſuperiorem Batauiam, quæ nunc Bet uuwe dicitur, inuaſiſſe; ac inde traiecto vtroque Rheni brachio *Betauwe.* Moſæ ripam occupaſſe, ex eo manifeſtum eſt, quod de Taxandria & Caſtello à Francis occupato Ammianus refert. Totus ergo hic tractus Gelter-lant vocatus nomen poſt- *Gelder vrbs.* ea habitatoribus dedit, atque inde quoque opidum Gelter nuncupatum: quæ regio poſt varios caſus tandem titulum Ducatus accepit, parte ſui ſuperiore & media; quæ Batauiam propriè vocatam comprehendit, inſigniter beata, qua ab Iſula Oceanum contingit, quaque regionem Veluwe complectitur horridior minuſque fecunda.

Verùm non decrit fortaſſe qui me in eo reprehendat, quòd regionem quam Tacitus inter Friſios & Rhenum vacuam à Romanis ſeruatam fuiſſe narrat, Iſela terminarim; non Rheni eo brachio cui & Rheni nomen manſit, & Rhenum opidum debet nomenclaturam. Huic ego de temporum ſupputatione & fluminis permutatione reſpondebo, non eundem ſemper alueum fuiſſe, atque idcirco non ſatis certò ſtatui poſſe, an à Friſia ad Rhenum vſque, cui Rhenum opidum adiacet, an verò ad Iſulam tan- *Rhenum opidum.* tùm vacua loca in vſum militum ſeruata extendere debeamus. Tacitus aliter, aliter *Rheni oſtia.* Plinius Rheni oſtia deſcribit: hic tria facit, Helium, Fleuum & medium horum Rhe- *Helium.* num; ille in duos amnes Rhenum ſecat, & illi nomen curſuſque vehementiam manere *Fleuum.* dicit qui Germaniam alluit, medij amnis nullam faciens mentionem. Fleui nomen Mela prior agnouit, & eiuſdem nominis inſulam; ſed in deſcriptione planè mancus mihi videtur, ſuáne an librariorum culpa ignoro. Ptolemæus item tria oſtia ponit, quamuis in latitudine non horum modò, ſed totius regionis, excedat veritatem, & longitudinem oſtiorum Moſæ, Tabudę & Rheni perperam tradat; in orientali tamen Rheni oſtio tantum nobis ad veri inuentionem adiumẽti adfert, vt ex collatione oſtiorum Vidri fluminis, quæ per triginta minuta paralleli Orienti, & per viginti meridiani ſcrupulos Arcto propiora ſtatuit, ſatis declaretur orientalius oſtium illud eſſe quod nunc Iſela vocatur, & Vidrum amnem nequaquam eum eſſe qui, Reggo priùs ſuſcepto, ad *Vidrus fluuius quis.* Gelmuidam ſe Oceano mergit; tametſi videam à nonnullis ita credi; ſed eum qui Groeningam interſecat, & latiſſimo oſtio in mare euoluitur. Neque enim Gelmuida tanto abeſt interuallo à Rheni oſtio quantum à Ptolemæo annotatum; imò Vechtus & *Vechtus.* Rhenus ferè in idem oſtium deſinunt. Iam inter Rhenum & Vechtum nullum portum inuenias cui Manarmanis deſcriptio quadret; & eſt à Ptolemæo ſic delineatus, vt longè *Manarmanis portus quis fuerit.* inter Rhenum & Vidrum in mare protendatur, quod nullo modo inter Vechtum & oſtium Rheni cogitari poteſt, nec eſt pars vlla littorum cui id queat adſcribi, licet ad ipſum Amſterdamum, vel paullò magis ad ſubſolanum extremum, Rheni oſtium fuiſſe fingatur. Manarmanis enim portus quadraginta quinque millibus paſſuum ad Arctos propiùs quàm Rheni oſtium accedit, nec interim tamen in longitudine differt: quo fit, vt ſitu illo quem Ptolemæus ſequitur ſeptentrioni littorum ductum plus æquo opponens vel Staueren vel Worckum vel Harlingen, quod equidem magis credo, Manarmanis portus fuiſſe videatur: cui conſentaneum eſt, Vidrum Groeningæ adſcribere, & ſic nominis rationem dare, vt Vidrus dicatur Teutonicè Wide-ru ſiue Wid-ru/ id eſt, latè *Vidri etymon.* patens canalis, quæ optimè conſonat cum ea quam hodierna die habet, capacitate. Verùm nolim hac de re curioſiùs & obſtinatiùs diſceptare, propterea quòd ſciam nec longitudinis nec latitudinis iuſtam omnino menſuram Ptolemaicis numeris contineri. Hic tamen non chartæ tantùm delineationem ſequor, quæ ductu ſuo me in eam traxit quam aperui ſententiam; ſed longitudinem etiam oſtiorum Vidri & Fleui caſtelli, inter quæ quindecim ante Druſi ætatem dumtaxat minutorum eſt diſcrimen, quod in parallelo huius latitudinis perquam exiguum habet interuallum; verùm in latitudine viginti quinque minuta Philebo, ſiue Fleuo, attributa minùs quadrant, non cum veri-

tate tantùm,ſed cum ipſa etiam Alexandrina Phryſiæ tabula. Eſt quidem Fleuum paulo quàm Vidri oſtium orientalius, quam plagam hoc terrarum tractu ferè ad Septentrionem applicauit. Sed hæc condonanda homini longè gentium à Germania remoto. Quamuis autem his locis plus æquo latitudinis tribuerit, de conſecutione tamen locorum & ordine apertum reliquit, Vechti oſtiis, iis inquam quæ nunc videmus, non poſſe ea applicari, quæ de Vidri oſtiis ſcripſit; cùm nullus portus ſit inter orientalius Rheni oſtium & Vechtum;cui deſcriptio portus Manarmanis queat adſcribi. Et quamuis hæc ſatis mihi videantur firmitatis habere ad concludendum apud æquos rerum æſtimatores: adiiciam tamen & aliud argumentum non parui apud me momenti. Scribit Tacitus in iis quæ paullo antè ex eo commemorauimus, in Fleuo caſtello eos

Flodorp, Philebum Ptolemæi.

ſtationem habuiſſe, qui illa parte Oceani littoribus præſidebant. Quo fit, vt Flo-dorp/ id eſt, Fleui vicus à me dicatur Philebum eſſe Ptolemæi; atque ex vicinia oſtiorum Vidri & Fleui deinde concludam, ſinum illum Groeningorum Vidram fuiſſe, nomine inde deducto, quòd latè patens canalis eſſet. Neque igitur Vechtus Vidrus, neque

Rheni oſtia mutata.

Groeninga Fleuum mihi fuerit. alij quod volent & credant & tueantur. Rhenus hac ſui parte, qua proximè ad Manarmanim portum accedebat, alium curſum videtur tenuiſſe, & aquas ſuas in eos euoluiſſe lacus qui inter Harlemum & Amſterdamum &

Lecca.

vicina loca ſpectantur, ſolo medio alueo nomen ſeruante. Lecca certè poſterior illis temporibus canalis videtur; quoniam nec nomen ſeruat, nec illud admittit, vt oſtium orientale in lacus effundatur, niſi quatuor alueos comminiſcamur: vnum in lacus flumen effundentem, vt Plinius dicit; medium in Oceanum ducentem, qua parte arcis

Witend arx.

veſtigia reſtant, quæ à tutandis finibus Wit-end nominabatur; tertium Leccam, quartum qui in Moſam maximam aquarum copiam effundit. Ceterùm hæc ambigua & incerta; & magis dubium qua de cauſſa orientalius oſtium Fleuum fuerit vocatum, &

Druſus Rheni alueũ auertere inſtituit; perfecit Paulinus Pōpeius. Arnhem vnde nomen acceperit. Doeſburg à Druſo nomen accepiſſe. Iſela.

occidentalius Helium. Druſus videns frequentia diluuia neceſſariò vi fluminis contingere, de auertendo alueo cogitauit, quod opus inchoatum Paulinus Pompeius pòſt abſoluit. Foſſa autem hæc Druſiana vnà cum aggere ab Arnhem videtur exordium ſumpſiſſe, cui opido ab Aquila Romanorum, qui caſtra hîc habuerunt, fortaſſe nomen remanſit;& inde ad Doesburgum diducta eſſe, quod integrè & correctè Droeſberg, id eſt, Druſi caſtrum vocaretur. Hoc loco quia Iſelæ amnis, qui vetus Iſela dicitur, alueo Rhenus exciperetur, poſterior ætas totum hoc Rheni brachium Iſelam nuncupauit. Quamobrem noſtra parui refert an loca vacua ad Iſelam vſque, an vltrà ad Rheni prius oſtium fuerunt porrecta. Veluwe profectò ſic interpretari poſſumus, vt loca illa intelligantur quæ vacua & tuta ab exteris Romani ſeruare conſueuerunt. Sed vt dico parum ad nos; illud ſaltem certum eſt, hæc primùm à Francis citra Iſelam fuiſſe occupata, & Ptolemæi deſcriptionem Iſelæ magis quàm priori alueo conuenire;in qua

Vechti etymō. Vechten.

neglectus fuerit Vechtus, quia in idem propè oſtium cum Rheno deſcendit: cui an nomen ſit à pugnando quod Vechten dicimus, an aliunde, non quæro; id ſaltem non ignoro, amnis fontem non longè ab eo ſaltu abeſſe in quo Variana clades perpetrata. Ab hoc fluuio Franci Batauia nunc omni & Canenufatũ & omni ceterorum, quos inter Helium & Fleuum Plinius enumerauit, regione in ditionem ſuam redactâ, nomen alteri fluuio ſiue canali dederunt; qui cùm è Rheno deriuetur, & in lacus effundatur,

Fleuus vetus. Fleuten vicus. Maerſen.

vetus mihi Fleuus videtur: ad cuius nomen vicus quidam vicinus Fleuten alludit. Ad eundem canalem paullò inferius Maerſen antiquum videtur Maerſatiorum monumentum, quo neſcio fato in tanta nominum commutatione conſeruatum, quam Salij potiſſimùm videntur induxiſſe. Vt enim à Vechto ſuo antiquo Vechtum orientalius

Locorum nomenclatura mutata.

Plinio, ni fallor, Rheni brachium vocarunt, & ab Iſula ſuo Iſelam apud Canenufates, & ab Amiſo ſuperiore Bructerorum termino Amiſum alterum fecerunt; ita veriſimile eſt, quàm plurimas alias nomenclaturas ab ipſis eſſe commutatas. Sed hæc in regione tot inundationibus obnoxia, tot foſſis & canalibus à diuerſis principibus & populis diſciſſâ accuratè perquirere neſcio an hominis ſit ſatis intelligentis id genus mutationum, me certè tam curioſum non eſſe necdum mihi perſuaſi vt pœniteret. Deinde nobis minimè neceſſarium ducimus, vt omnium locorum quæ Franci olim tenuerunt, delineationem originibus noſtris adiungamus; id ſatis, & fortaſſe plus quàm ſatis, arbitrati, ſi quò & vnde venerint, clarè queamus docere. Et fuiſſem equidem in his re-

b us di-

bus diligentior, ſi certi aliquid in tam frequenti permutatione reperiri poſſe ſperaſſem: quam, vt diluuiorum frequentia hinc Oceano Æolio furore campis immiſſo, hinc fluminibus vel immani pluuiarum vi vel liquefactis niuibus aggeres, quibus continentur, rumpentibus; ita & diuerſorum principum iuſſa fecerunt, inter quos olim non Romani ſoli, ſed Ciuilis etiam natione Germanus commemoratur. Nec vereor aſſerere, Francos poſtea Romanorum limitem paullatim carpentes varias foſſas & canales feciſſe, pro eo atque commoditates vel belli vel pacis poſtulare viderentur: cui rei indicium præbent nomenclaturæ à Transrhenanis fluminibus mutuò acceptæ. Iam Merouwe an non apertè declarat, Meroueum magni aliquid operis in illo aluei à Moſa diuortio molitum fuiſſe? quod an ad naualium opportunitatem, an ad munimentum regionis recens occupatæ, an ad vtrumque fecerit, non refert; id ſaltem conſtat, & palatium vetuſtiſſimum, cuius ruinæ hactenus vndis exſtant, (nam reliqua ſunt fluctibus abſorpta) & canalem ingentem ſeruare nomen Merouei. *Merouwe Merouei monumentum.* Ex hoc itaque ceteriſque id genus permultis, quæ longum ſit perſequi, coniecturam facias; difficile omnino, ne dicam temerarium eſſe, certi aliquid in re incerta ſtatuere velle. & alioquin lubenter Adriano Iunio amico meo hanc prouinciam ornandam relinquo, qui non dubito quin ſummam ſuam eruditionem, de qua toti orbi celeberrimus, totam ad id ſit collaturus, vt Batauiam patriam ſuam, quàm maximè fieri poterit, illuſtret; præſertim cùm ad hoc munus liberali honorario ab Hollandiæ magiſtratu ſit inuitatus: Gratulor equidem illi talem patriam, & patriæ talem virum, & vtrique talem magiſtratum, vt hanc laudem iam olim à ceteris noſtratibus neſcio an neglectam an contemptam ſibi ſumpſerit ſequendam, quæ de regionis ſuæ antiquitatibus in lucem eruendis & toti orbi communicandis generoſiſſimo cuique animo prima atque maxima deberet exiſtimari.

A Saliis ergo Sal-landia dicta, tres principes vrbes præter cetera opida & pagos complexa, Dauentriam videlicet, Swollam & Campen; è qua Batauiam & finitima primùm Galliæ frequenter incurſarunt, & tandem ditioni ſuæ adiecerunt. *Sallandiæ vrbes præcipuæ, & vera pronuntiatio ac ſcriptura.* Neq. audiendi ſunt qui contra omnem & pronuntiandi & ſcribendi conſuetudinem ex Sallandia Iſalandiam fecerunt, cùm non Iſal flumen, ſed Iſel omnium confeſſione dicatur; ſecundâ, non primâ vocali poſteriorem ſyllabam faciente; & Sallandia non Sellandia regio vocetur. Quid, quòd plerique omnes veterum Zallandiam per Z litteram Græcorum, ſcripſerunt? quaſi dicendum integrè eſſet, Het Sallant / & conciſione noſtrati, Tſallant: quod vocabulum concinniùs vna littera ſcribi poſſe videbatur. Nemo igitur Vopelij charta chorographica riparum Rheni decipiatur, in qua contra omnium vetuſtiorum conſuetudinem Iſallandiam ſcripſit, ignarus equeſtris dignitatis in Zallandiæ nomine deſignatæ. Brachium autem hoc Rheni quod Druſi Pomponijque Sabini cura factum legimus, Iſela nominatur à fluuio Iſela in ſaltibus iis orto quos Romani non vna ſua clade nobilitarunt. Deriuata enim eſt pars Rheni ab Arnhemo Droeſburgum, id eſt, Druſi caſtrum, quo loco vetus Iſela alueo ſuo Rhenum excipit, & vna ſecum in Oceanum euoluit.

Verumenimuerò cerno mihi obiectum iri ex Agathio, Francos ab equeſtri militia vel parum vel nihil prorſus laudis tuliſſe; tantùm abeſſe, vt ſellæ & ſtapedarum inuentores probabiliter dici queant. Fateor equidem, vetuſtiores Francos antè ferè omnes pedites fuiſſe quàm Bructerorum ad Rhenum ſedes & vacuas Romanorum ad Oceanum terras occupaſſent, & hinc eos qui apud Romanos militabant, pleroſque pedibus meruiſſe non negarim; ſed cùm Agathius paucos excipit, id ego mecum facere contendo, nedum aduerſari: atque eos qui domi manſerunt, præſertim ad Iſelam nouum habitantes, in equis alendis domandiſque multum operæ poſuiſſe, ne vicinis Tencteris Bataniſque impares hac parte cernerentur: & quia nouum hoc ipſis ſtudium fortaſſis fuit, timerentque vt dexteritatem iam olim in hac diſciplina exercitatorum æquare poſſent; præſidium ſibi ab induſtria nouæ inductionis quæſiuiſſe; quod tantum fuit, vt non pares modò, ſed longè etiam ceteris euaderent ſuperiores. Iam neque illud à me dictum, omnes Francos Salios fuiſſe nominatos, ſed eos ſolos hac appellatione deſignaui, qui regionem eam quam Romani vacuam ſeruaſſe dicuntur; habitandam ea conditione apud ſuos acceperunt, vt equitio operam darent: qua in re quò magis excellerent, meliuſque ea quæ ſibi vindicaſſent tueri poſſent, nouum ſibi equitandi firma- *Qui Francorum Salij fuerint nuncupati.*

mentum excogitarunt. Hinc itaque factum, vt quod auita conſuetudine Tencteri optimè didiciſſent, id Salij noua ſua inuentione longè poſt ſe relinquerent, & tanto interuallo excederent, quanto plus ſecuritatis firmitatiſque in equis haberent. Neque porrò ſola hàc arte Tencteros ſuperabant; ſed à paſcuis etiam & camporum magna planitie paucis aquarum canalibus interrupta plus commoditatis ad equos tum alendos, tum vtendos habebant, cùm apud illos plus ſiluarum aſperitatiſque eſſet quàm camporum. Scimus Telemachum patriam ſuam Ithacam ob aſperitatem ineptam equis vtendis iudicaſſe; & prouerbio triſtiſſimo iactari, equum in campum qui prouocet, iniquam ſibi ſumere ad vincendum conditionem: quod cùm ita habeat, vix alia regio equitationi magis idonea quàm Sal-landia/ queat inueniri.

Sallàndia equis alendis aptiſſima.

Sed nunc vt ſatis diu in coniecturis Saliquis verſati ſumus, ita non abs re fuerit & illud obiter annotaſſe, nomina eorum qui legem Saliquam tulerũt, ad allegoriam potiùs quàm ad hiſtoriam pertinere. Quatuor fuiſſe ſcribuntur, Wiſogaſtus, Bodogaſtus, Salogaſtus, & Windogaſtus. Gaſt nobis hoſpitem notat; &, quia hoſpitibus apud Germanos teſte Tacito ſumma reuerentia & maximi honores habentur, vox tranſiit ad quemuis hominem ſignificandum quem hoſpitalitatis officiis dignum iudicamus. Sic dicimus, Tis e gaſt/ id eſt, æquè atque ſi hoſpes eſſet honore proſequendus. Wiſogaſt igitur dicitur is, qui venerandus eſt ob ſapientiam: Bodogaſt/ qui honorandus eſt, quia leges ferre, & imperare norit: Salagaſt/ qui ob equeſtrem diſciplinam dignus eſt veneratione: Windogaſt is dicetur qui ob victoriam eſt honorandus. Wis enim ſapiens, Bod/ mandatum & Lex, Sal/ ſella equeſtris. Win/ vinco ſignificat. Notarunt igitur veteres, victoriam contra hoſtes non contingere, niſi Reſp. ſapientia, bonis legibus, & equeſtri dignitate contineretur; nec item equeſtri ordine dignum, qui non excellat & ſapientia, & peritia imperandi. Fons enim omnis victoriæ contra aduerſitates tum priuatas tum publicas eſt ſapientia: quod Plato indicauit, dum aut regem philoſophum eſſe voluit, aut philoſophum regnare. E ſapientia autem legum ferendarum, imperandíque facultas oritur. Quamobrem qui his duobus nititur fundamentis, is dignus eſt ſummo ciuitatis ordine, è quo gubernatores deligendi, qui omnem Reip. noxam depellant atque vincant. Videre hìc eſt, quatuor vocibus tetragonam reipublicæ conſtituendæ conſeruandæque formam expreſſam, in qua primum ſibi locum ſapientia vindicauit, quæ nomine ſuo omnem diſciplinarum orbem, iuſtitiæ æquitatiſque regulam, omnia denique ciuitatis rectè gubernandæ præcepta complectens firmiſſimum omnium eorum columen eſt, quæ ad cunctas aduerſitates ſiue priuatas ſingulorum, ſiue vnius alicuius familiæ, ſiue communes aut omnium aut plurimorum vincendas ſuperandaſque ſpectant. Deinde poſt hanc mox conſequitur, haud ſecus atque riuus è fonte ſuo, vtilium ſalutariumque legum conſtitutio; quas nemo ſanciet pro eo ac communis omnium ſalus poſtulat, niſi priùs in ſapientiæ ſtudiis multum diuque fuerit exercitatus. Tertio loco ordinis equeſtris conſeruatio neceſſaria eſſe indicatur, tum quò aduerſus hoſtiles incurſus patriam tueatur, tum quò viros dignos imperio magiſtratuque, velut equus quidam Troianus, effundat. Tanta autem huius ordinis dignitas apud Francos fuit, vt ne regum quidem filij priùs regno digni iudicentur, quàm ad hunc fuerint admiſſi. Qua de re factum, vt vox Marſcalcus, qua peritus equi tractandi curandique magiſter notatur, pro quouis cuiuſuis officij principalis magiſtratu vſurpetur. Eſt enim Mar equus, non Marc / contrà quàm Lazius & Rhenanus ſcripſerunt, vt in Trimarciſia Gallorum à nobis eſt annotatum. Eodem modo veteres Romanos, à Cimmeriis fortaſſe maioribus ſuis accepta conſuetudine loquendi, non magiſtrum tantùm equorum, ſed aliarum etiam rerum gubernatorem equiſonem vocaſſe Nonius Marcellus teſtatur. Quoniam porrò poſt Wiſogaſtum & Bodogaſtum, Salogaſtus enumeratur, ſic eſt cogitandum, primos Salicarum legum conditores neminem dignum iudicaſſe equeſtri dignitate, niſi & ſapientiæ præceptis eſſet inſtitutus, & recta iuſtaque imperandi facultate polleret. Iam tetractyn hanc Winnogaſtus abſoluit, qui nomine ſuo victoriam contra omnia ea pollicetur, quæ ſaluti vel priuatæ vel publicæ aliquid adferre poſſunt impedimenti. Si omnis hominum vita, quamdiu hunc aërem haurimus & terræ frugibus alimur, nihil aliud quàm militia eſt, non ſolùm contra externos hoſtes omnibus neruis pugnandum, quò victoriam conſequamur; ſed contra internos

Saliqua lex à quibus lata perhibeatur.
Gaſt.
Wiſogaſti etymon.
Bodogaſtus.
Salogaſtus.
Windogaſtus.
Sapientia victoria fons.
Legum conſtitutio.
Equeſtris ordinis dignitas apud Francos.
Marſcalcus.

etiam; & id quidem tanto magis quanto ſunt ad ſuperandum difficiliores. Qui igitur hunc quaternarium conſtituere, non malo artificio nec obſcura ſignificatione declararunt, totius Reip. finem in hoc eſſe, vt aduerſa omnia, quibus cum perpetuò eſt decertandum, vincamus; non admodum ſanè à D. Pauli ſententia loquendique formula remoti, qua dicit, bonum ſe certamen certaſſe, eoque ſibi coronam gloriæ dandam à ſupremo illo omnium bonorum certaminum Brabeuta. Sed hæc breuiter ſint & obiter de quatuor legum latorum myſticis nominibus indicata, quæ ſi penitus & accuratè quàm latè patentem habent notationem explicarētur, volumen immenſum replerent. Verùm quò numerum ciuitatis perfectæ abſoluerent, quaternario ternarium adiecerunt; cuius acceſſione ſeptenarius exiſtit, Palladi Rerump. præſidi dedicatus. Aiunt enim hos quatuor viros in tribus pagis leges Salicas dictaſſe, Bodenheim / Salenheim / Winneheim; id eſt in domo legum, in domo equeſtri, in domo victoriæ. Hîc autem domum ſapientiæ, quæ in quaternario prima erat, omiſerunt: quoniam ea in tribus domibus enumeratis communiter cum legibus, equeſtri dignitate & victoria habitaret, numquam ab his tribus ſeparanda. De Septenario numero ciuitatum adminiſtrationi & Mineruæ ſacro quædam etiam ab Ariſtotele in Politicis ſunt indicata, priùs à Pythagoricis inuenta, & à Platone Timæo adſcripta; quæ ſi huc aduocarentur, & nimio plus oratio excreſceret, & in obſcuram numerorum caliginem raperetur. Sufficit indicium dediſſe, quàm conuenienter priſcæ philoſophiæ hæc nomina ſint conficta & ad ſeptenarium numerum accommodata, qui quatuor & tria complexus firma ciuitatis omnibus numeris abſolutæ fundamenta componit, eaque de cauſſa Palladi conſecratur. Quid, quòd ne hoc quidem veterum myſterio contenti, aliud præterea Salici addiderunt, dicentes leges has per tres Mallos, id eſt, tria conuenticula latas eſſe? Mal enim conuiuium ſignificat; & quia Germanorum mos fuit de omnibus & pacis & belli negotiis in conuiuiis conſultare, quod Tacitus teſtificatione ſua confirmat, factum eſt vt vox illa pro conuenticulo iudicum, & inde etiam pro tempore ſiue vice ponatur. Hinc apud nos Emal / Tweemal / Drimal / pro vna, duabus, tribus vicibus dicatur. Ex hac voce Germanica Mallus dicitur conuentus iuri dicundo deputatus. Cùm igitur ternarium Palladio numero addimus numerum, eum abſoluimus qui Muſis eſt ab Orphicis conſecratus. Quis hîc non miretur diuinam allegoriam Saliorum, qua vſi ſunt ad ſuam legibus maieſtatem vindicandam? quam integram fore non putarunt, niſi Palladis & Muſarum præſidio muniiſſent. Eant nunc vel Romani vel Græci, & Barbaros vocent Francos; apud quos non minus doctè quàm in Academicis hortis optima reip. forma per numeros delineatur. Quod verò proditum eſt Pharamundi ætate leges Salicas primùm latas eſſe, id an ita ſit, neſcio. Hoc ſaltem conſtat, Salicas ante Saliorum nomen cognitum dictas non fuiſſe; & idcirco non multo antea fortaſſe latas quàm regnum ad Pharamundum veniſſet. Quæ autem leges Salicæ nunc extant, eæ miſeram paſſæ ſunt calamitatē, eo quòd multo poſteriùs ſcriptæ ſint quàm Pharamundus ad Duiſbergum vſque ab Oceano regnaret, atque idcirco lingua à priſca Francorum plurimum degenerante. Franci enim ij qui à Clodouæo in Alemania & vetere Burgundionum ſede collocati ſunt, ad Toringos, Saxones, Sueuos, Bohemos, Alamanos, Bauaros, & exteras vicinas gentes in fide Francorum continendas ſermonem ſuum Allemanico miſcuerunt; eamque fecerunt farraginem, quæ nec ab Alemanis nec à Francis vetuſtis intelligeretur. Deinde dum in Latinum ſermonem leges has neſcio quis tranſtulit, plurimæ voces ſunt corruptæ, & à genuina & ſcriptura & pronunciatione detortæ. Iam & illud animaduertet qui verſus Francicos à Lazio citatos leget, poëtas neſcio qua veſania linguam ad peregrinam Latinorum terminationem pertrahere voluiſſe; nec mirum, plurimas e varia colluuione gentium voces irrepſiſſe, dum plurimæ commigrationes nihil integrum ſinerent permanere. Franci autem, ſi qui alij mortalium, faciles fuere ad linguam ſuam alterius gentis ſermoni accommodandam; ita vt non alij priſcum ſermonem ſeruarint quàm ij qui ad inferiores Rheni Moſæque ripas manſerunt, aliis Romanam, aliis Allemaniam linguam ſecutis, pro eo atque quotidiana conuerſatio poſtulare videbatur. Sed iam ſatis, & plus quàm ſatis de lege Salica & Salicis, quorum notitia Iuliani tempore primùm ad Romanos venit.

Salicæ leges vbi primùm dictatæ.

Mal.

Mallus quid, & vnde nomen habeat.

Salicæ leges quando latæ.

Salicæ leges qua occaſione corruptæ.

LIBER

FRANCICORVM
LIBER III.

QVANDO itaque nunc, quo potui compendio, ad Iulianum vſque Imperatorem priſca Francorum monumenta deduxi, reliquum eſt vt ad interiora tempora oratio deſcendat; quibus res ipſorum immane quanta ceperint augmenta. Floruit id ætatis Merobaudes præcipuis in exercitu ducendo & Repub.adminiſtranda honoribus; adeò vt ad conſulatum fuerit euectus; qui Francus videtur fuiſſe. Nec alterius gẽtis Frigeridus quàm Germanicæ fuit, vt nomẽ ipſum eſt argumento, clariſſimus rebus tum in Gallia tum in Pannonia geſtis. Fertur Iulianus in diſſidiis ciuilibus componendis aliquando dixiſſe, Audite me quem Alemani audierunt & Franci; indicans hos validiſſimos eſſe Romani nominis hoſtes, & à ſe tamen cohibitos atque compreſſos. Poſt Iulianum & Iouianum breuis regni Imperatorem Valentinianus rerum potitur, in cuius aula & exercitu plurimos Francos illuſtres in aula fuiſſe nihil dubitandum, cùm mox ab eius morte Richomeres celebretur domeſticorũ comes; qui Gratiani iuſſu cohortes aliquot è Gallia in Thraciam duxit, auxiliũ Valenti contra Gotos laturas; ſed eo imbecilliores quòd Merobaudes, veritus ne præſidij contra Alemanos numero diminuto & viribus exhauſtis Galliæ vaſtarentur, plurimos milites ex ipſis callido conſilio ſubtraxiſſet. Mox inde ſub eodem principe Franci Romanorũ ſocij regem Mallobaudem habuiſſe referuntur domeſticorum item comitem, quem & bellicoſum virum fuiſſe & fortem Ammianus oculatus teſtis declarat, eiusque ductu rapido & celeritate pugnãdi auida ingẽtem Alamanorum multitudinem apud Argentariam vnà cum rege Priario cæſam refert; qua clade fractis hoſtibus Gratianus Rhenũ tranſgreſſus, eodem duce tam inſigni victoria potitus eſt, vt eius fama totum in pace retinuerit occiduum orbem, dederitque Imperatori Thraciam petẽdi facultatem, quò Gotos omnia longè lateque populabundos pari felicitate compeſceret. Sex. Aurelius Victor triginta Alemanorum millia apud Argentarium Galliæ opidum cæſa commemorat; quod facinus cùm Marcellinus ductu auſpiciisque Mallobaudis & cœptum & perfectum dicit, nemini dubium relinquit cuius fortitudini laus omnis & gloria debeatur. Valens interim imperij ſocius rerum à Gratiano tanta gloria geſtarum æmulatione flagrans peruertere ſtudebat, & antè Gotos delere quàm alter aduenisſet: qua re cognita, Gratianus Richomerem domeſticorum quoque comitem paullo antè in Pannoniam miſſum ad Valentem deſtinat, additis litteris quibus ſe mox cum omnibus copiis adfuturum ſignificaret, rogaretque, ne quid temere aduerſus hoſtem ſolus attentaret. Ceterùm hic in ſano ardore ad victoriam præripiendam raptus, Fritigerno Gotorũ regi tam inſignem dedit rei bene gerendæ occaſionem, vt vix tertia pars exercitus Romani euaſerit, in qua Bataui erant & Franci Richomeris ductu ſeruati: quem Ammianus tradit non ſtrennuum modò & fortem in periculis adeundis virum fuiſſe, ſed generis etiam & natalium ſplendore clarum. Quoniam autem hìc nos deſtituit Marcellinus, præſens oculatusque plurimorum quæ ſcribit teſtis, obſcuritate neſcio qua inuoluimur; hiſtoriæ ſcriptoribus plurimis vel temporum iniuria vel barbari ſæculi, quod ſecutũ eſt, ſupina negligentia è medio ſublatis; & aliis qui paullò fuère poſteriores, oſcitanter admodum in iis rebus quas maximè ſcribere conueniebat, verſatis. Turonenſis Epiſcopus Sulpicium Alexandrum citat ea deſcribentem quæ ad hoc ipſum tempus faciunt; cuius ſi verba adſcribamus, non ingratos nos aut inutiles lectori præbebimus, propterea quòd ea quæ Maximo intra Aquileiam amiſſa omni ſpe imperij quaſi ad amentiam deducto Franci geſſerint, enarret. Eo tempore, inquit, Genebaldo, Marcomere, & Sunnone ducibus Franci in Germaniam prorupere, ac pluribus mortalium limite in rupto cæſis, fertiles maximè pagos depopulati, Agrippinenſi etiam Coloniæ metũ incuſſere. Quod vbi Treueros perlatũ eſt, Nanninus & Quintinus militares magiſtri, quibus infantiam filij & defenſionem Galliarum Maximus commiſerat, collecto exercitu apud Agrippinam conuenere. Sed onuſti præda hoſtes, prouinciarum opima depopulati Rhenum tranſiere,

Merobaudes.

Frigeridus.

Richomeres.

Mallobaudis ductu, Alamanorũ triginta millia caſa. Priarius Alamanorum rex caſus.

Fritigernus Gotorum rex Romanos vicit. Richomeres Francos & Batauos ſeruat.

Franci Germaniam populantur.

Nanninus & Quintinus magiſtri militia.

tranſiere, pluribus ſuorum in Romano relictis ſolo ad repetendam depopulationem paratis; cum quibus cógreſſus Romanis accommodus fuit, multis Francorum apud Carbonariam ferro peremptis. Cumque conſultaretur de ſucceſſu, an in Franciam tranſire deberent, Nanninus abnuit, quia non imparatos & in locis ſuis indubiè fortiores futuros ſciebat. Quod cùm Quintino & reliquis viris militaribus diſplicuiſſet, Nannino Moguntiacum reuerſo, Quintinus cum exercitu circa Niuiſium caſtellum Rhenum tranſgreſſus, ſecundis à fluuio caſtris caſas habitatoribus vacuas atque ingentes vicos deſtitutos offendit. Franci enim ſimulato metu ſe in remotiores ſaltus receperant, concidibus per extrema ſiluarū procuratis. Itaq. vniuerſis domibus exuſtis, in quas ſæuire ſtoliditas ignaua, victoriæ conſummationem reponebat, noctem ſollicitam milites ſub armorum onere duxerant: ac primo diluculo Quintino prœlij duce ingreſſi ſaltus in medium ferè diem implicantes ſe erroribus viarum, toto peruagati ſunt: tandem cùm ingentibus ſeptis à ſolido clauſa offendiſſent, in paluſtres campos qui ſiluis iungebantur prorupêre. Molientibus hoſtium rari apparuere, qui coniunctis arborum truncis vel concidibus ſuperſtantes velut è faſtigiis turrium ſagittas tormentorum ritu effudêre, inlitas herbarum venenis, vt ſummæ cutis, neque lethalibus inflicta locis vulnera haud dubie mortes ſequerentur. Dehinc maiore multitudine hoſtium circumfuſus exercitus in aperta camporum, quæ libera Franci reliquerant, auidè effuſus eſt: ac primi equites voraginibus immerſi permixtis hominum iumentorumque corporibus ruina inuicem ſuorum oppreſſi ſunt. Pedites etiam, quos nulla onera equorum calcauerant, implicati limo, ægrè explicantes greſſum, rurſus ſe qui paullo antè vix emerſerant ſiluis trepidantes occulebant. Perturbatis ergo ordinibus cæſæ legiones. Heraclio Iouinianorum tribuno ac pænè omnibus qui militibus pręerant exſtinctis, paucis effugium nox & latibula ſiluarum præſtitere. Hæc Alexander; quibus egregiè & luculentè ingentem Romanorum cladem oculis ſubiicit; quæ quot legiones perdiderit cùm non ſit adiectū, non pauciores tribus fuiſſe ſuſpicari libet. Eo quòd probabile non ſit aduerſus efferatiſſimos hoſtes paruum exercitum flumen tranſiturum fuiſſe, maximè cùm Nanninus vetus & prudens copiarum ductor, quem Nannienum vocat Marcellinus, periculoſum tranſitum iudicaſſet. Maximam itaque hanc iacturam fuiſſe coniecto, & Variana clade fortaſſe non minorem, qua Francorum nomen non dubium eſt quin plurimum fuerit illuſtratum. Erat ea tempeſtate clarus apud Romanos Arbogaſtes Francus ob domeſticam factioné & odium in Sunnonem & Marcomerem ſubregulos gentiles ſuos, patriæ deſertor & oppugnator. Is, cùm Franci ſequenti anno rurſus prædatum in Germaniam excurriſſent, monuit Cæſarem ab ipſis pœnas tantæ iniuriæ exigendas, niſi vniuerſa quę ſuperiore anno cæſis legionibus (Sulpicij verbis loquor) diripuerant, confeſtim reſtituerent, auctoreſque belli traderent, in quos violatæ pacis perfidia puniretur. Hinc igitur poſtea colloquio curſim cum Marcomere & Sunnone regiis ducibus habito, impetratiſque ex more obſidibus, ad hiemandum Terueros conceſſit. Et hæc quidem Arbogaſtes cótra gentiles ſuos ciuili odio ſtrennuè moliebatur, quibus tantum gloriæ, fideiq. inter Romanos eſt conſecutus, vt Victore iam Maximi filio cæſo, apud Valentinianum ad ſummum culmen honorum promotus, ſolus ferè omnium rerum domi foriſque potiretur; nec quicquam eſſet vel ciuilis vel militaris negotij quod non ipſius nutu gubernaretur. Hic itaque Francorum, Alanorum, Alamanorum, ceterorumque qui apud Romanos ſtipendia faciebant, Germanorum viribus vnà & legionibus nixus, maiorem in modum Francorum irruptiones coërcuit, vna opera aduerſarios ſuos vltus, & apud Romanos totumque eorum exercitum illuſtre nomen & eximiam fidei virtutiſque famam adeptus. Idem enim Sulpicius refert, vltra Rhenum in Francorum fines media hieme irruiſſe, & Bructerorum agros ripæ proximos & Ætiam pagum Chamauorum depopulatum eſſe. Fuit hoc perpetuò domeſticum Germanorum virus, vt dum externis armis frangi ſuperarique nequirent, ciuilibus ſuis ipſorum odiis vincerentur; alioqui ſatis virium habituri, vt iunctis copiis totum orbem ſubiugarent. Emit Marcus Germanos contra Germanos, emerunt alij, vti cùm ex aliis, tum ex iis quæ modò diximus liquet; nihil vt mirari oporteat, ſi hodie quoque idem magno nationis detrimento, & inſigni apud exteras infamia contingere videmus. Arbogaſtum hunc inſignem virum & rara militiæ laude illuſtrem, adeoq. humanis viribus inuictum fuiſſe Oroſius indica-

Romani Frācos cadunt.

Romani à Francis vincuntur.

Arbogaſtes Francus, patriæ deſertor & oppugnator apud Romanos celebris.

Germanis ſuis ipſorum ciuilibus odiis vinci frequens.

indicauit, dum eum certiſſimum indicem facit, ea quæ feliciter Theodoſio ſucceſſerāt ſola diuinæ clementiæ gratia, non humanis conſiliis, non mortalium armis contigiſſe: cuius verba ſatius erit vt apponam. Potentia, inquit, Dei, nō fiducia hominis victorem ſemper extitiſſe Theodoſium Arbogaſtes iſte præcipuum in vtroque documentum eſt; qui & tunc cùm Theodoſio paruit, tantis inſtructum præſidiis Maximum ipſe minimus cepit; & nunc cùm aduerſus eundem Theodoſium collectis Gallorum Francorumque viribus exundauit, nixus etiam præcipuo cultu idolorum, magna tamen facilitate ſuccubuit. Hæc Oroſius.

Arbogaſtis potentia & præclarè geſta.

Arbogaſtes igitur dum fortè pares aut ſuperiores in Francia ferre non poſſet, quod domi conſequi nequiuit apud Romanos conſecutus videtur; vt nimirum ad ſummos honorum gradus adſpiraret, & ipſum orbis imperium conſilio manuq. ſua moderaretur, mirabili quodam ſucceſſu Theodoſium in regio faſtigio conſeruans, Maximum deiiciens, pro Valentiniano imperium gerens, eundem mox regno vitaque exuens; &, vt quiduis poſſe cerneretur, Eugenium ex ſcriba faciens Imperatorem, vt ipſe videlicet ſub aliena perſona ſolus imperaret; quod ſanè nūc erat aſſecutus, niſi Deus ipſe immanem eius potentiam repreſſiſſet. Eugenio enim ad imperium euecto, Francos gentiles ſuos domuit, & inde Alpibus aduerſus Theodoſium occupatis & clauſis, decem Gotorum millia occidione deleuit: mox ipſum Imperatorem in manibus com-

Arbitrio cùm Theodoſium oppugnatum veniſſet, ei fuit auxilio.

pedibusque habiturus, niſi Arbitrio quem præmiſerat, quique iam Theodoſium concluſerat, diuino inſtinctu ei fuiſſet adiumēto quem venerat oppugnatum. Sed ne ſolius huius defectione victoria Theodoſio contigiſſe videretur, Deus Arbogaſtem ventorum turbine ſic obruit, vt quæ priſci de Gigantibus fabulantur, in hoc reuera contigiſſe cernamus. Rebus itaque deſperatis, obſtinatus animus, ne vel humanæ vel diuinæ potentiæ palmam victoriæ concederet, ſeſe ipſe corporis vinculis ſoluit; & adacto gladio, ne ab

Arbogaſtis interitus Theodoſii de Arbogaſte portentoſa victoria.

alio occideretur, ſe ipſe occidit: vt non alius Arbogaſtem quàm ipſe Arbogaſtes ſuperare potuiſſe videretur. De hac portentoſa Theodoſij victoria Claudianus, quem paganū peruicaciſſimum Oroſius vocat, hos verſus inter ceteros reliquit:

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Quòd ſi hic tantus vir, quem vt barbarum, ita animo, conſilio, manu, audacia, potentiaque nimium Oroſius dixit, Chriſtianus fuiſſet, atque ſe fidum Theodoſio præſtitiſſet; quibus laudibus, quibus virtutum præconiis celebraretur? Proferant antiquiores vel Græci vel Romani quemquam omnino ſiue Ducem ſiue Cæſarem cui de paucis Oroſij verbis non ſit æquādus. Quid de ſummis laudatiſſimisque ducibus dicere poſſis, quod non hoc præconiorum compendio ſit comprehenſum, cuius teſtificatione probetur nimius fuiſſe in iis omnibus quæ ad res præclarè & ſumma laude gerendas requiruntur? Alios animus, alios conſilium, alios manus, alios audacia, alios potentia, alios omnia, alios horum vel duo vel tria vel plura deſtituerunt: huic vni hæc omnia ab aduerſario etiam nimia fuiſſe dicuntur. Nunc itaque videmus, quales illa tempeſtate fuerint Franci, quales dederint duces Romanis, & quorum viribus fuerint intra limites ſuos repreſſi.

Niuiſium, Nuys.

Brouc.

NEC illud hîc otioſè aut oſcitanter tranſeundum quod ex Sulpicio adduxi, Quintinum in Francorum regionem Niuiſio tranſiiſſe, quod nunc Nuys vulgò vocamus, atque inde ſecundis caſtris ad caſas vacuas veniſſe, Francis in proximam ſiluam dilapſis, quam equidem eam eſſe mihi perſuadeo quæ Duiſbergo proxima eſt, ad quam locus Brouc vocatus, & ſiluæ vtrimque alis comprehenſus non ſolùm paludes quibus Romani equites implicati, ſed ſitum etiam refert qui deſcriptus eſt ab Alexandro. Legiones ergo à Francis in ſilua ſua Duiſbergenſi circa Brouc, id eſt, paluſtria loca cæſas eſſe credo: qua de re luculentum exiſtit indicium, longe Blondum ceteroſque aberraſſe, qui circa ea tempora Francos in ea regione quam nunc Franconiam vocamus, collocarunt. Et hæc quidem de Francorum rebus Theodoſio imperante ſufficiant; quibus patefactū, quid vel pro Romanis, vel contra eos geſſerint.

Vandali à Francis cæſi cum rege Godegiſelo. Reſpendial Alanorum rex.

Honorio rem Romanam gubernante, ingenti clade Vandalos oppreſſerunt, viginti eorum millibus, in quibus Godegiſelus rex, ferro abſumptis, & tota gente ad internecionem vltimam delenda; niſi Alani, quos Reſpendial rex ducebat, in tempore ſubueniſſent, vt Renatus Profuturus Frigeridus apud Turonenſem epiſcopum teſtatur: quod cum haud dubiè accidit, cùm Vandali

à Stili-

à Stilicone ad res turbãdas euocati ex vlteriore Germania per Francorũ fines in Galliam contenderent. Vandali enim vltra Viſtulam olim habitarunt, Burgundionibus, qui pars altera erat Vandalorum, mari Germanico propinquiores; atque inde iter in Galliam per Cheruſcos & Francorum fines inferius multo quàm fuiſſet antea Burgundionum tenendum ſibi putarunt. Franci verò, qui ſecundæ Germaniæ ſibi ſpolia vindicabant, nullo ſibi modo permittendum iudicarunt, vt alia gens eam per limites ſuos inuaderet aut occuparet. Quocirca armis ſumptis, totam pænè Vandalorum nationem deleuiſſent, niſi Alanorum ſubſidia celerrime ſuccurriſſent; quibus illud quidem effectum, vt non omnis gens periret, verùm hoc effici nequiuit, vt eam viam quam ſibi in Galliam deſtinarunt, tenerent: à qua repulſi, Alamaniam & cognatorum ſibi Burgundionum terras petiuerunt, quo per eorum fines Rhenum trãſirent. Meminit huius Vandalorum in Franciam incurſionis præter Frigeridum Procopius etiam; ſed nimis breuiter & obſcurè, ne dicam ineptè, dum mox à Mæotide Vandalos dicit in Francos irruiſſe; quaſi nullæ gentes mediæ fuiſſent in tanto terrarum interuallo, quantũ à Tanai ad Rhenũ vſq. diuerſæ nationes habitabant. Eodem adhuc Honorio imperante, Franci Romanorum ſtipendia facientes varia ſub diuerſis ducibus & tyrannis geſſerunt, alij in Conſtantini, alij in Conſtantis filij, alij in Iouiani, alij aliorum caſtris militantes; & quãuis in varias partes & cohortes gens eſſet diſtracta, poſſetque videri patria ipſorum & milite & colono penitus exhauſta, tantum tamen domi adhuc virium reſtabat, vt dum Romani variis caſibus exagitarentur, ipſi Treuerorum ciuitatem ſecundò occuparint, & direptam incenderint; ne rurſus Romanis ducibus in ea ſedem belli aduerſus Francos habere integrum eſſet. Stilico interim Vandalis, Alanis, Alamanis, Burgundionibus & aliis barbarorum gentium auxiliis innumeris inſtructus Francos pellit, eo faciliùs, quòd inſigni clade illa quam commemoraui, Vandalos & Alanos contra ſe Franci irritaſſent, omneſque iam ipſorum viribus inuiderent. Quieti igitur tantiſper dum Vandali in Hiſpaniam, Burgundiones in Sequanos & Æduos, & aliæ gentes in alias Romanorum prouincias irruiſſent, rurſus expeditionẽ ſuſcipiunt Rege Clodio ducente, cuius erat regni ſedes Duiſbergi in ſuperiore Franciæ parte; cuius auſpiciis ſecundam Germaniam ſibi ſubiugant. Hunc Clodium alij Clogionem, alij Cloudium nominant, & Pharamundi filium faciunt; quod ſi de communi conſenſu verum eſſe fateamur, conſentaneum fuerit Sulpicij Alexandri ſcriptis, Pharamundo regnante Marcomerem & Sunnonem, quorum factione pulſus fuerit Arbogaſtes, Frãcici regni adminiſtrationem habuiſſe; quos idcirco alius regales, alius ſubregulos, alius duces vocauit; vt ex Frigeridi & Alexandri fragmentis apud Turonenſem reliquis colligere cuiuis licebit. Clodio igitur Rheno, Moſa & Scalde ſuperatis, Cameracum vſque & Sommam flumen imperij fines profert, Romanis præſidiis vel depulſis vel in ſocietatem adſcitis. Erant enim in Thungrorum & Neruiorum & Treuerorum agris iam olim præter veteres colonos Sicambri, Franci, Germanique alij cultores; quibus Romani ea conditione loca ea habitanda dederant, vt & agros colerent, & contra Tranſrhenanos tuerentur: qui cùm diuerſi eſſent gente, vno ſe nomine Arborichos vocarunt; eo quòd à Romanis harum regionum colendarum ius accepiſſent hæreditate perpetua ad poſteros tranſiturum. Arf ſiue Erf hæreditas eſt, Bor agricola, à Bauwer conciſum vocabulum; Rich regnum. Quicquid itaque Romani in ſecunda Germania agrorum Germanis colendum dediſſent, & quantum adhuc priſci coloni tenerent, vno nomine Arf-bor-rich nuncupatum; id eſt, regnum agricolarum hæreditarium: quoniam nimirum nullis vectigalibus obnoxium eſſet; ad id duntaxat obligatum, vt quod hæreditario iure ſuum nunc haberent, id contra Francos Romani nominis hoſtes defenderent. In hoc tractu Thungri fuêre bellicoſiſſimi, Aduaticos & Eburones Cæſari notos nomine ſuo complexi, qui pôſt ab eximia virtute militari Brabantos ſe vocarunt. Hi ſoli fere Francis egregia laude reſtiterunt tantiſper, dum vicinia tota occupata, fœdere ſeſe ſuis cognatis coniunxerunt, communibus pôſt viribus ſua tutaturi. Primum itaque Neomagum in citeriore Walis ripa à Francis ſtructum; cuius nomine noui cognati ſignificantur, integra Germanorum voce Niew-magen dicendi. De hac Arborichorum memoria Procopius audiendus, qui libro belli Gotici primo hæc habet verba: Rhodanus ſiquidẽ in mare Tyrrhenum exit, & in Oceanũ Rhenus immittit. Paludes præterea hiſce in locis non paucæ, vbi primitus

Burgũdiones Vandalorum pars.

Frãci Romanorum ſtipendiarij.

Treuerorum ciuitas à Frãcis occupata, & incenſa.

Stilico Francos pellit.

Clodius Clodio, Cloudius ſiue Clogio Francorum rex.

Cameracum vſq. regnum promouent Franci.

Arborichi qui & vnde nomen acceperint.

Erf.
Bor.
Bauwer.
Rich.

Brabanti.

Neomagum à Francis conſtructum.

Germani gens barbara habitabāt; nec regni tunc primū momenti viri qui Franci nunc vocitantur. His finitimi Arborichi accolæ erant; qui cùm cetera Gallia atq. item Hiſpania iam pridem Romanis parebant. Poſt hos (intelligas Francos, quorum vicinos enumerat) in orientem Solem Thoringi barbari ſunt, qui Cæſaris Auguſti permiſſu ſedes has tenuere,& ab his Burgundiones haud procul ad Notum ventum vergentes inhabitant. Sueui deinceps & Alemani gens valida, liberi omnes,& iam diu ea incolunt loca.

Viſigoti. Temporis verò progreſſu Viſigoti, vi in Romanum imperium facta, Hiſpanias omnes & Gallias vltra Rhodanum flumen ſuæ ditioni ſubactas vectigalesque redditas tenuere. Erant autem Arborichi Romanorum tunc milites, quos ſibi Germani cùm obedientes facere & ſubditos vellent, vt qui finitimi eſſent,& priſtinos vitæ mores penitùs immutaſſent, eorum agros aſſiduò populari, & hos copiis vniuerſis inuadere.

Arborichi Romanis militant. Arborichi verò cùm & virtutem prę ſe & erga Romanos beneuolentiam ferrent,viros fortes eo in bello ſe præſtiterunt;cumque his vim inferre Germani non poſſent,ſocietatem vt ſecum ſaltem inirent, & mutua inter ſe facerent connubia, precabantur; quas non inuiti conditiones Arborichi mox accepere. Erant namque vtrique Chriſtianæ fidei ſectatores. Sic itaque vnum hi coëundo in populum ad maximam potentiam euaſere. Romanorum interea milites alij, qui in Galliæ finibus erant cuſtodiæ gratia conſtituti,cùm neq. Romam iam redire poſſent, nec ad hoſtes, vt Arrianos,concedere; ſeſe cum ſignis, & locū inſuper quem pro Romanis ſeruarent, Arborichis Germaniſque prodidere, ac mores ſuos continenter ſeruatos tranſmiſere ad poſteros; adeò vt vel ad hanc noſtram ætatem eodem tenore & cultu priſtinos ſeruare ritus non dedignentur. Deſcripto namque ex numero ad id fermè tempus hi demonſtrantur,quo taxati antiquitùs militabant: quandoquidem & ſuis productis nunc ſignis in aciem prodeunt, ac patriis vtuntur perpetuò legibus, Romanumque habitum, vt in ceteris aliis, ita & in ſoccis nunc ſeruant. Hæc Procopius, interpretis ferè Chriſtophori Perſonæ verbis; quando Græcum exemplar apud nos non extat:

Arborichi qui fuerint. in quibus cùm Arborichos proximos Francis facit ad occidentem ea parte qua Romanam prouinciam contingebant, clarum eſt & perſpicuū, Thungros, Aduaticos, Taxandros, Ambiuaritos, Eburones inter primos & præcipuos Arborichos fuiſſe; quod qui negabit, is mihi alios oſtendat Francis ab occidente propinquiores. Vexatos item hos à Francis perpetuò fuiſſe ex Iuliano docui, à quo in ipſa Taxandria victi narrantur. Iam & caſtrum Moſæ impoſitum à Francis occupatum in eadem regione expugnauit, vt cetera eòdem ſpectantia omittantur; quorum quædam in iis quæ modò ex Panegyricis citaui,ſunt annotata,præſertim vbi Scaldis mentio facta; quo loco, Callidis, pro Scaldis, in excuſis exemplaribus habetur: & quamuis eo loco Batauiæ etiam Panegyriſta meminerit expurgatæ à Francis, poſtea tamen ea regio tota in Francorum ditionem conceſſit,multo antè quàm fœdus quod Procopius deſcribit,iceretur, vt perſpicuum ſit ex iis quæ de Caſtellis in Moſæ ripis contra Francos munitis Ammianus prodit. Pluribus hoc mihi docendum non videtur, propterea quòd ea quæ antè adducta ſunt,ſatis demonſtrant, totam Geldriam antè à Francis occupatam, quàm in Toxandriam aut ad Scaldim penetrarent.

Brabāti præcipui Arborichi. Qui igitur nunc Brabanti vocantur, præcipui Arborichi fuerunt; qui non ſolùm Romanorū more ſigna ferebant,& ſuos in militares ordines diſtribuebant; ſed ſe quoque à Braua banda, vt in Gigantomachia docui, nominarunt Brabantos, quorum hactenus pars ſe Romana lingua vti fatetur. Certè non ad Procopij tantùm ætatem, ſed ad hanc noſtram vſque apud Brabantos conſuetudo durat, per claſſes ordineſve militares omnem multitudinem deſcribendi:

Brabātorum ſigna in animo multitudinis cenſu eiuſdem cum Rom. ſignis militaribus formæ. quorū ſigna dum quotannis recenſentur, eandem habent cum Romanorū ſignis formam,eodemq. modo geſtantur. Verùm vt intra vrbem ſignis his hactenus vtuntur,totamq. ciuitatem militari more partiuntur;ita commodius viſum eſt, vt in expeditione pro ſignis Romanis, Bandis vterentur; quas vel à Germanis maioribus ſuis, vel à Francis acceperūt: tum propter geſtandi commodiorem vſum, tum quòd ſymbolum efficacius repræſentare viderentur, vt in Gigantomachia eſt oſtenſum. Eximiè profectò Procopij narratio veterem Brabantorum expreſſit conſuetudinem; à qua quantum receſſum externorum Principum iuſſu, tantum de priſca maiorum virtute diminutum.

Leodienſis ditio Arborichorum numero comprehenſa. Sub hoc autem Arborichorum numero tota Leodienſis ditio & vicinia fuit cōprehenſa, quam donationes epiſcopis factæ ab antiquo corpore diſtraxerunt. vocarunt autem id temporis ſaltus eius regionis

regionis ſiluam Carbonariam, eo quòd terra tota carbonibus conſtare videretur: per carbones Gagaten ſiue lapidem bituminoſum intelligentes, hac in re Germanicam phraſim ſecuti, qua bitumen lapideum Colen/ id eſt, carbones vocamus. quæ res annotata non parum conducit ad hiſtoriam illius ætatis intelligendam, in qua inter cetera narratur, Francos à Quintino & Nannino in ſilua Carbonaria cæſos; à qua clade fortaſſis Francorum mons hactenus nomen ſeruat, à fontibus ferratis toto orbe nunc notiſſimis non magno interuallo remotus. His igitur ſic explicatis, facile eſt coniectatu, quo tempore fœdus hoc inter Arborichos, Francos & Romanos milites ictum fuerit. Quis enim dubitat quin Vandalis & Alanis ſuperiora Galliæ inuadentibus Franci proximos limites ſollicitarint, & in tanta rerum perturbatione ad partes ſuas Arborichos trahendi occaſionem minimè neglexerint; cùm maiorem ne ſperare quidem poſſent. Ad extremum ergò vitæ Honorij tempus Clodius Pharamundi, vt volunt, filius imperium ad Sommam vſque extendit, Arborichorum acceſſione iam redditum prorſus inuictū. Cum Honorio Conſtantius aliquantiſper imperauit Placidiæ ſororis maritus: cui mortuo filius Valentinianus ſucceſſit; qui à Theodoſio Arcadij filio Byzantij fuit educatus, & valido exercitu factus Occidentis Imperator, victo captoque Iohanne, qui mortuo Honorio purpuram ſumpſerat, quem alioqui virum bonum Valentinianus omnibus prius contumeliis vexatum occidit. Hoc Valentiniano mollem effeminatamque vitam ducente, Franci res ſuas egregiè confirmarunt. Mortuo interim Clodio ſuccedit Merouеus, incertum filius'ne patri, an cognatus, an alienus; à quo deinde reges dicti ſunt Merouingi, id eſt, Merouеum generis auctorem habentes. Ado Vienneníis perperam Clodium ad tempora Gratiani & Theodoſij refert, in hoc non minus errans, quàm in eo quòd primum Francorum regem ſtatuerit Pharamundum. Cum Merouеo vario euentu pugnauit Aëtius à Valentiniano exercitui Gallicano præfectus; cuius virtute quidā produnt Francos coactos, eas quas in Gallia occuparant terras, deſerere; quod equidem ſic intelligendum exiſtimo, vt eos quidem è Gallia Belgica, at non è Germania ſecunda expulerit; & mox Hunnorum totius imperij excidium quingentis millibus armatorum molientium incurſione compulſum, vt Francos non ſolùm in Belgica ſecunda conſidere permiſerit, ſed in ſocietatem etiam belli beneficiis conſilioque vtriſque ſaluberrimo pertraxerit. Iornandes priſcum hiſtoricum in huius belli deſcriptione laudat, qui à Theodoſio iuniore ad Attilam legatus primùm ſe dicit Tyſſam, quem Ptolemæus ceterique Tibiſcum vocant, inde Driccam, quā voce corrupta Tyram accipiendum credo, tranſiiſſe; à quo deinde loco eo ſuperato in quo Vidicula Gotorum fortiſſimus dolo Sarmatarum, quo nomine Hunnos, licet non rectè, vocat, occubuerit, Attilæ regiam veniſſe. Sed ſatius eſt eius verba audire. Ingentia ſiquidem flumina, inquit, id eſt Tyſiam Tybiſiamque & Driccam tranſeuntes venimus in locum illum vbi dudum Vidicula Gotorum fortiſſimus Sarmatarum dolo occubuit; indeque non longè ad vicum in quo rex Attila morabatur, acceſſimus. Vicum, inquam, ad inſtar ciuitatis ampliſſimæ, in quo lignea mœnia ex tabulis nitētibus fabricata reperimus, quarum compago ita ſolidum mentiebatur, vt vix ab intento poſſet iunctura tabularū comprehendi. Videres triclinia ambitu prolixiore diſtenta, porticusq. in omni decore diſpoſitas. Area verò curtis ingenti ambitu cingebatur, vt amplitudo ipſa regiam aulam oſtenderet. Hæ ſedes erant Attilæ regis Barbariam totam tenentis: hæc captis ciuitatibus habitacula præponebat. Ex his Priſci verbis barbaras ſedes barbarè deſcribentis perſpicuum fit, Attilæ regiam fuiſſe inter Tyram & Axiacem, circa ea loca quæ vt nunc Podoliæ adſcribūtur, ita olim videtur fuiſſe Baſtarnarū Germanicæ gentis, hinc Dacis, hinc Peucinis vicinæ. Sed non iniucundum erit ea ex eodem ſcriptore diſcere quæ ad huius nobiliſſimi regis formam moresque ſpectant. Vir, inquit, in concuſſionem gentis natus in mundo, terrarum omnium metus; qui neſcio qua ſorte terrebat cuncta, formidabili de ſe opinione vulgata: Erat namque ſuperbus inceſſu, huc atque illuc circumferens oculos, vt elati potentia ipſo quoque motu corporis appareret; bellorū quidem amator, ſed ipſe manu temperans, conſilio validiſſimus, ſupplicantibus exorabilis, propitius in fidem ſemel receptis; forma breuis, lato pectore, capite grandiore, minutis oculis, rarus barba, canis adſperſus, ſimo naſo, teter colore, originis ſuæ ſigna reſtituens. Neque hunc virum natura tantùm ad magna & ingentia ſtimulabat, ſed gladius etiam

Carbonaria ſilua.

Colen.

Francorum mons.

Franci imperium ſuū ad Sommam vſque Clodio rege extendunt.

Merouеus Francorum rex, Merouingorum generis auctor.

Aëtius cum Merouеo bellum gerit.

Attila regia.

Attila Hunnorum rex qualis fuerit.

Attilæ gladius miraculo inuentus. Marti ſacer, vt Priſcus ſcribit, ad omnia tentanda reddebat audaciorem. Cùm paſtor, inquit, quidam gregis vnam buculam conſpiceret claudicantem, nec cauſſam tanti vulneris inueniret, ſollicitus veſtigia cruoris inſequitur; tandemque venit ad gladium, quem depaſcens herbas bucula incautè calcauerat, effoſſumque protinus ad Attilam defert. Hoc, quem Priſcus deſcribit, enſe diuinitùs ſibi oblato fretus, totius orbis imperium animo concipere, & omnia aggredi quæ ad id opportuna arbitraretur. Incitatus igitur à Gizerico Wandalorũ rege contra Theodoricum Viſegothorum regem, primùm aſtu victoriam quærere, hinc Romanis vt Gothos deſererent, hinc Gothis vt à Romanis diſcederent ſollicitatis. *Theodoricus Viſegothorũ rex.* Verùm Valentinianus inſidias ſubodoratus, Theodoricum in ſocietate & fide retinuit, datis ad eum litteris quibus Hunnicam fraudem & callida machinamenta reuelaret, incitaretque ad communem totius orbis tyrannum opprimendum. Aëtius item Gallicanis rebus præfectus cum Francis & Burgundionibus fœdera conditionibus Romanæ rei non ſatis æquis percuſſit; quo contra tam immanem belluam omnia iam iam deuoraturam quauis via & ratione præſidia auxiliaque compararet. *Aëtij contra Attilam auxilia.* Vtrimque igitur maximæ copiæ contractæ, & Aëtio quidem Veſegotti ſiue Weſtgotti, Franci, Burgundiones, Alani, Saxones, aliæque non paucæ gentes ſuppetias ferebant: Attilam Oſtrogotti, Gepidæ, innumeraque alia diuerſarum nationum agmina ſequebantur. Dum verò iam omnia per Germaniam latè populatus Attila in Galliam cædibus omnis & ætatis & ſexus promiſcuis ſæuiret, & Remos & multas alias vrbes incendiis vaſtaſſet, Sangibanus Alanorum rex perterritus metu imminentium malorum Aurelianum Galliæ opidum, quod præſidio ſuo tenebat, Attilæ ſe proditurum pollicetur. *Sangibanus Alanorũ rex Aurelianum Attilæ prodere conſtituit.* Qua de re per fidos nuncios intellecta magnis itineribus Aëtius & Theodoricus Hunnum præuertunt. ante cuius aduentum Aurelianum occupant, & Sangibanum, quem ſuſpectum proditionis habebant, diligenter obſeruant, ſemperque medium ſtatuunt inter auxiliarium copias; ne vel fugere, vel quicquam ſæuius contra ſocios moliri poſſet. Aëtius hac re proſperè geſta, hoſti Aurelianum è Remorum finibus iam ducenti obuiam ire pergit, & ante exſpectatum in campis Catelanicis ſiue Mauriciis occurrit. Perculſus Attila partim inopino & celerrimo hoſtium aduentu, partim malo proditionis ſucceſſu, exta conſulit; quæ quamuis infauſta Hunnis eſſent, ſummi tamen hoſtium ductoris mortem pollicebantur; quod Attila de Aëtio intelligens, ſperabat, licet infeliciter pugnaret, pòſt tamen tanto duce extincto, facilè ſeſe quod moliebatur imperium conſecuturum. *Francorum cum Gepidis cruentiſſima pugna.* Interea Franci ad Aëtium, & Gepidæ ad Attilam nocte non intermiſſa aut quieti data, ne ſuis in prœlio deeſſent, properantes, per tenebras in ſeſe mutuò inciderunt: vbi ex improuiſo congreſſi, tanta rabie conflixerunt, vt hinc inde cæſorum numerus ad nonaginta millia excreuerit. Videntur tamen Franci victoriam, licet cruentiſſimam, obtinuiſſe; & pòſt etiam prœlio Catalanico interfuiſſe; *Catalanico prœlio interfuere Franci.* quod eo firmiùs credo, quòd apud alios ſcriptum inueniam, Meroueum cum filio Childerico & Aëtio dextrũ in acie cornu tenuiſſe. De Aureliano item non conuenit Iornandi Geticorum ſcriptori cum Turonenſi epiſcopo; quæ tamen controuerſia in quam partem ſit terminanda, non admodum curo: hoc ſaltem de communi conſenſu liquet, poſt Remos exciſos Attilam Aurelianum cogitaſſe, atque inde vrbis capiendæ ſpe deiectum in Catalanos campos ſe recepiſſe: *Catalani campi qui fuerint.* qua de re perſpicuum fit, hos campos non longè ab Aureliano diſtare, tametſi Blondus &, neſcio qui, alij circa Toloſam eos comminiſcantur. Eſt hactenus ciuitas Catalanenſis, vulgò dicta Chatelon, cui hæc latiſſima, de qua agitur, camporum planities ſubiacet: quæ de re ipſa Campania pòſt vocata luculentum dat indicium, non alibi Catalanos campos, qui centum leucarum longitudinem, ſeptuaginta latitudinem habere ſcribuntur, eſſe quærendos. Nec illud quod Thoriſmundo poſt patris mortem Aëtius conſuluit, vt ad ſuos quàm citiſſimè rediret, ne à fratribus regnum occuparetur, cum Toloſa quadrat; quæ tantum abeſt vt longè remota eſſet, vt præcipua ſemper fuerit Veſegottici regni ſedes. *Viſegottici regni ſedes Toloſa.* Ammianus Marcellinus libro viceſimo ſeptimo Iouinum Pariſiis egreſſum contra Alemanos ad Catelaunos veniſſe ſcribit, atque ibi cum hoſte feliciter pugnaſſe: quo cæſo fugatoque per aperta camporum iter habuiſſe, ac mox intellecto, regem Alemanorum ab haſtariis, quos tentoria direptum miſerat, eſſe patibulo ſuffixum, Pariſios rediſſe. Quis hìc non apertè cernit longè terrarum à Toloſano agro Catelaunos eſſe remotos? quis non idem de iis quæ de Aureliano, licet diuerſis modis, narrantur,

narrantur, intelligat? quibus cùm Chatelon ciuitas conſentiat immenſam camporum planitiem proſpiciens, miror quarum rationum ductu & Blondus & ceteri Toloſano agro Catelaunos applicarint. In Campania igitur Galliæ circa Chatelon ingens illud bellicoſiſſimarum totius Europæ nationum prœlium commiſſum eſt: quo, quamuis Theodoricus Weſtgottorum rex cecidiſſet, Attila tamen ſe victum fatebatur; dum plauſtris & ſagittariis ſalutem ſuorum tueretur.

Attila in Campania Galliæ ab Aëtio victus.

Cecidiſſe in ea pugna dicuntur non minùs centum octoginta millia, præter nonaginta millia quos nocturnum Gepidarum & Francorum prœlium exſtinxerat; & potuiſſet totus Attilæ exercitus deleri, niſi Aëtius Gotorum & Francorum potentiam, quam Hunnis excißis conſecuturi videbantur, ſuſpectam habuiſſet; eoque conſuluiſſet liberum Attilæ diſceſſum è Gallia permittendum, qui magnas pòſt dedit calamitates; quod numquam Thoriſinundo perſuaſiſſet, niſi ſuſpicionem contra fratres eius callidè excitaſſet, quaſi ipſo procul à finibus ſuis ad externum hoſtem perſequendum diſtracto, illi regnum paternum occuparent: cui figmento locus non eſt, ſi in Toloſano agro cruentiſſimum hoc prœlium commiſſum dicatur.

Numerus occiſorum in prælio Catalanico.

Francis porrò gemino conflictu, altero contra Gepidas, altero contra Attilam non paruam, vt credibile, ſuorum paſſis iacturam, minimè conſultum fuiſſet, citra Veſegottorum Romanorumque opem contra tot diuerſarum nationum agmina Martis aleam rurſus ſubire. Rediere igitur ad ea Galliæ loca quæ primùm armis, deinde pactione cum Aëtio inita ſibi vindicarunt: quibus nihil magis è votis, nihil magis fauſtum contingere potuit, quàm Aëtium virum & prudentia ſumma, & ad res gerendas ſingulari felicitate ab imperatore Valentiniano, ob Attilam dimiſſum & affectatæ tyrannidis ſuſpicionem, è medio tolli: quandoquidem is ſolus obex eſſet, ne Meroueus vlteriùs in Gallia regni ſui limites promoueret. Hoc itaque ſublato, & Hunnis ad Pannoniam & Italiæ fines digreſſis, Francus Sommam tranſgreſſus, Senonas, Pariſios, & Aurelianos ditioni ſuæ adiecit. Burgundionibus interim & Veſegottis ſuas etiam partes in ſtabiliendis augendiſque regnis egregiè obeuntibus; adeò, vt perparum Romanis ad Ligerim & Axonam fuerit relictum.

Franci Senonas, Pariſios & Aurelianos regno ſuo adiiciunt.

Merouco mortuo ſuccedit filius Childericus, vir ille quidem cetera benignus & regiis dotibus bene ornatus; ſed ab hoc vno infamis, quòd illuſtrium feminarum pudicitiam licentioſiùs tentaret, quo dedecore Francorum nobilitas irritata, magniſque odiis exardeſcens in regis caput coniurat; cuius rei ab amiciſſimo homine Widomaro Childericus certior factus, clàm ad Thuringorum regem confugit, relicta dimidia parte aurei nummi, quem ad hoc confregerat, apud fidum hunc ſuum amicum; vt, ſiquando Franci proceres commiſeratione regij exilij moti pacatiores viderentur, eius indicio accerſeretur.

Childerici Francorum regis indoles, & cur regno pulſus.

Widomarus fidus Childerici amicus.

Eiecto Childerico, Franci legis Salicæ, maiorumque dignitatis, neſcio quo fato, prorſus obliti, Ægidium Romanæ militiæ apud Sueſſionas præfectum regem ſalutant: qui conſilio inſtinctuque Widomari, qui ſe magna aſtutia in eius familiaritatem intimam inſinuarat, non tributis modò Francos eneruat; ſed primores etiam aliquot occultis calumniis circumuentos capite plectit; quibus rebus effectum, vt externi regis Francos tædere cœperit, & præ hac crudelitate leuia quæ à Childerico perpeſſi fuiſſent, æſtimata.

Ægidius Rom. à Francis rex ſalutatus.

Huius igitur animorum conuerſionis, miſſa aurei nūmi parte, clàm monitus Childericus redit, & pulſo Ægidio in Sueſſiones, procerum amicorumque ope regno potitur: Ad quem non multo pòſt Baſina è Thuringia venit, regis, vt fertur, vxor; non ob aliam, vt præſe ferebat, cauſſam, quàm quòd Childericum marito ſuo præſtantiorem virum eſſe ſciret, hoſpitij experimētis videlicet edocta. Mirum ni Alcibiadem, quem Agis Lacedæmoniorum rex Athenis profugū domo ſua benignè excepit, fuerit imitatus: cui & virtute militari, & formæ præſtantia, & flagitiorum ſimilitudine non malè potuerit comparari.

Childericus in regnum reſtituitur.

Baſina Thuringorum regina cur Childericū ſecuta.

Aiunt Baſinam non antè concubitum admiſiſſe quàm fauſtū aliquod ſomnium Childericus vidiſſet, è quo polliceri ſibi poſſet, eum ſe fœtum cōcepturam qui ſtrennuus vir euaderet, & coniugiū claris rerum geſtarum triumphis illuſtraret. Viſo igitur in ſomnis leone Childericus, omine prorſus Herculano Clodoueum gignit: qui quantus euaſerit, quamque latè per totam Galliam regnum extēderit, omnium hiſtoriæ ſcriptorum teſtimoniis clarum.

Clodoueus naſcitur.

Hic enim patre defuncto quinto regni ſui anno Syagrium Ægidij filium vicit, qui ad Alaricum regem Toloſam confugit; à quo minis perterrito redditus, ſecuri in carcere ceruicem ſubiecit. Decimo quinto regni ſui anno Alemaniam votis Chriſto piè conceptis ingenti prœlio

Syagrius Ægidij filius à Clodoueo victus & necatus.

ſubiugauit;

ſubiugauit; & quò in fide contineret, leges dedit, & præſidiis validis in meditullio eius collocatis, totius regionis imperium ſibi reddidit ſecurum, magna nobilitatis Alamanicæ parte ad Oſtrogothos ſeruitutis perpetuæ metu dilapſa. Hoc ergo primũ fuit Francici in Alemania ducatus, vt vocant, exordium, ex agris deuictorum hoſtium præſidiariis militibus ſorte diſtributis, conſtitutũ. Quod enim Paulus Æmilius de Sycambris Francorum ſociis impetitis ab Alemano belli cauſſam duxit, id non modò nullis idoneis teſtibus nixum eſt, ſed iis etiam quæ continuata antiquitatum Francicarum ſerie ex fide dignis auctoribus docui, prorſus aduerſatur. Quos hîc Sycambros comminiſcemur? quando illò terrarum traductos in quibus Alemaniæ finitimi eſſent, cùm perſpicuum fecerim de primæ claſſis ſcriptoribus, multis antè ſeculis è vetuſtis ſuis ſedibus ad Galliæ eos fines commigraſſe, quibus ſecundæ Germaniæ nomen de colonorum origine Romani tribuerunt? Rhenanus Mœnum ea tempeſtate Alemanorum & Francorum in Germania limitem ſtatuit; quod minimè conſentaneum iis eſt quæ de Duisbergo limitanea Francorum arce ad fines Thoringorum Epiſcopus Turonenſis prodidit; nec iis item qui Thoringiam inter Francos collocant & Alemanos. Inter Francos igitur & Mœnum Thoringi tum temporis fuerunt; ad quos Childericus rex, vt finitimos iam olim & amicos, confugiſſe narratur; contra quos poſtea grauiſſima bella à Francorum regibus geſta ſunt, tantum abeſt vt Clodouæi ætate Franci ad Mœnum vſque habitarint. Procopius apertiſſima errorem hunc teſtificatione conuincit, dum poſt Francos Thoringos, poſt hos iterum Burgundiones auſtrum verſus, inde ſuperiùs Sueuos & Alemanos collocauit. Quamobrem à Clodouæo demum Franconiam conditam dico, & à poſteris ipſius auctam; idq. tanto faciliùs, quòd Burgundiones inde digreſſi melioribus inhiantes, vacuam regionem Alemanis Sueuiſque reliquiſſent; quam necdum ſatis aut cultam aut munitam Francus, ſubiugatis Alemanis, diſtribuendam ſuis putauit, quo perpetuum illic præſidium citra impenſas hinc contra Alemanos, hinc contra Thoringos haberet. In ipſo propè vmbilico huius regionis recèns occupatæ ſors agros quoſdam iis Francis adiudicauit qui ex Gelterlandia militiam erant ſecuti, in quibus opidũ Gelterſ-heim de nomine gentis conditum certo nobis eſt argumento, non tam nouum eſſe Geltrorum nomen quàm quidam opinati videntur. Verùm cùm in hac Alemaniæ parte plures eſſent coloni ex ſeruatis hoſtibus glebæ addicti quàm Franci milites, non mirum eſt ſermonem Alemanico euaſiſſe propiorem, & eodem ferè tempore dum ad Latinas terminationes vocabula tum ſua tum à Barbaris accepta accommodare nituntur, tantam exortam obſcuritatem, & tantam mox librariorum non intelligentium vitio corruptelam conſecutam, vt plurima in lege Saliqua nec ab Alemanis nec à vetuſtæ Francorum linguæ peritis intelligantur. Nec tamen diffitendum, multas voces in deſuetudinem ab eo tempore abiuiſſe, & quaſdam etiam Saxonicas acceptas veteribus attuliſſe obliuionem. Videmus enim apud Francos Romaniſantes non paucas eſſe nec nobis nec Romanis intellectas; quas tamen veriſimile eſt à Francis vetuſtis eſſe deriuatas. Forts violentiam eſſe quiuis apud nos intelligit, at *Perfortia* vocabulum eſt ita deformatum, vt nec Latinum ſit nec Germanicum. Nos diceremus Vorforts non *Perfortia*, in quo prior pars compoſitionis & terminationis forma Latina eſt. Morgengiba ad Latinam terminationem deductum ex Morgen-geben legitur apud Gregorium Turonenſem pro dono matutino, quod à dote diuerſum facit; pro qua tamen Lazius interpretatur, in hoc vt in multis aliis Francicis vocabulis aberrans. Nos quamuis rectiùs ea reddere poſſimus, nolumus tamen immorari, eo quòd à vernacula antiquæ linguæ puritate plurimùm declinarint, ea quam modò indicaui ratione. Beatus Rhenanus verſus adducit è prologo in codicem Euangeliorum in Theodiſcam linguam tranſlatum, & aſſeruatum Friſingæ ſiue Fruxini in Vindelicis: Verùm hi pòſt facti ſunt quàm Franci linguam ſuam Alemanica Sueuicaque corrupiſſent, multaque ad Latini ſermonis ritum accommodaſſent: quod liquet mox ex titulo; in quo pro Theutſc dicitur *Theodiſca*, & in vno verſu pro *Frenſche Frenkiſga*, & pro *Im Imo*, & ita ad alia etiam vocabula vocalibus in fine adiectis. Sed qui volet, hac de re Rhenanum aut Lazium conſulat; apud quos vt verſuũ fragmenta extant, ita nihil eſt ſani de lingua Francica necdum in Alemanicam degenerante annotatũ. Quamobrem operæ nullum pretium video, ſi hîc me præſtitero curioſum: id potiùs faciendũ mihi cēſeo, vt quædam priſca Francorũ regum

Franconia ad Mænum exordium.

Franconia à Clodouæo cōdita.

Geltersheim *Franconiæ opidum.*

Lingua Francica corruptela & perturbationis cauſſa.

Forts.

Morgengiba quid & vnde dicatur.

Theodiſca lingua.

regum nomina examinē,&c,quoad eius corruptela tum ęuo longiſſimo,tū transſcribentiū incuria in ſermonē inuecta permittet,ad origines ſuas reducā. De Gaiſo & Aſcarico paullo antè cōiecturas meas indicaui;Mallobaudes,quem Marcellinus regē celebrauit, nomē habet à Mallo,de quo modò dictū,ita vt nō alius ea voce denotetur, quàm is qui cōſeruator eſt & ſalus ipſius cōuiuij, in quo fieri ſolēt de rebus grauiſſimis cōſultationes.

Mallobaudis etymon.

Merobaudes autem dicitur qui mare conſeruat. Mer enim mare eſt, vnde Mer-behaud/ ſicut Mal-behaud: Frigeridus à Frigerid/ id eſt,à libero equitatu nomen duxit. Genebaldus ſiue Genobaudes Theutonicè vocabitur Gent-behaud ſiue Gent-behald/ quo notatur elegantiæ conſeruator. Gent enim elegans dicitur, à Ge-ent/ quo id ſignificatur quod ad finem ſuum eſt deductum. Ad deriuationis ergo rationem Gent illud dicetur quod omnibus numeris eſt abſolutum.

Merobaudis nomēclaturæ ratio. Mer. *Frigeridus. Genebaldi nominis ratio.* Gent.

Dagobertus Dagen-weert, id eſt , dignus qui ad multorū dierum ſpatia vitæ tempus extendat, vel is qui dignus eſt qui cum ipſo die comparetur: quòd ſi Degenbertus dicatur à Degen-wert, is erit qui dignus eſt omnibus vt modis ſumat incrementa, quod Degen nobis vocatur. Hinc gladium Degen vocamus, quòd eius ope res ſuas Franci augere conſueuerint. A Deg etiam, quod & corporis & animi promotionem ad meliora ſignificat,fit Degelic, id ſignificans quod Latinus præſtans & magnificum, & ad maiora ſemper contendens,vocaret. Deg item vt aduerbium vſurpatur cum articulo, Te dege/ id eſt, inſigniter & multum ; à quo ſi Degebertus dicatur , is erit qui plurimi eſt æſtimandus & ſummo loco habendus; quia ſic Wert etiam capi cōſueuit.

Dagoberti etymon. Degen. Deg. Degelic.

Corochus,è quo Crocum fecerunt,à Cor-hoch/id eſt,ab electionis ſublimitate nominari videtur; niſi vox aliquam cladem,quam ignorem,eſt perpeſſa. Is ergo non male ita nominabitur qui electione in altum conſcendit,& electionis cauſſas ſemper auget.

Corochi ſiue Croci notatio.

Pharamundus à Waren-mund factum , quo verum os deſignatur. At ſi ſit Faramundus pro Fer-mund, erit qui Latinis pulcri oris decorique diceretur. Sin à Var/ quo metus notatur, deriuaretur , Var-mundus terribile os habuiſſe notaretur. Videte quantam ſignificationis diuerſitatem vnius litteræ immutatio inducat. Quid, quòd Var taurum etiam notet? à quo ſignificatu ſi duceretur,nomen toruum os indicaret. Iam & in vſu eſt Var pro Vaer, quo pater vocatur,à quo paterni oris homo Var-mundus diceretur. V autem in F aut Ph trāſire vulgatius eſt quàm vt ſit monendū. Ego in War-mundo acquieſco, vt alibi à me traditum reminiſcor , & id quidem tanto libentiùs, quòd nihil magis virū deceat,quàm nuſquam vllo tempore os à veritate declinare; quæ licet omnibus ſit diligenter conſeruanda,in nemine tamen turpius,fœdius , & exſecrabilius eſt mendacium quàm in eo qui ceteros ductu ſuo dirigere debet.

Pharamundi etymon. Var.

Hinc fit vt inter generoſos nulla iniuria maior cenſeatur , quàm ſi quis quempiam mentiri dicat; quia non multum referat patriam ne quis prodat,an prodat veritatem. Qui enim hanc violat,totius humanæ ſocietatis violat aſylum; quo profanato, nec Deo ſuus cultus, nec ſuum cuique hominum ius conſtare poteſt. Nobis in prouerbio eſt, non poſſe mendacem monſtrari vt non vnà fur quoque monſtretur. Quid enim vereri poteſt , quid turpe iudicare deſertor veritatis, in qua ſola fides omnis vnicum totius humanæ coniunctionis vinculum , tamquam in baſi ſua conſiſtit? Cuſtodienda igitur omnibus modis veritas , cùm ab aliis , tum maximè ab eo cuius partes ſunt Remp. ſartam tectam ſeruare.

Veritatem conſeruare Principem neceſſum eſt.

Scio à Romanis Francorum perfidiam accuſari, & à Saluiano etiam epiſcopo Maſſilienſi traduci : verùm id non tam gentis moribus & ingenio tribuendum cenſeo, quàm contagioni qua infecti ſunt à Latinis: partim cùm in eorum aula verſarentur frequentes, partim cùm in limitibus de vicinia diſcerent quàm nihil eorum Romani ſeruandum putarent quod barbaris polliciti fuiſſent. Quàm verò calumniarum & periuriorum peſtis in aula Imperatorum latè graſſaretur , quamuis non aliis infinitis exemplis clarum eſſet , attamen ex iis liqueret quæ Ammianus de inſidiis Siluano apud Conſtantium ſtructis ſcribit. Quamobrem Romani ſeipſos potius quàm Francos perfidiæ accuſent , quando plurimis argumentis docere poſſem, nihil Romanis ſollemnius fuiſſe quàm exteras nationes quauis ratione fallere; idque adeò ab ipſo Iulio Cæſare tam palàm factum fuiſſe, vt ius gētium à ſe violatum contra Germanos non veritus ſit ſuis ipſius ſcriptis celebrare . Sed miſſa hæc ſiant.

Francis perfidia quàm verè & qua ratione tribuatur.

Non multo certè minus Warmundi nomen momenti habet,& ad cuiuſuis & ad regis inſtructionem, quàm vel Corochi Allemanorum regis, vel Degeberti. Non infitias eo , Corochi nomen generatim admonere, vt in omnibus iis annitamur altio-

res euadere, ob quæ homines maximè idonei cenſentur, vt prudentum hominum ſuffragiis ad magiſtratum gerendum eligantur; & Degebertum omnium virtutum augendarum nomine ſuo moneri, quo indies dignior euadat vt plurimi fiat; verùm horũ omnium veritas primum eſt fundamentum, quo ſubuerſo cetera, quamuis magnifica, collabuntur. Quamobrem pro certiſſimo tenemus, Pharamundum ſiue Faramundum ab ore veraci nomenclaturam habere, quandoquidem ſciamus & duplex noſtrum digamma in F facilè tranſire, & optimi ominis nomina Francis maximè placuiſſe. Quo tamen vel moroſiſſimis ingeniis ſatisfiat, addam & alterum nomen à voce **War** deriuatum, quod Turonenſis epiſcopus ad eandem formam Latinum fecit, Faraulfum ex **Ware hulf** concinnans. Ceterùm quia **War** non ſolùm veritatem ſignificat, ſed omnem etiam cuſtodiam, fit vt War-hulfum vel veritatis vel cuſtodiæ auxiliatorem liceat interpretari. Priſci illi Romani Cimmeriorum poſteri duplex w in ſimplex mutarunt, dum ab eo Verum in vſu loquendi ſeruarent, vocali prima longa in ſecundam longam mutata, vt noſtri faciunt Zelandi. Neque ab illis vocem ad nos veniſſe & nominis ratio & peculiaris ſermoni noſtro vocum reciproca conuerſio demonſtrat. Dum primi parẽtes mendaciorum patris ductu contra veritatem irent, in pœnitentiam mox inciderunt; quæ verſis litteris, vt ſit **Raw**, denotatur; in quam vt mox à veritate deſerta ſunt collapſi, ita per eam conſecuti ſunt, vt per pœnitentiam rurſus ad veritatem retrogrado ordine diuina cõmiſeratione via aperiretur. Sed hæc ad diuina nomina ſpectant, in quibus eorũ myſteria, ſi veritas nos cuſtodiat, exponentur. Inſigne profectò Faraülfi nomen, & fauſtam votorum offerens nuncupationem; quam non homini modò, ſed ipſi etiam numini conuenientiſſimè applicaris, quod opem veritati & cuſtodiæ cùm corporis tum animi vt ferat, feruentiſſimis precibus orandum. Sicut igitur Faraülfus ex **War-hulf**, ita ex **War-mond** Faramondus.

Faraülphi nomẽclaturæ ratio. — **War.** **Raw.**

Clodius. CLODIVS, niſi Romanum nomen ſit pro Claudius, nullam habet ſignificationem: nec mirum eſſet à Romanis Francum hunc nomen ſortitũ fuiſſe, non magis ſanè quàm Syluanum qui purpuram imperatoriam ſumpſit. Mihi alia ſuſpicio iam olim mentem occupauit, litteram primam nimirum hîc perperam adiectam fuiſſe, non ſecùs atque in Clotario, Clodoueo, Chilperico, Clodomiro, & ſimilibus, ſi quæ reperiantur. Quid me ita vt ſentiam commouerit, oſtendam. Franci vt in loquendo, ita & in ſcribẽdo breuitatis perinde atque ceteri Cimmerij perquàm ſtudioſi perpetuò fuerunt. Pro eo igitur quod eſſet integrum **Coninck Lautarius** ſiue Lotarius, id eſt, Rex Lautarius, ſcripſerunt **C. Lotarius**; è qua ſucciſa notatione effectum, vt Germanicæ & linguæ & conſuetudinis imperiti proprium regis nomen non Lotarium, ſed Clotarium pronunciarint; cùm ſi Latinæ formæ **Coninck Lautar** applicare voluiſſent, Rex Lautarius fuiſſet dicendum. Hoc autem poſt tot ſæcula recens à me inuentum, de veritatis fonte, non de commentorum coniecturarúmue officina deriuari æquo iudici non difficile fuerit probare. In primis **Lautar** perſpicuam Germanis habet notationem, vt exempli gratia dum dicimus, **Lautar gaut**, purum putumque aurum intelligimus; **Clautar** verò quid ſit, nemo explicabit. Iam **Lautar** in propriis virorum nominibus apud Francos fuiſſe vel ex ſolo Agathio liquebit; qui tamen non minùs quàm ceteri, dum regem Lautarium Clotarium vocat, aberrauit. Hic enim de ducibus à Theodoberto ad Italiam diripiendam deſtinatis agens, Leutharis non ſemel facit mentionem; quem ob Italiam miſerè diſpoliatam vexatamq. ſcribit in dementiam diuina vltione cecidiſſe. Nec obſtat mihi, quòd Leuthares nõ Lauthares apud eum legatur, cùm & apud nos ab aliis **Leuthar**/ ab aliis **Lautar**/ ab aliis **Loutar** efferri audiamus. Sunt etiam qui **Lauter**/ ſunt qui **Luter** ſonent, pro dialectorum varietate mutata & ſcriptura & pronunciatione. Eſt in Franconia Lauter riuus in Salam fluens. Rhenanus quem Clotarium alij, Luitharium appellat. Sigebertus Gemblacenſis eundem Lotharium vocat. Sed quid multis? Nónne luce clarius eſt, Lotharingiam non Clotaringiam dici? quæ regio à Lothario nomen adepta omnes eos erroris manifeſtiſſimi condemnat, qui Clotarium vel ſcribunt vel nominant. Nec fuit hæc nomenclatura apud Francos tantùm, ſed pluribus antè ſæculis apud Gallos etiam ſollemnis, ſi T. Liuio & Cæſari fides adhibenda: quorum hic Luterium Cadurcum obſtinatiſſimum Romani nominis hoſtem celebrat; ille Lutarium vnius vocalis mutatione ducem facit eorum Gallorum qui primi Aſiam intrarũt, & tota

Clotarius idẽ quod Coninck Lotarius. — **Lautar.**

tota Aſia & Syria reddita vectigali, Galatiam de nomine ſuo condiderunt. Num quis igitur adhuc dubitabit, Lautarium, non Clautarium dicendum regem Francorum, & litteram C ad nomen nihil omnino pertinere? Eadem labes aſperſa eſt Hilderici nomenclaturæ, quem Heldericum vel Hildericum dicendum eſſe & ratio vocis & Iornandes teſtabitur, apud quem quintus Vandalorum rex Hilderich, non Childerich ſcribitur, & pater Geberichi regis Gotorum Helderich nominatur. Nec alia de cauſſa in Hilperici nomine peccatum, quem Hilpericum, non Chilpericum idem auctor vocauit, regem eum dicens Burgundionum. Sigebertus in nomine quinti Vandalorum regis prorſus cum Iornande conſentit; nec in hoc rege diſſentit Procopius, niſi quòd aſpirationem in vocis principio neglexerit. Quamobrem & Hildebertus, non Childebertus, dicendus; tametſi in hoc, vt Clotario, Procopius aberrarit. Iornandes eum quem Clodoueum plerique vocant, Lodoin dixit; niſi fortaſſe Lodouic, quod omnino exiſtimo, ſit legendum. Caſſiodorus eadem ætate Theodorico Gothorum regi ab epiſtolis Ludouichum vocauit, litteras ad eum heri ſui nomine ſcribens, quibus Alemanis poſt Tolbiacenſe prœlium ad ſe profugis veniam commiſerationemque Theodoricus impetrare conatur. Paullus Æmilius animaduertens Clodouæum ab aliis, ab aliis Ludouichum vocari, gemini nominis hanc rationem dedit, de ſuóne an alterius commento, non quæro: Clodouæum antè vocatum quàm ſacro religionis Chriſtianæ fonte ablueretur, pòſt Ludouichi nomen accepiſſe: quod nec vocis origo permittit, nec veteribus conuenire videmus; qui Clodouæum iuxtà poſt baptiſmum atque ante nominarunt, minimè id facturi, ſi beatus Remigius nomenclaturam immutaſſet, niſi oſcitanter & ſupinè id in tanto rege negligerent quod præcipuè oportuiſſet annotatum; à qua ſuſpicione tam longè abeſſe debent, quàm non diligentes modò, ſed propè dixerim ſuperſtitioſi fuerunt in iis conquirendis quæ vel minima tenus parte facere viderentur ad religionis noſtræ venerationem. Proferat Æmilius aliquem diuorum numero adſcriptum, cuius nomen ante hunc Ludouicum tam clarum fuerit inter Chriſtianos, vt illud maximo regi imponendum videretur, abiecto eo quo antè fuiſſet vocatus; vel ſi id non poſſit, hoc ſaltem dicat, cur potius Ludouici quàm Clodouæi nomen Remigio arriſerit. Profectò nugas vendidit & verba dedit, dum hoc ſuum commentum lectori obiecit, magis laudandus ſi hanc difficultatem perinde atque ceteri diſſimulauiſſet, aut cum Horatio dixiſſet, non eſſe fas ſcire omnia, quod mihi frequentiùs quàm velim & cogitandum & fatendum; cùm infinito plura omnibus in rebus ignoremus quàm vlla ingenij vis vel aſſecuta ſit vel aſſequi poſſit. Coniecturas non repudio, ſed eas quæ ſe veri aliqua ſimilitudine tuentur, nec auctorum vel teſtimoniis vel conſuetudini repugnant. Cæſar Litauicum videtur nominaſſe quem integrè Luiteuicum diceremus; qua in voce pro diphthongo ui, ſolam poſteriorem poſuit vocalem, quòd integra complexione ſoni Latini carerent.

Hildericus, non Childericus dicendũ.

Hilpericus nõ Chilpericus Burgundionũ rex.

Hildebertus quintus Vandalorum rex.

Clodouæus ab aliis Lodoin, Lodouic, & Ludouichus appellatus.

Litauicus.

VT ergo priùs hoc nomen quàm cetera explicemus, Luit-wic prima erit vocis origo, qua notatur populi refugium. Wic vocali producta, propria & prima notatione locus vocandus ad quem vt tuti ſimus refugere ſolemus. Hinc Wic in mari receſſus dicitur in quo naues ſe à tempeſtatibus tuentur: qua de re in Danorum vico, quem Danſ-wic vocamus, latius egi. Hinc & pars ciuitatis ad quam cuique in periculis eſt confugiendum, quæ vox Latinis vici nomen dedit. Nam & pagi, qui potiore ratione vici dicuntur, hac de cauſſa conſtituti ſunt, vt coniuncti multarum domorum inter ſe propinquarũ habitatores omnẽ vim faciliùs, quàm ſi pauci aut ſoli eſſent, propulſarent. Et hoc quidem de Wic/ nunc de altera parte. Luit ſiue Luide & Luiden, quæ voces ſine diſcrimine notationis in vſum veniunt, nihil aliud quàm populus eſt. Luit-wic igitur, ſiue Luide-wic is dicetur qui populo ſecuritatem præſtat; cuius nominis vim Cicero his verbis expreſſit, lib. de officiis altero: Regum, populorũ, nationum portus erat & refugium Senatus. Bone Mercuri, quàm recta via diuinũ Ciceronis ingenium ad eandẽ ſententiã duxiſti, quã maiores noſtri nomine Luidouici ſuccinctiſſimè more ſuo indicarũt. Quem enim Luide-wic nuncuparũt, eum optabant talẽ euadere, vt populo portus eſſet atq. ſingulare præſidiũ ſecuritatis. Aptiſſimũ mehercule nomen quod regibus detur, quorum illud primum ſtudium eſſe debet, vt populos æquitate & armis defendant, illudque perpetuò demonſtrent, nihil ſibi prius eſſe quàm vt populorum refugium & bonorum patroci-

Ludouici nomenclatura. Wit.

Luit.

patrocinium meritò dici poſſint, qua laude vt proximè Deo opt. max. accedunt, ita haud ſcio an maior queat excogitari. Beatus Rhenanus Wich ſtrennuum notare ſcribit, qua neſcio lingua, certè non noſtrati; & inde Luidewichum eſſe præſtantiſſimum populi, ſiue populi valentem: ſed cùm antiquæ Francorum linguæ ſit ignarus, fruſtra origines ſomniat. Nec multo meliùs Auentinus Luideuicum populi viam facit, à Bic/

Weg.

quo viam vult notari, cùm tamen pro via Allemani Waeg, Germani Weg dicát. Conferant qui volent hæc figmenta cum mea interpretatione, & deprehendent, ni fallor, quantum & à Germanico ſermone, & à veritate diſcedant. Vera itaque huius nominis ſcriptura eſt Lude-wit citra aſpirationem, ſiue Luit-wit/ è quo Litauicus Cæſari, alijs Ludouicus, Abbati Vrſpergenſi rectiſſimè Ludeuicus euaſit. Quiſquis ergo hoc nomine appellatur, ad hoc contendát, vt populus ab aduerſis refugium ſibi ad ipſum intelligat patere. O fauſtam nomenclaturam, & verè regiam, & dignam qua primus Francorum rex Chriſtianus vocaretur! Quî ergo factum vt Clodoueus vocaretur? non ab alia re quàm ab imperitia eorum qui ex Clodouico vnicum vocabulum fecerunt, cùm C præfixum Coninc/ id eſt, regem notet, quem titulum nomini proprio præponere ſolemus. Eodem prorſus modo ex Lautar, Clautar; & mutata diphthongo in ô longum, Clotar exſtitit; cùm hæc notatio C Lautar regem Lautarium deſignet: in qua ſi litteræ integram vocem denotanti punctulum poſtpoſitum fuiſſet, fortaſſis in eum errorem incidiſſent pauciores. Lautar ergo citra aſpirationem, quam perperam Agathius adiecit, ſcribendum, eum ſignificat qui tam purus homo eſt quàm aurum obryzum puram habet ab omni miſtione naturam. Quem igitur purum hominem maiores noſtri vocarunt? Eum nempe qui Germanicum hominis nomen maximè inter mortales meretur.

C præfixum propriis regũ Francorum nominibus idem valet quod Coninc/ *id eſt, Rex.*

Lotarij etymon.

Menſch.

Men.

Sich.

Menſch nobis idem eſt quod Latinis homo, cuius nominis ratio ex duabus vocibus pendet; altera Men/ altera Sich: quarum illa idem ſignat quod Romanis duco, vel ago; vnde Minare à vetuſtis Cimmeriis apud Latinos relictum: hæc vim reciprocandi habet quam per ſeſe quarto caſu redderet Latinus. Menſich ergo, & conciſe Menſch/ animal eſt ſeipſum agens atque ducens; qua notatione, vt breuiſſima, ita latiſſime patente in ſapientiæ ſtudio & omni de officio quæſtione mox excluſam videmus ignauam fati rationem, vt ſic cum Cicerone ἀργὸν λόγον philoſophorum vocemus, quam è vetere ſecta, iam olim à præſtantiſſimis ingeniis condemnata, quidam Chriſtiani reuocare magna impudentia moliuntur. Cernas hîc quantum in minima vocula ſit momenti ad hominis vitam veris rationibus inſtruendam; qua ſimulac vocari nos audimus, mox in animum ſubit, omnia quæ ad bene beatéque viuendum ſpectant, in hominis eſſe poteſtate; quam integram ſeruaſſemus, niſi primi parentis culpa eam perdidiſſemus libertatem, qua ad ſummum felicitatis apicem acceſſus patebat. Sed hæc altiora ſunt & plus negotij complexa quàm vt hîc ſint perſequenda. Satis eſto hoc nos de Germanica hominis nomenclatura didiciſſe, eum verum purumque hominem eſſe, qui ſeipſe totum ducit. Hanc vim cùm labefactatam in homine philoſophi animaduertiſſent, videréntque ad hanc integritatem plurimum deſiderari, quam tamen intelligerent ad animi puritatem eſſe neceſſariam, in varias opiniones ſunt diſtracti, dum cauſſam inueſtigant tantæ perfectionis amiſſæ. Socrates alas nos perdidiſſe fingit immodico terrenorum mortaliſque corporis amore, qui corpori nos velut carceri incluſerit; at vnde hic primam duxerit originem, perſpicere nequiuit. Eò tamen cognitionis videtur perueniſſe, vt ad maiorem mortalium animus ſponte ſua adſpirare non poſſit. Solus CHRISTVS nobis aperuit qua iactura perdiderimus tantum libertatis, vt viribus noſtris ad ſinceram mentis puritatem & ſummum bonorum peruenire nequeamus. Solus igitur CHRISTVS poſt Adæ lapſum purus homo fuit, & ſolus meritus Germanicam hominis appellationem; ceteris omnibus longiſſimè ab hac integritate delapſis. Eſt tamen quodam prodire tenus in hominis poteſtate, & quamuis compos non ſit per ſe vltimi finis, eſt tamen dominus actionum ſuarum, quoad eius humana ratio perducit. Qui ergo ſe perturbationibus animi non permittit, ſed earum impetum viriliter retundens, ſe ipſe quò recta ratio monſtrat deducit, is purus homo, quoad ſpontis ſuæ eſt, dicetur, excluſa ea ſinceritate quam ſola diuina poteſtas gratis largitur. Quamobrem qui Lautarius à maioribus noſtris vocatus eſt, ei nomen ipſum ominabatur & optabat vt ad hanc adſpiraret puritatem quam Teutonica hominis appellatio deſignat. Regium ſanè nomen.

Hominis Cimbricæ nomenclaturæ ratio.

Liberum hominis arbitrium.

nomen. Nam qui alios bene reget, ei opus eſt, vt priùs ſeipſe quàm ceteros regat & recta ratione ducat: quod dum faciet, dignus erit vt **Lauter menſch** vocetur, perinde atque **Lauter gout** obryzum aurum dici conſueuit. A **Menſch** Latini Mentis nomen acceperunt, quæ pars animi eſt cuius ſolius ductu humanæ actiones regendæ. Hæc demum ea eſt onomantia quam Magi quæſiuerũt: cuius vtilitas quanta ſit vel ex hoc vno exemplo, tamquam ex vngue leonem, coniectes; cernaſque quàm ſiniſtra, quàm ſint præpoſtera, quàm iniqua, quàm barbarie omni barbariora eorum iudicia qui hanc vocum ad natales ſuos vocandarum rationem derident, contemnunt, atque conuiciis proſcindunt. Nos illorum veſaniam abominati, & Magorũ veſtigia ſecuti, ſemper annitamur ad veritatem è tenebris eruendam priſcarum vocum origines, velut Mercuriales quaſdam manus, diligenter quò iter monſtrent conſiderando. Ex Lautario itaque non ſecus Lotarius euaſit atq. ex aula Euclionis, olla: cui C littera, regem Teutonibus indicans, præmiſſa Clotarium fecit. Miror cur non perinde de Lotario & Clotario atq. Ludouico & Clodoueo Æmilius diſcriminis cauſſas quæſiuerit: at video; non licuit ad baptiſmum iuxtà in illo ac in hoc diuerſitatis rationem vocare, quod miror apud eum non effeciſſe quò minùs figmentum placeret. Fateor equidem in hac nomenclatura explicanda paullò me fuiſſe quàm ſtomachi quorundam ferent, prolixiorem; at non prolixior tamen fui quàm rei ſignificatæ & natura, & fauſtum omen, & antiquitas poſtularet. Neque enim ea ſolis Francis, ſed vetuſtiſſimis etiam & nobiliſſimis Gallorum placuit in regia ſobole nuncupanda, vt modò ex Cæſare & Liuio hiſtoricorum omnium clariſſimis apertum reddidi; qua in re luculentum eſt teſtimonium non eius modò quod hic ago; ſed illius etiam, Gallorum veterũm & Francorum eandem linguam fuiſſe: quod obiter hîc annotatum, alibi latiùs oſtendam.

Onomantia.

Hilpericus, ex quo Chilpericus eodem errore, hominem deſignat auxiliorum diuitem. **Help/ Hilp** & **Hulp** auxilium notat, vocalis mutationem dialectorum varietate afferente. Nemo mortalium eſt, ſit licet Hippias omnium artium & liberalium & mechanicarum peritus, cui auxiliis non multis opus ſit: atqui nullus eſt tam miſer & inops cui plura ſint neceſſaria adiumenta quàm regi: quoniam non ſibi ſoli, ſed omnibus ſubditis plus quàm paterna diligentia debet prouidere, ac procurare quæ ipſorum ſaluti poſſint conuenire. Fauſtum igitur & hoc nomen, perpetuum ipſi qui eo nuncupatur documentum, auxilia vndique, quæ muneri ſuo vel publico vel priuato conducere quouis modo putabit, comparanda.

Hilperici etymon. **Help/ Hilp/ Hulp.**

Hildebertus verò, è quo Childebertũ factum videmus, idem eſt ac ſi dicas, dignum ſtrennuis & inſignibus viris. **Hilt** ſiue **Helt** eum notat qui rebus egregiè geſtis excellit, quem Heroëm licet vocare. Tales autem ſocios habere, ſi quem decet, in primis decet regem; quò ipſorum opera & in pace & in bello feliciter ad publicam ſuorum ſalutem vti poſſit. Magnus ille rex tot ſibi *Sopyros* exoptabat, quot ingens malum punicum grana contineret. Qui ſe *Hildebertum* vocari audit, hoc ſibi putet à nominis auctoribus dici, vt ſe dignum præſtet eorum amicitia & conuictu, qui ceteris mortalibus eximia laude præſtant; quod non fiet, niſi & ipſe virtutes omnes diligenter colat, & virtute præditos beneficiis & honoribus extollat.

Hildeberti nominis ratio. **Hilt/ Helt.**

Clodomiri nomenclatura ſimiliter ex Lodomiro, malè ipſius C litteræ notationem intelligentium culpa conficta, rectè & origini ſuæ accommodatè **Luide-meer** ſcriberetur: quando iuxta eandem vocum corrumpendarum formulam ex Luideuico factus eſt Lodouicus. Quod ſi ita eſt, Onomantopæus eum quem ſic nominabat, cupiebat tam felici ſucceſſu populo præeſſe, vt eum perpetuò augeret vel multa ſobole, vel nouæ gentis acceſſione, vel magna rerum copia. **Meer** enim apud nos, plus, ſignificat; &, amplius facio; ſiue, augeo: cuius diphthongo ſiue gemino litteræ tempori Allemani addunt adſpirationem, quò magis more ſuo ſpirent, quàm aptè, ipſi viderint. **Luide-meer** itaque populi promotor dicetur & gentis ampliator: cuius ſignificationis votum & omen tam latè ſeſe diſtendit, quàm multis modis populus capit augmentum. Luidemeerum alij Lodomirum, alij Luitomarum, alij Litomarum vocant; quo nomine Sunonis filium produnt, & item Bulgarorum Arnulpho imperante regem. Ex **Meer** etiam Richomerem apud Marcellinum legimus, quo regni ampliator deſignatur: qua voce Latini ſermonis imperiti Auguſtum poſſent interpretari, dum dicunt **Vermeerder des richs** pro Augu-

Clodomiri & rectiùs Lodomiri nomenclatura.

Meer.

Luidemeerus alius Lodomirus, Luitomarus aut Litomarus vocatus.

Richomeres.

Marcomirus. Auguſto. Ab eadem vocula Meer fit Marcomirus, Teutonicè dicendus Marc-meer/ pro finium ampliatore: eo quòd Marc inter alia limitem ſignet, vt in Marca Taruiſana, *Marc.* Anconitana, aliiſque. Nulla profectò nomina Francorum votis priſciſque inſtitutis inuenias quàm hæc tria conuenientiora: propterea quòd & populi, & regni, & finium ampliatio, & perpetuus auctus ad eum propriè ſpectat qui ſe Francum, id eſt, latè palmites ſuos extendentem profitetur. Minimè itaque audiendus Beatus Rhenanus, qui *Merouei etymon.* Mer pro Maier/ quo præfectus opidorum & vicorum notatur, poſitum ſcribit, idque facit in explicando nomine Merouei; quem cùm Merwichum Germanicè vult vocari, & alibi Wich ſtrennuum, neſcio qua de lingua, interpretetur, præfectum ſtrennuum redderet, compoſitione apud Teutonos non ſatis recepta. Meer & Mer diuerſam habent & pronuntiationem & ſignificationem; licet hoc ab illo deriuetur. *Mer.* Mer enim per e longum, eo ſono quo balant oues dum βληχᾶν à Græcis dicuntur prolatum, mare ſignificat, lacum, & ſtagnum; vt dum dicimus Harlem-mer/ Leiden-mer/ pro Harlemico & Leydenſi ſtagno ſiue lacu: & Antuerpiæ Mer vicus eſt, quo vix vlla in vrbe vel amplior, vel ædificiorum magnificentia ſplendidior, ex eo nomen ſortitus, quòd patrum memoria ſtagnum eſſet paſcuis paluſtribus adiacens; à quo canalis ingens reliquus eſt plurimarum nauium capax, & totus longiſſima latiſſimaque teſtudine ſic tectus & ſilice conſtratus, vt ſuper eo decurſionum equeſtrium ſpectacula nonnumquam exhibeantur. Ex hac voce Mer wic dicetur maris refugium, quod nomen illi aptiſſime dandum qui vel inſignem portum cuſtodia ſua tutum ſeruat, vel qui in mari vice portus eſt: eo quòd à piratis nautas vectoreſque ſecuros reddat. Quòd ſi à Meer/ quod augeo eſt, deriues, contra loquendi conſuetudinem compoſitio fiet; quæ poſtulat vt quod adiectiuum Grammatici vocant, ſubſtantiuo, & quod regitur, ei quod regit, præponatur: quæ conſtructionis ratio compoſitionem noſtratibus reddit elegantiorem; quamquam non ignoro in quibuſdam fuiſſe neglectam vitio, quoad eius fieri poteſt, & in fabricandis & in transferendis vocibus euitando. Hac igitur ratione Merouicus is eſſet ad quem e maris periculis tutum refugium pateret: quæ interpretatio rectè habebit, ſi Clodij filius hoc nomine fuerit nuncupatus, & è Merouico Meroueus, non aliter quàm è Ludeuico *Merouei monumenta.* Clodoueus exſtiterit. Verùm hactenus arcis reliquiæ apud Dordracum ſpectantur, cui nomen Thuis van Merwe/ id eſt domus Merouei: qua de re non diſſimilis veri coniectura, hic Meroueum vel natum, vel domum exſtruxiſſe. Compoſita autem dictio eſt Merwe ex Mer & Houwe/ per conciſionem nobis in conglutinandis decurtandiſque vo-*Hou. Hau. Hauwe.* cibus frequentem. Hou vel Hau & Hauwe idem eſt nobis quod, teneo, Latinis; à qua vetuſta Cimmeriorum voce ipſum habeo habent Romani, duplici digamma, quo carent, in B mutato. Mer-houwe itaque, & abſorpta ſyllaba Mer-we/ dicetur is qui mare tenet: à quo nomine rectiſſimè ad metamorphoſim Latinam dicetur Meroueus qui longè lateque per mare dominatur; quæ appellatio Francis per Oceanum & mediterraneum mare omnia ſibi tamquam in ſuo dominio inuenta vindicantibus non potuit *Merwe alueus per quem Moſa & Walis iuncti ſimul fluunt.* non maxime placere. Hinc alueo per quem Walis & Moſa iuncti ſimul fluunt, Merwe nomen datum, vel quia Meroueus in eum flumen deduxiſſet quod olim priùs in Scaldim quàm in Oceanum euolutum fuiſſe in Aduaticis indicaui, vel quòd in eo præcipuam nauium ſtationem poſt Batauiam totam occupatam Franci haberent, non ad aliud comparatarum quàm vt maris imperio potirentur. Quamobrem Merweus hic ſinus, in quem Vahalis vnà cum Moſa poſtea magnum aquarum pelagus, hominum opera ſine vi aliqua inundationis, aggerum obſtacula rumpentis, euoluere cœperũt; nomen hoc ſuum non à Meroueo tantùm, ſed à ſeipſo etiam habere meretur: eo quòd ipſius claſſibus mare maxime teneretur in Francorum poteſtate. Non contemnendum Hercule Merouei monumentum tum in hac fluminis parte tum in domo perdurat, quæ licet ingenti diluuio auorum memoria ferè ſit funditus eraſa, tantum tamen reliquiarum vndis adhuc extans habet, vt vetuſtum nomen hactenus potuerit tueri: ex quo efficitur, vt non Merouicum hunc regem, vt Rhenanus voluit, ſed Meroueum ex Mer-hauwe ſiue Mer-houwe (vtrumque enim vſitatum) nominatũ fuiſſe ſuſpicer; tametſi non ignorem, Merouicum quoque dici potuiſſe: qua voce maris refugium notaretur. Sed hac in re vetuſtum ipſius domus Merwæ ſequor monumentum, pro eo ac fieri in antiquitatibus inueſtigandis oportet. Videant igitur hìc rurſus ij qui aliorum opinione

opinione anticipati in Franconia huius regis tempore Francorum res floruiſſe obſtinatè aſſerunt, quàm non conuenientia dicant apertiſſimæ vetuſtatis obſeruationi. Supremus Franciæ limes id ætatis Duisbergi ad fines Thuringorum fuit, vt partim ex Epiſcopo Turonenſi de Clodij regia ſede loquente, partim de exercitu ad Maguntiacum Alemanis, non Francis, oppoſito colligas. Sigebertus hunc ipſum Clodium ait terminos ſuos ita ampliaſſe, vt Duisbergum Duringorum opidum primus Francorum occuparit: quod ſi verum eſt, in promptu eſt videre quàm immani interuallo à veritatis limite aberrarint qui id ætatis Francos in Franconia collocarunt. Video tamen hoc loco obiici mihi poſſe, ab iis præſertim qui peruicaci ignorantiæ patrocinio perquam diligenter incumbunt, quò Germanicarum originum examen vel derideatur vel perpetuo exilio damnetur, hoc nomen **Meer** pro mari Teutonicum à primis natalibus non eſſe, verùm à Latino fonte deriuatum. Contra horum præpoſtera iudicia in vnico atque altero axiomate omne colloco defenſionis firmamentum; quod niſi mihi poſtulanti concedant, non magis mea refert quid obganniāt, quàm ſi diei lumen à Sole negent tamquā ex cauſſa proficiſci. Si qua vox duabus pluribúſue linguis eſt communis, eius origo primogenia ad eam pertinet in qua vera eius ratio inuenitur. Vbi porrò de vera ratione non liquet, ad analogiam fabricæ tranſeundum; quæ ſi cuipiam ſermoni ita ſit peculiaris, præcipua, & ſua, vt in altero non reperiatur; tum ei vocis prima cauſſa vindicanda. *Vocum origines ac primos natales inueſtigādi ratio.* Proprium autem linguæ noſtræ eſt, voces plurimas retrò vel pronuntiatas vel lectas id notare quod maximè facit ad notitiam eius quod prorſo litterarum ordine ſignificabatur; quod vel contrarium eſt vel neceſſariò conſequens prioris. Iam & illud noſtratibus frequens, eiuſdem nominis plures cauſſas aptè conuenienterque reddi, quæ omnia in Hermathena latiùs expono. **Meer** itaque, vt minimum, geminam habet, ne dicam plures, notationis in vernaculo noſtro ſermone rationem, alteram potiorem & à fine, alteram à rei ſignificatæ natura petitam. *Mare vocabulum eſſe Cimbricum.* Humidorum, vt à poſteriori exordiar, proprium eſt facillimè terminos ſuſcipere alienos, ſuos minimè tenere fixos. **Meer.** Nunc **Ram** id ſignificat cuius conuerſio **Mar** notat contrarium, formula linguæ noſtræ peculiari. **Ram.** **Ram** enim à Ram vocali curta pronuntiato deſcendit, tempus ſuum producens: **Ram** rurſus à **Rom**/ cui contrarium **Mor**/ de quibus hîc nihil vlteriùs, ne altiùs in Hermathenæ ſacrarium penetremus. **Rom.** **Mor.** **Ram** itaque vocali longa elatum, id ſignificat quod Latinus diceret, rem quampiam intra fines ſuos contineo, & certis terminis circumſcribo, extra quos egredi non poſſit. Hinc **Ram**/ vt nomen vſurpatum, inſtrumentum quoduis notat, quo quippiam ad iuſtos ſuos fines extenditur & terminatur. Contrariæ ſignificationis eſt **Mar**/ rem nullo certo fine concludens; quod non ſolùm vt verbum venit in vſum, ſed vt aduerbium etiam, & id quidem frequentiſſimè, in omni ſermone id ſignificans quod, Sed, Latinorum. Hinc adagium apud nos, **Dar is een mar by**; dici ſolet de iis quæ quia non ſunt omnibus numeris explicata, aliquod, vt ſic dicam, ſed, requirunt. Exempli gratia: Si quis dicat, Hic diues eſt; tum alter ſubiiciat, Adiice, ſed; qua vocula iuxta phraſim noſtram adiecta adeò nihil terminatur, vt etiam illud quod dictum erat abſoluto ſuo fine priuetur. Neque enim intelligi poteſt integras & veras diuitias habere de quo ſic loquimur, ſed quid obſtet quo minùs abſolutè diues dici queat, relinquitur incertum. Diues eſt, ſed furto diues euaſit: Diues eſt, ſed ex fœnore: Diues eſt, ſed auarus: Diues, ſed prodigus: Diues, ſed fiſco obnoxius. Quid multis? Nihil certi concluſit qui, ſed, vel **Mar** noſtras adiecit, & prius dictum ne ad terminum perueniat remoratur. Hinc **Morren** cum dicimus qui cuiuſpiam dicto vel facto non eſt contentus, tamquam eo quòd perfectum non eſt aut non bene determinatum. **Morren.** Vnde **Mormoren** eſt murmurare, quod an noſtras ſit an Latinum, recta ratio & analogia indicabit. Iam **Mar** famā & rumorem notat: quoniam fama nihil ſit incertius, nihil minùs ſuis finibus incluſum, vt poëta Latinus elegantiſſimis ſuis verſibus expreſſit, de Græco illis quidem fonte ductis, ſed aptiùs vſurpatis. **Mar.** Quòd ſi ipſi **Mar** præponas voculam **Nou**/ quo imperfectum notatur, vt ſit **Nou-mar**/ fama ea notabitur quæ neque auctorem certum, neque quicquam abſolutæ notitiæ gignit; à qua dictione Rumor Latinorum. Si negent, conuenientius etymon proferant. Nunc ad id quò tendebat oratio. Quid rogo maris naturæ magis conuenit quàm certo ſuo termino non teneri, cùm & humidum corpus ſit & perpetuò huc illuc vel Lunæ motu vel ventorum impetu rapiatur,

nihil ſuum habens in quo acquieſcat? Hinc igitur Mar & Mer pro mari vel maiore vel minore, à quo rurſus Marſſen ſiue Merſſen loca mari vel ſtagnis obnoxia. Et hæc vna ſit ratio ob quam Mer ſuam habeat ſignificationem. Alteram à fine nominis fabricator petiuit. Cùm enim à Mar fiat Meer pro eo quod plus Latini dicunt; quia quod plus eſt & alteri finem demit, nec certum ſibi ponit; placuit Mer cuiuis magno ſtagno applicare; quò fauſtum omen & felix rerum ſucceſſus ipſo nomine denotaretur. Cùm enim ſtagnum Mer vocamus, orare videmur naturæ parentẽ; vt per aquas rem noſtram proſperet atque reddat auctiorem, quo ſemper plus quàm habemus conſequamur. Vt mare, ſi ſæuiat, crudeliſſimum eſt elementum; ita, ſi rebus noſtris faueat, nihil eſt quod eas magis augere poſſit. Pari ratione Ven ſtagnum & palus vocatur, quò videlicet ipſa nomenclatura aquas rogemus, vt omnis elegantiæ & venuſtatis fontem nobis aperiant, hinc campos irrigando, hinc piſces alendo, hinc naues varia merce plenas aduehendo; &, vt ſemel dicam, vndique ea ſubminiſtrando quæ regiones reddant amœniores. Nulla numina magis coluntur & reuerentiùs habentur quàm ea quæ dum irata ſunt maximè ſæuiunt, plurimumque poſſunt damni mortalibus adferre. Quamobrem mare non ſolùm vt plurimas adferat commoditates, ſed ne vim quoque ſuam exaſperatum nobis intentet fauſta nomenclatura indigetamus. Ite nunc ô Latini, & rationes meliores adferte ob quas magna aquarum ſpatia maria vocentur: quas ſi dederitis, vltrò herbam in hoc campo porrigemus. Quòd enim quidam mare ab amaro deriuát, ineptum eſt. Fac ita eſſe, vt idem ſit ſalſum & amarum; an non ita amarum potiùs à mari, quàm hoc ab illo nomen ſumpſiſſe diceretur? Quid quòd ne amari quidem nomen cauſſam habet apud Romanos, niſi eam à priſcis Cimbris, à quibus linguam ſuam acceperunt, petere dignentur; apud quos Af-meer idem eſt ac ſi quis dicat, Apage, non plus huius. Digamma demptum A facit, ad priuationem notandam vſurpatum Latinis: Vnde Amarum illud erit quod tam triſtem guſtum offert, vt plus eius habere nihil deſideremus. Verùm ne amareſcat noſtra oratio, dum plus ſatis de mari diſputamus, docemúſque Latinos vocabula nobis, minimè nos ipſis debere; reuertamur eò vnde ſumus ab iniquis ſermonis noſtri æſtimatoribus depulſi. Opinor ex his ſat ſuperque liquere, vix vllam potuiſſe nomenclaturam aptiorem maritimo regi dari quàm eam qua maris ipſi imperium nominis auctor & optaret & ominaretur. Abeat igitur Vrſpergenſis Abbas, & alios quærat quibus probare nitatur Merouеum dictum eſſe Mer-vehe, id eſt, marinum pecus; quia mater eum ex monſtro marino concepiſſet. Inſignem ſcilicet interpretationem, & nomen rege dignum, ſi in Phocarum regno ſceptrum teneret. Hoc eſt, ſi Mercurio placet, hiſtoriam ſcribere, de vocibus nimirum perperam intellectis fabulas ne anicularum quidem auribus dignas comminiſci; quamquam haud inſcius ſum, ſcriptum inueniri, Merlinum etiam Anglorum vatem non ex homine, ſed ex neſcio quo ſpectro genitum eſſe; quod non magis credo quàm Herculem Iouis; Romulum Martis, alios aliorum ſiue Deorum ſiue Dæmonum ſatu procreatos. Verùm quia à Clodomiro ad Merouеum occaſione Meer & Mer venimus, & priùs quæſitum eſt de Clodij nomine, ad id iam reuertamur.

Merſſen. *Mer.* *Ven.* *Merlinus.*

Clodij nominis origo.

Claudius ſiue Clodius apud Latinos tam facilem ad originem ſuam monſtrat acceſſum, vt ad eam vel claudicando promptum ſit peruenire. At ſi vox Germanica ſit dicenda, quod equidem magis conſonum duco veritati, vix ambigendum, quin idem ſit perpeſſa quod Clodoueus, Clotarius, Clodomirus & ceteræ id genus regum nomenclaturæ; & ſanè non longè abſum ab ea ſuſpicione, vt ex Ludouico & Clodoueum & Clodium exſtitiſſe credam: quod ſi concedatur, nihil amplius ad eius interpretationem adferendum. Sidonius Apollinaris in Panegyrico ad Maioranum Clotonem vocauit, non ſecus atque Græci Clotarium pro Lotario ſcripſerunt:

Pòſt tempore paruo
Pugnaſtis pariter Francis, quà Cloto patentes
Atrebatum terras peruaſerat.

Clodius Cloto appellatus, id eſt, Conınc Lot.

Quocirca non abſurdum fuerit, ſi dicatur Cloto pro Conınc Lot; ita vt de vulgata loquendi conſuetudine Lot pro Lotario vocetur.

Quemadmodum porrò Clodoueus pro Luideuico in libros & ora hominum venit, ita & Clotildis pro Luithildis ferè ſcriptum videmus; cum tamen non aliter hic littera

C reginam

C reginam atque illic regem deſignet. Nobis frequens feminarum nomen, licet breuitatis cauſſa modò priorem modò poſteriorem eius partem omittamus) aliquando **Luit**/ aliquando **Hilde** dicentes, quod rurſus in **Hil**/ non ſine vitio, tranſit. **Luit-hild** vel **Luide-hilde**/ è quo Latinis Luithildis, ea vocatur quę in populo ſic excellit, vt dici mereatur heroina. **Hilt** enim heros eſt, vti modò dictum. Epiſcopus Turonenſis & Ado Vienneniſis Chrotildem vocant ceu **Rot-hilt** dicta fuiſſet, qua voce cohortium heroina vocaretur, verùm credo ſermonis Germanici imperitia nomen corruptum; quia Luithildis vſitatum hactenus nobis nomen eſt feminarum, tum quia Tritenhemius ex Hunibaldo, & Sigebertus Gemblacenſis Clotildem, non Crotildem, nominarint. Ex eadem vocula **Hilt** fit & aliud nomen in mulieribus nobis non infrequens, Maechthildis; quo fabuloſa poëtarum Diana meritò vocaretur. **Maecht** virginem ſignificat: vnde Maeghthildim virginum heroinam dicemus, cuius vocabuli vim qui latiùs ſibi ob oculos poſitam volet, hos Virgilij verſus in memoriam reuocet: *Hilt.* *Maechthildis etymon.* *Maecht.*

Regina ad templum forma pulcerrima Dido
Inceſſit, magna iuuenum ſtipante caterua;
Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros, quam mille ſecutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humero, gradienſq; deas ſupereminet omnes.

Hoc nomine fuit mulier quam Blondus, perperam Matildem vocans, omnium earum quæ vllis vmquam ſeculis floruerunt, glorioſiſſimam facit: de cuius donatione maxima pars eius quod D. Petri patrimonium vocatur, Pontificum ditioni acceſſit. Maechtildis autem nomen eo lubentiùs interpretor, quòd mater mea, nec forma nec ingenio, dum viueret, vulgari eo fuerit à Coremannis parentibus ſuis nuncupata. Ab eadem vocula **Hilt** fit Brunoghildis, in quo **Brun** fuſcum, **Og** oculum ſignat; ita vt hoc nomine heroina denotetur excellentiſſima earum quibus oculi ſunt ſubnigri, qui color apud noſtrates in oculis plurimum laudatur. Ex Brunoghildis Germanici ſermonis imperitia Brunichildem apud Turonenſem fecit, qui hoc nomine filiam regis Gotorum ex Hiſpania à Sigeberto Francorum rege in matrimonium vocatam celebrat, mulierem illam quidem formæ animique dotibus inſignem; ſed omnium earum quæ vmquam vixerunt crudeliſſimam, adeò vt decem reges per diuerſas artes & machinamenta neci dediſſe ſcribatur. Cherebertus item, vt Paulus Æmilius eum vocat, Lotarij filius, non aliter quàm Clotildis, nomen habet deprauatum; quem Turonenſis Charibertum longiùs aberrans vocauit. Tritenhemius in annalium compendio Heribertum hunc nominat: ſed nec ſic quidem prorſus emendatè, cùm Herbertus ſit vocandus; quæ nomenclatura noſtratibus eſt ſatis frequens; ei conueniens cui optamus vt dignum ſe præſtet totius vel communitatis vel exercitus præfectura, quod **Her-wert** ſignat. Vide quot errores hoc vnicum Cappa Regum reginarum'ue nominibus honoris cauſſa præpoſitum inuexerit, quos numquam animaduerſos hactenus fuiſſe eo minùs miror, quòd pauciſſimi inter antiquitatum ſtudioſos reperiantur qui vel Francorum ſermonis ſint periti, vel veras nominum origines ſibi examinandas arbitrentur; quæ tamen diligenter excuſſæ eximiam maiorum ſapientiam luculentis indiciis oſtendunt, & plus frequenter pauciſſimis litteris & duabus ſyllabis, quàm multis paginis prolixi Græcorum & Latinorum ſermones intelligentibus exponunt. Ceterùm licet ea quæ de hac peruerſa nominum & ſcriptura & pronuntiatione primus in lucem erui ſatis probatum iri æquis iudicibus exiſtimem, quò tamen omnia magis aduerſus pertinaces nouæ inuentionis contemptores, quos plurimos eſſe ſcio, muniantur; addam & aliud non obſcurum erroris argumentum. Ioannes Auentinus, cuius diligentiam ſingularem maiorem in modum amplector & exoſculor, in annalium ſuorum exordio Germanicas hominum nomenclaturas ad veros ſuos fontes reducturus, in iis primorum ordinem elementorum ſequendo, in littera L Clodouei nomen, quamuis malè interpretetur, antiquo tamen more ita ſcribit, vt aſpiratio præponatur ad hunc modum, H Ludouicus; Clodio item eandem præpoſuit, vt fiat, H Luidius: quod qua ratione factum ſit, non adiecit; ſicut nec illud agnouit, cur pro Hilperico, Hildeberto, Lotario, Ludouico; Chilpericus, Childebertus, Clotarius, Clodoueus diceretur. Nos itaque bonam eius fidem in *Pontificibus quis D. Petri patrimoniũ donarit.* *Brunichildis nomẽclatura.* *Brun.* *Og.* *Brunichildis crudelitas.* *Herbertus aliàs Cherebertus, aliàs Charibertus, aliàs Heribertus corruptè vocatus.*

hac ſcribendi formula, quam ex vetuſtiſſimis tabulis deſumpſit, laudantes, cauſſam cur aſpiratio nominibus his præfigeretur, explicemus. Heer, monoſyllabicôs elatum, dominum noſtratibus ſignificat, nomen honoris cauſſa in magiſtratibus aliiſve reuerentia dignis appellandis præmitti conſuetum. H Ludouicus igitur nihil aliud eſt quàm Heer Ludouicus. & H Luidewis nihil aliud quàm Heer Luidewis. Hanc autem ſcribendi conſuetudinem idem auctor libro Annalium ſuorum quarto tribus diplomatis, licet ad aliud docendum adductis, confirmat; in quibus H Ludouicus pro Heer Ludouicus ſcriptum videmus. Hinc modò & illud in lucem venit, cur Turonenſis epiſcopus Ludouici primi nomenclaturæ litteram tertiam C cum adſpiratione præfigat, vt fiat Chlodoueus; & pro Lautario Chlotarius, cùm eo notatum ab antiquis fuerit Conînc heer Ludewic/ & Couinc heer Lautar.

Heer.

H littera Francorum proprius præfixa quid ſignificet.

Quamquam verò ſatis diu multumque in hac vocum correctione & interpretatione verſati ſumus, committere tamen non poſſum, quin Fortunati verſus aliquot addam; quibus quod modò dixi cernetur obſeruari conſueuiſſe; quos, vt habent in antiquiſſimo exemplari à Theodoro Pulmanno diligẽtiſſimo veterum librorum ſcrutatore mihi oſtenſo, adſcribam:

Rex bonitate placens, decus altum, & nobile germen,
In quo tot procerum culmina culmen habent:
Auxilium patriæ, ſpes & tutamen in armis,
Fida tuis virtus, inditus atque vigor:
Chilperiche potens, ſi interpres barbarus exſtet,
Adiutor fortis hoc quoque nomen habes.
Non fuit in vanum ſic te vocitare parentes;
Præſagum hoc totum laudis, & omen erat.
Iam tunc indicium præbebant tempora nato,
Dicta priora tamen dona ſecuta probant.

Item in Epitaphio ſuper ſepulcrum Chlodoberti:

Hoc igitur tumulo recubans H Lodobertus habetur,
Qui tria luſtra gerens raptus ab orbe fuit.
De proauo veniens H Lodoueo celſa propago,
H Luthariꝗ; nepos, Hilpericiꝗ; genus.

In his videas Hilperici nomen ab Hilp ſiue Hulp deriuari, quo auxilium notatur, & tamen C præfigi: præterea Lodobertum dici, & modò H Lodobertum, modò C h Lodobertum ſcribi. Item H Lodoueum, & H Lutharium; pro Lodouico & Lutario poni: in quibus quis non cernit verum eſſe id quod à me de his litteris explicatur? Hanc nominum correctionẽ ſi in lingua vel Græca vel Latina inueniſſem, multorum laudibus cumularer: nunc quia in Germanica hanc poſui operam, ab iniquis cenſoribus ridiculus habebor. Quanti, bone Mercuri, eorum ſit diligentia qui in poëtarum fabulis vel vnicum nomen emendant! quod ſi idem in vera hiſtoria, & ea quidem maximarum rerum ab illuſtriſſimis regibus geſtarum præſtem, num induſtria mea imparem minorémue laudem meretur? Sed miſſis & contemptis obgrunnientium iudiciis, quibus, ſi naturam ipſorum ſequerer, oppederem potius quàm reſponderem, ad id quod agimus reuertamur. Eſt inter Francorum reges Sigeberti quoque nomen, quod ſi Latinè reddas, victoria dignum dices. Hinc Sicambrorum nomen, quos Sigcampers diceret Germanus, Latinus victoriam pugnando obtinentes. Vellem Allemanus mihi cauſſam aſſignaret ob quam Sig victoriam ſignificet, atq. eam meliorem quàm in vernaculo noſtro ſermone quiuis, quantumuis lippus, peruidere queat. Seg/ dum vt nomen vſurpatur, quietum & omnibus æquabili morum temperatura ſubmiſſum notat; dum vt verbum, idem eſt quod quempiam talem reddo vt quietam tranquillamq. vitam ducat. Hinc Sig victoria, nomen finem indicans; quoniam eo vincimus, non vt homines occidamus, ſed quò eos qui tranquillitatem perturbant, ad quietem & compoſitos mores fracta ſuperbia cogamus. Nec ob id tantùm ſignificationem accepit, ſed ea quoque de cauſſa, vt moneamur victoria nos minimè efferri, verùm ea ſubmiſſe & cum animi tranquillitate vti debere; ne quod in aliis eſſe cupimus, id in nobis deſideretur. Victi præterea docentur, ne ſeſe nimio dolore aut alia animi perturbatione infra id quod

Sigeberti etymon.

Sicambri vnde nomen habeant.

Sig.

Seg.

Victoria ſcopus.

Seg/id

Seg/ id eſt, tranquillum dicitur, deiiciant. Videas hîc tribus litteris plus doceri quàm
multis ſapiētiæ profeſſorum verſibus, ſi vox pro eo ac debet ad originem ſuam vocetur.
Vinco autem Latinorum à noſtro Win proceſſit, quoniam eius verbi origo apud nos, nō
apud illos inuenitur. Sed hoc alterius loci. Campen eſt pugnare ex prouocatione, à Camp *Campen.*
quo campus Romanorum notatur; quam vocem noſtram eſſe natales eius conuincunt; *Camp.*
nec ij ſoli, ſed ipſa etiam analogia. Mac enim commodum, facile, planumque ſignat; *Mac.*
à quo Cam planum facere & tranſitu facile. Hinc Camp-op, id eſt, planū & facile ad hoc *Camp.*
vt ſuper eo ſtetur & eatur: quod Camp facit vna exciſa vocali. Hinc Camp pro pugna in
campo commiſſa, à quo Sigcamper, qui in campo victoriam conſequitur. Noſtrates
Seg non Sig pronunciant, admodum conuenienter etymologiæ, cuius cùm alibi vſum
in vetuſtis noſtratum libris legas, tum in vernacula Brabantiæ hiſtoria; quod adiicio, ne
quis veteris linguæ noſtrę imperitus ignorantiā ſuam lumini noſtro officere poſſe exiſti-
met. Fuit & Theodoberti nomē non rarū inter Francos, quo nuncupatus fuit Theodo- *Theodoberti*
rici regis orientalis Franciæ filius, vir neſcio an vlli magnitudine rerum geſtarum ſecun- *Orientalis*
dus: qui Italiam totam & Siciliam partim per ſe, partim per ſuos depopulatus eſt, Veſe- *Franciæ regis heroica facta.*
gottos cum rege ipſorum cecīdit, Allemanos protriuit, regem Danorum cum toto
exercitu ſpoliis Germaniæ ſecundæ onuſto occidione in agro Antwerpiano deleuit, ex-
peditionem maximam in Thraciam cōtra Iuſtinianū parauerat, quam mors immatura
præueniēs, & ne totius orbis imperio potiretur metuens, impediuit & abrupit. Agathius
ab vro occiſum ſcribit, Turonenſis morbo ſublatū. Procopius quo genere fati occubue- *Theodoberti*
rit, non expreſſit, qui eum Theudibertum vocat; ceu Germanis Theudbert nominaretur *nomēclaturæ ratio.*
id eſt dignus, qui caput ſit inter homines ſiue princeps. Aliis placet Thietbertum dictū
fuiſſe, à Diet; qua voce egregia facinora & magnum rerum augmentum ſignificatur, à
Dien, quod eſt augeri & increſcere; ita vt Dietbert dignus incremento dicatur. Ab eadem *Dien.*
vocula deſcendit Theobaldus, qui Germanis Diet-wald diceretur, id eſt, incrementorū *Theobaldi*
rerumque ad promotionem pertinentium magna vis: quo nomine Theodoberti filius *etymon.*
vocabatur, paterni regni ſucceſſor: ad quem Iuſtinianus legatos miſit, oratum vt contra
Gotos vnà ſecum ſuſciperet bellum. Cornelius Tacitus Thietwald ad incudem Latinam
faceret Theodoualdum. Ex eodem fonte deriuatur Diet-rijc, quod nomen in Theodo- *Theodorici*
ricum tranſit, quo incrementorum diues notatur. Nec aliunde Theodomarus rex Got- *nominis ratio.*
torum nomen accepit, quo ſignificatur is qui celebrem habet incrementorū famam. *Theodomari*
Mar famam, vt dixi antea, ſignat: vnde & Gomar venit, ad hominem bonæ famæ de- *notatio.*
notandum. Iam & Theodelinda feminarum nomen eſt, quo rerum proſperarum pul- *Gomar. Theodelindæ*
critudo notatur. Lind enim pulcrum apud veteres ſignificabat, conciſum ex le-eind, *nomēclatura.*
quod eſt membrorū abſolutio: vnde *Lindo* apud Hiſpanos Gottiſantes in eadem ſigni- *Lind.*
ficatione remanſit. Tilia itaque gemina ratione linde dicitur, & quia pulcra eſt, & quia
faſciæ & funiculi ex ea fiant, quos linden item vocamus; quia ex lino optimi fiant. Lin
pro lino noſtras eſt, à lien/quod eſt pati, vt in Hermathena latè explicatū. Celebratur &
Guntramus rex, quem Turonenſis Guntchramnum dixit. Gunt-ram eum notat qui *Guntramus*
fauorem tam latè extendit, quàm fauoris ratio ferre poteſt. At ſi Gunt-thram ſiue Gunt- *vnde nomen habeat.*
tram dicatur, ſignificabitur taberna fauoris, ſiue is qui fauorem omnibus ceu promer-
calem exponit. Taberna enim & capſa rerum venalium Cram à nobis vocatur. Paullus *Cram.*
Æmilius Gunterannum malè ſcripſit, nec bene Turonenſis Guntchramnum. Gunt *Gunt.*
idem eſt quod fauet. Hinc Fregundis regina nomine ſuo monetur vt pacem, quæ Fre *Fregūdis nominis notatio.*
dicitur, fauore ſuo vel adducat vel conſeruet. Gun/Cram/ Fre voces ſunt reciproca pro- *Fre.*
nunciatione id notantes quod prorſarum ſignificationi naturæ lege eſt connexum. de
quibus aliàs. Gundobaldus Lautarij ſecundi filius, vti mater aiebat, Lutario non con- *Gundobaldus*
fitente, nomine ſuo magnam fauoris vim præfert, quem poſt varios aduerſitatum caſus *Lautarij ſecundi filius.*
tandem apud Imperatorem Conſtantinopolitanum eſt conſecutus; & inde in Fran-
ciam reuocatus Hildeberti fauore, vt vnà regnaret, proditione ſuorum occiditur ſcele-
ratiſſimè. A Gun item Cunigundis nomen habet Imperatoris Henrici ſecundi vxor,
quo regis fauor ſignificatur, a Cuning, quæ vox Regem notat, varias dotes quibus reges or-
natos eſſe decet, cōplexa, ſcientiam videlicet, potentiam, fortem animū, magna aggredi
audentē, & eam poteſtatem, vt omnes ex eo pendeant; vti alibi declaraui. A Walt item *Walt.*
fit Gar-walt, id eſt, omnino potens, vel qui totus nihil aliud eſt quàm magna vis.

Carioualdus dux Batauorum vnde nomen habuerit. Carioualdam ducem Batauorum Tacitus fecit; qui ſi Garwaldus dictus eſt, C pro G poſitum eſt, vt in Caius & Cnæus; quamuis **Car-walt** ſuam etiam nobis habeat ſignificationem, pro magna vi eorum quos caros habemus. Haud ignoro **Balt** etiam in vſu eſſe pro audaci & temerario, quod alij **Bolt** pronuntiant; vnde Baldi nomen: cuius prima ratio à **Bal** ſiue **Bol**/ quo globoſæ figuræ res notantur; quia ea maximè idonea ſit ad rem quamcumque conſeruandum, quod eſt **Behal** ſiue **Behol**/ à quo **Bal** & **Bol**/& hinc **Lop** mutata media in tenuem celeritatis notandæ gratia, pro curro; quia ad currendum celerrimè nulla figura eſt magis idonea quàm globoſa, vt cælorum vertigo incomparabili ſua celeritate ſatis declarat, quos nos **Lopen**/ id eſt, currere dicimus longè ſignificantiùs quàm vt vlla alia gens in lingua ſua idem vel par artificium ſeruare poſſit. Hinc **bald** aduerbium, pro citò; & **bald** nomen, pro eo qui nimis velox eſt ad res aggrediendas, quales audaces ſunt & temerarij: à quo etiam **Bollen** pro inconſideratè loqui & citra meditationem verba effundere. Et hæc quidem in gratiam Baldi, & illius qui bonum ius non admodum lautis commentariis condiit, & alterius quem Macaronæa elegans poëma celebrauit, hominem hoc nomine ob audaciam digniſſimum. Niſi igitur Tacitus nos moueret quò Garbaldum à Walt interpretaremur, Garbaldus dici poſſet is qui omnino audax eſt. Auentinus ineptè Garbaldum eum dicit, qui omnino vult; **Bald** à **Bel**/id eſt, volo, deriuans. Nos **Wil** & **Wol**/ non **bil** aut **bol** aut **bel** dicimus; quod antiquitùs Cimbris eodem modo in vſu fuiſſe, Volo, Latinorum declarat, duplici littera in ſimplex elementum mutata. Sigebaldus igitur is dicetur non qui victoriam vult, ſed in quo maxima vis eſt ad victoriam conſequendam. Sed ne omnes nomenclaturas perſequendo ſimus prolixiores, paucas adhuc principum virorum addemus. Ebroinus dicitur ab **Eber-win**/ quod eſt, vincens verrem ſilueſtrem. **Beer** enim verrem ſignat, à **Bar** quod eſt gigno, quia plurimos fœtus gignat: vnde Latinorum Verres deriuatur. A **Beer** fit **Eber**/ qua in voce E longum adiectum ſolidum, firmum, validum, robuſtum deſignat; quamobrem propriè aprum ſiue verrem ſilueſtrem notabit: vnde Romanorum Aper parua immutatione factum; cui ſententiæ meæ qui refragabitur, rationes in Verris & Apri nominibus aſſignet rectiores. Hinc Eberdunum opidum Aprorum montem non malè verteris. **Ber** autem aliter prolatum vrſum notat, à quo **Beren-hart** quem Bernardum dicimus, Latinè is eſt qui vrſinum cor ſiue animum habet. Sicut **Leeuwen-hart**/ vnde Leonardus, cui animus eſt leonum. **Ber** dicitur à **Beren**/ quod eſt ſæuum ſonum & geſtum truculentum edere; à quo fortaſſis vrſus, mutato B in V vocalem, vt primùm verſus, deinde vrſus euaſerit. **Leew** leo dicitur, à **Leuen**, quod eſt viuere: quia cor vitæ fontem fortiſſimum animoſiſſimumque habet, qua ex voce Leo & Λέων Latinis & Græcis; quod ſi negent, etymologia nos meliore conuincant. Grimmoaldus **Grimme-walt** Germanis is dicitur qui vi ſua crudelitatem iracundorum hominum compeſcit. Pipinus à **Papen** verbo, quo præter communem ſignificationem pro doloribus partus vtimur, eo quòd acutum ſonum edere ſoleant parturientes. **Pin** autem dolor eſt. Hinc **Pip-pin** parturientis dolor nomen ab euentu natum, vt apud Latinos Agrippa & Cæſar.

Margin: **Balt.** **Bal.** **Bol.** **Lop.** — *Garbaldi etymon.* — *Sigebaldus.* — *Ebroini nomenclatura.* **Beer.** **Bar.** **Eber.** **Ever.** — *Eberdunum.* — *Bernardi nomenclatura ratio. Leonardus.* **Ber.** **Beren.** — *Grimoaldi etymon.* — *Pipini nominis ratio.*

Caroli nomẽclatura. **Carl.** Carolus à **Car** & **Hel**/quorum hoc altum & clarum ſignificat. Carl igitur ſyncoptôs is dicetur qui velut apex eſt & claritas eorum quos caros habemus. **Tis een Carl** vulgò dicimus pro eo quod Latinus diceret, eſt egregius & excellens vir: quaſi claritas inter eos quos caros ob virtutem habere debemus. **Car** autem, à quo Carum Latini habent, noſtras eſſe in Amazonicis oſtenſum. Inter Carolos nobile cognomen ſortitus eſt Martellus, ita vocatus quòd eſſet tamquam malleus ferreus omnia confringens; de qua vel ſola voce cognoſcas noſtra Francos lingua, non Allemanica locutos; cùm **Martel** apud nos aurigis adhuc in vſu ſit frequenti, pro eo malleo cuius non caput modò ſed manubrium etiam ferreum eſt; cui vocabuli compoſitionem & natales in Atuaticis tradidi. Paulus Æmilius à viribus Martiis Martellum dictum ſcribit, quod quidem veritatem hac ſola parte tuetur qua res ipſa, non nominis origo ſpectatur: quamquam id nobis conſtat, & Martis nomen & Martelli ex eodem fonte deriuari; in quo **Mart** vocabulum noſtras repertũ id notat quod Latinus diceret, prorſus confringere: vnde Mortarium & Mors Romanis, & nobis **Mort** pro violenta morte à percuſſore illata, & **morder** pro Latrone, & **marter** pro tormento, & **martel** pro malleo ferreo, à quo pro quouis malleo Itali

Margin: **Car.** — **Martel.** — **Mart.** — **Mort.** **Morder.** **Marter.**

Martel-

Martello, & Gallo-Franci *Marteau* deduxerunt. Sed vt omnium ferè animi proni ſunt, maximè Gallo-Francorum ætatis noſtræ, ad voces vernaculas è Græcia repetendas, in quorum numero Budæus & Perionius principes ceterorum ſuffragia auctoritate ſua, quò volunt trahunt, ſuſpicabitur quiſquam **Marter** vocabulum noſtras à Martyr Græcorum deſcendiſſe: & quia veritatis Euangelicæ teſtimonium per mortes & tormenta à primis Chriſtianis perhiberi conſueuerat, Martyris nomen pro cruciatu & tormentis in vſum veniſſe; quod equidem ita habere non infitias irem, niſi analogia primarum vocum **Nom** & **Mor**, & inde factarum **Mar** & **Nam** mutatione rotundi, quod priùs eſt, in quadratum apertè contrarium teſtaretur; niſi etiam vocum antiquiſſimarum hinc emanantium ſignificatio & vſus, multo quàm Chriſti martyres in renato ſæculorum orbe fuerint, vetuſtior, mecum faceret, & contrà ſentientes falſitatis & magni erroris manifeſtaret. Sed quid? aiat quiſquam, vnde martyris nomen deduces, quando omnia ad primogenia Cimbrorum vocabula redigere moliris? num & teſtes ante ſalutis noſtræ auctorem natum tormentis & cruciatibus ob veritatem affligebantur? Non eſt huius loci omnium vocũ reddere rationes, ſed ne ſubterfugere aut declinare hanc tragulam videamur, Martyri Græcorum veram nominis originem aſſignemus. **Mar** pro fama & opinione incerta Cimmeriis vſurpari non ita multo antè dictum. **Tuig** verò teſtem vocari, & dum verbum eſt idem eſſe quod teſtari, pueris notum. **Mar-tuig** igitur teſtis erit eius opinionis quæ incerta eſt & cõtrouerſa, quo in vocabulo terminatio eſt à Græcorum conſuetudine aliena; qua ad ſermonẽ ſuum accommodata, Martyr vel Martys pro teſte dixerunt. Liquet itaque & hoc vocabulum è reconditis noſtris theſauris eſſe ſuppilatum, tametſi aliam acceperit caudam; & eo non teſtem modò dici, ſed illud etiam, qua in re teſtimoniis opus ſit, indicari. Quæ enim res demonſtratione doceri poſſunt, quæ item ſenſibus præſentes comprehenduntur, iis fruſtra teſtes adhibentur; niſi apud illos apud quos plus auctoritas valet quàm explicata cauſſa; quæ admonitio, vt leuis prima fronte videatur, non abs re tamen eſſet, ſi in omnibus iuris profeſſorum diatribis ſcriberetur, & perpetuum ſibi locum in medicarum conſultationum diſceptationibus haberet, in quibus plerumque teſtibus iam olim mortuis, de viui hominis temperamento, morbo, ſymptomatis, cauſſis, remediis agitur: quod tolerabilius tamen eo videtur, quòd non exigua medicorũ pars non tam è principiis & fundamentis artem didicerint, quàm ex libellis aliquot & chartulis ſibi obiter cõpararint. Plato ſatis oſtendit fruſtra Hippocratis auctoritatẽ in teſtimonium apud doctos homines vocari, cùm poſtea nihilominus quærendum ſit an Hippocrates cum ratione conſentiat: quo fit, vt ſi huius ductus nuſquam non ſit ſequendus, nequicquam teſtes adhibeantur, apud illos, inquam, qui quid in recta ratione ſit, queunt peruidere. Eam itaq. vocabulum Martyr ad originem vocatum viam præmonſtrat, quam omnis poſtea philoſophorum cœtus eſt ingreſſus, iuriſperitis ſemper exceptis, & indocta clinicorum turba, auctorum artis ſuæ titulis recitandis magis iactabunda quàm ſollers in morbis, cauſſis, remediis ex ratione & cognoſcendis & iudicandis. Ariſtoteles ægrotus non ferens ſibi perinde atque ruſtico quæ facienda eſſent imperari, cauſſas eorum quæ iuberentur, non Hippocratis auctoritatem voluit adhiberi, exemplo ab Æliano non otioſè ad rem ſuam tranſlato. Videas nunc quantum myſterij in vnius vocis natalibus rectè perſpectis deliteſcat: quod tamen non ita accipiendum, quaſi omnino nuſquam in iis quæ ratione doceri poſſunt teſtes ſint citandi, quos admittimus nonnumquam breuitatis cauſſa, ne rationibus explicandis prolixiores quàm tempus ferat, euadamus; nonnumquam vt eos laudemus qui eandem nobiſcum demonſtrationem ſunt ſecuti; nonnumquam vt præcepta hominum animis auctoritas concluſioni noſtræ opituletur. Verùm nominum fabricator genuinum verumque teſtimonij vſum explicare volens ſic nomen fecit, vt dum teſtis adhiberetur, quantumuis certum ſit ex ſua natura id cui adhibetur, ad incertam tamen deſcendat opinionem. Longiùs nos abripuit Martellus ſiue Martel, è quo Malleus Latinis mangonio à quiuis homine facilè cognoſcendo, non verò à molliendo, vt putarunt quidam; cùm malleus non molliat aut ferrum aut quoduis aliud metallum, ſed ignis vi emollitum ducat; niſi percutiendo quendam calorem addens, per accidens, vt loquuntur philoſophi, id poſſe diceretur. Sed hæc alterius conſiderationis.

Mor. Nom. Mar. Nam.

Martyris etymon. Tuig.

Teſtib. quãdo non ſit opus.

Teſtibus vbi ſit opus.

Rom. Moi. Moijw.

Quid quòd & ipſum Mollio, Cimbricum habet ortum, Rho per labdaciſmum mutato? Rom & Moz contraria: A Moz, quod Mozw efferimus, Molle naſcitur, eiuſdem ſignificationis nomen. Verumenimuerò ſi omnia propria tum virorum tum feminarum huius gentis nomina ad ortus ſuos & ſignificata reducere velimus, nimia noſtra prolixitate odioſi potiùs videbimur quàm vel vtiles vel iucundi. Huic materiæ libellus à me fortaſſe daretur, niſi iniquiſſima & peruerſiſſima noſtræ nationis hominum iudicia, quibus maximum & pretioſiſſimum ſuum ornamentum contemnunt, indignationem mihi mouerent; non illam quidem qua Iuuenalis ſatyricos verſus effudit, ſed quæ faciant vt ne nominandam quidem ipſorum linguam arbitrarer, niſi ſolus veritatis amor pluris mihi fieret quàm deteſtanda præpoſterorum hominum veſania. Quàm Græci linguam ſuam amarint, quàm expolitam, comptam, copioſam reddere contenderint; quàm eam longè lateq. propagarint, quàm ea ſint gloriati qui neſcit, neſcio quid ſciat. Hos Lat[i]ni tametſi fortaſſe copia vincere non potuerunt, quam Cicero ſuis etiam arrogat; propagatione tamen linguæ non minus quàm imperio ſuperauerũt. Hebræi ſermone ſuo nihil vetuſtius, nihil arcana quadam myſteriorum cuſtodia diuinius & ipſi opinari videntur, & ceteris perſuadere nituntur. Soli noſtrates ſermonem ſuum contemnunt, & quamuis potiùs linguam quàm vernaculam à maioribus acceptam admirantur & loquuntur: quod inde potiſſimùm video eueniſſe, quòd nemo vnquam de immenſo eius artificio vel ſemel ſomniauit. Et quî de eo cogitaſſent, quod nemo maiorum vel monuit vel prodidit? Non ſunt videlicet id admirati quod in omnium ore verſari videbant, & idcirco ſermonis ſui nullas cauſſas perueſtigarunt.

Teutones ſoli linguã ſuam contemnunt.

Cùm igitur hactenus in tenebris ſint verſati, non miror quòd ad hanc nouá lucem, quam primus intuli, caligent. Id miror quòd mihi viam præmonſtranti pro Hermæo candidè communicato conuicia gratiarum loco reponant. Sed quid miror? cùm vulgari apud nos prouerbio tritum ſit, Lanſman Scanſman: quod licet pari breuitate & alluſione vocum apud elegantiores receptarum Latini exprimere nequirent, ſi tamen caſtrenſi vocabulo vti vellent, ſatis ſuccinctè interpretarentur, Conterraneus conterraneo dedecus, id eſt, dedecoris & vituperij auctor. Sit ſanè, ſit alter alterius ciuis aut cognati vituperator; condonetur hæc infamis nota. Atqui illud quî veniam merebitur, ſi quis ſe & ſua vituperet, nec ſe ſolùm, ſed parentes, patriam, maiores, omnes qui ab omni æuo eâdé hac lingua vſi fuerunt? Sed valeant qui quoſuis potius quàm ſe valere volunt; quorum vitio factum, vt dum domeſtica vilipendimus, externa adſciſcimus, exterorum hominum iugum feramus: quod breuiter dictum, quàm latè pateat is intelligit qui diligenter cauſſas euerſionum publicarum in lætiſſima feliciſſimaq. maximè tempora incidentium expendit.

Reuertamur itaq. vnde nominum propriorum interpretatione ſumus abrepti, cuius occaſionem Lazius iniecit, dum corruptam Francorum linguam è varia gentium permiſtione coaceruatam, eam putat qua Franci primùm vſi ſunt. Fateor equidem linguam eam cuius exempla adduxit, ſic Francicam dici, vti tota Bauaria, Sueuia, Allemania, Thuringia, Francia dicebatur; nec ille ſolùm tractus qui à Rheno in Orientem vergens ab ipſis Alpibus ad Oceanum vſque pertinebat; ſed quidquid etiam terrarum & prima & ſecunda Germania de Romanorum diſtributione complectebatur, & plus etiam Francia orientalis dici conſueuit: quæ quia Auſtrijc à Francis vocabatur, in Auſtriæ nomen apud quoſdam, apud alios in Auſtraſiam tranſiuit; ſicut quod reliquum erat Francorum regni ad occaſum longè lateque porrectum, Weſtrijc dicebatur; id eſt, Occidentale regnum: è qua voce corruptiſſimè Neuſtria ab imperitis vocari cœpit. In his Auſtriæ nomen veram mihi antiquorum ſcripturam & inde ſignificationis cauſſam ſuggeſſit. Mens enim hominis, quod vno momento à Deo eſt creatú, ſuo more per prius & poſterius diſtribuit; qua via & ratione eò venitur, vt oriens antiquiſſimus nobis dicatur; quia ſi incipiendum Deo ab vna magis parte quàm ab altera fuiſſet, Orientem ante quàm reliqua cæli ſpatia feciſſet; nec aliud probabilius, quàm eo loco quo homo factus eſt, Solem ad horizontem in exordio totius machinæ fuiſſe.

Francia orientalis, Auſtria & Auſtraſia ab Auſtrijc dicta, quàm latè patuerit.

Francia occidentalis corruptè Neuſtria dicta.

Iam quanto quæque res melior, tanto vetuſtior cenſetur, eo quòd principia rerum omnibus numeris cùm creata primùm eſſent, fuerunt abſoluta: vnde apud Latinos quoque

quoque nihil nobis antiquius eſſe dicimus, cùm nihil ſcimus quod præferendum putemus. Rectiſſimè itaque linguæ noſtræ architectus orientem Auſt ab Autſte / quo antiquiſſimum notatur, vocandum iudicauit: non peior in hoc quàm in ceteris omnibus rerum æſtimator. Occidentalem verò plagam non minore ratione West nominauit, ingenti ad diligentiam incitatione; ne tantiſper nimirum tempus in rebus agendis proferamus dum fuerit elapſum. Nam West fit à præterito perfecto Geweeſt/ quod eſt, fuit: à quo ſi ſyllabicum augmentum auferas, manet Weeſt; à quo West: quamquam ſcio non hac ſola de cauſſa, licet maxima, hoc nomen placuiſſe, vt in ventorum nominibus latiùs, ſi bonis ventis Deus adſpiret, explicabo. Cogitemus itaque, ſi quid agendum, ne tantiſper expectemus dum dici queat, fuit; perinde atque Poëta veteres imitatus cecinit, *Fuit Ilium & ingens Gloria Dardanidûm.* Nunc ad rem. Auſt. West.

Quemadmodum quæ in Boioaria aut potiùs Boiauaria facta ſunt in Francia facta tum dicebantur, quia Bauari in ditione Francorum eſſent; ita quæuis lingua, ſiue Allemanica, quæ omnium erat corruptiſſima propter diuerſarum gentium, è qua conſtabat, colluuionem; ſiue Sueuica, ſiue Boiauarica, ſiue Thuringica, Francicam ſe profitebatur, quò & dominis gratior eſſet, nec non excellentior de nomine videretur. Tam latè Franciæ appellationem ſe tum extēdiſſe Auentinus in quarto Annalium ſuorum libro non vno alteróue docet argumento, pluribus id codicillorum à regibus in Boiauaria ante Romani regni in Germania conſtituti nomen datorum teſtimoniis confirmans; quibus, quòd apertiſſima ſint, nihil ego addendum arbitror; niſi fortaſſe hoc vnum deſideretur, non Boiorum modò & ceterorum vel in Allemania vel in Germania habitantium terras, ſed magnam etiam partem regionis Venetæ ad orientale Francorum regnum pertinuiſſe: quod cui certiùs noſſe lubet, ei tertium Procopij de bello Gotorum librum conſulere licebit; quamquam non ignoro Theodorici regnum, & poſtea Gotis eiectis, Hexarchatum eo locorum ius ſuum protuliſſe. Atqui plus ſatis de linguæ Francicæ vel corruptela vel latitudine; cùm ſatis conſtet ex iis quæ auctorum veterum monumentis ſunt oſtenſa, veri ſermonis reliquias in Salandia, Gelria, Batauia, & Brabantia, non in vlla Alemaniæ parte eſſe quærendas. *Veri ſermonis Francici reliquias vbi ſit reperire.*

Veneramus per antiquitatum veſtigia ad Clodouei regnum (loquor vt multi, ſentio cum paucis, iuxta prouerbium peripateticorum) cuius res geſtæ quando ſatis idoneis hiſtoriæ ſcriptoribus tranſmiſſæ ſunt ad poſteritatem, non eſt quò vltrà nos fatigemus, ne actum agere viſi derideamur. Ne verbum quidem vmquam de rebus Francorum facturus eram, ſi ea quæ à nobis in medium allata ſunt, perinde atque cetera quæ à Clodouei regno memoratu digna contigerunt, ab aliis fuiſſent aut priùs animaduerſa, aut ſic veris litteris prodita, vt nec noſtra in perquirendis exordiis diligentia, nec ſpongia in fœdis errorum maculis detergendis indigere viderentur. Quamquam autem breuitatis cauſſa non pauca prætereo, atq. vel prorſus omitto, vel in aliud commodius mihi tempus differo, quæ in huius gentis vetuſtate perſequenda me explicaturum non ſolùm cogitaram, ſed etiam, ni fallor, promiſeram; non poſſum tamen hoc munere defungi, niſi æquè Carolingorum atque Merouingorum primas radices in hoc Antuerpiano limite actas fuiſſe demonſtrem. Meroueum ad traiectum Vahalis & Moſæ miſtorum, à quo Dordraco, quod Dor-drecht vocamus, nomen videtur manſiſſe, clara natalium ſuorum reliquiſſe monumenta, ſufficienti mihi videor aſſertione, quantum quidem antiquitatum fides requirit, docuiſſe. Limes autem ſiue Marca Antuerpiana non hæc modò proxima fluminum, quibus Scaldis altera ſui parte miſcetur, oſtia comprehendebat; ſed tam longè ſecundum littora Oceani porrigebatur, vt Anglicanus limes alio nomine dictus fuiſſe videatur. Lazius certè, de cuius neſcio ductu, Anglicanum limitem in Antwerpienſium Marchionum catalogo vocauit. Eginhartus Rutlandum comitē facit littoris Britannici, quem in prœlio contra Vaſcones cecidiſſe teſtatus, mox ſubdit, Britones poſt hanc cladem domitos à Carolo fuiſſe; è quo colligas, maritimum tractum Britonum littoris Britannici nomine nō intelligendum, niſi antè præfectura limitis Rutlandum donatum velimus quàm eſſent ſubiugati. Quocirca cum Lazio & iis quos huius ſuæ aſſertionis habuit auctores, littus Britanicum vocandum videtur, ad quod facillima nauigatio è Britannia pateret: qua nota mox Flandriæ & Hollandiæ & Zelandiæ littora intelliguntur, ad quæ & olim & hactenus ex Thamiſiæ & *Dordracum.* *Antvverpiana Marca.* *Anglicanus limes.*

ſiæ &

ſiæ & Vmbri fluminum maximorum oſtiis frequentiſſimus eſt è Britannia ad Scaldim & Moſæ oſtia traiectus. Quamobrem latè limitanea Antwerpienſium comitum præfectura patebat, cùm ad alia, tum præſertim ad latiſſima Scaldis & Moſæ oſtia; cuius vt ſedes Antwerpiæ eſſet, atque ab hac principe vrbe nomen duceretur, veriſimile tamen eſt & propè dictu neceſſarium, naualia ad fluminum oſtia fuiſſe communita, quò mox citra moram vel in piratas vel in hoſtes irruere, & ſi videretur è mari prædas agere poſſent. In Zelandia ante Francorum imperium Romani limitaneam arcem extremo

Marchuis.

in littore habebant, à re ipſa *Marchuis* ab incolis vocatam: ad quam Hercules limitum

Hercules Marcuſanus.

cuſtos conſecratus & Marcuſanus dictus, domus limitaneæ cuſtodiam pollicebatur. qua de re alibi copioſius. Non igitur abſurdum ſit, Meroueum hîc in lucem editum cogitare, atque hac fortaſſe de cauſſa arcem magnificentiùs extructam tum de nomine ſuo tum de ſcopo ad quem referretur, nuncupare voluiſſe; vnà etiam ipſi flumini nomenclatura communicata. Cùm itaque à Merouco Merouingi genus nomenque ducant, nemini dubium eſſe poteſt, quin huic limiti tantum gloriæ acceſſerit, quantum de clariſſimorum regum natalibus cuiquam aut ciuitati aut pago deferri conſueuit. Clariſſimæ Ioniæ quondã vrbes de Homeri natalibus, non ſecus atque de imperio, certarunt; minimè ſic facturæ, niſi plurimum honoris nobilitatiſq. ciuitatibus ex illuſtrium

Merouingi vnde duxerint originẽ.

ciuium ſatu & educatione deberi de communi hominum conſenſu putaſſent. Merouingorum igitur ſtirpis initium & prima radix, me iudice, huic noſtræ littorali regioni, per quam ingentia flumina ad Oceanum patrem ſuum reuertuntur, erit adſcribenda; quorum continua propago Francorũ regno tantiſper præfuit, quamdiu maſcula maiorum virtus in ipſis vigeret: qua tandem eneruata & effeta & tandem emortua, ad eos tranſiit poteſtas, qui ſe manus ſceptro & caput diademate dignum habere rebus fortiſ-

Merouei poſteritatis ignauia.

ſimè prudentiſſiméque geſtis toti orbi & omni hominum ordini demonſtrarunt. Poſteritas enim Merouei per inertiam & Sardanapalicam ſedentariæ vitæ ignauiam eo tandem contemptus & abiectiſſimæ humilitatis deuoluta eſt, vt non ſolùm nullum conſilium darent, nec cuiquam omnino publico negotio auctoritatem interponerent; ſed etiam alieno arbitrio & loquerentur in publico, & domi exiguam familiam exiguo ſumptu & aliena poteſtate demenſo ſordidè alere cogerentur. Solo nomine & priſco regum Mæoticorum habitu ludicram regis perſonam, tamquam in ſcena, gerentes ſo-

Francorũ reges bobus duobus carpẽtum trahentibus vehebantur.

lis crinibus & barba demiſſis, & duobus bobus carpentum, quo vehebãtur, trahentibus venerabiles: cuius rei & teſtis eſt & deriſor Eginhartus Germanus, Caroli Magni alumnus & domeſticus ipſius & liberorum amicus. Atqui quamuis hic ad regum opprobrium par boum carpentum trahentium & ruſticum agaſonem, ſiue, vt antiquo Cimmeriorum vocabulo vtar, minatorem retuliſſe videatur; habet tamen hic regum ritus & maximam antiquitatem, & cauſſas ob quas perpetuò ſeruaretur non minores. Lucianus in ſuo Scytha Toxarim ſic deſcribit, vt inter ſuos neque regij generis fuiſſe dicat, nec ex eorum numero qui honoris cauſſa petaſos ſiue pileos gerebant; ſed vnum ex vulgo hominem plebeium: quem locum dum Lazius adducit, miror quo auctoris verbo diuitem fuiſſe intellexerit; non miror cur pilophoricos omiſerit, quòd videam hoc ornatus genus ab ipſo ob cauſſæ ignorationem fuiſſe neglectum. Addit Lucianus,

Octapodes.

ipſum in eorum cenſu fuiſſe quos octapodes Scythæ vocant, quo denotantur duorum boum & vnius carpenti poſſeſſores: quo genere hominum inter liberos nihil potuit eſſe

Domũ ſuam vehere Scythis cõmune. Toxaris Scytha.

pauperius; quandoquidem non videam qui vel domum ſuam quis vehere, quod Scythis omnibus Herodotus commune fecit, vel arare poſſit citra vnum boum par. Eleganter ſanè Lucianus Toxaris nomen vel finxit vel ab aliis fictum accepit, quòd egregia ſit ad rectam Scythici nominis rationem alluſio; cùm non alium Scut/ à quo Scytha, notet quàm eum quem τοξότην vocant Græci. Regibus ergo Francorum, quorum originem è Scythia deduxi, hunc ritum fuiſſe non aliam ob cauſſam exiſtimo, quàm vt ſe non meliores pauperrimo quoque agnoſcerent, ſemperque cogitarent, quibus principiis ad regium culmen, & è plauſtro, quo domum maiores ipſorum circumferre ſolent, ad palatium & ſummum rerum mortalium faſtigium aſcendiſſent. De iugo, aratro, ſecuri, & phiala cælo in Scythiam delapſis, & eorum ſignificatione, quæ plurimum lucis huic Francorum conſuetudini infert, in Beccſelanis ſatis dictum. Hic in tranſcurſu non negligendum per hãc ſollemnem regum Francorum pompam, veſtigiis ſat altè depreſſis,

nos

nos ad Scythicam ipſorum originem deduci; nec parum hinc roboris iis accedere quæ à me de priſcis ipſorum tum ſedibus tum nominibus ex Herodoto & Dionyſio Afro concluſa ſunt; quandoquidem, quod præcipuum fuit Scythicæ nobilitatis indicium, hæc nimirum diopetea dona poſſe citra noxam attrectare, eius in bobus regiis clarum extet monumentum, in quibus & iugum denotatur. Securis vt omnibus eſſet communis, hærebat tamen non parum indicij quibus ex oris in Germaniam commigraſſent; ex illis, inquam, in quas diuinitùs bipennis olim delapſa fertur. Diligenter quidem Lazius in huius forma demonſtranda laborauit; ſed nec dum apud me facere quiuit vt in ſuas partes pedaneum noſtrum traheret aſſenſum. Duos citat quibus nititur auctores, Procopium & Agathium, quorum verba antè audienda quàm quid de iis ſentiam aut exponi aut intelligi commodè poſſit. Agathius Francorum arma deſcribens inter alia, Enſis, inquit, à femore; ex latere ſcutum dependet; arcus, funda, & tormenta eiuſmodi cetera, tela ſaxáue torquentia inſueta his ſunt, ſed dolabras ſecuréſue ancipites geſtant, & breuia pro patria conſuetudine tela, quæ ipſi Anconas, vt diximus, vocant, & quibus res magnas, cùm opus eſt, gerunt; & tunc præſertim cùm pede collato decertant, aut in hoſtem incurrunt. Huius teli pars maior ferro obducta eſt, ita vt ex haſta parum aliquid præter capulum totum vix proferat; in ſuperiori autem parte circa ferri aciem ipſam recuruæ extant vtrimque, tamquam hami, laminulæ quædam coarcuatæ peracutæque, & ad ipſius teli partem inferiorem deuergunt. Id teli genus in ipſo congreſſu emittunt, ita vt ſi altius fortè inhæſerit corpori, ſubeat mox, vti par eſt, & acies ipſa hamata: vnde nec qui vulnus exceperit, nec alius quiſquam queat id telum auellere. Vrget namque recurua acies illa ceruice latiùs hærens, doloreſque adfert acerbiores; atque adeò vt ſi non aliàs hoſtis lethali ſit vulnere ictus, ex eo tamen emoritur: quòd ſi impactum clypeo telum id fuerit, ex eo mox pendulum hæret, & circumfertur, per ſolumque trahitur. Vnde ea eſt Francorum conſuetudo, vt vbi affixum ſcuto telum id viderint, impetu facto ac pede capulo conculcato hoſtis ſcutum vmbone quaſſatum perfringant; quo fit vt & geſtantis manu depreſſa caput illi nudetur & pectus: hoc pacto hoſtem nactus nulla parte munitum, ſiue frontem ſecuri percutiat, ſiue gulam ferro traiiciat, confeſtim obtruncat. Idem paucis antè verſibus: Siquidem alibi ſecures acuebantur, hìc patria tela, quæ illi Anconas dicunt. Audiatur nunc Procopius de exercitu Theodoberti in Italiam ducto loquens: Sed maiorem in partem hi pedites erant, perpauci equites; & hi quidem haſtati, ceteri verò nec arcus quidem nec tela geſtantes, ſed enſem & clypeum, ſecurimque, cuius ferrum craſſius erat & vtrimque acutum; haſta verò breuis admodum. Hanc Franci ſecurim in primo congreſſu in hoſtem iacere conſueuerunt, & eo impetu vt hoſtium ſcuta perfringant, & ipſos ſimul interimant. Hæc ille. Lazius ex his Anconam ab Agathio deſcriptam eandem eſſe putat cum ſecuri à Procopio depicta; contra quam ſententiam ipſe Agathius inclamat, aiens ſe inter dolabram ſecurem'ue ancipitem & anconas plurimum diſcriminis annotaſſe: Anconas coniici, & ſi ſcuto inhæſerint, haſtam earum per terram trahi, & mox ab eo qui coniecerit accurri, & haſtile pede conculcari; qua vi ſcuto vel fracto vel deorſum preſſo caput & pectus aduerſarij nudari, & frontem & gulam ſecuris ictui patere. Quinam hic intelligas Ancona, quæ ſupernè ita ſcuto eſt infixa vt euelli nequeat & infernè pede Franci calcatur, vel gulam traiici vel frontem feriri vel caput obtruncari poſſe? An non vtriuſque vſus aperte oſtenditur; Anconæ, vt ſcutum deprimat pedis iniectu; ſecuris, vt vel fronte vel gula cæſa hoſtem obtruncet? Quî dubitari igitur poteſt de ſecuris & anconæ diuerſitate? Iam palàm dicitur, alio loco ſecures acui, alio loco tela quæ Franci Anconas dicunt. Atqui dixit Procopius, ſecures quoque coniici. Sit ita. Num inde efficitur eandem ſecurim eſſe & anconam? Scimus nos quoque hac ætate ab iis qui Cimbrorum ad Germanicum Oceanum Cherſoneſum & vicina loca colunt, ſecures certiſſimo ictu coniici; ſed non tam longi capuli ſunt vt ſupernè hærente ferro per terram trahantur: nec hoc Procopius de bipennibus prodidit. Vterque & Procopius & Agathius ſecurim ancipitem fecit, ſed neuter addidit Germanicum nomen; quod & hactenus ignoraſſemus, niſi à Gregorio Turonenſi epiſcopo expreſſum fuiſſet; qui illam non ceteris modò Francis omnibus, ſed Clodouæo etiam regi ſemper in promptu & ad manum fuiſſe indicans, Franceſcam nominari dixit eo loco quo cum qui vrceum templo

Securis Francorum regium insigne.

Ancona teli genus.

Franceſca ſecuris Francorum.

templo ſuppilatum Ludouico ad reſtituendum petenti obſtiterat, regia bipenni percuſſum declarat. Quemadmodum igitur à Sagis Sagaris nomen olim duxerat, ita bipennis à Francis, quorum propria videtur fuiſſe; more à ſecuri in Scythiam cælo delapſa deducto. Qua de re non mala ſit, meo quidem iudicio, coniectura, quæ ab Herodoto de hoc miraculo ſcribuntur, ea non generatim ad quoſuis Scythas, ſed propriè ad liberos Scythas pertinere; qui quò libertatem ſuam non contra exteros tantùm, ſed domi

Octapodum ritus apud Scythas.

etiam inter ſe conſeruarent, regem ſuum ad Octapodum ritum vehi voluerunt, ne ſe extolleret ſupra illos qui omnium ferè liberorum Scytharum eſſent pauperrimi, octo boum pedibus ſe ſuaque omnia portantes. Quid enim refert hoſtíne ſeruias an domeſtico tyranno, cùm vtroque modo libertas tollatur; & indignius videatur & intolerabilius à ſuis quàm ab exteris opprimi?

Carnorum ducis inauguratio.

Carnorum dux iam eligendus, ruſtico veſtitu prodit, & à ruſtico ad has partes delecto poteſtatem ambit, & interrogatus an ius cuique ſuum ſit redditurus, idque ſe facturum pollicitus viliſſimo quodam & contempto pretio à ruſtico illo cui publicè id negotij datum, ad gubernandum admittitur. Hinc &

Gotalanorum regem alloquentium conſuetudo.

illud Gotalanorum, regem ſuum perinde atque quemuis ex infima plebe alloquentium, *Nos como vos*. qua formula ſe pares regi oſtendunt, & eum non aliunde quàm ab ipſis imperium ſuſcepiſſe. Non fuit igitur apud Francos citra grauiſſimam cauſſam ad ipſum vſque Hildericum poſtremum ex recto Merouei ſtemmate deſcendentem, hic ritus vetuſtiſſimus obſeruatus, vt rex nihilo ſublimior octapodibus cenſeretur, excepta ſola illa poteſtate quam popularium ſuorum ſuffragiis & permiſſu teneret. Inter inſignia bipenni æquè atque infimus quiſque euchiridij loco vtebatur, quæ quare cælo delapſa fingatur, in Gotodanicis ſatis explicatum; ad quæ eum remitto, qui accuratiùs veterum Scytharum hac in re rationes peruidere deſiderabit. Et quoniam liberorum Scytharum, id eſt Francorum, proprium erat hoc armorum genus æquè in pace & agro atque in bello & caſtris vtendum, meritò Franceſca vocabatur; nec ea tamen ſola de cauſſa, vt omnia Cimmeriorum ſymbola rationum ſunt fœcunda, ſed propterea etiam, quòd inſtrumentum eſſet quo Franciſia, id eſt, latiſſima illa libertas potiſſimùm conſeruaretur. Duabus enim maximè rebus ad liberalem victum & homine ingenuo di-

Securis Francorum cuius rei ſymbolum.

gnum opus eſt; altera, vt res pecuaria & agricultura diligenter adminiſtretur, ne quæ neceſſaria ſunt, ea aliunde ſint humili animo & ſeruili emendicanda; altera, vt quæ labore tuo pepereris, atque ad vitæ commoditates & copias compararis, ea armis aduerſus rapinas hoſticas defendantur. Harum vtramque ſecuris præſtabit, quæ vt ob aliam cauſſam cuiuis vltrò offerendam, ita ob hanc etiam bipennis erat, vt altera acies ad rem ruſticam & caſtrimetationem ſeruiret, altera ad cædendum hoſtem ſeruaretur. Anconæ verò non perinde atque bipennis inter ordinaria arma computabantur, vt ex Procopij loco modò à nobis in medium allato cuiuis liquere poteſt: nec item ſic erant Francorum propriæ, vt non aliæ quoque gentes iis in bello vterentur, quod Appiani quinto ciuilis belli libro verba ſatis declarant: At verò, inquit interpretis lingua, Menecrates cùm iaculo ad Hiberorum formam multis hamis ferreis inſerto femur ſaucius, ſubitò telum educere non poſſet, & ob id bello inutilis exiſteret, reliquos ad pugnam hortaturus conſtitit. Hæc huius auctoris verba Lazius ad ſecurim accommodauit, quàm aptè quiuis facilè videbit. Quemadmodum autem bipennis Franceſca dicebatur, ita hoc iaculi genus prorſus ab illa diuerſum Anconam vocari Agathius teſtatur: quam vocem, ſi hanc litterarum compoſitionem quam eius interpres habet, ſeruemus, illud telum ſignificabit quod pendere & poteſt & audet; poteſt quidem propter hamos; audet verò, quia ſic haſtile ferro eſt obductum, nihil vt metuat ne amputetur; deinde his duabus

Anconæ etymon.
Hanc.
Anc.
Ancker.

rebus eos defraudat quibus eſt iniectum: quæ omnia Anconæ nomine à linguæ noſtræ peritis intelliguntur. Hanc enim pendere ſignificat; Anc idem eſt quod figo, vnde Ancker inſtrumentum quo vel naues figuntur, vel trabes in muris firmo nexu continentur, vocabulum nemini vernarum noſtrorum ignotum: à quo ſi Græci & Latini anchoræ nomen ſe mutuatos eſſe negent, de ſuis ſcriniis meliorem ſignificationis rationem depromant. Gemino igitur modo prior ſyllaba intelligi poteſt, & vtroque ad rem accommodato; quandoquidem iaculum hoc & pendeat, & pendendo hoſtem figat, vt in Menecrate contigit. Aſpiratio autem, ne fraudi ſint hæ minutiæ neglectæ interpretanti, à

Con.

noſtratibus in compoſitione frequentiſſimè tollitur. Poſterior verò ſyllaba Con non duplicem

plicem modò, ſed triplicem habet notationem; ita vt ea intelligatur, poſſum, ſcio, & audeo: Vnde Coning pro Rege deriuatur. Iam & compoſitio tota ſic exponi poteſt, vt ſit Anc-hon/ & compoſitionis cauſſa exempta adſpiratione, Ancon; qua quidem expoſitione telum ſignabitur quod & pendendo & ſiſtendo fraudat. Minutila ſunt hæc, fateor, ſed luculenta tamen indicia quo olim ſermone Franci ſint locuti, quamque is ſit felix & copioſus ad voces breui illas quidem litterarum contextu, ſed notatione ampliſſima componendas. Num quiſquam meliùs vſum huius teli multis verbis delineare queat, quàm duæ hæ ſyllabæ eum aſpectui ſubiecerunt? Quamuis autem hoc iaculum Franci haud ſecus atque Iberi aliquando ad manum habebant, non tamen aut proprius ipſis aut perpetuus eius fuit vſus, quòd iaculi loco ipſas etiam bipennes certiſſimis & violentiſſimis ictibus in hoſtem coniicerent; quæ, veluti baliſta aut ſcorpione excuſſæ, & clypeos & arma pondere & acie ſua penetrabant, vt hactenus ij norunt qui ſecuribus iaciendis aſſueuerunt: quam ipſorum pugnandi conſuetudinem non Procopius tantùm, ſed alij etiam ſcriptores memoriæ tradiderunt, inter quos Sidonius Apollinaris:

Excuſſiſſe citas vaſtum per inane bipennes,
Et plagæ præſciſſe locum, clypeóſque rotare
Ludus, & intortas præcedere ſaltibus haſtas.

Quibus elegantiſſimis verſibus Franceſcas ſimul & Anconas deſcripſit; illas quidem apertè, has verò ſub haſtarum nomenclatura, quas coniectas eueſtigio Francos ſequi dicit; quò nimirum haſtili conculcato vel totum hominem, ſi corpori hæſerit, vel clypeum vnà deprimant ad eum modum quem Agathius clariſſimis verbis depinxit. Arbitror ex his perſpicuum euaſiſſe, aliud bipennem aliud anconam eſſe, quas ex iiſdem eorundem auctorum, quibus ego diuerſas eſſe docui, verbis Lazius pro eodem bellico inſtrumento accipiendas putauit, in hoc eius inconſiderantiæ, meo iudicio, reus quam mihi fateor non raro deprecandam, dum vix à me impetrare poſſum, vt quæ ſemel effuſa ſunt, & chartis volante penna illita relegam, & iudicio corrigam maturiore. Et hæc quidem de Scythico regum Francorum plauſtro & bipenni certis & luculentis indiciis, quibus ex oris ad Oceanum Germanicum & Rheni ripas olim migrarint. Qua verò de cauſſa crines & barbam ſummiſſam aluerint, non eſt difficile ad coniectandum. Cùm reges in terra viuam Dei imaginem præ ſe ferant, nefas eſt vt quiſquam mortalium vel minimum in iis auſit violare, immo ne illa quidem attingere quæ natura vel ad decorem vel ad tegmen comparauit. Quamobrem vt regia Maieſtas intacta & omnibus modis inuiolata ſeruaretur, ſacro ſancto ritu cautum erat, ne & barba & capillus vel tonderetur vel raderetur. Hanc comæ barbæque alendæ cauſſam non ego commentus ſum, ſed ex ipſius Dei verbis didici; qui Moſi inter cetera præcepit, ne ſacerdotes aut capillum aut barbam raderent, ne quos ſanctos eſſe volebat, ferro & alienis manibus pollucrentur. Antiquitùs iidem erant & ſacrorum antiſtites & reges; quod Melchiſedec, quem regem iuſtum Latinè vertas, exemplo ſuo docet: ad quem venerandæ antiquitatis morem notandum Virgilius cecinit: *Rex Anius, rex idem hominum, Phœbíque ſacerdos.* Non citra cauſſam igitur Græcorum philoſophi capillitium & barbam nutriebant, quò ſeſe ſolos dignos monſtrarent quibus & ſacrorum cura & Reip. gubernacula committerentur; tametſi fortaſſe ritus eius origo ignoraretur, variiſque ſannis hoc nomine in proſceniis notarentur. Plato certè, dum philoſophum regnare vult, an non dicere videtur inter cetera quæ regem decent, illud etiam eſſe, vt barbam & capillum philoſophorum more ſubmittat? Sicut autem ſummos viros & in altiſſimo humanarum rerum faſtigio conſtitutos hic naturæ ornatus maximè decebat, ita contrà infimæ erat & abiectiſſimæ humilitatis, capillū & barbam radere: quod de Eſaiæ verbis planctum Moabitarum vaticinantis cuiuis in promptu eſt: *Moab*, inquit, *vlulabit, in cunctis capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur.* Hieremias item luctus ſummique mæroris indicium dedit, dum dixit ob Godoliam ab Iſmaële occiſum octoginta viros veniſſe è Samaria raſis barbis & capillis, & veſtibus conſciſſis ſqualentes, vt ſacris operarentur, ad Deum reddendum rebus ſuis propitium, & quàm viſus fuiſſet eſſe, benigniorem. Multa ſacræ ſcripturæ teſtimonia de vetuſtiſſimo hoc ritu citare poſſemus, ſed hos duos adduxiſſe inſtar eſt plurimorum. Non poſſum tamen tacitus præterire Iſiacum lugendi ritum, de quo Firmici Materni hæc ſunt verba in eo

Barbam & crines cur aluerint Franci.

Reges antiquitùs iidem & ſacerdotes.

Barba & coma raſa olim luctus indicium.

h H Libro

libro quem de erroribus profanarum religionum ſcripſit: In adytis, inquit, habent idolum Oſiridis ſepultum; hoc annuis luctibus plangunt; radunt capita, vt miſerandum caſum regis ſui turpitudine dehoneſtati defleant capitis. Iam vt ex his perſpicuum eſt, raſum caput luctus indicium habuiſſe antiquitùs, ita notior eſt Abſolonis promiſſa coma quàm vt pluribus verbis probanda hìc ſit huius conſuetudinis vetuſtas, quæ non ex hominum tantùm arbitratu & conſtitutione, ſed ipſa etiam rerum natura duxit primordia.

Barbæ & comæ laudes.

Vt enim nihil lætius, iucundius, amœnius, pulcrius quàm arbores & omne plantarum genus foliis ſuis gratiſſimum oculis ſpectaculum exhibere; ita contrà nihil horridius, nihil triſtius caluitio hiberno.

Apollo intonſus, regis exẽplar.

Hinc poëtæ Orphici Apollinem intonſum præcipuè inter ceteros Deos vocabant; tum quòd, vt Heſychius ſcribit, ἀπενθὴς ſit, id eſt, ab omni luctu remotus, tum quòd accedens ad nos omnia frondibus & floribus veſtiat, tum quòd regis exemplar de cælo mortalium oculis ſubiiciat. Monſtrat enim nobis ex vnius ſolius gubernatione plus felicitatis ad remp. venire quàm ex innumeris ſideribus per noctem conſpectis: & ſicut hæc lumen ſuum ei ſubmittunt, vt ſolus omnia illuſtrare videatur; ita hoc ad communem hominum ſalutem maximè pertinere, vt omnes vnius imperio ſic ſubſint, vt nemo quicquam ſibi citra huius permiſſum audeat arrogare. Qua de cauſſa à vetuſtiſſimis poëtis & hiſtoriæ etiam ſcriptoribus, vt antè monui, præ ceteris diis cognomen regis viſus eſt mereri; non illud quidem quoduis, ſed quod

Apollo cur & vnde ἄναξ cognominatus.

Græci ἄναξ proferunt, ab Euſtathio & Plutarcho ſic expoſitum, vt ab ἄκος deriuari arbitrentur, aliis ad aliam originem vocantibus; de quorum controuerſia coniicio à Barbaris hanc vocem ad Græcos, perinde atque multas alias, ipſo etiam Socrate confitente, veniſſe.

Een.

Nobis principium numerorum & omnium rerum vocatur **Een** vel **ein** vel **ain** varietate dialectorum alium & alium ſonum afferente; vnde εἷς Græcorum, & vnum Latinorum: quorum natales noſtrates eſſe tum etymologia latè in Hermathena à me explicata, tum analogia nobis peculiaris oſtendit, propterea quòd conuerſis vox litteris, vt ex **Een** fiat **Nee**/ contrarium prorſus ſignificet, rem nimirum ab omni vnius natura

Acht.

eximens. **Acht** verò æſtimationem & dignationem vertas, ſi vt nomen vſurpetur; ſin vt verbũ, idem eſt quod æſtimo vel magnifacio & honore dignor, commune ad indicandi & imperandi modum. **Ain-acht** itaque tantundem eſt ac ſi dicas, Vnum magni fac & inſigni honore dignare. Iam Tau finiens dictionem adimi Græcorum characteriſmus poſtulat, & C cum adſpiratione in ξ tranſire frequens eſt, vt ex **Recht** Latini fecerunt Rex, à **Leght** Lex, ex **Ambiorich** Ambiorix, alia ex aliis ſuper ſua incude ad Latinam formam fabricati. Eſt quiſquam nunc tam cæcus, tam hebes, tam vecors, vt non mox intelligat nulli magis creaturæ hanc appellationẽ conuenire quàm ipſi Soli clariſſimo ipſius ſummę vnitatis ſpeculo, & ſimulacro corporato? Quid aliud vnica illa totius mundi lux omnibus corporibus lumen communicans, quoad eius natura ipſorum capax eſt, dicere videtur, quàm ipſum vnum plurimi faciendum eſſe, & tanto æſtimandum pluris, quanto clariſſima hæc fax ceteris omnibus corporibus præſtat? qua in re latiùs declarãda ſi multus ſim, lychnum meridiano Soli videbor accendiſſe, & alioqui tam viua hæc eſt & efficax vnius Dei imago, nihil vt inueniri queat quod infinitam eius bonitatem magis ob oculos ponat, magis mẽti inſinuet, magis per omnes beneficiorum gradus declaret. Vix me teneo quin exclamem, ô Anax vnicum & ſingulare inter omnia corporata diuinitatis ſimulacrum, oculos noſtros ſic radiis tuis illuſtra, ſic corpori calorẽ infunde, ſic nos vitali tua aura excita; vt mens noſtra ductu & præmonſtratione tua ad ipſum vnum ſubuolare contendat, & cum eo ſeſe vnire cuius vnius attactu totius felicitatis ſumma continetur. Succinam & illi qui dixit: ὦναξ παίων ὦ βασιλεῦ κακὰ παύσον Απόλλων. Ceterùm dicas Caſtori & Polluci peculiari etiam & ſuo quodam iure à Græcis hoc cognomen tributum, dum Anaces vocantur. Abripis me ad immenſum contemplationis campum; in quo quantumuis multa ſpatia confecero, ſemper tamen plura quàm mentis oculis, nedum corporis, comprehendi queant, reſtabunt. Orphicorum princeps, quiſquis is fuerit, generis humani ſeruatorem & eius in terris præcurſorem his nominibus nuncupauit, quorum hic ipſum vnũ monſtrauit, ille mortale genus morte ſua ad vnum deduxit: Qua de cauſſa rectiſſimè hac voce Cimbrica vocãtur. Sed his alibi locus erit. Nunc ad capillos & barbam heroum maximorum inſignia, de quibus teſtimonia & rationes tot ſunt, vt ingens volumen explere poſſent: nobis ſatis eſto, manus Mercurialis officio defungi, ea

demonſtrata

demõſtrata via per quam citra errores ad priſcam veritatem liceat peruenire;quam corruptiſſimi Græcorum mores ſic contaminarunt, vt capillus ſubmiſſus cynædorũ potiùs & molliſſimorum hominum quàm Sacerdotum,regum,& philoſophorũ inſigne videretur,re etiam in prouerbiũ obſcenum,cuius Syneſius in caluitio meminit,deducta. Videas nunc,quàm iuſta ratione,& quàm conuenienti tum ſacris litteris omni Græcorum ſcriptura antiquioribus,tum ipſi naturæ & eius regi clariſſimo optimoq. omnis gubernationis humanæ exemplari Francorum reges nutriuerint & barbam & capillum. Neque quicquam abominandum magis ipſis & horrẽdum videbatur,quàm ſi regiæ comæ pars aliqua vel minima fuiſſet cæſa:quod illuſtri exẽplo docetur ex Gregorio Turonenſi,qui Dagobertum contra Saxonas dubio Marte pugnantem, & iam parte capillorum cæſim detruncata, periculo proximũ narrat, hanc comæ partẽ protinus ad patrem trãſmiſiſſe, quò rei tantæ tamque nefariæ & abominandæ ſpectaculo motus ad ſuppetias ferendas quam maximè poſſet acceleraret. Quid ad hoc Lotarius pater? Quid?tanta fœditate regiis inſignibus allata tam immani ira exarſit,vt ſubitò per noctem exercitum rapiẽs potiùs quam ducens, Saxonas velut vrſus ſæuiens inuaſerit,mandaritque ſuis,vt ad mẽſuram enſis hoſtes detruncarent, neq. cuiuſquam cadauer longiùs quàm is eſſet, ſinerent iacere. Quis hîc non animaduertat,vt Deus ſacerdotes ſuos cæſarie,barbaq. tonſa pollui dicebat,ita Francos putaſſe regiam Maieſtatem contaminari,ſi coma fuiſſet amputata?

Coma regia partem fuiſſe abſciſſam, quàm fuerit abominandũ Francis.

Quòd ſi Gregorius Turonẽſis ceterique Ogenium hunc ritum & Leuitico Moſis adamuſſim conſentiẽtem pro eo ac oportet ad rectam trutinã expẽdiſſent,minùs de regum Francorũ antiquitate dubitaſſent;quam equidem partim aliunde,vt priùs annotatum, partim hinc tantam exiſtimo,vt ad primos Ianigenas regales hę cærimoniæ referẽdæ videantur. Sanè dum hanc intueor Francorum cum iis quæ naturæ ſacriſque diuini legum latoris libris tàm ad vnguem quadrant,magis magiſq. mihi cogor placere,tum de Francici nominis origine reperta,tũ de amoribus Apollinis & Branchi explicatis. Quid enim intonſo ſiue Aërſicomæ regi magis conueniat, quàm eos reges amare qui ipſum cultu corporis quàm maximè imitarentur: ſi Socratis teſtificatione ab eo quiſq. Deo maximè amatur,cuius dotes morum omniq. officiorũ ſimilitudine quàm proximè æmulatur,& vim earũ claro exẽplo mortalibus oſtendit atq.cõmendat? Num aliud maius eſt veritatis argumentum,quàm inſignis & perpetua ſibi veluti catena hærens omnium tum rerum tum verborum inter ſe conſenſio? Quî,rogo,rectius ipſius Apollinis Anactis imaginem exprimere Francus potuit,quàm ſi regem ſuum perinde atque ille eſt Aërſicomen perpetuò eſſe vellet? Ex his modò & illud in lucẽ venit,cur ceteri Franci partem capillorum & barbæ tonderẽt;quo non aliud indicabant quàm ſe lubentes vni regi ſubeſſe. Sed iam ſatis de crinitis regibus: de quibus vt longè infrà quàm vel res ipſa exigere videtur, vel mihi facultas eſſet, egerim, plus tamẽ fortaſſe dixi quàm obtuſæ quorundã moroſorum hominũ aures ferre poſſint.

Francorum regum cærimoniarũ antiquitas.

Barbæ & capillorum partem cur Frãci tondere cõſueuerunt.

Qui verò fuerint πιλοφόροι inter Scythas ſiue pileati,non ſit arduum ad coniectandũ,ſi ea quæ in Croniis de pileorum vſus antiquitate à me expoſita ſunt,non reſpuantur. Si enim inſigne libertatis pileus fuit de vetuſtiſſimo vel Nochi vel liberorum inſtituto,vt illius pilei quo in arca ſeruati ſunt ab vndis,monumẽtum in hoc ritu exſtaret ſempiternũ,quid ni dicamus apud eos qui ſummam generis ſui propagandi libertatẽ profitebantur,hunc morem ſacroſanctũ fuiſſe,vt ij qui ſecundum regẽ & eius liberos atq. cognatos in ſummo honore verſabantur,pileis vterentur;quò ſeſe præ ceteris in libertate tuenda augendaq. eximios monſtrarent,& vulgo hominum longè excellentiores ad id præſtandũ quod tota gens nomine ſuo præ ſe ferebat? Crediderim itaque hos eos fuiſſe qui poſtea Salios ſe nominarũt;è quibus reges legi ſolere Otto Friſingenſis prodidit, ita vt pileatorum nomẽ huic ordini qui poſtea equeſtri titulo fuit inſignitus, quondam fuiſſe credam. Quemadmodũ itaq. Franci inter ceteros Scythas libertatis ſe nomine iactabant,ita Pilophori inter Francos præ ceteris omnibus hoc inſigni libertatis ornabantur:quod eo ſignificantiorem vim ſymboli in ſermone Teutonico,quo Scythas vſos fuiſſe alibi demõſtraui,habebat;quòd vox Hoyt/quo pileus notatur,ab Hoi/quod eſt, tueor,cuſtodio,& defendo,deriuetur. Vnde intelligas eos qui pileis vterẽtur,profiteri,ſeſe ſemper excubare ad totius populi cuſtodiã atq. tutelã:qua de vocis & rei,quæ propria eſt nobilitatis,conſonantia luculentum exiſtit ſignũ,quæ gens in hoc libertatis ſymbolo ceteris præiuerit,cùm fruſtra Græci,fruſtra Latini,fruſtra Hebræi vel hanc vel parẽ no-

Pilophori Scythæ qui fuerint.

Pileus cuius rei ſymbolũ.

Voit.

tationis

tationis rationem intra ſermonis ſui latifundia ſint quæſituri. Omnibus profectò votis optandum, vt qui ſeſe ſtemmatis iactant, non tantùm horũ Scytharum more pileati eſſent, ſed perpetuò Germanicæ pileorum nomẽclaturæ monitu id ſibi antiquiſſimũ exiſtimarent, vt remp. cum foris tum domi conſiliis armiſq. tuerentur, & communem ſuorum libertatem non minùs reapſe contra quoſuis vel ciuiles vel externos inſultus, contra omnem peruerſorum hominum malitiam, contra ſeditioſas inquietorũ nebulonum inſidias, deniq. contra cuncta ea quæ aut publicæ omnium aut priuatæ cuiuſque ſaluti aduerſantur, cuſtodiat, defendat atq. propugnet. Cùm igitur noſtrati pilei nomine hæc officij generoſorum proprij teſſera deſignetur, non mirum eſt, equeſtrem Francorũ ordinem pileo ſe inſignire voluiſſe, quò omnes intelligerent non ſe ſolùm Francos, id eſt, liberos; ſed libertatis etiam ceterorum ciuium ſemper fore propugnatores. Videſne quàm aptè, quàm concinnè quæ de antiquiſſimis Scytharum prodita ſunt liberis Scythis cõueniant; quàm amicè res & nomina conſpirent, quàm inter ſe connexa ſint atq. deuincta, quàm ipſa rerũ cõſecutio omnem caliginẽ diſcutiat, quàm ſermo ipſe Francorũ vernaculus obſcuriſſima quæq. interpretetur, & ab exordiis ad ſcopũ deſtinatũ deducat. Sed iam dum ſat diu huic Pilophororum teſſeræ inſeruitum, donemur & nos pileo, quò liber ſit ad cetera progreſſus. Reuertamur ad Merouingos, quorum cæleſtis & diuina virtus cùm tandem ſenio contabuiſſet, atque in Hilderico poſtremo titulo tenus rege extincta prorſus eſſet, regni clauus iterũ ad noſtrates peruenit; cuius rei initio annotato & ad Carolũ Magnum deducto, finem faciam antiquariæ huic inueſtigationi. Tam claræ & eximiæ huius viri dotes fuerũt, tam illuſtria rerum geſtarũ decora, vt de eius natali ſolo non ſecus atq. de Homeri multorũ contentione gentiũ ſit certatum, omnibus ſtudioſiſſimè ſibi tantam gloriam totis ingenij viribus vindicare molitis, nullius interim rei minùs ſollicitis quàm ipſius veritatis. Ceterùm ſi tanta rerum poſteriorũ memoriæ mandandarũ, quanta bene præclarèq. gerendarum diligentia prædití maiores noſtri fuiſſent, non cogerentur hiſtoriæ ſcriptores in hanc deſcendere rixoſam controuerſiarum arenam. Nos tamen quò tempori chartæque parcamus, aliorum opiniones tamquam enormi ſpatio à vero diſſidentes omittemus, contenti id vnum exponere quod in patriis partim monumentis, partim ſcriptis inuenitur. Scripſi aliàs Theodorici filiam, Theodoberti ſororem, Vtiloni Theodonis Magni Bauarorum ducis fratri nupſiſſe, atque dotis nomine cum alia, tum limitis Antwerpiani præfecturam marito ſuo attuliſſe; cuius rei equidem me fateor non alterius teſtificatione quàm Auentini ſtetiſſe; qui tamen in re obſcura plura ſe dicit ſcribere quàm credat, verbis & ſententia hac parte Q. Curtium de rebus ab Alexandro Magno ad Indoſcythiam geſtis loquentem inuitatus. Vtcumq. res habeat, id omnium conſtat apertiſſima confeſſione, generis Carolingorum principia Antwerpiano limiti deberi, qui non tã anguſtis quàm fortè quiſquã putarit terminis includebatur. Totam enim præter longum littorum latè patentium tractum Aſbaniam & Eburonum regionem & vicinas complectebatur, quò rei frumentariæ ceterarumque rerum, quibus magnis latorum limitum præſidiis opus eſt, copia ſuppeditaretur. Hinc, vt alibi dixi, Aſbaniæ regioni, Thenis & Landaſio opidis, Getæ ſiue potiùs Getaſio fluuio vel ab alimentis vel à decimis nomina deducta. Totam autem hanc ditionem Romani Arborichis cuſtodiendam dederunt; & quò meliùs cuſtodirent, eam iis ſic hæreditario iure tribuerunt, vt vectigalibus obnoxia nullis, diligentiuſque exculta tantum fruměti alimentorumq. daret, quantum ad limitem hunc contra Francos tuendum neceſſarium eſſet. Inter hos Arborichos duces fuerunt Caroli maiores, qui exercitui ſuo cui præerant, nomen Brauæ bandæ dederunt; quia ſoli videlicet Francorum viribus obſtarent potentiùs quàm ipſi Romani, qui Treueris & locis vicinis ad ſecundam Germaniam defendendam in præſidiis erant collocati. Hinc factum, vt dum Caroli genus altiùs repetitur, & in caliginem, vt fieri ſolet, natalium deuenitur, Brabones fingantur, quo nomine Brauæ bandæ duces intelliguntur.

Antvverpiani limitis præfectura Vtiloni in dotem data.

Carolingorũ principia Antvverpiano limiti deber..

Antvverpiani limitis amplitudo, & præfectorum ſucceſſio.

Caroli Magni maiores Arborichorũ duces.

Braua banda.

Primus certè cuius proprium nomen ad poſterorum memoriam venit, Carolus fuit, quem Brabonis filium fingunt, id eſt, eius qui à Romanis huius limitis præfecturam ſortitus eſſet. Quoniam verò Germanis ſiue Thungris, quo nomine tum Aduaticorum poſteritas vocabatur, contra Germanos Francos minùs fidebant, ſocietatis obſides ab ipſis accipiebant vel liberos vel fratres vel ſanguine proximos. Inde factum vt frequens fuerit inter

Brabon qua occaſione fictus.

inter principes Anſegiſi nomẽ,quo ſocietatis obſes vernaculis noſtris notatur, quia Anſe ſocietatem ſignet,ab An-ſie/quod eſt reſpicio vel rationem cuiuſpiam in re quapiam gerenda habeo,vnde ciuitates Germanicæ in mercatu confœderatę Anſe ſteden/id eſt,ſociæ ciuitates vocantur. Gis verò vel Giſel obſes nominatur. Quamobrẽ Carolus,primus eorum quorũ memoria litteris conſignata eſt,filium ſuum Anſegiſum vocauit,certus eum fore obſidem apud Romanos initæ contra Francos ſocietatis. Et ipſe quidẽ primus Carolus non aliunde nomen nactus videtur, quàm quòd parentes ominarentur,eũ quem ſic nuncuparunt apicem fore inter eos quos Romani caros haberent. Nihil igitur Anſegiſo cum Troianorum Anchiſe,niſi fortè & ille apud priſcos nomen ab eadem re fuerit adeptus; quod ita ne ſit an non, nihil ad nos. Anſegiſus itaq. Caroli,cui à breui naſo cognomen datũ,filius huius limitis comes ex obſide factus,primus à Romanis videtur deſciuiſſe,Francorũ armis coactus, vt paullo antè de Arborichis explicatũ;quibus,licet reliqua ſua ditione non ſpoliaretur, ex fœdere tamen de limitaneo iure ceſſit, quò Franci ſibi ipſi præſtarent ſecuritatem. Huius liberorũ nomina cum ignorẽtur,factũ vt à Brauanda ſucceſſores vocarentur Brabones vſque ad Carolomannũ Landaſij natum;à quo vera hiſtoria exordium ſumit. Huic Lotarius Francorum rex reſtituit limitem Antwerpianũ,quem Clodio maioribus ipſius abſtulerat, quò contra Romanos cum non Arborichi ſed Franci tuerentur. Huic Landas,vti natale ſolũ,ita imperij ſedes ſcribitur fuiſſe, quo loco ad quinquaginta quinque annos princeps Pippinum,cui à patria Landaſio cognomẽ,ſuſtulit;fuit ei & filia Amelbèrga nomine,cuius filius Walbertus duas habuit filias ob vitæ ſanctimoniam in diuarum numerum relatas,Aldegundem & Waltrudem: quarũ hæc nupta fuit Vincẽtio comiti Hannoniæ;è qua natus Landricus epiſcopus Metenſis cum duabus ſororibus quæ virginitate ſua Deo dicata vnà cum fratre in Diuorũ ſocietatẽ ſunt cooptati. Amelbergæ item Amelberga filia fuit, quæ nupta Witgero domino Hamenſi,filiam habuit Goedelam,cui ſummum Bruxellis templũ conſecratum, vnà cum quatuor aliis liberis; inter quos Embertus epiſcopus Cameracenſis; omnibus cælo adſcriptis. De Carolomanno verſus extant pro eo ac ætas illa ferebat ornati:

Anſegiſorum nomẽclatura.
Anſe.
Anſe ſteden.
Gis.
Giſel.
Anſegiſus Caroli filius.
Anſegiſus Antvverpiani limitis comes à Romanis ad Francos primus defecit.
Carolomanno Antvverpianus limes reſtitutus.
Landæ Carolomanni natale ſolum & imperij ſedes.
Pipini patria & parentes.
Amelberga.
Walbertus.
Aldegundis.
Waltrudis.
Landricus.
Goedela.
Embertus.

Hic Carolomannus princeps fuit inclytus, ex quo
Proſapiæ Caroli Magni proceſſit origo.

Carolomanno mortuo Pippinus Landaſius ſuccedit, anno à natali Chriſti ſexcẽteſimo decimoquinto,qui apud Lotariũ Francorum regẽ in tanta fuit & fidei & virtutis exiſtimatione,vt Dagobertũ regis filium vnà cum Auſtraſia & omnibus regionibus inter Albim & Moſellam ſuſceperit conſiliis regendũ:qua in re ab Arnulpho Mediomatricum epiſcopo adiutus,tam egregiam operã præſtitit;vt quicquid eximiè à Dagoberto geſtum quaſi ex aſſe huic acceptum feratur;cùm ceteroquin haud admodum bonæ indolis Dagobertus eſſet,vt ex barba pædagogo per contumeliã abſciſſa,& ex infinitis eius ſcortis, quæ patre mortuo per collegia publica diſtribuit,facile ſit coniectatu;quam fœditatem cùm Pippinus reprehenderet,beneuolentia regis excidit tantiſper,dum is vel ſpurcæ libidinis ſatietate vel plurimorum grauium virorum monitis ad meliorem frugẽ rediret. D. Dionyſij templum huius Pippini ſuaſu extructũ creditur & maximis donis ornatum. Iudęi item omnes,quorũ ingens multitudo ex Hiſpania,ne Chriſtianæ religioni nomen dare cogeretur, in Franciam confugerat,in exilium acti; niſi ſacro ſe fonte tingi permitterẽt. Reconciliato Dagobertus filium ſuum Sigebertum Auſtraſiæ regem deſignatum credidit,qui ductu auſpiciiſque ipſius multa fortiter & cum laude contra Sclauos geſſit; quorum arma,vt tum temporis per Germaniam graſſari cœperant,ita in Aſia Sarraceni vnius auari eunuchi ærario præfecti conuicio, qui eos canes vocarat,irritati,Mahometicam ſectam per totam Arabiam,Perſiam,Syriam armis propagarunt,tanta celeritate,vt nulla vmquam peſtis tam ſubita contagione ſit graſſata: Nec minorẽ cladem Germania & Gallia à Sclauis idolorum cultoribus accepiſſet, niſi Pippini & Auſtraſianorũ virtus, cum Sigeberto regi,tum toti Chriſtianæ Reip. id temporis,ſi vmquam aliàs neceſſaria, ſtrennuè obſtitiſſet. Pippino in Diuorũ numerũ relato,Grimoaldus ex Iutaberga Ducis Aquitaniæ filia filius ſucceſſit,Auſtraſianorum equitum perinde atque pater factus magiſter. Hunc,ſi hiſtoriæ Gallorum fides habẽda,ambitio à recta via tranſuerſum egit;conatum,vt fertur, Hildebertum filium ſuũ diademate ornare,Dagoberto Sigeberti filio admodum puero tonſo & in Scotiam ablegato. Sunt qui hęc ob inuidiam ab aduerſariis

Pippinus Lãdaſius.
Dagoberti praua indoles.
Iudæi à Pippino in exſiliũ acti.
Sclauorũ arma in Germania.
Sarraceni cõuicio irritati, Mahometis ſectam ſequuntur.
Grimoaldus Pippini filius patri ſuccedit in Auſtraſianorũ equitum præfectura.

conficta putet. Vt vt res habet, Grimoaldus prœlium inire cõtra Clodoueum coactus, vincitur & occiditur. Alij captum in carcere obiiſſe narrant. Nec deſunt qui cæſum Iupiliæ ſepultum fuiſſe tradãt. Illud certũ, Beggam, Grimoaldi ſororem, Diui Pipini item filiam, in fratris poſſeſſiones admiſſam. Fuit huic ex iiſdem parentibus ſoror Gertrudis, Niuellis virginitate Chriſto conſecrata nobilis. Beggam vxorem duxit Anſegiſus, cuius hanc genealogiam accepimus: Vtilo ex Theodoberti ſorore Hubertum, Hubertus Aſobertum, Aſobertus ex Blitilde Lotarij regis filia genuit Arnoldũ; qui pater fuit Arnulphi è duce antiſtitis ſacrorũ, ex quo natus Anſegiſus Beggę maritus. Hinc licet videre qui per cõiugia Arborichi; è quibus Pipinorũ genus ducitur, regibus Francorũ affinitate ſeſe cõiunxerint, atq. in priſcum limitis Antwerpiani ius, quod Clodio ipſorũ maioribus ſecuritatis ſuæ cauſſa abſtulerat, ſint reſtituti. Anſegiſus perfidè in venatione occiſus eſt, à Goetswino, quẽ ignobili genere natũ educarat, & ad magnas dignitates euexerat; adeò vt poſt heri ſui mortẽ Beggæ ſibi matrimoniũ polliceretur, cuius adipiſcendi gratia dicitur ex inſidiis, nulla alia accedẽte cauſſa, virum optimè de ſe meritum interemiſſe: ſed longè falſus eſt opinione temerè ſuſcepta; quoniam honeſtiſſima vidua ſceleratiſſimi & ſacerrimi parricidæ vitabunda in Arduennam ſiluam ſeceſſit, in qua inter Huiũ & Namurcum monaſteriũ Andinũ exſtruxit. Anſegiſo Pippinus vnicus filius hæres fuit, cui ab Her-ſtallo, quo loco natus eſt, vt priori Pippino à Landa, cognomentũ tributũ, à nonnullis etiam Craſſo nuncupato. Hic Goetswinũ ob parricidiũ admiſſum profugum & longinquo ſe exilio tegentẽ ad multorũ dierũ iter cum vno ſolo comite, ne res palàm fieret, perſecutus, noctu occidit, vnà quotquot in eiſdẽ ædibus eſſent interẽptis. Auſtraſiam primùm cum Martino fratre patruele rexit, qui contra fidẽ datam ab Ebroino perfidiſſimo tyranno occiſus, Pipino ſoli rerũ gubernacula reliquit. Is dũ exulibus Francis veniam reditumq. apud regem impetrare nequiuiſſet, cõtra regem Bertariumq. equitũ magiſtrũ inſigni potitus eſt victoria; & Bertario ſuorũ cõiuratione cæſo, totius regni adminiſtratio vni Pipino credita, cuius auſpiciis tota Francia vires animoſq. poſt diuturna diſſidia coniunxit, & in vnum validiſſimũ coaluit corpus. Ratbodũ Friſiæ regẽ ſubiugauit, genti toti Euangelicam doctrinã per Clementis viri ſanctiſſimi conciones impertitus. Pipino lætis rebus inſoleſcenti, Alpaidis magis quàm Plectrudis legitima vxor allubeſcere cœpit, ex qua Carolũ cognomẽto Martellũ genuit; qui Magiſter equitũ à patre creatus, & poſt patris mortẽ à Plectrude, aduerſariæ factionis viribus freta, in carcerẽ detruſus ſic nouercæ cõſilia virtute ſua fregit, vt cuſtodia elapſus non regnũ modò totũ in ſuã redegerit poteſtatẽ; ſed princeps etiã Francorũ nouo titulo fuerit vnanimi procerũ cõſenſu appellatus, cùm regis & nomen & inſignia ab ipſis oblata renuiſſet, aiens ſe regibus imperare malle quàm regẽ vocari. Hic rebus ingentibus contra Saxones, contra Aquitanos, contra alios geſtis, quadringẽtis circiter Sarracenorũ millibus cum rege Abderama cæſis, tantũ triũphum adiecit, vt poſt hominũ memoriã nullus omnino regũ parẽ hoſtium numerũ vno prœlio fuderit & occidione delerit; quẽ auxit Athino altero rege, qui Galliam, priorem cladẽ vlturus, inuaſerat, poſt immanẽ Saracenorũ multitudinẽ cæſam in Hiſpaniam fugato. Sicut Pippinus priùs contra Sclauos Chriſtianis vnicum fuit propugnaculum, ita Martellus velut murus quidam aheneus aduerſus Sarracenos diuinitùs tum tẽporis fuit obiectus. Quamuis nihil aliud vmquam ad religionẽ tuendam Franci eximiè geſſiſſent; vel his tamen ſolis nominibus Chriſtianiſſimi poſſent vocari. Atqui & ante hos principes, quorũ plurimi parentes Diuis ſunt cooptati, Merouingi quoq. inſignem laudẽ meruerunt, maximis viribus Arrianam hæreſim ſemper oppugnando, donec funditùs eſſet euerſa, & radicitùs hominũ animis euulſa. Nec verò hoc tantùm religioni Martellus, vt maximũ ſit eorũ quæ referri queant, præſtitit; ſed eam etiam pietatẽ adiunxit, vt Romano pontifici ius ſuũ contra Langobardos tueretur. Martello filius ſucceſſit Pippinus cognomento paruus, qui primus Brabantorũ & huius limitis Antwerpiani comitũ regium diadema procerũ & Pont. maximi ſuffragiis & auctoritate ſumſit, patri ſuo magnitudine rerum geſtarũ ſimillimus. Hic rurſum filium dedit virtute maioribus parẽ Carolum, qui non tam corpore quàm rebus geſtis Magni cognomen eſt cõſecutus; cui Carolingi deinde, quamuis pleriq. impari laude, ſucceſſerũt; de qua propagine Philippus D. Caroli filius genus ducens tam illuſtria habet domeſtica heroicarũ virtutum exempla, vt non exiſtimem in alia gente vel plus vmquam gloriæ exſtitiſſe, vel efficaciora, vehementioraque ad populos ſumma iuxtà æquitate atque fortitudine gubernandos incitamenta.

Begga in fratris Grimoaldi à Clodoueo interfecti poſſeſſiones admiſſa.

Gertrudis.

Anſegiſus perfidè à Goetsvvino occiſus.

Goetsvvinus parricidij pœnas dat.

Pipini Herſtalli ſiue Craſſi egregia facta.

Friſia cum Ratbodo rege à Pipino ſubiugata, & fidem edocta.

Caroli Martelli principis Francorum virtus.

Sarraceni à Martello deuicti.

Arriana hæreſis à Merouingis oppugnata.

Pippinus paruus.

Carolus Magnus.

Carolingi.

FRANCICORVM

LIBER IIII.

Lilia Francorum gentis inſignia.

VNAM tamen mihi reliquam video laboris appendicem, vt nimirum lilia clariſſima clariſſimæ gentis exponam inſignia : de quibus nihil ſani quiſquam in hanc vſque diem ſcriptorum videtur prodiſſe, cùm tamen vix alia reperias vel antiquiora, vel plus habentia ſymbolicæ rationis, vel ad eorum nomen à quibus præferuntur doctiùs accommodata. Hic mox in primo limine magnam mihi obgannientium turbam obſtare cerno; qui vociferantur, Francorum olim ante religionem Chriſtianam ſuſceptam inſignia non lilia, ſed buffonem fuiſſe. Verùm nihil horum moueor clamoribus, non magis ſanè quàm ſi coruus crocitaſſet: ea nimirum de cauſſa, quòd, cùm nullo idoneo teſte nitantur, tum rem nobis occinant abſurdiſſimam. Quid, rogo, rationis habeat, ſi illuſtriſſimam ab omni ſæculorum memoria gentem, atq. eam quidem quæ à perpetuo finium proferendorum ſtudio nomen ſibi ſumpſit, dicamus buffonis ſibi teſſeram in militaribus ſignis accipere voluiſſe? Inſignem verò claritatem ex lucifugo animali coniectes; magnam ad terminos celeri expeditione dilatandos in tardiſſima beſtiola cernas opportunitatem; multum fortitudinis ex eo colligas animalculo, cui nullæ prorſus vires ſunt vel ad vim inferendam, vel ad iniuriam euitandam; cui id ſolum totius vitæ præſidium eſt, in occultis antris latitare; cui non alia ſunt arma, quàm peſtiferum venenum & lethale frigidi corporis tabum. Quiſquis es qui hoc fortium virorum ſymbolum quondã fuiſſe fingis, dic, quæſo, num aliquam omnino cauſſam queas reperire, de qua vel minimo tenus probabile reddatur, Francos buffonem ſibi in clypeis aut in militaribus ſignis olim delegiſſe. Quod ſi facere non potes, cuius eſt impudentiæ, poſtulare vt rem ab omni ratione & veri ſimilitudine remotiſſimam tibi citra omnia teſtimonia credamus? Sed video quid ſit. Cùm tu, quiſquis es qui primus id genus nugas hiſtoriæ intuliſti, nobis obtruſiſſes, regem Frãcorum, qui primus ſacro ſe fonte tingi permiſit, Clodoueum antea, pòſt Ludouicum dictum fuiſſe; putaſti tibi licere, vt quibus ſemel falſo & indocto figmento illuſiſſes, eis rurſus impudentius mendacium cõminiſcereris. At nos de anili illo tuo deliramento, quo Clodoueum nobis è rege Ludouico ſomniaſti, apertè deprehendimus, quàm nihil temerè tibi ſit aſſentiendum. Quamobrem nihili faciemus eorum narrationem qui Francos ſcribunt buffone olim in armis vſos fuiſſe, niſi poſthac claris vel veterum auctorum teſtimoniis, vel verarum antiquitatum monumentis id à quoquam confirmatum videamus; propterea, quòd quos ſemel inſignis mendacij cõuicimus, eis non ſimus fidem habituri, niſi aut idoneis teſtibus, aut ſolidis rationibus ſua confirment. Quòd ſi mihi de fabulæ primordiis coniectura permittatur, dicam quempiam fuiſſe hominem pietatis quàm Francicæ antiquitatis ſtudioſiorem; qui cùm vnde Franci genus ducerẽt ignoraret, commentus, quod proximum erat, Francos terrigenas eſſe; atq. idcirco animal terra maximè gaudens eorum clypeis congruentiſſimum fuiſſe, quo ex eius natura nimirum fraterculi Gigantum intelligerentur. Certè ſi illorum cenſuræ ſtandum eſſet qui Francos Germaniæ indigenas ſiue autochthones eſſe ſcripſerunt, non ad modũ malè huius animalis teſſera iis conueniret: at eorum quàm abſurda ſit aſſertio, non ſemel à nobis explicatum. Paulus Æmilius, licet errorem de Clodouei nomine creditum amplexus fuiſſet, figmentum tamen hoc ex eiſdem craſſæ ignorantiæ tenebris profectum indignum hiſtoria ſua ratus, longè alia de vetuſtis clariſſimæ gentis inſignibus ſcripſit, quæ vnde hauſerit, vt legiſſe me non memini, ita in præſentia perueſtigare nec lubet, nec eſt opera diligentiore dignum. Ait Clodoueum tribus diadematibus rubris in alba parma depictis tantiſper vſum fuiſſe, dum ſacro fonte luſtratus & cęleſtis muneris chriſmate delibutus fuiſſet; quo loco ſic obiter olei diopeteos fecit mẽtionem, vt ſatis oſtenderit, non pauca eorum quæ rudi quondam ſæculo memoriæ prodita ſunt, ad inflammandum potiùs pietatis ſtudium, quàm ad ſimplicem hiſtoriæ veritatem pertinere. Nobis hoc non agitur: de gentilitiis tantùm Francorum inſignibus quæſtio proponitur:

Buffone inſigni Francos numquã fuiſſe vſos.

Buffonis natura.

Buffo qua occaſione in Francorum inſignibus putetur fuiſſe.

quæ tria diademata rubra fuiſſe non antè Paullo Æmilio credam, quàm quiſquam eius nomine me doceat lilia quàm diademata purpurea plus habere claritatis. Neque enim decuiſſet vel minimum ſplendoris eius inſignibus detrahere, qui vltra terreſtria regna quorum ſceptris potitus antea fuiſſet, nunc recèns etiam factus eſſet hæres regni cæleſtis. Quòd ſi mutatio aliqua hac ex parte vel decora vel vtilis fuiſſet, debuiſſent potius liliis diademata quàm his illa ſuccedere; propterea quòd faſcię regni modò poſſeſſi, lilia ſperati dumtaxat præferant ſignum; quorum hoc illud quanto ſit illuſtrius & antiquius qui neſcit, eum fruſtra docere nitamur. Quoniam itaque Æmilius nullum nobis aſſertionis ſuæ laudauit auctorem, & in ea hæc, quam expoſui, deprehenditur abſurda cum ipſo decoro repugnantia, non poſſum mihi perſuadere, alia ante Chriſtianam religionem, alia poſt Francorum inſignia fuiſſe. Quamobrem aſſerere non veremur, iam inde ab ipſo vetuſtiſſimo gentis primordio horum quæ hactenus videmus, inſignium vſum inualuiſſe: & quò id firmius credamus, eo potiſſimùm adducimur argumento, quòd iis nihil aptius, nihil congruentius potuerit excogitari vel Francorum nomenclaturæ vel promiſſioni diuinæ, ob quam iſtam ſibi indiderunt. Video enim id in omnibus tum hieroglyphicis notis, tum quibuſuis ſignis, ſiue generis ſiue militiæ, ſiue cuiuſuis alterius propoſiti aut inſtituti notionem offerant, diligenter à priſcis illis hominibus obſeruatũ, vt ea quammaximè illis nominibus conuenirent, quibus res quarum ſymbolum gererent, vocarentur. Nolo interim hîc varias inſignium vel cauſſas vel occaſiones perſequi, nec inquirere quanta ſit eorum apud omnes nationes vetuſtas, quanta varietas, quanta cura & religio, cùm ea res & latius pateat quàm præſens hic labor meus extemporaneus ferat, nec cuiquam eſſe queat obſcura in tanta huius tempeſtatis ambitione.

Clodouei inſignia non fuiſſe diademata.

Inſignia cur arma dicantur.

Auentini inſignia.

Vulgus arma vocat, quòd inſignia in armis, maximè verò in clypeis, depingi ſculpique conſueuerint; cuius apud Virgilium inter alia hoc exemplum eſt in Auentino Herculis prole, qui ſeptimo Æneidos libro inter primarios Turni ſocios & auxiliares recenſetur,

Clypeoq́ inſigne parentum
Centum angues cinctamq́ gerit ſerpentibus hydram.

Cùm cuiuis alij poëta militaria inſignia à paterna virtute ſumpta dare potuit, tum ei conuenientiſſimè applicauit, cui præter maiorum decus nihil amplius erat adſcripturus. Vt autem hæc arma paterni generis memoria decorauit, ita plurimi fuerunt quibus ſymbola ad vitam vtilibus præceptis inſtruendam accommodata magis placuiſſe cernuntur. Sic Vlyſſem in clypeo Delphinũ geſtare Lycophron obſcuro illo ſuo Pleiadico lumine nobis indicauit: quo nempe callidus ille ſignificauit, ſeſe eius animalis dotes maximè ſequi velle, quòd ſimul & humanitate, & muſices amore, & ſtupenda celeritate ceteris præſtaret omnibus vel terra vel mari vitam degentibus. Et ſunt profectò id genus inſignia tanto illis quæ de rebus à maiorum quopiam præclarè geſtis accipiuntur excellentiora, quanto habent plus cum artis & ingenij, tum efficacitatis ad animos monitu ſuo perpetuò in officio continendos. Videor mihi, dũ hæc Vlyſſis arma intueor, ipſum dicentem audire:

Vlyſſis inſignia.

Et genus & proauos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra puto.

Homerus ille poëtarum Apollo, animaduertens ſtudioſè à pleriſque generis claritatem in armis præferri ſolere, illuſtriſſimo nos exemplo docere voluit, quidnam illud eſſet quod homines maximè nobilitaret, ac diis ipſis proximos collocaret. Hic enim Achilli ſuo clypei inſignia non à Thetidis, non à Pelei, non à Iouis, à quibus genus ducebat, ſplendore petẽda ſibi putauit, tametſi ab hoc fulmen, quo arma terribilia redderet, potuiſſet mutuari: verùm altius humani animi ſupputans decus, rectam nobis ad veram nobilitatem viam oſtendit. Ea enim clypeo inſculpſit, quorum inſpectu animus noſter ad ſummi opificis rapitur contemplationem; quæ cùm ſummum bonorum complectatur, ſummam quoque abſoluit nobilitatem. Primum enim Vulcanus omnem ſiderum varietatem in ſcuto depingit; deinde pacis & belli artes omnes & officia addit, nulla ferè earum rerum parte quæ ad hominum cœtus bene gubernandos ſpectant, omiſſa: quo quid aliud voluit indicatum, quàm illud firmiſſimum ad omnem malorum impetum propulſandum homini ſcutum eſſe, ſi tota ſeſe ſapientiæ panoplia armarit, atque etiam quibuſuis aduerſitatibus obiecerit? Nec interim otioſam & inertem laudat philoſophiam,

Achillis inſignia.

loſophiam, ſed eam quam ab ordinatis aſtrorum motionibus ad rempublicam gubernandam detraxit: vnà & exemplar & finem rerum gerendarum proponens, vnà ipſius exemplaris inter homines vſum exponens. Videant modò qui totam nobilitatem cædibus & ſanguine metiuntur, quàm longè ab Homerica nobilitate abſint, quamq. nihil habeant cum ea communionis pyrgopolinicæ illi qui ſibi eo maximè nomine placent, quòd nihil vmquam didicerint humanioris diſciplinæ. Conferant hoc ſcutum Achillis qui volēt cum iis in quibus aquilæ, gryphes, leones, pardales, & id genus carniuoræ feræ cernuntur; & examinēt quanto plus ad omnē vim propulſandā illud quàm hęc habeant firmitatis. Hoc enim in ſola philoſophia inuenient quod Latinum ſcuti nomen ſe perfecturum profitetur; at contrà in aquilis & leonibus belluis ad omnem ingenij cultum ineptis, tantum abeſt vt quicquam cernas quòd ſatis virium habeat ad hominem ab aduerſis defendendum, vt ipſæ hæ feræ ne ſeſe quidem vel à minimorum animalculorum iniuriis, vel à viliſſimæ rei obiectu queant tueri. Notius eſt illud de ſcarabeo & aquila vulgò iactatum prouerbium quàm vt ſit nobis repetendum. Iam quid leone minus tutum, cui vel ſola pęnula iniecta omnem adimit animum ad ſeſe liberandum? Quorſum igitur horum imagines in ſcutis præferuntur, quaſi in iis momentum aliquod ſit ad iniurias propulſandas & pericula declinanda? Scutum Latini dictum putant à Græca voce σκῦτος, quo corium denotatur: quos ſi roges, vnde σκῦτος nomenclaturam acceperit, mutos videbis. Nos è Cimbrica lingua & σκῦτος pro corio, & Scutum pro clypeo manaſſe ſcimus; in qua Scut idem eſt quod depello, amolior, tueor; quo fit vt & corio & clypeo inde nomen ſit tributum. Verùm quia nihil æquè atque philoſophia ab aduerſis omnibus tuetur, nihil eius explicatu aptius ad ſcutum exornandum; & quia tantam hic nominis & rei videmus concordiam, non poſſum non ſuſpicari, vel à Thracibus, vel à Phrygibus hanc clypei ſculpturam Homerum mutuatum fuiſſe. Conuenienter admodum his ab Hebræo vate dictum eſt; *Scuto circumdabit te veritas eius.* quo docet in veritate omnis defenſionis rationem contineri. Quoniam verò hæc per ſolam fidem nobis integra confertur, non poſſum non gaudere, dum à diuo Paullo moneri me audio, in omnibus accipiendum eſſe ſcutum fidei, quo cacodæmonis tela omnia repellam. Verùm ſatis hæc obiter ſunto de Homerica ſcuti pictura, re ceteroqui vix multis libris pro eo ac meretur explicanda; quam ſi noſtri nobiles bullatis nugis tumentes bene conſiderarent, non tam ſibi de barbaro ſuo faſtu & liberalium artium contemptu placerent; ſed diſcerent ſeſe quouis potius nomine quàm clarorum dignos eſſe, quando omnis claritas non è robuſtis lacertis & craſſis ſuris, non è Thraſonica arrogantia & palæſtrica armorum diſciplina; ſed ex illuſtribus animi ſapientiæ ſtudiis exculti dotibus exiſtit. Mirabilem ſanè & paradoxum noſtris hominibus, nobilitatem ſuam iactantibus, Homerus ſeſe præſtitit Heraldum. Attamen ſi rectè priſcam Heraldorum æſtimemus dignitatem, deprehendemus eandem de vera nobilitate huius vatis & veterum Heraldorum opinionem fuiſſe: quod, licèt non aliunde, at certè ex ipſo Heraldi nomine conſtaret; quod ſi iuxta veram vocis originem interpreteris, eum ſignificat ſenatorem qui publice ab omnibus in magna eſt veneratione habendus. Atqui quis talis reuera, niſi is qui cana rerum omnium cognitione tum priuatarum tum publicarum ceteris anteſtare ſcitur? quam haud equidem ſcio quî poſſis à ſapientiæ ſtudio, quod philoſophiam Pythagoras indigetauit, ſeparare. Ne tamen quiſquam ſic orationem noſtram intelligat, quaſi ex otioſa diſputationum diatriba Heraldum cenſeamus euocandum, eos demum abſolutos philoſophos iudicamus, qui ex aſtris ad hominum communitatem rectè gubernandam omnem ſuam ſapientiam detraxerunt, eamque multo diuturnoque vſu ſic rebus agendis accommodarunt, vt ceteris magiſtri & veluti architecti quidam eſſe queant reip. & in pace & in bello cum eximia laude adminiſtrandæ. De vetuſtis Francorum monumētis ſcimus, in tanto quondam Heraldos honore fuiſſe, vt regum menſis accumberent, controuerſiarum inter ſummos principes ortarum arbitri eſſent, ſoli denique honorum & dedecorum pro rebus vel bene vel malè geſtis iuſti haberentur diribitores. Manet hactenus nomen ipſum quidem, ſed quàm digni eo ſint, quamque bene munere ſuo fungi poſſint qui Heraldi nuncupantur, malo de re ipſa quàm de meo iudicio cognoſci. Quemadmodum regum maieſtas apud Romanos ad quaſdam exigui momenti cærimonias tota fuit deiecta, ita hac ætate tota Heraldorum dignitas

Scuti etymon.

Scut.

Nobilitas vera vnde exiſtat.

Heraldus quid ſignificet.

Philoſophus abſolutus quis dicatur.

Heraldis quantus honor olim deferebatur, eorūq; officia.

dignitas ex altiſſimo illo ſuo faſtigio ad ſua cuiq. inſignium diſcrimina in armis gerendorum præſcribenda deſcendit,& vix tenuiſſimam veteris ſui honoris vmbram tuetur. Nos igitur neglecto horum iudicio qui præter Heraldi titulum nihil habent Heraldicũ, è vetuſtiſſima Francorum diſciplina Francorum inſignia examinemus. In primis itaq.

Lilia Francorum fuiſſe inſignia Nochi ætate.

lilia tria,quæ hactenus in Francorum regum ſcutis ſpectantur,iam olim Nochi ætate in vſu Francis fuiſſe dico; & illa quidem cælo delapſa,propterea quòd non quæuis lilia,ſed cæleſtia eſſent; nec ea alij diuinitùs data quàm populo Francorum. Longe enim aliter nos diopetea lilia interpretamur, quàm ij qui verarum originum in gentium primordiis perueſtigandis ignari ex craſſa ignorantiæ ſuæ caligine miracula comminiſcuntur. Non negamus magnum miraculum,atque adeò maximum,in liliorum inſignibus deliteſcere; ſed longè aliud illud fuiſſe dicimus ab eo quo vulgo perſuaſum videmus. Sicut enim è diuini oraculi promiſſione Nocho facta Iapetus Franci nomen accepit,ita & lilij cæleſtis accepit inſigne. Quod autem maius miraculum queat cogitari, quàm Nochum ante tot ſæculorum interualla Iapeto prædicere, aliquando fore vt habitet in tabernaculis Semi, & Chanaan ſit ſeruus eius? Si quid vſquam eſt miraculorum, certè nullum miraculum maius,quàm mortalem quempiam futura,quæ ſolus Deus nouit, prædicere; quod tunc Nochum videmus feciſſe;cui rei nulla alia cauſſa quàm diuinus inſtinctus

Lilia Francorum è cælo delapſa.

dari poteſt,ita vt meritò hæc promiſſio diuinitùs non humanitus facta dicatur. Quemadmodum autem promiſſio futuræ felicitatis cælo debetur, ita firma fiducia atq. indubitata promiſſæ felicitatis ſpes è cælo etiam hominũ animis illabatur neceſſe eſt. Quamobrem nihil abſurdi,ſi lilium ſpei ſignum ad Francos dicatur è cælo delapſum eſſe; cùm nihil ſit vſitatius & rationi conuenientius quàm ea ſignis attribuere quæ propria ſunt rerum ſignificatarum. Quando igitur præcipuum hoc munus à Deo Iapeto fuit ſperandum, vt genus ſuum ſingulari quodam modo dilataretur, & præcipuo quodam modo ramos extenderet,meritò non cognomen tantùm Franci ſibi ſumpſit; ſed ea etiam prætulit inſignia quibus tota poſteritas firma felicitatis ſpe à Deo per Nochum promiſſæ ſemper erigeretur, ac magno animo ac certa fiducia perferret, ſi quæ occurriſſent, difficultates. Præuiderat videlicet de cælo tactus Nochus & eius filius Iapetus, nec exiguas nec paucas generi ſuo anguſtias & dolores impendere, quibus fracti animi antea deiicerentur & opprimerentur,quàm felicitas diuinitùs promiſſa cerneretur; niſi perpetuum certiſſimæ ſpei monumentum poſteris reliquiſſent. Quoniam itaque vt vno lilio ſpes, ita tribus ſpes omnibus numeris abſoluta denotatur, rectiſſimè factum, vt Francorum ſcutum tribus liliis inſigniretur,quo nõ minus de hieroglyphico hoc ſigno quàm de nomine Franci certa futuræ felicitatis fiducia in poſterorum animis excitaretur. Videndum ergo an

Lilium ſpei ſymbolum.

lilium ſpei ſignum apud vetuſtos homines habeatur.qua in re vellem mihi Græcos Artemidori Epheſij Onocriticorum libros ad manum eſſe, quo liqueret Liriúmne an Crinon ſpei ſymbolum fecerit: quandoquidem non ignoro,ex vtraque voce lilium verti poſſe. Verùm quia & doctorum hominum, quos conſulere poſſem,præſentia,& librorum copia me deſtitutum ſentio; aliunde cogor quod hac parte deeſt compenſare. Ingens mihi adiumentum

Nummus Claudij.

adfert nummus Claudij, tum ad ſymboli explicatum, tum ad certum lilij genus agnoſcẽdum; cùm ipſa inſcriptio declaret, ſpem lilio denotari,& flos ipſe ſic ſit expreſſus, vt nemini dubium relinquat,quin lilium cæleſte referat, quod à colorũ varietate Iridis nomen ſibi vindicauit. Verùm ne quis ſit vel ambigendi vel tergiuerſandi locus, addam quinque diuerſos nummos, quorum ſinguli ſimulacrum ſpei habent,


Claudij, ex ære.



Alexandri Seueri, ex ære.



Diadumeniani, ex argento.



L. Ælij, ex ære.



Traiani, ex argento.



Hadriani, ex auro.



habent dextra prætendentis eundem florem tam affabrè expreſſum, vt apertiſſimè tria folia cernas, vnum ſurſum aſſurgens,& duo è lateribus ab erecto vtrimque declinantia, quæ formam non lilio albo è Iunonis lacte pronato,ſed cæleſti cæleſtem arcum colorum diuerſitate referenti videmus ad amuſſim conuenire. Guilielmus Choulius, qui quàm plurima numiſmata vernacula huius temporis Gallorum lingua interpretatur, huius floris effigiem ita corrupit, vt ramus oliuæ potius quàm omnino vllius lilij flos eſſe videatur; quod illi eo faciliùs condono, quòd hactenus nemo prodiderit quodnam lilij genus eſſet quod Spei veteres appinxerunt. Quanto Virgilius illius Marcelli amore flagrarit,cui ad decimum octauum ætatis annum mortuo Octauia theatrum erexit, quod hactenus ſemidirutū Romæ cernitur,ipſis etiam Grammaticorū pueris notum. Huius præclaram indolem quàm poſſet maximè illuſtrare volens, tantam eius virtutum ſpem apud populum Romanum excitatam fuiſſe dicit, quanta maiorem vix animi capere poſſent. Hanc quò conuenienti ſymbolo indicaret, magnæ maximarum rerum exſpectationi tandem ſubiecit, *Manibus date lilia plenis*. quaſi diceret, Si Marcellus hîc viuere potuiſſet,tantum ex eo ſperandum fuiſſe Romanis, vt non vno lilio, ſed plenis liliorum manipulis ſpes auguſta eſſet inſignienda. Nec dubitare debemus quin vates hic priſcorum rituum obſeruantiſſimus, de illo flore lilij nomen vſurparit, quem veteres ſpei ſimulacro dare cōſueuerunt: quod ſi ita eſt,cogimur fateri Iridem à Virgilio lilium vocari. Nec equidem de alio lilio Artemidorum intelligendum exiſtimo, quàm de illo ipſo quod in ſacris ſculpturis ſpem denotabat. Quamobrem vt veritas ab omni liberetur controuerſia, clareq. de naturæ & artis collatione cernatur, quódnam lilij genus ad ſpem ſoleat referri,addam numis modò expreſſis hinc Iridis, hinc Crini ſiue lilij Iunonij figuram.

Iris à Virgilio Lilium appellatur.



Quis hîc non videt, tria folia depicta, duo vtrimq. ad latus declinantia,vnum ſurſum elatum? Quis non videt hanc nummorum picturam non cum lilio Iunonio, ſed lilio cæleſti, ſiue cum Iride conuenire? Iam vt nulla in vetuſtis nummis Iridis exſtarent monumenta,ipſa tamē Francorum lilia clariſſimè demonſtrant, nihil ſeſe habere cum Suſinis Perſarum floribus commune, nihilque aliud quàm Iridem referre. Plinius albo Iunonis lilio calathi formam adſcribit, quam qui in antiquis marmoribus non conſpexit,is eam è conuoluuli flore diſcat, quem idem auctor rudimentum eſſe dicit naturæ lilium facere condiſcentis. Hic flos æquè omnibus atque lilium notus alia apud alios nomina ſortitus eſt; Plinius alibi Iaſionem conuoluulum minorem vocare videtur,aiens olus ſilueſtre eſſe in terra repens cum lacte multo, florem ferre candidum, concilium vocari. Theophraſtus huius florem vnico folio conſtare dicit, quod Plinius ad ipſam herbam alibi tranſtulit. Pandectarum materiæ medicæ auctor lilium liguſtrum maiorem conuoluulum nominat,& hactenus ligoneam in parte quadam regni Neapolitani dici, niſi me fallit memoria, ab Antonio Morillono accepi. Hinc conijcio duplex Liguſtri genus veteribus fuiſſe, alterū arborem notam, alterum hanc herbam, cuius florem viliſſimum fuiſſe Seruius teſtatur; propterea nempe quòd omni odore careat: quo fit vt de Cypri flore odorato & Cyprinum vnguentum dante Virgilius intelligi minimè poſſit. Quo enim modo compa-

Lilia Francorum eſſe eiuſdem forma cū Iride.

Liguſtri duo genera.

ratio

ratio conſtaret, *Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur*; ſi æquè vterque flos legi conſueuerit, & maior & præſtantior liguſtri quàm vaccinij vſus fuerit, & tanto quidem maior, quanto vnguenta pigmentis ſunt præſtantiora? Pandectario itaq. gratias agere debent Virgilij ſtudioſi, vtpote ei qui & poëtam ipſum & eius interpretem illuſtrarit: quorum illum pleriq. non intellexerunt; hunc non pauci ſunt calumniati, quaſi quid liguſtri nomine Maro nuncuparit, ignoraſſet. Certè ſi de liguſtro, cuius odoratis floſculis Cyprinum vnguentum conſtat, locutus fuiſſet, magnæ ſe & craſſæ ignorantiæ accuſaſſet; nec dubito quin doctiſſimus vates hunc ſcrupulum lectori obiecerit, vt ad *Amaracus duplex.* accuratiorem ſtirpium inueſtigationem excitaret; quod eum in amaraco quoq. feciſſe animaduerto. quo nomine cùm exiguam herbam à pleriſque omnibus capi videret; voluit indicare, eſſe & fruticem eiuſdem nomenclaturæ; cuius non flores modò ſuauiter ſpirarent, ſed & vmbra à Solis ardore tueretur. Equidem dum eum audio canentem,

Vbi mollis amaracus illum
Floribus & dulci adſpirans complectitur vmbra;

mihi videor in Idaliæ lucis Iaſminum videre, qua nulla planta vel mollior ad omnem flexum topiarium, vel ramorum & foliorum luxu ad vmbram faciendam aptior, vel florum ſuauiſſimè è longinquo adſpirātium odorem gratior, vel ad multos ſimul à Sole *Caſia duplex.* protegendos laxiùs ſe & altiùs expandens. Nec aliter Caſiæ nomen herbæ dedit, odoratæ illi quidem, ſed longè differenti à caſia Indorum: qua tamen in re dum ſemel humiles, iterum virides caſias dixit; ſatis oſtendit, de illa ſeſe caſia loqui quam, Higino teſte, Græci Cneoron vocarunt. Sed hæc nihil vel ad lilium vel ad liguſtrum lilij rudimentum; de quo propterea accuratiùs egi, quò ex eius cum inſignibus Francorũ comparatione veritas tandem in lucem emergeret. Scio in ſymbolis non accuratam ſemper picturæ rationẽ obſeruari; ſed & illud ſcio, aliqua ſaltẽ tenus res ipſas lineamentis eſſe repræſentandas. Quòd ſi quis calathũ depicturus, lilium quod vel in ſpei dextera vel in Francorũ ſcuto videmus, imitaretur; an non eum velut cõmunis ſenſus expertem exploderemus, & ne gryllis quidem pingẽdis iudicaremus admittendum? Sed quid, dicet aliquis, ſi lilia Francorum inſignia ab omnibus vocentur; quid ni lilia illa intelligamus *Iridem liliorum nomine appellari.* quæ liliorum nomine ab omnibus intelligũtur? Neceſſarium mihi video vt oſtendam, non Suſinos tantùm flores, ſed Iridem quoque liliorum nomine cenſeri. Apud medicæ artis profeſſores nihil clarius eſt, quàm iridem cæleſtis lilij nomenclaturam habere, & inter iridis nomenclaturas cæleſtis quoque appellationem videmus. Cùm verò lirion *Lilium Græcus Lirion.* Græcorum & lilium Latinorum ſola vna littera differre videātur, dubitet meritò quiſquam, an hi ab illis, an contrà illi ab his, an verò ex alia lingua nomen ſuum ſint mutuati. Lirion certè Hippocrates pro Iunonio lilio poſuit; vnde lirino vnguento nomencla- *Lirinum vnguentum ſiue Suſinum.* tura, quod ab aliis Suſinum vocatur. Pollux ab Homero quoduis floris genus Lirij vocabulo intelligi ſcribit: Philinus verò Lirion ad Violam & Crinon ambiguum facit. Apollonij interpres hunc è primo Argonauticorum libro verſum,

ὡς δ᾽ ὅτε λείρια καλὰ περιβρομέουσι μέλισσαι, ſic accipit, vt quemuis florem hoc nomine intelligat. Non carent igitur illuſtrium virorum ductu medici, qui cæleſte lilium Iridem nominarunt; quādo lilium cum lirio eandem habet ſignificationis cauſſam. Quòd ſi Hiſpanos rogemus, omnia Iridis & Narciſſi genera ſeſe Lirij nomenclatura dignari dicent, & cùm Iunonis lilia nominare volunt, Suſini flores, nõ liria audiuntur. Theophraſtus Narciſſum Lirion vocat, non longè ab Hiſpanorum conſuetudine recedens. Nos itaque lilium & lirium commune nomen faciemus, tum ad Suſinos flores, tum ad omnia Iridis genera, quorum permagnam nouimus diuerſitatem: ob quam *Spei teſſera.* vel ſolam liliorum merentur principatum. Quamobrem licet omnes flores ſpei teſſeram gerere videantur, propterea quòd è floribus fructus ſint ſperandi; à priſcis tamen hominibus Iris maximè hunc accepit honorem, vt ſpem firmam & indubitatam deſignaret: quam meam aſſertionem cùm vetuſtiſſimæ & numiſmatum Romanorum & inſignium Francorum imagines confirmant, tum vera etiam Dioſcoridis lectio extra omnem collocat dubitationem. Nimis audaces, ne dicam impudentes, illi fuerunt qui varia ſingularum herbarum nomina principiis capitum in Pedacio veluti adulterina & ſpuria ſummouerunt; cùm & in antiquiſſimis exemplaribus ea legantur, & plurimum adferant ad quamplurima veterum ſcriptorum loca intelligenda momenti. Corrupta eſſe

eſſe pleraque fateor, & in iis procliues fuiſſe errores ſcio; ea maximè de cauſſa, quòd quàm plurima vti peregrina & à vulgi cognitione remota facilè potuerint ab orthographia ſua detorqueri: quod ipſum in Iride factum fuiſſe luce ipſa clarius reddam. Nam in eius variis nomenclaturis mox ab Illyrica, quæ vox à præſtantia datur, vocabulum ſequitur à nemine prorſus intelligendum. Quid enim, ô bone Mercuri, Thelpida ſiue θελπίδα, vt alij legunt, ſignificat? Marcellus Virgilius pro, Thelpide; Thalpide legi poſſe ſcribit: mihi iucunda ea accidit ſcriptura quæ Epſilon conſeruauit; propterea quòd antiquitatum ſtudioſis apertè demonſtret veram genuinamque lectionem. Quid enim clarius, quàm ſi legas ἶρις, οἱ δ' Ἰλλυρικὴν οἱ δ' ἐλπίδα; Vide nũc obſecro quàm facilè è Delta cum apoſtropho, Theta factum ſit ab iis qui cur Iris Elpis vocaretur, ignorabant. Iridem itaq. alij Elpida, id eſt, ſpem nuncuparunt, propterea quòd apud priſcos viderent Iridis flore ſpem denotari. Quando itaque de nomine & ſymbolo conſtat, quærendum videtur qua de cauſſa ad ſpei notationem Iris maximè ſit vocata. Eiuſdem nominis eiuſdemque ſymboli multas cauſſas veteribus nonnumquam fuiſſe cerno; quòd nimirum quæ ad poſteritatis memoriam eſſent propaganda, ea grauibus rationibus nixa eſſe vellent, quò complura copioſè docerent. In primis itaque ad arcum cæleſtem ſpectaſſe mihi videntur huius in flore teſſeræ inuentores, eo quòd color floris triplicem arcus cæleſtis colorem imitetur, atque ea de cauſſa nomen Iridis ſortiatur; nec alia item ratione Thaumaſtos vocetur, quia nimirum Thaumantis filia iris eſſe fingatur. Quid verò arcui cæleſti cum ſpe? Perſpicuum eſt è ſacra diuini Moſis hiſtoria, arcum à Deo in nubibus collocatum, vt eum intuentes certam fiduciam conciperemus, nunquam iterum orbem terrarum diluuio coopertum vaſtatúmque iri. Vocauit enim eum arcum fœderis quo ſe hominibus obligauit; non illud quidem de meritis vllius, ſed de pura puta ſua gratia & incredibili in genus humanum fauore pactus. Inde Iris Iunonis nuntia dicta, eo quòd ſingularem Dei fauorem, quoties apparet, nobis annuntiet. Quid enim aliud Iuno quàm Jun hot/id eſt, caput fauoris, ſiue, quod idem eſt, fauor omnium fauorũ princeps, quo non regna modò, ſed quæuis etiam alia munera à Deo gratis conferuntur. Vnde Iuno ſoror & coniux Iouis ab Orphicis dicitur; ſoror quidem, quia ab eodem patre procedit; vxor verò, quia fauoris gratia æterno coniugio Deo copulatur. Verùm de hoc fœdere & myſtica eius intelligentia Theologi diſſerant: nobis ſufficit, ſi conſtet Iridis monitu certam ſpem declarari, quæ promittat genus humanum diluuio non amplius periturum. Et hæc quidem myſtica Iridis notatio diuinitatis plena; nunc ad naturalem. Elegans æquè atque admirabile ſignum concordiæ elementorum in arcu cæleſti videmus, quandoquidem puniceo colore aqueum elementum, flauo igneum, viridi terra, herbis ceteriſque plantis veſtita deſignatur. Videtur itaque Deus nobis hoc ſigno polliceri, ſeſe effecturum, vt igneus calor ſic inter terram & aquam interueniat, vt iuſto temperatóque humore terra herbis vireſcat, vt omnium animantium vitam alat atque tueatur. Cùm ergo iris numquam fiat niſi ſolis & nubis aquoſa præſentia, atque horum moderata miſtione ſpes omnis agricolarum ſuſtineatur, meritò firmæ ſpei ſignum habebitur non de diuino tantùm promiſſo, ſed de naturali etiam ſignificatione, in qua & Solis calorem, & temperatum humidum, & terræ virorem, qui ex illis enaſcitur, cuiuis licet videre. Miranda eſt hîc ternarij vis, non in arcu modò triplici colorum diſcrimine oculis ſubiecta; ſed in Iridis quoque flore multis modis obſeruata. Præter enim tres diuerſos colores quibus cæleſti arcui reſpondet, ac meritò nomen ab ipſo ſibi ſumit; in foliis quoque tum in medio ſtantibus, tum in declinantibus, tum in medio horum latentibus, triadem ſeruat, nec eam negligit in malleolis ſiue linguis inter folia mira elegantia aſſurgentibus. Adde quòd & calicem triquetrum proferat, & trino hiatu ſemina ſiue baccas inde excludat; adeò vt nihil ſit in rerum natura quod tam accuratam ternarij rationem in omnibus ſequatur. Nam ſi folia ſubducas, ter tria inuenies; quo numero angelorum choros & abſolutam omnium rerum conſtructionem circa vnum & trinum regem admirabili ſymphonia explicatam imitantur. Sit ergo prima & ſimpliciſſima ratio ob quam certam ſpem & fiduciam Iris deſignat, quòd Deus ipſe arcum cæleſtem eſſe voluerit certum promiſſionis ſuæ ſignum, quæ cælo ad florem deſcendit. Altera de naturæ ſinu petita docet, tantiſper omnium rerum vbertatem & affluentiam exſpectari à nobis debere, dum igneus calor flauo colore denotatus aqueum

Iris cur ſpei ſymbolum.

Iris cur Iunonis nuntia.

Iunonis etymon.

Iris elementorum cõcordiæ ſignum.

Ternarij vis in Iride.

elementum iuſta moderatione temperabit. Accedit nunc alia ſignificationis cauſſa, maximas ſpei in hominibus vires claro exemplo demonſtrans. Præter enim eas quas modò dixi Iridis præcipuas eſſe dotes, aliud quoque animaduertas oportet. Quid in aduerſis omnibus aliud nos ſuſtinet atq. erigit quàm firma ſpes Deo innixa? Hoc autem an non egregiè Iridis natura nos commonefacit, quæ, nihili faciens aut niues aut brumales rigores, perennia folia ad cælũ tollit; & id quidem ea figura quæ ex lato in acutum tendens pyramidũ & flamarum in modũ vitam nobis ſignificat ſempiternam? Eſt hoc proprium ſpei, vt ſemper ſurſum feratur omnia penetrans & euincens obſtacula mortalibus in hoc terrenæ vitæ ſtadio ſemper infeſta. Hinc Cimbricus ſermo ſpem Hop/ quaſi dicas, He op/ id eſt, quod altè erigit & attollit, appellat: quo fit, vt in eo nulla ſpes nomẽ hoc mereatur, quæ animum noſtrum non ad ſublimia & excelſa eleuet atq. ſuſtollat. Id autem ſi herba quapiam velis expreſſum; quid poteſt eſſe ſignificantius, quàm ſi eam ponas quæ folia habet longiſſimo acumine cælum petentia, contẽpto omni frigore terreno; & cùm tandem florem profert, cuius colores in cælo videmus? De hac pyramidis figura & vita per eam denotata alibi latiùs ſcripſi; nec video cur eadem hîc mihi ſint iterũ explicanda. Qui volet, noſtrũ Aleph conſulat, & cum alaudis epitymbidiis cælum aſcendere conſueſcat; quod vbi fecerit, non otioſè Iridis folia ſpectabit. Verùm licet hæc modò annotata non contemnendum pondus habere videantur ad ſymboli rationem adſtruendam, nihil tamen ſunt præ illis quæ ex ternario in floris foliis ter repetito à ſolertibus ingeniis intelligentur. Quid aliud rogo ſpes noſtra ſibi præfigit, quàm cælum ipſum; non illud quidem corporatum & in octo orbes diſtinctũ, quod oculis noſtris quotidie vſurpamus; ſed longè ſublimius & nobilius, quod in nouem orbes Angelorũ diſtributum eſſe illi nobis aperuerunt, quorũ mens ad tertium vſque cælũ aſcendit? Spes itaque non ad cælos tantùm, quorum lumen haurimus, ſed longè altiùs ad ter trinos intelligentiarũ ordines mentem noſtram euehit, non antè quietura quàm ad ſublimẽ hunc nouenarium, qui flos eſt omnium rerum creatarum, adſpirauerit. Hoc eſt illud quod Hop à noſtris vocatur, quo videlicet id intelligitur quod excellentia in ſublime euehendi ceteris præſtat. Colorum ergo in Iride varietate primùm ad excelſa inuitamur; at vbi ad florem ipſum in folia ſua explicandum venimus, mox totum ſpei fundamentum & vltimum terminũ in partes ſuas diſtributum videmus. Longus hîc ſim, ſi doceam in ſpe tria contineri; fidem nimirũ eorum quæ Deus pollicetur, firmã deinde fiduciam ea quæ credis conſequendi, ac tandem ad eius perfectionẽ deſiderari ipſum illud quod certa ſpe exſpectamus; quod citra amoris glutinum nulli vel mortalium vel immortaliũ contingit. Quamuis ergo ſpei donum ſimplex ſit, fundamenti tamen & termini ratione ternariũ poſtulat ad ſui perfectionem: Iam ipſa perfectio non poteſt homini obuenire, niſi ad cælum illud in nouem choros diſtinctum adſcendat, quod ter ternis foliis in Iridis flore mirabili artificio coniunctis denotatur. Et, vt cernas maiorem teſſeræ vim, conſidera in illo cælo apicẽ rerum omnium ſperandarum triadem eſſe, primum nempe fontem & vltimum finem omnis ternarij ad res creatas deſcendentis. Quòd ſi hæc pro rerũ maieſtate & auguſta amplitudine excutienda eſſent; aliud ingenium, aliud mẽtis lumen, aliam orationẽ poſtularent: nobis ſatis eſto viã ad arcana hæc myſteria indicaſſe, quæ vellẽ ſanè à diuiniore quopiam myſtagogo clariùs illuſtrata quàm anguſtus mentis meæ captus admittit. Vt igitur breui ſumma complector omnia, ſola ſpes regni cælorum Cimbrico ſpei nomine, quod eſt Hop/ digna eſt quæ optimo iure eo flore deſignatur; quæ primùm arcus cæleſtis ſimilitudine ad cælũ vocat; ac deinde nouenario tres ternarij ordines complexo, illud regnum nobis demonſtrat quod ſpe pleni à patre noſtro velut hæreditatem noſtram & rogamus quotidie, & firma fiducia exſpectamus. Agnoſcamus ergo in Hop non He-op modò, quod eſt, altè attollentes; ſed & Hau-op/ id eſt, ſuſtineo quicquam ne concidat: quod & ipſum proprium eſt eius ſpei quæ patri noſtro cæleſti per filiũ innixa, nos in omni aduerſitate, in omni oppreſſione, in omni carnis & Diaboli impetu à caſu ſuſtinet ac tuetur, omniq́ue malo ſeruat ſuperiores. O mirabile vocis trilitteræ artificiũ! ô mirabilius floris ter triplicis ſymbolũ! ô mirabiliſſimã religionis Chriſtianæ & priſcæ Cimbrorũ diſciplinæ concordiã atque ſymphoniam! Dixit, non recordor quis, nec nauẽ vna anchora, nec hominẽ vna ſpe beneſecureq́ue teneri; minimè id dicturus, ſi hanc noſtrã ſpẽ diuinitus infuſam agnouiſſet. Hæc enim ſola ſpes in omnibus miſeriis nos conſolatur, ſuſtinet, atque malis quibuſuis

Spei Cimbricum vocabulum. Hop.

Spei natura & partes.

Spei regni cælorum, vis & efficacitas.

deprimentibus reddit altiores; & id quidem quamdiu in nobis viuit, tanta facit conſtantia, vt non antè nos ſit deſertura quàm voti compotes, & in ter trino regno ipſius Trinitatis obtutu reddat beatos. Hæc ſpes fallere non poteſt; quia eius fidit promiſſis qui non verus modò eſt, ſed ipſa veritas omnia vera reddens: ceteræ ſpes vanæ ſunt, vti illis nixæ fundamentis in quibus nihil firmum, nihil ſtabile, nihil perpetuò verum inuenitur. Græci vocis eius qua ſpem nominant, nullam domi ſuæ reperient originem; tametſi fuerint qui ἐλπίδα ἀπὸ τοῦ ἕλκω, quod eſt traho, detorſerint; tanta eſt Gramma- *ἐλπίδος etymon.*
ticorũ vel ineptia vel impudentia. Noſtratibus Help idem eſt quod iuuo; vnde Help-wis, ſiue more Flãdrico, Elp-wis, id quod auxilij certum eſt vocamus. *Help.* Quid verò ſpes ea de qua nobis ſermo, aliud eſt quàm firma animi fiducia, qua certi ſumus Dei auxilio nos à mortalitatis malis liberatum iri, & in cæli ciues cooptãdos eſſe? Proprium igitur & præcipuum ſpei donum eſt, vt nos certos reddat eius auxilij quod ceteris omnibus auxiliis immani interuallo præſtantius eſt. Ex Elp-wis itaque, ea littera exempta qua Græci carent, ἐλπὶς fieri videmus; vocem, ſi ad originem vocetur, id expreſſuram quo ſpes vera definitur. Latini Spero habent, & à ſpero ſpes; nec illi quidẽ cur in ea ſignificatione hoc *Spero vnde deductum.*
verbo vtantur, vlla ſana ratione explicaturi. In Cimbrico ſermone Spar non aliud eſt quàm parco; quo fit vt ex eo quod ſpei proprium eſt vocabulũ Latini fuerint mutuati. *Spar.*
Nihil eſt quod hominẽ magis affligat quàm triſtes cogitationes, & aſſidui vel præſentium vel inſtantiũ malorũ dolores. His qui totum ſe tradit abſumendũ, nę is parum ſuiipſius parcus aut eſt aut dici poteſt. Quod igitur remedium, ne quis ſe ad hunc modũ eat perditum? Quod aliud quàm firma ſpes firmo innixa fundamento, fore aliquando vt præſentibus malis liberatus beatiſſimo vitę genere perfruatur? Hac itaq. vocis origine moniti nobiſipſi ſemper occinamus, *Durate & voſmet rebus ſeruate ſecundis.*
Parcite vobis, parcite; ne ſinite animos à malis vinci, ſeruate vos integros futuræ felicitati, quam pater æternus vobis promiſit. Vt omnia nos deſerant, omnia præſentẽ mortẽ intentent; ſola tamen ſpes numquã nos prodit, at ſemper adeſt conſolando hortandoq., vt nobis ipſi parcamus, nec malis aut præſentibus aut inſtantibus ſuccumbẽtes antè nos perdamus quàm ſpes nos ad æterna gaudia perducat. Ceterùm nullus finis eſſet futurus, ſi ſpem vnicum humanæ vitæ præſidium omnibus ſuis dotibus exornare vellemus; ſufficiat modò leui opera demonſtraſſe, vnde Græcus, vnde Latinus vocũ ſuarũ natales petere poſſit. Hebræorum enim voci בָּטַח, vti rei ſacræ, manus meas profanas non admouebo; tametſi nihil mihi facilius eſſet quàm eos vltra radicem hanc ad priores verbi deducere rationes. Quid enim nobis apertius quàm Bot wacht, quo auxilij & remedij exſpectatio, qua ſpes definitur, denotari nemo non noſtratium intelligit. Verùm quoniã quas ſibi ſpes è Cimbrico ſermone voces in aliis linguis mutuetur oſtendi, facere non poſſum quin & Lilij nomen, vnde Lirium ad labdaciſmum vitandum deductum videtur, ad veram originem vocem: quod quidem eo faciam lubentiùs, quòd inde clarum exiſtet, ſignificationis vim è ſymboli ratione pendere. Rogaui Græcos, rogaui Latinos, ecquid haberent quò vel lilij vel lirij vocabulum referrent, ſed fruſtra rogaui. Nos Leli *Lilium quam habeat ſua nomẽclatura rationem.*
pro lilio dicimus, vocem manifeſtò demonſtrantem, rem à ſe denotatam propriè ad ſpem pertinere: quando Lee-li nihil aliud eſt quàm moleſta perfero; ſiue, perpetior dolores. Videor mihi audire illos Horatianæ citharæ Sapphicos modos: *Leli.*

Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram ſortem bene præparatum
Pectus: informes hiemes reducit
Iuppiter: idem
Summouet. non, ſi malè nunc, & olim
Sic erit.

Eſt quiſquam tam vel rerum imperitus vel mentis inops, qui non ſentiat nos ad duriſſima quæque perferenda ſola ſpe excitari? Optima in aduerſis illius eſt exhortatio conſolatioque qui canit, *Perfer, & obdura, dolor hic tibi proderit olim.*
Nec aliud Heſiodus voluit in aſpera virtutis via depingenda:

τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν. id eſt,
Sudorem ante locum virtutis dij poſuerunt.

& cetera quæ nota ſunt; quibus quid aliud ſignificat quàm præcipites illas rupes & difficiles, quibus virtutem ſeptam canit, potiundæ virtutis ſpe ſuperari?

Manet ſub Ioue frigido
Venator teneræ coniugis immemor,
Seu viſa eſt catulis cerua fidelibus,
Seu rupit teretes Marſus aper plagas.

Quid rogo hunc tam duros labores ſubire facit, quid moleſtias perferre docet? An non ſpes capiendi eius cui inſidias machinatur? vt bene Socrates apud Grylli filium: Horridas ventorum procellas, & ipſiſſimam morté nautæ vectoréſque ſolius ſpei præſidio patiũtur. Si denique nihil tam durum eſt quod ſpes non iubeat perferri atque tolerari, vllum aptius nomé ad ſpei teſſeram denotandam reperias illo quod à moleſtiis doloribúſque tolerandis inditũ videmus? Frequenter illo Platonico axiomate cogor vti, quòd voces multis linguis communes illius facit vernaculas & proprias in qua vera earũ ratio inuenitur: è quo efficitur, Liliũ nec Græcis nec Latinis natales ſuos debere, ſed primogenio ſatu ad noſtratem linguam, quæ veram eius oſtẽdit originẽ, pertinere. Facilis autem fuit ipſius ε-longi, quod eſt in Leli/in ει. Iota apud Græcos, & I longũ apud Latinos mu-
Lelius. tatio, quam alibi quoque factam eſſe animaduertas. Vetuſtiſſimi tamen Romanorũ Lelium videntur dixiſſe, quod equidem è nomine Lelij conie cto, hominis de copioſo & illuſtri Ciceronis præconio celeberrimi. Vel dicant mihi Latinorũ Grammatici, vnde Leliorũ hoc nomen deriuetur: vel, ſi id facere nequeant, permittant ſe doceri non pauca id
Cimmeriorũ multa vocabula in Ladio remanſiſſe. genus nomina è veterum Cimmeriorum ſermone in Latio relicta olim fuiſſe: quod vetuſtæ Romanorum traditioni conſentaneum eſſe non externis, ſed domeſticis ipſorum teſtimoniis perſpicuum reddam. Fatẽtur enim cùm alij, tum Varro & Feſtus Pompeius,
Sabini. Vmbri. quàm plurimas Latinorum voces origine Sabinas eſſe. Atqui Sabinos Vmbrorum gen-
Galli veteres. tem eſſe Zenodotus Troëzenius tradidit; quod & ipſe locorũ ſitus videtur probare. Vmbros verò veterum Gallorum fuiſſe ſobolem Bocchi diligentia deprehẽdit. Iam veteres Gallos primùm Iapygiam habitaſſe, & in ea oram Senonum à Plinio etiam commemoratam, & Galliopolim celebre hactenus opidum, mox etiam Galatam aliaſq. vrbes condidiſſe in Gallicis commentariis demonſtro. Nihil itaque abſurdi, ſi quæ vocabula à Romanis ad Sabinos referuntur, ea nos è Gallico, qui idem eſt cum noſtrati ſiue Cimme-
Terentij etymon. rio, interpretemur. Terentij nomen à Sabino repetunt fonte; in quo Terenum pro tene-
Teere. ro inueniunt. Vbi nobis mox liquet Terenum à noſtro Teere formatum eſſe. Talli item
Talli nomenclatura. prænomen Sabinũ eſſe Feſtus confitetur; at quid ſibi velit non exponit. Nobis manifeſta
Tal. eſt eius & ſignificatio, & vera ſignificationis cauſſa. Tal enim, à vocali breui, eũ denotat qui idoneus eſt ad quoduis munus cum laude obeundum; vti cùm dicimus, Tis een tal man/cuius ratio è compoſitione Te-al/id eſt, ad omnia, manifeſta eſt cuiuis ſermonis no-
Numa notatio. ſtri perito. Numa vox Sabinorum eſt, nemine refragante: nos Numan pro homine nouo dicimus, à vocali in altera vocis parte correpta; quam ſi producas, nouam Lunam denotabit. Vbi videmus vtrouis modo vocabulum idoneũ eſſe, vt fauſtũ ſit prænomen. Vale-
Titi nominis ratio. rius Titi prænomẽ Sabinum quoq. facit, nulla vocis addita interpretatione; licet Feſtus aliam quandam, ſed ineptam & analogiæ repugnantem rationem ſubducat. Sermo no-
Tit. ſter eum Titũ vocabit qui tẽpore opportuno natus eſt, quod per Tit vocali producta ſignificatur. Prolixus ſim & moleſtus ſi plura id genus vocabula perſequar; & ſunt alioqui pauca exempla ſatis, vt eorum guſtu habito, cetera auidiùs quærantur. Sed quid ego ad Sabinos confugio, vt ex illorũ antiquitate doceam multa ad Romanos veniſſe, cùm ipſi Romani gentili ſua origine ſint Ianigenæ, nomẽ à Cimmeri ſiue Comeri patre ducẽtes? Quod ſi ita eſt, quid alieni dicam, ſi dicam priſcum Latinorum & Cimmeriorum ſiue veterum Galatarum eundem fuiſſe ſermonem; atque inde adeò illud eſſe, vt complures voces ſint Latinis in frequenti vſu, quarum tamen vt nullas ipſi in linguæ ſuæ theſauris cauſſas inueniant, ita noſtrates ſignificationis rationem habent apertiſſimam.
Caius. Caius Latini à Gaudio deriuant; quàm bene, ipſi viderint: noſtris hominibus quid Gai
Cneus. denotet, eſt vnum de notiſſimis, de quo alibi copioſè. Cnæi prænomen Græcum faciũt, non alia de cauſſa quàm quòd nihil habeát domeſticæ in hac voce rationis, nec cauſſam
Gnai. de ſuo reddere poſſint cur per G vox ſit efferenda. Nos ſcimus Gnai clementiá & miſericordiam notare, atque inde fauſtiſſimum nomen principum virorum filijs poſſe deriuari. Quid multis? Infinitam pænè eſſe vocum Latinarum ſiluam quæ luculentas è lingua noſtra habent origines aliàs docebo. hîc ſufficiat oſtendiſſe, miri nihil eſſe ſi Lelius vox

lius vox ſit à noſtra Leli deriuata; quod ſi res ita habet, vti habere nihil dubito, inter fauſtiſſimas & feliciſſimas nomenclaturas hoc vocabulum fuerit collocandum. Is ergo meritò Lelius vocabitur, de quo maxima ſpes tum concipitur cùm nomẽ imponitur, quaſi cum Virgilio præcinatur: *manibus date lilia plenis.* Latini primam ſyllabã per æ diphthongũ ſcribunt, nos ipſum e, quia longũ eſt, & duo tempora habet, geminamus: ſuperiores Germani Leit pro Leet dicunt, vnde Græcis λείριος. Quidam tam patulo ore pronuntiant, vt Lait audias; nihil vt mirum ſit, ſi Veteres illi Lac Lium dixerint. Lai idem nobis eſt quod onero. Leet vel Leit vel Lait moleſtia, dolor, quicquid denique graue eſt: Vnde Lee Lien eſt moleſtiarum omniumq; eorum quæ oneri nobis ſunt & dolori patientia: quæ notio ſatis declarat eodem modo lilij nomen ad florem veniſſe, quo vocatus eſt à Græcis ἐλπίς; ſumpta videlicet ratione ab eo quod antiquiſſimi patres floris huius ſymbolo denotare voluerunt. Quamobrem bene noſtrates Lelie dicunt, ex eo quod proprium Spei eſt ducta nominis cauſſa; qua in re adeò non errarunt, vt ab eodem Spiritu videantur incitati cuius afflatu D. Paulus dixit: *Spe ſalui facti ſumus. Spes autem quæ videtur non eſt ſpes. Nam quod videt quis quid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam exſpectamus.* Idem nos Chriſti ea conditione facit cohæredes, ſi cum eo patiamur. Sed hoc iterum iam mox. Rideant modò qui volent hanc noſtram etymologiam; ſed rideant ea lege, vt ipſi nos doceant quicquam rationi & veritati magis conſentaneum: quod quamdiu non fecerint, nos aſſeremus lilij vocabulum de primogenia ſua notatione priùs Iridi magnæ cæruleæ quàm ceteris floribus conuenire, tametſi vulgus & plerique omnes eruditi ob veræ rationis ignorantiam vocem albo maximè lilio, quod è Iunonis lacte extitiſſe fabulantur, dare cõſuerint. Suſan autem, quod nomen apud Syros eſt & Babylonios & ceteros vicinos, à quo Suſinum oleum dictum eſt, quam apud Chaldæos vel Hebræos habeat ſignificationis rationem, aliorum committam labori; hoc tamen præterire non poſſum, à Suten ſiue Suſſen, quod dulce reddere nobis ſignificat, vocabulum deduci videri; eò quòd ſpes quaſuis moleſtias, quoſuis labores, quaſuis ægritudines dulces reddere conſuerit. Vt interim de medica floris facultate, qua grauiſſimi quique dolores dulceſcunt, nihil dicam. Ceterùm quia lilium ad etymologiam vocaui, videtur & ſua Iridis voci ratio deberi: quæ tamen, quia ambigua eſt, non parem fortaſſis adferet voluptatem. Græcis placiturum video, vt ἶρις ab ἱερὶς per contractionem dicatur; quaſi conſecratricem quandam eſſe velint: quibus equidem non poſſum admodum repugnare; quamquam neſcio quî fiat, vt ex Heer-eet, quo Domini iuſiurandum denotatur, deriuare malim, vocali ſecunda longa in tertiam mutata; vt in Lilio factum videmus. Maiorem enim in modum vetuſtas voces cum ſacris literis conuenire cerno; adeò vt ab eiuſdem ſpiritus afflatu videantur proficiſci. Præter enim illud quòd arcus in cælo ſignum ſit fœderis Dei iure-iurando initi cum mortalibus, accedit & altera ratio de Spei fundamẽto petita. Quia enim Deus iurauit, nos certam ſpem concipimus, & ea in exſpectatione gaudij ſempiterni fouemur. Verùm hæc quia moroſis ſtomachis exilia fortè videbuntur, & nimis curioſè ex originibus Cimbricis perquiſita, annotanda potiùs obiter putaui quàm iuxtà ac merentur diligenter examinanda, ne quamuis minutas anſulas ad ſermonis noſtri myſteria exaggeranda ſtudioſè nimis arripere dicar: & ſunt alioquin hæc quæ de primo vocabulorum ortu afferuntur nimis hactenus cruda, ijs præſertim ventriculis quos necdum exacuit Hermathenæ meæ promulſis. At vt omnia id genus bellaria nauſeabundi homines vel non ſint attacturi, vel etiam euomituri; non poſſum tamen committere, vt non & hoc addam vocabulum, Liſch quo hodie noſtrates pro omni Iridum genere vtuntur, apertè docere, nihil æquè ad præcipuas Spei dotes atq. hanc herbam, de illorum iudicio qui nomen indiderunt, pertinere. Li idem notare quod patior & perfero dicunt Latini, in nomine lilij oſtendi. Hinc Liſich ille vocatur qui inſigniter patiens eſt, & omnia in futurũ differens faciliimeque perferens, præſentia tranſire. qua de voce conciſa (vt noſtrates ſunt monoſyllaborum perquàm ſtudioſi) Liſch formatur, nomen non alij virtuti conueniẽtiùs quàm Spei, quæ firmæ fidei innititur, & per patientiam vitam exſpectat æternam, applicandum. *In tempus* (inquit Sapiens) *ſuſtinebit patiens.* At quid facit vt in futurum ſuſtineamus? an fortè aliud quàm firma Spes firmam nobis meliorum præbens fiduciam? Quid aliud dixit Diuinus ille Vates canens, *Tu es patientia mea Domine*, quàm

Margin notes: λείριος. — Lai. — Leet. Leit. Lait. — Suſan' nomẽclaturæ ratio. — Iridis notatio. — Liſch. — Li. — Liſich. — Patientia Spei ſoboles.

ſi dixiſſet, *Spes mea Deus.* Eôdem & illud ſpectat, *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Neque alia eſt poſſeſſio noſtra quàm ſperata beatitudo, ſola digna nomine poſſeſſionis, & hæreditatis. Quod apertius luculentiúſque teſtimonium deſideres, quo docearis, patientiam Spei ſobolem eſſe, quàm illud quod modò è D. Paullo ad Romanos ſcribente citauimus? At eundem audi Hebræis loquentem ad hunc modũ: *Cupimus autem vnumquemq. veſtrum eandem oſtentare ſollicitudinem ad expletionem ſpei vſque in finem, vt non ſegnes efficiamini; verùm imitatores eorum qui fide & patientia hæreditabunt promiſſiones.* Confer in his Apoſtoli verbis ſpem & patientiam, & mox cernes quam inter eas agnouerit cognationem. Idem eoſdem alloquens, *per patientiam* (inquit) *curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.* Hîc vídemus clariſſimè, fidem Spei fundamentum, & gaudium Spei finem, ad quem patiendo & ſuſtinendo peruenitur: qua re bene perſpecta & expenſa, miror ſi quis tam ſtupidus aut plumbeus ſit, vt non admiretur inſignem hanc vocabuli Liſch cum ipſa veritate conſenſionem. Agnoſcamus in ipſa herba creſcẽdi patientiam, quæ ipſis petris & ſaxis erũpens ſeſe perquam exigua terræ vligine ſuſtentat: & tam iniquo iniquæ matris alimento cõtenta folia longa profert in acumen igneum exeuntia; admonens nos, vt quamuis exiguis terræ bonis contenti longanimes, vt ſic cum ſanctis viſis loquar, ſimus vſque in finem ſupremum, per acumen denotatum. Quod ſi fecerimus, non ſecùs atque Iris è duris ſaxis flore ter triplici coronabimur, & fructu ipſius Trinitatis in odore ſuauiſſimo perfruemur. Conſidera obſecro diligenter ſingula, res ipſas cum vocibus conferens; diſpeream niſi fatearis, nullam teſſeram poſſe inueniri ad ſpem denotandam aptiorem. Spes noſtra firmata ſuper petra quæ eſt Chriſtus: Iris è petris potiſſimùm cernitur exilire, ne quamlibet quidam exſuccás maceriem ornatu ſuo dedignata. & in his tam duris natalibus tamq. exili nutrimento tanta ſeſe ſuſtinet conſtãtia, vt omni frigore, omni gelu, omnibus niuibus, omnibus ardoribus, omnibus deniq; cæli terræq; iniurijs contemptis, in pulcerrimum ſeſe induat florem. Quòd ſi cuipiam hîc lubeat comparationem prolixè perſequi, næ is habiturus ſit ſpatia latiſſima de virtutibus & vitijs, de religione & impietate; deq. omnibus huc ſpectantibus concionandi. Iam mox & illa occurrent quæ de facultatibus huius herbæ copioſiſſimam materiam ſuppeditabunt. Iris poſt diluuium omnem aquarum noxam terris ademit. Iris herba in aquis è corpore humano ſaluberrimè deponendis habet principatum: Spes & patientia omnes perturbationum vndas ſuperant, & totum tentationum oceanũ tanta tranquillitate componunt, vt non modò non faciant naufragium, ſed reddant etiam ipſum materiã augendæ ſibi felicitatis. Et ſicut nihil eſt in omni plantarum genere quod vnum tot adferat humano corpori remedia, ita patientia nihil eſt mortalium animis ſalubrius & præſentius ad omnia omnis generis mala profliganda atque frangenda. Optimè Lucanus cecinit: *Gaudet patientia duris.* ſed illud innumeris antè ſeculis illi monuerunt qui ſpem Iride ſignarunt, & à patiẽtiã germana germanæ Spei ſobole Iridem Liſch, id eſt, inſigniter patientẽm vocauerunt. Quamuis ergo varia ſint Liliorum genera, nullũ tamen æquè vel Lilij vel Liſch nomen atque Iris meretur, adeò vt non poſſim ſatis mirari, vtrumq; vocabulum, & illud quod antiqui in Italia Cimmerij reliquerunt, & hoc quo noſtrates hactenus vtuntur, ab eadem natum eſſe radice, patientiam denotante. Sed ſufficiant hæc de Spei teſſera; de quã licet ſexcenties plura à me dicerentur, tamen ne ſexcẽteſimam quidem partem eorum quæ latiſſimus cõtemplationis huius campus complectitur, explicarem. Et ita me Spes firma fiducia ſuſtentet atq. augeat, vt quanto diutius ea quæ ſeſe vltrò obtrudunt conſidero, tanto plus cerno myſteriorũ. Expoſui modò cauſſas aliquot ob quas inter varia liliorum genera Iris potiſſimùm ſpei habuerit ſignificationem: quibus neceſſariò & alia coniungenda, inferior illa quidem, fortaſſis iis quas enarraui, verùm talis tamen, vt vel ſola ſatis habeat momenti, quo lilia ad ſpem denotandam accipienda eſſe videantur. Quamuis enim omnes flores fructum videantur polliceri, vnus tamen in toto genere ad ſignorũ multitudinẽ & confuſionem euitandã ad ſpei notam fuit eligendus. Quamobrem illud genus maximè placere debuit, in quo maxima eſſent per varias formas ſiue ſpecies diſcrimina, quibus nimirum ingens ſpei copia & diuerſitas notaretur. Et quia Spes in herba potius eſt quàm in vlla re ſolidiore, herba magis quã frutices vel arbores idoneæ

Iridem petroſis & exſuccis locis prouenire.

Iris cur potius quàm alia liliorum genera ſpei ſignificationem habeat.

idoneæ viſæ ſunt ad huius ſignificationis vſum. Iam nullũ nobile & inſigne herbæ genus inuenias in quo tanta ſit diuerſitas formarum quanta in liliis; & iis præſertim quæ cæleſtia ſiue Irides vocantur. Vt enim Suſinos flores omittamus qui liliorum ſibi nomẽ apud pleroſq. omnes vſurparũt, videamus quàm variis diſcriminibus Irides diſtinguantur, quas ſolas vnà cum Narciſſis Hiſpani Liriorum nomine dignantur. Alia itaq. bulboſa, alia non bulboſa. Bulboſa rurſus varia; alia florem profert coloris cærulei ſaturati, odoris nullius; quæ, quòd ex hortis Anglicis, quibus tamen peregrina fuit, primùm in Belgium ſit allata, Anglica à noſtratibus appellatur; alia florem habet luteum, & odoris nonnihil, ſed perparum, è Luſitania ad nos tranſuecta, & inde ſortita nomen; alia ſpecies odoris ſuauitate eximia eſt, colore cæruleo albeſcente, quã Vallis Dolitana ad nos miſit; ad quam in ſiluula quadam dextris Viſurgis ripis incumbenti non ſemel à me viſa eſt, quamquã non illic tantùm, ſed plurimis aliis locis eandẽ cõſpexi. Eſt aliud genus quod Hiſpani *Nocellas* vocant, propter radicis rotunditatem. Id ego rurſus in duas formas diuiſum animaduerti, maiuſculũ & minuſculum; huic dodrantalis altitudo, illi ſeſquidodrantalis; minori tamen flos elegantior, & pro magnitudinis portione maior. Vtrumque genus Guadaloupæ frequens vidi, nec rarũ in agris Placentinis. Videtur & illa Iridis forma quam Matthiolus Hermodactylum nuncupauit. Reſtat alia ſpecies vel primo honore digna, tũ propter elegantiam & magnitudinẽ floris, tum propter odoris ſuauitatẽ. Cùm Paci Iuliæ cum duabus ſororibus Leonora Franciæ & Maria Hungariæ Reginis auguſtæ memoriæ heris meis ad aliquot hebdomadas agerẽ, ſæpe in ſuburbanos agros excurrebam, partim animi ambulationiſq. cauſſa, partim explorãdi ſtudio, ecquid illic rarioris plantarũ generis inueniretur. Quid ni enim in amœniſſima planicie & cælo hiberno mitiſſimo id facerem, qui ſummis laboribus Alpeis frequẽter ad ſumma vſq. glacialium rupium cacumina perreptaſſem, vt Apenninum interim & Pyrenæos & Tornauaccios & Guadlupios ſaltus omittam, qui nõ citra copioſum ſudorem me crebrò fatigarunt, & rurſus anhelantẽ ſuaui varij herbarũ generis ſpectaculo refecerunt? Eſt Pax Iulia opidum egregium, amplum, & latorum frequentia virorum perquàm elegans, ad nouem leucas infra Auguſtam Emeritam in ſiniſtra Anæ fluminis ripa, cùm hæc ſit in dextra, collocatũ. Ex eo Luſitaniam verſus pons lapideus extructus eſt elegantiſſimus, fornicibus, ſi rectè memini, pluribus quàm triginta perquàm latè patẽtibus & excelſis, in cuius exordio ara eſt quadrata, perampla, & ſedilibus è cæſo lapide cincta; in qua palmæ ante vrbis portas plantatæ indicare videntur, hunc ceteris pontibus omnibus operis magnificentia eſſe præſtantiorẽ. Hunc tranſgreſſus ad dextram in dextra fluminis ripa collem ſaxoſum modicè aſcendentẽ videbis, in cuius Auſtrali cliuo magna copia Iridis modò indicatæ luxuriat: quod cùm Cluſium Hiſpaniam cum vno Fuccarorũ petiturũ monuiſſem, iſq. ita rem habere deprehendiſſet, monitu ſuo apud Brantiũ effecit, vt eius bulbos in hortũ ſuum transferri curarit; Brantium, inquam, illum qui Machliniæ cùm ob ceteras generoſiſſimas magni atq. liberalis animi dotes omnibus eſt in admiratione & honore, tum ob ſingulare plantarũ ſtudiũ, quas incredibili ſumptu ex omnibus orbis plagis adferri ſibi curat, alterum ſeſe demonſtrat Chironem, aut potius vnicum regibus exemplar, vt Europam ceterarũ totius orbis partium plantis exornare contendat. Qui citra labores & graues impenſas quidquid vſquã vel in montibus vel in vallibus eſt herbarum in exiguo theatro cernere volet, & examinare, & examinatum aliis vel præſentibus vel poſteris depingere, is Brantij hortum frequentet; qui breuiſſimo cõpendio ſuppeditabit quod non ceteris modò rhizotomorum anteſignanis admirabile videatur; ſed quòd omnes omnium de plantis ſcriptas hiſtorias infinitis & generibus & generum formis excedat ac vincat. Eſt itaque Lirion hoc quod primùm ad Pacem Iuliam equidem conſpexi, inſigni bulbo præditum, folia vtrimq. ordine è regione ſibi poſita, in acumen è lato, in enſis formam tendentia profert; ſed non ferè dodrantẽ illo in loco excedentia; nec plura ferè quàm terna vtrimq. vigent inferioribus iam marcore collapſis. Inter hæc media vagina prodit in geminũ folium, & illa mox hiatura, è quibus flos in breuiſſimo ſcapo emicat, Iridis colore & figura & eximia odoris ſuauitate. Tota herbæ altitudo pumila eſt, & ſeſquidodrantem illo in colle vix vnquam attingens. Duo habet genera, alterum ſuauiter purpureum, alterum candidum florem promit; quorum vterque lilij propemodum æquat magnitudinẽ, & folia herbæ lilij Iunonij folijs nõ ſunt anguſtiora.

Iridis variæ ſpecies.

Pax Iulia opidũ Hiſpaniæ deſcribitur.

Et hæc quidē Iridis bulloſæ genera nobis hactenus cognita,& has primùm claſſes à Ioāne Biſoto altero Botanicorum principe in hortis ſuis & hortorum commētariis digeſta. Idem nobis præiuit in Iride non bulboſa in formas ſuas diuidenda. In hoc genere alia magna,alia media,alia minima. Magnam vocamus eam quę plebeis noſtris hortis communis eſt,folia tria pendentia variis coloribus habens depicta, quorū pars ſupina cæruleo eſt,in medio ſuo dorſo cilio flauo bene denſo inſignis,pars inferior vireſcit: quorum colorū diſcrimine Iridem cæleſtē refert,& inde Vranij lirij nomē ſibi ſumpſit,quod aliis quoq. formis cōmunicauit. Meritò itaq. hæc magna vocatur, vtpote in qua ſimilitudinis,à qua nomen acceptū princeps cauſſa eſt,atq. idcirco dum Iridem dicimus,hanc potiſſimùm intelligimus,& ab hac ratio pendet cur Spei ſymbolū lilium factū ſit. Quamobrem dum Elpidis nomen pro herba vſurpatur, hæc intelligenda eſt; & quia patientia ſpei proles per nomen Lelij ſiue Lilij denotatur, rationi conſentaneū eſſet, vt dū lilium ſimpliciter dicimus, hanc Iridis ſpeciem intelligeremus: quod cùm ſcirent qui primi Francorum inſignia pinxerunt,hanc lilij propriè dicti formam imitati ſunt,non alterius quod ob ſolam ſimilitudinē quandam exilem in nomenclaturæ venit communionē. Eſt & altera magna,purpureo colore magis rubēs, odore ſambuci flores æmulata. Succedit Luſitanica nobis dicta à commigratione,quæ bifera eſt,& colorem habet ex cæruleo & rubro miſtum,odorem ſuauem vehementer ſpirans. Additur deinde Illyrica quædam à Pantio in Belgium miſſa,colorem præferens cæruleū. Annumeratur & magnis quæ ad aquas creſcit,luteum florem oſtentans,cui radix rubens & inſigniter adſtringens, tantū abeſt,vt vel acorus ſit, vel acoro ſubſtitui poſſit. Mediæ magnitudinis Iris duplex annotatur,altera foliis latioribus,altera foliis anguſtioribus. Minimarū alia cærulea,alia lutea, alia alba,alia lineas violaceo inſcriptas,alia non inſcriptas habens. Iam & à Pantio ex Illyride tranſmiſſa duplex,& inde apud nos nomen ſortita. Minima autē omnium foliis eſt oblongis anguſtiſſimis, flore cæruleo citra cilium flauū. Hæc omnia genera tam bulboſarum quàm non bulboſarum Ioannes Biſotus in horto ſuo Bruxellano, & Brantius Machliniæ excolūt; vnius ſolius hactenus flore deſtituti,quam nos ad pontē Pacis Iuliæ ipſa bruma florentē vidimus,qua apud nos omnia gelu conſtricta & niuibus obruta deliteſcunt. Non procul ab eodem loco,principio Ianuarij maximus ille Narciſſus, vehementi odore cerebrū feriens,magna florū candidiſſimorū ſilua eminus è ponte intuentibus ſuauiter arridebat: quibus è floribus coniecturam facias, quàm clementes hiemes illa Hiſpaniæ ora ſentiat. Iam ergo conſtat, non alias modò ob cauſſas Iridem ſpei ſignū meritò haberi, ſed ob eam quòd hic flos magna formarū varietate diffuſus ſpem videatur oſtēdere copioſam.Quamobrē conuenientiſſimū rationi,vt hoc ſymbolū eius arma inſigniret,cui ſpes diuinitùs confirmata fuiſſet, fore aliquando, vt eius poſteritas inſigni præ ceteris felicitate frueretur. Iapetus ergo qua ratione Francus fuit nuncupatus, eadē ratione ſpei ſignū ſibi ſumpſit; & illud quidē in vno ſcuto triplex pinxit,tum quo triplex ſpes,quæ duorū quoq. fratrū portiones pollicebatur,indicaretur; tū quo ſolida ſpei perfectio ternario,quem modò explicaui,intelligeretur cōtineri. Quamuis itaq. hæc per ſe ſatis manifeſta ſunt,quia tamē nihil ęquè pręcipuū veritas habet,quàm quòd per omnia ſibi ad amuſſim conſentiat, nolo hîc omittere pulcerrimā quādam vocis Europæ & triū liliorū concordiam. Neq. enim hæc cum Franci magis quàm cum Europæ nomenclatura quadrare cernentur, ſi rectè quidem hæc de prima Ianigenarū ſiue Cimmeriorum lingua examinetur. Habet Iris ſpei ſignū, & eius quidē firmæ & Dei iureiurando nixæ. Habet & Europæ vocabulū ſpei excellentiam cōpoſitione ſua cōprehenſam. Quis ergo non admiretur hanc nominis & ſymboli conuenientiā, ſi diligenter expēdat quid Iapeto fuerit promiſſum,& quid nomine eo,quo portio eius denotatur,ſit expreſſum? Aliàs crebrò monui,non vnam Cimbricarū vocū rationē frequenter inueniri; ſed eas ſic non rarò cōponi,vt ex eiſdem litteris aliud & aliud, ad rei ſignificatæ proprietates ſpectans, intelligatur. In harum numero eſt Europ, à qua voce Græci & Latini Europæ nomen acceperunt. Primùm enim ſic pronuntiari poteſt,vt magna & excellens hominum turba ſignificetur,quam Deus per Nochū Iapeto videtur polliceri. Quàm verò Iani poſteritas pręſtantiſſimorum hominū numero ſemper abundarit & hactenus abundet,neminem,qui hiſtoriæ modò cōmunis & ad omnes diuulgatæ nō ſit imperitus, latēre poteſt. At quoniam in Beccelelanis hac de re ſcripſiſſe memini,hoc loco diutiùs in eadem non mora-

Iridis non bulboſa genera.

Francorū lilia in quo Iridis genere ſint.

Europa & trium liliorū concordia.

Europa notatio.

morabor;ſed ad eam tranſibo notatioñe quæ ad propoſitam nobis ſpei teſſeram propius ſpectat. Ea ergo ſeruata pronũtiatione qua Hop ſpem deſignat,idem erit Europ quod excellens ſpes omnium eorum quæ per E denotantur. Quàm autem varia E deſignet,Hermathena noſtra tradit,quæ omnia tamen eadem ratione vnionis comprehendũtur. Primùm enim & ante omnia E vnum ſignificat,ac deinde ea quæ primùm ab vno manare intelliguntur.

E, Cimbricæ vocis variæ ſignificationes.

Hinc igitur E pro iureiurando ponitur,quod ſic cum vno eſt conuinctũ,vt nullo modo queat diuelli. Omne enim iuſiurandum Vni innititur,adeò vt ipſum vnum per ſeipſum iuret,atque niſi vni iuramenta omnia innitantur,iuramenta dici nec debent nec poſſunt;eo quòd ad vnionem duorum vel plurium nequeant pertinere.

Iuſiurandum vni innititur.

Eo enim iuramus, vt alterum eiuſdem nobiſcum reddamus ſententiæ, eamq. doceamus cum ipſo Vno,à quo Verum numquam ſeparatur,conuenire. Hanc ergo notationem ſequentes, Europ ſic interpretabimur, vt excellens iuriſiurandi ſpes ac fiducia dicatur. quæ propriè illius eſt, cui excellens promiſſio iureiurãdo eſt ſancita. Quicquid autem Deus pollicetur, id ab ipſo Vno proficiſcitur,& ipſi Vni indiuidua ſocietate ſemper vnitum eſt;atque idcirco vero iureiurando,quod per vnũ fit,confirmatur. Inter cetera igitur Dei promiſſa illud primum meritò locũ ſibi vindicat,quo recepit fore,vt caput ſerpẽtis à ſemine mulieris conculcaretur;qua via & ratione legitimo connubio hominum communitas cum ſponſo ſuo,quem reliquerat,rurſus coniungeretur. Huius autem promiſſionis ſpes & fiducia vt ad omnes æquè homines atque ad Ianigenas ſpectat,ita quodam modo ad Europæos magis quàm ad ceteros ſpectat;propterea quòd Deus priùs voluerit populũ ſuum electum & à Semo genus ducentem Ianigenis ſubiici quàm magnum illud promiſſum expleretur. Adde quòd ſceptro à Semigenis electis ablato,& Chami filiis Ianigenarum imperio ſubiectis,mox religio in Europam ſedẽ ſuam eſſet tranſlatura:adeò vt ſpes hæc omnium gentium communis,præcipuo tamen iure quodam ad eos pertineret,qui imperio eorũ ad quos promiſſio ſpectaret, eo ipſo tempore quo expleretur, eſſent potituri. Gaudeat ergo hoc ſuo nomine Europa,quo ſpes hæc tam eximia denotatur; & annitatur omnibus viribus,vt honores ſibi à Deo contributos perpetua poſſeſſione tueatur;nec committat,vt primaria Chriſtianæ religionis ſedes aliò transferatur. Cum his inſigniter conuenit oraculum illud à Virgilio de Ara Maxima ab Hercule Romæ conſtituta commemoratum:

Ara maxima Romæ à Notho cõſtituta.

Hanc aram luco ſtatuit, quæ Maxima ſemper
Dicetur nobis, & erit quæ Maxima ſemper.

Herculis nomine Nochum frequenter accipiendum eſſe tum alibi,tum in Indoſcythicis tradidi. Quomodo verò & quando Nochus aram Maximã Romæ erexit? Tum nempe, cùm Iapeto hanc religionis ſedem latè inde ſeſe per totũ orbem ſparſuræ promiſit. Et quia diuino inſtinctu monebatur,illic olim hanc promiſſionem completum iri, ipſemet vltimum ſibi domicilium Latium delegit,hinc Iani filij ſui præſentia,hinc promiſſi fiducia extremam ſuam ſenectam ſolaturus ; cuius rei memoriam apud idoneos teſtes inuenies , ſi illud quidem antè cognoſcas , Nochum à Cimmeriis Saturnum propter ſeminis excellentiam vocari ſolere . Si quiſquam enim vmquam variis honorum titulis, certè Nochus vel maximè fuit decorandus.

Nochus cur ſibi Latium ſedem ſumpſerit.

Nochus Saturnus dictus fuit.

Quamobrem vel ob hanc promiſſionem, factam illam quidem toti generi mortalium,ſed tamen ad Ianigenas peculiari quodam modo pertinentẽ, vel ob alteram illam quam patris conſecratio verbis à Spiritu ſancto præeunte conceptis expoſita continebat,Iapeti portio Europa meritò nuncupatur,id eſt, præſtans quædam iuriſiurandi ſpes , ſiue excellentiſſima fiducia concepta de promiſſione à Deo, cuius verba iuriſiurandi vim habent , Nocho inſpirata.

Europa Iapeti portio.

Quòd ſi Europam interpretemur iuxta ſignificationem ipſius E ; qua legitimum connubium denotat,excellens connubij ſpes erit;quæ non eſt diſtincta à primæ promiſſionis fiducia. Quoniam verò per connubium Deo vnimur,vnionis etiam ſpem Europa denotabit. Verùm ante omnia hæc vocula E ipſum Vnũ notat,è quo reliquæ ſignificationes analogica quadam conſecutione dependent,atque hinc efficitur, vt Europæ nomine excellens ſpes ad Vnum tendens intelligatur, citra quam nemo mortalium ad ſolidum gaudium poteſt peruenire. Hoc eſt nimirum illud Vnum quod ipſa Veritas dixit eſſe neceſſarium,ſententia breui illa quidem verborum contextu comprehẽſa,attamen omnes totius vitæ rationes hac exigua colligens ſumma. Quamobrem inter cetera Ger-

mani

mani Europæ hæredes perpetuò portionis ſuæ nomenclatura monentur, vt præ ceteris omnibus ingenti fiducia & firmiſſima ſpe ad ipſum Vnum ferantur; ſciantque, non tam ſperandam eſſe terræ poſſeſſionem ampliorem, quàm ipſum ipſius Vnius fructum ſempiternum. *Sperandarum rerum meta.* Hic igitur ſummus rerum ſperandarum apex eſt, hæc extrema omnis fiduciæ humanę meta, ad quam priora illa tendunt; promiſſum nimirum iureiurando diuino firmatum, & verum connubium inde conſecutum; quorum vtrumq. eadem vocula Cimmeriis denotatur. Vide quò nos Europæ nomen vocet, vide non aliud eo commoneri quàm illud ipſum quod Deus Marthæ reſpondit, vt nimirũ non multis occupemur, verùm ad vnum illud, quod ſolum neceſſarium eſt, magna ſpe feramur. Quando itaq. hæc ſpes tota cæleſtis eſt, & ad cælum rectà contendit, eo conueniẽtiſſimè flore denotabitur, qui & ipſe cæleſtes colores imitatur, & inde nomen ſortitus eſt. Nunc itaque clarè cernimus qua de cauſſa Iapetus & Franci nomen, & liliorum cæleſtiũ inſignia accepit, eadem deſtinatam ei portionẽ Europæ nomenclatura indigetatam fuiſſe. Miror ſi quis tam ſenſu omni careat, vt pulcerrimam hanc rerũ & ſymbolorum conſenſionẽ non admiretur, & non magis admiretur ſic linguã noſtram cum ſacris Moſis libris quadrare, vt inde videri poſſit vocum ſuarum rationes mutuari. Quis alius verè dici queat Francus quàm is quem Deus dilatat, & læta poſteritatis luxurie propagat? Cuius potiùs Europa ſit poſſeſſio quàm eius qui præſtantiſſima vnionis atque adeò ipſius vnius ſpe ſeſe erigere & ſuſtinere iuſſus eſt? Cui lilia cæleſtia cæleſtis ſpei ſigna conuenient, ſi non ei qui ſumma ſperat bonorum? Omnis autem hæc ſpes, quam Deus præcipuam eſſe voluit Ianigenarum, promiſſione tabernaculorum Semi nititur. Quæ autem fuerint tabernacula Semi quæ Iapetus erat habitaturus, D. Paullus Romanis exponit, dum dicit, Iſraëlitas adoptione Dei filios fuiſſe ad gloriam deſtinatos, teſtamento facto hæredes legem & promiſſa & ipſum tandem Chriſtum in carne accepiſſe. Hæc omnia in Semi erant tabernaculis, ad quæ, reiectis Iudæis propter incredulitatem, Ianigenæ ſunt admiſſi. Quid ni ergo Iapeti portionem ab excellenti ſpe nuncupatam eſſe dicamus, & nuncupatam quidem Europam ab eo cui Dei ſpiritus futuram hanc dictabat felicitatem? His rebus curſim magis quàm pro myſtica arcanorum latitudine in ipſis comprehenſa explicatis, atque eò deductis, vt lilia Iapeti & communia poſterorum omnium inſignia videantur; reliquum eſt vt aperiam quid cauſſæ fuerit, cur non omnes æquè Ianigenæ atque vna Cimmeriorũ pars *Liliorum inſignia cur Franci potiùs quàm reliqui Ianigenæ ſumpſerint.* ea in ſcutis ſuis pingẽda curarit. Non opus eſt longo hìc orationis ductu, cùm eadẽ quæſtio de Francorum quoq. nomine in vna gente dumtaxat vſurpata queat moueri. Variæ nomenclaturis, quibus nationes & populi diſtinguuntur, olim cauſſæ fuerũt, quarum eæ præſtantiſſimæ mihi ſemper viſæ ſunt, quę res nobis cõmemoratu digniſſimas ex vltima vſq. humani generis antiquitate repræſentarent. Quãuis igitur omnes Iapeti poſteri ab vno Iapeto deſcenderẽt, non omnes tamẽ ab Iapeto nomẽ ſibi ducere debuerũt, ſi vellẽt quidem vllo nominũ diſcrimine diſtingui, pro eo ac oportebat, & nominũ ratio, quæ diſcernẽdi cauſſa gentibus ceteriſq. rebus induntur, poſtulabat. Alij igitur ab Iapeto, alij à propinquioribus parentibus, vt Cimmerij & Aſcanij & infiniti alij nomina duxerũt; & *Iapeti poſterorum varia nomẽclatura.* rurſus qui ab Iapeto, in vno Iapeto varias diuerſorum nominũ cauſſas videntes, non paruam ſibi inter ſe fecerunt diſtinctionẽ. Alij enim ab Iapeti gaudio, vt Iapyges primi Italiæ incolæ; alij ab eius perpetuo diſcurſu, Ianigenæ; alij ab eius ſapientia, Sacæ; alij à ſacrificiis ab Iapeto ad ſuam & ſuorum cuſtodiam frequentatis, Thuſci; & iidem ab eximia in eo veritatis contemplatione, Hetruſci; quæ nomina ob indiuiduam rerum ſocietatem eidem genti contributa. Alij Gallorum ſibi nomẽ ſumpſerunt ex eo quòd Iapetus cum ceteris ſemper omnibus, tũ Deo maximè ac patri ſtuduerit placere. Et, ne prolixi ſimus, cùm alij ab aliis dotibus in eodem parẽte illuſtribus nomina duxerint, Franci à lata palmitum propagatione Iapeto promiſſa, vt antè docuimus, ſunt nuncupati. Quod cùm ita ſit, æquum fuit, vt ea ſibi ſumerent inſignia quæ eidem nomini ſignificandi poteſtate reſponderẽt: non illa quidem quaſi ſibi iure quopiam præcipua, ſed quò ipſi ſicut nomine, ita inſignibus omnes commonefacerẽt, eam omnibus fortiter ſpem concipiendam eſſe quę diuino iureiurando fundata nos omnes in domũ Semi, id eſt in regnum Semi poſteris ſingulari prærogatiua diuinitùs promiſſum atq. cõceſſum, deduceret; ac cæli & ipſius Vnius faceret hæredes, quò tota cõſecratio Iapeto facta referatur neceſſe eſt. Nam illud quod adiectũ eſt, *Chanaan erit ſeruus eius*, vt à vulgo cognitam ſub imperio alterius ſeruitutem


uirutem relatũ veritatem ſuam tuetur, ita ſi altiùs examines, miros Ianigenis theſauros pollicetur, quos ex impiorum manibus raptos in ſanctos vſus ſint conuerſuri. Sed de hoc alibi opportuniùs. Poſthac itaq. non ægrè feramus, lilia ab vna gente vſurpari, cùm non ſic vſurpētur quò propria eorum intelligantur; ſed quòd proprium hoc ipſis à maioribus officium datum fuerit, vt quemadmodũ nomine, ita inſignibus omnes eius ſpei memores redderent, qua Iapetus à Deo erectus eſt ad illius regni poſſeſſionē exſpectandā quod Semi poſteris fuerat priùs addictum. Hæc autem ſpes tanto fuit excellentior quàm ſpes Semi, quanto ipſa cum Deo Vnio ſempiterna vnioni ad aliquot dumtaxat ſæcula duraturæ. ac deinde fœdo diuortio diſſoluēdæ, qualis fuit Iudaicæ gentis, antecellit. Qua de cauſſa hæc regni æterni poſſeſſio per Chriſtũ ad Iapeti poſteros transferenda optima cōpoſitionis ratione E-Vr-Hop; & contractis duabus primis vocalibus in diphthongum, additaque terminatione Latinorum, Europa nuncupatur. quæ vox terræ portioni, Iano in tripartita illa totius orbis diuiſione à patre tributæ, conuenit illa quidem, at non tam ſui quàm eius hæreditatis conſideratione, quæ de ſempiterno Dei coniugio ſperabatur. Quamuis enim Europæ nomen tertiæ terræ portioni Romani imperij ratione rectè tribuatur, infinito tamen rectiùs ob illius regni ſpem quod in Dei cōnubio & vnione conſiſtens à Iudaica gente ad Europæos ſingulari quadam principatus prærogatiua tranſlatum eſt, & hactenus à mille quingentis & eo amplius annis poſſidetur. Gaudeant itaque Franci tum nomine ſuo, tum inſignibus nominis vim & notionē eximia teſſerà exprimentibus: ſed ſic gaudeant, vt non obliuiſcantur, ſpem hanc communem eſſe omnium Ianigenarũ, nec magis ad ſeſe quàm ceteros pertinere, tametſi ex eorum ordinatione qui nomen & inſignia dederunt ipſorum partes ſint, vt ceteris hominibus omnibus certiſſimam regni celeſtis propagandi ſpem præferant, & perpetuo & nominis & liliorum monumento promiſſionis Iapeto factæ memoriam refricent atq. conſeruent. Quòd ſi hæc bene ac diligenter, pro eo ac deberent, Franci expenderent & ruminarent, non poſſent non permoueri atq. vehementer incitari, vt ceteris Chriſtianis ad religionem latiùs propagandam ſeſe præberent anteſignanos, quales ſe eſſe debere & nomine & inſignibus profitentur. Vt bene Chriſtianiſſimi cognomen cum Franci nomine & liliorum inſignibus conuenit, ac diuino quodam inſtinctu inditum videtur, ita & eos qui hæc ſymbola & nomina à maioribus acceperunt pudere deberet, nos non modò Aſiæ & Africæ poſſeſſione depulſos eſſe, ſed optimam etiam Europæ partem amiſiſſe. Sed quia huc me rerum ſeries deduxit, vbi quicquid veri dici poteſt conuitij loco haberetur, ſatius eſt calamum cohibere quàm mordaci veritatis aceto tenellas purpuratorum aures radendo odium accerſere, & eos irritare crabrones qui voces ſibi moleſtas frequenter per inciſum iugulum cogunt redire. Pudeat, pudeat nos Francorum nominis, cùm illis includimur anguſtiis, vt non modò palmites noſtros in aliorum fines extendere non poſſimus, ſed noſtris etiam terminis excludamur; videamuſq. Turcam in ipſa Europa imperij ſui ſedem collocaſſe, vel Francorũ nomen & amplæ ſpei ſigna deponantur, vel qui ea vſurpant tales ſe in Chriſtiana religione propaganda præbeant, quales de titulis ſuis volunt videri. Verùm & hæc & his affinia Satyras magis quàm antiquitatum commentarios decebunt; quæ ſi Iuuenalis quiſquam vel eminus per tranſennam videat, mox exclamet: *Vltra Sauromatas fugere hinc lubet & Garamantes.* Nos potiùs fauſto omine Francica noſtra claudamus, & quæ bonis auſpiciis cœpta ſunt, ea feliciore exitu coronemus. Dedi modò aliquot numiſmata, quibus oſtendi & lilio ſpem denotari, & lilij formam non cum Iunonio flore, ſed cum Iride cōuenire: nunc addam corollarij loco nummum longè elegantiſſimum qui non clariſſimam tantùm cæleſtis lilij effigiem excuſam, ſed inſignem etiam continet exhortationem, vt magna fiducia Orientem inuadamus, ſi modò quæ alij ad hunc finem propoſita ſunt reip. Chriſtianæ applicemus. *Hoc corollarium deſideratur.*

FINIS.

Ioh. Goropij, piæ memoriæ, Hiſpanica, Francica, Gallica, Vertumnus, Hermathena, & Hieroglyphica, eiuſdem ſunt eruditionis cum iis operibus quæ viuus edidit. Nec quicquam in his libris à me, aut ab aliis eſt animaduerſum quod fidem aut morum integritatem lædat. 21. *Sextilis,* 74.

Ioh. Molanus, Apoſtolicus & Regius cenſor.

HISPANICA
IOANNIS GOROPII
BECANI.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini
Architypographi Regij.
cIↃ. IↃ. LXXX.

Sᴠᴍᴍᴀ ᴘʀɪᴠɪʟᴇɢɪɪ.

Rᴇɢɪs Priuilegio ſancitum eſt, nequis *Opera omnia Goropij Becani partim antehac impreſſa, ſed ab ipſo emendata, partim verò non impreſſa*, integra, vel eorum partem aliquam, citra Chriſtophori Plantini voluntatem, à die cuiuſq. editionis abſolutæ intra decem annos, imprimat, aut alibi impreſſa importet venaliáue habeat, ſub pœna confiſcationis librorum: vt latiùs patet in literis datis Bruxellis pænultima Nouembris. ᴍ. ᴅ. ʟxxɪɪɪɪ.

Signat.

I. de Witte.

ORNATISSIMO

DOCTISSIMOQ. VIRO

CORN. PRVNIO,

Chriſtophorus Plantinus S.

VENIVNT AD TE, vir clariſſime, Hiſpanica Ioan. Goropij Becani illius cuius viui amicitiam cum fide coluiſti, & mortui memoriam ſanctè cuſtodis. Meritò ad te non ſolùm quia ad amicisſimum: ſed etiam quia, ſi quis alius in hac vrbe, veterem antiquámque doctrinam ſequeris & amas. Cuius generis, quod te non fugit, cùm omnes Becani libri ſint: tum iſte egregios & non promptos theſauros complexus eſt reconditæ antiquitatis. Itaque habe, vir prudentiſſime, hoc munus per me, & non à me. cuius tamen aliqua gratia iure mea, quia hæc opera teſtificor non commodi mei cauſſa vulgari, ſed reip. & poſteritatis. Cui ſæpius tractata hæc ſcripta (non enim inſpicere ſatis eſt) plus vtilitatis allatura ſcio, quàm ſplendidos & ſuperbos labores multorum. Vale. Antuerpiæ XIIII. Kal. Septemb. cIↃ. IↃ. LXXX.

INDEX RERVM ET

VERBORVM IN

HISPANICA.

AB, *Abba. i. pater.* 12,32
Ac. 26
Acam vrbs. 76
Acanthus. 96
Ἄκος. 26
Ada. 19
Adam. 13
Adama dicitur terra. 13
Adonis cur apri dente fingatur occiſus. 110
Aegypti reges Buſirides multi. 88
Aegypti reges Pharaones multi. 88
Aegyptiorum ſecunda feſtiuitas in Buſiride vrbe cur ſoleat celebrari. 87, & ſeq.
Aegyptias voces dicunt eſſe, voces ex Moſis libris non intellectas, Rabbini. 80
Aela vrbs. 76,78
Aelurus. 41
Aetas prima, Barbariſmus; ſecũda, Scythiſmus. 10
Africam principio habitarunt Chami poſteri. 34
Agenor vocatus Nochus. 63
Ago,is. 29
Ailat Græci malè pro Elut verterunt. 78
Ain Hebraicæ litteræ vera pronuntiatio. 5
Al 66
Alb, Alben. 14,66
Alba 13,66
Albania vnde dicta. &c. 13, & ſeq.
Albania alit canes generoſos. 15
Albaniæ fertilitas & indoles. 15
Albaniæ limites. 15
Albaniæ opida à Tubal condita. 15,16,17.
Albanus fl. 15
Albani qua via in Iberiam penetrarint. 20
Albanorum militia. 15
Albion. 13
Alp. 13,66
Alpes. 13
Ἄλμη. 81
Alphabetorum duo genera, quorum vtrunque precationem cõtinet. 10
Alyba. 66
Alyzones. 66
Amalecitæ vbi habitarint. 100

A.

Amanus mons arborum fertilis. 65. *terminus Aſiæ minoris, & terminus habitationis filiorum Iapeti.* 36,40
Amarus,a,um. 91
Ana fl. 54
Annius Hiſtoriographus. 2,4,6, & ſeq.
Antipater Tarſenſis Philoſophus. 64
Antiquarij. 12
Antiquitatis ſeruandæ ſtudium laudatur. 12,15
Antiquus dierum, dictus Deus pater apud Danielem. 12,60.
Aprilis menſis. 111
Aqua. 26
Ar. 62
Arabicus ſinus. 76. *quare vocetur mare rubrum.* 76
Arar fl. 62,69
Ararat montes. 7
Aratus Cilix, poëta, aſtronomus. 65
Arc. 45
Arca,æ. 45
Arca Noe. 45, *vbi quieuerit.* 7, & ſeq. *eius monumenta.* 46, & ſeq.
Arcadia regio. 45, 55. *equis alendis idonea.* 47
Arcas vnde dictus. 45, & ſeq.
Arcas Nochus dictus. 45,46
Arcas artium omnium, hominum vitæ neceſſariarum inuentor. 45
Arcades antiquiſſimi omnium hominum. 47, & ſeq. *ante Lunam cur fuiſſe dicantur.* 47
Arceo,es,ere. 45
Archedemus Tarſenſis Philoſophus. 64
Arctos ſidus. 46
Arg. 63
Arganthonius Tarteſſiorum rex. 70.
Argenteus mons. 73
Argenti fodinæ maximæ circa nouam Carthaginem. 73
Argiui vnde dicti. 63
Argiui à Tarſo in Peloponneſo conditi. 63
Argos, Hippicũ quare dictum. 63
Ariani pop. 19
Armeniæ montes. 7
Arſinoe vrbs, Bagal-ſtephon appellata. 90

Art. *i. terra.* 62,69
Artemidorus Tarſenſis, Grammaticus nobilis. 65
Artium vitæ hominum neceſſariarum inuentor Arcas. 45
Arx arcis. 45
Aſcalon. 76
Aſcania duplex. 38,39,41
Aſcanius Gomeri filius in Phrygia habitauit, &c. 38,39
Aſcanius fl. 41
Aſcanij memoria apud Myſos. 41
Aſcanij dicti Teutones, &c. 26
Aſclepiades Mirlianus. 1
Aſiongaber vocis pronũciatio & ſcriptura. 77. *eius interpretatio.* 77,103. 104. *quis locus ſit, &c.* 74,75,82.
Aſphaltites lacus. 81
Ate vnde dicta, &c. 13,39
Athenæus Cilix, Philoſophus. 65
Athenodorus Cananita, præceptor Cæſaris. 64
Athenodorus Cordylon, cum M. Catone vixit, &c. 64
Atlas vnde dictus. 106, & ſeq.
Atlas & Heſperus fratres, Iapeti nepotes. 109,116
Atlas & Phorcys, idem. 115, & ſequent.
Atlas dictus Tarſes. 53,106
Atlas inſignis aſtrologus, 107,108 111. *cur cælum ſuſtinere dictus,* 107,112. *Herculem aſtronomiam docuit.* 30
Atlas inuentor Sphæræ artificialis. 108
Atlas nauigandi peritia præſtantiſſimus. 106, et ſeq. 111, et ſeq.
Atlas omniũ rerum ſapiens. 106, & ſeq. 111, & ſeq.
Atlas filiabus ſuis Hyadum & Pleiadum nomina ab aſtris, non aſtris à filiarum nomenclatura poſuit. 111.
Atlantis vxor Heſperis, & filiæ Heſperides. 109
Atlantis laudes. 106. & ſeq.
Atlantica, inſula. 109
Atlanticus Oceanus. 109
Atlanticus orbis. 112, & ſeq.
Atlantici orbis & Hiſpaniæ duo primi conditores Elyſius & Tarſes. 116, & ſeq. *De Atlantico orbe veterum ſententiæ & teſti-*

teſtimonia, 114, *& ſcquen.*
Atlantides, Atlantis filiæ, dictæ Heſſerides, &c. 30
Attica vnde dicta, &c. 43
Atys appellatus Elyſſus. 39
Au, Ou, Aut, Out, *i, antiquus,* 11, 12, 32
Auaris vnde dicta. 88
Auaris eadem quæ Bubaſtis. 88
Aurora vnde dicta. 32
Aurum Obryzum, aurum Opher, & aurum Perueim, pro eodem dicuntur, nempe pro auro puro puto. 112, 113
Auri feraciſsima eſt Hiſpania. 71, *& ſequent.*
Auſt, *i antiquiſsimus.* 32
Auſt, *i. oriens.* 32
Auſt-rijc. 32
Auſtria, Auſtraſia, Auſtrycia. 32
Axes duo Sphæræ artificialis. 107
Αὔως. 32
Azotus vrbs. 76

B.

B & V conſonans cognatæ poteſtatis litteræ. 24
Babel turris vnde dicta. 8. *eius origo. ibid. & ſeq.*
Babelen. 8
Bacchus dictus Nochus. 7, 45, 50
Bactriani. 19
Baet. 27
Bætica regio, eſt Regnum Tarſis in ſacris literis, 70. *eius felicitas.* 71. *& ſequent.*
Bætis fl. vnde dictus. 27
Bætis fl. dictus Tarteſſus. 68
Bæturia. 71
Batus, ſextus apud Pſeudoberoſum Hiſpaniæ rex. 27
Bagal-ſtephon poſt Arſinoë appellata. 84, 90
Baiæ. 59
Baien. 59
Baianus ſinus, vetuſta Cimmeriorum ſedes. 59
Baldus mons. 20, 23
Balſamum. 113
*B*an. 14
Barbariſmus, prima ætas. 10
*B*et. *i. panis.* 9
*B*ed, *B*et. 77
Bedunenſes pop. 54
Beelſephon. 84
Begug, Begupg. 19
*B*ehal. 34
Belba ſiue Belbes eadem quæ Elis. 91
Berenices coma in cælum lata. 108
Berg. *i. abſcondo.* 67, 81
Berg. *i. mons.* 54, 67, 81
Berg. *id eſt, mons in ciuitatibus nominandis frequenter vſurpatur, &c.* 54, 67
Bergen opidum. 67
Bergo. 61
Bergones. 54
Bergomum op. in Italia. 67
Berguſa. 54
Beroſus quis fuerit, & quando vixerit. 1
Beroſi libris fides abrogatur. 1
Beroſus tres tantùm, Pſeudoberoſus quinque libros ſcripſit. 2, *& ſequent.*
Beroſo Pſeudoberoſus pugnantia dicit. 2, *& ſequent.*
Betogabri. 77
Bies. 78
Bondona. 20
Born. 102
Breſilianum lignum. 113
Bria. 24
Brica pro Briga apud Plin. 25
Briga. 24
Briga vocula terminantur multa opidorum nomina in Hiſpania. 24
Briga, quartus Hiſpanorum rex, apud Pſeudoberoſum. 24, 25
Brigant pro publico graſſatore abuſiuè accipitur. 55
Brigantes. 55
Brigantium diuerſis Europæ ciuitatibus nomen impoſitum. 55
Brigata. 25
Bubaſtus ſiue Bubaſtis vrbs. 88. *eadem quæ Auaris. ibid.*
*B*ui. 79
Bura quid ſignificet. 55
Bura ciuitas in inferiori Germania, item in Arcadia & in Hiſpania. 55
Bus. 79
Buſiris vnde dicatur. 87, 88
Buſiris primus is rex fuit appellatus, qui Ioſephum Ægypto præfecit, 87, 88. *eo nomine multi reges in Ægypto fuerunt vocati.* 88
Buſiris cur hoſpites mactare fingatur, &c. 87
Buſiris ciuitas eadem quæ Ragamaſſa, ædificata ab Iſraëlitis. 87, 88

C.

C littera ſymbolica ſignificatio. 116
C & G litterarum affinitas & permutatio. 25
Cades duplex. 101, *& ſequent.*
Cades in Galilæa, Cedes dicitur. 101
Cades-Barne. 101
Cades-Stin. 101
Cadmus dictus Iapetus. 63
Cadytis vrbs. 101
Cælum vnde dictum. 25
Caladunum. 54
Caieta. 67
Caius, Caia. 17, 18
Calcaneus terrenæ tarditatis ſymbolum. 69
Callirhoë. 118
Calliſto. 45
Canis vnde dictus. 118
Canis, cuius rei ſymbolum præ ſe ferat. 117
Canis & Regis laudati officia. 118
Canes generoſos alit Albania. 15
Capo. i. promontorium. 67
Car Elyſſi filius, Lydi germanus frater, &c. 39, 40, *& ſeq.* 44 *quam ſedem occupauerit,* 39, *& ſeq. delubrum erexit Ioui Cario,* 40 *eius monumẽta apud Megarenſes.* 44
Carbaſchara. 96
Cardis. 48
Cares vnde nomen habeant, & à quo conditi. 39
Cares & Lycij non ex Europa in Aſiam, ſed ex Aſia in Europam venerunt. 40
Cares, Lydi, Licij & Myſi ſe fratres quondam dicebant. 39, 40
Carius Iupiter. 39, 40. *ei templũ à quo & cur dedicatum.* 40
Carmani pop. 19
Carmania regio vuas profert maximas. 101
Carmelus mons. 76
Carteia. 70
Carus, a, um. 39
Caſium, Caſius mons. 76, 77, 101
Caſij Iouis templum. 77
Caſos inſula. 76
Caſſiterides inſulæ. 73
Caſtra concupiſcentiæ. 103
Caucaſus mons. 7
Cerua nutrix Habidis regis Tarteſſiacorum. 117, 118
Cedes in Galilæa, dicta Cades. 101
Cenæi pop. 100
Ceres Theſmophoros dicta. 45
Ceteim olim dicta Cyprus. 74
Cetij pop. 43, 65
Cetim Iouis filius, Elyſſi frater, Cetiorum in Cypro conditor. 43, 66, 67
Cetis regio vnde dicta. 36, 65
Cetium in Sicilia, & Cetium in Cypro. 65
Chabriæ caſtra. 77
Chaibal Albaniæ op. 16
Chami poſteri principio Africam habitarunt. 34
χαράττω. 89
χάραξ. 77, 89
Charax Seſoſtris. 77
Charites. 26
Chaua. 13, 17
Chebron vrbs. 103
China ſiue Sina pop. Indiæ. 94

Choreb

Choreb mons. 93,94
Chorma. 103
Chryſaor quis, & vnde dictus, 27, & ſequent. 118
Chryſippus Cilix. 65
Chryſopliſia. 72
Cilix vnde dictus, &c. 63. cur ſic dictus Tarſes. ibid.
Cilices quidam ad Troiam habitarunt, & illic Thebas condiderunt. 66
Cilices ciues, præſtantes Philoſophi, &c. 65
Cilices piratæ nobiliſſimi. 63, & ſequent.
Cilicum in Romanos inſignis contumelia. 64
Cilicum potentia. 65
Cilicia Troiana ſiue Elæatica. 66
Cilicia primùm à Tarſo occupata. 63
Cimbris vernacula ſunt nomina propria à Moſe enumerata, &c. 13
Cimbrorum & Phrygum ſermo idem eſt. 9
Cimbricus ſermo primus & vetuſtiſſimus. 10. olim in Hiſpania, Gallia, Britannia, & Thracia fuit. 54. eius artificium. 10. eo vſus eſt primus conditor Troianæ arcis, &c. 67. Cimbricis verbis vſus eſt Moſes in inauguratione Ioſephi. 9
Citium ſiue Cittium. 65
Claſſi inſtruendæ neceſſaria. 36
Climax. 48
Climmen. 48
Clymenus vnde dictus. 48
Clymenus dictus Elyſſus. 48
Con. 118
Con pro cane, Phrygia vox. 118
Condimentum optimum fames. 31
Coning. 118
Conon aſtrologus Berenices comam in cælum intulit. 108
Corinthus. 61
Cortinæ. 71
Cuniculorum in Turdetania copia, & venandi ratio. 71
Cur. 42,116
Curatus vnde dictus. 116
Curetes vnde dicti. 42,116
Curetes primi Tarteſſiacæ regionis cultores. 116
Curetes reuera fuerunt Elyſſus & Tarſes. 117
Cydnus Tarſi fl. 65
κυνὸς, κύων. 118
Cypſelus. 46
Cypſeli arca in templo Iunonis Olympiæ conſecrata. 46
Cypſelidæ. 46
Cyrus rex Perſarum cur à cane educatus feratur. 117
Cyrus fl. 20

D.

Dadanim. 36
Dam. 83
Dap. 91
Daphca. 91,96
Deabus, ſeptimus Pſeudoberoſi in Hiſpania rex. 27
Deeg. 26
Deli mercatus celebritas. 65
Dertuſa, Dertuſani 54
Deus vnde dictus. 60
Deus qua ratione nomen ab æterno habere, & qua carere nomine, dici poſſit. 60
Dien. 40,60
Digamma Æolicū in aſpirationem frequenter tranſit. 30
Diodorus Tarſenſis, Grammaticus nobilis. 65
Diodorus Tryphon ab Antiocho Demetrij filio obſeſſus ſibi mortem conſciuit. 65
Diogenes Tarſenſis, philoſophus, & Tragoediæ ſcriptor. 65
Dionyſides Tarſenſis, Tragoediæ ſcriptor. 65
δῖος. 60
Dolitana vallis. 54
Dozen. 96
Dorius fl. 54
Druis. 29
Dun, i. collis, in Hiſpaniæ ciuitatibus nominandis frequenter vſurpatur. 54
Duennas op. 54
δύμη. 53

E.

E ſiue Ee. 35,37,38,83
Ebur. i. vicinus iureiurando adſtrictus, 55. vox variis populis vſitata, ibid.
Ebura op. in Hiſpania. 55
Eburacum op. in Britannia. 55
Eburodunum op. Caturig. in Italia. 55
Eburones pop. apud Belgas. 55
Eburum op. Quadorum in Germania, 55
Ecregma. 77
Edam op. Hollandiæ. 83
Edom dictus Eſau. 75
Edom regio. 75
Ee. 35,37,83,84
Eel. 37,96
Ei. 23,35
Eie. 96
εἴκω. 29
εἶδος. 23
Eigen. 23
Eilant. 23
Eiuer, Eiber. 23
El. 37
Elaniticus ſinus. 93
Eldana op. 54
Eldun op. 54
Elæa ad Cairum. 66
Elæa Cypri. 66
Elæaticus ſinus. 66
Elæatica Cilicia. 65,66
Elana vrbs. 78
Eleuſis inſula in Ionia Attica, dicta Eli domus, &c. 43,44,45
Eleuſius. 45
Elim op. 91,96
Elis, eadem quæ Belba ſiue Belbis. 91
Elis in Peloponeſo & regionem & vrbem notat. 91
Elis Olympico certamine olim nobiliſſima. 45
Elis, Elyſſa, ſiue Eluſa, eiuſdem hominis nomen. 37
Ellotia Minerua. 61
Elus frequenter dicitur Elyſſus. 45,48,53.
Elus, Eluſa, Elut, eadem ciuitas. 78,83,92,104.
Elut & Aſiongaber vicina loca ſunt in littore maris Mediterranei. 82
Elyſa, 36, 37, & ſeq. nomen variè à variis corruptum. 37
Elyſa, Elyſſa, Elyſus, Elyſſus, idem eſt nomen. 36
Elyſij campi vnde dicti. 57, & ſeq. vbi à veteribus collocati, &c. 57,58,59.
Elyſſibona & in Luſitania & Peloponneſo inuenitur. 50. vide reliqua in Olyſſipona.
Elyſſon fl. & op. in Arcadia. 45, 49.
Elyſus ſiue Elyſſus, Elyſa ſiue Elyſſa, &c. vnde dictus & quid ſignificet. 36, 37, 53. idem qui Olyſſes ſiue Vlyſſes Homericus, 52. eius nomine nihil nobilius apud Iones ante Homeri ætatē fuit, 36, & ſeq.
Elyſſus è vera hiſtoria petitus; Vlyſſes verò Homericus totus figmentum eſt. 51,52
Elyſſus frequenter Elus dumtaxat vocatur. 53
Elyſſus Ionis maximus natu filius, frater Tarſi, nepos Iapeti, Nochi pronepos. 35,38,47,56, 108. eius filij, Lydus, Car, Lycus & Myſus, 40, & ſeq.
Elyſſus & Tarſus duo primi conditores Atlantici orbis & Hiſpaniæ. 35,61,68, & ſeq. 116.
Elyſſus quas gentes condiderit, & quæ loca primùm habitauerit. 38,50.
Elyſſus diligenter Ægyptū & vicina loca inueſtigauit. 84. eius nauigationes & peregrinationes. 43, & ſeq. 48, & ſeq. 52.

 Elyſſus

Elyſſus dictus Atys, 39, dictus Clymenus, 48, & Heſperus, 53, & Pelops, 48, & Phoroneus, 44. potuit & vocari Oceanus. 108
ἕως. 32
ἠὼς. 33
Equæ vento concipientes. 50
Equorum in Luſitania & Galleçia fecunditas atq. pernicitas. 50
Equorum nobilium ſtirpem è Peloponneſo in Luſitaniam veniſſe. 50
ἦρ. 29
Erythra rex Perſarum. 78
Erythræum mare vbi tranſgreſsi ſint Iſraëlitæ. 90
Eſau dictus Edom. 75
ἐσθὴς. 84
Etam vnde dicatur. 84
Etã ſolitudo quæ ſit. 83, 84, 89, 96
Eua. 13
Europam totam principio Iapeti poſteri habitarunt. 34
Euryale vna Gorgonum. 115
Eurynome. 26

F.

Fatum. 84
Fer. 30
Fex, fecis. 63
Fircus prius dictus Hircus. 30
Fœnicularius mons. 20
Foder. 30
Folium. 19, 38
Fordeum prius dictum Hordeum. 30.
Franciſcus Tarapha Hiſtoriographus, 4, *& ſeq.* 6, *& ſeq.*
Fur. 38

G.

Ga. 19
Gaber. 77
Gabriæ caſtra. 103, 104
Gadaris. 76
Gai. 17
γαῖα. *i. terra.* 17
Gaiacum lignum. 113
Gaibal. 17
Gaius & Gaia. 17. *& ſequent.*
Gant. 55
Gargoris vnde dictus. 117
Gargoris primus rex Tarteſſiorũ. 117.
Gaſterot. 103
Gaza vrbs. 76
Gazæorum portus. 76
Gebrona. 103
Gedeon vbi & circa quæ loca Madianitas vicerit. 92
Geneſis liber. 6, *& ſequent.*
Gera. 27
Germani à Thogarma nomen accepiſſe videntur. 25
Gerra. 77
Geryon quis, & vnde dictus. 118
Geryon octauus Pſeudoberoſo Hiſpaniæ rex. 28
Geſſen Ægypti regio. 85, 86
Gewest. 31
Gommeri. 8
Gon. 115
Goor. 44
Gorgones vnde dictæ. 115
Gorgones tres, & earum nominum interpretatio. 115
Gorgones inſulæ. 28
Goropius vnde dictus. 44
Ghoda vnde dicta. 19
Ghoda mater Iubalis. 19
Gigas mons. 67
Gÿg. 19
Gracht. 77
Graa. 44
Graft. 89
Graia. 44
Graij. 44
γράφω. 89
Gratiæ. 26
Grauen. 89
γραῦς. 44
Gug, *ſiue* Gÿg. 19

H.

Habis alter Tarteſſiacorum rex, & eius nomenclaturæ ratio. 117
Habito. 39
Hat. 26
D. Hadriani ſacellum & antrum. 56
Hag. 26
Hailã Latini malè pro Elut verterunt. 78
Hal. 37
Hallys fl. 66
Harpagus Medorum dux. 70
Hat. 43, 106
Hau, Hauwen. 12, 39
Hebræorum non ſermo tantùm, ſed & literarum pronunciatio deprauata. 62, 102
Hebræorum radices, primæ voces ſunt, nec in alias cauſſas poſſunt diſſolui ab ipſorum Grãmaticis. 9, *earundem radicum rationes è primo ſermone, qui eſt Teutonicus, petendæ ſunt, &c.* 13, 80.
Hebraicum ſermonem non eſſe primum, &c. 9
Hebrona. 103
Hecht. 63
Heer. 88
Heet *ſiue* Heit. 116
Heim. 112
Helim ſiue Elim op. 91, 96
Hellem. 67
Hemel. 67
Hercules vnde dictus. 48
Hercules appellatus Nochus. 48
Hercules Aſtronomiam ab Atlante edoctus, &c. ſphæram cæleſtem humeris ſuſtinuiſſe dicitur. 30
Hercules cur Geryonẽ occidiſſe, & eius boues abegiſſe feratur. 118.
Hermiones. 29
Heros. 57
Heroum ciuitas. 83, 89
Herus. 88
Heſperus. 28, 30, *& ſequent.*
Heſperus & Atlas fratres. 30, 109, 116
Heſperus vocatus Elyſſus. 53, *& Hodyſeus.* 109
Heſperus Veneris ſtella quãdo dicatur. 32
Heſperia propriè Hiſpania vocatur, &c. 32, 33, 53
Heſperia cur Pania dicta. 56
Heſperiæ & Peloponneſi ſimilitudo. 56
Heſperides Atlantis filiæ. 109, *& ſequent. à Buſiride raptæ, ab Hercule liberatæ.* 30
Heſperides inſulæ. 109, *& ſeq.*
Heſperis Atlãtis vxor dicta. 109
Heſperium promontorium. 109
Heſperius Oceanus. 109
Hipa. 71
Hippicum, Argos. 63
Hippodamia. 60
Hircani pop. 19
Hircus. 30
His *occidentem denotat.* 55
Hiſpalis vnde nomen habeat. 34
Hiſpalus, nonus Hiſpaniæ rex apud Pſeudoberoſum, 28, 29, *& ſequent.* 34.
Hiſpanus, decimus Hiſpaniæ rex apud Pſeudoberoſum, 1, 28, 29, *& ſeq.*
Hiſpani dicti Iberi. 21
Hiſpani antiqui Teutonica lingua vſi. 54
Hiſpanorum ficti reges. 1, 28, 29, *& ſequent.*
Hiſpania vnde dicta, & quid deſignet. 55. *quis ei nomen dederit, & eam Pani conſecrarit.* 56
Hiſpania inſtar inſulæ clauſa. 56 *tota plena eſt metallorum fodinis.* 71, *& ſequent.*
Hiſpania propriè Heſperia vocatur. 33, 53
Hiſpania vnde Iberia appellata. 22, *& ſequent.*
Hiſpaniæ primi conditores Elyſſus & Tarſus fratres. 35, 61, 62, 116
Hiſpaniæ primus conditor falsò exiſtimatur Tubal. 3
Hiſpaniæ deprædationes. 118
Hiſpania ſubacta, Romani eò ſeruos ad aurum effodiendum miſerunt. 72
Hiſtoriographis quouſque credendum. 1
Hodyſeus vnde dictus, &c. 53

Hody-

Hodyſeus Heſperus vocatus. 109
Hodyſeus quare dictus Elyſſus. 57
Hoi. 63
Homerus natione Ion fuit. 51, *quomodo conſcripſerit Odyſſea, & vnde finxerit Vlyſſem.* 51, 58, *nihil certi de rebus Hiſpanicis nouit.* 59
Hor mons. 75, 103
Hordeum. 30
Huis. *i. domus.* 54
Huis. *i. porta.* 68
Huiſſier. *i. portarius.* 68
Hus. nepos Edom. 98
Hus regio. 98
Hyades. 110, *& ſeq.*

I.

Iabal. 19
Iamnæa. 76
Ianus vnde dictus. 19, 49
Ianus eſt Iapetus. 24, 49
Iapetus dictus Ianus. 24, 49. *dictus & Cadmus.* 63
Iapetus Nochi filius, Ionis & Tubalis pater, Elyſſi auus. 6, 47
Iapetus apud patrem Nochũ manet. 8. *fratribus Sem & Cham coloniam deducentibus, &c.* 7, 8
Iapetus quæ loca primùm poſt cataclyſmum incoluerit. 8
Iapetus Ioni filio inſulas dedit inhabitandas, &c. 35, 36
Iapeti poſteri Europam totã principio habitarunt. 34
Iapeti filiorum duo genera. 19
Iauan nomen corruptũ, 35, *& ſeq.*
Iauan pater Ionum. 35
Iber. 23
Iber qua ratione vocari poſſit Rhenus. 22
Iberes, Iberi dicti à Ioſepho. 5
Iberi. 3, *& ſequent.*
Iberi dicti Hiſpani. 21
Iberi Moſchorum & Scytharum cognati. 19, 20
Iberi vbi conditi à Tubale. 5, 19
Iberi prius in Aſia quàm in Hiſpania ſedes fixerunt. 21
Iberi qui fuerint, & vbi habitarint tempore Veſpaſiani 3
Iberia Orient. vnde dicta 22, 23
Iberia vnde Hiſpania appellata. 22, *& ſequent.*
Iberia à Tubalis poſteris Albanis principio occupata 19, 20
Iberiæ ſitus. 20
Iberus fl. Hiſpaniæ. 22
Iberum nullum fuiſſe Tubalis filium, &c. 21
Idubeda mons 23
Idumæa vnde dicta & vbi ſita. 75
Idumæa duplex. 98
Idumæi. 75, 98
Ienyſus op. 101
Ietro ſacerdos Madianita vbi habitarit, &c. 97
Ignis inuentor Phoroneus. 44
Ilex vnde dicta. 96
Ilex arbor, & eius natura. 94
Ilex fuit Rubus Moyſis. 94, *& ſequent.*
Iliſſus fl. 43
Inachi & Iûs fabula. 44
Ingeuones. 29
Io. 18
Io. 44, *Iûs & Inachi fabula. ibid.*
Iob. 98
Iobal ſiue Iubal Albaniæ op. 18, *& ſequent.*
Iolyt. 18
Ion vnde dictus. 35
Ion columbam Hebræis qua notatione ſignificet. 35
Ion Iapeti filius. 47, 63
Ion dictus Cardis. 48
Ion inſulas accepit à patre Iapeto, &c. 35, 36. *quæ loca in Aſia prius habitarit, quàm inſulas occuparet.* 36. *fuit primus conditor* Ioniæ. 35. *eius filij è continenti paulatim in inſulas commigrarunt, & ciuitates condiderunt.* 43
Ion natione fuit Homerus. 51
Ionum pater Iauan. 35
Ioniæ primus conditor Ion, &c. 35
Ioniæ ciuitates nobiliſſimæ. 36
Iope vrbs. 76
Iordanis. 104
Ioſephus veteres Hiſtoriographos diligenter excuſſit. 6, *& ſeq.*
Iou. 18
Ioubal ſiue Iubal op. 18
Ioucel. 18
Iouis. 18
Iouis nomen diuinius quàm Mercurij. 60
Ioui Cario templum cur dedicatũ. 40
Is ſiue ys. *i. glacies.* 39
Iſauri vnde dicti. 39, *conditi ab Elyſſo.* 39
Iſis. 87
Iſmaelitæ. 97
Iſraëlitæ vbi mare Erythræum tranſgreſſi ſint. 90. *de eorum profectione error vnde ſit natus,* 96
Iſraëlitarum in Ægypto ſeruitus, & inde egreſſus, è fabulis & veterum hiſtoriis illuſtrata. 87
Iſraëlitarum è Ragameſſa deſertum verſus profectio. 89
Iſraëlitarum ex Etam retro ad oram maris rubri regreſſus. 96
Iſraëlitarum è Sinai profectio. 100 *& ſequent.*
Iſraëlitarum è Cadeſbarnea ad mediterraneum mare regreſſus. 101, *& ſequent.*
Iſſue. i. exitus. 68
Iſſus Siciliæ in Syriam exitus, vnde nomen acceperit. 68
Iſteuones. 29, 34
Iſthmum perfodere, prohibitum oraculo. 83, 84
Iſtonium. 34
Italus, Italia. 68
Iterum. 29
Ithacenſis fingitur Vlyſſes ab Homero. 51
Iu. 18
Iuba Mauritaniæ rex libros edidit. 1
Iubal op. 18
Iubal Lamechi filius, Tubalis frater. 19
Iubalda mons. 23
Iubalda, tertius apud Pſeudoberoſum Hiſpaniæ rex. 23
Iubeda mons. 23
Iucundus, a, um. 18
Iugt. 18
Iupiter, id eſt, voluptatis pater. 18
Iupiter Carius. 39
Iuuo, as, are. 18

K.

Kil *ſiue* Kiel. 63
Kypſel. 46

L.

Lant. 106
Latmius mons. 43
Laut *ſiue* Leut. 12
Lauter *ſiue* Leuter. 12
Leberides. 71
Leucas Petra in Epiro. 59
Ligni ex orbe Atlantico petiti elegantia, varietas, &c. 113
Lingua prima quæ fuerit, &c. 8, 9, 10, 80
Linguarum confuſio, & eius ratio. 8
Liſbona vnde dicta. 49
Los. 36
Loſt. 36
Lour. 41
Luc. *i. fortunatus ſucceſſus.* 40
Luc, ſiue Lycus Elyſſi filius Lyciorum conditor. 40
Lucht. 40
Lucifer quando Veneris ſtella dicatur. 32
Ludo, is, ere. 37, 38
Ludorum & deliciarum primi inuentores Lydi. 39
Luna humores omnes regit. 47
Luna quo tempore totius orbis imperium tenuerit. 47
Lunæ & Oceani coniugium. 47
Lupa vnde dicta. 117
Lupa Romuli nutrix. 117

Luſitani vnde dicti. 49
Luſitani equi. 50
Luſitania à Luſo dicta. 49
Luſitania antiqua, & Portugallia hodierna non iiſdem finibus terminantur. 54
Luſitaniæ & Peloponneſi idẽ conditor. 49
Luſi pop. in Peloponeſo. 50
Luſius fl. 45
Luſius, ſiue Luſus, Bacchi comes. 45. vide Lyſus.
Luſones pop. in Hiſpania. 50, 54.
Luſorum vicus. 45
Luſt. 37, 38, 66
Luſtra ſiue Lyſtra Iſaurorum. 38, 49, & ſequent.
Luſturia. 49, & ſeq.
Luſus, & Ludo apud Latinos vnde dicantur. 37
Luſus, ſiue Lyſſus, ſiue Elyſſus, Bacchi comes fuit, dum è Peloponeſo in Latium proficiſceretur. 50
Luſitaniæ & Vlyſſibonæ conditor. 54. Vide Lyſus.
Lux. 40
Lycaon quis & vnde dictus. 46
Lycaon poteſt dici Nochus. 46
λύκη, λύκος. 40
Lycij vnde dicti, &c. 40
Lycus Elyſſi filius. 39, 40
Lycus dictus Pandion. 40
Lydi vnde dicti. 38, 39
Lydi, Cares, & Myſi, fratres dicti. 39, 40
Lydi, ludorum & deliciarũ primi inuentores. 39
Lydiæ conditor Lydus. 39
Lydus, Elyſſi filius. 39, 40. vnde dictus 39, 40
Lyſa, & Lyſus idem. 50
λύσαι. 38
Lyſias op. 38
Lyſus, Lyſius, Lyſias, Luſus, Elyſſus idem eſt. 37, 38, 45

M.

Madai. 21
Madeo, es, ere. 78
Madera inſula. 28
Madianitæ vnde genus duxerint. 97
Madianitæ & Moabitæ vicini fuerunt. 97
Madianitæ vbi ſint collocandi. 97
Madianitæ vbi victi à Gedeone. 92
Magdalum. 89
Magt. 89
Magus. 29
Mai. 78
Mane. i. Moneo. 33
Mane vnde dicatur. 33
Manetho Hiſtoriographus. 2
Mar. 91
Mara ſiue Maratha. 90, & ſeq.
Mare Magnum cur Suph appellatum. 79
Mare Mediterraneũ, mare magnum aliquando vocatur. 81
Mare Palæſtinorum. 81
Mare Rubrum cur appelletur ſinus Arabicus. 78
Mare Rubrum pro mari Mediterraneo ponitur. 81, 82
Mare Solitudinis. 81
Margiana. 7
Margiani. 19
Mas. 85
Maſſa. 85
Maſſo, as, are. 86
Mat. 20
Matuta, 33
μάζα. 86
Medana ciuitas. 97
Medi vnde dicti. 21
Medi vbi habitent. 21
Mediterraneum mare, mare magnum aliquando vocatur. 81
Meduſa vna Gorgonum. 115
Meduſa duplex. 115, & ſeq.
Meel. 86
Megaſthenes celebris Hiſtoricus. 3.
Mel. i. aperio, manifeſto. 40
Melach. 81
Melanes montes Arabiæ. 75
Mercurius quare canino capite ſoleat pingi. 118
Meros mons. 7
Merx, mercis. 63
Meſech princeps, Moſchorũ pater, Tubalis frater. 5
Met. i. menſuro. 33
Metallorum fodinis Hiſpania tota plena eſt. 71, & ſeq.
Metaſthenis hiſtoriæ fides conuellitur. 3, & ſeq.
Metior. 33
μετρέω. 33
Mien. i. vitare. 41
Miletus vrbs vnde dicta, & à quo condita. 40, 109
Miletus Apollini ſacra, ſcholas rerum diuinarum quondã habuiſſe videtur, &c. 40
Milt. 40
Minerua Ellotia. 61
Minerua frenatrix. 61
Miſphat fons. 102
Miſſa vnde dicta. 85
Moab campi. 104
Moab deſertum. 104
Moab terra vbi fuerit. 97
Moabitæ & Madianitæ vicini fuerunt. 97
Mott. id eſt animus. 20, 61
Mola. 86.
Mola ſalſa offerri à priſcis conſueta, quorſum ſpectarit. 86
Moly. 20
Mons argenteus. 73
Mons Oreb, idem qui Sinai, & mons Dei. 92, 93
Mooz. 91
Mooz-hoot. 91
μορφή. 19
Mortuorũ regionis diſtributio. 70
μῶσαι. 41
Moſæus fl. 41
Moſchi vnde dicti, & vnde genus ducant, &c. 3, 5, 20, & ſeq.
Moſchica tripartita apud Strabonem. 21
Moſchou, ſiue Meſech, Moſchorũ pater, Iapeti filius, &c. 5, 20
Moſchoui & Iberi, cognati. 21
Moſes antiquitatum omniũ norma & amuſſis. 1
Moſes verbis Hebraicè nihil denotantibus vſus eſt. 80, & ſeq.
Moſes vbi oues cuſtodierit. 97
Moſes per quos montes ad Sinai peruenerit. 97
Moſis rubus, fuit ilex. 94, & ſeq.
Moſis iter è deſerto Sur, mare Mediterraneum verſus. 90
Moſis ex Etam retro ad oram maris rubri regreſſus. 96
Moſis è Sinai profectio. 100, & ſequent.
Moſch. 20
Mu. 41
Mus, ſiue Mups, Muſen, ſiue mupſen. 41
Muſa. 41
Muſices organicæ inuentor. 19
Muſſo, as, are. 41
Muſtela. 41
Mutio, Mutus. 41
μυέω. 42
μύω. 41, 42
μύωψ. 41
Myrtilus. 61
Mys dictionis ſignificata. 41
Myſus vnde dictus. 41
Myſus Elyſſi filius, &c. 39, 40, 43
Myſi in Europam colonias deduxerunt. 41
Myſi, Lydi, & Cares, fratres dicti. 39, 40
Myſi & Phryges permixti habitarunt. 38
Myſorum pietas & patientia, maximi contemptus cauſſa. 42
Myſterium. 46

N.

Nabatæi vnde dicti. 97
Nabatæi ſunt Idumæi. 75
Necum Pſamnitichi filiũ, Iſthmum perrumpere conantem, oraculo fuiſſe prohibitum, falſò tradi. 83
Neſtor Tarſenſis philoſophus Acade-

Academicus. 65
Nobilitas vera. 37
Nochus vnde dictus. 13,102
Nochus Arcas dictus. 45,46. *dictus Agenor.* 63. *& Bacchus.* 7.45,50. *dictus Cypſelus.* 46. *& Hercules.* 48. *item Saturnus.* 49
Nochus omnium patriarcharum patriarcha, omnium ſacerdotũ & regum rex, &c. 8
Nochus vbi arcam ſit egreſſus cum filiis, &c. 7, *& ſeq. vbi vitem inuenerit.* 7. *in Europam profectus.* 45. *in Italiam venit.* 49. *ſermonem ſuum antiquum ſemper retinuit.* 8
Noëma. 19
Nog/ 102
Nogman. 19
Nomen tetragrammatum. 9
Nomina fauſta & boni ominis probanda, &c. 37
Nomina propria decurtare, ſolenne eſt Cimbris. 37
Nomina omnia propria ante confuſionem Babylonicam à Moſe enumerata, Cimbris ſunt vernacula, &c. 13
Nominum veterum apud Germanos ſignificationes. 13
Nat. 46
Nug. 102
Nyſa à Nocho condita. 7

O.

Obryzum aurum vnde dictum. 112
Oceanus vnde dictus. 80
Oceanus Atlanticus, & Oceanus Heſperius. 109
Oceanus potuit vocari Elyſſus. 108
Oceani & Lunæ coniugium. 47
Oceani vtilitas primaria. 108
Odem. 13
Odi, Odium. 52
Odyſſea Homeri. 51
Odyſſeus vnde dictus. 52
Odyſſeus Græcis, qui Latinis Vlyſſes. 51
ὀδύσσω. 52
Oenomaus vnde dictus. 60. *eius fabula explicata.* 60
Oet. 60
Oi. *i. onis.* 40
οἶνος. 29
Olgaſys mons. 66
ὅλος. 52
Olyſſes ſiue Vlyſſes idem qui Elyſſa. 52
Olympia. 91
Olympici ludi à quo & quando inſtituti. 47
Olyſipona ſiue Elyſſibona, ab Elyſſo condita. 43,49
Olyza ſiue Olyſſa mons. 66
Onaba. 49
Onabalyſturia. 49,54
Oor. 44
Ooſt. 32
Ophir, nomen propriũ filij Iectan. 112
Ophir dictus orbis Atlanticus. 112
Ophir & Tarſis cognatio. 105, 106,107,112.
Orbis Atlanticus. 112
Oreb mons idem qui mons Sinai, & mons Dei. 92. *eidem vicinorum locorum natura.* 100
Oreb mons in primaria Idumææ parte longè alius ab eo qui vulgo eſſe putatur. 98
Oreb princeps Madianitarum in Oreb petra occiſus. 92,93
Oreb petra vbi ſita fuerit. 92
Oretani. 26
Organum. 19
Organicæ Muſices inuentor. 19
Origo, inis. 44
Orma quintus apud Pſeudoberoſum Hiſpaniæ Rex. 25
Oropus. 44
Oſtracine. 96
Ou *ſiue* Au *i. antiquus.* 11,12

P.

Pal. 34,54
Palatium. 54
Palæſtinorum mare. 81
Palætyrus. 76
Pallãt, Comitis Palatini ditio. 54
Pallantæum. 54
Pallantia vrbs in Hiſpania & in Arcadia. 55
Pallantiæ in Hiſp. deſcriptio. 55
Pallas. 55
Palus. 54
Palma op. 4
Palmira. 91
Pan Deus Arcadiæ. 55
Pandion quis fuerit, & quid ſignificet. 40
Pania Occidentalis, Hiſpania. 56
Pania Orientalis, Peloponeſus. 55
Paradiſus. 57
Paropaniſadæ. 19
Parthenius fl. 66
Parthi. 19
Paſtor ſummus Chriſtus. 85
Paſtoribus populorum vigilandũ. 16
Pat. 33
πατέω. 34
D. Paulus Tarſenſis. 65
Pegaſus Neptuni & Meduſæ filius cur fingatur. 28
Peloponneſus vnde dicta. 48
Peloponneſi & Luſitaniæ idem conditor. 50
Peloponneſi & Heſperiæ ſimilitudo. 56
Pelops dictus Elus. 48
Pelopis fabulæ explicatio. 48
Peluſium. 76
Pergæ Pamphiliæ op. 67
Pergamus ſiue Pergamum op. 67
Perſæ. 19
Peru quæ, & vnde dicta. 112
Petra, metropolis Nabatæorum. 97
Pharan. 98
Pharao, qui Ioſephum Ægypto præfecit, Buſiris à ſacerdotibus fuit appellatus. 87
Pharaones appellati reges Ægypti. 88
Phaſga. 104
Pher. 30,112
Pheruem. 112
Phet. 85
Phihacheroth. 84
Philemon Cilix, Comicus. 65
Phlegræi campi. 59
Phœnices auro Hiſpanico ditati. 72
Phœnicum monumenta. 1
φῶς. 19,38
Phorcys, ſiue Phorcyn, ſiue Phorcynus vnde dictus. 115. *idem eſt qui Tarſes.* 115
Phoroneus quis, & vnde dictus. 44
Phryges & Myſi permixti habitarunt, &c. 38,41
Phrygium ſermonẽ primum fuiſſe, Ægyptij aſſeruerunt. 9
φύλλον. 38
Pihacherot. 89
Pleiades quæ fuerint, & vnde dictæ. 108,110, *& ſeq.*
Pleiades aſtrum vbi ſit collocatũ. 110
Pleione Pleiadum mater, 108,190
Plinij locus emendatus. 50
Plutiades Tarſenſis Philoſoph. 65
Pluuia veſpertina gratiſſima plãtis. 31
ποδήνεμος, *dicta Iris.* 50
Poëſis vnde nata. 51
Poëtæ propria hominum nomina è vetuſtiſſimis hiſtoriis petere ſolent. 51
ποιμὴν. 86
Pompeij Magni ſepulchrum. 77
Portugallia hodierna & Luſitania antiqua non eiſdem finibus terminantur. 54
Portus ſacer. 44
ποσειδῶν. 80
Proſelani. 47
Pſeudoberoſus. 2, *& ſeq.*
Ptolemais ſiue Acam op. 78
Ptolemæus Mendeſius hiſtorio-

riographus. 3,6,& ſeq.
Ptolemaus rex aſtrologiam didicit à Conone. 108
Pus. 79
Pyrenai montes. 72
πύργος. 25

Q.

Qua. 91
Quando. 13
Quis, Qui. 13

R.

Ra. 62
Rabini voces non intellectas Ægyptias eſſe dicunt. 80
Ramagaſſa. 86,& ſeq. 87,& ſeq.
Ramagaſſa eadem quæ Buſiris. 87
Rameſſes quid ſignificet. 85
Rameſſes. 85,86,87
Raphaim vallis. 92
Raphia, Raphæa. 76,92,& ſeq. 96,100
Raphidim. 92
Rat. i. celer 62,69
Recht. 86
Rectus,a,um. 86
Regen. 86
Regina, ſtagnum Tartenſium. 65
Rego,is,ere. 86
Rex. 63,86
Regis laudati,& canis officia. 118
Regibus vigilandum, &c. 16
Rhein. i. purus. 22
Rhenus fl. vnde dictus. 22
Rhenus dictus Iber. 22
Rhenus Zelotypus, partes adulterinos ſuffocabat. 22
Rhinocolura. 76
Riguſa op. Carpetanorum. 54
Rijch. 101
Riualis. 23
Romani Hiſpania ſubacta, eò ſeruos ad aurum effodiendum miſerunt. 72
Romulus cur à Lupa enutritus fingatur. 117
Rots. 78
Rubus Moyſis fuit Ilex. 94,& ſequent.
Rubi arboris feracitas & natura. 94
Rubrum mare. 78

S.

Sacæ pop. 8,19
Sacſſones à Saces nomen ducunt. 19
Sal. 54
Sam. 85
Sandaracurgium. 67
Sarphat. 33
Saſſufras arboris vires. 113
Saturnia dicta Italia, &c. 49
Saturnus dictus Nochus. 49
Sca. 89
Scalæ quibus ad Deum adſcenditur, &c. 11
Scena,æ. 89
Scepen, Sceppen. 102
Scopus. 79
Scow. 79
Scriptura ſacra à quàm plurimis in calumniam rapitur. 6,& ſequent.
Scytharum cognati Iberi. 20
Scythiſmus ſecunda ætas. 10
Sebendunum op. 54
See. 62
Seer. 88
Seguſa ſiue Segiſa op. 54
Seir cognominatus Eſau. 98
Seir montes vnde nomen habeant. 98
Selbonis lacus idem qui Serbonis. 91,101.
Sem & Cham colonias deducunt. 7,& ſequent.
Sennaar campi. 8
Senectus colenda eſt ſumma reuerentia. 15
Seph. 85
Sepharad. 33
Serbonis ſiue Selbonis lacus. 75, 90,91,101
Sere. 88
Seruorum ad metalla deputatorum calamitas. 72
Set. i. colloco. 13
Set, filius Adæ, vnde dictus, &c. 13
Setubal op. 4
Si. i. eo. 68
Sibyllæ antrum. 59
Sin ſolitudo. 91,96
Sina vnde nomen habeat, &c. 94, 95, & ſequent.
Sina & Sinai ſcribitur. 92
Sina ſiue China populus Indiæ. 94
Sinai deſertum. 92,93
Sinai mons quis ſit, & vbi ſitus. 92,93,94,96
Sinai mons vulgo creditus nulla aquarum penuria laborat. 99
Sip. 81
Sipho onis. 81
Sir, Sire. 88
Sirbon ſiue Sirbonis, lacus Palæſtinæ. 76
Sirenuſæ inſulæ. 59
Siſapo. 71
Slic, Sloe. 40
Solis in Oceanum deſcenſus, &c. 32
Soluo,is,ere. 30
Soph. 79,80,81
Sphæræ artificialis inuentor Atlas. 108
Sphæræ artificialis axes duo. 107
Spinæ figura, & ſignificatio, & myſterium. 95
Spu. 79
Spuit. 79
Spuo,is,ere. 79
Stannum in Hiſpania naſcitur. 73
ςήγανος. 85
Stenyo vna Gorgonum. 115
Stil. 19
Stilla, mater Tubalcain, vnde dicta. 19
Stin. 91
Stin ſiue Sin deſertum. 91,101
Stor dicta Tyrus. 78
Strabo Geographus. 75
Stratonis turris. 76
Stultus, Stultitia. 38
Stultus quis verè dicendus. 38
Suchot. 89
Suculæ, Hyades dictæ. 110
Suis Hieroglyphica ſignificatio. 110
Sup. 79,80,81
Suph ſiue Soph mare. 79, 80,& ſequent.
Sur opid. & deſertum. 83,90, 96

T.

Tafalla op. 4
Tagorma. 25
Tagus ſiue Orma quintus apud Pſeudoberoſum Hiſpaniæ rex. 25
Tagus fl. vnde dictus, &c. 26,& ſequent. 49
Tai. 43
Tantalus vnde dictus, &c. 48
Tantali apud inferos cruciatus cauſſa & expoſitio. 48
Tar. i. tardus. 62,69
Tarapha Barcinonenſis, Hiſtoriographus. 4,& ſequent.
Tarditas noſtra nos ad Tartarum detrahit, &c. 69
Tarracon. 4,5
Tarſa, vicus in Euphratis ripa. 63
Tarſeion op. 70
Tarſeitæ pop. 70
Tarſeni pop. 70
Tarſes ſiue Tarſus vnde dictus. 62
Tarſes ſiue Tarſus Iouis filius Elyſſi frater. 43,49
Tarſes & Elyſſus fratres ſimul in Hiſpaniam appulerunt. 68 duo primi conditores Hiſpaniæ & Atlantici orbis. 35, 62,116,& ſequent.
Tarſes quæ loca in Hiſpania tenuerit.

nuerit. 68,*& ſeq.*
Tarſes Tarteſſum *condidit.* 43, 105. *primùm Ciliciam occupauit, & condidit, &c.*36, 63. *conditor Argiuorum in Peloponeſo, &c.*63. *partem regionis fratri ſuo Cetim conceſſit.* 65. *primus fuit eorum qui in Ophir è Tarſis ſeu Tarteſſo nauigarunt.* 105, *& ſequent.*
Tarſes multa nomina habuit. 106. *dictus Atlas.* 53, 106, 115, 116. *dictus Cilix.* 63. *dictus & Phorcys.* 115, 116
Tarſes & Tarteſſus eadem regio. 104
Tarſis regnum in ſacris litteris quod fuerit. 70
*Tarſis regnum Salomoni aurum & argentum mittebat, &c.*73
*Tarſis & Ophir cognatio, &c.*105
Tarſis nauium celebritas. 73
Tarſenſes ſunt Tarteſſiaci. 73, *& ſequent.*
Tarſenſes ciues, præſtantiſſimi Philoſophi, &c. 65
Tarſenſis nauigatio quînam tres annos poſtularit. 104
*Tarſenſis nauigatio & nauigatio Ophiria, eadē eſt.*104, *& ſeq.*112
Tarſos planta. 69
Tarſus, ſiue Tarſes, *vtroque modo, poteſt dici, Iouis filius, Cilicum conditor.* 68
Tarſus vrbs Ciliciæ vnde dicta, & à quo condita. 36, 63, 70. *omnium diſciplinarum genere florens.* 64
Tarſus altera in Bithynia. 63
Tartarus, locus inferorum, vnde dictus. 69
Tartarus in occidente à Poëtis collocatur. 58, 70
*Tarteſſia regio.*68, 70. *eius felicitas.* 71, *& ſeq. eius primi cultores, Curetes.* 117
Tarteſſij ſiue Tarteſſiaci, *ijdem cū Tarſis.* 73, *& ſequent.*
Tarteſſiorum *primus rex Gargoris, ſecundus Habis.* 117
Tarteſſus Bætis fl. dictus. 68, 70
Tarteſſus *regio & vrbs in Hiſpania.* 43, 68, *& ſeq.*70, 106
Tarteſſus ſiue Tarteſus poteſt dici Atlas. 109
Taurus aſtrum Venereum. 111
Taurus mons. 7
Tectoſaces ex Aſia in Galliam venere inde in Græciam profecti, vnde pòſt in Aſiam redierunt. 21
Telamon. 112
Tephlin. 80
Ternarius numerus. 16
Terra quòd tarditatem colligat, terrena omnia ſunt relinquenda. 69
Tetragrammatum nomen. 9
Teutones dicti Aſcanij. 26
Teutonicus ſermo ante Diluuium fuit. 13. *Vide Cimbricus ſermo.*
Thabal pro Thubal quidam dicunt. 11
Thabelaca. 11
θαῤῥῶ. 62
Tharſes. Vide Tarſes. 67
*Thebæ vnde dictæ, à Cilicibus cōditæ.*66. *ab Achille euerſæ.* 66
Thebæ multæ fuerunt. 67
Theman regio. 98
Theobaldus. 12
Theodobaldus. 12
θεός. 60
Theſmophoros dicta Ceres. 45
Theſmophoria Cereris ſacra Eleuſius inſtituit. 45
Thobal, pro Thubal, apud Ioſe*phum.* 11
Thobel. 3
Thobeli. 3, *& ſequent.*
Thobeli quas ſedes habuerint. 5, *& ſequent.*
Thobelaca op. 5, 11, 16
Thogarma. 25
Thubal vnde dictus, &c. 11
Thubal Iapeti filius. 6. *Albanorum primus rex.* 23. *quas vrbes in Albania condiderit.* 15, 18, 19. *quò coloniam duxerit, &c.* 11. *vbi Iberos condiderit.* 5. *Thobelos ad Caſpium mare condidit.* 6. *primus Hiſpaniæ conditor falsò exiſtimatur, &c.* 3. *eius nullum exſtat monumētum in Hiſpania, &c.* 4. *eius poſteri Albani Iberiam occuparunt.* 19, 20
Thutphat. 80
Thygramma. 25
Thyina ligna. 113
Ti. *i. eo.* 68
Tit. *i. tempus.* 68
Titi ex Alexandria in Iudæam profectio. 96
Toem. 20, 61
Togorma. 25
Ton. 46
Tor oppidum, & deſertum. 83, 90, 96
Traiani fluuius in Ægypto. 89
Tripodis & ternarij firmitas. 16
Troia vnde dicta. 67
Troiana Cilicia. 66
Troianæ arcis primus conditor Cimbrica lingua eſt vſus. 67
Troici montes. 90
Trui. *i. ſus.* 67
Tudela op. 4
Turdetaniæ felicitas. 71
Tus. 42
Tyrrheni à quo originem acceperint. 49
Tyrus antiqua. 76
Tyri & vicinæ regionis ſitus ex Strabone. 76

V.

V conſonans, & B, cognatæ poteſtatis litteræ. 24
V ſimplex digamma frequenter in aſpirationem tranſit. 30
Var. 30
Vard. 33
Veſo prius quàm Veho dixerunt Latini. 30
Veneris ſtella quando Heſperus, & quando Lucifer dicatur. 32
Venti principales quatuor. 29
Ventorum ſpecies triginta duæ. 29
Ventorum nomina omnia Cimbrica ſunt apud cuiuſuis nationis naucleros. 29
Ver. 30, 112
Veritas Hiſtoriæ, &c. maximi facienda. 5, *& ſequent.*
Verſus. 33
Verzinum lignum. 113
Ves. 84
Veſper. 29, 30, *& ſequent.*
Veſperus, Veneris ſtella. 32
Veſt. 84
Veſten. 77
Veſtis. 84
Vigilandum cùm omnibus, tum potiſſimùm principi, & populorum paſtori. 16
Vitis vbi inuenta à Nocho. 7
Vita. 80
Vlyſſes vnde dictus. 52, 66
Vlyſſes Latinis, qui Græcis Odyſſeus. 51
Vlyſſes verus, & fictitius. 51, 52
Vlyſſes ſiue Olyſſes Homericus, idem qui Elyſa Moſaicus. 52
Vlyſſes Homericus totus purum putum figmentum eſt. 59. *vnde eum finxerit Homerus.* 51, 59. *Ithacenſis fingitur.* 51. *apud Occidentales quàm apud Græcos notior.* 51. *an extra Herculis columnas nauigauerit.* 58. *eius nauigationes, & errores.* 52. 53
Vm. 41. Vi. 116
Vij, Vijheit. 24

Vnæ

Vua, quam è terra promiſſa Moſi ſpeculatores attulerunt, magnitudo. 101

W.

W in quas litteras mutetur. 29
W ſæpè à Latinis, Græcis, & Hebræis reiicitur, nulla alia littera ſubſtituta. 29
Waker. 33
Wart, Wert. 33
Wer. 23
Weſt. 29, 31
Weſt *nominis ratio quadruplex.* 31, *& ſequent.*
Win. *i. lucrum, poſſeſſio.* 13
Win. *i. lucror.* 91
Wis. 31
Won. 35
Wt. 33
Wuſtyn. 91

X.

Xenarchus, Cilix, Philoſophus. 65

Z.

Zareth torrens. 104
Zephyrus. 33
ζεύς. 60

FINIS INDICIS.

HISPANICA.

LIBER I.

QVANDO omnis veteris hiſtoriæ fides ex eorum auctoritate pendet, qui res à maioribus geſtas litteris mandarunt; diligens nobis cautio fuerit adhibenda, vt graues & idoneos ſcriptores in originibus indagandis ſequamur: inter quos diuinus Moſes vt omnium eſt vetuſtiſſimus, ita omnibus reliquis tanto anteferendus interuallo, vt ſolus norma debeat haberi & amuſſis omnium antiquitatum. Neque enim à ſacerdotibus tantùm Ægyptiis, à quibus fuit omni diſciplinarum genere diligenter excultus; ſed ab ipſo quoque numine accepit hinc omnium rerum præteritarum memoriam, hinc legem, ritus ſacros, & totius ſalutis humanæ per Chriſtum conferendæ oracula. Huius itaque veſtigiis tantiſper nobis eſt hærendũ, dum Ogygia primorum parentum enumeratio ſcriptis eius continetur; cui mox ceteri libri ſacri ſuccedent, ſiue vaticiniis, ſiue rerum geſtarum narrationi, ſiue laudibus diuinis, ſiue ſapientiæ docendæ dedicati.

Moſes antiquitatũ omnium norma & amuſſis.

Porrò ceteris vel noſtris vel exteris ita tandem credemus, ſi & cum prioribus illis non pugnent, & ipſi tum ſibi tum aliis conſentanea docere deprehendantur. Quòd ſi Phœnicum monumenta à Thedoto, Hypſicrate, & Mocho litteris prodita; & ab Aſito in linguam Græcam verſa ad nos perueniſſent; non dubito quin clariùs & certiùs in Hiſpanica vetuſtate verſaturi fuiſſemus. Inter alios etiam veteres auctores nullum æquè videre vellem atq. Iubam primum vtriuſque Mauritaniæ Regem, in cuius libris non pauca credo fuiſſe, quibus omnia, in quibus nunc cæci ſumus, reddi potuiſſent clariora. Aſclepiades Myrlianus, Grammatices olim in Turdetania doctor, de Hiſpanis gentibus olim librum edidit; cuius minore deſiderio ob id tenemur, quòd de paucis, quæ apud Strabonem extant, facile ſit coniectatu vix quicquam eum præter Græculas fabellas litterarij luſus ritu contexuiſſe, totámque Hiſpaniam Hellenis, Teucri, Amphilochi, ſociorum Herculis, aliorum neſcio quorum poſteris occupaſſe. Sed quando fruſtra ea quæ hominum aut negligentia aut iniquitas aboleuit deſideramus, eorum quorum libri in manibus verſantur, opem imploremus.

Hiſtoriographis quouſq. credendũ ſit.

Phœnicũ monumenta.

Iuba Mauritaniæ rex libros edidit.

Aſclepiades Myrlianus.

Inter hos primùm ſeſe nobis offert Beroſus, Babylonius Beli Alexandri ætate ſacerdos; inſignis profectò auctor futurus, ſi titulo magnifico ſcriptorum veritas reſponderet. Nos quid de illis quæ huius nomine circumferuntur ſentiamus, in principio Croniorum expoſuimus; ad quæ poſſem nunc lectores amandare, niſi vererer ne non omnibus ad manum ſint futura. Nec video quid impediat quo minùs hoc loco iterum breuiter repetam quæ illic copioſiùs ſunt explicata. Certè quicquid hactenus vſquam vidi de primis Hiſpanorum maioribus conſcriptum, id huius ferè ſolius auctoritate niti cerno; cuius fide vel in dubium vocata, vel etiam prorſus abrogata, conſcinditur & dilabitur tota illa Regum antiquiſſimorum ſeries, quorum fauſtis nominibus principes totius regionis partes ſeſe nobis inſinuant atque commendant. Quamobrem haud ſcio pudeátne magis cæci illorum erroris qui tam vano fabulatori temere crediderunt, an magis mihi doleat neminem hactenus reperiri, qui certi quippiam de primis nobiliſſimæ terrarum partis conditoribus litteris prodiderit; præſertim cùm nulla ferè natio gloriæ de maiorum claritate ſibi vindicandæ vel amantior habeatur vel ambitioſior. Iactatur Thubal, iactatur Iberus, iactatur Iubalda, iactatur Brygus. Quid multis? Tagus, Bætus, Hiſpalus, Hiſpanus, Heſperus, & id genus alia nomina reges fuiſſe ſcribuntur; magna illi quidem eorum conſenſione qui Hiſpanicas origines ſcriptis ſuis illuſtrare moliuntur; verùm non video quæ huius tam nugacis & ridiculi commenti queat eſſe approbatio apud homines paulo quàm vulgus ſit eruditiores. Nos iam mox demonſtrabimus nihil in his ſolidæ tinnire veritatis, nec magis Lancobrigum à Brigo, quàm vel Roto-

Beroſus quis fuerit, & quando vixerit.

Beroſi libris fides abrogatur.

Hiſpanorum ficti reges.

magum à Mago, vel Lugdunum à Lugdo conditum fuiſſe. Vt enim vetuſtum illum Beroſum plurimi facimus aliorum teſtimoniis innixi, ita hos libellos qui Beroſi nomine ſibi aſſerere conantur auctoritatem, vaniſſimas nugas eſſe aſſerimus; nedum genuinum Beroſi Babylonij partum fateamur, à quo tam immani abſunt interuallo, vt contraria etiam & ex diametro cum hoc pugnantia impudentiſſimè nobis obtrudant. Quæ pſeudoberoſus hic noſter de Semiramide prodit, ea Beli ſacerdos Græcorum fabulas eſſe ſcribit, nec quicquam habere veritatis; vti cuiuis licet apud Ioſepum videre Beroſi verba recitantem. Sunt & alia à pſeudoberoſo omiſſa, quæ à vero Beroſo fuerunt litteris tradita: inter quæ illud eſt de Abrahamo à Ioſepo annotatum, cuius meminit ſuppreſſo nomine in hanc ferè ſententiam: Decima poſt diluuium ætate erat apud Chaldæos quidam iuſtus vir, magnus & cæleſtium peritus. Hunc autem, cuius Beroſſus mentionem fecit, Abrahamum fuiſſe ex Hecatæo Ioſepus docet; qui integrum librum de Abrahamo ſcripſit. Addit etiam Nicolai Damaſceni verba, quibus Abrahamum celebrauit. Quid hic Beroſus noſter alieno ſeſe nomine vênum protrudens? Piſce magis mutus eſt, cùm alioqui tam inſignem locum præterire non debuiſſet, ſi apud doctos etiam, non modò apud imperitum vulgus, Beroſus voluiſſet videri. Iam Beroſus Aſſyriorum & Chaldæorum res memoriæ prodidiſſe ſcribitur; minimè verò aliarum gentium, niſi qua parte coniunctæ fuerunt. Quòd ſi Thubalis & Iberi, & reliquorum deinde Regum, qui Nino vel ſuperiores vel æquales fuerunt, vel mox ſubſecuti, Beroſus mentionem feciſſet; quæ tanta fuiſſet tum Euſebij, qui omnis veteris hiſtoriæ, cuius idoneus modò ſcriptor exſtaret, verus fuit heluo, tum ceterorum fuiſſet negligentia; vt quæ tam diſertis verbis à Beroſo de Hiſpanorum Regibus prodita haberent, ea ne nutu quidem vno indicarent; cùm tamen multo quàm ea quæ de Sicyoniis & Cretenſibus diligenter ad calculum Chronologiæ vocata ſunt, illuſtriora videri debuiſſent, partim ob tam clara fluminum, montium & opidorum monumenta; partim ob ipſius auctoris fidem apud omnes probatiſſimam. Euſebius ſcilicet illa perpetuo ſilentio multaſſet, quæ Chaldæus ſcriptor tanto terrarum interuallo ab Iberia remotus tot antè annis celebrauiſſet. Sed valeant hæc. Fuerit tam inuidus Hiſpanicæ & vetuſtati & laudi Cæſarienſis Chronicorum ſcriptor, vt quæ de Beroſi libris recitare potuiſſet, ea ſuppримeret atque celaret: quid interim illud faciemus, quòd pſeudoberoſus quinque libros ſcripſerit, verus autem Beroſus tres dumtaxat de Chaldæorum rebus compoſitos Antiocho dedicarit? Egregium verò hiſtrionem, qui pro tribus quinque exhibuit actus: quos ſanè credo eum de Comœdiis aut Plautinis aut Terentianis in hiſtoriam ſuam tranſtuliſſe. Ineptus ſim, ſi pluribus oſtendere coner, hunc Beroſſum è quo Annius & alij ſuas ſuxerunt antiquitates, nihil minus eſſe quàm germanum Beroſum, ob id maximè, quòd id abundè à me præſtitum ſit in Croniorum exordio. Quod porrò ad Manethonem attinet, quin & ille falſo ſe nomine venditet nemo dubitabit, qui animaduertet quàm ſingulari ſollertia, veluti ſuccenturiatus quidam mendaciorum arcis miles, pſeudoberoſi ſtellionatui opem ferat, dum nebulonis iam mentiendo defatigati lampada ſuſcipit, illic mox tabulas falſas exorſurus, vbi alter modum impoſturis ſuis fecit. Et ſtatim in præclari operis ſui initio periura ſua teſtificatione Pſeudoberoſi ſcripta omnibus nititur probare, dignus ſanè qui cacanti laſanum ſubminiſtret. Priſcus ille Manetho ſolam Aegyptiorum Regum hiſtoriam ſcripſit, eundem faciens finem ſcribendi quem Nectanebus vltimus gentilis Ægyptiorum Rex imperandi. Quid verò hic vel de Hiſpania vel Gallia ſcripſiſſet, cùm illo tempore, ad quod hiſtoriam ſuam produxit ac terminauit, vix ipſis Romanis quicquam rerum Celticarum exploratum ſuerit; nedum Ægyptiis aut Græcis? quod ex Polybio, notas ſua ætate regiones deſcribenti, clariſſimè diſcas. Bella profectò ſucceſſio narrationum, quarum altera Aſſyrias res ad Darium vſque vltimum Perſarum Regem deduxit; altera, quæ priorem excipere dicitur, non paullo antè finitur; eo nempe tempore quo Ochus adhuc regnabat, cui pòſt filius Arſes, huic Darius ſucceſſit; & interim non Aſſyrias, ſed Ægyptias res exponit. Potuit hic bonus ſucceſſor non paucis antea annis mortuus eſſe, quàm Beroſus hiſtoriam ſuam legendam dederit Antiocho, tertio poſt Seleucum Aſiæ Regi. Quis tale vmquam vidit hyſteron proteron? quis tam abſurdam peruerſitatem? vt quæ antè ad terminum ſuum perducta ſunt, dicantur illis ſucceſſiſſe quæ & pòſt finientur, & minimè in eodem ſtadio decurrent. Mitto nunc abſurdiſſima commenta; inter quæ cùm alia, tum Francus Hectoris filius Francos condit: qua in re in diuerſa omnia abiens ſententiam meam in Francicis aperui, docens multis ſeculis ante Troiam

Beroſo Pſeudoberoſus pugnantia dicit.

Beroſus tres tantũ, Pſeudoberoſus quinq; libros ſcripſit.

Manethonis hiſtoria falſi conuincitur.

Troiam conditam, nedum euerſam, clarum Franci nomen fuiſſe. Sed quid miremur hos duos mulos mutuum ſcabentes, cùm idem hic ineptiſſimus mendaciorum ſutor, qui nobis hos nugiuendos impoſtores in forum produxit, tertium addiderit, quem Metaſthenem pro Megaſthene nominauit, inſigniter in re omnibus doctis perſpicua hallucinatus? Annius dignum ſe præbens patella operculum, Metaſthenem de iudiciis inſcribit; arbitratus ſe nobis protruſurum celebrem illum Megaſthenem de Indicis. Vide ineptias: nec equidem eas dignas vmquam iudicaſſem quas in doctorum hominum cœtu refellerem; niſi viderem non modò inferioris notæ ſcriptores, ſed eruditiores etiam vel ab hoc Metaſthene vigilantis Annij ſomnio decipi, vel cum iis quæ ſcribit digladiari: quod magis ridiculum eſt, quàm ſi quis inſanus ictibus cum vmbra ſua pugnet. Quod ſi cui placet prolixiùs cum vaniſſimis id genus titulis luctari, is illa legat quibus perpetuo exilio addixi totam illam enneadem ab Annio in aciem productam, quam clariſſimis nominibus commendauit, Beroſo nimirum, Manethone, Metaſthene, Myrſilo Lesbio, Archilocho, Xenophonte, Catone, Sempronio & Fabio pictore: quibus ſi Philonem cum breuiario ſiue enchiridio ſuo addas, inſignem manipulum furum compleueris. Scripſit olim de temporibus tres libros Ptolemæus Mendeſius ſacerdos, quibus res Regum Ægyptiorum complexus eſt: qui cùm fortaſſe deſiderarentur, vel Annius vel neſcio quis alius, Metaſthenem & Philonem ſuppoſuit; in quibus tam malè mentiendi munere fungitur, vt me pudeat graues viros fuiſſe & bene accuratéque omni chronologia inſtructos, qui valde operosè Metaſthenis errores vel refellere vel excuſare laborarint: quaſi verò vllus vmquam Metaſthenes inter veteres hiſtoriæ ſcriptores exſtitiſſet. Nos itaque ſic in hac propoſita obſcuriſſimæ antiquitatis indagine verſabimur, vt eorum auctorum veſtigia ſectemur quorum teſtimonia nec à Moſe recedunt, nec veriſimilitudinem deſerunt; quam maxime ſcriptorum veterum & rationum conſenſu, qui verus lapis Lydius eſt, probabo: ſi tamen mea importunè priùs obtrudam quàm quæ hactenus pro veris & habita & lecta fuerunt refellam, in ipſo ſtatim limine fortaſſis vt impudens rerum bene conſtitutarum perturbator exſibilabor: & rurſus ſi omnia quæ de falſo inſcriptis auctoribus deprompta ſunt, ſigillatim priùs falſitatis euincam quàm meam proferam ſententiam, vereor ne nimia prolixitate non tam gratiam quàm odium mihi ſim paraturus, cum apud ceteros, tum apud illos maximè, qui tam veritatis ſunt auidi, vt ægrè ferant ſi quis viam & rationem Peripateticorum magiſtro familiarem ſequatur. Hac de re mihi dubitanti illud eueſtigiò rectiſſimum iter viſum eſt, vt tritam viam ſequendo, Hiſpanorum Regum nomina enumerarem ea ſerie qua ab omnibus hactenus qui de iis ſcripſerunt recenſentur, & in ſingulis meam adderem non dico cenſuram ſed opinionem; quam ſi bonis doctiſque viris probauero, amplum mihi laboris mei pretium conſecutus videbor; ſin minùs, ipſe tamen gaudebo me hoc partu liberatum eſſe, cùm nihil mihi ſit moleſtius, quàm quæ meo ſolius cerebro hactenus concepta ſunt, ea non poſſe cum aliis communicare.

Metaſthenis hiſtoriæ fides conuellitur.

Megaſthenes celebris hiſtoricus.

Ptolemæus Mendeſius.

PRIMVM igitur Hiſpaniæ conditorem Tubalem fuiſſe ſcribunt: non illud quidem è ſolo pſeudo-Beroſo, ſed ex ipſo etiam D. Hieronymo, qui Ioſepum ſcribentem, Thobel Thobelos, qui nunc Iberi vocantur, condidiſſe; ſic interpretatur, vt Iberorum nomine Hiſpanos intelligat: cui tamen ſententiæ quoſdam refragari dicit, quibus placuit à Thubal Italos oriundos fuiſſe. Examinanda hoc loco diligenter Ioſepi verba, quorum auctoritate nixi ceteri Thubalem primum Hiſpaniæ Regem inaugurarunt. κατοικίζει δὲ, inquit, καὶ Θοβήλους Θόβηλος οἵτινες ἐν τοῖς νῦν Ἴβηρες καλοῦνται. id eſt, Condit autem & Thobelos Thobelus, qui nunc Iberi vocātur. quo loco Tau litteram & ſuo & antiquo Hebræorum errore cum adſpiratione ſcribit: qua de re rurſus idem ſcriptor me pluribus agere coget. De vocalibus in eadem voce mutatis eò minùs ſum ſollicitus, quòd ſciam non ſatis certam & perpetuam eſſe apud omnes Hebræos earum pronuntiationem. Audimus hic à Tubale ſiue Thobelo Thobelos conditos, qui tempore Ioſepi Iberes vocarentur. Græci Iberos Hiſpanos vocant, vnde D. Hieronymus collegit à Thubale Hiſpanos oriūdos eſſe. Verùm tempore Veſpaſiani ab iis quibus cum Ioſepus verſabatur, Iberi non vocabantur qui ad occiduum Oceanum in Europa habitabant, ſed qui Caucaſeis montibus incluſi inter mare Caſpium & Pontum Euxinum agebant. Illi enim tunc Hiſpani nominabantur: quod Ioſepum nullo modo latère potuit, vt eum qui cum Imperatore & tota

Tubal primus Hiſpaniæ conditor falsò exiſtimatur.

Thobeli. Iberi.

Iberi tempore Veſpaſiani qui fuerint, & vbi habitarint.

tota eius prætoria cohorte & familiaris & aſſiduus eſſet. Salua ergo aliorum pace, ego Iberos hoc loco eos accipiendos eſſe arbitror, qui tunc temporis à Romanis Iberi nominabantur. Cur ita ſentiam non ipſe modò facit Ioſepus, ſed coniunctio ipſius Tubal & *Moſci vnde ducant originem, & quas ſedes olim, quas nunc habeant.* Moſoch in Iapeti filiorum enumeratione: quorum hunc Moſcos dediſſe ad eandem terræ plagam cum veterum omnium ſcriptis citra controuerſiam traditum eſt, tum ſatis demonſtrat hodierna eiuſdem gentis habitatio: quæ nunc montibus, in quibus olim circa Iberos degebat, relictis, in ampliſſimam planitiem commigrarunt: vbi longè latéque imperij ſui fines, non citra grauem accolarum oppreſſionem, & promouerunt olim, & hactenus promouere non ceſſant. Accedit & illa huic meæ opinioni non exigua *Nullum Tubalis monumentũ exſtat in Hiſpania.* comprobatio, quòd nullum in tota Hiſpania vel quondam exſtiterit, quantum quidem memoriæ veterum ſcriptis traditum habemus, vel nunc exſtare audiatur Tubalis monumentum: quamquam non ignoro hac parte mihi mox ignorantiæ crimen obiectum *Franciſcus Tarapha.* iri cum à ceteris fortaſſe, tum maximè à Franciſco Tarapha Barcinonenſi, qui librum ſcripſit De origine ac rebus geſtis Hiſpaniæ Regum: in quo ſimul ac Tubalem primum regem conſtituiſſet, confeſtim addit vrbem eſſe in Bætica Tubal nomine, quam deinde mutato vno elemento Dubal dixerint, vti de Pomponij Melæ auctoritate clarum eſſe dicit. Equidem ingenuè fateor me hactenus neſcire vſquam apud hunc elegantiſſimum terrarum pictorem Dubal inueniri, vti neque apud alium quemquam veterum Gæographorum. At ſuppetias memoriæ meæ fecit Tarapha aiens Dubal à ſuo, neſcio quo, Mela deſcriptum, Setubal nunc vocari. Hìc ego rurſus mirari ſatis non poſſum quid ſibi velit, dum Dubal in Bætica modò de falſo Pompeiani nominis prætextu collocatum, *Setubal.* transfert ad mediam propè Luſitaniam, in qua Setubal opidum oſtio Calipodis fluuij *Palma.* adiacet, quem nunc Palmam appellant. Verùm video quid Taraphæ acciderit: Dum à nugatore ſuo Annio accepiſſet, Dubal Melæ vnam eſſe de priſcis Bæticæ ciuitatibus, nec eam in teſtimonij tabulis reperire poſſet; confugit ad Setubal, non Anam modò latiſſimum, ſed ipſum etiam Calipodem vnà cum media Celtarum regione inſigni ſaltu prætervectus. Fuit ſane hoc loco Tarapha nimium credulus, dum Viterbienſi nugatori Dubal in Bætica collocanti fidem habet citra diligentius teſtis examen; & iterum nimis præceps adiutor mendacij, dum quæ de Bætica dicuntur, ſubitò in Luſitaniam transfert. Et cùm animaduerteret inualidam prorſus atque elumbem figmenti Anniani rationem eſſe, nec apud Melam quicquam exſtare cuius tibicine Tubal Bæticus firmaretur, ſubi- *Tudela.* tò ad Vaſcones, qui nunc Nauarri nuncuparentur, perfugit; apud quos ad Iberum Tudelam opidum commodum inuenit, in cuius nomine ſatis clara atque euidens memoria Tubalis audiretur. Dicit enim olim Tubellam nominatam fuiſſe, atque inde, vt fit vitio hominum veræ antiquitatis imperitorum, Tudelam vocari cœpiſſe. Eadem elegantia *Tafalla.* ex Tafalla, quod opidum paullò propinquius iugis Pyrenæis ſubeſt, commentus eſt nobis priſcam vrbem Tubalam.

Miram ſanè video ſollertiam Taraphæ in Anniani idoli curatione, quam videns non bene ſucceſſiſſe in Bætica, longè terrarum extra Iberum quæſiuit medicamenta. Sed quis te rogo generoſe Tarapha docuit, Tafallam & Tudelam apud antiquiſſimos illos Hiſpanorum maiores Tuballam & Tubelam dici ſolere? Viſne hoc tibi tamquam Ariſtidi cuipiam credamus, à quo nec teſtes, nec iuſiurandum videatur poſtulandum? Lubenter id quidem concederemus tibi, præſertim viro canonico; cuius nominis dignitatem tueri non potes, ſi à veritatis regula diſcedas: verùm hæc eſt docentibus antiquitatem lex ſcripta, vt nihil prorſus aſſerant quod non idonei auctoris teſtificatione poſſit teneri. Condones igitur nobis, ſi aſſertionem quampiam facti citra teſtem credere nolimus. Non eſt igitur quòd antè tecum de Tudela & Tafalla contendamus, quàm nobis aperueris, cuius auctoritate fretus hæc nomina mutanda eſſe ſcripſeris. Cuiuis licet ſomnia ſibi comminiſci, & quamuis vocem in aliam aliqua ſaltem tenus ſimilem transferre; ceterùm ſi id genus ludibria à quopiam emi velit, ea nugiuendis det ad mulierculas garrulas perferenda; quibus ſi probentur, bene illud quidem; certè ſcholis hiſtoricis obtrudi nequeunt, vt non ſimul exſibilentur & explodantur. Eiuſdem vanitatis eſt quod Annius & Tarapha adiiciunt, Tubalem alio nomine Tarraconem nuncupatum fuiſſe; quod nomen תרראקניא per Quof in medio ſcribit Munſterus, quo boum poſſeſſionem interpretari liceret. Quòd ſi mihi fatendum ſit Tubalem hoc nomine appellatum fuiſſe, ele-

gantiorem

gantiorem compoſitionem putarim, ſi poſterior nominis pars à רעה quod eſt paſcere, ſumta dicatur; atque inde Tarragonem eum vocemus quem Latini dicunt bubulcum. Litteram enim illam quam perperam Hebræorum alij Ain, alij Hain vocant, per G ex imo pectore cum magno ſpiritu pronuntiari debere, in Hieroglyphicis meis demonſtraui. Mediam verò litteram & adſpiratam in tenuem tranſire, vnum eſt de frequentiſſimis. Verùm enimuerò an primæ Hiſpaniæ conditorum nomina de Hebraica aut Phœnicum lingua interpretanda, mox videro. Ad præſentem quæſtionem abundè ſatis fuerit, ſi dicam mihi citra teſtes idoneos, in quorum numero nugatorem Beroſum non habeo, probari non poſſe, Tarraconis cognomen Tubali magis quàm ceteris Iapeti filiis datum fuiſſe. Nec magis moueor eo quod de Noëga & Noëla fabulantur, propterea quòd nec hîc aliud quàm frigidam coniecturam videam, de qua quid ſentiam ſuo item loco explicabo. Neglectis ergo iis quæ modò adducta dixi, ab Annio & Tarapha, & horum aut pedaneis aut anteſignanis, ad docendum primum Hiſpanorum regem Tubalem fuiſſe, ad Ioſepum reuertamur, qui Tubalem Iberum regem fecit. Iberes enim, non Iberos vocauit, tametſi in hac re nihil prorſus ſit diſcriminis, niſi quòd Iber ad veram originem rectiùs quadret, vti iamiam docebo. Dico itaque multo veriſimilius eſſe, Tubalem principio ad Caucaſum hinc Caſpio mari, hinc Euxino deſuper imminentem in confinio fratris ſui Meſech principis, Moſchorum patris, Iberos condidiſſe: non illos quidem ſub Iberorum nomenclatura, ſed ſua ipſius, vt Ioſepus veriſſimè tradit. Thobeli enim, ſiue Thabeli, vt alij protulerunt, non in Hiſpania nominantur à Geographis; ſed ad mare Caſpium, à quo progreſſi eam occuparunt regionem quæ pòſt Iberia vocata eſt. Sed ne eius criminis quod in aliis reprehendimus nos reos faciamus, ſtatim teſtem proferemus non tam ad noſtram opinionem, quàm ad Ioſepi auctoritatem, contra clarum D. Hieronymi nomen tuendam, qui eum aliter, quàm debuiſſet, accepit. Vt numquam Thobelos vel Thabelos in Hiſpania quiſquam audiuit, ita Ptolemæus, cuius vnius teſtimonium plurimorum inſtar habet, Thobelicam opidum vltra Albanum flumen in Caſpium mare defluens collocauit; quod nomen in vera & germana Ianigenarum lingua nihil aliud ſignificat, quàm Thobeli excubias, ceu diceremus Thobelis wic, vbi duplex digamma, quo Græci æquè atque ceteræ linguæ carent, eſt reiectum. Nec mirum ex V fieri O, & ex hoc A; cùm id genus permutationes in quauis lingua creberrimæ ſint: quod quia neminem doctorum hominum latêre puto, exemplis hoc loco non declarabo. Alibi commemoraui nos Man dicere, Allemanos in eadem ſignificatione Mon, & id genus variationes eſſe in diuerſis eiuſdem linguæ dialectis quàm frequentiſſimas: & dum Thubalis nomen exponam, docebo ab aliis au, ab aliis o, ab aliis ou proferri in eadem notatione. Inuenti ſunt igitur Thobeli & eorum ad Caſpium mare vicus. Quid opus eſt pluribus? Nónne hic Tobalis euidentia cernimus veſtigia? Quis Ptolemæo & Ioſepo, vnà in eandem ſententiam euntibus, in hoc genere ſcientiæ verſatiſſimis audebit repugnare? Apage nunc Annianas nugas: Veritatem ex iis audiamus qui inter omnes probæ monetæ ſcriptores primam ſibi claſſem vindicarunt. Peripateticum auſcultemus non otioſè monentem: Vnicuique in ſua ſcientia credendum eſſe. Nec verò malè de piis D. Hieronymi manibus merebor, ſi hoc perfecero, ne quis poſthac eius non tam ſententia quàm coniectura in errorem ducatur; & eum quidem tanto grauiorem, quanto falſa opinio tum in ceterarum cognitionum, tum in hiſtoriæ principiis ſemel admiſſa plura ſecum trahit impedimenta veritatis. Iam quanto omnibus gemmis & gazis pluris facienda ſit veritas, non illa modò quæ religionem cuſtodit, ſed & hæc quæ in primis gentium originibus verſatur, illi ſatis oſtenderunt, qui dum contra exteros verum vnius Dei cultum apud Iudæos ab Abrahami ætate ſemper fuiſſe docere nituntur, hoc ſibi in primis negotij ſumunt, vt è priſcorum conſenſu demonſtrent, & Moſem omnibus Græcis eſſe antiquiorem, & ea quæ prodidit, vetuſtiſsimis aliarum gentium monumentis conſentanea deprehendi. Quid aliud agit Ioſepus contra Appionem Grammaticum? quid Tatianus contra gentes? quid Iuſtinus Martyr? quid Clemens Alexandrinus? quid Euſebius? quid ceteri qui principes apud Græcos & hiſtoriæ & religionis noſtræ fuerunt? an non omnes ad primam adſcendere nituntur antiquitatem, vt ex ea perennem & ſibi ab omni temporum memoria congruentem atque conſtantem oſtendant religionem? Cur verò id faciunt, niſi quòd ſciant primam quæſtionem eſſe, An res ita ſeſe

Ain Hebraicæ litteræ vera pronunciatio.

Tubal vbi Iberos condiderit.

Thobeli quas ſedes habuerint.

Thobelica.

Hiſtoriæ veritas, & primæ gentium origines quanti ſint facienda.

Sacra ſcriptura à quã plurimis in calumniam rapitur.

habeant, vti à nobis habere creduntur? in quibus liber Geneſeos à Moſe conſcriptus primas habet partes, in quem & olim Græcorum plurimi,& hodie frequentiſſima turba hominum Atheorum venenatas linguas exacuit. Nec eſt ſanè quicquam facilius,quàm omnia illa quæ de Creatione mundi,de Diluuio,de Arca, de Nochi poſteris ſcribuntur, non apud imperitam modò plebem, ſed apud eos etiam qui ſibi litterarum nomine plurimùm placent, in calumniam rapere, & quæ in ſumma nobis ſunt veneratione habenda, veluti prima fidei noſtræ fundamenta, ea adducere in ſuſpicionem anilium fabularum. Nuſquam igitur veritas diligentiùs cuſtodienda, quàm in illis quibus ſublatis tota collabitur ſacræ ſcripturæ auctoritas. Fruſtra quæſtionibus ſeſe exercerēt Theologorum ſcholæ,ſi prima ſacræ ſcripturæ exordia pro nugis haberentur, vt haberi à quàm plurimis non de relatu longinquo didici,ſed creberrimè ex iis ipſis audiui, qui, prô dolor, ſe huic impietati iam obnoxios eſſe fatebantur. quod putaui monendũ, ne cui pio viro hæc curioſa noſtra primarum originum inueſtigatio ad ſuperuacaneos, & Reip. Chriſtianæ inutiles labores pertinere videretur. Neque enim ab his tantùm mediocriter doctis,ſed ab illis etiam qui & eruditione & dignitate eccleſiaſtica primos ordines ducunt, aliquoties reprehenſus ſum,quòd tempus vanis nulliúſque momenti ſtudiis perderem, dum nimis diligens eſſem in primis gentium linguarumque originibus ad normam Moſaicam accommodandis. Sed ſuo quiſque fruatur iudicio: me interim necdum pœnitet ea perueſtigaſſe, quæ ab aliis hactenus, iuxtà doctis atque indoctis,explicata non fuerunt,vel quia ſeſe aſſequi poſſe deſperarent, vel quòd in quibus parum valerent, ea contemnenda exiſtimarent, vitio ſanè pluribus communi quàm candorem deceat Chriſtianum. Prolixiùs hæc expono, ne cui videar citra graues cauſſas à quoquam maioris auctoritatis viro velle diſſidere: & cogar tamen doctiſſimis quibuſque non ſemel refragari;quod dum fiet, eandem velim excuſationem valere. Verùm his miſſis, ad id vnde diſceſſimus reuertamur. Thubalem igitur ad Caſpium mare Thobelos condidiſſe, Ptolemæo & Ioſepo credamus, non tam quòd ipſi ſic ſenſerint, quàm quòd compertum habeamus ab vtroque horum omnium veterum hiſtoriæ ſcriptorum libros accuratiſſimè excuſſos fuiſſe: quod vt de principe Gæographorum quiuis facilè intelliget, ita de Ioſepo illi perſpicuum fiet, qui ea legerit quæ doctiſſimus hic vir cum alibi, tum contra Appionem Grammaticum ſcripſit. Porrò ſi hic tam diligenter in Archæologia ſua Beroſi auctoritatem Moſaicis ſcriptis applicuit, vti cuiuis licet videre; an putamus eum taciturum fuiſſe, ſi quid ab eo de Tubalis in Hiſpania regno didiciſſet? Nemo profectò, qui primum ſaltem eius librum legerit, id cuiquam aſſentietur. Quo fit, vt prorſus vaniſſimis mendaciis ea ſint annumeranda, quæ Annius, & ipſius Idolum Pſeudoberoſus,& eius cultor Tarapha de Tubale prodiderunt; quorum ſi vel vnum Iota apud Babylonium ſacerdotem exſtitiſſet, numquam fuiſſet à Ioſepo aut diſſimulatum aut neglectum. Iam illo quòd Euſebium etiam ad partes vocant, quid poteſt eſſe impudentius? in cuius Chronologia nulla mentio regni Hiſpaniæ inuenitur, nedum Tubalis & Iberi & Iubaldæ & ceterorum Regum in cerebro Pſeudoberoſi & Annij (niſi hæc nomina eundem ſignificent) natorum recenſeatur ſucceſſio. Non parum hactenus effecimus, ſi verum illud eſt Horatianum, vt eſt veriſſimum, Virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima Stultitia caruiſſe. Quæ enim maior ſtultitia, quàm vel Pſeudoberoſo vel Annio vaniſſimo mendaciorum mangoni credere contra Ioſepi & Ptolemæi ſententiam? præſertim cùm eorum vtantur teſtimoniis, qui ne per ſomnium quidem quicquam eorum quæ ipſis affingunt, cogitarunt; nedum ſcriptis prodiderunt. Nos tamen non hoc agimus vt Tubalis poſteros Hiſpania excludamus, ſed vt quiuis intelligat, nullis ea fundamentis niti quæ vel Annius vel Tarapha vel ceteri hiſtoriæ Hiſpanicæ ſcriptores hactenus de Tubale prodiderunt. Noſtram autem hac de re ſententiam in Iberiæ conſideratione aperiemus. Quando itaque Thobelorum regionem inuenimus, pergamus vlteriùs inueſtigare quibus ex oris Thubal ad eam peruenerit, quo & de itineris ratione veritatis eliciantur argumenta. Vt hæc inquiſitio recto ordine nobis ſuccedat, ante omnia ſciatur oportet, vbi antè Thubal habitarit quàm vel Thobelos vel Iberos conderet. Id ſciemus ſi liquebit, vbi pater ſedes habuerit: qui cùm Iapetus fuiſſe à Moſe tradatur, atque is vnà cum patre ſuo & fratribus in Arca fuerit, numquam quicquam certi ſtatuere poterimus, niſi priùs intelligamus quo terrarum loco Arcam Nochus cum filiis ſuis ſit egreſſus, & quam mox inde tenuerit regionem cum

Hiſtoriographi veteres diligenter à Ptolemæo & Ioſepo excuſſi.

Tubalis pater Iapetus.

cum ipſe, tum Iapetus Thubalis pater. Hic longè maior difficultas nos excipit, nata illa quidem non ex Moſe, ſed ex iis qui Moſem malè ſunt ſecuti; quorum communis error magnum fuit ignorantiæ craſſiſſimæ ſeminarium iam à multis ſeculis, non apud indoctos tantùm, ſed & apud doctiſſimum quemque graſſatæ, & adhuc fortaſſe graſſaturæ ad multas ætates, niſi eam Indoſcythica noſtra profligaſſent. Ne tamen tantiſper Hiſpanicis originibus ſuperſedere cogamur, dum illa ab omnibus quibus hæc paramus fuerint lecta, breui compendio quid ex illis ſit neceſſariò ad earum rerum quas hic expoſituri ſumus comprobationem accerſendum, explicabimus. In primis itaque cum Moſe dicimus, Arcam in montibus Ararat quieuiſſe, quos Armeniæ montes plerique omnes interpretantur: Ioſepus Gordyæos intelligit, D. Hieronymus eos è quibus Araxes profluit, alij denique alios, vt illo libro latiùs oſtendi. Verùm nemo eorum illos montes aſſignat qui collatione camporum Sennaar, in quibus pòſt Babylonica turris exſtructa eſt, orientem verſus ſint remoti. Vnde efficitur, vt vel ipſi omnes errarint ad vnum; vel Moſes falsò dixerit, Nochi filios poſtquam in magnam multitudinem excreuiſſent, ex oriente ad campos Sennaar commigraſſe: quod impium ſit non tantùm fateri, ſed etiam cogitare. Omnes enim montes quorum mentionem faciunt, declinant ad occidentem dum Babylonicis campis conferuntur; à quorum finibus ſi veniſſent, ab occidente, non ab oriente iter ingreſſi fuiſſent. Nos igitur conuenienter ſacræ ſcripturæ montes Armeniæ Taurum eſſe dicimus, qui varias variis nominibus propagines per totam Aſiam emittit, quos non mirum eſt Armeniæ montes à Moſe vocari, eo quòd ex illis nobiliſſima duo flumina Tigris & Euphrates priùs Armeniam permeent, quàm ad Babyloniam irrigandam deſcendant. Deinde, quia Iudæis ſcripſit, non alia nota montes hos meliùs poterat ſignificare, quàm ſi Armeniæ montes vocaſſet; eo quòd inſignis eorum altitudo ad ſuperiorem Armeniæ partem notiſſima hæc flumina effundat. Quærenda ergo illa horum montium pars quæ campis Sennaar collata longè ad orientem recedit, quam ad Paropamiſum inuenies, vbi Taurus propriè Caucaſus nuncupatur. Huic ſubeſt Margiana, in qua vitis tanta ſua ſponte creſcit, vt duorum hominum complexum ſæpius vel impleat vel excedat. Quo fit vt mirum non ſit, ſi Nochus tum demũ vitem inuenerit, quam antea numquam in India, in qua natus erat, conſpexerat; vtpote regione vitis neq. tum neq. nunc ferace. In hac regione Meros mons eſt, in quo Nochus Nyſam condidit, primum poſt diluuium opidum: à quo tota Dionyſiacorum ſiue Bacchinaliorum pompa ad ceteras orbis partes manauit. Nochum enim Bacchum à vini inuentione poſteri vocarunt; & tot præterea nominibus indigitarunt, quot Deus eum dotibus præ ceteris mortalibus exornauit. Cùm itaq. in beatiſſima illa regione in magnum numerum nepotes eius excreuiſſent, magnam coloniam emiſit ad occidentem, ſecundum longam montium catenam. Ipſe interim, vti ſummus & Sacerdos & Rex, ad Nyſam manſit, illo apud ſe filio retento ad omnia quibus vſus eſſet adminiſtranda, qui & ætate minimus eſſet, & patri, iuxtà ac de conſecratione liquet, ſeſe ſemper gratiſſimum iucundiſſimúmq. præbuiſſet. Neque enim vlla ratio admittit, vt ſimul omnes aliò emigrarent ex ea regione quæ feraciſſima eſſet cum rerum ceterarum omnium, tum excellentiſſimi vini. At ſi manere quiſquam debuit, pater certè ſummus tum magiſtratus manere debuit: & ſi manere debuit, quo & ipſe quieſceret & iter agentibus commeatum ſuppeditaret, poſtulabat tum ipſius ætas tum dignitas, vt vnum filiorum apud ſe teneret; & eum quidem qui maximè placeret, quò & præſentia eius frueretur, & ipſo ad omnia & ſacra & profana vteretur miniſtro. Coloniam itaque ducunt Sem & Cham maiores natu filij, cum quibus aliquot etiam Iapeti liberos profectos eſſe probabile eſt: & quo itinera & regiones diſcerent, & Iapeto nuntiarent ſi qua re opus proficiſcentibus eſſet; tum etiam quo patrem & auum docerent & quæ loca tranſiiſſent, & quibus tandem ſedes fixiſſent. Hæc autem ita fieri debuiſſe communis vitæ ciuilis ratio demonſtrat; quam qui non intelligit, is profectò non eſt dignus ſacræ Moſis hiſtoriæ lectione. Scripſit hic breuiter quidem pro eo ac decet ſacra tractantem, ſed ſic ſcripſit, vt ex vnica ſententia quàm plurimæ aliæ deducantur, collectione apud eos ſemper habenda neceſſaria, quibus ab experientia & vſu rerum cognita ſunt omnia illa quæ ad quaſuis Reip. partes cum dignitate obeundas recta officiorum ratio præſcripſit. Profectis igitur Semo & Chamo, & vnà miſſis legatis & commeatus procurandi præfectis, & eorum miniſtris, per longa montoſarũ regionum

Arca Noë vbi quieuerit.

Ararat mõtes qui ſint.

Taurus mõs.

Caucaſus mons.

Margiana.

Vitem vbi Nochus inuenerit.

Meros.

Nyſa à Nocho condita.

Sem et Cham coloniam deducunt.

Sennaar campus. interualla, tandem lætiſſimi campi ſeſe offerunt, quorum ingens & vaſta latitudo omnem oculorum aciem, in quaſcumque partes coniecti fuiſſent, longè excedebat. Ea planities non ſolùm fertilitate, ſed amœniſſimo etiam & latiſſimo flumine multas ſecum allaturo commoditates tum ad irrigationem agrorum, tum ad importandi exportandique copiam, hinc ex ſuperioribus partibus, hinc è mari, inuitabat. *Sem et Cham vbi ſedes fixerint.* Collocatis igitur hîc ſedibus, facta eſt agrorum diſtributio, interim vltrò citroque iis commeantibus quibus hoc negotij vel à Nocho & Iapeto datum eſſet, vel vltrò etiam ſuſceptum, vt eſt ſemper auida rerum nouarum humana natura, quas cum auditus tum viſus plurimas ſolet in longinquis peregrinationibus offerre. His modò coloniis emiſſis, quas duo fratres natu maiores ducebant, *Iapetus apud patrem Nochum permanet.* Iapetus cum liberis ſuis qui vnà profectionem non eſſent ſecuti, ob eas quas dixi cauſſas ſolus cum Nocho omnium poſt diluuium patriarcharum patriarcha, ſacerdotum omnium & regum omnium ad ipſum vſq. Chriſtum, cuius imaginem gerebat, principe in illis locis quæ Nyſæ & Mero, in quo vitis fuerat inuenta, proxima iacebant, permanſit; & paullatim finitimas etiam orbis partes ſuis filiis & nepotibus frequẽtauit: *Saci. Gommeri.* Illuc Sacis ad Imai radices, nec procul inde Gommeris aliis aliò habitatũ emiſſis, vti à nobis latè alibi explicatum eſt. Labẽtibus iam annis, cùm Semi & Chami & nonnullorũ etiam Iapeti nepotes immenſo auctu accreuiſſent, viderentque maiorẽ eſſe multitudinẽ quàm quæ campis Senoar contineri aliquè poſſet, comitia habuerunt, quo facto opus eſſet deliberaturi; *Babel turris origo.* in quibus ſtatutũ eſt cõmuni omniũ ſentẽtia & applauſu, inſigne & eximium aliquod monumentũ exſtruendũ eſſe, cuius æterna duratio & ſtupẽda operis magnitudo perpetuò teſtaretur, quanti qualeſque viri, & quàm innumeri locum illum quondam habitaſſent. Iactis igitur ſuperbi & inſani operis fundamẽtis, & iam portentoſa ſublimitate ipſi cælo aſtriſque minitante, Deus cui nihil magis quàm arrogantia & ſtolidus ſui ipſius amor diſplicet, dementes elatorum hominum cogitationes & veſana conſilia ſolis humanis viribus innixa momento temporis diſſipauit; & quò perennis exſtaret memoria quàm Deo omnis diſpliceat faſtus, *Linguarum confuſio.* non ipſam modò cœpti operis molem deiecit, ſed ipſos etiam qui ſtupida arrogantia inflati, monſtroſam arcis ampliſſimæ altitudinem moliebantur, ſermonis patrij, qui omnibus ad id vſque temporis vnus fuerat, obliuione ceu apoplexia quadam percuſſit; & loco vnius linguæ varias multaſque ipſis mox inſpirauit, quibus inter ſe diſſidentes, veluti ebrij aut mente capti, fruſtra alter alterum alloqui nitebãtur; quæ ſermonum confuſio & mutua cogitationes conferendi inopia fecit vt turris Babel vocaretur, *Babel turris vnde appellata. Babelen qd ſignificet.* eo quòd **babelen** illi dicantur vernaculo nobis hactenus ſermone, qui ſonos verborum ſic confundunt, vt quid velint intelligi nequeat; cuius vocis ratio petita eſt ab edentulis. nam hi neceſſariò vocum diſcrimina confundunt, quòd iis careant inſtrumentis quibus veluti fidibus quibuſdam ſoni diſtinguuntur; & idcirco ipſis gingiuis, in quibus dentes fuerant, loco dentium vti coguntur, quæ nobis **babelen** vocantur. *Sermo primus apud Nochũ & Iapetum permanſit.* Quando igitur neque Nochus neque Iapetus vnà cum ſuis qui in campis Senoar non fuerant, in iis locis permanſerint & habitarint, quæ magno multarum regionum interuallo ab Euphrate erant remota; nulla poteſt cauſſa cogitari ob quam & ipſi ſui & maiorum ſermonis iacturam feciſſent, cùm ne illi ipſi quidem, qui à Margiana tam longè emigrauerant, ſermonem ſuum antiquum perdituri fuiſſent, niſi immani ſeſe ſuperbiæ ſcelere fœdaſſent; ob quod à Deo puniti fuerant linguarum confuſione. *Linguarum confuſionis ratio.* Fuit autem hæc talis, vt antiqua vocabula ab aliis aliter fuerint corrupta, litteris variis modis tranſpoſitis aut in vicinas commutatis, ita vt non tam vocum priſcarũ integra perditio, quàm litterarum in iis & ſignificationum confuſio potuerit vocari; quæ quomodo differat à corruptela illa quam aut variarum gentium commiſtio, aut ipſa ætas omnia paullatim deprauans & immutans inducit, in Hermath. oſtendi. His modò breuiter ex Indoſcythicorum libro repetitis duo confeſtim conſequuntur maximi nobis ad ea quæ nunc in lucem vocare molimur momenti futura; *Iapetus quæ loca primùm poſt cataclyſmum incoluerit.* quorum alterum eſt, quòd Iapetus cum liberis & nepotibus ea primùm loca poſt cataclyſmum incoluiſſe reperiatur, quæ Paropaniſi iugis proximè ſubiacebant; è quibus deinde numero aucti, ad vicina commigrarunt: Alterum, quod eſt multo etiam pluris faciendum, in eo conſiſtit, quòd primus ſermo ab Adamo Spiritus ſancti inſtinctu factus, *Sermo primus qualis fuerit, & apud quos ſeruatus.* apud ſolos Iapeti poſteros fuerit ſeruatus; qui cùm talis fuerit de Moſis teſtificatione, vt voces per elementa ſua veras rerum notiones adamuſſim imitarentur, &, quoad eius ſonorum diſcrimine fieri poteſt, clariſſimè depingerent,

gerent, veriſſimus eſt index & certiſſima manus Mercurialis ad omnem cognitionem quam Deus primo homini infudit, iter demonſtrans: ita vt mox iis qui huius ſermonis veras rationes perdidicerint, recta via pateat ad omnē eruditionem cùm ceterarum rerum, tum maximè diuinarum. Hanc Socrates in Philebo ſe ſemper quæſiuiſſe confitetur; quo nimirum ſciret quid Deus ipſe primo homini, quiſquis tandem ille fuerit, ſiue Prometheus, ſiue alius (vt ipſe dicit) tradidiſſet. Video ſanè, dum principia neceſſaria ad primos Hiſpanorum maiores è tenebris vocandos ſtruo, aut potiùs à me alibi ſtructa, & in Hermath. & in Hieroglyphicis ſolidis rationibus comprobata repeto, incurſurum in multorum reprehenſionem; quos quamuis meritò amandare deberem ad illa quæ modò commemoraui à me ſcripta eſſe, & à Theologis tum in Belgio, tum in Hiſpania admiſſa; quò tamen iis qui illa legere hactenus vel dignati non ſunt, vel per alias occupationes nequiuerunt, gratum faciam; tribus verbis, ſi potero, omnes ex eorum animis ſcrupulos hoc loco eximere tentabo. Plerique omnes hactenus crediderunt ſermonem Hebraicum primum eſſe, quod tamen Theodoretus negauit: Vergara quatuor profert Rabinos qui iurati teſtes eſſe velint ſermonem Hebraicum primum non eſſe; cuius ego ſcriptoris non tanti facio auctoritatem, quanti eſſe duco quòd ab omni Theologorum cœtu liber eius, in quo hæc ſcripſit, fuerit lucem videre permiſſus. Rabbi Moſes Ægyptius, curioſiſſimus non modò quæſtionum Thalmudicarum & ſubtilitatum, ſed etiam diligentiſſimus Peripateticæ & Academicæ philoſophiæ inquiſitor, cùm diu ſeſe in myſteriis nominis tetragrammati fatigaſſet, tandem confeſſus eſt vocabulum hoc ex illa lingua remanſiſſe, cuius parum admodum in Hebræo ſermone ſupereſſet. Tantum verò abeſt vt ab הוה verbo ſubſtantiuo deriuet, vt clarum diſcrimen inter verbi ſubſtantiui & nominis tetragrammati ſignificationem aſſignet; nedum cum recentioribus Grammaticis hac in re conſentiat, qui ab omnium Rabinorum ſententia in eius etymologia longiſſimè receſſerunt. Certè illud quod Moſes diuinus Pentateuchi ſcriptor, cui refragari nemini fas eſt, primo ſermoni tribuit, nullo modo Hebraicæ linguæ poteſt conuenire; quæ tantum abeſt vt vocabula ſua ad veras rationes primorum in vocibus elementorum reuocare poſſit, vt dum de radicum ſuarum etymologia Grammatici rogantur, non aliud habeant reſpondere, quàm eas primas voces eſſe, nec vlteriùs in cauſſas alias poſſe diſſolui: quod argumentum quanti ſit, quamque nullo modo falſitatis poſſit euinci, Hermath. noſtra demonſtrat. Quòd verò quidam dicunt, in quo triarium robur ſermonis Hebræi eſſe putant, nomina Adami, Chauæ, Caini, Seti, Nochi, & ſi quæ ſint alia quorum rationes à Moſe redditæ ſunt, in ſola lingua Hebraica intelligi, id equidem prorſus nego; cùm non in Hebræo ſolùm, ſed etiam in noſtro ſermone rationes à diuino ſcriptore aſſignatæ ſuam tueantur veritatem: quod declarare non eſt huius inſtituti. Ægyptij, quamuis Hebræi vltra ducentos annos apud eos habitaſſent, quo in tempore ſatis magna ipſis fuit diſputandi facultas, aſſeruerunt tamen primum ſermonem illum eſſe, non quo Iudæi, ſed quo Phryges vterentur; apud quos Bec panem denotabat: quam rem ne vlla obliuio ex hominum animis tolleret, fabella non ab omnibus intelligenda velauerunt.

Hebraicum ſermonem nō eſſe primum.

Nomen tetragrammaton.

Hebræorum radices primæ voces ſunt, nec in alias cauſſas poſſunt diſſolui ab ipſorum Grammaticis.

Phrygiū ſermonem primum fuiſſe, Ægyptij aſſeruerunt.

Quoniam enim ſacra ſua & eorum ritus à Ianigenis acceperunt, noluerunt ea alia lingua tradi, quàm illa in qua primi ipſorum maiores ea didiciſſent, tum vt vocabula rerum diuinarum notionibus reſponderent, tum ne vulgus profanum illotis pedibus ad ipſa irrumperet. Quamobrem magni referebat ad perennem religionis & conſeruationem & intelligentiam, ſi perpetuò apud poſteros conſtaret, è cuius gentis ſermone ſacra vocabula deprompta olim fuiſſent; quo ſi qua dubitatio incidiſſet, haberent quos per legatos interrogare poſſent. Tanta verò cura & religione hanc linguam in ſacris conſeruabant, vt omnes ſacerdotes ea inaugurarentur, vti apud Herodotum diſcere licet. Quid quòd ipſe Moſes, quo auguſtam omnino & ſacram magiſtratus à Pharaone Ioſepo dati dignitatem indicaret, ipſiſſimis illis verbis non Ægyptiis, ſed noſtratibus vſus eſt, quibus Rex eum inaugurauerat? quæ cùm nec Hebræi nec alij poſteriores intellexerint, mirum eſt tanta fide hactenus fuiſſe conſeruata, vt ne vna quidem littera loco ſuo mota ſit. Idem diuinus ſcriptor fecit in Vrim & Tumim, in Ephod & Choſen; partim quo maior eſſet vocum non intellectarum reuerentia, partim vt tandem multis pòſt ſæculis cognoſceretur, vnam eandemque ſemper religionem fuiſſe; tametſi ad idolomaniam iam tum Ioſepi illius priſci tempore & antea etiam hominum peruerſitate & cacodæmonum aſtu-

Cimbricis verbis vſus eſt Moſes in inauguratione Ioſephi.

tia

tia pertracta eſſet. Vocum autem harum interpretationem perſequi & explicare non eſt huius loci, quam tamen nemini negabo, qui idoneum & cupidum ad pie audiendum ſe mihi demonſtrabit; quandoquidem noſter Phrygumque ſermo idem eſt. Epiphanius

Barbariſmus prima ætas.

ceterique veteres Græcorum Theologi primam ætatem Barbariſmum vocant; quem ſi de vocis etymologia deſcribere vellem, non aliud quam veri ſermonis cuſtodiam dicere deberem; quæ quòd apud Phryges eſſet, veſtes Phrygio opere factæ Barbaricæ dictæ ſunt. Ætas Barbariſmum ſecuta, ſiue a diluuio, ſiue a confuſione linguarum proprium

Scythiſmus ſecunda ætas.

ſuum & diſtinctum ſumſit initium, Scythiſmi nomine ob id vocata, quòd apud ſolos Scythas eo tempore reliquus eſſet primus ſermo, quo omnis priorum patriarcharum religio erat conſignata, quem illi quos in Scythia dixi manſiſſe ſoli retinuerunt. Ne tamen

Alphabetorũ duo genera.

vlla vmquam ætas primi ſermonis inueniendi & occaſione & facultate deſtitueretur, benignitate diuina & ſedulo Ianigenarum miniſterio factum eſt, vt duo genera prima Alphabethorum è primo ſermone conſeruarentur: alterum ſolas litterarum poteſtates explicans quo Latini & Germani & Hiſpani & Galli & his vicini ad Abecedarios inſtruendos vtuntur; alterum non poteſtates tantùm elementorum, ſed figuras etiam vna eademque opera ſignificans, quod Hebræi tamquam ſuum ſibi vendicant, à quibus deinde cognatorum ſermonum nationes litterarum nomina licet nonnihil immutata mutuantur,

Alphabeti vtrumq genus precationem continet.

& ab iis Græci ſuum Alphabetum acceperunt. Vtrumque horum precationem ſanctiſſimam complectitur, qua præceptor Deum orat vt puerum, quem litteris imbuendum accipit, parentum primorum vitio brutum factum, rurſus ad ſe erigat, vtpote ad cuius imaginem creatus ſit. Cùm igitur à ſolis noſtri ſermonis peritis orationes hæ intelligi

Cimbricus ſermo primus & vetuſtiſſimus.

queant, nec vllus hactenus fuerit alterius ſermonis hominum qui ordinis litterarum, quo enumerantur, rationem reddere poſſet, iſque nobis ſit clariſſimus, non video cur non debeam fortiſſimè conſtantiſſimeque tenere vtrumque Alphabetum è ſermone, in quo ſolo intelligitur & certam ordinis ſui habet rationem, olim petitum acceptumque fuiſſe; & idcirco hunc primum eſſe dicendum. Iam nulla alia lingua reperitur quæ totius Theologiæ myſteria, & inter alia ipſam Trinitatem è vera vocum ratione intelligendam dare poſſit: quod noſtra ſic facit, vt ex ipſa litterarum poteſtate à Græcis omnibus & Latinis agnita & ſcriptis prodita vocalem imaginem conſtituat omnium eorum quæ de rebus diuinis dici poſſunt. atque hoc demum illud eſt quod Moſes dixit, Adamum iis omnia ſignificaſſe vocabulis, quæ rerum proprias notas haberent, quæque diſtinctis & aptis ſonorum pigmentis veras rerum notiones auribus offerrent: qua in re expreſſa perfectio eſt & fundamentum totius vocum etymologiæ, quam Plato diligentiſſime quæſiuit; ille quidem, ſed in Græco ſermone non potuit reperire, lubenter ob id confeſſus Barbarorum, quos aut Phryges aut Cares maximè eſſe arbitratur tum ipſe tum Homerus, ſermonem habere Græco vetuſtiorem. Accedit his argumentum planè Herculanum, perpetuò ab omni memoria gentium conſenſui innixum, quo conſtat ſermonem

D'outſſe tal.

noſtrum D'outſſe Tal vocari, id eſt antiquiſſimam linguam. quòd ſi Touts dicas ſiue Theuts, idem dixeris quod ipſum antiquiſſimum diceret Latinus, quæ vocula ex articulo Het & outs ſupremo comparationis gradu conciſa eſt more noſtratibus frequentiſſi-

Cimbrici ſermonis artificium.

mo. Taceo nunc illas voces quæ retrorſum vel lectæ vel auditæ id deſignant quod maximè facit ad rem eam declarandam quam prorſa vox denotat: in quibus vt admirandum eſt artificium in nulla alia lingua repertum, ita tam frequens eſt & multis commune, vt ſatis apertum ſit à ſolo ſancti ſpiritus inſtinctu potuiſſe proficiſci. Porrò vt non alio nitemur argumento in ſermonis antiquitate nobis vindicanda, illud tamen vnum ſufficeret, quòd quoties communis aliqua vox eſt nobis & aliis linguis, eius vocis à ſolis noſtratibus veriſſima ratio reddi queat, vti Hermathena noſtra demonſtrat. Quid quòd infinita Latinorum, Græcorum & Hebræorum vocabula clariſſimè oſtendunt noſtratem originem? à qua variis modis declinant vel terminationis auctu, vel litteræ cuiuſpiam immutatione, vel elementorum metatheſi, vel integra etiam conuerſione: in quibus omnibus tamen ad primos eorum fontes etymologia certiſſimo indicio deducit. Hæc obiter partim ex Indoſcythicis meis, partim ex Hermath. partim ex Hieroglyphicis repetita ſunto, quæ iam mox ad rem nobis propoſitam inſignem vſum adferre cernentur; dum priſca hominum, gentium, terrarum, fluminum, & aliarum rerum notatu dignarum nomina ad eorum normam interpretabor, & Iapeti filiorum nepotumque migrationem

tionem certa via & ratione perſpicuam reddam. Quoniam igitur Thubal Iapeti filius fuit in ea terrarum parte, prima eius colonia quæratur oportet, quæ non longè fuerit à maris Caſpij littoribus remota. Ex Ptolemæo clariſſimè docui in iis quæ de Cimmeriorum coloniis ſcripſi, ad Imaum vſque montem verſus Auſtrum, & inde ad ipſum vſque Septentrionem, & vlterius etiam ad Hyperboreos Iapeti filios habitaſſe; atque inde totam Europam vſque ad Gades gentibus impleuiſſe. Thubal itaque videtur è Bactriana mare Caſpium tentaſſe, & tantiſper curſum ſecundum littus tenuiſſe, dum ad oppoſitam Oxo partem appuliſſet, quo loco egreſſum, opidum condidiſſe quod de nomine ſuo Thubals Wat/ id eſt Thubalis excubias, nuncuparit; è quo nomine Ptolemæus, & illi quos eſt ſecutus, Thabelacam fecerunt; propterea, vti modò dixi, quòd gemino digamma carerent. Ne tamen miretur quiſquam quòd nauigaſſe eum dicam, reuocandum in memoriam eſt, maximam cedrorum copiam ad Meron montem fuiſſe, vt ex Curtio liquet narrante, omnia Nyſæorum ſepulcra è cedro facta fuiſſe, atque idcirco dum Alexandri miles ignes ſuos malè cuſtodit, omnia fuiſſe exuſta. Verùm hic mox audiam non Thubalacam nec Thobalacam, ſed Thabelacam à Græcis nominari; & idcirco non ſatis ad Thubalis nomen hoc opidum quadrare. Videamus itaque etymologiam in Iapeti ſermone, quo deinde veræ ſcripturæ ratio in lucem emergat: Thaubal ſiue Thoubal idem nobis ſignificat quod Latinus diceret, Ipſum antiquum conſerua. Dicimus enim ſine diſcrimine Au & Ou pro Antiquo; quarum diphthongorum tanta eſt cognatio, vt altera in alteram frequenter tranſeat non apud nos ſolùm, ſed etiam apud Græcos. Iam ex au Latini faciunt o, dum ex Aula Ollam formant; quo minus mirandum à Ioſepho Thobal pronunciari. Porrò Ou Latini ſic enunciant, vt ab V vocali longa vix vllo diſcrimine ſecernatur. At qui Thabal dixerunt, ipſum V, quod eſt in Au, reiecerunt propter litteram mediam conſequentem. Nec quicquam miri acciderit, ſi quis pro θαυβελακα, θαβελακα ſcripſerit, vt multa in vocabulis ignotæ ſignificationis corrũpuntur. Et hæc quidem de priore ſyllaba. Poſterior Bal eſt, quam noſtrates in Bel frequenter transferunt, facili & procliui ex a in e lapſu. Nihil itaque ad vocis ſignificationem hæc facit variatio, qua qui commouetur, næ is parum in linguæ vel noſtræ vel Græcæ dialectis eſt verſatus. Thaubal ergo compoſita vox ad hunc modum in ſuas ſoluitur partes, Het au behal, quæ ad normam & vernaculam nobis conſuetudinem in Taubal contrahuntur. Iapetus ergo huic ſuo filio eam impoſuit nomenclaturam, qua ſemper admoneretur omnibus in rebus antiquum eſſe ſeruandum. Nihil autem antiquum dici poteſt, quod non ad ideam antiquitatis referatur ceu imago ad ſuum exemplar, quod eſt in ſolo Antiquo Dierum; quo nomine Daniel diuinus vates Deum Patrem indigitauit. Efficax ſanè admonitio, & ad omnem vitæ rationem ſubducendam inſignem allatura vtilitatem; & talis, vt ea ſola omnia præcepta ad ſalutem neceſſaria comprehendantur. Nam vel eo vno omnis continetur doctrina, omniſque ſcientiarum orbis, ſi ſola antiqua lingua ab Adamo facta retineatur, propterea quòd ex ea bene recteq. intellecta omnium earum rerum vera poſſit haberi cognitio, quibus Adamus nomina indidit. Duæ tantùm hactenus ab Hebræis, Græcis & Latinis ſcalæ cognitæ fuerunt, quibus ad Deum Patrem aſcenderetur; altera naturæ, altera ſacrarum litterarum oracula & hiſtoriam ſacram continentium: quarum prior admodum obſcura & lubrica ſemper fuit, iuxtà ac D. Paullus Philoſophis exprobrat; qui cùm per eam ad Deum aſcendiſſent, ipſum illum ad quem aſcenderant, non vt Deum honorarunt: altera certiſſima illa quidem & omnibus ſuis gradibus abſoluta, vtpote per quam cùm alij tum angelus magni & arcani conſilij deſcendit, & humanam naturam ſibi vnitam ad Patrem reduxit; verùm nunc etiam multis impedita difficultatibus, quas nouis ſuis diſputationibus peruerſi homines excitare numquam ceſſant. Videtur ergo Deus ſingulari ſua clementia nobis tertiam nunc ſcalam reuelaſſe, quæ illa quidem non eſt ſcripta, ſed à maioribus viua voce accepta; nec tamen hactenus poſt multos multorum ſeculorum decurſus à quopiam vel agnita, vel intellecta. Ingens profectò in campis Sennaar calamitas accidit, dum prima lingua perderetur, at non minùs apud maiores noſtros Iapeti poſteros nocuit craſſa & ſupina eius ſermonis quem quotidie ſonarent, cauſſarum ignorantia; qua factum eſt, vt pretioſiſſimus theſaurus à nobis, tamquam à ſuibus, conculcetur: & dum ego tandem, diuina gratia ex alto ſomno experrectus, fratres meos admoneo, & ardenti deſiderio docere nitor, derideat atque contem-

Thubal quò coloniam duxerit.

Thubals wat.
Thabelaca.

Thubal nominis ſignificatio & etymon.

Scalæ duæ quibus ad Deum aſcenditur. naturæ & ſacrarum litterarum.

Tertia ſcala qua ad Deū aſcenditur, nunc demum reuelata.

contemnar. Quanto, bone Deus, diuinior Plato, qui monitu fortaſſis obſcuro ſacerdotum Ægyptiorum hanc veritatis inueniendi rationem diligétiſſimè quæſiuit, cùm tamen eius ſermonis quo hæc erat obſignata prorſus eſſet imperitus! Thubal ergo inter cetera in primis monebatur, ne vnquam ſermoné antiquũ deſereret: quia nimirũ eo vna inter alias ad Deum via ceu Mercuriali quadam manu oſtenderetur. quod non ita à me dici quiſquam putet, vt nolim præceptum generatim valere, ſed quo indicem veram veræ antiquitatis inquiſitionem in accurato primi ſermonis examine totam copioſiſſimè contineri & abſolui: cuius nimirũ nulla vox eſt quæ non vtilem aliquam habeat doctrinam ad Antiqui dierum cognitionem vocantem atque manu trahentem. Scio quoſdam à curioſo Græcorum & Romanorum numiſmatum ſtudio antiquarios appellari, quos equidem hoc titulo ornari non ægre feram ſi in Romanis & Græcis hiſtoriis non acquieſcant, & eorum quorum imagines admirantur, non ſequantur etiam mores & opiniones; ſed omnia ſua ſtudia ad vnam vnius, quem Antiquum dierum vocamus, cognitionem dirigant: & hanc cognitionem non cauponentur, quaſi ea aliquid adhuc habeant antiquius. Quanto præſtantius fuerit antiquitatem in ea lingua inueſtigare, qua vt primus homo ab ipſo Deo veram omnium rerum ſcientiam edoctus nobis clariſſimè aperuit, quid de quaque re ſit ſentiendum; ita nihil continetur quod non commonefaciat ad virtutem & recta vitæ officia capeſſenda. Quid rogo hac voce diuinius, qua mox monemur vt perpetuò antiquitatis ſimus obſeruantes? Quamobrem quiſquis eſt qui ſe genus à Thubale ducere gloriatur, is ſe perpetuò Thubalem præſtet; ac numquam ſic ſibi placeat, vt deſertis antiquis legibus & moribus, noua vel ſibi vel aliis inducat: numquam tam ſit ambitioſus & rerum nouarum cupidus, vt vel in minima Reip. bene conſtitutæ atque tranquillæ parte quicquam audeat ab antiquo ſtatu dimouere. Profectò ſi omnes Thubales fuiſſent qui ſeſe vel de priſca nobilitate vel de antiquitatis cognitione vel de vetere Chriſtianorum diſciplina iactant, numquam hæ, quas partim ferimus, partim videmus, calamitates & totarum regionum, nedum ciuitatum & opidorum, euerſiones in noſtram ætatem incidiſſent. Vt enim omnia ab antiquo pendent ſuo quæque ordine & ſuis annulis, ita noſter ſermo ab Au, quo antiquum ſignificatur, de natura litterarum deriuat Hau, quod eſt conſeruo, ſola addita aſpiratione; eò quòd omnis rerum ſalus in eo conſiſtat, ſi ad Antiquum ſpirent. Ex au apud Hebræos in confuſione primi ſermonis manſit Ab, pro patre; cuius vocis domi ſuæ nullum habent etymon: Chaldæi & Syri Abba dicunt. Sed hæc alterius loci, & latiùs patent quàm vt breui verborum contextu queant explicari. Satis eſto viam eminus indicaſſe, per quam ad myſteria antiquitatis & vocis antiquitatem denotantis peruenire queant diligentes indagatores. Eſt hactenus Thubalis nomen in Germania frequens, ſed propter paruam vocis mutationem non agnoſcitur. Nobis familiare eſt Tau monoſyllabis addere: Sic dicimus Au & Aut ſine notationis diſcrimine; Similiter Behal & Behalt/ & eodem modo plurima alia. Hinc fit vt idem ſit Taubal & Taubalt/ in quo Germani idem commiſerunt quod in nomine linguæ ſuæ, vt nimirum ex au fecerint eu, mutato a in e, quod ipſis eſt creberrimum. Sicut enim Dautſe Tal pro antiquiſſima lingua, in Deutſe Tal permutarunt, ita ex Taubalt fecerunt Teubalt/ quod deinde ad Latinam formulam accommodantes Theobaltum nobis protulerunt. Nec aliter nos è Lauter Leuter pro puro dicimus, & pro Laut/ quod ſonare ſignificat, Leut; & alia id genus quàm plurima, nihil vt miri ſit ſi vel Deutſen pro Dautſen/ vel Teubalt pro Taubalt pronunciemus. Nunc itaque non hoc tantùm vidimus, vocem Tubal claram vtiléмque in ſermone noſtro & ſignificationem & admonitioné habere, ſed & illud cognouimus, quòd hactenus inter Germanos quàm plurimi eodem nomine vocentur: qua de ré liquet venerabile olim inter Teutones nomen fuiſſe, vtpote cuius & hactenus memoria in propriis hominum nominibus felix & fauſta habeatur. Cornelius Tacitus ſic extulit quaſi Theude balt dictus fuiſſet, è quo format Theodoualdum, perperam Beta in V commutato. Quòd ſi Thoude walt dicas, antiquam vim notaueris: verùm nos numquam ſic efferimus, at ſemper Theubalt pronunciamus. Quis in hoc nomine non miretur inſignem antiquitatem? quis non exoſculetur & adoret diuinam bonitatem, quòd nobis hanc antiquitatis obſeruandæ admonitionem à tot iam ſeculis reliquam eſſe voluerit? & ita reliquam, vt ſacris Bibliis tamen huius nominis intelligentiam non debeamus, ſed ſoli noſtro ſermoni hactenus in antiqua ſua purita-

Antiquarij.

Antiquitatis ſeruandæ ſtudium laudatur.

Hau, vnde deductum.

Ab, Hebraicæ vocis etymon.

Thubalis ſeu Theobaldi nominis apud Germanos frequentia.

puritate conſeruato. Et quia apud ſolos Germanos & intelligitur, & in hominibus nuncupandis hactenus vſurpatur, perſpicuum eſt Iapetum iam tum noſtra lingua vſum fuiſſe, cùm filio ſuo hanc daret nomenclaturam. Deinde ſi Thubal, ſiue Thubalt noſtratis linguæ vocabulum eſt, conſequens fuerit homines etiam ante diluuium vernaculum nobis ſermonem locutos fuiſſe; propterea quòd filius Lamech & Stillæ Tubal item fuerit vocatus, licet Cain veluti cognomen adiectum habuerit. Sed quid ego hoc ceu magni quippiam commemoro, cùm cetera quoq. propria virorum mulierumq. nomina apertiſſimas habeant in lingua noſtra ſignificationes? vti cum alibi tum in Indoſcythicis oſtendi. Quid enim aliud eſt Adam, quàm agger ſiue terræ moles inuidiæ obiecta? & tota quidem terra Adama dicitur eadem de cauſſa, non quòd rubra ſit, vt Rabbini credunt; ſed quòd cacodæmonis inuidiæ velut æſtuantis Oceani fluctibus ſit expoſita. Cur verò Odem rubrum notet, aliunde quærendum. Rubri enim eſt oculos turbare, perſtringere ac domare: vnde Oogtem, id eſt oculos domans, noſtro ſermone dici poſſet; qua de voce Odem in Babylonica confuſione corruptum eſt. Inuidia autem, cui non Adam tantùm, ſed tota etiam terra obiicitur, Ate ab Homero vocatur; à noſtra voce Hate ſiue Ate/ qua odium & inuidia denotatur; ob id quòd inuidi bonis alienis exedantur & contabeſcant. Chaua, quam vocem nec Eua, nec Haua rectè pronuncies ſi propriam litterarum ſequaris poteſtatem, matrem ſignificat viuentium, ſiue ad verbum, vas vitam dans. קוף nos per duplex digamma proferimus: quo quia Hebræi carent, eius loco non rarò Quof ſubſtituunt, vt etiam Latini pro Wie, Qui; pro Wan Quando, & alia ſimiliter efferunt, vt in Hieroglyphicis meis abunde demonſtraui. Eſt autem Win poſſeſſio, lucrum & quicquid acquiſitum eſt. Litterarum verò rationem, non punctorum habendam eſſe neceſſariò pòſt mihi fuerit dicendum, dum de Ionis nomine diſſeram. Set item noſtras eſt vocabulum, citra adſpirationem pronunciandum; quia per Tau, non per Thet, ſcribatur; licet Iudæi Alphabeti à maioribus noſtris accepti imperiti contrà & doceant & pronuncient: tanta eſt apud eos veræ elementorum diſtinctionis ignorantia. Eſt autem hoc nomen à Set verbo, quod ſignificat collocare. Nam Set loco Abel à Deo poſitus eſt, & in hoc & eius poſteris locata eſt & ſtatuta vera religio. Nochus autem à noſtro Nog ſiue Nooch/ quod nunc cùm proſtheſi Genooch ferè efferimus; quo idem ſignificatur quod contentum reddo ſiue paco. Quid multis? Omnia propria nomina ante confuſionem Babylonicam à Moſe enumerata nobis ſunt vernacula, & in ſignificationis ſuæ cauſſas vſque ad ſimplices litteras ſoluuntur. Sed quorſum me propriis nominibus adſtringo, cùm omnes ſermonis Hebraici radices è lingua noſtra oriantur, & in ea veras habeant notationis rationes, quas fruſtra Hebræi apud vernas ſuos quærent? Hæc obiter Tubalis occaſione repetita ſunto, quæ à nobis alibi latiùs ſunt explicata. Gratulentur ergo ſibi Theubaldi de nominis ſui tum antiquitate, tum interpretatione, tum etiam de pulcerrima & vtiliſſima ad omnes vitæ rationes ſententia, & agnoſcant Iberi Hiſpani quam linguam primi Iberorum parentes vſurparint. Et hæc quidē de nomine Thubalis plura illa quidem fortaſſe quàm nauſeabundis ſtomachis placebit, ſed multo tamen pauciora quàm præcepti quod nomine denotatur, poſtulet amplitudo atque maieſtas: quam ſi ſequeremur, ipſum Tau, vltimæ litteræ nomen, eſſet explicandum; quo tota religio Chriſtiana continetur, ſi ex vera origine noſtrati, pro eo ac poſtulat, capiat interpretationem.

Teutonicus ſermo ante diluuiū fuit. — *Nominū veterum apud Germanos ſignificationes.* — *Adam.* — *Odem.* — *Ate.* — *Chaua. Eua.* — *Qui. Quando.* — *Set.* — *Nochus.* — *Hebraici ſermonis radices veras apud Germanos habent notationis rationes.*

TEMPVS nunc eſt, vt quæ monumenta Thubal in ea orbis parte, ad quam è Margianæ vicinia primùm deuectus eſt, reliquerit; & quia modò de Ptolemæo clarum feci in Albania Thobelos olim conſediſſe, prius quàm ad Iberos veniam, qui poſtea conditi videntur, ſi de locorum poſitu ducere liceat argumentum, Albaniam peragrare decreui. Quoniam itaque modò tradidi, certiſſimam viam eſſe ad veterum ſententias intelligendas, quæ nominum interpretationis indicio vtitur, videamus quid Albania deſignet. Alp ſiue Alb per mediam litteram, montes ſignificat, ab Al op compoſitum vocabulum, quo denotatur id ad quod magno opus eſt adſcenſu. Hinc vox Alp eis, quo perennis montium altiſſimorum glacies vocatur: hinc Albion, quo nomine deſignatur inſulam eam ferè vndiquaque circa littora montoſam eſſe: nec aliunde Alba apud Romam, Alba in Hiſpania, Alba in Gallia, & apud nos Alben pro Orcadibus, apud Sueuos Alb regio non procul à Tubinga. Alb autem pro Albedine componitur per apocopen,

Albaniæ nominis etymon & ſignificatio. — *Alp.* — *Alb.* — *Albion.* — *Alba.*

copen, ab Al-wi, id eſt valde dilato: à quo Iota demtum Alb relinquit, duplici digamma in Beta tranſeunte litteram vicinam: propterea quòd nec duplex nec ſimplex digamma in eadem ſyllaba poſt conſonantem pronunciari queat: Albania igitur componitur
Ban. ex Alb prioris notationis vocabulo, & Ban, quo via regia ſignificatur. Alb ban itaque viam ſignificat ad montes tendentem, & eos quidem multa ac perpetua niue candidos; ita vt gemina videatur nominis cauſſa reddi poſſe in hac ſaltem regione cui Caucaſus deſuper impendet. Vide nunc num malè conueniat veritati Tubalis nomen ex eadem lingua nos petiuiſſe è qua Albaniæ nomen, è quo alterum B euphoniæ cauſſa tollitur, deriuatum eſſe, ne impudentiſſimus quidem contentionis litiſque procurator negare poſſet. Aut Tubalem primum Thobelorum conditorem hoc nomen de ſermone ſuo regioni dediſſe dico, aut mihi aliquem omnino cupio nominari, qui hanc orbis partem noſtrati vocabulo nuncuparit. Verùm hoc loco Solinus Plinij plagiarius negotium mihi exhibet: is Albanos ab albis capillis, quos ſtatim in pueritia habent, dictos eſſe ſcribit. Egregium profectò nugamentum. quaſi verò Albani à Latinis ſibi nomen principio fuerint mutuati. Neque enim ab aliis dicere potuiſſet Albi nomen ad eos veniſſe, niſi fortaſſe tam fuit ineptus, vt hos æque atque Albanos in Latio Latino ſermone vſos fuiſſe crediderit. Quòd verò Iſigonus Nicæenſis prodidit canos ab ineunte ætate capillos & glaucos oculos, quibus noctu melius quàm interdiu cernant, Albanis præcipuos ac proprios fuiſſe; id vaniſſimum eſt; cùm glauci oculi non his modò, ſed ceteris quoque Iapeti poſteris ad Septentrionem vergentibus, & glaucus oculorum color, & albus à prima pueritia capillus communis ſit. Memini me à præceptore quodam meo, cùm prima mihi menti genarúmque lanugo erumperet, crebrò rideri ſolere, quòd ipſi iam ſexagenario concolor eſſem; & antè mihi barba canuiſſet, quàm nata eſſet: At ea aureum pòſt induit colorem, tandem ad nigredinem declinauit. Oculi item glauci mihi ſunt, attamen noctu perinde atque ceteri homines cæcutio atque hallucinor. Valeat ergo Iſigonus cum ſuis pedaneis; & Solinus ſermonis Latini regnum arctioribus finibus includat, quàm vt ad Scythas vſq. ſinat & Caſpios euagari. Permiſiſſem ipſi hanc fabulandi ſcientiam, ſi poſt Pompeij demum bella ad Caucaſum geſta Albani cœpiſſent vocari. Atqui idem annotauit Albanos ſe Iaſonis poſteros credi velle, quod an illi, an alij cuipiam priorum debeam aſſentiri, neſcio: illud ſcio, quæ de Iaſone feruntur, nihil aliud eſſe quàm deliras & aniles fabellas. Quid enim inſanius, quàm Mediæ nomen à Medea Iaſonis ſcorto deriuare; cùm Moſis, multo quàm Iaſon fuerit, antiquioris, teſtificatione conſtet, Mediam à Medi (ſic enim citra puncta, quæ perperam Iudæi addiderunt, legendum eſt) fratre Thubalis nomen ſuum accepiſſe? Verùm quo faciliùs Iaſonicis nugis ignoſcam, facit Trogus Pompeius, cuius partim lu:s & calamitas, partim ſeruator Iuſtinus, Albanos dicit ab Albano in Latio monte Herculem, Geryone nunc extincto, boues agentem ſecutos eſſe, & in Caſpiis conſediſſe; quod delirium non tanti faciam, vt vel vno verbo refellendum putem.

LIBER

LIBER II.

POSTQVAM nunc de nomine conſtat, quæramus quid priſci ſcriptores de regione hac memoriæ prodiderint, & in primis quibus eá limitibus terminarint. Ptolemæus, cuius antiquariam eruditionem nemo vmquá ſatis laudauerit, ab Auſtro eam maiori Armeniæ finibus contiguam facit, ad eam Hyrcani vſque maris partem in quam Cyrus multis oſtiis immittit: Inde ſecúdùm mare Orientem verſus ad Soanam vſq. fluuium extenditur: Ab Occidenti Iberiæ montibus; ab Arcto Caucaſò clauditur, in quo portæ Albaniæ celebrantur. Per mediam ferè regionem labitur Albanus fluuius, ſic dictus vel ab ipſá regione quam mediam ſecat, vel quòd rectam viam ad ſumma Caucaſi cacumina demonſtret, ſi quis aduerſo flumine ſe ad fontes ſinat deduci. Indolem regionis eam Strabo nobis depinxit, vt vix beatior poſſit optari. Ait enim omnem fructum, etiam eum qui ſolo cultu ſolet prouenire, in illa ſponte ſua luxuriare; & quæ ſemel ſata ſunt, ea bis térue fructum afferre, tametſi alioqui citra aratrum frumenta naſcantur. Vites foſſione nulla opus habent, in bimatu fructum ferunt, quibus deinde ſatis eſt ſi quinto quoque anno putentur: cùm adultæ ſunt tantum ferunt vuarum, vt earum maxima pars in palmitibus neglecta relinquatur. Aër eſt temperatiſſimus. Iam & domeſticum pecus & ferarum omne genus pulcerrimos fetus profert. Homines grandes, atque corporibus optimè pulcerrimeque formatis naſcuntur, ſimplices & ad virtutem egregiè ab ipſa natura procliues, ac cauponariæ artis omníſque auaritiæ expertes. Vnum eſt vitium regionis vbertati adſcribendum, quòd ignauam deſidémque vitam agere dicantur. Exercitum emittunt Armeniorum ritu armatum, ſexaginta millibus peditum & viginti duobus equitum millibus conſtanté: Pilis & arcubus vtuntur, thoracibus & clypeis muniti: Galeas è ferinis pellibus parant, quæ ex hac regione ad Iberos etiam tranſmittuntur. Canes habent ad feras inuadendas generoſiſſimos; quo fit, vt venationi plurimùm indulgeant. Narrat Plinius duos inſignes canes Albaniæ Regi fuiſſe, quorum alterum Alexandro Magno gratificandi cauſſa miſerit; cuius hic magnitudinem & formam admiratus, vrſos, mox apros immitti in eum mandat, quibus viſis cùm immotus præ contemtu iaceret, iuſſus eſt occidi ceu ignauum & ſegne corpus: Id cùm allatum eſt ad Albaniæ Regem, alterum miſit, aiens eum ſolum ſibi reliquum eſſe, & idcirco cupere vt in leone vel elephanto generoſi pectoris periculum faceret: Obtemperauit Alexander; mox iacuit leo dentibus diſcerptus: Adductus eſt elephas, qui longa & artificioſa canis dimicatione diu rotatus, tandem cecidit magna corporis mole terram quaſſans. Porrò vt cernas quàm priſci Albanorum mores, ad Strabonis vſque ætatem cõſeruati; cum Thubalis nomine congruant, hoc diligenter animaduertas oportet ab eodem auctore annotatum eſſe, apud Albanos ſingularem quandam eſſe & præcipuam ſenectæ venerationem; quam equidem certiſſimum indicium eſſe cenſeo illius veteris inſtituti, quod Thaubalis nomine conſignari ſanciríque monſtraui. Nam ſi omnis antiquitas accuratè ſeruanda eſt, eaque à ſenibus maximè ſit diſcenda, ſumma profectò reuerentia ſenectus, omnium antiquitatum magiſtra, colatur neceſſe eſt. Quis non miretur hanc nominis in primo conditore & gentilis poſterorum conſuetudinis pulcerrimam concordiam? Hoc demum eſt veras nominum dare rationes, ſi illæ dentur quas veterum ſcriptorum teſtimonia nullis fabulis infecta confirment. Quòd verò Strabo addit plurimas in Albania linguas Pompeij tempore viguiſſe, quod eum à Theophane Magni huius Imperatoris comite didiciſſe reor, eo faciliùs credam, quòd quanto quæque regio fecundior, lætior & beatior eſt, tanto magis exterorum incurſibus obiecta ſit; quo fit, vt varias multaſque accipiat linguas intra paucas omnino ætates, dum aliæ atque aliæ gentes certatim ad vberes agros occupandos poſſidendóſque pertrahuntur. Nobis tamen id obeſſe non multum poteſt, eo quòd priſci ſermonis veſtigia clariſſima, tum in primo conditore tum in vetuſtiſſimo regionis nomine reperiantur; & iis deinde cetera, quæ iam nunc dicturi ſumus, adamuſſim conſentiant.

Albaniæ limites. *Albanus fluuius.* *Albaniæ fertilitas & indoles.* *Albanorum militia.* *Canes generoſos alit Albania.* *In Albania Pompeij tempore plurimas linguas viguiſſe.*

VIDEAMVS modò quas Thaubel in Albania condiderit ciuitates. Vt de aliis obſcuræ fortaſſe fieri poſſunt coniecturæ, quibus niti non temerè quiſquam velit; ita nos

Tubal quas vrbes in Albania condiderit.

abundè ſatis facturos putamus, ſi in tanta vetuſtate tres inſignes atque de veterum & idoneorum teſtium fide celebres claraſque recenſeamus. Magna eſt ſellarum conſtantia, quæ tribus pedibus fulciuntur; adeò vt cacodæmon, Delphici oraculi præſes, vatem ſuam de tripode mendacia effutire voluerit, quò maior eorum firmitas eſſe crederetur. Et verò ſi in quibuſuis conſultantium de Rep. ſuffragiis impar numerus ſeruandus eſt, nullus aut prior fuerit aut præſtantior ternario, cuius typum omnes res creatæ gerunt; nec quicquam à Deo proficiſcitur aut datur, quod non per hunc & deſcendat & formetur. Prima itaque vrbs 𝔗𝔥𝔬𝔲𝔟𝔢𝔩 𝔚𝔞𝔱 dicta eſt, è quo Græci Thoubelacam fecerunt. Mirum eſt quàm omnia primorum parentum monumenta plena ſunt myſteriorum; adeóque nullum ab ipſis nomen factum ſit, quo non ſalutaris communi hominum vitæ doctrina contineatur. Dixi Thoubelum nomine ſuo ab Iapeto monitum fuiſſe, vt perpetuò antiquorum omnium diligens eſſet conſeruator: At hic non ſatis habens adhortatione nomenclaturæ ſuæ perpetuò ad maiorum imitationem ſe incitari, voluit primæ ſuæ ciuitati illud nomen dare, quo audito ſemper primarium boni Regis officium occurreret. Nam ſi 𝔗𝔥𝔬𝔲𝔟𝔢𝔩 𝔚𝔞𝔱 in verbi notatione interpreteris, non aliud reddere queas, quàm ſi dicas, Thoubel vigila; ſiue, excubias age. Chriſtus ſummus Rex & Sacerdos omnes iubet vigilare; cuius Apoſtoli idem crebriùs repetunt, dum perpetuò nos ſobrios vigilanteſque eſſe cupiunt. Sed licet cuiuis ſemper excubiæ ſint agendæ, ne hoſtis & omnium & ſingulorum per inſidias, quas ſemper & aſſiduò molitur, arcem mentis expugnet; nemine tamen magis oportet vigilare quàm paſtorem populorum; cui non ſua ipſius tantùm ſalus, ſed totius Reip. commiſſa eſt. Vtinam quàm illud Homericum doctorum hominum linguis tritum eſt, tam eſſet bene à Regibus & ſacrorum & rerum publicarum obſeruatum:

Tripodis & ternarij firmitas.

Thoubelaca Albaniæ opidum.

Vigilandum eſſe cum omnibus, tum potiſſimũ principi & populorũ paſtori.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
Ὧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλεν.

quod Muſa non æquè fauente ſic Latinis occinam:

Pernoctes ſomnos ne ducat Conſul oportet,
Qui populos regit, & qui tanta negotia curat.

Plato Reges canibus comparauit, quorum ea natura eſt, ſi generoſi quidem ſint, vt noctu perinde atque interdiu vigilem cuſtodiam ſeruent. Præclarè cum à Platone tum ab Homero regiæ partes deſcriptæ illæ quidem ſunt, verùm tanto pluris nomen Thoubelacæ facio, quanto & ob antiquitatem & ob breuitatem pluſquàm Laconicam dignius eſt veneratione. Maximo ſanè beneficio Thoubaldus non ſuæ modò & ætatis & ditionis homines, ſed omnem etiam poſteritatem ſibi obligauit, dum perpetuam voluit in principis vrbis nomenclatura exſtare Chriam, qua Reges monerentur diligentem vigilantiam in populi ſibi commiſſi rebus ſemper eſſe ſeruandam; neque debere vllius alterius tanti eſſe auctoritatem, vt ea Rex fretus vel minimum de cuſtodia ſua remittat. Rex enim alij cum ſummo imperio populum tradens gubernandum, ſe ipſe Regia exuit dignitate; quod breuiter à me dictum, & longè breuiùs à Thoubaldo vnica ſyllaba trilittera denotatum, mirum eſt quàm latè ſeſe ad omnes officiorum partes extendat; in quarum ſingulis ſi vis eius examinaretur, vereor ne frequenter quiuis potiùs homines quàm ipſe Rex, Reges eſſe deprehenderentur. Quotquot ergo vel à Thoubale ſe genus ducere exiſtimant, vel antiquiſſimam eius auctoritatem reuerentia dignam ducunt, ij ſedulò annitantur, vt perpetuas & ad ſuam dignitatem & ad populi ſalutem excubias agant: nec cuiquam vmquam tantum fidant, vt ipſimet vigilare ceſſent. Cui verò hæc tam difficilis prouincia non placebit, ei in mentem veniat illius quod anicula quædam Philippo Macedonum Regi audientiam neganti dixiſſe fertur: Si me audire non vacat, depone partes Regias, & Rex eſſe deſine. Et hæc quidem de Thabelaca inſigni fonte omnium officiorum, de quo quanto largiùs Reges bibent, tanto feliciùs cum ſubditis agetur: quod tanto quidem nobis hac tempeſtate calidiùs optandum, quanto res Belgicæ longiùs abſunt ab omni ſpe ſalutis, nedum honeſtæ & Chriſtianis hominibus debitæ libertatis. Sed miſſis querelis nihil profuturis in aliam ciuitatem commigremus, quam Chaibal primus Albaniæ Rex Thoubaldus vocauit. Miranda eſt, ne dicam ſtupenda, & rerum & nominum in his duabus vrbibus cognatio. Nam fieri non poteſt vt Thubelaca nominis ſui dignitatem tueatur, vt non ſimul

Chaibal Albaniæ opidũ.

Gaibal,

Gai quid ſignificet.

Gaibal, ſiue, vt Græci ſcripſerunt, Chaibal exiſtat; quod quò perſpicuum fiat, quid Gai deſignet, explicandum. Cùm aliàs frequenter in hanc vocem incurri, tum nuſquam latiùs de ea diſſerui, quàm in Gallicis. Vt ergo breuiter eius explicatu hoc loco defungar, nihil aliud ſignificat, dum verbum eſt, quàm placeo, adlubeſco, gratus ſum, voluptate adficio, aut ſi qua alia ratione id clariùs exprimi queat. Hinc pro coniuge ponitur, boni videlicet ominis cauſſa; quo fit vt Græci γαῖα pro terra dicant, eo quòd Terra Ætheris coniux ſit; ſecundum illud Poëtæ,

——fecundis imbribus Aether
Coniugis in gremium lætus deſcendit.——

Sponſaliorum ritualia verba: Si tu mihi Gaius eris, ego tibi Gaia ero; explicantur.

Clarum igitur quid ſibi ritualia ſponſæ apud antiquiſſimos Latinos verba voluerint; quæ nemo hactenus aut Latinorum aut Græcorũ intellexit; Si tu mihi Gaius eris, ego tibi Gaia ero; quibus nihil aliud ſignificabat, quàm ſi ſponſus ſe lætum, hilarem, & omnibus rebus placidum gratumque vxori præbuerit, ſe viciſſim talem erga maritum futuram. Latini loco Gamma malè ſcripſerunt Cappa, tametſi aliter pronunciarent tum in his ſollemnibus ſponſaliorum verbis, tum in prænominibus efferendis: Tolerabilius quòd Græci loco Gamma Chi ſcripſerunt, cuius poteſtas litteræ mediæ vicinior eſt. Ratio nominis à me & in Gallicis & Hermathena ſic expoſita, vt quod Gaium eſt vitam dare intelligatur, eo quòd, vti ſpiritus triſtis oſſa exſiccat & tabem mortémq. adfert, ita lætitia & hilaritas viuere nos facit. Hinc illud eſt quod modò dixi, Adami coniugem Gaiuat nominatam fuiſſe, id eſt vas vitam dans. vnde apud Hebræos reiecto Tau Chaua manſit; in quo ipſi non matrem viuentium, ſed vitam dumtaxat reperient; tantum abeſt vt Hebræus ſermo totam Moſis etymologiam abſoluat. Iam ipſum חיה, quo viuere denotatur, è noſtro Gai corruptum eſt: ita nihil habent quod non è noſtro ſermone acceperint, licet litterarum ſignificationumque confuſio furtum ſæpiùs occultet. Vocabulum autem hoc noſtras eſſe non vera modò eius ratio, ſed conuerſio etiam nobis propria, qua ex Gai fit Jag, euidentiſſima demonſtratione conuincit. quod addo, ne quid moroſis quibuſdã & peruicacibus veterum auiarum patronis reliquum ſit ad obtrectandum. Quòd ſi ne hæc quidem ſufficient vel ad calumniam vel ad inuidiam declinandam, id faciam quod mulieres in Hiſpania ſollemne habent, vt nimirum medium digitum, quem ficum nominare conſueuerunt, liuidorum hominum faſcino opponam. Interim vel lubentes diſcant, vel inuiti alios diſcere videant, quid Caius & Caia apud Latinos, quid γαῖα apud Græcos, quid Chaua apud Moſem deſignet, atq. illud etiam ipſum חיה origini noſtræ deberi. Ex his liquet Gaibal idem eſſe quod Latinus vetuſto vocabulo à noſtratibus accepto diceret, Gaium ſerua; id eſt ea quæ placent optimis quibuſque, quæque omnibus placere meritò debent, diligenter tibi conſeruanda exiſtima. In his primum eſt, vt Deo, hinc Regi, mox proximis quibuſque, deinde optimo cuiq. placere nitamur. In hominum autem numero illa propinquitatis ratio maximè valere debet, qua Deus in paradiſo Adamũ & Chauam copulauit: & idcirco dum Gaia ſimpliciter effertur, de vxore intelligitur; quo in genere, vti modò dixi, Terra quidem apud Poëtas ſuam habet excellentiam; mens verò humana & tota Chriſtianorum, quotquot vnquam vel fuerunt vel ſunt, vel erunt, multitudo Gaia eſt ſponſo ſuo Chriſto, qui verus & vnicus Gaius iure ſuo debet vocari; tum quia Eccleſiam ſibi æterno coniugio deuinxit, tum quia Patri placuit, quem diuus Ioan. Baptiſta dicentem audiuit, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Quid quòd præter hunc nemo Gaius reuera dici poteſt? cùm hic ſolus vitam dare queat, quod Gaij etymologia requirit. Diuinum igitur omnino præceptum eſt, quo imperauit Thoubal Gaium ſemper & vbique eſſe ſeruandum; hinc erga Deum & eius coæternum filium omnis hilaritatis & gratiæ, quas res Gaij nomen deſignat, datorem; hinc cum erga omnes homines, tum maximè erga coniugem legitimo matrimonio vnitam. Non potuit ergo non gratiſſimum eſſe Gaibalæ nomen Thoubalis vxori; vtpote quo is polliceri, aut potius ſibi imperare videretur, vt & ipſe Gaius eſſet, & Gaiam ſuam ſibi ſeruaret; quaſi diceret: fac vt tu Gaiam te præſtes, ego viciſſim Gaius vt ſim curabo. Cæterùm non huic modò, ſed toti etiam populo ſuo in nuncupanda hac ciuitate dicere videbatur: Equidem ſic Thoubal ero, id eſt maiorum imitator, vt perpetuas excubias pro populi ſalute agam, atque hac ratione & Deo & vobis

Chaua vnde dicta. — *Gai. Jag.* — *Gaibal etymon.*

Gaium me fore ſpero: Veſtrum è regione fuerit, vt pariter omnes annitamini mihi & rectis antiquorum veſtigiis inſiſtenti,& ad Rempublicam ſeruandam diligenter aduigilanti, vos Gaios præſtetis. Elegantiſſimum, ita me Gaia venuſtas amet, ciuitatis nomen eſt Gaibala; qua voce & publicè omnes, & priuatim ſinguli monentur, vt earum rerum omnium obſeruantes eſſe ſtudeant,quibus rebus fit vt & omnibus grati ſimus, & vera nobis vita detur. Tranſeamus nunc bonis auibus in tertiam ciuitatem, luſtremuſque emiſſitiis, vt ita dicam, animi oculis, num in ea conſecranda minùs fauſtum nomen pater Albanus excogitarit. Acrem Regis vigilantiam ad antiquiſſima primorum parentum inſtituta totam Rempublicam dirigentis læta & amœna & prorſus Caia rerum omnium facies ſequatur neceſſe eſt. Quid porrò inde exſpectandum? Quid aliud, quàm perpetua lætitia & vitæ ſuauitas? Vt igitur hanc rerum conſecutionem & catenam denotaret, omneſque tum ſui æui homines, tum poſteros inſigni hac felicitatis promiſſione ad omnem officiorum & honeſtarum actionum rationem excitaret, tertiam vrbem Iubal, ſiue Iobal, ſiue Ioubal nuncupauit; qua voce iucunditatis & gaudij conſeruatio denotatur. Iu enim de natura litterarum ſubtilem quandam & omnia penetrantem dilatationem deſignat: Quòd ſi Io dicamus, voluptatem eam cuius blandum acumen nos modò feriit, perpetuam nobis eſſe cupimus; eo quòd O æternitatem, V dilatationem de poteſtate ſua ſignet, vti Hermathena noſtra demonſtrat. At ſi Iou dicas, iam perpetuam blandæ, ſuauis & omnia penetrantis lætitiæ dilatationem deſignas. A Iu fit Iuig/ id eſt lætum; & inde rurſus Iugt/ pro gaudio; quæ vox pro eo ætatis vigore apud nos frequenter vſurpatur, qui ad voluptates & gaudium maximè propenſus eſt: A Io fit Iolyt/ quo ſignificatur noſtratibus iucunda temporis in lætitia gaudioque traductio: Hinc item Ioueel pretioſam elegantemque ſupellectilem deſignat, ſoli voluptati ſeruientem: A Iu Latini Iuuo & Iucundum & Iupiter, quo voluptatis pater denotatur, retinuerunt: Ab eadem radice nobiliſſima illa vox pullulauit qua Deum Iouem indigitamus. Neque enim Deus aliud eſt quàm purus actus ſui ipſius contemplatione gaudentis. Qui Iehoua pro Ioua, ſiue potius Iouis, efferunt, & hoc nomen à verbo ſubſtantiuo deriuant, omnibus generatim veterum Rabbinorum ſententiis aduerſantur, vt Balenus Hebraicæ linguæ apud Louanienſes ante paucos annos doctor crebrò recentioribus Grammaticis & in cathedra & in familiaribus colloquiis exprobrare conſueuit. Nos Moſem Rabbinum Ægyptium de hac eadem opinione laudauimus; & qui de Iouis nomine plura ſcire volet, Gallica noſtra conſulat, quæ docebunt quod ſit inter primaria Dei nomina diſcrimen. In Hieroglyphicorum item illa parte qua litteræ Iot ſuam adapto figuram, latiùs de voce Io diſputo,& eius originem & poſſeſſionem totam vernaculo nobis ſermoni vindico, licet aliis etiam nationibus eius vſum libenter concedam. Iobal igitur non modò vnũ eſt de fauſtiſſimis nomenclaturis, ſed tanto etiam ceteris omnibus excellentius eſt, quanto Iouis nomen reliquis vnius Dei nominibus ſuperius habetur & diuinius. Vide nunc quæſo quò nos paulatim Thoubal deduxerit, & quàm breui compendio in ſuprema collocarit felicitate, ad quam non multis & ſpiſſis libris, vt Plato & Ariſtoteles & eorum diſcipuli, ſed tribus dumtaxat voculis tres gradus indicantibus viam ſtruxit. Et ſunt profectò hi gradus tam certi, vt quæcumque tandem regna per eos adſcendent, non poſſint non ad ſummum gaudium, quo vltimum bonorum perficitur, adſpirare. Aduigilet Rex quo priſcæ leges & conſuetudines à primis maioribus inſtitutæ tam in priuatis quàm in publicis, tam in ſacris quàm ciuilibus negotiis diligenter obſeruentur: deinde contendant omnes inter ſe quò alius alij placeat ac gratum ſe iucundumque præbeat, & Rex populo & populus Regi & quiuis cuilibet, & mox tertium illud exiſtet quo ſummum bonorum continetur, id eſt perpetua gaudij conſeruatio. De eiuſmodi regno cum diuino vate bono iure canere poſſemus: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnione! vt videlicet ſit cor vnum & animus vnus, & omnia ſint communia, haud ſecus atque in exordio Chriſtianæ fidei legimus fuiſſe. Poterant hæc quidem ſatis multa videri de ternario ciuitatum dicta, quo veluti funiculo quodam triplici Albaniæ regnum Thoubal colligarat; attamen necdum me puto integram cauſſam reddidiſſe, cur vltima vrbs Iobal ſit nuncupata. Eſt illa quidem quam expoſui ſatis valida ratio appellationis; verùm accedit & altera minimè

Iubal, Iobal, & Ioubal vocum etyma.
Iu.
Io.
Iou.
Iobal Albaniæ opidum.

minimè contemnenda, ab eo præſertim qui ſtudioſus ſit cultor antiquitatis, qualis vt eſſet Thoubal, ſuo ipſius nomine monebatur. Cùm enim ante diluuium Thoubalis quoque nomen Lamechi filio fuiſſe à maioribus accepiſſet, & illi Thoubali fratrem fuiſſe nomine Iubal, tametſi non ex eadem matre; procliuior non immeritò fuit, vt tertiam vrbem huius nomine inſigniret, quo nimirum & illud, quod modò expoſui, doceret, & præterca ætatis ante diluuium actæ memoriam refricaret. Fuit autem Iubal filius Ghodæ, cuius nomen characteribus Hebraicis עָדָה ſcribitur, quod vulgo contra elementorum poteſtatem Ada proferunt. Apud nos hactenus mulieres hoc nomine vocantur, inter quas & auiam meam poſſum numerare, quam ſi Goode dicas, nemo eſt noſtratium qui non bonam intelligat: Multi Iuet pro Goet dicunt, quo diſcrimen ſit inter nomen proprium & illud quod appellatiuum vocant. I enim conſonans & G magnam habent cognationem, ita vt alteri altera frequenter ſuccedat, quod mox videas in Iabal fratre Thubal-cain; qui quòd ſemper in tentoriis ageret, ac numquam quieſceret, dictus eſt Gabal, id eſt itionis profectioniſque conſeruator: vbi Hebræi Ia pro Ga ſcribunt, perinde atque Latini Ianus dicunt pro Ganus, quod vocabulum ab eundo quoque deriuari Cicero teſtis eſt. Ga enim idem eſt quod *eo* in ſermone noſtro, à quo Ianus & Iabal: Quemadmodum verò Gabal perpetuæ itionis erat conſeruator, ita Iubal conſeruatorem gaudij nobis ſignificat, vti modò dixi; quod nomen ſortitus eſt ab eo quòd pater eſſet & inuentor muſices organicæ, qua nihil eſt ad gaudium & excitandum & conſeruandum potentius. Duo eius inſtrumenta celebrantur; alterum כִּנּוֹר quod Citharam vertunt; alterum עוּגָב quod Organum reddidit vetus, quiſquis is ſit, Interpres. Nos eas voces præpoſteras eſſe remur, nec aliter è primo ſermone corruptas quàm è Lof folium, & è Roof φῶρ; & è Form noſtrati μορφὴ, & id genus alia quàm plurima è noſtris vocibus litterarum ordine tranſpoſito ducuntur. Gug/ quod Allemani Gijg dicunt, eſt teſtudinis illud genus quod arcu, cui fides intenta eſt, vltrò citroque ducto exterius mouetur, interius verò digitis pulſatur. Dicitur autem Gug à Ge heug/ id eſt lætitiam do: Hinc Begug eſt blanda voce & longo verborum ſyrmate aures titillando decipere. Hinc apud Hebræos עוגב inuerſum. Similiter ex Oorgenucht כִּנּוֹר fécerunt, quo denotatur quod aures contentas reddit: Equidem Organum verterem, quam vocem homonymôs pro inſtrumento muſico & alio quouis inſtrumento poni credo; eo quòd organum videatur ab oorgenucht factum eſſe, & dum pro quouis alio inſtrumento ponitur, ὄργανον quaſi ἔργανον dicatur. Sed hæc tanti ſunto quanti ea quilibet æſtimabit. Porrò vt Iabalis & Iubalis mater à bonitate nomen habuit, ita Thubal-cain mater Stilla dicta eſt, quod taciturnam & tranquillam deſignat, vt quiuis noſtratium audita voce Still agnoſcit. Eius filia Nogh-man dicta eſt, virum contentum reddens, è quo Hebræi נעמה fecerunt, quod repugnante ſecundæ litteræ poteſtate Noëma plerique pronuntiarunt.

Iubal Lamechi filius. *Ghoda.* *Ada.* Iuet. *Iabal & Ianus vocum etyma.* *Organicæ muſices inuentor.* Gug *ſiue* Gijg. *Organi etymon.* *Stilla.* *Nogh-man.* *Noëma.*

Cæterum tempus eſt vt Albaniæ ciuitatibus valedicentes ad Iberiam tranſeamus, quam Thoubalis poſteros occupaſſe Ioſepo credere debemus, partim quòd is à vetuſtioribus ita acceperit, partim quòd veriſimile videatur ab Albanis Iberiam principio occupatam fuiſſe; partim etiam quòd Strabo Iberos Scytharum faciat cognatos; quod veriſſimè de Thoubalis poſteris dicitur, cuius patri tota Scythia ab Imao monte vſque ad Septentrionem obtigit, vt clariſſimè is cernet qui Moſis & Ptolemæi ſcripta diligenter contulerit, & iis Herodotum adiunxerit. In libro Iudith duo genera filiorum Iapeti indicantur, quorum alij ad Septentrionem habitent, alij ad Auſtrum vergant. Qui ad Auſtrum declinant, Medi ſunt, Parthi, Ariani, Paropamiſadæ, Margiani, Hyrcani, & fortaſſe Bactriani, & his vicini. Carmanas autem & Perſas ab Iapeto genus ducere ex eo colligas, quòd Carmanorum & Perſarum ſermo idem ſit cum lingua Medorum, vt teſtatur Nearchus: Quo fit nihil vt miri videri debeat, Sacas, vnde Sacſones genus ducunt, & Germanos in exercitu Perſarum ab Herodoto recenſeri. Iam vnum eſt de clariſſimis, Magos omnem ſuam eruditionem noſtra lingua tradidiſſe, vti à me ſatis latè copioſeque in Gallicis eſt explicatum. Refertur ergo in libro Iudith, Holofernem omnia in Aſia occupaſſe, à Cilicia, quam filij Tharſis habitabant, vſque ad vltimos fines filiorum Iapeth, qui ſunt verſus Auſtrum, quorum mox exemplum Medi ſubiunguntur. Omnium autem horum prima origo ducitur ex ea Scythiæ

Iberia à Thoubalis poſteris, Albanis principio occupata. *Iapeti filiorũ duo genera.*

thiæ parte in qua Iapetus cum patre ſuo ſimul ac Arcam egreſſus eſſet, habitauit, ac fratribus deinde aliò habitatum emiſſis tantiſper manſit, dum his locis ſatis frequentatis ad reliquas ſibi deſtinatas terras commigrauit. Ex eadem Scythiæ parte Toubal in Albaniam venit, non longinqua tantùm cognatione, ſed intima reliquis Scythis coniunctus; quò fit vt non malè dixerit Strabo, Iberiæ incolas Scytharum eſſe cognatos, & ad eorum viuere conſuetudinem.

Iberos Scytharum eſſe cognatos.

Iberiæ regionis ſitus.

Cyrus fluuius.

Eſt autem hæc regio altiſſimis vndique montibus ſepta, in quam Cyrus flumen, quod inde delabitur, iter ex Albania demonſtrat; qua de re conſentanea priſcarum migrationum rationi traditio eſt, Albanos primos in Iberiam penetraſſe, ripas aduerſi fluminis ſecutos; vbi cùm rupe quadam impedirentur, eam incidendo peruiam fecerunt, ac mox inde lacum, quem flumen inter montes efficit, lintribus traiecerunt:

Albani qua via in Iberiã penetrarint.

Reliqua omnia latera horrendis cautibus aut inuia ſunt, aut infinitis difficultatibus impedita: Media planities fluminum beneficio largiter irrigata fecundiſſima eſt, & perpetuo ferè virore ridet. Montes item quibus cingitur, paſcuis lætis abundant, haud ſecus atque Alpes Tridentinis vndique vicini. Quid enim ſupremis montis Baldi dorſis aut viridius aut pabuli feracius? Quæ planities cum valle Bondonia queat comparari? In montis fœnicularij iugis quanta graminis & denſitas & altitudo? in quibus vt myrrhidis maioris & ſeſſilis Carolinæ, ſiue ea Chamæleon ſit ſiue non, & aliarum nobilium plantarum & fruticum copia ingens viſitur; ita ferulæ genus inueni, quod ſi Laſerpitium non eſt Cyrenaicum, certè Laſer Alpinum dici poteſt; tanto ſucco optimi odoris in radicibus maximis & craſſiſſimis abundans, vt alterius locum ſupplere poſſit. Quid ego reliquos commemorem montes, quos maxima cum voluptate ad ipſos vſque Cryſtallinos apices ſæpius adſcendi? Ex horum comparatione de illis coniecturam facio quibus tota Iberia ſepta eſt.

Baldus mõs.

Fœnicularius mons.

Cæterùm an ipſe Toubal in hanc regionẽm colonos deduxerit, an verò ipſius poſteri, quod magis credo, nec ſcio, nec ſcire magni refert. Certè ipſius Toubalis nullum in ea apud probæ monetæ ſcriptores monumentum reperire quiui: & erat alioquin Albania ingens regio, magnæ filiorum nepotumque Toubalis multitudini capiendæ ad aliquot ætates ſatis futura. Multo itaque minus probabile fuerit Toubalem hac locorum vicinia relicta, in quibus Moſchos & Medos duorum fratrum ſuorum filios proximos habebat, per ingentia terrarum interualla in Hiſpaniam commigraſſe. Meridianum enim Iberiæ latus Moſchicis montibus clauditur, à Moſchis nomen ſortiti, qui genus ducunt ab Iapeti filio Moſchou; è qua voce alij Meſech, alij, in quibus Græcus eſt interpres, Moſoch fecerunt. Moſes rectè conſonantes expreſſit משך quibus Hebræi non rectè puncta ſubiecerunt. Moſchou ad verbum ſignificat, moleſtiam vita & effrenem animi perturbationem, è qua moleſtia neceſſaria conſecutione exiſtit. **Moet** enim animum ſignificat, à **Mat**, quod eſt indomitum; cui quia Chaua & Adam paruerunt, in omne genus moleſtiarum præcipites ruerunt; vnde placuit Adamo vt & animus & moleſtia eadem voce notarentur, quo ſemper cogitaremus ei obediendum non eſſe, niſi in magnas moleſtias corruere velimus. Verùm idem noſter primus parens ſic vocabulum hoc conſtruxit, vt ſi per veſtigia ipſum retro legas, mox ſis remedium malorum reperturus. **Toem** enim frenum deſignat, quo perpetuò nobis opus eſt, ſi impetum animi rationi aduerſantem cohibere, pro eo ac debemus, velimus. Vna igitur vocula tria deſignauit, & animum ab indomita ſua natura vocari, & inde omne moleſtiarum genus emanare, &, quod vltimum eſt & optimum, huic malo non eſſe aliud remediũ, quàm ſi freno & lupatis animus dometur. Horatius hanc primi nomenclatoris noſtri ſententiam ad hunc modum expreſſit:

Moſchi vnde genus ducãt: & nominis interpretatio.

Moet.

——*Animum rege; qui niſi paret,*
Imperat: hunc frenis, hunc tu compeſce catena.

Iapetus ergo hunc filium Moet–ſchou vel Moſchou, quo leniùs ritu noſtro coëat compoſitio, vocauit; vt quoties de nomine ſuo cogitaret, toties moneretur effrenatam animi incitationem & moleſtias inde conſequentes ſumma ope eſſe vitandas. Quòd autem Moſchou hic filius vocatus fuerit, ſatis liquet de nomine Moſchouiæ. Noſtrates hactenus **Moſt–houwen** eos vocant, quos Moſchos Latini Græcique vocare conſueuerunt; vbi perſpicua eſt illa quam aſſignaui nominis origo. E priore compoſitæ vocis parte Moly apud Homerum celebratum nomen habet, quo vocabulo monemur

moleſtias

moleſtias omnes æquo animo perferendas eſſe; de quo vt alibi plura, ita hic nihil eram dicturus, niſi oſtẽdere voluiſſem hanc compoſitionis rationẽ nobis eſſe vſitatam. Tanta verò fuit Iberum & Moſchouorum inter ipſos cognatio, vt multis locis permiſti habitarint; vt ex Strabone facilè diſcas, vbi Moſchicam tradit tripartitam fuiſſe, partem à Colchis, partem ab Iberis, partem à Moſchis habitatam. Adde nunc & Medos inter Albaniam & Margianam habitantes, quorum patrem Toubalis germanum Hebræi Madai vocant, rectiùs facturi ſi Moſis ſcripturam ſecuti מדי citra puncta reliquiſſent; quæ ſi addere placuiſſet, ab ipſis illis qui nomen ferebant diſcere debuiſſent, à quibus vel craſſiſſimæ aures ſtatim accepiſſent, Medi, non Madai, pronuntiandum eſſe. Significat autem Medi auxilij promotionem & augmentum, eo quòd Me ſit idem quod auxilior & cum quopiam facio, & Mede auxilium. Di promoueo, increſcere facio. Hinc Iapetus filium Medi vocans, videtur iuſſiſſe vt & ipſe perpetuò aliis magis atque magis auxiliaretur: & viciſſim talem ſe præſtaret, vt indies magis ab auxiliis & ſubſidiis aliorum increſceret atq. augeretur. Quid rogo aliud hac voce ſanxit Iapetus, quàm illam caritatis legem, quæ auxiliorum mutuò ferendorum perpetua poſtulat augmenta? Hoc illud eſt quod Chriſtus præcepit, *Dilige proximum tuum perinde atque teipſum.* Bone Deus! ſi hæc lex inter Iapeti poſteros ſeruaretur, iam olim totus orbis Chriſti fidem & ſuaue iugum accepiſſet. Medi itaque & Moſchou Toubali fratri ſuo vicini habitarunt, longiſſimè terrarum ab Hiſpania remoti; quod annotandum duxi, quoniam non parum momenti in antiquitatum inueſtigatione gentium inter ſe habeat vicinitas & cognatio. Quando igitur nunc reddidi probabile, quoad eius fieri poteſt in tanta veterum monumentorum inopia, Toubali poſteros coloniam in Iberiam deduxiſſe; videamus qualis illorum oratio habenda ſit, qui Iberum Toubalis filium eſſe ſcripſerunt. Arrigant modò aures Hiſpani, quos Iberos à Græcis vocari extra omnem eſt controuerſiam, & mecum exquirant, an ipſi Orientalibus Iberis nomen dederint, an verò ab illis acceperint, an verò, quod fieri etiam poteſt, neutri alteris nomenclaturam ſuam debeant. Strabo frigidam adduxit coniecturam, de qua exiſtimare quis poſſet, propterea eodem nomine Occiduos & Orientales Iberos dictos eſſe, quia apud vtroſque aurum reperiatur. Sed quid auro cum nomine Iberi? Aliquid poterat probabilitatis habere oratio, ſi Chryſitæ vtraque gens vocaretur. Dionyſius Alexandrinus hos nobis ea de re verſus reliquit:

Iberum & Moſchouorũ cognatio.

Medi vbi habitent.

Medi nominis etymon.

Iberum nullũ fuiſſe Tubalis filium.

> Τοῦ δὲ πρὸς ἀντολίην βορέην τ' ἐπικέκλιται ἰσθμός,
> ἰσθμὸς κασπίης τε καὶ εὐξείνοιο θαλάσσης,
> τῷ δ' ἐπιναιετάουσιν ἑωθινὸν ἔθνος ἰβήρων·
> οἵ ποτε πυρήνηθεν ἐπ' ἀντολίην ἀφίκοντο
> Ἀνδράσιν ὑρκανίοισιν ἀπεχθέα δῆριν ἔχοντες.

Nos ſic ex tempore Latinos faciebamus:

> *Huius ad Eoam partem Boreámque ſit Iſthmus,*
> *Iſthmus ab Euxino ponto freta Caſpia claudens;*
> *Quo ſuper inſedit Solis ſurgentis Iberus*
> *Conſcius: huc quondam qui per iuga celſa Pyrenes*
> *Venit ad Hyrcanos horrendo Marte domandos.*

Poëtæ ſententiam laudat Euſtathius, addens haud aliter Iberos ex Hiſpania in Aſiam atque Galatas è Gallia veniſſe; verùm vterque inſigni tenetur errore. Quod enim de Gallis in Aſiam ex Europa profectis dicitur, verum illud quidem eſt, & multorum teſtimoniis confirmatum; at qui & qua via priùs illi ipſi qui Aſiam occuparunt, in Galliam venerint, à nemine, quod equidem ſciam, memoriæ proditum habemus. Nos primi in Saxonicis noſtris tradidimus, Tectoſaces priùs multo in Aſia ad Aquilonem non procul nec à Sueuis nec Saxonibus habitaſſe, atque inde in Galliam longis itineribus veniſſe; vbi rurſus nouis & maximis liberorum aucti incrementis, partem gentis in Græciam & inde in Aſiam tranſmiſerunt; qua de re T. Liuium, Trogum Pompeium, alios & Græcos & Latinos conſulere licebit. Cæterùm illud quod de priore ipſorum ad Aquilonem habitatione dico, Ptolemæi teſtificatione clarum reddo; qui eos non procul ab Imao in latitudine quinquaginta octo graduum collocauit. Quamobrem ſi quæſtio ſit vbi priùs habitarint, in Galliáne an in Aſia, veritas de Moſis hiſtoria pe-

Tectoſaces ex Aſia in Galliam venere, inde in Græciam profecti ſunt, vnde poſt in Aſiam redierunt.

ria petatur neceſſe; de cuius teſtimonio conſtat, circa Margianam & loca vicina primùm homines habitaſſe,& multo illic priùs Iapeti liberos copioſa ſobole auctos fuiſſe, quàm in Europam migrarent: Huic neceſſario connexum eſt, Iberos prius in Aſia quàm in Hiſpania ſedes fixiſſe;& fieri poteſt vt Tectoſaces Iberorum commigrationem ſint ſecuti vti Europæ propinquiorum,in quam poterant per Boſphorum Cimmerium magno compendio tranſire,niſi fortaſſis è Colchorum regione, quibuſcum frequentes habitabant,in Thraciam traiecerint,atque hinc aduerſo Iſtro priùs,deinde per Heluetiorum valles in Galliam, & ex hac iterum in Hiſpaniam profecti ſint. Ex his liquet nihilo magis Iberum Toubalis filium eſſe quàm Albanum, licet & prima,quam Toubal poſt commigrationem è Bactris & Margianæ vicinia incoluit, regio Albania, & flumen eam mediam ferè ſecans Albanus vocaretur. Memini Gerartum Falkenburgium, dum in Nonni Dionyſiacis in lucem dandis laboraret,ex me quæſiuiſſe,ecquam rationem dare poſſem de qua Rhenus Iber meritò diceretur. Cui equidem mox reſpondi, noſtræ linguæ hominibus facillimè probari poſſe ſi Rhenus Iber vocaretur, quandoquidem iis omnibus qui in litteris Græcis ſunt nonnihil exercitati, clarum ſit,

Rhenus zelotypus partus adulterinos ſuffocabat.

hunc fluuium mirum in modum zelotypum eſſe, nec vllo modo ferre vt cuiuſpiam vxor ſe Helenam faciat, quam Velenam olim dictam fuiſſe ne Grammatici quidem negarent, qua voce illa denotatur apud noſtrates quæ faſcinum aliunde, quàm à marito accipit commodato: Eiuſmodi mulierum fetus à Rheno, cui probandi recens in lucem editi immergebantur, ſuffocari ſolere, vtpote omnis inceſti flagitij & impuri

Rheni etymon.

amplexus impatiente: atque inde nomen Rhein habere; quo nihil aliud quàm purum, ſincerum & integrum in vernaculo nobis ſermone ſignificari omnibus noſtratibus clarum eſſe. Nihil ergo me miraturum, ſi quis ei cognomen Iber accommodet. Addidi etiam me de Græco quodam incerti auctoris epigrammate hoc in Aduaticis meis tradidiſſe, cuius principium ſic reddidiſſem:

Zelotypo audaces Celtæ ſua pignora Rheno
Expendunt, non antè rati ſe poſſe parentes
Dici, quàm videant venerando flumine lota.

Et eodem loco illud Nazianzeni me Latinè expreſſiſſe:

Cernitur vt purum prunis ardentibus aurum,
Gurgite ſic Rheni pignora Celta probat.

Non diſplicuerunt hæc tum Falkenburgio, tametſi ego verear non tam diligentem Nonnum fuiſſe, vt hoc cognomen à Germanis eum didiciſſe, & æternæ memoriæ conſecraſſe, ſuſpicari debeamus. Aſyndeton enim, ni fallor, eſſe poteſt quod dixit, χρυσὸν ἴβηρ πόρε ῥῆνος; vt intelligamus & Iberum & Rhenum aurum obtuliſſe. Sed hoc

Iberi in Hiſpaniam migrãtes flumini nomen tribuerunt.

vt cuique viſum fuerit æſtimetur; nobis certo certius eſt, Iberiam non de Toubalis vllo filio, ſed de peculiari ſitu nomen habuiſſe, atque inde multis fortè pòſt ætatibus, cùm coloniæ emittendæ eſſent, partem Iberorum in Hiſpaniam migraſſe, & flumini, quod totam Hiſpaniam ferè inſulam reddit, ſuum nomen dediſſe; tum quòd ipſum illo dignum videretur, quoniam ab ipſo propè Oceano exortum, & inde in mare mediterraneum exoneratum totum illud latus quo Hiſpania Galliæ hæret, prætexat ac muniat, timens nimirum, ne quis exterorum hac parte ad agros ſuos irrumpat;eoque non malè zelotypiæ nomine notandum: tum quo regionis vnde venerant perpetua me-

Hiſpania vnde Iberia appellata.

moria apud poſteros ſuos extaret. Hinc igitur Hiſpania Iberia cœpta eſt nominari multis pòſt annis quàm in Oriente Iberia condita fuiſſet; cuius tamen nominis, vti recentioris, magis quàm Hiſpaniæ Græci meminerunt, hac ipſa de re digni qui audiant quod Plato eos in Ægypto quondam audiſſe tradit; vbi, veluti pueri ſemper eſſent, accuſati ſunt magnæ rerum priſcarum obliuionis. Quod autem quidam fabulati ſunt, Iberum & Celtum Herculis filios fuiſſe, id ad nugamenta illa pertinet quæ nobis è regionum nominibus primos conditores ac reges comminiſcuntur. Aliis placuit ab Ibero amne eos qui Hiſpaniam colunt, nomen accepiſſe: verùm hos ego rurſum interrogabo, vnde flumen ita ſit nuncupatum? Reſpondebit Pſeudoberoſus, ab Ibero Toubalis filio; quod quidem aliquo modo probabile videri poſſet, ſi Toubalem & Ibe-

Iberia orientalis vnde nomen habuerit.

rum priùs in Oriente quàm in Hiſpaniam venirent, conſediſſe traderet. Sed miſſas faciens & huius & mangonis ipſius ineptias, explicabo vnde Iberia orientalis habuerit nomen;

nomen; quod ſimul ac fecero, mox intelligemus cur flumen Hiſpaniæ Iberus vocetur. In antiquiſſima lingua quam Duytſe vernacula voce dicimus, Eiber ſiue Eiuer ſignificat zelotypiam, **Eiuer.** cuius cauſſa ab Ei & Wer petenda eſt. Ei ab e deriuatur, id denotans **Ei.** quòd ſic vnitatem ſuam tuetur, vt ſe ab aliis abſtrahat omnibus: Hinc Eilant terra dicitur ſolitaria nulli alteri adhærens: Ab eodem vocabulo fit Eigen / quo id denotatur quod ſic ſuum cuiuſque eſt, vt cum alio minimè communicetur: Ex hac voce apud Græcos εἶδος manſit, ceu ει—δο dicas, quod ſignificat aliquid faciens ab omnibus aliis ſeparatum; quo fit vt maximè congruat hoc nomen aut eſſentiali differentiæ, aut Platonicis exemplaribus, à quibus propria rerum diſcrimina capiuntur. Vſurpatur & Et pro ouo, eo quòd ouum vndique ſic concluſum ſit, vt cùm nihil ſui exterius communicet, tum nihil etiam aliunde accipiat. Porrò Wer idem eſt quod defendo ac propugno, **Wer.** vnde Ei--Wer & per cognatam litteram Eiuer/ ſiue Eiber/ ſiue etiam, vt Allemani quidam efferunt, Eifer/zelotypia eſt cuiuſuis rei quæ ad hoc tota incumbit, vt quod quis habet, id ſolus habeat. His declaratis, perſpicuum cuiuis fuerit cur ea regio de qua quæritur, Eiberia dici meritò poſſit. Quæ enim tanta poteſt eſſe zelotypia, quanta huius eſt regionis, quæ bona omnia ſua tot propugnaculis montium aſpetrimorum concluſit, vt nulla zelotypi vxor magis occluſa eſſe poſſit, nullum ouum magis ſeptum, nulla inſula magis à cæteris terris ſeiuncta? Quod verò nobis prima in Eifer longa ſit de originis ratione quam Græci corripiunt, non magni faciendum eſt, propterea quòd temporum mutatio in ignotæ ſignificationis vocabulis frequentior ſit quàm vt opus ſit hac in re multum laborare: Heel nobis longum eſt; at Græci ex eo ὁλὸς vocali breui fecerũt: Lief diphthongũ in vernaculo nobis ſermone habet, cuius loco Græci Iota breue ponunt φίλος dicentes. Quid multis? Complures libros complerẽ, ſi quot ſunt huius mutati temporis exempla, tot enumerare vellem. Latini ex Eiuer Riualis litteris tranſpoſitis & Lambda adſcito feciſſe mihi videntur. Nam quòd Riualis à Riuo in hac notatione deducunt, ineptum eſt, & longè à zelotypia remotum. Quòd ſi cui hæc etymologia vocis Latinæ diſplicet, is ſinat meam opinionem ſine riuali mihi placere; hoc interim à me ſe didiciſſe gaudeat, Iber nihil aliud eſſe quàm **Iber quid ſit.** propugnationem quandam, qua vt nobis proprium, præcipuum, & ſingulare quippiam ſit, efficere laboramus. Quamobrem regio fertiles agros inacceſſis rupibus vndique concludens, nec vllum aditum ad lætos vbertatis ſuæ fructus percipiendos ſponte ſua concedens, optima ratione Iberia nuncupabitur. Quemadmodum igitur Albaniæ nomen à nullo Rege aut conditore, ſed à regionis ſitu nomen accepiſſe demonſtraui; ita de hac quoque regione, quam longa vaſtaque niualis Caucaſi brachia complexu ſuo comprehendunt, niſi ſentiamus, longè aberrabimus ab ea veritate quam nobis vetus Iapeti filiorum ſermo, hactenus nobis vſu vernaculo cognitus, velimus nolimus obtrudit.

VERVM quia rurſus modò erit de hoc Iberorum in Hiſpaniam aduentu dicendum, **Iubalda tertius apud Pſeudoberoſum Hiſpaniæ rex.** ad tertium regis apud Pſeudoberoſum commentum tranſeamus, quo videamus ecquid in illo plus quàm prioribus attigerit veritatis. Hunc Iubaldam nominat Iberi filium, aiens montem Iubedam ab hoc Iubalda cognomen accepiſſe. Video quid ſit: cùm montem Iubaldam vocari animaduerteret, ſtatim in mentẽ venit Iubalis, quem hic noſter mendaciorum architectus paullo antè eundem facit cum Tubale, quaſi paruum inter hæc nomina diſcrimen eſſet. Nos de Tubale, & Iubale, & Iabale ſatis multa diximus, quorum omnium commemoratio nihil facit ad Hiſpaniæ Reges: hoc vno aliquid habet cum Hiſpania cognationis, quòd Iberi à Tubale Albanorum primùm Rege genus duxerint, quorum poſteri in Hiſpaniam commigrarunt. Cur verò mons **Iubalda mõs olim Idubeda aut Iubeda dictus.** Iubalda nunc vocetur quem priſci Idubedam vocarunt, non pluris noſtra refert, quàm cur mons inter Atheſim & lacum Benacum Baldus hac ætate dicatur. Inter Gotos & reliquas eiuſdem linguæ gentes Baldi Theubaldique fuerunt quàm plurimi; & vt illi fuerunt, ita nihil miri, ſi fuerint & Iubaldi; atque ex his quiſpiam monti nomen indiderit. Stultum tamen ſit hoc montis nomen ad priſcam illam ætatẽ referre, qua mons non Iubalda, ſed Iubeda de omnium veterum ſcriptorum teſtimonio vocabatur. Plinius flumen eiuſdem nominis agnoſcit, quod opinor & originem & nomen à monte duxiſſe. Vox Idubeda ab antiquo ſermone nonnihil declinauit; in quo Eide Weide **Idubedæ nominis ratio.**

paſcua

paſcua vel ſolitaria vel ericetis plena deſignat. Digamma duplex noſtratium proprium nonnumquam in Beta tranſire, vereor ne nimis crebrò monuiſſe dicar. Digni verò ſunt qui in Idubeda à pecudibus doceantur, qui ex Iubalda nobis Theologum comminiſcuntur vnà diuum Hieronymum ad mendacij ſocietatem trahentes, à quo ſcriptum aiunt, Iobel magum Dei denotare. Quòd ſi Iob à יבב deducas, vlulantem ſignificabit, quod verbum, vti quàm plurima alia, in confuſione linguarum verſum eſt è noſtro Mauwe, quod eſt alta voce exclamo, vbi duplex digamma rurſus in Bet tranſiuit. Quid, rogo, hic aut Magiæ aut Theologiæ in Iob reperitur? Quid autem El per ſe denotet nemo neſcit. Sed ſit Iubalda Theologus, quando Baldus eſt Iuriſperitus, ſinántque tandem montes, à paſcuorum & ericetis & ſolitudine quondam vocati, ſe in Rabbinorum collegium cooptari; vt inter hos, perinde atq. olim Tmolus Muſico certamini, præſideant. Addit Beroſi larua huius ætate Nochum mortuũ eſſe, qui Ianus quoque fuerit vocatus; quo nihil falſius eſſe in Croniis oſtendi, vbi demonſtro Iape-

Briga quartus apud Pſeudoberoſum Hiſpanorum rex. tum eum ipſum eſſe, quem Latini Ianum indigitauerunt. Sequitur nunc quartus, ſi Iunoni Reginæ placet, Hiſpanorum Rex; qui nec Iubaldæ, nec Iberi, nec Tubalis filius fuit; ſed Meſæ filij Aramæi, quem Semus genuit filius Nochi. O infelices Iapeti poſteros, qui tam citò de regia ſede & illuſtri regionum à Nocho ſibi aſſignatarum imperio depulſi ſunt atque deiecti! Lubenter hic audiuiſſem qua via & ratione tam clara maximi regni poſſeſſio, contra ſanctam tripartitæ terrarum à Nocho factæ diuiſionis legem, tranſlata ſit ad Semi pronepotem. Adeóne ſubitò Tubalis poſteritas omnis exſtincta eſt? adeóne effeta fuit tota Iapeti ſoboles, vt nullus omnino inueniretur, qui Iubaldæ ſuccederet; niſi Meſæ filius procul ex Aſia in Hiſpaniam vocatus fuiſſet? Apage id genus monſtra. Quid igitur dicemus accidiſſe? Neſcio ſanè, niſi Pſeudoberoſus reuiuiſcat, & mendacia ſua interpolet aſſuto nouo aliquo ingentis belli figmento, quo Iapeti poſteritas aut ex Hiſpania depulſa, aut in ſeruitutem redacta dicatur; ne nulla tam magnæ & inexſpectatæ mutationis cauſſa reperiatur. Sed qui volet, is ſeſe id genus lacunarum & nimium hiantium narrationum, atq. toto cælo terraq. diſparatarum Chironem præſtet; mihi non libet Taraphæ, id eſt medici, partes ſubire.

Brigam qua occaſione regem Hiſpaniæ commentus fuerit Pſeudoberoſus. Videamus tamen quæ fuerit tam impudentis commenti occaſio. Inuenerat nimirum aut Annius aut alius Chaldaicæ laruæ fabricator & pictor, plurimorum in Hiſpania opidorum nomina hac vocula Briga terminari; inde mox audaci & effronti temeritati ſatis magna anſa in manum data, ad maximam mendaciorum ſarcinam aſino ſuo imponendam. Fingit non hæc modò opida in Hiſpania, quorũ nomina in Briga deſinũt, ſed ipſos etiã Brygas & Phrygas à Brygo Meſæ filio accepiſſe nomenclaturã. Minoris ſanè operæ eſt mentiri quàm mendacia refellere; & niſi in refellendo id lucri caperetur, vt non tantùm quæ falſa ſunt reiicerentur, ſed ea etiam quæ vera ſunt lucem acciperent & explicatum, numquam ad has nugas confutandas vel minimam atramenti mei iacturam facere voluiſſem. Complura opida ſunt quorum nomina hac voce Briga finiuntur: quæ cùm apud Ptolemæum & alios exſtent, non video cur debeam recenſere: frequentia certè huius nominis in Hiſpaniæ vrbibus obſeruata perſpicuum nobis ſuppeditat argumẽtum, primos eius incolas eundem cum Thracibus habuiſſe ſermonem. Strabo enim teſtis eſt, Bria opidum ipſis denotare: qua de re quod in Gotodanicis ſcripſi, hic rurſus commemorare cogor. Qui neſcit V conſonantem & Beta tam cognatæ poteſtatis litteras eſſe, vt altera alterius loco ponatur, cum eo prolixiùs mihi foret negotium quàm huic noſtræ expediat feſtinationi: Quamobrem & hoc ſumto, & illo itidem quod in Gotodanicis demonſtraui, Thracum & noſtrum ſermonem eundem eſſe, clarum fuerit, Briam nihil aliud eſſe quàm Vrieit ſiue Vriheit/ pro

Bria & Briga vocum etymon. quo alij, Vrijgeit efferunt. Ex Vrieit ergo Bria apud Thracas, ex Vrijgeit Briga apud Hiſpanos remanſit. Significatur autem vtrauis harum vocum apud noſtrates hactenus opidum mœnibus illud quidem necdum incluſum, ſed tale tamen, vt & muniendi ſe habeat libertatem, & ceteris omnibus commodis fruatur quibus ciuitates, vt nimirum & nundinas habeat, & Senatum cum integra iuriſdictione tam in capitis quàm bono-

Vri. rum cauſſis; habeat etiam ſua collegia & ſodalitates & artificum corpora. Vri nobis

Vrieit. liberum, Vrieit & Vrijgeit libertatem ſignificat; quæ voces & ciuitatibus muro clauſis & non clauſis conueniunt: verùm quia opida mœnibus cincta peculiare nomen habent,

bent, generis vocabulum illis tribuitur quibus proprium vocabulum deeſt; quod à Græcis etiam fieri ſolere Ariſtoteles in Topicis annotauit. Non abs re fuerit hoc loco annotare ea opidorum nomina quæ à Ptolemæo & ceteris in Briga finiuntur, apud Plinium in Brica terminari; qua de re videas quàm procliuis ſemper fuerit ipſius gamma in cappa permutatio; atque ea quidem tam placuit, vt etiam illic vbi recepta ab antiquis pronunciatio repugnabat, in ſcribendo admitteretur; cuius exemplum eſt in Caio & Cneio vocibus ex noſtra lingua ad Romanorum prænomina tranſlatis, quarum prior à nobis modò eſt explicata, poſterior, quæ à noſtro Gnai deriuatur, apud Germanos noſtros ſæpius eſt in loquendi vſu quam ab illis quibus tribuitur clementia, frequentata. In his perſpicuum eſt, pronunciationem cum ſermone noſtro, quem Cimmerij in Italia olim ſunt locuti, cuique omnia Romanorum prænomina debentur, vt ſuis locis à me declaratur, conuenire; & picturam diſcordare: quæ res cùm quibuſuis vel de media plebe apud noſtrates probari queat, nemo poſthac miretur cappa frequenter in locum gamma irrepſiſſe; quod licet non magni momenti fortaſſe videatur, crebrò tamen non parum adfert obſcuritatis in vocabulorum originibus annotandis. Hermathena noſtra tradit Cælum componi ex tribus voculis, Gai & El & Om; quibus circumuolutio orbis excellentiſſimè placentis & vitam dantis denotatur: vbi cappa ipſi gamma locum ſuum præripuiſſe quilibet animaduertit. Nec aliter de Calaicis Hiſpaniæ populis iudicandum, in quorum nomine cappa locum ipſius gamma occupauit, quod non difficulter ipſis perſuadebo qui hodie illos Gallegos appellant. Allemani in illis vocabulis deriuatis in quibus nos g aſpiratum ponimus, adeò ſunt ipſius cappa amantes, vt poſt gamma cappa ponant frequenter, Heiligkheit pro Heiligheit/ & ſimilia pro ſimilibus dicentes. Cùm igitur apud Plinium legimus Iuliobrica, Turobrica, Mirobrica; Iuliobriga, Turobriga, Mirobriga intelligatur neceſſe eſt. Melius Ptolemæus, ab accurata ſua in vetuſtis vocabulis conſeruandis diligentia numquam ſatis honeſtis titulis prædicandus, Nertobrigam, Lancobrigam, Arabrigam, Talabrigam, Nemetobrigam, Volobrigam, Coeliobrigam, & ſi qua alia ſunt eius nominis opida, per veterem & germanam ſcripturam expreſſit; è quibus, vt & ex aliis quàm plurimis priſcis locorum nomenclaturis, perſpicuum eſt, eos qui primi Hiſpaniam coluerunt, vſos fuiſſe ſermone noſtrati; quod pro eo atque progreſſus orationis exiget, paulatim docebo. Quòd verò Pſeudoberoſi diſcipuli Brigam & Burgum eiuſdem prorſus eſſe ſignificationis dicunt, id nemo linguæ noſtræ peritus ipſis aſſentietur; qui in Briga ſolam libertatem, in Burg arcem certum cuſtodiæ genus intelligunt; à quorum poſteriore Greci habent ſuum πύργος. Goti qui Italiam occuparunt, vocem Brigata reliquerunt, qua multitudo tanta ſignificatur, vt ipſa ſuam per ſe libertatem videatur poſſe propugnare; vnde liquet primis Hiſpaniæ colonis & Gotis, qui multis pòſt ſæculis in eam commigrarunt, communem huius vocis vſum fuiſſe; non pro regis aut cuiuſpiam omnino viri propria nomenclatura, ſed pro hominum multitudine ad libertatem ſuam tuendam congregata, qua in notatione hactenus Turnhoutum, Hoogſtratum, Hiluarenbecam, Ooſterwicum, & infinita alia opida nec vallo nec aggere nec foſſis munita, Vrijgheiten/ ſiue Italo ritu mauis Brigatas, nominamus. Ne plura de Briga dicamus, importuna quinti Regis facit feſtinatio, qui quoniam de flumine & natales & nomen duxit, nullum vmquam interponit momentum, quin ab oriente ad occidentem curſu minimè lento feratur. Aliàs à zelotypia, aliàs à monte, aliàs ab opido Pſeudoberoſus Reges ſuos eduxit; nunc è flumine Tago Tagum extrahet mox regni inſignibus inaugurandum. Hunc alio nomine Orma vocatum dicit, & coniunctis vocibus Tagorma, ſiue, vt Moſem ſcripſiſſe dicit, Togorma. Hic prius de Togorma quàm de Tagi nomine fiat inquiſitio: Hebræi תוגרמה, qua de voce Ioſepus Thygramma fecit, alij Thogorma, qui puncta Bibliis ſubſcripſerunt, Thogarma; Ioſepus Thygrammanos Phryges facit, quod vnde acceperit non indicauit. Quòd ſi vox vetuſtæ linguæ Cimmeriorum, inter quos hic enumeratur, accommodetur, Thau-ger-man, vel virum denotabit antiquitatis appetentem, vel antiquum coaceruatorem. Verùm poſteri, pecuniæ quàm antiquitatis congerendæ ſtudioſiores, primam ſyllabam, ceu ſuperuaca-neam & parum ad deſideria ſua facientem, repudiarunt; Germani malentes quàm Thougermani nominari. Cùm enim videam Germani nomen, perinde atque Saca-

C & G litterarum affinitas & permutatio.

Brica pro Briga apud Plinium.

Brigata quid ſignificet.

Tagus ſiue Orma quintus apud Pſeudoberoſum Hiſpaniæ rex.

Togorma. Thogarma. Thygramma.

Germanos à Thogarma nomen accepiſſe poſſe videri.

C rum

rum & Daarum, in recenſendo Perſico exercitu commemorari, non poſſum non ſuſpicari vetuſtiſſimam ipſis occaſionem fuiſſe cur ſe ſic vocarent. Nam quamuis vox, gentis ſtudium notet, nihil tamen vetat,immo probabile eſt,honeſtam aliquam cauſſam principio fuiſſe, ob quam ſic gauderent vocari. Aſcanij generatim Teutones omnes vocantur qui nomen patris ſui præferunt, quibus ſi fratris Tougermani filij ſeſe miſcuerunt, illud accidit quod paſſim inter cognatos fieri videmus. Quemadmodum igitur Iberi & Moſchoui Tubalis & Moſchou poſteri promiſcuè multis locis habitarunt, ita de Aſcanij & Tougermani quoque filiis arbitrari licebit. Scio aliis aliud videri,quorũ cõiecturæ nolim repugnare;verùm quo meæ magis faueam opinioni,Ioſepi facit auctoritas,qua fretus in ipſa Phrygia Thougermanos quæro,non longiùs ab Aſcaniis recedens quàm cognatio poſtulare videatur. Sint tamen, ſi lubet, Turcæ, ſint alij; modò ne Togorma & Tagus idem eſſe dicatur. Quòd ſi quis ſcripſiſſet Tougermanum quempiam in Hiſpania regnaſſe, non haberem fortaſſe cur repugnarem, cùm Oretani, gens in meditullio regni vetuſtiſſima, Germanos ſe eſſe iactent. At de his pòſt iterum dicam. Nunc ad Tagum propero. Huic amni inde nomen datum videtur, quòd gratiſſimus ſit non aquam modò, ſed aurum etiam ſitientibus. Ac illud eſſe quò vota noſtra maximè tendunt alibi docui, litterarum naturâ ſignificandi vim tribuente; vnde fit vt ἄκος Græci pro medicina dicant, & Latini humidum & frigidum elementum aquam appellent, quòd ea nihil vehementius, dum eius vſus eſt, videatur deſiderari: qua de re bene Pindarus dixit ἄριστον μὲν ὕδωρ, quo ſuo elogio ſupremam bonitatis laudem aquæ adſcripſit. Hac dum verbum eſt, ſignificat flagranti deſiderio de re quapiam pendere; quo fit vt Ac nomen ipſum illud bonum vocetur cuius amore ardentiſſimo omnia tenentur. Ex hac fit Hag/ littera tenui in mediam mutata,quo verbo idem ſignificatur quod placeo; quoniam quæ placent,nos ad ſe trahant. Quamobrem ſi ac & hag coniungas, & articulum Het præponas, fiet Het Ac--hag/ id eſt ipſa aquæ gratia: è quibus tribus voculis more noſtro in vnam contractis, Tag exiſtet: Hodie compoſito verbo magis vtimur Behag pro Hag dicentes. Quòd ſi quis tam ſit moroſus, vt huius meæ ſyncopes, quam in Tag admitto, impatientia torqueatur, is ſatis habeat ſi Het--Hag/ quod nunc Het Behag diceremus, in Tag intelligat; qua via, licet aquæ & bonitatis non fiet mentio, eò tamen venietur, vt Tagi aqua in numerum Gratiarum cooptetur; cùm Tag nihil aliud ſit quàm ipſum illud quod placet & gratum eſt. Heſiodus Charites ex Eurynome Oceani filia & Ioue produxit, ſic canens de numeroſa Iouis ſobole:

Tagus fluuius vnde nomen habeat. — *Ac.* — *Hac.* — *Hag.*

> Τρεῖς δέ οἱ Εὐρυνόμη Χάριτας τέκε καλλιπαρήους
> Ὠκεανοῦ κούρη. id eſt,
> *Tres ipſi Eurynome Charites parit ore decoras*
> *Nata ex Oceano.*

Charites.

Nec mirum id eum finxiſſe, aut, ne à veritate aberrem,à maioribus fictum ad poſteros tranſmiſiſſe; eo quòd Gratiæ grato terræ virori & omni florum fructuumq. amœnitati præſint; quorum lætus & vber prouentus illi naturæ aqueæ debetur, quæ ex Oceano fonte Paradiſi originem trahens latè per omnes terræ meatus calore cæleſti ducitur,& eas quas dicimus Charites profert: cuius vis, quia latiſſimè per omnia paſcua & omnia ea quæ vel à ceteris animantibus vel ab homine decerpi poſſunt ſeſe diffundit, Eurynome vocatur. Huius Eurynomes Tagus etiam filius eſt, & is filius qui meritò à Gratia nomen accipere poſſit, propterea quòd non aquam modò det ad bibendum ſaluberrimã,& aurea ramenta deuehat;ſed quòd ab Oceano etiã Eurynomes patre maximos accipiat theſauros, dum iis ſeſe oſtiis eius altè lateque infundens maximas holcades, omni pretioſæ mercis copia onuſtas, nepoti ſuo obuiam portat, non alia de cauſſa quàm vt hic ſeſe apud omnes Tagi nomine, quo gratia ſignificatur, dignum reapſe demonſtret. Quoniam tamen quoſdam ſic Tagi nomen efferre audio, vt E longum potius quàm Alpha pronuntiare videantur, poſſetque quiſquam inde concipere ſuſpicionem aliunde nomen eſſe ſumtum; conabor & huic ſatisfacere, ac docere ne hac quidem ratione vocabulum à ſermonis noſtri originibus alienari. Deeg enim nobis quoduis genus incremẽti & in melius promotionis ſignificat: vnde ſi fluuium hunc Het Deeg/ & contractè Teeg des lants dicas, denotabis in ipſo primariam eſſe vim totius

Gratia. — *Eurynome.* — *Deeg.*

regionis

regionis omni promotionis genere augendæ ornandæque. Certè vtrouis modo nomen interpreteris, nihil ab amnis natura aberraris; quando non ceteris tantùm rebus, quas dixi, regionem ad maximas diuitias promoueat, ſed equas etiam fecundo halitus ſui ſemine dicatur implere. Et hæc quidem in præſens de Tagi nomine ſufficiant, longe illa quidem à Tougorma diſcedentia; ſed ne ad latum quidem culmum vel à ſermonis noſtri proprietate, vel à fluminis excellentia remota: quibus id effectum eſt, vt ne quintus quidem Rex debeat admitti.

Sextvs regni ſucceſſor haud ſecus ac quintus è flumine & nomen & originem, ni fallor, accepit, nihilo plus veri habens quàm vanum Pſeudoberoſi cerebrum ipſi affinxit: flumini videlicet nobilitate ſecundo ſecundum locum dedit, quo Regum ſeries amnium naturam imitaretur. Sed quia nemo non videt puras putas has eſſe nugas quas nobis de fluminum nominibus mutuatur, non diu in hoc Rege confutando morabor. Nemo eſt noſtratium omnium, ne inter pueros quidem, qui neſciat quid Baet ſignificet; quoniam ea vox ſtatim ſimul ac fuerit audita, omnium aures arrigat, & magno lucri deſiderio accendat. Baet quoduis genus vtilitatis, quod profectum cum Quintiliano dicere poſſemus, qua voce Romaniſantes linguæ noſtrum Baet verterunt, non apud Hiſpanos tantùm, ſed apud Italos etiam & Gallos, à quibus noſtri etiam Profijt in vſum vocarunt, vocabulum illud quidem peregrinum & à peregrinis mercatoribus acceptum, ſed nunc Belgogermanis nimis gratum, tametſi vernaculæ interim voculæ minimè obliuiſcantur. Baetis igitur à Baet-Wis dictus eſt reiecto digamma, quo profectus & lucri faciendi certus denotatur. Eſt enim hic amnis certiſſimus variæ vtilitatis auctor, adiutor & index, vti paulo pòſt docebo. Maneat interim Bætis qualis perpetuò fuit, & nomen ſuum nulli priſcorum Regum memoriæ, ſed ſoli illi, quam certiſſimam accolis numquam adferre ceſſat, vtilitati ac lucro referat acceptum.

Bætus ſextus apud Pſeudoberoſum Hiſpaniæ rex.

Baet.

Bætis etymon.

Exſpectabam equidem poſt Bætum Durium amnem regio ſolio illatum iri, ſed ea me opinio fefellit, propterea quòd antiquitatum noſtrarum faber diligenter, vt videtur, varium fortunæ luſum in rebus humanis voluerit imitari, & accuratè cauere, ne perpetua figmentorum ſimilitudo nauſeam pareret lectori: Bæto enim ſuo Deabum dat ſucceſſorem, filium priſci Hiarbæ Numidæ, ſiue Dionyſij Libyci, qui patrem habuit Ammonem filium Tritonis, quem Gogus genuerit filius Sabæ nepos Cuſi pronepos Chami abnepos Nochi. Egregiè profectò regnorum Dea in Hiſpaniæ regno varios ſuos oſtendit fauores, dum terras Iapeti poſteris ſacroſancto paternæ diuiſionis iure debitas modò ad Semi, modò ad Chami transfert nepotes. Sed diſtribuat diuina voluntas arbitratu ſuo regna: nos quid propoſita nobis nugamenta tradant expendamus. Deabi nomen nec vſquam memini legiſſe, nec vlli vmquam bono clementique Regi datum iri ſpero. Quid enim magis abominandum quàm puerum diademati & ſceptro natum eo nomine vocare quo dolor & mæror denotetur, quaſi quæ maximè mortales omnes auerſantur, ea ſummæ exſpectationis infanti ipſo nomine vel optare vel augurari debeamus? Bona verba quæſo præclare Beroſi hiſtrio. Túne eum quem à diuitiarum abundantia apud Græcos Chryſaora dictum fateris, Deabum nominabis? Sed video quid ſit: decepit te quiſpiam Thalmudiſtarum, qui fortaſſis à te rogatus quî in lingua Aramæa ſiue Syra Chryſaor, plurimis auri argentique gazis abundans, nuncupari queat, reſponderit eum Deabum dici debere; non quòd ita ſentiret, verùm quò te deluderet, atque aliis deridendum propinaret. Hebræis enim in Thalmudicis libris lex data eſt, vt vbicumque ſaluis rebus ſuis Chriſtianum queant decipere, id faciant: adeò vt ſi tamquam medici vocentur ad Chriſtianum ægrotantem, accedere ipſis quidem liceat; ſed ea tamen condicione, vt quauis ratione & via poſſint, modò id clam haberi queat, aduerſam valetudinem augeant, & mortem procurent. דְאָבָה certè non aureum aut opulentum ſignificat, ſed dolorem, & ſi D. Hieronymi credimus interpretationi, egeſtatem, vt eſt in libro Iob: *Et faciem eius præcedet egeſtas*. Quò verò huic impoſturæ facilius fides haberetur, cognomen ipſius Deabi, quod Gera fuiſſe dicitur, rectam accepit expoſitionem: Eſt enim reuera, vti dicit, Gera aduena. finxit autem Pſeudoberoſus hoc Chryſaori cognomen, vt haberet cur filius Geryon vocaretur. Scribunt enim inter alios Diodorus Siculus & Pauſanias Geryonem Chryſaonis filium fuiſſe: Hyginus addit Chryſaora à Neptuno ex Meduſa, Geryonem à Chryſaore ex Cal-

Deabus ſeptimus Pſeudoberoſi in Hiſpania rex.

Chryſaor.

Chryſaori cur Neptunus & Meduſa parentes tributi ſint.

Callirrhoë procreatum fuiſſe. quæ omnia ad fabulas Hellenicas pertinent, quibus omnem propè externam hiſtoriam vel inquinarunt vel prorſus corruperunt. Quiſquis ille fuit cui Chryſaori Græci nomen fecerunt, non dubium eſt quin fuerit ditiſſimus cum aliis de rebus, tum maximè de Neptuni fauore mercatum & vecturam proſperantis. Quin verò plurimam materiam ex inſulis Æthiopiæ oppoſitis ad nauium fabricandarum commoditates, ac ſimul Thuiam & id genus arbores, quibus litus Africanum abundat, in Hiſpaniam attuliſſet, fabula conficta eſt, Neptuno è Meduſa, vna inſularum quæ Gorgones vocantur, Chryſaora natum fuiſſe. Nos quæ Gorgones & vbi ſitæ ſint, pòſt exponemus. Ex Meduſa itaque & Neptuno non Chryſaor tantùm, ſed Pegaſus etiam naſcitur, propterea quòd Pegaſus in hac fabella non aliud ſit quàm nauis velorum alis impulſa, quæ de Meduſæ cedris fortaſſe fuerit facta. Inſula certè, quæ nunc Madera à copia materiæ, qua cùm primùm inueniretur abundabat, dicitur, cedrum plurimam producit, aliæque inſulæ variam admodum arborum copiam ferunt, quarum plurima genera Antuerpiæ conſpexi. qua de re coniecturam facio, ipſis etiam Gorgonibus inſulis copioſam nauibus fabricandis materiam fuiſſe: de quibus vt dixi pòſt, iterum fuerit agendum. Chryſaorem Heſychius Mileſius ambiguè interpretatur, modò eum eſſe dicens qui aureum habeat gladium, modò qui auream habeat citharam. Alij ex parte de toto faciunt coniecturam, eum Chryſaorem vocantes qui totus auro ſit armatus. Nos vnde Geryon, quem Chryſaori & filium & ſucceſſorem dederunt, dicatur, mox ſuo loco exponere decreuimus, & vnà addere quid cauſſæ ſit vt Hercules bellum cum eo geſſiſſe, & boues eius abduxiſſe dicatur. Et hac quidem ratione hos duos Reges commentitios, Deabum & Geryonem, οἰμώζειν, aut ſic valere, vt Deabus Aramæum Chryſaoris cognomen poſtulat, iubemus. Pſeudoberoſica & Pſeudomanethonica Regum ſeries poſt Geryonem Hiſpalum nobis profert, mox inde Hiſpanum; quorum alter clariſſimam vrbem, alter totam regionem à Gadibus ad Pyrenæos vſque ſaltus nominis ſui communicatione dignatus ſit honorare. Poſt hos Herculem iam ætate prouectum regni gubernaculo admouet; cui Heſperum ex Italia oriundum dat ſucceſſorem. Inde fabuloſa iuxtà ac monſtroſa nomina ſequuntur Atlas, Sycorus, Sicanus, Siceleus, Luſus, Siculus, Teſta, Romus, Palatuus, Cacus, Erythrus, Gargoris, Habidus. Ab his variæ gentes ſuccedunt, quæ olim mari alia poſt aliam imperaſſe ſcribuntur, quibus Nabuchodonoſor interiectus Carthaginienſibus Hiſpaniam relinquit poſſidendam; qui poſtquam ad trecentos ferè & quadraginta octo annos rerum potiti fuiſſent, à Romanis pelluntur. Hi principiò inquietam variiſque bellis turbatam, deinde pacatam regionem ad Honorij vſque imperium tenuerunt. Ab eo tempore, ab anno videlicet poſt Chriſti natalem quadringenteſimo vndecimo Goti Hiſpaniam rexerunt. In horum itaque primis, quæ illis quæ hactenus reiecimus, ſunt connexa, ita deinde verſabimur, vt quæ fabuloſa ſunt refellamus; quæ tolerari queunt, veritati applicemus; quæ hactenus in tenebris ab omnium doctorum hominum oculis longè remota iacuerunt, in lucem proferamus.

Pegaſus Neptuni & Meduſæ filius cur fingatur.

Madera.

Gorgones inſulæ.

Geryon octauus Pſeudoberoſo Hiſpaniæ rex.

LIBER

LIBER III.

QVONIAM itaque ad Hiſpalum & Hiſpanum, ficticium mendacis Beroſi ordinem ſecuti, peruenimus; age tentemus ecquid ſanæ ſignificationis in his nominibus reperire poſſimus: & priùs quidem de Heſperiæ nomenclatura, totam regionem notationis ſuæ latitudine complexa, mox de prioribus inquiſitio procedat. Hic illud mihi ſequendum iudico, quod, quamuis Peripateticæ ſcholæ numquam monuiſſent, neminem tamen, qui modò iudicij quadam mediocritate polleret, latere potuiſſet; vt nimirum à claris ad obſcura, à probabilibus ad minùs probabilia, à confeſſis ad dubia ducantur argumenta. In obſcuris enim & implicitis, & nemini hactenus exploratis antiquitatum labyrinthis vel nullum eſt certum rectæ viæ reperiendæ indicium, vel hoc ipſum eſt filum Ariadnæum quod iam nunc lectori in manum tradam.

Venti principales quatuor.

Nihil clarius eſt apud omnes quàm prima ventorum diſcrimina ſic annotari, vt circulus horizon in quatuor æquas partes diametro ſe duobus in centro ad rectos angulos ſecantibus diuidatur, & alterius quidem diametri hinc oriens, hinc occidens; alterius verò hinc meridies, hinc media nox claudat extremum: quibus poſitis orienti Eurus ſiue Subſolanus, occidenti Fauonius ſiue Zephyrus, meridiei Auſter ſiue Notus, oppoſitæ parti Septentrionalis ventus appingatur.

Ventorum ſpecies triginta duæ.

Ventorũ nomina omnia Cimbrica ſunt apud cuiuſuis nationis nauclèros.

Qui nauticam anemographiam delineant in pendula pyxidis tabula, magnetis vi perpetuò ad omnes mundi plagas directa, triginta duos ventos diſtinguunt, ſingulis quadrantibus octo ventos applicantes; quorum nomina omnia Cimbrica ſunt, ſiue linguæ Teutonicæ, nobis inter Scaldim & Moſam vernaculæ, propria: qua de re liquet cuias fuerit primus pyxidis, ad cuius normam clauus tenetur, inuentor. Quotquot enim ſunt qui triginta duo ventorum diſcrimina diſtinguunt, noſtratibus vocibus vtuntur, ſiue Hiſpani ſint, ſiue Galli, ſiue alterius nationis naucleri.

West.

Verùm quia noſtrâs Fauonij nomen West duplice ſcribitur digamma, quo alterius linguæ homines carent, turpiter nomina quædam corrupta ſunt, & ab aliis fortaſſe aliter: Luſitani, ſi Petro Nonio Salauenſi doctiſſimo mathematico credimus, loco ipſius West/ ſiue, quod idem eſt, Weste/ O eſte ſcribunt; quæ vox, ſi O & E in diphthongum coëant, non Fauonium nobis, ſed Eurum oppoſitum ex diametro ventum notabit. Loco verò nominis noſtri Oost ſiue Oest ſcribunt Eſte, cui Nonius extra compoſitionem L præponit; quam litteram in compoſitione omittit, ignarus ſi à quopiam addatur, articulum eſſe, & idcirco non venire in compoſitionem. Tolerabilior profectò eſſet corruptela, ſi pro Weste Eſte dixiſſent, littera cuius vſum nullum habent omiſſa, propterea quòd hac via Latinorum, Græcorum & Hebræorum etiam non pauca exempla ſequi viderentur, qui non rarò, dum voces noſtras ſermoni ſuo inferunt, hoc elementum reiecerunt nullo alio ſubſtituto.

W ſæpe à Latinis, Græcis & Hebræis reiicitur, nulla alia littera ſubſtituta.

Sic Græci è noſtro Weic fecerunt εἴκω, ex Weer ἦρ: Latini è Witer Iterum, ex Wesen Eſſe, ex Wage Ago; & vtrique è Truwis Druis, è Magwis Magus & Magos fecerunt: Hebræi è Wie אי, ex Wee אי, ex Wiech איך, è Welt איל, reiecto Tau; & plura id genus. Poſſem tamen Oeſt excuſare, niſi Venti è regione ſpirantis nomen nimis propè referret. Nam & Græci è Wijn οἶνος fecerunt, quo loco o paruum pro noſtro duplice digamma poſitum videmus.

Iſteuones.

Omiſſione itaque ipſius duplicis digamma, Iſteuones apud Latinos pars illa Germanorum vocatur, qui limitem regionis ad Fauonium ſpectantem habitant, quos integra voce nos Weste wonen vocaremus, eo quòd West won ad verbũ ſignificet eũ qui habitat ad occaſum; ſicut Hinge won eũ qui ſecundũ mare habitat, quẽ Latini Ingeuonẽ corruptè dicunt; & Hert mit won eũ qui in ipſo omnino meditullio habitat regionis.

Ingeuones.

Hermiones.

W in quas litteras mutetur.

Mirum eſt quantum turbarum in linguarum confuſione hoc noſtrâs digamma excitarit. Nam non tantùm omittitur, ſed aliàs etiam in B, vt antè dixi, aliàs in G, vt in Gigantomachia docui, aliàs in Qu, vt in קין pro Win/ aliàs in aliam tranſit litteram; cuius mutationis omnem perſequi varietatem nec huius eſt loci, & odioſam adferret prolixitatem.

Veſper vnde nomẽ habeat.

Verùm nulla corruptela huius litteræ tolerabilior eſt, quàm dum è duplici digamma fit ſimplex; quo quidem modo è West fit Vest/ atque ita ex Westpher Veſper, reiecto Tau & adſpirata in tenuem mutata, quo ſignificatur actus, ſiue traiectio, ſiue motus ad occaſum: quæ res quid aliud eſt quàm

 Solis

Solis occaſus? Porrò quia digamma ſimplex frequenter in adſpirationem tranſit; vti Grammatici in Venetis & Henetis, in Velena & Helena, in aliis annotarunt: Græci *Heſperus.* pro Veſper Heſperos dicunt, qua voce Latini quoque non rarò vtuntur, & inter alios Poëta in hoc verſu, *Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ.* Quoniam verò, dum de more Gæometrarum paraſceuen ſtruimus ad eius quod docere volumus demonſtrationem concludendam, in hoc nomen Heſperus incidimus, & iuxtà inter Iberiæ Reges Heſperus atque Hiſpanus & Hiſpalus enumeretur, neceſſarium exiſtimo paulò hic latiùs de Heſpero dicere, quæ cæteroqui pòſt explicare oporteret. Diodorus Siculus è vetuſtis fabulis docet Heſperum & Atlantem fratres in Heſperia fuiſſe, & Heſpero filiam fuiſſe de nomine patris Heſperidem vocatam, à qua tota deinde *Heſperides Atlantis filiæ à Buſiride raptæ, ab Hercule liberatæ fuere.* regio Heſperia fuerit nominata. Hanc filiam Atlanti ita placuiſſe, vt eam duxerit vxorem, & ſeptem ex ea filias genuerit; quæ de nomine patris Atlantides, de nomine matris Heſperides fuerint nominatæ. Earum pulchritudine iam per orbem hominum ſermone plurimum celebrata, Buſiris piratas miſit ad eas rapiendas: quod cùm Hercules monſtrorum Tyrannorumque domitor reſciuiſſet, Buſiridem ſupplicio pro meritis affecit; virgines è piratarum manibus, quos in littore deprehenſos occidit, liberatas patri mæſtiſſimo reſtituit; qui vt gratum animum demonſtraret, vltra alia munera & liberalem hoſpitalitatem, hoc etiam adiunxit, vt Herculem Aſtronomiam doceret, quæ cùm tota ſphæricis demonſtrationibus conſtet, fabulæ originem dedit qua Hercules ſphæram cæleſtem humeris ſuis ſuſtinuiſſe narratur. Hæc Diodorus in ſua Bibliotheca. Quem verò Atlantem, quem Heſperum cognomento dictum ſuſpicemur fuiſſe, ſuo loco aperietur; hic illud agimus, vt Heſperi nominis & ſignificationem & originem ab ignorantiæ carcere liberemus, hac via quid Hiſpali quid Hiſpani nomen deſignat oſtendamus. Dixi modò è Veſper Heſperus eo modo fieri quo è Ve- *Digamma Æolicum cū Hiſpanis tū Latinis frequēter in adſpirationem tranſit.* netis Græci fecerunt Henetos, ſimplice nimirum digamma in adſpirationem tranſeunte; quod cum aliis tum Hiſpanis minimè debet mirum videri, propterea quòd ipſis nihil ſit vſitatius quàm e digamma Aeolico facere adſpirationē. Nam pro fijo dicunt hyo, pro fembra hembra, pro filo hilo, pro feces heçes, pro fato hado, & alia ſimiliter infinita: qua tamen in re non carent Latinorum veterum exemplis. Hi etenim è fordeo fecerunt hordeum. Quòd autem fordeum priùs dictum fuerit, non de Grammaticis tantùm teſtibus clarum eſt; ſed de ipſa etiam etymologia: fordeum enim per metatheſim à foder factum eſt, quo ſignificatur pabulum cum ceterorum animantium, tum maximè equorum, ceu foderum diceretur Latinitate Macaronica. Eodem modo priùs Veſo quàm Veho dixerunt Latini, vt rurſus ex prima vocis origine docetur; Hef enim in primo ſermone dicitur, à quo Hefo fieret; verùm adſpiratio hic tranſiit in digamma ſimplex Latinum, & digamma Aeolicum in adſpirationem: qua via ex hefo fit veho. Nec aliter è fircus voce antiqua Latini fecerunt hircus. Dicitur enim fircus, quaſi noſtri vernaculi firic dicerent, id eſt igneo calore ardens: cui ſi Latina accedat vocum clauſula, firicus habebis, & ſyncoptôs fircus, vnde poſteriores in hircos tranſierunt. Multa id genus commemorare poſſem, quorum apertiſſima in ſermone noſtro ratio cernitur, cùm Latini nihil habeant quod de ſignificationis eiuſmodi vocum cauſſis probabiliter dici queat. Perſpicuum nunc eſſe credo è Veſpero exſtitiſſe Heſperum; at illud necdum liquet, cur Weſtpher noſtras, à quo Veſper deducitur eo quem expoſui corrumpendi voces modo, traiectionem ad occaſum deſignet. Nec apud Græcos nec apud Latinos vocis exſtare rationem inde quiuis facilè coniectet, quod à proprio viri nomine eam ad reliqua denotanda, pro quibus eſt in vſu, deductam eſſe ſcribant: quamquam haud ignoro Etymologici ſcriptorem ſeſe fatigaſſe quò veriſimile redderet, ἑσπερον παρὰ τὸ ἔσω περᾶν ἢ παρὰ τὸ φέρειν τὸ τῆς ἕω πέρας, quorum neſcio vtrum ſit frigidius & ineptius. Nobis nominis cauſſa non euidentiſſima *Pher.* tantùm eſt, ſed vna etiam nobis demonſtrat fontem omnis prudentiæ: De Pher/ quod *Ver.* nos fer & Ver dicimus, quin traiectionem & actum quemuis ſignificet nemini noſtra- *Var.* tium dubium eſt. Verbum vnde deriuatur Var enuntiatur, quo quæuis agendi mouendi ratio denotatur. Sic dicimus Hoe-var-di/ id eſt quo modo is, vel moueris, aut Latiniùs, quî res tuæ ſuccedunt. Siue naui feror, ſiue curru, ſiue me ipſe porto; ſemper dicam ic var/ id eſt ego moueor vel agor. Nec aliter dicimus, Laet deſe dingen varen; id eſt, ſine

eſt, ſine has res valere; & ſimiliter, Het var ſoet var/ id eſt, Res eat quocumque tandem modo ire velit. Altera pars compoſitionis quæ prior eſt, quam West efferimus dum Occaſum denotamus, quatuor habet notationis cauſſas mihi perſpectas: Prima à præterito tempore verbi ſubſtantiui accipitur, quod eſt Geweeſt; à quo ſi augmentum Ge auferatur, reſtat Weeſt; à quo mox fit Weſt correptá ob id vocali, vt parua diei mora, quæ reliqua eſt Sole ad occaſum tendente, denotetur. Cùm igitur Weſt audimus, cogitemus nobis nomenclatorem alta voce inclamare, Dies fuit; ad eum ſignificationis modum quo Poëta dixit, *fuit Ilium, & ingens Gloria Dardanidum.* Et iterum: *fuimus Troës.* Et vt eſt in prouerbio, *Fuerunt quondam fortes Mileſij.* Huic itaque ſic inclamanti ille quidem, qui diligenter rebus ſuis agendis diem impendit, reſpondere poterit: Bene habet; res meæ peractæ ſunt; iam quieſcam. At ſi quis ignauus fuit, tacitus ſecum cogitabit: Quid feci? cur hunc diem perdidi? Curandum ne craſtinus dies ſic abeat. Quis non videt quantum in hac admonitione, Dies fuit; ſiue fuit ſimpliciter, ſit momenti ad prudentiam informandam? Plumbeus ſit oportet, ſi quis hoc audiens non commoueatur vel ad diligentiam ſuam quotidie iterandam, vel ad ignauiam corrigendam compenſandamque. Altera cauſſa ſignificationis eſt in Weeſt/ quod ſignificat monſtrabat. Veſper enim demonſtrat quo quiſque ſeſe modo in officio ſuo diurno geſſerit: Demonſtrat item vnicuique quanto is beatior ſit qui labore ſuo diurno victui ſuo & quieti neceſſaria quæſiuit, quàm ille qui, cùm totum diem nihil agendo tranſegit, veſpere nihil habeat ſua induſtria partum, quod vel iucundam det cœnam, vel cubandi commoditatem. Nemo mortalium ſcire poteſt quanta ſit honeſto viro vitæ ſuauitas, qui numquam expertus eſt quanta ſit voluptas diurno labore exercitatum veſpere ad focum ſuum laſſa membra fouere, ac deinde cibo & potu ſuo labore acquiſitis perfrui; quos condiat ingens validi ventriculi appetitus, qui longè ſuauius eſt condimentum, quàm vllum Garum ſociorum, quàm vlla halecula, quàm vllæ colymbades, quàm vlla promulſis. Hoc ſibi condimentum Spartana iuuentus referebat ab Eurota, hoc fecit vt ille imperator turbidam aquam bibens ſe numquam ſuauius bibiſſe fateretur. Sed quid ego hic plura dicam, vbi nihil vmquam vel à ſummo oratore dici queat quod hanc, de qua agimus, æquare poſſit voluptatem? Idem verò in cæteris cogitandum, qui vel ciuilibus rebus occupati, vel aliis ſtudiis dediti, diem cum fructu non pœnitendo tranſegerunt; quibus dulciſſimum eſt animi pabulum rerum tota die bene geſtarum conſcientia; vt contra nihil triſtius eorum cogitatione, qui ignauiam ſuam cum aliorum induſtria comparant. Veſper igitur rectiſſimè nomen habet à demonſtrando ſuo cuique bono vel malo, quo nihil eſt ad prudentiam aut inchoandam aut promouendam efficacius & præſentius. Quid quòd Wis/ vnde Weeſt in præteriti imperfecti tertia perſona, non ſolùm demonſtro generatim ſignificat, ſed etiam pro iudico vſurpatur? quo fit, vt & hoc modo Veſper Weſt meritò dicatur; eo quòd ſolus Veſper de toto die iudicium ferre poſſit. Hinc illud apud Latinos, *Neſcis quid ſerus veſper vehat.* qua de re quanto ampliùs cogitabis, tanto clariùs cernes hanc quoque nominis cauſſam latiſſimè patere. Sicut enim exitus de rebus iudicat, ita & Veſper quamuis id illi diſplicuerit quæ dixit, *careat ſucceſſibus opto Quiſquis ab euentu facta probanda putat.* In opere certè diurno quantum quiſque præſtiterit, veſpertinum iudicium neminem fallet. Adde Veſperum diei craſtini dare ſignificationem, & ex eo de futura tempeſtate iudicium colligi, vt ab ipſo Chriſto monitum habemus. Virgilius item Veſperum magis notandum eſſe tradit quàm Solem orientem, & ab illo quàm ab hoc iudicia duci certiora. Reſtant duæ adhuc cauſſæ, non illæ quidem tanti quantæ priores putandæ, attamen non contemnendæ iis qui rerum naturalium cauſſis conſiderandis ſeſe oblectant. Pluuiæ veſpertinæ in ſacris litteris eam aliquoties legimus mentionem, vt ea nihil optabilius agricolis eſſe clarè ſignificetur: nec eſt omnino quiſquam aut hortulanus aut alterius generis ruſticus tam rerum omnium imperitus, vt neſciat quàm grata ſit plantis pluuia veſpertina. Weſt igitur ſic intelligere poſſumus vt poſtremam diei partem rogemus, vt quæ plantauimus lauet. Dicamus enim Waſt & Weſt pro laua. Iam Weſt etiam idem eſt quod creſce; quo fit, vt dum Weſt pro vltima diei parte dicimus, vtrumque dicere videamur, Laua & Creſce; illud quidem cælo, hoc verò ſemini à nobis terræ interdiu commiſſo. Audiuerant poëtæ à maioribus famam

West *nominis ratio quadruplex.*

I. Weeſt.

II.

Wis.

III.

Waſt.

IIII.

quandam huius lotionis, quam nomen noſtrâs optandam eſſe monet; ſed quòd ea tenuis eſſet ac fugax, quorſum ſpectaret coniectare nequiuerunt, & idcirco putabant Solem & aſtra, dum ſe condunt, in Oceanum deſcendere quo ſe lauent; ceu quiſquam de longo itinere feſſus & multo puluere ſqualidus ad balneum ſe veſpere conferret. Hoc verò vt iis qui fabulas ex profeſſo ſcribunt condonari poteſt, ita neſcio quid de illis ſentire debeamus, qui memoriæ mandarunt, Solis in Oceanum deſcenſum tantum ſtrepitum edere, vt in Hiſpaniæ promontoriis audiatur, haud aliter ac ſi candens ferrum in aquam demergatur. Atqui hoc dignum commemoratu putauit Poſidonius, aiens id vulgò apud omnes Oceani accolas dici. Quamuis autem & poëtæ & cæteri nimis impudentes, ſeſe in hoc mendacio præſtiterint, magnamque Aſtrologiæ imperitiam demonſtrarint, nobis tamen iucundum eſt intelligere quæ fuerit prima huius erroris occaſio. Nunc itaque clariſſimè cernimus Weſt ſuæ ſignificationis apud noſtrates habere cauſſas non leues aut obſcuras, ſed perquàm graues & luce meridiana euidentiores: qua de re liquet Veſper & Heſperus, & quæcumque vocabula ab illis deducuntur, ad fontes ſermonis noſtri pertinere, & fruſtra in aliis linguis de ipſis diſputari, nec omnino dici poſſe hæc de regis cuiuſpiam nomine ad rerum earum quas primò ſignificant notationem tranſiiſſe. Heſperus ergo & Veſper primò ad Solis occaſum pertinent, inde ad cætera transferuntur. Hinc Heſperiæ nomen regiones duæ ſortitæ ſunt apud Græcos, Italia & Hiſpania; quarum hæc vltima Heſperia ab Horatio vocatur, ſic canente: *Qui nunc Heſperia ſoſpes ab vltima*; quamuis vltimam partem potuerit indicaſſe. Rectiùs enim quis dixerit, Hiſpaniam ab Italis; Italiam à Græcis Heſperiam ratione ſitus vocari. Sic Virgilius de Italia loquens: *Eſt locus, Heſperiam Graij cognomine dicunt*. Quoniam verò vocabulum Heſperiæ à Iapeti ſermone deriuatur, & ea quæ de Atlante narrantur, ad Heſperiam referantur, dicemus Atlantem in Hiſpania prius quàm in Africa habitaſſe. qua de re mox latius. Venus autem Heſperus & Veſperugo nominatur eo tempore, cùm ad Solis occaſum formoſum ſuum lumen oſtendit, licet matutinis horis Phœbo præcurrens Lucifer vocetur. Poſtquam modò quid Weſt ſit, quamq. variam habeat & copioſam ſignificationis ſuæ rationem, oſtendi; non fuerit abs re obiter indicare quî pars cæli oppoſita nominetur, tum ob alia, tum quòd contra ſe poſitorum conſideratio obſcuris lucem ſoleat adferre. Au nobis antiquum deſignat, & Auſt antiquiſſimus: vnde Germanus, vt antè dixi, D'auſt cum articulo nuncupatur; eo quòd lingua eius antiquiſſima ſit. Hinc quia matutinum tempus antiquiſſimum eſt omnium totius diei momentorum, Auſt Orientem deſignat; &, vt modò dixi, pro Auſt crebrò Ooſt pronuntiatur citra notationis diſcrimen. Ab hac voce Auſtrye regnum vocatur orientale, quod vocabulum alibi in Auſtriam, alibi in Auſtraſiam tranſiuit, cùm Auſtrycia potiùs dicendum eſſet, ſi originis ratio habenda ſit. Matutinum ſanè tempus vt reuera eſt antiquiſſima diei hora, ita nobis antiquiſſimũ quoque eſſe debet, eo quòd ad omnia bene recteque peragenda maximè ſit idoneum; quod ſi per omnia negotiorum genera quiſquam velit examinare, næ is non totum modò matutinum tempus, ſed totam etiam diem nimis breuem huic diſcurſui eſſe deprehendet. Latini Auroræ nomen ab eadem origine duxerunt, eo quòd Au-roor nihil aliud ſit quàm antiqua motrix: ob id ſic dicta, quòd omnia animantia commoueat, & ad ſuum quodque opus excitet. Nec alia de cauſſa Græcorum vetuſtiſſimi Αὔως dixerunt pro Aurora, ceu Au-hoot in primo ſermone dictum fuiſſet, quo antiquum caput denotatur. Eſt enim aurora rerum omnium agendarum caput, & illud quidem tanta veneratione dignum, quanti nobis eſſe debet primus lucis exortus. Lux profectò primum caput eſt totius vniuerſitatis, quod ante omnia cetera Deus dicitur creaſſe: & ſicut illa lux fuit mane omnium ſæculorum & vera Chriſti imago, ita prima cuiuſuis diei lux antiquum caput eſt diurnæ durationis. Vſa eſt hac voce Sappho in hoc verſu,

Ἕσπερε πάντα φέρων ὅσα φαίνολις ἐσκέδασ' αὔως.

Poſteriores ex αὔως, ἠώς & ἕως fecerunt. Videmus itaque Auroram & Au-hoot ex eadem radice pullulaſſe, & vtraque voce denotari primam diei partem honore ſummo dignam eſſe, nec quicquam nobis antiquius habendum. Monui antè Ab & Abba ex eodem Au fluxiſſe; quod cùm ita ſit, exiſtimare debemus Auroram nobis patris loco habendam eſſe, & toties nos gigni quoties noua lux nobis exoritur, ideoque ſummo

manè

Heſperiæ nomen Italiæ & Hiſpaniæ tributum.

Veneris ſtella quãdo Heſperus & quãdo Lucifer dicatur.

Ooſt nominis ratio. Au.

Auroræ etymon.

mâne nihil nobis priùs agendũ eſſe, quàm vt patri vniuerſorũ gratias agamus de nouo noſtro natali, qui nos à ſomno & tenebris quotidiana quadam morte in lucẽ reuocauit. Quoniã verò Aurora omnia animãtia operis ſui monet, Mâne à Latinis dicitur; quam vocẽ à noſtro Mane/quod eſt moneo, retinuerunt: & quia cuiq. ſuas diſtribuit partes & officia, nec quicquã relinquit cui non dimenſum opus aſſignet, Matuta vocatur. Met enim vocali lõga pronuntiatũ, vnde Mat in præterito imperfecto, à quo nomina formãtur, idem eſt quod menſuro; & ab hoc verbo Metior Latini, & Græci μετρέω, & Hebręi מדד retinuerũt. Docui in Amazonicis Mat & Tam ichnæa eſſe vocabula, quorũ character euidentiſſimè demõſtrat ea ad origines noſtras referẽda eſſe. Iam Wt idẽ eſt quod E vel Ex Latini dicunt; vnde Mat-Wt dicetur quæ ſuum cuique opus & munus emetitur. Hebræi בוקר pro Mâne dicunt, quod item è primo ſermone habuerũt; qua in voce Bet pro duplici digamma noſtro ponitur: Waker enim is eſt qui vigilat & è ſomno excitat. quod quis nõ videt aurorę maximè cõuenire pro omnibus excubias agẽti & omnia animantia è ſomno excitanti? In nomine Veſperi cõmiſerũt illud vitiũ quod hyſterõ proteron Grãmatici dicũt, ערב pro Berg dicẽtes, quo ſignificatur veſper omnia abſcondere. Concedãt itaq. harũ vocũ nobis origines, vel ipſi domi ſuę alias & eas quidem rectiores oſtendant. Quid quòd Orientis quoque vocabulum apud Hebræos vſitatum è noſtro quoque ſermone petitum eſt? Nam קדם nihil aliud eſt quàm Awdom/ quo antiquitas nobis denotatur; vbi duplex W. in Q. mutatur, & conſonantem primam malè ſequitur vocalis, quod frequens Hebræis, vt pro Alban dicunt לבן vocales principio vocum non dignantes. Videmus ergo & nobis Orientem antiquiſſimum dici dum Auſt vocatur, & Græcis & Latinis matutinum tempus ab antiquitate dici, & Orientem ab Hebræis ipſam vocari antiquitatem: qua in re illud inter alia animaduertas velim, non ob id tantùm Orientem antiquiſſimum dici, quia hora matutina ceteris diei horis ſit antiquior; ſed propterea etiam, vt ſemper recordaremur antiquiſſimam habitationem in Oriente fuiſſe, & ibidem antiquiſſimam & primam permanſiſſe linguam, & eos apud quos ea ſeruata eſt, idcirco idem nomen cum Oriente habere ſolo articulo præpoſito differens. Sed ſatis horum; reuertamur ad Heſperiam. Quamuis Græci Italiam Heſperiam vocent, propriè tamen & præcipuè Hiſpania Heſperia dicetur, quod Hebræos quoque video ſeruaſſe dum ספרד pro Hiſpania ſcribunt; quam tamen vocem more ſuo malè pronuntiant, idque tribus de cauſſis: & quòd puncta aliena ſubſcribant, & quòd vocalem poſt conſonantem de ſtolida ſua lege in principio ponant, & quòd aſpirationem reiecerint, niſi eam ex Phe tibi ſumas. Adde & illud Daleth in fine redundare. Pro Heſpera igitur Separad efferunt; vbi Iota omiſſum eſſe, quod eſt in Heſperia, vix tanti facio, vt annotatu dignum putem, in ea præſertim lingua quæ turpiſſimè omnes voces mutilare conſueuit: quod vt clariùs intelligas, vide Chaldæum Turgumanum, qui loco Sepharad in Abdia Propheta tranſtulit Sipamiam, quod me Arias Montanus monuit, vir non eximia modò Theologiæ, ſed omnium etiam artium liberalium & omnium linguarũ doctrina excellẽtiſſimus. Hîc cernis tria mox errata in Hiſpaniæ nomine: Primũ quòd adſpiratio ſit adẽta; Alterũ, quòd vocalis cõſonantẽ in principio vocis ſequatur, vti & in Sepherad fieri dixi; Tertiũ quòd Mem ꝑ Nun perperã ſcribatur: Quod itaq. euidens eſt in Sipania pro Hiſpania peccatũ, idem ſi in Sepherad cõmiſſum eſſe putes, mox perſpicuũ fiet Sepherad non ex alia voce corruptũ eſſe quàm ex Heſperia. Verũ licet clarius id ſit quàm vt ambigere quiſpiã de veritate eius debeat, non potui tamẽ cõmittere quin illud quoq. augẽdæ lucis gratia adderẽ quod de Zephyri nomine occurrit. Hoc enim eandẽ cladẽ paſſũ eſt qđ Sepharad, niſi quòd in altero Z ſit, in altero Σ. Præponatur ergo vocalis pro eo ac debet, exiſtet Ezphyrus, cui ſi adſpiratio iungatur Hezphyrus habebis, quod quã cũ Heſperus cõueniat qui non videt nihil videt. Ceterũ quoniã in hãc vocẽ incidimus occaſione ipſius Sepherad, addatur & illud, quòd nimirũ hæc vox meliùs referat etymologiã quàm Zephyrus? eo quòd Weſtpharde omnino noſtrâs ſit, & ſignificet vectionẽ ad occidentẽ. Quòd ſi Weſt ward dicas, idẽ dixeris quod occidentẽ verſus. Wart & aliis Wert idẽ quod verſus: atq. adeò ipſum Verſus Latini inde acceperũt. Verũ in priore ratione cõſiſtimus. Eſt itidẽ apud Abdiam צרפת, quod vocabulũ Gallis quidã applicarunt: Mihi congruẽtius vaticinio videtur, ſi generatim pro omnib. orientalibus accipiatur, quorũ regio Auſter pat vocatur, id eſt via ſiue ſemita orientalis. Et optimè quidẽ in hac voce Pat eſt & illa Phard/quoniã videlicet è Iudæa euntibus in Heſperiam opus eſſet vectura nauali; in Orientẽ itinere pedeſtri, ad quod Pat refertur,

Mâne dictionis notatio. Manen. *Matuta.* Met. Wt. *Hiſpania propriè Heſperia dicitur.* *Sepharad.* *Zephyrus.* Ward. *Sarphat.* Pat. Pard.

vnde Græcis verbum πατέω remanſit vnà cum tota ſua prole. Quemadmodum igitur ex Hiſpania Sipaniam fecit interpres Chaldæus, ita ſcribendi legendique apud Hebræos conſuetudo ex Auſterpat fecit עֹפְרַף cùm tamen, ſi noſtro more has litteras legas, Ooſterpat expreſſum ſit. Et hac quidem ratione Sepherad & Sarphat opponerentur, quibus meridies accedens cum oppoſitæ partis notione non expreſſa, quatuor mundi plagas habueris indicatas: ad quam ſententiam procul dubio Propheta videtur reſpexiſſe. Dicit enim fore vt in omnes mundi partes regnum Chriſti extendatur; quod omnino illis Dei verbis cõgruit quę Iacobo dormiẽti dixit: Dilataberis ad orientẽ & occidentẽ & ſeptentrionẽ & meridiẽ, & benedicẽtur in te & in ſemine tuo cũctæ tribus terræ. Scio tamen & Stoorpaet poſſe legi, qua via Cimmerij indicarentur, quorum pars Galli ſunt; & Stoorpaet pro Stoorbaet diceretur, ad eum denotandum qui omne lucrum & quicquid vitæ vſibus eſt commodum perturbat. Tales enim apud exteros Cimmerij habebantur; & meritò quidem, cùm olim ante omnem ferè ſcriptorum memoriam omnes Aſiæ & Africæ regiones peruaſerint atque ſpoliarint. Vtcumque res habet, Sepherad & Sarphat cognomina ſunt: &, mea quidem ſententia, à duabus mundi partibus ſibi oppoſitis accepta. At hæc de Heſperiæ nomine ſatis ſuperque ſunto. Sequeretur nunc Hiſpaniæ nomen: verùm quia paullò pòſt commodiùs id fiet, hoc loco Hiſpalis nomen exponamus. Iſteuones dixi nominari ab occidente Weſt in Wiſt mutato, & duplice digamma reiecto. Hinc & Iſtonium vrbs in Hiſpania; quaſi Weſt wonium dicas, quod reddas habitationem occidentalem. Verùm ſi digamma duplex in ſimplex mutes, vt in Veſperi nomine fieri videmus, ac deinde ſimplex digamma in adſpirationem, vti è Venetis fiunt Heneti, & è Velena Helena, mox è Weſtpal feceris Hiſpal reiecto Tau è medio, vt factum eſt in Heſpero & Veſpero. Pal nobis terminum ſignificat à Behal ſiue pehal quod eſt conſeruo, eo quòd terminis poſitis ſuum cuique conſeruetur. Hiſpal igitur terminus eſt occidentalis, & eodem modo Hiſpania eſt Pania occidentalis, cùm & Pania ſit altera orientalis, de qua mox latiùs. Errant itaque qui Hiſpaniam à Græca voce deriuant, quaſi rara eſſet; nec minùs illi qui Hiſpaniam ab Hiſpalo Rege nuncupatam eſſe fingunt; de quorum numero Trogus Pompeius fuit: quando hæc nomina nullis vmquam regibus propria fuerunt. Porrò quia reliqua fictitiorum Regũ nomina à240 Tarapha vel è fallacibus Beroſis & Manethonibus vel ex aliis etiam petita melioris notæ auctoribus nullam regionis proprietatem exprimunt; ſed ad fabulas ſpectant à priſcis hominibus non ſine magna vtilitate & ſale confictas; non antè de illis agam quàm primùm Hiſpaniæ inuenero conditorem hactenus, vti modò declaraui, fruſtra ab omnibus quæſitum. Neque enim poëtica figmenta & allegoriæ rectè intelligi poſſunt, nec veritati applicari, niſi priùs de ipſa conſtiterit veritate; qua ſola & tamquam amuſſi quadam omnia inuolucra explicantur, & tamquam norma Pythagorica omnes inæquales anguli quadrantur. Primùm ergo hoc nobis ſumemus, quod & à Ioſepo & ceteris omnibus citra controuerſiam traditur, Europam quidem totam principio ab Iapeti filiis nepotibuſque, Africam verò à Chami poſteritate habitatam fuiſſe; tametſi poſtea variæ ſint factæ aliarum gentium in alias incurſiones, vt quamque vel egeſtas vel auaritia vel ambitio ad aliena rapienda vſurpandaque trahebat. Nobis de prima illa terrarum partitione ſermo eſt quam Nochus in hercíſcunda totius orbis familia idem omnium pater & Rex tabulis ſuis ſanxit, æquiſſimis illis quidem & præeunte diuini numinis inſtinctu dictatis, verùm poſterorum peruerſitate vix ad paucas ætates ſuam habituris auctoritatem. Quamobrem ſi quando ab aliis diſſidebo qui primæ illius diuiſionis videntur fuiſſe negligentiores, tantiſper velim lector iudicium ſuum patienti epoche moderetur, dum omnia rationum mearum pondera diligenter expenderit ac cõſiderarit; quod admonere ac rogare vt apud æquos viros ſuperuacaneum eſſe videatur, eo tamen mihi magis neceſſarium putaui, quòd in ipſo ſtatim limine me coactum iri cernam ad ea pronuntianda quæ omnium eorum quorum hactenus ſcripta contigit videre, ſententiæ repugnant. Et verò ſi quæ de Hiſpanicis originibus mecum ſtatui, ea cum ceterorum vel maxima vel doctiſſima quaque parte conſentirent, quis vſus huius noſtræ ſcriptionis eſſet? Numquam mihi ſic placui, numquam ſic vanæ ſtudui gloriolæ, vt quæ ab aliis inuenta eſſent & litteris prodita, ea ego aut aliis verborum phaleris ornata, aut alia via & ratione diſtributa

Hiſpalis vnde nomẽ habeat.

Iſtonium.

Pal.

Europam Iapeti, Africam Chami poſteri initio habitarunt.

pro

pro meis venditarem. Lubenter hanc ſcribendi ambitionem aliis concedo, vt quæ velint argumenta ſexcenties ab aliis antè tractata iterent, remandant, expoliant ac nouo lenocinio fucata, veluti merces è ſuo peculio depromtas, obtrudant; modò contrà mihi permittant vt opinionem meam ea proferam libertate quam hactenus nemini video negatam fuiſſe. Vt ergo à paradoxis exordiar, illud mihi docendum propono, Hiſpaniam ab Elyſa & Tarſo fratribus principio conditam fuiſſe. Diuinus Moſes Eliſam, Tarſum, Cetimum & Dadanim filios Ionis & Iapeti nepotes facit. Prius itaque quàm ad filios veniamus, non abs re fuerit conſiderare quanam de cauſſa pater hoc nomen acceperit, & qualnam habitauerit terras. Hebræi dum יון vocem punctis ſuis notare volunt, ſic nomen à germano ſuo ſono alienarunt, vt nec is qui eo primùm vocatus fuit, nec poſterorum quiſquam ipſum ſit agniturus. Dicas, ſcribas, canas, clames quoties placebit Iauan; nemo te Græcorum intelliget, ne ipſe quidem, ſi redeat, Homerus omnium Ionum doctiſſimus. Atqui ſi recta propriorum nominum pronuntiatio à quopiam diſcenda, certè ſuum cuiuſque gentis nomen non aliunde melius quàm ab ipſa gente cuius nomen eſt, peti queat. Si quis Teutonem Latini ſermonis imperitum roget an Teutonis nomen agnoſcat; confeſtim negabit ſe ſcire quis Teuto vocetur. At ſi eundem interroges quod ſit nationis nomen; mox reſpondebit, D'ouſt. Intelligimus itaque Teutonis nomen à Latinis corruptum eſſe. Eodem modo ſi Ionum quiſquam interrogetur, ecquos norit qui Iauani nominentur; dicet, ni fallor, ſe quinam ſic vocentur ignorare; quem ſi de Ionibus rogaſſet, mox intellexiſſet de gentilibus ſuis fieri mentionem. Cùm igitur Iauan, teſte Ioſepo & aliis, pater ſit Ionum, & ipſæ litteræ à Moſe ſcriptæ Ion exprimant, damnanda eſt illorum ignorantia qui vocabulum peruerſa punctorum additione vitiarunt, quæ fecit vt non ſolùm ab iis quorum proprium eſt non agnoſcatur, ſed recedat etiam longiſſimè à prima ſua notatione. Ei inſulam ſignificare dum Iberi nomen exponerem, & ab E quo Vnum denotatur deriuari memini tradidiſſe: Hinc Hebræi אי & איים inſulas vocant, cuius tamen vocis nullam queant aſſignare rationem. Won vocali longa pronuntiatum idem ſignificat quod habito, vt paullò prius annotaui: Ei-Won igitur Inſularum habitator dicetur; è qua voce ſi litteram Hebræis iuxtà ac Græcis & Latinis incognitam demas, Eion habebis; quod deinde in Ion tranſiit. Videtur ergo Iapetus hunc ſuum filium ipſa nomenclatura omnium portionis ſuæ inſularum imperio inauguraſſe, & mox ab ineunte ætate maris ipſi dediſſe poſſeſſionem; quo factum eſt vt litora primùm minoris Aſiæ, deinde inſulas & ipſe & filij eius occuparint. Fac modò Diuinum Moſem ad ſuos redire: quid quæſo dicet, ſi Iauan pro Ion audiat efferri? Didicerat ille nimirum ſacerdotum in Ægypto linguam, de qua quid Ion denotaret facilè intelligebat, & idcirco rectiſſimè ſuis litteris depinxit, ægrè haud dubiè laturus, ſi quis vocem à ſignificatione & germano ſono detorſiſſet. Quod verò Hebræi Iauan nomen ſibi vernaculum faciant, & lutum ſignificare dicant, id vt ita ſit & ſe in luto voluant permitto; ſed interim intelligant vocem hanc ſuam nihil facere ad Ionem, cui pater è ſua lingua Scythica, non è luto & ſtribligine Hebraica, nomen fabricatus eſt. Sed diceret fortaſſe quiſpiam Ion quoque Hebræam eſſe vocem, qua columba denotatur. Nec illud negare poſſum, ſed nihil ad Ionem. Neque enim Ion pro columba ex eadem pullulat radice, è qua Ion pro Inſularum incola. Ion enim pro columba duplex digamma non è medio ſed & principio perdidit, dum è Wi-hoen factum eſt Jon/ qua compoſitione auis conſecratrix denotatur ratione vocis è ſymbolo olim petita. Plenum myſterij cognomen hoc eſſe nemo eorum dubitabit qui ſcient Spiritum ſanctum in columbæ effigie D. Ioanni Baptiſtæ apparuiſſe. Nam ſi ſolus Spiritus ſanctus omnia conſecret, diuina reddat, & amore deuinciat, qua ratione aptiùs auem cuius ſpeciem is geſſit cùm in Chriſtum deſcendit, indigitare queas, quàm ſi voces conſecratricem? Cogitent hic Herbariæ rei ſtudioſi de Peristereone & Herba ſacra, & videant an à firmitate herbæ nomen, an à columba malint deriuare? qua de re nos aliàs latiùs. Dignum etiam eſt accurato examine quod de columba & oliuæ ramo ſcriptum habemus, non tam ob hiſtoriam & celerem ad longinqua columbæ volatum, quàm ob ſymbolorum in his duabus naturis cognationem: quam qui diligenter expendet ac cum nomine Wi-hoen conferet, magna mecum perfruetur voluptate. Sed hæc obiter homonymiæ occaſione. Ion itaque primùm Ioniam condi-

Hiſpaniæ primi conditores Elyſa et Tarſus.

Iauan nomen corruptum.

Iauan pater Ionum.

Ion nominis etymon.

Ion colũbam Hebræis qua notatione ſignificet.

Ioniæ primus cõditor, et vrbes præcipuæ.

condidit, cuius decem ciuitates nobiliſſimæ in continenti littore celebrantur: Miletus, Myus, Priene, Epheſus, Colophon, Lebedus, Teos, Clazomenæ, Phocæa, Erythræa. Inſulæ adnumerãtur Chius & Samus; in quibus verę antiquitatis non ſatis periti crediderunt Iones è Græcia in Aſiam commigraſſe, cùm nos contrà Moſaicæ hiſtoriæ innixi in Aſia priùs Ionem quàm in Græciam tranſiret, conſediſſe dicamus. Quæ tamen de Ionia & comitiis eorum Pamoniis, ceteriſque eodem ſpectantibus dici poſſent, ea ex iis petantur auctoribus qui omnium manibus teruntur: nobis propoſitum eſt ea dumtaxat in lucem vocare quæ ab aliis vel attacta non ſunt, vel perperam explicata. Sed hic mox obiectum iri video, me parum memorem eſſe eius quod modò ex vera vocis interpretatione tradidi, Ionem inſulas à patre habitandas accepiſſe, cùm nũc dicam eum non inſulas ſed continentem in Aſia regionem primùm occupaſſe. Magnus hic ſcilicet ſcrupulus eſt, at non alij quàm illi qui omnino alienus eſt ab omni œconomica & politica ratione. Qui rogo bone vir, quiſquis es qui hanc nobis moues quæſtionem, fieri poſſet, vt quis ad Inſulas perueniat, niſi antea omnia illa ſibi comparарit & congeſſerit quæ nauibus fabricandis & inſtruendis ſunt neceſſaria? quæ quot ſint & quanta, non nautæ tantùm, ſed quotquot vmquam nauem longinquo & diuturno itineri apparari viderunt, nouiſſe poſſunt. Populus Romanus Pompeio, ad piratas è mari mediterraneo pellendos delecto, omnem terram ſubiecit quæ non pluribus quàm quadringentis ſtadiis à mari abeſſet, tum ob alias cauſas, tum vt vbique commeatu & rebus ad rem naualem neceſſariis abundaret. Non latuit Plautum quantum negotiorum vna nauis exhiberet, nedum tota claſſis omnibus rebus ad coloniam deducendam neceſſariis inſtructa. Diu itaque Ioni & ipſius filiis priùs in continenti fuit habitandum quàm ad inſulas commigrarent: Cannabis & linum ſerendum, ferrum è terræ viſceribus eruendum, picis copia paranda, materies cædenda, omnia maritima loca colenda ad commeatum abundè ſuppeditandum, & ad greges & armenta terris necdum habitatis importanda. Quid quòd hæc aliáque eodem ſpectantia citra magnam operarum artificumque multitudinem fieri nequeunt, quæ vt procreetur, diuturna mora opus eſſe nemo ignorat. His de cauſſis Ion cernens patris voluntatem eſſe vt inſulas populis frequentaret, ea ſibi principio in Aſia loca delegit quæ & mari adiacerent, & rei nauali idoneam materiam darent & copioſam. Cùm igitur Amanus Aſiæ minoris, quæ Iapeto fuit attributa, terminus eſſet, ad hunc ſibi ſedes elegit, totumque littus & loca vicina ſuis filiis diſtribuit; quorum nonnulla hactenus in locorum nominibus exſtant monumenta; &, vt à confeſſis exordiamur, nemini dubium eſt quin Tarſos à Tarſe nomen acceperit, quæ Ciliciæ vrbs eſt nobiliſſima, Cydno flumini adiacens. Eiuſdem regionis pars Cetis vocatur, clariſſimam fratris memoriam refricans, quem Citim plerique vocant. In Dadanim, ſiue, vt alij pronuntiant, Dodanim, non tam facilè fortaſſe perſuadebo litteram vnam deeſſe ad nominis integritatem; quare nihil facilius aut procliuius, in nomine præſertim ignotæ apud Hebræos ſignificationis. Quanta ſit ſimilitudo litterarum Daleth & Res, neminem Hebræorum latet: ac D. Hieronymus etiam harum figurarum ſimilitudine errores ab interpretibus commiſſos eſſe declarauit. Quando itaque in Dardanus Res inter duo Daleth collocatur, fieri facilè potuit vt quiſquam Daleth eſſe putãs ipſum remouerit tamquam ſuperuacaneum. Ceterùm vt hoc non detur, at illud tamen frequentiſſimum, vt quaſdam litteras Hebræi vocibus eximant, & alias formæ ſermonis ſui magis congruas addant. Nolim tamen hac de re cum quopiam obſtinatiùs altercari, eo quòd in Tarſo ciuitate & Ceti Ciliciæ portione ſatis ſit argumenti duos Ionis filios hæc maritima loca tenuiſſe; & ceteroqui pòſt oſtendam à poëtis etiam vetuſtis inter Tarſum & Dardanum cognationem celebrari, licet quàm arcta ea eſſet non ſint aſſecuti. Elyſæ porrò veſtigia in Lyſtra Iſaurorum & Lyſia maioris Phrygiæ ciuitate euidenter agnoſco; & vt alij mecum agnoſcant, mox præſtitero. Efficiam enim, ſi Deus adſpiret, vt omnes clariſſimè intelligant nihil quondam ante Homeri ætatem Elyſæ nomine nobilius apud Iones fuiſſe, & eius plurima apud Poëtas monumenta reperiri; tametſi nemo hactenus Hiſpanorum, quos quidem aut noui aut legi, gentis ſuæ in Græcorum ſcriptis agnouerit conditorem. Quoniam itaque Elyſa fratre ſuo Tarſo maior natu fuiſſe videtur, prius de illo & eius commigratione & coloniis quàm de hoc orationem habebo; quod vbi fecero, ad Tar-

Claſſi inſtruẽdæ quæ ſint neceſſaria.

Ion quæ loca in Aſia priùs habitarit quã inſulas occuparet.

Tarſos à Tarſe nomen accepit.

Dadanim ſiue Dodanim vocem ex Dardano eſſe corruptam.

Elyſa apud veteres celebratus.

ad Tarſum reuertar, quò & eum in Hiſpaniam deducam. Et primùm quidem nomen examinandum,&.germana eius ſcriptura,quo deinde illius veſtigia,ſicubi erunt obſcura, faciliùs agnoſcantur. In Heſperi & Veſperi nomine docui Tau deſiderari,quod in Iſteuone ſeruatum fuiſſet: Idem hoc loco in Elyſa accidiſſe ſcito,quod integrum apud nos eſſet, ſi Eel-luſt diceretur; à quo formula Latinorum fieret Eelluſtus, ſed Tau è Luſt remoto habebis Eluſus ſiue Elyſus: Sin Tau in Sigma mutes, Elyſſus erit; quo quidem modo crebriùs olim proferebatur. Eſt autem compoſita dictio ex Eel/ quo nobile & generoſum denotatur, & Luſt, quod ſignificat appetitionem & oblectamentum finem appetitionis, &, vt vocula Noctium Atticarum vtar, cuiuſuis rei libentiam: ita vt Eel-luſt non aliud exprimat quàm generoſam ac nobilem & appetentiam & oblectationem. Mirum eſt quàm accuratè parentes illi ſemper obſeruarint vt liberis ſuis boni ominis nomen imponerent, qua in re tam felices fuerunt plerique, vt vaticinari, non ominari viderentur, Spiritu ſancto haud dubiè piis votis præeunte. Eam nominum fabricandorum legem diligenter retinendam eſſe Pythagoras diſcipulos ſuos docuit, & Romani tam religioſè ſeruarunt, vt in militum delectu diligenter cauerent, vt primus fauſtam haberet nomenclaturam. An non in ſacris omnes monebantur, vt bona verba dicerent ac linguis fauerent? Quod ſi ita eſt à poſterioris ætatis hominibus, apud quos omnia in peius ruerant, religioſè obſeruatum, quid de primis illis patribus fuerit credendum, quorum verba tam efficacia in benedicendo & maledicendo legimus fuiſſe, vt ea Dei voluntas ſequi videretur? Ceterùm quia ſolenne noſtratibus eſt propria hominum crebrò decurtare vel capite truncato, vel cauda amputata, vel medio exemto; vt dum pro Eliſabet dicimus aliquando Els/ aliquando Lis/ aliquando Bet; mirari non oportet, ſi modò prior ſyllaba, modò poſterior in Eel—luſt adimatur; præſertim cùm vtraque fauſtiſſimam habeat ſignificationem. Fuerunt igitur qui Eel proferrent, fuerunt qui Luſt ipſum vocarent; & ex priore quidem Græci Elis fecerunt, è poſteriore Lyſus & Lyſius & Lyſias, & Latini Luſus: eo quòd & Luſus & Ludo apud Latinos ab hac noſtra voce deriuentur, vbi corruptelæ modus ſatis eſt apertus, & interim notationis ratio ſeruatur. Siue ergo Eel/ ſiue Luſt/ ſiue Eel-luſt dicas, eundem hominem notaris; & eodem modo Elis & Lyſus & Lyſius & Lyſſa & Elyſſa, ſiue per geminum ſiue per ſimplex Sigma proferatur,eiuſdem hominis fuerit nomen. Quòd autem id Moſes per Alef in principio ſcripſerit, nihil habet miri, quia E longum in Alef crebrò commigret: qua de re pòſt iterum in Alyzonibus quærendis. Prioris ſyllabæ in Eel-luſt/ qua nobile denotatur, nobilis omnino eſt & generoſa ſignificandi vis & efficacitas, qua tota veræ nobilitatis ratio continetur & explicatur. El enim breui vocali elatum & omnium rerum fundamentum eſt,& omnium ſupremum,vt in Hermath. de litterarum poteſtate denotatur. Cùm igitur vt verbum vſurpatur,ſignificat id quod depreſſum eſt eleuare, & quod eleuatum eſt ſuſtinere; qua in re conſiſtit tota rerum omnium conſeruatio. Creata enim omnia eleuentur & ſuſtineantur, & quamuis ima ſint, cum ſummo apice copulentur neceſſe eſt; quæ omnia harum duarum litterarum poteſtate exprimuntur, quibus ſi aſpiratio præponatur, vel eiuſdē manent ſignificationis cuius priùs fuerant, vel notant idem quod Hal/ id eſt ſeruo. Ab El Eel manat, vt ab vno tempore duo fiunt, & ſimpliciter vt ab vno duo procedunt, & vno duo deuinciuntur: qua voce quia nobile deſignatur, ſtatim intelligimus in eo nobilitatem omnem conſiſtere, ſi quid à ſupremo & omnium fundamento procedat, & ad illud tamquam ad fontem ſuum referatur, & omnia ſua tum eo fulta habeat tamquam fundamento vnico, quod Ee vocamus; tum ad ſupremum apicem, quem Lambda ſummum palati extrema ſui parte feriens deſignat, recta via contendat. O breuem, ô abſolutam veræ nobilitatis definitionem! veræ nobilitatis inquam,non eius quæ ſola vulgi nititur opinione, quæque non magis nobilitas dici poteſt quàm vmbræ humanæ ſomnium verus homo. Ille igitur verè nobilis eſt qui omnia ſua ſtudia, omnia vitæ officia, omnes actiones habet à ſummo apice ſuſpenſa, & eidem ceu fundamento firmiſſimo innixas, & ad eundem tamquam vltimum finem relatas. Iactent nunc qui volent nobilitatem, & videant ecqua nobilitas extra nobilem actionem reperiri queat. Quoniam verò neque ad ipſius Lambda notationem quicquam poteſt adſpirare, neque ipſius Ee ſignificatione niti, niſi recta via & ratio ab ipſa veritate demonſtretur, nec

Elyſæ nominis notatio.

Eel.

Luſt.

Nomen boni ominis quanti fuerit antiquis.

Elyſæ nomen variè à variis corruptū.

El.

Eel.

Nobilitas vera.

veritas vlla extra Chriſtianam poteſtatem inueniatur; fieri non poteſt vt quiſquam nobilis eſſe queat citra Chriſtianam caritatem, qua omnia cum ſupremo vniuntur, & id quidem coniugio firmiſſimo & numquam ſoluendo, quod per Ee quoque nobis denotatur. Scribant qui volent de nobilitate libros quamuis elegantes & copioſos, omnia Philoſophorum ſcrinia rimentur & expilent, adducant in medium quicquid eſt ſacris litteris traditum; numquam tamen efficient vt quicquam verius, quicquam efficacius, quicquam grauius quàm his duabus litteris comprehendatur, & Hermathenæ cultoribus clarè explicetur, de nobilitate decernant. Porrò Luſt/ quam alteram compoſitæ dictionis facimus partem, à Loſt deriuatur; eo quòd oblectatio & voluptas, omnis deſiderij finis, animum à curis & anguſtiis ſoluat. Los enim idem eſt quod ſoluo, à quo Græcorum λῦσαι, & per metatheſin Soluo Latinorum, & נשל apud Hebræorum quoſdam in eadem ſignificatione quam Munſterus annotauit, vſurpatum. Explicat igitur hæc vox Luſt propriam ipſius lætitiæ & oblectamenti naturam, ſi Peripateticis & Hippocraticis & ipſi adeò rectæ rationi credamus; quæ hanc animi affectionem cordis & ſpirituum vitalium dilatatione, triſtitiam ei contrariam contractione & anguſtiis definit. Latini videntur hinc ſtultitiæ nomen ſumſiſſe ſecundum eam conuerſionem qua è Los Sol, è Dof φὼρ ac fur, è Loof folium & φύλλον, & alia id genus è ſimilibus noſtratibus corrupta cernuntur. Nihil ergo mirum, ſi Lyſius & Lyſias Græcis ἀπὸ τοῦ λῦσαι deriuari videantur, cùm & hoc ipſum fiat à Los noſtrati: quia apud nos etymologia & proprius linguæ character, non apud Græcos aut Latinos, reperiatur. Condonet mihi lector ſi crebrius hanc vocum de Hermathenæ doctrina interpretandarum & ad primos primi ſermonis fontes, è quibus per diuerſas vias deriuantur, reuocandarum rationem inculcem: at quid dico condonet, cùm nulla meditatio gratior eſſe debeat iis quos ego ad diſcendum inuito? In quorum numero eos ſolos habeo qui ſcire auent quas primus homo à Deo omnium rerum ſcientiam nactus de ſingulis habuerit notiones; eo quòd hi ſoli Socratis & Platonis ſtudium cognoſcendíque deſiderium ſequantur: quo qui non tanguntur, eos rogatos velim, ne vmquam noſtra ſcripta deguſtent, vtpote in quibus nihil ſint inuenturi eius quam quærunt ſuauitatis. Sed quorſum hæc quæ rerum explicatui & remoras adferunt & prolixitatem? Næ nos dum de ſtulti nomine agimus, ſtultos nos reddimus & nimium diſſolutos. Hinc modò liquet Latinos ſtultitiæ nomine abuti, ſi id alij quàm illi tribuant qui diſſolutus eſt in voluptatibus ſequendis. Verùm iidem aptiùs congruentiúſque vocis notationi à Luſt Ludo fecerunt, reiecto Sigma; qua in re cùm nihil dubij ſit, mirari nihil debemus, ſi è Luſt Lydi quoque nomen ſuum ſint adepti: & hæc ſanè cauſſa eſt cur de Ludo & Luſt verba fecerim, quo nimirum de ſimilitudine vocum è primo ſermone in alium transferendarum huic noſtræ antiquitatum inquiſitioni maius lumen affulgeret. Atque hæc quidem de nomine Elyſſi. Quas verò hic gentes in Aſia priùs & aliis locis condiderit quàm in Hiſpaniam nauigarit, quando nihil veterum ſcriptorum hiſtoriis explicatum habemus, de nominibus & locorum vicinia coniicere potius quàm aſſerere poſſumus; quod nobis illi facilè condonabunt; qui vel Dionyſium Halicarnaſſeum vel Pauſaniam vel Strabonem vel alium quemuis in ſimili argumento cum laude verſatum à primo limite ſalutarint. In primis itaque ſcimus Tarſum Cilicas cōdidiſſe, & huic Cetinum proximum conſediſſe. Hinc ad Taurum Lyſtra Iſaurorum ſatis declarat Elyſtum ſiue Lyſtum loca finitima tenuiſſe, ac per Lycaoniam fines ſuos ad Phrygiam vſque protuliſſe; eo quòd in ea Lyſias vrbs eius memoriam ſeruet. In Phrygia Gomeri filius Aſcanius habitauit; qui an Phryges condiderit, an à Dardano genus ducant, equidem neſcio: at hoc ſcio Ionis & Gomeri poſteros tam vicinos in minore Aſia fuiſſe, vt plurimis locis permixtos habitaſſe credam perinde atque Myſos & Phrygas. Nam apud Homerum didicimus Aſcaniam in Phrygia & Aſcaniam in Myſia fuiſſe. qua de re perſpicuum eſt Myſos & Phryges non permiſtas modò terras, ſed communes etiam habuiſſe maiores. Verſus poëtæ hi ſunt:

Φόρκυς δ' αὖ Φρύγας ἦγε καὶ Ἀσκάνιος θεοειδὴς
Τῆλ' ἐξ Ἀσκανίας. id eſt:

Phorcys & Aſcanius Phrygios diuinus agebat Longè ex Aſcania.

Qui locus de Aſcania Phrygiæ maioris intelligendus. Rurſus alibi Myſorum

Luſt.

Los.

Stultus quis ſit verè dicendus.

Elyſa quas gentes condiderit & quæ loca primùm habitauerit.

Phrygas & Myſos permixtos habitaſſe.

rum ducem Aſcanium facit, & eum item ex Aſcania profectum, ea nimirum quæ in Myſiæ ea parte eſt quæ pòſt habuit Nicæam ciuitatem. Sed nos nominum veſtigiis inſiſtamus, quæ nobis Iſauros ab Elyſſo conditos eſſe ſatis demonſtrant. Quis non videt Luſtram à Luſt nomen habuiſſe, cùm Luſt-rat non aliud ſignificet quàm Luſti conſilium ſiue voluptatis conſilium? Conſuluit enim ſuis vt vera oblectamenta ſequerentur, quæ virtutum actiones ita perficiunt, vt ab eis nequeant ſeiungi. Iſauri verò nomen nihil ad conditorem facit, ſed locorum explicat ſitum. Js vocali longa glacies nobis dicitur: Hauwen inter alia ſignificat habitare, vnde & ipſum Habeo & Habito Latinorum. Erant enim Iſauri altiſſimorum montium habitatores, in quibus perennis glacies inuenitur, quos nullo modo clariùs exprimere poſſis quàm ſi Js-hauwers dicas. Cares, Lydi & Myſi ſe fratres quondam dicebant; & idcirco Iouem Carium teſte Strabone communi templo colebant. Quòd ſi coniectare mihi permitteretur, dicerem Lydum, Carem, Lycum & Myſum Elyſſi filios fuiſſe; & à Lydo, cui altera nominis paterni pars data eſt, Lydiam conditam eſſe. Diuinaſſe mihi Elyſſus videtur, cùm hunc Lyſtum ſiue Lydum nuncuparet, eo quòd ipſimet Lydi ſe iactent τὰς παιγνίας primos inueniſſe, id eſt, oblectamenta atque ludos. Vide quæſo quàm Lydus & ludus inter ſe conſentiant, & quàm congruenter pater hunc filium à moribus, quos videtur præuidiſſe, nominarit. Herodotus certè non ludos modò, ſed alia etiam deliciarum voluptatumque genera eis adſcribit; in quibus præter teſſerarum pilæque luſum, & obſonandi cauponandique artem; illud etiam enumerat quod cum ſumma turpitudine coniunctum eſt, filias ab ipſis proſtitui ſolere dicens, tantiſper dum corporis quæſtu tantum corraſiſſent, quantum ſatis ad dotem eſſe videretur. Quod igitur poſſit nomen excogitari huic hominum generi aptius quàm ſi Luſten vocentur? quo nomine non moderatus tantùm cupiditatis, ſed vehementiores etiam libidines notamus. Eleganter Terentius in Eunucho dicit Iouem ludum cum Danaë luſiſſe, cùm ipſi imbrem aureum in gremium mitteret; qui profectò idem Ludus fuit aut ſimillimus cum ludo Lydorum Herodoti ſcriptis prodito. Quòd autem Lydum Atys filium fuiſſe dicunt, id hanc habet originem: Elyſſus congruum ſe nomini ſuo præbens quod à patre, veluti aſſiduam quandam monitionem, acceperat, omnibus modis conabatur, vt cùm ſe nobilem ac generoſum omnibus oſtenderet, tum tales delicias expeteret ac proponeret, quas maximè nobilitatem decere à patre & auo & proauo & ab ipſa denique recta ratione didiciſſet. Quoniam igitur nil odio & inuidia magis noxium eſt, in ea præſertim familia in qua plurimæ proles ſunt, diligenter perpetuò cauit, ne hæc peſtis inter ſuos filios aut pullularet aut graſſaretur. Sciebat enim nihilo nobili animo indignius eſſe quàm alienis bonis torqueri; quando proprium nobilitatis eſt non ſibi ſoli, ſed toti hominum communitati omnia ſua parata & expoſita habere, eo quòd alioqui ab eo pendere ac fluere non videretur à quo Cel nomen emanat. Quia igitur cacodæmon hac labe hominum genus maximè tentare ſolet, vt ex Chaini & Abeli exemplo primi parentes didicerunt, perpetuò, dum liberos ad felicem quandam ac nobilem tum appetentiam tum iucunditatem hortaretur, in ore has duas ſyllabas At-hup ſiue Hat-hup habebat, quibus denotabatur tantundem ac ſi Latinè dixiſſet, ab odio & inuidia caueto. Ate Homerica vt notiſſima hominibus peſtis eſt per omnium capita volitans, ita nos primi Græcis & Latinis oſtendimus hoc eam nomine propterea vocari, quòd hominum corda exedat; &, vt ille dixit, rebus macreſcat opimis. Atys itaque Elyſſus vocatus eſt à perpetuo ſuo præcepto quo ſemper filios & cæteros omnes monebat, vt ab Ate cauerent. Et quamuis hac ratione omnes Elyſſi filij Atyos filij dici poſſent, propriè tamen hoc nomen ad Lydum pertinebat, eo quòd nemo Lydus reuera vel dici vel eſſe poſſit, ſi quis inuidiæ vel odij morſus ſinceram impediat animi oblectationem: & rurſus generatim omnes Lydi dici poſſunt qui ab omni odio & inuidia animum liberum habent, eo quòd ij in perpetua lætitia degant. Porrò quia ad nobilitatem non ſatis eſt non odiſſe & non inuidere; niſi caritas etiam accedat & amicitia, verum humanæ vitæ condimentum & ſingularis voluptas; ſecundo filio Car nomen fecit: quam vocem licet Latini adiecta terminatione ſua vernacula vſurpent, noſtram tamen eſſe cum alibi, tum in Amazonicis oſtendi. Nam & etymologia noſtra eſt, & Ichnęa è Car in Kar conuerſio proprium linguæ noſtræ præfert characterem: illa quidem vt id quod

Iſaurorũ conditor Elyſſus.

Iſauri nominis etymon.

Js.

Hauwen.

Lydia conditor.

Ludorum ac deliciarũ primi inuentores Lydi.

Elyſſus cur Atys appellatus ſit.

Ate Hom.

Cares vnde nomẽ habeãt & à quo conditi.

 carum

carum eſt nobiſcum maneat, deſiderat; hic monſtrat caritatis finem in eo eſſe, vt contingamus id quod carum habemus. Hinc itaque Caribus nomen, quo Elyſſus omnes ſuos monebat, vt non ſolum ab inuidentia ſe puros cuſtodirent; ſed mutua etiam inter ſe caritate copularentur, è qua ſola tandem generoſa ac nobilis voluptas ad omnes emanat. Car itaque Lydi germanus frater ſedem ad ſinum maris à patre ſibi deſignatum occupans vrbem condidit, quam paterni præcepti & proprij nominis memor Mil-het vocauit, id eſt liberale ac benignum caput. Milt enim ſignificat qui omnia ſua bona omnibus habet expoſita & aperta, à Mel, quod eſt aperire & manifeſtare. Nobis in liberalitatis & benignitatis notatione hactenus vſurpatur; Germani ſuperiores pro benignitate potius & clementia quàm pro liberalitate accipiunt, quamquam hæ virtutes inter ſe ſic hærent, vt nequeant ſeiungi; atque idcirco vna voce comprehendantur. Verùm enimuero licet Miletus à Milt fieri videatur; non abſurdum tamen ſit, ſi eam à Mel/quod pro reuelo vſurpamus, deriuetur, qua via reuelationis caput denotaretur. Certè cùm quæuis liberalitas ſummopere laudanda, tum nulla plus benignitatis atq. amoris oſtendit, quàm ea quę rerum abditarum ſcientiam reuelat. Et videtur profectò Miletus quondam ſcholas rerum diuinarum habuiſſe, quas poſtea Branchidæ, cum Amazonibus Ioniam ingreſſi, videntur occupaſſe, ſi quæ de Amazonibus & Cimmeriis ſcribuntur, vera ſint. Amazones enim quamuis valde olim Ioniam occuparint, primi tamen conditores non fuerunt; quod ex eo liquet, quòd eam inuaſiſſe prodantur. Melhet itaque primùm ſpiritui ſancto tribuendum eſſet, cui vocabulo ſignificatione par eſt Apollo: qua ratione Miletus Apollini ſacra diceretur, conuenienter admodum iis quæ de Branchidis Herodotus ſcripſit. Sicut autem è Menerua fit Minerua, ita è Meletus fieret Miletus. Vtrumuis itaque intelligamus aut liberalitatis aut reuelationis caput, id clarum eſt, quòd mutua hominum inter ſe caritas & liberalitas omnibus benignè ſua aperiens & communicans homines Deo facit gratiſſimos: & idcirco Car delubrum erexit Ioui Cario, id eſt Deo caritatis datori & conſeruatori; in qua qui manet, in Deo manet, & Deus in eo: quod cùm ita ſit, neceſſariò conſequitur, vt ei qui talis eſt, omnia proſperè ſuccedant, & bene fortunentur. Hoc itaque vt filios ſuos Elyſſus doceret, ac caro pignore teſtatum relinqueret, tertium filium Luc nominauit; quod nihil aliud ſignificat quàm fortunatum rerum ſucceſſum. Hic Lycios condidit, & filij eius Lycaoniam: de qua voce pòſt. Quòd ſi quis Lycios à lupis ita nominatos credat, is diſcat melius poſthac ominari; & filios parentibus cariores eſſe debere quàm vt iis mala imprecentur. Scio apud Græcos λύκος pro lupo dici, ſed is minimè nomen accepit à Luc à quo Lycij; verùm per metatheſim ad hanc venit homonymiam. Eſt enim λύκος idem quod Slyco, ſolo Sigma è fine ad principium relato, quo nobis deſignatur ouis deuorator; eo quòd Slic ſiue Sloc idem ſit quod deglutio, & o ſiue oi ſignificat ouem. qua de voce alibi plura. A Luc verò Lucht nobis, & Latinis Lux, & Græcis λύκη cum deriuatis λυκάβας & ἀμφιλύκη, de quibus in Gallicis, niſi memoria fallat, egi. Cedo nũc an Græcus vllam harum vocum queat dare rationem, quæ & lupi naturam ad vnguem deſcribat; & ab ea toto cælo terraque Luc bonæ fortunæ nomen ſummoueat? Quoniam verò proſperi rerum ſucceſſus non tantùm pacatam præſtant habitationem, ſed omnia etiam augent & maximè promouent incrementis, Lycus Pandion à ſuis vocatus eſt, id eſt, pacans & promouens habitationem; qua in voce ſolùm digamma duplex deſideratur. Atque hinc fabuloſæ hiſtoriæ origo, qua fertur Lycus Pandionis filius fuiſſe; niſi Pandionem Elyſſum dicamus: quod equidem lubentius crederem, cùm pacandæ augendæque habitationis ratio patri potius quàm filio videatur conuenire. De voce Pan mox latius: Di idem eſſe quod augeo, crebrò dixi: De Ioue item Lycio iam iam fuerit agendum. Quòd Cares & Lycios ex Europa in Aſiam quidam deducere moliantur, id & Moſaicæ hiſtoriæ & veritati repugnat; nec ipſis etiam Caribus conſentit, qui ſeſe in Aſia primum ſuum conditorem habuiſſe, non in Europa prodiderunt, addentes germanos ſeſe eſſe Lydorum & Myſorum fratres: quod Herodotus diſertis verbis memoriæ prodidit, & Strabo repetiuit. qua de re fit, vt Lydum, Carem, Lycum & Myſum Elyſſi filios fuiſſe coniectem. Neque me mouet quòd quibuſdam fortaſſe Myſi ad Mas, & Lydi ad Lud vnum poſterorum Semi, vel ad Ludim Chami nepotem referantur, eo quòd homonymia non raro in his nominibus reperiatur, vt mox videas in Lud

Mileti conditor. & nominis notatio. *Milt.*

Mileti ſcholæ rerum diuinarum.

Ioui Cario templum cur dedicatum.

Lyciorum cõditor, & nominis etymon.

Pandion quis fuerit, et quid ſignificet.

Cares & Lycios non ex Europa in Aſiam, ſed ex Aſia in Europã veniſſe.

in Lud & Ludim; altero Chamigena, altero Semigena. Ioſepus Amanum montem terminum fecit habitationis filiorum Iapeti. qua de re licet nos celaſſet, Tarſus tamen Ciliciæ vrbs clarum dediſſet argumentum quem ſibi locum Ionis poſteritas vindicarit. Abſurdum itaque fuerit vlteriores Aſiæ minoris partes vel Semi vel Chami filiis aſſignare, niſi confeſtim in ipſo limine omnem hiſtoriam velimus confundere atque turbare de ſola vocis alicuius alluſione. Phryges & Myſos ſic ſibi permiſtos habitaſſe, vt eorum termini in prouerbium abiuerint ad res dubias & intricatas deſignandas, de Strabone diſcas licet; ac deinde ex eodem habebis tam olim Myſos in Europam colonias deduxiſſe, vt Gæographus hac antiquitate &, neſcio quibus, aliis coniecturis deceptus, Myſos ex Europa in Aſiam veniſſe ſcribat. Nec aliter de Phrygibus ſentit, quos in Thracia etiam Myſis vicinos fuiſſe commemorat, prima tantùm littera in Beta commutata. Iam Cares nemo vmquam, quod equidem recorder, auſus eſt ad alium quàm ad Ionem reducere; eo quòd mediam Ioniam occuparint: qui cùm Lydorum ac Myſorum fratres ſeſe eſſe aſſeuerent, temerariæ ſit peruerſitatis Lydos ad Lud vel Ludim apud Moſem commemoratos, & Myſos ad Mas (ſic enim Hebræi ſcribunt) referre. quod ſi fiat, totam Ioniam videas perturbatam, & fœdam gentium terrarumque confuſionem, idque eo magis, ſi Ioniæ nomen tam latè, pro eo ac decet, extendas, quàm latè Ionis poſteri principio ad mare, cuius inſularum adituri erant hæreditatem, habitauerunt. Quid quòd Aſcanij memoria apud Myſos etiam colitur, tum in fluuio Aſcanio, cuius Euphorion & Alexander Aetolus meminerunt, tum in Aſcania vico & Aſcania lacu: vnde quiuis videat inter Myſum & Aſcanium magnam fuiſſe cognationem, quæ ad Gomerum & Ionem fratres Iapeti, non Semi aut Chami filios pertinebat. Illius Mas qui à Semo genus ducit monumentum præ ſe fert Moſæus Suſianæ fluuius longiſſimè à Myſia remotus: Ludimi verò neſcio an Lydda Syriæ & Lydia Arabiæ Petrææ ciuitas memoriam refricent, certè eius veſtigia in Iapeti portione non ſunt quærenda. Nunc ergo de Myſo Iapeti, vt opinor, pronepote. Mys voculam quatuor denotare Etymologici ſcriptor dicit; animalculum nimirum terreſtre, & marinum; particulam corporis, & populum à quo Myſia ciuitas nuncupetur; at cur hæc ſignificet, nullam addidit cauſſam. Nobis Mu & Om contraria ſunt; & hoc quidem denotat vocem edere, illud vocem concludere. Hinc auiculæ dicuntur eſſe in Mut/ cùm non canunt. Terentianus M litteram ſcribit in ore clauſo mugire, ita vt inde cuiuis perſpicuum eſſe queat de vi conſonantis ſignificationem manare. Cùm enim V. latitudinem & apertionem notet ſiue rotunditatem recluſam, vt in Hermathena tradidi, Mu non aliud fuerit quàm latitudinem ſiue id quod apertum fuit claudo; cui Om contraria via pronuntiatum oppoſitam habet ſignificationem, idem notans quod ſonum edo; quæ propria vernaculi nobis ſermonis formula manifeſtat ad noſtros fontes voculas has pertinere, atque inde ad alias nationes, ſi quæ ipſis vtuntur, tranſiiſſe. Quamobrem Græci obliti ad quam claudendi rationem ſpectaret Mυ, verbum μύω vſurparunt pro conniueo: vnde μύωψ morbus oculorum. Quòd ſi pro conniueo μίω dixiſſent, meliùs noſtræ linguæ veſtigia ſecuti fuiſſent; eo quòd Mien/ idem ſit quod vitare, quod facimus dum oculos claudimus. Latini in Muti vocabulo probè nos ſequuntur; in Mutio & Muſſo nonnihil à ſignificationis cauſſa recedunt, quia his verbis non omnino tacere denotant, ſed ſubmiſſè & quaſi intra os loqui. Quia ergo Mu propriè ſignificat os claudere ſiue vocem cohibere, Mus ſiue Muis eſt tacitè quicquam quærere: Vnde Mus vocali longa, ſiue Muis/ animalculum illud ſignificat quod ſummo ſilentio ſibi alimenta quærit. vnde & muſtela domeſtica, ſiue ælluri Muſen dicuntur, cùm taciti attentis oculis muribus inſidiantur. Dicitur enim muſtela à Mus & ſtelen quod eſt furari; ita vt muſtela murum furem adamuſſim exprimat, non Latino, ſed ſermone noſtro: vti αἴλουρος quoque dicitur ab Ael & Lour, quorum illud omnino ſignificat, hoc attonitis oculis intueri, quod proprium eſt ælurorum qui auiculas fixis oculis intuentes dicuntur eas quaſi faſcino quodam ex arbore nonnumquam deiicere ſolere. Id addo, quo clariùs euadat quam Mus/ pro eo quod eſt tacendo ſilendoque magna quiete obſeruo, minimè requirere vt oculi aut conniueant aut claudantur. Ex hac igitur voce Muſæ dicuntur deæ tacitæ inquiſitionis præſides: & ſi quis Græcorum μῶσαι pro inquiro dixit, is ſciat ſe verbum à noſtro Muſen deriuatum vſurpare. Hinc liquet My-

Myſos in Europā colonias deduxiſſe.

Aſcanij memoria apud Myſos.

Mys dictionis ſignificata.

Mu.

Om.

Mien.

Muſtela etymon.

Aelurus nomē vnde habeat.

Muſæ cur ſic dictæ.

ſum à Mus dictum magnam habere cum Muſis cognationem, nec aliud hoc nomine quàm tacitum arcanorum inueſtigatorem denotari. Elyſſus ergo primi ſui filij nomine vltimum nobis finem propoſuit, voluptatem videlicet, cuius prima nobis eſt appetitio. Eam citra caritatem & proſperitatem diuinitùs conceſſam, & tacitam inquiſitionem contingere non poſſe, aliorum nomenclaturis filiorum indicauit, ſimul clariſſimè aperiens extra pacem & mediocres fortunas difficillimum eſſe tacitæ rerum contemplationi vacare. Quod verò Muſarum alimentum eſt, id Myſterium vocamus; cuius vocis cauſſam Græci eam eſſe arbitrantur, quòd in myſteriis oculos occludere oporteat, quo mente magis cernatur. Verùm id non ita habet, cùm plurima myſteria attentiſſimis oculis videri debeant, vt in ſacris omnes cærimoniæ atque ritus diligentiſſimè ſunt obſeruandi. Nobis placet vel apud vetuſtiſſimos μύω idem ſignificaſſe quod Mus nobis ſignificat, vel myſterij nomen totum noſtras eſſe vocabulum, non origine tantùm, ſed compoſitionis etiam ratione. Quòd ſi illud admittas, myſterium fuerit quod tacitos & linguis ſilentio fauentibus, non verò oculis, quod alij dicunt, conniuentibus oporteat conſiderare: At ſi hoc magis arrideat, Myſterium nihil aliud fuerit quàm aut Muſ—tering/ id eſt pabulum & alimentum tacitæ inquiſitionis, aut Muſ-ſtering/ id eſt contemplatio intenta oculorum acie cum ſilentio facta. Vtraque certè compoſitio maxima nititur ratione, qua adducor vt vocem totam noſtram eſſe credam. Hebræi רז pro myſterio dicunt, & pro arcano vel myſterio vel conſilio סוד, quorum vtrumque apertam nobis habet ſignificationis cauſſam: prius quidem Cur noſtras conuertit, ipſi Cap adiecto Samecht, vt fiat Xain; cùm nihil aliud Xain ſit quàm Cet S coniuncta, vti Hieroglyphica noſtra docuerũt. Cur autem ritum ſacrum ſignat, vnde Curetes rituum capita ſiue principes vocantur. Alterum verò vocabulum סוד per conuerſionem item corruptum eſt è noſtro Tus/ quod eſt proprium eius qui imperat ſilentium. Cùm itaque ſacri ritus attentis oculis cum ſilentio ſint conſiderandi, myſterium vtramque rem expreſſerit quam Hebræi diuiſis vocibus efferunt, quarum altera ſilentium imperat, altera ritum exprimit. Cæterùm mea nihil vel parum refert ſiue ἀπὸ τοῦ μύω deriues, ſiue è noſtratibus vocibus myſterium componas, modò agnoſcas non oculos clauſos, ſed os clauſum etymologiam poſtulare, atque inde μυέω fieri, quod eſt à mu-heet/ id eſt ſilentium impero ſiue doceo. Viden' quàm nec Græca nec Hebraica lingua per cauſſas ſuas primas intelligi queat, niſi ad noſtram reducatur, in qua modò depreheſum duplex μύω apud Græcos fuiſſe, alterum corruptum ex *mi* per Iota longum pronuntiando, quod oculis conuenit dum palpebris clauſis quicquam vitant: alterum ex Mu vocula itidem producenda. Luculentam itaque cernimus vocum & rerum conuenientiam, quæ nobis demonſtrat Myſium, Muſas, Myſterium, Myſtas, Myſtagogos ex eodem fonte nomina hauſiſſe, & omnibus tacitam arcanorum inquiſitionem denotari, quæ locum ſuum maximè habet in rebus diuinis, quæ longo prius Pythagoreorum ſilentio diſcendæ ſunt quàm eloquendæ. Diuinum igitur nomen Myſus à patre accepit, & id quidem diuinitùs; quod ita eſſe, illa quæ de Myſis memoriæ prodita habemus, clariſſimè oſtendunt. Quid enim Homerus? An non tam caros Ioui eſſe dixit vt cùm oculos ſuos recreare vellet, ad eos viſum conuerterit?

Myſterij nominis etymō. — *Cur.* — *Curs.* — *Mi.*

αὐτὸς δὲ πάλιν τρέπεν ὄσσε φαεινὼ
Νόσφιν ἐφ' ἱπποπόλων Θρηκῶν καθορώμενος αἶαν
Μυσῶν τ' ἀγχιμάχων.

Eximius Muſarum cultor Homerus, quo Deum oſtenderet nullius æquè rei ac pacis & tranquillitatis amantem eſſe, fingit Iouem à triſti Troiani conflictus ſpectaculo auerſum ſplendidos ſuos oculos ad Myſos conuertiſſe, quorum tanta pietas erat, vt ne læſi quidem & ab hoſtibus ſpoliati repugnarent, ſed omnia ſuperarent conſtanti patientia. qua de re prouerbia extiterunt, vt Myſus non aliud quàm præda diceretur, & Myſorum extremus, pro contemtiſſimo. Id enim neque heri neque nudiuſtertius; ſed iam olim in conſuetudinem venit, vt quanto quis diuino cultui & pietati magis deuotus eſſet, tanto apud hominum vulgus magis ridiculus haberetur. Hinc flebilis illa in libro Sapientiæ apud inferos agentium lamentatio: Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore; ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei! Hæc vera cauſſa eſt illius in quo Myſi quondam fuere contemtus; qui tamen ſic

Myſorum pietas et patientia maxima contemptus cauſſa.

vati

vati placuerunt, vt eos Deo faceret gratiſſimos, ea in re ad vnguem Salomonis, immo Dei ipſius, ſapientiæ concordans. Deridebantur enim vt Deicolæ & Capnobatæ ſiue funambuli, eo quòd ſacrificiis & myſteriis perpetuò vacarent: cuius rei teſtem habemus Poſſidonium, qui tam pios & religionis ſtudioſos fuiſſe aſſerit, vt à carnibus etiam abſtinerent, ne videlicet craſſis fumis aſſidua arcanorum inquiſitio & diuinorum meditatio impediretur. Repellendus ergo Phornutus, qui *μυσιᾶν* putauit idem eſſe quod ſatiare, cùm ſi quis hoc verbo vti velit ad rectam loquendi normam, non pro alio vtatur neceſſe eſt quàm pro eo quod aliter diceremus, totum myſteriis vacare atque pietati. Legerat nimirum Cererem Myſiam dici: & quia craſſo quodam modo Cererem frumenti dumtaxat præſidem putabat, iudicauit Myſiam dici à ſatiando, & inde etiam Myſteriorum nomen deriuari. Nos hac de re paullo pòſt fortaſſe latiùs agemus. Videmus modò quàm congruenter Elyſſus hunc ſuum filium Myſum vocarit, id eſt, hominem perpetuo myſteriorum & tacitæ tranquillæque pietatis amore flagrantem. Nam ſi talem poſteritatem eius legimus fuiſſe, qualem dicemus fuiſſe patrem & primum gentis conditorem?

LIBER IIII.

ET hæc quidem de Elyſſi filiis ſatis ſunto, qui an plures fuerint, nec ſcimus, nec ſcire laboramus. Hoc vnum agimus, vt Elyſſum in Hiſpaniam ex Ionia deducamus; in qua cùm iam filiorum aliquot ſedes demonſtrauerimus, tempus eſt vt ad inſulas nauigemus. Alij Ionis filij alias in inſulis ciuitates condiderunt; & Cetim quidem Cetios in Cypro, quorum Zeno Cetienſis fuit non exiguum ornamentum. An verò horum Homerus fecerit mentionem, an illorum qui in Cilicia ſunt, nihil curamus: hoc interim ſcimus, Cetios Cyprios à Cetiis Cilicibus originem habere: verùm de Cetim nunc nobis quæſtio non eſt. Exemplo tantùm docemus quomodo è continenti paulatim in inſulas Ionis filij commigrarint. Vt Cetis Cyprum, ita frater minimus natu Rhodum & Samum occupauit. Elyſſus verò vlterius in Peloponeſum traiecit, & inde Italiam circumuectus, & interiora Hiſpaniæ littora, per columnas Herculis enauigauit, & ad vltimum occidentem ciuitatem de nomine ſuo Elyſſibonam ſiue Olyſſiponam, vt vulgò proferunt, ad Tagi ripas conſtituit; & quia flumen hoc maximè placuiſſet, in ſedibus ſibi figendis nomen cogitationi affectionique ſuæ congruum ei fabricauit. Tag enim, vti dixi, idem eſt quod ipſum placitum. Tarſes deinde Elyſſi frater, vt ætate proximus, ad ipſum fretum Gaditanum conſedit, & ibi vrbem de nomine ſuo Tarteſſum condidit. Verùm quia longum admodum hoc iter eſt, non immeritò per multa pelagi terræque ſpatia præuaricari videbimur, ſi omnia illa omittamus quæ antè contigerunt quàm ad has vltimas occidentis oras venirent: Priùs ergo de Elyſſo, pòſt de Tarſe loquemur. Elyſſus nauibus inſtructis, ad quas Latmus mons materiam ſubminiſtrauit, vt mox exponam; primùm Ioniæ littora legit; vbi ad minimam inſulam appulſus circa Phœnicem montem nonnihil conſtitit; vnde inſulæ Eleuſæ nomen datum, quo Eli domus ſignificatur. Hinc per inſulas maris Aegæi in Atticam videtur appuliſſe, per rectam lineam ab oriente occidentem verſus curſu ſeruato. Eam hoc nomine dixiſſe videtur, vt poſteros moneret, Europam, in quam modò appuliſſet, poſteris ſuis tenaciſſimè eſſe retinendam: quo ſuo præcepto vaticinatus videtur, fore vt à plurimis inuaderetur; atque ea de cauſſa opus eſſe manibus firmis, & quod ſemel apprehendiſſent, id magna vi continentibus. Hat idem eſt quod Tene, cui Taſi Ichnæum vocabulum eſt, quod tenax eſt ſignificans: Nos hoc tempore ferè ſic pronuntiamus, vt diphthongi ſonus audiatur, ceu Tai ſcriberetur. Et quia Elyſſus Ionis filius ad hanc primùm Europæ oram appulit, & idcirco fluuiolo & limpidis aquis grato, & pòſt ob Socratis & Phædri colloquium nobiliſſimo, nomen dedit Elyſſo; è quo poſteritas maiorum ſuorum ignara Iliſſus fecit. Principium

Cetiorum in Cypro conditor.

Olyſſipona ab Elyſſo condita.

Tarteſſum à Tarſe conditum.

Attica, nomē à quo & quā ob rem acceperit.

Hat.

Taſi ſiue Tai.

Iliſſus fl.

Oropus quam habeat nominis notationẽ. autem Atticæ terræ eſt Oropus,inde accepto nomine, tum quòd ibi prima ſpes huius littoris continentis poſſidendi affulſiſſet, tum quòd Elyſſus hic Deum orarit, vt certa ſpes filiorum & poſteritatis daretur. *Oor.* Oor enim originem ſignificat & filium, quia nimirum filius ab æterno genitus rerum omnium ſit creator & prima origo. Vnde & origo apud Latinos remanſit. Quoniam autem felix fauſtumque nomen eſt quo & ſpei origo & prolis ſpes deſignatur, ad alias etiam nonnullas tranſiit ciuitates. *Portus ſacer.* Portus verò ad quem Elyſſus primùm appulit, Sacer vocatus eſt, à primo ibi ſacrificio in Attica facto. *Graa.* Eadem Oropus Græa etiam vocata eſt, teſte Ariſtotele, propterea quòd antiquiſſima in ea primorum Ionum fuerit habitatio, ita vt meritò Anus collatione cæterarum Græciæ partium vocaretur. Nam γραῦς anum notat, quaſi gar-aut/id eſt omnino vetulam noſtra lingua diceremus. *Graia.* Hinc deinde γραῖα formarunt ab etymologia non parum recedentes, vnde an Graiorum quoque nomen deriuetur, aliis iudicandum relinquo; mihi certè veriſimile videtur. Optimè itaque Oropi ſignificatio Græcæ nomenclaturæ conuenit, quæ ob præcipuam antiquitatem hanc regionis partem vetulam eſſe decernit. Nec mirum vocabulum illud quo & principij ſpes & ſpes poſteritatis denotatur, plurimis opidis antiquitùs inditum fuiſſe; quando nihil aut Deo aut bonis viris gratius, *Goropij nominis ratio.* quàm audire in rerum exordiis bene ominantes. Maiores mei cùm olim vacuum locum occupaſſent, eum non Oropum, ſed Goropum vocauerùnt; tanto auſpicatiùs, quanto boni exordij ſpes ſimplicis exordij ſpe præſtantior haberi debet ac felicior, eo quòd in Go-oor-hop vocabulum Goropus ſolutum vel boni principij vel bonæ poſteritatis ſpem denotat: vnde terra quoque noua, quæ certum habet citra culturam lu- *Goor.* crum, Goor vocatur; quaſi boni exordium dicas. quod quidem dignum putaui annotatu; non quo parentum memoriam ad poſteros tranſmitterem, ſed vt de vocibus hactenus apud nos vſurpatis perſpicuum redderetur, me in priſcarum vocum originibus ne ad latum quidem culmum ab hodierna loquendi conſuetudine deuium ferri. *Phoroneus quis & vnde appellatus.* Quoniam itaque Elyſſus principium dedit habitationis, vocatus eſt à poſteris Phoroneus, id eſt, princeps ſiue caput primæ habitationis; è qua voce duplex digamma dumtaxat exemptum eſt, cùm nobis Phor-won-heut diceretur. Nec mirum ita in Græcia tota in- *Ignis inuẽtor Phoroneus.* digitatum fuiſſe, cùm non Atticam modò, ſed Peloponeſum etiam primus habitarit. Et hac de cauſſa ei ignis inuentionem tribuunt, eo quòd primus in Attica & Peloponeſo ignem accenderit. Apud Argiuos enim non Prometheus, ſed Phoroneus ignis habetur inuentor, vti Pauſanias in Corinthiacis annotauit. Igne autem aram & focum denotari illis facillimè probauero, qui norint quid ſit pro aris & focis pugnare, & omnem habitationem à ſacrificio incipere debere, vti ipſe Nochus arcam egreſſus exemplo ſuo demonſtrauit: quem Phoroneus imitatus ſimul ac de naue in terram deſcendit, ignem accendit; vt eius ardor Deo primùm gratos odores offerret, ac deinde *Caris Elyſſi filij monumenta apud Megarenſes.* vſibus humanis in cibo coquendo ſeruiret. Elyſſum ſiue Phoroneum Car filius ſecutus videtur, cuius monumenta quoque cùm alibi, tum apud Megarenſes duo inſignia viſuntur; alterum arx Caria, alterum Caris ſepulcrum, quem omnes Phoronei filium *Phoroneus fluminis Inachi filius habitus.* fuiſſe fatentur. At Phoroneum fingunt è flumine extitiſſe, eo quòd parentes eius ignorarent, nec intelligerent eum aduenam fuiſſe qui primus Graios condidiſſet. Acceperant à maioribus Attici ſeſe antiquiſſimos Iones eſſe, vti reuera primi erant in Europa; at minimè omnium antiquiſſimi, eo quòd Aſiatici priores fuiſſent, vti modò ſæpiùs dictum. Phoroneum autem Inachi filium finxerunt Argiui, quòd primùm ad eius *Inachi et Ius fabula.* fluminis oſtia Elyſſus ex Attica appuliſſet. Cæterùm quæ de Inacho & Io fabulantur poëtæ, habent illa quidem originem ex allegorica theologia; ſed ſic ſunt corrupta, vt in iis quàm minimum veritatis ſuperſit. Inachus nobis indicat vnum eſſe in pretio habendum & honorandum; quod ſi facias, mox lætus animus in te naſcetur, qui Io vocatur: At hic dum fauore diuino contentus non eſt, quem Iuno nobis ſignificat, in vaccam mutatur, vti ſacris litteris poteſt doceri. Cætera quæ adduntur, inania ſunt hominum imperitorum ludibria. Fluuium itaque ad quem primùm Elyſſus ſiue Phoroneus Peloponeſum petens appulit, Inachum nuncupauit; vt eius monitu omnes recordarentur, vnum ſolum Deum colendum eſſe. Sed priuſquàm ad Peloponeſum tranſeamus, de Eleuſi Athenis vicina nonnihil dicendum. *Eleuſis.* Aiunt Eleuſium huius eſſe conditorem. Nihil profectò facilius quàm è Elyſo Eleuſium facere; verùm id eo minùs placet,

cet, quòd Eleuſis & Eleuſa vocabula ſic inter ſe ſint cognata, vt eiuſdem prorſus ſignificationis eſſe videantur. Quemadmodum igitur in Ionia Aſiatica Eleuſa inſula Eli domus vocata eſt, ita in prima quoque Europæ Ionia Eleuſis domus Eli ſiue Elyſſi dicetur; & ſi quis Eleuſius fuit qui à Cerere doctus primus terræ ſemina commiſit, is haud dubiè fuit Elus, cuius domum Ele-huis nos diceremus, à qua dictione ad formulam Græcorum accommodata fit Eleuſis, nomine ſuo demonſtrans primum conditorem. Is Cereris hîc ſacra inſtituit, quæ Theſmophoria Græco nomine vocantur, eo quòd Ceres Theſmophoros ſit, id eſt, ſacrarum legum latrix. Quid verò Ceres ſit, & cur Demeter & Dea vocetur, de ſermone primo paullo inferiùs interpretabor. Meritò itaque Eleuſinij de antiquitate ſua gloriantur, quam teſte Pauſania quauis hominum ætate faciunt priorem, & id quidem non malè ſi ad cæteros Græcos conferantur. Iones enim Aſiatici & priores ſunt, & Cereris ſacra cum alibi tum Mileti habuerunt vetuſtiora: ad cuius templum ſpoliandum cùm Alexandri milites irrupiſſent, omnium oculos ſubito ignis fulgore perſtrictos fuiſſe Lactantius refert. Sed quia rurſus de eadem Dea dicere cogemur, in Peloponeſum cum Elo noſtro ſiue Elyſo nauigemus. Hic Elidem mox de nomine agnoſcimus, Olympico certamine olim toti Græciæ nobiliſſimam. Nec procul inde Elyſſon fluuius in Alpheum ſe exonerans, & eiuſdem nominis opidum clarum habent Elyſſi monumentum. Dicitur enim Elyſſon quaſi Elyſwon/ id eſt Elyſſi habitatio, vbi ſolum digamma duplex cernis exemtum. Iam & Luſorum vicus Luſi veſtigium ſeruat, nec ab alio Luſius amnis dictus videtur, aquam habens longè frigidiſſimam, tametſi Pauſanias à Ioue ibi loto eum dictum putarit. Lyſius item Bacchi comes à Sicyoniis colitur, quod nomen haud dubiè ad Elyſſum ſpectat, qui Bacchi ſe comitem tum præbuit cùm Nochum in Latium proficiſcentem nauibus ſuis ſequeretur. Nochum Bacchi nomine indigetari Indoſcythica noſtra tradũt. Is enim cùm iam Semigenas & Chamigenas & Iapeti filios in Aſia habitantes veluti Epiſcopus totius orbis viſitaſſet, in Ioniam venit, vt inde ad inſulas & Europam proficiſceretur. Tarſes ergo Ionis filius & Cetim eum nauibus ſuis primùm in Cyprum, deinde in Cretam, hinc in Peloponeſum vexerunt; quos an Ion quoque comitatus ſit ignoro. Cùm igitur Nochus ad Elidem appuliſſet, ſummis honoribus & maxima veneratione, vt par erat, ab Elyſſo exceptus eſt: & quo huius tam cari hoſpitis memoria extaret ſempiterna, totam regionem ad Alpheum ſitam Arcadiam nuncupauit; quia nimirum Arcas eam inuiſere dignatus fuiſſet. Arcas propriè Nochus vocatus eſt, ab Arca voce quam à nobis Latini acceperunt. Arc enim ab Ar-rat dicitur, quod ſignificat demoror ſiue impedio attactum; qui proprius eſt vſus ipſius arcæ. Hinc Arceo & Arx deriuantur, quorum Latinus nullam poteſt ſignificationis aſſignare rationem: qua de re liquet ex alio ſermone voces has acceptas olim fuiſſe. Quamquam autem Arc omnem ciſtam deſignet, quia faciat ne id quod continet attingatur; illa tamen arca quæ omnia animantium genera ne ab aquis attingerentur cuſtodiuit, huius nominis honorem optimo iure ſibi vindicauit. Hinc Arc-gaſt arcæ hoſpes dicitur; cui nomini ſi Tau demas, vti in Luſt & Weſt factum docui, Arcas habebis, nomen vel ipſi Nocho maximè, vel nemini mortalium tribuendum. Non fuit ergo falſa illorum fabula à Pauſania & aliis recitata, qui Arcadem dixerunt omnem artem hominum vitæ neceſſariam ſuis tradidiſſe; quo in genere frumenti ſatio, panificium, lanificium, veſtium compoſitio principatum tenerent. Quis enim alius hæc omnibus iis qui poſt diluuium vixerunt demonſtrauit, quàm Nochus omnium parens atque doctor? Cetera figmenta longiùs à veritate receſſerunt, plurimis inanibus fabulis inquinata atque confuſa: in quibus nomina variis accommodata maximam pepererunt confuſionem. De Calliſto alij aliter, cuius nomen vel Græcam vel noſtratem poteſt habere interpretationem: Heſiodus hanc inter nymphas recenſuit; alij, in quibus Eumelus commemoratur, Lycaonis filiam fuiſſe ſcribunt, & à Ioue adamatam: Pherecydes Ceteum eius patrem facit: Aſius Nycteum: Mihi ex his ſuſpicio ſuboritur, Calliſto arcæ cognomen fuiſſe, cuius fabrum, quia obſcuri eius eſſent natales, Nycteum quidam vocarunt, quidam Ceteum; eo quòd veluti Cetus in aquis ad totum annum verſatus fuiſſet. Nec mirum arcam Nympham vocari, quando nulla vmquam nympha carior Ioui fuit. Prima autem lingua Calliſto eam nominauit, ceu Cal-liſt-hoot dicas, id eſt, pulcræ ſubtilitatis

Eleuſius.

Theſmophoria Cereris ſacra quis inſtituerit.

Elis Olympico certamine nobilis.

Elyſſon fluuius & opidum.

Luſorum vicus.

Luſius amnis.

Luſius Bacchi comes.

Nochi in Europam profectio.

Arcas quis & cur ſic appellatus fuerit.

Arca etymõ.

Arcas artiũ omnium hominum vitæ neceſſariarũ inuentor.

Calliſtus fabula & etymon.

tilitatis caput; eò quòd nullum vmquam ædificium factũ ſit ingenioſius & ſubtilius, vt quiuis, tot animalium ſtabula diſtincta & eorum appendices neceſſarias tum ad pabulum dandum, tum ad fimum expurgandum bene accuratéque expendens, facilè ſecum putabit. Quòd verò hanc Lycaonis filiam dicant, id nihil aliud eſt quàm ſi dicerent, arcam factam eſſe à Nocho; qui, vti Arcas, ita Lycaon etiam dici poteſt, eò quòd Luc-hau-won is ſit qui in eo habitat quod felicitatem diuinitùs datam conſeruat, quod arcam fuiſſe nemo neſcit. Sed quomodo Nochus pater Calliſtus dicetur, & idem alio nomine ipſius filius? Referunt enim Arcadem Calliſtus è Ioue filium fuiſſe, quod verum eſſe nequit ſi Arcadem & Lycaonem eundem dicamus. Hic gryphus non admodum difficilis eſt, eo quòd Nochus arcam fabricarit, atque ea ratione pater ſit Calliſtus: idem rurſus in arca tamquam in ſecunda ſua matre Iouis beneficio latuit, & poſt annum egreſſus non abſurdè filius Calliſtus è Ioue dicetur. Mutata verò in vrſam eſt, dum Nochus voluit perpetuam eius memoriam in cælo extare, in quo quatuor lucidæ ſtellæ quadrangulam arcæ ſtructuram ſignant. Has Arc-ton Nochus vocauit, quod arcæ denotat demonſtrationem: Ton enim vocali longa demonſtratio eſt, cuius ſchnæa conuerſio Not/ quo neceſſitas ſignatur; propterea quòd neceſſitas omnia docere atque demonſtrare cernatur. Et quia Arcton vox ad Arctos alludit, non abſurdum eſt eiſdem ſtellis varia denotari, non magis ſanè quàm voci vni plures tribui ſignificationes. Et verò ſicut in vocibus Arc-ton & Arctos magna eſt ſimilitudo, ita & ipſis rebus. Nam arca in ſummis montibus quieuit, in quibus & vrſi ſtabulantur, quorum luſtra in Alpibus proxima niuibus vidi; & ſicut hi ſub ipſis niuibus hieme quieſcunt, ita & illa Paropamiſo niuibus eodẽ tempore cooperta fuit. Præterea dum in diluuio pluebat, Arca verſus cæleſtes vrſas ferebatur, haud aliter ac ſi ad ipſas contendere voluiſſet: vnde fit vt minimè abſurdum ſit ex eiſdem ſtellis in diuerſarum rerum memoriam venire, alijs aliter eas conſiderantibus. Homerus non ſine plurimis aſſeclis Hamaxam, id eſt plauſtrum, ex vrſa fecit. Liceat igitur & nobis ex Arcto ad arcæ demonſtrationem & perpetuum monumentum tranſire. Græci à lupo Lycaoni nomen datum fuiſſe arbitrati, impium quendam fingunt, qui quamplurimos filios impios itidem genuerit, ob quorum ſcelera Iupiter terras demerſerit, vti ex Apollodoro diſcere licet. Liquet itaque Lycaonem ante diluuium vixiſſe, verùm ignorantia primi ſermonis felix nomen atque fauſtum ad hominem lupinis moribus præditum tranſlatum fuiſſe. Hecateus Mileſius aliter de Lycaone ſcribit. Equidem in hac incerta opinionum varietate id certiſſimum habeo, Græcos ad veritatem non pertigiſſe. Et hæc quidem de Arcade & Calliſto in vrſam verſa. Quanta cura arcæ memoriam conſeruare Elyſſus & ipſe etiam Arcas curarint, ex eo coniectes; quòd Olympiæ in Iunonis templo arca è cedro ſit conſecrata, quam Cypſeli arcam nominarunt. qua de voce coniecerunt olim regem quempiam Arcadiæ Cypſelum fuiſſe nominatum; qua de cauſſa poſteà fuerunt qui filios ſuos Cypſelos vocarent. Equidem crediderim Arcam perpetuò in Iunonis templo, quam caput fauoris interpretamur, ſeruari ſolere, & eam quidem quam Pauſanias deſcribit vetuſtiori cuipiam ſucceſſiſſe, cuius cùm inſcriptionem non intelligerent ij qui Cypſelidæ vocabantur, nouam ſubſtituiſſe, & ei loco verarum antiquitatum & ſacrorum characterum fabulas Græcanicas inſculpſiſſe. Prima arca poſita ad arcæ memoriam Cypſeli arca dicta eſt, noſtra lingua kypſels arc. Eſt autem kypſel/ partus ex ouo excluſus; quo denotabatur hoc eius arcæ ſimulacrum eſſe, è quo omnium animantium genus velut è magno quodam ouo diuinus fauor, ſiue noſtrati nomine Iuno, excluſiſſet. Num quicquam congruentius veritati dici poteſt? num quicquam elegantius cuipiam comparari? Cæterùm quia quicquid ex ouo excluditur kypſel nominamus, ſi per ſe kypſel proferatur, nulla particula orationis adiecta, excellentiæ figura nos commonebit vt de Nocho, qui ſupremus & præſtantiſſimus Kypſelus fuit, locutionem intelligamus. Quando itaque huius Kypſeli grata admodum & illuſtris erat recordatio, mirari non debemus, inuentos poſtea generoſos viros fuiſſe, qui filios ſuos Kypſelos nuncuparent; inter quos & ille fuit qui tyrannidem quondam Corinthi occupaſſe, & Cypſelidas ſucceſſores reliquiſſe narratur. Deprehenſum nunc, eundem Kypſelum & Arcadem vocari poſſe; & arcam in templo Iunonis perpetuum fuiſſe priſcæ arcæ, qua totum humanum genus ſeruatum eſt, monumentum.

Lycaon quis & vnde dictus.

Arctos ſidus.

Ton.

Not.

Cypſeli arca in templo Iunonis, Olympiæ cõſecrata.

Cypſeli etymon.

Adda-

Addamus iam & illud, in Ionia etiam Aſiatica arcæ monumentũ celebrari in nomine inſulæ quam Apollodorus ſeptimo Caricorũ libro commemorat, Arconeſum appellans. Verùm vt alibi & arcæ & priſcæ eorum qui in Arca fuerunt religionis multa veſtigia fabulis tecta ſuperſunt, ita nuſquam clariora quàm in Arcadia & eius vicinia reperiuntur. Ac meritò ſanè, &, vt audaciùs dicam, veriſſimè iactant Arcades ſe omnium hominum vetuſtiſſimos eſſe: atque adeò ante Lunam fuiſſe. Hippus Rheginus Proſelanos ea de cauſſa vocauit, & Ariſtophanes Croniis Becceſelana adiunxit ſimul Phrygibus & Arcadibus vna voce deriſis. Verùm nec hic nec ille nec quiſquam hactenus vel ſcripſit vel intellexit qua ratione ſe dixerint ipſa Luna antiquiores. Nos breuiter cauſſam aperiemus, quæ tota in Lunæ & Oceani coniugio conſiſtit, quod tale eſt, vt hic illam haud ſecus ac flagrantiſſimus & zelotypus amator perpetuò ſequatur. Totus enim ex eius nutu pendet, ac ſex horarum ſpatio intumeſcit; & totidem rurſus horis in ſe reſidit pro eo atque illa in cælo mouetur, modò ad meridianum circulum accedens, modò ab eo recedens. Neque verò Oceanum tantùm hic planeta gubernat, ſed totam etiam aqueam naturam tum in plantis, tum in animantibus, tum in aliis rebus contentam. Interrogetur arborum vitiſque putator, interrogetur materiarius, interrogentur oſtreorum piſcatores; nemo erit qui non intelligat Lunæ vim humoribus & augendis & diminuendis præſidere. Quamobrem ſi quis me roget quo tempore Luna totius orbis imperium tenuerit, citra hæſitationem reſpondebo, in magno illo omnium terrarum diluuio, quod diuinus Moſes nobis deſcripſit, quodque omnes nationes, licet diuerſis nominibus, celebrauerunt, id contigiſſe. Quòd ſi rectum, ac toti naturæ & omnium confeſſioni conueniens hoc ſit reſponſum, perſpicuum eſt quam Arcades iactent antiquitatem, dum primum gentis ſuæ conditorem dicunt ante Lunam fuiſſe. Quid enim aliud hoc eſt, quàm ſi dicant ſe nomen, leges, & religionem, ac totum denique ciuitatis ius & inſtitutum ab eo accepiſſe qui vixit ante cataclyſmum clariſſimum Lunæ regnum: quod quidem geminam habet veritatis rationem, alteram ex Nocho, alteram ex Iapeto Iouis patre, Elyſſi auo. Nunc itaque tandem qui ſint Proſelani, & cur ita vocentur, intelligimus, & inde mox ingens ſequitur agmen plurimarum rerum cum omnium ſtudioſorum, tum maximè veræ pietatis cultorum cognitione digniſſimarum. Nam ſi conſtet Arcadum linguam & omnia inſtituta à Nocho accepta eſſe, confeſtim clarum fit quiſnam primus ſit ſermo, & quæ vera ac prima religio ab Adamo per Setinos ad Nochum, & ab eo ad Arcades deriuata: quandoquidem Moſes teſtis eſt, non ad diluuium vſque tantùm, ſed ad ipſam vſque Babylonicæ arcis ſtructuram primam linguam integram remanſiſſe. Accuratiſſimè igitur Arcadum antiquitates examinandæ, & omnia rerum ſacrarum nomina diligenter iuſta verarum rationum trutina expendenda, vt quæ Nochi fuerit & eius filiorum nepotumque religio, intelligamus. Nam ſi hanc ſcientiam nacti fuerimus & aliis eam tradere poſſimus, plurimum nobis acceſſerit argumentorum, quibus homines à fide Chriſtiana abhorrentes, nec Moſaicis nec Apoſtolicis libris credentes, ad veritatem Euangelicam pertrahamus. Multa priſci patres, quorum in albo Euſebium principem habeo, è poëtis, è philoſophis, ex hiſtoriis, è Sibyllinis carminibus ad hanc rem contulerunt, grauia illa quidem & inſignia, ſed neſcio an iis paria iudicanda quæ nos, ſi Cyllenius Mercurius maſculam mentem adſpiret, ex Arcadicis monumentis eruemus. Ne tamen ea parum ad Hiſpanicas antiquitates facere videantur, & potiùs extra rem quæſita quàm in ipſa, quam verſamus quæſtione nata æſtimentur, breuiter priùs exponemus quid Arcadiæ & toti Peloponeſo cum Hiſpania ſit cognationis, quàm priſca Setinæ religionis in Græcia ab Arcade & Elyſſo plantatæ myſteria in vulgus edam. Cùm igitur Nochus ſiue priſcus Arcas pronepoti ſuo ſe totum daret ad remp. & religionem bene recteque formandam, ludi Olympici inſtituuntur cum ad generoſam & exercitationem & voluptatem, tum ad arcanam quoque ſignificationem, quam pòſt fortaſſis explicabo. Non dubium eſt quin antè Elyſſus equitio diligentem operam nauarit, quo nomini ſuo ſtudia vitamque reſpondere demonſtraret, ac regionem quam tenebat, iis rebus quibus apta videretur, applicaret. Strabonem enim teſtem aduocare poſſum quo doceat Arcadiam nobilibus equis alendis idoneam eſſe; nec probabile eſt, equeſtre certamen tota Græcia olim celeberrimum, ab Elyſſo in ciuitate ſua proponendum

Arcades antiquiſſimi.

Luna & Oceani coniugium.

Luna humores omnes regit.

Ante Lunam fuiſſe cur dicantur Arcades.

Proſelani.

Olympici ludi à quo & quando inſtituti.

Arcadia equis alendis idonea.

dum

dum fuiſſe, niſi loci commoditatem antea ad hoc inuitare vidiſſet. Ex Arcadia ad vicinam Epirum mox deinde ſtirps equorum tranſlata videtur, eo quòd Virgilius ei hanc laudem aſſcripſerit. Sunt qui Herculi Idæo Olympicos ludos acceptos ferant; aliis placuit Clymenum Cardis filium Herculis pronepotem eos primùm inſtituiſſe, & Her-
Clymenus idē qui Elyſſus. culi proauo ſuo vnà aram dedicaſſe. Hic videmus Elyſſum cognomentum Clymeni apud ſuos habuiſſe, à Clun quod ſignificat adſcendebam, præteritum imperfectum,
Clummen. quod nobis nomina effundit, à Clummen; vnde Græcis Climax & cognata nomina manſerunt. Elus ergo ſiue Elyſſus dum Clymenus vocatur, non alia nota celebratur, quàm quòd dexter fuerit equorum adſcenſor, qua in re olim non parum laudis fuit & ornamenti, propterea quòd ſellæ & ſtapedarum commoditatem necdum admiſiſſent, vti me in Francicis è Xenophonte memini tradidiſſe. Quiſquis ergo is fuit à quo hanc priſcam narrationem Pauſanias didicit, is profectò ipſiſſimam nos docuit veritatem.
Nochus Hercules appellatus. Nochus enim inter alia cognomina, quæ quàm plurima apud varias gentes de variis Dei muneribus accepit, Hercules etiam nuncupabatur, propterea quòd communis
Herculis etymon. omnium hominum pater eſſet: nec Hercul aliud in primo ſermone deſignet quàm publicum omnium teſtem, totius nimirum poſteritatis, qua omnium hominum vniuerſitas comprehenditur, creatorem. Siue igitur ad Herculem principium Olympici certaminis ſiue ad Clymenum referatur, non multum intereſt; eo quòd ab hoc in illius honorem primum certamen fuerit inſtitutum. Ex eo autem quòd Clymenus Cardis fi-
Cardis. lius vocetur, colligo Ioni Cardis cognomen fuiſſe à filio Care inditum, ceu Car-di diceretur; quo denotatur vel is qui caritatem promouet inter homines atque auget, vel is qui ipſi Cari omnis proſperitatis & incrementi auctor eſt: quorum vtrumque veriſſimè de Ione poterat dici, & quia Cari nepoti ſuo plurimùm faueret, & quòd perpetuò ſtuderet quò filij nepoteſque ſe mutuo amore ſemper complecterentur, nec vllis odiis diſſiderent. quod ipſius ſtudium Elyſſus quoque egregiè eſt imitatus, vti in Atyos cognomine declaraui. Sed quia de Olympia & Ione Olympio, Alpheo, Piſa, Lycæo, Cyllene, & aliis ad vetuſtas fabulas, quibus priſca theologia velatur, ſpectantibus ſermo habebitur, hoc loco de Curulibus ludis nihil amplius dicemus, ſi illud vnum expediuerimus, cur toti huic pænīnſulæ, in qua Elis eſt ab Elo conſtructa, Peloponeſus vocetur.
Peloponeſi etymon. Dixi modò ab adſcendendis equis Clymeni cognomen Elyſſo datum fuiſſe. At quorſum conducat equos ſumma dexteritate inſilire, niſi eiſdem probè deinde noris vti, & curſum ipſorum ita moderari, vt modò admiſſis habenis ventorum æquent celeritatem; modò adductis vel conſiſtant, vel flectantur, vel in gyrum agantur; &, vt ſemel dicam, quiduis ſeſſoris agant arbitratu? Quo igitur & hanc laudem Elo tribuerent filij
Pelops. & nepotes, cognomen ei Pelopi fecerunt, eo quòd Belop ſiue Pelop idem ſignificet ac ſi dicas, equum currentem rego. Ac quia id freno fit dentibus iniecto, fabula extitit Pe-
Tantalus. lopem Tantali filium fuiſſe, quia nimirum Tant-hal non aliud ſit quàm dentes contineo. Equeſtris enim curſus peritia naſcitur è recta forma frenorum; quorum alia aliis vel duriora ſunt vel molliora. Ceterùm quia Tant-hal ſimpliciter denotat dentes continere, aliam quoque de Tantalo fabulam confinxerunt: Aiunt enim Deos hoſpitio accepiſſe, & iis filium ſuum Pelopem epulandum appoſuiſſe, hos verò dentes abſtinuiſſe, & idcirco meritò Tantali filium dici, quoniam dentibus ab edendo retentis vi-
Pelopis fabulæ explicatio. tam deberet. Quid verò hoc ſibi vult, Pelopem Diis comedendum propoſitum fuiſſe? Quid aliud quàm eum tot equos ad ſacra certamina Diis inſtituta aluiſſe, vt ferè ab illis exederetur: Deos tamen miſeratione commotos tantum ſuppeditaſſe diuitiarum, vt nihil damni ex eo ſumtu accepiſſe videretur, excepto quòd Ceres frugum Dea humerum eius alterum abſumſerit; quo denotatur eum dimidium ferè frugum ſuarum equis alendis impendiſſe, atque ita alterum humerum, id eſt, dimidium potentiæ qua onera feruntur, exeſum fuiſſe. Pro hac tamen facultatum parte tantum benignitate diuina redditum fuiſſe, vt eburnea & ſplendidiſſima quæ perierant euaderent. Ceterùm quoniam hæc vox Tantal latè patet, & ad quamuis dentium retinendorum rationem poteſt referri, alia quoque fabula de Tantalo conficta eſt, nihil habens cum equorum
Tātali apud inferos cruciatus cauſſa & expoſitio. dentibus, nihil cum Pelope commune; tametſi homonymia imperitos decipiens figmenta confuderit. Cùm enim in iis quæ de inferis ab antiquis prodita ſunt, legiſſent Tantalum eo tormenti genere cruciari, vt cùm poma pulcerrima & delicatiſſima

ex arbore

ex arbore ori ſuo impendentia magna auiditate arripere & iis dentes inſigere conatur, ea mox retro aufugiant, & morſum intentatum fallant, idque iteratis vicibus perpetuò faciant; crediderint hanc pœnam ei Tantalo inflictam qui Pelopem Diis edendum propoſuiſſet. Verùm hac in re falluntur. Nam Tantalus hic apud inferos à poëtis conſtitutus diuitis auari in mediis opibus eſurientis perſonam repræſentat, quem Tantalum vocarunt, & quòd, vt ipſe in vita à copiis ſuis maximis & ſuos & amicorum dentes cohibuiſſet, ita apud inferos cogeretur à pomis ad edendum magnis illecebris inuitantibus dentes ſuos continere. Vide nunc amabo quàm rectè nomen Tantali auaris conueniat, & quantum condimenti fabulæ accedat de vera nominis interpretatione: quam ſi Horatius intellexiſſet, eam fortaſſis eo loco indicaſſet quo ſcripſit, *Tantalus à labris fugientia flumina captat*. Diodorus Siculus eum dicit Deorum arcana vulgo prodidiſſe, atque idcirco ad inferos detruſum eſſe: quod quamuis addentes etiam continendos ſpectet, quorum ſepto Homerus linguam vult cohiberi; mihi tamen Horatiana comparatio magis placet, propterea quòd Tantali tormenta potius auari quàm futilis hominis eſſe videantur. Quoquo tamen modo rem accipias, id negare non potes, fabulam ad vocis in lingua noſtra ſignificationem maximè quadrare. Et hæc quidem de Pelope, à quo Peloponeſus nomen accepit. Interim tamen negare nolo ab hoc Pelope alios quoque poſtea idem nomen mutuatos fuiſſe, & inter hos fortaſſe filium etiam quempiam Elyſſi. Sed relinquamus nunc tantiſper Arcadiam dum Elyſſum in Hiſpaniam deduxerimus, deinde rurſus in Elidem cum Endymione reuerſuri. Nochus ſiue Arcas cùm iam ſatis diu in Peloponeſo fuiſſet apud pronepotem ſuum diuerſatus, ſeſe itineri ad Ianum viſendum accingit, cui Elyſſus & Tarſes & alij fortaſſis ſeſe comites adiunxerunt, tum honoris venerationiſque & parenti & ſummo Epiſcopo totius orbis debitæ cauſſa, tum quo priùs quidem auum ſuum ſalutarent, deinde verò longiùs ad nouas terras incolis frequentandas proficiſcerentur. Vt igitur longum iter compendio abſoluam, Nochus ad Iapetum ſecundis ventis nauigauit; quo cùm ventum eſſet, ſedem ſibi eam in Tiberis ripa delegit, in qua nunc palatij Romani & bibliothecæ Apollini dedicatæ & complures aliæ ruinæ cernuntur. Crebrò aliàs docui Nochum Saturnum cognomine dictum fuiſſe, eo quòd tanta ſeminis eius fuerit excellentia, vt ex eo ſolo totum humanum genus Deus voluerit reſtaurare: Iapetum autem, vt ſæpe dixi, à Gan/ quo ire denotatur, vocarunt Ganum, ſiue litteræ vicinæ in vicinam mutatiòne Ianum; eo modo quo è Gunius fit Iunius, è Guno Iuno, & id genus alia. Saturnus ergo Saturniam, Ianus Ianiculum condidit, & ad Nochi memoriam magis perennandam Ianus totam Italiam Saturniam vocauit. Sed de his aliàs; nunc ad Elyſſum redeo. Videtur Ianus Lydo Elyſſi filio natu maximo vehementer delectatus fuiſſe, atque idcirco apud ſe retinuiſſe, & ei ſedem in Etruria aſſignaſſe, à quo Tyrrheni acceperunt originem. Elyſſus interim littorum ductū ſecutus tandem ad fretum Herculanum deuectus eſt, vbi fratrem ſuum Tarſem ad Bætim relinquens, vlteriùs ſecundum littus tantiſper nauigauit, dum ad Tagum veniret; quod flumen quia ſummopere placeret, Tagum vocauit; & in eius ripa mox ſibi ſedem delegit, quam de ſuo nomine Elyſſwon nuncupauit, quæ vox in Elyſſibon permutata eſt, & deinde temporum lapſu in Olyſſiponam: Hodie per aphæreſim, eam quam in Elyſſi nomine exponendo annotaui & frequentem eſſe dixi, optimè nominatur Liſbona, duplice digamma in B permutato. Inuenimus in Arcadia locum cui Elyſſon nomen erat; quæ vox non alia re ab Elyſſibona differt, niſi quòd in altera digamma ſit omiſſum, in altera in Beta commutatum: qua de conuenientia liquet eundem fuiſſe vtriuſque coloniæ conditorem. Quemadmodum autem in Luſtra Iſaurica poſterior ſyllaba ipſius nominis Eel-luſt eſt conſeruata, ita in Luſturia quoque opido ad Sacrum promontorium condito, quod alio nomine Onoba, & à Ptolemæo Onoba Lyſturia vocatur. Luſturia itaque vt egregiè primi conditoris nomen refert, ita denotat perfectam oblectationem & voluptatem. Duo igitur euidētiſſima & illuſtriſſima Elyſſi monumenta in hac regione cernimus; cui mox tertium accedit in totius nationis nomine repertum. Luſitani enim nihil aliud ſunt quàm Luſtani: qua in voce ſolum iota interiectum eſt, hominibus ſignificationis & etymologiæ ignaris hac pronuntiatione magis placente. Verùm hanc noſtram aſſertionem veterum ſcriptorum teſtificatione confirmari ex Plinio diſcimus, cuius hac de re locus

Nochus in Italiam venit.

Nochus cur Saturnus dictus ſit.

Iapetus Ianus vnde appellatus.

Tyrrhenos quis condiderit.

Liſbona vnde nomē habeat.

Luſturia ſiue Onoba.

Luſitani nominis etymō.

Plinij locus emendatus.

qui ab aliis aliter legitur; ſalua eorum pace qui aliam lectionem obtrudunt, ſic mihi ſcribendus videtur: Luſum enim Liberi patris comitem aut Lyſam cum eo bacchantem nomen dediſſe Luſitaniæ, & Pana præfectum eius vniuerſæ, & quæ de Hercule ac Pyrene vel Saturno traduntur fabuloſa, in primis arbitror. Nec profectò mirum eſt codices hîc variè corruptos fuiſſe propter homonymiam vocis Luſus, quam aliqui vt Latinum vocabulum pro ludentium actione acceperunt, & ideò vocabulum, Comitem, ſuperuacaneum eſſe crediderunt: Deinde ex Lyſa Lyſſam fecerunt, putantes ea rabiem notari ſermone Græco, & ea ratione non, Bacchantem; ſed, Bacchantium, legi debere exiſtimarunt. In horum numero video Sigiſmundum Gillenium fuiſſe, cuius bona venia dicam, omnes eos qui hanc ſecuti ſunt opinionem, turpiter labi, & textum Plinij corrumpere, non emendare: Is autem apud alios Lyſam, apud alios Luſum legiſſe videtur; atque idcirco vtrumque nomen edidiſſe. qua in re nihil momenti nos ponimus, cùm id genus voces ignotæ ſignificationis ab aliis aliter terminētur: nec noſtra refert an Lyſam an Luſum dicas, cùm vtrumque ex eadem voce corruptum eſſe ſciam. Videmus ergo quæ Plinius fabuloſa eſſe credidit pro veriſſimis accipi debere, propterea quòd modò oſtenderim Luſum, ſiue Lyſam, ſiue Elyſſum Bacchi comitem fuiſſe, dum è Peloponeſo in Latium proficiſceretur: cuius rei apud Sicyonios clarum extitit monumentum, quos Baccho Lyſum comitem dediſſe Pauſanias ſcripſit. Vnde liquet eandem hiſtoriam apud Peloponeſi incolas & apud Luſitanos à priſcis proditam fuiſſe; quorum auctoritate & fide nixus Elyſſum priùs cum Nocho ad Ianum auum ſuum quàm in Hiſpaniam appelleret, nauigaſſe ſcripſi. Deſinant itaque peruerſi codicum correctores de luſu & rabie ſibi ſomnia fingere, & Lyſum Bacchi comitem fuiſſe nec mihi nec Pauſaniæ, ſed priſcis Sicyoniorum credant monumentis. Nochum verò Bacchum vocari ob vini inuentionem Indoſcythica noſtra copioſè tradiderunt, in quibus diſces hoc nomine poculorum Deum vocari. Ex his modò perſpicuum eſt, ab eodem Lyſbonam & Luſitaniam nomen accepiſſe, & Lyſam quidem ſiue Luſum prius in Arcadia quàm in Hiſpania habitaſſe, & inde nobilem illam equorum ſtirpem, quorum nemo non meminit veterum ſcriptorum, è Peloponeſo in Luſitaniam veniſſe; cura nimirum illius à quo & tota regio, & princeps ciuitas, & Luſturia nomen habuerunt. Nec verò in his tantùm Luſi memoria celebratur, ſed in populo etiam Luſonum ad Tagi exordium habitantium. Elyſſibona & in Luſitania & Peloponeſo inuenitur: Luſones populi in Hiſpania, Luſi in Peloponeſo, Lyſius Bacchi comes vtrobique; vtrobique equi celerrimi nobiles habentur, quorum omnium conuenientia iis auctoribus quos Plinius fabulas ſcripſiſſe arbitrabatur, teſtibus adiuta extra omnē controuerſiam ponit, eundem Peloponeſi & Luſitaniæ fuiſſe conditorem. De Elidis equis quid attinet verba facere, cùm Olympicis ludis nihil ſit nobilius, nō apud poëtas modò, ſed apud hiſtoriæ etiam ſcriptores, apud quos omnis temporis interualla metiuntur? De Oenomai equis, de Hippodamia, de Myrtilo, de Pelopis victoria quid cogitem tum explicabo, cùm in Arcadiam fuero reuerſus: hoc loco quid de Luſitanis equis ſcriptores prodiderint, exponā. Et vt à Plinio exordiamur, Conſtat, inquit, in Luſitania circa Olyſiponem opidū & Tagum amnem equas Fauonio flante obuerſas animalem concipere ſpiritum, indéque partum fieri & gigni perniciſſimum ita, ſed triennium vitæ non excedere. Hæc ille; cui Iuſtinus aliqua quidem tenus aſſentitur, ſed eam tamen adhibet moderationem, quæ Trogum Pompeium grauem hiſtoriæ ſcriptorem maximè decere videatur. In Luſitania, inquit, iuxta fluuium Tagum equas vento concipere multi auctores prodiderunt: quæ fabulæ ex equarū fecunditate & gregum multitudine natæ ſunt, qui tanti in Gallecia ac Luſitania, tam pernices viſuntur, vt non immeritò ipſo vento concepti videantur. Homerus ad hunc modum, ad quem Iuſtinus fabulam reduxit, de Rheſi equis locutus eſt:

Equorum nobilium ſtirpē è Peloponeſo in Luſitaniā veniſſe.

Luſones pop.

Equorum in Luſitania & Gallecia fecūditas atque pernicitas.

Τοῦ δὴ καλλίστους ἵππους ἴδον ἠδὲ μεγίστους
Λευκοτέρους χιόνος θείειν ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

id eſt, vt obiter vertam,

Huius equos vidi pulcros magnóſque ſupremè,
Ventis æquales curſu, niue candidiores.

Eadem ratione Iris ab Homero ποδήνεμος dicitur, cui epitheto par eſt ἀελλόπους. Plinio

Varro

Varro & Virgilius præiuerunt, quorum hic eandem rem his verſibus exponit:

Illas ducit amor trans Gargara, tránſque ſonantem
Aſcanium; ſuperant montes, & flumina tranant;
Continuóque auidis vbi ſubdita flama medullis,
Vere magis, quia vere calor redit oßibus, illæ
Ore omnes verſæ in Zephyrum ſtant rupibus altis,
Exceptántque leues auras; & ſæpe ſine vllis
Coniugiis vento grauidæ, mirabile dictu,
Saxa per & ſcopulos & depreſſas conualles
Diffugiunt, non Eure tuos neque ſolis ad ortus;
In Boream Caurúmque & vnde nigerrimus Auſter
Naſcitur, & pluuio contriſtat frigore cælum.

Hæc de equis è Peloponeſo in Luſitaniam, & inde in totam Hiſpaniam copioſa ſobole tranſlatis. Verùm enimuero video mihi litem motum iri ab iis qui Olyſſibonam ab Vlyſſe conditam conſtanter aſſeuerant, & eius rei cum alios, tum Strabonem teſtem laudant, qui hanc vrbem non vt Ptolemæus Olyſſiponem, ſed Odyſſeam nominant. Gaudeo profectò mihi oblatam eſſe occaſionem ſacræ ſcripturæ & Poëſeos hac in parte conciliandæ: frequenter monere, frequenter repetere cogor, totam ferè poëſim vel è veterum Theologia fabulis tecta, vel ex hiſtoriis vetuſtiſſimis natam eſſe, & toties corruptam & à genuino ſucco alienatam, quoties ex aliis vaſis in alia transfuſa eſt. Homerus cùm ſibi Troianum bellum carminum ſuorum materiam ſumſiſſet, quicquid vſquam vel legerat vel audiuerat antiquitatum, id ad huius argumenti contulit ornatum. Quoniam igitur natione Iōn erat, & tota in Ionia nihil eſſet Odyſſeos nomine clarius, tum ob multas res præclarè geſtas, tum ob varias & longinquas occidentem verſus nauigationes, placuit vt hunc alteram carminum ſuorum faceret partem: Ac quòd eum diu multumque circa Arcadiam egiſſe audiuiſſet, finxit cum patria Ithacenſem fuiſſe, eo quòd illa quæ ipſi adſcripturus erat, in hominem inſulanum magis quàm in alium quadrarent. Inſulanos enim plurimùm nauigare ſcimus, & verſutos & verſipelles fieri; qualem Vlyſſem ſuum fuiſſe finxit. Poſtquam itaque animaduertimus poëtas ferè propria hominum nomina è vetuſtiſſimis hiſtoriis petere ſolere; quod Maronem quoque videmus diligenter obſeruare; non video quid vetet quo minùs dicam, Vlyſſem ab Homero ad Rhapſodiæ partes vocatũ totum natum eſſe ex illis ſermonibus qui de Elyſſo Iōnis filio apud Iōnes & cæteros Græcos ferebantur. Quid enim veriſimilius quàm ante Homeri ætatem iam olim cantiunculas de Elyſſo cani ſolere, cùm & ipſe conſuetudinis eius fecerit mentionem apud Phæacas, Demodocum producens clarorum virorum res geſtas ad citharam canentem:

Μῦσ᾽ ἄρ᾽ ἀοιδὸν ἀνῆκεν ἀειδέμεναι κλέος ἀνδρῶν.

Poëſis vnde nata ſit.

Homeri in Odyſſea propoſitum.

Ex obſcura igitur Elyſſi fama obſcuris, vt moris fuit antiqui, inuolucris tecta ſuum ſibi Homerus Odyſſea finxit: ſed longè diuerſum, & multis ætatibus poſteriorem. Ille multarum vrbium conditor fuerat; hic multas vidiſſe & euertiſſe narratur: ille reuera ad inferos, id eſt, vt mox aperiemus, ad occiduum orbis cardinem profectus eſt; hic fingitur apud Cimmerios terram ſubiuiſſe, & neſcio quas nugas Tireſiam interrogaſſe. Quid multis? Homericus Vlyſſes totus figmentũ eſt, viri fortis & prudentis proponens exemplũ, vti rectè cecinit ſuauiſſimus Horatius: at Elyſſus è vera hiſtoria totus fuit petitus, cuius nomen poëta ſuo commento accommodauit, credens, vt opinor, in illo vetere non plus eſſe quàm in ſuo veritatis. Ceterùm quia Græcus vates, licet Iōn eſſet, Vlyſſis non meminit, ſed totus eſt in Odyſſeo canendo; abſurda non immeritò mea hæc ſuſpicio videri queat, niſi vno ore omnes Latini tum poëtæ tum hiſtoriographi eundem ficticium virum Vlyſſem nuncuparent. Operæ igitur pretium mihi facturus videor, ſi cauſſam inueſtigem geminæ nomenclaturæ, alterius Græcis, alterius Latinis vſitatæ. Profectò cùm nec Homerus, nec alius quiſquam, quod equidem ſciam, Græcorũ poëtarum Vlyſſis fecerit mentionem, & extet tamen apud Latinos frequens Vlyſſis mentio, tum in Troianis fabulis, tum etiam in hiſtoriis; non poſſum non adduci vt credam hunc Heroëm apud Occidentales, quàm apud Græcos fuiſſe notiorem: & idcirco primo ſuo nomine celebratum. Non ignoro tamen Olyſſis etiam nomen apud vetuſtiſſimos

Vlyſſem vnde finxerit Homerus.

Odyſſeus Græcis, qui Latinus Vlyſſes eſt.

 mos

mos Græcos cognitum fuiſſe; verùm eius rei tametſi Euſtathius & Zenodotus, ni fallor, meminerunt, nullam tamen nobis veteris alicuius poëtæ teſtificationem, quam equidem videre meminerim, reliquerunt. *Odyſſei etymon.* Quanquam verò Odyſeus nomen ſit à Græcis vſurpatum, quid tamen eo ſignificetur, & à qua primogenia voce deriuetur, in controuerſia poſitum cerno. Alij ab ὀδύσσω deducunt, quod ſignificat iraſcor & odio habeo, quod verbum à noſtro Hat deſcẽdit, vnde & Ate & Odi Latinorum acceptum. His equidem nullo modo aſſentiri poſſum, tum quòd ipſa deriuationis formula minimè placeat, vtpote quæ velit vt Odyſeus dicatur Odyſſomenos, contrà planè ac ceteris ſimiliter deriuatis accidit, quæ ſignificationem habent agendi; quod in Grapheus à γράφω, & aliis compluribus cernas: tum etiam quòd nomina fauſta ac felicia mihi magis probentur, nec videam cur parentes filiis ſuis quibus nomina indunt, malè vel debeant vel velint ominari. Iam quòd dicunt eum propter furta & fraudes odio habitum fuiſſe, in eo equidem rogabo, an tantiſper nomine caruerit, dum his ſeſe artibus dedidiſſet. Sunt qui ab ὁδὸς deducant, addita cauſſa, quòd Anticlea mater eum in via ad Neritum pepererit; cuius ſententiæ Silenus Chius eſt fabularum libro ſecundo, per adſpirationem ſcribi debere tradens. Idem docet vnicum eius nominis Sigma apud antiquos fuiſſe, tametſi Euſtathius dicat ſe crebrius per duplex Sigma ſcriptum vidiſſe. Quid hic viderit, quid non viderit, non magni facio; quando nihil procliuius, quàm priſcam ſcripturam in illis vocibus corrumpi, de quarum & ſignificatione & deriuatione nihil certi proditum habetur. Ego tamen hac in re Sileno adhæreo, vti multo quàm Euſtathius fuerit vetuſtiori, & idcirco germanæ ſcripturæ certiori: at in explicatu vocis aio nihil ſani eum dixiſſe, propterea quòd partus in via editi figmentum nec certò conſtet, & idoneo probetur auctore, nec multum videatur momenti habere, vt puero generoſo ponatur; præſertim cùm priſcis nullum nomen infauſtum placuiſſe cernam, tantum abeſt vt ab incommodo & euentu infelici filios ſuos voluerint nuncupare. De Hodyſeo itaq. nihil præter ſcripturam vetuſtam è Sileno petitam certi habemus. Quod autem ad Vlyſſis nomen attinet, eius nec Euſtathius, nec alius quiſquam vel ſignificationem vel ſignificationis rationem oſtendit: quin immò plerique putant ab Hodyſeus malè pronunciatum vitio corruptũ fuiſſe, & ideò nullam apud Latinos etymologiam dari poſſe. Nos prius de voce Vlyſſes, mox inde de Hodyſeus ſententiam dicemus, *Vlyſſis etymon.* nouam illam quidem & à nemine hactenus traditam; ſed talem tamen, vt ne ad latum quidem pilum à veritate diſcedat. Vlyſſes quì ab Olyſſes factum ſit neminem puto dubitaturum, tum quòd Euſtathius ita Græcè ſcripſerit, tum quòd Ptolemæus, Mela, Plinius, alij Olyſſiponem non Vlyſſiponem dicant. Quid igitur Olyſſes ſignificet, & quî hoc nomen à prima ſua origine degenerarit, oſtendam Eel quid ſignificet, antè declaraui; nunc addendum ex e longo facilè fieri a, & ex a poſtea o. Sic Angli pro noſtro Heel Hol dicunt, & eodem modo Græci ex Heel ὅλος fecerunt. Quid ergo procliuius quàm ſimili via ex Eel Ol fieri, cùm Græci quoque à λέγω λόγος, & plurima ſimilia à ſimilibus forment. Adde nunc quòd Holyſſes ab Hol-luſt queat deriuari, & quemadmodum Eel-luſt nobile deſiderium generoſamq. voluptatẽ ſignificat, ita Holluſt eum deſignabit qui totus nihil aliud eſt quàm voluptas; quaſi delicias meras dicas. Vnde facilè cernas vtrumque nomen eidem dari potuiſſe. Quòd autem Olyſſes non adſpiretur, mirari non debemus, eo quòd in compoſitione adſpiratio frequenter tollatur, & ſint alioqui in ſermonis noſtri latitudine tales quorundam dialecti, vt à principiis dictionum omnem tollant adſpirationem: quod quamuis non probem, antiquum tamen eſſe cerno; quandoquidem Latinorum pleroſque ſcimus adſpirationem è numero litterarum ſuſtuliſſe. Vates & Hiſtoriographus Hebræus Elyſſa per Aleph exorditur, quod ipſi E longo melius reſpondet. Nam quòd huic vocabulo puncta bene ſubſcripta ſint, id non tam ſcientiæ quàm caſui tribuo; eo quòd in aliis vocibus noſtratibus longè aberratum eſſe videam, vt in Iauan oſtendi. *Vlyſſes ſiue Olyſſes idem qui Moyſi Elyſa.* Quamobrem ſiue Olyſſes & inde Vlyſſes more Latino, ſiue Elyſſes, ſiue Elyſſus dicas; non magni refert: id ſaltem ex iis quæ modò in medium adduxi, liquere arbitrabor, priſcum illum Olyſſem apud Iönes decantatum, etiam olim apud Latinos, Hiſpanos, Calydonios, etiam Britannos, ſi Solino credimus; & Rhenanos, vt indicat Tacitus; honoratum non alium fuiſſe, quàm hunc noſtrum Moſaicum Elyſam. Quòd autem in Aduaticis ſcripſi Vlyſſem Homericum extra fretum

tum

tum Herculanum ab Homero eductum non fuiſſe, id hactenus credo: Cæterùm hoc loco non de ficticio, ſed de vero nobis mentio eſt, quem Græcorum pòſt fabulis reor obſcuratum, & quæ de illo ferebantur, huic fuiſſe attributa. Et profectò non abſimile vero eſt, hunc vetuſtiſſimum heroëm totum Oceanum ad Calydonios vſque ſaltus, & ex altera parte ad Germaniam vſque perluſtraſſe, & hinc occaſionem Homero datam, vt ſuo Vlyſſi tam varias nauigationes, & tam multos adſcriberet errores. Inuenimus itaque tandem quis verus fuerit Vlyſſes à quo Olyſſibona & Luſitania & Luſones & Luſturia in Hiſpania nomen acceperunt; inquiramus nunc an idem quoque Hodyſeus fuerit nuncupatus. Docui Heſperiam propriè Hiſpaniam vocari, eo quòd vltima ſit continentis terræ pars ad occidentem. Hinc Græci priſci, dum de Olyſſe loquerentur, eum illo cognomine honorarunt, vt fortem & ſtrennuum Occidentis Heroëm vocarent. Nihil enim aliud eſt, ſi verbum verbo reddas, Hodyſeus, quàm ſi Latinè dicas, Ille eximiæ virtutis heros in occidente; quod intelliges ſi ad hunc modum Græcis loquaris, ὁ δὺς ἐὺς. Δῦμι enim ſignificat occido, vel ſub aquis aut horizontemo abſcondo, quod corruptum eſt è noſtro Duic, vt in preterito ipſius Δύω videbis, ſi augmentum tollas. Εὺς verò pulcrum, magnum, bonum, &, vno dicam verbo, omnibus rebus præſtantem ſignificat. Articulus autem vehementem hîc vim exprimit excellentiæ, quæ intelligeretur ſi Latinus diceret, Ille magnus & præſtans Occidentis heros. Cedo quid ſimplicius, quid rectius, quid rebus ipſis congruentius queat dici, ſi ne vnus quidem apex in tota vocabuli compoſitione à ſimplicium vel ſcriptura vel notatione diſcedat, & interim tamen quo loco Elyſſus maximè floruerit, & qua laude fuerit ab omnibus decantatus, clariſſimè oſtendatur? Quamuis itaque antè docuerim Heſperi nomen eandem habere cum Veſpero & originem & ſignificationem, & neutrum proprium alicuius viri fuiſſe; haud ſum tamen neſcius apud poëtas Heſperum Atlantis fratrem dici; quo fit vt conuenienter ipſis concludam, Elyſſum cognomento Heſperum vocari ſolere; nec alia id quidem ratione, quàm ea ob quam à Græcis appellatus eſt Hodyſeus. Quod cùm ita ſit, conſectarium eſſe ſentio, vt Tarſes Atlantis cognomen apud priſcos fuerit ſortitus: qua de re ſuo loco dicendum. Si cui ergo placebit Heſpero diem condicere, vt inter reges ſe ſuo ordine collocet; is patiatur neceſſe eſt, vt primum ſibi locum vindicet, ac ſe eundem cum Vlyſſe & Hodyſeo eſſe demonſtret. Agnoſcant nunc tandem Luſitani & ciues Vlyſſibonenſes Goropium hominem in Cimmeriis tenebris e Cimmeriis parentibus natum primum fuiſſe poſt tot ſeculorum centenarios, qui ſe vel voluerit vel potuerit priſci Vlyſſis aſſertorem præſtare, & primum nobiliſſimæ & antiquiſſimæ ciuitati vindicare conditorem. Meritò poſthac ſeſe de vetuſtiſſima iactabunt nobilitate, & multis ætatum circulis antiquiore; quàm ſi ab Ithacenſi Palladij fure genus ſuum duxiſſent. Quid, an non Elyſſus ſuo ipſius nomine omnem generoſam ac nobilem concludit voluptatem, & frequenter Elus dumtaxat, id eſt, nobilis vocatur? Porrò dum Luſus ſiue Lyſſus ſiue Lyſius ſine alia terminatione vocis eorum conditor nominatur, cogitent ſe vocari ad honeſta corporis & animi oblectamenta, & ea quidem ſola quibus intelligent Elyſſum ſeſe dedidiſſe: quæ qualia ſint licet modò ſatis indicauerim, paullo tamen pòſt in Arcadiam & Elidem reuerſus latiùs exponam. Sciant interim Luſitani & vniuerſim omnes Hiſpani, ſeſe Elyſſi non integra perfrui notitia poſſe, niſi ſermonem eum addiſcant quo & ipſe & ipſius maiores vſi ſunt, quoque noſtrates ab Aſcanio Ionis, qui genuit Elyſſum, germano patruele oriundi hactenus vtuntur. Id niſi faciant, fruſtra quærent ea animi oblectamenta quæ Elyſſides Muſæ linguæ ſuæ peritis temperarunt. Ac ſanè nullo modo de pura ac ſincera nobilitate ſeſe poterunt iactare, niſi priùs ſermonis commercio demonſtrent, ſeſe Elyſſi poſteros eſſe, linguamque externam perpetuum peregrinitatis indicium deponant. Tum demum Elyſſigenas agnoſcemus, cùm audiemus Elyſſi eiúſque parentum ſermonem: quo quàm diu carebunt, ne ſperent ſeſe vel à primis ſuis maioribus, vel ab ipſorum cognatis agnitum iri, propterea quòd lingua eos ſemper manifeſtos factura ſit peregrinitatis. Nihil eſt quod homines æquè coniungat atque locutionis communio; quam ſi demas, non magis hominem quàm beſtiam intelliges. Quid abſurdius quàm de generis eorũ claritate gloriari, quorum primi parentis ne nomen quidem queas explicare, aut eius ſignificationem peruidere, tametſi vtaris præmonſtratore?

Hodyſei nominis etymon & ſignificatio.

Elyſſus cognomento Heſperus vocatus.

Tarſes à priſcis Atlas appellatus.

Verumenimuerò licet Luſitani & Vlyſſibonenſes & Onoba-Luſturiani ad Vlyſſem tantùm ſiue Luſum, ſiue, vt rectiſſimè diceres, Luſtum pertinere videantur, & inde quiſquam ſuſpicari poſſet ad ſolos Portugallos, vt hodie dicimus, hanc ſpectare antiquitatem; longè tamen aliter res habet; eo quòd non eiſdem finibus Luſitania antiqua & Portugallia hodierna terminentur. Luſitania enim Pacem, Iuliam, Emeritam, Auguſtam, & totam, quam nunc vocamus, Extremaduram vna cum Vera, Placentina modò nominata, & magna parte Caſtellæ veteris nunc dictæ, in qua Salamantica eſt, & quicquid vlterius iacet terrarum vſque ad Dorium amnem continebat. Nam Ana & Dorio Ptolemæus Luſitaniam comprehendit, & in ea Salamanticam recenſet. Quæ cùm ita ſint, intelligant Hiſpani, Elyſij nomen multo latiùs porrigi quàm vt Portugalliæ finibus includatur; & ideò non ſolis Portugallis, ſed & ceteris Hiſpaniæ populis varias gentes & ciuitates complectentibus demonſtraſſe conditorem. Quid, quòd ad ipſos Tagi fontes Luſones dixi a Strabone collocari, cuius populi nomẽ æque clare Luſi nomen refert atque ipſa Luſitania? Ad hos igitur vſque terminos dicemus Luſi poſteritatem Hiſpaniam habitaſſe, & quicquid terrarum ab his ad Oceanum vſque & Anæ ripas continetur, bono iure Luſitaniæ adſcribi debere; licet poſtea aliter regiones eius fuerint terminatæ. Hinc fit, vt regnum Toletanum etiam ſuum agnoſcat conditorem, & non minùs poſſit de Ogenia Luſi nobilitate, quàm ceteri Luſitani gloriari. Ptolemæus Bergones inter orientales Luſitanos enumerat, quorum nomine omnes illi intelligi poſſunt qui Tornauaccam montem & eius appendices inhabitant; eo quòd Bergones a Berg-won nominati montium dicantur habitatores. Berg certe vox apertiſſimè noſtras eſt, & Hiſpaniæ veteri non infrequens. Inuenies in ea Bergidium, Bergidũ, Berguſiam, Bargiacim, Bergiliam, & rurſus Berguſam, id eſt, domum montanã. Huis enim domum notat; inde Riguſa eſt Rychuis, id eſt, opulenta domus, quo nomine opidum Carpetanorum vocabatur, & apud Baſtetanos Seguſa, licet alij Segiſam ſcribant, quo nomine modeſta & tranquilla domus dicitur. Nec aliunde Dertuſani populi quàm ex Dertuſa nomen acceperunt; quæ vox nobis vel duram domum, vel tertiam domum denotat. Videas & Dun, quo collis denotatur, in Hiſpaniæ ciuitatibus nominandis vſurpari: inde Bedunenſes populi, & ciuitas Sebendunum; quod nomen nobis idem eſt quod Latinis ſepticollis; quo nomine Roma non ineptè vocaretur. Eſt & Caladunum apud Callaicos, quo caluus collis notatur. Vnde liquet eandem linguam in Hiſpania & Gallia & Britannia & Thracia olim fuiſſe, quibus omnibus in locis ciuitates inuenias à Duno nuncupatas, vt in Gallicis oſtendi. Eldana corruptum eſt apud Ptolemæum diphthongo ȣ in Alpha mutata; quorum figuræ nihil differunt, niſi quòd hoc dextram verſus, illa ſurſum cornua porrecta poſtulet. Id ex hodierno nomine colligo quod Duennas Hiſpani ſcribunt. Eſt autem El-dun nobilis collis: Opidum eſt in colle ſitum proximum Pallantiæ nobiliſſimæ quondam ciuitati, nec nunc ignobili propter Epiſcopalis diœceſeos ſedem; ſub qua vallis quoque Dolitana continetur. Eius nomen planè noſtras eſt, regionis conſeruationem deſignans. Eſt & fluuius eiuſdem nominis in Valentiæ regno; nec aliunde Pallantæum Romanum nomen duxit, quod in Palatium tandem per corruptelam tranſiit. Docet igitur nos vocis origo illud primarium & præcipuum Palatij cuiuſque munus eſſe, vt regionem conſeruet: vnde alio nomine noſtratibus Sal vocali longa dici ſolet. Multo ſanè magis miror priſcũ hoc & egregium nomen in hac vrbe remanſiſſe, quàm plurimas vetuſtas nomenclaturas frequenti incolarum permutatione vel corruptas vel penitus eſſe obliteratas. Ac neſcio an aliqua omnino antiquarum vocum magis ſit exoſculanda, propterea quòd oſtendat clariſſimè quæ fuerit lingua primorum Latij, primorum Arcadiæ, in qua etiam Palantium celebratur; primorum Hiſpaniæ incolarum: adeò vt quemadmodum Palantinorum eſt regionem conſeruare, ita hoc nomen priſci ac primi ſermonis memoriam & in Peloponeſo & in vtraque Heſperia ſeruat. Eſt ad Rheni & Neccari confluentem regio quam Palant hactenus vocamus, cuius Princeps Comes Palatinus vocatur. Quia verò limes ſiue terminus ad regionum & agrorum fines perpetuò ſeruandos collocari conſueuit, apud nos Pal vocali longa pro limite vſurpatur. Quia verò plurima loca defixis lignis ſolent definiri, factum eſt vt Latini palum pro acuto ligno vt terræ infigatur apto dicant; vnde factum eſt vt Hiſpanis, corrupto Romanorum ſermone hac ætate vtentibus,

Luſitania antiqua & Portugallia non iiſdem finibus terminantur.

Bergones inter Luſitanos à Ptolemæo numerantur: & eorum nominis ratio.

Berg. Huis.

Dun.

Hiſpani antiqui Teutonica lingua vſi ſunt.

Eldana.

Duennas, Eldun

Dolitana vallis.

Pallantæum, Palatium.

Sal.

Palant Comitis Palatini dicto.

Pal.

bus,

bus, palo baculum ſignificet. quod annoto, vt cernas qua via paulatim voces à prima ſua ſignificatione deflectant. Ex nomine compoſito **Pallant**, quod nos diuiſis ſyllabis **Pchallant** ſiue **Bchallant** diceremus, Pallas quoque nomenclaturam ſortita eſt; eo quòd Sapientia è Iouis cerebro ſiue æterno patre nata, veriſſima ſit omnium terrarum conſeruatrix, vt aliàs latiùs exponam. Congruentiſſimum profectò ciuitati metropoli nomen eſt Pallantia; quod addo, quoniam Pomponius Mela natione Hiſpanus me docuit, Pallantiam hanc olim clariſſimam totius Tarraconenſis Hiſpaniæ vrbem fuiſſe. Nunc modica eſt; templum tamen habet auguſtum & pulcerrimis comparandum: Riuo amœno & leni ſuſurro præterfluente abluitur, cuius digitus plateas expurgat. Hinc collem proximum habet, cuius finem Eldunum tenet; hinc ſiluam longè proſpectat lætis agris longè latéque cincta. Cum Epiſcopo eius, cui à Caſtro nomen erat, quique Pizarrum Ophiriæ regionis tyrannum deuicerat & capitis damnarat, multa mihi fuit & longa conſuetudo, dum vnà Reginas Franciæ & Hungariæ ex valle Dolitana Vaccæorum ad Pacem Iuliam Anæ impoſitam comitaremur. Quemadmodum autem Pallantium & in Arcadia eſt & in Hiſpania, ita & Buram vtrobique reperies; cuius nomen planè noſtras eſt, vicinum ſignificans. Eſt & hactenus opidum apud nos eodem nomine Comiti Burenſi titulum dignitatémq. præbens. Hinc **Ebur** ſignificat vicinum iureiurando adſtrictum, à qua voce Ebura in Hiſpania, & Eburum Quadorum in Germania, & Eburacum in Britannia, & Eburones apud Belgas, & Eburodunum Caturigorum in Italia; qua in voce & **Ebur** & **Dun** clara dant ſermonis eius indicia quo vetuſtiſſimi Iapeti poſteri principio in Europa vtebantur. Sic & Brigantium pluribus Europæ ciuitatibus commune vocabulum ſatis arguit quis fuerit olim principum conditorum ſermo. Eſt Brigantium in Hiſpania, eſt apud Vindelicos, eſt in Italia, ſunt Brigantes in Britannia in quibus omnibus Beta Græcorum, quo Ptolemæus & Strabo vſus eſt, pro V ſimplici digamma accipiendum, vti vulgaris pronuntiatio cuiuis nota dictat. Sunt autẽ Vrigantes homines liberi in manibus ſuis vtendis: **Gchant** enim & ſyncoptôs **Gant** ſtrennuum deſignat, ceu dicas Latinè Manus habens: quo fit, vt idem ſit **Vrigant** quod liber & ſtrennuus & manuum ſuarum vi libertatem defendens. Galli Romaniſantes vocabulo Brigant abutuntur pro publico graſſatore, quaſi verò is manus habeat ad libertatem ſuam tuendam, qui omnium libertatem violenta manu tollit. Qui libertati & ſuæ & ſuorum defendendæ paratas manus habet, is propriè nominis huius honorem meretur. Quid **Vri** ſit, in Bria & Briga declaraui, quæ vocabula docent hominum multitudinem in vnum opidum coire, quo libertatem ſuam communibus viribus tueantur. Sed quid ego noſtratia vocabula in opidis conſector, quæ ſanè ſunt quamplurima; cùm modò demonſtrauerim & Heſperiæ & Iberiæ & ipſius adeò primi conditoris nomen ad Teutonicam linguã, id eſt antiquiſſimam, pertinere? SATIVS fuerit à Luſo, de quo ſatis modò dixiſſe videor, ad Panem tranſire, quem priſci vniuerſæ Hiſpaniæ præſediſſe tradiderũt, licet Plinius antiquæ veritatis ignarus fabuloſum id iudicarit. Quemadmodum enim Luſitania à Luſo, ita tota regio quàm latè quoquo verſus patet, Hiſpania dicitur, à Pane accepta nomenclatura. Quo igitur intelligamus quid Hiſpaniæ nomen deſignet, in memoriam reuocetur neceſſe eſt id quod de Hiſpali dixi. Cùm enim eadem in Hiſpali & Hiſpania ſyllaba prima audiatur, eiuſdem vtrobique intelligatur eſſe ſignificationis. Quando igitur conſtat **His** occidentem denotare, nihil aliud fuerit Hiſpania quàm Pania occidentalis. Cæterùm quæ loca occidentis appendice nominantur, indicant eſſe alium eiuſdem nominis locum ad orientem. Quæratur ergo Pania hæc quæ indicatur ad Eurum vergere, quo cernatur voculam **His** non fruſtra adiectam fuiſſe. Hîc nos vel vnus ſolus Stephanus ſatis iuuabit, qui Peloponeſum præter alia nomina Paniam quoque dictam fuiſſe ſcribit. Nec is tamen ſolus id memoriæ prodidit, ſed Heſychius etiam Mileſius præiuit. Suidas Panion nomen loci eſſe annotauit non procul ab Heraclea, ſed id tenuius quàm vt noſtro ſatisfaciat inſtituto. Cur autem Peloponeſus Pania dicta ſit, facilè videbis ſi de Pane Lycæo cogites & de Menalis ipſi dedicatis. Virgilius Panem Arcadiæ præfecit, quæ nobiliſſima eſt Peloponeſi regio. Sic enim in Gallo canit:

Pan deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis, minióque rubentem.

Pallas vnde nomẽ ſit ſortita.

Pallantia deſcriptio.

Bura vtrobique et in Arcadia, & in Hiſpania.

Ebur varijs populis vſitatum.

Brigantium diuerſis Europæ ciuitatibus nomen impoſitum.

Gant.

Vrigant.

De Hiſpaniæ nomenclatura.

Pania orientalis Peloponeſus.

Pã deus Arcadiæ.

Idem in quarta Ecloga:

Pan etiam Arcadia mecum ſi iudice certet;
Pan etiam Arcadia dicat ſe iudice victum.

Quòd ſi Pan Arcadiæ deus eſt, meritò totius Peloponeſi dicetur; cùm Arcadia ipſum pæninſulæ cor occupet, ac nomine ſuo, quod à Nocho ducit, teſtetur ſe olim principem regionem fuiſſe; & , vt quod ſuſpicor exponam, putem totam Peloponeſum Arcadiam olim fuiſſe nuncupatam, haud ſecus ac tota Italia Saturnia nominabatur. Poſtquam ergo perſpicuum eſt Peloponeſum Paniam dici, & ob id dici quia Pani ſit conſecrata; clarum quoque fuerit, Heſperiam itidem Paniam idcirco vocatam fuiſſe, quòd tota Panis præſidio ſubeſſet: at quò diſcrimen agnoſceretur, Peloponeſum ſimpliciter Paniam vocatam fuiſſe; eo quòd Elyſſus prius Peloponeſum quàm Heſperiam Pani dedicaſſet. Videas modò quàm non ſit fabuloſum Hiſpaniam à Pane nomen accepiſſe; & Elyſſum priùs Paniam orientalem quàm occidentalem condidiſſe. Porrò nec illud indignum eſt conſideratione, magnam eſſe Peloponeſi & Heſperiæ ſimilitudinem. Vtraq. enim pæninſula eſt, licet altera propter Iſthmi anguſtias inſula Pelopis vocetur; & Hiſpania certè inſulæ naturam egregiè tuetur, cùm anguſtias, quibus Galliæ adhæret, perpetua altiſſimorum montium catena claudat; in qua porta eſt mihi, cùm eam tranſirem, mirabilis viſa; eo quòd tam ſit anguſta & depreſſa, vt ſuo exiguo foramine ex equo deſcendere compellat: quod vbi ex Hiſpania fueris ingreſſus, magnam ſpecum intras; in qua ad dextram gradus ſunt ad D. Hadriani ſacellum, qui hoc antrum fertur habitaſſe, ducentes; ab altera parte ianitoris domus eſt ex eadem rupe exciſa, quæ ſupernè in celſiſſimam metam faſtigiatur: Egreſſis horrendum præcipitium offertur longo ductu peditibus deſcendendum. Habent & alias portas hæc Gigantea Hiſpaniæ mœnia, ſed nullas pylas his quas dixi vidi commemoratione digniores. Quamuis ergo Iſthmus Hiſpaniæ multo latior ſit quàm Corinthiacus, & Peloponeſo in Helladem exitus; tutioribus tamen clauditur muris, & ob multas anguſtias difficiliùs tranſeundis. Magna profectò naturæ ambitio fuit in Hiſpania tuenda, adeò vt eius zelotypia quadam videatur laboraſſe; qua de cauſſa meritò etiam poſſet Iberia vocari, tametſi nulli vmquam in eam Iberi commigraſſent. Non parua itaq. eſt Peloponeſi & Hiſpaniæ ſimilitudo, ita vt mirum non ſit Elyſſum vtramque Paniam indigitaſſe: & niſi hæc occidentalis Pania nuncuparetur, magna Pania poſſet vocari. Quòd ſi præterea montium in vtraque frequentiam conſideres, maximam quoque ex ea parte ſimilitudinem cernes; & quod vt vtraque plurimis abundat, ita maior longè habeat maiores & longioribus laciniis latiſſimas camporum planities complexos. Nunc ſi quis fanaticos poëtarum errores & cacodæmonis eorum magiſtri mendacia ſequi vellet, latiſſimum campum haberet de Satyris & Paniſcis fabulandi; quos ſi per totam Hiſpaniam infinitos eſſe diceret, atque hac nota immanem hominum pruriginem & rabiem indicaret, nihil ille quidem à veritate aberraret: verùm vocibus ſacroſanctis turpiſſimè Ithyphallicorum vatum, ſiue potiùs ac veriùs impudentiſſimorum ſcurrarum more abuteretur. Nobis non lubet eſſe tã inſanis & impiis, vt quæ ab Ogygiis illis viris ſanctiſſimis vnius Dei creatoris & vindicis noſtri cultoribus ſumma pietate ſunt ad veram fidem excitandam & propagandam inſtituta, ea velimus ad ſpurcas libidines transferre; licet cum totius ferè orbis applauſu dicere poſſemus, ob has Hiſpaniam Pani eſſe dedicatam. Nos docebimus longè aliud Panis nomine denotari, quàm quiſquam vel Græcorum vel Latinorum potuerit ſuſpicari; quod quia longioris operæ eſt, & magnam ſecum rerum ſacrarum trahit materiam, atq. adeò totam complectitur Chriſtianorum religionem, tantiſper differemus dum cetera quæ ad Elyſſum & Tarſem atque alios Hiſpaniæ cultores pertinent, fuerint explicata. Quem nunc dicemus Occidentali Paniç nomen dediſſe, ac totam regionem Pani conſecraſſe? Quem alium quæſo quàm eum qui priùs totam Peloponeſum eidem dedicauit? Quod ſi ita eſt, vti ſatis ex iis quæ dicta modò ſunt, liquet; an non ſimpliciter dicere poſſumus, Elyſſum totam ſibi Hiſpaniam vindicaſſe? Neque enim fas eſt vt quis alienas res Deo ſacras faciat; tanto minùs id de Elyſſo Nochi pronepote & diſcipulo nobis ſuſpicandum. Quamobrem ſi totam & vniuerſam Heſperiam Pani dedicauit, & ea de re Hiſpaniam ſiue occidentalẽ Paniam dixit; confiteamur oportet, cum totius Hiſpaniæ imperiũ ſuſcepiſſe, atq. idcirco totius Heſperiæ dici

Heſperia cur Pania dicta.

Peloponeſi & Heſperiæ ſimilitudo.

Diui Hadriani ſacellum et antrum.

Hiſpania quis nomen dederit, & Pani conſecrarit.

dici debere conditorem. Videmus itaque eò nos ſenſim veniſſe, vt non ſoli Luſitani, ſed vniuerſim omnes Hiſpani bono iure queant Elyſſi nomen, vti primi regis, iactare. Ac verò non alia de cauſſa Hodyſeus dictus videtur, quàm quòd totius Heſperiæ heros eſſet ſiue Imperator. Heros enim nihil aliud eſt, vt id obiter annotem, quàm Reip. ſiue vniuerſitatis alicuius caput. Porrò cùm Elyſſus ſit Hodyſeus, ſiue magnus ille totius Heſperiæ heros, atque adeò ipſiſſimus Heſperus, id eſt, occidentalis plagæ poſſeſſor, & beatorum ſedes ab Homero ad occidentem ſint collocatæ; nihil amplius verebor diſertis verbis pronuntiare, campum Elyſium ab Elyſa Moſaico nomen ſuum accepiſſe. Quid quæſo concinnius quàm beatas occidentis ſedes eius nomine inſignire, qui primus fuit totius Heſperiæ conditor & Imperator? Quæ præterea vox poſſet aptius ab alia deriuari quàm Elyſium ab Elyſa? Adde modò & illud ex ipſa etiam veritate, beatorum regionem Elyſios campos dici poſſe, de prima vocis ſignificatione; eo quòd nulla voluptas nobilior queat excogitari, quàm ſit ea qua piorum animi in cælo perfruuntur. Iam & paradiſus terreſtris, id eſt, tota terra ante Dei exſecrationem, & eas quas ipſe intulit diras, Elyſium æquè poterat vocari atque Gan eden, id eſt, hortus deliciarum. Nobis Paradiſch, à quo פרדש, & Paradiſus terram ſignificat ſe ipſam ad omnia proferenda promouentem citra nimirum hominum laborem; qua de re voluptas conſequebatur, & ea quidem nobiliſſima, vtpote ab omni remota ſeruili moleſtia. Quo fit vt Paradiſus Elyſium quoque congruentiſſimè poſſit vocari, & haud ſcio an in primo ſermone eam quoque habuerit nomenclaturam multo ante quàm Elyſus natus eſſet. Certè habere potuit, nec abſurdum ſit, ſi quis ſuſpicetur Elyſum à patre ſic vocatum eſſe, vt fauſto ac felici nomine moneretur, ad vitam eam capeſſendam quæ tota ad paradiſum cæleſtem, cuius terreſtris imaginem habuit, contenderet. Apion Alexandrinus ad Canopum Elyſios cāpos & fortunatas inſulas quæſiuit, & quò aliqua ſaltem veri ſimilitudo abſurdo figmento conciliaretur, pro Elyſio Ilyſium dixit; vocem ab Ilys, quo lutum & limum Græci ſignant, deriuauit; dignus ſanè vt loco nobilium deliciarum cum ſuibus in luto volutetur. Euſtathius ab ἀλύω deducit, &, de cuius neſcio auctoritate, addit ἀλύω idem eſſe quod χαίρω, cùm Hippocrati & Galeno hoc verbum vſurpetur pro re prorſus contraria: vt is nimirū ἀλύειν ſiue ἀλύζειν dicatur, qui ſeſe huc illuc iactat, nec vlla poteſt perfrui quiete. Et profectò video bonum virum hoc loco Hippocratica alyſi laboraſſe. Nam non acquieſcens in eo quod de ἀλύω finxerat, addit Elyſium dici poſſe, quòd corpora in eo ſint ἄλυτα. Aliis videri dicit nomen hoc deduci ab Elyſio quodam viro piiſſimo ac ſanctiſſimo, verùm quis hic fuerit, non adiecit. Qui Græcis etymologicon ſcripſit, maiore etiam torquetur alyſmo, nec vſquam reperit in quo acquieſcat: hoc tamen ex eo accipimus vtilitatis, quòd ſatis oſtendat fruſtra apud Græcos quicquam ſanæ rationis in hac voce quæri. Ceterùm vt Euſtathius Elyſij cuiuſdam viri mentionem apud veteres inuenit, ita hìc quoque nobis aperuit circa Rhodum locum fuiſſe conſecratum nomine Elyſium, quo confirmat non parum aſſertionem meam, quæ ſtatuit Elyſium circa Siciliam & Cariam & vicina loca priùs egiſſe quàm vel in Peloponeſum vel in Hiſpaniam veniret. Quamuis ergo hi ſeſe torqueant, nec quicquam reperiant in Elyſio quietis, ſed contrà plurimum alyſeos; nos tamen hoc tandem deprehendimus, apud vetuſtos etiam fuiſſe qui diceret, Elyſium quempiam Elyſiis campis nomen dediſſe, & ab eodem Elyſio locum quendam apud Rhodios ſacrum nomen accepiſſe. Audiamus nunc Homerum, qui Grammaticis hanc dubitandi dedit occaſionem. Apud eum Proteus ſic Menelao vaticinatur:

Elyſios campos nomē habere ab Elyſa, & in occidēte ab Homero collocatos.

Paradiſus vnde nomen acceperit.

Elyſii campi vbi à veteribus collocentur.

Σοὶ δ' οὐ θέσφατόν ἐστι διοτρεφὲς ὦ μενέλαε
Ἄργει ἐν ἱπποβάτῳ θανέειν, καὶ πότμον ἐπισπεῖν,
Ἀλλά σ' ἐς ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης
Ἀθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανθὸς ῥαδάμανθυς
Τῇπερ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισι,
Οὐ νιφετὸς οὔτ' ἂρ χειμὼν πολὺς οὔτέ ποτ' ὄμβρος,
Ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας
Ὠκεανὸς ἀνίησιν ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

Quæ nos ſic ex tempore, licet Muſa Latinis ſit minùs benigna, totidē verſibus expreſſimus:

At tibi ſic Menelaë, Ioui cariſſime, Parca

Neuit,

Neuit, vt haud Argos morientem cernat equeſtre:
Sed Dij te ad terræ fines metáſque ſupremas
Elyſium in campum mittent, Rhadamanthyos oram,
Est vbi perfacilis ratio iucundáque vitæ;
Non nix, non ibi hiems, non imber decidit vmquam;
Sed ſemper Zephyri per lenes ſufficit auras
Oceanus; grata vt mortales frigora captent.

Videmus hic poëtam Elyſios campos ad vltimam terrarum oram, in qua Oceanus Fauonios primùm emittit, collocare; quam orbis partem Heſperiam eſſe quiuis intelligit: cuius cùm Elyſius primus fuerit rex, non mirũ ſi campi ab eo Elyſij ſint nominati. Quòd autem fingit Rhadamanthyn circa illum locum iudicium exercere, id ex eo quod Virgilius cecinit de mortuorum animis, intelligetur:

Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit:
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes, penitúſque neceſſe est
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterúmque malorum
Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos, aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.
Quiſque ſuos patimur manes; exinde per amplum
Mittimur Elyſium, & pauci læta arua tenemus.

Cerníſne hic purgatorij & Elyſij viciniam? Cùm itaque Rhadamanthys iudex ſit animis vel in Tartari barathrum deiiciendis, vel expurgandis, vt puræ tandem ad Elyſium veniant; bene Homerus Rhadamanthyos ſedem ad vltimas Oceano contiguas terras collocauit. Cur porrò & Tartarum & Elyſium ad occidentem poſuerint poëtæ, facilè reperies, ſi diem vitæ compares. Cùm enim morimur, Sol nobis æterno occidit occaſu, & ideò ea omnia quæ mortuis accidunt, in occaſu fieri finguntur. Quamuis ergo Elyſius numquam in occidente imperium tenuiſſet, nec Hodiſæi aut Heſperi habuiſſet cognomen; nihilo tamen minus ſymbolica docendi ratio exigebat, vt quæ de inferis dicuntur, ea omnia ad occaſum referrentur; & ita Elyſium, quò poſt purgationem peruenitur, in eadem quoque mundi plaga poneretur. Elyſium ergo genuinam, vt dixi, nominis habet rationem; & quòd in Elyſi ſit ditione, & quòd nullæ deliciæ ſint nobiliores quàm illæ quibus animi ab omnibus ſcelerum ſordibus expiati fruuntur. Extitit olim inter doctos viros quæſtio, Num Vlyſſes Homericus extra Herculis columnas nauigarit. Licet Strabo contendat ex iis verſibus quos paullo antè de Græco in Latinum ſermonem verti, Homero extrema ad Oceanum Heſperiæ littora nouiſſe; numquam tamen vel ipſe vel alius quiuis id mihi perſuaſerit, niſi idem mihi ad extrema Hiſpaniæ littora Aeæam inſulam ſiue Circæum, & inde vnius diei nauigatione Cimmeriorum regionem commonſtret. Quid quòd & ipſe Strabo fatetur figmenta poëtica eſſe tum quæ de Iaſonis, tum quæ de Vlyſſis nauigatione ſcribuntur? quibus de rebus prolixam admodum habet diſputationem; quam cui legere placebit, is ipſum adeat auctorem in varias ſeſe formas mutantem, vt Homerum ab omni ignorantiæ crimine depurget. Nobis tanti non eſt poëtæ auctoritas, vt quid ille ſciuerit, quid ignorârit, quid fabuloſè, quid hiſtoricè ſcripſerit, accuratiùs diſquirere velimus. Vno verbo dicam, eum quicquid vſquam vel audiiſſet vel legiſſet, poëmati ſuo ornando accommodaſſe, & quo ea mirabiliora viderentur, omnem ferè nauigationem ad Oceanum retuliſſe. Qua in re eo minùs peccauit, quòd Oceani nomen ad omnem aquæ naturam ſpectet, vt in libro Indoſcythicorum Ariſtotelis & aliorum teſtimonio tradidi, demonſtrans fontem Paradiſi, è quo omnia flumina deriuantur, Oceanum eſſe. Quamobrem mirum non eſt, ſi poëta ſibi permiſerit quoduis mare Oceanum vocare: quandoquidem omnia maria & flumina ex Oceano oriuntur, & in eundem continuò refluunt, vti loco eo cuius modò memini, breuiter illud quidem, ſed ſatis tamen abundè adſtruxi. Nihil itaque refert pelagus ne an oceanum dicat in quo Vlyſſes fingitur erraſſe; cùm totus Vlyſſes, meo quidem iudicio, nihil aliud ſit quàm purum putum figmentum homines in-

Tartarus & Elyſii campi cur in occidente à Poëtis collocētur.

Vlyſſes an extra Herculis columnas nauigârit.

nes inſtruens, prudenti viro omnes vitæ labores atque moleſtias forti animo eſſe tolerandas; quod vt in difficillimis rebus à nobis præſtari poſſit, diuino auxilio opus eſſe, & ea maximè herba quam Moly vocauit, nomine haud dubiè de primo ſermone repetito, quod Hermathena noſtra neceſſariam in animi perturbationibus refrenandis patientiam interpretatur. Huius tamen poëmatis occaſionem è vetere fama de priſco illo Vlyſſe apud Iones iactata accepiſſe mihi videtur, à quo & nomen & ea omnia mutuatus eſt quæ ad Inferos & Elyſium campum pertinent, vt alia interim quamplurima breuitatis cauſſa miſſa faciamus. Virgilius, ſi quis alius mortalium, non in Homero tantùm, ſed in omnibus etiam aliis cùm poëtis tum hiſtoriæ ſcriptoribus diligentiſſimè verſatus, Æneam ſuum, quem ex Achille & Vlyſſe compoſuit, & vtriuſque dotibus cumulauit, ad Inferos demiſit circa Cumas & Baias ad ipſum Auernum; vbi & ego Sibyllę antrum intraui, & eius vidi ſacellum; rem profectò vt Ogygia ferè antiquitate nobilem, ita non indignam admiratione ob longam & altam ſpecum è rupe excauatam, ad cuius intima calidus vapor ſubeuntes non parum moleſtat. Quis non audiuit Cumanæ Sibyllæ nomen, lacum Auernum, paludem Acheruſiam, Phlegræos campos perpetuis fumis & flamis & aqua ſemper bulliente mirabiles? Sunt non procul inde Sirenuſæ inſulæ haud longè remotæ à promontorio quod Capreæ oppoſitum ſinum facit Neapolitanum. Hæc & quamplurima alia indicia ſatis oſtendunt, Vlyſſis errorem ab Homero his locis adſcribi, vt latiùs oſtendit Strabo contra Eratoſthenem poëtæ defendẽs honorem. Hinc Brodæus vir longè doctiſſimus ſuſpicatus eſt, ſi bene lectionis recordor, non vnum Vlyſſem fuiſſe; ſed alium quem Homerus celebrat, & alium qui Vlyſſibonam condidit: quod equidem ita eſſe pro certo habeo, illud etiam addens è priſco illo & vero Vlyſſe ficticium Vlyſſem exſtitiſſe, atque ita poëtam figmentis ſuis ad Troiani excidij ætatem accommodatis, fœdam hiſtoriæ priſcæ calamitatem attuliſſe; adeò vt omnes veri Hodiſ..i res geſtas vel æterna inuoluerit obliuione, vel ad ficticium ſuum erronem traducens in fabularum claſſe collocarit. Liberemus igitur nos inutili quæſtione, & id poſthac teneamus, Homerum Heſperiæ Auſoniæ, in qua Cimmerij, Cimmeri ſiue Gomeri poſteri habitabant, ea affinxiſſe quæ Heſperiæ vlteriori ſiue Hiſpaniæ tribuere debuiſſet; nec interim curemus, ſciueritne an ignorauerit duas eſſe Heſperias, & Heſperum ſiue Hodyſeum in vlteriore ſibi ſedes collocaſſe. Mihi certè veriſimile non fit, eũ quicquam certi de rebus Hiſpanicis nouiſſe. Alioquin enim in Hodyſei ſui figmentis vera hiſtoria & topographia condiendis nec Tagi nec Vlyſſibonæ mentionem neglexiſſet, & Sacrum potius promontorium aut Barbarium aut Lunæ dedicatum ad Solis occaſum & Inferi portas quàm Leucada petram poſuiſſet. Leucas enim in Epiro eſt petra alba inſignis, è qua quotannis quempiam criminis reum in mare deiici auibus alligatum, vt volare videretur, ac nauiculis exceptum extra fines deuehi ſolere, Strabo commemorat; quò fortaſſe reſpexit poëta; eo quòd hæc via quædam ad Inferos ducens videri poſſet. Quid igitur ad Hiſpaniam faciunt vel ea quæ de Cimmeriis, vel ea quæ de Leucade dicuntur? Iam ſi Leucas in Epiro eſt, alia via procorum animæ ad inferos, alia via Vlyſſes deſcendit. De procorum animis ſic canit:

Vlyſſis fabulam Homerus ab Elyſſo mutuatus eſt.

Sibyllæ antrum.

Homerũ nihil certi de rebus Hiſpanicis nouiſſe.

Leucas petra in Epiro.

> Τὰς δ' ἴσαν ὠκεανοῦ τε ῥοὰς καὶ λευκάδα πέτρην,
> Ἠδὲ παρ' ἠελίοιο πύλας καὶ δῆμον ὀνείρων. id eſt,
> *Oceani accedunt fluctus & Leucada rupem,*
> *Et Solis portas, & magnam Somnia gentem.*

Quid hic facias vbi occidentis portam cum Leucade rupe vides coniunctam? Num & hic quiſpiam defendet topographiæ rationem à poëta haberi? qua in re ſeſe Strabo egregie fatigat. Audiamus nunc quam viam Vlyſſes tenuerit:

> Ἡ δ' ἐς πείραθ' ἵκανε βαθυρρόου ὠκεανοῖο,
> Ἔνθα δὲ κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε. id eſt,
> *Nauis ad Oceani fines peruenerat alti,*
> *Qua parte eſt populus, qua parte vrbs Cimmeriorum.*

Quòd ſi concentum in his quæras, neceſſe fuerit vt Leucadem ex Epiro in ſinum Baianum transferas vetuſtam Cimmeriorum ſedem, vt & ipſum Baiarum nomen declarat. Sunt enim Baiæ id reuera quod vocabulum Baien nobis ſignificat, qui Thermas omnes ſic vocamus; quibus nullus magis locus quàm hæc Cimmeriorum ora abundat:

Baianus ſinus vetuſta Cimmeriorũ colonia.

Baien.

quod

quod cùm ita ſit, clarum eſt eos nugas nobis vẽdidiſſe,qui Baium Vlyſſis ſocium fuiſſe prodiderunt. Nos Homeri figmenta ad hiſtoriam variis modis alludere; verùm aut paucis aut nullis omnino rebus reapſe poſſe accommodari ſcimus. Licentiam ille ſibi poëticam ſumſit tam longè ab hiſtorica veritate ſeiunctam, vt ob eam cauſſam Lucanum poëtarum albo eximant, quòd nimius ſit cuſtos veritatis. figmenta igitur quamplurima ſunt ad Paniam vtramque pertinentia, quæ difficile eſſet ad veras referre narrationes; immo ſi verum fateri oportet, vel ſola Arcadica totam myſticam complectuntur Theologiam; quam perſequi aliàs fortaſſe erit opportunum: hoc loco eum modum tenebimus, vt ſpecimen dumtaxat ſymbolorum fabularumque dediſſe videri queamus & obiter attigiſſe, quibus inuolucris primi illi poſt diluuium patres antiquitatem ſuam ſacramque hiſtoriam velarint; & quàm fieri nullo modo poſſit vt Arcadica quiſquam explicet enucleétque, niſi ſermonis eius ſit peritus quo homines ante Lunam geniti

Oenomai nominis notatio.

vtebantur. Prius tamen quàm hinc diſcedamus, Oenomai fabulam placet examinare, propterea quòd huius filia Hippodamia totius artis equeſtris, cuius certamen ad Alpheum agebatur, de nomine ſuo princeps eſſe videatur. Breuiter itaque Oenomaus ex Oet-nom-aut compoſita voce deriuatur; quam duobus modis intelligere poſſis; altero,

Oet.

vt oet idem ſignificet quod ab æterno; altero, vt idem ſit quod vacuum; eo quòd hæc vox ad vtrumque ſit ambigua: & priore quidem via Oenomaus dicetur antiquus ab æterno nomen ſuum habens, qui non alius eſt quàm Deus pater habens filium nomen

Deus quaratione nomen ab æterno habere, & qua nomine carere dici poſſet.

ſuum ab æterno; poſteriore modo Oenomaus hanc habebit interpretationem, vt antiquus nomine vacans ſic vocetur; & hoc quidem pacto nomen non pro filio, ſed pro vocabulo Dei naturam exprimente ponetur, quale non priùs mortales fabricare potͤerunt quàm Deo ſint æquales. Tam enim abſurdum eſt dicere nos Dei infinitatem capere ac nomine complecti poſſe, quàm mentis noſtræ anguſtias diuinæ menti facere æquales. In eundem igitur Antiquum quadrat & nomen ab æterno habere, ſecundum illud, *Nomen eius ab æterno*; & nomine omnino carere. Suum ſibi nomen habet æquale totam potentiæ infinitæ latitudinem explicans, quod eſt æternum æterni patris verbum: Et rurſus nullum nomen habet à mortalibus inditum, quod propriam ipſius naturam deſignet. Nam cuius rei nullam habemus notionem, propterea quòd omnem notionem infinitis interuallis excedat, eius nec nomen fabricari queamus. Poſteriora eius ſolùm videmus, vti ipſemet Moſi reuelauit; quo fit vt ex iis rebus quas ſcimus ab ipſo dependere, ei nomina fingamus: vt dum omnia bona ab ipſo fluere cogitamus, ipſum bonum vocamus, non quaſi bonitatis eius infinitas animo noſtro comprehendatur; ſed quòd bonum cuius intelligentia noſtra capax eſt, ab illo emanet. Quanto autem quæ in captum noſtrum cadunt ſunt ſublimiora, tanto propiùs ad ipſius naturam accedere iudicantur, licet infinitis ſpatiis quæ cogitamus ipſius excellentia ſunt inferiora. Quoniam itaque æterna oblectatio ſuperior eſt quàm æterna contemplatio, propterea quòd hæc ab illa perficiatur, & hæc illius gratia expetatur; dicimus Iouis nomen diuinius eſſe quàm Mercurij, eo quòd illud æternas delicias ſignificet, hoc excellentem perfectamque conſiderationem: quarum hæc ad illam tamquam ad finem ſuum refertur. Spectamus enim & contemplamur vt oblectemur, non delectamur vt conſideremus. De Iouis & Mercurij nomine Gallica mea prolixiùs tractant. Eodem mo-

Ζεὺς, Deus, Θεὸς & Διὸς vocũ etyma.

do, quia Tſeut ipſam nobis denotat dulcedinem ac ſuauitatem, Ζεὺς Iouem Græcis ſignificat. Rabbinus Moſes Ægyptius Hebræos putat nomen Ioua non ex Hebræo ſermone, ſed ex alio quopiam antiquiore deriuari. Latini Deus à D'eu, quo ſignificatur ipſa æternitas, retinuerunt, vnde & Græcis Θεός. Διὸς fit à noſtro Dien/ quod eſt interno motu & partes omnes penetrante augere atque proſperare. Quamuis autem perpetua oblectatio & ipſiſſima ſuauitas & ipſa æternitas ſublimiſſimę res ſint, quia tamen hæ voces notiones noſtras, quibus has comprehendimus, deſignant, longè ſubſiſtunt infra illa quæ Deo per ſe competunt. Hæc itaque crebrò à me aliàs annotata hoc loco repetiui, quòd admirabilis vocis Oenomaus compoſitio meliùs peruideretur; quæ prima ſtatim fronte duo nobis offert in ſpeciem pugnantia. Quid enim videatur ſibi magis aduerſari quàm dicere quempiam nomen habere ab æterno, & eundem nomen-

Oenomaï fabula explicata.

clatura omni carere? Oenomaus ergo filiam habuit Hippodamiam; id eſt, facultatem

Hippodamia.

equos domandi; quam multi quidem ante diluuium ambierunt, ſed nemo præter Arcadem

eadem vnum eſt aſſecutus. Omnes enim à Myrtilo agitatore Oenomai ſunt occiſi qui Hippodamiam ambierunt. Eſt autem Myrtilus dictus, quaſi Mortel, quo ſignificatur excellens occiſor. Quis hic fuit tot hominum interfector? Cataclyſmus nempe, qui omnes vehementi ſuo curſu & Neptuniis equis deiecit & interemit, exceptis Arcade & filiis. Tandem Deus pacificatus Myrtilum in mare Myrtoum deiecit, id eſt, cataclyſmi aquas intra littora compeſcuit. Mort-hot caput ſignificat omnium eorum quæ violentam mortem adferunt; & idcirco aquis conuenit, quarũ impetum nemo mortalium, præter Arcades aliquot, euaſit. Omnes autem Neptuniis Myrtili equis ſuperati ſunt, quòd Hippodamiam ſibi non haberent coniugem: Nam ea cauſſa totum Gigantum genus ante diluuium periit, quòd equos ſuos, id eſt, animos effrenes domare neſcirent. De animo qui Moet dicitur, & Toem quo frenum denotatur per Ichnæam conuerſionem, alibi plura: vbi doceo equos ſymbolum animorum olim fuiſſe. Ex his colligas Oenomaï, Hippodamiæ & Myrtili fabulam nihil ad peculiarem Peloponeſi hiſtoriam pertinere; ſed ea dumtaxat ſignificari Elyſſum vnum etiam ex iis fuiſſe qui Myrtilum effugerit non ipſe quidem in ſe, ſed in auo ſuo & proauo. Accepit ergo Hippodamiam vxorem, id eſt, accepit ab antiquo dierum, qui Oenomaus eſt, artem animi ſui domandi. Scimus in Peloponeſo etiam Mineruam Frenatricem coli ſolere: cuius ſanè explicatus nihil aliud docet quàm prudentiam diuinitùs conceſſam ad impetum animorum lupatis cohibendum adhibendam eſſe, ſi Mineruam propitiam habere cupiamus. Quòd finxerint eum cucurriſſe ad Corinthum vſque, ſignificationem habet vtiliſſimæ monitionis, quæ iubet non antè nobis curſum animi ſiſtendum quàm ad optatam metam peruenerit; quoniam Corinthus à Ceor eint deriuetur, quo optionis finis denotatur. Nullum profectò nomen illi vrbi congruentius dari poſſet; quòd talis eius ſitus eſſe cernatur, vt ne optare quidem poſſis commodiorem ad omnia ea quæ de locorum poſitu ſperari poſſunt conſequenda. Fieri ergo poteſt vt prouerbium illud, *Non cuiuis homini contingit adire Corinthum*, antiquius ſit quàm eſſe credatur ab illis qui cauſſam eius explicarunt. Inſignis enim ſententiæ elegantia in vetuſta nominis ab Arcadibus olim impoſiti etymologia continetur; qua tantundem intelligimus nobis dici, ac ſi audiuiſſemus, non cuiuſuis eſſe hominis ad optatam metam peruenire. Corinthij Corinthum Iouis filium conditorem ſuum ferunt, quibus Pauſanias, quòd teſtibus carere videantur, non accedit. Nobis clarum eſt optionis finem à ſolo Ioue proficiſci, ideóque non malè prolem eius poſſe dici, quam vt nobis lætam benignamque affulgere velit, iterum atque iterum rogamus; & quo conuenienter clariſſimæ vrbis nomini faciam, hoc loco metam huius ponam libelli; & ad Elyſſum reuerſus ab Elyſſonte fluuio in Alpheum ſe exonerante, Olyſſibonam curſum tenebo: quo Minerua Ellotia, ab Elyſo quondam magnis honoribus culta, ad campos Elyſios nos deducere dignetur; cuius nomen ſi interpreteris, Nobile nobilitatis omnis caput, deſignabit, quod nos Eel-hoot diceremus. Quod quæſo nomẽ Elyſus congruentius ſapientiæ præſidi dare potuiſſet, quàm ſi eam omnis nobilitatis & excellentis cogitationis principem vocaſſet? quod Eel-hoot nobis ſic exprimit, nihil vt dici queat ſignificantius & efficacius ad demonſtrandum, è ſola ſapientia omnem exiſtere hominum claritatem, nec quemquam generoſum vocari debere qui Mineruam, diuinam omnia ducendi gubernandique poteſtatem, non habeat rebus ſuis benignam. Græci huius ſignificationis ignari, frigida & inepta, ne dicam portentoſa, ſibi ſomnia fingentes, alij à palude neſcio qua, alij ab hiſtoria nominis cauſſas petiuerunt: ſed vtraque pars iuxtà cæſpitat, per ignorantiæ caliginem in ſalebris laborans, nec vllum inueniens exitum ad probabilem aliquem vocis explicatum. Sequamur ergo deam Elotiam, id eſt, generoſum nobilitatis caput, quo ipſius ductu hæreditario, quem Mineruæ nomen ſignificat, veniamus ad ſupremam illam & nobilem oblectationem, quam Elyſſus nomine ſuo profitetur. Quando nunc clariſſima in Arcadia Elyſſi veſtigia demonſtraui, & eorum cum priſcis Luſitaniæ monumentis conuenientiam, & vtrobique Luſus populi Eponymus vnà cum aliis multis indiciis reperiatur; non video quid vlteriùs queat obſtare quo minùs concludam, nobiliſſimum hunc heroëm à Moſe celebratum primum fuiſſe Hiſpaniæ, ſi non totius, at ſaltem magnæ partis conditorem. Quo fit, vt ſi qua gens de primi regionis in qua nata eſt incolæ claritate poſſit gloriari, nulla hanc

Myrtilus quis fuerit.

Moet, Toem.

Minerua frenatrix in Peloponeſo culta.

Corinthi etymon.

Minerua Ellotia vnde dicta.

ſibi laudem magis debeat arrogare; propterea quòd non ab antiquiſſimo tantùm Nochi pronepote nomen ducat, ſed ab illo etiam qui ab ipſa nobilitate fauſtiſſimo omine fuerit nuncupatus. Verùm ſi mihi credent, cui Eponymi ſui notitiam acceptam ferre debent; non tam de illuſtri ſtemmate gloriolam aucupabuntur, quàm totis viribus annitentur, ne maiorum ſplendorem tenebris, decus ignominia, generoſos animos vilitate, omnia denique præclara virtutum nobiliſſimarum ornamenta turpi vitiorum fœditate conſpurcent.

LIBER V.

Tarſes alter Hiſpaniæ conditor.

EXPLICATIS iis quæ de primo Hiſpaniæ conditore dicenda videbantur, tempus eſt vt ad alterum tranſeat oratio. Hunc Tarſen, ſiue Tarſum mauis, Elyſſi fratrem fuiſſe, ſemel atque iterum indicaui. Inueſtigemus itaque principio qua de cauſſa ab Ione patre ſuo hanc acceperit nomenclaturam. Dixi maximi natu filij Elyſſi nomen à ſummo bonorum ductum fuiſſe, quod nobiliſſima excellentiſſimaq. voluptate definiui. Quoniam autem Ion ſciebat eam ſibi à patre ſortem contigiſſe, vt inſularũ habitator & eſſet & diceretur; videbat ſibi nullam generoſam voluptatẽ ẽ liberis ſuis percepturũ, niſi nauigationibus totos ſeſe dedicarent, quò Nochi & Iapeti & ſuæ etiam ſatisfacerent voluntati. Vt ergo eius rei admonitio perpetua eſſet, ſecundum filium Tar-ſee nuncupauit: cuius vocis ratio triplex reperitur; altera vt Tar idem ſit quod audeo, & Tarſee audax ad mare tranſeundum vocetur: altera, vt Tar idem ſit quod calco; de qua notatione Tar-ſee is diceretur qui mare calcat: tertia, vt Tar non aliud ſit quàm moror, & Tarſee is qui in mari moratur. Triplex enim hæc eſt ipſius Tar notatio, tota dependens à contraria voce Rat, qua celere ac velox denotatur; cuius origo eſt Ra, de natura elementorum vibratam indicans motionem; quæ qualis ſit, vibrata haſta atq. deinde coniecta demonſtrat. Huic Ar aduerſatur, tarditatis habens notationẽ; à quo Art pro terra ponitur; à quo Hebræi ſuum mutuãtur ארץ ſibilo, cuius perinde atq. Allemani amãtes ſunt, adiecto. Prolixus fiam, ſi doceam ex eodem fonte ad Græcos & Latinos non pauca vocabula manaſſe; in quibus ſunt Aro, Arura, Aruum, & alia complura. E noſtro autem hæc ſermone ad alios veniſſe proprius linguæ noſtræ character docet, tum is qui voces primas ad elementa analytica rectæ ſignificationis demonſtratione deducit, vti in Ra patefeci; tum is qui contrario litterarum ordine contrariam vocis adfert notationem, quod in Ra & Ar, Rat & Tar licet videre. Ad has igitur origines confuſa, aliarum linguarum vocabula reducantur neceſſe eſt, ſi primam notationis cauſam rimari velimus. Quid Terra ſignificet norunt Latini, at cur ſignificet ignorant: ſimiliter quis Tardus ſit, non tardè intelligunt; ſed qua de cauſſa ſic dicatur, vel tardiſſimè vel numquam docebunt. Quòd Arar Lugdunum ſecans mira tarditate progrediatur, Cæſar annotauit, ſed cur nomen hoc flumini datum fuiſſet, non agnouit, tametſi cauſſam in manibus haberet. Verùm hæc alibi tractanda. Tar itaque ſignificat pedem in terra figere, quaſi te art, id eſt, ad terram, diceres. Deinde tardare ſiue morari; propterea quòd ipſum Rat conuertat. Quia verò animus fortis & generoſus omnem formidinem ceu pes terram conculcat, vocabulum Tar pro audeo vſurpamus; vnde θαῤῥεῖ Græcorum, & inde propagata vocabula. Tar-ſee igitur fuerit qui mare calcat, & in eo diu moratur, & ad id faciendum animum habet imperterritum. See vocali longa, quam nos duplici figura propter duplex tempus notamus, quoduis mare deſignat. Videmus modò Tarſes bene per Tau, non per Theta ſcribi; & quia Ioſepus annotauit Tau Hebræorum adſpirationem ſemper habere, intelligimus iam olim non ſermonem modò, ſed litterarum etiam pronuntiationem apud Hebræos corruptam fuiſſe. Quis non videt Tau Græcorum è Tau Phœnicum deduci, & idcirco elementorum eundem apud vtramque gentem ſonum fuiſſe, quem vel Hebræi vel Chananæi poſtea corruperunt, Thet pro Tau, & Tau pro Thet perperam efferentes? quod vt obiter notarem Ioſepus coëgit, qui putauit apud Græcos non bene

Tarſis nominis etymon.

Tar. Rat. Ra. Ar.

See.

Hebræorum non ſermo tantùm, ſed & litterarũ pronũtiatio corrupta.

bene citra aſpirationem Tarſos pronunciari : vnde factum eſt vt hunc errorem ſecuti plerique omnes Tharſis cũ adſpiratione ſcribant. Græci è noſtro Tar pro Audeo θαῤῥεῖ fecerunt ; ſed dum è Tar pro Calco ταρσὸς dicitur ad plantam pedis denotandam, Tau ſeruarunt. Sed hæc minutiora quàm vt ſint nobis curanda, lubenter omitterem ; niſi graues etiam viros cernerem id genus annotationes minimè contemſiſſe : quibus ſi licuit peruerſam tueri pronuntiationem, fas nobis ſit ipſam vindicare veritatem. Stephanus olim Terſon dici ſolere ſcribit, atque à τερσανθῆναι, quod ἀναξηρανθῆναι interpretatur, nomē habuiſſe; eo quòd Taurus, cui adiacet, primùm ex aquis emerſerit. Verùm quid ciuitati in plano iacenti cum Tauri verticibus, vt his exſiccatis nomen acceptum ferre debeat, cùm interim ipſa perenni flumine irrigetur? Quòd autem Terſum fortaſſe quiſquam ſcripſerit, noſtra non intereſt : & idem alioqui nobis Tar & Ter ſignificat, atque adeò hoc non minus quàm illud vſurpamus. Verùm nec de nomine, quod Moſes ipſe prodidit; nec de eius ſignificatione, quę nobis eſt clariſſima, dubitamus. Dionyſius Thrax etymologiam ad Bellerophontis caſum retulit, cuius Tarſus illiſus ac fractus nomini dederit cauſſam. Alexander Polyhiſtor Pegaſum hîc cecidiſſe cum Bellerophonte, ac plantam pedis, quæ Tarſos vocatur, ſibi fregiſſe dicit. Tarſus enim inter alia plantam pedis notat, à noſtro Tart, quod eſt calcat. Alij aiunt fructus hîc primùm exſiccari cœpiſſe, atque ita ad vſum reponi. Nos hæc omnia vti friuola & fabuloſa reiicientes, ab ipſo conditore ſecundo Ionis filio nomen ducimus. Græci, in quibus Strabo, Tarſum Argiuorum coloniam eſſe ſcribunt, in eo perinde atque ceteris errantes; quibus aſſerunt ex Peloponeſo in Aſiam primam atque antiquiſſimam gentium commigrationem contigiſſe, cùm nos contrà rem habere demonſtremus. Ex eo tamen quod de Argiuis dicunt in eam adducor opinionem, Argiuos à Tarſo in Peloponeſo fratris regione conditos olim fuiſſe, & quò boni & innoxij vicini eſſent, nomen acce- piſſe, quo eius perpetuò monerentur, ne quid mali contra quempiam committerent. Arg enim idem eſt quod malitioſum & fraudulentum, ceu Ar-goet diceretur; quod eſt bonum remoror & impedio: & inde per apocopen Arg. Hoi verò caueo ſignificat; vnde Arg-hoit idem eſt quod caue ne quid malitioſi vel tu committas, vel alius tibi ſtruat. Argos autem Hippicum dicebant ab equorum præſtantium copia, quos Tarſes fratrem imitatus videtur primus eò intuliſſe. Sed de Argo & eius etymologia latiùs fortaſſe pòſt fuerit diſſerendum, propter variam eius apud Græcos notationem. Eſt & aliud opidum in Bithynia Tarſi nomine, vt Demoſthenes in Bithynicorum altero tradit. Quadratus tertio libro Parthicorum vicum Tarſam commemorat in Euphratis ripa ſitum, quæ loca à Tarſenſibus condita arbitror. Herodotus Cilices omnes à Cilice Phœnice Agenoris filio genus duxiſſe ſcribit. In Hieroglyphicis docui Nochum Agenorem à Phœnicibus vocari, & Iapetum eius filium Cadmum: cuius cùm Ion filius ſit, & Tarſes nepos; dicendum fuiſſet Ciliciam ab Agenoris pronepote conditam fuiſſe, ſi verum quidem eſt, vt eſt veriſſimum, Ciliciam à Tarſe primùm occupatam fuiſſe. Cur autem Tarſes Cilix ſit vocatus, & ab eo tota regio Cilicia; breuiter nunc exponendum videtur. Kil vocali longa, ſiue Kiel diphthongo pronuntiatum, nobis ipſum infimũ nauis fundamentum ſignificat; quod naui hoc ipſum eſt quod homini & ceteris animalibus ſpina dorſi: Hecht autem idem eſt quod connecto atque firmiter coniungo; vnde Kil-hecht is dicitur qui nauium ſpinam coniungit atque firmat; qua in re primarium eſt nauium robur. Nunc vt è Recht noſtro fit Rex Latinorum, & è Merct Merx, & è Fecht Fex; ita è Kilhecht Kilex, reiecta media adſpiratione mollioris compoſitionis gratia: & hinc, e in i mutata, Kilix. Nihil igitur aliud Cilix eſt quàm nauium fabricator, ſiue naupegus. Cedo nunc an non aptiſſimum hoc ſit cognomē ei qui audax maris calcator à patre fuerat nuncupatus? Quàm verò ſui ſimiles habuerit poſteros, omnium hiſtoriographorum teſtificatione conſtat; quos ſi conſulas, cognoſces nullam vllis ſeculis gentem à re nauali magis inſtructã fuiſſe. Tanto enim maris ſtudio tenebantur, vt pòſt honeſto mercatu relicto, piratæ euaſerint omniũ qui vnquã fuerũt nobiliſſimi: quod vt infinitis veterum ſcriptorũ locis declarare poſſim, vno tamen contentus inſigni ero, quem è Plutarcho petam verbis Latinis Xylandri ad hũc modum in vita Pompeij loquente: Prædonum, inquit, maritimorum manus primùm à principio temerario & occulto exorta è Cilicia eruperat: pòſt Mithridati in bello contra Romanos operam na-

Tarſus vrbs vnde nomen acceperit.

Argiuorum conditor & etymon.

Arg.

Hoi.

Argos Hippicum cur dictum.

Tarſus altera in Bithynia.

Tarſa in Euphratis ripa.

Cilicia primùm à Tarſe occupata.

Kil.

Hecht.

Cilix cognomen cur Tarſi tributum.

Cilices piratæ nobiliſſimi.

uando maiora animo facinora agitare cœperat: inde Romanis ciuilibus in bellis ad ipſas vrbis portas inter ſe decertantibus, mare præſidio omni nudatum, occaſionem iis ita vires ſuas augendi potentiæque proferendæ præbuit; vt non iam nauigantes ſolùm infeſtarent; ſed inſulas porrò & vrbes maritimas exſcinderent: Iam & opibus potentes & genere nobiles & prudentia præſtantes ſocios ſe piratarum latrociniis, tamquam rei glorioſæ, adiunxerant. Itaque paſſim naualia erant piratarum, & ſpeculæ maris munitæ, claſſéſque occurrebant non claſſiariorum tantùm fortitudine peritiáue gubernatorum aut velocitate & agilitate nauium ad inſtitutum ſuum præclarè inſtructæ; ſed & inuidioſa in eo apparatu ſuperbia plus quàm terror ipſe moleſtiæ adferebat; quippe aureis malis, purpureis velis, argentóque incluſis remis vtebantur, quaſi luxuriantes & oſtentantes ſeſe maleficiis. Tum omnibus in littoribus fiſtulæ, cantilenæ, crapulæ, principum perſonarum rapinæ, & captiuarum vrbium redemtiones, Romani erant imperij opprobrium. Naues illorum plures quàm mille fuerunt captæ; vrbes ſupra quadringentas, delubra etiam ad id vſque tempus ſacroſancta & intacta exciderunt, Clarium, Didymæum, Samothracium, Proſerpinæ quod eſt Hermione, & Æſculapij apud Epidaurum, Iſthmicum, Tænarium, Neptuni in Calauria, Apollinis vnum Actij, alterum Leucade, Iunonis in Samo, Argis & Lucania; in Olympo etiam peregrina quædam ſacra ritúſque arcanos peregerunt, ex quibus adhuc Mithri ſacrum permanet priùs ab eis demonſtratum: Romanis verò plurimum per libidinem inſultauerunt; ac præterea digreſſi à mari prædationibus eorum itinera infeſtauerunt, marique propinquas villas exciderunt. Duos quoque aliquando prætores rapuerunt, Sextilium & Bellinum; & prætextatoſeos vnà cum miniſtris abduxerunt. Ceperunt & Antonij triumphalis viri filiam rus euntem, eaque magna redemta eſt pecunia. Summæ autem fuit quod referam petulantiæ: Si quis ab ipſis captus Romanum ſeſe eſſe vociferaretur, nomenque ederet; perterritos ſe ſibique metuere ſimulantes femora percutiebant ſua, ſupplicéſque ei facti veniam flagitabant, & qui ita humiliter deprecari eos videret, ſeriò agere putabat: Interim alij calceos ei ſubligabant, alij toga amiciebant, vti ne in poſterum iterum Romanus eſſe ignoraretur: Poſtquam ludibrio hominis tandem ſaturati eſſent, medium in mare ſcalam protendentes abire iam tum ac valere iuſſerunt; & ſi quis deſcendere nollet, vi impulſum merſerunt. Ceterùm ea piratarum claſſis vniuerſum propè mediterraneum mare obtinebat, omnéſque eò mercatores arcebantur. Quapropter annonæ caritate preſſi, maioréſque in poſterum metuentes difficultates Romani, Pompeium ad liberandum piratis mare emittendum cogitauerunt. Hæc Plutarchus, apud quem plurimis locis reperias Cilices de nauigandi peritia celebrari. Quoniam verò piraticam & mercenariam militiam ferè ſemper exercebant, & toti cuiuis lucro quauis ratione quærendo perpetuò inhiabant, mores ipſorum in prouerbium abiuerunt ad crudelitatem & impoſturam denotandam. Dicitur enim, *Cilix haud facilè verum dicit:* tum & *Cilicij imperatores*, & *Cilicij ſermones*, & *Cilicium exitium*, in adagiis habentur. Hinc eleganter Cilicis nomen interpretari queas, Kiel—licht/ id eſt, nauem leuo ſiue exonero; eo quòd aliorum naues mercibus ſpoliarent. Verùm abſit vt de Tarſe primo Cilice ſic cogitemus, quem Ogenia probitate præditum fuiſſe nihil cenſeo ambigendum; tametſi ipſius poſteri paulatim, vt fit, à mercatu & quæſtu honeſto ad turpe & infame lucrum ſint prolapſi. Nec Tarſo ciuitati priſcæ laudis veſtigia multis pòſt ſeculis defuerunt, è quibus facillimè colligas qualia prima fuerint gentis inſtituta. Strabo enim in hac vrbe philoſophiam & omnia vniuerſi diſciplinarum orbis ſtudia ita floruiſſe ſcribit, vt Athenas, Alexandriam, & ſi quæ alia ſunt loca liberalium artium exercitatione nobilitata, longè ſuperauerit. In qua & illud fuit ſingulare & præcipuum, quòd licet in aliis ferè vrbibus litterario ludo celebratis non tam ipſi indigenæ quàm exteri excelluerint; hîc tamen contrà euenerit, vt ipſi ciues euaſerint præſtantiſſimi: inter quos cum alij, tum poſterioribus etiam ætatibus floruerunt Antipater, Archedemus, Neſtor, duo Athenodori; quorum qui Cordylion dictus eſt, cum M. Catone vixit, & ad mortem vſque ſuam apud ipſum permanſit; alter verò Sandonis filius, quem à vico quodam Cananitam vocarunt, Cæſaris præceptor fuit, maximo apud eum habitus in honore: à quo domum reuerſus, patriam à Boëtho malo poëta, & peiore ciue, peſſimè tractatam liberauit. Hi omnes Stoici fuerunt, præter Neſtorem Academi-

Cilicũ in Romanos inſignis cõtumelia.

Tarſi omniũ diſciplinarũ genera floruerunt.

Athenodorus Cananita præceptor Cæſaris.

Neſtor Marcellum Octauiæ filiũ docuit.

cademicum; qui Marcellum Octauiæ ſororis Cæſaris filium docuit: qui deinde poſt Athenodorum ciuitati ſuæ præfuit. Fuit & Plutiades & Diogenes non philoſophus tantùm, ſed Tragœdiæ etiam ſcriptor: Inter Grammaticos Artemidorus & Diodorus nobiliſſimi habentur. Celebratur Dionyſides vti optimus in tragœdiis componendis poëta. Præter hos, infinitos alios fuiſſe Tarſenſes cum alibi, tum maximè Romæ ab eruditione nobiles Strabo teſtatur. Quid quòd Chryſippus etiam Cilix fuit, patre natus Tarſenſi? Iam & Philemon Comicus, & Aratus qui cælum nobis carmine depinxit, Cilices fuerunt. Nec omittendus Athenæus philoſophus, qui Romæ floruit, ruina domus tandem oppreſſus & exſtinctus: cui accedit æqualis ætate Xenarchus, qui Athenis & Romæ docuit, & inter alios Strabonem diſcipulum habuit virum de omni hiſtoria quamoptimè meritum: Hi quamuis Tarſenſes non eſſent, Cilices tamen fuerunt.

D. Paullus Tarſenſis.

Verùm horum omnium ſplendorem D. Paullus gentium lumen longiſſimè vicit, qui Euangelicæ veritatis doctor philoſophos confeſſus eſt illos quidem Dei notitiam ex operibus ipſius ſibi comparaſſe, at quem nouiſſent non vt Deum honoraſſe, & ea de cauſſa nihilo plus ſalutis quàm ſi nihil didiciſſent, animis ſuis attuliſſe. Meritò Tarſes primus gentis conditor & Eponymus hoc ſuo ciue poteſt gloriari; quippe per quem omnes Ionis poſteri cæleſtem philoſophiam acceperunt; nec hi ſoli, ſed omnes etiam pariter Chriſtiani. Diuinitùs profectò contigiſſe mihi videtur, vt Ianigenarum doctor in ea ciuitate naſceretur quam Iani nepos condidiſſet, & de nomine ſuo nuncupaſſet. Quamuis igitur Cilices male de maritimis latrociniis audiuerint, videmus tamen clariſſimas virtutum faces e Tarſo toti orbi affulſiſſe, & inter has vnam quæ ſplendidiſſimo ſuo fulgore omnem idolomaniæ & veteris ignorantiæ caliginem & diſcuſſit, & dum vlli erunt mortales, numquam diſcutere ceſſabit.

Cydnus Tarſi fluuius nomenclaturam vnde acceperit.

Tarſum mediam ſecat Cydnus fluuius frigidiſſimus & rapidiſſimus, hominibus iuxtà ac iumentis ſalutaris; qua de re nomen datum videtur, cùm Cud—nut nihil aliud ſignificet quàm id quod gregibus vtile eſt, vt quiuis noſtratium intelligit. Is in ſtagnum influit nomine Rhegma, in quo naualia quondam fuerunt Tarſenſium.

Rhegma ſtagnũ Tarſenſiũ vnde nomen habeat.

Rec-gemac nobis ſignificat commoditatem cuiuſuis rei apparandæ & perficiendæ, quo fit, vt à nauium compingendarum & interpolandarum commoditate ſtagnum hoc Cydnum recipiens & in mare exonerans vocaretur. Sunt tamen pòſt Sida quoque Pamphyliæ vrbe ad naues fabricandas Cilices vſi; quas tot ſibi comparaiunt, vt Pompeius mille trecentas exuſſerit, præter eas quas P. Seruilius Iſauricus ipſis ademit. Vt autem piraticam exercerét, in cauſſa fuit cùm illud quod Plutarchus expoſuit, tum etiam opportunitas mancipia è Syria capiendi, & ea in Delo Romanis, qui iam ditati exciſa Carthagine & Corintho plurimis vtebantur, vendendi.

Deli mercatus celebritas.

Tanta enim Deli tum temporis emptorum erat frequentia, vt vulgò diceretur: Mercator nauiga, expone, omnia vendita ſunt. Acceſſit his commoditatibus Syriæ regum ignauia, quos Diodorus Tryphon è Coraceſio Ciliciæ caſtello in rupe præcipiti munito miris modis vexabat, donec tandē ab Antiocho Demetrij filio obſeſſus ſibi mortē conſciuit. Materia itē Cilices plurima abundabant, cùm Amanus præter alias arbores magnam quoque cedrorum copiam ferret.

Cilicum potentia.

Tantam eorum olim potentiam fuiſſe Solinus prodidit, vt Lydis, Medis, Armeniis, Pamphyliis, Cappadocibus imperarent, & littora omnia ad Peluſium vſque obtinerent.

Cetis regio à Cetino Tarſis fratre nomen habet.

Tarſes partem regionis fratri ſuo Cetino conceſſit, quæ Cetis inde nominatur. Ab hac diſtinxit Ptolemæus Citidem: Nos ad eundem vtramque regionem referimus conditorem, & diſcrimen in vocali vna non magni facimus, eo quòd in vetuſtis & originis Græcis hominibus ignotæ vocabulis facilis eſſe ſoleat eiuſmodi variatio.

Cetium Cypri regio.

Eſt in Cypro quoque Cetium, quod alij Citium proferunt, alij Cittium, dum Zenonem Stoicorum principem Cittienſem dicunt. Exemplar Strabonis, quo ego vtor, ὀφιλὸν habet. Is qui Ptolemæo in Germania anno quinquageſimo ſecundo poſt milleſimum quingenteſimum excuſo annotationes addidit, ſcribit Straboni hoc Cypri opidū Cetium vocari. Homerus Cetæos populos commemorat Eurypyli, qui Telephi fuit filius, ſocios. Strabo qui nam hi ſint Cetæi à poëta dicti, ſe fatetur ignorare, quamuis in agro Elaitico riuum eſſe dicat qui in alios priùs fluuios, deinde in Caicum incidat. Suſpicatur itaque Eurypylum locis Caico vicinis imperaſſe, & ſub eo magnam Cilicum partem fuiſſe. Cùm ergo per ἦτα apud poëtam ſcribatur, & geographus hinc colligat Cilicum regem fuiſſe, nos hanc

ſcripturam in Cypri quoque opido tenebimus; eo quòd clarè cernamus ad eundem conditorem Cetæos Ciliciæ, & Cetæos Cypri pertinere; Cilices item quoſdam ad Troiam habitaſſe, & illic Thebas condidiſſe; qua de re intelligitur e Cilicia illuc quondam commigraſſe. Liquet itaque Cetim Cetæos primos in continenti Aſia condidiſſe, atque inde in Cyprum oppoſitam inſulam colonos deduxiſſe, in qua Cetium opidum in ea eſt parte quæ Tripolim oppoſitam ſpectat. Ariſtarchus Moſaicæ hiſtoriæ & ipſius veritatis ignarus, Cetæos à Ceto nomen accepiſſe ſcripſit, immanem belluam marinam, quam Græcis ſignificat, hoc nomine intelligẽs; qua in re toto Oceano & mari mediterraneo aberrat. Equidem maiorem in modum gaudeo, & ſingulari voluptate perfruor, dum veterum Græcorum diligentiam videns quamplurima è ſacris litteris addiſco, ad quę ipſi ſcriptorum ſermonis ſui defectu numquam adſpirare potuerunt. Fuerunt qui, dum non viderent quam gentem Cetæorum nomine accipere oporteret, apud Homerum χήτεσι legerent, quaſi carentes dicerent. Quid multis? alij aliud ſomniarũt. Equidem nihil dubito quin Cetæi genus referant ad Moſaicum Cetim Ionis filium Elyſſi fratrem. Ac non hoc tantùm è diuino noſtro hiſtoriographo apertum fit, quínam ſint Cetæi è Cilicia ad Pergamenum agrum profecti, cuius nauale Elæa erat, vnde ſinui Elæatico nomen; ſed hoc etiam explicari poteſt, qui fuerint Alyzones à poëta commemorati, & à nemine hactenus ſatis cogniti. Quis enim non videat Elæam & Elidem eiuſdem conditoris nomen referre; atque inde è cognatione colligi, Tarſes Cetimi & Eli poſteros non in Cilicia tantùm ad Amanum, ſed in Cilicia etiam Troiana ſiue Elæatica ad Caici ripas vicinos permiſtosq́ inter ſe habitaſſe? Quò autem id magis credas, Ptolemæum conſulas; qui te docebit in Cypro quoque non procul à Cetio non obſcuram fuiſſe ciuitatem nomine Elæam, quam extremam vocauit; quòd in vltima Cypri parte è regione Laodiceæ iaceret. Sicut igitur ad Caicum Elæatici & Cetæi, ita & in Cypro Cetæi & Elæatici vicini reperiuntur. Nec defuit in Cypro Elyſſi poſteritas, cum clarum filij ipſius in flumine Lyco extet monumentum. De Cilicibus autem Troianis Homerus loquitur:

Cilicia Troiana. *Elæa ad Caicum.* *Elæa Cypri.*

Ηʼετίων ὃς ἔναιεν ὑποπλάκῳ ὑλήεσσῃ,
Θήβῃ ὑποπλακίῃ, κιλίκεσσ' ἄνδρεσσιν ἀνάσσων.
Eetion ſiluis habitabat Hypoplacon hirtam,
Rector Hypoplaciæ Thebæ Cilicumq́ virorum.

Thebe ab Achille euerſa. Hæc Thebe in agro fuit Adramynteno, quã Achilles euertit, vt alibi narrat Homerus,

Λύρνεσσον διαπορθήσας καὶ τείχεα Θήβης.
Lyrneſſum euertens, euertens mœnia Thebes.

Cùm Telephus & eius filius Eurypylus circa Caicum imperârit, & in illis locis Cetæos Eurypyli ſocios Homerus celebrarit, & alibi Cilices in eadem ora poſuerit; dicemus vel eoſdem Cetæos & Cilices eſſe, vti Cetæi partem faciunt Ciliciæ ad Amanum, vel Cetæos & Cilices cognatos ad Caicum olim colonias deduxiſſe. Ex his modò de Alyzonibus hanc facio coniecturam, vt rear eos ab Elyſſo & genus & nomen duxiſſe. Nec mirari debemus ſi per Alpha Homerus primam ſyllabam ſcripſerit, quando & ipſe Moſes Aleph in principio eius ponat. Dixi Eel-luſt nobilem voluptatem denotare; quod ſi in Al-luſt mutes, idem dixeris ac ſi dicas, Quicquid eſt, voluptas eſt; cùm Al idem nobis ſit quod omne. Sed quid his immoror minutiis? Si ex Elyſſus Vlyſſes & Olyſſes fieri viderimus, quid miri ſi apud Poëtã Alyzon inueniatur, loco duplicis Sigma collocato Zeta? Habitarunt autem Alyzones in monte Olyza, cui nomen etiam eſt ab Olyſſe. Cùm igitur hic ſit in Galatia, præter alios amnes Hallyn emittens & Parthenium flumina notiſſima, bene poëta procul eos aduenìſſe dixit. Alyba verò ex Alba factum eſt; quod nomen opido in monte ſito conuenit, eo quòd Alben montes nobis dicantur. Id cernas in Alba non procul à Roma, in Alba Hiſpaniæ, in Albania regione, de qua antea. Crediderim itaque in Olyſſa quoque monte Albam fuiſſe quam Vlyſſis filij habitarint, Alyſſones ea de cauſſa vocati, ceu Eel-luſt-ſonen dicerentur. Mirum eſt quàm veteres ſeſe in Alyzonibus & Alyba torſerint; quorum controuerſiam qui volet videre, Strabonem adeat. Nos Moſaicam veritatem cum Homero conferentes, non videmur procul ab Alyzonibus aberraſſe, nominum ductu veluti Mercuriali manu vſi. At mons Olyſſas à Ptolemæo nominatus, à Strabone vocatur Olgaſys, quem dicit altiſſimum & aditu difficilli-

Alyzones qui & vnde genus nomẽq́ ducant. *Al.* *Alyba.* *Olgaſys mõs.*

difficillimum. Eius partem vocat Sandaracurgium, aiens montem propter metallo- *Sandaracurgium.*
rum effoſſionem totum concauum eſſe. Alij Gigantem vocarunt, quia nimirum ma-
nus ſuas longiſſimè extendat, quod Gigantis nomine ſignari in Gigantomachia tradidi. *Gigas mons.*
Plurima in eo Paphlagonum fana viſebantur, vt olim in excelſis ferè immolare conſue-
uerunt. Hîc itaque Alybam ſiue Albam olim fuiſſe credo ab Elyſſi filiis ſiue nepotibus
habitatam, & toti monti nomen datum Olyſſæ. Et hæc quidem propter Cetæorum
& Alyzonum & Cilicum cognationem. Sed quia Theben à Cilicibus conditam ha-
bitatamque fuiſſe poëta indicauit, dicamus obiter quid voce hac, aliquot diuerſarum
regionum opidis communi, denotetur. Thebarum enim in Ægypto, Thebarum in
Græcia, huius item Thebes vetuſtas ſatis declarat, vocabulum eſſe de priſco ſermone
interpretandum; quod in aliis vrbibus plurium numero, in Elæatica ſingulari effertur
ab Homero. Nulla res eſt tam exigua aggredienda, vt non opus ſit Deum omnium re- *Thebe vocis*
rum caput inuocare; quod ſi verum eſt, quanto magis in vrbibus condendis & conſe- *etymon.*
crandis? Non mirum igitur ſi cui placuerit vrbem eo nomine vocare, quo quiuis mo-
neretur Altiſſimum caput orari oportere. Het—het—be nobis ſignificat ipſum caput ora,
quod contrahimus conſueto nobis more in Thebe/ reiecto Tau è medio; vt ex Het-mel
facimus Hemel/ ex Het-lem Hellem; quorum prius cælum ſignificat, quia caput ſummum *Hemel.*
reuelet; poſterius galeam, quòd ea caput celet ac defendat. Quoniam autem clariſſima *Hellem.*
hæc nobis eſt ſignificatio, & nomen Thebes antiquiſſimum; facilè cernis quo is ſer-
mone in ſacris vſus ſit qui Theben indigitauit. Quid? an non Troia ipſa noſtras habet *Troiæ nomē-*
vocabulum? Trui enim, vnde Troia, ſuem ſignificat, vt alibi declaraui; quòd animal *clatura.*
immolabatur ad impetrandam omnium rerum fecunditatem, quæ eſt in hoc animali
ſingularis. Troiæ autem arx Pergamus dicebatur, quo nomine & opidum ad Caicum
fuit nuncupatum. Euſtathius teſtis eſt ipſam arcem Troiæ ſic nominari, tametſi non
rarò pars pro toto ponatur. Illud mireris quòd dicat, quāuis arcem in edito loco poſitā
Pergamum poſſe nominari. Mihi ſanè mirum videtur vnde id didicerit, cùm huius di- *Pergami nominis ratio.*
cti veritas è ſolo noſtro ſermone queat declarari. Berg ſiue Perg apud nos idem eſt quod *Bergen.*
abſcondo & tueor; quod quia loca alta maximè præſtant, Bergo pro monte ponitur,
& hinc Berghem domus eſt in monte collocata: vnde Pergamus arx Troiæ dicta, quòd
loco edito ſita eſſet. Hinc & Pergæ Pamphyliæ opidum in monte ſitum, & Bergomum
in Italia, & Pergamum ad Caicum, quod & ipſum arcem in edito monte ſitam habe-
bat, qui in acutum apicem teſte Strabone deſinebat. Nobis ſiluæ etiam Bergen vocan-
tur, eo quòd & his homines ſeſe aduerſus hoſtium inſultus tueantur. Hinc Berghem
apud Antuerpiam. Iam & tutas nauium ſtationes Bergen nominamus, vnde opida qua-
tuor non procul ab Antuerpia Berghen dicuntur quibuſdam vocis diſtincta appendici-
bus. Quamuis verò hæc crebriùs à me dicta ſint, non putaui tamen nobis ab Elæatico
agro diſcedendum eſſe; niſi Pergami etymologia Thebes olim vicinæ, nomen noſtrati
deberi ſermoni veriſimile reddidiſſet, ac ſimul confirmaſſet primum arcis Troianæ
conditorem, quiſquis fuerit, noſtrati lingua vſum eſſe: vnde liquere poteſt, omnes Ia-
peti poſteros, qui Babylonicæ quidem turri ſtruendæ non interfuerunt, purum putum
noſtratem ſermonē habuiſſe; atque idcirco eum vlteriùs ad ipſum Adamum pertinere.
Porrò quia occaſione Tarſis Cetini feci mentionē, non abs re fuerit huius quoque no- *Cetini nota-*
men declarare. Cogor toties monere vt ferè pudeat, noſtratibus familiare eſſe vt voca- *tio.*
bula concidant, vti ex Elyſſo Eel/ vnde Elis, & Lus/ vnde Luſus, fieri dixi. Eodem mo-
do è Caiethem Cethem per ſyncopen fecerunt: Caiethem verò nihil aliud ſignificat,
quàm ſi Latinè dicas Muniens ſiue ſecludens amœnum caput, in ea loquendi conſue-
tudine qua caput vocamus quamuis terræ oram nauibus appellendis, onerandis & exo-
nerandis accommodatam; quam noſtram phraſim Hiſpani & Itali à Gotis, qui noſtra
lingua vtebantur, retinuerunt, Capo promontorium vocantes. Caiet/ ſiue ſcriptura *Capo.*
caſtigata Gaiet/ amœnum caput ſignificat, vt aliàs declaraui; Caiethem igitur, vnde
Ceteim ſiue Cetim apud Moſem, is dicitur, qui amœnas terræ oras in altū mare pro-
tenſas munit. Vides itaque nomine hoc admonitionem qua Iōn filios ſuos docebat non
ſatis eſſe maria audacter tranſire, niſi & capita quædam muniantur, vt & naues & mer-
ces in tuta queant eſſe ſtatione & cuſtodia. Integritas huius nominis belle ſeruata eſt
in Caieta Italiæ, qua vix vllum amœnius promontorium cernas; adeò vt aptiſſimè in *Caieta.*

ipſum quadret nomen. An verò Ceteimus Caietam an Cimmerij condiderint, parum curo; quando quidem video multis locis Iapeti poſteros permiſtos habitaſſe, vt ex iis quæ modò dixi quiuis perſpicit: ac cæteroqui ipſe loci ſitus nomen hoc meretur, à quocumque tandem impoſitum ſit. Sed ſatis modò diu de Ceteimo verba feci, redeat Tarſes primus Cilicum conditor, quem ſiue Tarſen ſiue Tarſum nomines, ſúſque déque fero, modò vera nominis ratio de ſermone noſtro petatur; in quo Tar-ſees quidem audacem & diuturnum maris ſignificat calcatorem: Cilit verò nauium compactorem. Quia igitur naues priùs compingendæ quàm mare calcandum, Ciliciam totam vocauit regionem, Tarſi nomen vni ſoli dedit ciuitati. Ciliciæ autem in Syriam exitus Iſſus vocatur à noſtro vitſi/ quod ſignificat egredior. Si enim, ſiue Ti/ idem eſt quod eo: vnde Tit vocabulum circulare pro tempore ſemper eunte habemus. Vit autem per diphthongum eam quæ eſt in Harpuia pronuntiatum, idem eſt quod Extra: Hinc Vitalus cum diphthongo eadem hominem ſignificat externæ linguæ, vnde pòſt Italus dictum eſt. Oenotriam enim ſiue Auſoniam Italiam vocarunt Cimmerij, cùm viderent eam externa lingua, ſiue alia ab ea qua Ianus vſus fuiſſet, vtentem. Vitſi igitur, & more Allemanico ſiue Sueuico Viſſi/ idem eſt quod egreſſus. Vnde diphthongo in I commutata fit Iſſi, & inde Iſſus. Hinc apud Francos Romaniſantes dicitur *Iſſue* pro exitu, & *l'huis* porta, & inde *Huiſſier* portarius. Hoc annotare placuit, tum vt nobiliſſimo ſinui & ciuitati ad exitum Ciliciæ collocatæ nominis ratio conſtaret, tum vt veteris linguæ veſtigia cernerentur; qua, vt olim Cilices, ita pòſt Franci in Germania vſi fuerunt.

Iſſus Ciliciæ in Syriã exitus vnde nomẽ acceperit.
Si.
Ti.
Tit.
Vit.
Italiæ etymõ.
Iſſue.
L'huis.
Huiſſier.

Quæcumque enim vocabula hodiernus Gallorum ſermo à Latinis non accepit, ea retinet e priſca vel Gallorum vel Francorum lingua; quę qualis fuerit, in Gallicis & Francicis meis oſtendi. Iſſica ora nobiliſſima facta eſt ab inſigni Alexandri Magni contra Perſas victoria; nec minùs apud eruditos totus ille Amani & Tauri tractus celebratur de Ciceronis præfectura, qui ſe iactat à militibus ibi Imperatorem fuiſſe celebratum. Amani nomẽ in Arcadiis fortaſſis explicabo, loco nimirum opportuniore. Nunc è Cilicia oram ſoluamus, vt ſecundis ventis in Hiſpaniam nauigemus. An Tarſes & Elyſſus ſimul in Hiſpaniam appulerint, vti antè dixi, an verò poſt fratrem, non magni refert nouiſſe: equidem in veteri perſto ſententia, eo quòd non videam cur non potius ſimul quàm ſeparati dicantur profecti fuiſſe. Credo enim Nochum illis imperaſſe vt coniunctis viribus & nauibus littora circumirent, ſecundum eam rationem quam Homerus attigit, σύν τε δύ' ἐρχομένω, quò videlicet alter alteri, ſi qua in re opus eſſet, ſuppetias ferret, quia variæ nauigantibus occurrunt neceſſitates. Elyſſus ergo fratri ſuo minori locum aſſignauit optimum, commodiſſimum, omniumque rerum humanis vſibus neceſſariarũ copiam largo cornu effuſurum ad ipſum fretum maris mediterranei, quo Africa ab Europa in occidentali plaga ſeparatur. Totam enim regionem quæ mari interno & Oceano & Bæti flumini adiacet, Tarſes de nomine ſuo Tarteſſum nuncupauit, adiecto articulo noſtrati in medio, quo nomen à Tarſo Ciliciæ diſtingueretur.

Tarſes quæ loca in Hiſpania tenuerit.

Tarteſſus regio & vrbs in Hiſpania.

Nihilo tamen minùs ab Aſiaticis & Syris Tarſes nominabatur, tum quia articuli vſum ignorabant, tum quia Tarſes vocabulum à Tarſo vicina notius vſitatiúſque haberent. Et fieri poteſt vt tota regio primùm Tarſes fuerit nuncupata, & inde opidum Tarteſſus articulo ad diſtinctionem adiecto; quod mihi quidem magis arridet, tametſi Græci id ignorarint. Nam in ſacris litteris, vt mox latiùs docebo, totam regionem regnum Tarſis nominari videmus. Græci Tarteſſum tum flumen ipſum Bætim nuncupatum, tum vrbem Tarteſſum vocarunt. Sic Steſichorus, quem Strabo teſtem laudat, de armento Geryonis cecinit:

Διότι γεννηθείη σχεδὸν ἀντιπέρας κλεινᾶς ἐρυθίας,
Ταρτησσοῦ ποταμοῦ παρὰ πηγὰς ἀπειρέσιας
Ἀργυρορίζους
ἐν κευθμώνων πέτραις.

Quoniam genitum ſit è regione non procul iacentis illuſtris Erythiæ, iuxta fontes infinitos Tarteſſi fluminis, qui argenteas radices habent in antrorum rupibus. Opidum inter duo Bætis oſtia quondam habitatum, & ei Tarteſſi fuiſſe nomen Strabo aſſerit: Eratoſthenes regionem Calpæ vicinam Tarteſſiam vocari ſcribit, & Erythiam iuxtà eſſe inſulam eximiæ felicitatis. Geographus credit Tartarum à Tarteſſo nomen habere,

Tarteſſia.

habere, quod nos minimè ipſi aſſentimur, vti de vtriuſq. vocis interpretatione iam iam liquebit. 𝔗𝔞𝔯-𝔰𝔢𝔢𝔰 & 𝔗𝔞𝔯𝔱𝔢𝔰𝔰𝔢𝔢𝔰 idem nobis ſignificat; illud quidem calcatorem maris, hoc calcatoré ipſius maris notat, adiecto articulo noſtrati 𝔗𝔢𝔰. quod diſcrimé quantulũ ſit, quamq. parũ faciat ad ſignificationis & cõpoſitionis diuerſitaté, cuiuis fuerit manifeſtũ, ſi vocabulũ Græcum faciat eiuſdẽ notationis. 𝔗𝔞𝔯𝔰𝔢𝔢𝔰 enim θαλασσοπατητικὸς erit; *Tartari notatio.* 𝔗𝔞𝔯-𝔱𝔢𝔰𝔰𝔢𝔢𝔰 verò πατῶν τὴν θάλασσαν. Porrò Tartarũ locus inferorũ dicitur ea de cauſſa, quòd circa terræ infima eſſe dicatur, quàm longiſſimè diſſitus ab omni motione. Cùm enim terra ſimpliciter 𝔄𝔯𝔱 vocetur, eo quòd tarditate ſua in medio deuinciatur, rectè *Art.* infernus, qui terræ medium occupat, eo dicetur nomine quod geminæ tarditatis habet notationem. Cùm igitur 𝔗𝔞𝔯 ipſi 𝔖𝔱𝔞𝔱; quod eſt celere, contrarium ſit, vti dixi; *Tar. ſtat.* 𝔗𝔞𝔯𝔱𝔞𝔯 bis fuerit contrarium, & Latinè Tardum tardum redderetur. Verùm nobis copioſa geminæ tarditatis ratio eſt; vna, quòd infernus, vti dixi, in tardiſſimo elemento tardiſſimus ſit, vti centro immobili proximus; altera, quòd mors omnia conculcet; tertia, quòd eos quos mors conculcauit, perpetuò in inferno demoretur; quartò, infernus ſolos tardos & iam mortuos conculcet, à cuius calcibus ſolus Chriſtus poteſt liberare, nos vnà ſecum, excuſſa omni tarditate peccatorum, in cælos attollens, & Patri ſuo ſiſtens. Tarditas ergo omnis nobis fugienda: & quia terra tarditatem colligat, terrena *Terra quòd tarditatem colligat, terrena omnia ſunt relinquenda.* omnia relinquenda, ne nos ad vitam æternam euntes demoretur. *Primus homo*, inquit Tarſenſis noſter, *de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis.* Relicto igitur terreno homine, vt tardo; cæleſti homini, qui eſt Chriſtus, nos vniamus neceſſe eſt, ſi à Tartaro liberari velimus, vt toto corde velle debemus. Serpens homini inuidens, calcaneo ipſius inſidiatur; id eſt ipſius terræ quæ Ates inuidiæ veluti agger quidam obiicitur. Pars enim hominis terræ, tarditatis matri, proxima tarditatem mentis noſtræ cacodæmoni expoſitam denotat, quæ fecit vt Eua Deo non credens lethali draconis veneno periret, ac Tartaro ipſi obligaretur; in quo perpetuò manſiſſet, niſi ſecundus homo, qui cæleſtis eſt, eam morte ſua redemiſſet. Sic iniquitas calcanei dicitur peccatum, quia omne peccatum ex parte hominis terrena naſcitur, vti ex D. Paulli Tarſenſis comparatione clarum. Eodem modo Virgilius omnem vitæ motionem cælo tribuit, & contrà terræ adſcribit omnem tarditatem, dum ſic canit:

Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq; hebetant artus, moribundaq; membra:
Hinc metuunt cupiúntque, dolent gaudéntque, nec auras
Reſpiciunt, clauſæ tenebris & carcere cæco.

Tarditatis ergo huius terrenæ, è qua Chauæ incredulitas & diffidentia nata eſt, & om- *Calcaneus terrenæ tarditatis ſymbolum.* nis cæcitas à Virgilio depicta, ſymbolum calcaneus eſt, tum quia terræ proximus, tum quia eſt pars pedis poſtica; & idcirco ab oculis, quibus videmus, auerſa. Græci Tarſi nomine plantam intelligunt, quæ & ipſa terrenæ tarditati proxima, & ideò à 𝔗𝔞𝔯𝔱 nomen, *Tarſos planta.* vti modò dixi, adepta. Videmus itaque quàm elegans ſit ſacrarum litterarum locutio, dum Deus ſerpenti dicit, *Tu inſidiaberis calcaneo eius*; vtpote qua tantum conditur myſteriorum. Tarditas ergo noſtra nos ad Tartarum detrahit, haud ſecùs ac calcaneus terram petit. Eodem Chriſtus reſpexit dum dixit, *O ſtulti & tardi corde ad credendum!* Vide nunc quàm Tartarum inſignem habeat nobis ſignificationé, eodem modo compoſitum vocabulum quo nomen Arar ad amnem tardiſſimum denotandum; cuius fruſtra ex alia lingua ratio quæratur. Quo ſi Tartarum velimus effugere, tarditatem *Tarditas fugienda.* omnem excutiamus; & verum Mercurium tam nobis propitium reddamus, vt talaria calcaneis noſtris adfigat, quibus ſublati à terra & Tartaro eius meditullio, in cęlum euolemus. Ex his manifeſtum fit, Tartarum non à Tarteſſo, ſed ex eodem tamen fonte duxiſſe nomen; licet alia de cauſſa, atq. ea quam Strabo ſuſpicatur. Gratias tamen illi habeant lectores, quòd mihi vocis huius interpretãdæ & eximij ſymboli explicandi dederit occaſionem, & Deum orent, ne ad Tartarũ noſtra tarditate deprimamur. Quòd *Tartarus cur circa terræ centrũ eſſe dicatur.* autem Tartarum circa terræ centrum eſſe dicam, & ideò nihil vel profundius eo vel tardius inueniri, id ſatis indicauit Homerus poëta hyperbole rem augens:

Ἤ μιν ἑλὼν ῥίψω ἐς τάρταρον ἠερόεντα,
Τῆλε μάλ' ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον,

Ἔνθα

Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός,
Τόσσον ἔνερθ' ἀΐδου, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης. id eſt,

Aut ipſum arreptum dimittam ad Tartarum atrum,
Hinc procul eſt vbi ſub terra decliue barathrum,
AEre pauimentum ſtratum eſt, eſt ferrea porta,
Inferno inferius quantum terra eſt ab Olympo.

Virgilius ſic eſt imitatus:

——Tum Tartarus ipſe
Bis patet in præceps tantum, tenditq́ ſub vmbras
Quantus ad ætherium cæli ſuſpectus Olympum.

His mox ſuccinit:

Hic genus antiquum terræ Titania proles.

Vbi rurſus indicauit, terrę filios terrenis perturbationibus ſemper depreſſos ac tardatos propriam eſſe Tartari poſſeſſionem; quod addo, vt Tartari & Terræ cognatio tum in rebus ipſis, tum nominibus magis magiſque intelligatur. Suſpicor ſanè poëtam Mantuanum ſubodoratum fuiſſe, Terræ naturam bis in Tartaro exprimi, & nihil aliud eſſe quàm Terræ terram, id eſt, vt terra in toto vniuerſo infimum eſt, ita Tartarum infimū eſt ipſius terræ, cuius nomen à Tar etiam noſtrati deriuatur. Quàm autem procliuis ſit ipſius a & e permutatio, in βερέθρῳ & barathro videbis. Porrò quòd Tartarum ad occidentalem Oceanum ponant poëtæ, credidit Strabo à Tarteſſo Tartari nomen manaſſe. Dum de Elyſſo agerem, cauſſam huius rei indicaui. Quoniam enim morientibus nobis Sol æternum nobis occidat, & mox à morte ad vmbrarū ſedes ablegemur; rationi conſonum eſt vt in occidenti & Tartarum & Elyſius campus ponatur, & reliqua omnia quæ poſt vltimum nobis Solis occaſum accidere dicuntur. Socrates cicutam iam iam bibiturus Tartarum prolixè deſcripſit, in tres ſedes omnem mortuorum regionem partitus; Purgationis locum, Beatorū ſedes feliciſſimas, & Tartarum: verùm hæc parū faciunt ad noſtrum inſtitutū. Fortunatæ inſulæ, à priſcis magis decantatæ poëtis quàm aut cognitæ aut deſcriptæ, beatorum inſulæ habitæ olim fuerunt; quas Pindarus μακάρων νάσους vocauit. è quo ſequitur & Tartarū circa hanc mundi plagam introitum in poëtarum fabulis habuiſſe. Siue autem Tartarus ſiue Tartarum, ſiue Tartara efferas, nihil refert; cùm terminatio nihil faciat ad etymologiam. Redeo à Tartaro ad Tarteſſum. Quoniam Tarſus & Tarteſſus eiuſdem ſunt & originis & ſignificationis, & Tarſum conſtet à Tarſe conditam eſſę, dicemus Tarteſſum ab eodem & principium culturæ, & nomen accepiſſe. Celebratur apud veteres Arganthonius Tarteſſiorum rex, cuius liberalitate & pecunia Phocenſes muros vrbi ſuæ ſtruxerunt, firmos illos quidem aduerſus omnem arietum vim, at nihil tamen profuturos aduerſus Harpagum Medorum ducem, qui Ionum vrbes expugnauit, aggere exterius mœnibus æquato. Arganthonium Herodotus ſcribit centum viginti annis vixiſſe, octoginta regnaſſe. Anacreon ſe dicit nec Amaltheæ cornu optare, neq. centum quinquaginta annis Tarteſſi regnum tenere. Meminit eiuſdem Lucianus, eos enumerans quorum longa ætas digna viſa eſt admiratione. Pomponius Mela in ſinu Calpes Carteiam collocat, quam quidam putarent Tarteſſon fuiſſe; è quo & Strabone collatis coniecto duas olim vrbes Tarteſſi nomine dictas fuiſſe, & illam quam Bætis duo oſtia complecterentur, & alteram eo loco vbi nunc eſt Tariſa. Sed nos cum Eratoſthene totam regionem Bæticam Tarteſſiam dicemus: nec mirum eſt & opido cuipiam & toti regioni idem nomē dari, cùm id noſtra quoque ætate videamus euenire cum alibi, tum in Iuliaco & Geldria: quorum nominum vtrumque commune eſt & regioni & ciuitati. Stephanus eius Tarteſſi quæ ad fretum erat, non meminit; verùm alterius dumtaxat, quæ inter Bætis oſtia iacens, ab antiquo fluminis nomine Tarteſſus diceretur. Apud Polybium Tarſeion opidum legimus, & inde Tarſeitas populum. Stephanus Tarſeium ad Herculis columnas ponit, & ciues eius ætate ſua Tarſenos vocatos dicit: vnde coniicio Tarſeion dici cœpiſſe ad diſcrimen Tarteſſi eius quam Strabo & Stephanus ad Bætim collocarunt. Videmus ergo in Tarſeio & Tarſeitis ſiue Tarſenis clariſsimum Tarſei monumentum; atque adeò propiùs ad veram nominis Tar-ſee rationem accedens quàm Tarſus. Non video itaque cur non debeam conſtantiſsimè aſſeuerare; regnum Tarſis in ſacris litteris non

Tartarus cur ad occidentalem Oceanum à poëtis collocetur.

Mortuorum regionis diſtributio.

Arganthonius Tarteſſiorum rex.

Carteia.

Tarteſſi nomine duæ olim vrbes appellatæ.

Tarſeion.

Regnū Tarſis in ſacris lit-

non aliud eſſe quàm Tarteſſiam regionem ſiue Bæticam. Quanta huius quondam fuerit felicitas, latiſſimè Strabo declarat. Opidorum, inquit, ingens numerus: Nam ducenta eſſe prædicant, quorum illa celeberrima ſunt quæ ad amnes ædificata ſunt, aut alioquin ad æſtuaria & mare, propter rerum commoditatem. Enumeratis deinde aliquot vrbibus ac Bætis nauigatione, amœnitate camporum adiacentium, diligentiſſima agrorum cultura, eleganti arborum per ordines diſpoſitione deſcripta; ſubdit Geographus: Dorſa montium æqualibus inter ſe ſpatiis diſtantia ad flumen pertinent, alibi magis alibi minùs ad Boream vergentia, plena metallorum. Plurima autem argenti vis eſt in Ilipæ finibus, & circa Siſaponem tum antiquum tum nouum vocatum. Ad Cotinas nominatas æs ſimul & aurum generatur. Et hi quidem montes ad ſiniſtram ſunt ſurſum nauigantibus; ad dextram verò immenſa camporum planities bene alta & fructuoſa, magnis arboribus conſita, nec minùs paſcuis abundans. Superiores adiacent montes metallorum fodinis celebres, qui Tagum verſus deſcendunt. Loca autem metallica aſpera & tenuia ſint oportet, qualia ſunt Carpetaniæ, multóque magis Celtiberis finitima. Talis item Bæturia eſt, campos ſiccos habens ad Anam pertinentes. At Turdetania admirabili felicitate gaudet; ac cùm omnium rerum ferax ſit, tum maximam copiam profert ſingulorum. Duplicatur autem hæc felicitas exportandi commoditate: Quod enim in fructibus vltra neceſſarios vſus supereſt, id nauigantium frequentia facillimè diſtrahitur. Poſt hæc Geographus æſtuariorum & nauigationis facilitatem exponit, cui mox ſubiungit: Exportatur, inquit, è Turditania vinum, magna vis tritici, oleum; atque id non plurimum modò, ſed etiam optimum. Ad hæc cera, mel, pix: Iam & coccus, & minium non inferius terra Sinopica. Nauigia ibidem fiunt è materia ex eiſdem locis cæſa. Sunt ipſis & foſſiles ſales, & non pauci ſalſarum aquarum riui. Magna etiam ſalſamentorum copia ad obſoniorum vſum paratur, nō ſolùm ad interius mare; ſed & in maritimis etiam locis extra Herculis columnas ſitis, quæ Ponticis nihilo ſunt deteriora. Solet & plurimus inde pannus portari, at nunc lanæ magis Coraxorum, quarum pulcritudo omnem ſuperat fidem. Vnde fit, vt admiſſarij arietes talento veneant. Telarum item incredibilis tenuitas, quas Saltietæ conficiunt. Armentorum & gregum ingens abundantia, & magna copia omnis generis venationum: Beſtiarum noxiarum raritas, exceptis lepuſculis terram fodientibus, quos quidam leberides dicunt (agit de cuniculis.) Corrumpunt enim plantas & ſemina radices elitando, quod malum per totam ferè Iberiam & inde ad Maſſiliam vſque graſſatur. Quid quòd & ipſas etiam inſulas turbat? Qui enim Gymneſias incolunt, dicuntur quondam legatos Romam miſiſſe terras ſibi petitum; eo quòd à cuniculis, quorum multitudini reſiſtere nequirent, expellerentur. Ad tantum certè bellum tanto opus eſſe remedio nonnumquam accidit: verùm id non ſemper euenit; ſed ſimile quiddam habet peſtilenti aëris conſtitutioni, quemadmodum & ſerpentum & murium agreſtium multitudo. Quò autem intra modum eorum frequentia cohibeatur, complures repertæ ſunt venandi rationes, & inter alias, feras muſtelas, quas Libya educat, capiſtris alligatas in foramina ſeu cuniculos immittunt. Hæ quas capiunt, vnguibus extrahunt; quas non capiunt, prodire cogunt, quibus capiendis venatores inſtant. Porrò quanta rerum è Turditania copia exportetur, nauigiorum & magnitudo & numerus maximus declarat. Ingentes enim Holcades illinc Dicæarchiam & Oſtiam, vbi Romanorum nauale eſt, appellunt; adeò vt multitudine cum Africanis certent. His Strabo piſcium diuerſorum copiam adiungit, quibus enumerandis ſuperſedebo. Deinde pergit ad metalla. Cùm verò, inquit, prædicta regio tantum bonorum ſuppeditet, tum magis admirerís metallorum fodinas. Eorum enim Hiſpania tota plena eſt, non tota autem fructibus producendis felix, qui illic deſiderantur vbi metallis abundat. Rarum eſt enim generis vtriuſque copiam habere; rarum item eandem regionem paruo loco omnis generis abundare metallis. At Turdetania & ei contigua regio nullam omnino ſinit eos qui laudare velint, deſiderare rationē. Nam neq. aurum, neq. argentū, neq. æs, neque ferrū vſquā terrarū aut tanta copia aut tanta bonitate gigni hactenus deprehenſum eſt. Adde, quòd amnes & torrētes aureas arenas deuoluant, quę quidē & in aridis locis ſunt; ſed in illis non apparent: In locis autē aqua ablutis ſplendore ſe produnt aurea ramēta. Arida itē loca aquis illatis diluētes, faciūt vt ramēta ſplendeant, quū ad rē tū puteos fodiunt,

[Margin notes:]
...teris quod fuerit.
Bæticæ regionis felicitas.
Ilipa.
Siſapo.
Cotinæ.
Bæturia.
Turdetaniæ felicitas.
Cuniculorum in Turdetania copia & venatio.
Metallicarū fodinarum in Hiſpania frequentia.
Auri feraciſſima eſt Hiſpania.

diunt, tum alias artes excogitant; quo lotione aurum excipiant: adeò vt nunc plura ſint Chryſoplyſia, id eſt, auri lauacra, quàm aurifodinæ. Hæc & alia his ſimilia Strabo; quibus addit, in mediis etiam lapidibus auri glebas papillarum inſtar, aliquando etiam ſemilibram appendentes, inueniri. Æris præterea quaſdam fodinas Aureas vocari, vnde coniectari queat aurum prius ex iis erui ſolere. Aduocat deinde Poſidonium ad partes Hiſpanicarum opum laudandarũ, cuius orationem ait copiâ & verborum luxuriâ cum ipſa metallorum vbertate certare; atq. adeò in ea efferenda non aliter ſe habere, quàm ſi diuino quopiam furore raperetur: inter cetera itaque fabulæ fidem habere qua fertur, ſiluas olim incenſas effeciſſe, vt aurum & argentũ è terra ebulliret, propterea quòd omnes tumuli & omnes montes nihil aliud ſint quàm quidam numorũ acerui, ab ipſa felicitatis copia congeſti; ita vt qui videat loca, dicat theſauros naturæ ſempiternos, aut imperatoriæ cuiuſdam maieſtatis ærarium numquam exhauriendum. Illic itaque ſub terra, non Aden, id eſt, caliginis & tenebrarum principem, ſed Plutonem, id eſt, diuitiarum Deum habitare. Hæc & alia id genus Poſidonius ſcripſit, cuius omnia ſigillatim verba recitare non opus eſt. Diodorus Siculus fabulam, cuius Poſidonius meminit, latius refert. Hic montes Pyrenæos non illos modò vocat qui Galliam ab Hiſpania cõtinua catena ſeparant; ſed & eos qui ab his propagati, tribus millibus, vt inquit, ſtadiorum interiùs per regionem Celtiberorum porriguntur. Horum ſiluas à paſtoribus accenſas olim fuiſſe, & regiones ambuſtas, & inde montibus nomen datum, quorum igne ad multos dies ardente argenti riuos profluxiſſe, quod incolis ignotum Phœnices vili rerum aliarum permutatione ſibi comparaſſe, atque inde maximas opes contraxiſſe. Sed ſatius fuerit totum hunc locum è Diodoro transſcribere, eo quòd Poſidonij paraphraſtem agere videatur: qua in re Poggij Florentini contenti erimus interpretatione. Adeò autem mercatores quæſtus excitauit cupiditas, vt cùm onuſtis nauibus ſuperaret argentum, amoto ab ancoris plumbo, argentum eius loco ſubderent. Hoc lucro Phœnices admodum opulenti facti, plures colonias tum in Siciliam propinquasque inſulas, tum in Libyam Sardiniamque ac Iberiam deſtinârunt. Multis pòſt ſæculis cognito argento, Iberi metallis quærendis operam dedère; magnaque optimi argenti copia reperta, ingens ex ea vectigal prodiit. Cùm æs, aurum, argentumque ſint metalla præcipua; qui in reperiendo ære dant operam, quartam eius quod effodiunt portionem capiunt. Eorum qui in argento effodiendo occupantur, quidam tribus diebus Euboicum percipiunt talentum. Terra enim omnis argento referta eſt: vt mirabilis ſit & eius patriæ natura, & operariorum continuus labor. Nam qui primùm his metallis reperiendis incumbebant, magnas contrahebant diuitias. In promptu enim eſt argentum, terra abundè illud præſtante. Poſtea cùm Romani Iberiam ſubegiſſent, Italici, qui lucri cupiditate id ſibi opus ſumſere, maximè ex eo ditati ſunt. Emptam enim ſeruorum copiam ad effodienda metalla deputant; qui variis locis metallorum venas ſcrutati, ac alte lateque terra effoſſa, plurimum auri argentique eruunt, variis multorum ſtadiorum cuniculis ſub terram actis. Multo facilior quæſtuoſiorque hæc cura quàm metallorum quæ apud Atticos reperiuntur: ibi enim multas effodiendo impenſas ſubeunt, ſæpius opinione fruſtrati; cùm aut non inueniant quod quærunt, aut inuentum ita parui ſit, vt ſuperetur à ſumptu. Apud Hiſpaniam qui metallis incumbunt reperiendis, ampliora ſpe percipiunt. Bonitate quippe ſoli glebas ſemper auro argentoque fertiles inueniunt, vtpote omni terra metallis plena. Subter terram reperiuntur nonnumquam flumina decurrentia quorum curſus ſpe quæſtus vi magna recidunt; aut, quod mirabilius videtur, cochleis quas dicunt Ægyptiacas diuertunt, ab Archimede cùm in Ægyptum profectus eſt adinuentis: eiuſmodi inſtrumentis loca vbi metalla effodiuntur, eiecta ſuperius aqua, ſumma arte diligentiaque ſiccant. Mirabitur profectò quis Archimedis ingenium, non ſolùm in his, ſed in ceteris quoque maioribus rebus, quas multis in orbis partibus egregias fabricatus eſt: de quibus ſcribetur diligentius, cùm ad eius tempora veniemus. Serui qui ad hæc metalla deputati ſunt, incredibilem quæſtũ afferunt dominis. Verùm cùm diu noctuque in labore perſeuerent, multi ex nimio labore moriuntur; cùm nulla eis ab opere detur requies, aut laboris intermiſſio: ſed verberibus ad continuum opus coacti, rarò diutius viuunt. Robuſtiori quidam corpore & animi vigore plurimũ temporis in ea verſantur calamitate, quibus tamen ob miſeriæ magnitu-

Phœnices auro Hiſpanico ditati.

Romani Hiſpania ſubacta & ſeruos ad aurum effodiendum miſerunt.

magnitudinem mors eſt vita optabilior. Cùm plurima in hoc metallorum munere ſint admiratione digna, nequaquam tamen quis admiretur, cur nullus recens horum reperiendorum auctor extiterit. Verùm argenti ſtudio à Carthaginienſibus, quo tempore Iberiam tenuere, ea metalla adinuenta ſunt. Hæc fuit cauſſa vt eorum poſtmodum excreſcerent vires: Pretio enim optimis militum conductis plura geſſerunt aduerſus hoſtes bella. Neque domeſtico neque ſociorum milite vſi, Romanos Siculóſque ac Libyos in maxima deduxerunt pericula, cùm omnes diuitiis ob auri argentique cōpiam ſuperarent. Perſpicaces ſane, vt videtur, priſcis temporibus extitere ad quæſtum Phœnices: Itali nullis aliis ceſſere. Oritur & ſtannum in pluribus Iberiæ locis, non caſu repertum, vt quidam ſcriptores vulgarunt, ſed effoſſum conflatumque, quemadmodum argentum atque aurum tradunt. Nam ſupra Luſitaniam plurimum ſtannum effoditur in inſulis oceani Iberiæ proximis, quæ à ſtanno Caſſiterides denominantur. Plurimum tamen à Britannia inſula ad appoſitam Galliam affertur: Deinde per loca mediterranea Celtici mercatores equis per Maſſiliotas ad Narbonam vrbem, Romanorum coloniam, optimum earum partium tum opportunitate tum commoditate adeuntium emporium, perducunt. Hæc Diodorus: in quibus dum Poggius negat ſtannum caſu inueniri, vertere debuiſſet; in terræ ſuperficie. Polybius maximas argentifodinas circa nouam Carthaginem commemorat, operarum in iis quatuor myriades, & Romanis diurnum inde lucrum viginti quinque millia drachmarum fuiſſe aſſerens. Addit idem omnem metalli purgandi rationem; quam, quia ad diuitiarum vbertatem non facit, omitto. Illud ex eo annotandum: non procul à Caſtaone, vbi plumbi maxima copia, admixta etiam argenti quadam portione, mons eſt è quo Bætis effluit, quem ἀργυροῦν vocant, id eſt, argenteum. Strabo hiſtoriæ ſcriptores citat, qui ſcribant tantas fuiſſe Iberorum opes, vt quo tempore à Barca Carthaginienſiū duce deuicti ſunt, præſepibus & doliis argenteis vterentur. Non male igitur dixit ille, quiſquis fuerit, apud Stephanum, *ταρτήσιον ὄλβιον ἄςυ*, id eſt, Tarteſſus vrbs felix. Ex his modò clarum cuiuis fuerit, Bæticam olim Phœnicibus & Carthaginienſibus plus emolumenti attuliſſe, quàm totus nouus in Oceano Atlantico orbis hactenùs præſtiterit Hiſpanis. Nunc miſſis ſcriptoribus externis, audiamus quid ſacri libri de Tarſis dicant. Tertij Regum cap. x. & Paralipomenon ſecundi capite nono, hæc de Salomonis diuitiis inter alia legimus: Erat autem pondus auri quod afferebatur Salomoni per ſingulos annos, ſexcenta ſexaginta ſex talenta auri; excepta ea ſumma quam legati diuerſarum gentium & negotiatores afferre conſueuerant, omneſque reges Arabiæ, & Satrapæ terrarum, qui comportabant aurum & argentum Salomoni. Deinde, expoſitis haſtis & ſcutis aureis & ſolio aureo, adduntur hæc: Omnia quoque vaſa conuiuij Regis erant aurea, & vaſa domus ſaltus Libani ex auro puriſſimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur. Siquidem naues Regis ibant in Tharſis cum ſeruis Hiram ſemel in annis tribus, & deferebant inde aurum & argentum & ebur & ſimias & pauos. Et hæc quidem verbis Paralipomenon: Liber enim Regum exprimit claſſem Salomonis & claſſem Hiram iunctas iuiſſe; vt nimirum vtrique Regi ſua fuerit claſſis. Quòd autem naues Tarſis fuerint maximæ, & ſuperbiſſimè inſtructæ, ex Ieſaia diſcas: vbi inter alia, quibus diem Domini potētiorem facit, maximis & altiſſimis quibuſque, naues etiam Tarſis commemorat; quas & Dauid in Odis multo antea, vti excelſas & ſuperbas, celebrauit. In Ieremia itidem legimus: Argentum inuolutum de Tarſis affertur. Hic argentum in longas maſſas extenſum intellige, cùm רקע idem ſit quod, extendit, à noſtro Gerec/ litterarum tranſpoſitione factum. Verùm longè clariùs Ezechiel viceſimo ſeptimo capite declarat, Tarteſſios eoſdē eſſe cum Tarſis. Tarſes enim, inquit, negotiatores tui à multitudine cunctarum diuitiarum, argento, ferro, ſtanno, plumboq. repleuerūt nundinas tuas. Latina editio habet, Carthaginienſes; ſed male. Ieſaias Tyri excidium prædicens, Vlulate, inquit, naues Tarſis; quia perierunt, & vltrà non venient de terra Citiorum. Ducta captiua eſt. Et paulo pòſt: Ite in Tarſis: Vlulate qui habitatis in inſula hac. Latina biblia habent pro Tarſis, priore quidem loco, maris; poſteriore, Carthaginem. Vtrobiq. profectò Tarſis erat vertendum. Neque enim Tarſis mare ſignificat, neq. ad Carthaginem vrbem, à Phœnicibus conditam, refertur, ſed ad ipſiſſimam Tarteſſum, vbi maximæ naues compingebantur, quas probabile eſt

Stannum in Hiſpania naſcitur.

Mons argenteus.

Tarſis regnū Salomoni aurum & argentum mittebat.

Tarſis nauiū celebritas.

Tarteſſij iidē cum Tarſis.

illic vnà cum mercibus & ab aliis & à Tyriis maximè comparari ſolere: & idcirco dici, Vlulate naues Tarſis, id eſt, naues factæ in Tarteſſiaca regione, & ex ea in Phœniciam traductæ; quoniam actum eſt de Tyriis, qui vos emebant, adornabant, & omni mercis genere implebant. Rurſus ergo dicit per Ironiam: Tranſite nunc in Tarſis, ſiue Tarteſſiacum regnum; & reportate, vt ſoletis, aurum, argentum, & alias eius regionis merces; cuius generis ad Salomonem & Hiram olim apportari ſolere Paralipomena teſtantur. Quod autem dicit, Vltrà non venient de terra Citiorum, id hanc habet rationem, quòd è Tarſis venientes ad Italiam, etiam in qua Caieta nobile erat emporium, & Cyprum, quæ Ceteim olim dicta fuit, vt ex opido eiuſdem nominis declaratur, appellerent. Verùm locus hic obſcurus eſt apud Hebræos, & ab aliis aliter redditur. Nos de terra Cetiorum dumtaxat agimus, cetera interpretibus relinquentes. Græcus textus poſteriore loco pro Tarſis, mare poſuit: quod D. Hieronymo & pleriſque aliis non diſplicet; eo quòd exiſtiment Tarſis ſimpliciter pro mari poni. qua quidem in re tantum eſt veritatis, quantum inter, mare calco; &, mare, cognationis eſt. Certè naues omnes Tarſers dici noſtro ſermone poſſent, eo quòd maria calcent: verùm hæc ratio nulla eſt apud Hebræos, quibus nec Tar calco, nec See mare deſignat. Videntur tamen ij qui primi huius opinionis auctores fuerunt, aliquid à quopiam linguæ noſtræ perito audiuiſſe, vel nuda ſuſpicione è nauibus ad mare veniſſe. In Ezechielis item alio loco negotiatores Tarſis cõmemorantur, tamquam celeberrimi totius orbis. quod cùm ita ſit, quis dubitet Tarteſſiacos hos fuiſſe? ſi illa modò quæ ex Poſidonio, Herodoto, Polybio, Strabone, aliis adduximus, cum illis quæ in ſacris litteris leguntur, diligenter conferat; & eam, quam oſtendi, gentium conſideret migrationem. Verùm enimuero illud, quod Paralipomena dicunt, tertio quoque anno naues è Tarſis veniſſe, magnam adfert huic aſſertioni dubitationem. Neque enim tantum eſt è Syria ad Gades interuallum, vt tres annos requirat. Hic locus accuratiùs excutiendus eſt, eo quòd nec parui momenti ea ratio ſit ad hanc noſtram opinionem vel labefactandam vel penitus euellendam, & plurimum inde lucis antiquis nauigationibus ſit affulſurũ. Primùm itaque id animaduertas oportet, hanc obiectionem æquè contra illos facere qui nomine Tarſis Carthaginienſes & vicinos Africæ populos intelligunt, atq. contra me; qui Tarteſſios & Tarſeos facio eoſdem: immo tanto magis contra illos facere, quanto Tarteſſus quàm Carthago longiùs ab Ioppe & reliqua Syria remota eſt. quod latiùs declarare apud eos qui geographiæ non ſunt prorſus imperiti, ſuperuacanei perditique laboris eſſet. Quod verò iter tenendum eſſet, ac de quo littore ſoluendum iis qui ad Tarſis nauigare vellent, Ionæ nobis fuga demonſtrat; qui Ioppe nauem adſcendit. Cum huius ergo vatis hiſtoria ea conferamus quæ viceſimo Paralipomenon capite his verbis leguntur: Poſt hæc iniit amicitias Ioſaphat rex Iuda cum Ochozia rege Iſraël, cuius opera fuerunt impiiſſima, & particeps fuit, vt faceret naues quæ irent in Tharſis: feceruntque claſſem in Aſiongaber. Prophetauit autem Eliezer filius Dodaa de Mareſa, ad Ioſaphat dicens: Quia habuiſti fœdus cum Ochozia, percuſſit Dominus opera tua, contritæque ſunt naues, nec potuerunt ire in Tarſis. Addatur & alter locus è capite octauo: Tunc abiit Salomon in Aſiongaber & in Hailath, ad oram maris rubri, quæ eſt in terra Edom. Miſit ergo Hiram per manus ſeruorum ſuorum naues & nautas gnaros maris; & abierunt cum ſeruis Salomonis in Ophir, tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad regem Salomonem. Quia verò hæc ſumta ſunt è tertio libro Regum, audiamus & ea quæ illic leguntur verba: Claſſem quoque fecit Rex Salomon in Aſiongaber, quæ eſt iuxta Hailam in littore maris rubri in terra Idumææ, miſitque Hiram in claſſe illa ſeruos ſuos viros nauticos & gnaros maris cum ſeruis Salomonis; Qui cùm veniſſent in Ophir, ſumtum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad Regem Salomonem. Hæc è ſacris libris adducta ingentem nobis pariunt difficultatem: quam ſi cura diligentiaque mea ſuſtulero; fore confido, vt viri diuinæ ſcripturæ ſtudioſi fateantur ſe non parũ laboribus meis debere, vtpote quibus à magna caligine ſint liberandi. Quærendũ in primis quis locus vocetur Aſiongaber, in quo claſſem Salomon ad nauigationem in Ophir, & Ioſaphat ad nauigationem in Tarſis inſtruxit. Audire mihi videor obmurmurantes: Quid? an non apertiſſimis verbis ora maris rubri & terra Edõ exprimitur? Quorſum igitur ablegaſti men-

Aſiongaber locus quis ſit.

tem

tem cogitationeſque tuas, vt hic nobis fluctus in ſimpulo excites? Equidem nec in ſimpulo fluctibus agor, nec leui de cauſſa turbor: Quid enim hoc monſtri eſt, Ioſaphat in Aſiongaber claſſem parare, vt eam in Tarſis mittat; ſi Tarſis Carthago ſit, vti hactenus plerique omnes crediderunt? Num è mari rubro Carthaginem petes? Egregium profectò nauigationis compendium! Dices fortaſſe è mari Erythræo totam Africam poſſe circumiri, & ſic tandem Carthaginem veniri. Nolo huic opinioni refellẽdæ inſtare; cùm nemo non videat eſſe abſurdiſſimam, & ab omni recta ratione alienam: & ſunt alioqui mihi rationes in promptu, quibus docebo, longiſſimè terrarum eos aberrare, qui Aſiongaber ad mare rubrum collocarunt. Quòd ſi vel Straboni, vel Ptolemæo, vel cuiuis alij geographo legendo operam dediſſent ij qui nobis hunc errorem obtruſerunt, facillimè tantum ſibi eruditionis comparaſſent, vt ſcirent Idumæam non ad mare Erythræum, ſed ad mare mediterraneum iacere, & inter eam & Erythræum mare arenoſam & vaſtiſſimam eſſe ſolitudinem. Verùm quia in ſacris voluminibus & opinionibus iam olim receptis magna religione verſari debemus, & nihil prorſus mouere quod vel vllo modo queat excuſari ac tolerari citra luculẽtam aliquam & grauem iacturam ſacroſanctæ veritatis; videor mihi cogi ad panopliam quandam induendam. At hanc non aliam video in antiquitatibus in priſcum ſuum decus aſſerendis, atque ab errorum paſſim apud omnes graſſantium ſeruitute ac tyrannide vindicandis, quàm veterum primæ claſſis ſcriptorum conſenſionem. Neminem eorum noui qui ante Ptolemæum fuerunt à docta terrarum deſcriptione nobiles, qui plurium auctorum in hoc argumenti genere cum laude verſatorum monumenta nobis & teſtimonia reliquerit quàm Strabo; qui propter excellentiam qua ceteris præuertit, frequenter apud Græcos poëtarum interpretes non expreſſo nomine, Geographus vocatur. Hunc igitur audiamus, & ne bis audire cogamur, audiamus Latinè loquentem. Iudææ, inquit, extrema occaſum verſus Caſio proxima Idumæi & lacus occupant. Idumæi quidem Nabatæi ſunt, à quibus per ſeditionem dilapſi commigrarunt ad Iudæos, à quibus in legum admiſſi ſunt communionem. Quis verò hic lacus ſit quem extremũ Iudææ facit Geographus, è veſtigio declarat, dicens quòd Serbonis lacus ad mare ſitus ſit; & illud quidem mare è cuius portu ad Iopen Hieroſolyma videri poſſint. Quod vt clarius adhuc intelligas, addit hanc eſſe oram Iudææ ſeptentrionalem. Ptolemæus item Serbonidem paludem circa Caſium montem in mare mediterraneum in eodem littore in quo eſt Iope, effundi ſcribit. Talis ergo ſitus eſt Idumes, vt inter Ægyptum, Petræam Arabiam, & Iudæam, & mare mediterraneum ſuis finibus claudatur. Ex parte Petrææ Arabiæ montes accipit, qui Melanes, id eſt, Nigri apud Ptolemæum vocantur: quorum extrema ad montanam Idumen pars Hor vocatur; quæ vox per Cametz ſcribitur, ad diſcrimen Hor per Holem; quo mons in genere vocatur, tametſi hæc ratio nec ab omnibus, nec perpetuò ſeruetur: Equidem hunc montem per excellentiæ figuram ſic dici exiſtimo. Accepit autem hæc regio nomen ab Edom, quod cognomen datum eſt Eſau; quòd primogenium ſuum ius fratri vendidiſſet pro obſonio quodam rubro, cùm famelicus & laſſus ex agro veniſſet: quod cognomen ceteroquin & ob id merebatur, quòd rufus ac totus villoſus natus eſſet, quod & ſacra Biblia & Ioſepus teſtatur; & is quidem libro contra Appionem Grammaticum altero docet, Idumæam Iudææ limitem eſſe circa Gazam ciuitatem, quam nemo neſcit mari mediterraneo adiacere, qui modò aut Ptolemæum, aut quemuis alium geographũ vel eminus à limite ſalutarit. Cùm igitur Idumææ ſitus notus modò ſit, videamus vbi Aſiongaber ſit conſtituendũ. Scimus ex iis quæ citata modò ſunt, Aſiongaber in terra Edom eſſe: quo fit, vt non poſſit ad mare rubrum collocari, niſi Idumæam euſque etiam extendas. Verùm vt ſunt hominum ingenia ad ſua propugnanda plus æquo frequenter obſtinata, vereor ne qui ſic ſentiunt, Geographis omnibus malint oppedere, quàm fateri ſe hactenus erraſſe. Dicent, ni fallor, tam longè extenſam Idumæam olim fuiſſe, vt ad Erythræum vſque mare & longè vlteriùs pateret, licet Græcis id fuerit ignotum; apud quos Aſiongaber nuſquam inuenitur. Faciendum igitur ne hoc perfugio veritatis arx prodatur. Non nego Aſiongaber apud Græcos ignotum eſſe, illud quidem ſub hac nomenclatura opidum; verùm id docebo minimè ignotum fuiſſe, ſi vocem Aſion pro eo ac decet interpreteris. Quamobrem ſatis mirari non poſſum, qua vel ſupina negligentia, vel craſſa Geographiæ

Strabo. *Idumæi qui ſint.* *Serbonis lacus.* *Idumes ſitus.* *Melanes mõtes Arabiæ.* *Hor.* *Edom regio.* *Aſiongaber in terra Edõ.*

ignorantia factum ſit; vt Ioſepus, vir alioqui patriæ antiquitatis & ſtudioſiſſimus & doctiſſimus, hoc loco tam turpiter ceſpitarit. Nam & is Aſiongaber ad mare Erythræum collocauit: quod ſi detur, fœda labes ſacris libris adſpergatur neceſſe eſt; & adeò ductu partim huius, partim interpretum tum Græcorũ tum Latinorum iam olim aſperſa eſt; &, quod peius eſt, ſic inoleta, vt nemo ſuſpicatus ſit, hac parte quicquam vitij factum eſſe. Vt enim omnes, quotquot hactenus contigit videre, ſcriptores longiſſimè aberrarunt in primis gentium & ante & poſt diluuium ſedibus aſſignãdis, nec quiſquam fuit qui Moſem veriſſima de illis ſcribentem bene ſit aut aſſecutus aut interpretatus; ita & in Aſiongaber & iis quæ inde conſequuntur, nec paucis ſanè nec contemnendis ad vnũ omnes (ſit venia veritati) ſacram hiſtoriam corruperunt. Nos igitur & hanc maculam Mercurio noſtro præeunte diluemus: non quòd huic noſtræ curæ vel magnas gratias vel gloriam relatum iri ſperemus ab iis quos hîc erraſſe ſcimus, quorum odium potiùs & inuidiam timemus; ſed quo ceteris poſthac caueamus, ne in eundem lapidem impingant, omnémque Atheis hominibus, qui vtinam eſſent pauciores, adimamus occaſionem ſacras litteras calumniandi. Audiamus ergo Strabonem; eumque, vt optimum ducem & itinerum omnium peritiſſimum, in hoc labyrintho non aliter ſequamur, atque Theſeus ille fabuloſus filum Ariadnæum. Quia verò error maximus fuit quo omnes hactenus ſeducti fuerunt, paullo altius rem totam repetemus, & à Tyro ad Ægyptum vſque Iudææ littora legemus. *Tyri ſitus & vicinæ regionis ex Strabone deſcriptio.* Tyrus, inquit, tota inſula eſt, ac ferè eodem modo habitata, quo Aradus; continenti tamen aggere coniungitur, quem Alexander in vrbis obſidione congeſſit. Interiectis deinde aliquot narrationibus; Diſtat, inquit, Tyrus à Sidone non pluribus quàm ducentis ſtadiis: inter eas eſt opidulum Auium vrbs vocata. *Tyrus antiqua.* Pòſt: apud Tyrum fluuius exit Triginta poſt Tyrum ſtadiis Palætyrus, ſiue antiqua Tyrus. *Ptolemais ſiue Acam.* Hinc Ptolemais magna vrbs eſt, quam Acam prius vocabant: cuius portu Perſæ quondam vtebantur in Ægyptũ nauigaturi. Inter hanc & Tyrum littus eſt aggeroſum, quod vitrariam arenam fert. Exſpatiatur hîc Strabo ad vitri fundẽdi artificium, & alias quaſdam narrationes nihil ad noſtrum propoſitũ facientes: vnde reuerſus, Poſt Acam, inquit, eſt Stratonis turris cum portu. *Stratonis turris.* Inter Acam & Stratonis turrim Carmelus mons eſt, & alia opidula nihil commemoratu dignum habentia præter nomina; Sycomororum, Bubulcorum, Crocodilorum, & alia eiuſmodi. Deinde magna ſilua eſt poſt hanc Iope; *Iope.* iuxta quam ora ab Ægypto maritima notabili diſcrimine ad Arctum flectitur, priùs ad ortum extenſa. In hac fabulãtur quidam Andromedam ceto fuiſſe expoſitam. Nam locus ſatis editus eſt, adeò vt ex eo dicant Hieroſolyma videri Iudæorum metropolim. Quin etiam Iudæi portu hoc vtuntur ad mare deſcendentes, qui nihil aliud eſt quàm latronum receptaculum. Eorum & ſilua fuit & Carmelus. Atqui locus hic tantam habuit hominum copiam, vt ex Iamnæa proximo pago & circumuicinis vicis quadraginta millia armarẽtur. *Caſium. Peluſium. Gadaris. Azotus. Aſcalon.* Hinc ad Caſium, quod ad Peluſium vergit, paullo plus minùs mille ſtadia: & inde ad ipſum Peluſium alia trecenta. Inter Caſium & Peluſium Gadaris eſt, quam Iudæi ſibi vindicarunt. Hinc Azotus & Aſcalon à Iamnæa ſtadiis ducentis remotæ. Aſcalonitarum ager Cepis commendatur, at opidum exiguum eſt. Hinc Antiochus philoſophus fuit. paullo ante nos Gadaris nobilitata eſt Philodemo Epicureo, & Meleagro, & Menippo ſcurra cognomento, & Theodoro oratore, qui ætate noſtra viguit. *Gazæorum portus.* Poſt Gazæorum ſequitur portus; & paullo ſuperiùs ipſa vrbs, quæ olim illuſtris fuit: at pòſt ab Alexandro diruta, manſit deſerta. Ex hoc loco tranſitus eſſe dicitur ad Aëlam vrbem, ad ſinus Arabici receſſum ſitam mille ducentorum ſexaginta ſtadiorum. *Arabicus ſinus.* Duplex autem eſt ſinus Arabici receſſus; alter Arabiam & Gazam verſus, quem Analitycum appellant, nomine ab vrbe, quæ in eo eſt, ducto; alter Ægyptum verſus ad Heroum vrbem, in quem breuiſſimum iter eſt ex Peluſio, at iter deſertum eſt & arenoſum, camelis faciendũ. Quin & ſerpentum in eo copia. *Raphia. Rhinocolura.* Poſt Gazam eſt Raphia, in qua Ptolemæus quartus cum Antiocho conflixit. Inde ſunt Rhinocolura, ab iis habitatoribus quibus nares præciſæ fuerant, nominata. Nam Æthiopum quidam Ægyptum inuadens maleficos non morte, ſed naſi inciſione multauit, vt pudore fœdi aſpectus deterriti à ſceleribus abſtinerent; quos hoc loco collocauit. Quæ Gazam ſequitur regio, tota ſterilis eſt & arenoſa, multoq; magis ea quæ Sirbonidem lacum habet ſecundum mare extenſum, paruo & anguſto ſpatio in medio relicto ad ipſum vſque

Ecregma

Ecregma vocatum, quod eruptionem dicas; licet longitudo eius ducenta ſtadia, latitudo quinquaginta expleat. Ipſum Ecregma aggere occluſum eſt. Talis & contigua regio *Ecregma.*
eſt ad Caſium vſque; & inde Peluſium pertinens. Caſium tumulus quidam eſt, è littorali arena coaceruatus promontorij inſtar, aquis carens, in quo Pompeij Magni corpus *Caſium.* *Pompeij ſepulcrum.*
iacet, & Iouis Caſij templum eſt. Non procul inde Magnus Ægyptiorum inſidiis atque fraude iugulatus fuit. Inde via eſt quæ Peluſium ducit, in qua ſunt Gerra, & ea *Gerra.*
quæ Chabriæ caſtra nominantur, & barathrum Peluſio proximum, Nili exundantis *Chabriæ caſtra.*
illuuie factum, quòd ea loca concaua ſint atque paludoſa. Hæc Strabo, qui Iudæam & Idumæam Phœniciæ nomine complectitur. Ptolemæus caſtra Chabriæ Betogabri nominauit; quo in auctore dolendum eſt latitudinis & longitudinis numeros maiorem in modum eſſe vitiatos. Hoc interim ad propoſitum nobis negotium ſatis fuerit, quòd vterq. Geographus agnouerit Gabriæ in Idumæorum finibus monumentum; & id quidem ad ſinum Peluſiacum, minimè verò ad mare Erythræum. His cognitis, videamus quid ſignificet Aſiongaber. Iraſcor ferè Hebræis, cùm peruerſam ipſorum audio pronuntiationem. Libri ſacri hoc nomen in principio ſcribunt per litteram quam eodem nomine vocant, quo oculus denotatur; quam nos docuimus non per A, ſed per Gh efferri debere: vt in Gaza & Gomorrha effertur; licet adſpiratio, per quam hæc littera eſt expectoranda, negligatur. D. Hieronymus in eadem hac voce eandem litterã agnoſcit, & Græcos & Latinos carpit, quòd ſonũ eius cum ſono Gimel confundant: qua de re liquet, fuiſſe etiã tum à quibus germana pronuntiatio ſeruaretur, quos laudari, non damnari debuiſſe Hieroglyphica noſtra docuerunt. Secunda conſonans eſt ea quam Sade vocant Hebræi; quam demonſtraui tantundem valere quantum Sigma *Betogabri.* *Aſiongaber vocis pronuntiatio & ſcriptura corrigitur.*
& Tau coniuncta. Verùm valeat pronuntiatio, quando de ſcriptura conſtat. Ghaſtion ergo munimentum ſignificat & vallum, quo loca quæuis valida & firma aduerſus hoſtiles incurſiones redduntur, à verbo עצם, quo roborare & firmare denotatur. Rectiſſimè *Aſiongaber vocis interpretatio.*
igitur à Græcis factum eſt dum עֶצְיוֹן χάρακα verterunt, quo foſſa, vallum, & caſtra denotantur; vt in eodem Strabone Charax Seſoſtris pro ipſius caſtris, quę foſſa muniebantur & vallo. Hinc fit vt עֶצֶם os ſignificet; quoniam oſſa in corpore primarium ſint membrorum munimentum, quæ cor & cerebrum veluti vallo quodam & muro defendũt, & reuera vitæ & ſenſuum caſtra dici poſſunt, vt & reliqua membra oſſibus firmantur. Deuteronomij octauo עֹצֶם pro robore ponitur, dum dicitur Latinè: Fortitudo mea & robur manus meæ. Sed ſuperuacaneum eſt rem notiſſimam pluribus cõfirmare exemplis; quibus qui volet abundare, habet Santem Pagninum & Lexicon Complutenſe. Laudandus ergo Strabo de optima interpretatione; quam vnde didicerit equidem neſcio; id ſatis liquet, meliorem dari à nemine potuiſſe. Miror itaque D. Hieronymum, qui Aſiongaber, ligna viri ſiue dolationis hominis, vertit: quam ſuam doctrinam vellem ſic dedolaſſet, vt tandem ad vallos quibus caſtra muniuntur, veniſſet. Græca dictio quam interpretationi putauit aptiorem, corrupta eſt: quam ξυλακισμὸς ἀνδρὸς de Latino ſermone coniicio fuiſſe. Ptolemæus Betogabri habet, qua voce domus Gabri denotatur, cùm nemo Hebræorum neſciat Bet domum eſſe, & Syros ex Bet Beta facere, vnde facilis in o tranſitus. עצם verbum fit à noſtro Gheueſt, quod ſignificat munitum *Gheueſt.*
atque firmatum; vnde Veſten mœnia dicuntur. quod adiicio, vt de primo ſermone He- *Veſten.*
bræi germanam diſcant pronuntiationem litterarum. χάραξ autem Græcorum eſt à noſtro Gaeracht ſiue Gracht, quo foſſa ſignificatur. Bet nobis lectum ſignificat, à quo ad *Gracht.*
domum tranſtulerũt Hebræi; eo quòd quies ſecura primarius ſit domicilij vſus. Hæc & *Bed.*
id genus alia obiter annotare ſoleo, quo cernatur quis modus fuerit Babylonicæ confuſionis; in qua è prima lingua confuſa ac corrupta multæ linguæ extiterunt. Videmus nunc concordiam inter veteres Hebræos & Græcos; quam ſi Ioſepus animaduertiſſet, facilè ſuum agnouiſſet errorem, cùm octauo Antiquitatum libro Aſiongaber ad ſinum Arabicum ponit, aiens pòſt Berenicen dictam fuiſſe. Quis verò fuerit hic Gaber, cuius ad Peluſiacum pelagus munimentum celebratur, difficile fortaſſe fuerit inuentu, eo quòd Moſes multis ante ſeculis ſic hunc locum vocarit, quàm Gaber *Gaber quis.*
filius Vri, vnus de primariis Salomonis ducibus, fuerit natus. Non fuerit abſurdum ſi dicatur Eluſtus vel quiſquam fratrum aut ſociorum hìc caſtra muniuiſſe; quo, ſi opus eſſet, tutam haberent nauibus ſtationem. qua de re rurſus fuerit dicendum.

Videamus nunc quàm hæc cum textu Hebraico conueniant, in quo vertendo & Græci & Latini & ſe & alios longiſſimè à veritate ſeduxerunt. Recta igitur hæc eſto interpretatio de verbo ad verbum: Claſſem quoque Rex Selomoh fecit in Ghaſtion Gabar, quæ eſt circa Elut, ſuper littore maris magni, terras omnes terminantis, in terra Edom. Hic primùm conſideretur error quem interpretes commiſerunt in Elut, pro quo Græci Ailath, Latini Hailam ſuppoſuerunt: atque inde falsò crediderunt, Elut & Elanam Ptolemæi eandem eſſe. Ioſepus ſatis apertè declarat ſeſe hoc errore laboraſſe, cùm dicit Aſion Gaber Berenicen eſſe, cui vicinam facit Elanam. Videamus igitur quæ ſit Elut ciuitas, deinde quæ ſit Elana. Ad hoc rectè aſſequendum in memoriam vocetur, Chaldæos & Syros pro ſibilo non rarò Tau vſurpare; quos Attici imitantur. Sic pro שור quæ ciuitas eſt in deſerto, Tur dicunt; quod nomen hactenus eidem loco manſit. Siue igitur Elut, ſiue Elus dicas, nihil fuerit in re ipſa diſcriminis. Quando itaque de ſitu terræ Idumææ ex iis quæ dixi conſtat, quæramus an in ea Elut reperiatur. Atqui non diu hic fuerit laborandum, ſi Ptolemæus conſulatur. Is enim, cùm eſſet Alexandrinus, huius regionis certam habuit & exploratam notitiam; de qua confeſtim nobis demonſtrat illud quod quæritur opidum: Eluſam enim pęnultimam Idumææ ciuitatem facit & Ægypto proximam. Quis hic non clarè cernit Elut & Eluſam idem opidũ eſſe, & in Idumæorum littore iacere? Idem Elanam in ſinu Arabico ponit eo quem Strabo dixit è regione Gazæ eſſe, cùm alter Peluſium reſpiciat. Hinc liquet in Strabone opidi nomen corrigendum eſſe, vt Elana non Aela legatur; quæ corruptela à quopiam proceſſit quem Latinus Bibliorum interpres deceperit. Quoniam Elut tam antiquum in hoc littore opidum eſt, ſuſpicor Elyſium ſiue Eluſtum primum eius fuiſſe conditorem: vt nimirum inter nauigandum haberet quo fugere poſſet tempeſtates & procellas, ſi quæ ipſum circa ea loca occupaſſent. Quòd autem ex Eluſt Elut factum ſit, mirum non eſt; quoniam eodem modo in Tyri nomine St in T tranſiit, cùm Hebræis & Syris per Sade ſcribatur. Tyrus enim Stor vocata eſt, à rupe cui inſidet: quam ſic dicunt Phœnices & Hebræi, voce corrupta per metatheſim è noſtra Rots/ quæ rupem denotat. Similiter igitur ex Eluſt Elut factum. Eluſa verò ex Eluſt, vt è Stidon Sidon, & è Luſt Luſus. Sed hæc hoc loco ſufficiant de Eluſa, de qua mox iterum agere cogar. Elana verò in eo eſt ſinus Arabici receſſu qui Gazæ procul opponitur, cuius nomen in Strabone corruptum eſſe modò dixi; quod ita ſe habere ex eo liquet, quòd eodem loco hunc ſinum ab Elana nuncupârit. Reſtat vt inueſtigemus quid cauſſæ fuerit, vt loco maris magni, quod terras vndique terminat, omnes verterint, mare Rubrum. Principio cur ſinus Arabicus mare rubrum vocetur, explicandum: qua in re, ne prolixi ſimus rogando ſententiam, Agatharchidem Cnidium, qui de mari hoc ſcripſit, aduocabimus. Is dicit non ἐρυθρὰν θάλατ‌ταν, ſed ἐρύθρα θάλατ‌ταν vocari hunc ſinũ debere. Erythræ igitur mare, non rubrum mare dici oporteret, ab Erythra Perſa; qui in maris illius inſulis imperauit. Plinius Ogyrin inſulam in hoc ſinu celebrat, in quo Erythras dicitur ſepultus. Cteſias igitur Cnidius mendax eſt in rubro colore aſſerendo. Mirum eſt quàm multos hæc homonymia deceperit, & quàm clarum nobis ſuppeditet argumentum, quàm facilè errores ſemel concepti inoleſcant, & ad poſteros tranſeant. In ſacris litteris nulla eſt maris rubri mentio; quam minimè Moſes neglexiſſet, ſi dum tranſiret, hunc colorem animaduertiſſet. Vt igitur antiqui erroris cauſſam breuiter oſtendam, ſciendum Hebræis vocabulum ים quoduis mare denotare, non magnum modò, ſed & paruum; quod lacus & ſtagnum dicitur. Vox conuerſa eſt è noſtro Mai/ quo omnis aqueus humor denotatur, vnde & aquæ Maim Hebræis vocantur: Hinc Madeo apud Latinos. Verùm de ים quæſtio non eſt, de סוף quæritur: cuius vocis cùm aliàs alia ſit ſignificatio, tum crebrò voci ים adiicitur; quod dum fit, ferè mare rubrum interpretantur. Eius cauſſam Santes Pagninus ad iuncorum, qui in illo mari creſcunt, copiam refert; quos hoc quoque vocabulo intelligunt. Cùm iuncum ſignificat, à voce noſtra bies vel pies fit per conuerſionem, in qua Vau ponitur pro Iot. Verùm fruſtra hæc quæritur cauſſa, cum סוף non ſolùm addatur ipſi ים ſed per ſe etiam pro mari vſurpetur, vti fieri videmus Ionæ capite ſecundo, vbi dicit vates, סוף חבוש לראשי id eſt, vt vertit Latinus interpres, Pelagus operuit caput meum. Cùm ergo Ionas Iope nauem conſcenderit, nullo modo cogitari poteſt mare Rubrum caput ipſius operuiſſe: nec eſt cur apud Iopen iuncos excuſemus,

Hailam Latini, & Ailath Græci malè pro Elut verterũt.

Elut ciuitas quæ ſit.

Rots.

Elana.

Mare rubrũ cur appellatus ſit ſinus Arabicus.

Mai.

Bies.

quorum

quorum copia illic nulla inuenitur. Quid? an non primo Deuteronomij capite מול סוף legitur, pro eo quod Latinus dicere deberet, è regione maris magni; vti liquet loca quæ deſcribuntur conferenti; quæ nullo modo admittunt mare rubrum, quod noſtra habet interpretatio? Mihi duæ occurrunt rationes ob quas סוף mare exterius ſiue magnum *Mare magnũ* dicatur: vna, quòd vox hæc inter alia terminum ſignificet, Græci ſcopum dixerunt, à *cur Suph appellatum.* noſtrati vocula Scow/ quod eſt, diligenter intueor. vbi clarum eſt Samech pro Scin Scow. poſitum eſſe; quod vitium Iudaico ſermoni frequens. Cùm itaque omnia flumina ad mare magnum ferantur, tamquam ad ſcopum quendam, meatu vel aperto vel occulto, non malè totum pelagus earum collatione ſcopus dicetur. Quia verò ſcopus extremum eſt & motionis omnis terminus atque finis, non abſurdè fiet, ſi pro extremo quouis eadem vox vſurpetur. Exempla qui volet, aut è ſacris, aut è Grammaticis petat. Nobis ſatis eſt oſtendiſſe quænam ſit Hebraici vocabuli in primo ſermone radix, & quòd non malè verterim ים סוף mare, terrarum extremum terminum. Oleaſter, mare terminatum vertit; nulla adducta idonea ratione: quod annoto, vt conſtet alij etiam huius ſignificationis, qua Suph ad terminum notandum vſurpatur, in mentem veniſſe, licet eam perperam rei applicarit. Quòd ſi maria terminata quæras, confer te ad lacus & ſtagna, quale eſt mare mortuum. Altera eſt ratio, quæ mihi magis probatur, è primo ſermone ſumta. Sup enim vocali producta idem eſt quod ſorbeo; vnde Soph Sup. non aliud eſt quàm largiter poto. Siue igitur mare Sup appelles, ſiue Soph, mea non admodum refert; cùm vtrumque magno mari æquè conueniat, propterea quòd à potando ſorbendóque numquam quieſcat. Nihil enim in tota rerum creatarum eſt vniuerſitate, cuius magis proprium ſit ſorbere quàm Oceani; quandoquidem omnia flumina, omnes lacus epotat. Quid Plato de Tartaro ſuo dicat, quid Eccleſiaſtes de mari, antè indicaui, nihil vt opus ſit eadem monitione repetita. Qua de re fit, vt omnino credam Sup ſiue Soph hac ratione Oceani quondam cognomen fuiſſe, atque inde apud Hebræos manſiſſe in eadem notatione. Hinc cernimus Moſi æquè atque nobis notum fuiſſe Arabicum ſinum, & mare mediterraneum ad idem mare pertinere; eo quòd vtrumque Sup vocârit. Vocabulum autem hoc Sup Ichnæum eſt, in Pus conuertendum; quo notatur cum ſonitu quodam vehementi pulſare. Noſtrates mediam litteram malunt, Bus pro Pus dicentes. Hinc Bus nauis genus eſt, quod ita fluctus ma- Bus. gni maris contemnit, vt dicat Bus/ id eſt, pulſa: quaſi diceret, Pulſa quantum velis, numquam tam vehementer me pulſaueris, vt è dorſo tuo depellas. Piſcatoria enim nauis eſt ad Haringas, quod maximum & præſtantiſſimum Sardorum genus eſt, capiendas comparata; quæ in alto mari diu iactari ſolet, vltrò citroque prædam ſequendo. Sup itaque & Pus iuxtà in Oceanum quadrant; illud quidem quòd omnia abſorbeat, hoc verò quòd terras atque naues ſemper magno impetu pulſet. Iam Bus ſiue Pus eodem tempore pronuntiatum canalem etiam ſignificat, per quem aqua defertur: quæ ſignificatio non minùs Oceano conuenit, eo quòd per Oceanum omnes totius orbis aquæ, ceu per canalem quendam, eant & redeant, vicibus perpetuum fluxum & refluxum perennantibus, haud ſecus atque ſi quis perpetuò hauriret pneumatico ſiphone è vaſe quopiam, & ſineret aquam in idem vas recidere è quo traheretur. Quamuis verò in hac voce triplex modò videris arcanum, eſt tamen & quartum, quod in lucem prodibit, ſi metatheſis litterarum fiat; illa quidem, ſed alia quàm antè via: vt nimirum ſibili vehementia in principio maneat. Quemadmodum enim Sup per vehementem ſpiritus attractionem fit, ita Pus per ſpiritus impulſum. Bu enim ſiue Bui Bui. tempeſtas eſt: Bus verò pulſo veluti tempeſtas quædam, quod mari inſigniter conuenit. Sup igitur ita conuerſum, vt ſibilus impellens in principio maneat, facit Spu; quod Spu. ſignificat humorem cum impetu eiicere; vnde Latinorum Spuo. Nobis pro ſpuo, & pro vomo, & pro quouis humoris emiſſi impulſu vehementiore in vſu eſt: vnde Spu pro catarácta ponitur, & Spuit pro ſiphone, quo aqua cum impetu eiicitur; cuius gene- Spuit. ris illa ſunt pneumatica inſtrumenta, canali duorum paullo plus minùs pedum longitudine conſtantia, quibus aqua copioſa in eam altitudinem impellitur, vt triſtegæ domus tectum vel ſuperet vel æquet. Horum vſus eſt & in hortis irrigandis, & ad incendia recens concepta extinguenda. Vide quæſo nunc quàm bellè in mare magnum hæc quadret notatio voculæ Spu. Semper enim flumina quæ maximis hauſtibus abſorpſit,

per diuerſos ſiphones eiicit; & hoc ſuo vomitu omnibus ſtagnis & amnibus dat exordium. His bene expenſis, non puto quemquam fore, qui non fateatur nullam inueniri poſſe vocem trilitteram, quæ tot proprias maris notas exponat, & exponat ſignificantiſſimè tribus litteris quatuor comprehendens diuerſas Oceani proprietates; atque ita perennem orbem nobis indicet, qui fit è ductu ternarij in quaternarium; è quo exiſtit dodecas, verus diuinæ bonitatis Oceanus, omnem omnium rerum vitam perenni ſuo
Oceani etymon. affluxu & effundens & effuſam alens. Ex hac conſideratione Oceani nomen factum; quæ vox eſt optantis, vt magnus hic bonitatis æternæ fons nobis accedat. Nam O-ke-an idem eſt ac ſi dicas, O vtinam progredere. Quòd ſi C pro G poſitum velis, ſignificabitur, ô procede. Iam dum per o quicquam optamus, monemur vt id quod optamus ſit æternum; haud aliter atque rotunditas omni fine caret. Sed ſi quantum in Sup myſteriorum eſt dum mare denotat, perſequi vellem, magnum codicem explerem. Græci
ποσειδῶν. ποσειδῶν pro Deo maris dicunt, per conuerſionem priſcum nomen corrumpentes. Dei ſup enim ſiue Dei ſop/ eum denotat qui mari ſuam internam dat promotionem, ſiue eum qui totam maris naturam proſperat. Eum ſi quæras, non alium inuenies quàm Deum omnium ſupremum; deinde intelligentiam ſummam mari præfectam. Hic nunc vides, vt è primo ſermone vocabula quædam integra manſerint, in quibus eſt Sup; quædam ſint corrupta litterarum tranſpoſitione, quorum vnum inter alia infinita eſt Poſidon; in quo poſtremam ſyllabam pro terminatione habemus: quod ſi non admittas, totam vocem conuertemus; vt ſit Nodeiſop/ è Noot dei ſup; quod ſignificat neceſſarium maris promotorem: vbi Tau in delta deliteſcit, vtpote tenuis littera in media. Cæterùm ſi tam latè quàm Poſidonis regnum patet, mihi ſit euagandum, numquam propoſitam abſoluero quæſtionem. Contraham igitur vela. Verùm audio, neſcio quem, hæc mea quæ de Sup/ Pus/ & Spu dixi, deſpuentem, & occlamantem, abſurdum eſſe ſi Hebraicum vocabulum de noſtra lingua interpreter. Huic reſpondebo, non hoc modò nomen è primo ſermone, ſed omnium etiam radicum rationes eſſe repetendas.
Hebraicæ linguæ radicum rationes è primo ſermone, qui eſt Teutonicus, petendæ ſunt. Hinc accuratè prima lingua examinanda eſt, eo quòd illa verè Barbara ſit, id eſt, veritatis cuſtos. Si qua itaque vox occurrat in Moſis libris apud Hebræos ignotæ aut dubiæ ſignificationis, ea ad ſermonem noſtrum tamquam lapidem Lydium referenda eſt. Rabbini ſi quam vocem non intelligant, Ægyptiam eſſe dicunt; eo quòd Moſes in Ægypto habitârit. Nos verò ſanctiùs de diuino ſcriptore ſentimus, & quamuis apud eum non paucas voces eſſe ſciamus Hebræis nihil denotantes, eas tamen non ad profanum & vulgò tritum Ægyptiorum ſermonem, ſed ad eum dicimus pertinere quo ſacerdotes in ſacris vtebantur; apud quos Moſes fuit beneficio filiæ Pharaonis educatus, & omnibus imbutus diſciplinis; inter quas ſacra primum ſibi locum vindicabant. Nec
Lingua prima quæ fuerit. dubito quin ab eiſdem etiam didicerit, linguam eam qua in ſacris rebus nominandis vtebantur, primam primi hominis linguam fuiſſe; & idcirco quædam ex ea vocabula integra ſeruaſſe. Dicat mihi Rabbinorum quiſquam quid Vrim & Tumim, quid Choſin, quid Ephod, quid Tutphat ſignificet; & vt alia omittam, quid ſibi velint verba illa quibus Pharao Ioſepum ſummo Ægyptiorum magiſtratui inaugurauit. Quid item præconis vox notârit. Hæc & id genus alia nonnulla è ſacro ſermone, apud antiſtites in Ægypto vſurpato, Moſes petiuit; & certè nulla vox dubia eſt, quin clara euadat, ſi ad primam originem, quam ſola lingua noſtra agnoſcit, conferatur. Quid enim euiden-
Thutphat. tius quàm Thutphat vltima ſyllaba producta id ſignificare quo capilli colligátur? vittam Latini vocant. Fuerunt qui ſpeculares oculos ſignificare dicerent, & id quidem in lingua Ægyptia. Sed illa eſt vanitas & audacia Rabbinorum, vt ne abſurdiſſima quidem dicere vereantur. Quaſi verò quiſquam in oculis vitreis, quos perſpicilla dicimus, ſcribere queat, vt non ſimul vſus eorum tollatur. Tæniis variæ ſententiæ inſcribi poſſunt; & olim inſcribebantur non infulis modò, ſed limbis etiam veſtimentorum. Munſterus teſtatur fuiſſe Rabbinos qui טוטפת alio nomine תפילין vocari dicerent: quos equidem
Tephlin. cogor laudare, tametſi non prorſus attigerint ſcopũ. Tephlin enim ſunt partes vittarum dependentes, Germanus Teplieus nominat. Verùm Tutphat totam vittam capillos comprehendentem ſignificat. Vtrumque igitur nomen Germanicum eſt, & à Phat ſiue Vat Latini Vittæ nomen acceperunt. Aliarum vocum modò expreſſarum alibi dedi ſignificationes, quas hic repetere nihil attinet. Id vnum volui monere, Moſen

vocibus

vocibus aliquando noſtratibus vti, maximè in ritibus ſacris: quas vt ab Ægvptiis didicit ſacerdotibus, ita Ægyptias dicere non poſſis. Ab eiſdem itidem accepit voculam Sup/ plenam, vti declaraui, myſteriorum: quæ & prorſa & verſa naturam maris præcipuam declarat. A Sup fit Sip/ quod tanto ſubtiliùs abſorbere ſignificat, quanto Iota quàm Vau ſubtilius eſt. Hinc Sipho canalis. De adſpiratione quam Hebræi proferunt in Pi non ſum ſollicitus, eo quòd res ea minoris ſit quàm vt nos debeat demorari. Verùm quo magis & euidentiùs cernant tum Rabbini tum cæteri quantum linguæ noſtræ cognitio conferat ad Hebræorum radices in prima elementa ſoluendas, & quàm litterarum figuras confundant Hebræi, addam & illud ipſum: Sup ſiue Sop/ vt præteritum habet imperfectum à quo nomina formantur, Iudæis etiam in vſu eſſe pro abſorbeo. שאף enim hoc modo vſurpat Eſaias cap. quadrageſimo ſecundo dicens וְאֶשְׁאַף & abſorbebo. Verùm quia hic Scin pro Samech poſitum eſt, & Aleph pro Vau, boni viri vocabulum ſuum non agnouerunt. Huc igitur reſpiciant & agnoſcant noſtrum Sup ſiue Sop Hebræis etiam in vſu fuiſſe, & hinc mare Sop dici, quòd omnia flumina abſorbeat. Nec verò Hebræis tantùm, ſed Chaldæis quoque שאף in eadem notatione vſurpatur, & eodem modo quo Hebræi mare Sop ſiue Seph mauis יַמָארסוֹף dicunt. Eſt igitur Sop non rubrum tantùm mare, ſed totus Oceanus & quiuis eius ſinus, ſiue magnus ſit ſiue paruus: quo fit vt malè fecerint interpretes qui mare Rubrum tranſtulerunt; quo ſuo errore omnes has turbas in ſacra hiſtoria excitârunt. Mare tamen Mediterraneum aliquando mare magnum vocatur, vt ſit Numerorum triceſimo quarto iterum atque iterum. Mare autem mortuum aliàs alio nomine dicitur: & Exodi quidem cap. viceſimo tertio lacus ſiue mare Palæſtinorum, vbi Latina interpretatio ſic habet: Ponam autem terminos tuos à mari Rubro vſque ad mare Palæſtinorum, & à deſerto vſque ad fluuium. Deus hoc loco terræ promiſſæ hanc dat deſcriptionem, vt & longitudinem & latitudinem definiat; illam quidem à deſerto quod poſt Gazam eſt ad fluuium vſque, quo nomine Euphratem intelligit per excellentiæ figuram, extendit; hanc verò mari Sup & mari Palæſtinorum includit. vbi malè vertit interpres, mare Rubrum; cùm falſum ſit Iudææ latitudinem mari rubro & mari Palæſtinorum definiri. Alij Palæſtinorum mare ad mediterraneum retulerunt, ſed malè, vt ei liquebit qui conferet hunc locum cum capite Geneſeos decimo, in quo hæc eſt eiuſdem terræ delineatio: Factique ſunt, inquit Moſes, termini Chanaan venientibus à Sidone Ieraram vſque ad Gazam, donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham & Adamam & Seboim & Leſa. Videſne hic loco maris Palæſtinorum Sodomam & Gomorrham poni, & latitudinem à Gaza, quæ ad mare mediterraneum eſt, ad lacum Aſphaltiten extendi? Quid clarius aut euidentius? Non erat igitur aliud mare Sup intelligendum quàm illud cui Gaza vrbs adiacet: nec fuit vmquam quiſquam qui Iudæam ad mare vſque Rubrum extenderit, licet fortaſſe aliqui Salomoni ad mare Rubrum fuerint vectigales. Aſſertionem meam confirmat Ezechiel cap. quadrageſimo ſeptimo, vbi terminum Orientalem Iudææ deducit à Chauran & Damaſco per Galaad per terram Iſraël ſecundùm Iordanem vſque ad mare orientale. Nemo hic negare poteſt, mare Orientale lacum eſſe Aſphaltiten, quem Geneſeos cap. decimo Sodoma & Gomorrha & ceteris opidis poſtea abſorptis deſignauit. Apertiùs idem è Ioſue cap. decimo quinto cognoſcas, vbi hæc leguntur verba: Ab Oriente verò erit initium mare ſalſiſſimum vſque ad extrema Iordanis. Ibidem paullo pòſt occidentalem terminum facit mare magnum; quo fit vt apertiſſimus error ſit eorum qui Iam Sup ſiue Suph, vt hebraiſemus, mare Rubrum tranſtulerunt; cùm hîc videamus, illud quod illic Iam Suph erat, hîc Iam Gedol, id eſt, mare magnum, vocari: & quod illic erat mare Palæſtinorum, hoc loco vocari Iam Melach, id eſt, mare ſalſum: qua in voce Hebræi Chet pro He poſuerunt. Idem enim eſt Melach quod ἅλμη Græcorum; quorum vtrumque corruptum eſt è noſtro Hal-me/ quo ſal notatur, ſiue id cuius adiumento res conſeruantur. Idem ſtagnum nonnumquam mare ſolitudinis vocatur, quam Hebræi ערבה dicunt: quam vocem tranſpoſuerunt adiecta adſpiratione ſuperuacanea: Prima enim lingua Berg dicit pro abſcondo, vnde fit vt loca montoſa & ſaltus Bergen dicantur. Hebræis item ערב pro occaſu ponitur, quòd tum Sol ſe abſcondat & vnà ſecum abſcondat omnia. Mare itaque mortuum montibus & ſaltibus incluſum mare Garaba dicitur, vt Deuteronomij

Sip.

Suph ſiue Soph non rubrũ tantùm, ſed quodlibet mare dicitur.

Mare Palæſtinorũ quod ſit.

Berg.

teronomij cap. quarto. Tertio capite libri Ioſue יָם הָעֲרָבָה מֶלַח nominatur duobus epithetis coniunctis, vt ſit mare deſerti & ſalis. Si quis necdum ex hac collatione locorum intelligit quod ſit mare Suph viceſimo tertio Exodi capite, ei neſcio quid tandem probari poſſit. Nos certè audacter aſſerimus, interpretem ſententiam Moſis peruertiſſe, & e mari magno ſiue mediterraneo mare Erythræum feciſſe, atque ita totam deſcriptionem corrupiſſe. Eodem errore deprauatum eſt id quod Numerorum cap. decimo quarto habetur: Reuertimini in ſolitudinem per viam maris Rubri; quo loco mare mediterraneum intelligi debere caput primum Deuteronomij declarat, vbi dicitur vndecim dierum itinere Moſes ab Oreb abfuiſſe cùm verba hæc loqueretur. Verùm multo clariùs eandem rem explicat Deuteronomij capite ſecundo. Profectique inde, ait Moſes, venimus in ſolitudinem quæ ducit ad mare Suph. Quod autem mare Suph dicat eodem capite, paullo inferius declarat adiectis duobus locis inſignibus, Elut videlicet & Aſiongaber: quæ Strabonis & Ptolemæi teſtificatione docuimus in littore maris mediterranei iacere. Cæterùm hoc capite error eorum qui puncta addiderunt textui Hebræo, corrigendus eſt. Pro Elut enim Elat fecerunt; quæ res occaſionem dedit, vt diuerſa loca Elut & Elat viderentur. Hebræi Vau nonnumquam omittunt, vt pro טוטפת aliquando ſcribunt טטפת quod frequens ipſis eſt; aliquando etiam Vau in ſonum Patach commutant, & ipſum etiam nonnumquam in Aleph transferunt. Hoc igitur capite אֵילַת eſt pro אילות quo tertij Regum cap. nono litteris omnibus expreſſis ſcriptum videmus: & vt eundem locum eſſe ſcias, Aſiongaber vtrobique adiectum eſt. Confirmat idem caput octauum ſecundi libri Paralipomenon eandem referens hiſtoriam: Tunc abiit Salomon in Aſiongaber & Haïlath ad oram maris Rubri, quæ eſt in terra Edom. Hic in Hebræo non eſt Iam Suph, ſed Iam dumtaxat. Et quamuis Suph additum fuiſſet, nihil diſcriminis accidiſſet; cùm æquè ad mare mediterraneum narratio ſpectaret. Hebræus textus hoc loco non Hailath habet, ſed Elut

Aſiongaber & Elut vicina loca.

אילות ipſo Vau expreſſo. vnde liquet Aſiongaber & Elut vicina loca fuiſſe & idcirco Deuteronomij capite ſecundo Patach ſubſcribi minimè debuiſſe, ſed Kibbuts. Qua autem terrarum parte fuerint ſita Elut & Aſiongaber, mox aperitur, dum diſertis verbis dicuntur eſſe in terra Edom, quæ eſt Idume, quam nemo vmquam geographiæ doctus ad mare Rubrum collocauit. Porrò vt manifeſtiùs res teneatur, addamus & illud è viceſimo ſecundo tertij Regum capite; Iehoſaphat claſſem feciſſe vt nauigaret in Ophir; at eam non profectam fuiſſe, eo quòd in Aſiongaber confracta eſſet. Eandem hiſtoriam viceſimum caput ſecundi libri Paralipomenon repetit iis quæ paullo antè recitauimus verbis, adiecta etiam cauſſa ob quam Deus naues perdidiſſet: vbi clariſſimè cernitur per idem mare in Tarſis & Ophir nauigari ſolere. Propheta igitur videns Iehoſaphat claſſem paraſſe vt in Ophir nauigaret, vt liber tertius Regum declarat, dixit fore vt confringeretur, & tantum abeſſe vt ad Ophir perueniret, vt ne ad Tarſis quidem peruentura eſſet, quod regnum minore ab Idumæa diſtabat interuallo. Cùm igitur idem eſſet iter in Ophir & Tarſis, & clarum ſit è Iona per mare mediterraneum in Tarſis nauigari, negari non poteſt per idem mare ad Ophir Hebræos proficiſci ſole-

Aſiongaber & Elut in littore maris mediterranei ſunt.

re; & inde concludi neceſſariò, Aſion-Gaber & Elut eſſe in littore maris mediterranei in terra Idumæorum. Ex his perſpicere licet Palæſtinæ & Idumææ picturam à Strabone & Ptolemæo expreſſam adamuſſim ſacris litteris conuenire, modò veritatem Hebraicam, non falſas & peruerſas interpretationes, ſequamur. Ioſepus de Iehoſaphat & claſſis apparatu ſcribens, & fortaſſe non cernens quî in Ophir & Tarſis ex eodem portu ſolui poſſet, ſomnia neſcio quæ de Ponto & Thracia confinxit, maximis & pelagi & terrarum ſpatiis à ſacris libris aberrans.

LIBER

LIBER VI.

CETERVM quamuis hoc loco non importunũ videretur totam nauigationis in Tarſis & Ophir explicare rationem, non putaui tamen me omnibus ſatisfacturum, niſi paullo plura de Aſiongaber & de Elut dicam; propterea quòd Aſiongaber inter manſiones etiam & caſtra in deſerto metata numeretur. Dixi modò Elut locũ à Moſe commemoratum eundem eſſe cum Eluſa ciuitate Idumæorum, & nomen accepiſſe ab Eluſt: addam nunc vlteriùs, non Elut modò in ſacris litteris, ſed Elus etiam hoc opidum vocari.

Elut etiam Elus in ſacris litteris appellari.

Nam triceſimo tertio Numerorum, vbi caſtrorum loca exponuntur, אָלוּשׁ legimus; qua in voce Camets punctum perperam ſubſcribitur, cùm Sere eſſe deberet. Verùm vt videas vbinam terrarum Elus ſit, conſideremus iter quod transgreſſi mare Rubrum Iudæi tenuiſſe dicuntur. Scribit Moſes poſtquam tranſgreſſi mare fuiſſent, tribus diebus per deſertum Etam iter feciſſe, & tum veniſſe in Mara: vbi primùm ſciatur oportet quæ ſit ſolitudo Etam. Refert idem Hiſtoriographus Iſraëlitas è Suchot in Etam profectos eſſe, atque inde iuſſu Domini reuerſos tentoria fixiſſe inter mare Erythræum & exercitum Pharaonis. Declinauerunt ergo à recta via quam prius verſus Palæſtinam tenebant, à Rameſſe in Suchot profecti, quò Deus portentoſo victoriæ genere Pharaonem ſubmergeret, ac filios Iſraël illuſtriſſimo exemplo doceret, nullos iis hoſtes metuendos eſſe pro quibus manus diuina pugnat. Cùm igitur ſecundis caſtris è Rameſſe in Etam venerint, quæ eſt in extremis finibus ſolitudinis, idque in recta ad Palæſtinam via, dicere oportet, ad ipſum ferè vltimũ maris Erythræi ſinum Peluſio oppoſitum fuiſſe non procul à ciuitate Heroum. Cùm igitur mox Suchot, id eſt tabernacula, ſiue poſt prima fixa tentoria in Etam venerint, & rurſus per deſertum Etam iter fecerint tribus diebus, & in Exodo dicantur ſtatim è mari in deſertum Sur veniſſe; dico totam illam ſolitudinem quæ eſt inter ciuitatẽ Heroum vſque ad proximam maris mediterranei partem, Etam nominari; & eam exordium ſumere à deſerto Sur, quod opidum nunc Tor dicitur.

Etam ſolitudo quæ ſit.

Agnoſco rurſus in hoc vocabulo priſcæ linguæ veſtigia, aut potius arcanum Ægyptiorum ſacerdotum ſermonem, è quo difficultas, quæ hoc loco adfertur, facillimè ſummouebitur: & vnà tolletur erroris principium, qui in Moſaica caſtrorum metatione omnia turbauit. Edam hactenus in Hollandia opidum eſt de præſtantiſſimis caſeis ſatis nobile; quod dico, vt quiuis intelligat vocem nobis hactenus in vſu eſſe, non alio variatam quàm quòd tenuis littera apud Hebræos pro media ponatur; quod eo minus mirum eſt, quòd contrà ac ratio poſtulabat, Tau perpetuò proferant adſpiratum.

Edam Hollandiæ opidum.

Eſt autem Dam agger fluctibus obiectus, Ee verò legitimum, fidum, & iureiurando ſummo omnium firmamento ſtabilitum ſignificat, ita vt Eedam nihil aliud ſit quàm agger perpetuus nullo modo à quoquam violandus aut rumpendus, quippe qui ſit ab ipſo terrarum creatore conſtitutus, & æterno ipſius iureiurãdo fundatus.

Dam. Ee.

Ceterùm non immeritò quiſquam miretur quî factum ſit, vt hoc terrarum ſpatium nomenclatura è primo ſermone ſumta indigitetur, cùm Rameſſes, & Tieſſen, & Phihacheroth, & Magdalum, & Bagalſtephon, & cetera id genus ex alia lingua nomina ſortiantur. Herodotus ſcribit Necum Pſamnitichi filium Iſthmum inter Erythræum & mediterraneum mare perrumpere voluiſſe; quod cùm tentaret, oraculo vetitum ceſſaſſe.

Necum Iſthmum perrũpere conantẽ, oraculo fuiſſe prohibitum, falsò tradi.

Scio quæ tam vetuſta ſunt vt eorum auctor ignoretur, ea ad quemquam eorum referri cuius ad nos memoria & nomen peruenit, & hoc modo fabellam illam priſcorum in Ægypto ſacerdotum, quæ de Bec conficta eſt, & veram indicat hiſtoriam ſcitu digniſſimam, Pſamniticho tribui, non tamquam myſticum figmentum, ſed tamquam ſimplicem & nudam rei geſtæ narrationem; qua in re ridiculum, ne dicam ſtupidũ, eſt delirium. Quis enim tam rudis eſt inter viros vel ſapientiæ ſtudioſos, vel alioqui rectæ rationis vſu peritos, vt neſciat locutionem homini minimè eſſe naturalem; propterea quòd nec omnibus eadem ſit gentibus, nec cuiquam eius vſus contingat, niſi eam ab alio diſcat? Eàdem via eò ventum eſt, vt Neco oraculum hoc de Iſthmo nõ perfodiendo ſit attributum, cùm multo antiquius eſſe ex eo fiat perſpicuum, quòd tempore Moſis, qui Neco longè eſt antiquior, iam tum eo, de quo agimus, no-

mus,nomine vocaretur. Vt igitur illud de Bec commentum multo eſt quàm Pſamnitichus vetuſtius, ita & hoc oraculum ad longè altiorem quàm Neci ætas fuerit,referemus antiquitatem, dicemuſque mox proximis Nochi nepotibus id redditum fuiſſe. Scimus Elyſſum ad longinquas terras populis replendas à parentibus fuiſſe deſtinatum. Credibile igitur mihi videtur, hunc prius quàm longiùs euagaretur, diligenter explorafſe omnia littora Ciliciæ continentia, & ad ipſum vſq. Peluſium veniſſe,diligenterq. illic inueſtigaſſe qualis Aegyptus eſſet, ac quibus finibus incluſa. Vel huic itaq. vel eius poſteris diuinitùs credo reuelatum fuiſſe, nefas eſſe hunc aggerem ab ipſo creatore inter duo maria conſtitutum ſecare. Quò ſic arbitrer, facit partim Solinus,ſcribens Cilices olim ad Peluſium vſque imperaſſe; partim obſeruatio veſtigiorum locis vicinis ab Elyſſo aut eius nepotibus impreſſorum. Quid enim aliud eſt Eluſa quàm clariſſimum Eluſi monumentum? Iam legatio illa antiquiſſima Eleorum Ægyptios ad Olympica certamina prouocantium,quam Herodotus exponit, planè docere videtur, magnam fuiſſe Elyſſi poſteris cum Ægyptiis conuerſationem; quam opinor iam olim è vicinia coaluiſſe. Quid quòd Stephanus clarè teſtetur opidum quoque circa hæc Ægypti loca Elidis nomine dictum fuiſſe, & id quidem ad ipſam Olympiam Ægypti, de qua mox latiùs. Hæc mihi ſatis magna ſunt argumenta,aut Elyſſum aut eius poſteros de Iſthmo hoc perfodiendo primos cogitaſſe. Quid enim hominibus ad perpetuas nauigationes parentium iuſſu deſtinatis gratius contingere potuiſſet, quàm ſi per ſinum Arabicum ad Indiam aromatum & ceterarum maximi pretij rerum feraciſſimam iter patuiſſet? Audiuerant enim à parentibus quàm beata regio illa eſſet è qua per diluuium in Merum & finitima loca fuerant delati; quo fiebat, vt maximo deſiderio patriæ maiorum ſuorum tenerentur. Nec dubium eſt quin intellexerint partim è cæli terrarumq. collatione, partim ex peregrinatione, Arabiam extremam feliciſſimam eſſe, & non ſolùm aromatum & gemmarum omni genere,ſed plurimo etiam auro abũdare. Horum ergo quempiam crediderim vel è vate aliquo vel Sibylla interrogaſſe, an id quod cuperet exſequi liceret; ac tum reſponſum accepiſſe,id fato prohiberi. Fatum autem & Ee vna eadémque res eſt. Dicitur enim Fatum non à For, vti Latini putarunt, ſed à Fat,ſiue Vat dialecto Germaniæ inferioris, comprehendo & contineo; vnde fatum totius vniuerſitatis & omnium eius partium comprehenſio eſt: quæ quid aliud eſſe intelligetur, quàm id quod Homerus catenâ Iouis omnia nectente denotauit? Quando igitur Ee vnum & vnionem & firmitatem rerum omnium ſignificat,& eam quidem Stigiam,id eſt,eam quæ omnia conſtituit, format atque ordinat; quod nos ſticht dicimus, idem dixeris ſiue fatum ſiue Ee dixeris. vnde efficitur, vt Eedam, ſiue per tenuem litteram Eetam, agger ſit fatalis. Hoc igitur nomen Iſthmus inter Peluſium & Heroum ciuitatem iacens iam olim multis ante Necum & Pſamnitichum ſæculis vel ab Elyſſo poſteriſue, vel a ſacerdotibus illius oraculi conſciis accepit: quod qui mirabitur, æquè miretur quæ de Eluſa & Elide & Olympia commemoraui. Vtcumque res habet, Herodoti narratio ad Necum relata,& multorum poſtea eiuſdem foſſionis molitiones fruſtra attentatæ ſatis declarant fatalem hunc aggerem eſſe quo duo hæc maria ſeparantur. Ex his modò intelliges quæ ſit ſolitudo Etam, ea videlicet quæ ad Iſthmum hunc,de quo ſermo, hinc ex Ægypto, hinc ex Arabia pertinet. Incipit autem hoc deſertum è capite ipſius Delta ad ſinus Arabici ſupremum terminum proficiſcentibus ſex aut ſeptem antea paſſuum millibus quàm ad mare Rubrum veniatur. Cùm igitur Iſraëlitæ è Rameſſes profecti ad primos ſolitudinis Etam terminos veniſſent, facile illis fuit ad mare declinare, & caſtra metari iuxta Phihacheroth,qui locus nõ procul erat ab Arſinoë,quam Moſes vocat Bagulſtephon; licet alij Beelſephon perperam efferant. Videtur enim hæc vrbs ita quondam dicta fuiſſe, quòd Regi & domino ſuo præberet veſtimenta: צָפַן enim ſic interpretari licet, vt & veſtimenta & ornatum ſignificet; cùm צָפַן tegere deſignet & ornare, pro quo & צָפָה ponitur. Hinc Exodi viceſimo quinto vſurpatur pro eo quod eſt auro ornare ſiue deaurare, in qua ſignificatione non ſemel legitur. Nos dicimus Ves & Veſt vocali longa,ſiue Pheſt, pro eo quod eſt faſciis complecti; & inde ad quoduis transfertur indumentum quo corpus cingitur, à Veſt vocali breui pronunciato, quod eſt firmo. Hinc Latinorum veſtis,& digamma in adſpirationem mutato Grecorum ἐσθὴς. Quia verò Regũ corona, quondam faſcia erat capitis confirmandi habens notatio-

Elyſſum Ægyptum & vicina loca diligenter inueſtigaſſe.

Iſthmũ quis & cur perforare voluerit.

Fati etymon.

Etam nominis ratio.

Etam ſolitudo quæ ſit.

Beelſephon à Moſe Bagulſtephon appellata fuit.

Veſt.

notationem, Græci στέφανον pro corona poſuerunt, ceu Veſt diceretur. Hinc ſuſpicor huius vrbis quondam vectigal fuiſſe in eo conſtitutum, vt domino ſuo ornamenta regia ſuppeditaret; quod facillimum ei erat propter Arabicam, Perſicam, Indicam, Æthiopicam nauigationem, quæ & auri & gemmarum & veſtium ſubtiliſſimarum ingentem copiam quotidie inuehebat: quo fit, vt non immeritò eam Arſinoë ſibi à marito ſuo Philadelpho dari petiuerit, vtpote pretioſiſſimo ornatui ſubminiſtrando maximè commodam; quia nimirum in ipſo ſinus Arabici littore non procul à Delta iacêret. Quòd ſi quis mallet vocem à צָפָה pro ſpeculari accipere, vt domini ſpecula dicatur, equidem non impedio; tametſi mihi ſuperior ratio magis probetur; ac fieri poteſt vt is qui nomen primus poſuit, ad vtramque reſpexerit ſignificationem, indicare nimirum volens, hanc vrbem domino ſuo & ſpeculam eſſe maris Erythræi, & præterea omnem ſuppeditare corporis ornatum. צָפָה priore notatione acceptum eſt, vti dixi, à noſtro Pheſt: per conuerſionem in altera ſignificatione fit à Seph/ quod idem eſt quod diligenter conſidero, vbi littera ſt pro ſimplice ſ poſitum eſt; licet & Pheſt apud noſtrates vſurpetur pro obſeruo: quo verbo vtuntur ij qui in ſcopum ſagittas ſiue baliſta ſiue arcu ſolo dirigunt. Verùm & apud hos ambiguum eſt ad geminam notationem, obſeruandi nimirum, & pedem figendi. Porrò בעל fit à Magal ſiue Maghel: quorum illud ſignificat omnia appendo, hoc verò ſupremum rerum omnium appendendarum præſidem. Cuius ergo ea eſt poteſtas, vt in rep. omnibus rebus accurato examine ponderandis præſit, is meritò Magal & Maghel dicetur. cui accedit quòd domini arbitrio omnia ſurſum & deorſum ferantur, perinde atque lancibus impoſita ab ipſo aut maiore pondere eleuarentur, aut minore grauiora fieri viderentur. Hoc enim in domini manu ſitum eſt, vt quos velit deprimat, & quos velit in altum attollat: quod Heſiodus Ioui ſupremo omnium domino, cuius alij tenuiſſimam quandam vmbram deſuper accipiunt, eleganter adſcripſit. Videat modò qui volet quantum lucis Hebraicæ linguæ intelligendæ & ad primas origines examinandæ noſter adferat ſermo, qui non rationes modò ſignificationis radicum, ſed homonymiæ etiam cauſſam ob oculos ponit, ac ſimul loca certa in Moſaica narratione deſignat, ab aliis, quod equidem ſciam, necdum vel cognita vel animaduerſa, nedum litteris prodita. Sed quoniam non ſatis videtur conſtare quæ fuerit Rameſſes & terra Geſſen, vbi Ioſepus patrem & fratres ſuos principio collocauerat, videamus quoque ſi quid è nominum ſignificatione ſani elicere poſſimus ad hiſtoriæ cognitionem reddendam illuſtriorem. גֶּשֶׁם pluere ſignificat, vnde terra Geſſen eſt terra pluuiæ; quod nomen conuenit inferiori Ægypti parti, quæ circa Peluſium eſt & ad Bubaſtum & loca vicina. Cùm enim in ſuperiore Ægypto non pluat, hæc infima pars à pluuiis nomen accepit, quas Alexandriæ & Peluſij crebrò licet videre. Quis hîc noſtratiû non videt Geſſen à Gieſſen noſtro manare, quod ſignificat effundere? Iam Rameſſes optimam terræ Geſſen partem tenuiſſe, eamque fuiſſe paſcendis gregibus & armentis commodiſſimam, ipſemet Ioſepus, Ægypti ſupremus ſecundùm Regem magiſtratus, in Geneſi declarat. Quamobrem interpretationem nominis non è frigidis coniecturis aliorum, ſed ex ipſa petamus natura locorum. Fuerunt qui commotionem turbulentam Rameſſes verterent: D. Hieronymus tonitruum gaudij intellexit, in eo allegorias inueſtigans: Nobis veritas ſacræ ſcripturæ ſuadet, vt paſcendorum gregum vectigal interpretemur, eo quòd רָעָה paſcere denotet, commune paſtoribus pecudum & hominum verbum, quo lyricen Ieſſæus vtitur ode viceſima ſecunda, vbi Latini legunt, Dominus regit me; & ſeptuageſima nona, Qui regis Iſraël intende. quibus locis ſi paſcendi notio redderetur, efficacior eſſet ſignificatio, & Homericæ loquendi conſuetudini congruentior; qui reges populorum vocat paſtores, in quorum numero Chriſtus ſe principem & fecit & dixit. Sic Hieremias cap. tertio, Et paſcent vos ſcientia & doctrina. Ezechiel ſummum paſtorem ſic loquentem adducit, Et ego paſcam oues meas. Et ibidem pater de filio incarnando & ouibus, Et ſuſcitabo, inquit, ſuper eas paſtorem vnum, & paſcet eas. Hinc Abel dicitur רעה fuiſſe, id eſt paſtor. Altera compoſitionis pars eſt סם, quo denotatur vectigal regibus & principibus ſoluendum, à noſtro Mas/ quo ſumma e multis congregata denotatur: cuius Ichnæa conuerſio Sam demonſtrat multa in vnum congregando hanc ſummam fieri debere. quod eo lubentius annoto, quòd vox Miſſa hinc deriuetur; quam ſi ad origi-

Seph. Pheſt.

Geſſen terra quæ ſit.

Rameſſes quid ſignificet.

Mas. Sam.

Miſſæ vocis etymon.

nem primam voces, intelliges duo ſimul, & Miſſam tributum quoddam eſſe ac vectigal regi regum debitum, & tributum hoc nomine dignum non eſſe, niſi è multis vnum corpus fiat, quod nobis Mas ſignificat: vnde rectè Græci *σύναξιν*, Latini communionem vocarunt: quarum vocum ſi vera notio errabundorum hominum mentibus incidiſſet, numquam tantum turbarum de hoc ſacramento excitaſſent. Elegantiſſima igitur vox eſt Miſſa, quam ſi forma Latinorum Maſſam vertas, vt abſurdus videberis, ita non longè à myſterio Miſſæ recedes. Latini enim Maſſam vocant quod Græci *μάζαν*, quæ vocabula è priſco ſermone remanſerunt pro farina in vnum corpus liquoris alicuius adiumento redacta. Idem prorſus priſcis Maſſa quod Mola; & hæc quidem vox è Meel noſtro, quo farina denotatur, ad Latinos venit: at ſignificatio Maſſæ ſiue Mazæ tanto euidentiùs farinam in vnum corpus coactam repræſentat, quanto vnum corpus è multis factum propius ad rei ſignificatæ naturam accedit. Nobis Mas vocabulum eſt commune cuiuis corpori quod è multis in vnum coiuit, in cuius fabrica nomenclatorem aliquid arcani condidiſſe Ichnæa conuerſio demonſtrat. Hinc Maſſo verbum priſcis Latinis vſitatum, inter quos Lucretius: *Quòd ſi fortè vlla credunt ratione poteſſe Ignes in cœtus ſtringi maſſaréque corpus.* Hinc modò ſubodoraberis, niſi tuis naribus omnino hebes ſenſus ſit & obtuſus, quorſum mola ſalſa, à priſcis offerri conſueta, ſpectârit, cuius rei habuerit figuram, tum etiam cur hoſtiam omnem farre molito & ſale ſoleant ſacrificare. Quippe eo indicatum primi illi Setini voluerunt, quòd vltimum & ſupremum ſacrificium futurum eſſet; ad quod niſi omnis hoſtiarum mactatio referretur, nihil haberet ſanctitatis. Vide in quæ adyta nos rapiat primogenium vocabulorum examen, quàm abditiſſima quæque myſteria ob oculos ponat. Nihil fuit olim in veris (de falſis non loquor) Theſmophoriis Cereri celebrari conſuetis arcani, quod ex iis quæ hîc annotaui non reueletur, ſi bene omnia ruminentur, & vox Mas in prima elementa ſoluatur; quæ docebunt, ipſam primùm conuenire illi maſſæ quam multi ſimul comedentes occultum accipiunt alimentum, & in vnum coëunt corpus, vt ſimul vno ſpiritu viuant: quæ omnia tribus litteris ſignificantur, quarum prima patris, ſecunda filij, tertia Spiritus ſancti hypoſtaſin indicat; & earundem conuerſio demonſtrat nos per Spiritum ad filium, & per filium ad patrem venire. Eat nunc aliquis & eiuſmodi nobis in alia lingua inueniat vocabulum, quo nimirum ex ipſa elementorum natura & ordine tantum ſignificet arcanorum, & quo tam clara & euidens via monſtretur ad ſalutem atque vitam ſempiternam. Regemas igitur noſtro ſermone primus locus exitus Iſraëlitici ex Ægypto diceretur, quo paſtionis maſſa denotatur. Regen enim nobis idem eſt quod dirigere, & inde Regt ſiue Recht Iuſtum, vnde Latinis Rego, Rectum & Rex. Qui ergo dirigit gregem ſiue ouium ſiue hominum, is Reger vocari poteſt; pro quo Hebræi Roge dicunt. Hîc rurſus cernis vt Rex Latinorum & Roge Hebræorum ab eadem radice pullulârit, & item quod Regis & quod paſtoris ſit officium. Græci *Ποιμὴν* pro eodem dicunt, quæ vox fit à noſtro Schoiman/ & conciſè Boiman ſiue Poiman/ vt litteræ mediæ in tenuem facilis eſt commigratio. Ex his modò cernes ipſum itineris filiorum Iacobi exordium nomine ſuo clarè nobis indicare, quis vltimus fuerit finis ipſorum peregrinationis; nimirum vt in Iudæa ex ipſorum poſteritate Chriſtus naſceretur, cuius corpore tota hominum vniuerſitas, idolomaniam Ægyptiacam egreſſa, paſceretur; & in vnam maſſam coiret cum paſtore ſuo vniendam ad vitam ſempiternam. Quòd ſi D. Hieronymus & alij hanc vocis ſignificationem & conſideraſſent & ſecuti fuiſſent; quanto nobis allegoriam dediſſent elegantiorem & aptiorẽ, tum diligenti Moſis in itinere deſcribendo narrationi, tũ myſteriis in eo celatis.

Meel.

Mola ſalſa, offerri à priſcis conſueta, quorſum ſpectârit.

Regen, Recht.

Rameſſes vbi fuerit ſita.

Credo equidẽ totum illum tractũ qui ſupra & infra Bubaſtũ eſt Peluſiũ vſque, Ragamaſſæ nomine fuiſſe cõprehenſum: quod ex eo cõiicio, tũ quia in terra Geſſen erat, tum quia in hanc Iacob è terra Chanaan priùs appulit quàm Ioſepus ei occurreret, tũ etiã, & id quidẽ maximè, quòd ita caſtrorũ metatio atq. iter à Moſe deſcriptũ exigere videatur. Quo fit, vt prima Ægypti pars ex Arabia Petræa & deſerto Etam veniẽtibus Geſſen dici debeat, cuius optima pars Ragamaſſa vocabatur, eo quòd maximum daret paſtionis vectigal. In hac regione alius pòſt Pharao ciuitatem condidit eiuſdem nomenclaturæ, & id quidem graui Iſraëlitarum ſeruitio. Hanc opinor ſacerdotum ſermone Buſiridem fuiſſe nuncupatam, & ſupremam partem Ragamaſſæ tenuiſſe. Dicitur enim Buſiris

Buſiris noſtra lingua is qui plurimùm alit, ceu 𝔇𝔬𝔦𝔰𝔱𝔢𝔯 diceretur: quo factum eſt, vt in hac vrbe maximum templum Iſidi fuerit dedicatum, quæ meritò Buſiris dici potuit, propterea quòd verum animorum pabulum, & quod plurimum homines alit, ſit ipſa ſapientia diuina, quæ Iſis vocatur; ceu dicas Eſt Eſt, qua geminatione filius deſignatur æterna patris ſapientia atque vox, vti in Hermathena & alibi declaraui. Hinc à priſcis inſtitutum, vt ſecunda Ægyptiorum feſtiuitas in hac vrbe celebraretur; vt nimirũ temporis quoq. ratio Iſidis & nomini & perſonæ reſponderet. Quod rogo pane cæleſti validius & robuſtius dari queat alimentum, quo qui paſtus fuerit, in æternum non famebit? Vide quæſo veteris theologiæ & perennis veſtigia minimè obſcura. Vide rurſus quò fœda hominum vel inſania vel ignorantia ſanctiſſimas id genus nomenclaturas detorſerit, ac quibus è principiis idolomania manârit. Sed his immorandum non eſt. Verum enimuerò dicet quis, Quid tu nobis de Buſiride comminiſceris? an ignoras Buſiridem crudeliſſimum fuiſſe in hoſpites omnes tyrannum?

Buſiridis etymon. *Iſis.* *Ægyptiorum altera feſtiuitas in Buſiride vrbe cur ſoleat celebrari.* *Buſiridis fabula.*

Quis aut Euryſthea durum,
Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?

Scio ſanè fabulam hanc de Buſiride apud poëtas celebrari, ſed & illud ſcio, vnde ea orta & qua occaſione conficta ſit, nemini hactenus conſtitiſſe. Ouidius libro primo De arte amandi tenuem quandam rationis vmbram indicauit, ſic canens;

Dicitur AEgyptus caruiſſe iuuantibus arua
Imbribus, atque annos ſicca fuiſſe nouem;
Cùm Thraſius Buſirin adit, monſtrátque piari
Hoſpitis effuſo ſanguine poſſe Iouem.
Illi Buſiris, fies Iouis hoſtia primus,
Inquit, & AEgypto tu dabis hoſpes aquam.

Iſraëlitarum in Ægypto ſeruitus & inde egreſſus, è fabulis & veterum hiſtoriis illuſtrata.

Alij ferunt hoſpites paſſim necaſſe, & tandem ab Hercule fuiſſe interemptum. Ex his equidem coniecturam facio, quæ de hoſpitibus malè tractatis dicuntur, ad Iſraëlitas pertinere; quorum vnius beneficio à fame ſeptem annorum fuère ſeruati; erga quos poſteà tam fuerunt ingrati, vt maſculos ipſorum infantes occidi iuſſerint, & ipſos ad iniquiſſimos condemnârint labores; inter quos Buſiridis etiam vrbis ædificatio numerata figmẽto dedit occaſionem, quo hoſpites dicuntur à Buſiride mactati; & id quidem ad aras, quia inter cetera opera templorũ ſtructura omnium eſſet moleſtiſſima, & tam crudeli rigore exacta, vt neci par haberetur. Hunc deinde Hercules dicitur occidiſſe, quòd videlicet quicquid potenti Dei manu de tyrannis ſumitur vltionis, id Herculi attribuatur, cuius nomen nihil aliud ſonat quàm maſculum robur totius vniuerſitatis. Buſiridis autem ciuitas ob id maximè ad fabulæ partes venit, quòd Iſraëlitæ illic maximè fuerint vexati, & quòd inde tandem diſcedentes omnem Regis exercitum in mare Erythræum, quo obruti ſunt, pertraxerint. Priſca igitur quædam fama ad Græcos peruenerat de fame ſeptennali, quam in nouennalem commutarunt; & de hoſpite Ioſepo qui populum à fame ſeruauit; & de hoſpitibus pòſt crudeliſſimè vexatis; & de vindicta diuina contra Ægyptum, & maximè Buſiridem ciuitatem, quam Iſraëlitæ poſtremam intolerabili labore & ſumptu conſtruxerant, & è qua profectionẽ ſuam in terram diuinitùs promiſſam ſunt exorſi. Et hoc quidem modo vetus fabula Moſaicæ hiſtoriæ collata cribratur, & quantũ in ea ſit veritatis aperitur; è qua luculentũ etiam teſtimonium noſtræ accedit opinioni, quæ Buſiridem & Ragamaſſam eandem facit ciuitatem. Diodorus Siculus meo quidem iudicio turpiter labitur, dum Buſiridem, Thebas, & Solis vrbem eandem vrbem eſſe ſcribit: quando clarum eſt Heliopolim, quæ Betſames ſermone Hebraico vocatur, & Thebas Ægyptias à Buſiride diuerſas eſſe. Vt enim Ptolemæũ & Strabonem prætercam, ipſe Herodotus clariſſimis verbis Thebas & Heliopolim & Buſiridem diſtinxit; cui fides eo magis habenda, quòd eas vrbes diſcendarum antiquitatum ſtudio in primis viſitârit. Ceterùm vt vrbi hoc nomen fuit conueniens, tum propter loci naturam pabuli feracem, tum propter Iſidem ſolum & verum omnis animorum cibi fundamentum; ita crediderim regem quoque eum, à quo Ioſepus ſummo Ægypti magiſtratui eſt inauguratus, Buſiridem à ſacerdotibus appellatum fuiſſe, propterea quòd eius cura Ioſepus Ægyptiis procurârit alimenta ſeptem annorum, quibus agri ſteriles manſerunt. Cognomen profectò plurimùm nutrientis hic Pharao meruit;

Buſiris cur hoſpites mactare fingatur. *Buſiris ciuitas ab Iſraëlitis ædificata.* *Ragamaſſa eadem quæ Buſiris.* *Buſiris rex is fuit qui Ioſepum Ægypto præfecit.*

quandoquidem, niſi de hoſpitis vaticinio futuræ neceſſitati prouidiſſet, vniuerſi Ægyptij & Iſraëlitæ fame fuiſſent enecati. Licet ergo Diodorus in ciuitate Buſiride errarit, hoc tamen verè ab eo proditum eſt, poſt hunc regem, qui primus Buſiridis nomen meruit, octo Buſirides in Ægypto ordine ſucceſſiſſe; quorum poſtremus tyrannidem in hoſpites Iſraëlitas exercuit, & inter alia opera Buſiridem ciuitatem ad Nilum condidit; quem Hercules ob iniurias hoſpitibus illatas occidit. Totidem enim Reges ab Euſebio enumerantur, tametſi nulla apud eum huius cognominis fiat mentio. Miror ſanè vnde acciderit vt veriora Diodorus & Euſebius ſcripſerint, quàm vel Manetho vel Cheremon, quorum fabulas Ioſepus ſolidis argumentis profligauit. Verùm quæ de Regibus paſtoribus ſcribit Euſebius, aiens eos centum & tres annos regnaſſe, & vltimum eorum annum incidiſſe in duodecimum præfecturæ Ioſepi annum, haud equidem ſcio quî ad ſacram Moſis hiſtoriam quadret. Nam cùm Ioſepus in Ægyptum venit, Reges Pharaones, non paſtores, vocabantur; nec ab illa tantùm ætate, ſed multo etiam priùs ex iis quæ de peregrinatione Abrahæ in Ægypto ſcripta ſunt, quiuis intelligit. Nec video item quî congruat veritati, quòd primum regis Amaſis annum ſexto anno famis Ægyptiacæ adſcribat; quaſi vel illo vel ſuperiore anno Pharao mortuus fuiſſet, qui Ioſepum inaugurauerat: cuius nullam mentionem in ſacris litteris habemus, habituri haud dubiè ſi res ita accidiſſet. Quid? quòd ſi eo anno obiiſſet, falſum fuiſſet Ioſepi vaticinium, quòd Regi ſeptem annos fertilitatis, & ſeptem annos ſterilitatis prædixit. Deinde, nónne Ioſepus ab eodem Pharaone magno comitatu dimiſſus eſt, vt patrem in Ephrata è regione Mambre in terra Chanaan ſepeliret? Quorſùm igitur Amaſis nouus rex anno famis ſexto inducitur, ceu prior è viuis exceſſiſſet? Quod igitur de paſtoribus regibus à Manethone dictum eſt, id vel ad Ioſepum & eius fratres referendum eſt, Euſebiano calculo non paullo poſteriores, vel nihil habet veritatis. quo fit vt multo minus ſacris litteris conſentaneum ſit, & ante Ioſepi aduẽtum & ipſius etiam tempore paſtores in Ægypto imperaſſe. Quamobrẽ dicemus Pharaonẽ qui Ioſepi tempore regnauit, primum eſſe Buſirim, & eum quidem, vt nomen præfert, laudatiſſimũ, & alios huic octo ſucceſſiſſe, quorum vltimus ab Hercule occiſus ſit, id eſt potenti Dei manu percuſſus & obrutus mari Erythræo. Prius autem quàm hic poſtremus Buſiris Ragamaſſam Hebræorum ſeruitio condidiſſet, potiſſima pars Iſraëlitarum Bubaſti habitabat, & inferiora ad Peluſiacum vſque oſtium tenebat. Vnde fabula Cheremonis quam de exitu Hebræorum fingens ſcripſit, trecenta octoginta millia virorũ ad oſtium Peluſiacum fuiſſe, qui leproſos contra regem Ægypti adiuuerint: quod figmentum Ioſepus reiecit; ſed vnde ortum habuerit, non indicauit. Quòd autem antea Bubaſti habitarint, de Manethonis teſtificatione conſtat, qui hanc vrbem olim Auarin vocatã fuiſſe ſcribit; quod nomen ſi de ſacerdotũ ſermone interpreteris, deprehẽdes idem notare ac ſi dicas, omnium bonorũ mobilium cuſtodiam. Nos Hauewar diceremus. Crediderim itaq. hanc vrbem ab Hebræis conditam fuiſſe permiſſu Pharaonis, quo & ſua omnia in tuto haberent, & Ægyptiis, ſi qua vis ab Orientalibus ingruiſſet, præſidio forent, & ſingulari in prohibendis hoſtibus adiumento. Hinc colligo Bubaſtum etiam eadem ex lingua nuncupatam; quo nomine, licet diuerſo, idem tamen ferè denotatur. Si enim roges quemquam noſtratium quid ſit Behuiwaſdum, è quo fit Bubaſtum, reſpondebit, nihil aliud intelligi quàm ſi dicas, cuſtodiam omnium fructuum. Quòd ſi Buſiridis nomen à Behui etiam deriues, nihil aberrabis: eo quòd Vui pro nutrio fiat à Behui duabus ſyllabis in vnam coëuntibus, & Beta mutato in digamma diſcriminis cauſſa. Prima enim vitæ cuſtodia eſt nutritio, citra quam nulla cuſtodia conſtare poteſt. Siue igitur cuſtodem, ſiue paſtorem alimenta copioſa ſuppeditantem Buſirim dicas, idem dixeris: nec repugnabo ſi Seer, è quo fit Sir, pro domino accipi dicas, vt idem ſit Seer & Heer, vt Salt & Halt. Antiquis enim Seer pro maiore domino in vſu fuit, eo quòd ſibilus plus virium ſignificet quàm adſpiratio quæ eſt in Heer. Hinc apud Gallos hactenus *Sire*, & apud Anglos *Sere*, & שַׂר Hebræorum pro principe, quod cum ש frequentiùs ſcribitur cum puncto in ſiniſtro cornu. Nos diuerſis litterarum ſonis diuerſas tribuimus figuras. Sicut autem hæc à Seer, ita Herus ab Heer, licet temporis ratio corrupta ſit, apud Latinos. Buſiris poſtremus à quibuſdam Rameſſes, ab aliis Ramſes per ſyncopen vocatus eſt; à ciuitate, ni fallor, quam condidit. Sed plus ſatis modò de Ragamaſſa, è qua Hebræi ſeſe itineri accinxerunt. Quòd ſi cui odioſa ſit prolixitas, is

Ægypti reges Pharaones appellati.

Bubaſti in Ægypto habitarunt Iſraëlitæ.

Auaris eadẽ quæ Bubaſtus

Bubaſti etymon.

Buſiridis etymon aliud. Vui.

Heer.

cogitet

cogitet non me in cauſſa eſſe, ſed errores aliorum; quos dum corrigere nitor, videor mihi in Augiæ ſtabulo repurgando verſari: adeò ſemper error errorem trahit. D. Hieronymus enim Ragamaſſam Arſinoitico nomo attribuit, quod falſum eſſe ex eo liquet, quòd terra Geſſen, in qua erat Ragamaſſa, è Palæſtina venientibus prima occurrat, quod nullo modo poteſt in Arſinoën quadrare. E Ragamaſſa profecti ſunt recto itinere deſertum verſus; in cuius viciniam cùm veniſſent, primùm ſub tentoriis & pellibus quieuerunt; & inde his ſuis primis caſtris nomen סֻכֹּת ſiue סֻכּוֹת dederunt, quo vmbracula denotantur. Sca enim vmbram ſignificat, & Scauot id quod ad vmbram faciendum eſt neceſſarium; vnde Græcorum Scena, & Hebræis שְׁכָנוֹת pro tabernaculis & murorum teſtudinibus in modum ſcenarum factis, ſub quibus propugnatores tuti ſint. E Suchot venerunt in Etam, quæ eſt in extremis finibus ſolitudinis Ægyptum verſus. Hinc Dei iuſſu reuerſi venerunt ad os foſſæ quæ Arſinoën ſpectat, vbi caſtra metati ſunt ante Magdalum. Quòd autem dicam Pihacherot os foſſæ eſſe, id mirum videri non debet; cùm חָרַת ſcalpere ſignificet ac effodere, quod priùs ad foſſas quàm ad litteras excauandas vſurpatum eſt, haud ſecus atque exarare priùs ad terram quàm ad tabulas fuit relatum. Sic apud Græcos χαράττω, vnde Charax, priùs notauit fodio quàm ad litteras in cera aut ære aut marmore exarandas tranſiret. Eſt autem harum vocum origo è noſtro ſermone, in quo Graft foſſam ſignificat, & Grauen fodere ſiue exſculpere, vnde γράφω Græcorum. Fuit autem hæc foſſa, cuius hic mentio fit, ea quam Strabo docet Arſinoën verſus tendere è Nilo, inchoatam primùm à Seſoſtri, pòſt à Ptolemaicis regibus interpolatam, & euripum factum qui circa mare Erythræum clauſus maneret, ne mare exæſtuans Ægypto infunderetur. Siue Seſoſtres ſiue alius fuerit qui hanc foſſam fecit; certè ex hoc Moſis loco conſtat antiquiſſimam eſſe & multis ſeculis Troiano excidio priorem. Neſcio quid D. Hieronymo in mentem venerit, vt פִּי-הַחִירֹת os nobilium interpretaretur, & tamen addat vocem Chet habere, quod ipſe & multi cum ipſo Heth pronuntiant; ſed vitiosè, vt Hieroglyphica mea demonſtrant. Si χαράττω & χάραξ voci Hebraicæ contuliſſet, è Græcis mox cognouiſſet huius elementi poteſtatem. Caſtra itaque hæc ad extremam oram foſſæ fuerunt; cuius hactenus etiamnum principium cernitur. Traianus ambitioſus in alienis operibus reparandis & ſibi adſcribendis, foſſam hanc ad ciuitatem Heroum diuertit, quo per eam vectura Arabiam Petræam verſus daretur. Ptolemæus auctor eſt eam per ciuitatem Heroum & Babylonem in Nilum deriuari ſub fluminis Traiani nomenclatura. Strabo Heroum ciuitatem Arſinoę proximam facit, & Cleopatridem in vltimo ſinus Erythręi receſſu, eo qui Ægyptum ſpectat, collocat. Equidem ex horum inter ſe collatione ſuſpicor, opidum ad caput foſſæ olim conditum primùm Pe Cherot dictum fuiſſe, ac deinde peruerſo ipſius Chet ſono, Herot dici cœpiſſe: vti pro Cham Ægyptij & Hebræi, quos D. Hieronymus duces habuit, dicunt Ham. Pòſt, vti ex Elut factum eſt Elus, ita è Herot Heros; atque adeò hinc eueniſſe credo, vt Heroum ciuitas vocaretur; & D. Hieronymus excuſari poſſit, quòd nobiles pro Heroibus acceperit. Herodotus hanc foſſam aliſtde exorditur, & tot amfractibus & mæandris huc illuc detorquet, vt quatuor dierum habeat nauigationem. Verùm vt innumeræ in Ægypto foſſæ fuerunt, ita nulla vel antiquior vel nobilior quàm hæc ad mare Erythræum è Babylonia ducens. Porrò non ſatis fuit Moſi extremam foſſæ oram deſignaſſe, niſi & alterius antiquiſſimi opidi deſignatione caſtrorum locum inſigniuiſſet. Adiecit enim in conſpectu Magdali Iſraëlitas tentoria fixiſſe, quæ vrbs è Syria per deſertum Etam Babyloniam proficiſcentibus ferè prima occurrit: quod ex eo perſpicere licet, quòd Herodotus commemoret, ad hanc Syros Ægyptum aggreſſuros à Neco cæſos eſſe. Videtur hæc olim princeps vrbs in illo tractu fuiſſe, & idcirco à Moſe diligenter annotatam habemus: cuius rei indicium nomen præſefert. Strabo Arſinoëticum nomen beatiſſimum facit, aiens magna diuerſorum fructuum copia maximè abundare; quod ſi ſic eſt, quid ni dicamus opidum à ſacerdotibus מִגְדֹּל ſiue מִגְדָּל vocatū fuiſſe, à מֶגֶד & אֵל vocem compoſitam eſſe, vt non aliud denotetur quàm excellentia præſtantiſſimorum. מֶגֶד enim in fructibus, in auro, in omnibus denique id ſignificat quod optimum eſt, à noſtro Magt/ quo vis magna & vehementia denotatur; vt cùm dicimus, Di is magt goet, pro eo quod Latinus diceret, Bonus eſt maiorem in modum; ſiue Bonus in ſupremo bonita-

Iſraëlitarum è Ragamaſſa deſertū verſus profectio.

Sca.

Suchot.

Etam.

Pihacherot.

Graft.

Grauen.

Traiani fluuius in Ægypto.

Heroum ciuitas.

Magdalum.

Magdali etymon.

Magt.

tis gradu. Non multum abſui ab illa ſuſpicione, vt crederem opidum hoc nomen ſortitum olim fuiſſe à virginibus, ceu virginis portio diceretur, quam nos vocaremus Magt deel. Vtraque ſanè ratio arridet adeò, vt neſciam vtra potior dici debeat. Quòd ſi quod opidum virginibus dandum fuit, certè illud maximè conueniebat, quod cum omni pomorum genere præ cæteris Ægypti partibus maximè abundaret, tum & mare & foſſam nauigationi commodam haberet adiunctam, & proximum eſſet Arſinoæ, vrbi gemmarum & aromatum mercatu nobiliſſimæ. Adde quòd montes etiam non longè aberant quos poſterior ætas Troicos vocauit. Diligentiſſimus profectò fuit Moſes in caſtris deſcribendis è quibus per mare Erythræum Iſraëlitæ portentoſo itinere profecti ſunt. Os foſſæ nominatur; Bagal Stephon additur, quæ vrbs poſtea Arſinoë vocata eſt; licet alia quoque procul à mari eiuſdem nominis ciuitas in Ægypto eſſet. Adiungitur deinde Magdolus, vt interim taceam quòd eos dicat ex hoc littore mare tranſiiſſe: è quibus omnibus efficitur clariſſima & certiſſima loci delineatio. Ex hoc igitur loco mare Erythræum tranſgreſſi ſunt; & ex oppoſito littore, in quo Sur erat opidum, hodie Tor vocatum ea quam dixi ſibili in Tau permutatione, profecti ſunt priùs per deſertum Sur, deinde per deſertum Etam ad illud repetendum iter quod primùm tenuerant, dum è Suchot in Etam irent. In Exodo enim dicuntur è mari in ſolitudinem Sur exiuiſſe, & in Numeris dicuntur tribus diebus iter feciſſe per deſertum Etam; quibus è locis efficitur, eos ad rectum in Palæſtinam iter contendiſſe, & illud quidem quod ſecundum mare Gazam ducit, quia minus haberet ſolitudinis & montium; & præterea loca ad commeatum & vitæ neceſſaria ſuppeditanda magis accommodata propter nauigationem, cuius vſu omnia ad littoralem oram inuehi poſſunt: qua de cauſſa tam multa opidula & vici inter Peluſium & Gazam numerantur. Hactenus ij qui Damaſco in Babylonem Ægyptiam per camelos magnis cateruis proficiſcuntur, non antè ab hoc littore diſcedunt quàm ad deſertum Etam ventum ſit: quò quidem non ante adſpirant quàm lacum Serbonidem à ſiniſtris reliquerint, & Caſium montem à dextris. Tertio itaque die magnis itineribus in Mara, vt in Numeris; ſiue, vt in Exodo ſcribitur, Maratha venerunt: vbi aquas quidem inuenerunt, ſed ſalſas. Cùm itaque in ſolitudine aquas non inueniſſent, veriſimile eſt eos magnis itineribus ad littus Peluſiacum contendiſſe, in quo tribus diebus abſumtis ad partem proximam Serbonidis lacus veniſſe reor: qui quòd nitroſus eſſet tum propter ſuas ipſius exhalationes, tum propter arenas nitroſas quas ventus in eum immittit, non fuit aptus ad bibendum. Hoc ſtagnum eum ſitum habet, vt anguſtum iter inter ſe & mare relinquat, & in longitudine ducenta habeat ſtadia, in latitudine paullò plus minus quinquaginta: quod deſertũ verſus productum, iter è Sur valde reddit periculoſum, eo quòd crebrò ad ripas ita arenis vento impulſis oppleatur, vt homines fallat, quos velut per ſiccum ingreſſos, occultis barathris abſorbet. Spatium itaque quod inter littus maris Rubri Sur opido vicinum & lacum Serbonidem interiacet, vix iuſtam habet trium dierum profectionem. Nam inter mare Rubrum & littus Peluſiacum Herodotus mille dumtaxat ſtadia computat, quæ ad Italica milliaria minima reducta, centum & viginti quinque reddunt. Hinc ſi lacus ipſius extenſionem & quod inter lacum & mare mediterraneum Peluſio vicinum interiacet adimas, iter militare trium dierum relinquetur; & illud quidem non nimis magnum iis qui feſtinant & iumentis abundant; vti Iſraëlitæ tum temporis recens Ægyptum egreſſi, & omnibus rebus quàm optimè & copioſiſſimè inſtructi. Ceterùm quia nemo, quod equidem ſciam, ante me Moſem è deſerto Sur mare mediterraneum verſus profectum fuiſſe animaduertit, paullo diligentiùs itineris ratio ſupputetur; quod vt fiat, Bellonius nobis fuerit adiumento, qui à monte Sinai, quem omnes Sinai montem eſſe ad hanc vſque diem tenuerunt, quinque dierum iter eſſe dicit vſque ad mare mediterraneum, & idem deprehendit duorum dumtaxat dierum iter eſſe à Sinai ad Tor vſq. ſiue Sur, in cuius deſertum Moſes populum è mari Rubro deduxit. Duorum igitur dierũ itinere mari mediterraneo fuit, quàm mons Sinai vulgo creditus, vicinior: quo fit, vt non ſolùm ad Selbonidem lacum, ſed ſi rectà perrexiſſet, ad ipſum vſq. mare mediterraneum, vel ſaltem ad Elim trium dierum itinere potuerit peruenire. Verùm licet magnis itineribus aquarum penuria proficiſci cogeret, nos tamẽ impedimentorum etiam rationem habemus; & tertio die à Tor dicimus Moſen ad Mara veniſſe.

Bagal-ſtephõ, pòſt Arſinoe appellata.

Iſraëlitæ vbi mare Erythræũ tranſgreſſi ſint.

Sur.

Mara ſiue Maratha.

Serbonidis lacus.

Moſes

Moſes igitur quia aquas Maratha amaras inuenit, vocauit eas Mara, id eſt, amaras. *Amarus ſa-*
מַר & מָרָה enim lingua Hebraica amaritudinem ſignificat, ſiue amarum, à noſtro Mar, *por.*
quod eſt demorari. Amarus enim ſapor nos ab eorum guſtu quæ amara ſunt, retinet. Mar.
vnde Latini ſuum quoque habent Amarum. Sicut enim quæ grata ſunt palato, nos ra-
piunt, ita quæ diſplicent, nos ab edendo & potando demorantur; vti in iis videmus eue-
nire qui amara medicamenta capere coguntur, quos frequenter diu prius videas tergi-
uerſari, quàm vt hauriant, adduci queant. Neſcio antea ab Elyſſi poſteris Morhoot vo-
catum fuerit hoc ſtagnum; hoc ſcio, vocabulum non malè in lacum quadrare. Moor Moor.
enim nobis lacus eſt, ſiue terra aquis permiſta: vnde Moorhoot paludum caput notaret. Moorhoot.
Coactus autem eſt Moſes populum ſuum circumducere ad ſiniſtrũ paludis latus, quia
dextrum montibus erat impeditum. Venit igitur in Helim, vbi duodecim reperit fon- *Helim.*
tes, & palmas ſeptuaginta. Stephanus Elim opidum eſſe dicit ad Olympiam Ægyptia-
cam, quod nomen vnde ſumtum ſit, ex iis quæ antè diximus, clarum eſt. Opinor Eleos
Peloponeſiacos hic vicũ conſtituiſſe, vt indè aquas nauibus ſuis inferrẽt. Vocarunt autẽ
Olympiam templum Iouis Caſij, ad Olympiam opidum Peloponeſi alludentes. Ex *Olympia.*
Elide igitur ad Caſium, & Eluſa ad Aſion-Gaber perſpicuum fit, hæc loca Elyſſum &
ipſius poſteros frequentaſſe; & inde ſuſpicor, lacum hunc olim ſalinas & nitrarias offi-
cinas habuiſſe, ac deinde fortaſſe manſiſſe neglectũ, eo quòd ecregma, per quod mare
immittebatur & emittebatur, vel arenarũ vi vel alia quapiam occaſione fuerit obſtru-
ctum. Iuuat hanc meam ſuſpicionẽ Herodotus, qui non Serbonidem aut Sirbonidem *Selbonidis la-*
ſtagnum vocat, ſed Selbonidẽ: quo fit vt credam, non à Serbone quopiam Ægyptio, ſed *cus idem qui*
à ſale, quem illinc Peloponeſiaci petebant, nomen habuiſſe. Selwon enim, vnde Sel- *Serbonidis.*
bon, idem eſt quod ſalis quæſtus, vocabulum ea formula factũ quæ nomina à præterito
imperfecto ducit. Won enim idem eſt quod lucrabar, à Win præſenti. Elis ergo Ægy- Won.
ptia pagus Eliacorum videtur fuiſſe ad ipſos fontes conſtitutus, ad quos palmas quoque Win.
plantatas fuiſſe, tum de locorum quæ hactenus palmas ferunt natura, tum de Eliacorũ
induſtria, veriſimile eſt. Elidem ego Belbam, ſiue, vt vulgò vocatur, Belbes eſſe credide- *Elis eadem*
rim; quam Bellonius de palmarum copia celebrat, à quibus regionem Palmiram, ni fal- *quæ Belba,*
lor, vocat, longè diuerſam à Palmirena. In eo caſtro quod exiguum eſſe dicit, plurimũ *ſiue Belbes.* *Palmira.*
omnis generis eduliorum venale ſe reperiſſe ſcribit; & inde ad mare mediterraneum,
quod non longè abeſt, veniſſe. Itinerum ratio & caſtrorum interualla apertiſſimè eos
redarguunt qui Iſraëlitas è mari Rubro montem Sinai verſus ducunt; eum, inquam,
quem vulgus hactenus hoc nomine vocari credidit: quod quidem fecerunt maris Suph
occaſione, ad quod ab Elide caſtra dicuntur mouiſſe. Quãuis verò בְּלְבֵּשׂ, quaſi in Elide
dicas, ſoli caſtello tribuatur; ego tamen viciniam etiam hoc nomine intelligo, eodem
modo vt Elis in Peloponeſo & regionem & vrbem notat. Vallis ergo ea quæ palmas
aliquot adhuc alens, & aquæ dulcis puteum habens, ad Belbes ducit, eodem nomine
comprehendetur. Ab Elide enim ad mare mediterraneum, quod Caſium alluit, ſunt
profecti; & inde ad deſertum quod montibus Idumæis ab occidente & meridie adia-
cet. Moſes enim Numerorum cap. triceſimo quarto terram Chanaan à meridie termi-
nat ſolitudine Sin, quæ eſt iuxta Edom, quod longè abeſt vt ad maris Erythræi viciniam
referri poſſit, vt ex præmiſſis perſpicuum eſt. Annotandum, Sin hoc loco per litteram *Sin.*
quam Hebræi Zade vocant, ſcribi, viceſimo ſeptimo eiuſdem libri, & Ioſue decimo
quinto, & Deuteronomij triceſimo ſecundo ſcriptum reperitur; cùm cap. Numero-
rum triceſimo tertio per Samech ſcribatur: quod ea de cauſſa indico, vt cernatur quàm
antiqua ſit litterarum apud Hebræos confuſio, quæ clarè demonſtrat, eos verum litte-
rarum diſcrimen ignoraſſe, & idcirco earum inuentionem ipſis minimè deberi. Equi-
dem Stin vocali longa deſertum hoc ab Elyſſi poſteris nominatum credo, & ab ea voce Stin.
caput reciſum eſſe. Nos enim Wuſtijn dicimus pro quauis ſolitudine & eremo. E de- Wuſtijn.
ſerto venerunt in Daphca, quod nomen vici vel opiduli videtur, quod ab Eluſa in ſoli- *Daphca.*
tudinem proficiſcentibus occurrebat; quaſi diceres arenas ad tranſeundum difficiles.
Dap enim idem eſt quod puluerem verſare ſiue manibus ſiue pedibus, vti pueros fre- Dap.
quenter facere videmus; atque adeò non alio ferè verbo in arenis tranſeundis vtimur.
Qua verò idem eſt quod malum; ita vt Dapqua idem ſit quod malum tranſitus arena- Qua.
rum. Hunc locum non procul à Selbonidis parte orientali fuiſſe credo, & eius nomine

homines periculi moneri quod ab aquis eius occultis poſſet euenire. Quo tamẽ verum fatear, equidẽ ſuſpicor in רפקה Quof loco duplicis digamma poſitũ eſſe, & He loco Ain vel Chet; quod ſi ita ſit, Dapweg ſiue Dapwech habebimus, quo ſignificatur via arenoſa & profunda, qualis hactenus ab eo loco Elanam ad mare Erythræum à Gaza proficiſcentibus videtur. Habemus & nos arenas id genus, vt, niſi curſim & leuiter tranſeas, demergaris. D. Hieronymus ſcribit, quoſdam Rapca legiſſe pro Dapca, propter exiguum ipſius Daleth & Res diſcrimen. *Elus.* A Dapca tranſierunt ad Elus, quam docui eſſe Eluſam Ptolemæo, Idumæorum ciuitatem, ab Eluſto quondam iuxta mare & Aſiongaber conditam. *Raphidim.* Ab Eluſa Raphidim venerunt, quam Raphiam vocat Strabo. Ea eſt poſt Gazam deſertum & Ægyptum verſus tendentibus in finibus Idumæorũ, ad quam Ptolemęus quartus cum Antigono memorabile prœlium commiſit. Quoniam autem caſtrorum mutatio inter Helim & Raphidim valde exigua erat, in eodem maris mediterranei littore paruo locorum interuallo facta, Moſes in Exodo ab Elide ad Raphidim tranſilit, relictis caſtris primùm ad mare, deinde rurſus in deſertũ Stin, pòſt ad Daphca; hinc ad Elus, ab Eluſa ad Raphidim; ita vt quatuor caſtrorũ mutationes omiſerit, quas pòſt in Numeris exponit ſigillatim. Loca enim omnia ab Elide vſque ad Raphæam pertinent ad deſertum Stin, ſiue Sin, vt malè pronuntiant Hebræi. Nulla itaq. eſt inter Numeros & Exodum diſcordia, propterea quòd ad Raphæam vſque arenoſum deſertum extendatur, vti è Strabone & recentioribus diſcas. Videtur autem hic locus Raphidim dictus, quaſi רְפִדָה, quo locus ſignificatur in quo lectus ſtratus eſt: à רָפַד, quod patet è Iob cap. decimo ſexto, vbi Latini habent, *In tenebris ſtraui lectum meum.* & iterum quadrageſimo primo: *Sternet ſibi aurum quaſi lutum.* Hinc Canticorum cap. tertio רְפִדָה reclinatorium vertitur; quam ſignificationem ſecutus, Rephidim cubandi loca non malè vertas. Quòd ſi Daleth omiſſum fuiſſet, vti eſt apud Græcos, Raphæa nomen habere potuiſſet à medicina quam Deus hoc loco oſtendit, dum ſiti enecatos largis aquis è petra virgæ ictu manantibus refocillauit. Verùm nomen antiquius videtur, & ab ipſo loci ſitu, ad quem primò ex eremo venitur, acceptum. Ceterùm hic maxima rurſus exoritur difficultas è peruerſa multorum opinione, qui credunt montem è cuius rupe aquam portentoſo virgæ verbere Moſes eduxit, longè terrarum à Raphæa remotum eſſe. Conferenda itaque ſacræ ſcripturæ loca in quibus huius rupis *Oreb petra vbi ſita fuerit.* Oreb mentio reperitur, quorum cùm vnum in manibus nunc habeamus, nõ poſſumus vllo modo adduci, vt petram Oreb longè à Raphæa remoueamus, niſi tam velit quis eſſe temerarius, & in errore, quem ſemel imbibit, retinendo & defendendo obſtinatus, vt ſibi potius quàm Moſis narrationi nos credere debere arbitretur. Ad ipſam Raphæá ſiti laborarunt Iſraëlitæ; ei ſiti Deus aquis è rupe percuſſa manantibus occurrit. Vbi igitur rupes Oreb quærenda quàm ad Raphæam? At Raphæam à Gaza ad Ægyptum declinare Strabo demonſtrat; & quæ modò à me dicta ſunt, ea omnia vno conſenſu euincunt Raphidim & Raphæam eandem eſſe. Eſt & ſeptimo Iudicum cap. inſignis huius rupis mentio, vbi princeps vnus Madianitarum Oreb vocatur, & in Oreb petra occiditur; vnde factum, vt quidam putarit ab eo rupem nomen accepiſſe; quod fieri non poteſt, cùm Moſes eam eodem nomine multo anteà vocarit. Vbi autem & circa quæ loca Gedeon Madianitas vicerit, colligendum eſt è locis ad quæ vſque vaſtando omnia hoſtes progreſſi eſſe dicuntur. Capite ſexto docemur Madianitas & ſocios omnia per totam Iudæam depopulatos fuiſſe vſque ad Gazam. Rupes itaque in qua Oreb occiſus eſt, Raphææ proxima eſt, è valle Raphaim conſurgens, ad quam vallem vſque Iudæ portio meridiem verſus pertinebat; cui vicina erat Cades in eadem ſorte recitata, ad quam per Sina terminalis linea veniebat. Vnde liquet, Cades, Sina, Raphaim vallem, & in ea Raphæam opidum in terminis Idumæorum fuiſſe non longè à Gaza, quam vnà cum vicis vſque ad torrentem Aegypti Iudæ videmus adſcribi. Ieſaias repetit, Oreb Madianitarũ *Mons Oreb idem qui Sinai, & mons Dei.* principem in petra Oreb occiſum eſſe. Iam mons Oreb mons Dei vocatur, & idem mons Sinai. Cùm igitur è rupe, quæ eſt in monte Oreb, percuſſa aqua populi ad Raphæam ſiti reſtinguendæ manarit, ſatis conſtat & montẽ Oreb & montem Sinai eundẽ montem eſſe, & vno nomine Dei montem vocari. Exodi enim cap. tertio Oreb mons Dei dicitur: & idem eodem nomine cap. decimo octauo, vbi Ietro ſacerdos Madian dicitur ad Moſen veniſſe, haud dubium quin è patria ſua Madian, vti vicina. Eodem igitur

igitur venit Ietro, vbi Moſes, cùm oues paſceret, Deum vidit ſub ſpecie flammei ardoris: qua de re mons Oreb, mons Dei vocatus eſt. Eſt igitur Oreb à Gaza per Raphæam Ægyptum petentibus ad ſiniſtram verſus deſertum aſſurgens, ſed non maiore à Raphæa interuallo quàm vehementiſſima ſitis curanda poſtulabat. Relicta igitur Raphæa, ad montem & eius aquas tentoria in deſerto fixerunt, quod mox ſequenti cap. deſertum Sinai vocatur; in quod à Raphæa declinantes ſub ipſo monte caſtra poſuerunt: vbi mox additur Moſem in montem ad Deum adſcendiſſe:& eodem cap. ſemel atque iterum mons Sinai vocatur, vocula per Samech ſcripta. Deſertum igitur Sinai, eſt deſertum quod ipſi monti adiacet: ac mons quidem ad orientem Raphææ ſitus eſt, qui ſine diſcrimine modò Sinai, modò mons Oreb in ſacris litteris nuncupatur. Nam triceſimo tertio Exodi capite poſtquam iam ſæpius montem Sinai Moſes nominaſſet, rurſus eum vocat montem Oreb. Verùm video graues & eruditos viros in vtroque horum nominum non parum offendi, propterea quòd diuerſo modo vtrumque ſcriptum reperiatur; aliàs enim Sinai, aliàs Sina ſcribi vident: deinde in Ioſue decimoquinto capite צִנָּה inueniunt, per Sade, vt ipſi vocant, litteram; non per Samech, vti Sinai ſcribitur, exaratum. Ad hunc modum Oreb etiam diuerſam habet ſcripturam. Aliàs enim עֹרֵב aliàs חֹרֵבָה aliàs חֹרֵב inuenitur; qua ſcribendi diuerſitate putarunt quidam variari ſignificationem; verùm nimiæ id eſt curioſitatis, aut potiùs negligentiæ, quandò ex iis quæ adiiciuntur clarè cernitur, tria hæc nomina pro monte eodem eſſe capienda: quod ſigillatim declararem, niſi & facile id cuiuis ſcirem eſſe factu, & ſuperfluam vererer prolixitatem, vbi cæteroqui res per ſe nimium prolixæ & plurimis ſalebris impeditæ plurimum adferunt impedimentorum. Non rarum eſt litteram y pro Chet poni, neque abſurdum; cùm y per Gh debeat efferri, & Chet idem ſonet quod Chi Græcorum. Siue igitur Choreb, ſiue Choreba, ſiue Ghoreb apud Hebræos inuenias, eundem intellige montem notari: & ſimiliter ſiue סִינַי ſiue צִנָּה ſiue סְנֵי ſcriptum videas, idem tibi mons capiendus; inter quem & Elim deſertum סִין ſiue צִין vocabis Vnde perſpicuum fit, iter ab Eli maxima parte per deſertum Sin fieri, & Sinai eum eſſe montem qui ex Ægypto venientibus circa Raphæam ſe ad dextram oſtendit paullo prius quàm Gazæ limites intres, aut potiùs in ipſis Gazæorum & Idumæorum confinibus dexter videtur. Vide quæſo quanto terrarum interuallo in hoc monte deſignando hactenus omnes aberrarint, quamque longè & à Moſis narratione & geographia eorum recedant commenta, qui Choreb & Sinai diſtinguunt, montes hos ad ſinum Arabicum procul à Iudææ terminis remouentes. Ac quia illic montem Sinai collocant, & de Moſis relatu intelligunt Raphidim & Aſiongaber huic monti proxima eſſe, coacti ſunt Raphæam & Aſiongaber & loca finitima à mari mediterraneo ad mare Erythræum transferre. Deinde citra omnem cauſſam Iſraëlitas à meta ad carceres reuocant, & ab Idumæis finibus Iudæam terminantibus miſeros homines ad mare Rubrum redire compellunt; quod tam abſurdum eſt quàm quod abſurdiſſimum. Quis rogo tam inſanus ſit, vt ab Eluſa & Raphæa reuerti velit ad Elaniticum Arabici ſinus receſſum, vt iter in Iudæam inſtituat? ac ſi quis tam inſanus eſſe fingatur, qua ratione per mediam ſolitudinem, quæ inter Raphæam eſt & Elaniticum ſinum, tantam aquæ copiam portabit, vt toti ſufficiat multitudini? Sed dices à Raphæa diuino miraculo ſubitò rapti ſunt Iſraëlitæ vſque ad Erythræi maris viciniam, vbi Moſes ſtatim rupem Choreb percuſſit. Magnum, & ter magnum miraculum fuit, numeroſiſſimam hanc multitudinem per mare Rubrum vtrimque montium inſtar elatum deducere; verùm multo maius portentum fuiſſet, totum populum per aërem momento temporis aut paucis ſaltem horis portare. A Gaza, cui adiacet Raphæa, mille ducenta & ſexaginta ſtadia ad ſinum Elaniticum computantur, ſi Straboni fides habenda, & ea ſic conficienda ſunt, vt omnia vitæ neceſſaria camelis ſint portanda. Cùm igitur mons ille quem vulgus montem Sinai eſſe putat, ad Elaniticum receſſum exſurgat, quî rogo hoc tantum iter abſoluerunt homines iam ſiti areſcentes & propè necati? Profectò ingens hoc portentum fuiſſet, & minimè Moſi diſſimulandum. Sed vt admittamus ſtupendum miraculum, & magis ſtupendum miraculi tanti ſilentium; quid tamen cauſſæ adferri queat, vt nulla expreſſa ratione populus Iſraëliticus vel non rectà Iudæam verſus profectus fuiſſe dici debeat, vel cùm iam in finibus terræ promiſſæ eſſet, ſubitò longius fuerit ſummotus quàm tum

eſſet,

eſſet, cùm necdum ad mare Erythræum veniſſet? Deinde quid cauſſæ queat excogitari, vt dum Rubrum mare tranſiſſet, Moſes iter ſuum non rectà tenuerit, quantum locorum quidem commoditas ferret, ad terram & ſibi & ſuis promiſſam? Quòd ſi illuc contendiſſe detur, qua rogo occaſione retro progreſſus ſubitò longiùs receſſit quàm vmquam abfuiſſet? Porrò quòd mons Sinai & mons Choreb idem ſit, non ex illis modò quæ dixi cernas; ſed ex eo etiá, quòd primo Deuteronomij Moſes dicat Deum ſibi in monte Choreb locutum eſſe ea quæ in monte Sinai iuſſerat. Dicitur autem Sina à rubo quem hoc nomine denotari exiſtimant interpretes. Hebræi dicunt Sina arborem eſſe ſpinoſam illam quidem ſed ſterilem, quam nulla auis queat intrare vt non ſimul plumarum aliquid amittat, eamque maximè in deſertis locis inueniri, & inde monti Sinai nomen eſſe. Miror ſanè quòd hoc nomine arborem ſterilem intelligant, cùm rubo nihil ſit feracius, nihil magis fructibus abundet, nihil ſeſe copioſius omnibus offerat, nihil ſiti magis opituletur, maximè ſi môra ipſius necdum fuerint matura? Iam quod addunt, arborem eſſe deſerti propriam, id cuiuis potiùs plantæ quàm rubo conuenit; cuius non alibi maior copia quàm locis humectis, ad foſſas nimirum & aggeres quibus arua ſepiuntur. Ex his perſpicuum eſt, nihil minùs eos qui hæc litteris mandarunt, quàm de Rubo in nomine Sina cogitaſſe. Chaldæus Turgemanus vertit אַסְנָא; Munſterus in ſuo Triglotto אַסְנָא ſcribit, & rubum interpretatur. Quid igitur reuera ſit Sina apud Hebræos, quid Aſina apud Chaldæos; necdum mihi ſatis liquet, eo quòd ſpina ſterilis à me necdum cognita ſit, & quòd rubus locis aridis & ſterilibus non ferè ſoleat enaſci. Gaudet enim, vt dixi, humore; & idcirco rubi illud genus quod mora producit odoris violacei, non alibi in Alpibus quàm locis lætiſſimis & humectis inuenerim. Verùm quid de loco & natalibus agendum, ſi clarè profiteantur Rabbini, Sina nullum fructum habere? Quod item de auibus addunt, id minimè poteſt in vllum omnino rubi genus quadrare; eo quòd omnium fructu auiculæ gaudeant, & eo citra pennarum periculum fruuntur. Accedit his quòd rubus, niſi arborum adminiculo fulciatur, ſeſe in altum non attollat; & idcirco huic portentoſo ſpectaculo, quod Moſes magna admiratione eminus conſpexit, non videtur ſatis conuenire. Quamobrem mallem ſpinoſam arborem potius quàm Rubum Latini, Baton Græci, vertiſſent, libero cuiuis arbitrio relicto, vt de qua velit arbore ſpinoſa intelligat miraculum: ſpinoſa, inquam, illa quidem, ſed alta; vt nimirum & procul flamma appareat, & cernantur rami incolumes manere. Alibi monui, magnam eſſe interpretum, & eorum qui commentaria & Lexica in Biblia ſcribunt, inconſtantiam, in iis quæ ad quamuis naturalis hiſtoriæ partem ſpectant, præſertim in plantis atque gemmis. Sic pro אֵלָה triceſimo quinto Geneſeos capite alij quercum, alij terebinthum verterunt. Et pro quercu Mamre, alij vallem Mamre reddiderunt. Iterum capite Geneſeos quadrageſimo tertio, Botanim Munſterus, ceu veterem correcturus interpretationem, nuces reddit; alij caſtaneas interpretantur. Nos in Gallicis, vbi arborem vitæ delineamus, quid in his veri, quid falſi ſit, docemus: & quàm illa facilè expediui, tam cuperem hunc quoque nodum ſoluere poſſe cum doctorum approbatione. Serapio Ilicem אֵלְסְנָה vocat; Latini codices Lechinam habent; Hiſpani Arabicam Maurorum linguam imitati, ençina dicunt; Arragonij Leçinero eandem arborem appellant; Galli *Cheſne* quoduis roboris genus vocarunt. Quàm verò Chi & ſigma in pronuntiatione confundantur, in vocabulo populi eius Indici, quos alij Chinas, alij Sinas vocant, animaduertas: quod quia cum hoc noſtro conuenit, non mirũ eſt ſi per Chi Galli proferant. Hæc cùm ita habeant, & nihil clarius ſit quam Ilices ſaxoſis montibus gaudere, & in deſertis locis maximè naſci, non poſſum me cõtinere quin ſuſpicer, arborẽ ſpinoſam, quam Moſes vidit flamis circumdatam, fuiſſe Ilicem, quæ procul poterat miraculum oſtentare. Serapio fortaſſe Eleſina dixit, voce compoſita; eo quòd אֵלָה quoduis roboris genus deſignet, cui ſi addatur סְנָה robur ſpinoſum intellexeris. Credo tamen dum ſimpliciter Sina proferebatur, Ilicem per excellentiæ figuram intelligi debuiſſe, propterea quòd nec vlla arbor plus habeat ſpinarum, vtpote quæ in ſingulis foliis habeat complures; nec ſit arbor aliqua ſpinoſarum quæ vel altiùs attollatur, vel latiora & maiora ramorum tabulata diffundat. Porrò quò lubentius in hanc concedam opinionem, facit myſterium arboris glandiferæ, in cuius genere arborem vitæ inueni Druidibus olim in ſumma habitam veneratione.

Sina vnde nomẽ habeat.

Rubi feracitas & natura.

Rubum Moyſis fuiſſe Ilicẽ.

Ilicis natura.

Quòd

Quòd autem Hebræi dixerunt arborem ſterilem eſſe, id minimè verum eſt: nec in
Rubum, nec in Ilicem, nec in Acatiam, nec in Spinam albam, nec in Rhamnum, nec
in Cynosbatum, nec in vllum omnino ſpinoſæ arboris genus, quod equidem noui, qua-
drat. Pace igitur aliorum mihi liceat in re incerta partim medicis Arabibus, partim Hi-
ſpanis fidem adhibere, & inde colligere, quidnam Sina nomine Moſes intellexerit, &
quid Chaldæus Aſinam. Harum enim linguarum tanta eſt concordia, vt alia ab alia
parum differat, maximè in vocabulis antiquis. Et, quo ſimile cernas, quo loco Botemim
habet Hebræus, Chaldæus dixit Botanin; Arabes Botima pro eadem re vſurpant. Hinc
gummi Albotim terebinthinam vocant, eo quòd è Botima diſtillet. Nolo tamen cui-
quam auctor eſſe, vt vetere opinione deſerta me ſequatur; mihi ſatis eſt, ſuſpicionem
meam indicaſſe, & de Hebræorum commentariis docuiſſe, arborem eam quam ipſi
hoc nomine ſignificari putarunt, nihil cum Rubo præter ſpinas habere commune. Scio
Sina pro ſpina generatim accipi poſſe, & hac ratione rubum etiam poſſe intelligi; ve-
rùm, vti dixi, ſpecioſius & illuſtrius fit ſpectaculum, ſi Ilicem hoc loco Sinam vocemus.
Deinde proprium ipſius Rubi nomen eſt סוליח, vti Arabum ſcholæ teſtantur. Hebræi
קלין habent, quod licet ſpinam vertant, ego tamen de linguarum conuenientia rubum
mallem interpretari. Qui nouiſſe auebit quantũ in glandiferis arboribus latuerit ſym-
bolicæ doctrinæ, is quæ in Gallicis noſtris de Druidum ſcripſi diſciplina, conſulat: quod
qui faciet, eum ſpero in ſuſpicionem hanc meam, quam de Ilice concepi, fore procli-
uiorem. Equidem in veritate veſtiganda rerum & ſymbolorum conſenſionem plurimi
ſemper facere conſueui; cuius ductu ad hanc veni opinionem, vt putarem, Deum ſub
flama ignis non in alia arbore congruentius quàm in arbore glandifera perpetuò viren-
te apparere potuiſſe. Cùm enim liberatio Iſraëlitarum à tyrannide Pharaonis figura ſit
vindiciarum quibus Deus humanum genus è cacodæmonis carceribus & morte libe-
rali manu in vitam ſempiternam aſſerturus erat, quæ, rogo, arbor ad arcanum hoc in-
dicandum aptior queat inueniri quàm Ilex, quæ non perpetuò modò viret, ſed fructum
etiam fert quo panis cæleſtis vitæ æternæ dator denotatur, & idcirco arbor vitæ meritò
habetur? Quo verò hanc myſteriorum conuenientiam Deus declararet, ſub flamæ
imagine apparuit, quam vitæ habere ſignificationem Hieroglyphica noſtra declarant.
Quòd ſi hæc mihi pro eo ac merentur, & rei poſtulat amplitudo, explicanda perſequen-
daque eſſent, vix maximus codex tantam materiam complecteretur. Doctis & ſollerti-
bus ſatis eſt ſi fundamentum indicetur, ſuper quo deinde quamuis magnas licet facere
ſubſtructiones. Præter hæc & ipſum nomen Sina inuitat, quo non aliud ſignificatur
quàm Explora an inuenire queas. Mirabilis adhortatio, quam Moſes ſecutus curioſè
acceſſit, vt videret quidnam ſibi vellet illud portentum, Ilicem in flamis eſſe, non ta-
men amburi. Omnibus nobis arbor vitæ perpetuò veſtiganda eſt, & ad eam totam vi-
dendi facultatem dirigere debemus, quo tandem fructu eius perfruamur quo vita ac-
quiritur & conſeruatur ſempiterna. Mirum id & fortaſſis portentoſum quibuſdam vi-
debitur, tantum arcanæ ſignificationis in hac vocula deliteſcere: at ſi quis Hieroglyphi-
ca noſtra leget, & ea quæ in Gallicis de arbore vitæ ſcripſi, copioſis exemplis intelliget,
illud fuiſſe primo nomenclatori propoſitũ, vt plurimis rebus nomenclaturas daret; non
illas quidem de ipſarum natura, ſed de ſymbolica notatione quam in theologia Seti-
norum eſſent habituræ: quod vt in aliis quamplurimis perſpicuum eſt, ita nuſquam
euidentius quàm in Tau & cruce à nobis copioſè explicatis. Quid ſpina vel moleſtius
attrectanti, vel vilius inter ligna? Hæc tamen tam exilis recula voces ſortita eſt minimè
contemnendas, ſi ad originem & rectam rationem vocentur, & diligenter expendan-
tur. Sicut enim Sina in primo ſermone nos monet, vt ad vitæ arborem reſpiciamus,
tamquam ad vltimum felicitatis ſcopum; ita Spina vocabulum à Latinis retentum hor-
tatur, vt omnia ſtudia noſtra ad explorandum conferamus. Et quid, rogo, exploran-
dum? Id figura ipſius Spinæ docebit, quæ è lata ſede in acumen pyramidis modo ter-
minata, non aliam quàm vel pyramis vel obeliſcus habet ſignificationem. Iubet igitur
is, cui ſpina quod ſpina nominetur debet, vt in omni vita ſic ſtudia actioneſque omnes
moderemur, vt quibuſuis in rebus ipſum Vnum exploremus, & ad id quidquid cogi-
tamus, quidquid agimus, quidquid loquimur, dirigamus: quod quid aliud eſt, quàm ad
arborem vitæ collimare? Quidquid nobis eſt foliorum, quidquid viroris, id totum vn-
dique

Sina vocis ſignificatio, & ſymbolica doctrina.

Spinæ figura, ſignificatio, & myſterium.

dique in modum ſpinæ ad Vnum tendat oportet: quod dum fiet, tutos nos præſtabimus ab immunditia omni, & omni lædere valentium attactu. Nec frondes tantùm perpetuò virentes ſpinis vndique horrent, ſed fructus etiam in acumen tendit, eiuſdem offerens cuius illæ admonitionem. Quid ego de voce Græca dicam, qua Spina generatim nominatur? An quidquam clarius quàm illud quod Acanthe, ſiue Acantha, ſiue Acanthos dicatur, quaſi Hac an thet vel thot, id eſt, omni deſiderio tende ad ipſum caput? Noſtrates vocabulum Doren in vſu retinuerunt, quo indicatur, ſpinæ figuram omnia penetrare motu celerrimo: qua in re & figuræ indoles & ſymboli ratio continetur; eo quòd menti noſtræ ad Vnum euolanti omnis obſtaculorum multitudo & denſitas ſit tranſeunda, idque citra moram, ne quid tarditatis adhæreſcat. Qui ex his non perſpicit cuius rei notationem apud primum nomēclatorem habuerit, is ab omni ſymbolica & hieroglyphica diſciplina abhorrere mihi videtur, & indignus eſſe qui cum hac de re diſſeratur. Et hæc quidē de Spina, Sina, Acantha, & Doren vocabulis generalibus, è quorum ſecundo apud Arabes & ceteros ſermonē earundem radicum vtentes, Eleſina credo remanſiſſe, ad robur ſpinoſis foliis inſigne denotandum; ac deinde quoſdam Leſina, quoſdam Sina, quoſdam Leſinero, quoſdam Enſina retinuiſſe; vbi de litterarum Samech & Chet confuſione nihil angor. Latinis Ilicis nomen ignotæ eſt originis; nobis clarum eſt Eel-eic idem eſſe quod nobile ac generoſum robur. Eic enim robur eſt; Eel ſæpius modò interpretatus ſum: è quo fit Il, vt è Leli, Lilium, & id genus alia complura: Meritò ſanè nobile robur dicitur, quando ille ſolus verè generoſus eſt qui omnia ſua ſtudia omneſq; actiones ad ipſum Vnum dirigit, in eo quærens vitam ſempiternam. Sed vt nimium digredior ad ſuſpicionis meæ cauſſas aperiendas, ita materiam ampliſſimam & plenam maieſtatis nimis anguſtè tracto; quo fit, vt ſatius ſit cetera ſacro ſilentio tranſire, cuique ſuo iudicio & arbitratu relicto. Miſſa igitur hac de arboris genere controuerſia, ad loci ſitum redeamus. Quia verò quotquot hactenus vel annotationes vel commentaria in Moſis hiſtoriam ediderunt, ſic ab eius ſententia diſcrepant, vt prorſus in diuerſa abeant, omnemque profectionis rationem euertant, paullo diligentiore cura ea quæ antè dixi, ſunt examinanda. Ioſepus, & eum ſecutus Hegeſippus, iter Titi ex Alexandria in Iudæam deſcribens, ſic habet, vt dicat è Peluſio per deſertum iter egiſſe, ac veniſſe primùm ad Caſij Iouis templum: Deinde ſecunda caſtra ad Oſtracinen locum aquæ indigum metatum fuiſſe: tertia ad Rhinocolura: quarta ad Raphęam, quæ prima vrbs Syriæ ſit ex Ægypto venientibus: quinta ad Gazam: ſexta ad Aſcalonem: ſeptima ad Iamniam: octaua ad Ioppen: nona ad Cæſaream, ibique bello obſidionique neceſſaria paraſſe. Vides vt hæc cum Strabone & Ptolemæo conſentiant, vt noſtram etiam de Moſaico itinere confirment ſententiam. Moſes cùm ad deſertum Etam veniſſet, iuſſus eſt reuerti ad oram maris Rubri Ægypto contiguam. Per mare ad deſertum Sur venit, ſiue Tor, vt nunc vocant. Inde trium dierum iter confecit per deſertum Etam, eandem videlicet quam prius inſtituerat viam repetens. Deinde ad Elim venit, Caſij Iouis templo vicinam. Hinc ad mare mediterraneum, in cuius littore Oſtracine eſt. Ex eo rurſus loco per arenas deſerti Sin, quod hic in mare promontorij modo excurrit. Hanc ſolitudinem tranſgreſſo Daphca occurrit, vbi Bellonius principium collocat terræ fertilis. Eſt ibi hactenus Carbaſchara, id eſt, locus muro & porticu cinctus, ad ſtationem tutam hoſpitibus recipiendis comparatum. E Daphca Eluſam Moſes deflexit, Rhinocoluræ proximam. Inde Raphæam progreſſus eſt, vrbem limitaneam Syriæ. Cernimus hic idem iter Moſem, Titum & Bellonium tenuiſſe: verùm Moſem propter feminarū, puerorum & ſenum multitudinem tardiùs eadē loca tranſiiſſe, & caſtra mutaſſe minoribus interuallis. Cùm itaque perſpicuum ſit vbi ſita ſit Eluſa, vbi Raphæa, tum etiam conſtet de clara Moſis narratione, rupem montis Choreb, quæ Moſis virga percuſſa, aquam Iſraëlitis ſitientibus effudit, proximam eſſe ipſi Raphææ, qua fronte, quæſo, dicemus montem Choreb mari Rubro adiacere? Adde modò his nullam cauſſam à Moſe hactenus indicatam fuiſſe, ob quam non rectà ad Iudææ limites Iſraëlitæ contenderent. Cuius igitur eſt ingenij, cuius mentis tam inſanam de diuino duce habere opinionem, vt credat eum à mari Rubro ſuperato iter retrò flexiſſe, non Iudæam verſus, ſed verſus Elanam & Arabiam felicem? Video ſanè Elanæ ad Eluſę nomen alluſionem partem occaſionis fuiſſe ob quam ab omnibus hactenus ſit aberra-

Acanthos vocis etymon. *Doren.* *Ilicis etymon.* *Eic.* *Titi ex Alexandria in Iudæam profectio.* *Iſraëlitarum ex Etam retrò ad oram maris Rubri regreſſus.* *Sur ſiue Tor deſertum.* *Etam.* *Elim.* *Sin.* *Daphca.* *Eluſa.* *Raphæa.* *Error de Iſraëlitarum profectione vnde natus ſit.*

aberratum; cui acceſſit peruerſa maris Sup ſiue Soph interpretatio. Ioſepus quia montem quem vulgo montem Sinai vocant, reuera montem Choreb eſſe ſibi perſuaſum habebat, errorem errori nectit; aiens terram Madiam, in qua Ietro ſacerdotio fungebatur, ad mare Rubrum iacere iuxta montem quem vulgus Sinai & Oreb appellat. Quod ſi ita eſſet, quid cauſſæ fuiſſet ob quam Moſes Ietro ſocerum ſuum rogaret, vt ſecum maneret ad iter in Palæſtinam ſiue terrã Chanaam demonſtrandum, quæ longiſſimè à mari Erythræo & locis ipſis frequentatis abeſſet? Profectò, vt alibi ſemper illud verum eſt quod Ariſtoteles dixit, Vno errore dato multa conſequi veritati minimè conſentanea; ita nuſquam id clariùs quàm in hac ſacra hiſtoria fieri animaduerti. Indicaui paullo antè Ioſepum in nauibus Ioſaphat fabulam confinxiſſe ſacris litteris è diametro repugnantem, non alia de cauſſa quàm quòd his erroribus intricatus neſciret vbi Aſiongaber, vbi Elut eſſet collocandum. Pari ratione Madianitas in littore maris Erythræi ad ſinum Elaniticum procul ab Idumææ & Palæſtinæ finibus poſuit, cùm clarum ſit Madianitas eos eſſe qui proximi habitant Moabitis, vt liquet è capite Geneſeos triceſimo ſexto; vbi Adad rex Idumæorum dicitur cecidiſſe Madianitas in regione Moab. Deinde quæ de Balac in Numerorum libro ſcribuntur, clariſſimè demonſtrant Madianitas & Moabitas vicinos fuiſſe, cùm Balac vtriuſque gentis rex dicatur. Moab autem terra è regione Hiericuntis iacebat ad Orientalem Iordanis ripam pertinens, ita vt ignorari nequeat ſitus Madianitidis. Nam caſtris in Moab poſitis Iſraëlitæ Madianitas inuaſerunt, & omnem eorum regionem depopulati ſunt, omni ſexu maſculino & feminis virum paſſis interemptis; quo patrato omnem prædam in caſtra retulerunt in illis poſita campis qui Hiericunti vltra Iordanem ad orientem vergunt. Legendum itaque caput Numerorum triceſimum primum ad regionem Madianitarum & eorum diuitias bene cognoſcendas, quo ex iis intelligatur, quæ terra Madian in ſacris litteris vocetur. A Iordanis ſcilicet ripis Iſraëlitæ ad Erythræum vſque mare, vt cæderent Madianitas, excurriſſent, caſtris interim immotis ad Iordanem manentibus; vt ad ea tanto deſertorum & montium interuallo prædam referrent. Conſule quæſo caput viceſimum quintum Numerorum, & mox deprehendes Moabitas & Madianitas variis ſcortis fornicatos fuiſſe, & inter alia proſtibula filiam fuiſſe ducis Madianitarum nomine Coſbi, ad quam Zambri dux in tribu Simeonis ingreſſus in ipſis amplexibus vnà cum meretrice à Phinee pugione perfoſſus eſt. Hæc cùm diſertis & dilucidis verbis à Moſe narrentur, ſatis mirari non poſſum, quid cauſſæ vel Ioſepo vel alij fuerit, vt regionem Madianitarum iuxta mare Rubrum collocaret procul à campis Moabitarum, ſitis è regione Hiericuntis. Liquet igitur circa quæ loca Ietro ſacerdos Madianita habitârit; & in lucem venit ratio ſermonis Moſaici, quo Ietro rogabatur, vt dux itineris eſſet per regionem Amorrhæorum & Moabitarum & iis finitimorum. Quid ni enim viciniæ ſuæ peritus eſſet homo diues & ſacerdos, cùm ob alia quæ incidunt negotia, tum propter greges & armenta quæ per confines montes paſcebantur? Hinc modò intelliges vbi Moſes oues cuſtodiuerit, & per quos montes ad Sinai peruenerit. Per eos nempe ſecundum quos ex Idumæa Iſraëlitas duxit ad Moabitas & Madianitas habitantes vltra Iordanem è regione Hiericuntis. Habitabant enim Madianitæ inter Moabitas & Nabathæos, ſiue Iſmaëlitas Petræos, oriundi ab Abrahamo ex Cethura vxore, cuius filius Madian fuit pater omnium Madianitarum. Hebræi ſic puncta ſubſcribunt, vt Mideanitæ dicendi videantur; Ptolemæus Medanam ciuitatem ſic depinxit, vt aſſertioni noſtræ prorſus ſuffragetur, quamuis nomen Medanæ ad fratrem ipſius Midean magis alludat, qui Medan vocabatur. Verùm fratres hos permiſtos habitaſſe veriſimile, quibus proximi erant Iſmaëlitæ Petræam Arabiam ad mare vſque Rubrum tenentes, quorum proximi Madianitis Petram vrbem mercatu nobilem condiderunt, oriundi à Nabath ſiue Nabaioth, vt Hebræi legunt, filio Iſmaëlis natu maximo. Vnde Nabathæi vocãtur; quorum mores ac diuitias apud Strabonem expoſitas habemus. Eorum metropolis Petra eſt, è qua ad Hiericuntem iter breuiſſimum eſt trium aut quatuor dierum; quod è Geographo adiicio, vt Madianitarum confinia ante oculos ponam. Idem ſcribit è Petra ad vrbem Rhinocolura, & hinc in Ægyptum Sabæorum merces per camelos portari ſolere; quam viam Moſes ad Moabitarum regionem veniens longè ad dextram reliquit. Petræ ſitus is eſt, vt locum pla-

Madianitæ vbi collocandi ſint.

Moſes vbi greges cuſtodierit.

Madianitæ vnde genus duxerint.

Iſmaëlitæ.

Nabathæi.

Petra vrbis ſitus & conditores.

num & irriguum occupet, & hortis abundet; in circuitu verò rupibus & deſertis magnis ſit munita, præſertim ea parte qua Iudæam ſpectat. Videſne vt Strabo Moſis narrationi conſentiat, & loca ea per quæ in Iudæam contendit, oculis ſubiiciat? Athenodorus philoſophus Straboni narrauit ſe apud Petræos egiſſe, & eos reperiſſe tam pacis & tranquillitatis ſtudioſos, vt numquam in iudicio inter ſe litigantes viderit, cùm Romani & cæteri exteri illic agentes frequentibus litibus implicarentur. Locus hic Strabonis, vt infiniti alij, miſerrimè ab interprete tractatus eſt; & Græcus codex pro πετρείοις, habet πατρίοις: quod mendũ vt interpres non animaduertit, ita quid κρίνεσθαι eſſet non intellexit. Et hæc quidem de Nabatæis Madianitarum ita vicinis, vt Ioſepus Iſmaëlitis & Madianitis in mercatu ſociis venditus fuiſſe dicatur. Strabo cernens inter Naba-
Idumæi. tæos & Idumæos vaſtos dumtaxat montes intercedere, credidit hos ab illis genus duxiſſe; cùm tamen Idumæi non ab Iſmaëlis filio, ſed ab Eſau filio Iſac deſcenderint & nomen acceperint. Montes autem hi qui Iudæam ad meridiem claudunt, generatim
Seir montes vnde nomen habeant. montes Seir vocantur, ab Eſau, qui Seir cognomen habuit, propterea quòd piloſus in lucem veniſſet. Duplex igitur eſt Idumæa, altera maritima & campeſtris; altera monta-
Idumæa duplex. na, quæ meridiem verſus deſertum Pharan deſpicit, & ad Septentrionem habet Iudæam, olim terram Chanaan. In hanc ne Iſraëlitæ è deſerto Pharan adſcenderent Deus vetuerat, iubens vt montem circumirent verſus Aquilonem; quod vt facerent, ad mare mediterraneum à finibus Nabatæorum fuit reuertendum. Mons itaque à שֵׂעָר quod ſignificat piloſum, nomen habet; quod Segar pronuntiandum eſſet, è noſtro vocabulo Ghe-hart/ tranſpoſitis litteris factum, & Tau in ſibilum mutato. Huius montis pars eſt mons Sinai ad deſertum Pharan proſpectans, cuius ima pars ad Raphææ fines pertinet: vnde fit, vt totius nomen aliquando pro parte ponatur. Hinc Moſes Iſraëlitis benedicens ſic cecinit: Dominus de Sina venit, & de Segir ortus eſt, nobis apparuit de monte Pharan. Hìc tribus nominibus idem mons capiendus eſt, qui mons Pharan dicitur, quòd ſit in principio deſerti Pharan à Raphæa Petram verſus tendentibus. Eodem modo Chabacuc, Deus, inquit, ab auſtro veniet, & ſanctus de monte
Pharan mons non eſt, ſed deſertum. Pharan. Loquitur enim hic de monte Choreb ſiue Sinai, vnde lex venit Iſraëlitis Pharan autem mons non eſt, ſed deſertum quod ab hoc monte orientem verſus ad Nabatæorum vſque regionem extenditur. Quod autem apud Latinos legitur, ab Auſtro; id apud Hebræos non eſt, ſed loco eius habetur, מִתֵּימָן id eſt à Theman. Quæ autem re-
Theman regio. gio Theman vocetur ex eo coniectes, quòd Theman maximus natu filius fuerit ipſius Eliphas, filij Eſau maximi natu. Huic igitur veriſimile eſt optimã partem regionis Idumęorum ceſſiſſe, quæ haud dubiè ad Raphęam eſt mari incumbens, & in montes Segir orientem verſus elata, quorum exordium auſtrum verſus mons Sinai facit. In The-
Sinai mons vbi. mana itaque regione, quæ pars eſt Idumææ, mons Sinai quærendus eſt; à qua quantum mons ille vulgò hoc nomine celebratus diſtat, tantum omnes hactenus à veritate
Hus. receſſerunt. Huius montis partem orientalem, quæ Nabatæis proxima eſt, Hus Edomi nepos habitauit, qui Guſt vocandus eſſet, ſi litteræ pro eo ac deberent ab Hebræis
Iob. pronuntiarentur. In hac regione poſtea Iob maximas opes è gregibus & armentis ſibi comparauit, quas Sabæi & Chaldæi diripuerunt; ad quem viſitandum Eliphax Themanites ab occidentali Idumææ parte venit. Verùm an terra Ghuſt nomen acceperit ab Arami filio, an à nepote Eſau, difficile fortaſſe dictu ſit. Mihi veriſimilius videtur orientalem Idumææ partem Nabatæis confinem ſic fuiſſe nuncupatam, à Ghuſt Edomita; quod ex amicis & cognatis ipſius Iob coniicio, & id quidem maximè ex Eliphax Themanite, cuius nomen memoriam ingerit eius qui inter filios Eſau maximus fuit natu, vnaque indicat quæ Idumææ pars in ſortem venerit Eliphaxio
Oreb mons in primaria Idumææ parte, longè alius ab eo qui vulgò eſſe putatur. Themani patri. Diſcimus ergo è Chabacuc, montem Dei Choreb in primaria Idumææ parte, quæ à Themano nomen accepit, fuiſſe. Eſt'ne tanta vel ignorantia vel impudentia cuiuſquam, vt audeat dicere Themanam regionem ad mare Erythræum quæri debere, longè terrarum à monte Segir Edomi poſſeſſione? Pluribus mihi de montis Dei ſitu agendum fuit quàm breuitatis ratio poſtularet, propterea quòd viderem admodum antiquum eum fuiſſe errorem quo perſuaſum eſt ad vnum omnibus, montem Sinai ad littus maris Erythræi iacere: quo dato, tota ſacra ſcriptura turbatur, & infinita conſequuntur in abſurdiſſimis habenda. Raphæa, Eluſa,

Gabriæ

Gabriæ caſtra, Elis, Marath, Etam, omnia denique procul è ſuo loco mouentur, ſi deuiam hanc opinionem ſequamur. Ac Moſes quidem populum Iſraëliticum ad terram promiſſam ducere iuſſus contrariam Dei mandato viam ingreſſus fuiſſet, ſi mare Rubrum tranſgreſſus ad ſinum Elaniticum tetendiſſet. Summatim tota hiſtoria ſacra in Moſaica caſtrorum metatione, in Regiarum claſſium apparatu & aliis hinc ſecuturis fœdiſſimè confunderetur, vti modò ex iis quæ dixi cuiuis poteſt liquere; niſi tam ſit peruicax, vt mentis ſuæ aures obſtruxerit omnibus iis quæ ante neſciuit. Petrus Bellonius quamuis in eodem eſſet errore, & alium montem Oreb, alium montem Sinai eſſe crederet, dum tamen ad petram venit è qua Moſes aquas expreſſiſſe narratur, in magnam incidit dubitationem; propterea quòd in eius petræ vicinia riuus fluat è ſummo montis Sinai vulgò nominati culmine demanans; atq. idcirco alterum dicendum videatur, vel hunc riuum Moſis tempore non fuiſſe, vel portentoſam aquam citra neceſſitatem è ſaxo manaſſe. Saxum autem quod monſtratur, eiuſdem generis eſt cuius obeliſci qui Romæ viſuntur. An non animaduertis hîc quàm res ipſa ab hiſtoria diſſideat, ſi mons Oreb is eſſe concedatur quem ad hanc vſque diem à multis iam ſæculis cæci mortales, ceu reuera mons Choreb eſſet, viſitarunt? Nihil equidem pietati eorum detraho, qui miraculorum Iſraëlitis in monte Sinai ad Themanam Idumæorum regionem oſtenſorum memoriam in illo ad Elaniticum ſinum monte colunt; cùm id, vbicumque fiat, bene fiat, & gratum Deo animum oſtendat: verùm nolim hunc zelum tantum eſſe, vt ſacram hiſtoriam corrumpat, & rem penitius conſiderantibus periculum adferat de Moſaicæ narrationis fide dubitandi, cui proximum videmus Bellonium fuiſſe, & id quidem non citra luculentam occaſionem. Quorſum enim de aquæ pænuria populus expoſtulaſſet, ſi riuus perennis aquas ſuppeditauiſſet? Quo autem clarius cernas, nihil abſurdius poſſe cogitari, quàm ad illum montem Iſraëlitas tanta aquarum inopia laboraſſe quantam eorum murmur declarauit, audi de Bellonij narratione, cui Iuſtus Ghiſtelenſis aſſentitur, qua via è deſerto Sur ad montem hunc falſo titulo nobilem veniatur: Cùm abes itinere vnius diei, vallem amœnam intras vtrimque montibus incluſam, quam riuus aquæ dulcis & ad bibendum gratiſſimæ mediam ſecat, eaſdem quas apud nos fontanæ aquæ decurſus herbas proferens. Eum riuum tantiſper ſurſum enitens ſequeris, dum vix vnius noctis iter ad montem vulgò Sinai vocatum reſtet. Cogites hîc quàm latè caſtra tot centenorum millium patuerint, & vbi maximè debuerint collocari, ſi populo vetitum fuit montem adire. Profectò vel in hac valle amœniſſima, è qua in montem venitur, vel in ipſo cliuo per quem ad culmen adſcenditur; quorum vtrumuis dederis, effugere non poſſis quin cogaris fateri magnam aquandi fuiſſe commoditatem, iis præſertim qui iumentis & vtribus abundarent. Hæc cùm ita ſint, & omnium eorum qui montem adſcenderunt oculata fide conſtent, non video quî poſſint Moſaicæ hiſtoriæ accommodari, niſi dicamus totam regionis naturam ab illo tempore fuiſſe mutatam, & aliam indolem accepiſſe. Quòd ſi commentũ probabile reddere voluiſſent myſtagogi, oportuiſſet eos ſic fabulam ornare, vt dicerent fontẽ illum è quo riuus ille manat, ictu Moſaicæ virgæ extitiſſe; quod facere nequiuerunt propter magnum interuallum quo fons vlteriùs intra montes remotus deliteſcit. Adde nunc in monte, Oreb vulgò nominato, perennem fontem eſſe, quantumuis magnæ multitudini ſatis aquarum ſubminiſtrantẽ, ob quem Bellonius hunc montem habitari commodè poſſe dicit, cùm Sinai mons aridus ſit. vbi communi errore alium putat montem Sinai & alium montem Oreb in ſacris litteris vocari. Hic fons non exundat, nec diminuitur quantumuis haurias; verùm perpetuò eadem copia aquas ſuppeditat: quod vt alij, ita & Iuſtus Ghiſtelenſis affirmat. Vnde perſpicuum fit, hunc montem Oreb non eſſe; quoniam in eo nihil opus fuerit miraculo vllo ad aquas inueniendas, propterea quòd & in vicinia & in ipſo monte copioſæ ſcaturirent. Minimè igitur ad eum Raphidim quæri debet, nec vllo modo cogitari poteſt illis locis populum ſiti laboraſſe, cùm nihil promtius eſſet quàm è riuo proximo aquas haurire, vt interim de fonte ſileamus quem dici poſſent ignoraſſe. Porrò quid abſurdius cogitari queat, quàm Amalec Idomi ſobolem in montibus Segir habitantem ad hanc rupem Iſraëlitis occurriſſe. Volaſſet ille ſcilicet vnà cum Chananæo ſocio per immenſa deſertorum & rupium interualla, vt cum Moſe confligeret. Nihil

Mons vulgò Sinai creditus nulla aquarũ pænuria laborat.

Amalecitæ vbi habitârint. profectò magis toti ſacræ hiſtoriæ repugnat, quæ apertiſſimè clamat Amalecitas & Chananæos confinia loca ad Idumen tenuiſſe, & hinc Dauidem ex vrbe Palæſtinorum ab Amalecitis prædas egiſſe, & paullo pòſt vxores ſuas abreptas liberaſſe, dum opinione celeriùs eos perſecutus, epulis & choreis indulgentes inueniſſet. Sed quid ago? Fruſtra hæc ei cano qui ſacræ ſcripturæ loca conferre nolet; ac rurſus fruſtra pluribus hæc vrgeo apud eos quibus ſatis eſt veritatem indicaſſe. Quis inter duces Edomitarum Amalec enumerari, quis Palæſtinorum & Idumæorum confinia ad terram Chanaan pertinere neſcit? Quis item ignorat quàm hæc malè quadrent ad montem Oreb vulgò creditum, vtpote longè terrarum à Chananæorum finibus remotum? Atqui mons ille, è quo Amalecitæ & Chananæi Iſraëlitas depulerunt, eum ſitum in ſacris litteris habet, vt eo ſuperato ad terram promiſſam veniretur, vti perſpicuum eſt ex ipſa hiſtoria. Amalecitis autem Cenæi proximi erant, ipſius Ietro ſiue Hobab ſoceri Moſis gentiles & nepotes, ad ſeptentrionem declinantes. Nam Geſſuri & Gerxi & Amalecitæ ſiue Gamalecitæ potius habitabant ad meridiem Iudææ, ea parte qua iter erat in Sur & Ægyptum, teſte primi libri Regum capite viceſimo ſeptimo. Vnde clarum eſt, Iſraëlitas ad Raphæam & montem Sinai, vbi via ad Sur & Peluſium diuiditur, à Gamalecitis impetitos fuiſſe, & Moſem in montem Oreb adſcendiſſe. Hìc inter alia conſideres velim, an tam facilis fuiſſet in montem illum adſcenſus quem vulgò Oreb appellant; cùm hic ante inuia rupe clauderetur quàm monachi ſcalas & gradus in eo ſtruxiſſent, vti licet apud Bellonium & cæteros videre. Confer mihi hoc loco Dauidis excurſiones ex Gat Idumæorum in Gamalecitas cum ficta ipſius excuſatione, qua ſe ex meridiana Ceneorum & Iudæorum parte dicebat prædas egiſſe, & mox cernes quantam cladem patiatur hiſtoria, ſi Amalecitas ad montem Oreb vulgò creditum collocâris. Quid multis? tota ſacra ſcriptura perturbatur, & omnem perdit probabilitatem, nedum veritatem, ſi vulgaris hæc aſſertio de monte Oreb & iis quæ cohærent, retineatur. *Locorum vero mōnti Oreb vicinorū natura.* Videamus modò qualis ſit locorum natura ad verum montem Choreb à nobis demonſtratum. Id Strabonis teſtimonium à nobis citatum docet, quo aſſeritur regionem quæ poſt Gazam Ægyptum verſus tendit, ſterilem eſſe & arenoſam. Vnde perſpicuum, Raphæam, quæ poſt Gazam ſequitur, ſitam eſſe loco ſterili & arenoſo. Hinc cùm Auguſtus è Iudæa in Ægyptum proficiſceretur, Herodis ſtudium in aqua ſubminiſtranda inter Gazam & Peluſium tam gratum Romanis fuit, vt plus meruiſſe quàm regnum, quod Cæſaris dono acceperat, videretur. Sed ſatis modò de monte Sinai; nec lubet ſigillatim ſingulorum in huius rei tractatione confutare errores, alioquin habituri etiam quod contra Bellonium diceremus, qui credidit fontes eos quos vulgò pro aquis Marath monſtrare ſolent, eſſe fontes quos Strabo amaros vocauit; cùm Strabonis fontes ex oppoſita maris Erythræi parte fuerint, non procul ab Arſinoë littorali. Neque dicam nunc quòd ad hos, quos monſtrant in deſerto, fontes nequaquam trium dierum iter ſit ab eo loco vbi mare Iſraëlitæ tranſierunt. Quid enim opus eſt pluribus argumentis ad abſurdiſſimum errorem exſtirpandum, quando, ſi ex his quæ dixi peruideri à quopiam nequeat veritas, ei rear nihil vmquam ſatis fore ad oculos aperiendos. *Iſraëlitarum è Sinai profectio.* Pergamus itaque. Cùm menſe tertio egreſſionis ex Ægypto ad deſertum Sinai Iſraëlitæ veniſſent, anno ſecundo, menſe ſecundo, viceſima die menſis profecti ſunt è deſerto Sinai ad interiora deſerti Pharan, ad iter trium dierum; vbi mons Amorrhæus erat adſcendendus, & Dei iuſſu per eum progrediendum in terram promiſſam. Pollicitus enim erat Deus certam iis contra Amorrhæos & cæteros omnes victoriam, ſi mandatis ipſius obtemperantes citra moram & hæſitationem aſcendiſſent, & illac iter in terram Chanaan tenuiſſent; quòd nimirum ipſi placuiſſet, vt non rectà in potentiſſimam Chananæorum partem irrumperent, ne Philiſtinorum robore & magnitudine territi in Ægyptum reuerti niterentur. Quamobrem relictis Idumæis & montibus Segir ad ſiniſtram, rectà ad Amorrhæos contenderunt. Cùm igitur in Cadesbarne veniſſent, Moſes Ietro ſocerum ſuum rogat, vt ſecum manens iter demonſtret, vtpote qui eſſet Madianita in vicinia Amorrhæorum natus & educatus, atque idcirco confinia locorum omnia & in iis aquas & rupes & ſiluas ex diuturna gregum & armentorum paſtione explorata haberet. Verùm enimuerò, licet Moſes oratione certa Dei promiſſa exponente Iſraëlitas exhortaretur, vt expeditionem alacres aggreſſi montanam Amor-

rhæorum

rhæorum regionem è deſerto Pharan inuaderent; tantum tamen abfuit vt perſuaderet, vt nollent progredi niſi per exploratores antè didiciſſent quales habituri eſſent & quantas oppoſitas vires. Coactus igitur obtemperare Moſes miſit qui omnium Iſraëlitas redderent certiores; qui poſt quadraginta dies, quos regioni promiſſæ diligenter peruidendæ impenderunt, reuerſi, vuam attulerunt magnitudinis tantæ, vt à duobus in pertica portanda eſſet. Scio non paucos fuiſſe quos hæc narratio offenderit, quaſi omnem veriſimilitudinem egreſſa. Nos vt huic quoque malo medeamur, & omnem ſcrupulum ex hac ſacræ hiſtoriæ parte tollamus, Strabonis verba in medium afferemus.

Vua quam è terra promiſſa Moſi ſpeculatores attulerũt, magnitudo quãta.

Is Carmaniam deſcribens inter alia ſic habet: Agriculturam autem Perſicæ ſimilem habet cum in aliis, tum in vitibus, è quibus ea quæ apud nos Carmanica vocatur, frequenter vuam producit cubitûm duorum acinis perquam denſis ac perquam magnis, quam veriſimile eſt illic quàm apud nos lætiorem maioréꝫque prouenire. Huius igitur generis vuam eam dicemus fuiſſe quam exploratores reportarunt, quam non dubito tantam fuiſſe, quanta in ipſa Carmania excreſcit, propter vallis eius vbi creuerat fecunditatem. Nihil itaque opus eſt hoc loco ad portentum aliquod aut ſingularem quampiam Dei gratiam vuæ magnitudinem referre, cùm ſatis conſtet Carmanicam vuam multo maiorem in Palæſtina quàm in Græcia molem implere potuiſſe, propter maiorem Carmanici & Iudaici aëris ſimilitudinem atque paritatem. Nemo igitur offendatur, ſi magnitudinem hanc vuæ audiat, cùm id in Carmanica Strabonis ætate minimè fuerit apud Græcos monſtroſum. Iam & Indoſcythica noſtra declararunt, ad Margianam vitis tantam eſſe luxuriem, vt vua vna ad duos cubitos excreſcat; vnde fortaſſe Carmani principiò propagines ſuas petiuerunt. Porrò reuerſi exploratores populum deterruerunt, maiores ſe vires vidiſſe dicentes, quàm vt ab Iſraëlitis expugnari poſſent, ſolis duobus exceptis Ioſue & Caleb; qui & terram quam viderant laudabant, & Iſraëlitas bono animo eſſe iubebant, eo quòd Domino proſperante nihilo difficilius eſſet magnam robuſtorum & grandium virorum multitudinem ſuperare atque delere, quàm fruſtum panis deuorare. Iratus itaque Deus populum vniuerſum exceptis his duobus ei pœnæ addixit, vt pro quadraginta diebus, quibus promiſſa terra fuerat explorata, quadraginta annos totos in ſolitudine manerent, tantiſper dum omnes morerentur. Manſerunt igitur longo tempore in Cadesbarne in deſerto Pharan, vnde iuſſi ſunt redire verſus mare mediterraneum, Idumæis montibus ad dextram relictis, quos antea cùm ad Cadeſbarnag venirent, ſiniſtros habuerant. Veniunt itaque rurſus in deſertum Stin, vnde egreſſi fuerant; & ibi in Cades deſerti Stin diu commorantur.

Iſraëlitarum è Cadeſ-barne ad Mediterraneũ mare regreſſus.

Duplex enim Cades legimus fuiſſe; alterum Cades Barnag, alterum Cades Stin; quorum huic עיר additur, qua vocula ciuitas denotatur, à noſtro Rijch/ quod ſignificat regnum. Nam ſingulæ ferè ciuitates olim regem habebant, vti in Ioſue clarè cernitur.

Cades duplex.

Rijch.

Fuit & tertia Cades in Galilæa data tribui Neptalim, quam Cedes aliis ſubſcriptis punctis efferunt. Significatio certè & ſignificationis ratio eadem eſt; quando קדשתי nihil aliud ſit quàm conſecraui; cuius verbi radix קדש deriuatur à noſtrati Widen/ verbo eiuſdem notationis, in quo duplex digamma in Quof tranſiuit; vti ex Wi/ Qui; ex Wan/ Quando, fieri aliàs crebrò dixiſſe memini. Quiuis igitur locus conſecratus, Quades vocari queat: vnde clarum fit, nihil eſſe miri ſi plura loca hoc nomine fuerint nuncupata. Porrò vnde fiat vt Widen pro conſecrare vſurpetur, alio loco copioſè declaraui; nec eſt quo hic idem repetatur.

Cedes in Galilæa.

Herodotus Cadytis vrbis meminit, emporium aiens eſſe Sardibus haud multo minus, & eò merces à mari inuehi. Ab hac vrbe vſque ad Ienyſum regionẽ Arabum eſſe ditionis: inde rurſus vſq. ad Selbonidem ſiue Serbonidem lacum, Syrorum imperio terras ſubiici. Ad Serbonidem lacũ, à quo Caſium promontoriũ ad mare deſinens incipit, Ægyptũ pertinere. Addit, ab Ienyſo vſq. ad Caſium promontorium iter eſſe trium dierum, & id quidem aquarum indigum & ſiticuloſum. Hinc colligere licet, Cades deſerti Stin Cadytin Herodoti eſſe; & Ienyſum, ſiue communi lingua & Dorica Ianyſum, opidulum ad mare fuiſſe ad ipſam Eluſam. Sicut enim El-huis Eli domum, ita Jan huis Iani domum ſignificat. vnde ſuſpicor Elyſſi poſteros in honorem Iani in illo littore opidum condidiſſe, quo aui filiorum Iönis memoria illis in locis mercatu Arabico, Syriaco, Ægyptio, & Ionico nobilibus perpetua maneret. Non mirum igitur, Iſraëlitas dum Cadyti eſſent, rurſus aquarum inopia,

Cadytis.

Ienyſum.

haud minus quàm antea ad Rhaphæam vicinum opidum, laboraſſe; & Deum commiſeratione motum Moſi iuſſiſſe, vt virgæ ſuæ ictu è ſaxo aquas eliceret, populi vſibus ſatis futuras. Ex hoc loco nuntij miſſi ad Regem Idumæorum, rogatum vt liberum tranſitum permitteret: at hac legatione nihil effectum, immo Idumæus irritatus ingenti exercitu Iſraëlitas ſummouit. Cades Barnag longiùs à mari in deſertum Pharan recedit, cui Aſeroth imminet. Barnag alij aliter, nos puteum gaudij interpretamur. Nam
Born. באר puteum ſignificat, vocabulum à noſtro Born factum, quo aquæ exortus ſiue aqua naſcens denotatur; qualis eſt fontium & puteorum perennes venas habentium. נעם
Nug. verò idem eſt quod placere & contentum reddere, à noſtro Nug ſiue Nog/ quod notat contentum reddere & placere: Hebræi נחם conſolari interpretantur; vbi clarum eſt,
Nochi etymō. nihil aliud eſſe vtrumque verbum quàm placere vel iucundum reddere. Hinc Nochus dictus, quaſi opera patris iucunda redditurus eſſet. Erat enim Deus in Nocho oſtenſurus quàm pia Lamech & Mathuſalem & omnium Setinorum opera ſibi placuiſſent. Videre hîc eſt, quanta ſit ipſius Chet & litteræ quam perperam Ain vocant cognatio, & quàm facilè altera in alteram tranſeat, vti in Choreb & Ghoreb itidem annotaui. Cades Barnag igitur eſt locus puteo iucundo & omnibus placenti conſecratus. Quemadmodum autem Mem finale in נח reiicitur, ita in נע quoque fit; & hac via eadem eſt vtriuſque vocis notatio. Quis primus hoc nomen puteo dederit, equidem ignoro; at hoc nemo ignorare poteſt, nihil in deſerto arido perenni aqua iucundius & gratius eſſe poſſe ſitienti. Quanta verò huius aquæ ſit antiquitas, è quarto decimo geneſeos capite diſcas; vbi ſolitudinis camporum Pharan fit mentio, nec non Gigantum Aſteroth, quod Hebræis ſcribitur עַשְׁתְּרֹת. Idem locus in Numeris vicinus eſt Cadyti, vbi Chet loco litteræ pectoralis Gh, quam Ain malè vocant, poſitum videmus; adeò paruum fuit inter has litteras apud priſcos diſcrimen. Quo autem videas quàm germanum ſo-
Litterarum Hebraicarũ ſonus & pronuntiatio deprauata. num litterarum nos reſtituere nitamur, animaduertas Scin & Tau in עשתרת in Geneſi exprimi, & eorum loco duplicem litteram, quam vitioſè Sade nominant Iudæi, vndecimo Numerorum capite poni, vbi חֲצֵרֹת ſcriptum videbis. De eodem autem loco vtrobique agi ex eo clarum eſt, quòd Moſes exploratores ſe dicat è Cadeſbarnag miſiſſe, quò venit caſtris motis ex Aſteroth. Similiter in Geneſi reges Chodolaomor & ſocij dicuntur ex Aſteróth ad Cades veniſſe; vbi licet Barnag non addatur, eſt tamen de Cadesbarnag dictio Moſaica intelligenda, vti cum è cæteris, tum ex eo liquet, quòd huic Cades fons Miſphat adſcribatur, qui idem cum puteo Barnag vocato Miſphat iudicium notat; ita vt fons hic duplex habeat cognomen, iudicij & iucunditatis. Deriuatur vox ea à שָׁפַט quod eſt iudicauit, à noſtro Scept; quod eſt, ea quæ rudia ſunt
Scept. & confuſa, format: inde Scepen iudex vocatur. Cades igitur fontem Miſphat habens,
Scepen. Cadeſbarnag vocatur; vbi fortaſſe comitia de paſtorum controuerſiis haberi olim conſueuerant: ea de cauſſa locus ſacer meritò poterat vocari, tametſi generatim omnes fontes ſacri apud poëtas nuncupentur. Habemus itaque tria loca homonyma, vnum in Galilæa, alterum hunc circa Aſteroth & regionem Amalechitarum & Amorrhæorum, tertium in deſerto Stin, è quo Moſes caduceatores ad Idumæos miſit. D. Hieronymus deſertum Sin, in octaua manſione commemoratum, aliud putauit ab hoc in quo Cades eſſe dicitur, eo quòd illud per Samech, hoc per Sade ſcribatur: qua de re aliam huic, aliam illi dedit interpretationem. At ego animaduerto, vt & antè monui, ſignificationem vocibus, non ſcripturæ prius conuenire; atque idcirco mea non referre, per Samech'ne an per Sade vox ſcribatur, modò eadem prorſus maneat pronuntiatio. Atqui eandem manere pronuntiationem ex ipſo D. Hieronymo diſces, qui hoc loco alteram litteram Samech, alteram Sade appellat; quibus in vocibus quis non audit priorem vtriuſque vocabuli eandem eſſe ſyllabam? Quæ cùm ita ſint, perſpicuum fit, iam olim vel Moſis vel Eſdræ tempore germanam Alphabeti, quo Hebræi vtuntur, diſtinctionem fuiſſe corruptam. Leuius peccatum eſt in Choreb & Ghoreb & id genus aliis, propter ſoni cognationem; è quo hoc capimus lucri, vt intelligamus quis proprius fuerit eius litteræ ſonus quã vulgus Ain vel Hain appellat. Illud intolerabilius eſt, quòd Chet per adſpirationem robuſtiorem efferri audiamus, littera Caph prorſus excluſa. Quid quòd crebrò hæc littera omittitur, tamquã ſuperuacanea eſſet, vti in Eua, Oreb & ſimilibus accidit? Cætera quæ de Cades & Cadeſa D. Hieronymus annotat,

quia

quia ad hiſtoriam nihil faciunt, aliis relinquo iudicanda, quibus ethicus, allegoricus, & anagogicus ſenſus gratior eſt quàm ſimplex & rectus narrationis explicatus; quo tamen nihil prius eſſe deberet, vtpote vnico fundamento reliquarum contemplationum. Diſplicet mihi quòd cogar à grauibus & magnæ auctoritatis viris diſſentire, ſed quid facerem, dum neceſſitas ita fert, vt alia via tueri non poſſem hiſtoriæ & meæ & ſacræ veritatem ac conſenſionem, quàm ſi obſtacula omnia & impedimenta iam olim à multis ſeculis hominum animis imbibita tollam, & radicitùs euellam? Quæ verò germana litterarum diſtinctione paſſim annoto, id facio, quo ſenſim condocefaciam quî ſint voces ad primas ſuas origines vocandæ: qua in re nihil à quoquam præſtari poteſt, niſi antè genuinos elementorum ſonos diſtinguat, ac ſciat quibus figuris qui ſoni ſint notandi. Sed redeat oratio vnde diſceſſit. Dixi à Gaſterot ad Cades deſerti Pharan, ſiue à Cades Barnagh ad Cades deſerti Stin ventum fuiſſe; at omiſi omnes manſiones intermedias, tum quòd nihil ſingulare in illis acciderit, tum quòd pleræque omnes ignobiles fuerint, nec quicquam ab externis auctoribus adferri poſſe videam quod ad earum faciat illuſtrationem. Decima tertia item manſio, ad quam à monte Sinai tertio die venerunt, nullum certum loci nomen habet; ſed ab immodica carnium appetitione, caſtrorum concupiſcentiæ nomen accepit, à qua ad Gaſteroth; à Gaſteroth ad Cadeſ barne ſiue deſertum Pharan, hinc per varias manſiones verſùs mare mediterraneum Dei iuſſu redierunt, ad quod caſtra metati ſunt in Aſion Gaber, quod ego Hebraicè Ghaſtion Gaber, Latinè caſtra Gabriæ voco. Antea ad Eluſam manſerant, nunc in reditu in proximo opido diuerſantur, ad quod è עֶבְרֹנָה venerunt; quam vocem Latini perperam efferunt Ebrona, alij Hebrona; cùm, vt ex iis quæ modò dixi liquet, Gebrona proferri deberet. Eſt autem hæc Gebrona proxima Raphææ verſus deſertum Pharan tendentibus, longè alia à Chebron vrbe antiquiſſima Enachiorum, ſeptem ante condita annis quàm Tanis in Ægypto. Hanc Abraham pòſt habitauit, ac in partitione terræ ſanctæ tribui Iuda data tandem ad Leuitas venit. Chebron igitur vrbs Iudææ antiquiſſima à חָבַר nomen accepit, quod eſt coniungere & in vnum redigere ſiue fœdere ſiue alia ratione; quod verbum fit à noſtro Eichwozd/ id eſt vnitus fio; vnde & אָח frater dicitur, ceu Eich/ & inde Ech diceretur. Nos Echtbroeder dicimus pro germano fratre. Ciuitas igitur hæc ab vnione & confœderatione nomen accepit, qualis qualis illa fuerit, ſeu ciuium inter ſe, ſiue ipſorum cum vicina aliqua ciuitate. Ghebrona autem nomen habere videtur è ſermone Elyſſi. Cùm enim Eluſa & Ghaſtion Gaber opida Ghebronæ proxima ad Elyſſum aut eius poſteros referenda ſint, nihil mihi abſurdi videbor dixiſſe, ſi Ghebronam Ghaberwonam, id eſt Gabri habitationem, interpreter. An verò Elyſſus cognomen Gauri habuerit, an id cuipiam poſterorum proprium fuerit, equidem ſtatuere non poſſum; ſatis mihi eſt quòd ſciam hac voce compoſita noſtratibus liberam itionem ſiue proficiſcendi libertatem denotari, & inde adeò in mentem mihi venire ſuſpicionem, Ianyſſum & Gabriwonam idem opidum fuiſſe. Hinc igitur in Gabri caſtra, à Gabri caſtris in Cades deſerti Stin ventum eſt. vbi rurſus populus ſiti cœpit enecari, haud ſecus atque antea ad Raphæam; quod mirum non debet videri, cùm hæc loca in eiſdem arenis ſita ſint, & Raphæa à Gebrona minimo diſtet interuallo. Rurſus ergo Moſes rupem percuſſit, è qua, vti antea è Choreb, copioſa aqua manauit. Ex hoc loco cùm Idumæus tranſitum per fines ſuos negaret, & magno exercitu obiecto impediret, diuerterunt ad montem Hor, Idumæis confinem. In hoc monte mortuus eſt Aaron, & Eleazarus loco eius ſuffectus pontifex. Dum ad hunc montem diutius morarentur, & ad triginta dies Aaron lugerent, rex Arad Chananæus per exploratores ſuos intelligens finibus ſuis Iſraëlitas imminere, prior impetũ in eos fecit, & prædas egit. Diuino igitur auxilio ſupplicibus votis impetrato, Iſraëlitæ Chananæum non modò repellunt, ſed occidione exercitum ipſius delent, & vrbes euertunt: qua de cauſſa loco Chorma nomen dederunt, quod anathema & euerſionem ſignificat. חרם enim deſolare eſt, à noſtro Gar-rum/ id eſt, omnino locum vacuum reddere, & vndique patentem, quod æquè in vaſtationem & occidionem è medio homines auferentem atque in conſecrationem quadrat. Ad hunc vſque locum ab Amorrhæis antea fuſi fugatique fuerant Iſraëlitæ, in cuius rei narratione prolepſi & anticipatione nominis vſus eſt Moſes. Vt autem ad hunc montem à maritimis arenis diuerterant,

Caſtra concupiſcentiæ. *Gaſteroth.* *Aſiongaber, caſtra Gabriæ.* *Hebrona.* *Gebrona.* *Gebronæ etymon.* *Hor mons.* *Chorma.*

ita rurſus ab eo redeunt verſus mare mediterraneum vnde diſceſſerant, vt videlicet Idumæis montibus ad dextram & Gaza vrbe ad ſiniſtram relicta, ad Aquilonem tenderent; atque inde rurſus ad orientem iter flecterent per terminos montis Segir. Diuina enim benignitate factũ eſt, vt Idumæi audaciam cernentes formidarent, & quibus antea tranſitum negauerant, nunc permitterent: quem metum augebat Aradæi regis, ipſorũ vicini, horrenda clades. Tranſierunt itaq. planitiem eam per quam ex Eluſa & Gabri caſtris Gazam & Aſotum tenditur. Venerunt inde ad torrentem Zareth; quò priuſquam è Cadeſbarne pertingerent, triginta octo anni fuerant elapſi. Hinc in deſertum Moab, inde in campos Moab trans Arnon ad fines Ammonitarum, vbi Amorrhæos, Baſanitas, atque deinde Madianitas ceciderunt. Hinc, Moſe in Phaſga mortuo, Iordanem duce Ioſue ſiccis pedibus tranſierunt. Concido hoc loco profectionis Iſraëliticæ narrationem, eo quòd poſtrema eius pars nihil faciat ad eam quam verſo quæſtionem, & vellem ſanè breuior eſſe potuiſſe in illis quoque ſuperioribus manſionibus; quas propterea accuratiùs diſcutere coactus ſum, vt liqueret quæ recta fuerit nauigatio è Iudæa in Tharſis & Ophir; quod fieri non potuit, niſi conſtaret quo loco Aſiongaber, vt vulgus pronuntiat, ſit ponendum: nec eius rurſus certa poterat ratio explicari, niſi & Elus & reliquæ manſiones in lucem vocarentur. Docui itaque, Gaſtion Gaber dicendum eſſe pro munitione Gabri. Latini ſolenne habent, vt litteram G ex aliis linguis acceptam in C commutent. Sic è Gaius fecerunt Caius, è Gnæus Cnæus, è עם, Cum, è Gaſtion Caſtrum, & quàm plurima alia generis eiuſdem. Aſion igitur Gaber Gabriæ caſtra ſunt, à Strabone demonſtrata; & Elus & Elut Eluſa Ptolemæi. quibus declaratis cetera facillima redduntur, in quibus & illud eſt quòd mare Suph quæuis Oceani pars vocetur; quæ ſi vel vetuſtiores vel recentiores animaduertiſſent, nihil opus fuiſſet hac prolixa & odioſa diſputatione. Reuertamur nunc ad id quod dubitabatur: quinam fieri poſſet vt nauigatio Tarſenſis tres annos poſtularet, ſi Tarſes & Tarteſſus idem regnum ſit? Breuiter hîc reſponderi debet, ad Tarſenſem nauigationem non tantum temporis requiri, ſed quia ſimul & in Tarſes & in Ophir nauigari ſolet, duo anni itineri impendendi erant, & iis tanto plus, vt tertio demum anno redirent, quo rurſus ſe ad nouam nauigationem apparabant. Quamuis enim aurum ex Ophir Salomoni & Hiram adferretur, nauigatio tamen à prima ſtatione extra Herculis columnas aliquando nomen accipiebat, quod mirum non eſt; cùm Tarſenſes ſiue Tarteſſiaci nauigationis totius principes eſſent atque primi præmonſtratores. Hinc eodem capite leges, aurum & ligna Thyina & gemmas pretioſiſſimas ex Ophir à ſeruis Salomonis & Hiram allatas, ac mox eoſdem eorundem ſeruos tertio quoque anno in Tharſis nauigaſſe. Idem clarè cernis capite viceſimo ſecundo tertij Regum, vbi Ioſaphat dicitur claſſem fabricaſſe in Gaſtion Gaber, vt nauigaret in Ophir; quam eandem caput viceſimum Paralipomenon ſecundi dicit eodem loco factam fuiſſe, vt in Tharſis proficiſceretur. Perſpicuum ergo eſt, eandem fuiſſe nauigationem quam modò Tharſenſem, modò Ophiriam nominarunt; & ad eam tantum temporis fuiſſe neceſſarium, vt tertio demum anno poſſent reuerti, non illud quidem propter interuallum quo Tharſis, ſed propter interuallũ quo Ophir diſtabat. Non mirum igitur eſt Carthaginienſes cùm Tarteſſiacos ſubegiſſent, tantum apud eos argenti inueniſſe quantum hiſtoriis proditum habemus; quando non domeſtico tantùm auro & argento, ſed Ophirio etiam abundabant.

Zareth torrens. Moab deſertum. Phaſga. Iordanis.

Tarſenſis nauigatio qui tres annos poſtulârit.

LIBER

LIBER VII.

QVAMQVAM nobis de Tarſes & Tarteſſo agentibus maxima fuit orta difficultas de nauigatione è Iudæa & locis vicinis ad Tarſes, longè tamen maior moleſtia exſtitit è terreſtri Iſraëlitarũ ad terram diuinitùs promiſſam expeditione; in qua non mirum eſt, nos haud ſecus ac in Labyrintho quodam diu multumque diuagatos vix tandem exitum inueniſſe. Quamobrem ſi quis fortaſſis erit cui noſter hic ad ſacram hiſtoriam diſcurſus nimis videatur prolixus fuiſſe, is tantiſper ſententiam ſuam ſuſtineat, dum ipſemet ſemel ingenij ſui acumen ad eadem illa in quibus nos laborauimus, conferens, experiatur an citra opem noſtram & præmonſtrationem quidquam ex iis omnibus quæ hactenus litteris mandata ſunt, queat inuenire, quod aut eas quas habemus ſequendo interpretationes, ſacræ hiſtoriæ fidem queat tueri; aut neglectis hinc interpretibus & Græcis & Latinis, hinc quotquot hactenus commentaria notáſve Bibliis intulerunt, rectiorem quàm nos oſtendimus viam demonſtret ad veritatem. Scio meis multa adiici poſſe, & ipſe adieciſſem, niſi veritus fuiſſem prolixitatem; & erit fortaſſe tempus cùm librum huic rei proprium dedicabo, in quo licebit ſigillatim omnia ſcripturæ loca quæ huc ſpectãt, clarius aperire. Nunc ob iter quod aliò tenebamus, hæc nobis fuit via ſtruenda, ſalebris & ſentibus & id genus obſtaculis aliis è medio ſublatis. Retineamus ergo, Tarſes non aliam regionem fuiſſe quàm Tarteſſum, cuius beatam rerum omnium copiam tum veterum ſcriptorum teſtificatio, tum præſens rerum ſtatus ſatis declarat. Maxima ſanè non Hiſpanis modò nobilitas, ſed ſacris etiam litteris lux ex hac inuentione noſtra affulgebit; quarum rerum vt prior gratiſſima eſſe debet cum Tarteſſiacis omnibus, tum maximè Regi; ita poſterior mihi magnam adfert voluptatem, quòd tandem intelligam qui fuerint Reges Tarſis, quæ naues Tarſis, qui mercatores Tarſis, quorum tam magnifica & frequens in ſacris litteris mentio habetur. Iucundiùs poſthac legam oden illam Dauidis, in qua pulcerrimus hic verſus, veluti vnio quidam ſingularis, candore nitet micatque gratiſſimo: *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.* Coniunxit elegantiſſimus vates duos populos feliciſſimos, quorum Arabes Sabæi ſatis noti ſemper fuerunt, quorum regio peculiari nomine Felix nuncupatur: at Hiſpalenſes ceterique Tarteſſiaci hactenus in Cimmeriis tenebris delituerunt, numquam fortaſſis eruendi ac liberandi, niſi Cimmerius homo facem obſcuris carceribus intuliſſet. Liceat mihi gloriari apud eos quorum ego gloriam immenſa auxi acceſſione; qui cùm non alteri æquè rei atque gloriæ inhient, videant quantum mihi ſint debituri. Gaudeo profectò cùm Ionæ induſtriam animaduerto, qui cùm fugam pararet, non ad deſerta loca, non ad inuios ſaltus, non ad mapalia & caſas paſtorum, non denique ad vllos pauperes & egenos, apud quos miſeris parum poteſt eſſe præſidij & adiumenti; ſed ad homines omnium beatiſſimos ſeſe conferre cogitauit. Voluit videlicet ſemel fugere, non frequenter; cùm ij qui ad inopes & tenues confugiunt, rurſus ab his ad alios fugere rerum pænuria atque egeſtate cogantur. Non lubet mihi ſingula commemorare ſacræ ſcripturæ loca, in quibus Tharſis habemus mentionem; ſatius fuerit ad illam venire quæſtionem, ad quam neceſſaria quadam rerum conſecutione compellor: quænam nimirum ſit Tharſis & Ophir cognatio, & cur è Tharſis in Ophir fuerit nauigandum, & quo loco Ophir ſitum ſit, quodque tantum fuerit interuallum, vt iter biennium ſibi poſtularet. Si verſus facerem, rei quam explanaturus ſum magnitudo me compelleret ad Muſas denuò inuocandas: nunc, quia humi repit noſtra dictio, id vnum à Deo petamus; vt nobis ſuam communicet veritatem, & illa inſpiret quæ quàm maximè faciunt ad Chriſti nomen apud omnes mortales illuſtrandum. Poteram hîc varia ad id quod volo docendum via vti, at ea mihi commodiſſima & compendioſiſſima viſa eſt ad explicatam narrationem, ſi prius de perſona, nomine, & propoſito eius cuius profectio deſcribenda eſt, agatur; atque deinde addatur, vnde & per quam viam eò peruenerit quò proficiſci cogitârat. Demonſtraui Tarſes primum fuiſſe Tarteſſi conditorem, eundem nunc iam oſtendam primum fuiſſe

eorum qui in Ophir è Tharſis ſiue Tarteſſo nauigarunt: quod vt faciam, recta via & ratione mathematicos ſequar, qui principio rerum earum apparatum præmittunt, citra quas demonſtratio fieri non poteſt. Oſtendi Elyſſum multa nomina habuiſſe; idem hîc de Tarſe cogitandum. Hic enim vel natura ſua, vel patris monitu, vel nomenclaturæ etiam ſuæ ratione non ſolùm audax fuit, & diuturnus maris calcator; ſed tam aſſiduus etiá & perpetuus hoſpes, vt terras odiſſe videretur. Qua de re cognomen accepit Atlantis, quaſi dicas, Hat-lant/ id eſt, oſor terræ. Hat enim, dum vt verbum vſurpatur, idem eſt quod odio habere; dû nominis loco habetur, idem eſt quod odium: quæ vox aliâs explicata eſt copioſius. Lant terram nobis generatim notare mari non coopertam quiuis noſtratium intelligit. Reiecta itaque adſpiratione lenioris compoſitionis gratia, Atlant oſor eſt terræ fluctibus non opertæ. Videas hîc quæſo quàm ſimplex ſit & nuda veritatis oratio. Tarſes audax eſt & diuturnus maris calcator; Atlas oſor dicitur terræ ab vndis liberæ. Et quia planius nihil dici poteſt, non ero prolixior in hoc cognomine declarando, quod ex ipſo nomine neceſſaria ducitur collectione. Quòd autem Atlas à Lant deriuetur, obliqui caſus docent; & niſi Græcæ linguæ conſuetudine ita comparatum eſſet, vt nulla vox eam admitteret terminationem quæ eſt in Glans & Lens, Atlans, teſte Seruio, haberemus. Porrò Grammaticorum ratio quæ à miſeria perpetua ducitur, nihil habet veriſimilitudinis, nedum veritatis. Cùm enim & Plinius & doctiſſimus quiſque vetuſtiorum confiteatur Atlantem Aſtrologiæ peritiſſimum fuiſſe, & inde cæliferum nuncupatum; cuius eſt tam ruſticum ingenium, vt ſcientiæ rerum pulcerrimarum miſeriam & ærumnas ineſſe credat? Quid alij ſentiant neſcio: mihi certè ab ineunte ætate ſic præiuit quædam naturæ procliuitas, vt nullum ſpectaculum iucundius ducerem quàm ſtellarum varietates & motiones intueri. Noſtras cæli vocabulum, vti aliâs dixi, declarat nos è cælo venire in ſummi rerum omnium capitis cognitionem. Atqui Dei cognitione ſumma hominis felicitas definitur. Nimis igitur rudem, craſſam & ſuillam etymologiam illi Græcarum vocum interpretes inuexerunt, qui Atlantem à miſeria & ærumna, quam in cælo ſcilicet ſuſtinendo ſufferet, nominatum eſſe iudicarunt; cùm nihil beatius, nihil iucundius eſſe queat, quàm omnes aſtrorum rationes habere perſpectas atque ſupputatas, & ex earum conſideratione ad notitiam adſcendere ipſius creatoris, vti ab Ariſtotele, in iis quæ poſt naturæ inſpectionem diſputauit, factum videmus. Reiecta igitur hac ſtolida & nimis plebeia nominis interpretatione, Tarteſſum cognomen Atlantis ab odio terrarum accepiſſe dicemus. Quàm verò diligens fuerit totius maris explorator, Homerus nos docebit; apud quem hos legemus verſus:

Tarſes multa nomina habuit. — *Tarſes Atlas quare cognominatus ſit.* — Hat. — Lant.

Ἀλλά μοι ἀμφ' ὀδυσῆι δαΐφρονι δαίεται ἦτορ
Δυσμόρῳ, ὃς δὴ δηθὰ φίλων ἄπο πήματα πάσχει
Νήσῳ ἐν ἀμφιρύτῃ ὅθι τ' ὀμφαλός ἐστι θαλάσσης
Νῆσος δενδρήεσσα, θεὰ δ' ἐν δώμασι ναίει
Ἄτλαντος θυγάτηρ ὀλοόφρονος, ὅστε θαλάσσης
Πάσης βένθεα οἶδεν· ἔχει δέ τε κώπας αὐτὸς
Μακράς, αἳ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσι.

Nos ſic ex tempore effundebamus:

At mihi cor ſcindit cura infelicis Vlyßis,
Qui procul à caris ſuffert aſperrima quæque,
Inſula in vndiſona medij maris, arbore multa
Quam nemus obnubit, ſub quo ſunt atria diuæ
Omniſcij Atlantis natæ, qui nouit ad vnum
Cuncta vada Oceani, pilæ cui ſunt bene longæ
Circum ſe circa cælum terramq́; tenentes.

Euſtathius hoc loco totus eſt in allegoria, vti & ceteri plerique. Mihi frigidæ ſunt, ne dicam ineptæ & futiles, allegoriæ in iis quæ ad hiſtoriam pertinent, niſi antè veræ narrationis, vnde fabula originem ducit, ſimus certiores. Iam niſi propria quoque nomina eorum intelligantur qui ad hoc philoſophiæ curioſioris genus traducuntur, nihil ſani commentum habebit. Videamus igitur quonam maximè nomine Homerus Atlantem celebret. Primum quidem ὀλοόφρονα vocat: quod vocabulum Cleanthes cum adſpiratione

Atlantis nomenclatura & laudes.

ratione pronuntians, omnium rerum ſapientem interpretatur. Verùm adſpiratió-ne præponatur an adimatur, ſuſque deque ferimus; eo quòd in compoſitione frequenter omittatur, vt in Olympi nomenclatura. Poſtquam verò vniuerſim omnium rerum notitiam in ipſo laudaſſet, duo explicat ſcientiarum genera, quæ ſic enumerat, vt generationis ordinem videatur ſecutus. Prius enim gubernandi ei tribuit ſcientiam, non illam quidem tam amplam, vt omnem eius latitudinem comprehendat; verùm ſic adſtrictam, vt potiſſimùm conſiſtat in profunditatis cognitione: qua cùm in omnibus breuibus, tum maximè opus eſt in portubus & ſtationibus intrandis: quod quia cuiuis perſpicuum eſt, nihil neceſſe fuerit pluribus vel exẽplis vel rationibus explanare; alioquin vel ſola illa declarare poſſet nauigatio, quâ ex Oceano Antwerpiam venitur; quæ niſi maximis vaſis ſupra aquam ſemper exſtantibus, quæ ancoris continentur, à peritis breuium hominibus publico ſalario ad hoc munus deſtinatis notaretur, plena eſſet periculorum, propter inconſtantiam vadorum & arenarum modò in hanc, modò in illam partem reciprocis fluminis & Oceani fluctibus impulſarum. Quia autem hæc breuium & altorum canalium notitia in ſingulis regionibus eſt vel vſu vel experientium hominum monitu acquirenda, diuturnam obſeruationem requirit; quo tempore cùm ſæpius gubernatori ſub dio ſit pernoctandum, fieri non poteſt, vt non à ſiderum clariſſimorum inſpectione ad cognoſcendam omnem eorum & varietatem & motionem inuitetur. Quamobrem poëta ſecundo loco Atlanti accuratiſſimam tribuit aſtronomiæ cognitionem, & eam quidem tantam, vt ipſum dicat habere columnas quæ cælum terramq. ſuſtentent. Quid verò hic Homerus ſignificârit, hactenus vel à nemine, vel pauciſſimis, quos equidem non legi, perſpectum fuiſſe cerno. Qui volet Euſtathium hîc philoſophantem audire, eius conſulat commentaria; mihi non lubet ſingulorum ſententias examinare. Satis fuerit ſimplicem aperire veritatem; & inſignem Homeri elegantiam, non ſatis attentè ab explanatoribus animaduerſam, ne dicam prorſus expunctam & inductam, explicare. Hic enim gradibus quibuſdam Atlantem ſuum ad ſummum aſtrologiæ culmen adduxit, priùs eum faciens vulgarium circa littora & portus nauigationum magiſtrum, deinde paulatim longo vſu eò perducens, vt omnia maris & alta & breuia noſſet; hinc ad ſiderum contemplationem vocans; poſtremò ſic eum omnibus numeris abſoluens, vt habere dicat columnas quibus & terra & cælum teneatur. Quid verò? Num homo cælum terramque ſuis humeris ferre poteſt? Et quo loco quæſo conſiſtat mundi gerulus? Bene habet: Atlantem mentem diuinam intelligunt, cuius vi vniuerſa teneantur. Sed quid hæc ad hiſtoriam? Quid hæc ad illam quam dant nominis rationem, quâ Atlantem miſerum quendam & infelicem eſſe definiunt, adeò vt Æſchylus Pleiadas ob id in cælũ relatas dicat, quòd patris infortuniũ perpetuò deflerent, ceu illud ipſis eſſet piæ cõmiſerationis præmium? Quæ igitur commenta citra omnem harmoniam, immò ipſi harmoniæ prorſus aduerſa, confingunt, ſuis relinquantur auctoribus, hac parte nimis turpiter amuſis. Voluit poëta nos docere Atlantem tam fuiſſe cælorum curſus peritum, vt ipſe ſibi totius machinæ mundanæ fabricârit ſimulacrum, quod columnis quibuſdam cælum & terram contineret. Erant autem columnæ duo axes, alter ſuper quo extremi cæli motus omnes alios orbes ſecum rapiens agitur; alter ſuper quo ex aduerſo per obliquum circulum inferiores orbes ab occidente orientem verſus feruntur. Duos enim axes in ſphæricis orbibus è quauis materia ad exemplar cæleſte factis collocamus, alterum quidem axem primi mobilis, alterum axem Zodiaci; qui licet vnus non ſit, ſed alius in alio planeta; quia tamen poli parum declinant, tantillum videlicet quantus eſt circulorum maximorum motum metientium ab Ecliptica receſſus, pro vno axe habentur; idque eo magis, quòd ſolaris orbitæ axis ceteros ferè metiatur, dum vel hoc vel illo interuallo ab Ecliptica dicuntur euagari. Scimus profectò ſuam cuique planetæ latitudinem in Zodiaco tribui debere, & idcirco tot eſſe axes quot ſunt motionum ſub hoc lato circulo diſcrimina; verùm hi non ferè in omnibus artificialibus ſphæris diſtinguuntur, ſed liberiore modo & laxiore via vno eclipticæ axe denotantur. Cùm Romæ apud Franciſcum de Bouadilla Cardinalem Mendozam, poſtea Epiſcopum Burgenſem, bibliothecæ, quam copioſa ac varia librorum in omni ſcientia & lingua ſcriptorum ſupellectile inſtructiſſimam habebat, præeſſem; inter cetera mathematica inſtrumẽta ſphæram æneam deauratam habebam gubernan-

Atlãti aſtronomiæ cognitio cur tribuatur.

Atlas cur cælum ſuſtinere dictus.

Sphæræ artificialis axes duo.

gubernandam, quæ lamina chalybea in globo terræ concluſa & plurimis inuolucris intorta ciebatur; qua automata motione ſuper duobus axibus cauis Solis & Lunæ curſum tum diurnum tum menſtruum repræſentabat. Quidquid autem rotarum ad eam rem eſſet neceſſarium, id totum terræ globus tegebat. Sic igitur de Atlante exiſtimo, inueniſſe eum induſtria ſua & longa obſeruatione ſphæræ cæleſtis ſimulacrum, in quo Sol & Luna & fortaſſis alij planetæ, haud ſecus atque in cælo, mouerentur; & imitatione artificioſa omnem dierum & noctium motionum varietatem oculis ſpectandam exhiberent. Eiuſmodi inſtrumentum Atlas manibus ſuis tenens atque verſans, tum ad ſuum, tum ad aliorum animos rerum cæleſtium cognitione paſcendos, verè dici poterat, duas vel plures habere columnas quibus & terra & cælũ ſuſtineretur. Hęc pura eſt & ſimplex, non poëticæ modò narrationis, ſed ipſius etiam veritatis explanatio. Atlas enim in vtraq. re iuxtà valuit, & in gubernandi ſcientia, & in aſtronomica dimenſione, quam non numeris tantùm, ſed inſtrumentis etiam explicabat. Falſum igitur eſt quod Polyidus Dithyramborum ſcriptor prodidit, Atlantem non aſtronomum, ſed paſtorem fuiſſe, quem Perſeus obiecto capite Meduſæ in ſaxeum montem conuerterit. Eſt quiſquam tam hebes, vt non intelligat Atlantem aſtronomum fuiſſe, ſi non ex iis quæ Homerus de ipſo cecinit, at ſaltem ex Pleiadibus quas poëtæ filias eius fuiſſe dicunt? Timæus non Pleiades tantùm, ſed Hyades etiam filias eius fuiſſe tradidit; è quo luculentius exiſtit argumentum ad docendum, inſignem eum aſtrologiæ fuiſſe præmonſtratorem; quippe qui tam multis ſtellis nomina fabricauit, diligentis aſtrorum obſeruationis monumentum ſempiternum. Hunc imitatus eſt multis pòſt ſæculis Conon, is qui Ptolemæum aſtrologiam docuit; qui vt Regi munere immortali gratificaretur, Berenices vxoris comam aſtris intulit. Ceterùm maior fuit illi quàm huic ratio, & tanto quidem maior, quanto totius Aſtronomiæ princeps potiore iure filias ſuas quàm hic alienam vxorem poſterorũ memoriæ conſecrauit. Vnde verò Pleiades dictæ ſint, non ſatis inter ſcriptores conuenit. Pleriſque placet à Pleione matre ſic vocatas fuiſſe, quod vt demus, eadem tamen rurſus exiſtet quæſtio; qua nimirũ de cauſſa mater ita nominetur. Ouidius quinto Faſtorum libro rem ita commemorat:

Sphæra artificialis inuentor Atlas.

Atlas inſignis aſtrologus.

Conon Berenices comam in cælum intulit.

Pleiades quæ fuerint, & vnde nomen acceperint.

Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,
Qui terram liquidis, quà patet, ambit aquis.
Hinc ſata Pleione cum ſtellifero Atlante
Iungitur, vt fama eſt, Pleïadesq. parit.

Vnde Pleione nomen acceperit, video parum liquere; & verò eorum ſententia minimè placet, qui ab anno, quem πλείονα etiam vocari aiunt, deriuant: propterea quòd hæc ratio ipſius genealogiæ parum vel nihil conſonare videatur. Quis Oceanus, quæ Tethys ſit, alibi latius explicatur: hîc ſatis eſto ſacrum Oceani nomen, vt pleraque alia omnia, homini attributum fuiſſe. frequens enim eſt loquendi conſuetudo qua eius quis Dei nomen accipit, cuius dotes in ipſo maximè ſunt illuſtres: cuius rei ratio à Platone eo loco expreſſa, quo docet animos è corporibus ad eos deos euolare, quorum ſtudia maximè ſunt ſecuti. Hac ratione Elyſſus potuit Oceanus vocari, propterea quòd primus poſt diluuium ad Oceanum penetrarit. Quòd ſi eum Oceanum facias, iuſta conſecutione vxor eius fuerit Tethys. Eorum deinde filia Pleione meritò vocabitur, non ab anno, non à pluribus, ſed ab vtilitate nauigationis, cuius Oceanus pater eſt; vtpote pater omnium fluminum, ſtagnorum, & vno verbo, omnium aquarum per quas nauigatur. Quòd ſi primariam Oceani vtilitatem quæras, non aliam inuenies præſtantiorem quàm nauigationem; per quam fit, hinc vt terræ longiſſimè diſſitæ accipiant colonos, hinc vt ingens rerum ad vitam vel neceſſariarum, vel commoditates & ornamenta adferentium copia ſubminiſtretur. Non mirum itaque ſi Elyſſus, Iönis inſularum domini maximus natu filius, primam ſuam filiam Pleionem vocarit, id eſt, nauigationis vtilitatem, adiumentum atque fructum: cuius compoſitionis vim nemo ignorare poteſt, qui modò norit de Heſiodi monitu, quàm maluæ & aſphodeli ſit μέγα ὄνειαρ, quando inde promtum eſt ad intelligendum πληϊόνην non aliam eſſe, quàm eam quæ τὸ πλεῖν ὀνεῖ. Scimus Nochum Dionyſij, Herculis, & aliis aliarum diuinæ beneficentiæ poteſtatum nominibus à ſobole ſua indigitatum fuiſſe; & modò oſtenſum eſt, ipſum quoque Elyſſum variis cognominibus nuncupari: quo fit vt minimè abſurdum debeat videri, ſi

Elyſſus Oceanus vocari potuit.

Oceani vtilitas primaria.

inter

inter alia Oceani quoque nomine fuerit ornatus, vti is qui maximus natu filius eſſet eius quem Nochus diuino inſtinctu dominum fecerit omnium inſularum, & idcirco ipſius etiam, quàm latè patet, Oceani; cuius ambitu terræ inſulæ fiunt. Porrò ſolenne etiam eſt heroum vxores illis dignari nomenclaturis, quæ inſignem aliquam mariti virtutem & ſingularem diuinæ gratiæ dotem deſignant. Sic Cadmo Harmoniam, Strimoni Euterpen, alias aliis heroibus deas coniuges à poëtis datas videmus; qua etiam ratione, tametſi nulla alia, rectè dixerimus Pleionem Vlyſſis vxorem fuiſſe, eo quòd præcipua eius dos fuerit, maximam mortalibus è nauigatione adferre vtilitatem, tum ad varias terras poſſidendas & earum munera perfruenda, tum etiam ad totius orbis cognitionem; quæ non alia via quàm nauigatione multa diuturnaq; parari poteſt. Confirmat opinionem hanc meam Heſperidum nomen, quod Atlantis filiæ de matre habuiſſe dicuntur: qua de re fit vt Heſperis, id eſt Heſperi filia, qui alio nomine Hodyſeus nuncupatur, Atlantis vxor fuiſſe videatur. Duxit enim Tarteſſus ſiue Atlas Vlyſſis ſiue Heſperi filiam maximam natu, è qua quæ natæ ſunt, Heſperides ſunt vocatæ. Ac profectò non alia cauſſa dari poteſt, cur Atlantis filiæ commune nomen ab Heſpero acceptum vſurparint, quàm quòd matrem habuerint Heſperi filiam, qui Tarteſſi fuit frater maior natu: quo coniugio factum eſt, vt & arctius inter fratres amoris vinculum necteretur, & minor in terris diuidendis controuerſia exiſteret. Videmus enim Atlanti placuiſſe, vt inſulæ Oceani Africæ obiectæ Heſperides vocarentur; qua in re alter nomen ſuum, alter filias ſuas agnoſcebat, & de vna eademque fidelia vtriuſque memoria depicta eſt in tabulis ſempiternis. Eadem ratione promontorium in Oceanum longius ſeſe extendens, quod maximi fluminis inſula eſt, Heſperium nominatur; & totus adeò Oceanus ille ſine diſcrimine modò Heſperius, modò Atlanticus vocatur; in quorum nominum priore Elyſſi, in poſteriore Atlantis memoria celebratur. Et vt illud quod nunc Caput viride vocatur, ab Heſpero antiqui nominis originem habet; ita alterum Tarteſſo longè propinquius Atlas nominatur; quo fit vt citra inuidiam fratres communem regionum Libyæ & Æthiopiæ maritimarum poſſeſſionem habuiſſe videantur. Quoniam tamen totius illius littoris nauigatio propiùs ad Tarteſſum quàm ad Luſum pertinebat, totus Oceanus Africæ oppoſitus Atlanticus ferè à priſcis nuncupatur. Hinc Platonicus Solo apud Ægyptios didicit, maximam olim in eo inſulam fuiſſe Europa & Africa non minorem, & eam quidem Atlanticam dictam. Videmus ergo Tarteſſum primùm quidem ad proxima Africæ littora traieciſſe, ad quæ minor Atlas pertinet; deinde vlterius ad alterum promontorium maioris Atlantis nomine celebratum; pòſt etiam ad maximum illud perueniſſe, quod perinde atque Delta Ægyptiacum Nilo Nigri maximi fluminis oſtiis continetur, Heſperium tum de fratris, tum de vxoris nomine nuncupatum: cui & filiæ debent vt Heſperides nominentur, quarum monumentum æternum Atlas voluit in Heſperidibus inſulis manere. Veteres itaque fabularum ſcriptores optimè illi quidem Atlantem & Heſperum fratres fecerũt, & Heſperidibus Atlantis filiabus nomen à matre contigiſſe annotarunt; verùm in eo lapſi ſunt, quòd vtrumque Iapeti filium eſſe ſcripſerint, cùm ex iis quæ modò à nobis expoſita ſunt, clarum euaſerit, Iapeti eos non filios, ſed nepotes fuiſſe. Condonandus tamen hic error, eo quòd vno dumtaxat gradu ſeducat à veritate, & poſſint ceteroqui largo vocis vſu nepotes quoque inter filios haberi. Ceterùm qui litteris prodidit Heſperum Mileſium fuiſſe, multa gregum poſſeſſione prædiuitem, is mihi videtur vſpiam legiſſe, Heſperum Mileti fuiſſe conditorem, & inde ad Mileſia vellera, aurea Heſperidũ mala tranſtuliſſe. Docui anteà Miletum à Care Elyſſi ſiue Heſperi filio conditam videri & nuncupatam, ad principem quandam virtutem omnibus commendandam, eo quòd non aliud ſit Milet quàm caput liberalitatis omnibus expoſitę & apertæ, tum in ceteris tum in ſcientiis communicandis. Suboleuit ergo & huic fabularum interpreti nonnihil veritatis, quæ in eo conſiſtit, quòd Elyſſi ſoboles non Miletum tantùm, ſed totam quoq. Cariam & vicinas Ioniæ regiones prima habitarit. Hæc, licet nonnihil ab hiſtoriæ fide declinantia, addenda tamen mihi putaui, vt antiquitatum ſtudioſi cognoſcant, quàm nos verè ſcripſerimus, Heſperi ſiue Elyſſi genus ex Ionia eſſe repetendum. Concludamus igitur hunc noſtrum ſermonem ad eam formulam, vt Atlantem Tarteſum ſiue Tarteſſum eſſe dicamus, & Heſperides ei ex Elyſſi, qui Hodyſeus eſt & Heſperus, filia natas: quas

Heſperides Atlantis filiæ.

Heſperides inſulæ.

Heſperium promontoriũ.

Atlanticus Oceanus.

Atlantica inſula.

Heſperus & Atlas fratres, Iapeti nepotes.

Atlas igitur non nauigandi tantùm ſtudio, ſed earum etiam rerum contemplatione, quas Homerus intelligentes viros maximè decere cecinit, à terris ita auocabatur, vt earum odio teneri videretur; atque ea de cauſſa mereri Atlantis cognomen. Cæterùm, quoniam ſphæram duobus axibus cælum terramque continentem perpetuò manibus verſabat, & hac de re totam machinam mundanam ſuſtinere videbatur; factum eſt vt Atlantis nomen ad Caryatides & Telamones columnarum vicem in ædificiis ſuſtinendis ſubeuntes transferretur. Dicitur autem Telamon id quod ad tenendum eſt idoneum, non in Atlantibus modò palatiorum ab Ennio, ſed ab Homero etiam in clypeis vſurpatum vocabulum. Quamuis autem Atlas ferè in mari verſaretur, & ſideribus obſeruandis in patente latiſſime horizonte inuigilaret; alij tamen aſtronomiam non ad nauigationem tantùm, ſed ad rem ruſticam etiam applicarunt; qua de re Heſiodus ſic canit:

Telamon quid.

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ᾽ ἀμήτου, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων.

Hunc Virgilius imitatus eſt:

Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur
Debita quàm terris committas ſemina.

quo loco occaſum Pleiadum ab Heſiodo commemoratum exponit; quæ nimirum Sole Scorpium ſubeunte matutino tempore in Occidente demerguntur. Et hæc modò de Atlantis aſtrologia, & filiarum nominibus à cælo petitis dicta ſufficiant. Quando igitur conſtat Atlantis & eius filiarum in Africæ littoribus & Oceano occiduo clariſſima extare monumenta, colligimus Tarſeſium totum illud pelagus primùm frequentaſſe, atque deinde aſtronomia fretum tantiſper ſub eâdem parallelo & in eadem latitudine curſum tenuiſſe, dum ab Africano littore in oppoſitas terras appuliſſet; quas de nomine ſuo Atlanticum orbem vocauit. Quid enim facilius quàm ab Heſperidibus inſulis aut è fortunatis Atlanti maiori procul obiectis ſeruatâ eâdem poli altitudine ſolis curſum ſequi, & eò deduci vltra Oceanum vel ad orientalem orbis plagam, vel ad terras aliquas interiectas? Quia verò hic Oceani occidui traiectus maximus fuit, optimo iure Atlanticus orbis Opher dictus eſt: quo non aliud in Iapeti, cuius Atlas nepos fuit, lingua denotatur, quàm id quod vltra iacet. Nauigatio igitur è Tarteſſo in Opher nihil aliud erat quàm traiectus in terras vltra Oceanum Atlanticum iacentes. Porrò quòd ea Atlantidis pars, quæ ad Darienam anguſta terrarum Iſthmo duo maxima & vaſtiſſima maria ſeparat, Peru nominetur, id hanc habet cauſſam: Putauit Atlas in illa ſibi vlterioris terræ parte munimentum fabricandum, quò ſemper tutum appulſum & exitum haberet; atque inſuper merces ſecurâ cuſtodiâ tantiſper ſeruarentur, dum tempus eſſet nauium onerandarum. Pherhu enim idem eſt quod cuſtodia traiectus; ſiue, tutela nauium ſtationis, quam Pher etiam, ſiue per digamma Ver vocamus. vnde Ver opido in Zelandia celeberrimo nomen. Quòd ſi heim huic compoſitæ voci iungatur, Pherhu heim habebis, quo denotatur domus ad nauium ſtationem & traiectum cuſtodiendum comparata. Inde eſt vt aurum è Pheruheim in Paralipomenon libro allatum, non aliud ſit quàm aurum Opher, ſiue aurum apportatum ex arce orbis Atlantici, facta ad nauigationis & mercatus ſecuritatem. Ex his igitur Peru & Perueim reiectis adſpirationibus habemus, nec eſt quòd Hebræi quicquam ſibi iuris in his vocabulis vſurpent; quando ex iis quæ dixi ſatis perſpicuum eſt & euidens, has voces de illius ſermone capere debere interpretationem, qui primus orbem Atlanticum ſuis poſteris dedit habitandũ. Quamuis itaq. Ophir apud Hebræos nomen ſit viri propriũ, id tamẽ à noſtro Opher ſiue Over ſignificatione longiſſimè diſtat, quod per E non per I pronuntiamus; licet Hebræi eadem figura pro duabus his vocalibus, dũ citra puncta ſcribunt, vti cogantur: haud ſecus atque illi à quibus Alphabetum ſuum & litterarum nomina mutuati ſunt. Nulla igitur hic in Peru ex Opher metatheſis, nulla in Perueim numeri variatio, nihil denique eſt huius vocis in quo Hebrææ linguæ peritus artis ſuæ præcepta exercere poſſit, cùm vocabula omnia iis debeantur qui priſcum ſermonem à Scytinis acceptum retinuerunt. Nec aliunde aurum Obriſum habet quòd Obriſum & ſit & nominetur: qua in voce mirum eſt quàm doctiſſimus quiſque ſeſe torſerit, è Græco ſermone ſignificationem & eius cauſſam exponere laborans. Equidem ſuperuacaneum

Atlāticus orbis.

Ophir dictus orbis Atlanticus.

Peru quæ, & quam habeat nominis rationem.

Ver.

Pheruem.

Aurum Obriſum vnde nomen acceperit.

neum exiſtimo ſingulorum hac de re ſententias exercere, quando via recta demonſtrata ſatis perſpicuum ſit, quantum quiſque aberret. Opher/ Ouer & Ober ſine diſcrimine pro eodem in variis dialectis vſurpantur: vnde Oberreis ad verbum ſignificat iter quo traiicitur, quo per excellentiæ figuram profectio in orbem Atlanticum denotatur. Hinc inter mercatores Tarteſſiacos & alios eiuſdem nauigationis peritos aurum Oberreiſum dicebatur quod illo itinere eſſet allatum, & inde mox ſyncoptôs Obreiſum in vulgus tranſiit pro auro puriſſimo, quale videlicet Atlanticus dabat traiectus. Quamobrem aurum Opher, aurum Perueim, & aurum Obreiſum pro eodem dicuntur, pro auro nimirum puro puto, cui nihil eſt alterius metalli admiſtum. Quamquam enim Tarteſſus non exiguam auri copiam ſuppeditabat, vberius tamen & purius ex orbe Atlantico adferebatur; cui tanta probitatis laus apud omnes conſtabat, vt non Hiſpanico tantum, ſed Arabico quoque præferretur: cuius ingens etiam copia ex vlteriore Arabia per Petram facili camelorum vectura ad Salomonem portabatur. Admirandam profectò templi Ieroſolymitani ſtructuram fuiſſe oportet, cum ob alia, tum ob materiam è tam longinquis & variis terris conquiſitam. Neque enim ſolum aurum ex Atlantico orbe petebatur, ſed ligna quoque Thyina eadem nauigatione adferebantur; quæ an ex Atlanticis ſaltibus, è quibus pòſt à Romanis magnis ſumtibus petita legimus, an ex orbe quoque Opher aduecta ſint, cùm vtrumque commodè fieri potuerit, ignoro. Hac ætate magna cedrini ligni, quod ſuauiſſimo odore ſpirat, copia ex Heſperio promontorio aliiſque locis partim citra, partim vltra Oceanum ſitis Antuerpiam fertur. Nec verò cedrina modò, ſed aliarum quoque arborum odoratiſſimarum materia eâdem nauigatione portatur, quarum & color & odor varius atque diuerſus elegantiſſimum nobis opus dat teſſulatum, quo quicquid ingenioſa & artifex pictorum manus poteſt imitari, elegantiſſimè ob oculos poſitum videmus. Durat hactenus Syllanum in Præneſtino Fortunæ templo pauimentum: ſed, fas ſit maiorum pace dicere, longè ſuperatur ab his noſtris, quæ ligneis fruſtulis fiunt, quarumuis rerum figuris: tanta eſt colorum varietas, tanta imitationis ſubtilitas, tanta viuacitas ſimulacrorum. Verùm omnem materiæ varietatem oratione explicare perarduum ſit, & vnum eorum quæ hactenus à noſtris hominibus nullo modo præſtari poſſent; quando pauciſſimarum arborum deſcriptiones ab illis proditas habemus qui Opher ſiue Vltramarinum orbem ſcriptis ſuis nobis aperuerunt. Gaiacum & eius generis nobiliſſima ſunt, ob vſum quotidianum in illa lue curanda, quam vnà cum auro ab Atlanticis Europæi acceperunt, ac cæteris deinde nationibus tam Aſiaticis quàm Africanis citra inuidiam communicarunt. Tinctoribus ligno Verzino, quod noſtrates Breſilianum vocant, nihil vel notius vel frequentius ad pannos purpureo colore imbuendos. Sed quid de ceteris dicam? inter quæ, vt varij colores, ita odorum non pauca diſcrimina. Sunt quæ ſuauitate cum roſis certant, & inter alia vidi quod aniſi odorem ita ſpirabat, vt aniſi lignum nuncuparem: Nec deſunt quæ fœtent, in quorum genere memini mihi ſuboleuiſſe quoddam humanum ſtercus ita naribus repræſentans, vt cùm fortè in cuiuſdam ſcriniarij domum veniſſem, dicerem officinam ipſius mihi latrinam videri; cui meo dicto ille arridens, & ligni ramenta quod operæ leuigabant naribus obiiciens, rogauit num agnoſcerem quodnam olfeciſſem. Quid dicam de arbore quæ liquorem illum ſuppeditat nobiliſſimum, quem ob odoris ſuauitatem & maximas recentium vulnerum curandorum vires, Balſamum vocamus? Eius duo genera ſunt; alter cortice inciſo limpidiſſimus deſtillat, haud ſecus atque oleum abiegnum; alter excoquitur, & idcirco ſpiſſior eſt. Quòd ſi quàm multa vehemens odor & acutus ſapor linguam pungens pollicentur experientia apud omnes declaraſſet, non eſſet quòd magnopere veterum balſamum deſideraremus. Admiranda ſunt quæ de viribus ſaſſafras, arboris in terra Florida frequentis, feruntur. Huius odor mihi gratiſſimus accidit, tametſi aliis vehementior fortaſſe iudicandus ſit, quàm vt crebrò conueniat infirmiori. Non facilè credat qui non ſit expertus, eius ligni vnciam vnam nobis Geltam integram, id eſt paullò plus minus octo libras, dare potionis, vt ſaluberrimæ ad corpora ſuperfluis humoribus liberanda, ita odoris ſuauiſſimi, citra omnem vel minimam notam ingrati ſaporis, modò rectam coquendi rationem ſequamur. Lignum illud quod à colicis doloribus curandis quidam mihi nominarunt, necdum ad vſum medicum vocaui. Sed

Ligni ex orbe Atlãtico petiti elegantia & varietas.

Gaiacum.

Verzinũ ſeu Breſilianũ lignum.

Balſamum.

Saſſafras.

quid ago? quorſum cœpi euagari? Quaſi verò huius loci ſit Atlantici orbis arbores enumerare? Reuertatur ergo calamus ad id quod agebamus: &, quia Thuiam nauigatione Oceani ad ſtructuram templi Ieroſolymitani apportatam fuiſſe dixi; videamus an huius maris exteri & orbis Atlantici vltra Oceanum occiduum ſiti notitia vlla fuerit apud antiquos. Id quia veterum teſtificatione nobis eſt docendum, non exiſtimo me lectori vel prolixum vel odioſum fore, ſi ipſa auctorum verba adſcripſero. In primis igitur audiatur Plato, aut potiùs Ægyptius ſacerdos, priſcam veritatem nec prorſus oblitus nec penitus aſſecutus. At, quia Latinis loquimur, Iani Cornarij, cuius interpretationem nunc ad manum habemus, verbis vtemur, quo vertendi labore careamus. Ægyptius igitur de Athenis ita apud Solonem ſermonē habuit, vt inter cetera & ea diceret quæ ſequuntur: Multa quidem igitur & magna ciuitatis veſtræ facta hîc ſcripta in admiratione ſunt, vnum tamen & magnitudine & virtute omnia excedit. Scriptum enim habetur, quantam ciuitas veſtra vim cum omni iniuria graſſantem aliquando compreſſerit, quæ extrinſecus ex Atlantico pelago progreſſa ſimul in omnem Europam & Aſiam impetum fecit. Tunc enim pelagus illud nauigabile erat: Inſulam enim ante oſtium habebat, quod vos columnas Herculis appellatis. At inſula illa & Libya & Aſia ſimul maior erat; ex qua aſcenſus ad alias inſulas tunc proficiſcentibus contingebat: ex inſulis autem in omnem ex aduerſo continentem circum verum illum pontum ſitam. (nam quæ intra oſtium ſunt, portus eſſe videntur, qui anguſtum quendam aditum nauibus præbet: illud autem reuera pelagus eſt; & quæ ambit ipſum penitus, verè terra rectiſſimè continens dici poteſt.) In hac verò Atlantide inſula magna & admiranda Regum potentia fuit, quæ vniuerſæ quidem inſulæ dominaretur; multis autem etiam aliis inſulis & continentis partibus. Imperabant inſuper his qui in Libya huc vergente ſunt, vſque ad Ægyptum. In Europa verò vſque ad Tyrrheniam. Hæc autem vniuerſa vis in vnum collecta, & veſtrum, & noſtrum, & omnem intra oſtium locum vno quandoque impetu in ſeruitutem redigere aggreſſa eſt. Tunc igitur veſtræ, ô Solon, ciuitatis potentia apud omnes homines & virtute & robore inclaruit. Omnibus enim animi magnitudine & artibus militaribus præfecta partim Græcorum dux, partim ipſa ſola reliquis neceſſariò deficientibus ad extrema pericula adducta, deuictis quidem hoſtibus trophæa erexit; eos autem qui nondum in ſeruitutem ſubacti eſſent, ſubigi prohibuit: nos autem alios, qui intra Herculeos terminos habitamus, omnes luculenter liberauit. Poſteriore verò tempore, terræ motibus ac diluuiis ingentibus obortis, vnâ die ac nocte graui incumbente, & apud vos totum militare genus aceruatim terra abſorbuit, & Atlantis inſula ſimiliter in mari ſubmerſa diſparuit. Quapropter etiam nunc innauigabile & intentatum manet illud pelagus, luto paullatim impediente, quod inſula ſubmerſa inuexit. Quæ itaque à vetere Critia dicta ſunt, ô Socrates, prout ex Solonis narratione accepit, in ſumma audiuiſti. Et hæc quidem ex Timæo; quibus ſi ea quæ in Critia, ſiue Atlantico, ſuper eadem re dicuntur, adiungam; prolixiorem me quàm vtiliorem præſtitero: eo quòd loco veræ narrationis amiſſæ, meras fabulas dialogus ille complectatur; quas vel ad naturæ, vel ad reip. vel ad rerum diuinarum contemplationem reuocare non eſt huius noſtri inſtituti. Sufficit oſtendiſſe apud Ægyptios tenuem quandam orbis Atlantici memoriam ad Platonis vſque ætatem extitiſſe, quam fortaſſe de Iudæorum relatu acceperant, apud quos poſt claſſem Ioſaphat confractam nemo fortaſſe ad Opher nauigarat; ita vt mirum non ſit fabuloſas narrationes pro veris irrepſiſſe. Herodotus, licet priùs apud Ægyptios habitaſſet, ac diligenter omnem perquiſiuiſſet antiquitatem, minus tamen cognitionis de Atlantibus populis videtur aſſecutus, quando apertè fatetur ſe nihil de iis dicere poſſe quæ vltra Atlantem Africæ montem Occidentē verſus porriguntur. Extat libellus De mirabilibus auditionibus, Ariſtoteli attributus, in quo clariſſima Atlantici orbis mentio habetur ad hanc ſententiam: In mari extra Herculis colūnas aiunt inſulam à Carthaginienſibus inuentam eſſe, fertilē illam quidē, ſed deſertam; in qua non ſiluarū modò omnis generis copia ſit mirabilis, & fructuum diuerſitas, ſed fluminū etiam nauigationi aptorum abūdantia, quæ tamen multorum dierum nauigatione à continenti ſit remota. Hanc cùm Carthaginienſes frequenter adirent, & fertilitate allecti non pauci etiam habitarent, magiſtratum pœna capitis interdixiſſe, ne quis amplius ad eam nauigaret, & vnà

De Atlantico orbe veterum ſententia & teſtimonia.

Plato in Timæo.

Herodotus.

Ariſtoteles in libro de mirabilibus auditionibus.

vnà omnes incolas eieciſſe, ne ſi temporis mora in magnam multitudinem aucti ſibi inſulam vindicarent, atque à Carthaginienſibus deſciſcerent, reip. damno eſſent. Ex his coniecturam facio, inſulam eam quam nunc Hiſpaniolam vocamus, à Carthaginienſibus inuentam fuiſſe. Diodorus Siculus quædam de Iambolo narrat, non admodũ aliena ab Atlantici orbis indole. Arundines enim illæ quas fructũ ferre dicit albo eruo ſimilem, è quo panis conficiatur, Mahizum repræſentant. Quod item de maximis ſerpentibus & innoxiis addit, quorum carnibus ſuauiſſimis incolæ illius quem deſcribit, orbis veſcãtur, an non omnino ad illa quadrat quæ de occiduis Oceani inſulis legimus? Sed valeat Iambolus cum fabulis ſuis, quas nimis impudenter obſcuris veritatis indiciis attexuit. Theopompus narrat, Midæ cum Sileno colloquium interceſſiſſe, in quo præter cetera & illud fuerit: Europam, Aſiam & Libyam inſulas eſſe quas Oceanus vndiq. complectatur. Eam verò terram ſolam continentem, quæ ſit ab hoc orbe ſeiuncta, cuius magnitudo ſit immenſa, & indigenarum numerus infinitus. His alia annectit ab hiſtorica fide procul remota, & idcirco à nobis omiſſa, quibus ſatis eſt demonſtraſſe, priſcam admodum memoriam Atlantici orbis apud Græcos exſtare. Iuba, illius Iubæ filius qui Petreium contra Cæſarem infeliciſſimo exitu iuuit, ſcribit, mare extra Herculis columnas ad Indiam vſque nauigari, & in eo contra Heſperionceras, quod nos Caput viride dicimus, Gorgonas inſulas ponit. Seboſus Plinio & Solino auctor eſt, à Gorgonibus inſulis vſque ad Heſperidas nauigationem eſſe quadraginta dierum; quæ aſſertio non multum abhorret à veritate, ſi Heſperidum nomine Hiſpaniolam, Cubam & ceteras inſulas Atlantico orbi vicinas intelligamus. De Statij igitur Seboſi ſententia Gorgones illæ inſulæ dicendæ eſſent, quæ Capiti viridi ſiue Heſperio cornu proximæ iacent; quas alij Heſperides nominarunt. Xenophon Lampſacenus narrat Hannonem Carthaginienſem ad Gorgonas appuliſſe, atque ibi feminas reperiſſe miranda pernicitate præditas, quarum duas ceperit, & earum cutes hirtas admodum & aſperas ad perpetuam memoriam in templo Iunonis inter donaria ſuſpenderit. Quæ de Gorgonibus poëtæ fabulati ſint, à Grammaticorum pueris diſcas; apud quos Euryale, Stheno, & Meduſa Phorcynis filiæ celebrantur. Nobis hoc loco propoſitum non eſt, ad Phorcynis antrum diuertere, neque commenti poëtici ab aliis aliò relati cauſſas explicare. Crebrò monui diuina nomina ad homines transferri ſolere; qua de re ingens oritur poëſeos & Orphicæ Theologiæ confuſio; & inde mox varij Ioues, varij Hercules, varij Bacchi apud veræ interpretationis imperitos exſtiterunt. Vnde mirum videri non debet, ſi Phorcuni quoque nomen idem fuerit perpeſſum. Si enim Barbaricum eſt, vti eſſe nihil dubito, licet Græci à verbo φέρω deriuent, quod & ipſum noſtratis eſt originis, is Phorcunus dicetur, cui ea facultas eſt, vt & ſciat & poſſit & audeat vehere atque ducere; quorum vtrumq. denotatur: quæ notatio Deo primùm conuenit, primo omnis vecturæ & ductus auctori ac patrono. Eius vocis partes ſunt Phoer & Cun, quarum prior alteram diphthongi noſtratis partẽ apud Græcos abiecit. Non malè itaque veteres Tarſen cognomento Phorcynum nominarunt, eo quòd non minùs ſcientia ac poteſtate quàm vehendi ac ducẽdi audacia polleret. Eius filiæ Gorgones dictæ, quæ vox noſtrati origini applicata bonæ ſobolis fauorem deſignat. Phorcuni enim nauigatio atque vectura magnam in Oceani inſulis ſobolem peperit, ac totum orbem Atlanticum colonis impleuit. Gor priùs expoſui; Gon fauere ſignificat. Filiarum nomina cùm cuiuis Regi queunt accommodari, tũ ei maximè conueniunt, qui longè lateque maris dominio potitur. Euryale enim Salis latitudinem deſignat; qua nota non latum modò mare, ſed magna etiam ſapientiæ ac prudentiæ latifundia intelligere debemus. Poſt hanc Stheno, id eſt potentia, ſequitur; omnibus ſanè exoſculanda, ſi & Phorcuni filia ſit, & Salis omnia conſeruantis ſoror. His tertia accedit Meduſa; quam ſi Reginam interpreteris, Græcam vim vocis expreſſeris. Pertinet verò hoc ad fortitudinem & audax animi robur, vt quod ſcias & poſſis, id exſequi velis. O beatas vrbes, ô beata regna, quorum res à Phorcuno per has tres filias gubernantur! Varro Phorcuni & Atlantis neſcio quod bellum commemorat, cùm idem ſit Atlas & Phorcys. Hinc Seruius quoque Gorgones circa Atlantem agnoſcit; cuius ſi filias dixiſſet, nihil à vero aberraſſet. Et hæc quidem ad hunc modum ad hiſtoriam referantur. Quòd ſi Theologica norma vocabula eſſent examinanda, geminam Meduſam inueniremus; alteram veram, quæ ipſa Pallas eſt; & inde apud Cyrenæos itidem

Diodorus Siculus.

Theopompus.

Iuba.

Statius Seboſus.

Xenophon Lampſacenus.

Phorcynus vnde nomen habeat.

Tarſes Phorcunus appellatus.

Gorgones quã habeant nomenclaturæ rationem.

Gon.

Gorgones tres, & earum nominum interpretationes.

Meduſa duplex.

Gorgon vocata: alteram falſam, quæ regnum obtinet mundanæ peruerſitatis, cuius caput veluti trophæum, Pallas præfert. Verùm hæc prolixiùs me tenerent, quàm præſenti conueniat loco. Homerus videtur Phorcynis nomen ad Phrygas, quorum lingua eadem fuit cum noſtrati, retuliſſe; dum alterum Phrygum ducem hoc nomine vocauit:

Φόρκυς αὖ Φρύγας ἦγε καὶ Ασκάνιος θεοειδής.

Dicitur auté Phorcys Phorcynis ab antiqua voce Phorcyn, teſte Euſtathio; quod addo, ne quis me Phorcuni nomen confinxiſſe exiſtimet. Elegantior itaq. hoc loco ratio latet quàm quiſquam fortè hactenus ſit ſuſpicatus; eo quòd illud alteri duci nomen poëta dederit, quod Phrygia lingua eum ſignificet qui peritiam, vires & fortem generoſumq. animum ad exercitum ducendum habeat: alterum Aſcanium vocarit, tum quia eo nomine primus conditor gentis dictus fuiſſet, tum quòd ea voce is propriè nuncupari debeat, qui ſciat & poſſit alimenta ſuppeditare. Quid quæſo breuius ſuccinctiusq. dici potuiſſet, ad ea exprimenda quibus ad patriæ defenſionem opus eſſet? Et hæc quidem de Phorcuno Gorgonum occaſione, quarum nomine inſulas quæ Heſperio cornu proximæ opponũtur, apud priſcos dictas fuiſſe, iis quos laudaui auctoribus credamus. Cùm igitur Statius Seboſus ab his ad Heſperidas vſque quadraginta dierum nauigationem eſſe ſcripſerit, eámq. occidentem verſus, vti nomen præfert; facere non poſſumus quin dicamus, apud priſcos etiam eius orbis quem nunc nouum vocamus, notitiam fuiſſe. Ex his modò Græcorum teſtimoniis, cum ſacra hiſtoria collatis, liquebit, quæ fuerit Salomonis claſſium in Opher nauigatio. Tarſes igitur Atlas fuit & Phorcyn, non Tarteſſi tantùm, ſed occidui etiam litoris Africani & inſularũ Oceani, & orbis vltra Oceanum iacentis, primus & inuentor & conditor: qua de cauſſa laudandus Plato, quòd Atlanticum orbem vocarit. Patefeci modò, antiquiſſimo atq. adeò primæuo iure ab ipſo conditore ad poſteros deducendo, Occidua Africæ littora & inſulas obiectas vnà cum nouo orbe Tarteſſiacorũ eſſe debere, tametſi recèns non occupaſſent. Verùm, quia ipſe etiam Atlas Heſperum fratrem ſuum Luſitanorum primum parentem adeò non excluſit ab earum quas primus inueniſſet, terrarum poſſeſſione, vt iis etiam nomenclaturam dederit à fratris nomine petitam; non iniquum fuerit, ſi Odyſei quoque poſteri ad Heſperidum partem admittantur, & orbis Atlantici portionem quandam de priſca fratrum concordia ſibi vindicent. Atque hæc quidem de Atlantico orbe dicta ſufficiant. Neq. enim partes eius vel geographico vel chorographico more depingere decreui; ſed illud dumtaxat oſtendere, qui primi fuerint Hiſpaniæ & Atlanticæ orbis conditores. Quoniam ergo duos modò primos Hiſpanicæ gentis auctores, Elyſſum & Tarſem, fuiſſe ſatis, ni fallor, clarè demonſtraui; hoc meo labore defungi nõ malo iure poſſem, niſi priùs me largiùs prolixiusque obligaſſem. Dixi enim me poſt veros conditores inuentos fabulas etiam à ſcriptoribus proditas excuſſurum; at eas tamen non quaſuis, nec à quibuſuis confictas; ſed antiquas, & à priſca memoria celebratas. De Gargori itaque & Habide, quorum fabuloſam hiſtoriam Iuſtinus è Trogo Pompeio recitauit, paucis fuerit agendum. Gargorum enim Tarteſſiorum antiquiſſimum Regem fuiſſe commemorant, & Tarteſſiorũ quidem vetuſtiſſimos fuiſſe Curetas. Quamuis alibi qui ſint Curetes, & quæ vera huius vocis origo ſit, non ſemel tradidiſſe me recordor; nihil tamẽ vetat idem hîc rurſus compendio explicare. Cur ritum ſacrum in primo ſermone ſignificat; cuius voculæ cauſſa à littera C & Ur ſyllaba pendet, quarum illa ingens Orantis deſiderium exprimit, hæc illud ſignificat quod plurimùm in agendo excellit. Hinc intelligas omnem ritum ſacrum vehementi deſiderio ad id ferri perpetuò debere quod eſt omniũ præſtantiſſimum, ad ipſum videlicet ſupremum creatorem. Reet verò, ſiue Reit in aliorum dialecto, idem eſt quod præcipio ac iubeo; vnde vox compoſita Cureet, ſiue Curreit, exempta adſpiratione, rituum ſacrorum præceptorem ſignificat; qua in notatione hactenus noſtratibus in vſu eſt, dum animarum paſtorem Curcit vocant. Hinc Latini à Gotis & Francis, lingua noſtrati quondam vtentibus, Curati nomen acceperunt. Ridiculum namque ſit dicere populi paſtores ob id curatos dici, quòd bene curata ſint cute, & bene curata culina; quod tamen fatendum eſſet, ſi vox ad Latinam linguam referretur. Dum igitur Curetes primi Tarteſſiacæ regionis cultores fuiſſe produntur, ſic narratio accipienda eſt, vt intelligamus primos conditores Hiſpaniæ nihil prius habuiſſe, quàm vt ſalutaribus veræ pietatis & religionis præceptis ſubditorum animos imbuerent atque

Tarſes idem qui Atlas & Phorcyn.

Cur.

C littera & Ur vocis ſignificatio.

Reet. Reit.

Curati vocis etymon.

Curetes primi Tarteſſiacæ regionis cultores.

atque formarent. Elyſſus certè & Tarſes reuera Curetes erant, & hoc vnicè operam dabant, vt quos conderent coloni totis animis cultui diuino vacarent, & omnia ſtudia ad verum Pana, ſolidæ pacis auctorem, adorandum inuocandumque conferrent: quod vt non aliundè coniectare poſſemus, ex illo tamen perſpicuum redderetur; quòd totam regionem occiduam Paniam ſiue Hiſpaniam vocarunt, ipſo nomine Deo Pani eam conſecrantes. Qua de re euidentiſſimum eſt, ipſos reapſe meruiſſe, vt Curetes nominarentur: quia nimirum diuino cultui docendo, veræque religioni demonſtrandæ omnia poſthabentes, id primum omnium curarunt, vt nemo vel præſentium vel poſterorum patriæ nomen proferre quiret, vt non ſimul quis Deus, & quo nomine, & qua exſpectatione colendus eſſet, admoneretur. Et hæc quidem de Curetibus primis Hiſpaniæ incolis. Iam primus Rex Gargoris vocatus eſt, cui Habis ſucceſſit. quibus nominibus monemur rerum neceſſariarum acquiſitionem & conſeruationem plurimum apud eos vigere atque regnare, apud quos ſacri ritus & vera religio diligenter obſeruantur. Gargores enim propriè præcipuéque is dicitur, qui omnino ſapiens eſt atque prudens ad congregandum conſeruandumque. Gar-ger-wis enim nobis clariſſimè ſignificat eum quem Latinus ad verbum diceret, omnino acquirendi accumulandíque peritum. Digamma noſtratibus ſolis vſitatum tolli, non magis in hac voce quàm in Druidum nomine mirandum. Porrò quoniam non ſatis eſt res vſibus humanis neceſſarias quæſiuiſſe, niſi eæ quoque prudenter conſeruentur, fingitur Rex ſecundus Habis fuiſſe. Eſt enim Habis è noſtrati voce Hauwis formatum, quo denotatur is qui ſeruandi retinendique peritiam habet. Vbi V in B mutari, & duplex digamma tolli in illis eſt, quæ in vocabulis è noſtro ſermone transferendis fiunt creberrimè. Hunc variis periculis obiectum fuiſſe fabulantur, ac tandem a cerua enutritum. Equidem ita commentum accipio, vt intelligam multo difficilius eſſe, magnas opes conſeruare quàm acquirere; & eum qui eas poſſideat, variis periculis patere: & idcirco tam timidum ſemper eſſe, vt à cerua lactatus fuiſſe videatur. Quiſquis ergo fuit, qui primus hæc regni exordia excogitauit, eum non aliud ſignificare voluiſſe exiſtimo, quàm cuiuſuis reip. bene conſtitutæ tria eſſe debere fundamenta; quorum primarium ſit religio Curetibus denotata, ſecundas partes habeat eorum quæ vitæ commoditatibus neceſſaria ſunt acquirendorum diligentia, quibus ſuccedat eorum quæ parta ſunt conſeruandorum aſſidua cura. Non poſſum hoc loco riſum continere, dum Iuſtini verborum recordor, qui de Habide agens, Huius, inquit, caſus fabuloſi viderentur, niſi Romanorum conditores lupa nutriti, & Cyrus Rex Perſarum cane alitus proderetur. Quaſi verò & hæc minùs fabuloſa haberi debeant, quia ſcilicet à bonæ fidei auctoribus, ſi Dio fidio placet, ſcribuntur. Scio Lupæ vocabulum pro ſcorto dici poſſe, & id quidem de vetuſto Cimmeriorum ſermone, in quo Lu-pai tantundem valet ac ſi Latinus diceret, populum contentum reddo; quod ſcorti proprium eſt: quoniam non vnius, ſed totius populi tentiginem ſoluat. Verum Romulus non ob id à lupa nutritus fingitur; ſed ea de cauſſa lupinum lac ſuxiſſe dicitur, quòd principes Romani, qui ad vnum omnes Romuli dici poſſunt, totius orbis diuitias, quæ gregibus denotantur, haud ſecus ac lupus oues, deuoraturi eſſent. Antiquiſſimum igitur oraculum eo figmento tegebatur, quod eorum quæ multis pòſt ſeculis rerum ſucceſſus docuit, ſignificationem dedit minimè obſcuram. An non tota Africa, tota Hiſpania, tota Gallia, tota Græcia, tota Aſia ad Eufratem vſque, tota Syria, tota Ægyptus à Romanis fuit deuorata? Quòd autem Cyrus canino lacte nutritus fuiſſe ſcribatur, id ad hunc modum interpretari oportet, vt Cyrum intelligamus talem omnino Regem fuiſſe, qualē Princeps Academiæ quondā deſiderauit. Socrati haud infrequens fuit per canem iurare, quod dum faciebat, perinde faciebat, ac ſi per ipſam iuraſſet philoſophiam, cuius ſymbolum canis præ ſe ferebat. Canis enim ignorantiam peſſimè odit; cuius indicium eſt clariſſimum in eo, quòd ignotum hominem ſumma ira perſequatur, & dentibus inuadat; quem vbi nouiſſe cœperit, amat & adulatione excipit, cùm in homine eo nihil interim ſit immutatum. Perſpicuum itaque, cani ignorantiam maximè diſplicere, & notitiam cariſſimam eſſe: quod quid aliud eſt, quàm canem eſſe philoſophum? At is demum bonus fuerit Rex, qui idem quoque ſit philoſophus, quod Platoni adeò placuit, vt diceret, aut philoſophum regnare aut Regem philoſophari oportere. Quamobrem qui primus Cyrum

Gargoris primus Tarteſſiorum rex.

Gargoris nominis etymō.

Habis alter Tarteſſiacorū rex, & eius nomenclaturæ ratio.

Lupæ vocis etymon.

Romulus cur à lupa enutritus fingatur.

Cyrus cur à cane educatus feratur.

Canis cuius rei ſymbolum præ ſe ferat.

finxit

finxit lacte canino enutritum fuiſſe, is non aliud ſibi voluit, quàm Cyrum omnibus illis dotibus exornatũ fuiſſe, quas ſapientes viri in Rege vigere voluerunt. Quid quòd Phryges Con pro cane dixerunt, vnde & ipſum canis apud Latinos & κυνὸς apud Græcos nomen? Eius rei cùm teſtem Platonẽ habeo, qui nomen κύων è Phrygio ſermone deducit, tum noſtrates etiam, qui hactenus diminuẽte voce Koonken pro cane vtũtur. Eſt autem Con vocabulum copioſæ ſignificationis, eo quòd notionem offerat ſcientiæ, potentiæ, & magni animi; quæ tres dotes quòd in Rege de priſcorum ſentẽtia eſſe debeant illuſtriſſimæ, noſtrati ſermone Rex ita vocatur, vt Con priorem ſyllabam cõſtituat, cui Hing additũ, quo denotatur ſumma auctoritas à qua omnia pendent, Con-ning efficit. Vide nunc quanta apud priſcos canis & laudati Regis affinitas, quanta ratio, vt canis optimi principis ſymbolum habeatur. At licet in his ſatis rationis appareat, cur Cyrus à cane nutritus dicatur; illud tamẽ quod de Anubi Ægyptio & Hermanubi apud veteres proditũ habemus, hanc ſentẽtiam meam magis confirmat: Canis enim Diodoro Siculo cuſtodiam ſignificat, cuius cauſſam nemo non intelligit: atq. idcirco Mercurius canino capite pingebatur, quòd verus cuſtos eſſet animorum; læua caduceũ gerens, dextra palmam, ſigna certiſſima draconis deuicti. qua de re aliàs latiùs egimus. Sed hæc obiter Habidis occaſione, quem propterea ceruino lacte nutritum fuiſſe veteres commenti ſunt, quòd tanta auri & argenti copia, quanta apud Tarteſſiacos erat, perpetuũ adferat timorem; vt rectè ille intellexit, qui dixiſſe fertur, aurũ ob id pallere, quòd inſidias ſemper metuat. Quòd ſi quis bulgam habeat multo auro confertam, ad motæ arundinis ſtrepitũ & vmbram trepidabit; cùm è diuerſo cantet vacuus corã latrone viator. Si quis eſt qui hunc metum in ſe non eſt expertus, is Euclionẽ interroget Plautinũ, & mox diſcet, nihil plus timoris adferre quàm aulam multo auro grauẽ; quam qui diligẽter occultare ſtudet, ipſos etiam coruos crocientes timebit. Nec verò vanũ fuit hoc de Tarteſſiacis Regibus figmẽtum, eo quòd nulla vmquam regio pluribus fuerit exterorũ hominũ deprædationibus vexata. Vt enim obſcuriora mittamus, quis neſcit, à Pœnis totã Hiſpaniam fuiſſe expilatam? His ſucceſſerunt Romani; Romanos Goti, Vandali, Sueui, Alani, & neſcio qui alij Teutones expulerunt: Gotos ſpoliarũt Agareni Africæ tyranni; quibus vix tandẽ poſt octingenteſimũ annũ aut eiectis aut ſubiugatis ab externa militia, & Ianuẽſi fœnore tota ditio exhauritur. & id quidem ad eum modum, vt niſi aurum Atlantici orbis ſuccurreret, ne teruntium quidem reliquũ Hiſpaniæ Rex haberet. Nunc ſatis de Habide, cui fabulæ omnem regionis felicitatem adſcripſerunt, & optimo ſanè iure; quando rerum neceſſariarũ conſeruatio omnia regni commoda & parat & cuſtodit. Hunc Græci Chryſaorem lingua ſua fortaſſe vocauerunt, eo quòd aureo gladio regnum ſuum defenderet, id eſt, multa pecunia præſidiarios milites aleret, ad opulentiſſimũ ſuum imperiũ aduerſus exterorũ incurſiones tuendum. Vxorem ei tribuerunt Callirrhoën, quod cognomen Bæti pulcerrimo flumini, cuius ripæ oliuetis luxuriant, quam optimè cõuenit. Ex ea Geryon natus. Poſtquam enim tandem Reges auaritiam quoque admitterent, & toti opibus accumulandis inhiarent, generoſis animi dotibus omnino neglectis Geryon tricorpor, id eſt, totus corpus nihil mentis habens, naſcitur: cui nomen inde datũ, quòd is honeſtam opum & acquiſitionẽ & conſeruationẽ defraudaret. Ger-hu-hoon enim idem eſt quod acquiſitionẽ & cuſtodiam defraudo. Quæ namq. fraus maior, quæ maior iniquitas cogitari poteſt, quàm ea qua quis ſuũ ipſius genium, cognatos, amicos, miniſtros, ſubditos, omnes deniq. homines defraudat, non permittẽs nec ſibi nec aliis rebus magno labore & partis & cuſtoditis vel vti vel perfrui. Cùm itaq. auarus princeps nemini carus ſit aut amicorũ aut ſatellitũ, facile fit vt regno expellatur; atq. hac via ditio ab exteris occupetur, & theſauri à peruigili dracone, quem Geryoni etiam affinxerũt, cuſtoditi diſſipentur. Quoniam verò Hercules omnium monſtrorum domitor, totiúſque orbis Auerruncus habetur; conficta eſt fabula, Geryonem ab Hercule occiſum eſſe, & boues ipſius, quibus diuitiæ denotantur, ad diuerſas regiones abductos. Et quamuis hæc ad Tarteſſiacas & Gaditanas opes applicentur; non ſum tamẽ neſcius, fabulam etiã maiori longè myſterio poſſe accommodari, vt nimirũ Geryon Mammonas dicatur, cuius fraude primi homines è Paradiſi, quem cuſtodiendum acceperant, poſſeſſione pulſi ſunt. Eum verus Hercules ſuperauit, & boues, qui homines ſunt, vitio ſuo in pecudes & iumenta, quibus nulla eſt intelligentia, transformati, tyrannide ipſius exemit.

FINIS.

Con pro cane Phrygia vox.

Koonken.

Regis laudati et canis affinitas.

Coning.

Hiſpania deprædationes.

Chryſaor quis & vnde dictus.

Geryon cuius filius, & nominis etymõ.

Hercules cur Geryonem occidiſſe & eius boues abegiſſe feratur.

Ioh. Goropij, piæ memoriæ, Hiſpanica, Francica, Gallica, Vertumnus, Hermathena, & Hieroglyphica, eiuſdem ſunt eruditionis cum iis operibus quæ viuus edidit. Nec quicquam in his libris à me, aut ab aliis eſt animaduerſum quod fidem aut morum integritatem lædat. 16. Nouemb. 74.

Ioh. Molanus, Apoſtolicus
& Regius cenſor.